



7
6


6
29
7



DE PROBATIS SANCTORVM HISTORIIS, PARTIM EX TOMIS ALOYSII LIPOMANI, DOCTISSIMI EPISCOPI, PARTIM ETIAM EX EGREGIIS MANVSCRIPTIS CODICIBVS, QVARVM

permultæ antehàc nunquàm in lucem prodiêre, optima fide collectis, & nunc recèns recognitis, atque aliquot Vitarum acessione auctis per F. LAVRENTIVM SVRIVM CARTHVSIANVM,

TOMVS SECVNDVS,

COMPLECTENS SANCTOS MENSIVM

MARTII ET APRILIS.







COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios, Anno M.D.LXXVIII.

Cum priuilegio PII V. Pontificis Maximi, & CAESAREAE Maiestatis in decennium.

PIVS PAPA V.

DILECTO FILIO F. LAVRENTIO CARTHVSIANO.

DILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Librum, sanctorum Patrum vitas continentem, à te nupèr editum, atq; ad nos missum, libentissimè accepimus: qui quidē eo etiam gratior nobis fuit, quòd opus in se cōtinet à nobis semper desideratum, & ad refellenda hęreticorum in easdem sanctorum Patrum historias maledicta, aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuū, teque, quòd coram Domino vacuus apparére nolueris, sed in eius Domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quicquid potueris, vltrò obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus: cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam inprimìs ei tribuendam esse memento, à quo accepisti & velle & perficere: quod & à nobis, & ab omnibus pijs & Catholicæ religionis studiosis meritò laudaretur. Hortamur autem te, vt huiusmodi opere prosequendo, & de Ecclesia Dei benèmereri, & tibi apud omnipotentem Deum merita augere nè desistas, securus, te à Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 2. Iunij, M.D.LXX. Pontificatûs nostri Anno Quinto.

T. Aldobrandinus.

PIVS

PIVS PAPA V. DILECTO FILIO GERVINO CALENIO, TYPOGRAPHO COLONIEN.



DILECTE Fili Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm tu, sicut accepimus, nonnullos de probatis Sanctorum historijs à dilecto filio Laurentio Surio optima fide collectis, necnō alios Tomos seu libros dilecti filij Petri Canisij presbyteri seu religiosi Societatis IESV, de doctrina siue Institutione Christiana inscriptos, vnà cum certis Annotationibus, nōdùm impressos, tua impensa imprimi facere desideres: Nos tibi, quem in excudēdis huiusmodi Tomis seu libris graues impensas subire necessè est, nè ex beneficio omnibus Christi fidelibus collato detrimētum aliquod sentias, opportunè prouidere, ac te in tuo laudabili & Reipub. Christianæ perutili proposito confouere volentes, & à quibusuis Excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsq́ Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibèt innodatus existis, ad effectū præsentium dūtaxàt consequendum, harū serie absoluentes & absolutū fore censentes: Motu proprio nō ad tuam vel alicuius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia & mera deliberatione nostris tibi Tomos seu libros præfatos per te vel alium seu alios imprimendi, & impressos vendendi licentiam & facultatem plenam & liberam Apostolica authoritate per præsentes concedimus: Necnon omnibus & singulis impressoribus, librarijs, & mercatoribus tam in Italia quàm extra Italiā constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub Excōmunicationis sententiæ, necnon in terris sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiectis, sub amißionis Tomorum seu librorum huiusmodi, ac mille ducatorū auri de Camera, pro vna Cameræ Apostolicæ, & altera medietatibus tibi, tuisq́ hæredibus & successoribus irremißibiliter loco damnorū applicandorum pœnis, per alios absq́ tuî & hæredum vel successorum tuorū expresso mandato aut licentia habita excudentes, seu imprimentes, aut vendentes, totiès quotiès id fecerint, eo ipso incurrendis, nè eosdem Tomos seu libros infra decennium proximè futurum ab illorum impreßione computandum, in quibusuis literarum characteribus, aut parua, mediocri, seu magna, vel alia quacunq́ forma alicubì imprimere, neq́ per alios impressos vendere absq́ expressa tuî vel hæredum & successorum præfatorū licentia vel consensu audeant vel præsumant, & ità per quoscunq́ iudices & commissarios quauis authoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, interpretandi facultate & authoritate, iudicari & diffiniri debere: Ac quicquid secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus: Mandantes nihilominùs Motu simili sub interdicti Ecclesiastici & ingressus ecclesiarum Venerabilibus Fratribus nostris Coloniens. & quorūuis aliorum ciuitatum & locorum Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs illorum vicarijs seu officialibus, legatis, vel Vicelegatis, ac sub primò dictis pœnis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs quibusuis Iudicibus quibuscūque authoritate & officio fungentibus, quatenùs quotiès pro parte tua, & succesßorū tuorum, vel alicuius eorum huiusmodi fuerint requisiti in præmissis, efficacis defensionis præsidio aßistentes, faciant authoritate nostra inhibitionem præfatā inuiolabiliter obseruari: ac te, tuosq́ hæredes & succesßores præfatos huiusmodi, illorumq́ singulos concesßione pacificè frui & gaudere: Ac impresso-

res, librarios, mercatores, fautores, scientes & non reuelantes, quos inhibitioni præfatæ contrauenisse eis constiterit, excommunicationis & alias sententias, censuras & pœnas huiusmodi incurrisse declarent, ac pro talibus publicè nunciari mandent, & faciant contradictores quoslibet & rebelles per easdem censuras & pœnas, appellatione postposita, compescendo: inuocato etiam ad hoc, si opùs fuerit, auxilio brachij secularis: Non obstantibus Cōstitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Priuilegijs quoquè, Indultis, & literis Apostolicis super imprimendorū Tomorum facultate quibusuis personis cuiuscūque dignitatis & præeminentiæ existentibus etiam motu & scientia similibus, ac sub quibusuis tenoribus & formis, necnon clausulis & decretis concessis: Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumq́ totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua: non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, àc si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxàt specialiter & expressè derogamus: Aut si impressoribus, librarijs, & mercatoribus præfatis vel quibusuis alijs, communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenā & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem & eadem authoritate decernimus præsentium literarum transcripta in ipsis Tomis impressa in iudicio & extra sufficere, & plenam fidem facere, regula contraria non obstante. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIII. Septembris, M.D.LXIX. Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

REVE.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IACOBO ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI, S. ROMANI IMPERII PER GALLIAM ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI ELECTORI, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO, S. P. D.



PAVCI iam lapsi sunt anni, Reuerendissime & Illustrissime Princeps, quòd Sanctorum Vitas in aliquot digestas Tomos, cœpi in lucem emittere: atque re ipsa comperi laborem illum meum, pro Christi gloria & Sanctorum eius honore, publicaque Ecclesię vtilitate susceptum, multis pijs, immò verò etiam non paucis magna dignitate, multaque doctrina & pietate præditis viris non ingratum fuisse: quandoquidem harum Vitarum lectione etiam Principes haud vulgares delectari comperi, & intra breue tempus plurima exemplaria ità distracta sunt, vt denuò recudi Tomos oportuerit. Dedi autem operam in his colligendis Sanctorum historijs, vt nihil ijs admisceretur, quod posset in falsi suspicionem vocari. Noueram enim ab Ecclesiæ hostibus petulanter exagitari quasdam hactenùs euulgatas historias: quibus omnis præcidenda erat occasio iustè eas calumniandi, quas nos edituri essemus. Accidit sanè, vt permultæ Sanctorum Vitæ nescio à quibus admodùm frigidè & dubia fide contextæ, etiam in manuscriptis codicibus legantur: quas si velimus sine vllo delectu ità vt conscriptæ sunt, omnibus legendas obtrudere, iure sanè ac meritò repræhendi possimus. Sed ibi multa mihi fuit adhibenda diligentia & solertia, vt preciosum à vili secernerem, easque solas Vitas in Tomos meos referrem, quæ aut certas eosque graues haberent authores, aut ità solidè conscriptæ sint, vt de fide earum ambigi vix posit, nisì fortè ab hominibus nimiùm morosis & nasutis, quibus satisfieri nunquàm potest. Quanto autem labore id mihi constiterit, vt ex vasta sacrarum historiarum sylua non nisi probatas aut certè probabiliter scriptas seligerem, nihil hîc commemorare attinet: quandò apud se quisque facilè potest æstimare, multum mihi & operæ & temporis ponendum fuisse in examinandis historijs tam multis, quæ partìm excusæ typis sunt, partìm in MS. codicibus habentur: ex quibus plurimas sanè non ausus fui cum alijs coniungere, nè propter illas omnium vacillaret fides, & haberent aduersarij nostri, quod suo more criminarentur, aut certè irriderent. Quòd si verò nec sic satisfactum est hominibus ad rixas & contentiones natis, atque ad alienos carpendos labores promptulis, non valdè id me commouere debet: Nam id genus hominum morsus omnes euitare velle, nihil aliud est quàm niti ad impossibile. Habent hîc pij, quibus potissimùm gratificari voluimus, vndè multiplices carpant veræ salutis fructus: habent spiritu feruentes, vndè magis etiam inflammentur, vt cum Apostolo ea quæ retrò sunt obliti, in anteriora se extendant, & ad perfectionem ferantur: habent tepidi, vndè incalescant: habent etiam prorsùs duri & frigidi, vndè salubriter compungantur. Videmus dum in his versamur Sanctorum historijs euoluendis, quàm ineffabili

ſapientia & benignitate humano generi conſuluerit Deus, quandò tot illuſtriſsimis ſtellis ab initio naſcentis Eccleſiæ vſque ad noſtram ætatem ornauit eiuſdem Eccleſiæ firmamentum, quæ ſuo ſplendore eam admirabiliter & ornant & illuſtrant: quæ etſi claritate inter ſe differunt, at vni tamen corpori omnes inhærẽt, ab vno omnes iuſtitiæ Sole ſuũ accipiũt lumen, vno omnes ſpiritu mouentur. Indè tam ſtupenda inter Sanctos omnes fidei & doctrinæ conſonantia, indè idem perpetuus in religione conſenſus, indè ſuauiſsima animorum conſpiratio, mutua charitas, propenſa beneuolentia, pax inuiolabilis. Quorum accurata conſideratio mirabiliter inſtituit & admonet nos, vt nulla ratione patiamur nos varijs & peregrinis doctrinis abduci ab illo corpore & capite, cuius ipſi viua membra ſunt: ſed vt conſtanter ſemper in ipſorum veſtigijs, quantum quidem fert noſtra imbecillitas, & gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti nobis collata repoſcit, inſiſtamus, & odio habeamus atque fugiamus quicquid hinc nos auellere poteſt. Quod ſi feciſſent innumeri mortales tum ſuperiorum temporum, tum quoquè ætatis noſtræ, non tam immanem feciſſent ſalutis ſuæ iacturam, dum puerili quadam leuitate verſutis hominibus, ſub prætextu verbi Dei pernicioſa & impia dogmata proferentibus, fidem commodant. Vndè id ſemper adhuc conſecutum eſt, vt poſtquàm ab Eccleſia Sanctorum ſemel exceſſerunt, mox in varias diſtracti ſint ſectas, ſpiritibus tenebrarum denſiſsimam illis caliginem offundentibus, vt veram veri & vnici Euangelij lucem iam intueri non poſsint: ſed terris implicati erroribus, ſemper ruant in deteriora, nec tamen ſentiant ſe verſari in errore, quod eſt ſanè periculoſiſsimum. Quàm multi hoc æuo, incredibili quadam animorum cæcitate ob ſua peccata diuinitùs percuſsi, Miſſæ ſacrificium, quo nihil eſt in Eccleſia ſanctius, ſummè execrantur, Sacramenta Dei prorsùs reijciunt & proculcant, optima quæque Eccleſiæ decreta & inſtituta contemnunt & conſpuunt: templorum & monaſteriorum euerſiones, rerum Deo ſacratarum direptiones & profanationes, multaque id genus alia ſacrilegia & immania flagitia in Euangelicis & præclaris facinoribus numerant: monachos contra fidem Deo datam inceſtis nuptijs ſe polluentes non alio quàm piorum & ſanctorum virorum loco habent: eos verò, qui caſtè, religiosè & ex monaſticę vitæ præſcripto viuere nituntur, miſerè irrident & inſectantur, atque vbi datur opportunitas, etiam crudeliter interficiunt? Et cùm hæc ſint eiuſmodi, vt ſine horrore animus verè pius ea ne cogitare quidem poſsit, iſti tanto ſe Deo gratiores autumant, quanto horum ſunt ſtudioſiores. Ecquid verò eius generis in vllis Sanctorum geſtis inuenitur? Et tamen horum vita adeò fuit Deo grata, vt multis quoquè, ijſque planè diuinis miraculis eam comprobârit, tantaque per eos effecerit, vt propè incredibilia videri poſsint, niſi illud ex Euangelio ſuccurrat, Omnia poſsibilia credenti. Sed hæc ab impijs tenebrionibus pro nugis & figmentis habentur. Et quid tum poſteà? Num Chriſtum ipſum nos propterea Dei filium eſſe negabimus, quòd à ſceleratis hominibus in Beelzebub dictus eſt eijcere dęmonia? quòd ſeductor turbarum, homo vorax, dæmoniacus appellatus eſt? Loquebatur tum talia de Capite per ſuos adminiſtros ſatan, loquitur idem cõſimilia de clariſsimis Chriſti membris per impuros hæreticos. Nos verò illorum blaſphemijs magìs etiam accendimur ad colendos & magno in precio habendos Sanctos, quòd euidentiſſimè comperiamus eiuſmodi cultu & veneratio-

neratione Sanctorum cruciari malignos dæmones, & ea causa incitare satellites & commilitones suos, vt omnibus modis miraculis eorum & sanctissimis exercitijs atque rectè factis & virtutibus derogent. Sic quidam incunctanter reijciunt etiam à grauissimis authoribus scriptas illorum Vitas, vt iam dubitari non possit, dum alias minoris ponderis exibilant, non idcircò id eos facere, quòd fidem in scriptoribus illarum desiderent, sed quòd videant illorum Vitis tot insignium virtutum ornamentis, tot illustrium miraculorum signis conspicuis, impia sua commenta prorsùs opprimi & profligari: cùm non nesciant longè aliter illos & sensisse & docuisse, quàm ipsi sentiant & doceant, nec se tamen vel illam eximiam vitæ sanctitatem, vel illum miraculorum splendorem exhibere posse, quam tota Christi Ecclesia in illis ità vt par est suspicit ac veneratur. Quod quidem præclarè facit etiam Celsitudo tua, Reuerendissime & illustrissime Princeps, quam iam pridèm cognoui libenter versari in Sanctorum legendis Historijs: atque adeò studiosè id illa egit, vt ex sua diœcesi ad me mitterentur Treuirensium Episcoporum Vitæ, tametsi id nescio quo casu præstitum non est. Quæ res argumento magno est, cupere illam extare Sanctorum Vitas, vt quarum cognitio plurimas secum vtilitates afferat. Qua re etiam partim ego permotus, volui hunc secundum alterius editionis Tomum Celsitudinis tuæ clarissimo nomini inscriptum, vt perpetuæ ergà ipsam obseruantiæ meæ locuples testimonium sit. Poterit enim C.T. authoritate sua tueri hos qualescunque labores meos aduersùs obtrectatores, qui libenter & linguas & stylos suos acuunt ad carpenda scripta aliorum, quod longè abesse debet ab hominibus Christiana religione initiatis: nisi habeant errores eiusmodi, qui absque fidei detrimento tolerari non possint. Audimus multa præclara de virtutibus C.T. & bonus odor vitæ eius iam omnem Ecclesiam suauiter afficit. Nec dubium, quin ingens apud subditos eius hinc fructus consequatur, cùm ferè soleant inferiores ad maiorum se accommodare exempla: persuasumque omnibus esse debeat, turpe & probrosum esse, si oues ad pastoris sui exempla se cõponere nolint. Quantum Ecclesiæ Dei conferat, si Ecclesiarum Dei gubernatores & antistites suum præstent officium, innumeris posset doceri exemplis, vel ex solis Tomis nostris è Vita sanctorum Episcoporũ petitis: quantamque è diuerso omnium malorum segetem pariat Præsulum incuria & negligentia, nihil opùs est docere velle, cùm id ità perspicuum sit, vt vel manibus palpari queat. Atque ea causa Timotheum suum tam grauiter admonet beatissimus Apostolus, vt Episcopi munere strenuè fungatur. O quàm multi insignes & illustres Ecclesiarum Dei pastores nulla pericula, nullos labores sibi subterfugiendos censuerunt, vti nè deessent saluti ouium, à summo Pastore Christo ipsorum curæ commissarum? Quàm multi ea causa etiam sanguinem suum fuderunt libentissimis animis, quos hodiè admiramur & summis præconijs efferimus? Quorum zelum & constantiam imitatur C.T. Reuerendissime Pater, cuius ego possem saltem qualemcunque nunc encomiasten, præsertim tanta oblata occasione agere, nisi quòd vereor C.T. huiusmodi potiùs molestè laturam. Et certè vera virtus nulla re alia potest illustrior, quàm suo ipsius splendore, effici: & viri graues, laudes non appetunt, sed contemnunt, cùm longè honorificentius sit, virtute præditum esse, quàm ob virtutem prædicari. Sed nè prolixior sim, omni quo possum studio Illust.

Cel. T. Amplissime Præsul rogatam velim, vt qua solet beneuolentia accipiat hunc sibi dedicatum Tomum alterum de Historijs Sanctorum: cui propterea nouus asciscendus erat Patronus, quòd iam aliquot Vitis non parùm auctus sit, quarum lectionem spero I. C. T. & gratam & iucundam fore. Christus IESVS præpotens Deus ac Dominus noster diù nobis superesse velit I. C. T. cui me obnixè cupio commendatum. Ex Carthusia Coloniensi 28. Februarij, Anno M. D. LXXVIII.

Illust. Cel. T. addictissimus cliens,

F. Laurentius Surius
Carthusianus.

PIO ET CANDIDO
LECTORI S.



Vod plùs moueant, fortiusq́ ad Christianam pietatē extimulent exempla quàm verba, pleniusq́ sit opere docere, vt inquit Magnus ille Leo Pontifex, quàm verbo, testantur tam multi sancti & eruditissimi Patres, qui Sanctorum vtriusque sexûs hominum Vitas describendas sibi sumpserunt, & cum ineffabili fructu ad posteritatis notitiam transmiserunt. Nouimus ex D. Augustini Confessionibus, Lib. 8. cap. 6 *quantùm illi adhuc vacillanti contulerit audita vita beatissimi Antonij Eremitæ: nec dubium, quin innumeris alijs idem euenerit. Nostri instituti primus author & patriarcha Dominicus, Patrum exemplis summoperè delectatus, ad supremam vitæ spiritalis & religiosæ perfectionem peruenit. D. Thomas Aquinas, sui patris Dominici vestigijs insistens, eiusmodi lectione haud vulgariter afficiebatur: nec id sanè absque ingenti fructu. Quòd si verò his solidiora petimus, non desunt nobis ne ipsius quidem scripturæ diuinæ testimonia. Iesus Syrach à cap. 44. vsque ad quinquagesimumprimum in suo Ecclesiastico quid aliud, quàm Sanctorū, qui in hac vita Deo placuerunt, exempla commemorat, eaque nobis ob oculos spectanda & imitanda proponit?* 1. Mach. 2. *Matathias ille legis eximius zelator cùm ab hac vita esset abiturus, filios suos nulla re alia magis, quàm recitandis Patrum gestis, ad agendum fortiter pro Deo eiusq́ sanctissimis legibus exhortatur* Heb. 11. *& confirmat. Sed & in nouo Testamento D. Paulus prolixus est in præcedentium sanctorum Patrum celebranda fide. Possent huius generis permulta alia adduci, sed res per se adeò illustris & perspicua est, vt super uacaneum videri possit illi docendæ rationes & argumenta adhibere. Itaque non possum non approbare, atque etiam commendare tam pium studium R. Patris D. Laurentij Surij Carthusiani, qui non paruo labore has Sanctorum Vitas ex diuersis authoribus & egregijs manuscriptis exemplaribus collegit, & tanquàm rarum quendam thesaurū Catholicæ Ecclesiæ hominibus contulit: quàm spectabilis viri D. Geruini Licentiati vtriusque Iuris diligentiam & sedulitatem, tum in ponenda sua in MS. exemplaribus conquirendis opera, tum in excudendo opere tam pio & Ecclesiæ salutari. Tu itaque his fruere, Lector amice, nihil ambigens, quin eorum lectio non solùm detrimentum nullum aut perniciem, sed ingentes potiùs & vberrimos tibi sit fructus allatura. Vale.*

F. Theodoricus Buscoducensis, fratrum Dominicanorū intra Coloniam Prior & Apostolicus Inquisitor.

INDEX

INDEX GENERALIS VITARVM SS. HOC TOMO II. COMPRAEHENSARVM

MARTII DIE


De

APRILIS DIE

De S.Apol-

INDEX CO-




·15·17·

INDEX COPIOSVS IN SECVNDVM HVNC DE SANCTORVM VITIS, REBVS GESTIS AC MARTYRIIS TOMVM, QVI RE-cèns ex diuerſis authoribus ac bibliothecis collectus, duos menſes Martium ac Aprilem complectitur: in quo A priorem, B alteram paginæ partem deſignat.

Reſtituantur ſuis locis in ſequenti hoc Tomo ſecundo, numeri ſequentes hi: 65. 66. 67. 68. 119. 378. 566. 625. 636. 637. 648. 667. 800. 970. 1021.

con-

offerre

iudex

leo

mani-

mau-

Qua-

respon-

rom.

mona-

vestium

votum

VITA

VITA S. ALBINI, ANDEGAVENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS, EDITA A FORTVNATO PRESBYTERO: *Meminit huius vitæ S. Gregorius Turonensis Cap. 96. De Gloria Confessorum.*

PROLOGVS.



EMINI, vir Apostolice, cùm ad vrbem, quam Christo præsule regitis, vestris me præsentaturus obtutibus occurrissem, inter reliqua maturitatis consulta, quę sensu diuite torrentis more mihi visus es inundare, etiam de sacratissimo viro Domino Albino antistite vos fecisse tenuiter mentionem. Sicut enim eius vita immarcescibilibus meritis florere probatur, cælestibus impressa libellis, ad ædificationem etiam plebis, humanis etiam fixa mandâstis vt conderetur in chartis: duplici beneficio populis cõsulturi, dum & in illo tenerent admiranda, quæ colerent, & in se respicerent, quod vnusquisque sagaciter emendaret: id est, dum apud vnum tot prædicanda cognoscerent, apud se resecare sua singuli non differrent: quatenùs tam vnica beati viri relatio, medela publica fieret audientium. Intelligens vero velociter fugientes à seculo memoriæ lubripi, timeo de vita sanctissimi negligenter aliqua citò lapsura literis alligare: nec facilè rursùs in animum recipi, si semel inciperet, obliuione temporis inuadente, subduci: cuius rei impulsor quidam, mandata vestræ beatitudinis exequens, à me, quòd annuerem, flagitauit, illud adijciens, vt quæ ipse de gestis sancti viri iuxta fidem comperereat, ego, ipso insinuante, indubitabiliter propalarem: in hoc magis querimoniarum molem conficiens, eò quòd quæ prædictus vir occultè quidem, sed digna relatu gesserat pro veritatis indagine, sed nec ad eius singula meruit peruenire, & aliqua se de cognitis memorauerit oblitum esse. In his autem, quæ meminit, sine ambiguitate suo testimonio populum nobis attulit assentantem, cum certè de eius præteritis dubitare non liceat, qui operatur in singulis quotidiè clariora. Congratulatus verò relaturo, eò quòd de vestris nutrimentis talis vir adolcuerit, qui iniunctam sibi rem tam strenuè peroraret, & de proprio aliquid causa venustatis nec incompetenter offerret: immò, si velit ipse, per se quod aliundè poposcerat, explicaret. Siquidem quicquid de illo dicetur, vestris hoc præconijs reputatur: quoniam est meritum magistri, laus discipuli, & in ministri solertia sunt pontificis ornamenta. Quod cum ego, meæ exiguitatis conscius, attingere trepidarem, reuerà qui nouerim hoc debere committi exertis ingenio, facundis eloquio, deuotis officio, probatis stylo: qui sunt sensu diuites, linguæ rota torrentes, famulatu celeres, carmine coruscantes, cùm ante peritiam vestram ipsa Ciceronis, vt suspicor, eloquia currerent vix secura, & cui apud Cæsarem Romæ liberè licuit vti, Aquitanico iudice in Gallia forsitan formidaret: Quid ergò à me, infra doctorum vestigia latitante, res alta requiritur, quem ad scribendi seriem nec natura profluum, nec literatura facundum, nec ipse vsquequaquè vsus reddit expeditum: cùm etsi voto traherer, rei magnitudine deterrerer: quia radiantem vitam si pigri relatoris impar lingua prædicat, obsoletat: & quod illuminare debuit, hoc nube sermonis abscondit: vbi ageretur rectiùs, si quæ ab alijs posceretis, ederetis. Vnde certus intelligo, non vos huiusmodi quopiam indigere, sed vt de peregrinis nostra vobis aliquid * sarartia non negaret, & velut inter fruges triticeas, sterilitatis meæ hordeacea se conferrent. Nunc itaque causas ambiguitatis in arbitrij statera suspendens, eligo rusticus agnosci per obedientiam magis; quàm indeuotus effici per doctrinam: vt cuius fastidire poteritis eloquium, saltem approbetis affectum. Hoc autem mihi videlicet in hoc opere præcauendum est, ne ad aures populi minùs aliquid intelligibile proferatur. Idcircò igitur tota mediocritate contentus, etsi relator ineptus, tam beatæ vitæ cupio gesta breuiter intimare: superest qui nouit mederi magis, ipse fluctuanti paginæ portum suæ dexteræ subministret.

S. Albini vita immarcescibilibus floret meritis.

S. Albini gesta fideliter conscripta.

Modestia Authoris.

sar. * cistatia, aut sitarchia

VITA S. ALBINI.

1. Martii.



REligiosorum vita virorum quantùm est meritis clarior, tantùm voce celebrior populorum: quia dum illi vniuersis beneficia tribuunt, in suam laudem linguas excitant singulorum. Igitur beatissimus Albinus Veneticæ regionis, Oceani Britannici quæ est confinis, indigena, non exiguis parentibus oriundus, immò digni germinis dignissima proles emergens, decus, quod sumpsit ex genere, felicis vitæ meritis ampliauit: dum in illo & quod glorificaret, Christus elegit: & quod vniuersus veneraretur mundus, effulsit. Qui inter ipsa nouellæ iuuentutis exordia tanto fidei feruore flagrauit, vt parentes, ad quorum desideria solet infantia recurrere festinanter, pro charitate Christi magìs iste voluntariè reliquisset, & velut hostes animæ carnales affectus effugeret, credens sibi sufficere, si omnem delectationem in solo cælesti patre plantaret. Mox autem in Cincillacensi monasterio tanta animi humilitate Domino placiturus se subdidit, vt salua morum honestate, nihil sibi de ingenuitatis priuilegio vendicaret: vbi quem origo liberum genuit, famulum voluntas addixit: intelligens magìs esse laudabile, vt amore Christi nobilitas inclinaret, quod erat, quàm fastidiret, quod non erat. Proficiebat deniquè in eo exercitationis quotidianæ processus, ità vltra se semper asscendens, vt meritis non solùm reliquos vinceret, sed edomito corpore, de seipso potiùs triumpharet. Quis enim expediet, quàm fuerit in ieiuniorum parcitate præcipuus, in vigiliarum delectatione propensus, in orationis assiduitate laudabilis, in miserationis opere singularis: vt & hostem, qui sibi repugnabat, extingueret, & vndè se solus affligeret, cunctis ipse maxima subueniret? Erat enim ad obediendum paruulus, ad vitia calcanda maturus: ità vt in ipso iuuentutis tyrocinio iam senectutis esset exemplum, hoc solùm habens cum homine commune, quòd natus est: cæterùm totum voluit esse Christi, quod vixit: non oculum voluptati, non aurem ludibrio, non animum accommodans leuitati, semper se regens ancora grauitatis. Talem itaque se intra monasterij septa tractauit, vt si quãdò processit in publicum, esset infra carcerem sui cordis semper inclusus: nec aliud extra se adspiciendum prætulit, quàm Christum, quem in pectore fidelis portator baiulauit.

Patria S. Albini.

Petit monasteriũ, relictis parentibus.

Catalogus virtutum eius.

His igitur studijs occupatus, in tantam vitæ claritatem peruénit, vt eius deuotum seruitium mundo Dominus per miracula testaretur. Deniquè cùm adhuc puerulus per pagum in Abbatis sui proficisceretur obsequium, applicante eo apud quendam locum, tanta eum detinuit violentia tempestatis, tantùmque se pluuialis imber effudit, vt ipsam domum nec sua tecta defenderent. Cùm ergò pro magnitudine pluuiæ casa pro campo constaret, madefactis omnibus, qui eodem tenebantur hospitio, solum beatum Albinum tunc imber tangere expauit: quia vbì flammam fidei sensit, nè iniuriam faceret, se gutta detorsit. Quo comperto, conscientia sanctitatis, quæ celabatur annis, innotuit meritis, eò quòd in flore adolescentiæ virtutis odor fragraret. Dehinc cælestibus donis cum ætate crescentibus, annorum circiter triginta & quinque, monasterij rector & pius pastor eligitur: quippe qui suo splendore ad se traxerat dignitatem. Intereà sub magistri censura, congregationis disciplina vernabat, vbì seueritate districta, licentia peccandi perierat. Feruebat autem pietatis intuitus, exultabat psallendi concentus, coruscabat inter fratres obedientiæ radius, præcellebatque sanctæ charitatis ornatus: quia sicut erat ad vitia eradicanda solicitus, ità ad inserenda dona cælestia circunspectus. In quo Abbatis officio per viginti & quinque annos congregationem sibi commissam feliciter gubernauit. Et quia tanti meriti fama sepulta non latuit, sed felicibus pennis cuncta peruolans occupauit, contigit Andegauum ciuitatem pastoris gubernatione nudari. Tunc ab vniuersitate populi, sed humilitatis studio ipso resistente, ad pontificalem gradum, duce Christo, concorditer eligitur. Qui honorem sacerdotij debitum consecutus, ità se in alimonijs pauperum, in defensione ciuium, in visitatione languentium, in redemptione præbuit captiuorum, vt beata vnius actio, generale fieret saluamentum: quibus ex studijs cælestes in eo fructificauêre virtutes. Igitur in ciuitate Andegaua cùm ei quædam mulier, Grata nomine, sed debilitate contractæ manus ingrata, neruis stupescentibus occurrisset, signum crucis super infirmam dexteram fecit. Hinc præmortuæ palmæ priùs se viuax tepor infudit. Item sequenti die in ipso

Imber importunus, omnibus madefactis, Albini domicilium non attingit.

Fit abbas.

Creatur Andegauensis episcopus.

Nota vim S. Crucis.

in ipso loco, vt ab eo signaretur, se obtulit. Quo facto, cœperunt venæ suos excursus agnoscere. Tertia verò die, vbì super illam sigillum crucis impressit, statim se arentium digitorum fila laxârunt: & recepto ministerio, mulier in Christi nomine rediuiua dextera se signauit.

Quadam vice cùm ad vicum Geginam præteriens accessisset, adolescentem Malabandum nomine, amisso vitæ reperit iam munere. Audiens autem à parentibus extremam filij mortem deplorari, occurrit, & vt mortuum viuum erigeret, se in oratione prosternit. Quò incumbens, diutiùs orauit: & dum pallesceret iacens sacerdos in puluere, animæ viuacitas rubescebat in corpore, donèc pulsato cælo, patefactoque tartaro, iuuenis reuocaretur à funere, sacerdos à prece. Deindè cùm Asiacum monasterium paterna solicitudine visitâsset, quidam vt ei succurreret, iam fide illuminatus, cæcus exclamabat. Cui vt sanctæ crucis medicamentum imposuit, tam fuit illi lumen citò recipere, quàm quæsisse. Item Andegauis cùm quidam Maurilio clausis oculis lumen sibi restitui postularet, tunc pontifex se ad nota arma conuertens, mox vt signum venerabile super palpebras eius extendit, velut balista fortissima penetratis tenebris crux post se cæco lumen inuexit. Item cùm Marcellinus, circiter decem annos transigens in nubilo cæcitatis, tractus ad beatum pontificem peruenisset, vbì signum adorandæ crucis super oculos eius ipse extendit, statim erumpente sanguine, effugatisque tenebris, lux intrauit.

Adolescentem mortuum excitat.

Cæcos tres illuminat S. crucis signo

Illud etiam nobis est factum memorabile recensendum. Cùm illustris Aetherea, iussione regia persequente, in Dullacensi villa militum custodia teneretur obsessa, tunc oui periclitanti succurrente sancto pastore, solus, vt à nullo cognosceretur, ad ipsam ingreditur. Quo viso, amplectens eius vestigia, lugens mulier inhærebat. Tunc infelicis custodis insana procacitas, dum vult eam quasi lupus à veste pastoris euellere, iniuriam vir sanctus excepit. Tunc insufflauit in eius faciem, & temerator sacerdotis, celeri morte mulctatus est. Hinc terrore vrgente, reliqui reuerentiam habuère pontifici, & vnius pœna fecit alios immunes à culpa. Nec priùs à muliere discessit, quàm dato regi precio ipse eam liberaret: sicque vno momento, & salus fuit supplici, & mors extitit præsumptori. Nec id quidem omittendũ est, quod tradi memoriç sit votiuum. In vicum, cuius vocabulum est Albinia, piæ deuotionis studio sanctus pater accessit. Vbì dum quidam cæcus ab eo opem misericordiæ postularet, cœpit idem, qua dudùm captus fuerat, infestatione dæmonij, corporis vexatione torqueri. Tunc in orationem, cui semper animi sancta intentione vacabat, corpus etiam prostrauit, captumque lumen pristinum reddidit oculis, & pestem immundi spiritûs effugauit. O ineffabilis gratia pietatis: à qua dum substantia sola quæritur, triplex remedium obtinetur: Victu pauit egenum, munerauit visu cæcatum, reddidit libertati captiuum.

Liberat illustrem fœminam.

Cæcus dæmoniacus curatur.

Itemque occurrente eo regi Childeberto Parisijs, nunciatur pontifici, regem venationis causa de ciuitate in crastino esse discessurum, mandatque, se dignum duceret expectandum. Sed quia beatum Albinum corporalis infirmitas præpediuit, ad eius præsentiam prædictus rex occurrere maturauit: qui donèc per illam viam, quæ ad sacerdotem ducebat, incessit, feliciter properauit. Cùm verò in quoddam triuium peruenisset, velletque alibì deuiare, equus eius acsi metallum fusile, gressum mouere nõ valuit. Suspicãs igitur rex, culpam equi magis esse quàm causæ, alterum sibi fecit sterni. Quem dum per ipsum iter gradi compelleret, acsi muro impediente, cæsus ire non valuit. Intelligens igitur nihil profecisse, mutâsse vehiculum, nisì mutaret & cursum, cœpit ab equo discere, quòd homo peccaret, & humanus intellectus haberet, quod pecus corrigeret: deflectensque eum in viam, quæ ad sacerdotem ducebat, ea cœpit alacritate discurrere, acsi ereptus de fouea, campi mollis planitiem recepisset.

Vide miraculum.

Est operæprecium, de quodam cadauere rem viuam proferre. Cùm ad ciuitatem Venetensem ipse vir apostolicus accessisset, vno de obsequentibus iam conuerso adolescentulo, quem pro morum qualitate peculiariùs diligebat, in loco defuncto atque sepulto, post annum eius corpusculum psallendo ad propria reuocabat. Tunc remorante eo pro causa, voluërunt seruientes priùs corpus mouere, quàm sacerdos occurreret: sed tanto pondere fit grauatum, vt anteà potuissent gigantæa membra prensare, quàm puerile corpus sufferre, dum adhuc cadauer insepultum, crederetur iam marmore premi, nec equi gressum poterant promouere, acsi puluis eius de se vincula eis generâsset, donèc antistes rediens oratione solueret, quos tacente voce confixit. Hoc iterùm non minùs est prædicandum miraculum, cùm in Cincillacensi monaste-

Corpus extinctum, locomoueri non potest

rio Gennomerus monachus esset oculorum luce priuatus, & annosa tempora vna essent nocte cęcitatis transcursa, petijt sibi à viro sanctissimo fieri crucis signaculum. Quo facto, luminis vitalis splendor intrauit, & fugatis tenebris, sol peregrinus illuxit. Est & hoc inter reliqua venerabile documentum: Cùm in ciuitate Andegaua turris portæ cohærens, damnatis carcer esset effecta, prætereunte beato Albino, fiebat insolentia de vocibus inclusorum. Tunc ad iudicem precator accedit, vt eos pietatis causa de custodia relaxaret. Quod cùm ille aure surda differret, mox pontifex ad Deum se fida petitione conuertens, tam familiari voce suggessit, vt in loco, quo orationem sanctus effudit, miræ magnitudinis saxeus quadrus exiliens, portæ aditus fieret carceratis: quia ante eius precem, soliditatem suam lapis seruare non potuit. Hinc egressi quasi de sepulcro viuentes, in basilica sancti Maurilionis domino Albino gratias referentes, se ad vestigia eius prostrauerunt, eò quòd suspectos de funere, redire fecerat ad salutem.

Precibus ad Deum fusis aperit carcerem.

Item dum quædam mulier, arrepta à maligno spiritu, se beatissimo viro Albino vociferans & eiulans præsentâsset, mox aduersarius ipse supra eius oculum in similitudinem vesicæ sanguineæ se collegit. Tunc pontifex faciens signum sanctæ crucis, increpauit, dicens: Inimice, oculum quem non dedisti, nec possis auferre. Mox de collectione ipsa, in phlebotomiæ similitudinem, subtiliter sanguis erupit. Quo fluente, sine læsione oculi, immundus hostis euanuit, & puella incolumis, imperãte signo crucis, euasit. Sed & hoc magnanimitatis exemplum opportunũ ducitur explicandum, quòd pro Dei negocio apud eum non fuerit vlla regum potentumque personalis acceptio. Denique ad cumulum cælestis gratiæ conquirendum, incestarum nuptiarum execrabilis copulationis iura condemnans, beati Iohannis irrepræhensibilis imitator, quanta sustinuerit, nullus dignè poterit explicare. Siquidem martyr effici concupiuit, si non defuisset dextera percussoris. Sed proculdubiò palmam martyrij meruit, qui voti desideria non abscondit. Vndè præter labores reliquos, etiam per synodos, pro ipsa causa sæpiùs excitatas, excurrens, ad postremum quamplurium episcoporum iniunctione, vt excommunicatas à se personas absolueret, vi fratrum coactus est. Et cùm rogaretur, vt eulogias, quas reliqui antistites, ad personam communione suspensam dirigentes, benedixerant, vt & ipse signaret, ait ad sacerdotale concilium: Etsi ad imperium vestrum ego signare compellor, dum vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare. Quo facto, antequàm eulogias excommunicata persona susciperet, expirauit: & priusquàm portitor perueniret, sermo sacerdotis obtinuit. Qui etiã ad beatum Cæsarium Arelatensem præsulem, pro eadem causa consulturus occurrit.

Signo Crucis pellit dæmonem.

Sed quia eius singula non valemus retexere facta, sufficiat de plurimis vel pauca dixisse. Illud quoquè beatissimi testimonium, viuẽtis post obitum, necessarium credimus præ cæteris explicandum. Quia licèt teneretur clausum corpus eius in tumulo, attamen iusti animæ merces exuberauit in fructu. Igitur cùm sanctus Germanus episcopus Parisiorum, vel comprouinciales ac pontifex successor eius & populus, vellent membra sancti Albini in nouam basilicam deuotè transponere, & propter cellulæ angustiam, in qua conditus fuerat, nõ daretur sacri corporis extrahendi licentia, cunctis hæsitantibus & incertis quid agerent, curis popularibus se virtus beatissimi viri mediatrix interserit. Nam expectantibus omnibus & nihil deliberantibus, repentè nutu diuino discisso pariete cellulæ, qui erat ad pedes eius, à parte orientali tres lapides decidunt, scilicet dato signo, per qualem locum se iuberet educi posse. Intereà facto aditu, dum concentus psallentium ad sanctum sepulcrum progreditur, in loco, per quem est eductus, palàm tres paralytici, iamdiù desperati, redditi sunt sanitati, ac nerui præmortui, viuificari didicerunt meritis Dei viri sepulti. Statimque duo cæci sunt pariter illuminati, tandèm aliquandò sumentes lumina diei ab vmbra defuncti: nimirùm agnoscentes eius adminiculo se posse lumen consequi, cuius virtute paries potuisset fenestrari. His & consequentibus infinitis miraculis, etsi summi pontificis membra recubant in sepulcris, attamen per creatoris gratiam in æterna secula viuunt merita confessoris. Hic itaque cælesti dono venerandis floribus adornatus, viginti annis & sex mensibus pontificalem apicem Ecclesiastica regulariter censura gubernãs, vitæ autem octogesimo anno illud propheticũ in potentatibus beatitudinis culmine feliciter explens, animam Deo charissimam, ereptam de seculo, mansuram cum Christo, angelis plaudentibus Calendis Martij emisit ad cælos, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

De translatione sacri corporis ei⁹. *Tres paralytici sanãtur ad eius sepulcrum.* *Item 2. cæci* *Psal. 89.*

Libet his adiungere caput 96. eius libri, quem Gregorius Turonensis scripsit De Gloria

Gloria Confessorum: Albinus confessor, cuius nuper vitæ liber à Fortunato est conscriptus presbytero, obtinet & ipse, impertiente merito, suum ostendi miracula ad sepulcrum. Aderat igitur dies solennitatis, in quo paralyticus, membris omnibus debilis, euectus plaustro ante vitream absidæ, qua sancta concluduntur membra, sedebat: datusque sopori, vidit virum ad se venientem, & dicentem sibi: Quousque dormitas, & sanus fieri non desideras? qui ait: Vtinàm merear sanus fieri. Dixitque ei vir: Cùm signum ad cursum horæ Tertiæ audieris insonare, surge continuò, & ingredere basilicam, ad quam venisti. Futurũ est enim, vt ipsa hora beatus Martinus cum Albino contribule ingrediatur basilicam: & oratione facta, ad eius solennitatem Turonensem accedere debeat. Si enim eo momento præsens fueris, sanus efficieris. Nec moratus ille, commoto signo accedit ad tumulum sancti: cumque Dauidici carminis laudationem Clerici canere cœpissent, odor suauitatis in basilicam sancti aduenit, & hic directis pedibus incolumis est erectus. quod non à paucis, sed à plerisque visum, regio testatur alumna. Sic & apud Cromensem vicum mulier à natiuitate cæca, inuocans nomen Sancti, ipsa die illuminata est.

Cursus horę Tertiæ.

Solennitas S. Martini.

VITA S. *SVVIBERTI, VVERDENSIS ECCLESIÆ PRIMI EPISCOPI ET CONFESSORIS, SAXONVM *Frisiorumque Apostoli: scripta à B. Marcellino presbytero.*

*SVVITBERTI.

PROLOGVS MARCELLINI AD D. GREGORIVM Traiectensem Episcopum.



VENERABILI & dilecto in Christo domino & patri D. Gregorio, sanctæ Traiectensis Ecclesiæ episcopo, & Frisonicæ gentis prædicatori eximio, Marcellinus presbyter, gentilium prædicator inutilis: bonum, quod præstat omni bono. Multotiès dudùm exhortando piè monuisti me verbis & scriptis, nouissimè verò præcepisti mihi tua paterna authoritate, beatissime pater, quatenùs conscriberem & in lucem protraherem sanctissima exordia natiuitatis, ac magnifica gesta siue virtutes & meritorum præconia sanctissimi Suuiberti pontificis, & egregij paganorum prædicatoris: nè tam magnifica & virtuosa opera tam gloriosi patris obliuiscantur, sed scriptis ea commendarem, vt ea agnoscat generatio altera, patribus succedens, & in perpetua permaneant memoria: eò quòd æterna sapientia, dum viueret, excellentiam suæ singularis vitæ signis & prodigijs probauit, ac nunc secum regnare crebris miraculis quotidiè in Vuerda ad decus suæ Ecclesiæ & salutem suorum fidelium manifestat: vt tuipse benè expertus es, vt mihi literatoriè insinuâsti, dum à Colonia Agrippina Traiectum celeriter nauigans, ferè cum tuis apud Vuerdam naufragium passus fuisses, eò quòd sine salutatione sancti Suuiberti festinanter præterire proposuisti, quia arduum negocium ecclesiæ Traiectensis valdè te vrgebat. Moxque memor sancti Suuiberti, emisso voto Deo, vt ipsum visitares, periculum & naufragium protinùs euasisti. Sed mirari non sufficio, gloriose antistes, quòd mihi tantum onus imponis, cùm tui nominis tuæque nobilitatis fama multis in locis magna dignaque memoratu habetur: Quippe qui literarum scientia viges, & præpollenti stylo, rhetoricoque ornatu dictitare, floresque sanctorum contexere & compilare consueuisti. Prætereà in conuentu tuo Traiectensi tecum aliquot oratores & rhetores ac diuersis scientijs præditos, me vtiquè literatiores, magnificos habetis & regitis magistros & doctores: qui elegantiori sermone meliùs & ornatiùs componerent gesta ipsius, quàm ego: qui inueteratus dierum, cuius sensus iam hebetati & debilitati, ac vires corporis attenuatæ & ferè consumptæ sunt, vtporè qui sexagintaquinque annis pro modulo meo indesinenter prædicationibus & conuersionibus paganorum insudaui: quinque ante pontificatum sanctorum Vuillebrordi & Suuiberti, & quadraginta tam sub sancto Vuillebrordo, quàm sub sancto Suuiberto: & decem & sex sub egregio pontifice & martyre sancto Bonifacio, prædecessore tuo, & quatuor iam sub te, qui me

Obserua miraculum, & caue Sanctos contemnere.

Marcellin⁹ & Leuinus Christũ annunciant Transisselanis.

Dauentriam & ad paganam gentem Transisselanam cum dilecto confratre & patriota meo Leuino presbytero misisti, prædicaturum ipsis sanctum & terribile nomen Domini. Et quia pridèm, vt prælibaui, creberrima tua exhortatione & solerti monitione tuorum aliquorum confratrum persæpè requisitus, vt conscriberem, proculdubiò non temerariè recusaui vel dimisi, sed piè distuli propter pusillanimitatem & imbecillitatem meam, ineptum me iudicans ea conscribere: tamen quia nupèr tua pontificali authoritate & diffinitione siue conclusione concanonicorum dominorum meorum conuentûs Traiectensis, à me specialiter eadem sanctissima gesta ipsius conscribi decreuisti, & mihi strictè præcepisti, eò quòd à iuuentute mea in Anglia cum illo conuersatus fui, & cum ipso & sancto Vuillebrordo & cæteris confratribus meis ex Anglia in Germaniam nauali euectione deueni, & sancto Suuiberto ministraui, donèc optimus confrater noster Vuilleicus, dignus sacerdos Dei, ipsi deuotè seruiuit, & cum illo ad Boructuàrios proficiscens, fideliter cum eo verbum vitæ ipsis prædicando euangelizauit, me manente & annunciante verbum salutis & vitæ gentibus & neophytis tuæ diœcesis. Ideoque nè inobediens & temerarius censear, tuis volens parére mandatis & petitionibus, tuisque & confratrum tuorum, canonicorum conuentûs Traiectensis precibus, & præcipue meritis sanctissimi confessoris & pontificis Suuiberti confisus, reiecto pudoris velamine, licèt imperitia mea dehortabatur, suadebat tamen charitatis virtus imperiosa, dicente Paulo: Charitas vincit omnia. Spem ergò ad illum dirigens, qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud: os meum aperui, & attraxi spiritum, quo non solùm, quæ de eodem sancto Suuiberto à veridicis audiui, sed & quibus interfui, & quæ oculis meis vidi, licèt rudi & incultiori ac plebeio sermone compilando, pauca de multis, tamen vera, digna relatu, aptaque memoratu digessi de eo, vt plerique in conuentu Traiectensium inpræsentiarùm feliciter militantes, viderunt & audiêrunt. Quapropter peto, vt grammaticæ me excusatum cum tuis habeas, orans nè verborum nodositas, aut argumentosa loquacitas in præsenti Legenda à diserto lectore requirantur: quia & nemus in templo Domini plantari prohibetur, & iniustè me sentio, descripturum gesta tam magnifici Christi pontificis, regulis Donati subiacere, aut Aristotelicis parére argumentis: quoniam & argumentum seculare perijt, vbi virgo Deum peperit, & sapientia huius mundi stultitia est apud Deum: qui vtiquè errarent, si verba potiùs quàm res perpenderent, & non magìs virtutem rerum, & gratiam sancti spiritûs spectare gauderent, quàm verborum phaleras pompasque sermonum. Quoniam quidem regnum cælorum non in eloquentia, sed in fide constare, & salutem seculo non ab oratoribus, sed à piscatoribus nunciatam fuisse, fidelium neminem ambigere aut ignorare credimus. Hæc igitur sunt, quæ de eo conscripsi, dulcissime pater & optime pontifex, & sanctitati tuæ transmisi, vt tua authoritate, si quidem iudicas dignum, rata & firma permaneant, atque ad quoscunque venerint, pontificali tuo decreto roborata valeant: Petens syncero corde & humiliter efflagitans, vt ea, quæ rudi stylo de eo digessi & conscripsi more euangelistarum, qui plano stylo euangelia Christi conscripserunt, sanctitas tua corrigere & vrbaniori stylo cum tuis canonicis, dominis & magistris meis, perlucidare dignetur, si placet & vtile sit, nè efficiat blasphemantium & detrahentium magnorum magistrorum derisio: sed vt Christus, qui est gemma pontificum & gloria sacerdotum, meritis sancti Suuiberti magnificetur & glorificetur, qui est benedictus in secula seculorum.

Psal. 80. Deut. 16. 1. Cor. 1.

VITA

VITA.

De nobilitate Parentum S. Suuiberti, ac præsagio suæ natiuitatis.

Caput I.



TEMPORE, quo sanctissimus Martinus papa & martyr in Apostolica Romanorum sede præsidebat, & vniuersalem orthodoxæ fidei Ecclesiam feliciter gubernabat, ac Constantinus siue Constans, qui auo suo felici Heraclio Imperatori in Romanorum imperium successerat, imperaret, atque gloriosus & inclytus Osuuinus rex, frater sancti Osuualdi regis & martyris, sceptra regni Angliæ diuina prouidentia auspicabiliter gubernaret, scilicet Anno à natiuitate Domini sexcentesimo quadragesimoseptimo, in Anglia in regno Nord Humbrorum, quod est ad Aquilonarem Humbri fluminis plagam, vbi gens habitabat cum rege suo, erat quidam princeps, Comes de Nortingram, Sigebertus nomine, ex spectabili stemmate natiuitate excellentissimus, miles strenuus armis & industrius, habens coniugem quandam deuotam & ingenuam fœminam, nomine Bertam, ex nobilissimis & splendidissimis Anglorum principibus propagatam: cuius mater Ostrida, cuius pater Edilredus, cuius pater Ostus, cuius pater Eugistus, à quo Britannia Anglia appellata est. Qui cælibes coniuges, diuinis præcincti legibus, miræ virtutis fulsêre insignijs, Deum timebant, & præcepta eius obseruabant, religiosis actibus, crebris precibus, eleemosynarum actibus, siue charitatis & misericordiæ operibus quotidiè intenti insistebant. Berta verò, pia & nobilis Comitissa, videns multorum principum & militum filios in episcopos & abbates exaltatos, qui Anglicanum populum Domini nouiter conuersum in fide confirmabant, sine cessatione dies assiduabat orationibus & eleemosynis, petens à Deo talem sibi filium dari, qui iugiter in templo sibi seruiret. Dominus autem, qui velox est exauditor humilium, tali eam dignatus est gratia consolari. Nocte enim quadam, dum in strato suo cum Comite marito suo repausaret & dormiret, vidit in somnis in firmamento cæli vnam stellam miræ magnitudinis, inter cæteras stellas inæstimabili claritate cælestis gloriæ fulgurantem. Cuius radius clarior & fulgentior erat sole, ex cuius orientali parte duo lucidissimi longi radij fulgurantes procedebant. Quorum vnus versùs Germaniam, alter versùs Galliam se extendebant. Cumque diù super his miraretur, tandèm splendor nimius eiusdem stellæ & odorificæ suauitatis fragrantia totam suam perlustrauit cameram: ac stella illa splendidissima ex firmamento cadens, cecidit super stratum eius, in quo quiescendo recubabat, circundans eam. Attonita verò ipsa & nimiùm turbata ac territa, subitò præ timore casûs illius stellæ excitata, impetuosè clamare cœpit. Sigebertus autem de tam insolita excitatione & grandi turbatione eius expergefactus, depræhendit eam valdè pauidam & trementem, & admirans aromatis raritatem & splendoris claritatem, turbatus fuit. Ipsique Comiti suo pia matrona post diutinam consolationem causam suæ turbationis sciscitanti, visionem præfatam cum magnis singultibus retulit & enucleauit. Ipse verò in se reuersus, rem tacitus considerans, ipsam benignè consolans in Domino, precibus vigiles permanserunt vsque manè. Statimque aurora radiante, venire ad se petiêrunt sanctum Aidanum Lindisfarnensem siue Augustaldensem episcopum, sibique tanti negocij visionem diligenter exponunt. Qui sancti spiritûs gratia inspiratus, respondit: Hæc visio diuinitùs manifestata, non solùm exultationis regni nostri materia est, verumetiam multarum nationum gentibus gaudium erit: quoniam puer, Deo donante, nascetur vobis, qui lucerna patriæ & summus pontifex ac constantissimus propagator fidei Christi, populis Dei est futurus in viam salutis æternæ. Quod illi audientes, diutissimè Christo retulerunt laudes: & deincèps castè viuentes, precibus & ieiunijs ac operibus misericordiæ præstantiùs institerunt. Adueniente autem veneranda hora, qua benedictus puer à clarissima genitrice nasceretur, subitò totam illā regalem camerā, in qua felix Berta pareret, fulgor nimius repleuit, stupētibus & mirantibus cunctis: mansitque irreuerberatis radijs protensus, donèc peperit filium suum. Quo nato, paulatim claritas recessit. Matronæ verò illic cum obstetricibus congregatæ, glorificantes Deum, vbiquè promulgauerunt magnalia claritatis & visionis Bertæ

Marginal notes: 1. Martij. Hic Pontifex in exilio mortuus est. — Sigeberti Comitis & Bertæ pietas. — Visio Bertæ. — Interpretatio visionis. — Nascente Suuiberto, cernitur lumen mirabile.

piæ Comitissæ. nato verò puero, Suuibertus à parentibus appellatur, nomine aui sui Comitis de Noirtingram.

Vt scholas visitauerit. Cap.2.

Sancta eius pueritia.

ITaque sanctus Suuibertus puer, aqua & spiritusancto purificatus, ab incunabulis Deo mancipatus, sanctisque pollens exordijs, sanctioribus verò postmodùm insistens studijs, sanctissimo fine cursum vitæ consummauit. Nanque per momenta ætatum & incrementa temporum, Dei, quam suscepit, gratiam pijs augmentauit actibus, atque animum suum perfectè à iuuenilibus cohibens illecebris, omnia, quæ virtutis habentur, peregit: vitiorum seu voluptatis deceptiuam mollitiem cauit, ecclesiam & diuina mysteria haud segniter frequentabat, & quæcunque ex prædicationibus audierat, memoriæ firmiter commendabat: pauperes insupèr in castro de Noirtingram, auidissimè ducens, excipiebat & pauit: frequentans scholas, ex quo erat sagax ingenio, omnia, quæ à magistris audierat, animo retinuit. Proceres verò & milites sui castri, vt cuncta illius verba & opera virtutem fidei redolere viderunt, admirantes, quasi spiritu prophetico adinuicèm persæpè dicebant: Si puero isti Dominus concesserit vitam, sanctus erit. Erat enim puer summæ mansuetudinis & pietatis, vitiorum fugax & contemptor.

Vt monasterium petierit. Cap.3.

Complectitur vitam monasticã adolescentulus.

ET quia quotidiè de virtute in virtutem proficiebat, diuini amoris igne succensus, ac sanctispiritûs gratia à iuuentute illustratus, cùm attigisset decimumquintum ætatis suæ annum, monasticam seculari vitam prætulit, in qua liberiùs cælestibus vacaret studijs, & in bonis religionis se operibus abundantiùs exerceret. Audierat enim, quòd in prouincia Lindissæ esset monasterium Beardanense, cui præfuit Abbas Higbaldus, vir mansuetissimus & sanctissimus: in quo multi sancti patres ex Hybernia, Scotia & Anglia, regulari institutione insignes, pietatis & charitatis opera diligenter obseruantes, die noctuque indesinenter in magna pœnitentia Deo seruirent. Proposuit itaque animo, spretis paternis diuitijs & delicijs, illuc, Deo opitulante, etiam intrare, & habitum religionis assumere. Quod vbì parentibus suis flexis genibus humiliter enarrauit, habita aliqua deliberatione, memores antedictæ visionis, libenter eius votis ac desiderijs cælestibus annuerunt, cumque insistere cœptis salutaribus cum multis lachrymis iubent. Igitur vale dicto & osculatis parentibus, sanctus Suuibertus perspicax iuuenis perrexit, vno tantummodò puero comite, ad præfatum monasterium cum literis commendaticijs, sibi ab illustri Comite patre suo traditis: ibique gratiosè receptus, monachorum famulatui se tradens, diligenter ea, quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, & discere curabat & agere: in quo scientiam sacrarum scripturarum & bonorum operum sumens exempla, tonsuræ Ecclesiasticæ coronam deuotè suscepit. Qua suscepta, ætatem moribus & virtutibus transiens, ità se modestè & circunspectè in omnibus gessit, vt à maioribus quasi vnus ex ipsis amaretur & veneraretur. Nam cùm ipse cunctos charitate perfecta diligeret, diligebatur à cunctis: quia totum se in Dei seruitutem transfudit: cumque in eodem monasterio per nouem annos in magna continentiæ & abstinentiæ castigatione vixisset, gratia compunctionis semper ad cælestia suspensus, non modicam curam sacris lectionibus simul & monasticis disciplinis sedulus impendens, insistens ieiunijs, orationibus & indefessis vigilijs, presbyteralis ordinis dignitatem adeptus, eundem gradum condignis consecrans actibus, acceptabile sacrificium obtulit Deo. Et licèt esset carne nobilis, multò tamen animo & virtutibus nobiliorem se exhibuit. Erat enim eximiæ pietatis & religionis, ornatus decore omnium virtutum, orationum deuotioni solertissimè intentus. Ipse tempore matutinæ laudis sæpiùs ad diē vsque in orationibus deuotissimè persistebat, dirigens animum ad cælestia semper amanda & petenda: & hoc alios docendo, magnam de se cæteris fratribus ædificationem dabat, ità quòd vbiquè fama & gloria virtutis eius in laudem Dei prædicabatur.

Parentes libenter eius proposito assentiũtur.

Initiatur sacerdotio.

Matutinæ laudis, pro nocturnæ.

Vt reuocatus à monasterio per sanctum Egbertum archiepiscopum, factus sit canonicus Eboracensis. Cap.4.

IGitur postquàm in eodem monasterio decem & sex annis strenuè Christo militâsset, ac inter fratres quasi refulgens Lucifer inter astra, vt dictum est, processisset, facta est fama nominis eius, diuina prouidente pietate, per vniuersum regnum

Nord

Nord Humbrorum intantùm celebris, vt non solùm regis & suorum primatum stupere & mirari faceret aures, verùm etiam cunctorum prælatorum, ità vt veluti vir apostolicus prędicaretur à cunctis. Gaudebat rex de tam nobilis viri virtutibus. Gaudebat & inclytus Sigebertus Comes pater eius cum felice Berta matre eius, Deo immensas referentes gratias de tam celebri filio, perpendentes præsagium visionis & interpretationis eius sensìm adimpleri. Sed præcipuè sanctus Egbertus, Archiepiscopus Eboracensis ecclesiæ, audiens digna præconia ipsius, & ipsum multis fulgere virtutibus, nimio repletus gaudio, ipsum accersitum cum honore sibi præsentari iussit, & in ecclesia metropolitana sanctissimi principis Apostolorum Petri in Eboraco ipsum canonicum ordinans, illic secum manere & Christo seruire præcepit. In quo conuentu tam strictè per biennium ieiunijs, orationibus, vigilijs & monasticis disciplinis se mancipauit, vt magìs angelicam, quàm terrenã videretur ducere vitam. Et cùm esset sic forma & exemplar omnibus fratribus, perfectè & regulariter viuentibus, electus fuit in Abbatem monasterij, dicti Dacore: quod monasterium cognomen accepit ab amne Dacore, super cuius ripam constructum hactenùs patet. Eodem tempore tanta erat deuotio hominum Angligenarum, postquàm tota insula fidei sacramentis erat imbuta, vt non solùm nobiles, ignobiles, clerici, laici, verùm etiam reges & filij regum de gente Anglorum, spretis regnis & delicijs mundi, eligerent ex maxima deuotione ad tẽpus peregrinari pro Christo in terris: Quidam ad docendum indoctos, vt Columbanus sanctus Abbas, qui cum duodecim clericis Galliam perlustrauit, & in fide confirmauit: Quidam ad visitandum loca sanctorum, vtpotè Coaduuala, præpotens rex Angliæ, & Offa rex Cantuariorum: qui anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimonono Romam proficiscentes, relictis regnis temporalibus, vt cælestis regni introitum & æterna gaudia adipisci possent, à sancto Papa Sergio in monachos attonsi, regi regum deuotè militauerunt: Quidam ad conuertendum incredulos, vel in solitudine anachoreticam vitam ducentes, vt sanctus Iudocus, sanctus Vuinocus, filij regis Angliæ, & plures alij. Et hi omnes, vt familiariùs à Deo & sanctis eius recipi mererentur in cælis. Sed sanctus Suuibertus, electus in Abbatem, occultiori consilio spiritussancti edoctus, non propria salute contentus, honori renuncians, magìs elegit in exteris partibus amore Christi peregrinari, & populos incredulos, sedẽtes in tenebris, dispensante diuina gratia, ad lumen fidei conuertere, quàm paucis præesse Christicolis. Rexit tamen idem monasterium vice Abbatis ex mandato sancti Egberti Archiepiscopi vnum circiter annum.

Fit Canonicus Eboracensis.

Creatur Abbas Dacorensis.

S. Columbanus.

Coaduuala & Offa reges, hunc monachi.

SS. Iudocus & Vuinocus reges anachoretæ.

Vt SS. Vuilfridus episcopus & Vuigbertus presbyter, primi per Frisiam & inferiorem Saxoniam Christum prædicauerint. Cap. 5.

ITaque anno ab incarnatione Dominica sexcentesimo octogesimoseptimo, cùm sanctus Vuilfridus episcopus Lindisfarnensis siue Augustaldensis, deindè Merciorum, nouissimè Eboracensis archiepiscopus, Romam iturus, nauem ascendisset, flante Fauonio, pulsus est ad Frisiam: & honorificè susceptus à barbaris, simul à rege Aldgillo, prædicabat eis per hyemem Christum: & aliquos verbo veritatis instruens, à peccatorum suorum sordibus fonte salutari abluit. Et sic ipse sanctus Vuilfridus primus opus Euangelicum cœpit illic exercere, quod egregij viri & pontifices sancti Vuillebrordus & Suuibertus postmodùm cum suis socijs cum deuotione magna compleuerunt. Cumque rumore probato Frisiam & Saxoniam idolorum cultibus sordescere & longa infidelitatis cæcitate irretitos teneri, ad aures sancti Egberti peruenisset, valdè doluit, statuensque salubri deliberatione cum plerisque sacerdotibus illuc tendere, vt eos ad agnitionem fidei prædicando perduceret, diuino oraculo retentus, misit ad eos vnum de canonicis suis Vuigbertum nomine, cum duobus pueris & clericis, eò quòd ipse esset contemptu mundi, & doctrinæ scientia insignis. Qui ascendens nauim, & in Frisiam perueniens, duobus continuis annis genti illic ac regi Radbodo verbum salutis prædicabat. Sed obstante diabolicæ fraudis astutia, cum barbarici moris rigido populo plerunquè disputans & prædicans, parùm profecit: infectoque negocio, Angliam versùs tristis transfretauit. de cuius infructuoso reditu sanctus Egbertus, multarum lachrymarum imbre perfusus, multùm ingemuit.

S. Vuilfridus episcopus Christũ Frisijs annunciat.

Vuigbertus Frisijs prædicat Christum.

Vt SS. Vuillebrordus & Suuibertus, cum alijs decem presbyteris ad Germaniam missi, prædicauerint fidem Christi. Cap. 6.

ATta-

ATtamen magnificus præsul sanctus Egbertus, sitiens & affectans salutē omnium hominum, & præcipuè paganorum Frisonum & Saxonum, eò quòd Angli ab eis & ex eis propagati sunt, non desistens à bonæ voluntatis inchoato proposito, tentauit adhuc in opus verbi Dei mittere illuc sanctos & industrios & ad prædicandum verbum vitæ strenuos & idoneos viros, vtpotè actione & eruditione præclaros. Elegit ergò & congregauit instar duodecim Apostolorum, duodecim Apostolicos viros, in fide constantes ex diuersis monasterijs ad prædicandum Germanis catholicam fidem. Fuerunt autem hi missi, Vuillebrordus, Suuibertus, Acca, Vuigbertus, Vuillibaldus, Vuinibaldus, Lebuinus, duo Euualdi, Vuerenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiā, sicut & sancti Vuillebrordi conscripsi. Omnes præfati, presbyteri & sacerdotes fuerunt, ac sanctissimus Adelbertus Leuita, filius regis Deirorum, qui pro Christo dimittēs regale patrimonium, cum prædictis sanctis presbyteris electus à sancto Egberto, amore Christi peregrinum nō recusauit exilium. Et quoniam hi sancti doctores ꝓpagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica & Saxonica, ideò conuenienter prędicare potuerunt Euangelium Christi in lingua Germanica. Quorum aliqui postmodùm palma martyrij coronati fuerunt. Alij prædicationibus continuis inter barbaros vsque ad obitum institerunt: Alij vacantibus episcopijs subrogati fuerunt, vt infrà patebit. Igitur præparatis omnibus, quæ tantis viris necessaria videbantur, mox præfati duodecim egregij Dominici gregis arietes, salutatis amicis & parentibus, accepta benedictione tam eximij archiepiscopi, superna comitante clementią, prospero vento celeriter in Vuiltenburg siue Traiectum aduehuntur, anno scilicet ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo, pontificante Romæ Apostolico viro sancto Sergio Papa, anno suo tertio, imperante pijssimo Imperatore Iustiniano, ac regnante in Anglia glorioso Alfrido, rege Nord Humbrorum, qui catholicas Ecclesiæ regulas sequi semper & amare desiderabat: Episcopante in ecclesia Coloniensi Aldeuuino decimo episcopo eiusdem ecclesię. Qui postquàm illò aduenissent, ordinauerunt & instituerunt inter se eandem cōuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Apostolis & discipulis Christi: in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Intrantes ergò Traiectum & citeriorem Frisiam, vbiquè constanter Christum euangelizabant. Sed parùm primò profecerunt, eò quòd Frisones essent homines indomabiles, duræ ceruicis & barbaræ mentis, magis idolis quàm Christo seruire gaudentes. Et non solùm arroganter aspernabantur eos & legem Christi, sed atroci morte ipsos opprimere, nisì desisterent, minabantur. Quod attendentes sancti sacerdotes, ipsis charitatiuè condolentes, deuoto corde precabantur Deum, quatenùs gentibus illis, ad quas missi erant, tantam gratiam conferre dignaretur, illuminando corda eorum, vt abominatis idolis eorumque cultu, spretis phanorum fatuitatibus & auguriorum fallaciosis blandimentis, crederent in eum: nè tam formosas personas insatiabilis Tartarus voraci fauce absorberet, & in perditionem secum traheret.

Duodecim monachi mittūtur ex Anglia ad conuertendos Germanos.

Aldeuuinus 10. Coloniensis Episcopus.

Act. 4.

De martyrio sancti Vuigberti & constructione sanctæ Traiectensis ecclesiæ. Cap. 7.

MOrabatur autem perfidus Radbodus rex Frisiæ illo tempore expulsus à Traiecto per illustrem & Christianissimum principem Pipinum de Herstallo, Maiorem domûs Franciæ, apud insulam Fostelandiæ, quæ à quodam deo suo, dicto Foste, tunc Fostelandia appellabatur, quæ valdè solennis erat, propter superstitiosam sectam idolatriæ. In qua insula sacerdotes Dei, suggestione sancti Vuigberti conuenientes, prophana statim delubra Iouis & Fostæ destruxerunt, & constanter prædicando, tres solummodò homines, satanæ pompis abrenunciantes, orthodoxæ iunxerunt fidei. Radbodus verò rex, strenuissimus idolatra, odio habens Christianos, audiens idola sua destructa à Christianis, iratus valdè, atque iniuriam deorum suorum vlcisci disponens, S. Vuigbertum, quem dudùm nouerat Christianum, vnum ex consocijs sanctorum, diro tormento iugulari iussit: qui continua prece Deum exorare solebat pro consequenda palma martyrij: cæterosq; eliminauit ab insula prædicta. Sacerdotes verò perpendentes, quonīā Radbodus rex nequaq̄ ab idolorum cultura desisteret, & ꝙ in lucrandis animabus parùm proficerent propter tyrānidem regis, diuerterunt ad prefatum principem Pipinum: à quo gratanter sunt suscepti. Et quia nupèr citeriorem Frisiam, expulso Radbodo rege, ceperat, illò eos denuò ad prędicandum misit, præci-

Difficulter Frisij possunt duci ad Christum.

S. Vuigberti cædes.

præcipiens paganis sibi subditis authoritate regia, nè quis prædicantibus quicquam molestiæ inferret. Vndè factum est, opitulante diuina gratia, vt multos quotidiè in breui, prædicatione sua ab idolatria ad fidem conuerterent Christi. Atque conuenientes ad castrum Traiectense, quod pridèm Vuiltenburg dicebatur, quod in potestate Orientalium Francorum eo tempore fuit & permansit, vbì dudùm imperante Heraclio Cæsare, inclytus Dagobertus, sanctus rex Franciæ, construi fecit ecclesiam in honore sancti Thomæ Apostoli: quam non multò pòst prædura ceruicis Frisones solotenùs destruxerunt: In quo loco prope ruinam illius prioris * ecclesiæ sancti Thomæ, anno à natiuitate Domini sexcentesimo nonagesimo quinto, superædificauerunt in honore sanctæ Crucis oratorium: In quo renatiui fontis consecrârunt baptisterium: vt Christi fideles, ob defensionem castellani Traiectensis, securum illic haberent accessum ad suscipiendum sacri baptismatis sacramentum.

Traiectum olim Vuiltenburg.

* ecclesiola

Vt S. Suuibertus missus in carcerem, ab angelo fuerit liberatus. Cap. 8.

DEindè præfati sacerdotes, attendentes messem quidem multã, operarios verò paucos, iuerunt more Apostolorum & discipulorum Christi, bini & bini, trini & trini: adiunctis sibi aliquot neophytis, in diuersis Germaniæ prouincijs fidem Christi gentibus denunciaturi. Inter quos S. Suuibertus, gloriosus sacerdos Christi, diuini amoris igne feruidus, venit eodem tempore cum Vuerenfrido & mecum, in grandem vicum, dictum Duerstat: qui vicus refertus fuit cæremonijs, ornatusque diuersis idolorum templis, duobus distans milliaribus à Traiecto ad Orientem. vbì dum prædicaret Christum verum Deum, qui vitam æternam in se credentibus daret, admonens, vt simulacrorum vanos & inanes contemnerent cultus, eò quòd idola, quæ pro dijs colebant, repleta essent dæmonijs, & nihil salutis habere, nec suis cultoribus auxilium conferre posse affirmaret: statìm à paganis & idolorum sacerdotibus capitur, & grauiter verberatur, clamantibus & dicentibus: Blasphemator iste nostram prophanat legem: deos nostros omnipotentes dæmonia affirmat, populum seducit, crucifixum solum Deum verum audacter prædicat, & nisi occidatur aut effugetur, cultus deorum nostrorum euacuabitur, & paternæ traditiones exterminabuntur. His dictis, clamore omnium tenetur, & in carcerem mittitur, vt altera die occultè trucidaretur. Non enim palàm audebant ipsum occidere, quoniam vicus erat sub ditione Christianorum Francorum. Nos verò, Vuerenfridus & ego Marcellinus, dolentes & flentes sequebamur eum vsque ad carcerem. Quod cernens sanctus Suuibertus, læto ore consolando, hortabatur nos constanter stare pro fide Christi, nec mortem timere pati pro Christo. Eadem verò nocte circa gallicantum S. Suuiberto orante, nobis autem dolentibus, eccè venit angelus Domini cum magna claritate in carcerem, dicens ei: Noli timere serue Dei: quia Dominus tecum est. & videntibus & stupentibus custodibus carceris, liberauit ipsum, præcipiens, vt constanter Christum paganis vbiq; euangelizaret. Quo facto, angelus Domini æthera petijt. Ipse verò ad nos veniens, gaudenter flectens genua, & nos secum, gratias deuotissimè Deo retulit de angelica visitatione & consolatione. Pagani verò, & præcipuè sacerdotes idolorum, altera die audientes liberationem illius, vacillare cœperunt de impotentia idolorum, laudantes virtutem Christi. Ipse verò altera die constantissimè prædicans, multos in stuporem vertit, & ad Christum cõuertit, & nemo iniecit manus in eum. Quo ministerio peracto, cùm Traiectum nobiscum peruenisset, omnia per angelum patrata secum in Duerstat, confratribus enarrauit. Qui vnanimi voce, flentes præ gaudio, benedixerunt Deum.

Luc. 10.

S. Suuibertus verberatus.

Per angelũ educitur è custodia.

Vt vicum Hagenstein ad Christum conuerterit S. Suuibertus. Cap. 9.

SEcessit deindè in diuersos vicos & villas per Frisiam & Hollandiam ac Teisterbandiam, cunctis palàm constanter Christum euangelizans. Et quanuis multa contraria inter ipsos gentiles in diuersis locis perpessus fuisset, & æquanimiter tolerâsset, tamen diuino * semper functus auxilio, salutifera sua exhortatione populum multum ad agnitionem fidei Christi perduxit. Eodem anno demùm peruenit nobiscum, scilicet cùm Vuerenfrido & me Marcellino, in Orientalem partem principatûs Hollandiæ, in qua erat villa, distans à Traiecto ad Austrũ per vnum milliare, dicta Hagenstein. vbi cùm insigni die quodam solennitatis gentilium venisset, in quo multitudo copiosa gentilium deorum suorum cæremonias colens, funesta sacrificia thurificando idolis immolarent, accessit in medio illorum, clamans & dicens: O viri sapientissimi, accedite & audite. nuncius enim sum Dei excelsi. dij enim isti, quos colitis, idola sunt,

Multos conuertit ad Christum.

* fultus, legendum puto.

Concionatur in Hagenstein.

la sunt, dæmonibus immundis repleta, qui vos decipiunt. non sunt dij, sed opera manibus hominum compacta, & diabolica arte inuenta. Recedite ergò, charissimi, à cultura eorum, credentes in Iesum Christum, qui verus est Deus, natus propter nos & nostram salutem ex purissima virgine Maria, vt humanum genus lapsum restauraret: qui licèt corpore, propter peccata protoplasti Adæ, incarnatus & crucifixus fuit, tamen tertia die in eodem corpore resurrexit, & discipulis suis cernentibus, ascendens in cælum, sedet ad dexteram patris omnipotentis, Indè venturus iudicare viuos & mortuos. Et qui hîc credunt in eum, renunciantes nefarijs idolis, æternaliter gaudebunt in regno cælorum: qui verò idolis seruiunt, perpetuò cruciabuntur cum diabolis. Credite ergò in eum, agentes pœnitentiam de ignorantia vestra, & baptizemini in nomine eius, vt saluemini. Misericors enim est: nè simul cum dijs pereatis, incidentes in ignem æternum. Cumque sic Christum constanter prædicaret, affirmans & concludens, quāta signa miraculorum sequerentur credentes in eum, festinanter volentes hoc experiri gentiles, illuc cum magno cœtu conglomerati, obtulerunt & adduxerunt ei quendam adolescentem, Giselbertum nomine, ab vtero materno cæcum natum, clamantes & dicentes, vt fidem illius Dei crucifixi, ab ipso tam constanter prolatam, veridicis confirmaret actibus, illuminando illum cæcum in nomine eius, vt crederent in ipsum: sin autem, ipsum tanquàm inimicum deorum & destructorem paternarum traditionum, repentè cum suis trucidarent. Mox sanctus Suuibertus, iusta necessitate cōpulsus, flectit genua sua ad Dominum, exhortans nos vt similiter faceremus; deprecans & dicens: Exaudi preces nostras, Domine Iesu Christe, & da isti cæco visum ad gloriam benedicti nominis tui, vt sic per istius corporalem illuminationem in istorum cordibus gentilium spiritualis lucis gratia accendatur: Et confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & gloriantur in simulacris suis: scientes quia tu es solus Deus, & non est alius præter te. Neq; verò fides sua fefellit eum. Nam surgens ab oratione, fiduciam magnā habens in Christum, signum sanctæ Crucis faciens super oculos cæci, constanter sonora voce dixit: In nomine Domini nostri Iesu Christi veri Dei, quem prædico, præcipio tibi, vt videas & confitearis creatorem tuum: quo dicto, protinùs, cooperante diuina clementia, adolescens aperiens oculos suos, clarè vidit, & optato gaudens lumine, Deo gratias agens, lætos cunctos effecit & stupidos: prouolutusq; pedibus sancti Suuiberti, clamauit, dicens: Non est alius verus Deus, quàm Iesus Christus, creator cæli & terræ, quem iste seruus eius ob salutem nostram prædicat. Perculsi admiratione & obstupefacti gentiles, hæc noua videntes & audientes, tumultuare contra sanctum Suuibertum desiêrunt, & compuncti cum flamine idolorum eiusdem villæ, veniam protinùs ignorantiæ suę precabantur. Quos sanctus Suuibertus, coram Deo & hominibus magnificus sacerdos, persuasionibus scripturarum in fide cōfirmauit. Et factum est gaudium magnum in eadem villa & eadem die, & magnificatum est nomen Domini nostri Iesu Christi ab vniuersis. Multos insupèr ex eis credentes in Christum, purgauit à perniciosissima superstitione idolatriæ fonte baptismatis. Altera verò die, conuocato omni populo cum cæco illuminato in phano idolorum, prædicauit eis piè Christum & fidem catholicam. Intantùm verò Christus aperuit corda eorum, vt omnes ferè credentes in Deum voluntariè, eliminata spurcitia idolorum, redegerint phanum deorum in ecclesiā Dei, quam posteà idem sanctus Suuibertus, me præsente, ordinatus Episcopus consecrauit in honorem Dei & gloriosæ virginis Mariæ. Cuius miraculi fama cùm percrebuisset veridica per vicinitatem, multi pagani cæcum illuminatum cognoscentes, sequebantur ipsum prædicantem: & audientes verbum Dei ex ore eius, crediderunt nonnulli, & baptizabantur ab eo.

Psal. 96.

Signo Crucis curat cæcū natum.

Multi accedunt ad fidem.

SS. Suuibertus & Vuillebrordus Episcopi consecrantur. Cap. 10.

Deniquè crescente quotidiè numero fidelium, prædicantibus cum magna deuotione præfatis prædicatoribus, cùm credentibus gratiam baptismi, quicunque ex eis erant sacerdotali gradu præditi, ministrarent, nec ecclesias consecratas haberent, ad quas populum conuersum conuocare & diuina celebrare & complere possent: communi decreto omnium confratrum & neophytorum, duos ex eis in episcopos consecrandos elegerunt, qui populo Frisonico præessent verbo prædicationis, & ecclesias dedicarent, & ordines sacros celebrarent, vtporè sanctum Vuillebrordum, inter omnes meritò præfulgentem, virum humilem, & totius honestatis exemplis refertum: & sanctum Suuibertum, virum corde mansuetum, scripturis sacris & Ecclesiasticis disciplinis apprimè instructū. Sanctus verò Suuibertus ad Britanniā siue

SS. Vuillebrordi & Suuiberti præstantia.

Angliam

Angliam perrexit cum Acca & duobus Euualdis, cæterisque nonnullis neophytis, & ego Marcellinus cum eis. Vénimus autem in conuentum Eboracensem in vigilia sancti Laurentij preciosi martyris: à quo, & præcipuè à parentibus & amicis, gratiosè recepti fuimus. Tandem tendentibus duobus Euualdis confratribus nostris de licentia sancti Suuiberti versùs Hyberniam, promissione facta, vt nos sequerentur ad Germaniam, quantò citiùs possent, migrauit sanctus Suuibertus nobiscum ad sanctum Vuilfridum, tunc Episcopum Merciorum, sancto Egberto Archiepiscopo Eboracensi depresso graui infirmitatis incommodo: exposuitque ei causam, quatenùs ex petitione fratrum in Frisia ab eo episcopus consecraretur. Sanctus verò Vuilfridus gloriosus episcopus, vbi prosperatum ei opus euangelij inter Frisones comperit, magno gaudio exultauit in Domino, eò quòd scintillam orthodoxæ fidei succenderat in mentibus multorum: & numerus credentium quotidiè, spretis abominandis idolis, augmentaretur: atque ipsum cum magna lætitia & solennitate consecrauit episcopum in festo sancti Bartholomæi Apostoli, anno scilicet ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimoquinto, vocatis ad se in ministerium ordinationis alijs duobus episcopis. Quo consecrato, dum remitteret ipsum, confortans & exhortans dixit sanctus Vuilfridus: Dilecte frater, nullus te labor aut maledicorum hominum linguæ & manus barbarorum deterreant, & noli timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt: sed omni instantia omnique feruore quæ inchoâsti, Deo authore, constanter perage. scis enim, quòd magnum laborem maior æternæ retributionis gloria sequetur. Et osculans, remisit ipsum cum socijs in ministerium Dei, retento secum Acca, dilecto presbytero & consocio nostro, quem in episcopum Augustaldensis siue Lindisfarnensis ecclesiæ consecrauit. Sanctus verò Vuillebrordus eodem anno Pipinum principem adijt, & cum illo longo tempore permanens, detentus ab eo, tandem anno sequenti ab illo Romam mittitur ad sanctum Sergium Papam, vt ibidèm ab ipso episcopus consecraretur genti Frisonum. Quod ità, vt petierat, est completum, ab incarnatione Domini anno sexcentesimo nonagesimosexto, anno primo Leonis Imperatoris Romanorum. Sed sanctus Suuibertus ordinatus fuit anno quarto Iustiniani pijssimi Imperatoris. Ordinatus autem fuit sanctus Vuillebrordus in ecclesia sanctæ Cęciliæ virginis & martyris archiepiscopus Frisonum, in die natalis eiusdem virginis, scilicet Cęciliæ.

S. Suuibertus consecratur Episcopus.

Acca fit episcopus Lindisfarnensis.

Hunc alij Leontium vocant.

Vt sanctus Suuibertus Episcopus comitatum Teisterbandiæ conuerterit. Cap. 11.

IGitur sanctissimus Suuibertus, euangelicus præsul, pontificali fultus authoritate & honore, ac corroboratus confirmatione sancti Vuilfridi, salutatis parentibus & amicis, cum Christi famulis qui cum eo erant, redijt in opus euangelij & verbi Dei, peruenitque Vuiltenburg siue Traiectum, per annum & multò ampliùs, antequàm sanctus Vuillebrordus Roma rediret Traiectum: ibique à fratribus & neophytis honorificè multo cum gaudio susceptus, gradum episcopatûs condignis ornãs virtutibus, vixit deincèps in maiori humilitatis, mansuetudinis, simplicitatis & iustitiæ perfectione, cœptumque euangelicum opus constanter explens, oppida, rura, casas, vicos, castella, propter euangelizandum, non equitando, sed Apostolorum more, pedibus incedendo peragrans, etiam longè lateque Frisiam, Hollandiam, & præcipuè comitatum Teisterbandiæ peruagatus, multum populum ad Christum doctrinis & prædicationibus reduxit, vbiquè solerter idolatriam extirpauit, ità quòd multitudo paganorum, maximè iam prophanam sectam refutãtes, catholicæ fidei documentis salutaribus adhæserunt. Conuertebat verò sua dulciflua prædicatione ferè totum comitatum Teisterbandiæ, in quo construebantur ecclesiæ multis in locis, aut templa idolorum consecrabantur in ecclesias Dei & sanctorum, vtpotè ecclesiam sancti Vincentij martyris in Zanduuick prope Tielam: in Arkel, in honorem sanctę Dei genitricis virginis Marię: in Hoernaer, in honorem sancti Dionysij Areopagitę, in Schoenreuuord, in Authuesden, in Aelborch, in Vuoudrighen, in Giesen, in Rijsuuich, in Almkerk, in Malsen, in Erkum, in Auesaet, & in pluribus alijs locis, quas cum magna deuotione ipse consecrauit. Erat enim affabilis & benignus omnibus, qui ad ipsum consolationis & ædificationis gratia conueniebant: Atque conuersam plebem per ipsum, orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cælestia vocabat.

Permultos Christo lucratur S. Suuibertus.

Vt sanctus Suuibertus quendam submersum à morte excitauerit, & ferè vicum Duerstat ad fidem conuerterit. Cap. 12.

Celebris fe S.Suuiberti fama diffundit.

CVM verò mirificauit Dominus sanctum Suuibertum prodigijs & prædicationibus, & fauor virtutum ipsius celebri rumore Frisiam, Hollandiam & vicinas regiones illustrauit, vt non solùm idolatræ & pagani, sed & sacerdotes idolorum mirarentur & stuperent in virtutibus & actibus eius, voluit omnipotens Deus deorum ampliùs in mirabilibus suis ipsum ante conspectum gentium glorificare. Diuina nanque prouidente clementia, dum sanctus Suuibertus anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimosexto, octauo Kalendas Octobris dedicaret ecclesiam in Malsen, in comitatu Teisterbandiæ super amnem, Linghen dictum, contigit vt eodem die quidam generosus adolescens, dictus Splinterus de Andengyn, filius primicerij de grandi vico Duerstat, volens curiosè experiri mysterium fidei Christi, & præcipuè actus sancti Suuiberti, de quo mira audierat, licèt ipse incredulus & fidei ignarus esset, scapham cum tribus clientibus manè hora ferè septima intraret, volens videre dedicationem ecclesiæ in Malsen, eò quòd villa Malsen distet à Duerstat ad Austrum paruo milliari. Cumque in medio fluminis Rheni siue Leccæ esset, & lasciuè ioculando & nauigando sederet super litus nauiculæ, incumbens super mucronem suum, lapsu pedum suorum ex lubricitate nauiculæ retrorsum cadens, cecidit in aquam: quem statìm vorax vnda absorbuit, & in profundum quasi lapis descendit, & submersus fuit. Quod cernentes socij & serui, in eadem nauicula positi, ipsum iuuare & ei subuenire non valentes, dolore maximo consternati, vtraque litora clamoribus & fletibus repleuerunt. De cuius casu & submersione non solùm parentes & cognati dolebant, sed & luctus erat omnibus, & mœrore incredibili confundebantur vniuersi. Serui verò concito cursu fugerunt prę timore parentũ & amicorum. Tandèm eadẽ die, hora ferè duodecima, à piscatoribus in sagena cum multo dolore inuentus, lamentabiliter portatus fuit in domum parentum, & licèt inflexibilis esset artubus & membris, tamen consilio flaminum idolorum, calido impositus lecto, defertur ad phanum siue templum Martis. Audierant enim, quòd Christiani aliquot submersos siue subitò defunctos, in ecclesias ipsorum portantes, vitæ pristinæ sacrificijs & precibus episcoporum restituissent. Guntherus verò egregius miles & dominus de Andengyn, pater Splinteri submersi, properans cum familia & amicis ad templum Martis, libauit funestum sacrificium, mactando diuersa animalia magno deo Marti, vt pietate diuinæ potentiæ suæ vnicus filius suus reuiuiscens suscitaretur. Cumque lugubriter mœsto & tribulato corde vsque in horam ferè secundam precibus & sacrificijs incubuissent, & nihil salutis inuenissent, desperauit de vita ipsius, eò quòd nunquàm audisset priscis temporibus deos ipsorum talia peregisse. Erant autem eodem die multi Christiani in ea ciuitate: qui vt viderent finem, sequebantur funus vsque in atrium phani Martis. Qui videntes inenarrabilem dolorem Guntheri & aliorum amicorum, gaudentes de impotentia deorum, vocauerunt Guntherum seorsùm, vt Christus ibi magnificaretur, suadentes & consulentes ei, vt celeriter pro sancto Suuiberto Christianorum episcopo, existente in Malsen, ad quem filius suus equitare proposuerat, mitteret: ipse proculdubiò precibus suis resuscitaret eum virtute Domini Iesu Christi, dummodò abrenuncians idolis, toto corde crederet in ipsum. Guntherus verò his auditis, memor qualiter idem sanctus Suuibertus in eadem ciuitate captus, liberatus per angelum fuit, & qualiter in Hagenstein cæco nato in nomine Iesu præstitisset visum: statìm animatus & allectus verbis Christianorum, adiunctis sibi aliquot honestis amicis, sine dilatione Malsen vsque celerrimè properauit: vidensque sanctum Suuibertum, mox de equo desiliens, prouolutus pedibus sancti, osculando manus eius, per ægra lachrymarum suspiria aperuit ei tristissimam mortem & submersionem vnigeniti sui, deprecans vt secum dignaretur proficisci Duerstat, & in virtute salutiferi nominis Iesu, veri Dei omnipotentis, resuscitare filium suum, pollicens se cum omni familia sua & cognatis crediturum, & sacrum baptisma percepturum. Sanctus verò Suuibertus ipsum humaniter eleuans & honorificè suscipiens, benignè consolabatur: & licèt condoluit lamentabilibus vocibus & gemitibus ipsius, tamen Deum tentare super huiuscemodi facto grandi formidans, se piè excusauit. Miles verò denuò amplectens pedes eius, importunè precabatur, vt secum pergere dignaretur amore Iesu Christi Dei viui. Sicque victus eiulatu eius, & præcipuè precibus Vuerenfridi & meis aliorumque neophytorum, ibidèm præsentium, celeriter vectus curru, & nos cum eo, venit circa sextam horam post completorium in vicum Duerstat. Erat autem turba magna congregata ad litus Rheni siue Leccæ, pręstolãtes aduentum sancti Suuiberti, dolentibus prophanis sacerdotibus phano-

Submergitur Splinterus adolescens.

Mars frustrà inuocatur.

Detrectat S.Suuibertus excitationem defuncti.

phanorum. Igitur transmisso amne Lecca, cùm iret ad defunctum cum discipulis suis, sequenti ipsum grandi turba paganorum, occurrit ei domina Mechtildis, mater Splinteri submersi, vt insana mulier: prouolutaque pedibus eius in publica platea, clamauit, dicens: Serue Dei viui, succurre mihi, & resuscita filium meum in nomine Dei tui, credamque cum tota familia mea in eum: quia dij nostri impotentes sunt ad resuscitandum eum. Quam sanctus Suuibertus eleuans & consolans, parùm ingemuit. Erat autem Splinterus submersus, denuò ex templo Martis portatus in domum patris sui, veniensque ad præsentiã defuncti, petijt vt flamines siue sacerdotes idolorum dignarentur sibi adesse, vt viderent virtutem Domini nostri Iesu Christi Dei omnipotentis. Interìm præcepit nobis, deuotè orationibus vacare, Deique misericordiam implorare, vt defunctus resuscitaretur, & ipse orauit. Vniuersa igitur multitudine flente, cùm aliqui phanatici sacerdotes pauidi, vocati per dominum Guntherum, aduenissent, sanctus Suuibertus sonora voce, flexis genibus, lachrymarum imbre perfusus, clamauit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, qui refugium factus es nobis: inclina aurem tuã ad preces nostras, vt reueletur hominibus istis gloria tua, & prædicetur & glorificetur ab incredulis nomen sanctum tuum: vt sciant, quia non est vana fides nostra, nec alius deus præter te, cuius pietas non habet finem, nec dona mensuram: & resuscita ad gloriam & honorem nominis tui hunc seruum tuum, diabolica fraude delusum, vt sciant, quòd omnia idola, quæ pro dijs colunt, statuæ sunt dæmonibus plenæ, videntes virtutem pietatis tuæ, credentes in te, saluentur. His dictis, surgens ab oratione, fiduciã magnam habens in Christum, dixit: Domine Iesu Christe, mœstorum consolator, qui dixisti: Omnis qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: Domine pijssime Deus, qui resuscitâsti ad fletum sanctarum sororũ Mariæ Magdalenæ & Marthæ Lazarum quatriduanum mortuum, resuscita & hunc in nomine tuo, ostendendo potentiam diuinitatis tuæ. Et accipiens dexteram submersi, dixit: In nomine Domini Iesu Christi crucifixi, Dei omnipotentis, dico tibi, vt surgas & viuas, & confitearis creatorem tuum. Statìm verò defunctus aperiens oculos suos, & quasi de graui somno suspirans, surrexit. Amplectensque pedes sancti, cum magnis suspirijs clamauit: Non est alius Deus in cælo & in terra, quàm Dominus Iesus Christus crucifixus, quem prædicat sanctus seruus eius Suuibertus: qui me sua benigna misericordia ad preces eius ab inferis & à morte resuscitauit. O vita laudabilis, quæ alterius corporis mortem precibus effugauit, tartarum spoliauit, spem magnam habens in Christo: proculdubiò mors ibi iura non tenuit, vbi sanctus Suuibertus vim orationis ingessit. Statimque omnes mirati & stupefacti, qui viderant & audierant nouitatem tanti miraculi, diuinam pietatem per Dominum nostrum Iesum Christum dignis extulêre præconijs, qui sanctum Suuibertum seruum suum tam insigni clarificare miraculo dignabatur. Prouolutique pedibus sancti episcopi cum sacerdotibus idolorum, credentes in Christum, baptizari petiêrunt, spretis vanis cultibus idolorum. Deniquè lætissimè accurrentes parentes & cognati, infinitas retulerunt Deo & sancto eius gratias, deuotè ipsum amplectentes & osculantes cum discipulis suis. Sed & ipse sanctus Suuibertus cum cæteris Christianis humiliter in terram prostratus, benedixit Deum, qui magna fecit in populo suo. Tantus verò in platea erat clamor paganorum, resuscitatum videre cupientium, vt sanctus Suuibertus necessitate compulsus, resuscitatum vestibus indutum per manus duceret cum magna deuotione ad honorem Dei, vt à cunctis videretur. Quem viuum & ambulantem cernentes, clamauerunt: Verè magnus est Deus Christianorum, qui talia per seruum suum operatus est. Factum est ergo gaudium magnum coram omnibus hæc videntibus, & magnificatum est nomen Domini nostri Iesu Christi. Eodem tempore baptizatus est Splinterus resuscitatus, cum parentibus & cognatis & alijs, numero centum vigintisex, demptis pueris & virginibus. Altera deniquè die congregata infinita turba hominum paganorum, sanctus Suuibertus, præmissa oratione ad spiritum sanctum cum discipulis suis, vt Deus aperiret corda illorum ad spernendum idola, & ad fidem complectendam, prædicando deduxit & declarauit eis transgressionem protoparentis nostri Adæ, incarnationem verbi Dei, diabolicam idolorum inuentionem, atque infinitam misericordiam Dei. Insupèr quòd æternaliter damnabuntur, qui spreto vero Deo, adorant idola & sculptilia, & gloriantur in simulacris suis: ità quòd ferè pars magna ciuitatis credidit in Christum. Erat autem ciuitas, licèt pagana, sub potestate Christianorum principum, scilicet regis Franciæ & Pipini ducis, & tota ferè vicinitas & prouincia Christianę fidei subdita,

Precatio ad Dominum Iesum S. Suuiberti.

Ioan. 14.

Ioan. 11.

Excitat vita functum.

Eo miraculo multi reuiuiscunt in anima.

126. baptizantur.

vtpotè Brabantia, Flandria, & pars Hollandiæ: sic quòd pagani de Duerstat sæpè cum Christianis conuersati, pridèm multotiès multa de Christo audierant. Mansit autem multis diebus in eadem ciuitate, vigilanti instantia prædicando fiducialiter Christum paganis, confirmando neophytos, ità vt non solùm pagani, verùm etiam multi idolorum sacerdotes, videntes cælestem gratiam & miraculi magnitudinem in sancto Suuiberto, abiecto perfidiæ velamine, baptismi gratiam ab ipso deuotè susciperent.

Vt S. Vuillebrordus Roma rediens, cum S. Suuiberto per Frisiam prædicauerit. Cap. 13.

S. Vuillebrordus à Papa Sergio consecratus redit Archiepiscopus.

ITaque annò à natiuitate Domini sexcentesimo nonagesimoseptimo sanctus Vuillebrordus, adepta iam Apostolicæ benedictionis authoritate, consecratusque Archiepiscopus à sancto Sergio Papa, rediit ad Germaniam. Cui occurrens sanctus Suuibertus cum clericis & discipulis & multis Christianis vsque Embricam, recepit eum cum magna honorificentia, & gauisi sunt in Domino. Audiensque sanctum Suuibertum Episcopum consecratum, & Comitatum Teisterbandiæ cum tota ferè Batua, ac magnam partem inferioris Frisiæ prædicatione ipsius conuersam, & ecclesiam Traiectensem numero fidelium valdè multiplicatam, immensas deuotè Deo retulit laudes. Deindè pariter Traiectum pergentes, statim in fundo basilicæ sancti Thomæ Apostoli prope castrum Traiectense, canonicorum cœnobitarum construxerũt ecclesiam in honorem sancti Martini episcopi Turonensis: in qua sanctus Vuillebrordus Archiepiscopus Frisonum cathedralem ecclesiam sibi stabiliri iussit: quam per primitiuam benedictionem SS. Vuillebrordus & Suuibertus episcopi, cum cæteris confratribus, propriis manibus benedicendo consecrauerunt. Deindè mortuo Radbodo rege Frisonum, Christiani liberè permissi sunt vbique per Frisiam publicè euangelium Christi prædicare. Quapropter præfati sancti episcopi cum sacerdotibus & clericis Hollandiam & Frisiam vbiquè peruagantes, rudem populum documentis euangelicis informauerunt, docentes prophanum idolatriæ cultum abolendo relinquere: catechumenos baptizauerunt, neophytos confirmauerũt, sacros ordines celebrauerunt, ac in pagis singulis euangelium pacis constanter & deuotè prędicauerunt, & per loca singula presbyteros & diaconos ordinauerunt, qui eos in verbo fidei & ministerio baptizandi adiuuarent, maximè in magno vico Duerstat. In quo per biennium prædicantes, totum populum ad fidem perduxerunt Christi, ac phana idolorum commutantes in ecclesias Christi, quinquagintaduas dedicauerunt ecclesias parochiales in eo, adiutorio Guntheri militis & aliorum amicorum. Et non solùm per Frisiam prædicauerunt & Lotharingiam, sed & vsque in Daciam prædicando, populum multum, purgatũ à barbarica gentilitatis idolatria, orthodoxæ iunxerunt fidei. Cumque sic per aliquot annos feruenter euangelici pontifices & verbi Dei præcones pariter & continuè in diuersis prouinciis Christum annunciâssent, redierunt & venerunt cum exultatione Traiectum ad confratres & cooperatores verbi Dei, enarrantes illis, quanta Dominus per illos fecisset. Et licèt sanctus Suuibertus, egregius pontifex, præcesserit sanctum Vuillebrordum tempore, tamen sanctus Vuillebrordus præcedit sanctũ Suuibertum dignitate, & primus Archiepiscopus Traiectensis reputatur, eò quòd à sancto Sergio Papa Archiepiscopus Frisonum specialiter consecratus, & à sede Apostolica ad eundem populum missus fuerit: atque quòd ab illustri principe Pipino de Herstallo, & à glorioso filio eius Carolo Martello ex regali donatione ciuitatem Traiectensem cum suis appendicibus pro se & suis successoribus episcopis Traiectensis Ecclesiæ impetrauerit. Et ideò sanctus Suuibertus non episcopus Traiectensis appellatur, sed coepiscopus sancti Vuillebrordi.

Canonici cœnobitæ.

SS. Vuillebrordus & Suuibertus Batauis & Frisiis prædicant.

Item Lotharingis & Danis.

S. Vuillebrordus primus Episcopus Traiectensis.

Vt sancti socij & presbyteri SS. Vuillebrordi & Suuiberti in diuersas prouincias missi, Christum prædicauerint. Cap. 14.

Synodus Traiectẽsis.

DEindè animaduertentes præfati sancti pontifices, & egregij prædicatores, qui cum eis ex Anglia venerunt Traiectum, quòd multus populus, Deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conuersus esset, conuocata synodo in nouella Ecclesia Traiectensi, decreuerunt more Apostolorum & discipulorum Christi, in diuersas circuniacentes barbaricas nationes præstãtiores prædicatores dimittere, ad prædicãdum ipsis fidem Christi. Erant autem eo tempore in eadem primitiua ecclesia Traiectensi apostolici põtifices, & canonici egregij prędicatores, qui san-

sanctum Suuibertum episcopum cum sanctis Euualdis sequentes, constanter Christum gentibus prædicauerunt: vtpotè sanctus Vuinfridus sacerdos, qui postquàm tredecim annos in ecclesia Traiectensi vt canonicus degisset, Archiepiscopus Moguntinens. consecratur, & Bonifacius appellatur, qui post obitum sancti Vuillebrordi episcopi Traiectensis rediens, secundus Archiepiscopus Traiectensis ordinatur: qui postquàm decem & sex annis per Frisiam prædicasset, martyrio in Frisia coronatur cum suis. Similiter sanctus Vuiro episcopus Deirorum: sanctus Plechelmus, episcopus de Massa candida, vel, secundùm Bedam, candida Casa: sanctus Othgerus Leuita, cum plerisque alijs gloriosis sacerdotibus & prædicatoribus. cui sanctæ Synodo præfuerunt sancti Vuillebrordus & Suuibertus antistites constantiores: in qua conclusum & diffinitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei. Igitur sanctus Acca, vt est antè dictum, cum sancto Suuiberto in Angliam rediens, à sancto Vuilfrido episcopo Augustaldensis Ecclesię episcopus consecratus, post sanctissimam vitam ibidèm in Domino quieuit. Sanctus Vuigbertus in Fostelant martyrio coronatus fuit, vt prædictum est. Sanctus Vuillibaldus Orientalem Franciam adiens, Aureatensis siue Eistatensis episcopus effectus est. Sanctus Vuinebaldus, frater eius, Heyndelamensis Abbas est ordinatus: Quorum germana fuit Vualburgis virgo. *Lebuinus pontificatum adeptus, martyrio prope Gandauum coronatur. Duo quidem sancti Euualdi Nabiam introëuntes, Christum prædicando confessi sunt, qui ab indè ascendentes in Saxoniam, glorioso martyrio coronati sunt. Sanctus Vuerenfridus presbyter & egregius prædicator, versùs Batuam missus, nouellum Christi populum in Elst & Vuesternuoirt & in finibus illis feliciter rexit, & infinitis clarificatus miraculis, tam in vita quàm in morte, idibus Septembris apud Vuesternuoirt spiritum creatori reddens, miraculosè in Elst tumulatur. Sanctus Adelbertus Leuita, filius Edilbaldi regis Deirorum, filij sancti Osuualdi regis & martyris, in Egmonda in Hollandia oratorium construens, post multorum paganorum conuersionem & laudabilem sanctæ vitæ suæ consummationem, multis miraculis clarus, septimo Kalend. Iulij felici fine requieuit in Christo, sepultus in Egmonda: vbi vsque in hodiernum diem claret infinitis miraculis. Is eximius confessor, primus archidiaconus Ecclesiæ Traiectensis fuit. Et ego Marcellinus presbyter inutilis, à præfatis pontificibus missus ad partes Transiselanas, locum Aldenseel, Trentam, & Tuuentam, & Couordiam, ac Dauentriam rego, & Dei prouidentia totum fermè populum Christo prædicando lucratus sum, & purgaui à cultu idolatriæ: permansitque sanctus Vuillebrordus in diœcesi sua Traiectensi, feruenter prædicando euangelium Christi cunctis gentibus. Cæteri verò hàc illacque disperti propter verbum Dei, post conuersionem multorum paganorum, salubri fine in Christo quieuerunt.

Catalogus egregiorum virorū, qui fidē Christi Germanis prędicarūt.

Hist. Eccles. lib.5.c.24.

* Leuinus

S. Adelbert' regis Deirorū filius, primus Archidiacon' Traiectens.

Vt S. Suuibertus in Vuestphalia mulierem paralyticam sanauerit, & populum conuerterit. Cap. 15.

ITaque sacerrimus pontifex Suuibertus in osculo pacis cum multis lachrymis vale dicto sancto Vuillebrordo, cæterisq; præfatis sanctis prædicatoribus ac alijs canonicis Traiectensis Ecclesiæ, adiunctis sibi Vuilleico, Gerardo, Theodorico & Bosone gloriosis presbyteris & prædicatoribus, alijsque duobus pueris laicis Vualtero & Ioanne, peruolauit vt nubes paganismum, tanquàm fidei vexillifer de loco ad locum per Vuestphaliam & inferiorem Saxoniam quotidiè fideliter in vinea Domini tanquàm miles strenuus laborans, magnam quoquè gentem plerisque in locis ab idolorum vesania ad Christi perduxit fidem, & quocunquè diuertebat, ad execrandam diabolicæ versutiæ supplantationem & idola confringenda summoperè laborare cum suis studuit & curauit. Et vbiquè confluebant pagani ad ipsum, ad audiendum verbum vitæ ab ipso. Erat enim dulcis in exhortationibus, & cunctis affabilis & eloquio mitis. Construebantur etiam aliquot ecclesiæ in confinibus Vuestphaliæ admonitione ipsius, quas etiā consecrauerat. Hucusquè ego Marcellinus, præfatus discipulus ipsius & sancti Vuillebrordi, cum sancto Suuiberto conuersatus, quæ conscripsi vidi, & fermè omnibus præscriptis interfui: Et deindè ipso tendēte cum suis ad Minimigardum, i. Monasterium, ego redij habita benedictione ipsius Frisiam versùs: & sic, quę sequuntur, ex relatione veridicorū fratrum conscribo. Perueniēs ergo hyeme Minimigardum, indesinēter palàm omnibus prędicauit Christū, clamans & dicens: Auscultate & audite me, fratres dilectissimi, qui ad imaginem & similitudinē Dei creati estis, à quo

S. Suibert' Vuestphalis Christu annunciat.

Hodie dicitur Monasteriensis episcopat'.

per maledictas paternas traditiones damnabiliter alienati, diuersa idola vana, dæmonibus plena, pro dijs ignoranter colitis, quæ nec proculdubiò dij sunt, sed idola, nequitia diabolicę fraudis & versutię inuenta, ex pręcepto potentum regum & tyrannorum, pro dijs colenda & adoranda simplicibus hominibus tradita: sed vnus est Deus omnipotens, qui secundùm suam diuinitatem solo verbo creauit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Sed propter transgressionem & præuaricationem protoplasti nostri Adæ, nè humanum genus periret, compatiens miseriæ humanæ naturæ, quia omnes homines saluos vult fieri, ex nimia charitate idem Deus, creator omnium, in fine seculorum homo factus, sua benedicta passione reformauit humanam naturam lapsam, regnans vt Deus omnipotens iam in cælis. Resipiscite, resipiscite ergò, dilectissimi fratres, & redite ad verum creatorem & saluatorem vestrum Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum, credentes in eum, quia misericors est, saluans omnes spernentes idola vana, sibique seruientes. Nonne absurdum & miserum culturæ genus est, lapidem Deum credere, & lignum, arte hominum compactū, ad auxilium inuocare, ac derelicto creatore, adorare miseras damnatasq; creaturas pro dijs? Cùm hæc & his similia euangelizâsset, multi compuncti, ipsum cum suis hospitio recipientes, confirmari in fide catholica postulabant. Erat autem in eadem ciuitate quædam mulier enormiter contracta, ità vt ferè esset & apparêret monstrum in natura: quæ cùm multa in medicos expendisset, & nihil salutis & remedij impetrâsset, audiens quendam peregrinum illuc aduentâsse, & quendam nouum Deum prædicare, petijt à suis, vt ad virum Dei veheretur. Altera verò die, cùm sanctus Suuibertus corā magna multitudine prædicaret, aduecta fuit ad eum mulier iam dicta. Quam cùm in nomine Domini nostri Iesu Christi signo crucis benedixisset, statim cunctis videntibus & mirantibus sanata fuit. Quæ post gratiarum actiones gaudens & hilaris, læta facie & alacri animo ad domum cum suis repedauit: ac deindè cum multis rediens, credens in Christum, baptizata est. Nec immemor optatæ sospitatis, hortatu sancti Suuiberti episcopi construxit in honorem Dei & sancti Pauli apostoli oratorium siue ecclesiam circa domum suam, eò quòd in festo sancti Pauli apostoli sanata fuit.

Monasterienses quidā credunt in Dominum.

Miraculū.

Vt S. Suuibertus episcopus in Bilueldia quendam sacerdotem à peste squinantiæ vel anginæ liberârit. Cap. 16.

ERat autem in Bilueldia diues quidam, nomine Adelbertus, repentè tortus dolore squinantiæ, ità vt penitùs nihil deglutire posset, & omnes de vita eius desperarent: qui audiens famam sancti Suuiberti & virtutis patratæ per ipsum in nomine Iesu veri Dei in quadam contracta, misit celeriter duos honestos pueros ad Minimigardum, petens vt amore eiusdē Iesu Dei sui ipsum visitare dignaretur, spondens, si liberaret & sanaret ipsum, crediturum se proculdubiò in ipsum verum Deum. Sanctus verò Suuibertus episcopus hoc audiens, ad honorem Dei & salutem gentium cum suis presbyteris & clericis profectus Bilueldiam, inuenit eum in extremis agonizantem. Statimque post diutinam orationem & diuinorum celebrationem, porrexit ei coram multis gentilibus ablutionem: cumque bibisset parùm, mox sanatus fuit, & à sancto in fide confirmatus baptizatusque cum multis, benedixit Dominum. Volat fama miraculi illius per prouinciam, concurrunt vicini & amici, congratulantes ei de liberatione imminentis periculi & mortis. Omnesque laudant potentiam Domini Iesu Christi. Multi insupèr eorum, spretis abominandis cultibus idolorum, crediderunt in Christum, & baptizati, sequebantur & comitabantur multi ex eis sanctum Domini. Mansitque per aliquot dies ibidèm, prædicando cunctis Christum.

Sanat hominem S. Suuibertus angina laborantem.

Vt quendam cæcum illuminârit. Cap. 17.

REdiens verò Minimigardum, ad petitionem quorundam infirmorum gentilium, stipatus multis Christianis & paganis, obuium habuit quendam cæcum in alia parte stratæ viæ: qui intelligens sanctum Suuibertum Christianorum episcopum adesse, petijt à suo ductore, vt ad eius præsentiam duceretur. Sed ductor, dimisso cæco, currens ad sanctum Suuibertum, eleemosynā piè precabatur accipere. Porrò clamanti cęco nemo intendebat. Cumq; magis ac magis clamaret, audiuit eum sanctus Suuibertus: qui Vuilleicum presbyterum suum vocans, dixit: Audis? quis est, qui clamat ad nos? Qui respōdit: Audio, sed quid sit, ignoro. Dixitque: Accipe baculū istū, & perge ad clamantē: & da illi, præcipiens vt cum sustētaculo isto veniat ad me in nomine Domini nostri Iesu Christi. Iuit ergò sanctus Vuilleicus presbyter, dicens

cæco:

cęco: Dominus Suuibertus episcopus transmisit tibi istud sustentaculum, vt venias ad eum. Stetit verò sanctus Suuibertus, præstolans aduentum eius. Statim ergò vt cæcus accepit baculum, videre parùm cœpit: veniensque ad sanctum Suuibertum, prostratus cum gratiarum actione pedibus eius, baptizari in nomine Iesu ab eo precabatur, affirmans se aliquid videre. Mox sanctus Suuibertus, munijt signo crucis sanctæ oculos eius, & ille clarè vidit. Pagani verò hæc videntes, prouoluti pedibus eius, credentes in Christum, abrenunciatis spurcitijs idolorum, baptismum susceperunt. Cùm ergo Minimigardum venisset, & pauco tempore non paucam Christo plebem prædicando acquisisset, eamque in fide & amore Christi confirmâsset, migrauit cum suis ad Saxoniã, peruenitque in grandem vicum, dictũ Brunsuuick, ibique diebus aliquot prædicauit Christum, & conuertit multos.

Cęco crucis impressione redditur visus.

Brunsuicensibus prædicat S. Suuibertus.

Vt sanctus Suuibertus in Brunsuuick quendam paralyticum signo sanctæ Crucis sanauerit. Cap. 18.

POstquàm igitur cum suis presbyteris & clericis in Brunsuuick secessisset, nil veritus est paganorum sęuitiam, corpus, non animam, occidentium: statimq; solitum sibi opus euangelizandi exequens, multos & exemplo virtutis, & incitamento sermonis, semotis idolatrię tenebris, duxit ad verum lumen fidei. Nunquàm enim vel rarò à virtutibus quieuit. Nam quotiès à prædicatione & ministerio verbi Dei vacaret, orare, studere vel legere solebat. Erat autem in eodem vico quidã adeò à sinistro latere præpeditus, vt nec illius lateris manum aut pedem posset quoquo modo mouere, aut quicquam sinistro oculo videre. Post plurimorũ medicorum antidota atque collyria inuanùm experta, audiens à quibusdam ipsum visitantibus, de salutaribus monitis & insignibus miraculis in diuersis Vuestphaliæ pagis & locis per sanctum Suuibertum in nomine Domini Iesu veri Dei patratis, misit ad eum, efflagitans vt ipsum visitare dignaretur. Itaque sanctus Suuibertus cum suis presbyteris & magna frequentia incredulorum ipsum visitando accedens, post deuotam orationem latus eius signo crucis tetigit, viroque benedixit, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi omnipotentis Dei surge. Qui statim de grabato surgens, visum recepit, & est integrè restitutus. & multi hæc videntes, & credẽtes in Christum, baptizati sunt. Cùm ergò quotidiè prædicando multos conuerteret, & fama miraculorum & virtutũ eius per totum vicum ad laudem Dei à plerisque promulgaretur, & ad aures sacerdotum paganorum peruenisset: irati valdè, statim collegerunt populum incredulum, cum quibus venerũt ad satrapam vici, clamantes & dicentes: Ciuitas tota peribit, nisi temerarius & publicus inimicus deorum nostrorũ occidatur aut effugetur, qui per nouas magicas artes populum seducit & alienat, mentesq; eorum euertit, prædicando quendam ignotum crucifixum verum Deum, eosque separando à venerabilibus dijs. Quibus satrapa ait: Quomodò magica arte seducit homines, cùm solummodò prædicet de quodã Deo crucifixo nobis ignoto, cuius virtute & potentia, non medicaminibus & ferro, curat infirmos, sed verbo & signo illius Dei? Et quia deos multos habemus, quos omnes non cognoscimus, licèt in alijs remotis nationibus cognoscuntur, forsan hic etiam est vnus deorum. Qui si non esset Deus potens in cęlo & in terra, tam mira per ministros suos nullatenùs faceret. Et licèt dij nostri potentes sint, nunquàm tamen aliqua signa sanitatis inter nos nec alibì fecerunt, sicut iste in nomine Dei crucifixi facit. Erat autẽ satrapa consanguineus apoplectici, sanati per sanctum Suuibertum. Hæc audientes sacerdotes idolorum cum suis cęteris paganis, congregata magna multitudine gentilium, nõ solum sanctum Suuibertum cum suis, sed etiam satrapam occidere decreuerũt. Petitione igitur satrapæ sanctus Suuibertus, vale dicto satrapæ, confirmatisq; nouellis Christianis, & relicto felice Bosone, glorioso presbytero & prædicatore neophytis, nè recidiuarent, secessit per diuersas prouincias, Christum vbiquè prædicans, donèc veniret ad Boructuarios. Impossibile est tanti viri gesta per quotidianos virtutum profectus & gentilium cõuersionem euoluere, dignisque fastorum laudibus magna eius merita congruenter attollere, quæ in diuersis Germaniæ locis, pagis & prouincijs peregit.

Exercitia S. Suuiberti.

Nota vim S. Crucis.

Satrapa Brunsuuicẽsis est pro S. Suuiberto.

Vt Boructuariorum magnam partem ad fidem perduxerit Christi. Cap. 19.

CVmque ad Boructuarios venisset, scilicet anno ab incarnatione Domini septingentesimoquinto, statim salutifera verbi diuini præcepta stolidis ipsorum cordibus euangelizando tradidit, ferasque eorum mentes, tetris ignorantiæ caligi-

caliginibus cæcatas, euangelicæ prædicationis lumine perlustrauit, gloriosius apparens in verbis, & sanctus in operibus suis: ità vt à prophanis idolorum superstitionibus ad fidem Christi multos cõuertendo, in radice veræ fidei miraculorum prodigijs solidando confirmârit. Sed cùm vbiquè prædicatione sanctissimi Suuiberti multi conuersi baptizatique, Christo seruirent, & quotidiè plures ad orthodoxam fidem conuolârent, nefandissimus hortator scelerum, animarum prædo, gaudens in peius abire omne genus hominum, non posse cælos adire, satagit per suæ malignitatis fautores ipsum aut interimere, aut expellere. Cùm ergò quadam die prædicaret coram multis gentilibus, sacrilegi sacerdotes paganorum, calice Babylonis inebriati, insurrexerũt aduersùm eum, qui ipsum verberatum pugnis, retortis baculis & lapidibus à finibus ipsorum eliminare & expellere conabantur: sed ereptus industria quorundam fortium Christianorum, aliquot diebus secretè latuit, (non enim palàm ipsum trucidare audebant timore satrapæ ipsorum) non tamen cessauit à prædicatione: quin sparsit semina vitæ per agros multorum cordium, ità vt indiès multos, despectis idolis, publicè Christum confitentes baptizaret.

Multos Christo lucratur.

Sacerdotes dæmonum valdè eum affligunt.

Vt quendam dæmoniacum liberauerit, & cum multis baptizârit. Cap. 20.

ERat autem eodem tempore in quadam Boructuariorum villa, Velsenberch nomine, vir quidam diues & potens, Ethelhere dictus, obsessus à dęmonio, ferro & catenis adstrictus, eò quòd omnes mortu arriperet, & vestes proprias laceraret. Erat autem idem Ethelhere incitator aliorum, & primus, qui sanctum Suuibertum baculo impetere non formidabat. Qui cùm quotidiè dirè vexaretur, & à multis visitaretur, tandèm quadam die, præsentibus nonnullis idolorum sacerdotibus & alijs paganis ipsi condolentibus, dęmon clamare cœpit: Nisi huc veniat seruus Dei viui Suuibertus Christianorum episcopus, hinc non egrediar. Cumque magis ac magis hæc iterando clamaret, confusi abcesserunt idolatrę & amici dæmoniaci, perplexi & dubij, quidnam facerent. Denùm communi omnium deliberatione ab ipsis sanctus Suuibertus quæritur, & inuentus obnixè rogatur & inuitatur ad visitandum dæmoniacum præfatum. Igitur sanctus Suuibertus, si aterno tactus dolore, dæmoniaco compatiens, cùm iret cum suis presbyteris & clericis, essetque in via ad visitandũ eum, mox cœpit dæmoniacus spumare, dentibusque dirè stridere, & horribiliter vociferando clamare plùs solito: de quo præsentes valdè gementes mirabantur. Sed sancto Suuiberto appropinquante domui, cessauit dęmoniacus iacens in lecto, àc si somno dulciter pressus esset. Quem sanctus cernẽs, præcepit suis, vt omnes orationibus deuotè vacarent, & ipse orationi incumbens, Deum deuotissimè precabatur, vt ad laudẽ & gloriam sanctissimi nominis sui & ad conuersionem incredulorum, dęmoniacum expulso dæmone liberaret. surgensque cum suis ab oratione, signauit dęmoniacum signo salutiferæ crucis, dicẽs: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi immunde spiritus, vt exeas ab hac Dei creatura, vt agnoscat suum verum creatorem & Saluatorem. Statim cum fœtore spiritus malignus exiens, clamare cœpit: Non diù in ista permanebis prouincia serue magni Dei. Nam sicut me ab hac mea habitatione expulisti, ità expelli te faciam ex ista terra & prouincia. Ethelhere verò à dæmonio liberatus, surgens palàm, inhęrens pedibus sancti Suuiberti, veniam petens de cõmissis in eum, baptizari in nomine Iesu Christi instantissimè poposcit, in cuius nomine liberatus fuit. Similiter multi pagani cũ duobus idolorum sacerdotibus, qui præsentes fuerunt, pedibus sancti episcopi prouoluti, mysterium fidei Christianę discere & scire expetiêrunt. Quos sanctus eleuans, docebat diuinam sapientiã descendisse de cęlo ad terram, vt hominẽ, qui mortuus fuerat peccato, suo sanguine & benedicta morte in ara crucis viuificaret. Itaq; per tres continuas hebdomadas eos docens & in fide confirmans, baptizauit ex eis solũmodò quadragintaduos, exceptis paruulis vtriusque sexûs & mulieribus.

Eccè quàm solenne fuit sanctis viris ad edenda miracula, crucis adhibere signũ.

Multi sacrũ baptisma percipiunt.

De virtutibus & conuersatione sancti Suuiberti. Cap. 21.

ET licèt Boructuarij essent gens barbara, sęua & inculta, & plures deos adorarẽt, prophanis & sacrilegis sacrificijs responsa à dæmonibus exquirentes, augurijs & diuinationibus seruientes: tamen sanctus Suuibertus, condolens ipsorum miseriæ, sedula prędicatione, crebris deuotionibus & mirabili sanctitate, Deo auxiliante, eos ad agnitionem veri perduxit luminis: ità vt relictis idolorum sordibus, in Christũ credẽtes, phana, in quibus idola anteà adorare consueuerãt, proprijs manibus destruentes, ecclesias construerent, in quibus presbyteros & diaconos sibi in adiutoriũ

Destruũtur prophana idolorum templa, & Christi ecclesiæ construuntur.

per

per diuersa ecclesiarum loca ordinauit. Qui postquàm præfatū errorem in magna parte, diuina precedente gratia, miraculis & sermonibus extirpâsset, frequentabatur à populis circunquaquè positis, cateruatim ad eum confluentibus: qui eximiæ conuersationis & miraculi prefati fama excitati, videre & audire eum sitiebant. Quibus libera voce documenta insinuans euangelica, multos ex eis conuertit, quos sacro baptismatis fonte abluit & purgauit: sicque per biennium inter eos moratus, vitæ meritis & virtutum clarens exemplis, omnibus amabilis & venerabilis factus est. Fraterno deniquè amore plenus, cunctis ad salutem prodesse satagebat. ipse verò, vt omnibus omnia fieret, cunctos egenos in necessitatibus & infirmitatibus ipsorū visitauit, non solùm Christianos, quos in fide visitando & exhortando confirmauit, sed & feroces paganos, errore idolatriæ irretitos, vt eos à vano cultu dæmonum ereptos, ad fidē perduceret Christi. Itaque intra biennium cunctis barbaris sanctis moribus prælucens, duos precipuos paganos, valida febre quartana laborantes, & vnum hydropicum gentilē cum suis clericis visitans, prece sua sanatos & conuersos, ac in fide Christi confirmatos, baptizauit. Multas insupèr alias variasque virtutes inter gētiles in nomine Domini nostri Iesu Christi peregit, ac populum multum nimis melliflua sua prædicatione & benigna exhortatione solerter orthodoxæ iunxit fidei multis in locis.

Destruūtur prophana idolorum templa, & Christi ecclesiæ construuntur.

Miracula.

Vt S. Suuibertus Coloniam veniens, à præclara principe Plectrude honorificè susceptus, duobus miraculis coram ea claruerit. Cap. 22.

QVanuis autem diabolus sit mendax & pater mendacij, verum tamen sancto prædixit Suuiberto, cùm per eum expulsus esset ab obsesso. nam post biennium veniens illustris Bruno, magnus satrapa Saxonum cum nobili comitatu in prouinciam Boructuariorum, pernoctansque in vico Ratingen, ex nimia ebrietate orta dissensione magna inter ipsum & primicerium eiusdē vici de Ratingen, ex instigatione & suggestione diabolica ipsum occidit cū duobus famulis: quibus per vicum dolenter patefactis, amici & affines occisorū ad arma conuolantes, eundem nobilem satrapam ferè cum omnibus suis in vindictam trucidauerunt. Fama verò per Saxoniam increbrescente veridica, Saxones irati nimìs, intrantes potenter Boructuariorum fines, multos in ore gladij occidentes, maxima damna ipsis intulerūt, vicumq; Ratingen funditùs liuore pertinaci destruxerūt. Econtrà Boructuarij, & precipuè amici occisorum, aggregata magna potentia armigerorum, multas villas & munitiones Saxonum igne & ferro demoliti sunt. Sicque vicissim dum diù committerent magnæ depopulationis excidium, Boructuarij & præcipuè Christiani, qui à sancto Suuiberto verbum Dei receperunt, perpendentes quòd Saxonū potentiæ & insolentiæ resistere non possent, vale dicto sancto Suuiberto, & accepta ab eo benedictione, coacti migrauerunt in exteras prouincias, vt liberiùs ibidē Christo seruirent. Intereà attendens sanctus Suuibertus gloriosus pontifex, gregem suū hàc illacque dispersum, & quòd nullum fructum nullasque inducias inter vtrasque partes cum suis propter saxea Saxonū corda facere posset, exorauit assiduè Dominum, vt ei iam seni locum ostenderet, vbi habitare deberet. Tandèm angelica reuelatione admonitus, precipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum ducem & Plectrudem eius cōiugem, qui ei aptum locum permanendi cum suis condonarent. Igitur sanctus Suuibertus valefaciens Boructuarijs, cum suis presbyteris & clericis ac nonnullis Christianis, per squalida & deuia loca in magno discrimine ferocium Saxonum Coloniam vsque, Deo comitante & dirigente vias suas, peruenit. Erat autem eo tempore serenissimus Pipinus dux habitans in Ioppilia cum Alpaide pellice sua: Plectrudis verò dux eximia & deuota princeps, moram traxit Coloniæ Agrippinę in palatio ducum Agrippinensium & Lotharingorum, quod per eam mutatum & consecratum est in claustrum sanctimonialium, intitulaturque ecclesia gloriosæ virginis Mariæ ad Capitolium. Cumque ea audiuisset aduentum sancti Suuiberti, magnifici presulis, gauisa est gaudio magno. Audierat enim multotiès à pluribus celeberrimam ipsius opinionem: depositoq; fastu regalis excellentiæ, ipsum cū venerabili patre Annone Archiepiscopo Coloniēsi, honorificè & deuotè recepit, secumque aliquot diebus detinuit, ac miro semper eum humilitatis affectu coluit, vt ab eo secretioribus colloquijs salutis verba mereretur audire. Eodem tempore quidam illustris palatinus, Geraldus nomine, veniens Coloniam, missus per Pipinum ab Herstallo siue Ioppilia ad Plectrudem cum decenti militia, statìm propter borealem rigidum ventum incidit in grauē morbum inflationis gutturis, idq; adeò, vt à nullo medicorum

Ebrietas mater cædium.

S. Suuibertus ab angelo iubetur ire Coloniā.

Palatiū mutatū in templum & cœnobiū virginum.

posset



posset ei subueniri: quia nullam potionẽ recipere vel deglutire valuit. Cumque omnes lamentarentur illum, desperantes de vita ipsius, Plectrudis memor virtutum sancti Suuiberti episcopi, deuotissimè petijt ab eo, vt amore Iesu Christi dignaretur visitare nobilem palatinum iam agonizantem, & ipsum pontificali sua benedictione sanctificare, ac pro eo coram omnipotenti Deo intercedere. Sanctus verò Suuibertus, vt erat columbinæ simplicitatis & pudicæ naturæ, humiliter cum beato Vuilleico suo presbytero & ducissa ipsum accedens, præmissa deuota oratione, signauit guttur eius, & mox apostema illud diruptum, omnibus cernentibus crepuit, & horribiliter per nares & per os effluxit tabes, venenosa putredo. Et sic expulsis illis noxijs humoribus, statim sanatus fuit. De quo omnes magnificè Deum laudabant, qui meritis sui dilecti antistitis talia operari dignatus est. Erat autem in eodem palatio cocus quidam, qui obsessus à dæmonio, multùm vexabatur quotidiè ab eo: qui ad instantiam aulicorum visitatus à sancto Suuiberto, mox à graui iugo diaboli liberatus fuit. Et deincèps omnes venerabantur sanctum Suuibertum, vt virum & episcopum sanctum, videntes gratiam Dei in ipso.

Sanat Palatinum periculosè laborantem.

Item dæmoniacum.

Vt sanctus Suuibertus à Pipino Vuerdam impetrans, ibidèm monasterium construxerit. *Cap. 23.*

IGitur felix Plectrudis, religiosa ducissa, videns sanctum Suuibertum internæ mentis feruore ad cęlestia suspirare, licèt sublimata culmine terreni principatûs esset, & secum multos egregios prædicatores haberet, tamen specialiter de cælesti inquisitione à sancto Suuiberto viro Dei ædificari cupiebat. Qui cùm eam de futuri regni beatitudine, de iudicij metu & spe æternitatis familiari colloquio præmoneret, illa eũ libenter audiebat. verùm æstimari non potest, quanto principis illius animus exultârit gaudio, quòd tanti viri pręsentia gaudere, benedictione foueri, collocutione meruisset ædificari. Et nè ingrata illis beneficijs videretur, consensu & admissione venerabilis patris Annonis Archiepiscopi Coloniensis, direxit sanctum Suuibertum episcopum cum præfato Geraldo nobili Palatino de Ardenna, sanato à peste anginæ per eundem sanctũ Suuibertum, cum literis cõmendatitijs ad illustrem Pipinum principem, petens & postulãs obnixè, vt viro Dei Suuiberto donaret vicum Vuerdam in insula siue litore Rheni, vt gentili Saxonico populo illic cum suis prodesse & præesse posset. Pipinus verò senex prouectæque ætatis, honorificè sanctum suscipiens Suuibertum cum suis, aliquãto tempore secum detinuit, vt verba vitæ ab eo audiret, eò quòd pridèm à plerisque multa laude digna audierat. Tandèm vt hilaris dator, sitiens æstuanter conuersionem gentilium, volensque cultum diuinum augmentare, ex regali munificentia benignè eundem vicum ei propter profectum & firmamentum suorum principatuum donauit, addens & offerens ex copioso thesauro suo aurum & argentum multum nimis, quibus ecclesiam siue monasterium ibidèm ad honorem Dei ædificaret, & populum Barbaricum, fidei Christianæ prorsùs ignarum, verbo vitæ reficeret. Itaq; vale dicto cum nimia deuotione & gratiarum actione Pipino principi, sanctus & benedictus Suuibertus rediit Coloniam ad sanctam Plectrudem, cuius potentia & industria cum multis laboratoribus & cæmentarijs Vuerdam veniens, cœpit statim prope Rhenum fundare monasterium in honore gloriosę virginis Mariæ: ibique cum quanta humilitate, deuotione & reuerentia rudi gentili populo euangelizauerit fidem Christi, & præcipuè cum quanta puritate mentis & corporis & timore Missas celebrauerit ac diuina peregerit, difficulter possit explicari.

Pipinus largitur S. Suuiberto Vuerdenam.

Vt quendam in Vuerda à morte suscitauerit. *Cap. 24.*

ANno verò Dominicæ incarnationis septingentesimo vndecimo, cùm sanctus Suuibertus feruenter prædicãs, non solùm in Vuerda, sed & in pagis & villis vicinis enunciaret prophanis Saxonibus Euangelium Christi: contigit quadam die Martis, vt ipse extra Vuerdam diuina celebraturus, iret cum venerabili presbytero suo Vuilleico in villam vicinam, & quidam diues gentilis, Hungerus nomine, posteà cõuersus & baptizatus in festo Apostolorum Petri & Pauli, & à sancto Suuiberto appellatus Petrus, ex feruore fidei & nimia humilitate & deuotione curru aduehi curaret arenam & lapides, reliquaque tali ædificio congrua & opportuna ad monasterium sancti Suuiberti. Procurante autem omnium bonorum ęmulo diabolo, idem Petrus corruens sub carruca onusta lapidibus, efferebatur mortuus, quia penè suffocatus & per diuersa vulnera capitis extinctus fuit. De quo cùm omnes non immeritò dolerent, magnusq; cõcursus populorum ad illud miserandum spectaculum fieret gementium

tium & dolentium propter inopinatam illius mortem: cumq; exequiæ præpararentur, vt corpus Ecclesiasticæ commendaretur sepulturæ, superuenit pius pater sanctus Suuibertus cum deuoto Vuilleico suo capellano: qui cùm didicisset ex gemitu, audissetque à circunstantibus mortem illius Petri, ipse habens fiduciã magnã in Christum, præcepit vt emortuum corpus, antequàm sepeliretur, ad cellam suam deportaretur. Quod cum factum fuisset, ipse, adstante magna turba populorum, rei exitum præstolante, largiter cum multis suspirijs lachrymas fundens, flexis genibus deuotissimè orauit ad Dominũ pro resuscitatione Petri famuli monasterij. Cumq; diù preces precibus continuâsset, surgens tangendo cùm oscularetur funus, statim mortuus nõ solùm reuixit & surrexit, verùm etiam nullæ cicatrices vulnerum, nulla cõglomeratio sanguinis per totum corpus apparuerunt: de quo omnes laudabant benignitatem Christi Saluatoris. Fama huius miraculi per totam prouinciam promulgata, neophyti in fide solidati confirmãtur. Multi verò infideles ad Christum conuersi, fonte baptismatis Christo regenerati sunt. Vixit autem posteà idem Petrus sanus & incolumis vsque ad consummationem ecclesię Vuerdensis, etiam post migrationem sanctissimi patris Suuiberti.

Excitat mortuum mirabiliter.

Vt S. Suuibertus multos gentilium conuerterit, & monasterium instituerit in Vuerda. Cap. 25.

Sanctus verò Suuibertus, cuius fama & actus non solùm per Christianismum, verumetiam & per paganismum in laudem Dei prędicabantur, adiutorio primatũ & pręcipuè gloriosæ ducissę Plectrudis, aliorumq; Christi fidelium, velocissimè cœpit monasterium suum in Vuerda construere & perficere. in quo collecto agmine famulorũ Christi, cœpit euangelicis illos instruere disciplinis non rigorosis: sed docuit & instituit disciplinam vitæ regularis, quam rudes & neophyti capere & custodire possent, iuxta vocem Domini, dicentis: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. sed & ipse cum beato Vuilleico cæterisq; deuotis discipulis, sub arctiori sanctę regulæ iugo, sanctissimam & continentissimam vitam ducebat. Qui licèt gentibus, in vicino habitantibus, prædicando primò parùm vel nihil profecit in conuersione earum, eô quòd essent homines durę ceruicis & barbarę mentis, non tamen propter hoc destitit, quin indesinenter cum feruore prædicans, multos nobilium & ignobilium conuerteret ex eis: qui repudiatis sordibus idolorum, fidei sunt fonte abluti. Quibus, vt bonus pastor in populo, dispensauit, tanquàm fidelis & prudens negociator, mensuram Dominici tritici. Ipse enim spreuit mundi pompas & vanitates spe supernorum præmiorum. Et ideò maximis virtutum donis cælitùs ditatus, Deo in omnibus gratus, vt gemma fulsit in clero. Nam positus inter gentiles, illic prǽclarum opus inter gentes operatus est, Domino cooperante & sermomem eius confirmante sequentibus diuersorum miraculorum signis. Cumq; in monasterio Vuerdensi vitæ cęlestis institutio quotidianum sumeret incrementũ, contigit anno ab incarnatione Domini septingentesimo decimoquarto Pipinum de Herstallo, strenuum principem & Maiorem domûs Francorũ, dolentem super innocente morte sanctissimi Lamberti Tungrensis episcopi, ad mortẽ ęgrotare. Accersitusq; sanctus Suuibertus egregius pontifex ad visitandum eum per nobiles viros, perrexit priùs cum Vuilleico, & Theodorico discipulis suis Coloniam ad Plectrudem illustrem ducissam Lotharingię siue Austrasiorum, consilium ab ea expetens, quidnam facere deberet. Quæ cum religiosè suscipiens & tractans, tandèm retẽto Coloniæ pio Vuilleico presbytero sancti Suuiberti apud se causa deuotionis & consolationis, (erat enim felix Vuilleicus, euangelicus sacerdos) misit sanctum Suuibertum & Agilolphum Coloniensem archiepiscopum cum plerisque alijs pręlatis ad Pipinum principem, coniugem eius, ad informandum eum, si obiret, nè illustres legitimos suos filios Drogonem, Ducem Campaniæ, Grimoaldum Maiorem domûs Childeberti regis Franciæ, exhæredaret, hæredem scribendo Carolum Martellum illegitimum, ex Alpaide pellice genitum, in detrimentum & damnationem animæ suæ, & in confusionem sui & totius Ecclesiæ, atque in scandalum suorum primatum & subditorum. Et quia sanctus Lambertus Episcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, martyrium subijt. Venientes igitur præfati pontifices Ioppiliam ad ęgrotantem principem Pipinum, benignè ab eo suscepti sunt. Qui ipsum consolantes, & ad tolerantiam aduersitatum temporalium & infirmitatum corporalium confortantes, aiebant quòd Deus electis suis iter asperum facit, nè, dum delectarentur in via, obliuiscerentur eorum quæ sunt in patria. Tandèm nacto opportuno tempore & congruo,

Ad Vuerdense monasterium multi confluunt.
Matth. 11.
Mar. 16.
S. Suuibertus cũ alijs mittitur ad Pipinum.

congruo, inter cætera pro salute & remedio animæ suæ, causam, pro qua venerant, ei deuotè & salubriter pontifices exponentes, & de illicito matrimonio increpantes, statim cum indignatione repulsam patiebantur. Alpais verò legationem sanctorum pontificum sciscitans & comperiens, irata valdè, pontifices abire celeriter præcepit: & ipsa interpellās importunè pro Carolo Martello filio suo apud Pipinum, impetrauit cuncta pro eodem filio suo quæ petierat. Pipinus verò eodem anno moriens, eundem Carolum Martellum suorum principatuum reliquit hæredem. Quod cernentes præfati pontifices, inglorij & tristes Coloniam redierunt, enarrātes præclaræ Plectrudi omnia, quæ gesta erant in Ioppilia à Pipino, consolantes eam, & ad tolerantiam patientiæ animantes.

SS. Pontifices dum arguunt illicitas Pipini nuptias, repelluntur.

De vita sancti Vuilleici Confessoris, presbyteri sancti Suuiberti Episcopi, & de miraculis per ipsum perpetratis Coloniæ. Cap. 26.

S. Vuilleicus, primus Canonicus Traiectēsis.

SAnctus Vuilleicus presbyter, primus Canonicus conuentûs nouellæ Traiectensis ecclesiæ, vas virtutum, pura intentione, spe supernæ retributionis derelinquens mundum, Christo syncero corde seruire studuit. Ipse enim ab adolescentia sua cum sancto Suuiberto in orationibus & continentia ac meditatione diuinarum scripturarum vitam felicem sedulus agebat. Ipse nihil huius mundi quærere, nihil amare curabat. In diuinis scripturis sufficienter à sancto Suuiberto instructus, Latina lingua & Germana eruditus fuit. Erat enim eloquentissimus & mansuetissimus, iræ & auaritiæ victor, superbiæ simul & vanæ gloriæ contemptor, pauperum & infirmorum consolator. Ipse erga inopum prouisionem non solùm pietate mentis, sed etiā studij labore solicitus fuit. Multos etiam gentiles in diuersis prouincijs sua saluberrima prædicatione à veneno idolatriæ ad dulcorem fidei Christi perduxit. In monasterio verò Vuerdensi factus Præpositus sub sancto Suuiberto, abstinentiæ & continentiæ cæterarumq; virtutum omnibus fratribus exemplum dabat. Plures etiā & authoritate magisterij, & exemplo suæ actionis regularem instituebat ad vitā. Nec solùm ipsi monasterio regularis vitæ monita simul & exempla præbebat, sed & vulgus circumpositum, longè lateq; à stulta idolatricæ vitæ consuetudine, ad Christi & cælestium gaudiorum curabat conuertere amorem. Et quidem cuius meriti fuerit, etiam miraculi signo internus arbiter edocuit. Eodem enim tempore, quo præfati pōtifices sacri ad Pipinum ægrotantem legatione fungebantur, & ipse venerabilis pater Vuilleicus, ad instantiam gloriosæ & deuotæ Plectrudis, Coloniæ manebat: ægrotabat quidam primarius Coloniensis, Gotebaldus nomine, acerrima ægritudine pressus, ità vt deficiente penitùs omnium membrorum officio, iam mortuus esse videretur: cui iam funebria iusta præparata erāt, & loculus, in quo defunctus condi deberet. Maria verò coniunx eius, precibus & lachrymis interpellās gloriosam principē Plectrudem, impetrauit vt infirmus à beato Vuilleico presbytero sancti Suuiberti, visitari deberet. Credidit verò, quòd bonus discipulus à bono magistro educatus, si intraret domum eius oraturus pro eo, manumque imponeret illi atq; benediceret, statim meliùs haberet. Intrauit ergò sanctus Vuilleicus cum deuota familia felicis Plectrudis domum ægroti, post diuinorum celebrationem: vidensq; eum, mœstis omnibus, iam morti proximum, ac loculum ante cubiculum, in quo sepeliendus poni deberet, prosternens se in oratione, cùm orâsset diù cum lachrymis, surgens dixit: Domine Iesu Christe, clementissime Deus, qui dixisti discipulis tuis: Super ægros manus imponent, & benè habebunt: ostende hîc pietatem tuam, & cura infirmum hunc potenti tua virtute, vt nomen sanctum tuum benedictū in secula, magnificetur ab omnibus. Cumque hæc dixisset, imposuit manum suam super caput, benedixitque eum ter, continuoq; surrexit, & veterno infirmitatis discusso, induit se ipse vestimentis suis. Egressusque cubiculum cum sancto Vuilleico, iussit mensam præparari, cibos apponi, & conuiuium instrui, quia delectaretur cum sancto Vuilleico manducare & bibere. Cùm verò omnes multùm gauderent de sospitate illius, sanctus Vuilleicus cum gratiarum actione deuotè orationibus incubuit, donèc potiùs raptus quàm vocatus, inter eos resedisset. Gotebaldus verò prope sanctum Vuilleicum assidens, vescebatur, bibebat, lætabaturq; quasi vnus è cōuiuis, ac gratias agebat, & multis pòst vixit annis. Plectrudis verò religiosa Domina hæc audiens, maximo deincèps sanctum Vuilleicum habuit in honore. Deum, qui mirabilia magna solus facit, collaudans. Præfuit autem sanctus Vuilleicus monasterio Vuerdensi annis decem post decessum sanctissimi præsulis Suuiberti, & mortuus est anno Dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimoseptimo, sexto Nonas Martij.

Itē Præpositus Vuerdensis.

Mar. 16.

Restituit sanitati hominem propè mortuū.

Martij. Ad cuius sepulcrum, ad indicium virtutis illius, solent crebra sanitatum miracula fieri.

De obitu sancti Suuiberti Episcopi. Cap. 27.

REdeuntibus à Ioppilia & à Pipino gloriosis pōtificibus Agilolpho Coloniensi & Suuiberto Vuerdensi, sanctus Suuibertus, delectatus in Domino super salutari gratia, à Deo per Vuilleicum presbyterū suum Coloniç patrata, salutata & licentia impetrata à pia matrona Plectrude, redijt Vuerdam cū suis discipulis: Ibiq; per triennium sanctissimè viuens, perfecit opera, quæ Deus posuit prodigia super terram, miraculis coruscando, atque vt vox tonitrui in rota, prophanis Christum euangelizando, idolatriam libera voce damnando, multas gentes paganas sacro fonte baptismatis Christo regenerauit. Tandèm Deus, qui est suorum fideliū merces magna nimis, qui & per carnis mortē viuos Ecclesiç lapides de terrenis sedibus ad cæleste trāsfert ædificium, sanctum Suuibertum, strenuum fidei pugilem, coronandum in cælis de terrenis euocare dignatus est. Igitur anno à natiuitate Domini septingētesimo decimoseptimo sanctus Suuibertus, omnium virtutum charismatis plenus, ex omnibus animi medulis videndi Deū desiderio flagrans, cùm in festo principis Apostolorum sancti Petri ad Cathedram, in suo monasterio diuina celebrâsset, mox languore eum inuadente lecto decubuit. Languore itaq; per momenta temporum ingrauescente, conuocās fratrum suorum collegium ferè viginti, primò admonuit eos, vt vestigia Christi sequerentur, & vt virtutē dilectionis & pacis adinuicèm & in omnes domesticos Dei seruarent. Instituta quoquè disciplinæ regularis, quæ ab eo didicissent & in ipso vidissent, indefessa fide custodirent. Deindè subiunxit, diem sui obitûs in proximo instare. Quod audiētes fratres circunstantes, mœrore perculsi, flere cœperunt. Quibus sanctus pontifex dixit: Nolite dilectissimi flere, magìs autem gaudete. iam enim sanctorum laborum meorum gloriosissimum recipiam fructū & præmium. Recessui fragilitatis meæ debitum charitatis impendite, & orationibus protegite. Quo dicto, ipse in Domino gaudens, informabat eos de contemptu mundi & appetitu regni cælestis, & vt exitū suum, cuius hora incerta est, vigilijs, orationibus, bonisque operibus præuenire meminerint. Cumque hæc & his similia plura loqueretur, illi accepta benedictione iussu ipsius tristes ad ecclesiam exiērunt. Retinuit autem secum sanctum Vuilleicum, cum quo diuina meditans, Deum corde deuotissimo inuocabat. Appropinquāte deniquè die obitûs siue dormitionis suæ, quam præsciuit angelico ministerio, conuocans fratrū suorum præfatorum felicem cateruam, celebrari sibi sacra fecit Missarum solēnia. Deindè perceptione corporis Dominici se muniens, ac sanctæ Crucis vexillo se cunctosque circunstātes signans, in mortis quiete dormiens, transijt feliciter de mundo, & ab angelicis choris anima eius sancta in consortio sanctorū & felicitatis perpetuç in perpetuum collocanda suscepta est. Statimq; facies eius, vt glorificata, lucens splenduit. Cella verò eius vt apotheca redoluit, omniumq; ora & pectora fragrantia suauitatis repleuit. Defunctus est autem sanctissimus Suuibertus Vuerdensis episcopus anno ætatis suæ sexagesimonono, Calend. Martij, feria sexta, hora 12. qua hora Saluator mundi morte sua nos viuificans, ianuam regni cælestis reserauit, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Coruscat miraculis S. Suuibertus, & multos conuertit.

Adhortatio eius extrema ad suos.

Munit se Eucharistia, signoque Crucis, & migrat è corpore.

De sepultura sancti Suuiberti, ac miraculis quibusdam à Deo per ipsum factis. Cap. 28.

TAndèm sanctissimum corpus, gementibus cunctis fratribus, deuotè per Vuilleicum, Theodoricum, Gerardū, aliosque principales suos discipulos portatum fuit, positumq; in medio ecclesiæ, in honorato feretro, vt exequiæ ipsius sabbato celebrarentur. Confluebant autē multi homines ex diuersis pagis & villis, flentes & dolentes, & præcipuè pauperes, frustrati decęterò largis eleemosynis, quas ab ipso piè pro amore Christi receperant. Inter quos adductus fuit quidā vir dæmoniacus, grauiter obsessus: qui postquàm tetigisset feretrum, super quod sanctum corpus iacuerat, cunctis cernentibus statìm à dæmone liberatus fuit, laudabatque Dominum & dilectum famulum eius sanctum Suuibertum. Reliquus verò populus vocem eleuans, clamore magno benedicebat Dominum, qui tam magna fecit ad declarandum merita famuli sui dilecti Suuiberti, præsulis sancti. Anima verò eius in hora exitûs sui apparuit cum magna luce & gaudio sancto Vuillebrordo Episcopo Traiectensi, dilecto cōsocio suo, tunc redeunti de Epternaco Veronam, petens & admonens, vt suis exequijs in

Dæmoniacus tactu feretri curatur.

Vuerda cum suis interesset, & eum sepulturæ commendaret. Quod cùm nobis, scilicet suis discipulis & ministris, dolens intimâsset, statìm celeri nauigio Vuerdam vsque perrexit. Affuit & illustris spiritualis filia sua, felix Plectrudis cum aliquot Prælatis ecclesiarum, benedicens Deum in meritis sui sancti confessoris & pontificis Suuiberti. Cumq; sanctus Vuillebrordus & felix principissa cum fratribus sabbato vigilias defunctorum (vt moris est) decantarent, eccè adducunt quendam adolescẽtem, cæcum ex tonitruo & fulgore coruscationum effectum, vt multis illic præsentibus constabat. Qui interrumpens immodestè canticum mœroris vigiliarum, clamando obnixè, & deuotè pro suî illuminatione sanctum inuocando, cùm tetigisset feretrum, statim omnibus videntibus & stupentibus visum recepit. Prætereà furiosus quidam similiter adductus, cùm deuotè oscularetur tegmen feretri, protinùs sanatus fuit. Mox clamor omnium attollitur in laudem Dei, vigiliç dimittuntur, & omnes glorificabant Deum, qui tanta mirabilia meritis sui sanctissimi confessoris & Episcopi dignatus est operari. Igitur Dominica die, expletis deuotè & solenniter exequijs, in eodem monasterio Vuerdensi, in quo degens, Christo feruenter & feliciter seruierat, honore condigno cum hymnis & laudibus deuotè & reuerẽter sepeliebatur per sanctum Vuillebrordum Archiepiscopum Traiectensem, & sanctum Vuilleicum presbyterum, & gloriosam Plectrudem Austrasiorum principissam, cæterosque fratres & discipulos suos.

Item cæcus visum recuperat, & furiosus redit ad sanitatẽ.

De miraculis sanctißimi Suuiberti Episcopi Vuerdensis & confessoris. Cap. 29.

VErùm quia ego Marcellinus presbyter, qui hanc historiam conscripsi, dudùm discipulus & consocius sancti Suuiberti Episcopi, exequijs eius vnà cum S. Vuillebrordo interfui, & ad instantiã dilectorum, Vuilleici, Gerardi & Theodorici, cæterorumq; fratrum, causa consolationis per quindenã in monasterio Vuerdẽsi mansimus, pauca de multis, quæ oculis meis vidi, proferam miraculorum testimonia, quæ etiã multorum aliorum sunt oculis conspecta, vt meritò possit, immò & debeat veraciter credi, quòd magnus sit coram Deo, atq; mirabilis sit eius gloria in cælis, quẽ tot fulgoris radijs elucere facit in terris. Nam post migrationem in loco sepulturæ suç infirmos curare nõ desinit, qui semper, dum viueret, infirmis & pauperibus subuenire & cõsulere consueuerat, & egenis opẽ ferre non cessabat. Nam post dormitionẽ eius contigit feria sexta sequenti, vt quidam gentilis paterfamiliâs, dictus Hathagerus de Coesveldia, fidei prorsùs ignarus, lõgo paralysis & calculi morbo grauatus, ac acerrimo dolore detentus, quotidiè valdè torqueretur. Cumq; familiares & domestici domûs acerba & intolerabili ipsius infirmitate dolerẽt, superuenit quidam Christianus, natus prope Vuerdã, nomine Henricus. Qui cùm huiuscemodi infirmitatis tædio ineffabili ipsum torqueri cerneret, condoluit ei. Erat enim consanguineus eius percipiens deniquè idem Christianus, nullum releuamen Hathagerum sentire ex medela & cura peritorum, quanuìs medici cum appositis pigmentorum fomentis & liquaminibus emollire niterẽtur, inspiratione diuina dixit Christianus: Hathagere dilecte cognate, audi salubre consilium meum. Non enim diffido, si constanti animo reiectis damnatis dijs, qui nec se, nec aliquẽ iuuare queunt, crederes in Deum verum, Saluatorem tuum, Dominum nostrum Iesum Christũ crucifixum, permitteresq; te vehi in Vuerdam, & visitares ibidèm cum fide & deuotione locũ habitationis sepulturæ sancti Suuiberti Episcopi Christianorum, Dominica proxima elapsa illic sepulti, qui ex benignitate & bonitate Dei facit quotidiè varia & valida miracula, quæ nunquàm sunt audita, super egenos & infirmos, proculdubiò semota omni infirmitate tua cõualesces. Quo audito, quidam pagani ipsum delirare arbitrantes, spreuerunt cõsilium eius: alij asseruerũt, impossibile esse, mortuum viuenti posse sanitatem præstare. Et sic verbis illius Christiani nullatenùs fidem accõmodauerunt. Sed ingrauescente indiès ęgritudine, Hathagerus saniori vsus consilio, intrinsecùs compunctus ad informationem Henrici cognati sui, spopondit Deo, fore se Christianum spretis idolis, modò in Vuerda consequi possit salutẽ. Igitur ipsum carro imponẽtes, sequente vxore cum familia, & aliquibus cognatis, ipsum Vuerdam cũ oblationibus condignis duxerunt, comitãte Henrico Christiano, & in fide ipsum confirmante in via. Vuerdã itaque intrantes in die Martis, Hathagerus mox anhelans ad sanitatem, se ad sepulcrum sanctissimi põtificis Suuiberti duci petijt. Ibiq; ante corpus sancti se prosternẽs, pura fide & intentione supplex diuinã pietatem rogauit,

Multa miracula sunt ad S. Suuiberti monumentum.

rogauit, vt meritis sancti sui, dilecti confessoris Suuiberti, pristinā recuperaret sanitatem. Itaque cùm deuotè sanctum inuocâsset Suuibertum, cunctis adstantibus, inter preces velut in soporem solutus dormiens, vidit, vt posteà referre solitus erat, quòd quidam in habitu pontificali, gerens figuram crucis in manu dextra, ipsum accessit: eaq; ter ipsum benedicens, omninò sanauit. Mox euigilans, sanissimus surrexit, atque pro adepta sanitate repēdit humilimè Deo & sancto eius Suuiberto gratias, & quid erga se sanctus Suuibertus Episcopus egerit, omnibus gaudens & deuotè explicando patefecit. Cunctisque gaudentibus, & Deum & sanctum Suuibertum laudātibus, ex suggestione Henrici supradicti, & præcipuè ex informatione sancti Vuillebrordi, vt spopōdit, sacramenta fidei & baptismatis cum omnibus ipsum comitantibus per sanctum suscepit Vuilleicum. Vocatusque fuit, ob memoriam miraculi, Hathagerus in baptismo Suuibertus. Quo patefacto & diffamato longè lateque miraculo, multi per dies locum sepulturæ eius frequētare, & sanitatum ibì gratiam capere tum sibi, tum suis cœperunt. Optatam nanque ibì, nobis præsentibus, recepit sospitatem multitudo languentium. Paralyticus sanatur. Multi visitāt sepulcrum S. Suuiberti.

De curatione cæcorum Susati. Cap. 30.

ADolescens quidam natus Vuerdæ, Suuederus nomine, veniens anno Domini septingentesimo decimooctauo in ciuitatem gentilium, Susatum nomine, hospitabatur in domo cuiusdam pessimi pagani, in qua prandebant Vuestphali multi malitiosi, inter quos & residebat prandens idem Suuederus. Inter eos tandèm orta fabulatione de generositate & potentia deorum, & impotentia Christi, Dei Christianorum, idē Suuederus placidè enarrauit paganis virtutes & miracula, quæ Dominus meritis sancti Suuiberti declarauit, & quotidiè declarat in Vuerda. Gentiles verò ebrij, comperientes Suuederū Christianum, irati valdè & surgentes cum furore, ipsum capiunt, & inter multa verbera & ludibria linguam eius præscindunt, arbitrātes per hoc obsequium magnum se præstare dijs suis. Quo facto, redeūtes hilariter ad prandium, cùm multa probrosa conuicia in Christum & sanctū eius iactâssent, statim omnes cæci effecti sunt: panes etiam & frusta panum in lapides conuersi & mutati sunt. Suuederus verò, vt inimicus deorum, extra hospitium tractus, & in publica platea tanquàm fœtidum animal proiectus, volutatusque in proprio sanguine, orauit corde beatū Suuibertum, dicens: O sanctissime confessor Suuiberte, si tantæ virtutis es & potestatis coram Deo, vt nobis dicitur, ede tale signum ex tua benigna misericordia & gratia in corda istorum pessimorum paganorum, Deo & tibi detrahentium, vt à sua duritia & malitia conuertantur. Statimque pagani commoti, ad cor redeuntes, & agnoscentes, quia vindex manus Christianorum Dei tetigit eos, cœperunt dolere & sanctum inuocare Suuibertum pro auxilio habendo, terribilibus vocibus clamātes & petentes præfatum Christianum, ignominiosè ab eis tractatum introduci, vt ab eo veniam de commissis peterēt, & cum satisfactione condigna ad honorem Dei & sancti Suuiberti placarent. Sed nemo eis intendebat, discurrentibus familiaribus seruis & ancillis præ nimio terrore extra domum. Hospes verò, capitaneus blasphemator Dei, non solùm corpore, sed & mente cæcatus, ex nimia vesania & grandi dolore insaniens, cœpit deos blasphemare & omnibus maledicere. Quo miraculo ex clamoribus cæcorum patefacto, concurrunt non solùm vicini, stupentes & mirantes de tam insolito signo, sed & ferè tota ciuitas. Qui videntes illud grande spectaculum, tam mirabile, quàm miserabile: pro diuersitate hominum, diuersis quoquè modis mussitabant, tandèm circa crepusculum, amici prophani hospitis Suuederum Christianum piè ex luto tollentes, ad viros diuinitùs cæcatos deportârunt. Quem cæci lupi, iam agni effecti, præsentem agnoscentes, protinùs in terram prostrati, lachrymis vberrimis & mœstis vocibus de commissis in eum veniam precabantur. ipse verò eleuans eos pro viribus suis, dolēs de temeritate ipsorum, potiùs tamen gaudens de districta animaduersione & cæcatione ipsorū, vt cognoscerēt virtutem Dei, indulsit piè eis, declarando eis signis, nutibus & scriptis, vt relictis idolis, secum omnes in Vuerdam ad sanctum Suuibertum peregrè properarent, vbì omnes proculdubiò meritis eius pristinum visum reciperent. Erant autem numero septem, qui cæcati fuerāt. Altera verò die omnes duobus curribus impositi, comitantibus vxore & consanguineis hospitis, Vuerdam vsque properant, afferentes secum panes in lapides mutatos. Cumque omnes ad sepulcrum sancti Suuiberti starent, adolescēs Suuederus, licèt verbis non posset, corde tamen toto beatissimum Suuibertum Episcopum inuocauit, dicendo intra se: O beatissime Suuiberte, tu multos in tribulationibus & Suuederus malè mulctatur ab ethnicis. Ethnici cæci fiunt. Resipiscunt & S. Suuiberti opem implorant. Inuocatur S. Suuibertus.

necessitatibus adiuuisti: tu scis, quia amore Domini nostri Iesu Christi ista pertuli. Te ergò gloriose præsul Suuiberte inuoco, & totis visceribus cordis mei tuum auxilium humiliter lachrymando imploro, vt si merita tua accepta fuerũt coram Deo, mihi subuenire ad gloriam Dei nè differas. Qui vix talem meditationem compleuerat, & ecce sanctus Suuibertus statim pyxidem plenam vnguento in manibus portans, affuit, dicens: Amice, vocâsti me. ecce adsum. Deindè os illius vngens, dixit: Dominus Iesus, qui tetigit linguam muti, dicens: Epheta, quod est, Adaperire: det tibi loquelam tuam, in cuius nomine dico tibi, loquere & da laudem Deo creatori tuo. Qui statim deuotissimè sonora voce benedixit Deum & sanctum Suuibertum, egregium pótificem. Cæci verò audientes adolescentem, loquentem, & sanctum Suuibertũ pro recuperatione amissæ loquelę laudantem, maiorem amplectentes fiduciã in Christum & sanctum eius, corde toto implorant eius auxilium, atque visum omnibus amicis adstantibus recipiunt: panes verò in signum miraculi ante eius sepulcrum obtulerunt, & ipsi ibidèm per triduũ perseuerantes, in fide imbuti, baptismum susceperunt. Redeuntes itaque, multos paganos Susati exemplo illius signi ad Christi fidem traxerunt.

Mat. 7.

Mutus loquitur.

Cæci vidét.

De quatuor viris, morbo anginæ laborantibus. *Cap.* 31.

EOdem anno quatuor viri diuersis temporibus vsque ad mortem morbo anginæ laborantes, ad sepulcrum eius dolorosè adducti cum oblationibus, sani & gaudentes ad propria cum gratiarum actionibus in laudem Dei redièrunt.

De curatione Episcopi Coloniensis. *Cap.* 32.

POsteà verò tempore Pipini regis Francorum, filij Caroli Martelli principis, Hildegerus Archiepiscopus Coloniensis, qui mediante Rangefredo, sancto successerat Agilolpho, cùm quadam die cum eodem Pipino in expeditione contra perfidos Saxones profectus fuisset, corruens armatus de caballo suo super quandam rupem, fractis scapulis & vno brachio cum tempore capitis, semimortuus portabatur ad tentorium. nocte verò sequenti apparens ei sanctus Suuibertus in visu, præcepit vt sepulcrum eius in Vuerda visitaret, & integram sanitatem recuperaret. Episcopus protinùs expergesfactus, pręcepit sine dilatione ipsum vehi ad sanctum Suuibertum in Vuerda. Illucque veniens, cum deuotione sanctum inuocans; statim potẽti medicamine sanatus est: Ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat Deus per infinita seculorum secula, Amen.

S. Agilolphus inuocat S. Suuibertum.

Hucusquè vita S. Suuiberti per Marcellinum presbyterum : sequuntur nunc quædam de illius in diuos relatione & miraculis post obitum, & alijs nonnullis, authore S. Ludgero primo Monasteriensi Episcopo : cuius vita habetur infrà 26. Martij. Claruit autem sub Carolo Magno.

EPISTOLA RIXFRIDI TRAIECTENSIS EPISCOPI, AD S. LVDGERVM MONASTE-*riensem Episcopum.*

IsRixfridus fuit 7. Episcopus Traiectensis.

DIlecto patri & confratri Ludgero, sanctæ Monasteriensis ecclesiæ Episcopo, Rixfridus sanctæ Traiectensis ecclesiæ indignus sacerdos & Episcopus. Gratia Dei cum incremẽto virtutum & profectu salutis. Cùm apud nos in nostro conuentu Frisiæ in vico Dockem, in quo beatus Bonifacius, secũdus Traiectẽsis Ecclesiæ Archiepiscopus, vt tibi peroptimè constat, cum quinquaginta vno fratribus martyrium pertulit, habeamus & reuerẽter possideamus libellum, continẽtem gesta & Legendam sanctissimi Suuiberti Episcopi, consocij & coëpiscopi sancti Vuillebrordi, editam mãdato & authoritate Apostolica sancti Patris Gregorij, Episcopi Traiectensis Ecclesiæ, à sancto Marcellino presbytero, consodali & confratre sanctorum Vuillebrordi & Suuiberti cæterorumque confratrum : quem librum gloriosus Albricus siue Albertus, quartus Traiectensis Pontifex, natione Anglicus Eboracensis diœcesis, & consanguineus sancti Suuiberti episcopi, in eodem conuentu honore debito custodiri & seruari

S. Bonifacius 2. Episcopus Traiectensis.

Albertus 4. Episcopus Traiectẽsis.

& seruari decreuit, voluit & præcepit, diligenter postulans à suo successore Theodardo Episcopo Traiectensi, vt vbi catalogo sanctorum confessorum ascriberetur, impetrando procuraret ab authentica & probata persona in scripta redigi modū & ordinē eleuationis & canonizationis eius, vt insereretur & adderetur prædicto libro sanctissimæ vitæ suæ editæ & exaratæ à præfato Marcellino presbytero. Qui Theodardus, quintus Traiectensis Episcopus, ipsum ab Harmacaro successore suo, desiderio magno exoptauit. Harmacarus verò, similiter natione Anglicus ex regno Humbrano, & Eboracensis diœcesis, à me, vtpote à suo successore, & à cæteris confratribus conuentûs Traiectēsis requisiuit & postulauit hoc ipsum. Ego verò promissionis meæ & desideriorum meorum prædecessorum pontificum Traiectensis Ecclesiæ memor, audiens ipsum sanctum Suuibertum iam nuper, scilicet secundo Nonas Septembris solenniter à sanctissimo Papa Leone in præsentia serenissimi Caroli Magni, Romanorū Imperatoris, cæterorumque multorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, procerum & primatum, canonizatum, ossaque eius sacrosancta propter crebra miracula sua eleuata, & in arcam siue capsulam, auro & argento comptè ornatam, decenter collata, cunctisque Christicolis adoranda & veneranda exposita, vt intercessione & suffragio ipsius à malis omnibus erui & liberari mererentur. Et meritò, quia omnipotens singularis vitæ eius excellentiā, non solùm dū viueret, multis magnisq; miraculis approbauit: verumetiam post felicem transitum ipsius ipsum secum regnare in cælis, certis coruscātibus crebrisque signis & prodigijs quotidiè manifestat & declarat: quorum quædam à dignissimis probatisque testibus, fratribus nostri conuentûs, qui interfuerunt & viderunt, audiuimus: de quibus omnes laudantes bonitatē Saluatoris nostri, congratulamur in nostro conuentu. Proptereà solicitus sum, vt veraci stylo ab authentica persona conscribātur prædicta, nè aliqua immisceantur ficta, vel apocrypha ex pietate, sed planè & debitè, vt res ipsa in veritate sē habuerit. Ego verò sciens, quòd in confinio tuæ parochiæ requiescit, & zelum legis Dei habes, & excellentia diuinarum scripturarum in tua anima viget & floret: idcircò egregie pontifex Ludgere, mi dilectissime confrater, admonitione & exhortatione fratrum conuentûs Traiectensis, & præcipuè fratrum in Dockem, ad tuam fraternam dilectionem fidissimū habeo accessum, piè efflagitans, vt ordinem modumque eleuationis & canonizationis ipsius, & qui interfuerit, amore Albrici Episcopi Traiectensis ecclesiæ consanguinei supradicti sanctissimi Suuiberti Episcopi, qui te ad Minimigardum priùs, nunc verò Monasterium dictum direxit Episcopum, ad confirmandum neophytos, in scripta probato stylo redigere digneris, vt illa addātur libro, de vita ipsius exarato & conscripto. Et non solùm ordinem siue modum suæ eleuationis & canonizationis, sed & quedam miracula, quæ post felicem eius transitum Dominus noster Iesus Christus dignatus est ostendere & patrare, meritis & intercessionibus ipsius in Vuerda vel propè, & adhuc quotidiè declarat, nè ea, quæ gratia Dei fiunt in tempore, simul cum tempore labantur, sed perpetuentur scriptis ad decus Ecclesiæ, vt pia eius intercessione pontificale tuum ministerium & cuncta opera tua in præsenti salubriter prosperentur, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeas

Theodardus 5. Harmacarus 6. Quandò S. Suuibertus sit catalogo sanctorū adscriptus. Adoranda, id est, veneranda. Intercessio Sanctorum.

EPISTOLA S. LVDGERI AD RIXFRIDVM TRAIECTENSEM EPISCOPVM.

VEnerabili confratri & gentiū predicatori eximio, Rixfrido Traiectēsis Ecclesię Episcopo, Ludgerus seruus Iesu Christi, Salutē & omne bonū. Postulas à me, dilecte pater, rem quidem opere nō difficilē, sed opere veritatis pręsumptuosam: dū expauesco & tremisco aliquid addere ad cōplementum illius libri, editi & conscripti à tam excellenti gentiliū prædicatore, egregio presbytero sancto Marcellino: qui vtiquè vltra septuaginta annos euangelizando feruēter Christum, præfuit paganis & gentilibus, magnā partem Frisiæ conuertendo. Qui proculdubiò sacerdos erat magnarum virtutū, prophetici que spiritûs plenus, vt tu nôsti, qui & Frisonibus verba vitæ, monita virtutum simul & exempla præbebat, & ad cęlestium gaudiorū curabat conuertere amorem. Sed eo propter suam imbecillitatem, decrepitamque ætatem ex Frisia ad conuentū Traiectensem per præfatū sanctum Gregorium Episcopum

Eximia laus Marcellini presbyteri.

reuocato, multi prope Aldenseel in Frisia, & in confinibus eius, neglectis sacramentis fidei, quibus erant feliciter ab ipso imbuti, ad erratica idolorũ phana & phylacteria dæmoniacæ artis se contulerunt. Ad quorum errorem corrigendum, ipse à quibusdam incolis Christianis eiusdem prouinciæ, vt celeriter rediret ad illos perfidos, humiliter requisitus, & ab eodem sancto Gregorio Episcopo ad illos missus & directus, eos sua fructifera prædicatione ad viam veritatis denuò reuocauit cum Gerardo, Onone & Adalgero, alijsque: qui in vico Dockem publicè coram Haddone * Thrauburgo, Henrico, Gerardo, Onone & Adalgero alijsque fratribus, prædixit & prænunciauit Episcopatûs honore me sublimandum, & populis rudibus verba vitæ ministraturum. Quæ omnia sortita sunt effectum, vt inpræsentiarùm cernis. Præterea cùm currum ascenderet ad eundum in Aldenseel, omnibus fermè fratribus conuentûs Traiectẽsis mecum ipsum ad currum comitantibus, & propter suum recessũ piè mœrentibus, eccè obuiàm habuit ante portas monasterij Traiectensis duos viros, squalida lepra infectos, ligneo crepitaculo eleemosynas petentes: quos vt vidit, confisus in Domino, fusa tacitus prece ad Dominum, calicem sibi ad potandum porrectum benedicens, & illis leprosis mittens, propter confirmationem neophytorum adstantium præcepit ex eodem calice eos bibere. Qui bibentes, statim mundati sunt, nobis omnibus adstantibus & stupentibus de tam insolito miraculo. Ipse verò Deo gratias referens, salutatisque singulatim piè fratribus mœrentibus recedens, apud Aldenseel aliquot annos degens, Christumque deuotè annuncians, ac multis alijs miraculorum signis effulgens, ibidèm in Aldenseel feliciter in Domino requieuit. Attamen quia opera Dei, quæ in hominibus per sanctos Dei fiunt, non silentio tegere, sed prædicare decet: quia gloria & honor Dei est, merita & virtutes sanctorum enarrare, easque scriptis commendare: quæ quo latiùs propagantur, eo boni in Domino magìs gloriantur & mali erubescũt: quia omnipotẽs Deus, qui facit mirabilia magna solus, per intercessiones & merita sanctorum, quos in terris celebritate congrua veneramur, mirabili dignatione imperfectum nostrum suppleri prouidit: vt quod nostris meritis implere nõ valemus, eorũ suffragijs assequamur. Insupèr licèt nihil nouæ perfectionis vel gloriæ sanctis accrescat, si honorantur & inuocantur à Christi fidelibus, ac felicia ipsorum gesta conscribantur, eò quòd humana laude (quorum laus Christus est) nullo modo egeant: tamen licèt prę grandi senio lecto frequẽter incumbo, sępedictam optatam eleuationem corporis sancti Suuiberti & celeberrimam canonizationẽ, vt sub testimonio spiritûs sancti à deuoto patre Theodorico Syburch, Priore conuentûs sanctissimi Suuiberti Episcopi in Vuerda, & ab illis, qui viderunt eleuationem sancti corporis eius, atq; canonizationi eius corporaliter interfuerũt, qui hodieque viuunt, in veritate didici, & quam relatu veracissimo mihi deuotẽ retulerunt, & cætera, quæ de eodem sancto Episcopo patrata constant ad gloriam Dei & decus Ecclesiæ, & ad laudem & honorem sanctissimi Suuiberti Apostolici Episcopi, & ad profectum fidelium contexere scriptis exordiar, confisus patrocinijs & meritis ipsius sancti Suuiberti, victus instãtia tua fratrumque tuorum. Non enim fucis verborum veritatem obducam, sed breuiter strictimque incedam: vt si sermo rudis offendat, breuitas ad legendum prouocet. Precor igitur orationibus tuis fratrumque tuorum mihi subuenire studeas, vt ad honorem Dei ea, quæ dixi, ità conscribere valeam, vt salus & deuotio credentium indè augeatur. Saluta mihi in vinculo charitatis omnes fratres conuentûs tui, & præcipuè dilectum consanguinem meum nobilem Lambertum de Lemegauuen.

Frisios apostatas ad fidem reuocat Marcellinus.

* Chiarburgo,

Duos leprosos sanat.

Multis claret miraculis & moritur in Aldenseel.

Vt Pipinus dux castrum in Vuerda construxerit, & meritis sancti Suuiberti victoriam contra paganos obtinuerit. Cap. I.

IGitur anno tricesimotertio post celebrem transitum sanctissimi Suuiberti, gloriosi Episcopi & confessoris, anno scilicet à natiuitate Domini septingentesimo quadragesimooctauo, illustrissimus & Christianissimus princeps Pipinus, filius Caroli Martelli, Maior domûs Franciæ, qui fuit dux Agrippinensis, Austriæ, Thuringiæ & Burgundiæ prouinciæ, & totius Lotharingiæ, antequàm fuit coronatus Francorũ Rex, debellans potenter perfidos Saxones & Vuestphalos, simul & Angarios: Inter cætera pietatis sua salubria opera, allectus fama sanctitatis & miraculorum gloria sancti Suuiberti Episcopi, eò quòd ad sepulcrum ipsius infirmi sanabantur, cæci visum, claudi gressum, febricitantes incolumitatem impetrabant, munitionem castri in eadem villa Vuerda, in qua sanctum eius corpus requiescit, celeri opere prope ecclesiam

Pipinus oppugnat Saxones.

ecclesiam eiusdem sancti Suuiberti fecit propter defensionem ecclesiæ eiusdem sancti, & deuotorum fratrum ibidem Deo militantium munitionem. Qua nobiliter constructa & firmata, contigit vt idem egregius princeps Pipinus anno sequenti, anno scilicet Domini septingentesimo quadragesimonono, Saxones & Vuestphalos debellans, potitusque victoria cum triumpho, cum suo exercitu multùm lasso ad Coloniam Agrippinam reditum maturaret. Vuestphali verò, dolentes, Christianos eis dominari, licet, Deo auxiliante, triumphali gladio ipsius Pipini victi, profligati & prostrati succubuissent: indignati valdè, exercitum fortem nimis festinanter denuò congregantes, per compendia itinerum & deuia exercitum Christianorum præuenientes, positis insidijs, multùm hostiliter & callidè prope Vuerdam Pipinum cum suis Christicolis animosè inuadere, & bellum rursùs instaurare & committere decreuerunt. Quod inclytus princeps, per suos exploratores percipiens, primò parùm doluit, tum propter lassitudinem exercitûs sui, tum propter defunctos & sauciatos, fiduciam tamen firmam habens in Deum, recordatusque miraculorū sanctissimi Suuiberti, descendens de caballo suo, prostratus in terram, flexis genibus sanctum Suuibertum deuota mente inuocans, & auxilium & patrocinium implorans, vouit Deo & ipsi S. Suuiberto, quòd si is pro honore nominis Christiani à Christo sibi & exercitui suo suis meritis & precibus victoriam contra paganos impetraret, & Christianum populum protegeret, vt sanum indè reduceret, ipsum in Vuerda cum suis primatibus suppliciter peregrè visitaret. Quo emisso voto, statim lux immensa super exercitum Christianorum splendens, non solùm paganos exterruit, sed & ferè excæcauit, pauorque ingens eos inuasit. Quod cernentes pagani, timore valido perculsi, formidantes manum potentis Dei Christianorum super eos sæuire, cælumque super eos ruere, consilio celeriter inito, miserunt duos satrapas ad Pipinum, petentes quæ sunt pacis, eique se subdentes, ac referentes constanti animo quæ viderant & eis contigerant. Pipinus verò cùm hoc audisset, intelligens hoc meritis sancti Suuiberti accidisse, lætus in terram cum suis proceribus prostratus, Deum adorans & gratias deuotè referens, receptis à paganis pacis obsidibus, Vuerdam cum suo exercitu humiliter intrauit, discalceatusque cum suis inclytis primoribus & præcipuis ministris, sepulcrum S. Suuiberti regalibus muneribus & oblationibus visitans, benedixit Deum & sanctum Suuibertum, qui absque effusione sanguinis humani victoriam sibi contra perfidos præstitisset: & deincèps sanctum Suuibertum in suum protectorem & patronum ac specialem elegit aduocatum.

Vide priscorū Christianorū erga sanctos piam fiduciam & venerationem.

Vide effectum.

Vt S. Suuibertus illustrem principem Hunaldum à peste anginæ & periculo mortis cum multis alijs liberauerit. Cap. 2.

Deindè anno à natiuitate Domini septingētesimo quinquagesimoquinto, serenissimus Pipinus præfatus, iam per sanctū Bonifacium, Moguntinensis & Traiectensis ecclesiarum Archiepiscopum, Rex Francorum authoritate & mandato Zachariæ Papæ consecratus & coronatus, ordinauit nobilem principē, armis strenuum, Hunaldum nomine, principem & comitem de Angiers, capitaneum Christianorum in munitione Vuerdensi siue propugnaculo, ad tuendum fines Christianorum contra impetus paganorum. Accidit autem eodem anno, vt ipse Hunaldus cum plerisque sui exercitûs militibus squalido squinantiæ morbo infectus, ad mortem vsque ægrotaret. Cumque de vita quorundam & præsertim principis Hunaldi desperaretur, & mœror esset validus propterea inter Christianos, ipse Hunaldus egregius princeps, medicis de vita ipsius desperantibus, fiduciam magnam in sanctum concipiens Suuibertum, eò quòd multa miracula dudùm ab ipso patrata didicerat, publicè multis coram adstantibus vouit ipsum deuotè visitare, & sibi deincèps fideliter seruire, modò ipsum ab imminenti periculo & peste suis meritis & precibus liberaret. Voto peracto, statim absque humano medicamine conualuit, votumque cum suis lætus humiliter adimpleuit, & vt vouit, quandiù vixit, seruitio eius se mancipauit. Quo miraculo inter aulicos, eadem squinantiæ peste infectos, diuulgato, etiam ferè in extremis laborantes votum similiter de visitando sepulcro eius, vt sanarentur à languoribus suis, vouerunt: & plerique sanati, votum nudis pedibus deuotè implentes, laudauerunt Deum in sancto Suuiberto, quia mirificauit ipsum tantis miraculis. Post hoc autem habitus fuit in maximo honore ab omnibus fidelibus, frequentantibus & honorantibus sepulcrum ipsius cum diuersis oblationibus & muneribus. Eodem anno idem illustris Hunaldus comes de Angiers, dispositis rebus bellicis in eodem castro

En tantus princeps votum nuncupat S. Suuiberto, & mox ab ipso ferè mortis aditu redit ad sanitatē corporis.

de Vuerda, abijt ad Pipinum regem Parisios, & eidem omnia perpetrata per sanctum Suuibertum, potentem Dei medicum, deuoto corde patefecit. Vndè his auditis, rex lætus effectus, benedixit Deum de tanta gratia, Hunaldo suo duci, cæterisque clientibus exhibita per merita & intercessiones sancti Suuiberti. Deincèps verò idem rex, in sanctum Suuibertum maiorem fidutiam concipiens, seruiuit ei quotidiè certis orationibus, deprecans vt ipsum & regnum populumque sibi subiectum suis meritis protegat. Hæc autem ego Ludgerus, minimus seruorum Dei, ab eodem rege Pipino Coloniæ audiui, orto sermone de miraculis sancti Suuiberti in mensa regis.

Pipinus rex quotidiè certas S. Suuiberto preces offert.

De prima eleuatione corporis sancti Suuiberti Episcopi. *Cap.* 3.

Stephanus Papa venit ad Pipinum regem.

EOdem anno sanctus Stephanus Papa, eius nominis secundus, ob infestationem & oppressionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ab Aistulpho, atroce rege Longobardorum, factam & perpessam, in Franciam ad Christianissimum regem Pipinum, defensorem Ecclesię & propugnatorem Catholicæ fidei, veniens cum suis Cardinalibus, regaliter ab eodem rege receptus & ad eius est perductus palatiū. Itaque collatione habita de oppressione Romanæ Ecclesiæ cum eodem felici rege, idem rex inter cætera exposuit sanctissimo pontifici felicissimam vitam & miracula sancti Suuiberti, petens benignè ab eo, vt catalogo sanctorum Confessorum per ipsum asscriberetur. Sanctus verò Stephanus Papa aliqualiter apud sanctum Dionysium ægrotans, tum propter fatigationem longi itineris, tum propter senium, tum propter oppressionem Romanæ Ecclesiæ, volens satisfacere felici & iustæ petitioni Christianissimi regis, commisit vices suas ad experiendum actus, virtutes & gesta ac miracula ipsius sancti Suuiberti ad canonizandum ipsum sanctum vice ipsius, venerabilibus Patribus & Pontificibus, sancto scilicet Hildolpho Treuirorum, Bonifacio Moguntinorum Archiepiscopis, Fulcario Leodiensi episcopo, & præcipuè Hildegero Coloniensi Archiepiscopo, in cuius parochia sanctissimus Suuibertus Episcopus migrauit ad Christum. Qui venerabiles Patres, propter incursionem Saxonum & expeditionem exercitûs inclyti regis Pipini contra præfatum Aistulphum, persecutorem Ecclesiæ Romanæ, in Vuerda non conuenientes, distulerunt canonizationem sancti Suuiberti Episcopi vsque ad reditum ipsorum ab Italia: quia necessitate imminentis belli vrgente, hoc facere commodè nequibant. Sicque canonizatio ipsius aliquanto tempore protracta fuit. Attamen venerabilis & Diuus pater Hildegerus Coloniensis Archiepiscopus, antequàm in bello Saxonico apud Vueseram occisus, immò martyr pro fide Christi effectus fuit, Vuerdam cum suis clericis properauit, vt altera die ipsum solenniter authoritate Apostolica exaltaret. Igitur altera die, quæ fuit quarto Idus Iunij, Missarum solennijs per eundem Archiepiscopum expletis, accessit deuotè in pontificalibus cum suis presbyteris, clericis & fratribus conuentûs in Vuerda, ad tumulum sancti Suuiberti. Cumque deposita terra, arca, in qua sacrosanctum corpus sancti Suuiberti iacuit, aperta esset, odor mirificus omnium ora & nares perfudit. Archiepiscopus verò reuerenter & deuotè sanctum corpus ex tumulo eleuans, in aliam pulchram capsulam ad hoc præparatam, idem corpus sanctum, inuolutum mundissimis pontificalibus indumentis ac ornamentis, ritè collocauit. In cuius sancti corporis eleuatione quidam ciuis Coloniensis, Robertus nomine, dictus de veteri monte, mutus & surdus, auditum & loquelam meritis & intercessionibus sancti Suuiberti, osculando manum eius in præsentia Archiepiscopi & fratrum conuentûs Vuerdensis & omnium aliorum adstantium, recuperauit. Factumque est in illo die gaudium magnum in Vuerda ab omnibus. Condidit nihilominùs idem venerabilis Archiepiscopus idem sanctū corpus in crypta subterranea propter incursionem vicinorum gentilium. Statuit insupèr idem Archiepiscopus eundem diem eleuationis corporis sancti Suuiberti, scilicet quartum Idus Iunij, per totum vicum de Vuerda celebrari perpetuis temporibus, vt diem Dominicam, ab omnibus incolis ipsius vici in honorem sancti Suuiberti. Et deincèps frequentabatur sanctus Suuibertus ab omnibus vicinis Christianis deuotè & solēniter peregrè cum diuersis oblationibus: appellabaturque vbiquè terrarum patronus pestis squinantiæ, ità vt multi infecti tali & tam periculosa peste, vouentes deuotè ipsum peregrè visitare & ipsi seruire, liberati sint ab eadem peste, adducti ad sacrosanctum & venerandum corpus illius.

Hildegerus Episcopus Coloniensis pro fide Christi cæsus.

Mutus & surdus curatur, osculās manum S. Suuiberti.

De crudelitate Saxonum & concrematione ecclesiæ sancti Suuiberti & destructione oppidi Vuerdensis. *Cap.* 4.

Postre-

POstremò imperante Carolo Magno, rege Francorum, inclyto filio præfati regis Pipini, cùm is, subiugatis potenter Saxonibus & Vuestphalis, decreuisset cum grandi exercitu Christianorum cõtra gentiles Hispanos ire in Hispaniam, & eos mittere sub iugum fidei Domini Dei nostri Iesu Christi, anno scilicet à natiuitate eiusdem Domini nostri septingentesimo septuagesimooctauo, Indictione prima: ferocissimi & perfidi Saxones & Vuestphali, excitati spiritu satanæ, ac inebriati calice Babylonis, cùm præfatus Carolus rex esset cum toto suo exercitu in Hispania, putantes & videntes se habere aptum tempus vlciscendi damna, à Carolo & à Christianis ipsis sæpè illata; conglomerati in inuicèm præceptis satraparum ipsorum, venerunt cum validissimis & grandibus agminibus strenuorum & ferocium armigerorum, depopulantes longè lateque crudeli ferro & edaci flamma cuncta, quæ erant Christianorum. Veneruntque vsque ad litora Rheni, & intantùm sæuit ira & crudelitas ipsorum, vt nullatenùs parcerent nec ecclesijs Dei, nec sexui, nec ætati hominum, quin omnia consumerent ac demolirentur vsque ad internecionem: sed anno sequenti maxima vindicta subsequuta fuit, & denuò ad fidem reuocati triumphali gladio serenissimi Francorum regis Caroli, propugnatoris fidei Christianæ, fuêre. Qua horrida clade sæuiente, prædictæ ferocissimæ gentes Saxonum & Vuestphalorum ad ecclesiam sanctissimi Suuiberti & ad oppidũ Vuerdam ferocitatis suæ direxerunt gressum. Quod oppidum liuore magno, feroci igne & ferro solotenùs destruxerunt. Eadem tempestate ecclesia cum conuentu sancti Suuiberti concremata fuit: sacerdotes verò aut trucidati, aut effugati: incolæ vtriusque sexùs ferè occisi, libri sacri exusti, vicusque ferè in solitudinem redactus est: dempto sacro corpore sancti Suuiberti, sagaciter subtus terram deposito & depresso: quod licèt industriè per totum conuentum quæsierint, minimè tamen inuenire potuerunt. Et licèt essent Christiani vi adacti, & hæc crudelia peragerent, oderant tamen sanctum Suuibertum eò, quòd pridèm Christianis Francigenis præstitisset victoriam contra eos, &, vt arbitrabantur, inimicus ipsorum esset, & defensor exercitùs Christianorum.

Saxones populantur ditiones Christianorum

Vuerda à Saxonibus destruitur.

Vt malè perierit, qui ecclesiam sancti Suuiberti primus incenderat. Cap. 5.

ERat autem in eodem flagitioso exercitu quidam satelles diaboli, nomine Ogellus Oesterbach de Paderborne, qui in eadem sæua depopulatione oppidi de Vuerda, infinita flagitia commiserat, gaudens in rebus pessimis. Is tota vi conatus inflammare S. Suuiberti ecclesiam, ignem primus copiosum ad fastigium iactauit ecclesiæ. Sed protinùs ignis sæpè repulsus & emortuus, extinctus & diminutus fuit. vim enim virtutis suæ meritis S. Suuiberti primò oblitus est ignis. At ille obstinatus in malitia, licèt hæc cerneret, & nullo modo desistere dignaretur, tandèm permissione diuina eam incendit, & lætus abiuit. Igitur cùm hæc effera & bellicosissima gens Saxonum, infinita abominabilia vbiquè in Christianos grassando ad libitum peregisset, diuisisque inter eos lætarentur rapinis ac spolijs, sedissentque in suburbanis & vicinis pratis virentibus oppidi Vuerdensis, ouantes & gratulantes de cædibus & oppressionibus Christicolarum: ecce venit ille sceleratissimus & sacrilegus Ogellus ad cõmilitones & conterraneos suos, in eodem prato prandentes, cachinnando recitans, vt ipse ecclesiã sancti Suuiberti, protectoris Francorum incenderit, quanuis commodè eam aliquandiù incendere nullatenùs potuisset. Statimque Dominus noster Iesus Christus, qui est splendor sanctorum suorum, volens sacrilegis Saxonibus palàm ostendere, cuius meriti sanctus Suuibertus nobilis pontifex apud ipsum esset in regno cælorum, illum nefandum Ogellum miserabiliter puniuit, vt alij terrerentur, & à talibus desisterent. Nam cùm perniciosus Ogellus hæc prædicta mala, per ipsum perpetrata, coràm prandentibus socijs & complicibus suis cachinnando, immò Deum blasphemando recitaret, statim ira Dei ascendit super ipsum, cadensque retrorsùm coram omnibus super planam terram, fracto collo, dignas temeritatis ac sacrilegij pœnas debita & horribili morte luit. Quod alij sacrilegi videntes & audientes, exterriti valdè, compuncti pœnitentia salutari, quidam ipsorum iram Dei mitigauerunt.

Vide pœnas hominis sacrilegi.

Vt satrapæ Saxonum duo diuinitùs flagellati, meritis sancti Suuiberti pristinæ restituti sanati fuerint. Cap. 6.

NEC

NEC hoc sufficiebat Deo ad laudem sancti Suuiberti: quinetiam illustriùs honorare voluit sanctum suum coram omni exercitu Saxonum & Vuestphalorum. Nam cùm sacrilegus Ogellus mortuus, coopertus velamine, sic per tres ferè horas iacuisset, & signo dato iuberentur vbiquè per totum exercitum castra metari in alio loco, statim conuenerunt consanguinei & socij malitiæ nefandi Ogelli, eumque sepelire in cœmeterio ecclesiæ sancti Suuiberti decreuerunt: sed nullo modo valebant. Nanque cùm indigestam terram effoderent, conantes facere sepulcrum in præfato sancto cœmeterio, in quo ipsum condendo sepelirent, statim digesta terra per se defluxit in eandem foueam, àc si non fuisset sulcata: de quo omnes valdè mirabantur. Cumque iterùm atque iterùm fodiendo tentâssent, & multum laboris insumpsissent, vt facerent sepulcrum, licèt in alijs locis eiusdem cœmeterij, & semper terra per se omnibus stupentibus subitò decidisset in eandem foueam, permanens & apparens plana terra vt antè, desistebant à fodiendo sepulcro in eodem sacro cœmeterio: & exterriti, dicebant alterutrùm, ipsum indignum ecclesiastica sepultura, & præsertim sepultura illius cœmeterij, eò quòd ecclesiam illam & cœmeterium cremando prophanâsset. Et sic multùm attoniti recedentes, cùm venissent ad cadauer mortuum, & abiecto velamine, denudâssent faciem eius, eccè tam horribilis & miserabilis apparuit facies eius, quòd omnes in terrorem & formidinem vertit, ità vt omnes trementes, stupidi & pauidi, citò recederent ab eo, ignorantes quidnam cum corpore facerent. Sed instante recessûs tempore, quidam alij satellites ex alia prouincia Saxonica, prædicta audientes, & ipsum mortuum inuenientes, proiecerunt indignanter cadauer in Rhenum, vt esset pabulum piscium: & sic malus malè perijt. Itaque cùm ex præcepto satraparum per totum facinorosum exercitum signo dato iuberentur castra mouere, domumque discedere: eccè dolenter nunciatum fuit à cōtribulibus & complicibus malitiæ & commissi sacrilegij, duobus præcipuis satrapis Nothelino & Occoni, strenuum Ogellum de Paderborne, qui primus ecclesiam sancti Suuiberti incenderat, ex vindicta Dei & sancti Suiberti, patroni illius loci, plagatum & punitum esse, fregisseque collum suum super planam terram, cùm iocando iactitaret, quòd illud facinus sacrilegū commisisset. Quod illi audientes, indignati dicebant, hoc casu accidisse, & non ex vindicta alicuius sancti, & præcipuè sancti Suuiberti, quòd sanctus Suuibertus esset impotens & nullius virtutis ac potestatis, qui nequiuisset suum oppidum suamque ecclesiam tueri. Cumque hæc & huiuscemodi multa alia verba blasphemiæ, superbè & indignãter protulissent, non dantes gloriam Deo & sancto eius, simulatquè recessissent illi duo satrapæ ab inuicèm, Nothelinus in via glorians de victoria habita contra Christianos, priuatur coram omnibus lumine oculorum, factus totus cæcus, atque in cunctis membris suis grauiorem morte pœnam tandiù sustinuit, donèc rubore coopertus, & in se reuersus, ac se colligens, quanta in Deum & in sanctum Suuibertum superbè commiserat, medullitùs suspirando agnouit & doluit. Itaque crescente per momenta temporum dolore corporis, consilio proborum flexis genibus humiliter Deo vouit, deuotè visitare sepulcrum sancti Suuiberti, & ecclesiam eius in fauillas redactam, iuxta facultatem suam restaurare, modò intercessionibus ipsius à Deo recuperaret pristinum visum & sanitatem corporis. Quo voto coram multis dolenter & deuotè facto, protinùs dolor viscerum cessauit, visus redijt: & ipse surgēs, lachrymabili voce Deum deuotissimè laudans, cunctis aperuit, vt meritis sancti Suuiberti liberatus sit, & Vuerdam vsque properans, votum cum multa familia deuotè adimpleuit.

Nõ possunt sacrilego fodere sepulcrum.

En cælestē vltionem.

Nothelinus percutitur cæcitate & dirissimè torquetur.

Votum facit Deo, & mox reualescit.

De altero satrapa Occone. *Cap.* 7.

ALter verò satrapa, Occo nomine, opimis ditatus spolijs, cùm equester cum suis vernaculis rediret à Vuerda, ignorans vt Nothelinus à Deo punitus esset, recitaretq; in via, quàm benè vindicâssent Saxones contra Christianos contumelias & oppressiones, ipsis à Carolo pridèm illatas, & vt humana pariter & diuina in finibus Christianorum perturbâssent: & præsertìm vt ecclesiā pontificis Suuiberti, in quo Christiani multùm cōfidebant, incendissent: mox coram omnibus mulctatus à Deo, auditu caruit & loquela: rediensque domum mœstus & dolens, mansit longo tempore surdus & mutus. Qui similiter in se reuersus, erubescēs ingemuit valdè, perpendēs quòd Deus vindicat blasphemias sanctis suis illatas. Salutari igitur pœnitentia ductus, dolēs toto corde de commissis in Deum & in seruū eius Suuibertū, eleemosynis & precibus sperabat à Deo recuperare priorē sanitatem: sed nihil proficiebat, & nihil

Occo sacrilegus punitur diuinitùs.

nihil obtinuit. Cùm verò didicisset, qualiter Nothelinus satrapa cæcitate percussus, meritis sancti Suuiberti liberatus fuit, spem magnam concipiens in sanctum Suuibertum, similiter vouit peregrè visitare ipsum sanctum Suuibertum in Vuerda, & seruituti eius se mancipare, modò pristinæ meritis ipsius sancti restitui posset sospitati. Eadem hora sanatus à cælesti medico, disposita domo sua, publicè accedens cum solenni familia ad ecclesiam sancti Suuiberti in Vuerda, votum impleuit reuerenter & deuotè: redire quoquè domum spernens, sumptibus suis & præfati satrapæ Nothelini, aliorumque multorum deuotorum hominum, eandem exustam ecclesiam anno sequenti elegãter restaurauit, & dignitati sui satrapatûs renuncians, in Vuerda apud sanctum Suuibertum consenuit, seruiens feruenter Deo & sancto Suuiberto omnibus diebus vitæ suæ.

Vouet votum.

Sanatur, & pstat quod vouerat.

De quodam Saxone lètaliter sauciato in bello, & meritis sancti Suuiberti sanato. Cap. 8.

ANno Dominicæ incarnationis septingentesimo octogesimotertio, Indictione sexta, cùm victoriosissimus Carolus Francorum rex præsidia & propugnacula rebellium Saxonum & Vuestphalorum vastaret, venissetque in Vuestphaliam ad firmam munitionem, Dromi dictam, & illam expugnans destruxisset, commisissetque eandem munitionem inclyto filio suo Carolo, eô quòd rex Carolus ad interiora loca Saxonũ diuertisset: eccè illo absente occurrerunt præfato principi Carolo infestissimis animis Vuestphali, cum grandi turba armatorum, ad expellendum ipsum potenter cum suis Francigenis extra regionem ipsorum & patriam, aut formidolosum cum illo prælium committendum. Quos conserto prælio, congressuque inter eos facto iuxta munitionem Dromi, serenissimus princeps Carolus, filius Caroli Magni regis, statìm vincit equitatu suo, trucidans multos: inter quos erat quidam bonus Christianus Vuestphalus, qui coactus per suum satrapam, interfuit bello, in paganismo dictus Eldack, sed Christiano nomine Bruno, vir diues & potens, fortis viribus, audax animo, & armis strenuus. Hic Bruno postquàm viderat & perpenderat, mente sæpè reuoluens, nefandum Ogellum de Paderborne, conterraneum suum malè perijsse se præsente, qui sancti Suuiberti ecclesiam incenderat, & Occonem & Nothelinum satrapas ipsorum à Deo percussos, iterùm meritis S. Suuiberti sanitati pristinæ restitutos: honorauit deincèps sanctũ Suuibertum, atq; dolens de commissis in Vuerda in prædicta Saxonũ expeditione, omni die deuotè legit ad honorem ipsius sancti vnam orationem Dominicam & angelicam salutationem: efflagitans deuoto corde, vt imminente extremæ suæ necessitatis articulo dignaretur ipsi auxiliari & adesse, & Deo suis patrocinijs ipsum reconciliare: elegitq; ipsum in specialem patronum. Igitur hic Bruno, cùm staret in prima terribili acie strenuè bellans, tandèm oppressus grãdi equitatu partis aduersæ, & inter cætera vulnera grandi lancea impetitus, & in pectore hasta confixus & prostratus, corruens in terram, pedibus equorum cum multis alijs miserabiliter conculcatur, ità vt de sua desperaret vita. Cumque sic volutatus in proprio sanguine penè deficeret, & in extremis ferè laboraret, deuotione qua valuit inuocauit mœsto & contrito corde sanctum Suuibertum, petens vt sibi, vtpotè famulo suo, iam in necessitate tanta & periculo cõstituto adesse, & Deo suis precibus commendare se dignaretur, vouens, quòd si ex inflictis vulneribus cõualesceret & sanaretur, deuotè visitaret ipsum in Vuerda: spretisque seculi curis, seipsum seruitio suo, quandiù superstes esset, mancipa-ret. Quo expleto promisso, facto illo in ecstasi, apparuit cum magna claritate sanctus Suuibertus, ornamentis pontificalibus indutus, tangensque ipsum baculo pastorali, dixit: Eccè Bruno confortare & gaude: hac vice hîc non morièris, quia precibus meis impetraui ab omnipotenti Deo vitam tibi, eô quòd deuotè in hac præsenti anxietate auxiliũ implorâsti à me, vt tibi adessem. sed postquàm per gratiã Dei conualueris ab his plagis, non negligas visitare sepulcrũ meum in Vuerda, vt spopondisti cum condignis oblationibus, nè æterna morte inuoluaris. His dictis, signans eum signo sanctæ crucis disparuit, & claritas euanuit. Hęc aũt facta fuerunt finito bello. Victores verò cùm viderent illam claritatem supra corpora occisorum, quidam ex ijs Deum timentes, accurrerunt ad eundem locũ, in quo illam perspexerãt claritatem, suspicantes ibidèm quendam sanctum virum occisum vel agonizantem, cuius merita Deus per illam claritatem ipsis declararet. Bruno autem inter occisorum cadauera similis mortuo ferè exanguis aliquo tempore iacens, meritis S. Suuiberti parùm se erigens, cùm vidisset viros hostilis exercitûs, arbitrãs eos amicos, qui ipsum liberarẽt & curã sui agerent, cœpit flebili voce, prout

Vuestphali infestis animis incurrunt in Carolum.

S. Suuibert' apparet Brunoni, grauiter vulnerato, & ipsum piè inuocanti.

prout potuit, implorare auxilium ab eis, vt sui misereretur. Milites verò videntes ipsum tam horribilibus vulneribus grauatum, & præcipuè grandi hasta confossum, viuere adhuc potuisse, mirabantur valdè. Qui postquàm eis inter multa enarrâsset, qualiter ibidèm in tam horrido instantis mortis periculo sanctum inuocâsset Suuibertum, gloriosum episcopum, quem omni die speciali oratione deuotè honorare consueuisset, & vt ab eo ipsi apparente seruatus esset, addidit quòd coactus per suum satrapam eidem bello interfuerit, quia vrgente & stimulante conscientia, contra Christianos bellare sibi valdè graue fuisset. Victores verò hoc audientes, memores claritatis ab eis visæ, pietate moti, liberauerunt ipsum: armis sanguine madidis exuunt, adhibentes ei diligentem curam, vt conualesceret. Ponebant ipsum insupèr in quodam excelso loco, postquàm ligauerunt vulnera eius, ità vulneratum, ad honorem sancti Suuiberti episcopi, quem multi in exercitu Francorum honorabant, vt omnes animaduerterent eum temporariam mortem non euasurum, nisì meritis sancti Suuiberti id fieret. Serenissimus verò rex Carolus Magnus tunc in Saxonia apud locum, dictum Stomingi, positus, hæc audiens, & vt Pipinus rex, genitor suus, in maximo honore sanctum Suuibertum habuerit, propter victoriam meritis ipsius contra Saxones prope Vuerdam habitam, admirans præcepit prefatum Brunonem, quàm citò posset commodè migrare de loco ad locum, sibi adduci & præsentari. Qui cùm ei præsentatus esset, & cuncta vulnera vidisset, audissetq; ab eo, qualiter sanctus Suuibertus, patronus suus sibi apparens, consolatus eum fuisset, laxauit ipsum à captiuitate, restituens ipsum pristinæ libertati ad honorem sancti Suuiberti. Et deincèps idem rex Carolus Magnus semper in honore habuit sanctũ Suuibertum omnibus diebus vitæ suæ. Et subiugatis Saxonibus & Angarijs cum Vuesphalis, in gratiarum actionem statìm fratres conuentûs sancti Suuiberti, in diuersis tutis locis dispersos, reuocauit, ecclesiam sancti Suuiberti diuersis preciosis ornamentis decorauit, ablata restituens & recuperans, multa dona & prædia ex regali fisco hilariter adiecit deuotis fratribus conuentûs sancti Suuiberti. Bruno tandèm conualuit, &, vt vouit, ipsum peregrè deuotè in Vuerda cum condignis oblationibus visitauit, & ibidèm Deo & sancto Suuiberto, quandiù vixit, seruiuit. Quo miraculo cognito, multi Saxones & Vuestphali deuotè ipsum in specialem patronum eligentes, humiliter coluerunt & honorauerunt.

Carol⁹ Magnus in honore habet S. Suuibertum, & eius ecclesiam egregijs cumulat donis.

Vt S. Suuibertus solenniter à S. Leone Papa sanctorum Confessorum catalogo sit adscriptus. Cap. 9.

ANno Dominicę incarnationis septingentesimo nonagesimosexto, Indictione quarta, defuncto Adriano Papa, sanctus Leo, illius nominis tertius, concorditer à Cardinalibus in Papam electus, consecratur in ecclesia sancti Petri à venerabili patre Bernardo Ostiensi archiepiscopo, & à cæteris episcopis. Qui posteà, scilicet anno Domini septingẽtesimo nonagesimonono, Indictione septima, dũ in Litania maiori, in festo sancti Marci euangelistæ, ab ecclesia Lateranensi ad ecclesiam sancti Laurentij egregij martyris stipatus, vt decuit, multo clero processionem haberet, eccè per insidias veniunt praui Romani, qui in processione cum vi captum oculis priuauerunt & lingua. Qui cùm sic miserabiliter volutatus proprio in sanguine iaceret, à Deo angelico ministerio sanitati restitutus, ad Carolum regẽ properat. Qui ipsum sua industria in Romanam sedem restituens & ante se præmittens, subsequebatur, anno scilicet octingentesimo, ad vrbem Romanam cum magno exercitu: ibique cum suis principibus existens in festo Natalis Domini, ab eodem sancto Papa in Imperatorem Romanorum inuitus coronatur, acclamantibus Romanis Imperatorias laudes. Post cuius decessum à Roma ad Germaniam & Galliam, idem sanctus Leo Papa anno Dominicæ incarnationis octingentesimotertio cum magna solennitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & prælatorum ac primatum, ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore imperialiter cum suis susceptus, inter multa pietatis suæ opera, instantia eiusdem serenissimi Imperatoris & regis, Aquisgrani in palatio dedicauit ecclesiam perpetuæ virginis Mariæ, donans eandem ecclesiam multis indulgentijs. Deindè humili petitione & instantia venerabilis patris Gerbaldi episcopi Leodiensis cõsecrauit ecclesias gloriosæ virginis Mariæ tam in Tungris, quàm in Visero: Et Coloniæ Agrippinę tam ad sanctum Martinum, quàm in Capitolio altaria consecrauit. Et multa alia monasteria & altaria ac capellas per Alemaniã & Galliam cõsecrauit, vbiquè multas indulgentias cõferendo. Tandèm

Leo 3. à Romanis oculis & lingua priuatur.

Carol⁹ Magnus fit Imperator Romanorum.

Leo Papa 3. venit in Germaniam, & quæ illic gesserit.

deuota instantia gloriosissimi Imperatoris Caroli, & venerabilis patris Hildebaldi Archipræsulis Coloniensis, venit à Colonia idem sanctus Papa Leo nauigio in Vuerdam, stipatus imperatoria maiestate, ac sacrato choro sanctorum Cardinalium & Archiepiscoporum, ac multorum procerum comitatu. Cui occurrunt vsq; ad Rhenum deuoti fratres conuentus sancti Suuiberti processionaliter, cum incolis eiusdem oppidi de Vuerda, introducentes eum cum Imperatore & cæteris in ecclesiam sancti Suuiberti multùm deuotè ac honestè. Et illo die, quo intrauit, ieiunauerunt incolę de Vuerda cum toto conuentu authoritate Apostolica. Altera verò die, quæ fuit pridie Nonas Septembris, omnes tam Papa sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alij conuenientes in ecclesia & conuentu sancti Suuiberti, ibi oratione finita omnium conuenientium in ecclesia, statim celebrante solenniter summam Missam felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, & sanctissima vita ipsius cum innumeris miraculis, conscripta per venerabilem presbyterum Marcellinum, socium & conterraneum ipsius sancti, ibidem lecta, Papa sanctus Leo, de assensu pariter & cōsensu suorum Cardinaliū cæterorumque prelatorum, illic corà m adstantium, solenniter catalogo sanctorum confessorum ipsum asscripsit. Quo facto, pulsata campana conuentus per aliquot horas, ad honorem Dei & gloriam ipsius sancti, cùm per dulcia modulamina laudum fratres deuotissimè Deo rependissent gratias, cantando humiliter hymnum, Te Deum laudamus: & reliquiæ siue ossa ipsius ex monumento, in præsentia sanctissimi apostolici Leonis & Caroli Imperatoris cæterorumq; per præfatum Archiepiscopum Coloniensem tollerentur deuotè, maxima dulcissimi odoris in eodem loco cælitùs effusa est fragrantia, cuius suauitas omnium ora & corda adstantium reficiebat, ità vt nullus ambigeret, ibidem adesse angelorum choros. Facta sunt hæc pridie Nonas Septembris præsentibus ibidem victoriosissimo Carolo, semper Augusto Romanorum Imperatore & Francorum rege, venerabilibusque patribus Cardinalibus & Archiepiscopis, Bernardo Ostiensi, & Fortunato Treuirorum, Theodoro Sabinensium, Nicolao tituli sanctæ Crucis in Hierusalem, Eustochio sanctæ Praxedis, Bonifacio tituli sanctorum Marcellini & Petri presbyteris Cardinalibus, Gerbaldo Leodiensi, Volquino Normensium episcopis: & præsertim felice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, cuius industria & pia instantia sanctus Leo Vuerdam nauigauit, & sanctum Suuibertum in diuos retulit, cum multis alijs prælaris & proceribus. Statuit insuper sanctissimus Papa Leo, illum diem canonizationis & exaltationis sancti Suuiberti egregij episcopi, perpetuis temporibus per totum oppidum à cunctis incolis Vuerdæ celebrandum, ob honorem sancti Suuiberti apostolici episcopi. Obtulit autem idem sanctus Papa eidem ecclesiæ speciales indulgentias cunctis fidelibus, celebrantibus festum sancti Suuiberti episcopi, & ad diuina confluentibus. Item idem Papa contulit paruam auream crucem, refertam particula sanctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi. Imperator verò Carolus obtulit duos aureos calices ex auro puro, & totidem ampullas eiusdem auri, cum multis alijs ecclesiarum clenodijs preciosis: vt dum diuinū mysterium in Vuerdensi conuentu perageretur cum eisdem, ipsius Imperatoris iugis fieret memoria. Obtulerunt prætereà omnes à maiori vsque ad minorem iuxta deuotionem & inspirationem spiritus, & pro facultate, vt fieret solennis capsula & preciosum feretrum, in quo collocarentur sacrosancta ossa sancti Suuiberti episcopi, Ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritussancti per infinita seculorum secula, Amen.

S. Suuibertus refertur in numerū diuorum.

Pontifex quid contulerit Vuerdensi ecclesiæ.

Quid item Carolus Magnus.

De miraculis sancti Suuiberti, vt puerum submersum excitauerit. Cap. 10.

IGitur cùm rumor aduentus sancti Leonis Papæ & Caroli serenissimi Imperatoris, cæterorumque prælatorum & principum in Vuerdam ad canonizandum sanctum Suuibertum vbique per vicinam prouinciam peruolâsset, confluebant multi populi vtriusque sexus cum filijs & filiabus suis Vuerdam, ad percipiendam à sancto Papa remissionem suorum peccatorum, & apostolicam benedictionem, & ad intuendum tantæ celebritatis actum. Inter quos erat quædam nobilis domina, nomine Irmgardis, mulier honesta & proba, germana venerabilis patris Hildebaldi Coloniensis Archiepiscopi, vxor strenui Bartoldi, domicelli de Grinbergen, habitans & residens illo tempore in Troia siue Xantis. Quæ domicella cum duabus solummodò pedissequis & primogenito suo Gocellino, semiocto annorum puero, & cum multis alijs honestis personis ex Xantis Vuerdam nauigans, eidem celebritati consensu mariti sui

Irmgardis soror Hildebaldi Coloniensis Episcopi.

sui interesse voluit & decreuit. Et appropinquantes Vuerdæ, cùm nauta propter multas alias naues ibidèm congregatas subitò amplustre mutaret, vt conuenientiùs litori nauim applicaret, Gocellinus stans propè matrem in prora nauis, ex collisione nauium cespitans pedibus, corruit extra nauem in Rhenum, & submersus est. Quod mater eius videns, quæ etiam cecidit ex collisione nauium in nauim, & puerum suum iuuare non valens, seipsam in Rhenum præcipitare conabatur: sed tenta & impedita per pedissequas & alios probos homines, scisso velamine capitis sui, præ nimio dolore inconsolabiliter flens, magno ciulatu & lamento repleuit litora Rheni. Erat autem hora ferè quinta vespertina. Archiepiscopus verò frater eius illa audiens, ingemuit & multùm tristabatur. Pedissequa quoquè concita denunciauit domicello Bartoldo discrimen submersi pueri sui. Domicella itaque complosis manibus, tanquàm mulier vesana, intrans ecclesiam sancti Suuiberti, cum magno vlulatu & gemitu Dei exorauit pietatem, vt meritis sancti Suuiberti filium suum sibi restituere dignaretur. Consolata deniquè à multis honestis matronis, & præcipuè ab Archiepiscopo fratre suo, ducente eam in hospitium suum, vt eam refocillando consolaretur: sed ipsa quiescere nullatenùs valens, noctem illam totam insomnem ducens, implorauit assiduè deuoto & contribulato corde sanctum Suuibertum, petens, vt qui dudùm multis in tribulationibus subueniebat, sibi iam desolatæ solita pietate subuenire non dedignaretur: Vouensque, si ipsum suis suffragātibus meritis viuum recipere posset, perpetuis temporibus ipsum suo ministerio assignaret. Altera verò die, cùm aurora eminentibus radijs illucesceret, quidam honesti viri, amore Dei & petitione Archiepiscopi, amotis nauibus cœperunt submersum domicellum Gocellinum quærere sagenis & vncis & alijs opportunis instrumentis. Tandem hora ferè octaua ante Missarum solennia, quidam dictus Lambertus Dosel de Embrica, vnco sentiens & tangens ipsum veste, vocatis alijs socijs, sagaciter ex profundo Rheni per vestem sursùm trahens & eleuans, defunctum matri præsentauit. Quæ ipsum defunctum videns, exanguis effecta & in ecstasi posita stupuit. Sed ad se reuersa, puerum vlnis amplectens, sequentibus eam multis honestis vtriusque sexus personis, flentibus & ei condolentibus, deposuit illum ante sepulcrum sancti Suuiberti: factaque ab omnibus deuotè oratione, spiritus in illum redijt, oculos aperuit & reuixit: surgensque stetit supra pedes suos, admirans multitudinem & frequentiam populorum ipsum intuentium, loquebatur matri suæ dulciter. Statimque exuentes eum madidis vestibus propter compressionem hominum, de consilio quorundam posuerunt in eminentiori loco, vt ab omnibus posset videri. Quo viso, factus est clamor omnium, Deum in sancto Suuiberto collaudantium de tanta tamque manifesta gratia, ibidèm meritis sancti Suuiberti palàm omnibus ostensa. Eadem verò hora venit festinanter equester pater eius Bartoldus cum decem tantùm vernaculis, multùm nimirùm tristis & gemens de perditione dilecti filij sui. Erat enim præfectus Imperatoris Caroli in illis oris. Intrans verò ecclesiam, cùm audisset & vidisset eum à morte resuscitatum, glorificauit Deum in sancto suo Suuiberto. Igitur sanctissimus Apostolicus & Imperator Carolus ista percipiētes ab Archiepiscopo Coloniēsi, auunculo Gocellini resuscitati, eundem puerum ad se accersiri & adduci præceperunt. Quem viuum videntes, qui per quindecim ferè horas sub aquis in profundo Rheni iacuerat, laudauerunt pietatem Dei, qui semper diuersis signis dilectos suos magnificat & honorat. Archiepiscopus verò, consensu parentum, deposita argentea torque, quā circa collum gessit idem Gocellinus resuscitatus, ipsum clericum ordinauit, mutansq; nomen eius, ipsum Suuibertum nominauit: qui intrà annum monasterium sancti Suuiberti intrans, eidem sancto semper humiliter seruiuit. Assignauitque domicellus Bartoldus eidem monasterio, amore sancti Suuiberti & filij sui, certa prædia, perpetuis temporibus possidenda.

Gocellinus puer in Rheno submergitur.

Gocellinus puer reuiuiscit ad sepulcrum S. Suuiberti.

NOTA, quòd inter crebra miracula, quæ Dominus meritis sanctissimi Suuiberti episcopi & confessoris dignatur ostendere fidelibus, vt ab eis deuotiùs & ardentiùs honoretur, duo insignia miracula, frequenti memoria digna, recitabo, quæ, vt infrà patebit, Dominus operatus est & fecit ad augmētum laudis, gloriæ & honoris sancti Suuiberti, dilecti sui famuli.

De tribus fratribus, capsam S. Suuiberti spoliare volentibus. Cap. 11.

IGitur anno Dominicæ incarnationis septingentesimo septuagesimo septimo, Indictione vndecima, nocte quadam tres petulantes adolescentes, de nobilioribus eiusdem patriæ orti, venerunt in ecclesiam sancti Suuiberti, in qua asseruabantur ossa ipsius in capsula, splendore gemmarum aurique fulgore decorata: quæ quatuor pedes habebat ex ære fusiles, pedibus leonis similes, inquantùm periti artificis industria formare poterat. Cùm autem fures ad capsulam accessissent, vt metallum de illa tollerent, mirum dictu, arca tota super duos pedes in sublime se extollens erexit, & quasi vita in illa esset, duobus pedibus vngulis contra fures se defendit. Videntes igitur se nihil proficere, vnus eorum saltum dedit, ascendensque super arcam, vt in equo super eam sedit, & duas laminas, in quibus duo sculpti erant Apostoli, vi abstraxit. Quo facto, omnes iniêre fugam. Et cùm extra vicum Vuerdæ putarent se esse, iterùm in atrio se inuenêre. Rursumque dum conarentur exire, hoc idem eis accidit. Sic errantes per triduum, non sumpserunt cibum neque potum, neque quicquam, quod ad humanam naturam pertinet, facere potuerunt. Tandem cuidam argentario metallum monstrauerunt, & vt illud emeret, rogauerunt. Quod vt ille vidit, ait: Argentum hoc de capsula sancti Suuiberti est furtiuè ablatum, quia proprijs meis manibus illud fudi & apposui. Dum sic adinuicèm loquuntur, audit populus & accurrit, ipsique fures peccatum & quid eis acciderit, manifestè confitentur. Sed quia de nobili progenie duxerant originem, ad horam mortis euaserunt dispendium: quia parentes eorum strenuè militabant Imperatori Carolo vbiquè: terram tamen & regionem illam abiurare & vitare coacti sunt: sed restituta priùs fuerunt omnia ablata sancto Suuiberto.

In capsa magni precij à olim conditæ reliquiæ S. Suuiberti.

Nota miraculum.

De clerico morbido, curato à S. Suuiberto episcopo. Cap. 12.

PAterfamiliâs quidam Seuerinus de Vuesalia inferiori, vir potens & diues, filium habuit speciosum valdè, apprimè literatum, & optimum musicum, Conradum nomine, vigintitrium semis annorum, sed lunaticum. Cùm autē huiuscemodi infirmitatis tædio pater filium laborare cerneret, & propterea à Bononiensi studio domum reuersus esset, in abditissimis pectoris sui latebris dolore sauciabatur. Et quia filius suus Conradus huic seculo inutilis erat, quid de eo facere posset, penitùs ignorabat. Post multas verò cogitationum peruagationes tale reperit consilium: Vadam, inquit, ad monasterium deuotorum fratrum in Vuerda commorantium, & illic filium meum illorum associare cœtui curabo: sicque, salua honoris mei gratia, ab illo ero liber. Veniens itaque cum Conrado filio suo ad monasterium sancti Suuiberti in insula, venerabilem patrem dominum Theodoricum Priorem, cæterosque fratres talibus verbis allocutus est: Domini mei dilecti in Christo, religionis vestræ serenitatem humili deuotione deposco, quatenùs filium meū, cum competentis pecuniæ pondere, in consortium vestrum suscipiatis, vt vobiscum degere queat, & Deo ac beato Suuiberto, quandiù præsentem lucem carpserit, sedulum præstare obsequium: quia clericus & musicus probatus est, & plurimùm affectat vobiscum seruire Deo & sancto Suuiberto. Tali quidem viri versuti circunuētione deuotorum fratrum delusa est innocentia, & clericus in eorum contubernium est receptus. Interiecto deindè admodùm paucorum dierum curriculo, nocte quadam, cùm fratres ad nocturnas vigilias surgerent, Conradus in medio ipsorum est collapsus. Fratres huiuscemodi visione obstupefacti & perterriti, huc illucque diffugerūt: vnus solus cum eo remansit, & quantùm potuit, eum adiuuit. Igitur cùm morbus quotidiano incremento clericum grauiter affligeret, tædium maximum parturiuit. Deniquè à collegio honorabilium fratrum est segregatus, & ab ecclesia & commun mensa remotus. Conradus verò clericus, videns se despectum & ab alijs separatum, grauiter tulit, & vt ad seculum fugeret, aut in aquis se suffocaret, in conscientiæ suæ secretis tractauit. Cùm autem ferè per vnius anni spatium huiuscemodi tentationibus vreretur, nocte quadam, dum in stratum suum dormitum isset, & sanctum Suuibertum, sicut solitus erat semper, deuotè pro remedio suæ horribilis infirmitatis inuocâsset, vidit in somnis sanctum Suuibertum, pontificalibus indutum, adstantem sibique dicentem: Quarè cor tuum multis illicitis cogitationibus dilaniare non formidas? Quarè votum tuum frangere desideras? Quarè ad seculum fugere disponis

Fraudulēter homo morbidus fratribus Vuerdēsis cœnobij obtruditur.

Vota Deo persoluenda.

Quod Deo non coactus promisisti, indefesso cursu adimplere festina. non enim bona incipientibus, sed in bonis perseuerantibus meritorum præmia conferuntur. Et scias, quia ab hac hora infirmitas tua à te recedet, ità vt ampliùs ad te redeundi nullũ omninò accessum habeat. Vade ergò & dic fratribus meis, vt de cæterò te permittant interesse diuinis & generali refectioni. His dictis, benedicens ipsum, recessit ab eo. Pandit visionem, creditum est sibi ita factum esse, & receptus est honorificè denuò in consortium fratrum, laudantium Deum in pietatem sancti Suuiberti, dilecti patroni ipsorum. Sanatus igitur in anima & corpore, cum omni mentis viuacitate & virium facultate, se Deo & eius seruitio totum dedit, & in virtutibus acquirendis tantam ab illa die deinceps obtinuit gratiam, vt inter cæteros fratres, vitæ sanctissimæ itinera sectantes, haberetur probatissimus & diligentissimus, vt à sæpedicto patre Theodorico, Priore monasterij sancti Suuiberti in Vuerda, sub testimonio virtutum celorum audiui. Deus proculdubiò est laudandus, qui facit mirabilia magna solus, qui sibi seruientes hic honorat, & post vitæ cursum in cælo coronat: qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Morbidus curatur per visum à S. Suuiberto.

HAEC sunt specialia, venerabilis pater & dilecte confrater, quæ iuxta tua tuorumque fratrum petita, de exaltatione, canonizatiõe & miraculis sancti Suuiberti in scripta dignum duxi redigere, & tuæ sanctitati transmittere: quæ sanè, vt antè dixi, à veridicis didici & audiui, & probatissima ac verissima sunt, vt testor Deum & omnes sanctos eius. Fiunt verò plura alia communia miracula quotidiè in cæcis, claudis & varijs oppressis languoribus coram sacrosanctis reliquijs eius, quæ causa breuitatis prætermitto. Peto igitur attento corde, vt ea libro sanctissimæ vitæ eius adiungere & cõmunicare fratribus tuis, tam in Traiecto, quàm in Dockem & in Egmonda, & in cæteris tuæ diœcesis ecclesijs digneris, vt Deus, qui est super omnia benedictus, & in sanctis suis laudandus, glorificetur per omnia secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM S. HERCVLANI EPISCOPI PERVSINI, SCRIPTVM A B. GREGORIO *Papa, Dialog. lib. 3. cap. 13.*

1. Martij.



NVper Floridus, venerabilis vir vitæ, Episcopus narrauit quoddam memorabile valdè miraculum, dicens: Vir sanctissimus Herculanus, nutritor meus, Perusinæ ciuitatis Episcopus fuit, ex conuersatione monasterij ad sacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi regis temporibus, eandem vrbem annis septem continuis Gotthorum exercitus obsedit, ex qua multi ciuium fugerũt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno verò septimo nondùm finito, obsessam vrbem Gotthorum exercitus intrauit. Tunc Comes, qui eidem exercitui præerat, ad regem Totilam nuncios misit, exquirens quid de Episcopo vel populo fieri iuberet. Cui ille præcepit, dicens: Episcopo priùs à vertice capitis vsq; ad calcaneũ corrigiam tolle, & tunc caput eius amputa: omnem verò populũ, qui illic inuentus est, gladio extingue. Tunc idem Comes venerabilem virum Herculanum Episcopum, super vrbis murum deductum, capite truncauit, eiusq; cutem iam mortui à vertice vsque ad calcaneum incidit, vt ex eius corpore corrigia sublata videretur. Mox corpus illius extra murum proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulsi, abscissum caput ceruici apponentes, cum vno paruulo infante, qui illic extinctus inuentus est iuxta murum, corpus Episcopi sepulturæ tradiderunt. Cumq; post eandem cædem die quadragesimo rex Totila iussisset, vt ciues vrbis illius, qui quolibèt dispersi essent, ad eam sine aliqua trepidatione remearent, hi, qui priùs famẽ fugerant, viuẽdi licentia accepta, reuersi sunt. Sed cuius vitæ eorum Episcopus fuerat, memores, vbi sepultũ esset corpus illius, quæsiêrunt, vt hoc iuxta honorem debitũ in Ecclesia beati Petri Apostoli humarent. Cumq; itum esset ad sepulcrum, effossa terra, inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpotè iã die quadragesimo, tabe corruptũ et vermibus plenũ: corpus verò Episcopi, ac si die eodẽ esset sepultũ. Et quod est adhuc magna admiratio-

Perusium obsidetur à Gotthis, & capitur.

S. Heraculanus cæditur.

Nota insigne in extincto corpore miraculum.

ratione venerandum, quia ità caput eius vnitũ fuerat corpori, àc si nequaquàm fuisset abscissum: sic videlicet, vt nulla vestigia sectionis apparerent. Cũque hoc & in terga verterent, exquirentes si quod signum vel de alia monstrari incisione potuisset, ità sanum atque intemeratum omne corpus inuentum est, àc si nulla hoc incisio ferri tetigisset.

VITA S. SIVIARDI ABBATIS ANISOLENSIS, PER QVENDAM EIVS CONTEMPORANEUM *scripta*.



FRatres dilectissimi, Dominum omnipotentem, qui & in suis est admirabilis semper electis, quos & præsciuit atque prædestinauit ante mundanam constitutionem, oportet nos tota mentis fortitudine collaudare. Et licèt vnusquisque iuxta sensûs sui capacitatem id conetur agere, tamen oportet, vt creatura rationalis suũ assiduè glorificet atque collaudet factorem. Quid enim aliud retribuemus Domino pro omnibus, quæ gratis nobis & largiter ipse tribuit, nisi vt mente sagaci vniuersa considerantes eius beneficia, reddamus pro vniuersis Domino sacrificium laudis, quæ est in conspectu eius vera & acceptabilis hostia, si processerit omninò à mente deuota? Vnde & præsenti opusculo, plano videlicet & simplici, hæc historiola, quam contexere dignum profectò putauimus ad Dei laudem, exordium sumat, à cuius pio munere tribuitur singulis, quicquid in seruis suis vtiliter eruditionis inuenitur. 1. Martij. Psal. 67. Ephe. 1.

Igitur de quodam Dei famulo, patre nostro Siuiardo, egregio sacerdote, & de eius admirabili vita vel conuersatione sancta, quibusdam amicis flagitantibus, scribere decreuimus, vndè & fraterna concordia optimo eius ædificetur pietatis exẽplo, & Christi laus semper accrescat per suum fidelem famulum supradictum. Nostro etenim tẽpore extitit hæc nobis sancta propago, per cuius os Deus larga prædicationis pocula suæ propinauit Ecclesiæ. Et quidem ipsius sancta origo non de genere rustico, sed magis de nobili prosapia processit. Natus enim est in pago Cenomannico, & in parochia Deableutica, Christianis ac Deum timentibus parentibus, à genitore scilicet Dei famulo Sigiranno, necnon venerabili ac Deum timente fœmina genitrice ipsius, quæ vocabatur Adda. Ab his nanq; nobilibus atq; felicibus genitoribus procreatus, processit in mundum hic optimus Christi miles Siuiardus. Cuius nos conuersationem sanctam atq; honestissimam ab adolescentia sua optimè nouimus. Et quidem in ipsa sua adolescentia inter reliquos coætaneos suos valdè dissimilis erat in conuersatione: ætate scilicet iuuenis, sed moribus grandæuus erat. Non enim pueriliter leuis fuit, sed magis grauitatẽ fundatus. Et illud, quod solet iuuenilis ætas literaturæ disciplinam fugere ac laborem, hic summo expetijt deuotionis cultu. Ex quo sacro vsu, comitante Christi gratia, ita velut esuriens fauce auida cibum diuinæ sapientiæ hauriebat, vt etiam satiatus, semper ipse plùs esuriret, vt & ipsa de se loquitur Dei sapientia. Qui me, inquit, edit, adhuc esuriet: & qui bibit, adhuc sitiet. Ex quo sacro cibo, hic magnus puer Dei sufficienter in breui tempore cellulam suæ memoriæ de thesauro Dei copiosè repleuit. Hinc habes ætatẽ authoris historiæ huius. Genus S. Siuiardi & patria. Mores eius in adolescentia. Est discendi studiosus. Eccle. 24.

Et licèt iam in eius mente spiritus sapientiæ & intellectûs ex Dei munere refulgeret, tamen vt omnia per ordinem ageret, ad magistros, viros doctissimos, sæpiùs recurrebat, & assiduè prudenter interrogabat. Prudens etenim lector magis docet, si prudenter interrogauerit: ità & hic famulus Dei & semetipsum ex hoc pleniùs id conferendo erudiuit, & alios posteà plures ad salutem instruxit, vt verus magister docuit. Non enim solummodò verbis, sed potiùs mirificũ humilitatis ostendebat exemplũ. Festinauit nanq; ad perficiendam atq; complendam perfectionem euangelicam, vt optimus negociator venditis omnibus compararet preciosissimam cælestem margaritam. Desiderabat enim clericatus religiosum officium, vt verus & obediens monachus fieret, & vt Christi vestigia, relictis omnibus, per viam humilitatis & obedientiæ sequeretur. Quod &, consolante Domino, rectè perfecit, dum palàm mitis & humilis cunctis in conuersatione apparuit. Cõplectitur vitam monasticam.

Erat sanè vir Dei adspectu gratus, vultu placidus, moribus temperatus, animo deuotissi-

uotissimus: verbum semper diuino sale conditum habuit, & ad ædificationem fraternam paratum, factus verò est non solùm monachus, sed & per electionem fratrum, sacerdos & pater magnus ac doctissimus in cunctis salutaribus disciplinis. Et valdè ex gratia superna proficiebat, magìs conualescens, vt lumen fieret præclarũ huic mũdo, & positus super Ecclesiæ sanctæ candelabrum, fulgeret coram hominibus ex bonis ac sanctis operibus, velut lucerna optima. Et resplendebat in eo liquidè fulgor cælestis gratiæ. Erat igitur ornatus vniuersis virtutibus, quasi præclarissimis gemmis. Fidei etenim virtute robustus, & super petram solidam, id est, Christum firmatus, prudentia mira solers, iustitia rectus, humilitate præcipuus, & eloquentia clarus. In misericordia promptus, atq; in fraterna dilectione semper paratus: Honorem condignum senioribus exhibebat, & coæqualibus pietatis affectum: iunioribus vero rigorem disciplinæ cum temperantiæ moderamine. Præcipuè quoque castitat s & pudicitiæ gratia ab infantia fuit semper mundissimus, & in locutione cautus. Assiduus insupèr in oratione cum lachrymis, & in vigilijs sanctis pernoctans, In abstinentia verò corpus suum castigabat sepiùs: & nè quid nimìs fieret, in omni actione erat omninò discretus & sobrius. Miseris ac dolentibus per pietatem compatiens, & consolans destitutos. Diligebat prætereà peregrinos velut proprios, eratque largus hospitibus, & dispensator hilaris, pauperibus cibum tribuens, & nudos indumento contegens, ac infirmos visitatione consolans atque confortans Hic certè vir Dei forma optima & exemplum fuit ante oculos fidelium.

Catalogus virtutum eius.

Post genitoris sui sancti Sigiranni decessum, fratres ex Anisolensi monasterio elegerunt sibi præesse optimum pastorem. Qui non solùm terreno, sed multò magìs cælesti & spiritali cibo eos sæpiùs reficiebat, & ipsam Dei domum, vt vir prudens, tam in structura, quàm & in spiritali rigore pulcherrimè ædificauit, & inibi felicem cursum vitæ suæ miro modo consummauit. Similem penè, vt Apostolus Ioannes, ipse habuit vocationis suæ finem. Neque etenim audiuit aliquis plangere eum, aut contristari ante obitum suum. Et in eius sanctæ animæ egressu, vni tunc ex fratribus ostensa est visio, ità vt ostenderetur cunctis palàm, quanto ipse vir Dei esset culmine sanctitatis præcipuus. Nam visum est illi, vt dixit, lumen summæ claritatis, idque sibi viciniùs appropinquare. Et dum hanc admirabilem ipse visionem consideraret, adstiterunt ei beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, & in medio eorum anima illa sancta domini Siuiardi nimio fulgore candebat. Qui vtrique Apostoli vtranque eius manum tenere videbantur. Et fertur ad eum ille dixisse: Frater, ego Christo ago gratias, qui me dignatus est nunc in requie sua suscipere. Vado ecce cum dominis meis præsentibus: vos vero eulogias, quas ego parauì, ferte germanæ meæ & eius sororibus. O sacerdotem verum, qui nec post transitum oblitus est fraternæ dilectionis: sed magis ac magìs semper in eo flammauit feruor charitatis plenissimæ. Nam fides & spes cessant aliquandò in sanctis, & sola in eis post obitum excrescit flamma charitatis. Ità & in huius sancti clarè apparuit reuelatione. Eccè inter Apostolos visus est ille sanctus, qui per munditiam castitatis, & opera plenissimæ charitatis, ac mortificationis continentiam, & patientiæ perfectionem ad merita rectè creditur peruenisse apostolica, eorumque, inter quos clarus apparuit in fine, & à quibus perductus est in cælestem patriam ad maximam gloriæ coronam. Eccè quo præmio honoratur, & supra multa constituitur bonus ille seruus, qui super pauca inuentus est fidelis. Reuerà enim pater iste venerabilis perseuerauit semper cum fratribus, & non cessabat vsque in finem exhortari eos & consolando admonere, vt iugiter in sancto ordine perseuerarent, atque in Dei laudibus permaneret. Et cum cognouit proximum finem suum, non contristatus est valdè, sed orauit sobriè: & positis in lectulo sanctis membris, obdormiuit quietus in pace. Et quidem octauo anno regni domini Theodorici regis Calendis Martij sarcinam suæ deposuit carnis, & receptus est cum sanctis angelis in sedem cælestem, & apud Dominum nostrum Iesum Christum requiescit, quem verè dilexit, cui est gloria, honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Creatur Abbas Anisolensis.

Decedit, & visio offertur fratri cuidam de eius gloria.

Matth. 25.

Ad perseuerantiam suscepti propositi semper hortabatur monachos.

DE S. CEADDA VEL CEDDA EPISCOPO, EX BEDAE VENERABILIS ECCLESIASTICA HISTOria gentis Anglorum.



INtereà rex Alchfrid misit Vuilfridum presbyterum ad regem Galliarum, qui eum sibi suisque consecrari faceret episcopum. At ille misit illum ordinandũ ad Agilbertum, de quo suprà diximus, qui relicta Britannia, Parisiacæ ciuitatis factus erat episcopus, & consecratus est magno cum honore ab ipso, conuenientibus plurimis episcopis in vico regio, qui vocatur, In Compendio. Quo adhuc in transmarinis partibus post ordinationem demorante, imitatus industriam filij regis Osuui, misit Cantiam virum sanctum, modestũ moribus, scripturarum lectione sufficienter instructum, & ea quæ agenda in scripturis didicerat, operibus solerter exequentem: qui Eboracensis ecclesiæ ordinaretur episcopus. Erat autem presbyter, vocabulo Ceadda, frater reuerendissimi antistitis Ceddi, cuius sæpiùs meminimus, & Abbas monasterij illius, quod vocatur Lestingaheu. Misitq; rex cum eo presbyterum suum, vocabulo Eadhedum, qui posteà regnante Egfrido, Rypensis ecclesiæ præsul factus est. Verùm illi Cantiam peruenientes, inuenerunt Archiepiscopum Deusdedit iam migrâsse de seculo, & necdùm alium pro eo constitutum fuisse pontificem. Vndè diuerterunt ad prouinciam occidentalium Saxonum, vbi erat Vuini episcopus: & ab illo est vir præfatus consecratus antistes, assumptis in societatem ordinationis duobus de Britonum gente episcopis, qui Dominicũ Paschæ diem, vt sæpiùs dictum est, secùs morem canonicum à quartadecima vsque ad vicesimam primam Lunam celebrant. Non enim erat tunc vllus, excepto illo Vuini, in tota Britannia canonicè ordinatus episcopus. Consecratus ergò in episcopatum Ceadda, maximam mox cœpit Ecclesiasticæ veritati & castitati curam impendere, humilitati, continentiæ, lectioni operam dare: oppida, rura, casas, vicos, castella, propter euangelizandum non equitando, sed Apostolorum more pedibus incedendo peragrare. Erat enim discipulus Aidani, iisdemq; actibus ac moribus, iuxta exemplum eius ac fratris sui Ceddi, suos instituere curauit auditores.

Martij 2. Lib. 3. c. 28. — Virtutes S. Ceaddæ. — Ceadda cõsecratur episcopus.

Iraque Theodorus perlustrans vniuersa (fuerat is Theodorus Romæ à Vitaliano Pontifice ordinatus episcopus, & missus in Britanniam) ordinabat locis opportunis episcopos, & ea, quæ minùs perfecta reperit, his quoq; iuuantibus corrigebat. In quibus & Ceaddam episcopum cùm argueret non fuisse ritè consecratum, respondẽs ipse voce humilima, dixit: Si me, inquit, nosti episcopatum non ritè suscepisse, libenter ab officio discedo: quippe qui neq; me vnquam hoc esse dignum arbitrabar: sed obedientiæ causa iussus subire hoc quanuis indignus consensi. At ille audiens humilitatem responsionis eius, dixit non eum episcopatum dimittere debere: sed ipse ordinationem eius denuò catholica ratione consummauit.

Lib. 4. cap. 2.

Eo tempore prouinciæ Merciorum rex Vulfhere præfuit: qui cùm mortuo Iarumãno, sibi suisque à Theodoro episcopum dari peteret, non eis nouum voluit ordinare episcopum, sed postulâuit à rege Osuuio, vt illis episcopus Ceadda daretur: qui tunc in monasterio suo, quod est in Lestingaheu, quietam vitam agebat, Vuilfrido administrante episcopatum Eboracensis ecclesiæ, necnon & omnium * Nordan Humbrorum, sed & Pictorum, quousque rex Osuui imperium protendere poterat. Et quia moris erat eidem reuerendissimo antistiti opus Euangelij magis ambulãdo per loca, quam equitando perficere: iussit eum Theodorus, vbicunque longiùs iter instaret, equitare, multumque retinentem studio & amore pij laboris, ipse eum manu sua leuauit in equum: quia nimirùm sanctum virum esse comperit, atque equo vehi, quò esset necesse, compulit.

Lib. 4. cap. 3. — * Nordanhimbrorũ.

Susceptum itaq; episcopatum gentis Merciorum simul & Lindisfarorum, Ceadda iuxta exempla patrum antiquorum, in magna vitæ perfectione administrare curauit. Cui etiam Rex Vulfhere donauit terram quinquaginta familiarum ad construẽdum monasterium in loco, qui dicitur Etbearut, id est, ad nemus, in prouincia Lindissi: In quo vsq; hodiè instituta ab ipso regularis vitæ vestigia permanẽt. Habuit autẽ sedem episcopalem in loco, qui vocatur Liccidfelth, in quo & defunctus ac sepultus est: vbi vsq; hodie sequentium quoq; prouinciæ illius episcoporum sedes est. Fecerat verò si-

Pro monasterio construendo quantũ illi rex contulerit.

 bi mansio.

bi mansionem non longè ab ecclesia remotiorem, in qua secretiùs cum paucis, id est, septem siue octo fratribus, quotiès à labore & ministerio verbi vacabat, orare, ac legere solebat.

Eccles. 3. Qui cùm in illa prouincia duobus annis ac dimidio ecclesiam gloriosissimè rexisset, affuit superno dispensante iudicio tempus, de quo loquitur Ecclesiastes, Quia tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Superuenit nanq; clades diuinitùs missa, quæ per mortem carnis viuos Ecclesiæ lapides de terrenis sedibus ad ædificium cæleste transferret. Cumque plurimis de ecclesia eiusdem reuerendissimi Antistitis de carne subtractis, veniret hora ipsius, vt transiret de hoc mundo ad Dominum, contigit die quadam, vt in præfata mansione fortè ipse cum vno tantùm fratre, cui vocabulum erat Ouuinus, commoraretur, cæteris eius socijs pro causa opportuna ad ecclesiam reuersis. Erat autem idem Ouuinus magni meriti monachus, & pura intentione supernæ retributionis mundum derelinquens, dignusq; per omnia, cui Dominus specialiter sua reuelaret arcana, dignus, cui fidem narranti audientes accommodarent. Venerat enim cum Regina Edildride de prouincia Orientalium Anglorum, eratq; primus ministrorum, & princeps domus eius. Qui cùm crescente fidei feruore, seculo abrenunciare disponeret, non hoc segniter fecit: sed adeò se mundi rebus exuit, vt relictis omnibus, quæ habebat, simplici tantùm habitu indutus, & securim & asciam in manu ferens, veniret ad monasteriũ eiusdẽ reuerendissimi patris, quod vocatur Lestingen. Nõ enim ad ocium, vt quidam, sed ad laborem se monasterium intrare signabat, quod ipsum etiam facto monstrauit. Nam quo minùs sufficiebat meditationi scripturarum, eo ampliùs operi manuum studium impendebat. Deniq; cum episcopo in prefata mãsione pro suæ reuerentia deuotionis inter fratres habitus, cùm illi intùs lectioni vacabant, ipse foris, quæ opùs esse videbat, operabatur.

Ouuinus, egregius monachus ex præfecto aulæ regiæ.

Qui cùm die quadam tale aliquid foris ageret, digressis ad ecclesiam socijs, vt dicere cœperam, & episcopus solus in oratorio loci lectioni vel orationi operam daret, audiuit repentè, vt posteà referebat, vocem suauissimam cantantium atq; lætantium, de cælo ad terras vsque descendere. Quam videlicet vocem ab Euroaustro, id est, ab alto brumalis exortus primò se audisse dicebat, ac deindè paulatim eam sibi appropinquare, donec ad tectum vsq; oratorij, in quo erat episcopus, perueniret: quod ingressa, totum impleuit, atq; in gyro circundedit. At ille dum solicitus in ea, quæ audiebat, animũ intenderet, audiuit denuò, transacto quasi dimidio horæ spatio, ascendere de tecto eiusdem oratorij idem lætitiæ canticum, & ipsa, qua venerat, via ad cælos cum ineffabili dulcedine reuerti. Qui cùm aliquantulum horæ quasi attonitus maneret, & quid hæc essent, solerti animo scrutaretur, aperuit episcopus fenestram oratorij, & sonitum manu faciens, vt sæpiùs consueuit, si quis foris esset, ad se intrare præcepit. Introiuit ille concitus. Cui dixit Antistes: Vade citò ad ecclesiam, & hos septem fratres huc venire facito, tu quoque simul adesto. Qui cùm venissent, primò admonuit eos, vt virtutem dilectionis & pacis adinuicèm & ad omnes fideles seruarent: Instituta quoque disciplinæ regularis, quæ vel ab ipso didicissent, & in ipso vidissent, vel in patrũ præcedentiũ factis siue dictis inuenissent, indefessa instantia sequerentur. Deindè subiũxit diẽ sui obitùs iã proximè instare. Nanque hospes, inquit, ille amabilis, qui fratres nostros visitare solebat, ad me quoque hodiè venire, hocq; de seculo euocare dignatus est. propter quod reuertentes ad ecclesiam, dicite fratribus, vt meum exitum Domino precibus commendent, & suum quoque exitum, cuius hora incerta est, vigilijs, orationibus, bonis operibus præuenire meminerint.

Sancti viri exitum suum vigilijs, orationibus & bonis operibus præueniunt.

Cumque hæc & huiusmodi plura loqueretur, atq; illi, percepta eius benedictione, iã multùm tristes existerent, redijt ipse solus, qui carmẽ cæleste audierat, & prosternens se in terram, ait: Obsecro pater, licétne aliquid interrogare? Interroga, inquit, quæ vis. At ille: Obsecro, inquit, dicas, quod erat canticum illud lætantium, quod audiui, venientium de celis super oratorium hoc, & post tempus redeuntium ad cælos. Respondit ille: Si voces carminis audîsti, & cælestes superuenire cœtus cognouisti, præcipio tibi in nomine Domini, nè hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Reuerà autem angelorũ spiritus, qui me ad celestia, quę semper amabã ac desiderabam, pręmia vocare venerũt, & post dies septem se redituros, ac me secum adducturos esse promiserunt. Quod quidem ità, vt ei prædictum erat, opere completum est. Nam cõfestim languore corporis tactus est, & hoc per dies ingrauescente, septimo, vt promissum ei fuerat, die, postquã obitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, soluta ab ergastulo

ſtulo corporis anima ſancta, ducentibus, vt credi fas eſt, angelis comitibus, æterna gaudia petiuit. Non autem mirum, ſi idè mortis, vel potiùs diem Domini lætus adſpexit, quem ſemper, vſq; dum viueret, ſolicitus expectare curauit. Eucharistia ſemunit ſub mortem.

Nanq; inter plura continentiæ, humilitatis, doctrinæ, orationis, voluntariæ paupertatis, & cæterarum virtutum merita, intantùm erat timori Domini ſubditus, intantùm nouiſſimorum ſuorum in omnibus operibus ſuis memor, vt ſicut mihi quidam frater de his, qui me in ſcripturis erudiebant, & erat in monaſterio ac magiſterio illius educatus, vocabulo * Trumbrecht, referre ſolebat, ſi fortè legente eo, vel aliud quid agente, repentè flatus venti maior aſſurgeret, continuò miſericordiam Domini inuocaret, & eam generi humano propiciari rogaret. Si aūt violentior aura inſiſteret, iam clauſo codice, procideret in faciem, atq; obnixiùs orationi incumberet. At ſi procella fortior aut nimbus perurgeret, vel eſſet coruſcatio, ac tonitrua terras & aera terrerēt, tunc veniens ad eccleſiam, ſolicitus orationibus ac pſalmis, donèc ſerenitas aeris rediret, fixa mente vacaret. *Trūbert.

Cumq; interrogaretur à ſuis, quarè hoc faceret, reſpondebat: Non legiſtis, quia intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam: Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos? Mouet enim aera Dominus, ventos excitat, iaculatur fulgura, de cælo intonat, vt terrigenas ad timendum ſe ſuſcitet, vt corda eorum in memoriam futuri iudicij reuocet, vt ſuperbiam eorum diſſipet, & cōturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quandò ipſe, cælis ac terris ardentibus, vēturus eſt in nubibus cum poteſtate magna ac maieſtate ad iudicandos viuos ac mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni eius cæleſti debito cum timore & amore reſpondere: vt quotiès aere commoto, manum quaſi ad feriendum minitans erexit, nec adhuc tamen percutit, mox eius imploremus miſericordiam, & diſcuſſis penetralibus cordis noſtri, atq; expurgatis vitiorum ruderibus, ſoliciti, nè vnquàm percuti mereamur, agamus. Pſal. 17. Matth. 24. Quid agendum, dum graſſatur tempeſtas.

Conuenit autem reuelationi & relationi præfati fratris de obitu huius antiſtitis, etiam ſermo reuerendiſſimi patris Egberti, de quo ſuprà diximus, qui dudùm cum eodem Ceadda adoleſcente, & ipſe adoleſcens in Hybernia monachicam in orationibus & continentia ac meditatione diuinarum ſcripturarum vitam ſedulus agebat. Sed illo poſtmodùm in patriam reuerſo, ipſe peregrinus pro Domino vſq; ad finem vitæ permanſit. Cùm ergò veniret ad eum longo poſt tempore gratia viſitationis de Britannia vir ſanctiſſimus & continentiſſimus, vocabulo Higbald, qui erat Abbas in prouincia Lindiſſi, &, vt ſanctos decebat, de vita patrum priorum ſermonem facerent, atque hanc æmulari gauderent, interuenit mentio reuerendiſſimi antiſtitis Ceadda, dixitq; Egbert: Scio hominem in hac inſula adhuc in carne manentem, qui, cùm vir ille de mundo tranſiret, vidit animam Ceaddi, fratris ipſius, cum agmine angelorum deſcendere de cælo, & aſſumpta ſecum anima eius, ad cæleſtia regna redire. Quod vtrùm de ſe, an de alio aliquo diceret, nobis remanet incertum. Egbertus monachus. Higbald Abbas.

Obijt autem Ceadda ſexto die Nonarum Martiarum, & ſepultus eſt quidem primò iuxtà eccleſiam ſanctæ Mariæ: ſed poſtmodùm ibidem conſtructa eccleſia beatiſſimi principis Apoſtolorum Petri, in eandem ſunt eius oſſa tranſlata: in quo vtroq; loco, ad indicium virtutis illius, ſolent crebra ſanitatum miracula operari. Deniquè nuper phreneticus quidam, dum per cuncta errando diſcurreret, deuenit ibì veſpere, neſcientibus ſiue non curantibus loci cuſtodibus: & ibì tota nocte requieſcens, manè ſanato ſenſu egreſſus, mirantibus & gaudentibus cunctis, quòd ibì ſanitatem, Domino largiente, conſecutus eſſet, oſtendit. Eſt autem locus ſepulcri tumba lignea, in modum domunculæ facta, coopertus, habens foramen in pariete, per quod ſolent hi, qui cauſa deuotionis illò adueniunt, manum ſuam immittere, ac partem pulueris indè aſſumere: quam cùm in aquas miſerint, atq; has infirmantibus iumentis ſiue hominibus guſtandas dederint, mox infirmitatis ablata moleſtia, ad cupitæ ſoſpitatis gaudia redeūt. In cuius locum ordinauit Theodorus Vuinfridum, virum bonum & modeſtum, qui, ſicut prædeceſſores eius, prouincijs Merciorum & mediterraneorum Anglorum & Lindiſfarorum epiſcopatus officio præeſſet: in quibus cunctis Vulfhere, qui adhuc ſupererat, ſceptrum regni tenebat. Erat autem Vuinfridus de clero eius, cui ipſe ſucceſſerat, antiſtitis, & diaconatus officio ſub eo non pauco tempore fungebatur. Ceadda decedit è vita. Nota priſcorum Chriſtianorum erga reliquias deuotionem.

DE

DE S. VVILLEICO CONFESSORE HABETVR SVPRA IN vita S. Suuiberti Episcopi, cap. 26.

MARTYRIVM SS. MARINI ET ASTERII,

EX HISTORIAE ECCLESIASTICAE EVSEBII *lib. 7. cap. 14. interprete Ioanne Christophorsono, Angliæ episcopo.*

Martij 3.



ISdem temporibus, cùm pax in ecclesijs vbiquè vigeret, Marinus, vnus ex his, qui in exercitu Romano magnum decus & honorem fuissent consecuti, vir & genere illustris, & diuitijs locuples, propter testimonium Christi Cæsareæ Palæstinæ tali de causa capite damnatus fuit. Est quidam honos apud Romanos, qui κλῆμα appellatur: quem qui adipiscuntur, eos Centuriones fieri aiunt. Cùm locus vacaret, ordo postulabat, vt Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quòd erat Christianus, tum quòd Imperatoribus non immolâsset: Ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis illi non licet eum dignitatis gradum apud Romanos adipisci: sed illud quicquid est muneris, mihi iurè impertiri debet. Vndè iudex commotus (Achiuus hic erat genere) primò sciscitatus est, cuiusnam sententiæ & religionis esset Marinus. Quem vt animaduertit constanter se Christianum esse confitentem, trium horarum spatium ei ad deliberandum dat. Hunc è iudicio egressum Theotecnus, qui illic erat episcopus, ad se colloquendi causa inuitat: & præhensa manu, rectà deducit in ecclesiam. Quem cùm interiùs ad ipsum sanctuarium collocauisset, læua paululùm in alteram partem dimota, gladium, quo cingebatur, ostendit: simulque diuinorum Euangeliorum librum adferens, ex aduerso proponit, præcipitque, vt ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia, deligeret. Vbi verò absque cunctatione porrecta manu dextra sacrum librum accepit, Theotecnus sic illum affatur: Tene & adhæresce Deo. sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequére. Abi in pace. Illum statim indè redeuntem præco pro tribunali aduocat. iam enim tempus illi præstitutum ad deliberandum, erat completum. Sistit se pro tribunali: qui cùm maiorem iam, quàm anteà, fidei ardorem ac studium declarâsset, actutùm indè, vt erat, ad mortem rectà abductus, martyrio excessit è vita. Asterius etiam, vir è senatorum Romanorum numero, cùm Imperatoribus in primis charus, tum omnibus & nobilitatis & facultatum gratia conspicuus, in eadem ciuitate, propter diuinam animi propensionem, quam tam liberè erga veram pietatem declarâsset, omnium sermone celebrabatur. Qui cùm martyri ipso mortis articulo præstò adesset, simulatque è vita migrârat, cadauer tollit, splendida & preciosa obtegit veste, atque humeris impositum, indè deportat. quod cum magnifico & sumptuoso linteo inuoluisset, decenti sepulcro condidit. Huius viri familiares, qui hucusque vitam produxerunt, cùm alia infinita præclara eius facta memorant, tum istud in primis, quod sequitur, quodque plenum est admirationis. Cæsareæ Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, fertur victimam quandam in fontes, qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt, ex quibus Iordanem profluere dicitur, in quadam diei festi gentilium celebritate mactatam, conijci: atq; eam demonis vi ac potestate mirãdum in modum ab eorum adspectu euanescere, miraculumq; videri præsentibus valdè memorabile. Quibus, dum gerebantur, Asterium quodã tempore fortè interfuisse: ac cùm videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorum erroris admodùm misertũ esse. Deindè sublatis in cælum oculis, Deum omnium rerum moderatorem per Christum supplicem precatum, vt dæmonium illud, quod populum tanto errore cæcauisset, comprimeret, ipsum à fraude ac fallacijs, quas hominibus solet intendere, coerceret. Hoc modo cùm Deum orauisset, repentinò victimam fontibus supernatâsse: atque ità rem illam, quam tantoperè mirari consueuerant, in nihilum interijsse, vsqueadeò vt nullum in posterum in eo loco ex

κλῆμα dignitas apud Romanos.

Theotecnus Cæsareens. episcopus.

Marinus caditur.

Asterius Senator Marini corpus extinctum mandat sepulturæ.

Iordanis vndè profluat.

co ex

co ex ea omninò ederetur miraculum. Hactenus ex versione doctissimi viri Iohãnis Christophorsoni, Angliæ Episcopi, ex qua quidem animaduerti non potest Asterium pro fide Christi martyriũ obijsse: sed id ex Ruffini versione habent vetustissima Martyrologia Bedæ, Vsuardi, Adonis &c. Ibì enim sic legitur: Inter cæteros cũctis clarior, & meritis fidei supra cæteros insignis memoratur Asterius, vir Romanæ vrbis Senator, patritius, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regia & omni bonorum fama satìs clarus. Qui cùm supradicti martyris extremis interesset exequijs, & capite cæsum cadauer subiectis humeris suis, & substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem, quem martyri detulit, continuò ipse martyr assequitur. Lib. 7. cap. 14.

VITA SANCTORVM MARTYRVM HEMITERII ET CHELIDONII CALAGVRITANORVM, PER *Aurelium Prudentium scripta.*

Habetur in Peristephanon. Hymno 1.

SCripta sunt cælo duorum Martyrum vocabula: 3. Martij.
Aureis, quæ Christus illic annotauit literis,
Sanguinis notis & idem scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem terra Ibera stemmate.
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo:
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit vndas cæde tinctus duplici.
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant, obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri nec non & orbis huc colonus aduenit: Peregrinationes & conuentus & sepulcra sanctorũ.
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando frustrà congessit preces.
Lætus hinc tersis reuertit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est:
Non sinant, inane vt vllus voce murmur fuderit.
Audiunt, statimque ad aurem regis æterni ferunt. Præstant beneficia poscentibus.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt.
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negauit Christus vnquàm testibus,
Testibus, quos nec catenæ, dira nec mors terruit
Vnicum Deum fateri sanguinis dispendio:
Sanguinis sed tale damnum lux rependit * longior. *largior.
Hoc genus mortis decorum est: hoc probis dignum viris,
Membra morbis exedenda texta venis languidis,
Hostico donare ferro, morte & hostem vincere.
Pulchra res, ictum sub ense persecutoris pati.
Nobilis per vulnus amplum porta iustis panditur.
Lota mens in fonte rubro sede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
Milites: quos ad perenne cingulum Christus vocat.
Sueta virtus bello & armis, militat sacrarijs. Hemeterius & Chelidonius milites.
Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis.
Proque ventosis draconum, quos gerebant, pallijs,
Præferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.
Vile censent, expeditis ferre dextris spicula,
Machinis murum ferire, castra fossis cingere,
Impias manus cruentis inquinare stragibus.
Forte tunc atrox secundos Israelis posteros
Ductor aulæ mundialis ire ad aram iusserat,
Idolis litare nigris, esse Christi defugas.
Liberam succincta ferro pestis vrgebat fidem.

Illa

Illa virgas & secures, & bisulcas vngulas
Martyrũ fortitudo Vltrò fortis expetebat, Christi amore interrita.
Carcer illigata duris colla boijs impedit.
Barbaras forum per omne tortor exercet manus.
Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.
* perculit Tunc & ense cæsa virtus triste * percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis ore flammas sorbuit.
Dulce tunc iustis cremari, dulce ferrum perpeti.
Hic duorum chara fratrum conualescunt pectora,
Fida quos per omne tempus iunxerat sodalitas.
Stant parati ferre, quicquid sors tulisset vltima:
Seu foret præbenda ceruix ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum, post catastas igneas:
Siue pardis offerendum pectus, aut leonibus.
Nos ne Christo procreati, Mammonæ dicabimur:
Et Dei formam gerentes, seruiemus seculo?
Absit, vt cælestis ignis se tenebris misceat.
Sit satis, quòd capta primo vita sub chirographo
Debitum persoluit omne, functa rebus Cæsaris.
Renunciāt militiæ. Tempus est Deo rependi, quicquid est proprium Dei.
Ite signorum magistri, vos tribuni assistite:
Aureos auferte torques, sauciorum præmia.
Clara nos hinc angelorum iam vocant stipendia.
Christus illic candidatis præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat infames deos,
Vosque, qui ridenda vobis monstra diuos fingitis.
Atrociter puniũtur. Hæc loquentes, obruuntur mille pœnis martyres.
Nexibus manus vtrasque flexus inuoluit rigor,
Et chalybs attrita colla grauibus ambit circulis.
O vetustatis silentis obsoleta obliuio.
Inuidentur ista nobis: fama & ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit:
Nota hic causam, quare multæ sanctorũ vitæ perierint. Nè tenacibus libellis erudita secula,
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.
Hoc tamen solùm vetusta subtrahunt silentia,
Iugibus longum catenis an capillum pauerint,
Quo viros dolore tortor, quá ve pœna ornauerit.
Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quòd sursùm per auras euolârunt munera,
Quæ viam patere cæli præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur annulus:
Hic sui dat pignus oris (vt ferunt) orarium.
Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum:
Aer poli liquentis axem fulgor auri absconditur.
Ac diù visum sequacem textilis candor fugit.
Subuehuntur vsque in astra, nec videntur ampliùs.
Vidit hoc conuentus adstans, ipse vidit carnifex,
Et manum repressit hærens, ac stupore obpalluit:
Sed tamen peregit ictum, nè periret gloria.
Iám ne credis bruta quondàm Vasconum gentilitas,
Quàm sacrum crudelis error immolârit sanguinem?
Ecce quæ virtutes fiāt ad sepulcra Martyrū. Credis in Deum relatos hostiarum spiritus?
Cerne, quàm palàm feroces hic domantur dæmones,
Qui lupino capta rictu deuorant præcordia,
Strangulant mentes & ipsas, seque miscent sensibus.
Tunc suo iam plenus hoste sistitur furens homo,
Spumeas efflans salinas, cruda torquens lumina,

Expi-

Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor adstat, ciulatus flebiles.
Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur.
Crescit & suspensus ipse vinculis latentibus.
His modis spurcum latronem martyrum virtus quatit:
Hæc coërcet, torquet, vrit, hæc catenas incutit.
Prædo vexatus, relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit:
Vngue ab imo vsq; ad capillum salua reddit omnia,
Confitens ardere sese, nam gehennæ est incola.
Quid loquar purgata longis alba morbis corpora,
Algidus cùm decolores horror artus concutit?
Hic tumor vultum relinquit, hîc color verus redit.
Hoc bonum Saluator ipse quo fruamur præstitit,
Martyrum cùm membra nostro consecrauit oppido,
Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus alluit.
State nunc hymnistæ matres pro receptis paruulis,
Coniugum salute læta vox maritarum strepat:
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium. Festa dies horũ Martyrum.

VITA S. VVINVVALOCI ABBATIS, EX VETVSTIS MS. CODICIBVS, MVTATO STYLO

per F. Laurent. Surium descripta: & quidem aliquot locis paraphrasticos.



FVit in Britannijs vir illustris Fracanus nomine, consobrinus Cotonij regis Britannici, idemque vir bonus & integer, Christianaque religione initiatus. Hic ex coniuge sua, cuius nomen non exprimitur, filium suscepit Vuinuualocum, qui in ipsis primæ ætatis initijs cœpit ardere desiderio rerum cælestium, mundi respuere illecebras, & soli Deo velle viuere. Orabat itaq; opportunè, importunè parentes suos, vt literarum studijs imbuendus cuidam viro Dei traderetur. Pater id renuebat, cupiens eum ad ea, quæ mundi huius sunt, promouere. At pius puer dolens se suo frustrari voto, ad Deum se conuertit, eius opem attentissimis precibus implorans. Non defuit Dominus eius religiosis desiderijs. Cùm enim die quodam pater eius proficisceretur ad visendos greges suos, qui amœnis in locis pascebantur, vbi eò peruenit, subitò extitere super eum horrenda cæli tonitrua, & sic eum ruentia cælitùs fulgura complexa sunt, vt nimio terrore & horrore prostratus, penè exanimis in terram decideret. In has igitur de improuiso redactus angustias, animaduertit diuinitùs isthuc fieri, Deumq; ab ipso reposcere filium, quem ille mundi nexibus vellet implicari. Itaq; mox in has prorupit preces: Domine Deus, rex omnipotens, cuius sanctissimæ voluntati par est neminem obluctari: scio quòd causa filij mei, quem tibi deuotum, ego ijs quæ mundi sunt, volui applicare, isthæc patior. Sed ecce eum tibi deuoueo, tuum ego tibi restituo: quinetiam ambos eius germanos fratres, natu maiores, tuæ militiæ libens transcribo.

3. Martij: S. Vuinuualoci patria & parentes.

Pater eius eũ Christo consecrat.

Euoluto indè septem dierum spatio, cum filio suo Vuinuualoco ad quendam virum Dei, qui tunc columna Ecclesiæ videbatur, profectus est. In ipso autem itinere ingens orta tempestas, diem serenum in obscuram noctem repentè mutare visa est. Stupebat & pauebat pater, at Vuinuualocus religiosus puer securo & hilari animo dixit ei: Noli timere pater. Num censes difficile ei, qui ex nihilo omnia creauit, hanc aëris tempestatem in placidissimam tranquillitatem conuertere? Cùm sint verò omnia possibilia credenti, fideles ei preces offeramus, & restituet nobis serenam lucem. Simulatquè ab illis oratum est, adeò per Dei gratiam illa repentina tempestas & horrida nox in iucundam est mutata tranquillitatem & serenitatem, vt nec tenuis nubecula cæli faciem obfuscaret. Ea res itineris comites ad agendas Deo gratias laudesq; permouit. Tandèm ventum est ad virum sanctum, ad quem habebant iter: eique Vuinuualoci:

Marc. 9. Vuinuualocus puer precibus pellit tempestatem.

uualoci pater, quid in itinere euenisset, exposuit. Admiratur ille vir Dei, iubetque pium puerum suis sisti conspectibus. Adueniens autem Vuinuualocus puer, totum se humi prosternit, & Deum in sancti viri pectore habitantẽ adorat. At ille vir venerabilis, gratiam Dei in puero tacitus contemplans, patri eius dixit: Hic filius tuus ætatem moribus transscendens, permultis erit causa salutis æternæ. Et tu quidem ætate eum puerũ conspicis, ego verò animo eum iam cerno virum perfectum. Cùm hæc & id genus alia in laudem pueri vir sanctus dixisset, patrem eius mirificè exhilarauit: qui accepta ab eodem benedictiõe, relicto sub suaui Christi iugo & sancti spiritus magisterio filio suo, lætus ad sua reuersus est. Porrò sanctus puer Vuinuualocus, pro carnali parẽte amplectens spiritalem, sub illo non modò literarum, sed etiã virtutum scholam ingressus est, breuique tempore pro ingenij felicitate & viuacitate magnos in literis progressus habuit, ita vt in ipsis adolescentiæ annis etiam in diuinarum intelligentia scripturarũ non mediocriter excellere videretur. Aderat enim illi gratia spiritus sancti, quæ eius mentem suis radijs illustraret.

Vaticiniũ de S. Vuinuualoco.

Profectus eius in literis.

Per id tempus eius pater spiritalis orandi causa locum quendam inuisurus, puerum Domini Vuinuualocum cum condiscipulis in monasterio reliquit, sancta exhortatione priùs eorum confirmatis animis, nè quid ætas lubrica ipso absente peccaret. Verùm illo custode remoto, Vuinuualoci condiscipuli gaudent aprici gramine cãpi, parumq; memores paternarum admonitionum, vt solet indomita puerorum ætas, quodam die vacant lusibus, & per agros cursitantes, oblectant sese: sed ecce interim vnus ex illis crus frangit, & extrema gaudij luctus ingens & mœror occupat, cunctis eo casu valde dolentibus. At verò pius puer Vuinuualocus hortatus est eos, nè turbarentur, sed toto pectore in preces incumberent, salutemq; læso à Domino impetrarent. Non enim difficile est, inquit, illi crus fractum reformare, qui intrà matris viscera totum hominem formauit. His verbis compuncti sunt corde, & cœperunt orare clementiam Saluatoris. Porrò Vuinuualocus erectis in cælum manibus & oculis, ità precatus est: Domine Iesu Christe, qui ligni vetiti concupiscentia prostratum mundum vitalis ligni remedio instaurâsti, & in eodem æternæ salutis gustum te esurientibus obtulisti: Domine omnipotens, qui cæcis visum, claudis gressum, mancis manuum officia, leprosis munditiam, mortuis vitam reddidisti: audi preces, quas tibi supplices deferimus, & tua inuisibili medicina huic fratri nostro pristinam restitue incolumitatem. Sic orauit, & salutari crucis signo plagæ locum vndiquè consignans, dexteram eius appræhendit, & dixit clara voce: In nomine Domini nostri Iesu Christi surge, & Deo gratias age. Ad hanc verò vocem tam ille mox surrexit sanus & incolumis, vt nec vestigium quidem vllum fracti cruris appareret. Et Vuinuualocus quidem rogauit eos, qui aderant, vt hanc rem apud se tacitam haberent: sed Deo volente producta est in publicum, & ad omnium notitiam peruenit.

Precibus & crucis signo sanat fractum crus.

Obtinebat sancti huius pueri animum ingens commiseratio erga mendicos & inopes, & cum videret stipem publicè emendicantes, non raro, ab imo pectore ductis suspiriis, lachrymas fundebat: cumque non suppeteret, quo eorum posset leuare inopiam, solebat eos cælestibus fouere consolationibus: & qui corporibus non posset, saltem animis aliquod adhibere leuamen. Quo quidem in studio cùm ille esset assiduus, non defuit, qui vndè proficere debuit, indè sibi inuidiæ & liuoris materiam hauriret, & sanctum Dei hominem conuicijs proscindere non vereretur. Ille verò arrepto patientiæ scuto, pro maledictis benedictionem reddidit, eique gratias egit. Interim ex Actibus Apostolorum eius animo succurrebat, quemadmodum beatissimus Petrus Apostolus mendicantem claudum non auro vel argento, sed Dei virtute curasset: moxque de Dei benignitate & ope securus, cæcum quendam è medio hominum languidorum seorsùm abduxit, & sic Dominum rogauit. Iesu fili Dauid, aperi quæso oculos cæci huius, vt tuam ille sentiens eximiam virtutem, te in creaturis tuis admirabilem & gloriosum prædicet, teque laudet & benedicat. Deindè pijs manibus vtrunque contrectans oculum, & saliua oris sui perungens, clara voce dixit: Apostolicis ego te verbis compello: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Domini nostri respice. Confestim ille vidit, cunctis admirantibus, & Deo sanctum suum mirificanti, gratias agentibus.

Eius cõmiseratio in inopes.

Acto. 3.

Cæcus visum recepit.

Erat verò sancto Vuinuualoco soror vnica, quæ in parentum manebat domo, virgo & puella tenerrima. Hæc die quodam cum puellis coætaneis puerili se ludo oble-

oblectans, in magnam repentè incidit calamitatem. Nam anser vnus ex domesticis, eius excussit oculum & deglutiuit. Mox autem dolor ingens puellam obtinuit, ita vt ad mortem vrgeri videretur. Ea res supra modum parentes eius afflixit, ità vt nullam prorsùs consolationem admitterent, sed eam perindè atquè iam extinctam plorarent. Quorum misertus Deus, per angelum suum rem gestam Vuinuualoco indicauit, iussitque eum ire ad paternas ædes, & sorori oculum, parentibus verò animi iucūditatem restituere. Eadem nocte surgit Vuinuualocus, venit ad parentes valdè perturbatos, iubetque, vt ab angelo edoctus erat, anseres coram se adduci, ex ijsque vnum appræhendit, eiusque ventrem ferro secans, oculum sororis integrum indè extraxit, restituitque in locum pristinum, non sine multa eorum, qui huic spectaculo intererant, admiratione. Porro etiam anserem sanum iussit abscedere ad gregem suum. Posteà valedicens parentibus, ad amicæ habitationis locum reuersus est. Sorori suæ S. Vuinuualocus oculum restituit.

Cœperunt intereà quidam se in eius tradere disciplinam, quibus ille sanctarum scripturarum arcanos & mysticos sensus aperiebat. Accidit autem, cùm aliquandò quasdam illis quæstiones pro more enodásset, vt vnus ex discipulis eius secedens, quæ ex magistri ore audierat, accuratè secum ipse repeteret & ruminaret. Sed huic studio intentum somnus corripuit: & ecce è suis latibulis sese serpens proripiens, dormientis pedem morsu virulento appetit, rursusque in suas se latebras abdit. Mox se per omnes artus letiferum diffundit virus, & intumescente corpore, iam mors subitanea adfutura videbatur. Euigilans ille, & in tam præsenti se periculo constitutum admirans, cùm facilè sentiret, nisi diuinitùs ipsi subueniretur, actum fore de vita sua: cum bona fiducia adijt Vuinuualocum magistrum suum, & cum multis lachrymis ab illo petijt, vt suis precibus à Domino salutem ipsi impetraret. Eum verò sanctus Vuinuualocus humi iacentem erexit, & cum illo pariter abijt ad locum, vbi à serpente percussus erat: ibique fusa ad Deum prece, voce magna iussit serpentem è suo specu prodire in publicum. Mox ille è sua cauerna egreditur, squamis horridus, linguamque vibrās trisulcam, ictus mortiferos intentat. Porrò sanctus Vuinuualocus contra illum extensa manu, crucis figuram exprimit, & signo vitali tanquàm hastæ cuspide ità eum transfixit, vt creparet medius, finemque faceret deincèps alios lædendi. Deindè aquam oleo, ipsius benedictione sacrato, permixtam ægro bibendam dedit, eaque virus omne profligauit. Redibant detumescentia membra ad decorem pristinum, & homini est aucta salus & incolumitas corporis. Fertur posteà vir sanctus a patre suo & alijs fidelibus rogatus, à Deo id precibus obtinuisse, vt in illa regione serpentes viuere non possint. Nā si qui capiendi experimenti causa eò adducantur, eos tanquàm telo ictos, mox expirare aiunt. Crucis signo serpētem perimit, & oleo sacrato pellit virus.

Opilione quodam suos pascente greges, fulgura & tonitrua subitò extitêre, & cùm ijs pariter ingens aëris tempestas, adeò vt ille propemodùm exanimis redderetur. Itaque huc illucque diffugiunt oues, & eum instàr coronæ vndiquè lupi circundant. Discussa vero tempestate, cùm se collegisset, luposque circunsistentes esset intuitus, multùm exhorruit, magnaque voce exclamans, Vuinuualoce, inquit, serue Dei, in tanto periculo nè desis mihi. Vix ille verba compleuerat, & ecce visus est adesse sanctus Vuinuualocus, & vsque ad diluculum immanes bestias, hominis sanguinem sitientes, leui virga abigere. Quibus profligatis, Opilio integras suas collegit oues, ac deindè sancti Vuinuualoci monasterium adijt, in quo vir sanctus illa nocte in Dei laudibus pernoctàrat, eique rem omnem explicauit. At vir Dei, humanos volens declinare fauores, præcepit ei, nè cuiquam alij diceret, seque in cellulam abdidit. Opilio verò indignum arbitratus diuina reticere beneficia, quid per sanctum suum Dominus ipsi præstitisset, omnibus enarrauit. Nota viri sancti modestiam.

Pater viri Dei Fracanus cum duce quodam eiusdem regni equestris certaminis spectaculum editurus, diem opportunum præfixit, quo equi illorum inter se cursu certarent. Aderat iam ille dies, & ad spectaculum multi confluxêre mortales. Procedunt in medium campum egregiè instructi & equi & equites, & signo dato, laxatisque habenis, volant equi, & fit ingens spectantium applausus. Interim dubia adhuc victoria pendent animi omnium: & equus quidem patris Vuinuualoci iam omnes facilè antecurrerat, sed sessorem suum, iuuenem florenti ætate & multa nobilitate spectatissimum, eius rapidissimum cursum ferre nōn valentem, inter saxa aspera à se ità excussit, vt is animam exhalaret. Tum verò in luctum mutatum est gaudium: maximè verò flebant iuuenis parentes, eiusque corpus miserè quassatum colligentes, exequias

apparabant. Inter hæc, tanquàm à Deo missus, de improuiso adest sanctus Vuinuualocus, audit quid acciderit, alienum dolorem suum facit, & præsentia sua illos iam ad spem meliorem reuocat. Accedit ad corpus extinctum, illudque manu contingens, Adolescens, inquit, excitat te Dominus Iesus Christus, qui te & cùm non esses, creauit, & suo sanguine redemit. Ad hanc vocem ille, tanquam a graui excitatus somno, non modò rediuiuus, sed adeò surrexit incolumis & robustus, vt membra eius illo atroci casu dissipata & dissoluta, nullum prorsùs sentirent dolorem. Cœperunt omnes, qui aderant, in Dei laudes & gratiarum actiones erumpere, quòd per seruum suum Vuinuualocum tam stupendo miraculo, gaudio incredibili affecisset populum suum.

Adolescentem extinctum ad vitam reuocat.

Per idem tempus claruit S. Patritius, Ecclesiæ Christi eximium decus, & totius Hyberniæ splendidum sidus. Cuius eximiæ virtutis opinio adeò S. Vuinuualocum affecerat, vt modis omnibus ad eum proficisci peroptaret, vt viuendi normam ex eius sanctissima institutione capesseret. Sed cùm in ea versaretur cogitatione, per visum ei S. Patritius sese exhibuit, vultu angelico, & caput aureo diademate coronatus: aitque ad eum: En ego sum Patritius, quem tantoperè cupis adire. Sed nè mea causa tam longum iter terra marique susciperes, misit me Dominus, vt voti tui compos, & adspectu & colloquio meo perfruaris. Deindè blando eum sermone consolans, admonebat, vt non se, sed Christum suis vbiquè præsentem accederet, & eum sibi vitæ præceptorem deligeret. Prædixit etiam illi, futurum eum aliis militiæ spiritalis ducem, salubrique eum consilio instruxit. Porrò etiam hortabatur eum, vt à magistro suo socios expeteret, & cum eis ad alium sese locum transferret. Vbi ea visio disparuit. Vuinuualocus quàm primùm cellam petijt, in qua monasterij pater diuinæ meditationi & contemplationi vacabat. Cumque ei visionem exposuisset, ille hilaritate perfusus, Diuina, inquit, visitatione & reuelatione clarificatus es fili. nec quicquam moratus, àc si cælitùs mandatum accepisset, vndecim ei attribuit discipulos, in Diuini operis exercitio promptissimos: quos cùm osculatus, eisque benè precatus esset, inter lachrymas valedicens, ait: Valete filij charissimi, & sit Deus dux itineris vestri: cumque ad Christum perueneritis, sitis quæso memores meî. Iam cum illis capessebat iter Vuinuualocus, & tamen quò iret ignorabat: sed multa in Deum erectus fiducia, tandem Christo duce ad insulam quandam appulit, in eaque cum socijs suis triennio mansit, vitam ducens eremiticam. Sed cùm nimiæ eum locum infestarent tempestates, essetque ob suam sterilitatem hominum habitationi valdè incommodus, Deum rogauit, vt aptiorem illi locum ostendere dignaretur. Audiuit Dominus preces fidelis serui sui, & vltra mare locum ei indicauit: sed cùm nauis deesset qua veherentur, magna cum fiducia orauit Dominum, ac deindè ait ad fratres: Confortamini charissimi, & in fidei firmitate fundati, sicut me videritis sequentis me fratris tenere manum, ità vos quoquè singuli præcedentis fratris appræhendite manum, & eius vestigijs insistite. Tum verò inuocans nomen Domini, pastorali virga mare percussit, & renouante Deo pristinum maris rubri miraculum, illud se peruium præbuit ingredientibus: sicque consertis, vt vir Dei iusserat, manibus, ipso in fronte gradiente, per siccum transière mare, aquis hincindè velut in murum coalescentibus, cantabantque Domino hymnum trium puerorum. Vbi autem ad locum cælitùs monstratum peruenère, multùm vir Dei eius grata amœnitate & fructuum vbertate gauisus est. Voluit autem eum Christo Domino illic famulantibus adeò esse attributum, vt nulli vnquàm fœminæ ad eum pateret accessus. At verò locus ille aquarum penuria laborabat: itaq; vir sanctus sublatis in cælum oculis & manibus, Domino precem obtulit. Deindè virga, qua mare diuiserat, terræ puluerem designans, fontem vberrimum produxit.

Nota ætatē S. Vuinuualoci.

Transit cū socijs mare pedib^9.

Dan. 3.

Eodem tempore nocte quadam oratorium ingressus, more suo in sanctis precibus peruigil mansit. Ibì draco antiquus, eius in Deum deuotionem & pietatem acerbè ferens, multas ei molestias excitauit. Nam immanis cuiusdam monstri speciem induēs, minas intentare & horrorem viro Dei incutere cœpit. Transformabatur identidèm in varias formas miser ille fuligine nigrior, nunc volucrum, modò serpentum, mox beluarum, tum terrestrium, tum marinarum. Interdùm ad nubes vsque superbum tollebat verticem, nonnunquàm in puluerem sese submittebat. Sed cùm cerneret Christi militem eiusmodi phātasmatis nihil commoueri, sed magis etiam animis in suo proposito confirmari, conuicijs eum aggressus est. At beato viro psallente, in eumq; sanctæ Cru-

Dæmon spectris eū terrere conatur.

ctæ Crucis triumphale signum cum scripturæ diuinæ sententijs vibrante, instàr vmbrę mollis euanuit, teterrimo post se fœtore relicto, indice fœditatis suæ.

Hactenùs quidem sancti viri non ferè nisi miracula commemorauimus: sed libet nunc etiam quædam de vitæ eius ratione & austeritate interserere, vt ex ijs lector & auditor ædificationem accipiant. Erat nimirùm pater hic venerabilis, adspectu angelicus, sermone compositus, in Dei opere strenuus & indefessus, mente & corpore integer, ingenio perspicax, consilio magnus, fide catholicus, spe patientissimus, in Dei & proximi charitate perfectus, orationi diù noctuque intentus. A vicesimo ætatis suæ anno ad supremum vsque vitæ diem nunquàm visus est in templo sedere: nunquàm aut inepta lætitia solutus, aut inani dolore contractus est. Omnibus semper se affabilem & beneuolum præbuit. In terra degebat corpore, sed animo in cælestibus versabatur. Cùm psalmodię esset intentus, aut extensis in cælum manibus, aut flexis in terram genibus, aut vno aliquo in loco fixus & immotus psallebat. Quotidie psalterium dicere solebat: centies interdiù, & centiès noctù flectebat genua. Vestis ei non lanea aut linea, sed ex caprinis erat pellibus. Lectus ei non ex plumis aut pannis mollibus, seu etiam ex paleis, sed ex durissimis arborum corticibus sternebatur. Sedes eius, mollis erat arena, lapillis permixta. Panis, quem quotidiè eodem sumebat pondere, hordeaceus erat, cineribus permixtus. Pulmentum ei fiebat ex farinula hordeacea & modico olere. Sabbatis & Dominicis diebus pisce & caseo vescebatur. Quadragesimæ temporibus, bis in hebdomada sumebat cibum. Vinum & potionem omnem, quæ ebrietatem adferre posset, haud aliter atquè venenum repudiabat. Sed hæc de eius vitæ institutis pauca è pluribus commemorâsse sufficiat.

Catalogus virtutum S. Vuinuualoci.

Confluebant sanè ad eum vndiquè cæci, surdi, claudi, leprosi, paralytici, diuersisque affecti morbis, & omnes ab illo se incolumes redire lætabantur. Iam nomen eius in tota Britãnia celebrabatur, & velut angelus Dei cœpit ab omnibus in honore haberi. Rex quoque quidam eius prouinciæ, auditis eius miraculis & eximijs virtutibus, posito diademate & purpura, humili se tegens habitu, ad illum accessit, eiusque se pedibus toto corpore prosternens, precibus eius apud Dominum se petijt adiuuari. Eum autem vir sanctus è terra erigens, ad mundi contemptum & cælestis regni desiderium familiari sermone adhortatus est. Eius oratione exhilaratus rex, atque etiam sacerdotali benedictione corroboratus, quasi totus in virum alterum mutatus, ad suum se palatium recepit.

Morbis varijs affecti, ab eo curantur.

Materfamiliâs quædam haud procùl ab eius monasterio graui languore ad mortem vsque vexabatur. Eius filius à viro Dei in monasterio instituebatur: qui multùm suæ matri condolens, sua visitatione eam leuare voluit. Abiturus autem, a S. Vuinuualoco aquam benedictam accepit. Vbi autem ad eius venit ædes, illa iam obierat, & ad pœnarum loca, vt S. Vuinaloco oranti diuinitùs erat reuelatum, perducta fuit. Circunstabant exanime corpus amici lachrymantes, & funeri opportuna præparantes: at filius eius sperans adhuc vitali eam frui halitu, aquam sanctificatam illi adspersit, dixitque clara voce: Sanet te, mater, Dominus Iesus Christus, in cuius nomine magister meus tam multos curat varijs morbis affectos. Ad hæc verba surrexit illa, tanquam à somno excitata: sedebatque in lectulo, multùm sudans, quasi multo fuisset fatigata labore. Et primò quidem omnes, qui aderant, proni in faciem corruerunt, & Deum, in sancto Vuinuualoco virtutem suam mirificè declarantem, vnanimiter collaudârũt: deinde verò ex illa percontabantur, quo pacto esset suo restituta corpori. Tum illa: Dæmonũ, inquit, turba me circundedit, vinctisq; manibus ac pedibus, ad loca tormentorum perduxit. Interìm verò sanctus Vuinuualocus nobis venit obuiàm, dæmonesque his vocibus increpauit: Quænam hæc vestra est temeritas & audacia, vt hanc mei iuris famulam vobis vendicetis? Mox illi consternati & territi, viro Dei me permiserunt, cuius precibus sum ad vitam reuocata.

Mulier defuncta redit ad vitam.

Erant in illa prouincia tres latrones, qui nocturnis horis furta & prædas passìm agerent, & hominibus eius regionis valdè se infestos præberent: quorum audacia eo tãdèm progressa est, vt etiam locum, quem sancto Vuinuualoco & socijs eius diuina prouidentia assignârat, malignis animis peterent: cumq; intempesta nocte eò ingressi essent, horreum monasterij apertum, & multa luce perfusum offendunt. Qua re cùm illi terreri, seque colligere & ad meliorem frugem recipere debuissent, magis etiam ad scelus inflammati sunt, seque mutuò hortantes, dicebant: Videtur Deus probare facinus nostrum. Vndè enim alioquì hæc nobis lux radiaret? quonam pacto ostium isthuc

aliâs clausum & munitum, nobis vltrò patesceret? Itaque saccos illi suos ad summum vsque impleuerunt: sed interim, quid illi agerent, non latebat sanctum Vuinuualocum, qui cùm diuinitùs id didicisset, fratribus indicauit. Illis verò in preces incumbentibus, mox diuina vltio fures illos persecuta est. Nam vnus ex ijs, coxendice dissoluta, sub onere corruit: alter instar saxi immotus hæsit, nec se loco mouere potuit: tertius cæcitate percussus, nesciuit quò pergeret. Postquàm autem se sol terris reddidit, exierunt fratres cum venerando patre, hostes suos haud aliter atque ægrotos vel carceribus inclusos visitaturi. Ad quos cùm peruenissent, sanctus Vuinuualocus eorum facinus primò repræhendit, deinde & animis & corporibus salutarem adhibuit curationem. Inter alia admonebat eos, vt cùm rebus necessarijs indigerent, ab ipsis peterent potiùs, quàm ob eiusmodi vilia & caduca animas suas perderent. Sunt, qui scribant adeò illos viri Dei sermonibus fuisse emendatos, vt ad decrepitam vsque ætatem bonis operibus intenti, cum illo permanserint.

Fures diuinitùs puniuntur.

Visio S. Vuinuualoco oblata.

Vidit quandoquè vir Dei cælum apertum, & angelos Dei descendentes & ascendentes supra se. Vidit inter eos angelum quendam cum eximio splendore & immensa odoris suauitate ad se venientem, & ore iucundissimo, amicissimaque familiaritate indicantem ipsi quorundam fratrum felicissimum ex hac vita decessum, & in cælos assumptionem. Per idem tempus quædam inprimìs nobilis materfamiliás, repentè oculorum lumine orbata est: sed cùm esset prudentissima, non voluit ea calamitate frangi, potiùs verò ad agendas Deo gratias se contulit, biduanisque ac triduanis se afficiēs ieiunijs, psalmis & orationibus, itemque eleemosynis & alijs pijs operibus vacauit. Nec fraudata est tanta eius animi deuotio spe & expectatione sua. Apparuit enim ei in somnis angelus Domini cum multa luce, & ait: Eleemosynæ & preces tuæ sunt coram Deo, tibique eius opem conciliant. Primo igitur diluculo abi ad patrem Vuinuualocum, & per illum recipies amissum oculorum lumen. Ijs auditis, sine mora illustris matrona oriente sole, filijs & ampla familia comitantibus, ad virum Dei profecta est, eiq; quid vidisset & audisset exponens, petijt lumen sibi reformari. Ait autem ad illam vir Dei: Fides, quæ in te radiat, hanc a te excludat cæcitatem: simulque tangens vtrosque oculorum orbes, sic Dominum precatus est: Iesu benignissime, qui cælum ornâsti lumine, hos oculos tua virtute reforma. His dictis, matronę lux reddita est. Ità nimirùm multis à sancto viro, sed in digito Dei, præclarè patratis miraculis, & Deus in Vuinuualoco suo, & Vuinuualocus est clarificatus in Deo.

Precibus sanat cæcā matronā.

At nunc quandoquè ad viri Dei felicem exitum veniendum est. Nocte itaque illa, quæ eius sanctissimi obitûs diem antecessit, angelus Domini per visum illi dixit: Eugè Vuinuualoce serue Dei, cælicolæ omnes te ciuem cupiunt habere suum. Hodie migrabis ad Dominum, & iam emeritus miles nobis in regno sociaberis. Euigilans autem vir sanctus, accitis ad se fratribus angelicam retulit visionem, exitumq; suum illorum Deo dignis precibus commendauit. Cùm autem illi tristes & lachrymabundi ab eo quærerent, quis ei esset futurus in sancto regimine successor, ex ipsis pastorem eis constituit, eumque cum grege ipsi concredito pastorum principi commendauit. Deindè ad horam tertiam cælestis sacrificij viuam immolauit hostiam, communicatoq; cum discipulis Dominicæ pacis osculo, & agni Dei viuifico refectus conuiuio, ità vt sacræ assistebat aræ, animam citra dolorem in manus creatoris efflauit. Et corpus quidem discipulorum ministerio honorificè terræ mandatum est: anima verò, angelis subuehentibus, aulam illam cælestis regni penetrauit: vbi corona à Christo accepta perfruitur, & in conspectu Dei sinè fine lætatur. Obijt vir Dei 5. Nonas Martij, hebdomada prima Quadragesimalis ieiunij, quarta sabbati, hora illa, qua Christus pro mundi redemptione cruci affixus est: Cui cum patre & spiritu sancto laus, honor, virtus, gloria, potestas & imperium per infinita seculorum secula, Amen. Floruit autem, vt habet quidam codex typis excusus, circa annum Domini 459.

Ad altare reddit Domino spiritum.

VITA

VITA SANCTI CALVPPANI RECLVSI, AVTHORE D. GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO.



Semper paupertas seculi regna reserat cœli, atque vtentes se non modò præparat polo, verumetiam glorificatos miraculis, illustres esse declarat in mundo. Quo fit, vt dum illa ergastularis contritionis reuinctio paradisi ianuam patefacit, anima angelicis choris inserta, in requie sempiterna persultet: sicut nũc de beato Caluppano recluso, quod verum cognouimus, prorsùs silere nequimus.

Hic autem ab incunte ætate semper religionis Ecclesiasticæ bonũ quæsiuit & reperit, & apud monasterium Meletense termini Aruerni conuersatus, in magna humilitate se fratribus præbuit. Erat etenim summæ abstinentiæ, ità vt ab inedia nimiùm attritus, quotidianam cum reliquis fratribus operam explere nequiret. Vndè, vt mos est monachorum, magnum improperium inferebant, dicente sibi præsertim Præposito: Qui non deliberat laborare, indignè postulat manducare. (Vide sancti humilitatem & abstinentiam.)

Dum autem ille assiduè vteretur his exprobrationum verbis, vallem haud procùl à monasterio conspicatur, de cuius medio lapis, natura præbente, consurgens, prouehitur in excelsum, quasi quingentis, aut eo ampliùs pedibus, nullam penitus habens cum reliquis montibus circumpositis coniunctionem. Cuius vallis medium fluuius alluit, qui hunc montem placidè contingens dilabitur. In huius ergò lapidis scissuram, quod priscis quondàm propter transitum hostium receptaculum fuit, eremita sanctus ingreditur, & exciso lapide, habitacula statuit, in quæ nũc per scalam valdè difficilem scanditur. Locus etenim ille tam difficilis est ad incedendum, vt etiam feris bestijs illuc accedere sit labor. In hoc loco oratorium paruulum fecit: cui oranti, vt ipse nobis cum lachrymis referre erat solitus, serpentes super caput eius sæpiùs decidebant, & inuoluentes se circa collum eius, non minimum ei inferebant horrorem. Sed quia diabolus ad speciem callidi serpentis habetur, non ambigitur eius has fuisse immissionis insidias. (Nota loci sitũ & serpentum infestationẽ.)

Nam cùm ille ad hæc perstaret immobilis, nec moueretur minorum anguium ictibus, quodam die duo dracones immensæ magnitudinis ad eum ingressi, adstiterunt propè: quorum vnus (vt arbitror) ipse dux tentationis validior altero erat, qui erecto pectore eos suum cõtra os beati quasi aliquid mussitaturus erexit. At ille timore perterritus, tanquam æneus valdè diriguit, nullumque penitùs membrum mouere poterat, neque manum eleuare, vt signum beatæ Crucis opponeret. Cumque ambo diutissimè in silentio constitissent, venit in mentem sancto per spiritum, vt orationẽ Dominicam, etsi labia mouere non poterat, vel corde clamaret. Quam dum tacitus pronunciat, cœperunt paulatìm membra eius, quæ inimici fuerant arte reuincta, dissolui: & sentiens se manum dexteram habere iam liberam, ori signum beatæ Crucis imponit, rursumque conuersus ad hydram, pingit iterùm Crucem Christi aduersùs eam, dicens: Tu ne ille es, qui protoplastum de paradisi habitaculo proiecisti, qui germani dexteram parricidio cruentâsti, qui Pharaonem, vt populum Dei persequeretur, armâsti, qui ad extremum ipsum Hebræum populum, vt inuidia succendente persequeretur Dominum, excitâsti? Discede à seruis Dei, à quibus sæpiùs superatus, discessisti confusus. Tu es enim in Cain proiectus, in Esau supplantatus, in Golia prostratus, in Iuda traditore suspensus, & in ipsa illa Dominicæ virtutis Cruce cum potestatibus & dominationibus tuis triumphatus atque contritus es. Abde nunc, inimice, caput, & humiliare sub signaculo Crucis diuinæ: quia non est tibi portio cum seruis Dei, quorum est hæreditas regnum Christi. Hæc & huiusmodi sancto dicente, Crucemq; per singula faciente, Draco huius vexilli virtute confusus, vicissìm se humiliãs terræ subditur. Sed dum hæc agerentur, ille alius circa pedes & tibias sancti in insidijs voluebatur. Cũque hunc pedibus suis circunfusum sanctus Eremita videret, orationẽ faciens, eum abire iussit, dicẽs: Vade retro, satana: nihil mihi in nomine Christi mei poteris vltrà nocere. At ille vsq; ad limen cellulæ egressus, sonũ validum per inferiorem partem emisit, & tanto cellulam fœtore repleuit, vt nihil aliud, quàm diabolus credi posset: nec vltrà coram sancto aut serpens, aut draco comparuit. (Signum B. Crucis, potentissima arma cõtra oẽs diaboli tentationes)

Erat autem assiduus in opere Dei, nec vacabat ad aliud, nisi aut legeret, aut aliquid oraret. Etiam cùm parumper cibi caperet, semper orabat. Sumebat interdùm piscem

de flumine, rarò quidem: sed cùm voluisset, opitulante Domino, confestim aderat. Cibum panis non aliundè sumebat, nisi qui de monasterio mittebatur. Si quis verò deuotorum panes detulisset, aut vinum, id in cibos deputabatur egentium: illorum tamen, qui ab eo aut signum salutare susciperent, aut refectione foueri soliti essent, illud Domini recolens, quod in Euangelio de turbis, quas à diuersorum morborum cõtagio sanauerat, dixit: Dimittere eos ieiunos nolo, nè deficiant in via.

Matth.15. Sed nec illud beneficium occuli debere arbitror, quod ei in loco illo diuina pietas est largita. Nam cum à profundo vallis illius, quasi stadia decem aqua deferretur, orauit Dominum, vt ei in ipso cellulæ suæ habitaculo fontis venam ostenderet. Et non defuit virtus illa cælestis, quæ quondàm sitientibus populis aquas produxit è silice. Statìm igitur ad huius orationem gutta laticis à caute prorumpens, cœpit solum stillis frequentibus irrigare. At ille munere cælesti congaudens, concauum in lapide paruulũ in modum cisternæ faciens, quod tenebat quasi condia duo, lymphas diuinitùs sibi indultas suscipiebat: de quibus tantum ei ministrabatur per dies singulos, quantum ipsi pueroq; sufficeret, qui ei minister fuerat datus. Accessimus autem & nos ad locum cũ beato Auito Episcopo, & ex omnibus, quæ narrauimus, quædam ab ipso relata cognouimus, quædam oculis proprijs inspeximus. A memorato autem Pontifice diaconatùs ac presbyterij sortitus est gradum, & multa populo, diuersis vexato morbis, remedia contulit. Nulli tamen cellulam egressus se præbuit contemplandum, sed tantum per fenestellam extendens manum, salutare signaculum imponebat. Et si à quoquam visitatus fuisset, ad hanc accedens speculam, orationem colloquiumq́ue præbebat. Deniquè in hac religione cursum vitæ consummans, quinquagesimo, vt opinor, æui anno migrauit ad Dominum.

Exod.17. Num.20. Signo S. crucis pellit morbos.

VITA S. CHVNEGVNDIS IMPERATRICIS ET VIRGINIS, GRAVITER ET FIDELITER CONscripta, tametsi author nomen suppresit suum, aut fortassis librariorum incuria illud intercidit.

3. Martij. Henricus Imperator dictus Claudus.



EX nobilissimo parentum Augustorum, magnorum quoquè sanguine duo immarcescibilis gloriæ flores emicuerunt: Secundus videlicet Henricus Romani Imperij gloriosissimum decus, eiusq; dignissima cõiunx, piæ memoriæ Chunegundis Imperatrix. Eadem verò beata & Deo dilecta Chunegũdis terreno Imperatori corporaliter, non carnaliter, coniuncta, cælesti regi virginitatẽ suam cõsecrauit, quam vsque in finem casti coniugis consensu, Deo teste, conseruauit. Quod postmodùm diuinitatis testimonium, nè lumen in tenebris lateret, ostendit, dum eam ad confundendum virginitatis hostem, & obstruendum os mendacium, contra virginem Christi loquentium, super ignitos vomeres incedere, & illæsam procedere dedit. In fascibus itaque Imperij constituta, continentiæ suæ gloriam sub terreni chlamyde imperij satagebat abscondere, vt tantò propensiùs, quantò efficaciùs poterat, promoueret, quæ Deo instigante, illo quoquè adiuuante, ad laudem ipsius cogitabat perficere. Deniquè post nouellam fœcundissimæ plantationis suæ ecclesiam, quam cum illo suo studiosissimo cooperatore Henrico in loco Bambergensi venustissimè, sicut hactenùs cernitur, fabricauit sub patrocinio principis Apostolorum beati Petri & sancti Georgij martyris: monasterium sub regula beati Benedicti ad Aquilonarem plagam in honore sancti Michaëlis archangeli extruxit, nõ minori studio, prædiorum quoquè ac diuersorum donarijs ornamentorum. Tertiam demùm versùs meridiem sub ordine canonicorũ sub titulo beati protomartyris Stephani, paruo quidem schemate, sed maiori opera de suo matrimonio ecclesiam dedicauit, ad quam dedicandam Benedictum Papam, quem præfatus Deo dignus Imperator Henricus ad confirmandum Bambergensem pontificatum aduocauerat, venire rogauit. Ipsa quoq; illud Psalmographi secum decantans: Domine, dilexi decorem domûs tuæ, diuersa eidem ecclesiæ iuxta imperialẽ magnificentiam munera contulit, in diuersis ecclesiæ ornamentis: quæ omnia idem Romanus Pontifex, vt semper memoria fundatricis ipsius illic floreat, nè quãdò per frau-

Imperatores in coniugio virgines. Ecclesiæ extructæ. Benedictus Pontifex. Psal.25.

fraudem aut violentiam vel furto subtraherentur indè, dira anathematis sui innodatione, septuaginta quoque duorum episcoporum, qui illic aderant, authoritate ipso die confirmauit.

Item monasterium ad honorem sancti Saluatoris nostri Iesu Christi & eius victoriosissimæ Crucis, in loco, qui Confugia dicitur, magnificè construxit, & ancillarum Dei, ibidèm Deo secundùm regulam beati Benedicti seruientium, congregationem decentissimè * declinauit. Porrò, cooperante ei in omnibus imperiali maiestate, idem monasterium omni ornatu decorauit: ante principale altare imaginem ex auro & lapidibus preciosissimis statuit, calices aureos & argenteos, catinos aureos, aureos vrceos, pallas & casulas, vela & cortinas, cappas auro & gemmis preciosis intextas, & cætera vtensilia siue vasa ad ministeria tanto studio & tam sumptuosis expensis eidem ecclesiæ contulit, vt quicunq; ea intuentur, regiam munificentiam & miram vtriusque, Imperatoris videlicet & Imperatricis, deuotionem in Deum, magnoperè admirari nō cessent. Præter has principales suæ operationis primarias ecclesias, quæ conuentualis ecclesia, quæ monasteria illorum donatiuo non gloriantur, se aut in prædijs dilatata, aut decorata ornamentis? Alias enim antiquitate collapsas reædificauerunt: quasdam etiam destructas & ad nihilum redactas, in pristinum vel etiam in meliorem statum instaurauerunt, & sicuti prudentes virgines, oleum suæ misericordiæ in diuersos effuderunt, vt meritò dicere possint: Christi bonus odor sumus in omni loco.

Declinauit, pro, adunauit.

Liberalitas Imperatorum in monasteria & ecclesias.

O coniugium, non voluptate, sed bona volūtate copulatum. O sanctum matrimonium, vbi vna fides inuiolatæ castitatis, vbi vnus spiritus misericordiæ & veritatis, vbi idē velle in virtutibus, & idem nolle in vitijs: vbi nec primus, nec alter discerni potuit, dum alter, quod primus, voluit: vbi par animus, in multifarijs operum effectibus, pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Vnum scio, quia nostra nescit modò regio tales, dum propter regnum cælorum se castrantes, nec prolem terrenæ fœcunditatis expectantes, cælibem à Deo generationem reciperent, à quorum ore laus Dei nunquàm deficiet. Hæc est generatio quærentium Dominum, qui viuentes in Christo, & membra sua mortificantes propter Christum super terram morientium, modò regnantes cum Christo, bona Domini sui vident in regione viuentium. Quoniā de vita & miraculis pij Henrici, Imperatoris Christianissimi, & de miserationibus varijs, quas fecit in domo Domini, de signis quoquè & miraculis, quæ post transitum eius per eum fecit Deus, satìs ac dignè scripta, sancta recepit Ecclesia: nunc animum pupugit ac in mentem venit vitam memorandæ virginis nostræ breuiter explicare, & memoriæ scripto commendare, vt ad exemplum huius se intuentes quæcunque virgines, quæcunque veræ viduæ, perfectæ vitæ normam arbitrentur conuersationem illius. Indignum enim nobis, & magìs operę precium dignè duximus, nè illi officium subtrahamus oris, cuius prouidentia quotidiè alimenta percipimus corporis.

2. Cor. 2.

Adelbodus episcopus Vltraiectensis scripsit huius S. Imperatoris vitam, teste Sigeberto.

Henrico itaq; suo, suæ castitatis patientissimo semper custode, vbi eam suis virginē, vti transduxerat, in Christo resignauit, ad cęlestia, quæ iugiter suspirabat, gaudia translato, illa se ad Deum, vt semper, totam contulit, ipsum suæ castitati, necessitati ac saluti, illum suis ecclesijs, illum filijs, quos ei in Christo aggregauerat, præsentem aduocare, vigilijs orationibusque instare, die practicam cum Martha, noctù contemplatiuam cum Maria vitam agere non cessabat. Quanta verò eleemosynarum largitate, quanta orationis instantia pro beati coniugis anima desudauerit, in subscripta pagina, quā ipsa per se (nam literarum & artium aliarum * distinguere auro gemmisque sacras vestes paratissima fuit) composuit & scripsit, quicunq; voluerit, agnoscere poterit. Chunegundis, diuina dispensatione solo nomine Imperatrix, specialiter dilectæ congregationi in Confugia, quicquid iustæ conuenit dilectioni: Propriæ aduersitatis sarcinam (velutì æstimo) faciliùs tolerarem, si vestras res saluas incolumesque existere viderem. Quanuìs enim mens procellosis curarum fluctibus vndique quatiatur, vestræ tamen recordationis ancora à cordis profunditate non auellitur. Et licèt longè remotæ ab oculis sitis, ab animo tamen nusquàm recedetis. Quis nos separabit à charitate Christi? Casus doloris, an longinquitas remotionis? Quinetiam si amissæ facultatis vsus concederetur, voluntas hæc operis exhibitione comprobaretur. Ipsum tamen modicum, quod adhuc Deo volente reliquum tenemus, vestræ commonitioni alienum esse nolumus, vt participatione paruitatis reueletur magnitudo deuotionis. Mater nanque, si parùm habuerit, parùm filijs tribuit. Eccè hæc modici sumptûs munuscula ad refectionem vobis mittuntur carnis, vt animam senioris patris vestri continua

Exercitia S. Chunegundis.

*deest, perita, aut aliquid tale.

Epistola S. Chunegundis.

Vult orari pro anima Henrici Impe.

tinua orationis alimonia reficiatis: quoniam tot iustorum preces vnanimiter continuatæ, apud Deum multùm possunt proficere, Iacobo attestante: Multùm valet deprecatio iusti assidua. Ille etiam atque etiam iustus Dominus, qui iustitias dilexit, æquitatem supplicationis exaudire non respuit: sed vobis indefessis intercessoribus, supradicti chari memoriam facientibus, salutis dabit præmium, quod ipse promittit, dicẽs: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Atque bonum opus in conspectu etiam Dei placitum esse cernitis, si non solùm pro illis, qui in hac vita positi, multa vobis bona: sed pro illis etiam, qui nulla fecerunt, oraueritis. Obsecro ergò, vt eum à cordibus vestris nunquàm abijciatis, qui vos tanquàm proprias àmauit, atq; hunc locum vestra seruitute florere voluit. Estote quoquè meæ necessitatis memores, semper in hilaritate cordis misericordes, secundùm illud Apostoli: Dilectio sinè simulatione. Necnon vestræ mentes in quandam mutuæ charitatis soliditatem magìs ac magìs concrescant, quatenùs in die tribulationis clamorem vestrum ipsius aures exaudiant, qui dicit: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Quod vos omni modo promereri hortor, eodem præstante, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Iaco.5. Psal.10. Matth.10. Rom.12. Matth.18.

Deniquè Conrado sibi succedente in regno, ipsa curis secularibus, sicut iamdiù desiderauerat, exonerata, iam in ipso anniuersario die transitus S. Henrici, archiepiscopos ad dedicationem Confugiensis ecclesiæ conuocauit: vbi inter Missarum solennia imperiali decentissimè omni ornatu culta, ante principale altare virgo Deo deuota processit, ibiq; thesaurum incomparabilem, ligni videlicet Dominici crucem, paruam quidem in materia, sed maximam in virtute Domini obtulit. At vbì lectio euangelij, in qua super arborem crucis ascendens, conspicientem se Iesum suscipere, & ab eo benedictionem pusillus meruit accipere, lecta fuit: regalem purpuram exuens, tunicam fusciorem, quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit, & multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ iam seculum damnâsset in vestibus, capillis, qui hucusquè in eodem monasterio pro veneratione seruantur, præcisis, imposito sibi ab episcopo velo, annulo fidei subarrhata, gratulabunda concinuit: Posuit signum in faciem meam, & annulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus. Ità sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non vt mater filiabus se præferebat, sed omnibus inseruiens, seruilem personam se ostendebat: ità tamen, vt cùm omnia faceret, ostẽtationem fugeret singulorum, nè reciperet in præsenti seculo mercedem suam. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet. Sponso suo aut orans loquebatur, aut psallens. Ad ecclesiæ limina, penè inuisa properabat. Nihil seueritate illius iucundius, nihil iucunditate seuerius: tristis in risu, in tristitia suauis: breue vitæ spatium æterna memoria compensabat. Idem illi orationis locus fuit & quietis, idem semper habitus, incultum corpus, dum sciret reijciẽdas delicias corporis, quod paulò pòst vermibus exarandum fuit. Semper eam legere aut legentem audire vidisses. Multa illi circa contubernales deuotio, frequens decubãtium visitatio, solicita pauperum consolatio.

Luc.19. S. Chunegũdis monasticum induit habitum. Omnibus inseruit. 2.Thess.3. Eius virtutes.

Prætereà eam fecisse plura miracula credimus, sed quòd gloriam humanam & oleum adulationis semper fugeret, illa voluit esse suppressa. aut certè incuriæ hominũ, seu reuolutioni temporum, non virtutum defectui, deputandum. Vndè etiam tanta maiestate indigna, scribendi minor materia fuit: pauca tamen, quæ in scriptis reperimus, vel veridica sanctimonialium, vbì illa pro Christo militabat, relatione cognouimus, hic inserere dignum duximus. Cùm post orationis frequentiam, inter lectionis lassitudinem, ancilla Christi in lecto, non plumis extructo, sed cilicio strato, membra sopore grauata remisisset, puella sacra, quæ de more illi assidebat, sacros codices legẽs, cùm ferè ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit, lumenquè è manibus elapsum, paleas corripiens, suo fragore circumiacentes sorores excitauit. Clamore ex concussu facto, virgo Christi de somno excussa, dum colluctantes inter se flammas circa se adspexit, ad orationis arma se conuertit, & signo crucis adustionem illam absque omni suarum læsione vestium auertit. Tua hæc Christe opera, qui Babyloniæ regem in suo furore confudisti, & Babylonios temperâsti ignes, vt pueri liberarentur illæsi.

Lectus eius cilicio instratus. Precibus & signo crucis flãmas extinguit.

Aliud miraculum, tam timendum quàm mirandum, huic placuit subiũgere, ex quo animi illius constantiam & rigoris seueritatem discere poteris. Habuit secum sororis

suæ filiam, Iuttam nomine, quam à primis annis educatam, omni disciplina, seculariũ quoq; literarum scientia instruxerat. Hæc matertera̋, non minùs religionis quàm dilectionis amore, in monasterio secuta & consecrata fuit. Hanc in omnibus plenè instructā, vt eius in orationibus, vigilijs ac ieiunijs perseuerantiam, & ad omnia patientiam perspexit, omnium assensu & rogatu primam in ipso cœnobio eam abbatissam præfecit. Tum virgo mater filiam suscipiens, iuxta commonitionem sanctam, iamdudùm habitam, præcedentium patrũ repetēs alloquia, monet ob salutis affectũ vtilia ac Deo placita sæpè dicere, frequenter audire, solitas religiosi itineris vias non deserere, magìs magisq; errorum deuia ac diaboli calcare figmenta, nullam luci ac tenebris, veritati atq; mendacio, turpitudini atq; honestati apud Dei seruos docet esse communionem: solicitè cauere, nè vana sectando, desineret esse templum Dei, nè fieret habitatio tenebrarum, nè fieret dæmonis monumentũ, lumina sua figere in Dei adspectum: Primũ quoq; docet facere, vt fructum doctrinæ suæ ipsa in illis, Deo adiuuante, possit inuenire. Hæc & huiusmodi iterùm atq; iterùm materno studio ei inculcans, quasi in omnibus iam perfectam, & ipsa magistram venerari cœpit. Illa vbi in immatura libertate posita est, paulatìm à rigore suo deficere, meliorem cultũ, lautiorem cibum, vitiorum alimenta desiderare: vltima in choro, prima in conuiuio, puellarũ fabulis interesse & in omnibus laxiùs se gerere cœpit. Pro huiusmodi leuitatibus dum eam sancta Dei priuatim inter se, publicè coram omnibus argueret, sæpiùs obsecraret, increparet, nec illa, velut materteræ patrocinio aut familiaritate vane confisa, emendaret quadam die, cùm ipsa cum conuentu crucem (nam dies Dominicus erat) sequitur, Abbatissa defuit. Quam illa inquirens, & epulantem cum coæuis in conclaui reperiens, zelo pietatis armata, cum verbo correptionis dextram maxillam eius percussit: quæ quasi sigillum quoddam formam digitorum accepit, qua omni tempore vitæ suæ non caruit. De quo nimirum facto constat, quòd nō tantum pro se, sed pro aliorum quoq; emendatione hoc pertulit, vt huius rei visio alijs proficeret, & ad melioris vitæ studium à vitijs suis reuocaret.

Optimè instituit Abbatissam neptē suam. — *Honores mutāt mores.* — *S. Chunegundis cædit dissolutam abbatissam.*

Fortè & illud detractoribus fabulosum, & infidelibus ridiculũ videbitur, quòd sanctitatem illius, quam gratia humilitatis ipsa homines latére voluit, clementa loquuntur. Denique cùm post lectionem euangelij suo solenni more ad altare quippiam oblatura accederet, dexteræ manùs suæ chirotecam detrahens, cùm nullus, qui reciperet, adesset, à se reiecit: quam radius solis per fenestræ rimulas intrans suscepit, & tamdiù quasi famulando sustinuit, donèc illa facta oblatione rediens, eam reciperet. Tale etiam quiddam in veste beati Goaris aliquandò diuina virtute ostensum fuisse legitur: qui dum à sede Rustici Treuerensis pontificis despicitur, à summa maiestate per maioris luminaris famulatum honoratur. Omnium itaq; capax erat meritorum, quæ iudicem cunctarum meruit habere virtutũ. Quindecim in sancto proposito superuixit annos, tam humilitatis gratia quàm pro religionis reuerentia, omnibus admiranda.

15. annis vixit in monasterio.

Tandem pro nimia ciborum abstinentia, orationis & vigiliarum incredibili perseuerantia cœpit corpore languescere, & ingrauescente morbo paulatìm deficere: sed dum membra dolore contraherentur exteriùs, tamē spiritu (quia laus Dei semper in ore eius) confortabatur interiùs. Vocabat sanctos angelos, quorũ hic vita, illic nūc cōsortio fruitur. Apostolos & confessores, quorum fidem semper & confessionē tenuit, interpellabat. Virginum Christi in suo exitu inuitabat chorũ, quarum æmulatione in carne dũ præter carnem viueret, immaculatum Christo cōsecrauerat torum: omniũ Deo famulantium sibi adesse, sibi occurrere orabat auxilium. Verè, quod scriptũ est, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: in obitu tantæ virginis vidimus comprobatum. Necdùm spiritum exhalauerat, necdùm Christo debitam reddiderat vitam, & iam fama volans tanti prænuncia luctùs, non tantùm sacratas virgines aut diuersi ordinis viros, sed & totius vrbis populos ad exequias congregabat. Sonabant psalmi, & totam domum, vbi sacrum corpusculum in medio super illo nobili suo cilicio compositum iacebat, in sublime resonans litania pro exeunte anima quatiebat. Interim ex more regales tanquàm Imperatrici, non vt pauperculæ debentur sorori, parantur exequiæ: aurea feretro obtendenda proferuntur velamina: cùm illa psallentes vultus, quos antè, vt sponso veniente, lætos videres, ad os retorquere, manu annuere: Amictus iste, ait, non est meus: auferte hinc. Ornatus hic, alienus est: istis terreno sponso, & his cælesti sum copulata. nuda de vtero matris meæ egressa sum, nuda reuertar illuc. his miseræ carnis vilem materiam inuoluite, & corpus meum iuxta

Rom. 8. — *Non vult vt imperatrix, sed vt sanctimonialis sepeliri.*

iuxta tumulum fratris mei ac domini Henrici Imperatoris, quem me vocantem vi-deo, in proprio locello reponite. His iam dictis, in manum Domini spiritum commē-dans, carnis sarcina abiecta, ad suum anima reuolauit authorem, & in antiquam pos-sessionem diù peregrinata conscendit, terris matrem communem se amisisse flenti-bus, cælis autem conciuem in suum consortium se suscepisse gaudentibus.

Moritur.

Ità demùm sacro illo corpore, feretro supposito, nobilium ordine præeunte, mul-tis hinc indè confluentibus turmis, cum illo sibi semper familiarissimo pauperum cō-tubernio ad locum prædestinatum sepulturæ felices reliquiæ vsque delatæ sunt. Tum verò relictas vrbes, vacua rura, desolatas ciuitates, vndiq; cōcurrere populos videres, matres paruulos suos in brachijs gestantes, infirmos in grabatis iacentes, sanitatis gra-tiam sperare, felicem se credere, si cui aut feretro iungi, aut ab ipso contigisset obum-brari. Tandem in ecclesiam B. Petri corpus non sinè labore deportatum, triduanas ibi, meritis suis ac beneficijs condignas, habuit exequias: filij, quos ipsa illuc in Christo ag-gregauerat, de matris pace iam securi, pro se autem soliciti, incessanter psallebant, dū eam sibi ad horam subtractam, sinè timore amissionis in spe perpetuæ orationis rece-pisse plaudebant, mater de cælo filiorum prospectans affectum gaudebat. Ità velatum corpus sacrum sacris vestibus, diademate Christi supposito, suo loculo in dextro late-re, sicut hactenùs veneratur, repositum est.

Triduanæ exequiæ.

O felix Bambergensis ecclesia, recepisti thesaurum, quem amiseras: procax & ma-ledica lingua detractorum, occultorū testimonio confutata est: virginitas eius, rebus approbata: sanctitas clarescentibus signis testata videtur per Christum Dominum nostrum, Christianæ religioni proficiens Ecclesia fidelis, quæ in Euangelio, voce Do-mini testante, Dei mater & filia per gratiam nominatur: mater, quia sanctæ operatio-nis exemplo filios Domino generat: filia, quia virginis filio, pro salute mundi incar-nato, eruditione sanctorum patrum quotidiè generatur: salutem missam à Domino, cælestis archiatri effectibus medicinæ plenam, iam corporis auribus animaduertat. Mundanæ machinæ conditor humano generi, per inobedientiam lapso, condolens, vt æternæ vitæ fructus facientem nouā plantationem, scilicet primitiua in Ecclesiam, insereret, patriarchas & prophetas in mundum mittere dignatus est. Qui creditū sibi officium, quinque corporis sensibus, sextoq; qui est spiritus prophetiæ, mysterium in-carnationis Christi, & omnia, quæ de ipso annuncianda erant, prædicantes, alij asperi-tate vitæ, alij diuersis pœnarum mortibus, ipsi quem prophetabant, famulatum suum fideliter impleuerunt. Horum limes Christus, æterni patris consilio pro liberandis ho-minibus de intemeratæ virginis vtero processit: vt iam inchoatæ plantationi, missis per orbem Apostolis, atq; de suo corpore fuso cruore fabricatam, nouellam superædi-ficaret Ecclesiam, quæ sanctæ Trinitatis fide imbuta, & mundata baptismi gratia, mar-tyres, confessores & infirmi sexùs virgines, animo tamen constantes, primitias obtu-lit. Inter quas B. Chunegundis, flos Bambergensis ecclesiæ, cum S. Henrico, qui Roma-norum imperium tenuit, sub coniugij specie immortali sponso castæ virginitatis ho-nore deseruiuit. Vndè iam eius sanctitatis merita per orbem manifesta declaratione apparent: quia in loco, vbì sanctum eius corpus quiescit, infirmi, quacunq; laborantes ægritudine, sanitatem recipiunt.

Matth. 9. Ecclesia, mater & filia Christi.

Vt autem ad omnia testes cautissimi simus, veritatis amatoribus, ætati nostræ succe-dentibus, de his, quæ scribimus, curiosè indagantibus, scilicet quo tempore opera cu-rationum præfatæ Imperatricis initium habuerint, largiente Domino, prout possu-mus, volumus explicare: Anno incarnationis Domini 1189. Indictione secunda, Tre-mone tertiodecimo Bambergensis ecclesiæ episcopo, quarto sui pontificatùs anno, ad vincula S. Petri, nè de sanctitate prædictæ virginis ambigeremus, signorum experi-entia certificati sumus. Nam dum solito more populus ad prædictū locum orationū & vigiliarū causa conuenisset, affuit etiam quidam dæmoniacus: qui nec pietatē agno-scens, nec scelus abhorrens, filium suum igne cremauerat. Hic duris funibus adstrictus, ad sepulcrū S. Chunegundis ità mansuescere cœpit, vt furiali morbo absolutus, Deum omnipotentem laudaret: eiq;, cuius patrocinantis meritis hoc accidisse cognouit, cum cateruą, quæ præsens extiterat, debitas laudes declamaret. Igitur dū hæc cū solennitate chori & populi deuotione agerentur, quidam contractus in suburbio, de hospitali san-cti Aegidij adductus, sanitatē postulabat: & misericorditer exauditus, quod precabatur obtinuit. Dum signorum fama totum Bambergensem locum respersisset, contractus de domo Conradi Præpositi maioris ecclesiæ, sanitatem affectans, & quanuis natura in mem-

Miracula ad sepulcrum S. Chunegūdis.

Item contractus.

in membris eius oberrâsset, tamen prout velociùs potuit reptans, sepulcro venerabili se ingessit, vbì à Domino salutem optatam inuenit. Audiens hæc etiam contractus de domo Othonis, in eadem ecclesia canonici, venit quantocyùs ad locum sepulcri, sperans sibi ex beneficio gratiæ, sicut cæteris, subueniri: cui sine mora subuentum esse, in Christo testamur.

VITA PETRI ABBATIS CAVENSIS, EDITA A QVODAM EIVS AEQVALI, QVI SE TESTATVR SCRIPSISSE EA, *quæ ab antiquis eius monasterij senibus perceperit. Obijt hic Abbas anno Christi* 1137. *Nondùm comperi, vtrùm in Sanctos relatus sit. Numerum capitum nos ad marginem annotauimus.*

Monasterium S. Trinitatis à Caua siue Cauense, est prope Neapolim.



Cauense cœnobium vt apertè clarescceret quia profectus sui incrementa ex diuina dispositione meruisset, hoc omnipotens Deus per viros venerabiles semper rexit, atque ad eiusdem administrationem accedere pastores reprobos non permisit. Nam reuerendissimo valdè viro Alferio virum æquè venerabilem Leonem substituit: huic autem Petrum subrogauit, qui patres eximios sanctitate redderet, lucro superaret. Sed quia illorum quædam de virtutibus atque vita descripsimus, ordo exigit, vt ea etiam, quæ de hoc venerabili patre sunt nobis dicta, narremus. Illi quidem, beati Eliæ typo, desideriorum igneo curru cælum penetrare meruerunt: iste dum ascendentes obseruare ardenter studuit, habere illorum spiritum duplicem meruit: videlicet † cælestia fortiter amans, mirabiliter terrena disponens, cælum diues intraret. Illi quidem rebus pauperes, virtutibus diuites, ad æterna gaudia peruenerunt: hic & laborum suorum meritis diues fuit, & velut alter Ioseph, mundi huius diuitias ad Domini sui seruitium sapienter traxit.

Martij 4. Cap. 1.

Hæc Lector suis locis offendet.

for. deest, † vt

Fuit autem Salernitanus genere, viri venerabilis Alferij nepos carne, hæres consuetudine: ex qua nimirùm sibi consuetudine accidit, vt adolescens illius conuersationem memoraret, atque hanc totis affectibus imitari satageret. Ad virum itaque venerabilem Abbatem Leonem veniens, sanctæ conuersationis habitũ suscepit: mox autem religiosæ vitæ studium tam feruenter arripuit, vt rigoris proposito antiquis etiam patribus æquari videretur. Nam tantæ abstinentiæ fuisse dicitur, vt quinque aut sex panum refectione, toto sanctæ Quadragesimæ tempore contentus esse videretur. Sed & remotioris vitæ studium gerens, eiusdem sacræ Quadragesimæ dies in monte sancti Eliæ, qui Cauensi monasterio altiùs præeminet, obseruare consueuerat: vt tanto se arctiùs diuinæ contemplationi insereret, quanto eum ab hominum consortio vastior solitudo separaret. Vbi etiam oratorium sancti Eliæ, & cellulam sibi posteà ædificari fecit, & magna æternæ vitæ gaudia magnis illic laboribus sæpè comparauit.

Cap. 2.

Petrus se dat vitæ monasticæ.

Per idem tempus, cùm cœnobij Cluniacensis religionem celebrem comperisset, odore tantæ famæ illectus, quanquàm longè positus, illius congregationis ordinem æmulari ardenter cœpit. Assumptis ergò secum quibusdam de monasterio fratribus, cùm iam nauigio Genuam venisset, census ferè omnis Dei pauperibus defecit. Cumq; in eodem defectu sumptuum, spes etiam itineris deficere cœpisset, pius adolescens in orationem se prostrauit, vt sibi omnipotens Deus dignaretur tribuere, vndè id, quod eiusdem amore cœperat, consummare potuisset. Cumque ab oratione surgeret, & per oram maris deambularet, aureum annulum inuenit, cuius precium ad totius viæ sumptus sufficiens habuit. Cluniacum ergò perueniens, à viro venerabili Hugone Abbate mira charitate susceptus est, vel quia adolescens magnæ religionis ardore flagrabat, vel quia æmulandæ perfectionis causa de tam longinquis Italiæ partibus venerat. Seniores autem monasterij Abbati suggerebant, vt eum in puerorum schola ponere erudiẽdum debuisset: quibus pater monasterij magnæ discretionis verba respondit, dicens: Hic nisi magna deuotione ferueret, tam lõgè trahi opinione religionis nequaqnàm posset. Virile ergò opus deuotionis à debilitate eũ assumpsit ætatis. Ex illo autem iam die receptus in conuentu fratrum, tanta obedientiæ virtute enituit, vt septem simul, sicut alij dicunt: vt alij verò asserunt, plura diuersarum officinarum ministeria strenuè & honestè perficeret.

Cap. 3.

Huius Hugonis vita est hoc Tomo 2. die 29 Aprilis.

Cap.4. Et quia longum est cuncta stylo percurrere, cùm in claustro Cluniacensi quinquennium, atq; in capella Abbatis trienniũ compleuisset, atq; intùs obedire & iussa exequi, foris verò disponere & ordinare didicisset, liberalitate sancti Hugonis suo, id est, Cauensi monasterio restitutus est: vbi iam cùm doctus scriba in regno cælorum, magnæ opinionis haberetur, petentibus Clero & populo vnà cum Gilsulfo Salernj principe, in ecclesia Policastrensi in Episcopum electus est. Qui cùm parùm illic temporis expendisset, exterioris vitæ strepitum non ferens, ad monasterium redijt, ac se in interioris vitæ studium more solito totum dedit. Tunc pater venerabilis Leo vehementer timens, nè monasterium tanto viro priuaretur, simul onus regiminis se iam præ senectute ferre non posse considerans, conuocatis fratribus, eum sibi successorem constituit, & ipse vt Deo per quietem vacaret, ad ecclesiam sancti Leonis de veteri, quam ipse construxerat, recessit.

Cap.5. Petrus præficitur Cauensi monasterio. Petrus autem venerabilis Abbas, monasterij curam suscipiens, tanta malignorum spirituum tentamenta inuenit, vt tum primùm diabolus insurgere contra eiusdem acta videretur. Nam fratres, quos in Cella reperit, cùm Cluniacẽsis ordinis norma perstringeret, tam duros & obstinatos inuénit, vt murmurationis suæ susurria ad virum venerabilem Leonem deferrent, atque eiusdem mentem simplicem ad iram traherent. Quod cùm Petrus Abbas comperit, ea quæ sunt concordiæ & pacis prouidens, ad monasterium sancti Archangeli, quod in territorio Cilenti situm est, decessit: ibique collectis fratribus, primùm normam eiusdem, quem didicerat, ordinis posuit. Qui etiam non multo pòst tempore, à patre Leone & fratribus rogatus, redijt, atque institutionem, quam priùs velut grauem contempserant, cum magna deuotione susceperunt.

Cap.6. Cumque fama sanctitatis eiusdem se vehementer extenderet, cœperunt multi viri nobiles, multi seculi diuites ac potentes seculum deserere, atque ei se in supernæ conuersationis magisterio subiugare. Sed sapientium atque simplicium tanta ad eum multitudo conuenit, vt ei promissio illa diuina facta videretur, qua dicitur, Faciã te in gentem magnam. Nam vt quidam religiosus paterfamiliâs ab eiusdem ore se audisse testatur, quadam die cùm venerabilis pater esset hilarior, quadam dilectionis necessitate coactus, plusquàm tribus millibus virorum habitum sanctæ conuersationis se imposuisse testatus est, licèt posteà superuixerit, & plures in monasterio receperit. Tunc in huius viri monasterio etiam pij patris Alferij prophetia claruit, qua dixerat, quia de eadem Cella maxima ad æternam vitam conuersorũ lucra essent colligenda. Viri quoq; seculi potentes cœperunt magna liberalitate, ad sustentandos Dei famulos, prædia & possessiones abundanter offerre. Omnipotens enim Deus ità eorum corda ad opus pietatis aperuit, vt tanta monasterio ferrent, vt non solùm collecta illuc fratrum multitudo viueret, sed etiam ex eorum plenitudine effundi pauperibus multa potuissent. Quod & pater venerabilis nobiliter exhibuit: quia ex datis sibi copijs non solùm fratres monasterij regulariter procurauit, sed etiam innumerabilẽ censum inopibus erogauit. Sed quid eum erogâsse tantùm dicimus, cùm etiam statuerit, vndè semper erogetur? Nam nostris temporibus inuenire difficile est, qui in cura egenorum ei similis aut æqualis habeatur: quos nimirùm cateruatìm pascere ac vestire consueuerat, ac vestiendos & alendos tanto studio quærere, vt etiam pro inueniendis eis ciuitates exploraret. Reuerà, vt scripturæ eum laudibus prosequamur, pater orphanorum, & viduarum non iudex, sed procurator fuit: quorum curam ita sapienter disposuit, vt clàm eis vndè sustentarentur transmitteret: quatenùs & illi sine rubore perciperent, & quod pro æterna vita impendebat, occultaret. Quare & diuinæ misericordiæ largitatem ità promeruit, vt cùm in sustentatione pauperum tanta effunderet, semper sibi suppeteret, vndè semper dare abundanter potuisset. Propositum nanque sancti viri, licèt omninò niteretur, occultari non potuit: atque vt tantæ gratiæ mererentur esse participes, non solùm viri, sed etiam mulieres, vt valebant manus, auxilium ministrabant.

Gen.12.

Permulti sub eo fiunt monachi.

Multa dantur monasterio eius.

Benignitas eius in inopes.

Cap.7. Tunc vir Domini, vt se necessarijs sumptibus ad perficiendum paratum vidit, dilatare monasterium, atque tantæ multitudini aptum habitaculũ parare disposuit: quod nimirùm, diuina gratia cooperante, inquantùm loci angustia passa est, tam decenter expleuit, vt mirari eiusdem operis dispositio possit, verè extimari non possit. Nam cùm ex vno latere scrupea rupe, ex alio pendula fluminis ripa claudatur, interclusō illo medio paruo spatio ædificia tanta fundata sunt, vt cùm foris locus cernitur, mirabile omninò sit perscrutantibus, quòd tanta intùs spatia continentur. In quo etiam opere si illud, quod ad Moisen dictum est, librare volumus, quodam modo inuenimus. Nam

Auctius reddit monasterium.

cùm tabernaculum Deo construere vellet, audiuit: Omnia fac, sicut ostensum est tibi in monte. Volebat quidem omnipotens Dominus, vt terrena domus fieret, sed quam forma cælestium illustraret. Pater igitur venerandus omnem illum tabernaculi decorem, ad mentium discipulorum ornatum traxit. Perfecta enim forma cælestium illa est, de qua dicitur: Non nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo. Illa etiam forma cælestium est, quam nobis imprimit, vbi dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Tanta quippe pudoris specie, tanto virtutum decore ibi illam diuinitùs collectam multitudinem omnipotēti Deo seruire fecit, vt dubitare nemo posset, quin cælesti conuersatione fulgerent. Sed quia nunc de ædificij ordine agimus, illud ei, quod de æterna ciuitate legitur, conuenire videmus, Per omnes vicos eiusdem Alleluia cantabitur. Nam Cellæ illius cuncta vestibula ità disposita sunt, vt singula ferè orationis, lectionis, psalmodiæ proprijs officijs deputentur, & quocunquè pergitur, orantes, psallentes, canentes aut legentes occurrunt. Exod.25. Matth.22. Matth.5. Tob.13.

Perfecto igitur opere monasterij, illic collecti fratres cœperunt tanto liberiùs diuina ministeria exhibere, quanto ad hæc eos non solùm feruor charitatis accenderat, sed etiam locus inuitabat. Pater etiam venerabilis Petrus in tanta se conuersationis districtione cohibuit, vt in tanta subditorum multitudine, cùm multi magna conuersatione fulgerent, illius rigorem vitæ nullus ferre potuisset. Nam nec orationis eiusdem instantiam, nec vigiliarum prolixitatem, nec genuflexionum numerum, nec frigoris tolerantiam aliquis ferre potuit. Iuxta dormitorij quidem sui cellam aquæ piscinulam condere sibi fecit: vbi cùm hyemali tempore frequenter intraret, de nuditatis & frigoris tolerantia gloriari cum Paulo potuisset. Vinum ità omninò spreuit, vt etiam debilitato stomacho, & voce iam ferè amissà, vix à bonæ memoriæ Papa Vrbano ad eius quanuis modicum vsum reduci potuisset. Loricam subtùs ad carnem occùltam induit, quousquè putresceret, & ab eius corpore rupta cecidisset. Cap.8. Asperitas vitæ Petri.

Sed quia longum est, si singulis immoremur, hoc solum adhuc de eiusdem fama subiungamus, quia in omni ferè orbe venerabilis habebatur. Sed vt secularis authoris verbis vtar, rigidi, honesti tantus obseruator fuit, vt cùm videri ab ipsis etiam Imperatoribus, & huius seculi potentibus longè pósitis optaretur, multaque ex hoc monasterio bona promitterent, vir sanctus renuit, nec pro temporalibus rebus à Deo procedendum esse iudicauit. Et quia à nonnullis, qualis coram Deo sit, non creditur, qualis sit ab eo ostensus, ad detractorum eiusdem confusionem proferamus. Nam vt Euangelistæ Ioannis verbis vtar, Si non esset ex Deo, non posset facere quicquam. Et quia, vt dixi, æmulos sancti viri confundere cupimus, ferè omnium miraculorum eius testes optimos, viros scilicet sanctos ac venerabiles producamus: quanquàm necesse non esset eiusdem sanctitatem probare miraculis, cùm tantam operum eiusdem magnitudinem teneamus. Opera nanque mira atque ingentia sunt, quæ testimonium perhibent de eo, tanti constructio monasterij, tanta elegantia ab eo fundatæ religionis. Nam si is, qui aliquem peccatorem conuertit, multitudinem operit peccatorum, & qui calicem aquæ frigidæ sitienti dederit, mercedem in cælis habet: quāta lucra huius, quantos meritorum cumulos esse dicimus, qui tam largus in pauperes, tam diues in misericordia, tam studiosus & feruens ad lucrandas animas declaratur, vt quandiù vixerit, nihil aliud egerit: & quandiù mundus voluitur, quia in eo conuerti peccatores non desinit, eiusdem meritum semper augeatur? Cap.9. Contemnit mundi gloriam. Ioan.9. Iacob.5. Matth.10.

Sed eiusdem studia quanto vigore feruerint, quàm etiam fuerit prauis rigidus, quàm mitibus humilitate subiectus, quia explicare longum est, omittentes, quàm mirabilis ab omnipotente Deo potiùs ostensus sit, videamus. Senex nanque venerabilis Petrus Spoletinus, & Petrus Troianus, cuius religionis atque veritatis fuerint, nullus qui eorum tempore in monasterio mansit, ignorauit. Ij mihi narrare consueuerant, quia quadam die, dum monasteria circuiret, Teresinum cum eo venerunt. Ibi verò cùm in ecclesia S. Ioannis Missas celebraret, & quidam flabelli ministerium negligenter exhiberet, lampadem impulit, & oleum super altare fudit: cumque brandeum sparsus liquor infudisset, vir Domini valdè contristari cœpit, & hoc quod contigit, non negligentiæ ministri adscribere, sed suis meritis imputare. Post aliquantos verò dies, cùm ad sancti Archangeli ecclesiā venissent, prædicti fratres & cæteri, qui sancto viro ministrabant, brandeum illud curauerunt producere, vt indè oleum educere lauando debuissent: sed, quod valdè stupendum est, ità candidum & mundum inuentum est, ac si oleum in eo nunq̃ cecidisset. Quod fratres cognoscentes, omnipotēti Deo gratias retulerunt, Cap.10. Miraculum

quasi per terram traxit. Sicque factum est, vt vir sanctus, qui manere sponte in loco nollet, maneret inuitus, & votum suum in memoria Apostoli tanto deuotius redderet, quanto in se eius voluntatem apertius didicisset.

Sed aquis præualuisse quietis cum cur miremur, cùm inuocatione meritorum eiusdem, maris tumentes ac sæuientes cumulos quieuisse coram secularibus hominibus teneamus? Nam quidam nobiles viri Neapolis, cùm per mare Caietam pergerent, vt nobilis cuiusdam iuuenis delatam illuc à parentibus sponsam deferrent, vehementibus ventis turbato mari, nimiùm pauere cœperunt. Cumque fluctus vehementer insurgerent, & euadendi spes iam defectis deficere cœpisset, quidam illorum nobilium, Abbatis familiaris, orationem ad Dominum fudit, atque se cum socijs, illius & fratrum eiusdem meritis de tanto periculo liberari postulauit. Post cuius nimirùm vocem, mirabiles elationes maris mirabiliter quieuerūt, & quanta essent sancti viri merita, ostendere visæ sunt, cui exemplo Saluatoris se obediendo submiserunt. Cap. 15. Miraculum Matth. 14.

Et quia non solùm extraneis & indoctis, verùm etiam quibusdam negligentioribus monachis pro feruore Ordinis homo austerus visus est, illud narrādo subsequar, vndè quàm acceptus Deo fuerit de omni illa sua districtione, apertiùs videatur: quos etsi sanctæ scripturæ authoritatibus facilè refellere possumus, tamen splendore miraculorum ostenso meliùs confutamus. Quidam nanq; frater erat in obediētia sancti Fabiani martyris: qui cùm se negligenter ageret, in somnis dominum Abbatem vidit: à quo regulariter verberatus, decæterò studiosus fuit. Huic autem omninò simile aliquid in alio loco gestum, fratres venerabiles retulerunt. Quodam nanq; tempore cùm frater quidam de Cella quadam Calabriæ ad monasterium veniret, cuiusdam secularis hominis hospitio susceptus est. In eadem verò domo pro quadam solennitate conuiuium parabatur, & cùm plures ad eiusdem conuiuij epulas vocarentur, fratrem etiam illum rogare cœperunt, vt respectu charitatis eo die cibis communibus vteretur. Quod vtiquè frater ille primùm renuit, dicens, Non possum, fratres, quod dicitis, facere: quia regula monasterij talis est, vt cibos carnium nullus edere præsumat. Cumque secundò & tertiò rogarent, & suis precibus vehementer insisterent, flexus est homo, & eorum cibos se sumere promisit. Sed dum prandium pararetur, monachus de labore itineris parùm pausare volens, obdormiuit: cui venerabilis Abbas Petrus in somnis apparuit, dicens: Quid est, frater, quòd seductori tuo tam citò assensum præbuisti? Talis'ne est ordo Cauensis, vt in via directi fratres carnibus vescantur? Cumq; ille culpā agnosceret, & veniam precaretur, corporali indusio spoliari iussus est, atq; flagellatus euigilauit. Tunc instantibus inuitatoribus suis, respōdit dicens: Ego, fratres, cibos vestros nondùm sumpsi, & flagella promerui: iam si comedero, quid mihi erit? Cumque rei gestæ ordinem audirent, vltrà ei molesti pro prandio nō fuerunt. Quibus nimirùm indicijs claret, quia affectum dilectionis, quem impendere præsentibus consueuerat, absentibus spiritu impendere videbatur: vt apertè clarescerer, quia omnis ille rigor disciplinæ ex magnæ dilectionis fonte deflueret: & quod sæpè videbatur à negligentium pace discedere, cum summæ pacis bono conueniret: quod meliùs ostendimus, si non solùm correpta corpora, sed etiam purgatarum animarum indicia disciplinæ illius vigore videamus. Cap. 16. Absens castigat negligentem fratrem in spiritu. Item alium

Cioffus nanque monachus nobilis referre solitus est, quia Frederisius quidam monachus fuit, Amalphitanus genere: qui extra monasterium in Cella quadam manere iussus, negligenter vixit, atque religionis splendorem, quem susceperat, infelicibus actibus deturpauit. Post aliquanta verò temporū spatia hic in monasterio languore graui correptus est, atq; ad extrema perductus. Cumq; & mori se videret, & culpas suas confiteri erubesceret, mirabili pietate actū cum eo est, vt magnis cruciatibus hunc languor in mortē traheret, & tamen mori nō posset: quatenùs & pœnæ constringerent, & mors terreret, vt peccata sua viuendo exponere potuisset. Corpus etiā Dominicū, quo se indignum negligenter viuendo, atq; indigniorē valdè culpas occultando fecerat, sæpè sibi oblatum sumere non valebat. Cumq; eum fratres sæpiùs admonerent, & ille se excusando tegeret, tandem præfatus monachus consilijs acquieuit, culpas confitendo aperuit, atq; ex more monasterij, domino Abbati, qualem se vidit, ostendit. Cui vir Dei nullum ad agendam pœnitentiam vitæ spatiū superesse cōsiderans, nè impurgatus abiret, faciē Domini præuenire disposuit. Nam prædictū fratrem morientē corporali vindictæ subdi constituit, vt carnis compunctione purgaret, quem delectatione sordidum cognouisset. Sed & paternæ illius dilectionis verbera, mira diuinæ clementiæ signa subsecuta sunt. Statim enim vt meritorum suorum iudicium patienter excepit, oblatum Cap. 17. Pœna monachi nolētis confiteri peccata sua.

sibi corpus Dominicum sumpsit, & tanta pace statim obijt, vt in eo non solùm patris sui affectus, sed etiam Domini promissio firmaretur, Quia hora, qua peccator conuertitur, vita viuet, & non morietur.

Ezech.18.

Cap.18. Frater quoq; alius erat in monasterio, qui Petrus, cognomento Pitantius dicebatur: vir sanè aliàs bonus, sed quodam næuulo auaritiæ infectus: qui cùm iam ad exitum languore tentus appropinquaret, eiusdem vitij dæmonem sibi vidit assistere: quem cùm quid illic expeteret exprobrando inquireret, malignus spiritus respondit: Pro tareno illo, quem habes, mihi hodiè tradendus es. Tunc monachus aliorum bonorum operum suorum labore confisus, cùm dæmoni exprobraret, ac pro simplicitate eum percutere baculo minaretur, dæmon abscessit, & non modico terrore monachum turbatum reliquit. Fortè tunc senior quidam ex more monasterij cùm circà faceret, monachum illum alongè quasi cum alio loquentem audiuit, & solum inueniens, cum quo fuisset locutus, ab eo inquirere studuit. Cui signo æger monachus dixit: Manè dicam tibi. Diluculò igitur circà redeunti ille omnia per ordinem enarrauit, veniamque sui delicti postulans, vt domino Abbati suggereret, rogauit. Quod vt pater venerabilis agnouit, eum, sicut alium, corporali vindicta expiatum soluit, atque eo die mori iam liberum dimisit. De quo nimirùm constat, quia vir bonus merito virtutis obtinuit, vt parui, quod putabat, peccati meritum viuendo prænosceret, vt eius pœnam post mortem sentire minimè debuisset. Sed & cùm luce clarius sit, quia maligni spiritus merita peccatorum nobis in hoc seculo semper occulta esse velint, nè ea euadere pœnitendo curemus, dæmon, qui peccati meritum morienti exposuit, patet nimirùm, quia hoc non spontè, sed coactus dixit. Quod etiam patris monasterij studijs adscribi debet: quia illi est ad purgandum expositus, cuius erga filios pia correctio probabatur. Vidit ergò malignum spiritum, nè videret, & illius sæuitiam studio reuerendi patris euaderet.

Dæmones nolunt scire nos peccata nostra.

Cap.19. Sed fugare dæmonia in discipulorum transitu, ei nouum non erat. Hugo etenim monachns, boni viri Raineri fabri filius, cum patre & fratre suo alio, Mauro nomine, in monasterio conuersus est: quorum alter frater, velut eruditus & prudens, Prior monasterij fuit: hic autem in communi ordine simpliciter viuendo, vsque ad mortem mansit. Cumq; iam recipiendæ mercedis suæ tempus venisset, ægritudinem corporeæ mortis incurrit. Ad quem pater venerabilis iam transeuntem venit, eiusque animam omnipotenti Deo commẽdare studuit: cui & moriens frater dixit: In fenestra illa, pater, duę aues sunt, vna valdè pulcherrima, alia horribilis valdè & nigra. Rogo igitur, vt horribilem illã eijcias. Tunc admirari fratres, qui aderant, cœperunt, quòd attẽtè monstraret, & quod monstrabat, ipsi videre non poterant. Pius autem pater intelligens, quòd moriens frater videre aliud, quàm viuentes, posset, aquam exorcizatam sibi afferri iussit: qua profectò dum orando aspergens fenestram tangeret, nigram illam auem protinùs discedere idem moriens vidit: cumque Deo gratias ageret, sancta eius anima carne soluta est. Tunc fratres colligere cœperunt, quia ministerio venerandi patris in horrida aue malus angelus recessit, bonus in pulchra ad ducatum præbendum electæ animæ remansit: qui, alio recedente, eam statìm vt de corpore est egressa, ad æterna gaudia deducendam suscepit. Nam idem frater post aliquantos dies in veste fulgenti cuidam dormienti apparuit, & iam dubium non fuit, quòd à bono duce susceptus, ad æterna gaudia ab hoc exilio assumptus ascendit.

Visio monachi morientis.

Vis aquæ benedictæ.

Cap.20. Sed neque illud silendum puto, quòd quidam secularis, in cœmeterio veteri iuxta cameram venerabilis viri huius sepultus, per noctes plurimas clamores atque eiulatus emiserit: cumque sæpiùs fieret, & venerando patri non parùm molestus esset, nocte quadam, cùm idem clamor & eiulatus circa miseri hominis illius sepulcrum fieret, pater ab oratione surrexit, foràs exiuit, non sine magna indignatione clamanti comminans: & ità ille obmutuit, vt penitùs clamare desineret, & virum Dei molestare vlteriùs non auderet. Sicque apertè claruit, quia vir venerabilis cùm voluit, etiam mortuis imperauit. Quòd si clamor ille non mortui hominis, sed maligni spiritûs extitit, sancti viri authoritas in hoc etiam magna fuit, quo iubente, malignus spiritus siluit.

Cap.21. Sed quia mira facta eiusdem ostendimus, quædam etiam vitæ eiusdem exempla producere debemus: quanquàm de forma ministerij sui dictũ sufficere credimus, quia leo superbis & irreligiosis, religiosis & mitibus agnus fuit. Nemo enim vnq̃ immites & contumaces subditos fortiùs domuit, nemo humiles & subiectos benigniùs honorauit. In istis nanque magisterij sui vigorem nesciebat, quos sæpè quasi minor patronos suos, pro se vt Dominum rogarent, rogare consueuerat: illos verò & verbis & regularibus

Erga mites & elatos vt se gesserit vir Dei.

ribus correctionibus comprimebat, vt negligentiarum suarũ torporem desererẽt, atq; in cælesti cõuersatione feruentes deinceps esse debuissent. Obstinatis & improbis, post disciplinæ regularis morsus, mitigatoria illa suę consuetudinis ingerere solebat, quibus & operis & intentionis suæ bonum luce clariùs ostendebat, Cum catena, inquiens, nolentem te ducam ad cælũ. Quo verbo sapientibus satis indicabat, districtionis suæ seueritatẽ qua intẽtione sua, quo corrigendorũ fructu, qua internę pietatis dulcedine exhibebat. Verè medicus animarum fuit, quarum lucris nulla præposuit. Sed hoc meliùs ostendimus, si velut in luce positum, quoddam eius factum memorabile prædicetur.

Miles enim quidam, Gallus genere, in monasterio conuersus est: qui cùm plurimũ temporis communi ordine religiosè vixisset, tandèm post tergum respiciẽs, mundi delicias, quas contemnendo fugerat, velut Aegyptij ollas carniũ desiderauit. Relicto igitur monasterio, se à culmine religionis in præcipitium dedit, arma resumpsit, & viuere seculariter cœpit. Qui cùm tam dementer erraret, & se dignum morte faceret, quandoquè diuina gratia, patris sui meritis, respectus, ad monasterium redijt, & multa quę conquisierat, quasi gratissima munera secum portauit. Pater autem venerabilis cùm hunc redisse cognosceret, cum magno gaudio recepit: ea verò omnia, quæ attulit, contempsit, ingentem foueam fieri iussit, in qua delata omnia igne concremauit. Quod nimirùm vir sanctus faciens, exemplum posteris dedit, vt fratrum personas diligant, & animarum damna fieri nullius lucri dispensatione permittant.

Cap. 22. — Exod. 16. — Apostatam monachum resipiscentẽ vt tractârit.

In Synodo ei more suo nudo capite residenti, sanctæ memoriæ Papa Vrbanus pontificalem infulam misit: quam vtiquè vir Domini & pro summi Pontificis reuerentia venerabiliter recepit, & officiosissimè salutauit, & tamen eiusdem sacerdotalis mitræ vsum etiam rogante Papa contempsit. Quod non ob aliud fecisse creditur, nisì vt quorundam arrogantiam humilitatis exemplo damnaret, qui dum se inaniter extollunt, indebitos sibi sanctæ Ecclesiæ honores non metuunt vsurpare. Multa sunt prætereà, quæ de hoc venerabili patre monasterij senes narrare consueuerant, sed mihi de his, quæ relata sunt, hæc retulisse sufficiat. Vt autem ad eiusdem felicem exitum veniamus, eodem anno, quo de hoc mundo erat profecturus ad Dominum, Ioannes de Diano eiusdem Capellanus, huiusmodi visionem vidit. Videbat siquidem, quia de loco suo montes tres maximi mouebantur, qui motu suo non paruam mundo collisionem minabantur: à quorum motu clamor tantus fiebat, acsi mundus destrui videretur. Cumque & ipse eodem terrore compulsus, ad ecclesiam vellet fugere, & quid esset quod videbat inquirere, audiuit quia illi tres montes, tres Cluniacenses Abbates essent, videlicet S. Odo, S. Maiolus, & S. Odilo, qui dominum Petrum Abbatem vt secum tollerent venissent. Sed cùm tempus, quo tollẽdus erat, inquireret, item audiuit, quia iuxta principis Apostolorum festum venirent, & eum de monasterio tollerent. Euigilans autem frater ille, de Abbatis sui vicino obitu nimis contristari cœpit: quod tamen non eo festo accidit, quo putabat. Nam pater sanctus vicinum Apostolorum festum viuendo transijt, sed circa festum, quod Cathedra beati Petri Apostoli dicitur, ad gaudia æterna migrauit. Obijt ergò senex venerabilis, maturus æuo, sed probitate maturior, sepultusque est in speluca, quæ de Cella venerandi patris Alferij in oratorium beati Michaelis Archangeli mutata est.

Cap. 23. — Humilitas eius. — Visio cuiusdam. — Migrat ad Dominum.

In quo loco quæ meritis eiusdem reuerentia debeatur, sæpiùs demonstrauit. Sergius nanque monachus, & monasterij armarius, pro negligentijs suis sæpè à viro Dei argutus fuerat. Quadam verò die, maligno spiritu instigante, cùm non sua merita, sed correptionis suæ amaritudinem memoraret, contra viri Dei sepulcrum expuit, & quem fratres monasterij quasi viuentem pronis ceruicibus in eodem loco salutare consueuerant, Iudæorum more conspuere non expauit. Mos autem, cùm adhuc viueret, viri venerabilis fuit, vt subditorum culpas puniret, nè futuræ vindictæ eos negligendo seruaret. Consuetudinis ergò suæ dignitatem post mortem etiam seruans, eundem monachum grauiter percussit. Nam vbì contra sepulcrum expuit, facies eiusdem intumuit, & os ità torsit, vt in maxilla depositũ ex latere videretur. Percussus itaq;, tunc primùm cognoscere Abbatis sui magnitudinẽ cœpit, cùm eum, cui quasi mortuo exprobrauit, viuere meliùs post mortẽ, & dignitatis suę vigorẽ tenere altiùs didicit. Sed cùm magnis doloribus ingratus paternis beneficijs torqueretur, liuenti facie, tumẽtibus labijs, cinctus doloribus, ad venerabilẽ virũ Abbatẽ meum Simeonẽ venit, reatum suum confitendo aperuit, & meriti sui dari sibi pœnam tantæ audacię dignam postulauit. Cui venerabilis Abbas respondit: Si ab illo percussus es, curare te nullus alius potest.

Cap. 24. — Punitur monachus, cõspuens eius sepulcrum. — Is Simeon successit huic Petro post Cõstabilẽ, qui nõ integro anno fuit Abbas.

test. Iussus ergò monachus redijt, & ante sepulcrum venerabilis viri in oratione prostratus, faciei & oris incolumitatem promeruit. Os nanque, quod ad derogationem sancti sputum elexit, percussum doluit, atque eo verba proferente pœnitentiæ, salutem recepit, vt patris sui iustitiam & pietatem contra detractorum fallaciam probaret. Quia nimirùm vt magister bonus errantem percussit, & vt pius pater, quem percusserat, sanauit. Felix vtiquè, qui vtrunque potuit, videlicet & percutiendo corrigere, & sanando mulcere. Hoc autem idem Sergius monachus senex retulit, sed me petentem relationis suæ miraculum, domini Abbatis Simeonis testimonio confirmauit.

Cap.25. Vrsinus etiam monachus non valdè huic dissimile solet narrare miraculum. Ait enim, quòd quadam die Tusciam apud ecclesiam S. Michaelis Archangeli plures monasterij fratres conuenerant: inter quos erat Leo Barisanus, & Vrsus Ramarius. Tunc, vt fieri solet, confabulantibus sermo incidit, vt Abbatum monasterij opera & religio conferrētur. Sed cùm ad Abbatem Petrum omnē monasterij tam religionem, quàm exteriorum rerum collationem referrent, idem Vrsinus monachus laudatoribus patris sui resistere vehementer cœpit: cumque iam nec detractionibus parceret, fratres eum monere cœperunt, vt à talibus verbis silere debuisset. Ille autem silere noluit, sed quantùm sibi placuit, nequiter loquendo processit. Eadem verò nocte ille, quem spreuerat, ei in somnis apparuit, atque ab eo inquirere instanter cœpit, dicens: Sic, Vrsine, sic debet monachus loqui de Abbate suo? Qui cùm ea, quæ vigilans dixerat, memoraret, & illum, cui quasi absenti detraxerat, non solùm præsentem, sed etiam pristina authoritate præstantem cerneret, cum magno timore sui reatus sibi dari veniam precabatur. Vir autem sanctus ei indulgere noluit, sed ante altare oratorij eum ducens, regulari disciplinę subdidit, atque tam acriter verberare cœpit, vt inter dolores exclamaret, & quid dormiens pateretur, patenter vocibus indicaret. Cumque fratres accederent, & clamantem excitarent, ordinē flagellorum exposuit, atq; ad eorum veritatem & vltoris præsentiam confirmandam, scapularum liuores testes produxit. Quod profectò miraculū mihi Vrsinus idem dixit: sed certiùs rem scire volens, cùm ab Vrso Ramario quærerem, se clamantē inter verbera Vrsinum audisse dixit, & in euigilante verberum signa vidisse. Quibus nimirùm signis ostenditur, quo vir sanctus æternæ dignitatis honore potiatur, qui eos, quos in hoc seculo nutrierat, & corrigere docendo possit, & castigationibus emendare.

Apparet obtrectatori suo vir Dei, eumque virgis cædit.

Cap.26. Nam vir vitæ venerabilis Odo Vestararius, quia magnæ veritatis & sanctitatis fuerit, nemo qui eum benè nouit, ignorat. Hic sæpiùs narrare consueuerat, quia frequenter sibi appareret, & eiusdem, si in aliquo erraret, facta reprȩhenderet. Prætereà memorato Sergio monacho cuiusdam malæ consuetudinis vsus inoleuerat, vt in vno loco diù fixus permanere nō posset. Quadam verò nocte venerabilis pater ei apparuit, & de mobilitate sua terribiliter obiurgans, se eum in proximo correcturū minatus est. Post non multos verò dies idem Sergius de solario cecidit, & costam fregit: atque ex illa iam die monasterium circuncursare non potuit. Hæc autē & huiusmodi, vt iam dixi, pater venerabilis in discipulorum correctione fecisse cognoscitur, vt ad horam suæ vocationis eorum nullus imparatus inueniretur. Quorum profectò nonnullos sæpè præmonuit, & vt se ad vicinum exitum præpararent, imperauit.

Corrigitur diuinitùs monachus inquietus.

Cap.27. Ioãnes quidam Romanus, monachus eiusdem nostri monasterij, qui etiam ad hoc Venusinum monasterium mecum venit, quantæ simplicitatis & religionis vir fuerit, à multis cognoscitur. Hic autē in castro S. Adiutoris cum cæteris fratribus manere iussus fuerat. Quadam verò die ad monasterium veniēs, id quod apud memoratum castrum nouiter gestum nouerat, retulit dicens: Domino Leoni Barensi, magistro eiusdem castri, hesterna nocte dominus Abbas Petrus in somnis apparuit, eique dixit: Frater Leo, quare tam negligenter agis, & debitam psalmodiam defunctis fratribus nequaquàm reddis? Festina & prępara te, quia sub magna eris celeritate moriturus. Euigilãs autem, timore prænunciati sibi obitùs pauere mirabiliter cœpit. Cui etiam sequenti nocte venerabilis Abbas Cōstabilis apparuit, & eadem dixit. Ex qua nimirùm geminata visione ità territus est, vt in ecclesia psallens, bis quotidiè ex ordine Psalterium repeteret, & ab omni illa ociositate sua quiesceret. Post aliquantos verò dies idem Leo monachus languore correptus obijt, atque quòd veritatem viuendo dixerit, moriendo firmauit. Hæc autem mihi Ioannes venerabilis monachus, adhuc viuente eo, qui visionem suæ mortis viderat, narrauit. Quæ cùm in eiusdem obitu impleta didici, credere ea etiam cœpi, quæ per memetipsum non vidi.

Apparet vir Dei Leoni Barensi.

DE

DE S. PHOCA MARTYRE, EX S. GREgorio Turonen. De Gloria Martyrum cap. 99.

PHocas quoq; martyr, & ipse his martyribus regione cōiunctus, apud Syriam requiescit: qui post multas, quas pro nomine redemptoris est passus iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodieq; populis declaratur. Deniquè si in quempiam in his locis coluber morsum stringens venena diffuderit, extēplò qui percussus est, vt ianuā atrij, quo martyr quiescit, attigerit, compresso tumore, euacuata virtute veneni, saluatur. Ex quibus nonnulli, vt celebre vulgatum est, iam tumidi malæ bestiæ ictu, iam toto corpore incrassante veneno, in hoc perflati vt spiritum exhalarent, inter manus delati, & in atrio positi, sunt sanati: nec vnquàm ob hoc virus obire hominem fas est, si sacrum limen fide plenus attigerit. Martij 5.

VITA SANCTÆ MEMORIÆ COLETÆ VIRGINIS, PER QVAM REFORMATVS EST ORDO S. CLARAE: AVthore Stephano Iuliaco, eius cōtemporaneo. Eam verò ob nimiā prolixitatem F. Laur. Surius mutato stylo in compendium redegit, sed absque historiæ detrimento. Non est sanctarum adscripta catalogo, quod equidem sciam.

MIrabilem diuinæ cognitionis gratiam contulit spiritus sanctus, largitor liberalissimus, fideli ancillæ suæ Coletæ, apud Corbeiam in Picardia patre Roberto & matre Margareta, fœmina valdè religiosa, editæ: idq; etiā in ætate tenerrima. Cùm enim quadrima esset, præter cōmunem naturæ vsum, cœpit ità mentem habere ad cognoscēdum Deum perpetìm eleuatā, vt nullus vir prudēs aliqua ratione posset ambigere, diuinitùs id illi esse inspiratum. Sicut autem de beatissimo Ioanne Domini præcursore legimus, eū teneris sub annis, ciuium fugisse turmas, & antra petijsse deserti: ità etiā hæc ancilla Christi diuinæ cognitionis multiplici percepta gratia in annis puerilibus, fugere cœpit ludos omnes & leuitates atq; curiositates puellarū, contēnere mūdi vanitates & applausus. Etsi aūt, sexûs infirmitate prohibente, non sese abdidit in eremū, at tamē in paternis ædibus, quoàd eius fieri potuit, planè se gessit solitariam: quendā sibi paruum deligens locum, ab alijs separatū, vbi tanq̄ in oratorio accuratè sese exercebat in pijs meditationibus, in timore & amore Dei, eiusq; cultu ac famulatu, crebris quoq; orationibus deuotis: nec vnq̄ ab illo nisi rarò, idq; compulsa & inuita egrediebatur. Porrò corā seculi hominibus mirum in modū verecūda fuit, eisq; planè extranea toto vitæ suæ tēpore. Vndè quotiès aliqua religionis necessitas, vel alia quæuis causa extra monasterium, vel sua priuata oratoria eam coegit exire, coram quibuslibet etiam priuatis personis adeò erubescebat, adeò sibi contemptibilis & reprehensione digna videbatur, vt suoipsius iudicio nunq̄ vel dicendo vel faciendo publicè quippiam boni, tantum se profectum fecisse existimaret, quantum fecisset, si secum permansisset domi apud Deum & Dominum suum. Solebant interdū puellæ coætaneæ eam inuisere, & in eam curam diligētissimè incumbere, vt secū eam educerent: sed nihil efficere poterant: immò verò sentiens illa plerunquè in spiritu illas venturas, studiosissimè sese occultabat vel sub lecto, vel alibì, donèc cognouisset eas abijsse.

Martij 6. Cap. 1. Coletæ patria & parentes. Luc. 1. Sancta pueritia. Mira verecundia.

Erat quidē corpore parua, ętate iuuenis, sed grandęua ingenti desiderio perfectè diligendi Deū creatorē suū, illumq; timendi, illi seruiendi fideliter, & sedulò obsequēdi, efficiendi vt ab omnibus similiter & cognosceretur, & timeretur, & super omnia amaretur. Erat vita & cōuersatione honesta, matura bonis moribus, sensuū perfecta domitrix, ità vt sensus planè clausos haberet ad omnia, quę consciētiæ purissimæ aliquā possent adferre labem. Conuersatio eius nō tam terrena, q̄ cælestis videbatur, & angelica potiùs q̄ humana, optimè morata & religiosè cōposita, nec vlla poterat in ea vel vanitas, vel leuitas depręhendi. Omnes eius cogitationes, dicta & facta omnia, pura & fideli cōscientia eò planè intenta erant, vt pro viribus exequeretur id, quod gratū esset Deo, & proximos ędificaret & ad pietatē inuitaret. Ità fiebat, vt pleriq; admodū religiosi homines nō temerè colligerent, preciosum virtutis & gratiæ thesaurū in ea latére, quem Deus mitteret in mundū, ob exhortandos & excitandos miseros peccatores, vt vitæ in melius

Cap. 2. Arcta sensuum custodia.

Corpus suũ duriter habet.

melius cõmutande sedulam nauarent operam. In eo enim, quē diximus, loco solitario continuè macerabat & mortificabat tenerrimũ corpusculũ suũ, sobriè & parcè ac duriter illud habendo, in duris cubando asseribus: vnico contenta eoque vili operimēto, & carnem nudam nodosis stringens chordulis. Fuit verò eleganti corporis forma, venusta facie, & inprimis grata atq; amabilis, tametsi illa semper, dum fuit in corpore, & intùs & foris turpissimam & vilissimã se existimauit. Apparebat in eius facie albedo rubore permixta, sed multo tempore id illa ignorauit. Vbi autem id ei indicatum est, valdè doluit, orauitque Deum, vt eam pulchritudinem tolleret. Exaudita est à Domino, & rubedo abscessit: at tamen cunctorum oculis grata fuit, & quam omnes videre & audire cuperent. Mirabantur autem multi insignes homines tantum corporis decorem cum tam excellenti virtute in tantilla puella apparere.

Cap. 3. Pietas parentũ eius.

Parentes quidem eius, valdè studiosi pietatis & operum misericordiæ, cùm filiam suam vnicam didicêre tam sanctam ducere vitam, atq; in ea perseuerare, nõ mediocriter obstupuêre, nec tamen ingrati fuêre Deo, sed pro tanto eius beneficio laudes ei & gratias medullitùs egerũt: atq; illius crebris exhortationibus incitati, vno animo constituerunt diligenter vitare quicquid offenderet Deum, animæque conseruare puritatem, ac de virtute in virtutem progredi. Singularibus autem quibusdam charismatîs suis donauit illos Deus. Patri enim eius, qui erat natura comis, humanus atque amicabilis, id præstitit, vt posset redigere in gratiam eos, qui inter se dissiderent. Quod ità studiosè ille conatus est, vt vbicũquè audiret quosdam inter se discordare, alijs omissis, eò se conferret, nec laborem remitteret, donèc eos in certam cõcordiam redegisset. Valdè etiã afficiebatur ille misericordia erga pauperes, & fœminas à vitæ honestate in turpitudinem prolapsas. Ex ijs cùm quædam conuersæ essent meritis & exhortationibus filiæ eius Coletæ, vnam è suis domibus vltrò eis, itemque pauperibus alendis & fouendis attribuit. Porrò mater eius insigni fuit deuotione in Deum, illum perfectissimè & timens & amans, magnæ dedita vitæ parsimoniæ, multisq; modis sese affligẽs & excrucians: atq; vt minimùm semel hebdomadatìm aut sæpiùs confessa peccata sua, accedebat deuotissimè ad sumendum corpus Christi. Ambo aũt isti comiter permittebãt paruulę filię Coletæ, vt faceret, quicquid cęlitùs ipsi esset inspiratũ. Sed cũ multi, satana eos instigante, carperent hoc nomine parentes virginis, dicerentq; tantillæ puellæ id permittendũ non esse, pater eius non semel constanter respondit: Planè mihi persuadeo, filiam meam nihil facturam, nisi quod bonum sit. Coleta verò dolebat tam multam patri suo ob staturę suæ paruitatē exhiberi molestiam. Itaq; in peregrinatione quadam orans in templo, inter alia sic dixit. Vis'ne Domine Deus, semper me tam manere corpore pusillã? Finitis precibus, confestìm sensit aliquid sibi ad corporis magnitudinem accessisse, maioremq; redijsse domum, quàm fuisset ante susceptam peregrinationem.

Matris eximia sanctitas.

Studet Coleta alijs lucrandis.

Facta verò est indè etiam animo robustior, ità vt planè statueret gratiam diuinitùs sibi collatam etiam ad aliorum vtilitatem cõferre. Permisit igitur liberum ad se accessum permultis bonæ indolis puellis & virginibus atq; etiam spectatis mulieribus, cum quibus loquebatur de rebus salutaribus, de perfectissimo erga nos Dei amore, de profundissima benignissimi Saluatoris humilitate, de ineffabili passionis & mortis eius acerbitate: hortabaturque eas accuratè & efficaciter, seruire Deo animis promptis atque deuotis, eius præcepta seruare, mortiferas culpas omnes prorsùs vitare, fugere vana mundi gaudia, à carnalibus oblectamentis abhorrere, eaque execrari & abominari. Quantus autem ex eiusmodi sermonibus consecutus sit fructus, vel indè satis liquet, quòd multæ virgines & viduæ, contemptis facultatibus, monasticam vitam complexæ sunt. Pleræque etiam iunctæ matrimonio, ad meliorem sese frugem receperunt, in eo statu fideliter & salubriter sese deincèps gerentes.

Effectus sermonũ eius.

Cap. 4. Humilitas eius egregia

Virtutes absque humilitate nomen suum tueri non possunt, nec aliquam animæ coram Deo afferunt dignitatem, si sint humilitate destitutæ. Hanc igitur virtutem & altissimè habuit in suo corde defixam Coleta virgo, & in eius dictis atque factis per omnem vitam ea reluxit. Nam tametsi ab infantia mirabili fuit conscientiæ puritate, at tamen semper, dum vixit, se coram Deo & hominibus vilem, sordidam & abominabilem, etiam quibusuis peccatoribus deteriorem & sensit & affirmauit. Cumque interdum fieret apud eam mentio quorundam immanium flagitiorum, quę tum perpetrata fuerant, illa aiebat nihil ea esse, si cum suis culpis & peccatis conferrentur, quibus dignè puniendis nec ipsi possent inferorum cruciatus sufficere. Sentiebatque propter eiusmodi culpas & defectus suos indignam se esse vitæ monasticæ professione:

Interim

Interim verò ꝑ Christi amore, qui ineffabili humilitate voluit eſſe miniſter noſter, valdè cupiebat inſeruire quibuſdā religioſis fœminis, Deo purè & fideliter famulantibus. Atque ea cauſa, cùm adhuc ſeculari vteretur habitu, ad quoddam abijt monaſterium eiuſmodi fœminarū, eiſque ſuam obtulit operam & officia. Sed Dominus, qui ad ſublimius vitæ genus eam elegerat, non permiſit eam in ea ſeruitute diù permanere. Nec tamen illud ſeruiendi deſiderium hac ratione in ea extinctum eſt, ſed auctum potiùs: adeò vt cùm non ignoraret diuinitùs ſe deſtinatam eſſe, beatiſſimo patre Franciſco id impetrante, reformandis monaſterijs illius, planè conſtituerit ob ſuam, vt putabat, indignitatem & inhabilitatem, ipſum adire ſummū Pontificem, eumque rogare, vt monaſteriorum S. Franciſci reformandorum curam ſuſciperet, ſibique ſuo diplomate poteſtatem faceret inſeruiēdi religioſis atq; reformatis virginibus Clariſſis. Et impetrauit illa quidem diploma Pontificis, ſed longè diuerſum, quàm putârat. In eo nanq; appellata & inſtituta fuit domina mater & Abbatiſſa totius huius reformationis, tametſi id ipſa ignoraret. At nihilo minùs illa toto vitæ ſuæ ſpatio ſe ſubditam & ancillam totius Ordinis illius nominauit.

Seruit in quodā monaſterio.

In literis quidem ſuis ità ſubſcribere ſolebat: Inutilis ſeruitrix, & indigna oratrix. In conſtitutionibus verò ab ipſa, pro accuratiori obſeruatione monaſtici canonis, collectis, ſemper ſe dicit ſororem Coletam paruam, & ancillam, & indignam ſeruitricem Domini noſtri, pauperem & inutilem religioſam Ordinis S. Claræ: nec vnquàm permiſit quicquam vel dici vel ſcribi, quod in ipſius laudem vel cōmendationem cederet. In principio enim reformationis monaſteriorum ſiue Ordinum beatiſſimi Franciſci, in quibuſdam precibus, quas pro illa fundebant ad Dominum, tum fratres, tum ſorores eam, vt par erat, matrem appellabant. Quod vbi illa percepit, nullo pacto tolerare voluit, ſed vt ſimpliciter ſororis nomine appellaretur edixit. Inter alios adiutores, virtute conſpicuos, quos Dominus in reformationis huius initio ei adiunxit, fuit etiam pater venerabilis Henricus de Balma, vir magnæ religionis & integerrimæ vitæ. Is cùm multa ſciret præ cæteris de occultis eius donis & chariſmatibus ſpecialibus, clàm ea in ſcripta redegit, nè obliuione perirent. Sed id ea ſpiritu Dei reuelante non ignorans, nec ſe laudari ſuſtinens, accitum illum acriter reprehendit, aſſerens ſe planè & eſſe & exiſtimari debere magnam peccatricem, quouis etiam opprobrio & ignominia dignam. Itaque libellū ſibi exhiberi iubet, totumque flammis exurit. Immò verò etiā ipſi Deo, multa ei ſecreta reuelare volenti, ſic ipſa reſpondit: Domine Deus, ſufficit mihi te ſolum cognoſcere, & peccata mea, eorumque abs te veniam obtinere. Porrò totius inſtituti Franciſcani reuerendiſſimus pater generalis, ab ea admonitus, quaſdam pro toto illo Ordine conſtitutiones præclaras & vtiles compoſuit, vtque accuratiùs ſeruarētur, quaſdam Coletæ laudes admiſcuit. Quæ licèt non modò vtiliter, ſed etiam neceſſariò adiunctæ eſſent pro totius Ordinis ſalute, at illa tamen, quotiès eas ipſa præſente recitari oportebat pro communi omnium fratrum & ſororum ſalute, non potuit ſine animi multo dolore eas audire, Chriſtum Saluatorem perfectiſſimè imitari volens: qui cùm ſanâſſet leproſum, ait illi: Vide, nemini dixeris: & alibi non ſinebat dæmones loqui, quia ſciebāt ipſum eſſe Chriſtum. Sicut autem ille humanum & familiarem ſe præbuit miſeris peccatoribus: ità & Coleta, quāuis ſummè abominaretur peccata omnia in Deum admiſſa, nunquàm tamen abominata eſt peccatores, cuiuſcunque illi vel ſexûs, vel profeſſionis eſſent, commemorans propter illorum ſalutem Chriſtum deſcendiſſe de cælis, ſeque in eorum numero reponens. Itaque ſemper illos in Domino confortabat, humaniſſimè adiuuabat, ingenti beneuolentia proſequebatur. Quo fiebat, vt multi peccatis implicati ad eam fidenter accederent, eique permulta ſua immania flagitia referrent, quæ nulli vnquàm expoſuerāt. Illa verò tam comiter eos audiebat, tam efficaciter admonebat, vt & Deum & peccata ſua agnoſcerent, & ex animo vellent agere pœnitentiam, à diaboli nexibus expediti.

Cap. 5.
Vt ſe ipſa appellârit.
Henricus de Balma eius adiutor.
Comburit libellum vitæ ſuæ.
Matth. 8. Luc. 4.
Studium erga peccatores.

Vbi verò comperit ſummum Pontificem velle, vt Abbatiſſæ obiret munus, tametſi initiò non habuit cœnobia, & poſtquàm ea habuit, nō tamen ità vt par erat, clauſa fuere; & multa in eis viſebantur offendicula, quæ labendi occaſionē præberent: his tamen non abſterrita, ea ſedulitate & induſtria illud coluit Abbatiſſæ munus, vt ad Dei gloriā, & Ordinis ſui profectū omnia proſperè ſuccederēt abſq; cōfuſione & perturbatione. Interim ſemper illa aiebat ſe nihil vnꝗ feciſſe boni, ſed potiùs religionis diſſipâſſe bonū. Porrò vbicunq; eā pſidere oportuit, ſiue in Capitulo, vt vocāt, ſiue in refectorio, vel alibi, tāto corripiebatur timore ac tremore, acſi ſummus ille corā adeſſet iudex, cuius & præ-

Cap. 6.
Abbatiſſæ munus ſtrenuè exequitur.

& præsentia se iudicabat indignam, & absente illo prorsùs non dignam, quæ quouis modo alijs præsideret. Semper igitur tam publicè quàm priuatim vltimum sibi delegit locum, & cùm sola esset, non ferè nisi aut flexis genibus, aut humi residere visa est, tanto perfusa lachrymarum imbre, vt & cibus & ipsa lachrymis madere viderentur. Aliquotiès ob incidentem morbum solebat vti cuiusdam sanctimonialis opera ad dicendas preces horarias, & alia quædam pietatis exercitia absoluenda: sed tum omnibus se inferiorem censens, potiùs nouitiam quandam sibi adhibebat & simplicem, quàm professam & doctam: eamque voluit & inchoare diuina officia, & etiam concludere, se indignam arbitrans, quæ id faceret. Priùs autem, quàm monasticum indueret habitum, cum multa humilitate conferebat subsidia in pauperes, variasque suis manibus præstabat egenis eleemosynas. Sedens in paterna domo ad mensam, si audiuisset mendicos, surgebat à mensa, porrigebat eis ex optimis cibis perquàm familiariter & benignè, edebatque libenter & bibebat cum eis, omni horrore cōtempto & proculcato. Si adesset opportunitas, alacriter etiam pedes illis abluebat, tergebat & purgabat hulcera, maximè si esset sola cum eis, non dubitans se Christo facere, quicquid illis fecisset.

Benignitas eius in pauperes.

Cap. 7. Insignis obedientia.

Fuit verò etiam obedientiæ virtus eximia in ea. Nam quemadmodùm Apostoli Christum vocantem promptè secuti fuêre, ità & illa ad primum sancti spiritûs instinctum libenti animo se obtulit ad complectendam vitam monasticam. Et primò quidem assumpsit tertium beati Francisci ordinem, includens seipsam vltrò in quodam angusto habitaculo, quod inclusorium vocant, coniuncto cuidam ædi sacræ, ità vt posset audire Missas, & percipere sacratissimum Eucharistiæ sacramentum. Vtque commodiùs his potiri posset, quidam Franciscanus ad eam à Deo missus est, vir sanè bonus & præclarè eruditus, regulæ monasticæ strenuus cultor, quales tunc aut nulli aut rari erant illis in locis, quòd tunc non haberentur illic monasteria Minorum benè reformata, quemadmodùm posteà fuisse constat. Ille ergò introduxit eam solenni ritu in illud inclusoriũ, cùm priùs benè & diligenter instruxisset eam de omnibus agendis, multasque ei adhibuisset consolationes & consilia saluberrima, optimasque institutiones, quæ nunquàm deincèps ab eius memoria exciderunt. Huic venerabili viro Dominus reuelauit immanes dolores & labores, quos Coleta pro eius amore & animarum salute ferebat, maximè pro reformando statu monastico, cui tota vita sua continuis exercitijs valdè intenta fuit. Illa verò prædixit in inclusorio obitum huius viri, qui posteà ei quotannis semel apparere solebat specie elegantissima, & in multa gloria. In illo inclusorio mansit ea annis quatuor, vixitque in eo sobriè, valdè duriter & asperè se habens, horrido vtens cilicio, tribus catenis ferreis stringens corpus tenerum, quæ mirè cruciabant carnem eius, humi cubans, capiti supponens pro puluinari truncum ligneum. Id genus exercitijs adeò edomuit corpus suum, vt ad omnia promptissimè spiritui obedire videretur, prauis cupiditatibus planè extinctis & mortificatis. Præter hæc autem certis horis in preces & meditationes incũbebat, officiaque charitatis, miseros peccatores exhortando, & è teterrimo vitiorum carcere satanæque laqueis educendo, atque ad Deum reducendo. In omnibus autem exhortationibus suis primò agebat de Dei & sanctæ Ecclesiæ præceptis accuratè obseruandis. Porrò etiam ante susceptum monasticum habitum superiorum iussa & dictis & factis exequenda declarauit. Quid verò post monasticæ vitæ professionem senserit, ex his, quas subijcimus, eius constitutionibus facilè poterit animaduerti: Sorores meæ, inquit, multùm diligenter aduertere debetis, quatenùs quandocunquè per superiores aliquid mandatum siue prohibitum fuerit, nullatenùs vtamini vestro proprio sensu, seu propria voluntate, nec proprijs consilijs: sed magìs promptè & voluntariè pro amore Domini nostri Iesu Christi, (qui permanens inter nos inferiùs in terra, cuncta fecit conformiter ad voluntatem patris cælestis) debetis obedire, vosque submittere voluntati & determinationi vestræ præsidentis. Nam melius est, proprios sensus, & propriam volũtatem, ac propria consilia pro Dei amore relinquere, quàm omnes mundi diuitias acquirere, sensu proprio cum sua voluntate retentis. Nec credo aliquam viam fore latiorem, nec quæ faciliùs ducat in æternam damnationem, quàm sit propria voluntas: nec aliquam ex opposito breuiorem ad vitam sempiternam, quàm spontè renunciare illi. Quapropter exhortor & moneo vos ob reuerentiam Domini nostri Iesu Christi, qui in hac valle miseriæ à principio vitæ suæ, vsque ad finem suæ amarissimæ, dolorosæ seu acerbissimæ passionis obedire voluit indesinẽter patri suo, quatenùs vestris superioribus promptè &

Degit inclusa.

Asperitas vitæ eius.

Hic nihil mutatũ est in stylo.

Pernicies propriæ voluntatis.

ptè & liberè velitis obedire, prætermissa qualibet ostensione rebellionis, contradictionis seu excusationis cuiuscunque. Hæc illa.

Maxime autem inculcare solebat monasticam vitam complecti volentibus, vt præcepta Dei, tanquàm inprimis necessaria, præcipuè cognita haberent: summopereque studebat, vt dies Dominici & festi nedùm à sororibus eius, sed etiam à cunctis Catholicis exactè colerentur. Itaque nunquàm permittere voluit, vt pro sustētatione fratrum vel sororum instituti Franciscani Dominicis & festis diebus etiam necessaria alimenta emerentur: & quanuis liberè consentiret, vt ijs diebus eleemosynæ peterentur, vel oblatæ reciperentur, ferre tamen non potuit, vt tales eleemosynæ de loco in loca quouis modo transferrentur: vti etiam admittere non voluit, vt ad necessaria reparanda vel construenda suorum monasteriorum ædificia res necessariæ ijs diebus cōueherentur. Accidit tamen quādoquè, vt ob instaurandum quoddam templum Ordinis sui die festo, sed non solenni, incogitantia vel imprudentia eorum, quibus eius rei cura mandata erat, quædam necessaria studio humanitatis procurarentur. At vbi id illa resciuit, adeò fuit animi dolore non mediocri correpta, vt metus esset, nè locus destrueretur, vel fulminis ictu euerteretur propter eximium zelum illius. Vt autē dies solennes summo studio celebrarentur, voluit vt diebus illis, qui festos proximè antecederent, res necessariæ compararentur. Obtinuerat tum vsus, vel potiùs abusus in multis vrbibus & pagis, vt Dominicis & solennibus diebus nundinæ fierent. Quod cùm illi summoperè doleret, egit multa instantia tum per concionatores, tum per preces supplices, quas ipsa magistratibus eiusmodi locorum offerebat, vt ad dies nō festos illæ nundinę transferrentur. Ipsa quoque cùm esset in itinere, libenter solebat Dominicis & festis diebus hærere in illis locis, ad quæ tum fortè peruenisset, atque illic deuotissimè vacare rebus diuinis. Accidit quandoquè venire illam, à quadam visitatione redeuntem, in pagum quendam sanè exiguum. Imminebat verò dies Dominicus, & post eum alia solēnitas. Etsi autem multus tum ibi esset militum discursus, tamen manente illic Coleta, & ferias agēte, nullus ei pago molestus fuit, nec quisquam accessit propiùs, Deo locum protegente propter ancillam suam. Magni quidam mercatores planè constituerant, vt lucrum omne, quod Dominicis & festis diebus fecissent, pauperibus erogarent. Sed tamen quanuis multa eiusmodi, & sibi & suis valdè necessaria, Coletæ offerrentur, adduci non potuit, vt ea pro eleemosyna acciperet. Aiebat enim, talia sibi non benè parta videri.

Cap. 8. — Dies festos quàm voluerit exactè coli. — Respuit eleemosynas ex lucris iniustis.

Oblata ei quandoquè fuit visio terribilis, in qua omnium cuiuscunque generis hominum peccata, & quas propter ea & luerent, & luituri essent, pœnæ, itemque multa alia ei perspicue reuelata fuêre. Ex earum autem sanè horribilium pœnarum contemplatione tantus eam inuasit tremor & horror, vt continuis octo diebus semper sibi videretur præceps ruitura in illas immanissimas pœnas & cruciamenta. Tandem post visionem illam sibi restituta, in media fenestella habitationis suæ cōspexit ferrum transuersum, idque tanta vi manu comprehendit, vt ægrè post longum spatium indè eam amouere potuerit. vsqueadeò eam peruaserat ille cadendi timor. Mansit autem hæc visio animo eius penitùs impressa vsque ad supremum vitæ diem. Quòd autem viderat tam multa in diuinæ maiestatis iniuriam admitti peccata, indè longo tempore dolorem concepit vehemētissimum & penè intolerabilem, fundebatque nocte ac die preces feruentes atque speciales omnipotenti Deo, vt miseros peccatores ad se conuerteret: nec est fraudata desiderio suo, Domino ei reuelante, quòd tādèm fieret id quod petebat. Vidit enim in visu beatissimum Franciscum ipsam exhibere Christo coram eius sanctissima matre & beatissimis Angelicis spiritibus, rogareque vt ipsam donaret sibi reformatricem Ordinis sui, & cuius opera potissimùm conuerterentur miseri peccatores, quos iam antè in visione conspexerat. Porrò Christum libentissimè annuere S. Francisco. Ex ea autem visione etsi mirificè lætata est ob peccatorum cōuersionem, at tamen valdè doluit, se primariam à Deo & beata Virgine ad id negocij designatam. Putabat enim se prorsùs indignam & inidoneam, nec facilè potuit suū ad hoc accommodare assensum. Domino autem suam ei voluntatem indicanti obijciebat suam ruditatem & ignorantiam, tum quòd vouisset se non exituram de inclusorio suo, tum etiam quod vereretur dæmonis illusionem eiusmodi visionibus sese admiscere. Cumque perplexa foret hac in parte, statuit ad preces se conferre & consilia sanctorum hominum, quos nouerat & vitæ sanctimonia & multa doctrina pollentes. Quod cùm fecisset, ij omnes vno ore hortati sunt eam, vt intrepidè consentiret. Vt autē certior esset

Cap. 9. — Visio eius. — Orat efficaciter pro peccatoribus.

Deum prorsùs velle ipsa tanquàm instrumento in hac reformatione Ordinis & peccatorum conuersione vti, primùm omni loquendi facultate triduò priuata est, & rursùs triduò oculorum lumine orbata, donèc diuinæ consentiret voluntati. Quod vbì fecit, & loqui & videre potuit. Additum est etiam aliud signum. In eius inclusorio sanè angusto derepentè creuit arbor quædã valdè speciosa, folijs optimè compositis, & floribus instar auri rutilantibus, è quibus odor fundebatur gratissimus mireque cõfortans. Sub hac autem arbore complures aliæ admodùm formosæ sed paruæ, nec primę illi comparandæ arbores excrescebant. Hæc vbì illa vidit, suspicata fuit dæmonẽ sibi illudere, qui multis modis ipsam impedire & infestare nitebatur. Itaque arborẽ illam cum alijs minoribus funditùs extirpatam, foràs eiecit. Sed post dies paucos, Deo volente, rursùs similes illic enatæ sunt arbores, & quædam etiam in alia loca transferri videbantur. Intellexit ergò ex tot signis, quid ijs significaret Deus: puta arborẽ magnam, ipsam esse: minores arbores, homines vtriusque sexûs, qui per eam venturi essent ad vitam perfectam: translatas verò id innuere, etiam in exteras regiones eam, quam molitura esset, reformationem propagatum iri. Cœpit igitur vereri, nè Deum offenderet, si pergeret esse difficilis ad consensum. Quamobrèm totam se in suis precibus diuinæ permisit voluntati, at tamen id orans, nè primæ partes ipsi attribuerentur. Simul autem atquè assensit, cælitùs ei infusa est perfecta cognitio eorum omniũ, quæ illi reformationi essent necessaria, quæ illa breuiter in chartula quadam annotauit. Adiunxerunt autem se illi paulò pòst non pauci strenui adiutores, in quibus fuit etiam is, quem suprà diximus, Henricus de Balma, professione Franciscanus, qui eius fuit confessarius, vir magnæ perfectionis, à teneris annis timens & amans Deum, rudis quidẽ & imperitus rerum temporalium, sed in diuinis & spiritalibus benè versatus, erga peccatores humanus & misericors. Sæpè de illo testari solebat Coleta, nunquàm ad eũ accessisse quantumuis impium peccatorem, qui non esset consolatione affectus. Quàm multos autem vtriusq; sexûs peccatores ille ad Deum & monasticæ religionis professionẽ adduxerit, soli Deo notũ putamus. Os illius penè semper diuinis affluebat sermonibus. Permultos ægros, varijs affectos morbis, solo crucis signo curauit. Et vt paucis multa cõplectar, vita eius cælestis potiùs, quàm terrena videbatur, ità vt posset dicere & ipse cum Apostolo: Nostra conuersatio in cælis est.

Certis signis cognoscit Dei voluntatem.

Henrici de Balma insigne præconium.

Philip. 3.

Cap. 10.

Cum hoc autem venerabili viro decreuit Coleta conferre se ad Benedictũ, qui tum in Gallijs pro summo Pontifice se gerebat. Vt verò id fieret expeditiùs, quædã illustris matrona diuinitùs permota venit ad Coletam, Corbeiæ in suo inclusorio degentem: eiusque sermonibus adeò incensa & animata est, vt promptissimam offerret operam suam ad impetranda ea, quę Coleta petebat. Itaq; breuì id effecit, vt liceret ei ex inclusorio egredi, quod tam multis modis diabolus conatus erat impedire. Deindè obtulit se ad deducendam eam ad Benedictum Pontificem, atque indè reducendam. Quam eius insignẽ liberalitatem & beneuolentiam Coleta gratissimam habuit, mirificè lætante illa nobili matrona, quòd speraret se singularem à Domino gratiam consecuturam. Duxit ergò eam ad Pontificem non sine multis eximiæ humanitatis officijs. Qui autem ex familia illius comites se itineri adiunxerant, multùm delectabãtur præsentia Coletæ virginis, sentiebantque se diuinitùs & vires & cõsolationes accipere. Erat enim inter illos Coleta tanquàm totius sanctitatis exemplar, sacrisq; institutionibus suis inflammabat animos eorũ, incitabatque ad feruenter amandum & piè timendũ Deum, ad illi humiliter seruiendum, ad vitanda peccata, ad obseruãda præcepta Dei. Quibus verbis magnam vim addebant gestus eius honestissimi & conuersatio cælestis: qua fiebat, vt non tam hominis, quàm angeli speciem referre videretur. Cogebant autẽ illam interdùm, miserati eius teneram iuuẽtutem, equo insidere. Sed illa simulatquè insedit iumento, adeò se dabat sanctis meditationibus, vt mentis ecstasim pateretur, nec quicquam aduerteret ex his, quæ vel dicerent vel fierent ab alijs. Nec tamen corpore vacillabat, sed ità sedebat erecta & immota, acsi ab angelis, quod nos nõ ambigimus, sustentaretur. Porrò nonnunquàm pedibus iter agens, si via esset aspera, videbatur alijs non attingere terram, sed tanquàm in aëre volitans, breuì magna transmittere spatia, vt facilè alij etiam fortiter gradientes, eam non fuerint assecuturi. Voluit autem egregiam quandam fœminam sese antecedere diebus aliquot, & Pontifici indicare aduentum suum. Ibì tum videre licuit crudelissimorum dæmonum insanum furorem atque liuorem. Illi enim adeò eam infestârunt fœminam, vt mente capta, prorsùs nuda incederet, tamque inhonestè & ferociter se gereret, vt nemo ausus esset ad eam propiùs accedere.

Coletæ sermones & gestus sanctissimi.

Miri quiddam.

cedere. Postquàm autem Niceam venit, vbi tum Pōtifex morabatur, celeriter eius aduentus Pontifici innotuit. Ille verò iussit eam benè vestitam ad se introduci. Venit igitur ad Pontificem, & eccè repentè sibi restituitur, datumque sibi negocium tam prudenter & disertè exequitur, vt Pontifex ad omnia annueret, aduerteretque Coletæ institutum diuinitùs agi, quandò ea fœmina à tanta insania tam citò ad sanam reuertisset mentem. Ità tum elusa est maligni dæmonis machinatio. Non multò pòst venit eò etiam Coleta: quam vt vidit Pontifex, clementer eam intuitus, accessit propiùs, & crumenulam ab eius zona pendentem sua manu abstulit, in qua erat chartula, cui inscripserat Pontifici proponēda. Eam ille legit, cognouitque totum eius negocium. At nihilo minùs illa quoq; ore suo exposuit ei causam itineris sui, & quid expeteret. Duo autem potissimùm ab illo petebat, vt liceret ei S. Claræ amplecti institutum, & vt reformaretur Ordo S. Francisci. Visa sunt ea Pontifici rationi cōsentanea, sed quòd non deessent, qui contradicerent, distulit assensum in aliud tempus. Et eccè pestis sęuissima inuadit eam vrbem, moriunturque subitò inter alios quidam ex ijs, qui vel maximè negocium illud differendum censuerant. Quæ res apud homines non stupidos id effecit, vt existimarent id accidisse propter iniectas ancillæ Dei moras, eiusque preces in longum tempus reiectas. Et Pontifex sanè ijs, quæ quotidiè fiebant, permotus, noluit eam protrahere diutiùs: sed ad se accitam, coram multis & ecclesiasticis & laicis, cùm priùs prolixè commendâsset vitam Euangelicam, quam illa profiteri volebat, eam recepit ad professionem instituti S. Claræ, eiusque capiti suis manibus velum imposuit, & eam fune cingens, atque etiam consecrans, Abbatissamque constituens earum omnium sanctimonialium, quas ipsa reformatura esset, vel quæ sub ea se darent vitæ monasticæ, quam Clarissarum vocant. Ad extremum hortatus est eam, vt prudenter ageret, vota Deo nuncupata fideliter præstaret, atque semper seipsa melior fieri conaretur. Obtulit quoquè ei liberaliter ad omnia opem suam, & confessario eius eam commendans, iussit nè vnquàm illam desereret: deniquè suam ei & omnibus itineris socijs benedictionem impertijt. Maior deincèps à plerisque ei reuerentia præstita est, maximè quòd à multis mater appellaretur. Illa verò scire volens, quid hoc sibi vellet, vt audiuit Pontificem eam Abbatissam creâsse, mirè doluit, nec aliud sibi persuadere potuit, quàm se nihil differre à cæteris monialibus, nec Abbatissæ munus habere. Sed tamen tandèm ea de re certior facta, humiliter & instanter petijt à Pontifice, vt ab eo officio ipsam absolueret. Ille verò respondit: Quod factum est, factum sit, & factum erit, & factum remanebit.

Venit ad Benedictū, pro Pontifice se gerentē in Gallijs.

Coram illo profitetur institutū S. Claræ.

Postquàm autem à Pontifice recessit, cœpit diligenter in eam curam & cogitationem incumbere, vt quod ab eo iussa erat, executioni mandaret. Sed teterrimus dęmon tam præclaros conatus ferre non sustinens, vndè colligebat copiosissimos animarum prodituros fructus, molestissimas & propè intolerabiles tum per se, tum per administros suos ei persecutiones intulit, ità vt omnis generis mortales, etiam illi, qui priùs ei fauerant, eam totis viribus oppugnarent, vocarentque eam veneficam, & dæmonum cultricem: eoque rem perducerent teterrimis obtrectationibus suis, vt nemo eam auderet hospitio recipere: atque ità cogeretur illa, relicto natali solo, aliò commigrare. Sed non deerat ancillæ suæ Christus. Humanissimè enim excepta est à Blancha Comitissa Gebennensi, quæ vt eius aduentu impensè lætabatur, ità exhortationibus illius multùm profecit in cognitione Dei, & propriæ conscientiæ expurgatione: nec facilè deincèps cum suis ab ea voluit separari. Vtque eam posset sibi coniunctiorem habere, permisit ei & comitibus eius dimidiam castri sui Balmensis partem, in quo ipsa morabatur. Vbi tum humilis ancilla Christi primùm cœpit exercere munus suum, diligenter obseruans & ab alijs curans obseruandum S. Claræ institutum. Mansit autem ibi, donèc monasterium Bisontinum collatum est ei à Pontifice. Ad quod quidem monasterium honorificè deduxit eam Blancha Comitissa cum nepte sua, quæ posteà nupsit Comiti Palatino & Bauariæ duci. Erat tum ibi vir quidam nobilis, timens & amans Deum, qui constanter affirmabat, se circa Coletam vidisse mirificum quendam splendorem, quotiès eam intuitus esset. Porrò Comitissa Blancha etsi corpore tum recessit à Coleta, vt tamen ostenderet suum erga eam studium & amorem, voluit vt postquàm è viuis excessisset, in aliquo Coletano monasterio corpus suum humaretur. quod etiam factum est. condita est enim in sacello, à fundamētis extructo ab eius suprà dicta nepte, Bauariæ ducissa, in monasterio S. Claræ Poliniacensi.

Cap. II.

Teterrimus dæmon acerbissimè eam persequitur

Blancha Comitissa eam fouet.

Venit Bisontiū, siue Vesontium.

Coleta verò post illius abitum strenuè perrexit in Euangelica obseruanda regula, Cap. III.

vti iam in eius castro inchoauerat. Erant tum adhuc paucæ sorores cum ea, sed agente spiritu Dei, breui permultæ nobiles, perfectæ & Deo deuotæ fœminæ vndiquè ad eam confluxerunt, sanctæ religionis habitum ab ea petentes. Quas illa examinans, admisit eas, quas putauit idoneas. Ità paruo spatio multæ se illi adiunxerunt, coactaque est propter ingentem multitudinem tam virorum, quàm fœminarum, S. Francisci canonem sectari cupientium, augere cœnobia tum fratrum, tum sororum. Vt enim in suprà memorata visione terribili ostensum ei erat, ex omni ferè hominum genere, à quibus grauissimè offensus erat Deus, ad S. Francisci ordines tres seu tria instituta se multi contulerunt, acturi pœnitentiam, & Deum sibi conciliaturi. Quod vtiquè fiebat opera Coletæ virginis, quemadmodùm satis testantur monasteria in diuersis regionibus, Germania, Francia, Burgundia, Sabaudia & alijs ea agente extructa, vel reformata, non modò fœminarum, sed etiam virorum. Si qui verò essent, qui iustis rationibus impediti, tale viuendi genus suscipere non possent, animo tamen valdè coniuncti fuère Coletæ, atque eius reformationi non solùm egregium fauorem, sed etiam non mediocre studium & opem attulerunt, hodieque afferunt: quales sunt non pauci reges, reginæ, duces, comites, barones, nobiles, ciues, mercatores, alijque plurimi sexûs vtriusque: è quibus nonnulli è fundamentis excitârunt monasteria, siue ex parte, siue ex toto, in quibus quædam insignia fuère: alij multis modis Coletam ad huiusmodi perficienda adiutârunt, vt faciliùs sibi propitium efficerent Dominum. Complures sanè spectata nobilitate fœminæ, diuitijs, honoribus & stemmatibus contemptis, S. Claræ institutum vltrò amplexæ sunt. Et quod his maius est, multi sexûs vtriusque ex omnibus monasticis ordinibus, puta, Benedictini, Bernardini, Carthusienses, Cælestini, Canonici regulares, permissu superiorum suorum, ad Coletana monasteria sub perfectioris vitæ prætextu se transtulerunt.

Multæ ad eam confluunt.

Multa condit & reformat monasteria.

Cap. 13.

Quàm autem grata fuerit Deo Coletana reformatio, quanque eius sectatoribus salutaris, quodam ille signo euidenti ostendit Coletæ ancillæ suæ. Cùm enim aliquandò conferret cum quodam è confessarijs suis de ijs rebus, quæ huic reformationi accommodæ, opportunæ & necessariæ videbantur, cernente patre illo, cælitùs in eius brachia delapsus est funiculus quidam, miro confectus artificio, instar niuis candidus. Quem illa reuerenter accipiens, explicauit, nihil tamen neque verbo, neque signo cuiquam indicans. Potest autem per eum funiculum accipi status ille reformatorum, funiculis se cingentium: per candorem, munditia corporis & animæ atque conscientiæ, qua debent esse prædití: per id, quòd cælitùs lapsus est, gratum esse Deo hunc statum, eiusque professores, inprimis verò ipsius reformatricem. Estque sanè notatu dignum, eos omnes, qui in illo statu ex hac vita migrârunt, quoàd vixit Coleta, siue in propinquis, siue in longinquis degerent regionibus, illi in obitu suo apparuisse, non pauca, nec mediocria ab ea, si indigerent, salutis subsidia accipientes. Neque minùs memorabile est, si in construendis monasterijs necessarij sumptus deessent, qui ab hominibus sperari vix possent, diuinitùs mirabiliter eam fuisse non semel adiutam, ità vt crebrò ad quingentos aureos, ex auro purissimo, singulari pondere, magnitudine & elegantia, ei mitteret sponsus suus Christus Iesus, quibus plus etiam efficere potuit, quàm si duplo plures ab hominibus aurei ei oblati fuissent. Et ij quidem aurei, quandiù mansère ab alijs separati, seruabant elegantiam & præstantiam suam: si autem essent admixti alijs, illis planè similes visebantur.

Permulti ei apparent post obitū.

Diuinitùs ei suppeditantur sumptus.

Cap. 14.

Sanctæ paupertatis virtus quàm chara fuerit filio Dei, propter nos incarnato, ex Euangelio potest animaduerti. Eam etiam sui instituti fundamentum esse voluit beatissimus pater Franciscus, Christi & Apostolorum eius sectator ardentissimus. Coleta quoquè virgo prudentissima ab initio vsque ad finem impensè eam amauit, eius studio facultates omnes pauperibus clargita est, tantoque zelo eam semper coluit, vt ab eo tempore, quo ad Euangelica consilia sectanda vocata fuit, nunquàm deincèps, quantumuis magnum vrgeret gelu, alias habere vestes voluerit, præter habitum vilem, cumque refectum, tunicam vnam non suffultam, sed simplicem, palliumque simplex. Atque hoc habitu vti voluit non prorsùs nouo, sed vel partim, vel ex toto è panno veteri consuto, & crebrò ab alijs vsurpato, partim consumpto vel lacero. Accidit quandoque, vt propter frigoris nimiam acerbitatem, sorores præ commiseratione tunicæ eius manicas ipsa ignorante duplicarent. Id ea sentiens, abhorruit, nec ea tunica porrò vti voluit, donèc esset ablatum id, quo suffulta erat. Calceis neque sana, neque ægra, neque vel domi vel foris vnquàm vsa est, semper & vbiquè nudis ingrediens pedibus:

Sūmè amat paupertatē.

Eius habitus.

pedibus: immò nec igni eos admouit vnquàm, quantumuis fæuiret hyemis asperitas, nec ignem, præterquàm candelam, ferre potuit, vel aspicere. Vela & capitis tegumentas ei erant humilia, simplicia & abiecta: plusque delectabatur ijs, quæ essent pluribus locis resarcita. Modico stramine pro lecto vtebatur, simplici quodam tecto operimento, ad caput posito sacculo paleis pleno. Et tamen in hisipsis aut parùm, aut nihil quiescere videbatur. Quantumuis autem vel necessitas, vel aduersa valetudo vrgeret, nunquàm in lecto cubare voluit, nec vti puluinari: immò verò cùm in extrema decumbenti ægritudine, qua Domino spiritum reddidit, pro aliquo laboris intolerabilis leuamento appositum fuisset ad caput puluinar exiguum, & illa id sensisset in spiritu, (oculos enim penitùs clausos habebat) innuit euidenter, vt id amouerent. Oratoria, quibus vti solebat Missas auditura, & Eucharistiam sumptura, volebat esse angusta, vilia & exigua. In plerisque autem monasterijs eiusmodi erant extructa oratoria, vt in ijs vix se posset erigere, ità vt anserum potiùs caueæ quàm hominũ habitacula viderẽtur: atque in ijs illa libentiùs morabatur, & maioribus fruebatur consolationibus. Structuræ grandes & amplæ multùm ei displicebant: paruæ & exiles vsqueadeò non fuêre molestæ, vt potiùs existimaret nimiùm esse insignes. Hortabatur autem sorores, vt instar Domini Iesu, qui non habuit vbi caput reclinaret suum, simplicibus essent contentæ habitationibus, quæ necessitati sufficerent, curiositatem nullam præ se ferrent. Et ipsa quoquè libentiùs manebat in paruis monasterijs & in pagis, quàm in amplis cœnobijs & vrbibus. Si esset in itinere, molestum ei erat recipi in cubiculo sublimi & lato: immò præ terrore vix ausa erat sustollere oculos. Ad nouum veniens monasterium si quid vidisset paupertati contrarium, ferre non potuit, donèc destrueretur.

Lectus.

Odit structuras sumptuosas.

Matth. 8.

Ab ipsa infantia misericors & benigna fuit erga pauperes, & ea creuit cum illa, donèc abiret è vita. In pueritia scholas visitans, ientaculum à parentibus ipsi datum, cæteris paruulis distribuebat. In paterna domo si qua esculenta clàm reperisset, quoàd licuit, pauperibus erogabat. Postquàm patrimonium & matrimonium suum satis lautum & copiosum distribuit, nihil vnquàm indè sibi vsurpare voluit, nisi quantùm planè necessarium esset vel tegendo simpliciter corpori, vel diuino officio deuotè persoluendo. Si vidisset fratres aut sorores re necessaria indigere, ex ijs, quæ ei donata erant, libentissimè eis impertiebat, putà, vestes, libros & id genus alia: ità vt crebrò etiam manicas à suis vestibus resectas, alijs daret: reponens illarum loco alias alterius coloris. Adeò autem solis necessarijs volebat contentos esse & fratres & sorores, vt quoàd fieri posset, ipsa interesse vellet, cùm scinderentur panni, è quibus vestes illorum conficiendæ erant, nè vel longitudine vel latitudine à paupertate discreparent. Et exiguas etiam panni particulas, quæ supererant, diligenter colligebat, & ab alijs colligi volebat, vt vbi necessitas posceret, adhiberi possent. Videre sanè licuit in eius vestibus interdùm vel centum eiusmodi particulas insutas. Etsi autem vel maximè cuperet habere libros, cultui diuino necessarios, eosque etiam ex diuersis regionibus conquireret, vt diuina officia perfectiùs persoluerentur: at tamen cùm ei crebrò à potentibus & opulentis hominibus pro ipsius vsu dati essent, quanuis necessarij ei essent, libenter eos & liberaliter alijs impertiebat, atque etiam donabat, ità vt ipsa cogeretur ab alijs libros accommodatò accipere, vndè preces Canonicas persolueret. Compertum est id in extremo vitæ eius tempore.

Cap. 15.

Semper fuit liberalis in pauperes.

Vestiũ eius vilitas.

Permulti spectabiles homines diuersorum ordinum vel statuum, cùm viderent quàm ardua illa moliretur, pro Dei honore, & suarum salute animarum, ad extruenda monasteria permulta ei largiebantur, quisque pro facultatibus suis: è quibus illa in suos vsus nihil penitùs retinebat: & certè mortem oppetijsset potiùs, quàm eleemosynas vltrò oblatas aliò conuerteret, quàm quò collatæ erant. Si quæ verò propter eam speciatim præstitæ essent eleemosynæ, eas vt perfecta sanctissimæ paupertatis amatrix in communes conferebat vsus, id est, ad ornatum & instaurationem ecclesiæ Dei, nihil sibi retinens. Huius enim preciosissimæ margaritæ, nempe sanctæ paupertatis, longè illa fuit appetentior, quàm quiuis auarus opum terrenarum: qnod etiam de beatissimo Francisco legitur. Cùm autem expendisset omnia, præpotens Deus eius misertus, mittebat ei subsidia, interdùm quingentos, vt diximus, ducatos, quos iuxta se reperire solebat reuertens ab oratione, eosque diligentissimè ser-

Cap. 16.

mè seruabat, vt non nisi sanctè & iustè expenderentur. Nihil autem prorsùs ex iis vel alijs sibi vendicabat, nec quicquam indè in suos vsus conuertebat, sed tanquàm nihil habens, hoc ipsum nihil habere pro magno putabat dominio, nihil sibi tribuēs, præter fatigationem, dispensationem, solicitudinem, pœnam conseruandi vel administrandi pro sancti spiritûs instinctu ac voluntate. Nec verò vnquàm vel extrema paupertate eò potuit adigi, vt vel tantillum diuinæ benignitati diffideret. Nihil enim hæsitabat illam abundè tum sibi tum suis res necessarias suppeditaturam, si fideliter starent promissis monasticis. id quod etiam mira sæpè experiētia probatum est. Accidit quandoquè, vt quibusdam locis ingens hominum armatorum copia sic omnia terrore compleret, intolerabili illata vi, vt nullus vel è castris, vel ex vrbibus, vel è pagis aut posset aut auderet egredi. Itaque fratres, qui curam gerebant pauperum Clarissarum, vt vocant, in ijs locis degentium, tametsi summè indigebant rebus necessarijs, non tamen propter illos milites ausi erant egredi ad petendas eleemosynas. At nihilo minùs confidebant tum fratres tum sorores, quemadmodùm Coleta docebat, non defutura necessaria ijs, qui pro viribus soluerent vota sua. Et eccè adest confestim vir albis indutus, ignotus omnibus, afferens saccum panibus candidissimis & elegantissimis refertum, quorum erat sapor gratissimus, quique toti sufficerent monasterio, donèc aliter Dominus eis prouidit. Vir autem, qui eos attulit, mox ab eorum oculis euanuit.

Diuinæ benignitati semper plurimum fisa est.

Non est inopia timentibus Deū.

Cap. 17. Fuit aliquandò Coleta in territorio Murnensi, vbi tum magna erat annonæ caritas. Habebat autem secum moniales, quæ duobus monasterijs incolendis sufficerent. Itaque propter nimiam, intùs & extra monasterium illud manentium multitudinem, ad tantam inopiam redactæ sunt, vt è furfure sibi panes conficere cogerentur. Etsi autem eiusmodi cibum prorsùs respuat humana natura, at fuit illis tamen dulcis & gratus, senseruntque se meliùs illo, quàm pane triticeo refectas. Porrò quædam ex eis colligebant sub arcis grana frumenti, sparsa illic iampridèm, cùm mundarentur legumina, aut alia quauis occasione. Ex ijs verò aqua mixtis & sale exiguo coquebant sibi panes, quorum tanta erat suauitas, vt se putarent nunquàm tam delicatè comedisse, etiam lautissimis appositis epulis. Immò quædam ex eis in seculo valdè delicatè nutritæ, pro certo affirmabant, se nunquàm tam lautos sumpsisse cibos. Contigit quandoquè dispensatricem monasterij, sororem Ioannam Rebardellam, quibusdam indigentibus vinum haurire. Interìm vocatur signo tintinnabuli à Coleta matre. Currit igitur celeriter, non clauso epistomio. Interìm vinum omne è vase effluit. Illa sentiens se non clausisse os epistomij, postquàm locuta est Coletæ, redit propere ad dolium, illudque planè vacuum comperit. Magno igitur mœrore affecta, cùm nihil iam superesset vini, adit Coletam, edicitque culpam suam. Coleta cernens eam summè afflictam, Vade, inquit, filia, & nihil hæsitans hauri mihi vinum. Illa dicente, nihil relictum vini in vase, rursus ait: Abi in nomine Iesu Christi, abi fidenter. Paret illa, & eccè vas reperit vino præstantissimi saporis redundans. Iubere aliquandò Coleta voluit pro fratre quodam satis indigo scindi pannum, vndè ei vestis pararetur. Sed cùm ea causa accersijsset fratrem Andream, bonum sartorem, ostendissetque illi pannum, respondit ille, pannum non posse sufficere vesti conficiendæ, etiamsi ei integra vlna addatur. At illa subridens, fidenter ait: Abi frater, & ora Deum. Indè redibis ad me, & vtrinque extrahemus pannum, si fortè possit fieri longior. Orat frater, redit ad Coletam, ea præsente scinditur pannus, & nedùm satis multus est, sed & intantùm excedit, vt oportuerit de veste indè confecta aliquid auferre, quòd & longior & latior esset, quàm ferret sancta paupertas.

Miraculum

Aliud.

Aliud insigne.

Cap. 18.

Excellens Coletæ castitas.

Castitas virtus gratissima est, mirè animum exhilarans, eumque Deo proximum efficiens. Ea non mediocriter ornata fuit Christi ancilla Coleta toto vitæ suæ tempore. Nam etsi valdè oderat omne vitiorum genus, speciatim tamen abominabatur peccata carnalia: vtque ea faciliùs vitaret, arctissimè seruabat sensus corporis, tanquàm ianuas vel fenestras, per quas facilè irrepit mors: nec vnquàm tota vita sua vel vanæ delectationi, vel carnali concupiscentiæ assensum præbuit, sed ab ipsa infantia cor suum omninò castitatis studio addixit & dedicauit, adeò vt nunquàm quisquam in ea percipere potuerit signum aliquod impuræ cogitationis: nec vnquàm verbum aliquod leue aut inhonestum protulit ore suo, sed semper verba planè honesta & sancta, quæ cælestem eius declararent conuersationem, & proximis salubrē afferrent ædificati-

ficationem. Potest sanè illa numerari inter purissimas virgines. Nam & corpus eius tam erat formosum & omnis maculæ expers, quoàd superuixit, vt integerrima virginitas cum puerili innocentia & simplicitate ex illo mirificè reluceret. Etsi enim in ijs, quæ ad Dei honorem & animarum salutem pertinebant, esset prudentissima, at tamen in carnalibus & mundanis rebus instar paruuli simplex & innocens fuit. Quo fiebat, vt libenter adesset paruulis, eisque se blandam & affabilem exhiberet: contrà abhorrebat plurimùm ab aspectu immundorum animantium, vt sunt muscæ, limaces, formicæ &c. quæ sine terrore & multa abominatione videre vix potuit. Delectabatur autem mirum in modum agnellis, turturibus, & id genus alijs castis animalibus. Solebant etiam crebrò ad eam aduolare castæ auiculæ, suauiter cantillare coram illa, comedere & bibere absque vlla formidine apud eam. Mittebantur illæ auiculæ à Domino pro illius consolatione. erant enim ei gratissimæ propter puritatem & castitatem, qua ipsa præclarè pollebat. Oblatus ei quandoque ex deuotione fuit agnellus quidam, quem illa tam ob munditiam, quàm ob agnum illum sine macula, libenter accepit. Erat verò is illi multis modis non paruo solatio, maximè quòd soleret, à nullo prorsùs vel edoctus vel compulsus, cùm Christi corpus in Missa eleuabatur, se submittere in genua, nec surgere, donèc eleuatio illa peracta esset. Vtinàm vel ab agnello discat hæreticus adorare Eucharistiam.

Alio tempore venit ad eam bestiola quædam, miri candoris & elegantiæ. Incertum erat, vndè venisset. Nec erat alijs similis, nec vnquàm ab aliquo conspecta fuit: nec semper ei aderat, vt agnellus: sed per vices modò apparebat ei conspicua, modò euanescebat. Erat aspectu gratissima & valdè delectabilis. Itaque multæ sorores eam summoperè cupiebant apprehensam manu contrectare, sed frustrà nitebantur, illa vel disparente, vel alicubì latitante. Coleta ipsa qandoquè cum filiabus suis eam cursu insequebatur: sed ipsa Coleta præcedens, vnà cum bestiola ab aliarum oculis euanuit, nescientibus illis, quò translatæ essent. Nulli verò dubium esse debet, bestiolam illam significâsse arcani quiddam, eiusque & internam & externam repræsentâsse puritatem eximiam. Quam sanè etiam illud egregiè declarabat, quòd ab eius corpore fundebatur odor longè suauissimus, cibusque ab ea sumptus non rarò absque malo odore egerebatur: & (quod summam habet admirationem) ab illa naturali infirmitate fœminis omnibus communi, semper omninò libera fuit, atque à multis immunditijs prorsùs aliena. Quanuis autem aliorum fœtores & immunditiæ ei essent molestissimæ, at tamen comiter ferebat eas propter illum, qui libenter tulit fœtores scelerum nostrorum. Duo verò specialia Dei dona, quibus eius puritas astruebatur, in ea extitêre: Primum est, quòd nunquàm vllus fœtor ab eius corpore sentiri potuit: sed nec ex loco, in quo erat: sentiebatur verò iugiter & ex corpore, & ex loco, vbi erat, odor gratissimus, confortans eos omnes, qui se illi adiunxissent. Lauit aliquandò manus suas, ministrante illi sorore Margareta Bolhonensi. Eam aquam, qua se lauerat, seruauit illa soror annis septem in vasculo quodam, mansitque purissima: atque etiam crebrò illam bibens eadem soror, multa indè remedia accepit aduersùs corporis & animæ infirmitates. Quædam nouitia monialis, miserè è stomacho laborans, cùm timeret ea causa se à professione optata impeditum iri, bibit clàm ex aqua, qua suas manus, ipsa ministrante, Coleta abluerat, perfecteque curata est. Alterum donum est, quòd, vt fertur, licèt à permultis visitaretur, bonis & malis, essetque formosa valdè, sicut ipsa nullum inhonestè concupiuit, ità nec sciri potuit quenquam illam inhonestè concupiuisse: immò verò si qui libidine inflammati ad eam accessissent, eos, illa conspecta, castos abijsse.

Cap. 19.

A corpore Coletæ funditur odor suauissimus

Nota lector

Præclarum Dei munus.

Sentiebat autem illa, virginitatem, & ea tempora, quibus illa culta esset, speciali reuerentia prosequenda: eosque, qui virginitatem vouerent & conseruarent, non vulgari amore complectendos, honoreque afficiendos. Itaque tempora noui testamenti hoc nomine prætulit illis, quæ sub veteri fuêre, quòd in ijs viguisset castitatis studium, eamque Christus ipse, & eius sanctissima mater, permultique præcipui amici eius complexi essent & extulissent: in quibus beatissimum Ioannem Euangelistam impensiùs amabat præ multis, eumque sibi singularem adhibuit intercessorem apud Deum, vt posset tutiùs preciosum virginitatis conseruare thesaurum. Cuius etiam seruandi causa, cùm adhuc iuuencula esset, statuit vitam degere apud virgines puras & inno-

Cap. 20.

& innocentes, vt solatia omnia, nedùm turpia & inhonesta, sed etiam quæ à matrimonio offeruntur, euitaret. Obtinuit verò etiam à Pontifice diploma plumbeum, quo prohibitum fuit, nè qua fœmina, quæ virgo non esset, admitteretur in cœnobia, ab ipsa Coleta reformanda. Et id sanè etiam executioni mandatum est, reiectis omnibus viduis, aut sinistra fama laborantibus. Etsi verò dispensatum fuit cum quibusdam nobilibus & virtutum studiosis viduis, vt possent admitti, nunquàm tamen illas Coleta tam familiares habere voluit, atquè virgines: nec tam propenso eas ad monasticam professionem recipiebat animo, vt virgines. Et vt Deus purissimæ virginitati eius singulare perhiberet testimonium, misit beatum Ioannem Euangelistam, qui ei annulũ aureum attulit nomine summi regis, quo digito illius infixo, eam sibi despondit sponsam charissimã. Quem annulũ cũ multo timore & humilitate illa accepit, accurateque custodiuit & venerata est: vtque eum meliùs conseruaret, voluit eum auro alio vel argento vestiri, sed nullus aurifex id efficere potuit. Multi sanè patres & fratres confessarij, alijque plurimi hunc annulum viderunt, manibusque suis contrectauerunt, non mediocri indè consolatione affecti. Cùm autem fratres illos ad expedienda celeriter negocia procùl ablegare voluit, vt itinerum vitarent pericula, fidenter, clàm tamen, dabat illis secum ferendum hunc annulum, sicque citra periculum totum illud conficiebant iter. Porrò noui testamenti sanctos illos chariores habebat, qui virgines permansissent: in matrimonio iunctis illi magis placebant, qui vnico coniugio contenti fuissent. Ipsi quoquè matri suæ, quæ ad secundas nuptias accesserat, quandoquè sic fertur dixisse: Mallem te semel tantùm, mea mater, nupsisse. Illa blanditer respondente, Si ego ad alteras me nuptias non transtulissem, tu hodiè in mundo non esses: isthæc subiunxisse: Tum verò Deus ex aliquo è proqinquis nostris me fecisset nasci.

Non admisit ferè, nisi virgines, in sua monasteria.

Cap. 11. In reformationis suprà dictæ exordio, sæpè inuocabat sanctos, cùm ardua negocia inciderent. Eos autem præcipuè implorabat, qui virgines fuissent. Ad sanctissimam matrem Annam eo nomine vix vnquàm confugiebat, quòd tres subindè habuisse maritos legatur. Sed ea sanctissima matrona ei quandoquè feruenter oranti apparuit, insigni ornatu prædita, ducens secum honorificè totam sobolem suam, puta tres eximias filias suas, & eorum filios cumprimis generosos. E quibus prima fuit beatissima Christi parens, regina cœlorum, & domina angelorum, creaturarumque omnium, manu tenens dulcissimum filium suum, mundi redemptorem Christum Iesum. Altera fuit Maria Iacobi, secum ducens quatuor illustres filios, Iacobum minorem, Simonem, Iudam & Ioseph iustum. Tertia Maria Salome, habens apud se duos clarissimos filios, Iacobum maiorem & Ioannem Euangelistam. Ait autem ad Coletam beatissima Anna: Etsi ego tribus nupsi viris, at tamen & triumphans & militans Ecclesia ex mea progenie maximis est aucta ornamentis. Post hanc apparitionem Coleta singularem concepit animi deuotionem erga sanctam Annam, rogabatque eam, vt pro excellenti gratia sua pro ipsa intercederet cum sanctis omnibus, adessetque ipsi in inchoata reformatione, quô ad optatum posset eam exitum perducere. Atque vt huic eius apparitioni gratam se declararet, in quibusdam monasterijs suis ex ingenti deuotione templa in eius honorem extruxit: maximè verò in cœnobio Bisuntiensi, quod ei Pontifex contulerat, præclarum sacellum ei condidit: in quo multi tumulati sunt speciales amici eius.

S. Anna ei apparet.

Cap. 12. Præcipua quidem occupatio beatæ Coletæ per omnem eius vitam maximè versabatur in feruenter laudando, honorando & obsecrando Deo. Semper enim, vbicunquè esset, aut mente, aut ore precabatur Dominum, animum suum ad illum erigens: aut certè quippiam boni operis efficiebat. Inter alia Dei charismata etiam illud animo eius penitùs impressum erat, vt feruenti desiderio cuperet accuratè persolui ea, quæ ad Dei cultum pertinent, diuinaque officia puro corde, & cum tremore & reuerentia peragi. Nec sinebat vllam sanctimonialem à diuinis abesse officijs, immò etiam priùs quàm illa inchoarentur, adesse volebat omnes, vt suas præpararent animas, quô possent Deo gratum exhibere ministerium. Quòd si aliqua ex illis animo in aliam infenso aut commoto esset, volebat eam priùs illi reconciliari, humiliter ab ea petendo veniam. Quanuis autem ipsa supra modum grauata esset doloribus perpetuis, qui eam facilè excusarent, si nollet diuinis interesse laudibus, at nihilo minùs voluit die ac nocte semper & prima adesse, & postrema recedere, donèc

Præcipua Coletæ studia & exercitia.

Zelus erga cultum Dei.

re, donèc coacta est diuinitùs aliter se comparare, propter dolores penè intolerabiles: qui tamen si remissiores fierent, rursùs hilariter & alacriter properabat ad communem Dei cultum, acsi nunquàm eos sensisset cruciatus. Visus est crebrò à sororibus agnellus quidam elegans expectare eam ad nocturnas preces ituram in sede illa, in qua ipsa residere solebat. In ipsis autem diuinis officijs studebat corde, corpore totisque viribus gratum Deo offerre seruitium, vocem cum cordis iubilo exaltans, ità vt præ alijs suauiter & mirabiliter concinens audiretur.

In reformationis initio non parùm perplexa fuit, quemadmodùm diuinum persoluendum esset officium. Continebat enim Regula, à sororibus non cantando, sed legendo id persolui debere. Consuluit igitur ea de re confessarium suum Henricum de Balma, & cùm multùm inter se contulissent, ambo statuerunt ad preces recurrendum. Illis igitur orantibus, subitò audita est in medio illorum vox quædam valdè grata, modulata & musica, & quasi prorsus angelica. Ex ea igitur modulatione, quæ suauiter & tractim fiebat, constituerunt modum, quo sorores Dei cultum peragerent. Accidit quandoquè manente illa in quodam monasterio, grassari illic pestem, & multas auferre sorores, plerasque diù manere malè affecta valetudine. Cùm autem etiam ipsa non mediocriter laboraret ex morbo, non tamen à diuinis voluit se laudibus subducere, nec propter sororum paucitatem aliquid de illis diminui: sed cum duabus aut tribus sororibus preces omnes Canonicas ipsa persoluebat integrè, solenniter & deuotè. Vbi sanè verisimilis non deerat coniectura, angelicos spiritus ei venisse subsidio, vt audientium deuotio & admiratio augeretur. Nunquàm illa, quod sanè admirabile est, in diuinis persoluendis officijs vllum vel tædium, vel laborem sensit: immò quanto ea prolixiora essent, tanto gratiora quoquè erant. Quod si interdùm aliquam sentiret desolationem, mox inchoato officio confortabatur & tranquillabatur, psallens suauiter in feruore spiritùs, perindè acsi faciem summi regis coràm intueretur. Visa est tum plerunquè facies eius luculenta & splendida, ità vt non rarò sororum oculi sic perstringerentur eo splendore, vt in eam intendere non possent. Cùm autem immodicis doloribus adeò occuparetur, vt diuinis non posset adesse ministerijs, suspirans suauiter exclamabat: O beatas illas, quæ possunt iugiter diuinis interesse laudibus. plusque dolebat, quòd ab illis cogeretur abesse, quàm quòd grauissimos sentiret dolores.

Cap. 23.

Mirabilis feruor eius in diuinis persoluendis officijs.

Nota lector

Cùm aliquandò visitaret monasterium quoddam, offendit illic sanctimonialem, quæ propter grauem morbum annis octo à diuinis officijs abfuerat non absque multo animi dolore. Ei ad se accitæ, comiter ait: Quid est, dulcissima filia, quòd tam longo tempore abes à laudibus Dei? Respondit illa: Nihil, mea mater, illic vel dicere vel facere possum, morbo impedita. Tum Coleta, Abi, inquit, hac nocte in Christi nomine ad preces nocturnas, & fac ibi pro viribus. Fecit ea sic, & eccè vocem sentit sibi restitutam longè meliorem, quàm vnquàm habuisset anteà, cecinitque non minùs benè, vel etiam meliùs, quàm aliæ incolumes. Porrò præter preces Canonicas, quotidiè legebat omnes orationes Dominicas, quibus laicæ sorores diuinum persoluunt officium: tum quoque preces horarias S. Crucis, & duplices defunctorum, vt vocant, Vigilias, vtplurimum nouem lectionum, interdùm trium. Signa illa Dominicæ orationis habebat charissima, eaque nocte ac die circunferens, absque numero preces ad illa recitabat. Inter eas autem preces, quę tum ore, tum mente funduntur, singulariter eam afficiebant Psalterium & septem Psalmi cum Litanijs, quæ à iuuentute vsque in senectam nunquàm, ob quascunque etiam occupationes, dicere prætermisit. Absoluto autem Psalterio, flexis genibus, humiliter & reuerenter munus illud exiguum Deo offerebat, orans instanter, vt gratum illud haberet. Valdè autem infestus ei erat dæmon, dicenti Psalterium. Nam sæpè noctibus extinguebat candelam, effundebat oleum. Accidit quodam tempore, vt & identidèm dæmon extingueret lampadem, & illa rursùs eam accenderet. Tandèm igitur, vt eam perturbaret, importunissimus satan effudit oleum totum in codicem, vndè legebat Psalterium. quæ res non parùm eã afflixit, tũ q codex esset perditus, tũ quòd needùm complésset preces. Altera luce tradidit codicem confessario suo, conquesta ei quid accidisset, sciscitansq; num qua posset ratione reparari. At cõfessarius acceptum librũ comperit ex Dei munere penitùs illæsum: quæ res maximam Coletæ consolationem attulit. Alio tempore cum absolutum Psalterium vellet suo more offerre Deo, duo teterrimi & immanissimi

Cap. 24.

Miraculum

Quotidianæ preces eius.

Miraculum

Vis signi S. Crucis. nissimi dæmones horrenda specie apparuerunt ei, suis terriculamentis impedire eam volentes, nè offerret munus suum Domino. Illa verò fidenter se communiens Crucis signo, obtulit Deo Psalterium: & vilissimi dæmones confestim euanuerunt.

Cap.25. Litanias libenter vtitur. In omnibus rebus duris & aduersis, in negocijs arduis semper confugiendum censebat ad preces humiles, dicebatq; tum per seipsam, tum per sorores litanias, quibus fidebat plurimùm, & singulari deuotione afficiebatur. Ea enim tempestate, qua in Franciæ regno tot sæuiebant bellorum tumultus, vt vix quisquam auderet extra loca munita progredi, tametsi illa pro conditione sexûs multùm meticulosa fuit, at tamen constituit, pro Dei amore & animarum salute per longinquas proficisci regiones: vtque id tutiùs posset, quotidiè audire Missam de Epiphania Domini. Itaque simul atquè ingressa est iter, litanias dicere cœpit, & Dei benignitate, sanctorumque, qui illic inuocantur, meritis euasit pericula omnia, in quibus multa fuêre sanè horrenda. Proficiscens enim aliquandò cum multis sororibus per regionem, cuius idioma ignorabat, vbi peruenit ad nemus quoddam latrocinijs infe- Incidit eam suis in latrones. stissimum, obuiàm ei venerunt homines truculenti, arcubus & sagittis instructi, qui ei & comitibus eius insidias comparabant, eosque spoliare volebant. Curribus enim propter itineris prolixitatem, & viarum asperitatem vehebantur, quæ res quædam non vulgarem apparatum præ se ferre videbatur. Illi ergò crudeles homines in verba prorsùs barbara & inhonesta cœpêre prorumpere, ad mala omnia parati. Coleta tum compleuerat litanias, & ex Dei gratia intellexit quid dicerent, (Poterat enim cum Apostolis quæuis capere idiomata) locutaque est ad illos blandè, placi- Mutantur illi mirabiliter. dè atque prudenter. Illi mox eius audita voce mutati mirabiliter, non solùm ei & comitibus pepercerunt, sed etiam promptos se obtulerunt ad securè deducendas eas, quocunquè vellent iter intendere. Coleta verò gratias eis egit, & illi sine vllo maleficio recesserunt.

Cap.26. Alio tempore cùm duceret moniales aliquot ad nouum monasterium, & ad locum quendam periculosum venisset, sentiens in spiritu se in discrimine versari, monuit sorores, vt litanias promerent. Quidam verò nobilis, sæuus & immanis, sanctæ Coletæ opera & conatus magnis viribus impedire cupiens, per ministros suos iter eius diù explorari iussit. Illi verò Coletam & comites eius curauerunt illic detinendas, donèc nobilis ille cum suis eò aduenirèt. Is vbi venit, euomuit confe- Illustre sanè diuinæ virtutis miraculum. stìm è cœnoso pectore lutulenta & turpia verba. Ei autem humiliter & religiosè Coleta respondit: & eccè equi malignorum hominum manserunt immoti, nec ad currum propiùs accedere potuerunt, quanuìs possent facilè retrocedere. Aliâs reuertens illa à quibusdam monasterijs nouis, in quæ moniales introduxerat, cùm se putaret tutiori itinere ingredi, in longè crudeliores & deteriores incidit, qui iam ità propè aderant, vt currum eius facilè possent inspicere. Ex ijs sceleratiores quidam alios præcesserunt, vt eam rebus omnibus spoliarent. Illa spiritu id cognoscens, ilicò ad litanias Item aliud. se confert. Mox scelesti illi incredibili acti timore, properè ad suos se recipiunt, haudquaquàm ad eam redituri. Visitatura quandoquè monasteria sua, per eas regiones proficisci cogebatur, in quibus tum ingens erat armatorum militum strepitus. Sentiens se non sine multo discrimine id facturam, iubet dici litanias. Paulopòst venit obuiàm procacissimis militibus, qui petulantissimè minabantur se quosdam ex comitibus eius iugulaturos, alijs aures præcisuros, ab alijs equos & cæteras res ablaturos. At Co- Obserua effectum inuocationis Sanctorum. leta planè confidens Deo & sanctis, quos inuocabat, iussit comites suos præcedere: mansit autem sola cum sororibus, libenter oppetitura mortem, vt alij euaderent. Et eccè tantam ei Dominus contulit animi fortitudinem & constantiam, tantamque oris facundiam, vt non solùm nihil mali ei vel sororibus illi nequam homines inferrent, sed etiam veniam ab ea peterent, ablatosque equos & alia integrè restituerent. At tamen Deus iustus iudex, qui non sinit impunè abire, si quis vexet fideles amicos eius, ità in eos animaduertit, vt intra octo dies ob quædam perpetrata maleficia in patibulo suspenderentur, palàm confitentes, se vel maximè angi animis, præcipueque dolere, quòd molestiam illam ancillæ Christi attulissent: seque existimare illa causa se sic diuinitùs puniri.

Cap.27. Mansit quandoquè in quodam monasterio suo, quod erat situm in pago quodam regni Franciæ. Illum pagum crebrò viri militares multa vi & forti manu clàm capere moliebantur. Coleta spiritu id cognoscens, ad litanias se conferebat. Quibus inchoa-

inchoatis, videbatur illis militibus alios ipsis fortissimè occurrere pro tuendo pago. Itaque fuga sibi consulentes, meritis Coletæ repulsi, nihil pago nocere potuerunt. Et est sanè hodieque illo in loco fama celebris, incolumitatem & conseruationem pagi illius à Coletæ meritis proficisci. Solebat autem illa post oris preces etiam ad eas, quæ mente fiunt, se conferre: atque ità ex precibus magnam capiebat consolationem: aiebatque sine precibus neminem posse proficere: atque ea causa hortabatur sorores ad perpetuæ orationis studium. Porrò in mentalibus orationibus, quibus crebrò vtebatur, curas omnes superuacaneas abigebat, omnesque sensus & vires corporis ac naturæ colligebat, vt perfectè cogitaret de Deo, & affectu ardentissimo preces illi offerret, ità vt tota raperetur in illum, nihil corpore sentiens, perindè vt mortua, nec percipiens quicquam eorum, quæ tum extrinsecùs circa illam gerebantur. Et sic nonnunquàm permansit sex horis, interdùm decem vel duodecim. Tandèm ad se reuersa, breui spatio se sic fuisse putabat, tametsi interdùm tota die sic perdurârit, sæpissimè etiam maiori noctis parte. Somnus autem eius incredibilis parcitatis fuit, sic vt aliquotiès octo diebus vix vna dormierit hora. Postquàm enim Psalterium & preces Canonicas absoluerat, reliquum tempus in preces mentales conferebat. In itinere ad hospitia veniens, cæteris corpora quieti dantibus, vigilabat plorans & gemens, Deumque feruenter orans, somno contempto.

Mira vis Litaniæ.

Coletæ mẽtis excessus.

Mira somni parcitas.

Quantæ autem efficaciæ fuerint preces eius, Deus quibusdam sororibus euidentibus signis declarauit. Videre enim illæ sibi videbantur facem igneam ex eius procedentem ore, planè luculentam, adeoque sursùm tendentem, vt cælos contingere videretur. Nonnunquàm illa feruentissimè orante, videbatur eis oratoriũ illius ceu flammis incensum ardere. Si quis autem propiùs accessisset ignem illum extincturus, repentè disparebat: quanquàm semel repertum est velum eius exustum, licèt nullus ibi fuisset ignis. Quædam ex illis soror aliquandò imprudens intrauit in eius oratorium, illa Dominum ardenter orante, viditque tanta eam nitere pulchritudine & splendore, vt velut exanimis statìm humi collaberetur. Eam videns Coleta in eo versari discrimine, accessit ad illã, & cùm obiurgâsset quòd ausa fuisset eò ingredi, mox consolatione refouit & recreauit eam, ità vt vires recuperaret suas. Soror Coleta de plano cubito (sic enim vocabatur) vidit quandoquè, illa feruenter orante, quendam magnum solem, totum illustrantem oratorium, ab eius ore prodeuntem. Sæpè etiam in precibus feruentissimis, spiritu in Deum subleuato, visa est à sororibus etiam corpore tam sublimiter euecta in aëra, vt penitùs videre eam non possent. Sed & ipsa, certas ob causas compulsa à Deo, fatebatur se non rarò sub precibus intantùm fuisse corpore sublatam, vt sibi videretur cælum posse tangere, si manus extendere voluisset.

Cap. 28.

Efficacia precũ eius.

Visio cuiusdam sororis

Res stupenda.

Præcipuè verò Deum deprecari solebat pro miseris peccatoribus, vt illos ad se conuerteret. Porrò inter multas reuelationes, quas diuinitùs habuit pater celeberrimus, professione Dominicanus, magister Vincentius, etiam illa fuit, qua Coletam vidit in spiritu, genua flectentem humiliter, & feruenter rogantem Deum pro peccatis miserrimæ plebis suæ. Cui ille sic respondere videbatur: Quid me vis facere, filia? Ego quotidianis illorum iniurijs & contumelijs afficior. Quotidiè illi me lacerant & discerpunt, contemnentes præcepta mea, meque blasphemantes & abnegantes. Propter hanc visionem idem egregius Doctor, ex Hispanijs venit in Gallias, vt ipsam Coletam inuiseret. Cumque inter se colloquerentur, multis sunt affecti diuinis consolationibus. Alio tempore orante feruenter Coleta beatissimam Dei genitricem, vt apud filium suum pro miserrimo populo Christiano intercederet: oblatus ei fuit discus quidam, plenus particulis carnis, tanquàm infantis in frusta concisi: dictumque est illi: Quo pacto ego deprecabor filium meum pro his, qui quotidiè peccatis & horrendis sceleribus suis, quantùm quidem in eis est, etiam in minores eum discindunt & dilaniant particulas, quàm sint hæ, quas cernis?

Cap. 29.

Huius Vincentij Vita est infrà 5. Aprilis.

Quantùm verò preces eius permultis profuerint, ex ijs quæ dicturi sumus, licebit intelligi. In pago quodã Auernensi vir cũ vxore fuit vitæ execrabilis. Vterq; igitur ob flagitia sua suspẽdi iussus est. Etsi verò pleriq; omnes dicerẽt dignos esse, qui sic perirent, at nihilo minùs multi illorum dolebat vicẽ, maximè quòd viderentur rectà proficisci in tartarum, quòd satis ostenderent, se neq; Deum, neq; peccata sua agnoscere, nec vllis adhortationibus eo posse adduci, vt agnoscerent. Vomebant enim ex impijs pectoribus verba detestanda, prorsusque satanica, quæ nihil aliud, quàm æternas gehennæ flammas

Cap. 30.

flammas mererentur. Vidit hoc horrendum spectaculum quidam sanctus eremita, qui ex deuotione Coletam inuiserat, hominumque miserrimorum ex animo misertus, flexis genibus rogabat carnifices, vt differrent suspendium, donèc ipse rediret. Annuerunt illi, abijt ille ad Coletam, commendauit ei deploratos illos & perditos homines: mox ea sublatis in cælum manibus, cum lachrymis dicere cœpit Psalmum, Miserere meî Deus. Necdùm verò finierat Psalmum, & eccè concipiunt illi cæci mirabilem Dei notitiam, agnoscunt immania maleficia sua, valdè se peccâsse dolent, fatentur illo se supplicio dignos, patientissimeque morte se affici sustinent, irà vt illi, qui aderant, plurimum indè ædificationis, magnamque salutis suæ spem conciperent.

Hoc plus fuit, quàm eorum corpora extincta excitâsse.

Cap. 31. Fœmina quædam religiosa, bonæ vitæ & sanctæ conuersationis, enormia quædam peccata commiserat, quæ summoperè quidem cupiebat dicere in confessione, sed cùm ventum esset ad sacerdotem, impurissimus satan tantam ei ingerebat verecundiam, vt dicere ea non auderet. Durauit hoc annos sex, & interim illa viuebat in summo animi dolore & afflictione. Tandèm feruenter petijt commendari se precibus Coletæ virginis. Quod cùm fecisset, mox abijt ad confessarium, calcatoque rubore, integrè confessa est peccata sua, multumque indè percepit conscientiæ suæ leuamen & consolationem. Cùm in reformationis exordio Coleta in castro Balmensi maneret, in pago illo domus cuiusdam nobilis erat, cuius habitatores liberaliter & se & res suas impertiebant Coletæ & eius professionis hominibus: irà vt non immeritò illa quoquè in suis precibus eos sibi haberet specialiter commendatos. Sed maligni & teterrimi dæmones mutuam illam charitatem molestissimè ferentes, multas illi domui persecutiones excitârunt, damnaque grauissima intulerunt. Sed meritis & precibus Coletæ seruati sunt amici illi, & eorum ædes atque facultates, nè quid incommodi eis accideret. Visi enim sunt Angeli è cælis descendere, vt eos à periculis tuerentur, & hostibus resisterent, eis sæuissima malignitate nocere nitentibus. Vidit Coleta circa noctis medium domum illam cingi luce clarissima, & in ea luce permultos Angelos, habitatores eius aduersùm omnes satanicas infestationes seruantes atque defendentes. Vidit porrò etiam scalam auream ab illa domo vsque in cælum se porrigentem, Angelos per eam ascendentes & descendentes, Deoque preces Coletæ offerentes, tum quoquè egregias eleemosynas, aliaque charitatis officia & beneficia hominum illorum, pro quibus ipsa orabat, quæ ab illis quotidiè in Coletam & sorores conferebantur. Vocauit autem Coleta vnam è sororibus, eique indicauit visionem & claritatem illam: sed ea videre eam non potuit, donèc pro illa Coleta rogaret.

Precibus elidit conatus dæmonum.

Cap. 32. In monasterio eius Poliniacensi initiò quidem sanctimoniales magna premebantur aquæ penuria, cogebanturque eam aliundè inferre, quòd nullus esset in monasterio locus, fodiendo puteo opportunus. Itaque sexta feria post Dominicam Lætare, qua recitatur Euangelium de muliere Samaritana, à qua Christus apud puteum sedens aquã petijt, Coleta post fusas ad Dominum preces, iussit humum certo quodam loco fodi. Id cùm factum esset, prodijt mox aqua pulcherrima, & qua non esset alia melior in tota regione illa. In quodam Albigensi pago iuuencula iuncta viro, vita erat sic satìs honesta & integra, pepereratque marito filium: at permittente Deo, adeò fuit mente capta, vt neque Deum, nec creaturas vllas, nec proprium filiolum suum agnosceret: citraque vllam verecundiam nuda incederet, & non nisi satanica verba è suo ore proferret. Eam sacerdos quidam venerabilis, commiseratione permotus, commendauit precibus Coletæ, ac deindè reuersus ab ea, denuò hanc miseram studio humanitatis inuisit, eiusque caput quodam Coletæ velo tetigit. Tum illa loqui cœpit verba rationi consentanea, ante omnia petens sibi copiam fieri confitendi peccata sua, celerrimeque plenè restituta est. Mercator quidam celebris iter suscepturus valdè periculosum, obnixè commendauit se Coletæ precibus. Deindè dans se itineri, per densissimas niues, aquasque agros operientes ingrediebatur, penitùs ignorans, vbinam esset. Nocte autem incidit in locum, vbi si paululùm processisset, hauddubiè in præsentissimum mortis discrimen se coniecisset. Ibi recordatus pijssimæ matris Coletæ, iterùm se commendauit precibus eius. Erat enim illic abyssus profundissima. Et eccè statim videt Coletam adesse, manuque indicare, vt retrocedat. Quod cùm fecisset, cognouit se Coletæ meritis & precibus mortem euasisse.

Precibus impetrat aquas.

Insigne miraculum.

Item aliud.

Cap. 33. Vir quidam magni nominis, Coletæ familiariter notus, filiam habuit vnicè charam, quam volebat monasticæ vitæ tradere, Deo illic seruituram. Obtulit ergò eam Coletæ, quæ libenter eam accepit, vtpotè benè constitutam & aptam ad eam vitam con-

consectandam. Sed paulò pòst dolens vir ille se filiam suam Coletæ tradidisse, eamque perditam existimans, acriter & seuerè eam repetijt. Doluit ea res non mediocriter Coletæ, quòd sic ablatam sibi videret puellam: sed ad preces confugiens, Deo gemitus & lachrymas obtulit. Iam verò pater puellæ, vt ab eius animo omnem monasticæ vitæ memoriam aboleret, in longinquam eam regionem ducebat: sed cùm iam fortè medium absoluisset iter, ter equus corruit, cui puella insidebat: & in ipso tertio casu vtroque orbatus est oculo. Id cernens puellæ pater, ad se redijt, agnoscensque culpam suam, venit ad Coletam matrem, veniam petijt, puellam vt ad se reciperet obsecrauit. Id verò Coleta libenter præstitit. Item aliud. Comitissa Valentinensis, præpotens domina, diù multumque desiderauit monasticam S. Claræ vitam siue regulam profiteri. Vt autem vires exploraret suas, possent'ne illi instituto pares esse, non breui tempore, duriter & asperè vixit. Tandem humiliter petijt à Coleta, vt ipsam admitteret inter suas. Assentit Coleta, præfigit certum diem, ad quem eius desiderio velit satisfacere. Sentiens interim draco pestifer, omnis boni hostis diabolus, cum appropinquare diem, euidens quoddam ei rei obiecit impedimentum. Adeò enim equi omnes subitò debilitati sunt, vt nullo pacto à terra surgere posse viderentur. Id verò dolorem non mediocrem attulit Comitissæ illi, quippe cui non occurreret remedium vllum, quod posset huic malo adhiberi. Statuit autẽ & se & rem totam commendare precibus Coletæ. Quod vbi fecit, mox adfuit mira consolatio. Equi enim omnes ad iter valdè expediti reperti sunt. Tum illa mirificè exhilarata, profecta est, & propositum suum perduxit ad effectum. Coleta autem recepit eam in suam sodalitatem propensissima animi deuotione, & illa sanè perseuerauit in suscepto illo vitæ instituto, ad mortem vsque Deo cum multa perfectione seruiens. Impurus dæmon ferre non potest, vt Comitissa se det vitæ monasticæ.

Dicturi iam sumus, quàm feruenti deuotione & amore, Christi passionem Coleta prosecuta sit. Cap. 34. Cœpit id ætate adhuc tenera, à matre sua sic instituta, quæ profectò & timebat & amabat Deum: quotidieque cum lachrymis & gemitibus dicebat precem de Saluatoris passione, multùm condolens iniurijs & pœnis, quæ ille pro humani generis redemptione libentissimè tolerauit. Eam autem precem Coleta puella diligenter attendens, adeò totam memoriæ commendauit, vt deinceps nunquàm eius potuerit obliuisci. Itaque quotidiè hora meridiana, qua Christus cruci affixus est, angores cordis sentiebat vehementissimos cum Christo acerbissimè patiente: vtque eos secretiùs & deuotiùs perferret, libenter ea hora ab alijs se subducebat hominibus, atque ità sola manens, omnes animi vires intendebat ad cogitandas iniurias, persecutiones, conuicia, opprobria, horrendam & ignominiosam mortem, quæ Christus desiderio salutis nostræ patienter & cupidè perpessus est. Porrò in eiusmodi meditationibus sæpissimè extra se rapiebatur, & in Deum transformabatur ardentissimo desiderio & amore: at præcipuè tamen sextis ferijs ab hora sexta matutina, vsque ad horam sextam vespertinam, manè audita Missa, nihil interim manducans aut bibens, tam erat feruenter & efficaciter Dominicæ commemorandæ passioni intenta, vt sæpenumerò præ doloris vehementia in manibus, pedibus & latere suo sibi re uera videretur clauis & lancea confixa. Ecquis verò pro dignitate possit explicare imbres lachrymarum, anxios gemitus, quibus occupabatur illa tota hebdomada, quam sanctam vocamus? quis satis commemoret dolores acerbissimos atque vehementissimos, quos tunc illa perferebat? In ipsa enim eius virtutum studiosa iuuentute specialis quædam ei collata erat gratia circa Domini passionem. Cùm enim aliquandò feruenter & profundè eam meditata fuisset, Christus ei apparuit, indicauitque familiariter modum, quo passus esset, & vt in singulis membris suis singulares pertulerit cruciatus humanæ salutis amore. Indè verò Coleta vehementissimum quendam concepit cordis dolorem & angustiam: ac nihilo minùs ardore quodam amoris & deuotionis erga Christi passionem intantùm incensa fuit, vt sæpiùs reminiscens huius visionis & crudelium pœnarum, quibus affectum viderat corpus innocentissimum Saluatoris, planè destitueretur viribus, nihilque prorsùs exteriùs sentiret, in statum alium transformata. Atque ità in sancta hebdomada multa ei diuinitùs præstabantur sanè memorabilia. Cùm enim recitabantur passiones Christi in Missis coram ipsa, vtì fieri solet, dolores, quos passus est Dominus in corpore suo, adeò renouabantur in corde & corpore illius, vt nunquàm sic visa fuerit mulier laborare parturiendo, quantùm ipsa videbatur condolendo. Cuius rei id euidens documentum fuit, quòd horis illis incredibili animi angore lamentabatur, fundebatque lachrymas & gemitus ineffabiles, vt nemo quanuis ferreo pectore, si id vidisset,

Erga passionem Christi vt Coleta affecta fuerit.

Christus ei adhuc iuueni apparet.

Christi dolores summè ei dolent.

vidisset, pietate & commiseratione potuerit non permoueri & emolliri. Fuit autem non breui tempore iugiter sic charitatis inflammata ardore, & intimo confecta animi dolore erga passionem Christi, siue legendo, siue quouis alio modo ea illi esset redacta in memoriam, vt toto intellectu & cunctis viribus illa contemplanda occupatis, interdum sex aut eo amplius horis nihil neque cogitaret aliud, neque exterius sentiret.

Cap. 35. Manens aliquandò in monasterio Bisuntiensi, in sancta hebdomada tam se totam applicuit ad commemorandam Christi passionem, vt toto triduo nocte ac die in ecstasi permanserit, nihil interim neque loquens, neque comedens, neque bibens. Alio tempore in sacra parasceue ab hora illa noctis, qua cantantur Matutinæ, vt vocant, ad eam vsque, qua sorores è domo capitulari reuertebantur, tam attentè versata est in meditandis Christi cruciamentis, vt grauissimis affecta pœnis etiam in corpore, sororibus ei obuiàm venientibus stuporem afferret. Adeò enim facies eius videbatur fustibus cæsa, vt nihil in ea nisi pellis & ossa fracta & comminuta, nasusque complicatus cerneretur. At tamen ijsipsis inspectantibus, paulatim pristina ei forma restituebatur. Verita autem illa, nè quid fortassis in ipsa sorores animaduertissent, ocyùs ad oratorium redijt, moxque rapta in spiritu, sic ad noctem vsque permansit. Dominica Palmarum aliquandò cum multa humilitate & deuotione in processione, quæ tum fit cum ramis, incedens, ac studiosissimè cogitans Christi illum in Hierusalem aduentum, quem illa processio repræsentat, adeò sibi videbatur Christo etiam corpore propinqua, vt tangeret illum, itemque asinum, cui insidebat: qui sanè asinus ramum illum ex eius manibus morsu abstulit, nec vnquàm posteà ramus ille visus aut repertus est.

Toto triduo patitur ecstasim.

Res mira.

Cap. 36. Loca sancta, quæ Christus sua præsentia, olìm in terris degens, mirificè sacrauit & ornauit, cum multa reuerentia & deuotione habebat impressa cordi suo: speciatim verò locum & vrbem, in qua passus est. Et quanuis corpore debilis & tenera esset, multaque in mari occurrerent pericula, at tamen summo ardebat desiderio arripiendi iter illud, locaque illa deuotè visitandi, atque illic moriendi propter Deum: & certè eò profecta fuisset, si id ei permissum esset. Inter alias autem reliquias, quæ sancta Ecclesia ità vt par est veneratur, singulari reuerentia prosequebatur lignum sanctæ Crucis, ad quam Christus affigi voluit: cupiebatque vehementissimè particulam aliquam eius crucis sibi præberi. Itaque nè suo fraudaretur desiderio, cęlitùs ei missa fuit crux aurea, sed parua, cui inclusa fuit portio quædam veræ Crucis Christi: quam illa deuotè & reuerenter seruauit, multique eam viderunt & manibus tenuerunt. Asserebat autem Coleta pro certo, crucem illam auream humano opere minimè confectam. Sicut autem veram Christi Crucem pijssimè venerabatur & colebat, ità etiam erga eius signum peculiari animi deuotione afficiebatur. Cuius etiam virtute signi, meritis eius, plurima Dominus patrauit miracula, è quibus nonnulla hîc subjiciemus. In exordio enim eius, quam sæpè diximus, reformationis permulti paruuli ei oblati fuêre, diuersis afflicti morbis: conabanturque parentes vel amici eorum obscuris quibusdam & Coletæ ignotis modis eam permouere, vt manibus illos tangeret, & signum crucis in eos exprimeret. quod cùm illa fecisset, curabantur.

Singularis eius reuerētia erga signum S. Crucis.

Multa mira cura citatit signo Crucis.

Cap. 37. In monasterio quodam Coletano quædam soror tanto vexabatur capitis dolore, vt se putaret morituram. Adijt ergò Coletam matrem, explicauit ei molestiam suam, petijt suo capiti imprimi signum Crucis. Illa valdè dolens vicem eius, fecit vt petijt soror: & eccè fugit morbus, soror fit omninò sana & incolumis. Abijt quandoque Coleta ad expedienda quædam negocia religionis suæ. Venit cum paucis comitibus ad ripam cuiusdam profundi fluminis: vbi cùm nulla esset nauis, nautæ nulli, confidens illa diuinæ bonitati, signum Crucis edidit, confessarium suum rogans, vt idem faceret. Deindè securè tentauit periculosum iter ingredi, idque cum omnibus suis partìm peditibus, partìm equitibus sine periculo confecit. Paulò pòst multi equites, robustis freti equis, eodem loco flumen transmittere volentes, petulanter dicebant: Si Begardi & hypocritæ illi transiêre securi, quid nos transire dubitamus? Ingressi igitur flumen confidenter, miserè submersi periêrunt. Aliquandò proficiscente Coleta à quodam monasterio ad aliud, currus eius prolapsus est in profundam foueam, aquis plenam. Habuit tunc soror quædam ex comitibus eius partem quandam vnicornis, Coletæ charam. Ea quoquè lapsa fuit in foueam illam. Non parùm autem ea re perturbata soror, commisit se animo precibus Coletæ, editoque fidenter signo Crucis in foueam illam,

Præclarum miraculum.

illam, absque vllo adminiculo, dempto ramusculo quodam, qui instar palmitis tener erat, submisit se in foueam, quæsiuit particulam vnicornis, reperit natantem in medijs aquis, extraxit & reportauit, nihil penitùs madefacta, nisi modicè admodùm in ipsa planta pedis. Item aliud.

Erat in quodam monasterio soror quædam vita honesta, fama laudabili. Ea, Deo permittente, quinquennio laborauit morbo comitiali, quotidiè vt minimùm semel humi corruens, multamque ab ore spumam instar apri venatione exagitati egerens: deindè instar dæmoniacæ rabie quadam insaniens. Ligabant illam quidem & fortiter detinebant homines fortes, at illa inuitis ijs exiliebat turpiter vsque ad trabes, ab ore vomens calorem teterrimum, fornacis instar: itemque ventum validum, tanquàm fulgoris. sicque diù permanebat, non sine multa aliarum sororum molestia, ignorantium quid remedij adhiberent. Tandèm recordatæ virtutum Coletæ matris, eius precibus obnixè illam commendârunt. Illa misit ad eam quendam confessarium suum, qui fidens Coletæ meritis, signo crucis muniuit eam, illaque repentè omninò conualuit. Soror Ioanna de Lasarre diras patiebatur in manu dolores. Nesciens verò quid ageret, tandèm constituit se ad Coletam matrem conferre, eamque rogare, vt tam malè affectæ manui signum Crucis imprimeret. Venit igitur ad eam, Coleta id fert indignè, dolens & mœrens tale quippiam à se exigi, repellit manum ægrotam, eam extrinsecùs tantùm sua tangens manu. Et tamen tali contactu, quasi ab indignante exhibito, ægra illa incolumis subitò euasit. Alia quædam soror triduò nihil ferè neque cibi neque potûs sumpsit, grauiter laborans morbo quodam. Eius recordata Coleta, quærebat quînam valeret. Respondentibus illis, miserè eam vexari, & existimari propediem morituram, Coleta sumpto pane rudi, signo Crucis eum communijt, mittensque ægrotæ, iussit vt eum quamprimùm ederet. Fecit illa sic, & postridiè sana exijt è valetudinario. Cap. 38. Eximia vis signi Crucis Egregium miraculum

Morabatur quandoquè Coleta in monasterio quodam, quod erat in regione, vini & frumenti inopia laborante. Cumque non nisi parum in monasterio esset vini, eiusque valdè mali, ità vt nauseam afferret gustantibus, iussit Coleta parum aliquid eius vini in vasculo sibi apportari: & cùm signum Crucis pinxisset manu, fœtor omnis & corruptio abijt non solùm è vase ipsi oblato, sed etiam ex dolio, vndè illud impletum fuerat: ità vt quotiescunquè vinum indè promeretur ad sorores reficiendas, ante mensæ benedictionem malè oleret & insipidum esset, post eam verò vi signi sanctæ Crucis & gratum odorem, & suauem bibentibus gustum exhiberet. Data aliquandò fuit Coletæ elegans quædam, sed parua tabula eburnea, quam illa valdè diligebat propter pias imagines passi Saluatoris, in illa expressas. Accidit autem, vt maligni dæmonis opera frangeretur. Id illa conquesta fuit suo confessario, qui eam consolabatur, dicens se curaturum, vt redintegraretur. Atque vt id fieret, abijt cum tabula ad artificem quendam, eius rei peritum. In ipsa autem via curiosè eam volens intueri, cùm priùs signum Crucis fecisset, aperuit eam, & vidit prorsùs integram & illæsam. Cap. 39. Obserua hæc.

Mira sanè deuotione & ingenti reuerentia afficiebatur Coleta virgo erga præstantissimum Eucharistiæ sacramentum. neque id mirum. Indè enim hauritur omnis contemplatio, in illo reperitur spiritualis consolatio, ibi suauiter sapit feruens meditatio, per illud donatur æterna beatitudo. Itaque vbicunquè esset, quotidiè Missam sanctissimam, in qua Christi corpus consecratur, cum multis lachrymis deuotissimè audiebat: & vt eam maiori animi deuotione audiret, sæpenumerò conscientiam suam humili confessione expurgabat. Cùm autem ob res necessarias conficiendas extra monasterium degeret, cum cæteris quidem publicè eam audiebat: aliâs priuatìm & secretè, neminem tum admittens præter sacrificantem & ministrum eius, qui sacrificio interesset, nè diuinitùs ei collata dona specialia, alijs fortè innotescerent. Etsi autem publicè cum multa pietate interesset sacrificio, maiori tamen affecta videbatur, cùm priuatìm ei adesset. Cùm autem ventum fuit ad sacræ hostiæ eleuationem, profundissima humilitate, ingentique tremore adorabat eam, seipsam deprimens & vilipendens, plorans & gemens adeò, vt prorsùs in lachrymas resoluta videretur: in eiusmodi quoquè clamores erumpens, ab intimis cordis angoribus expressos, vt omnes mirabili commiseratione simul & admiratione afficeret. De ipsius autem sacramenti excellentia, virtute, sublimitate & magnitudine, de Christi in eo præsentia, & de mysterijs eius, tam perspicuam habuit notionem, vt qui aderant, certò existimarent Christum ei re vera apparere forma aliqua ipsi soli nota. Post hanc autem adorationem Eucharistiæ, sæpissimè Cap. 40. Deuotio & reuerentia eius erga Eucharistiam. Nota hæc Lector.

simè permansit diuini amoris accensa flammis, sublata sublimiùs in spiritu, Deoque perfectè coniuncta, ità vt sibi videretur tota transformata in Deum, & supra naturam rapta, sensibus corporeis planè cessantibus ab officijs suis.

Cap. 41. Non rarò autem sub hac Eucharistiæ eleuatione perspicuè cernebat eius, qui faciebat sacrificium, conscientiam, & quo in statu ille esset. At ramen nè proderentur alijs dona Dei, ipsi specialiter collata, clàm & prudenter indicabat sacrificanti vitia eius, vt ea corrigeret, prorsùs reticens modum, quo ea ipsi innotuerant. Habuit autem hoc ex speciali Dei gratia, vt quantumuis breui spatio Eucharistia ei ostenderetur, nunquàm hæsitare potuerit, quin illic verum esset corpus Christi, planeque cognosceret eius magnitudinem, præstantiam & veram præsentiam: statimque illud cum multis lachrymis & gemitibus adoraret. Fuit aliquando in monasterio, sito in ea regione, qua solent vsitatiùs album quàm rubrum vinum sacrificio adhibere. Ibi tum sacrificanti sacerdoti obtulit minister aquam, putans esse vinum. Quandò autem ventum est ad eleuationem, corpus quidem Christi adorauit Coleta ea, qua solebat, humilitate, reuerentia, lachrymarum & suspiriorum copia. Cùm autem calix eleuaretur, noluit adorare, sentiens in spiritu, nō esse ibi verum Christi sanguinem. Porrò complures tum religiosi, tum seculares summoperè conati sunt, aut saltem experierunt esse iuxta vel intra oratorium, vbi Missam illa audiebat, vt reipsa comperirent feruentem eius & humilimam Eucharistiæ adorationem, audirentque suspiria & clamores, quos Christo illic præsente edebat. Sed illa id permittere haudquaquàm voluit, nisi vel admodùm religiosi essent, vel ipsi valdè familiares. Quòd si aliqui clàm latitâssent in locis occultis oratorio propinquis, non latebat spiritum eius, Christo id ei reuelante. Itaque de talibus mœrenti animo conquerebatur patribus & fratribus suis, quòd non permitteretur pro suî consolatione adorare Dominum Deum suum, propter homines, insidiosè ipsius arcana scrutari volentes. Interrogata verò, cur tam alta ederet suspiria & eiulatus sub eleuatione, blanditer respondebat, se plerunquè aliter facere non posse, etiamsi totus adesset mundus. Sentiebat enim immēsam maiestatem & potentiam Regis regum, cuius comparatione nihil est mundus vniuersus. At tamen si interesset sacrificio publico domi vel foris, licèt eodem modo affecta esset, Deo mirabiliter in hoc dispensante, non eam foris ostendebat deuotionem, quam solebat in priuatis sacrificijs.

Verū Christi corpus in Eucharistia Obseru.

Cap. 42. Qua autem animi deuotione Eucharistiam sumpserit, neminem arbitror vel satìs admirari posse: sed & illi, qui ministrare ei solebant, pro dignitate id explicare vix possent. Nam tametsi multa ei inerat conscientiæ puritas, gratiæ exuberans copia & virtutes plurimæ, at nihilo minùs coram hoc sanctissimo sacramento, alta voce clamans, seipsam suprà quàm dici queat deijciebat, vilem, immundam, abominabilem, indignam quæ cum alijs quantumuis etiam impijs versaretur dictitans, idque propter culpas innumeras, quas se in Dei bonitatem & maiestatem perpetrâsse fatebatur. Vndè tanto cruciabatur dolore, adeoque sibi displicebat, & lugebat, vt cor eius scindi videretur, oculique instar fontium essent, non guttas, sed riuulos lachrymarum iugiter fundentes, quibus tota ipsa madefacta cernebatur, gemens & dolens & anxia valdè, perindè vt mulier dum parit, aut aliquis morti adiudicatus. Quæ res magnum sæpè stuporem & terrorem ingerebat ijs, qui aderant. Postquàm autem Eucharistiam sumpsit, mox rapiebatur in Deum, manebatque immota & mortuæ non absimilis ad horas duodecim, nonnunquàm decem, vt minimùm sex, nihil intereà sentiens extrinsecus. Ad se autem reuersa, vultu erat prorsùs angelico, luculento, pulchro, amabili, cælesti, & à terrenis omnibus abhorrente: sermones verò erant suaues, profundi, cælestes, perfectissimum Dei commendantes amorem, auditores ad Dei perfectam cognitionem inuitantes, ad feruens bonorum spiritalium & æternorum desiderium, ad mundi & inconstantis ac labilis vitæ huius, omniumque vanitatum & noxiarum cupiditatum contemptum incitantes. Porrò quotiès ardua, difficilia & obscura negocia (id quod sæpè accidit) occurrerent, ad hoc sanctissimum sacramentum tota confugiebat, interdùm quadraginta, nonnunquàm triginta diebus continuis illud eo, quo diximus, modo percipiens, nec tamen omittens ea, quæ sunt suprà memorata.

Vt se gesserit sacrosanctam Eucharistiam sumptura. Miri in ea Eucharistiæ effectus.

Cap. 43. Si quid arduum & insigne Dominus per eam conficere vellet, & ipsa præ multa animi humilitate non auderet assentiri, timens ne præclarè propterea de ea homines sentirent, putarentque in ea aliquid latere virtutis & gratiæ, Dominus per hoc præstantissimum sacramentum compellebat eam facere vel inuitam. Neque enim priùs degluti-

Res admiratione digna

repo-

re potuit sacram hostiam, quàm diuinæ inspirationi parêret. Ea res nonnunquàm eò adegit illam, vt cùm assentire formidaret, nec tamen sacram hostiam deglutire possèt, consilij capiendi causa suum adiret confessarium. Illo verò consulente, vt Domino suam permitteret voluntatem, & illa id faciente, confestim hostia se degluciendam permisit. Voluit quandoquè solenni quodam die sacrosanctam Eucharistiam cum magna deuotione percipere. Itaque dixit confessario, vt pro ipsa hostiam consecraret. At ille vel non intelligens, vel non satis aduertens, quid diceret, non fecit sic. Etsi autem dubitaret de eius voluntate, non tamen fuit ausus accedere eam, ne fortè eius sanctas preces interturbaret. Cùm igitur ventum est ad horam sumendæ Eucharistiæ, sensit confessarius eam more suo in fletus & gemitus erumpere, vt solebat cõmunicatura. Quamobrem non parùm admirans, cùm se sciret non consecrâsse pro ea hostiam, sentiebat magno id mysterio non vacare. Postcà absolutis precibus percunctatus est ex ea, quid sibi vellent lachrymæ & suspiria, quæ ipse audijsset. Respondit illa humiliter, Dominum Iesum suis manibus ipsi preciosissimum corpus suum obtulisse. Christus præbet ei corpus suũ.

Quandoquidem vitæ asperitas & carnis mortificatio, corpus purum & castum conseruat, Coleta ab ipsa prima iuuentute vsque ad supremum vitæ tempus corpus suum cum Apostolo studuit in seruitutem spiritûs redigere: illudque valdè duriter & asperè habuit, continuis illud ieiunijs macerans, à pueritia ipsa semper abstinens à carnibus, nec ob quanlibet aduersam valetudinem ieiunium soluens, aut largius alimentum sibi impertiens. In tenera ætate scholas adiens, aut nunquam aut raro ante vesperam domum redijt, nè cogeretur suum frangere ieiunium. Si quis in oppido, quo orta est, de eius parco victu perquirere velit, angelicam planè vitam eam duxisse comperiet. Stupeo ego ipse ad id, quod dicturus sum. Constat eam exemplo Saluatoris quadraginta diebus & noctibus continuis ieiunam permansisse. Crebrò sanctam Quadragesimam solo pane & aqua exegit, licèt id corpus eius valdè debilitaret. Si interdum aliquid parùm vini aquæ admisceret, id tam exiguum fuit, vt potiùs in aquã verteretur. Quandò Deo disponente grauis aliquis cruciatus perferendus ei erat, id quod frequens fuit, eo durante, nihil prorsùs esculentum vel poculentum sumebat. nulla enim res creata eius tum palatum afficiebat. Quòd si pro natura sustentanda aliquid sumere cogeretur, auiculę potiùs quàm hominis alimoniam dixisses. Aliquotiès nihil ipsa edens & bibens, ea re sustentabatur, quòd alios coram se edere cerneret. Liberata autem ab eiusmodi cruciatu, non nisi frustum panis petebat, qui essèt colore medio inter album & atrum, quo tam suauiter vescebatur prandens, vt delectationem afferret intuentibus: perspicuumque fiebat nunquàm tam benè sapuisse filijs Israël manna, vt illi panem hunc, quem diximus. solebatque tunc comiter & facetè dicere, respuendas esse carnes & pisces grandes, aliaque id genus esculenta, quippe qui pani puritate comparari non possent. At tamen pisciculorum aspectu delectabatur. Cap. 44. 1 Cor. 9. Eius ieiunia. Ieiunat 40. dies perpetuos.

Cùm aliquandò à Palmarum die vsq; ad Cœnam Domini ab omni cibo abstinuisset, itemq; à Cœna illa vsq; ad Pascha, ipso die Paschæ venit ad eam gallina, diuinitùs, vt piè creditur, missa, posuitq; iuxta eam ouum exigium, vndè ea tam opiparè & abundè refecta fuit, vt triduo toto posteà nihil comederit. Quanuis autem in seipsam tam esser rigida & parca, at tamen erga alios fuit perhumana & liberalis, ex animo cupiens & volens, vt sorores, & fratres illis inseruientes haberent victum qui sufficeret, exclusa tamen superfluitate, nè sanctæ paupertati iniuria fieret. nec vnquàm de diuina benignitate diffidendum sibi putauit, quin ea res necessarias illis suppeditaret, modò fideliter soluerent vota sua. In multis vrbibus & insignioribus pagis, vbi erant monasteria eius, quidam propter Deum & contemplatione reuerendæ præsentiæ eius mittebant illi speciatìm panem & vinum, vel alias delicatiores escas: sed ex ijs nihil vnquam gustare voluit, mittens ea statìm ægrotis, aut indigis, aut certè in commune omnibus distribuens. Quòd si nimirùm mala valetudo cogeret aliquid eam indè sumere, essetque id tam exiguum, vt alijs impertire non posset, id mœrens & lachrymabunda planèque inuita sumebat. Vtplurimùm enim esculenta omnia ipsi oblata tam largiter & copiosè fratribus & sororibus distribuebat, vt euidenter in eius manibus augeri viderentur, paucaque ab alijs ei data, & ab ipsa rursùs distributa, multis abundè sufficerent. Fratribus monasterijs inseruientibus, si vel ex deuotione ipsam inuiserent, vel à petendis eleemosynis aut aliundè redirent, atque etiam alijs ad ipsam diuertentibus, qui vel alimentis, vel consolatione indigere viderentur, humanissimè cibum & potum afferebat. Si verò comperisset quempiam indigum & egenum, nec haberet, vndè ei opitularetur, Cap. 45. Sibi parca, alijs benigna. Miracula non vulgaria.

dolebat sanè, optabatque sibi præberi facultatem illum iuuandi. Id cernens præpotens Deus, non raro permouebat alicuius pij hominis animum, vt Coletæ eleemosynam præstaret. Indè verò ipsa dabat indigenti. Erat quandoque in monasterio, ea regione sito, vbi annonæ magna fuit charitas, vixque ea obtineri poterat. Affligebatur ea re populus miserandum in modum: & Coleta quoque tam pro suis, quàm pro alijs non mediocriter angebatur. Et ecce ab inexpectato oblatus est ei saccus elegans, purissimo frumento plenus. Id ergò secretò in pauperes erogandum curauit, ità vt multorum inopiam eo releuaret. Durauit autem frumentum diutiùs, quàm quisquam sperâsset.

Nota miraculum.

Cap. 46. Ex illis autem rebus, quæ sic diuinitùs ei transmittebantur, nihil penitùs sibi retinuit: sed pauperibus & egenis eas elargiens, si quid superesset, in vsus inopum seruabat: sæpiusque re ipsa compertum est, etiamsi in pauperes collatæ essent, tamen sine diminutione diù eas perdurâsse. Data ei aliquandò fuit propter Deum ouorum certa portio, idque ea in regióne, vbi eorum rara erat copia. Ea libenter accipiens, in arca condidit, impertijtque libens omnibus petentibus, tum sanis, tum ægrotis, nec tamen numerus eorum imminuebatur. Et illa quidem id persensit, sed apud se tacitum habuit. Vinum quoque ei plerunquè datum, diù asseruabat pauperibus distribuendum: sed etiam longo tempore distributum, nihil neq; de quantitate, neque de gustu & bonitate amisisse videbatur. Duobus fratribus, ob negocia religionis conficienda proficiscentibus tempore incommodo & periculoso itinere, aliquid vini dedit, quo in via vterentur. Ibant illi & redibant, & cum esset opportunum, bibebant in itinere ex illo vino sanè bono, nec quicquam tamen diminutū fuit. Ipsa quidem si in locis esset vini copia abundantibus, nihilo plus indè sumebat in vsus suos, & id, quod sumebat, vsqueadeò diluebat aqua, vt in eam mutatum videri posset: Si autem ibi versaretur, vbi vini esset penuria, nihil prorsus vini bibere voluit, nisi cogeret morbus: maximè autem aquæ potu refrigerabatur, & quemadmodùm potatores dant operam internoscendis vinis, ità ipsa aquarum discernendarum erat benè perita: quanquàm & ab illis pro desiderio gustandis sæpè sese refrenabat. Si esset in locis, vbi crassiores erant aquæ, minusque puræ, in vitreis vasculis eas sanitatis causa ad ignem apponebat, vt bullirent. At impurus cacodæmon vitæ eius asperitatem, & fructum quem afferebat, ferre non sustinens, cùm illa quandoquè acerrima cruciaretur siti, & aqua eius ad ignem bulliret in vitro, arrepto baculo, percussit vitrum, & in centum atque eo ampliùs frusta comminuit. Id verò illa tulit patientissimè, laudans Deum. euenit autem indè res admiratione digna. Collegit enim illa fragmenta vitri, & sublatis in cælum oculis, Deum orans, mox vidit illud sanum & integrum, vt antè fuerat. Bis quidem ità fractum fuit à satana vitrum, & bis Coletæ precibus redintegratum.

Illustre miraculum.

Item aliud.

Inuidus dæmon effundit aquam eius.

Magnum miraculum.

Cap. 47. Quædam ex eius sanctimonialibus, cùm aliquandò iussa esset allatum in eius vsus aquam, secum tulit codicem, quo Coleta vti solebat. Is verò imprudente illa lapsus in aquam, vsqueadeò corruptus & madefactus est, vt prorsùs inutilis putaretur. Doluit igitur non mediocriter soror illa, & quid ageret, prorsus animi dubia erat. Tandem abijcit se ad pedes matris Coletæ, dicit quid acciderit, ostendit codicem madefactum. At illa videns eam tam miserè dolentem, pio affectu consolatur eam, Noli, inquiens, timere filia. non enim perditus est codex. moxque eum accepit in manus suas prorsùs inutilem: sed simulatquè tetigit eum, totus siccus, pulcher, & illæsus apparuit, à latere duntaxàt quodam remanente vestigio, in tanti miraculi memoriam. Quidam etiam frater necessariam Coletæ aliquandò aquam attulit, sed fenestra, per quam vas aquarium fictile intromitti oportuit, breuior erat, quàm vt posset illud recipere. Mira res. postquàm admotum fuit vas fenestræ, ad eam quantitatem subitò redactum est, vt haud difficulter per fenestram inferretur.

Aliud miraculum.

Item aliud.

Cap. 48. Nihil quidem in hac vita Deo gratius esse potest, & homini conducibilius, quàm pro eius amore libenter pati dolores & cruciatus. Ea enim re verè eius amicis vel maximè fit conformis & consimilis. Certè ipse Dominus Iesus Christus tota vita sua graues & labores & dolores nostrî amore perpeti voluit. Itaque & Coleta virgo ad eius similitudinem pro suo modulo hac in parte accedere diligenter studuit. Nàm quoàd vixit, perpetuis affecta fuit doloribus & cruciamentis, alijs post alia succedentibus, & sæpenumerò duplicatis, quæ tamen omnia tulit patientissimè. Inter alia magnam ei molestiam afferebat inflatio quædam continua,

Afflictionū vtilitas.

Coletæ perpetuæ cruces.

tinua, sine intermissione modò crescens, modò se remittens, quam tamen suauiter tolerabat. Præter hanc multis alijs affligebatur modis, interdùm in solo corpore, nonnunquàm in anima: plerunque in vtroque, idque sanè grauissimè. Morbos, ex naturali aliqua causa existentes, placidè ferebat: qui vero præter naturæ ordinem diuinitùs ei infligebantur, eos necessariò perpeti oportebat, nec potuit illis pro suo arbitrio absolui. Ad inflationem illam, quam diximus, aliæ pene continuæ vexationes & infirmitates se adiungebant, quibus interdùm tam miserè discruciabatur, vt octo dierum spatio vix vna hora integra respirare posset: quodque miserabile & commiseratione dignum est, cùm soleant alij tum sani, tum ægroti in lectulis suis captare requiem & leuamentum, illa potiùs & deteriùs vexabatur. Nam etsi ob labores diurnos cuperet nonnunquàm dare se nocturnæ quieti, & corpusculum in lecto reponere, at nunquàm tamen requie illic potiri potuit: immò vero mox vt eò se recepit, nouis & laboribus & angoribus cruciabatur, idque nocte tota, & interdùm ad meridiem vsque. Neque eiusmodi angustijs premebatur semel atque iterùm per hebdomadam, sed cunctis noctibus. Porrò diebus Dominicis & festis & in magnis solẽnitatibus, quibus alij omnes cessant à laboribus, longè acrioribus illa torquebatur pœnis, quàm diebus alijs: quantoq; erãt celebriores dies, tanto cruciatus erant acerbiores. inchoabantur autem vtplurimùm à primis vesperis vsque post Completorium, vt vocant, sequentis diei: In præcipuis autem solennitatibus à meridie diei præcedentis sumebant initium, & durabant vsque ad illarum finem. Cùm autem visum fuit Domino his etiam alias addere molestias, longè infestiores ijs, quæ necessariò ferendæ illi erant, si quis superueniret, cui nõ posset suam negare præsentiam, mox vt statuit ei loqui, cessabant dolores illi, nec sentiebat quicquam, quantisper illic hærebat: sed simulatque ille recessit, mirabiliter dolores eius intendebantur & angebantur pro ratione temporis, quo cessarant illo præsente. Tum vero vsqueadeò cruciabatur, vt sæpissimè ex ore sanguinem vomeret. Signum autem euidens est, pœnas has & molestias non naturales fuisse, sed diuinitùs ei irrogatas, quòd & subitò acciderent, & repentè desinerent, nullo prorsus earum vestigio remanente, acsi nihil omninò passa esset. Itaque aliquandò dicebat: Nescio me quicquã sensisse mali: cum paulò ante præ doloris vehementia omninò incuruata fuisset, & lingua penitùs perforata.

In lectulo suo vel maximè cruciata fuit.

Item diebus solennibus.

Mira sunt hæc.

Caput quidem eius, durantibus his pœnis, simile ollæ feruenti videbatur: illis abeuntibus, confestim redibat in pristinum statum cum lingua & membris cæteris. Fuitque id admirabile: si calore cruciaretur, nulla re frigida eum potuisse extingui: si frigore, nullis mundi huius caloribus potuisse depelli. Et vt multa paucis complectar, potest id de illa affirmari, salua tamen omnium pace, si quis in hac vita tolerandis pœnis horribilibus, immanibusque cruciamentis verus Christi imitator fuit, eique conformis, eam talem fuisse. Vt enim cognoui è viris fide dignis, & eiusmodi rerum peritis, cuncta sanctorum martyrum tormenta, sanè horrenda, ipsa in se experta est vel simul, vel successiuè: quorum acerbitatẽ augebat temporis diuturnitas. Alij enim martyres vix vltra decem, aut viginti, vel triginta & quadraginta dies cruciati fuêre: Coleta vero annis ampliùs quinquaginta tam dirè perpessa est. Nec vlla labebatur hebdomada, qua non vnum vel duo martyrum supplicia re vera experiretur. Interdùm enim vrebatur igne cum beato Laurentio: non quòd ibi vlla adesset ignis substantia, sed Deo id mirabiliter agente, ignis vis & efficacia. atque id genus cruciamenti plerunquè tota nocte durabat. Interdùm torquebatur instar sancti Vincentij, nonnunquàm cruci affigebatur & excoriabatur: aliquotiès minutatim conterebatur; aliquandò in bullienti aqua cruciabatur. Plerunquè videbatur ei cor eius aperiri, & sale conspersum occludi. Interdùm re ipsa sentiebat sub corpore suo titionem ardentem, totum corpus inflammantem: aliàs oculorum radicibus admotum carbonem ignitum, illos penitùs consumentem: aliàs per membra omnia ferra acutissima adigi, eisque totam se configi. Hæc autem & id genus alia dira & immania non ei extrinsecùs à persecutore inferebantur, sed Deo intùs dispensante: quibus nonnunquam atrociùs affligebatur, quàm sancti martyres, quòd nullum sentiret leuamen aut refrigerium, quo illi vel à Deo vel ab Angelis afficiebantur: eo tamen dempto, quòd cùm sorores, quæ ei familiariter adesse solebant, noctù captandæ quietis causa, pœnis cessantibus, ab ea recederent, Angeli sancti blanditer eam inuisebãt, officiosissimè illi inseruientes, tanquàm summi regis ancillæ vel sponsæ. Præter hæc vero etiam in singulis membris peculiares sentiebat afflictiones, maximè

Cap. 49.

Admiranda etiam hæc.

Deus eam egregiè exercet varijs pœnis.

Angeli eam visitant.

in oculis, quibus præcipuè solebat remedia opportuna adhibere, vt posset videre preciosissimum Christi corpus in Eucharistia,& ex libris diuina officia deuotiùs persoluere. Nec tamen deerant oculis suæ molestiæ & vexationes perpetuæ. Aliquandò visitante ea quoddam monasterium suum, adeò lingua in guttur medium depressa fuit, vt nec loqui, nec orare vocaliter, immò vix respirare posset. Occurrit tum ei quædam iuuencula speciosissima & humanissima, hilariter eam salutans,& tandem etiam amplexibus stringens & deosculans. Indè lingua rediit in locum suum, & mox virgo illa euanuit. Testabatur autem Coletæ confessarius Henricus de Balma, fuisse illam beatissimam Christi matrem Mariam.

S. Maria ei apparet.

Cap. 50.

Fuit quidem Coleta rerum mundanarum parùm perita, sed sagax valdè & admodùm prudens & gnara cælestium ac diuinorum. Propè nulla ei inerat doctrina humanitùs acquisita, sed abundabat scientia diuinitùs infusa, quæ est præcellens Dei gratia, qua freta clarissimè cognoscebat & præterita,& præsentia, licèt occulta, itemque futura. Quod vt certiùs eluceat, exemplis declarabimus. Fuit quidam insignis sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, professione Franciscanus. Is ab exordio reformationis, cuius sæpè meminimus, multùm Coletæ deditus fuit. Accidit autem, vt in letalem incideret morbum. Visitabat tum quædam monasteria sua Coleta, & cùm in spiritu didicisset Doctorem hunc non solùm corpore, sed etiam animo periculosissimè laborare, vt in tanto discrimine ei succurreret, accessit monasterium, in quo ille decubuit, inuenitque illum iam animam agentem,& vt ipse posteà retulit, rectà euntem in tartarum. Itaque proprio eum compellans nomine, signo Crucis humiliter & reuerenter edito, ait: Esto bono animo,& firmiter spera in Dei infinita bonitate. adiunctisque breuibus quibusdam exhortationibus, statim recessit. Aeger autem ille attentè percepit quid diceret, eamque probè cognouit, & multùm confirmatus, breuì surrexit sanus & incolumis corpore. Deindè contulit se ad Coletam, obtulitque se seruiturum ei toto vitæ suæ spatio, quam per illam se fatebatur retinere. Libenter illa annuit, non quòd vllum eius expeteret seruitium, sed vt eius animæ consuleret, cuius salutem ardenter desiderabat, quaque ille non mediocriter indigebat. Comiter igitur hortabatur eum, vt omnia peccata sua integrè cōfiteretur, nec celaret quicquam: idoneumque ei confessarium designauit. Cui ille vtcunquè confitens, vel obliuione, vel verecundia peccata quædam grauiora reticuit. Tandem reuertens ad Coletam, ait se plenè confessum. Illa verò id pernegans, multa ei grandia commemorauit peccata, ab illo perpetrata quidem, sed non dicta in confessione. Stupebat ille, sentiens non nisi vera ab illa dici, quæ tamen mortalium nullus sciret. Redit ad confessarium, denuò confitetur: facta confessione, rursùs se ad Coletam confert, asserens se iam omnia edixisse. Illa negat, iterumque quædam enormia facinora ei enumerat, quæ needùm esset confessus. Atque sic tertiò ab illa remissus est ad confessarium, donèc integrè omnia explicaret. Quamobrem palàm ille deincèps testabatur, se per eam & corporis & animæ vita potiri: multumque eius erga illam amor auctus est, adeoque eam verebatur, vt nihil neque cogitaret, neque diceret, neque faceret, quin illam semper omnia coràm intueri existimaret.

Insigne edit miraculum.

Nouit occulta hominū peccata.

Cap. 51.

Venerunt quandoquè ad Coletam duo præpotentes principes, pia erga illam animi affectione ducti. Quibus illa post multas salutares institutiones, à Confessario suo quasdam scripturas memorabiles curauit prælegendas. Sed alter eorum eas non attendens, voluebat animo turpes cogitationes, nihil interìm foris quouis modo indicans, vndè id posset animaduerti. Cumque iam etiam ijs perniciosissimè delectari inciperet, Coleta id sentiens spiritu, vertit se ad illum, clamorem edens vehementissimum & vocem admirandam contra illum. Isque clamor adeò penetrauit cor illius, vt & tum videretur & etiamnùm videatur ei, perspicue nôsse & intueri Coletam cordis sui cogitationes turpes: quas etiam ilicò à se reiecit, & animum aduertit ad sacra verba, quæ illic recitabantur.

Cap. 52.

Quidam etiam Episcopus, vir prudens & spectabilis, in vrbe sua inuisit Coletam, ibi tum manentem, cum illa conferens de multis rebus bonis, ad Dei honorem & animarum salutem pertinentibus. At illa de duobus eum admonuit: Primò caueret sibi, nè propter dignitates terrenas æterna se dignitate & honore priuaret. Cognouerat enim, Domino eam docente, Episcopum illum non contentū honore suo, sed ad maiorē adspirare. Secundò, vt cogitaret vitæ huius breuitatē, studeretq; semper esse paratus, quandocunquè Domino visum esset eū ex hac vita euocare. His Episcopus auditis, valdè

Episcopum quendā sapienter admonet.

valdè mirabatur. Clàm enim dabat operam, vt posset effici Cardinalis, nemine id sciēte. At tamen paulò pòst Romam profectus est, vt posset voto potiri suo: breui autem, vt Coleta præuiderat, è vita decessit.

Cap. 53. Marchio princeps nobilissimus, singulari studio & amore prosequens Coletam, misit quandoquè ad inuisendum eam sacerdotem suum Ioannem de Molis. Is tandèm recessurus, præmonitus est ab ea, vt purè & fideliter confiteretur peccata sua, propter pericula paulò pòst ipsi euentura. Fecit ille sic, & cùm post dies paucos ad vrbem Antissiodorensem ferè peruenisset, obuios habuit scelestos quosdam & crudeles viros, qui eius latus lancea confoderunt, caput sauciârunt, multasque ei plagas imposuerunt. Perductus indè est in eam vrbem, sed nullus ex chirurgis ausus fuit manum admouere curandis eius vulneribus, quòd omnes putarent fieri non posse vt vnquàm sanaretur. Tum ille adeò se destitutum videns, precibus Coletę virginis humiliter se commendauit. Deindè constanter & securè dixit chirurgis, vt absque vlla hæsitatione apponerent manus suas. Quod cùm illi fecissent, intra quadraginta dies meritis Coletæ integrè curatus est.

Sacerdoti prædicit pericula impendentia.

Cap. 54. Visontij ciuis nobilis fuit, Ioannes à Colonia, mercator celebris, Deum feruenter amans. Putabat is se valentem viribus, & in magna victurum prosperitate. Accersitus autem à Coleta, audiuit vitæ finem sibi propediem impendére: itaque debere se componere res suas, & Domino venienti conscientiam mundam exhibere. Assensit ille prompto animo, nec quicquam omninò procrastinans, fecit vt erat admonitus. moxque correptus morbo, morte sua docuit vera prædixisse Coletam. Alius quidam in Burgundia fuit vir nobilis, potens & eruditus, iustitia quoquè conspicuus. Ei & cognatis eius notæ erant res gestæ Coletæ, eamque non mediocriter amabat cum suis, & permultùm fidebat ei in rebus & negocijs suis, multisque eam beneficijs afficiebat. Existimante autem illo quoquè se firma esse valetudine, & simul tamen de animæ suæ salute cogitante, Coleta tum in longinquis agens regionibus, Domino reuelâte didicit eum non diu superuicturum, & in eius conscientia latere quædam, animæ illius periculosa impedimenta allatura. Misit igitur ad illum quosdam sui instituti fratres, qui ei secretò hæc impedimenta indicarent. Quibus ille fidem adhibens, ea diligenter amouit, sanoque munitus Coletæ consilio, diem clausit extremum. Ciuis quædam Cabilonensis haud vulgaris, Coletæ nota familiariter, præ deuotione se contulit ad eam visendam in monasterio Poliniacensi. Illa verò sciens propinquum esse vitæ eius terminum, admonuit eam, vt sua peccata integrè confiteretur. Fecit sic, & indè ab ea recedēs, commēdauit se obnixè precibus eius tam viuam, quàm vita functam. Reuersa Cabilonem, incidit in morbum, & Christo spiritum reddidit.

Mercatori prædicit inopinatam mortē eius.

Cap. 55. Facilè autem nouit Coleta ea, quæ absente ipsa fiebant, perindè vt quæ ipsa pręsente, maximè si ea scire cuperet. Quidam ex fratribus eius Franciscanis ob quædam expedienda negocia Romam profectus fuit, vbi clàm egit nonnulla, quæ non nisi Deo & sibi nota existimabat: interìm tamen putans se benè facere. At vbi redijt in conspectum Coletæ, ait ad eum: Quamobrem isthuc ea ratione fecisti? Ille rubore suffusus, certissimè didicit, nihil eam posse celari. Si quid autem de administratione monasteriorum suorum voluisset habere comperti, tam facilè nouerat quæ agerentur in ijs, quæ essent procul sita, quàm in quibus ipsa coràm aderat. Significabat autem illis secretò admissas culpas, vt remedium adhiberetur. Itaque, quod admirabile est, nihil vnquàm in ijs monasterijs indecens accidere potuisset, quin ipsa aliquid præsciret, tametsi non speciatim semper nósset, quid vel vbi accideret. Indè verò magnus eius animo accedebat dolor: postquàm autem iam factum erat, dolor ille leniebatur. Multi ad eam crebrò aduentârunt tam sublimis quàm abiectæ conditionis & status, tum pro deuotione, tum ob reportanda salutaria consilia, vel ob adhortationes egregias accipiendas, de quibus omnibus, maximè qui profectûs sui causa veniebant, vtplurimùm ea præsciebat, antequàm ipsius intrarent oratorium, quinam essent, quid vellent, quid responsi dandum illis foret. Quamobrem confessarij eius & fratres, planè compertum habentes, quanta esset diuinitùs ei collata rerum occultarum cognitio, vsqueadeò eam verebantur, vbicunquè essent, etiam in locis remotissimis, acsi coràm ei assisterent. Si quid enim admitterent reprehensione dignum, postquàm ad eam reuertissent, comiter & placidè id eis obijciebat.

Fratri indicat, quid absens fecisset

Multi eam inuisunt salutis suæ causa.

Cap. 56. Sorores occulto quodam animi mœrore vel afflictione laborantes, crebrò ad se vocabat, blanditer exponebat causam mœroris vel afflictionis, earumque animos erigebat.

gebat. Non potuit igitur ambiguum esse apud illas, Coletam matrem certò nôsse arcanas ipsarum cogitationes. Nouitia quædam aliquandò tentata fuit à teterrimo satana, vt exiret è monasterio, nec id tamen cuiquam aperire ausa erat. Eam Coleta acciuit ad se, dixit ei quid cogitâsset: illa verò mox agnouit culpam suam, magnaque animi concepta deuotione, statuit planè professionem facere. Alia quædam soror, cum Coleta in eodem degens monasterio, adeò premebatur quodam conscientiæ pondere, vt in desperationem ruitura videretur. Sensit id Coleta in spiritu, vocatamque ad se tam suauiter & amanter allocuta est, tamque apertè & perspicuè ei demonstrauit periculum tentationis suæ, adeoque eius animum aduersùs eam tentationem confirmauit, vt nunquàm deincèps eam perpessa sit. Excitauit quandoquè malus dæmon inter duas sanctimoniales discordiam quandam, quam tamen neutra prodebat foris. Eas singulatim Coleta ad se venire iussit, & tam egregiè exhortata est, vt omni posita simultate, integrè sibi conciliarentur, & reipsa perciperent, Coletam non ignorâsse, quid animo versâssent. Indè verò non parùm perterritæ, eam deincèps valdè timuerunt. Soror quædam, Coleta in templo cum alijs diuinum officium peragente, vagis occupabatur cogitationibus. Aduertit hoc in spiritu Coleta, mandauit ei per aliam quandam, vt cessaret, donèc essent preces absolutæ. Illa ad se rediens, statuit nullo pacto eiusmodi cogitationibus assentiri. Alia quædam soror itidèm sub diuino officio, manu librum tenens, res vanas & perniciosas animo voluebat. Id clarè intelligens Coleta, sæpè innuebat ei, vt eas à se repelleret. Sed cùm non aduerteret, abstulit ei librum non sine asperitate quadam. Sentiens illa Coletæ patere cogitationes suas, transtulit se ad cogitanda diuina. Mox Coleta humaniter ad eam se conuertens, subridensque librum ei restituit.

Nouitiam corrigit, abitum meditantem.

In concordiam redigit duas sorores.

Nouit cogitationes hominum.

Cap. 57. Interdùm quidam è Clero, doctoresque Theologi, & alij mũdi huius sapientes difficiles ei de rebus subtilibus proponebant quæstiones. Etsi autem studio humilitatis inuita admodùm responderet, quandò tamen in spiritu sentiebat absque curiositatis vitio id fieri, tam profundè respondebat, tamque dilucidè explanabat, vt omnes admirarentur, multumque indè ædificati, dicerent secreta diuina diuinitùs ei reuelari. Ea tempestate, qua in Gallijs cruentissimum inter duas partes imminebat prælium, Coleta præuidit non solùm humanum sanguinem crudeliter fusum iri, sed etiam multas animas miserè perituras. Multo igitur animi cõcepto dolore, cum profusis lachrymis contulit se ad deprecandum Dominum, scripsitque literas ad vtriusque factionis capita, hortabaturque nè prælium committerent: misit etiam ad eos quosdam è fratribus suis, per eos significans corporum & animorum certam perniciem, ex eo conflictu secuturam, effecitque vt vtrinquè discederetur ab armis. Cognouit etiam quandoquè futurum quoddam perniciosum incendium in pago quodam, in quo erat Clarissarum monasterium. Itaque mandauit illis, vt diligentem adhiberent operam rebus suis ab igni seruandis. Mox erupit exitiosum illud incendium, adeoque propè ad monasterium illud accessit, vt sorores valdè sibi metuerent: quę tamen Coletę meritis seruatæ sunt.

Sopit cruẽtum præliũ.

Cap. 58. Præpotens quidam dominus piè afficiebatur erga Coletam, cupiebatque ei condere monasterium in ditione sua. Ea causa misit ad eam quendam e Clero, qui indicaret ei votum ipsius, & eius assensum expeteret. Assensit illa, sed postridiè præuidit magnam illi pago, in qua construendum erat monasterium, cladem imminere. Rogauit ergò dominum illum per nuncios, vt aliquandiù eam monasterij structuram differret. Non diù pòst tota illa regio hominibus armatis plena fuit, à quibus innumera fuère mala perpetrata, atque etiã pagus, in quo monasterium dominus ille extruere voluit, penitùs destructus. Cùm primùm conditum fuit monasterium Poliniacense, nouitia quædam illic letaliter decumbebat. Iussit autem Coleta, vt quædam ex sororibus sedula ei adesset, nè sola moreretur, ipsamque accersiret, cùm cerneret morituram. volebat enim omninò adesse migranti è vita. Accidit autem, vt soror illa vel fessa labore, vel ex quadam negligentia somno opprimeretur, atque interìm nouitia efflaret animam. Quæ res vehementer afflixit Coletam, quòd non adfuisset decedenti. Obiurgauit igitur sororem illam, quòd id ei non indicâsset, aitque illi: Quãdoquidem ausa es negligere præceptum meum, noueris te breuì nulla præsente morituram. Vix parum intercessit tẽporis, cùm illa in grauissimũ morbũ incidens, sex horis loqui non potuit, nec spes erat deincèps locuturã, cùm tamen nõ esset ecclesiasticis munita sacramẽtis. Eam autẽ more suo inuisit Coleta, vicemque eius dolens, obnixè rogabat Dominum, vt resti-

Prædicit moniali mortem.

vt restitueret ei loquendi facultatem, quô posset sacramenta percipere. Postquàm illa suas absoluit preces, soror muta ilicò loqui cœpit, & diligenter confessa peccata sua, omnibus est munita sacramentis, sed tamen obijt sola, nulla præsente sorore.

Cùm esset aliquandò in monasterio Viuiacensi, reuelatus ei fuit obitus propediem adfuturus cuiusdam nobilis & piæ matronæ, in pago Poliniacensi commorantis: Dicebatur ea Ioanna de Vannato, eratque benè sospes, & multa fruens prosperitate. Nunciauit ergò ei Coleta, se quidem eius visendæ teneri desiderio, sed tamen non visuram se ipsam, nec ei locuturam in hac vita. Post paululum illa cœpit vexari mala valetudine, & vita functa est. Quidam religiosus presbyter Franciscanus ob monastica curanda negocia peregrè profectus fuit, cogebaturque ire per loca peste non mediocriter infecta. Correptus igitur peste, priùs obrutus fuit morte, quàm posset congruè sacrosanctam Eucharistiam sumere. Id Coletam, licèt procul agentem, non latuit, statuitque in tanta necessitate fratri illi succurrere. Antè igitur, quàm ille exhalaret spiritum, ipsa accito confessario, peccata sua confessa est, & pro illo decedente percepit sanctissimum altaris sacramentum, nè absque eius munimine tam arctum ingrederetur iter, in quo illi periculosas insidias tetri dæmones tendebant: quod gratia Dei & meritis ancillæ eius morienti non parùm contulisse videtur. Quidam alius sacerdos Franciscanus, qui cùm primùm professus esset vitam monasticam, vtilem sanè operam Coletæ monasterijs peramanter impenderat, tandèm hortante dracone tartareo, non impetrata copia discessit, & in longinquam abiens regionem, alijs religiosis se adiunxit. Sed parùm illic proficiens, mortifera ægritudine laborare cœpit. Diuinitùs id cognoscens Coleta, licèt ab eo longè semota, totis viribus orauit Dominum, vt illius miserrimæ animæ ferret opem. Mox ille tantam concepit cordis contritionem & dolorem ob admissa peccata sua, maximè quòd à monasteriorum Coletæ seruitio se temerè subduxisset, vt spes sit illum reductum in viam salutis æternæ. Apparuit enim defunctus Coletæ matri, sicut solebant, qui ex eius erant familia.

Cap. 59. Reuelatur ei obitus cuiusdã matronæ. Absentis peregrè fratris mortẽ diuinitùs nouit.

Nobilis quædam & potens domina, multùm in ea erat cura & cogitatione, vt neptem suam homini locupleti & honorato collocaret: videbatur autem ei, quòd nimium animæ suæ salutem negligeret. Itaque dixit ei Coleta: Multa quidem solicitudine in id incumbis domina, vt generosa neptis tua iungatur viro: sed præstaret hanc solicitudinem adhibere te saluti tuæ. non enim videbis vnquàm eam marito copulatam. & id res ipsa comprobauit. mortua est enim ante nuptias neptis suæ. Sæpiùs quoque perspectum habuit Coleta, quo in statu è vita plerique tum religiosi, tum seculares abituri essent. Aderat quandoquè cuidam religiosæ morienti, sed mortis cruciatus valdè extimescenti. dixit autem ad eam: Abi fidenter ad Dominum, nec quicquam timeas. Dixit illa, & anima confestim exijt è corpore. Ait autem ad adstantes Coleta: Multa quidem patietur, sed tandèm nõ priuabitur vita sempiterna. Puella quædam cumprimis formosa, & optimè morata extrinsecùs, petijt à Coleta recipi in monasterium. Sed quòd secretò nôsset quædam in illa, noluit assentire. Rogante autem pro illa instantissimè patre puellæ, itemque Coletæ confessario & alijs, illa respondit: Vos quidem cogitis me admittere illam: sed tamen noueritis nunquàm eam ad professionem peruenturã. Fuit hoc verissimum. Primo enim exacto anno, ob diuini ignorationem officij, nec potuit nec debuit admitti. Altero anno tot ei occurrerunt infestissimæ tentationes, præsertìm de deserendo monastico instituto, vt quadam laborans amentia, diceret se nulla ratione posse illud profiteri. Eiecta igitur è monasterio, ad professionem admissa non est. Alia quædam nouitia, sub Missæ sacrificio dicebat preces suas prope Coletam, vt illa cogitaret piam & religiosam ipsam esse. Sacrificio peracto, Coleta acciuit nouitiæ illius magistram, aitque ei: Equidem putaui nouitiam hanc piam & Deo deuotam esse, sed nihil in ea deuotionis compeprio. Audiens id nouitia, multùm erubuit, sentiens non latere Coletam cogitationes suas. Alia soror magno tenebatur desiderio petendi imaginem quandam à Coleta. Itaque accessit eam, sed non fuit tamen ausa indicare ei votum suum. At Coleta non ignorans quid vellet, subridens ait illi: Vade, vade. Illa abeunte, statìm misit ei Coleta pulcherrimam imaginem, mandans vt eam mitteret matri suæ, quod illa summopere desiderabat. Eadem soror aliquandò magna animi desolatione afflicta, ità vt se putaret Deo prorsùs inuisam, nec vllo pacto posse saluam fieri: statuit

Cap. 60. Prophetia de morte nobilis matronæ. Alia eius prophetia. Nouit sororis cuiusdã occultũ desiderium.

adire

adire Coletam, & si illa placidum ipsi exhiberet vultum, existimare se non esse alienam à gratia Dei. Cumq; hæc animo agitaret, Coleta mater vocauit eam ad se, eamq; blandè & peramanter appellans, ait se nō minùs eam amare, quàm vllam cæterarum, quæ sint eius instituti. Denique commendauit eam monasterij Abbatissæ, præsente illa, asserens eam esse filiam suam inprimìs charam. Vndè illa magnam accepit consolationem, certoque sibi persuasit, Coletam perspicuè nôsse arcanas pectorum cogitationes.

Cap. 61. Impurissimorum dæmonum ea est malignitas, vt quanto magìs sentiunt quempiam appropinquare Deo, tanto eum acriùs infestent, & multis affligant modis. qui enim eis obsecundant, illis non magnam molestiam exhibent. Cernens igitur inuidus dæmon Coletam perfectissima charitate Deo coniunctissimam, modis omnibus conabatur impedire illam, & diuexare atque persequi toto vitæ eius spatio. Cùm enim in ipsa iuuentute statuisset Deum medullitùs amare, eique studiosè seruire, multis annis singulis noctibus, cùm inchoaret preces suas, quidam malignus satan ei se adiūgebat, & miras quasdam voces & quasi pias querimonias edens, conabatur eius interturbare preces. At licèt illa annis esset iuuenis, animo tamen iam perfecta erat, & fide prouecta. Adeò enim confidebat Domino, vt nihil externum reformidaret. Itaque dæmoni illi nec signo, nec verbo quicquam respondit. vndè miser victus tædio, se subduxit. Porrò vbi ad mediocrem peruenit ætatem, & iam monasticam sectabatur vitam, sæpè in eam incurrerunt dæmones, fustibus eam diù & atrociter cædentes, vt membra eius tenerrima & imbecilla prorsùs fracta viderentur, & atri liuores in eius corpore remanerent non breui tempore. Verberârunt eam aliquandò tam immaniter, vt tibiæ eius inflatæ, medio corpori crassitudine æquarentur.

Torquetur inuidia satan, semperque infestus est Coletæ.

Sæpè à dæmonibus cæditur.

Cap. 62. Voluit quandoquè Domino speciales quasdam preces feruenti spiritu offerre, & ecce adsunt frequentes dæmones, vulpina specie, eam impedire & crudeliter verberare conantes. Sed Dominus illi contulit vires, ità vt certaret & confligeret cum eis, victosque cum dedecore in fugam compelleret. Post eam pugnam sorores eam inuenerunt valdè delassatam. Cùm enim experirentur dæmones eius orationes multùm prodesse hominibus, Deoque gratissimas esse, inter se permulti conspirâsse videbantur, vt multis modis, fraudulentisque machinis quoàd possent eius sanctos & pios conatus retardarent ac impedirent. Nitebantur etiam ea causa metum & terrorem ei incutere, tametsi inanes eorum fuère machinationes, quandoquidem vbicunquè illa siue sola, siue cum alijs esset, semper forti & magno animo fuit, illos planè floccipendens. Induebant illi varias formas, easque terribiles, interdùm hominum prorsùs rubentium, nonnunquàm statuæ immanis & turpissimæ, cælum propè attingentis. Apparuit ei quandoquè satan in specie draconis horrendi, qui deindè recedens, in cœnobij muro gradiebatur. Molestus admodùm Coletæ erat aspectus serpentum, bufonum, aranearum & id genus venenatorum animantium: quod non ignorantes dæmones, eorum sibi figuras sumebant, eique apparebant. Initio reformationis, cuius sæpè mentio habita est, quæ in Visontiensi monasterio suscepta fuit, non rarò illa orante, locus in quo erat, plenus videbatur turpissimis bufonibus. Sed illa facilè deprehendens figmentum satanæ, ad Dominum confugiebat, & repentè cuncta illa ludibria euanescebant. Sæpè impuri dæmones in eius oratorium inferebant cadauera hominum in patibulis suspensorum: sed cogebantur licèt inuiti, iubente illa, reportare ea ad locum vndè abstulerant. Loquebatur aliquandò Coleta cuidam è sororibus, vltrà quàm dici queat eiusmodi dæmonum ludibria reformidanti, aitque ad eam: Si videres dæmones, valdè ne metueres tibi? Illa respondente, se non posse aspicere eos, quin animam efflaret: Coleta subiunxit: Et ego si vel vniuersos tartari dæmones conspicerem, prorsùs nihil timerem, certa nihil eos posse in vllam creaturam, nisi permittat Deus. Quibus verbis soror illa mirabiliter confirmata fuit.

Contemnit inanes dæmonum conatus.

Cap. 63. In eodem Visontiensi monasterio multifariè eam in extrema ætate persecuti sunt damnati illi spiritus. De beato patre nostro Francisco legimus, non libenter eum vidisse formicas, quòd contra paupertatem Euangelicam viuant de congesta sibi annona. Eandem ob causam earum aspectus etiam Coletæ parùm gratus erat. Itaque immundi dæmones in eas se transformantes, sæpè eam infestabant, ità vt crebrò vel in libros, vel in oratorium eius, res videlicet ei inprimìs charas, tanta copia confluerent, vt ampliùs centum millia adesse viderentur: quibus visis, illa mirum in modum

Formicæ cur S. Francisco & Coletæ parùm gratæ.

modum affligebatur, sed statim disparebāt. Vt autē eiusmodi exercitationes eius alios laterent, causam in loca, in quibus tum degebat, conferens, iussit ea mundari, auferriq; omnia, quæ possent eiusmodi animantia inuitare. Sed nihil proficiebat. mox enim vna apparente, plus quàm centum millia adesse videbantur, simulque omnes euanescebant. In quibusdam locis persequebantur eam dæmones in muscarum forma, quæ innumeræ inuolabant in oratorium eius, & incredibili eam afficiebant molestia tum pungendo eam, tum volitando celerrimè in libros & manus eius, & miris eam impediendo modis. Erat autem hoc ei permolestum, quòd cùm curâsset eas foràs expellendas, ilicò reuerterentur. Fuit quandoquè vna inter eas cæteris crassior & infestior, ingens ei tædium afferens oranti, adeoque eam perturbans, vt per se non auderet præcipere ei, vt abscederet: sed tamen virtute sanctæ obedientiæ iussit eam auolare. Et illa quidem fecit sic, sed contulit se ad vexandum confessarium eius. Is verò quamprimùm venit ad eam, quæ iam nouerat, quid ipsi accidisset. In Picardia apparebant ei dæmones vt limaces, ad eius oratorium & super cubiculum irrepentes: quantoque illa plùs eos repellebat, tanto augebantur magis. Cùm autem vellet flectere genua, quinque vel sex, vel plures etiam illic visebantur: tantoque crebriùs illi se visendos ingerebant, quanto ei molestior erat illorum aspectus. Dæmones in muscarū forma eam infestant.

Vix quisquam è sanctis reperiri possit, quantùm quidem illorum historiæ produnt, qui tam molestas dæmonum infestationes pertulerit, atquè ancilla Christi Coleta. Vndè colligi potest excellentissima vitæ eius sanctitas, & summa perfectio, maximè si attendas persecutiones omnes, à tetris spiritibus illatas veris amicis Dei, Deo permittente fieri: qui electos suos, quo sunt perfectiores, eo plerunquè sinit & crebriùs & acriùs tentari atque probari. In ijs autem, quas diximus, Coletæ persecutionibus illa fuit immanissima, quam septennio ante obitum suum pertulit. Cùm enim vellet siue ore, siue mente Deo preces fundere, mox aderat frequens dæmonum turba, varias præ se formas ferentium, putà, luporum, leopardorum, leonum, colubrorum, serpentium, bufonum: volitabantque instar muscarum in aëre: nec deerant etiam virorum & fœminarum figuræ, quæ cæteris turpiùs & atrociùs se gerebant. Erant inter eas paruæ quædam effigies vtriusque sexûs, sic satìs formosæ, capillo prolixo beneque composito. Porrò eæ tam diuersæ animantium formæ pariter se illi visendas ingerebant, nec vel parùm potuit attollere oculos, quin eas cerneret. Ex earum autem aspectu tantus eius animum inuasit dolor & angor, vt maiorem ferre non posset: adeoque ijs visis cruciabatur & desolabatur, vt intra decem aut duodecim horas ad se redire nequiret. Atque id sanè admiratione dignum est, quòd si, Deo dispensante, ab alijs eędem formæ visæ essent, nullum cuiquam afferebant dolorem vel terrorem, præterquàm Coletæ soli: nec videbantur tamen ab omnibus, quandò eas videbat Coleta, nisi quibus id à Domino præstabatur. Interìm tamen certò id sibi persuadebant, si absente Coleta eas viderent, se præ terrore & horrore, mentis inopes planeque rabiosos fore. Et complures quidem sui instituti homines illas viderunt, sed speciatìm soror quędam, Coletæ familiaris & à secretis, cui res eius notissimæ erant, non rarò eas conspexit, certissimeque cognouit intolerabilem animi dolorem, quo illis visis torquebatur Coleta. Itaque solebat se inter Coletam & illas interponere, interdùm etiam ramusculo eas abigere, nè molestiam Coletæ exhiberent: sed id illa haudquaquàm ausa fuisset, nisi adfuisset Coleta. Solebat interdùm Coleta eas horridas species quibusdam è suis confessarijs ostendere: sed illi neque timore, neque dolore indè afficiebantur, efficiente id proculdubiò Coletæ præsentia. Nam alioquì si illa absente eas vidissent, existimabant se in insaniæ periculum venturos fuisse. Eæ autem terribiles formæ in solis parietibus oratorij vel cubiculi Coletæ apparebant. Deindè ad ima loca se submittebant: ad extremum etiam ad vestes, ad librum, ad manus & ad alias corporis eius partes accedebant, ità vt etiam oculum, qui ei charissimus erat propter vocales preces & sacrosanctæ Eucharistiæ conspectum, dirè lacerarent, vt illa putaret se eo orbatum iri. Multas alias oranti illi molestias & vexationes attulerunt nequissimi dæmones, quas enarrare nimìs longum sit. Excitabant in eius oratorijs, ipsa attentissimè Dominum deprecante, magnos strepitus & tempestates, & crassis fustibus cædebant eam: nonnunquàm etiam in aëra eam sustollebant. Sed illa nequaquàm se patiebatur eiusmodi terroribus auocari à precibus suis: tametsi paucæ sorores ausæ erant manere tum apud illam, præter eam, cuius paulò antè meminimus, quæ eius meritis & precibus fidens, crebrò solebat eò accedere, visura quid illic gereretur: sed Cap.64. Grauissimè, dum orare vult, affligūt eam dæmones. Præsente Coleta, nihil dæmonū species terrent alios. Colligi hīc potest, quan cùm eius preces cruciarint dæmones.

nihil tamen reperiebat præter fustes, dæmonibus se subducentibus, & eos ibi relinquentibus.

Cap. 65. Omni quidem tempore misit omnipotens Deus quosdam, qui miseros peccatores ad ipsum reducerent. Sed hisce nostris diebus fœminam misit, sibi præcipuè charam, Coletam virginem, quæ illuminaret & perfectè dirigeret ambulantes in vitiorum tenebris & vmbra mortis, reuocaretque illos in viam mandatorum suorum, atque omnibus, cuiuscunque illi vel statûs vel conditionis sint, lumen & exemplum de se præberet totius perfectionis, sanctitatis, deuotionis, mortificationis & virtutum omnium. Et vt id præstaret efficaciùs, ornauit eam eximijs gratiæ suæ donis & vitæ excellenti sanctimonia, quibus olim speciales amicos & sanctos suos illustrârat. Vixit enim solitaria & in multa abstinentia cum priscis illis Eremitis, claram autem cognitionem cum Prophetis, paupertatem voluntariam aliasque eximias virtutes sectata est cum Apostolis, non ei defuit Martyrum tolerantia, non feruens Confessorum charitas, non Virginum nitida puritas. Quod ad solitariam vitam attinet, in ea colenda vix pauci antiqui patres ei possint comparari. Totis enim quinquaginta annis penè semper vixit inclusa. In singulis enim monasterijs suis singulas habuit cellulas valdè arctas, quæ carceres veriùs vel sepulcra dicerentur, cùm se vix posset intra illas erigere, aut aliò vertere: quemadmodùm in multis licet videre cœnobijs illius, maximè Viuiacensi, vbi Cellam habuit sex pedes longam, quatuor latam. Et illi quidem veteres eremitæ poterant expatiari per solitudines & relaxare animum post preces, labores & dolores, idque eos fecisse constat: at Coleta nunquàm de suo prodijt oratorio animi remittendi causâ, quantuncunquè horrendis esset affecta pœnis & doloribus: idque adeò, vt etiamsi non nisi passus vnus interesset inter oratorium & propinquum hortum, vel syluam, eò se conferre recusaret. Quandò autem cogebatur exire ad visitanda monasteria, aut alias ob causas, postquàm ad hospitia peruenit, in angustum se recipiebat angulum, pannis appensis conclusum, nec indè prodibat, donèc esset recedendum. Magna quoquè legimus sanctorum patrum ieiunia, prolixas vigilias, diuturnas preces. Sed Coleta cum Christo ieiunauit perpetuis quadraginta diebus & noctibus, nihil prorsùs cibi aut potûs accipiens: quod tamen humanæ infirmitati esset impossibile, nisi quòd apud Deum nihil est impossibile. De vigilijs eius constat, eam toto anno ex singulari Dei gratia omni prorsùs somno abstinuisse. De Iosue legimus, ad eius iussum stetisse solem spatio vnius diei: sed fortasſis non minùs admirandum est, ad preces Coletæ solem quandoquè præcipitâsse cursum suum, & ante tempus ortum esse. Sæpè illa vitam suam in mortis discrimen coniecit, & existimationem ignominiæ obiecit pro honore Dei & animarum salute. Cùm enim sæuissima in Gallijs bella feruerent, de quibus suprà dictum est, ità vt nemo ex oppidis aut castris egredi auderet, illa intrepida per vtriusque partis regiones proficiscebatur visitatum monasteria sua, cùm interim, malo instigante dæmone, ab vtraque parte suspicarentur eam stare ab hostibus suis: tametsi illa pro vtrisque multas lachrymas & innumeras Deo preces offerret, & in suis monasterijs offerendas curaret. Accidit autem, vt tum in pagum quendam veniret, ab alterius partis exercitu occupatum & benè munitum, in quo erat monasterium virginum suarum. Ilicò ortum ibi murmur fuit, eam fauere aduersarijs. Eam suspicionem periculosissimè auxit casus improuisus. Custos enim monasterij per errorem pulsauit campanam nocte inter nonam & decimam, cùm deberet media nocte pulsare. Id audientes excubitores, autumabant eo intempestiuo signo hostibus prodi pagum. Itaque inter se conspirant de trucidandis sororibus monasterij illius: iamque armati eò properant: sed eccè ob Coletæ matris merita res euenit sanè stupenda. Non solùm enim horologium ipsum monasterij primam horam clarissimè & gnomone & sono indicauit & expressit, cùm tamen deberet decimam, sed etiam noctis spatia contracta sunt, & sol ante tempus oriri visus est. Audientes autem milites primæ horæ signum, accurrunt ad monasterium, fatentur facinus animo conceptum, reprehendunt sese, aiunt se temerè malum suspicatas de sororibus Deo humiliter seruientibus, earumque precibus se munitiores esse, quàm suis vigilijs & armis.

Sanctorum omniũ virtutes vt in ea reluxerint. *Nota de ei⁹ cellulis.* *Eius ieiunia.* *Vigiliæ.* *Iosu. 10.* *Casus sanè periculosus.* *Illustre miraculum.*

Cap. 66. Quàm autem multa propheticè cognouerit Coleta, iam superiùs copiosè dictum est. Obitum Martini, eius nominis V. Pontificis Maximi, exactè prædixit, etiam mortis horam exprimens: schisma quoquè in Ecclesia futurum, finemque Concilij Basileensis longè antè pronunciauit. Suprà diximus eam multùm amâsse paruulos propter

pter puritatem & innocentiam, qua ipsa nitebat. Oblatus ei quandoquè fuit paruulus, ex nobilibus parentibus ortus. Illa autem præsentiens, si diù viueret, eum condemnatum iri, rogauit Dominum, vt breuì eum tolleret è medio. Reportatus puer domum, non diù pòst mala affectus valetudine, desijt esse in humanis. Ea res summo dolore affecit parentes eius, qui etiam ad monasterium venêre, perquirentes quid puero accidisset. Vt autem cognouerunt quid dixisset Coleta, suam voluntatem libenter diuinæ conformârunt. Vidua quædam nobilis & potens, paruulos habens filios, aliquot Coletæ monasteria fundârat. Eius verò totũ patrimonium vastabant prædones & raptores: neque illam formidantes, quòd esset mulier: neque filios, quòd essent paruuli. Petita autem à quodam in coniugem, statuit consentire: sed tamen voluit priùs consulere Coletam. Ea verò sic fertur ei respondisse: Fac quod tibi visum est, sed noueris tamen te ex nouo marito nullam habituram prolem. Nupsit illa, sed mors breuì consecuta, vetuit nè prolem relinqueret. Quædam ex sororibus eius angebatur ob confessionem peccatorum integrè faciendam. Eam Coleta iussit venire ad se, dixitque ei peramanter: Debes, filia, securè confiteri, nec dubitare quicquam: Deus enim misericors & benignus est. Dices autem hunc in modum peccata tua. Illa hoc audiens, erubuit, sentiens Coletam matrem nôsse cogitationes eius & peccata. Sedit aliquandò ad mensam Coleta cum multis alijs sororibus instituti sui. Adeò autem cælesti quadam meditatione sursùm rapiebatur, vt cogeretur à mẽsa surgere. Abijt autem ad oratorium suum, eam illic meditationem prosecutura. interìm dixit sorori, cum ipsa eunti: Quid tu diceres, si videres ad vnam mensam assidentes nouem Abbatissas? Reuelatum enim ei erat, nouem ex illis, quæ cum ipsa fuerant in mensa, Abbatissas posteà creatum iri: quod etiam factum est.

Confirmat sororẽ, sua peccata cõfiteri timẽtem.

Cap. 67. Apostolis quoquè vt in multis similis fuerit, satìs perspicuum est. Fuerunt illi à Deo electi & missi, vt mundum conuerterent: fuit & ipsa electa & missa, vt miseros peccatores reduceret ad Deum. Eius missionis potest hoc non obscurum videri argumentum, quòd concepta fuit à matre, quæ iam excesserat tempus vtplurimùm aptum proli concipiendæ. Apostoli quoquè in diuersas dispersi regiones, Christi fidem propagârunt: & Coleta annis quadraginta longè lateq; non sine magnis periculis discurrendo, construenda curauit monasteria Ordinis sui, vt Dei nomẽ celebraretur, animarũ augeretur salus, peccatores è dæmonum potestate eriperẽtur, & Saluatori suo restituerẽtur. In paupertate Apostolos quàm sit imitata, potest ex eo liquere sermone, quẽ ipsa quandoquè habuit ad sorores suas in multo feruore spiritûs, loquens de summa humilitate & paupertate Domini IESV & sanctissimę matris eius MARIAE & Apostolorũ: vbi tum manifestè apparuêre duodecim Apostoli, humi residentes prope Coletam, multa in eis relucente humilitate, simplicitate, paupertate: omnes induti vestibus albis, & illic permanentes, donèc illa cessaret loqui. Sermone finito, multis visi sunt ascendere in cælũ, & vnà cum illis Coleta in tantã altitudinẽ subleuari visa est, vt ampliùs conspici nõ posset. Habuit & alia Apostolorum charismata. Sanabant illi dęmoniacos: curabat & Coleta, atq; etiam rabiosos sanabat, virtute nominis Christi. Monialis quædam furiosa, dæmoniaca, & morbo caduco laborans, intolerabili molestia afficiebat sorores alias nocte dieque, licèt multæ essent. Sæpè enim oportebat eam à sex & eo ampliùs sororibus, interdùm ab omnibus teneri, alioquì & sibi & alijs grauissimè nocituram. Eum aũt furorem toto anno patiebatur eo tempore, quo diuina officia & Missæ sacrificiũ fiebant, quod fuit alijs molestissimum. Si enim fortassis à Completorio vsque ad nocturnas preces quieuisset, adeò tum se discerpebat, vt multæ eius comprimendæ gratia cogerentur à diuinis laudibus abesse: quod itidèm fieri oportebat à primo signo Primæ vsque ad sacrificij finem, & ad omnes preces Canonicas. Aliquotiès verò biduo triduoque permansit tacita, iacens in lecto planè rigida membris omnibus, ore horrendũ in modum hianti, oculis fœdè apertis & grandibus. Atq; ità visa fuit absq; sermone & cognitione, nihil neq; manducans, neq; bibens, neq; vllum edens signum, pręter planctũ lugubrem & funestum, in quo genuina videbatur vti voce. Interdùm autẽ adeò illa vexabatur insania, vt nullo pacto neq; teneri, neq; vinciri posset, ederetq; & biberet obuia quæque, putà, oua integra, magna lignorum & lapidum fragmenta, cortices cum nucleis prunorum, cerasorum, & id genus aliorum grandi numero. Ferrum complicaret perindè vt arborum ramusculos, alta clamaret voce, quę tamen nõ videretur esse humana: nec posset vel signi crucis impressione, vel aquæ sacratæ aspersione, nec vllis precibus compesci vt taceret. Nonnunquàm ità excrescebat furor, vt præter hæc tanquàm bestia rationis

Sermonem ea habente, apparent Apostoli.

tionis expers ex oculis, ex genis, ex auribus, ex capitis cranio, & ex membris omnibus sanguinem emitteret, quod sine horrore aspici non potuit. Tandem moniales illæ recordatæ procùl tunc absentis Coletæ, scripto indicârunt ei calamitatem sororis suæ, orantes, vt suis precibus ei opitularetur. Et eccè simul atquè literæ missæ fuére, cœpit misera habere aliquanto mitiùs: magisque diminuta est tam dira vexatio, cùm literæ venêre in manus Coletæ: postquàm autem illa Dominum rogare cœpit, non diù dilata est integra eius curatio. Loquebãtur Apostoli varijs linguis, & idiomata omnia callebant: nec hæc gratia Coletæ defuit. Apostolis non nocebant hausta venena: & Coleta bis sumpsit potionem mortiferam, diro infectam toxico, nec quicquam læsa fuit: immò etiam libenter ignouit illis, qui ei illam obtulerant.

Sanat precibus suis dæmoniacam miserrimã.

Cap. 68. At verò si de Martyrum velimus agere tolerantia, ea quoquè Coletam non caruisse videbimus. Nam si vel centiès illa immissa fuisset in dolium feruentis aquæ vel olei, aut totiès ignibus inflammata esset, aut tosta, aut excoriata, vel capite punita, non possent eæ pœnæ comparari cum illis, quas illa annis quinquaginta tolerauit. Et certè libenter illa corpusculum suum pro amore Domini Iesu morti obtulisset: atque fuit re ipsa martyr, quandò pro honore Dei promouendo non parum fudit sanguinis, fracto brachio non sine magno dolore, ità vt illo tota vita sua vti non posset: capite etiam adeò contrito & quassato, vt cùm se verteret, sentiret ossium collisionem.

Quos sit perpessa cruciatus.

Cap. 69. Solebant Christi Confessores fide syncera, perspicua cognitione & feruenti charitate ferri in Deum, prorsùs subducentes sese ab hoc mundo, atque à rebus mundanis, totosque se occupantes ijs, quæ ad Dei perfectissimum amorem pertinent. Et Coleta quoquè ardentissima Dei charitate vsqueadeò accẽsa fuit, vt per aliquod tempus, quotiès eius diuinum mellitissimumque audiuisset nomen, mox tota à se deficeret, & raperetur in Deum. Itaque si qui ei loqui vellent, summoperè cauere debebant, nè quid dicerent ex ijs, quæ ad Dei summam dilectionem pertinerent. mox enim sic, auditis illis, extra se discedebat, vt longo temporis interuallo nemo posset ei loqui. Interìm tamen etiam mirè diligebat proximos, adeoque promouere cupiebat cuiuslibet bona spiritalia, vt quiete potiri non posset in spiritu, nisi ei pro sua vocatione & facultate subueniret. Et libenter illa etiam seipsam obligâsset, vt posset opitulari proximis, sicut & re ipsa fecit. Cùm enim nobilis quidam in eam ignominiam incidisset, vt sine magno discrimine non posset satisfacere creditoribus suis, illa charitate feruenti effecit per bona quædam ipsi commendata, vt absque detrimento euaderet. Etsi verò ingens eius erat charitas erga viuentes, at tamen sine vlla comparatione magis cupiebat pia benignitate succurrere vita functis. Miro quippe tenebatur desiderio alleuandi cruciatus grauissimos animarum, in locis purgatorijs degentium, quibus adeò condolebat, vt diceret se libenter illarum loco pœnas illas perpeti velle. Itaque volebat, vt demptis tribus ante Pascha diebus, sorores quotidiè dicerent officium defunctorum.

Crebri eius mentis excessus.

Charitas erga animas defunctorum.

Cap. 70. Fuit religiosus quidam siue monachus, genere nobilis, dignitate haud vulgari, sed conscientia sic satis dissoluta, & exigua animi deuotione. Is tantum fidebat Coletæ precibus, vt nullius magis fideret, spemque salutis suæ in ijs plurimùm collocaret. Cùm autem Coleta in longinqua versaretur regione, spiritu præsensit illum monachum non diù superuicturum: cognouit etiam horrendas pœnas & dira tormenta, quæ ob peccata sua esset perpessurus: sed ità tamen, vt tandèm fieret saluus. Multùm igitur diuque rogauit Dominum pro illo, vt pœnas illas minueret, nec orare destitit, donèc certò didicit eius futuram beatitudinem. Si quis frater aut soror in monasterijs, in quibus ipsa degebat, morti propinquaret, sororem quidem inuisebat in valetudinario: fratrem autem iubebat ad certum templi locum perferri, vbi posset ipsa præsens esse morienti: totisque viribus pro eiusmodi Dominum deprecabatur, ipsosque hortabatur ad fidei constantiam & spem veram concipiendam aduersùs illusiones omnes & fraudes dæmonum, quæ illis possent occurrere: atque etiam malignos dæmones abigebat ab illis.

Feruenter orat p moribundis.

Cap. 71. De puritate Virginum in Coleta prçclarè relucente, hoc dicere possumus, eam tam excellentem fuisse in Coleta, vt nunquàm verbum vllum leue aut inhonestum vel dicere vel audire potuerit quouis modo absque animi dolore & afflictione. Quamobrem etiam Christus Dei filius eam sibi sponsam & amicam charissimã elegit. Accidit autem aliquandò, cùm adhuc secularis esset Coleta, vt vir quidam lasciuius & impurus eam in quo-

Eius prçcellens virginitas.

quodam monasterio cerneret precibus vacantem, fœdisque & spurcis sermonibus eam appellaret. Cui illa dolenter respondit: Vtinàm præstet tibi Deus notitiam eorum, quæ dicis. Mox ille cœpit videre scelus suum: cumque vellet è monasterio egredi per portam, quæ omnibus patebat, nullo modo potuit: sed quotiès conabatur exire, totiès se retrò repelli sentiebat. Non immeritò igitur terrefactus, nesciebat quid ageret, multumque formidabat se mente captum iri. Tandèm recolens quid dixisset Coletæ purissimæ virgini, & existimans ea causa se tam miserè affligi, ocyùs ad eam accessit, culpam coram illa edixit suam, veniam petijt humiliter & deuotè. Tum Coleta, Deus, inquit, per sanctam misericordiam suam ignoscat tibi. & quamprimùm ille sine difficultate foràs egressus est. Tanta erat Coletæ puritas, vt multi eam inuisentes, anteà leues & ad turpia valdè propensi, ex eius præsentia prorsùs liberarentur, animisque corroborarentur ad constanter sectandam corporis castitatem. In ijs quidam religiosi familiariter ei indicârunt quasdam tentationes suas valdè periculosas, moxque se senserunt planè impotentes ad eas exequendas: atque ità & facultate & voluntate peccandi liberabantur. In Francia princeps quidam præpotens, priusquàm vidisset Coletam, mundo huic deditus, fastuosus, delicatus & lubricus fuit. At posteà, Coleta intercedente, ex mundano factus est religiosus, ex fastuoso humilis, ex lubrico spiritalis, ex delicato erga se rigidus & seuerus. Testabatur ille crebrò coram multis non vulgaribus hominibus, idque sumpta sacrosancta Eucharistia, se posteaquàm vidisset Coletæ faciem, nunquàm carnis tentationem sensisse. In eodem regno fuit quædam nobilissima matrona, vita laudabili, fama celebri, multa pietate & misericordia, vtriusque sexûs liberis abundans. Vnus autem ex filijs eius, qui ferè semper hærebat domi, spurcissimo incitante dæmone, miserè cœpit amare fœminam quandam, & tandèm post multos lasciuos sermones, aspectus & tactus, ventum est ad mutuum consensum operis nefarij perpetrandi: sola deerat temporis & loci opportunitas. Illis verò in hoc detestando proposito permanentibus, quidam religiosus, quem illa matrona miserat ad inuisendam Coletam, erga quam singulari erat animi deuotione & amore, attulit ad eamipsam matronam à Coleta missam zonam vel funem, quo solebat illa stringere habitum suum, eumque obtulit matronæ præsente filio eius, tam turpi tentatione vexato. Qui cùm illum funem vidisset, repentè totus mutatus est, adeò vt semper fugeret loca, in quibus erat illa puella, quam tam perditè amauerat: quòd si non posset subterfugere, quin videret illam, propterea quòd esset cum matre sua, non sine dolore & abominatione id faciebat. Tandèm meritis Coletæ vtroque ab ea tentatione liberato, puella iuncta matrimonio est, corpore integra, & familia nobilis fœdam ignominiæ notam euasit.

Pœna hominis lasciui.

Hoc sanè eximiũ est.

Præclari effectus precum eius.

Res profectò memorabilis.

De patientia Coletæ multa iam antè dicta sunt. Quas illa & quantas ægritudines corporis, quos cruciatus & angores internos & externos non solùm patienter, sed & hilariter pro Dei nomine perpessa sit, commemorari vix queat. A principio deuotionis suæ afflictiones, si deessent, appetijt: si adessent, amanter sustinuit. Quæ res eam Christo sponso effecit similem, qui in hac valle miseriæ nunquàm pœnarum & afflictionum expers fuit. Si quis interdùm miseratus eius dolores internos & externos, diceret ei, Heu mater, quàm dirè passa es: illa respondebat: Ego facilè soleo etiam de paruis conqueri. Omnibus ei persecutionem, damnum, afflictionem inferentibus, pro malis libenter voluit bona reddere, ità vt nonnunquàm diceret se prouisuram illis de rebus necessarijs, quoàd essent in vita. Ab ipsis quoquè familiaribus amicis non parùm vexata fuit: quos vt ab ingratitudine reuocaret, eos ad se accitos, in suis collocauit monasterijs, & tum corporalia, tum spiritalia eis adhibuit solatia, tantamque salutis eorum curam gessit, vt multi eius precibus ab animæ & corporis periculis extracti sint: Illi autem plùs dolebat Dei iniuria & perditio animarum ipsam persequentium, quàm mala omnia, quæ ei vndecunquè accidere potuissent. Ad extremum tamen tales redibant ad sanitatem, & dolebant se tam malitiosos in eam fuisse. Inter alios quidam ei familiaris fuit, qui diabolo instigante, aliquandiù grauissimè eam persecutus est, ab amico in tam crudelem mutatus hostem, vt nec audire quicquam de illa boni, nec propè ad eam accedere vellet: diceretque non esse in ea spiritûs sancti gratiam, sed quæ illa faceret, per aliam fieri debere, quam putabat magni esse meriti apud Deum, cùm tamen planè rudis & imperita foret: Tum præterea etiam inhumaniter eam virgis cædi iubebat, interdùm

Cap. 72.

Multiplices Coletæ cruces.

Quidã amicus in summũ mutatur hostem.

vsque ad effusionem sanguinis, & crudeles ei persecutiones inferri. Quod etsi valdè eam excruciaret propter eos, qui talium authores erant, at tamen ferebat suauiter & patientissimè, ità vt ne minima quidem impatientiæ vox ab ea exprimeretur. Sicut autem Saluator orans pro hostibus suis, exauditus est pro sua reuerentia: ità & ipsa humiliter & efficaciter deprecans pro suis persecutoribus Dominum, non est voto fraudata suo. Agnouerunt enim illi tentatione diabolica se instigatos fecisse quæ fecerunt, totoque vitæ suæ tempore multùm ea causa doluerunt.

Cap. 73. Vir quidam celebris ei est infestissimus.

Multa etiam tulit ab extraneis non paucis, præsertìm à quodam magni nominis viro, cuius facta cum nomine non consentiebant, qui & clàm & palàm obtrectabat ei, mirabiliter eam impediens, multisque vexans modis, & planè affirmans se & illam & omnes conatus & opera eius prorsùs euersurum. Illa verò sic ei respondit: Spero fidenter in bonitate Dei conseruaturum eum, quæ per eum facta sunt.

Item duo è Clero.

Duo è Clero præcipui eius persecutores fuêre in ea vrbe, in qua permulti non mediocriter eam infestârunt & impediuerunt. Ij multos confinxêre articulos incredibili malitia, asserentes eam Hussitarum hæresi laborare, & multa alia sanè abominanda, ab illis scelerate conficta, quæ tamen non dubitabant palàm omnibus proponere & euulgare, vt efficaciùs sancta eius opera retardarent. Sed illa his omnibus & quibuscunque alijs iniurijs opponebat silentium, ferens omnia sedato & tranquillo animo. Quanuìs autem sancti homines sileant, dum ferunt persecutiones, non minùs tamen formidanda sunt iudicia Dei. Ecce enim alter horum, vt se vidit frustratum conatu suo, elato animo aliò commigrauit, sed paulò pòst extinctus est: alter mansit quidem, sed graui correptus morbo, valdè cruciabatur, crebrò appellans Coletam, tanquàm indicaturus ea causa se sic torqueri, quòd iniustè eam esset persecutus: atque in ijs doloribus clausit diem extremum. Quidam etiam laici opulenti, sanctitatem eius & vim sanctæ paupertatis ignorantes, non parùm eius detraxêre existimationi & famæ, dicentes eam esse fœminam cumprimis opulentam, quæ mutuas daret pecunias propter vsuras, & quæ cambia vel collybos Parisijs, Brugis & Gandaui manuteneret. Sed hæc illi ineptissimè, quandò cor eius adeò feruebat sanctæ paupertatis amore, vt multo libentiùs passura fuerit se viuam excoriari, quàm quicquam eiusmodi admitteret. Multi etiam nobiles & potentes intolerabili quadam vexatione illam appetere conati sunt propter ædes quasdam, quas ipsi volebant ad alios, quàm oporteret, vsus applicari: sed Dominus Iesus præcipuos eius vexationis authores breui abstulit è vita. Illa verò & has & alias propè innumeras persecutiones instar agni suauiter & patienter tulit amore illius agni innocentis, qui vno die plus nostra causa perpessus est, quàm nos pro illo ferre possemus cunctis diebus vitæ nostræ.

Vltio diuina in eius persecutores.

Cap. 74.

Cùm iam sexagesimumsextum ætatis complêsset annum, vt perfectissimæ perseuerantiæ coronam posset adipisci, tametsi corpore valdè esset debilis & exhausta, tum propter senium & incommodam valetudinem, tum propter graues dolores, quos tulerat, & quotidiè patiebatur pro voluntate Dei: at tamen ità se comparabat, tanquàm iam ab integro vellet inchoare benè agendi studium, perindè acsi robusto esset corpore, nec quicquam vnquàm rectè & præclarè gessisset. Itaque nunquàm recusauit laborem, nec desijt se promptam offerre ad colligendas vires, quantunuìs esset & laboribus & varijs defessa pœnis, & ad totam se impendendam, vbì id Dei amor & salus animarum poscere videretur. Sæpenumerò ab aliquo profectura monasterio ad exequenda opera pietatis, tam cernebatur imbecillis, vt vix sustinere se posset, nec breue spatium viua confectura putaretur: at nihilo minùs suscipiebat illa labores & dolores propter amorem Dei, aiebatque se paratam esse mori, prout Domino visum esset, siue in agris, siue in pagis. Cumque eius comites plerunquè adeò delassarentur ob nimios labores, vt ægrè respirare possent, illa sola permansit alacris, viuax, constans & infatigabilis, non aliter laborans Christi causa, quàm si esset planè recens & firma valetudine, nec quoàd vixit, vineam Domini colere cessauit, grauiterque & perseueranter multos exantlauit labores, donèc ad optatum eumque clarissimum peruenit finem.

Egregius feruor illius.

Nihil sibi parcit.

Mirè diuinitus confortatur.

Cap. 75. Prædicit obitũ suum.

Eum autem vitæ suæ finem illa prædixit, dicens se biennio non superuicturam, quod etiam sic accidit. Tandèm tribus ferè ante obitum suum septimanis expresè ait se migra-

migraturam ad Dominum, & cùm ad se accersiuisset sorores, hortabatur eas singulari animi affectione & studio, vt essent veræ & perfectæ monastici instituti cultrices, DEVM timerent & amarent præ omnibus, Canonem siue regulam obseruarent, itemque declarationes illius, redderentque fideliter Domino, quicquid ei vouissent. Cumque hæc & multa alia salutaria dixisset, subiunxit: Non est, quòd putetis me in decessu meo quicquam dicturam vobis: nihil enim tum ex me audietis. Deindè ait confessario suo: Pater, quicquid ego in reformando S. Francisci instituto feci, Dei nomine id feci: & licèt magna ego sim peccatrix, & tota vitijs obnoxia, attamen si denuò mihi facienda essent ea quæ feci, non video, quemadmodùm ea aliter facerem, atquè feci. Indè mensis Februarij die vicesimosexto, qui fuit Dominicus, manè confessione facta, sub sacrificio corpus Christi summa deuotione percepit. Sequenti nocte venit ad eam singulari quadam beneuolentia Dominus Iesus: post quam apparitionem illa instar infantis nihil iam vllas curabat res mundanas, soli Deo vacans, ore vel mente illum deprecans. Pòst accidit ei insolita quædam debilitas, quæ confessarium eius, timentem nè moreretur, eò permouit, vt extremam vnctionem ei adhiberet. Deindè legit apud illam Christi passiones, quibus absolutis aduertit nondùm adesse supremum vitæ tempus. itaque recessit ab ea. Altera die ad eius venit oratorium, sacrificium pro more coram illa facturus, reperitque illam optimè constitutam, perindè àc si esset incolumis. Mirabatur autem, vndè tam citò esset restituta, sciens absque speciali gratia Dei id fieri non potuisse. Tum verò sacrificium illa cumprimìs reuerenter audiuit, & Christi corpus cum multis lachrymis adorauit: idem faciens etiam reliquis eius hebdomadæ diebus. Est autem notatu dignum, post eam, quam diximus, apparitionem quatuor in ea visa esse sanè memorabilia. Primum est, pœna quædam grauis & insolens, quæ vsque ad supremum spiritum perdurauit. Alterum, quòd non nisì solis precibus deincèps voluit occupari. Tertium, quòd diebus singulis Missam sanctissimam cum multa deuotione & reuerentia auscultauit. Quartum, quòd licèt ex oratorio non exiret, tamen perspicuè nouit omnia, quæ in monasterio gererentur. Confessarius cum socio, nolens eam se absente reddere spiritum, venit ad monasterium, quod illa nemine indicante ilicò cognouit. Ad vesperam sextæ feriæ comiter & consolatoriè loquebatur ad fratres. Sabbato post sacrificium, petita ab eis copia, & peractis precibus, celeriter abijt ad cubile, Crucis signo se consignans, aitque: En extremum cubile. deindè in illo se reposuit, vestita more suo, sibijpsi imponens nigrum velamen, quod à Pontifice acceperat, cùm primùm professionem fecit. Mox clausit os & oculos, deincèps non aperiendos, licèt interìm omnia nôsset, quæ foris agerentur. Pro quodam enim leuamento attulerunt ei puluinar, quod illa reiecit. Quadragintaocto horis sic mansit in lectulo, nihil neque loquens neque videns, neque vllum vel gestum vel signum vlla corporis parte edens, sed summam præ se ferens honestatem & sanctitatem, nihil mutato colore in illo dolore, quo tunc cruciabatur. Indè sexta Martij die, hora octaua ante meridiem, cunctis Gandauensis monasterij sororibus præsentibus, itemque eius confessario & socio fratre, clausit extremum vitæ tempus, anima sanctissima à corpore suauiter recedente, & rectà ad Deum creatorem suum proficiscente. Color autem, qui fuit in ea decedente, perdurauit horis duodecim: indè subitò corpus eius mutatum est in pulchritudinem admirandam. Erat enim instar niuis candidissimum, venis colore cæruleo elegantissimo passìm apparentibus: membra omnia formosissima visebantur, & quæ possent facilè inflecti, odorem mirificum ex se diffundentia, ità vt planè in eis innocentiæ status & omnimoda puritas reluceret. Ijs adeò permoti fuêre plurimi, vt supra triginta hominum millia ad eam visendam confluxerint. Tertio ab obitu suo die humatum est virgineum illud corpusculum, sed, vt ipsa iusserat, in summa paupertate, & absque vllo operimento, sicuti Christus nudus in cruce pependit.

Christus ei apparet.

Post eã apparitionem quatuor in ea visa memoratu digna.

Sub mortẽ vt se gesserit.

Felicissimè abit è vita.

Corporis exanimis pulchritudo.

Ea hora, qua migrauit, in quibusdam monasterijs, quæ eà speciali erat amore prosecuta propter maius sanctæ paupertatis studium, auditæ sunt voces longè suauissimæ cantantium Angelorum, è quibus vna sic à nonnullis dicere audita est: Venerabilis religiosa soror Coleta migrauit ad Dominum. In quodam monasterio eius

Cap. 76. Post obitũ eius quę cõtigerint.

soror quædam præ cæteris amabat Coletam. Ei illa moriens ante mediam noctem apparuit in regione longinqua moranti in forma pulcherrima & splendidissima, sed ob nimiam claritatem faciem eius videre non potuit. In alio monasterio procùl remoto soror quędam summoperè cupiebat videre eam, multasque fundebat ad beatissimam Mariam preces, vt per eam posset compos fieri voti sui. Putabat enim, si vel vna hora vidisset eam, id sibi semper profuturum. Ea igitur nocte, post quam obijt Coleta, vidit speciosissimam quandam & venerabilem dominam, cuius pulchritudo nullis posset verbis explicari. Eius facies prorsùs luculenta fuit, instar crystalli soli oppositæ. Porrò ter per oratorium deambulabat, sequebaturque eam puer elegantissimus, facie æquè lucida, semel atque iterùm sic dicens: Eccè soror Coleta, eccè soror Coleta. Tum verò soror hæc videns & audiens, miro fuit perfusa gaudio, quòd cerneret eam, cuius visendę summo flagrâsset desiderio: cumque vellet cęteras inclamare sorores, non potuit vocem exprimere. Putabat autem velle eam visitare monasterium. dictum enim erat ei adhuc nouitiæ, quòd etiam in spiritu visitaret monasteria. Postquàm verò ad dormitorij fores venit, illa euanuit. Eodem die, eoipso tempore, quo Coleta decessit, soror hæc sola ingressa est in oratorium, Domino preces oblatura: cumque se submisisset in genua, mox audiuit voces altas & claras grandis multitudinis, quibus suauiores in hoc mundo percipi non possent: sublatisque in cælum oculis, vidit faciem luculentam, quam nocte viderat, in medio tam dulciter canentium. Etsi autem nihil horum tum intelligeret, piè tamen credidit esse eam Coletę lucidissimam animam, quam Angeli in cælos deducerent. Alijs quoquè duabus per visum ostensa est anima Coletæ cum multa gloria & reuerentia à sanctis & Angelis frequentissimis duci in cælum, multis eam sequentibus animabus, quas, vt altera ex ijs vidit, illa suis meritis & precibus è purgatorijs pœnis liberârat, hactenùs ibi detentas.

Ea decedēte, soror quædam quid audierit & viderit.

MIRACVLA QVAEDAM EX IIS, QVAE COLETA *fecit adhuc viuens.*

Cap. 77. Multas Coleta animas suis precibus excitauit à morte peccati, multos corpore mortuos reuocauit ad vitam. Vtrunq; diuinę virtutis opus est, sed prȩstantius illud, quo reniuiscunt animæ. Possent commemorari plurimi, etiam non vulgares, quos Coleta reduxit suis intercessionibus à morte culpæ ad vitam gratiæ: sed nos iam de illis agemus, quos corpore mortuos excitauit. Filia cuiusdam Visontiensis mortua ante baptismum, allata fuit in templum à parentibus, quòd sperarent eam vitæ restitutum iri. Sed cùm cernerent verè mortuam, ilicò reportârunt eam absque baptismo, & Coletæ precibus obnixè commendatam, quandoquè eius velo fidenter inuoluerunt, & in templum attulerunt. Et eccè reuixit infantula, & salutari expiata lauacro, Coleta appellata est, & posteà Coletæ matri oblata, vitam monasticam professa est, in qua vsque in præsens laudabiliter perseuerat, diciturque soror Coleta de Pruceto. Iuuenis quidam, Ioannes Burseti, qui nunc est Visontij ciuis insignis, affirmat se meritis & precibus Coletæ vitæ redditum. Idem affirmant propinqui eius, & qui eum nouerunt. Neque id ignotum est fratribus & sororibus nostris, sed cùm mihi de modo, quo id factum est, non constet, non audeo eum certò exprimere. Item infante quodam sine baptismo defuncto, cumprimìs doluit Coleta, iussitque eum in prophano loco sepultum, è monumento extrahi, & ad se apportari. Factum est, vt voluit, & illa pro infantulo orante, anima redijt in corpus, & baptizatus, dimidio anno superuixit. Franciscanus quidam frater Franciscus Clareti, annos ampliùs triginta fuit cum Coleta, multa ei & monasterijs eius humanitatis, beneuolentiæ & charitatis officia ex animo præstans. Is in morbum incidit, & iam planè mortuus putabatur, & ille posteà se mortuum fuisse affirmabat. Cùm autem sic esset vita functus, visus sibi fuit duci ad tribunal Christi pro captanda gratia & misericordia: indè verò etiam duci ad beatissimam Dei matrem Mariam, tum ad Apostolos, ad martyres, ad confessores & virgines. Omnium autem horum vna sententia fuit, restituendum illum Coletæ: cuius precibus corpus eius reuixit & surrexit. Ex his quatuor tres hodieque viuunt, & testantur vera nos dicere.

Infantula mortua reuiuiscit.

Item iuuenis quidam.

Atque etiā infans.

Item Franciscanus quidam.

Cap. 78. Permulti verò Coletę precibus à mortis piculo sunt liberati. Aegrotabat periculosè qdā reuerēdus pater, nec id ignorabat Coleta, in alio monasterio pcùl ab illo seiūcta.

Vt

Vt autem ei in extremo illo periculo ſubuenire faciliùs poſſet, ad monaſterium ſe contulit, vbi ille decumbebat: cumque eò perueniſſet, reperit eum iam animam agentem. Mox ad ſupremum medicum ardentiſſimis precibus confugiens, ab illo obtinuit, vt primo die iam meliuſculus eſſe inciperet, & paulò pòſt adeò firmaretur viribus, vt cum Coleta ad monaſterium, vndè illa venerat, incolumis profectus ſit, ab ipſis mortis faucibus eius precibus ereptus. Monachus quidam, cuius opera Coleta vtebatur, ex peſte laborauit, ità vt vita eius planè deſperaretur etiam à duobus peritiſſimis medicis, qui certum etiam indicârunt tempus, intra quod neceſſariò eſſet animam redditurus. Coleta autem dicente, Deum eſſe natura ſuperiorem, reſponderunt illi, verum id eſſe: ſed niſi ille ſecùs velit, fieri non poſſe, vt vltra tempus ab ipſis expreſſum huius lucis vſura fruatur. Orante verò Coleta, ille breuì euaſit incolumis, altero ex illis medicis moriente, altero diù ægrotante. Quidam iam moriēs reualeſcit. Item alius à medicis deſperatus.

Comitiſſa Gebennenſis aliquandò iter habuit, propter aquarum inundationem ſanè periculoſum. Et ipſa tum equo inſidens, in profundam ingreſſa aquam, cum equo adeò ab oculis aliorum abrepta fuit, vt cum illo pariter ſubmerſa putaretur: ſed Coleta Dominum pro illa deprecante, ad terram abſque detrimēto peruenit. Alios quoquè duos, virum honeſtum, & fœminam religioſam à tergo eius equo inſidentem, in quodam flumine miſerè iactatos & iam pro ſubmerſis habitos, itidèm ſuis precibus ad litus incolumes eduxit. Quidam doctor Theologus ingreſſus aquam cū equo, venit ad foueā altiſſimā, vndè quanto plus nitebatur ſe expedire, tanto mergebatur profundiùs. Videns ergò in ſummū vitæ diſcrimen ſe coniectum, nec vllum apparere modum euadendi, in Coletæ memoriam redijt, eiusque ſuffragia fidēter implorauit. & eccè repentè ſe cum equo ſentit litus attigiſſe. Nobilis quidam Burgundus, Coletæ ex animo addictus, ab improuisò lapſus eſt cum equo in profundam foueam, omni ſpe ſalutis erepta. Deo igitur ſe cōmendans & precibus ac meritis Coletæ, itidèm confeſtim ſe vidit ex aqua in terram tranſlatum. His aliud adijcimus, quod ea defuncta contigit. Marchio, princeps cumprimìs generoſus & potens, miſit Gandauum ſacerdotē quendam Ioannem Moulines, qui crebrò eius nomine inuiſerat Coletam viuentem. Venit autem is ſacerdos ad aquam valdè profundam, quam nemo ſine pręſentis periculi metu tranſire auderet. Id verò neſciens ille, ingreſſus eſt aquam, ſperans ſe facilè ad pontem peruenturum. Sed raptus impetu inundantis aquæ, laxauit equo habenas, moxque vnà cum equo ſe ſenſit in ima demerſum. Ocyùs igitur his ferè verbis inuocauit Coletam: Cùm ego nunc veniam ad te viſendam poſt deceſſum tuum, mater glorioſa, itáne hîc moriendum eſt mihi? Dixit, & res ſtupenda conſecuta eſt. Mox enim ſub pedibus ſuis ſenſit colliculum extare, nunquàm illic anteà repertum, qui ſufficeret ipſum & res eius omnes ſeruare à ſubmerſione. In illo ergò perſtitit, donèc nauta quidam cum naui ad illum peruenit, qui conſtanter aſſeuerabat, nunquàm eo loco colliculum fuiſſe. Cap. 79. Miraculū. Aliud. Item aliud. Rursùs aliud. Vide rem ſtupendam.

Multas etiam liberauit parturientes, multos mente captos ſanauit precibus ſuis, in quibus fuit Stephana quædam amens & furioſa: quæ cùm à marito ad Coletam perducta eſſet, Coleta eam obiurgauit, aitque ea cauſa tam diro correptam morbo, quòd peccata ſua confeſſa non eſſet: accitoque confeſſario ſuo Henrico à Balma, voluit, vt ei confiteretur, ipſa interìm feruenter orante pro illa: ſicque plenè conualuit. Quidam puer nobilis ex leuitate percuſſus eſt in oculo, & adeò vulneratus, vt illo deincèps nihil viſurus putaretur. Adductus verò ad Coletam, cùm ea crucis ſignum oculo eius impreſſiſſet, ſanus abſceſſit. Coleta ipſa dolores oculorum innumeros perpeſſa eſt, & ſæpè in eis grauiter læſa. Accidit aliquandò, vt quodam veſpere tam malè affectus eſſet alter eius oculus, vt impoſſibile videretur poſſe eam quandoquè illo vti. Doluit ea res non mediocriter fratribus & ſororibus. & eccè manè alterius diei oculus ille adeò ſanus & integer apparuit, vt vnquàm aliâs. Mulier quædam nobilis, valdè addicta Coletæ & monaſterijs eius, filium habuit morbo comitiali horrendum in modum laborantem. Fuit id matri eius moleſtiſſimum, neſcienti quid remedij adhiberet. Fortè tum illàc tranſibant Franciſcani quidam, ituri ad Coletam. Per eos igitur commendauit filium ſuum ſanctiſſimis Coletæ matris precibus, & confeſtìm ſenſit miram animi conſolationem, ſpemque ſanandi propedièm filij ſui: nec diù pueri ſalus dilata eſt. Vir quidam nobiliſsimus, & vita integer & honeſtus, eodem morbo miſerè vexabatur annis decem, nec vllum poterat inueniri Cap. 80. Miraculū. Aliud miraculum.

niri remedium. Commendatus est tandem precibus Coletæ, & ea pro illo orante, nunquàm deinceps vllā sensit eius morbi infestationem. Soror quædam vel monialis incidit in tantam amentiam, vt vinculis colligatam diligenter oportuerit custodire. Quod cùm non mediocriter affligeret reliquas sorores, rogârunt Coletam, vt pro illa Dominum deprecaretur. Proxima nocte apparuit Coleta illi sorori, obtulitque ei pomum exiguum, sed valdè elegans, persuasitque vt illud comederet. Comedit illa, & gustu mirabili refecta, quamprimùm sanata est. Altera die quæsiuit ex illis, quæ eam custodiebant, num Coleta ad monasterium illud venisset. Illis respondentibus eam Visontij morari, ait sibi ab ea exhibitum pomum pulcherrimum, cuius gustu mox curata esset.

Aliud.

Aliud.

Cap. 81.

Duxit aliquādò Coleta sorores quasdam ad monasterium recèns ędificatum: venerunt autem ei ex deuotione obuiàm moniales quædam alterius instituti. In ijs vna fuit excellens, sed leprosa: quæ propter faciem morbo fœdissimo exesam, non audebat propiùs ad Coletam accedere, & eam cum cæteris osculari. Sentiens id Coleta, humanissimè pertraxit eam ad se, eique osculum impressit: & illa confestìm sanitati restituta est. Soror quædam monasterij Coletani, in quo tum Coleta degebat, à planta pedis vsque ad verticem capitis inflata erat, & olebat pessimè, nec quicquam videre poterat. Eius vicem dolens Coleta, cœpit eam crebrò visitare. Etsi autem nihil illa videret, sensit tamen Coletam ingredi propter odorem suauissimum, quo totum valetudinarium ea veniente complebatur, alioquì ægrotę illius fœtoribus abundans. Ea autem odoris suauitate incredibilē percepit consolationem misera illa, & breui integerrimè curata est. Frater Petrus Golerij in monasterio Visontiensi tam grauiter ex apostemate guttur opprimente decumbebat, vt postridiè manè omninò moriturus putaretur. Superuenit autem frater Petrus de Osiaco Visitator, qui apud se habebat capillos Coletæ, quos vnà cum Regula sanctissimi patris Francisci imposuit illi sic cum morte colluctanti, signum sanctæ Crucis cum eis exprimens, & statim apostema crepuit, & ille sanus euasit. Soror quædam Coletana laborabat non mediocriter aduersa valetudine. Eam Coleta, alijs sororibus indè euocatis, in valetudinario clàm inuisit, aitque illi: Nihil hæsites, sed spera in Domino. ego enim nolo, vt iam moriaris. rursusque clàm recessit, & illa repentè se sensit morbo liberatam. Aliæ duæ sorores ità ægrotabant, vt nullum eis posset reperiri remedium. Nihil prorsùs edebant, & pro debilitate se sustinere non poterant. Aduenit eò Coleta, accepit panis fragmētum, mandebat illud dentibus suis, & indè ingerebat ori vtriusque. Quod cùm illę deglutijssent, ilicò sanatæ sunt. Alia soror morbo contagioso vexabatur in gena, nec quicquam sumere poterat alimenti, nec vllo modo subueniri ei posse videbatur. Visitabat tum illud monasterium Coleta, & cùm ex poculo quodam biberet, illud hæc soror admouit genæ suæ, & euestigiò morbus abscessit. Alia quædam ē familia Coletæ soror tātis cruciabatur capitis & cuiusdam morbi doloribus, vt quasi furibunda videretur: cumque nulla ratione mederi sibi posset, fidenti deuotione imposuit capiti suo sudarium Coletæ, lachrymis eius madidū, & actutùm dolor euanuit. Item alia ex eius sororibus quicquid percipiebat alimenti, rursùs sanguinis specie per os reijciebat, acsi alij meatus corporis obstructi essent. Id Coleta vbì resciuit, eius miserta, ait ad illam: Quid est hoc, quod tu facis? Ego verò nolo, vt deincèps sic facias. Eadē hora sic illa restituta est, vt nullum ęgritudinis illius vestigium remaneret. Quidam vir nobilis quartana febre totum annum laborauit. Cùm autem Coleta veniret ad pagum, vbi ille degebat, sui instituti illic monasteriū fundatura, ille honoris & deuotionis causa ei processit obuiàm, moxque sensit febre se omninò absolutum. Cùm aliquandò Coleta, grauissimo compellente morbo, se lauari permisisset, aqua eius loturæ clàm seruata fuit: quæ posteà à multis, diuersis morbis laborantibus hausta, integrā eis attulit sospitatem. In quodam monasterio Coletæ fuit fœmina quædam, eius monasterij administra & familiaris, extrinsecùs honesta morum specie: quæ tanta vi morbi correpta fuit, vt exanimis putaretur: sed interìm peior erat animæ, quàm corporis conditio. Latebant enim in conscientia eius enormia quædam peccata, quæ nunquàm voluit cōfiteri. At ea perspicuè nôrat Coleta, & dolebat propterea vehementissimè, Dominumq; sine intermissione deprecabatur, donèc & anima & corpore reuiuisceret. Postà verò omnem vitam suam religiosè & piè transegit, fugiens omne malum, & bona quæque studiosè consectans.

Osculo sanat leprosam.

Alia morbida sanatur.

Item quidam moribúdus cum plerisque alijs.

Sudario eius curatur quædam.

Nota hęc.

Cap. 82.

Inter fratres, Coletæ familiares, insignis quidam pater fuit, Petrus de Osiaco, Visitator monasteriorum Coletanorum. Is ad sedecim menses magno dolore capitis adeò

adeò afflictus fuit, vt cibum capere non posset absque cruciatu horrendo & ineffabili, sæpiusque à mensa surgens, ambularet in horto, miserè clamitans & eiulans: nec posset respondere, si quis ei loqui vellet. Cruciatus autem ille noctibus duplo maior erat, quàm aliàs, cogebaturque surgere è lecto, & per domum, per virgulta, per alia cursitare loca, licèt id nihil ei conferret. Interim tamen ferebat omnia patienter, & ardenti animo implorabat Dei opem, & beatissimam Christi matrem rogabat, vt per Coletæ merita aliquod leuamētum obtineret. Cùm autem nocte quadam esset in monasterio Visontiensi, vidit in visione, se esse in sacello oratorij Gandauēsis, ibique vocari se blanditer à Coleta ea voce, forma & habitu, qua solebat esse cùm viueret, sed ità tamen, vt iam luculenta & cumprimis speciosa & iucunda videretur, ipsumque cōsolaretur peramanter & humaniter. Vndè ipse expergefactus, comperit se planè sospitem, sanum & iucūdum: nec illum dolorem posteà expertus est. Multa alia præclara miracula edidit Dominus Iesus Christus, per humilem ancillam & fidelem spōsam suam Coletam, quæ, nè nimij simus, omittimus. Quidam eximius vir repēte horrendo liberatur dolore capitis.

VITA S. EQVITII ABBATIS, PER D. GREGORIVM PAPAM SCRIPTA, LIB. I. DIALOG. CAP. IIII.

7. Martij.



Gregorius. Fortunati viri venerabilis, Abbatis monasterij, quod appellatur Balneum Ciceronis, aliorumque etiam virorum venerabilium didici relatione, quod narro. Vir sanctissimus, Equitius nomine, in Valeriæ prouinciæ partibus, pro vitæ suæ merito apud omnes illic magnæ admirationis habebatur: cui Fortunatus idem familiariter notus fuit. Qui nimirùm Equitius, pro suæ magnitudine sanctitatis, multorum in eadem prouincia monasteriorum pater extitit. Hunc cùm iuuentutis suæ tempore acri certamine carnis incentiua fatigarent, ipsæ suæ tentationis angustiæ eum ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cumque hac in re ab omnipotenti Deo remedium cōtinuis precibus quæreret, nocte quadam, assistente angelo, eunuchizari se vidit: eiusque visioni apparuit, quòd omnē motum ex genitalibus eius abscinderet: atque ex eo tempore ità alienus extitit à tentatione, ac si sexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus, ex omnipotentis Dei auxilio, vt viris antè præerat, ità cœpit postmodùm etiam fœminis præesse: nec tamen discipulos suos admonere cessabat, nè se eius exemplo in hac re facilè crederent: & casuri nō tentarent donum, quod non accepissent. Continuis precibus mirandam obtinet corporis castitatē.

Eo autem tempore, quo malefici in hac sunt Romana vrbe depræhensi, Basilius, qui in magicis operibus primus fuit, in monachico habitu Valeriā fugiens petijt. Qui ad virum reuerendissimū Castosium, Amiterninæ ciuitatis episcopum, pergens, petijt ab eo, vt eum Equitio abbati committeret, ac sanandum monasterio illius cōmendaret. Tūc ad monasteriū venit episcopus, secumq; Basilium monachū deduxit, & Equitium Dei famulum rogauit, vt eundē monachum in cōgregationem susciperet. Quem statim vir sanctus intuens, ait: Hunc quem mihi cōmendas pater, ego non video monachū esse, sed diabolum. Cui ille respondit: Occasionem quæris, nè debeas præstare, quod peto. Ad quem mox Dei famulus dixit: Ego quidē hoc eum esse denuncio, quod video: nè tamē nolle me obedire existimes, facio quod iubes. susceptus itaq; in monasterio est. Post non multos verò dies idē Dei famulus, pro exhortandis ad desideria superna fidelibus, paulo longiùs à cella digressus est. Quo discedēte, contigit vt in monasterio virginū, in quo eiusdē patris cura vigilabat, vna earum, quæ iuxta carnis huius putredinē speciosa videbatur, febricitare inciperet: & vehemēter anxiari, magnisq; vocibus cū stridore clamare: Modò moritura sum, nisi Basilius monachus veniat, & ipse mihi per suę curationis studium salutē reddat. Sed in tāti patris absentia accedere quispiā monachorum in congregationē virginum non audebat: quanto minùs ille, qui nouus aduenerat, eiusq; adhuc vitam congregatio fratrū nesciebat? Missum repente est, & Dei famulo Equitio nunciatū, quòd sanctimonialis illa immēsis febribus ęstuaret, & Basilij monachi visitationē anxiè quæreret. Quo audito, vir sanctus dedignādo subrisit, atq; ait: Nunquidnam dixi, ꝙ diabolus est iste, nō monachus? Ite, & eū de cella expellite. De ancilla autē Dei, Basilius magus monachum se simulat. Monasterium virginū.

quæ anxietate febrium vrgetur, nolite esse soliciti: quia ex hac hora neque febribus laboratura est, neque Basilium quæsitura. Regressus est monachus: & ea hora saluti restitutam Dei virginem agnouit, qua eandem salutem illius, Dei famulus Equitius longè positus nunciauit, in virtute scilicet miraculi, exemplum tenens magistri: qui inuitatus ad filium Reguli, cum solo verbo restituit saluti, vt reuertens pater ea hora filium restitutum vitæ cognosceret, qua vitam illius ex ore veritatis audisset. Omnes autem monachi, iussionem patris sui implentes, eundem Basilium ex monasterij habitatione repulerunt. Qui repulsus, dixit frequēter se cellam Equitij magicis artibus in aëra suspendisse, nec tamen eius quempiam lædere potuisse. Qui non post longum tempus in hac Romana vrbe, exardescente zelo Christiani populi, igne crematus est.

Iohan. 4.

Basilius magus flāmis exustus.

Quadam verò die vna Dei famula, ex eodem monasterio virginum, hortum ingressa est: quę lactucam conspiciens concupiuit, eamque signo crucis benedicere oblita, auidè momordit: sed arrepta à diabolo, protinùs cecidit. Cumque vexaretur, eidem patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret. Moxque hortum idem pater vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse, qui hāc arripuerat, diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam: venit illa, & momordit me. Cui cum indignatione vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinùs abscessit, nec eam vltrà contingere præualuit.

Quidam verò Felix nomine, Nursiæ prouinciæ nobilis, pater huius Castorij, qui nunc nobiscū in Romana vrbe demoratur: cùm eundē venerabilem virum Equitium sacrum ordinem non habere conspiceret, & per singula discurrere, atq; studiosè prędicare: cū quadam die familiaritatis ausu adijt, dicens: Qui sacrum ordinē non habes, atque à Romano pontifice, sub quo degis, prædicationis licentiam non accepisti, prædicare quomodò præsumis? cui, eius inquisitione cōpulsus, vir sanctus indicauit, prædicationis licentiā qualiter accepit, dicens: Ea, quæ mihi loqueris, ego quoque tecū ipse pertracto. Sed quadā nocte speciosus mihi per visionē iuuenis adstitit, atq; in linguā mea medicinale ferramentū, id est, phlebotomum posuit, dicens: Eccè posui verba mea in ore tuo: egredere ad predicandū. Atq; ex illo die, etiā cùm voluero, de Deo tacere nō possum.

Concionari quibus interdictum.

Petrus: Vellem etiam patris huius opus agnoscere, qui fertur talia dona à Deo percepisse.

Gregorius: Opus, Petre, ex dono est, nō donum ex opere: alioquin gratia iam nō est gratia. Omne quippe opus dona preueniunt, quamuis ex subsequenti opere ipsa etiam dona succrescunt. Nè tamen vitæ eius cognitione frauderis, benè hanc reuerēdissimus vir Albinus, Reatinæ antistes ecclesiæ, cognouit, & adhuc supersunt multi, qui scire potuerunt. Sed quid plus quæris operis, quandò concordabat vitę munditia cum studio prædicationis? Tantus quppe illum feruor ad colligendas Deo animas accēderat, vt sic monasterijs præesset, quatenùs per ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoquè fidelium domos circunquaquè discurreret, & corda audiētium ad amorem patriæ cælestis excitaret. Erat verò valdè vilis in vestibus, atq; ità despectus, vt si quis illum fortassè nesciret, salutatus etiam resalutare despiceret: & quotiès alia tendebat ad loca, iumento sedere consueuerat, quod esse despicabilius omnibus iumētis in cella potuisset: in quo etiam capistro pro freno, & veruecum pellibus pro sella vtebatur. Per semetipsum sacros codices, in pelliceis sacculis missos, dextro lęuoque portabat latere: & quocunquè peruenisset, scripturarum aperiebat fontem, & rigabat prata mentium.

Vitę mūditia debent esse prędit concionatores.

Huius quoq; opinio prædicationis ad Romanæ vrbis notitiam peruenit, atque, vt est lingua adulantium, auditoris sui animum amplectendo necans: eo tempore clerici huius Apostolicæ sedis antistiti adulando questi sunt, dicentes: Quis est iste vir rusticus, qui authoritatem sibi prædicationis arripuit, & officium Apostolici nostri domini sibimet indoctus vsurpare præsumit? Mittatur ergò, si placet, qui huc eum exhibeat, vt quid sit Ecclesiasticus rigor, agnoscat. Sicut autē moris est, vt occupato in multis animo, adulatio valdè subrepat, si ab ipso cordis ostio nequaquā fuerit citiùs repulsa, suadētibus clericis consensum Pontifex prębuit, vt ad Romanam vrbē duci debuisset: & quęnā sua esset mensura, cognosceret. Iulianū tamen tunc defensorē mittens, qui Sabinensi ecclesiæ postmodùm in episcopatu pręfuit, hoc præcepit, vt cū magno cū honore deduceret, nè quam Dei famulus ex conuentione eadē iniuriam sentiret. Qui parére de eo clericorum votis concitus volēs, festinè ad eius monasterium cucurrit, ibique absente illo antiquarios scribentes reperit: vbì Abbas esset, requisiuit. Qui dixerunt: In valle hac, quæ

Adulatorū lingua exitialis.

Multis occupato facilè imponit adulatio.

quę monasterio subiacet, fœnum secat. Idem verò Iulianus superbum valdè atq; contumacem puerum habuit, cui vix poterat vel ipse dominari. Hunc ergò misit, vt ipsum ad se sub celeritate perduceret. Perrexit puer, & proteruo spiritu pratum velociter ingressus, hominesq́; illic intuens fœnum secantes, requisiuit quisnā esset Equitius. Moxque vt audiuit, quis esset, eū adhuc longè positus adspexit, & immēso timore correptus cœpit timore lassescere, seq́; ipsum nutanti gressu vix portare posse. Qui tremēs ad Dei hominem peruenit, atq; vlnis humiliter submissis, eius genua deosculans strinxit, suumque dominum ei occurrisse nunciauit. Cui resalutato Dei famulus pręcepit, dicēs: Leua fœnum viride, porta pabulū iumētis, in quibus venistis: eccè ego (quia parùm superest) opere expleto te subsequor. Is autē, qui missus fuerat, Iulianus defensor mirabatur valdè, quidnā esset, quòd redire moraretur puer. Cumque reuertentē puerū conspicit, atq; in collo fœnum ex prato deferentem, vehementer iratus, cœpit clamare, dicens: Quid est hoc? Ego te misi hominē deducere, non fœnum portare. Cui puer respondit: Quem quæris, eccè subsequitur. Et eccè vir Dei clauatis calceatus caligis, falcem fœnariam in collo deferens veniebat. Quem adhuc longè positum puer suo domino, quia ipse esset, quē quæreret, indicauit. Idem verò Iulianus repentè vt vidit Dei famulum, ex ipso habitu despexit, eumq́; qualiter deberet alloqui, proterua mēte pręparabat. Mox verò vt seruus Dei cominùs affuit, eiusdem Iuliani animum intolerabilis pauor inuasit, ità vt tremeret, atq; ad insinuādum hoc ipsum, pro quo venerat, vix sufficere lingua potuisset. Qui humiliato mox spiritu, ad eius genua cucurrit, orationē pro se fieri petijt: & quia pater eius, Apostolicus pontifex, eum videre vellet, indicauit. Vir autem venerandus Equitius cœpit immensas gratias omnipotēti Deo agere, asserens, quòd se per summum pontificem gratia superna visitâsset. Ilicò vocauit fratres, pręcepit hora eadem iumenta præparari, atq; executorem suū cœpit vehementer vrgere, vt citò abire debuissent. Cui Iulianus ait: Hoc fieri nullatenùs potest, quia lassatus ex itinere, hodiè nō valeo abire. Tunc ille respondit: Contristas me fili: quia si hodierna die non egredimur, iam crastina non exiemus. Dei itaq; famulus executoris sui lassitudine coactus, in monasterio suo eadem nocte demoratus est. Sequenti verò die sub ipso lucis crepusculo, vehementer equo in cursu fatigato, ad Iulianū puer cum epistola peruenit: in qua præceptum est ei, nè seruum Dei contingere vel mouere de monasterio auderet. Quē cùm ille requireret, cur sententia esset mutata: cognouit, quia nocte eadem, in qua ipse executor illuc missus est, per visum pontifex fuerat vehemēter exterritus, cur ad exhibendū Dei hominem mittere præsumpsisset. Qui protinùs surrexit, seq́; venerandi viri cōmendans orationibus, ait: Rogat pater noster, nè fatigari debeatis. Cumq́; hoc Dei famulus audiret, contristatus ait: Nunquid non die hesterno dixi tibi, quia si statìm non pergeremus, iam pergere minimè liceret? Tunc pro charitatis exhibitione aliquantulùm executorem suum in Cella detinuit, eiq́; laboris sui cōmodum coacto renitentique dedit. Cognosce igitur, Petre, in quanta custodia sunt, qui in hac vita seipsos despicere nouerunt: cum quibus intùs ciuibus in honore numerantur, qui despecti foris hominibus esse non erubescunt: quia & contrà in Dei oculis iacent, qui apud suos & proximorū oculos per inanis gloriæ appetitum tument. Vndè & quibusdam veritas dicit: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum.

Vide sancti viri humilitatem.

Eius prophetia.

Luc. 16.

Petrus: Miror valdè, quòd de tali viro surripi pontifici tanto potuerit.

Gregorius: Quid miraris Petre, quia fallimur, qui homines sumus? An menti excidit, quòd Dauid, qui prophetię spiritum habere consueuerat, contra innocentem Ionathæ filium sententiam dedit, cùm verba pueri mentientis audiuit? quod tamen quia per Dauid factum est, & occulto Dei iudicio iustum credimus, & tamen humana ratione qualiter iustum fuerit, non videmus. Quid ergò mirum, si ore mētientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetæ non sumus? Multum verò est, quòd vniuscuiusque pręsulis mentem curarum densitas vastat. Cumque animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula: tantoq́; ei in vnaqualibet re surripitur, quāto latiùs multis occupatur.

2. Reg. 16. & 19.

Petrus: Vera sunt valdè, quæ dicis.

Gregorius: Silere non debeo, quod de hoc viro, Abbate quōdàm meo reuerendissimo Valentino narrante, agnoui. Aiebat nanque, quia corpus eius dū in beati Laurentij martyris oratorio esset humatum, super sepulcrū illius rusticus quidam arcam cum frumento posuit, nec quantus qualisque vir illic iaceret, perpendere ac vereri curauit. Tunc repentè turbo cælitùs factus, rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus, arcam,

Punitur irreuerentia erga monumentum S. Equitij.

arcam, quæ superposita sepulcro eius fuerat, extulit, longeq́; proiecit, ità vt palàm cuncti cognoscerent, quanti esset meriti is, cuius illic corpus iaceret.

Etiam ea, quę subiungo, prędicti venerabilis viri Fortunati, qui valdè mihi ætate, opere & simplicitate placet, relatione cognoui. Eandem Valeriæ prouinciam Longobardis intrantibus, ex monasterio reuerēdissimi viri Equitij in prædicto oratorio ad sepulcrum eius monachi fugerunt. Cumque Longobardi sæuiētes monasterium intrâssent, cœperunt eosdem monachos foràs trahere, vt eos aut per tormenta discuterēt, aut gladijs necarent: quorū vnus ingemuit, atque acri dolore commotus, clamauit: Heu heu sancte Equiti, placet tibi quòd trahimur, & nō nos defendis? Ad cuius vocem protinùs sæuientes Longobardos immundus spiritus inuasit: qui corruentes in terram, tam diù vexati sunt, quousquè hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoscerēt, quatenùs locum sacrum temerare vlteriùs non auderent. Sicque vir sanctus, dum discipulos defendit, etiam multis pòst remedium illuc fugientibus præstitit.

Nota miraculum ad sepulcrum sancti viri.

VITA S. THOMAE AQVINATIS, SANCTITATE ET DOCTRINA CLARISSIMI, PER F. LAVR. *Surium ex scriptis fide dignis collecta & confecta.*

7. Martij.



Præstantissimus vir D. Thomas Aquinas, tot fuit diuinitùs auctus & naturæ & gratiæ donis, vt inter pręcipuas Ecclesię Dei columnas non immeritò numeretur. Vita eius à diuersis conscripta habetur, sed à plerisque nimis breuiter: à nonnullis verò prolixè satis, sed stylo, quòd ad quosdam attinet, rudi & impolito, vt lectorem emunctioris naris facilè possit offendere. Itaque quæ ad tanti viri laudem & gloriam facere videbantur, aliquanto fusiùs, seruata tamen mediocritate, colligere studui, idque paulo latiniùs, quàm ij, ex quibus ea descripsi, vt laudetur præpotens Deus in sancto suo, & vir beatissimus eo, quo par est, ab omnibus honore afficiatur.

Genus & patria S. Thomæ.

Quòd igitur ad genus eius & patriam attinet, patrem habuit ex illustri familia Comitū Aquinatum, eumque Landulphum nomine: matrem verò Theodoram, & generis & morum nobilitate insignem, patria Neapolitanam. Porrò cùm adhuc mater eius Theodora eum vtero gestaret, vir quidam sanctus, in Campaniæ monte quodam cum plerisq; alijs vitam ducens eremiticam, re & nomine Bonus, ob vitæ sanctitatem iam fama celebris, ad eam in castro suo Rocha Sicca morantem accessit, eique dixit spiritu prophetico: Letare domina Theodora. paries enim filium Thomam, qui toto orbe ob vitæ & eruditionis præstantiam celebrabitur. porrò S. Dominici institutū idemipse complectetur. Cui illa respondit: Fiat Domini voluntas. Natus deindè puer est, & Thomas vocatus, nutricique traditus: quæ cùm eum aliquandò in balneo aquis vellet abluere, manum extendens infantulus, chartulam è terra sustulit nullo innuēte, eamque compressa cœpit retinere manu. Nutrix autem eum lauare cupiens, conata est chartulam è manu eius extrahere: at ille id non ferens, acriter flere cœpit. Itaq; nutrix pietate commota, noluit ei molesta esse: illaq; cessante, ille quoquè lachrymari desijt. Relicta igitur in manu eius chartula, nutrix eum abluit, ablutumque extersit & induit. Rem autem totam matri eius indicauit, quæ ęgrè tandèm infantis manum aperuit, ex eaque chartulam euulsit, in qua scripta visebatur angelica salutatio. Infans verò chartulam instanter repetijt, atque demùm ploranti redditam, ille mox deglutiuit. Visa est ea res plerisque non vacare & miraculo & mysterio, quòd eximius olim Ecclesiæ doctor futurus, in eam chartulam ante omnes incidisset, quæ nostræ salutis iucundissima initia contineret. Solebant posteà illi lachrymanti libellum aliquem offerre, eoque appræhenso, lachrymas remittebat, non sine multorum admiratione, qui indè colligerent, magnos illum in literis progressus habiturum. Quotiès etiam librum aliquem conspexisset in tenera ætate, ad illum accurrebat, & voluendo chartas, eiusmodi se ludo instàr puerorum oblectabat.

Eremita Bonus.

Chartulam angelica salutatione inscriptam deglutit.

Iam verò vbi ad quintum peruenit ętatis annum, à parentibus ad amplissimum illud Casinense monasterium missus est, & pietate & literis imbuendus. Eius monasterij fratres militant Christo sub regula S. Benedicti. Factū hoc est magno diuinæ prouidentiæ consi-

Traditur in Casinense monasterium.

consilio, nè tantilla ætas, si in prauos & mundo huic deditos magistros incidisset, aliquã ab ijs labem cõtraheret. Adhibitus autem illi est in eo monasterio præceptor, qui eum & optimis moribus, & egregijs instrueret disciplinis. Ab hoc verò sanctus puer sæpe importunis precibus extorquere solebat, vt ipsi diceret, quid sit Deus. Quæ autem ab illo magistro dicebãtur, manebant apud puerũ alta mente reposta. Erãt in illo monasterio etiam aliorum nobilium virorum pueri: in quibus si quos vidisset aut arrogantes, aut dissolutis & incompositis moribus, eorum consortia deuitabat. Gestare solebat manu chartulam, prima puerorum rudimenta continentem. Multa in illo visebatur morum maturitas, nulla puerilibus annis familiaris leuitas, nulla loquendi futilitas aut garrulitas. incipiebat enim iam tum in silentio secum ipse vtilia meditari, & certè in illa tam tenera ætate duabus ampliùs horis in precibus & Dei laudibus versabatur. Mouebant hæc eius cœnobij Abbatem, quippe cui haud obscurè indicarent, nihil vulgare aut mediocre ab illo ingenio quandoque expectandum: tandemque eò permouerunt, vt puerum tam præclaræ indolis parentibus remitteret, simul hortans, vt Neapolim eum disciplinis liberalibus accuratiùs instituendum ablegarent. Et ità factum est. Venit Thomas annos natus plùs minùs decem Neapolim, & pro admirabili ingenij viuacitate ità profecit in literis, vt cõmilitones suos omnes antecelleret. In Grammatica, Dialectica & Rhetorica fertur quodam Martino peritissimo præceptore vsus, in Physicis verò Petri Hybernici fontes esse sectatus. Iam fama increbrescebat, Neapoli esse adolescẽtem, qui eximijs virtutibus ætatem vinceret. Verùm ille, licèt valdè adhuc puer, iam alia animo voluebat, nec quid de ipso prædicarent homines, sed quomodò posset ipse gratam præpotenti Deo offerre seruitutem, sibi cogitandum existimabat. Per id tempus frater quidam Dominicani instituti, ingenium eius vehementer admirans, videre sibi visus est radios quosdam luculentos de eius vultu vibrari, qui longè lateque diffusi, cernentium oculos illustrarent.

Mores pueri.

Mittitur Neapolim.

Contigit autem F. Iohannem de S. Iuliano, cuius erat admodùm celebris opinio, in colloquium sancti Thomæ tunc fortassis incidere, Dei vtiquè spiritu id agente. Is eum hortari cœpit, vt contempta mundi vanitate, ad Dominicani instituti, cuius ipse quoquè ex professo erat monachus, complexum se conferret. Erat hoc nihil aliud, nisì iam currenti calcar addere. Iam enim ille venerabilis puer secum statuerat ad illud se vitæ genus transferre. Itaque quod mente deliberârat, confert in opus, & annos natus tredecim, contempta tam illustri generis dignitate, posthabitis amplissimis opibus, omnique fastu & pompa mundi huius proculcata, induit habitum S. Dominici, magis eligẽs abiectus videri in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, & omnibus mundi huius falsis & commentitijs bonis circunfluere. Eius verò sacri ordinis habitum ei contulit vir eximius & Deo deuotus F. Thomas Agni de Lentino, tunc quidem Prior Neapolitanus, sed posteà ex Messanensi Archiepiscopo Hierosolymitanus Patriarcha. Permouit autem animos omnium, quòd nobilissimus puer rem tantam esset aggressus, & ex opulẽto spontè elegisset fieri inops & pauper, nihilque huius mundi possidere. Solent enim in hominibus pijs & Deo deuotis id summoperè admirari, nonnunquàm etiam irridere & contemnere illi, qui in magna felicitate ponunt, honoribus & diuitijs, atque alijs id genus vitæ huius vanitatibus affluere. Et tamen de ipso filio Dei dicit Apostolus, Qui cùm esset diues, propter vos egenus factus est. Immò verò ipse dicit de seipso: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbì caput suum reclinet.

Amplectitur S. Dominici institutum.

2. Cor. 8.
Matth. 8.

Exemplum igitur dedit nobis, vt si velimus ad perfectionem adspirare, rebus omnibus nuncium remittamus. Fecerũt hoc innumeri sexûs vtriusque sanctissimi homines, atque in ijs etiam Imperatores, reges & principes: fecit etiam S. Thomas: sed mater eius, vt est matronarum in filios vehemens affectus, valdè id acerbè tulit, nolens priuari filio suo. Itaque multis stipata matronis, venit Neapolim. Et in hac quidem re commemoranda nonnihil variant scriptores. Alij enim dicunt gauisam fuisse matrem, cùm recordata esset olìm id prædictum fuisse, fore vt Thomas se conferret ad monasticũ vitæ genus: atque ea causa iuisse Neapolim, vt filium in eo proposito confirmaret: at tãdèm tamen animo fuisse commotam, cùm non daretur ei facultas filium alloquendi. Verebantur enim patres Dominicani, nè mater filium suis blandis colloquijs ab instituto reuocaret: dederuntque operam, vt primùm Romã, indè in Tusciam, mox Parisios Thomas perduceretur. Nec cessabat mater abeuntem Romam vsque insequi, sed ibì eum non inueniens, perturbari cœpit, maximè quòd nõ crederetur ipsi affirmanti, se nõ nisì

confirmandi filij causa eius colloquium expetere. Eo tempore fratres sancti Thomæ Landulphus & Arnoldus, viri strenui & prudentes, in castris Friderici II. Imperatoris militabant. Ad illos scribit mater, dent operam, nè Thomas possit ex Italia transire in Gallias. Illi lectis literis, non mediocriter commoti, assentiente Imperatore, locis opportunis fortissimos collocant viros, qui eum intercipiant. Nec defuit illorum conatibus prosper successus. Cùm enim Thomas sanctus puer cum quatuor socijs eiusdem professionis iter capesseret, & labore fessus, ad puteũ sederet, à militibus compræhensus est: qui eum habitu monastico vi spoliare volentes, cùm eũ cernerent modis omnibus obniti, nè quid incommodi acciperet, cum ad fratres illius adduxerunt. Ij porrò ad matrem eum ducendum curârunt. Dolebant intereà fratres Dominicani, quòd ea vi conspicerent abduci tantæ spei puerum. Porrò mater viso Thoma, ingenti gaudio affecta est, sed vincente muliebri affectu, persuadere illi conatur, vt religionis habitum deponat. Sed frustrà iacitur rete ante oculos pẽnatorum. Erat eius optimi pueri mens longè firmior & robustior in Christo, quàm quæ maternis posset blandimentis euerti. Cumque nihil proficeret, custodiendũ illum tradit militibus in castro quodam, donèc eius propinqui & cognati aduentarent. Nec sibi tamen ferendam putabãt Patres Dominicani illam vim allatam suæ professionis fratri, querelasque deferebant ad Innocentium IIII. Romanæ sedis Pontificem. Pontifex non immeritò rei indignitate permotus, ad Fridericum Imperatorem nuncios cum literis misit, adhortans eum, vt eius iniuriæ administros inquiri iuberet. Fridericus Imperator non id negligendum ratus, quod Pontifex admonuisset, milites compræhendi iussit & duci in custodiam: nec diù pòst fratres Dominicanos hortatus est, vt suas preces ipsi offerrẽt. Illi verò cùm in spem bonam venissent recuperandi Thomæ, per vim & iniuriam ablati, nolebant querelas apud Imperatorem deponere, nè si quid ille in milites grauiùs statuisset, scandalum indè nasceretur, & scrupulus quidam conscientijs inijceretur.

Fratres S. Thomæ. *Thomas comprę hẽditur.* *Prouer. 1.* *Traditur custodiæ.* *Mittuntur in carcerẽ, qui Thomã comprę hen derunt.*

Iam fratres S. Thomæ Landulphus & Arnoldus ad matrem proficiscebantur: sed omittendum hoc loco non est, quòd cùm illi ad Thomam venissent, eiusque insuperabilem constantiã cognouissent, sorores suas hortati sunt, vt ad eum se conferrẽt, eumque à sententia deducerent. Non recusârunt illæ, quod iussæ erant: sed vbì in eius congressum colloquiumque venerunt, ità ab illo, iam diuinitùs valdè illustrato, puero institutæ sunt, vt altera earum, posthabitis mundi pompis, sacris virginibus in monasterio se coniunxerit, ac demùm ijs pręfecta, in sancta professione sanctè obierit. Ea res magis etiam fratrum iracundiam concitauit, ità vt ad carcerem, quo Thomas continebatur, accederent, & iniurijs atque conuicijs eum exagitarent, deniquè habitũ monasticum discerperent, vt ille pudore affectus, ipsis assentiret. Sed sanctus puer cedens furori, & fragmenta vestium colligens, ijs se, vt potuit, rursùs induit, ex iniurijs, conuicijs & contumelijs pulchras sibi contexens patientiæ coronas. Non potuit autem iritatus furor quiescere: ad atrociora se eius fratres arma cõuertunt. Reuerà inimici hominis, domestici eius. Erat mulier venusta specie, quæ non ità pridèm nupta, iam corpus suũ omnibus prostituebat. Hanc inuitant, vt quibus possit blanditijs & lenocinijs pudicissimum adolescentẽ ad turpitudinem impellat. Ingreditur illa cultu & animo meretricio ad S. Thomam in carcerem, verbisque lasciuis & tactibus cœpit eius animum solicitare de re nefaria. Vt autem sensit castissimus adolescens se illius impuris illecebris & pestiferis suggestionibus nonnihil moueri, Nè quæso sinas, inquit, Domine Iesu & tu sanctissima Christi mater & virgo Maria, vt tam immani me scelere obstringam: moxque à foco arrepto titione, illam procacem & impudentem fœminam procùl à se abegit. Deindè clauso ostio, in quodam custodiæ angulo crucis figuram illo titione pinxit in pariete, seque prosternens in orationem, cum lachrymis Dominum rogauit, vt ipsi largiretur perpetuæ continentiæ & integritatis donum. Inter orandum autem cùm esset somno correptus, duo ei dormienti apparuère angeli, qui ei dixerunt, preces ipsius à Domino exauditas: simulque cingulo eius strinxerunt renes, ità dicentes: Nos à Domino iussi, zona castitatis te cingimus, nulla posthàc ratione dissoluenda. Interìm verò ille ex ea constrictione dolorẽ sentiens, exclamauit. Accurebant autem custodes, volẽtes scire, qua ex causa eos clamores edidisset. At ille prorsùs indicare noluit, quoàd superuixit: vbì autem se sensit moriturũ, indicauit fratri Reginaldo socio suo, quẽ etiam aliorũ secretorum suorũ conscium esse voluit. Fertur vir sanctus ab eo tempore, quo hęc illi accidit tentatio, vsqueadeò vitâsse fœminarũ colloquia, pręterquàm vbì vel vtilitas vel necessitas aliud postularet, vt solent homines sibi à serpentibus & scorpionibus cauere.

Mich. 7. Matth. 10. *Tentatur eius pudicitia.* *Angeli ei apparent.*

Tan-

Tandem verò mater eius Theodora, cùm iam biennio ferè in custodia illum detinuisset, verita nè Dei in se iram concitaret, fratribus Dominicanis copiam fecit eum ad se reuocandi. Eo autem tempore, quo sic asseruabatur velut in carcere quodam, crebrò illum inuisebat F. Iohannes de S. Iuliano, cuius suprà meminimus, quippe qui eum non mediocriter in Domino amaret: afferebatque illi vestes necessarias, idque tam occultè, vt ijs sese quidem indueret, sed rursùs apud eum exuens, illi eas relinqueret. Et multa sanè admiratione dignum est, quod quidam annotârunt, S. Thomā in eo carcere multa in literis tam egregiè calluisse, acsi ea ab eximijs præceptoribus didicisset. Porrò autem matre conniuente, subtractisque custodibus, per fenestram è castro Thomas deponitur, & à fratribus Dominicanis, qui iam eò aduenerant, excipitur, & cum multo gaudio Neapolim reducitur. Indè verò Romam missus est. Id temporis Iohannes Teutonicus, Ordinis S. Dominici Magister, vt vocant, doctrina & pietate clarus habebatur. Is Thomam secum Parisios abduxit: ibi cùm aliquot menses fecisset, missus est Coloniam Agrippinam, vt Alberti Magni, multiplici doctrina & vitæ sanctitate celeberrimi, prælectionibus interesset. Quem sanè vt audiuit, mirificè lætatus est, tantum se inuenisse præceptorem. Iam antè enim crebrò Dominum precatus erat, vt quandoquè liceret ipsi ad tantum virum peruenire. Vbi sanè obitèr illorum reprehendenda est temeritas, inscitia & impudentia, qui sanctum virum necromātię insimulant, & ei nescio quæ alia imperitè, nè dicam sceleratè, attribuunt. sed hæc fortassis alibi fusiùs dicentur. Fuit ille sanè incomparabili rerum plurimarū cognitione, & egregia quoquè vitæ sanctimonia præditus, vt non immeritò S. Thomas illo præceptore gloriaretur. Multam sibi eruditionis materiam sub illo collegit Thomas, qui iam quasi Pythagoricū quoddam sibi silentium indixisse videbatur, vt posset ad studia literarum maiorem animi attentionem adferre. Adeò verò perpetuò ferè ea taciturnitate vtebatur, vt condiscipulis eo nomine propemodùm in contemptum veniret, qui eum bouem mutum appellabant. Fortè per id tempus Albertus Dionysij de diuinis Nominibus librum prælegit, & Thomas non segniter auscultabat. Aderat ibi inter alios quidam benè literatus, qui cùm Thomam adeò silentij studiosum cerneret, eum obtuso ingenio & hebeti existimans, Percurramus, inquit, siue repetamus, quæ ab Alberto prælecta sunt. Thomas pro sua modestia libenter annuit. Inter repetendum autē cùm ille nonnihil erraret, à Thoma admonitus est, aliter Albertum sentire, quàm ab ipso putaretur. Cumque ille rogaret, vt Alberti sententiam explicaret, Thomas ità Dionysium interpretatus est, vt Albertum etiam vincere videretur. Perlatum hoc fuit ad illum, quem studiosorum magistrum vocāt, qui postera die ad locum clàm accessit, vbi Thomas prælectionem Alberti repetebat, diligenterque auscultans, eius ingenium & doctrinam valdè admirabatur, moxque rem totam Alberto aperuit.

E custodia dimittitur.

Mittitur Coloniā & audit Albertū Magnum.

Taciturnitas Thomæ.

Non diù pòst Albertus in publica disputatione quæstionem difficilem tractandam suscepit. Aderat Thomas, & dicta Alberti tenaci memoria asseruans, deindè scripto compræhēdit: sed cùm à cubiculo festinus exiret, chartula, in qua ea descripserat, ei excidit nescienti, inuentaque ab alio quodam, ad Albertum allata est. Qui cùm legisset, diuinā in eo gratiam, eamq; singularem, animaduertit. Itaque iussit, vt in proxima disputatione ad quæstionem non cuiuis obuiam Thomas responderet. Ille principiò recusauit prę verecundia & humilitate. sed cùm Albertus instaret, cessit humiliter. Cùm autem nō tam suo ingenio, quàm diuina gratia niteretur, ad obsecrandum Dominum Iesum se contulit. Vbi ad disputationē ventum est, tanta in respondendo dexteritate vsus est, vt Albertus ei palàm diceret: Thoma, tu mihi non tam respondentis, quàm doctoris locum obtinere videris: conuersusq; ad alios, Vos, inquit, hunc bouem mutum vocatis: sed ille certè tales quandoq; docendo mugitus dabit, vt totus possit orbis audire. Nihil verò sancti iuuenis animū hæc efferebāt, sed in multa se animi humilitate & synceritate continens, licèt alios ingenio & eruditione superaret, neminem tamen vel leuiter præ se contempsit, neque sibi aliquid arroganter attribuit. Ità factum est, vt & Alberto magistro & condiscipulis admirabilis haberetur, quippe qui non obscurè intelligerent, plenum illum esse spiritu Dei. Cùm iam verò aliquandiù Coloniæ hæsisset, & sub Alberto non mediocriter in literis & moribus profecisset, idem Albertus præclarum eius doctrinæ & sanctitati testimonium reddens, persuasit Magistro Ordinis, vt eum Lutetiam reuocaret, in S. Theologiæ Baccalaureum illic promouendum. Datis igitur ad eū literis, iussit Ordinis Magister, vt Parisios rediret, & se ad Sententiarū libros prælegendos compararet. Itaq; Lutetiam profectus, Baccalaurei titulo, licèt inuitus,

Alberti de Thoma sententia.

quòd

Parisijs fit S. Theologiæ Baccalaureus. quòd se ex multa humilitate indignum putaret, ornatus est. Indè se cōtulit ad Sententias Petri Lombardi prælegendas. In qua prælectione cum tanta gratia & dexteritate versatus est, vt omnibus longè antecellere putaretur, omnesque eius doctrinam & sapientiam suspicerent ac stuperent. Vtebatur enim peculiari quadam methodo, & singulares quasdam suis dictis rationes adhibebat, vt auditores eius minimè ambigerent, à patre luminum cælesti illum lumine perfusum & egregiè illustratum.

Postquàm autem Sententias cum omnium admiratione absoluit, & iam tempus adueniebat, vt Doctoris quoquè nomine & titulo insigniretur, Parisiensis Academiæ Cancellarius, vt vocant, eius rei admonuit Priorem fratrum Dominicanorum, qui Lutetiæ morabantur. Prior itaque mandat Thomæ, vt ad eam capessendam dignitatem se præpararet. Sed hic vir sanctus & humilis, ad solita modestiæ præsidia cōfugiens, cœpit multa prætexere, se nec scientia nec ætate tanto honori parem asserere. Neque enim id temporis annum ætatis trigesimum compleuerat. At vicit tandèm obedientia, & cùm maiorum suorum nō posset declinare imperium, cum magna humilitate illorum sese voluntati accommodauit: rursusque ad orationis studium se conferens, petijt ab omnipotente Deo opem & auxilium. Posteà illi dormienti quidam venerandus senex apparuit, eique dixit: Quid habes, frater Thoma, quòd sic Deū lachrymabundus oras? Cui ille respondit: Cogor magisterij & nomen & munus in me recipere, cui me scio imparem esse: nec video, quid thematis loco sumere debeam, quemadmodùm in scholis more receptum est. Tum ille senex: Noli, inquit, pusillo esse animo: vult Deus, vt Maioribus tuis hac in re obtēperes. Thematis autem loco habebis illud ex Psalmo: Rigās

Psal. 103. montes de superioribus suis &c. His dictis, visio ablata est, & Thomas expergefactus Deo gratias egit, quòd tam clementer ipsius preces admisisset. Promotus indè in S.

Promouetur in Doctorem. Theologiæ Doctorē, nihil de studio remisit, sed multas reliquit Ecclesiæ doctissimas & vtilissimas lucubrationes, quas nórunt studiosi. In ijs sunt illi eruditissimi libri, quos inscripsit, Summā contra Gentiles: in quibus, sicut & in cæteris sancti viri scriptis, non debemus dictionē spectare, quæ pro illius seculi more simplex est & scholastica: sed res & sentētias, quæ doctissimorum virorum iudicio sunt in illis admirabiles. Fuit verò etiam in sermone familiari ad persuadendum valdè efficax, quemadmodùm res subiecta docebit. Venit quandoquè ad Christi natalem diem Mollariam, quod est oppidum non longè ab vrbe Roma, vbi tum morabatur Cardinalis Richardus: venerunt autem eò etiam duo prędiuites Iudæi, in rebus Iudaicis egregiè instructi. Voluit igitur Cardinalis, vt cum illis Thomas sermonem conferret, & ad Christi religionem eos traducere niteretur. Suscepta est cum illis disputatio, multisque vltrò citroque allatis rationibus, tandèm scripturæ diuinæ testimonijs Thomas euicit, iam Christum & Messiam aduenisse, quem infelices Iudæi adhuc venturum somniant. Et illi quidem tunc à Thoma ea conditione dimissi sunt, vt in crastinum secum deliberarent, & si quas haberent, rationes contrarias adferrent: interim verò ille feruenti spiritu rogabat pro illis Dominum,

Duo primarij Iudæi ab illo conuertuntur. vt eos ad se conuertere dignaretur, qui pro peccatoribus nasci voluerit. Altero illucescente die, verus Lucifer in eorum cordibus ortus est, reuersique ad S. Thomam, posita Iudaicæ perfidiæ obstinatione, Christo nomen dedêre, & sacro abluti baptismate, Christum induerunt.

Ecstases eius. Admiranda fuit sancti viri inter orandum animi pietas & deuotio, & cùm se daret rerum diuinarum contemplationi, adeò persæpè visus est mente in Deum sublimiter excessisse, vt corpus pariter in aëre suspensum videretur. Præcipua autem deuotione afficiebatur erga illud præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum, solebatque quotidiè Missæ offerre sacrificium, nisi aduersa valetudine esset impeditus: nec hoc contentus, etiam alterius fratris Missam auscultabat, cui etiam vtplurimùm ipse inseruiebat. Sub ipso autem sacrificio, tanti sacramenti amore ebrius, non rarò in Deum rapiebatur, totus lachrymis infusus. Horis nocturnis, post breuem somnum, multùm vacabat precibus, vt à Domino posset obtinere gratiam scribendi & docendi, quæ expediret. Quicquid illi à necessaria corporis in somno ciboque ac potu parcè capiendo refectione ocij superfuit, id totum orationi, lectioni, meditationi, scriptioni impendebat, ità vt nullum temporis spatium absque fructu transmitteret. Cùm hominum colloquijs interesse cogebatur, ne illud quidem, licèt exiguum, tempus absque animi profectu transigebat, semper aliquid eiusmodi proponens, quod audientium saluti proficeret.

Animi eius puritas. Vbi autem licebat ad amica Cellulæ silentia redire, omissis omnibus, cum quibus erat locutus, qualescunque etiam illi fuissent, mox ad rerum diuinarum meditationem

sese

ſeſe recipiebat, idque animo tam libero & ad rogandum Dominum expedito, acſi interea ſecum verſatus fuiſſet. Quod vtique argumento erat, cæteris quidem rebus intereſſe & occupari eum potuiſſe, ſed non niſi Deo & rerum diuinarum ſtudio & contemplatione fuiſſe delectatum. Et eſt ſanè hoc in ſancto viro accuratè obſeruandum, quòd quoties vel ad diſputationem, vel ad lectionem ſiue ſtudium, vel ſcriptionem ſe conferre vellet, priùs ad feruenter rogandum Dominum ſe contulit, idque cum profuſis lachrymis, ſciens ſcriptum, omnem ſapientiam eſſe à Domino Deo. Indè factum eſt, vt illa etiam, de quibus anteà dubitârat, poſt eiuſmodi preces tam dilucidè perſpecta haberet, acſi ea lectione didiciſſet. Et huc facit, quod ipſe ſocio ſuo fratri Reginaldo ſecretò aperuit, & vſque ad obitum ſuum tacitum haberi voluit, ipſum ſcientiam & eruditionem ſuam, non tam ingenio & ſtudio, tametſi illa quoquè ei non defuêre, quàm fuſis ad Dominum precibus acquiſiuiſſe. Quod quidem ille Reginaldus poſt eius deceſſum crebrò in ſcholis & alibì referre ſolebat, dignum profectò, quod ſtudioſi imitentur. Nam qui poſthabito Dei timore, ſui ingenij viribus ſuaque induſtria nituntur, illi cùm in literis nonnihil proficiunt, animis intumeſcunt, & quemadmodùm à Leone Pontifice dictum eſt, cauſa illuminationis fit eis materia cæcitatis, & tum ſeipſos, tum alios ſæpè in abſurdos præcipitant errores. Sed de hoc ſatis. Eſt autem hoc quoquè in ſancto viro memorabile, quòd cùm ei eſſet integrum, libenter ſolitus fuerit aliquid in Patrum Collationibus lectitare, nè ex rerum ſubtilium ſpeculatione affectus eius nonnihil tepeſceret, poſſetque ſe rursùs faciliùs ad diuina contemplanda colligere & erigere. Et in hoc quidem S. Dominicum ſectatus eſt, quem eius libri lectione conſtat magnoperè fuiſſe delectatum, & ad magnam vitæ perfectionem incitatum atque promotum. Occurrit quandoquè S. Thomæ locus difficilis in Eſaia propheta, quem tum interpretabatur: cumque ad eius ſenſum & mentem penetrare non poſſet, multis diebus in ieiunia & orationes incubuit, donèc à Domino aperiretur, quod clauſum & abditum videbatur. Ità nocte quadam, cùm precibus vacaret, ſocius eius Reginaldus audiuit quoſdam cum illo miſcere ſermones, licèt percipere nô poſſet, quinam illi eſſent, vel quibus de rebus colloquerētur. Illis autem abeuntibus, Thomas ad ſe Reginaldum vocat, eumque iubet ſcribere commentaria quædam in Eſaiam, perindè illi ea dictans, ac ſi ex libro recitaret. Deindè iuſſus Reginaldus quieti membra reddere, ad Thomæ pedes corruit, eum obnixè rogans, & per Chriſti nomen obteſtans, vt diceret, cum quibus tam prolixè fuiſſet locutus. Recuſante diù Thoma, & rem ſecretam pandere nolente, Reginaldus in prece perſtitit. Tandèm igitur, nè Chriſti nomen, per quod adiuratus erat, negligere videretur, cum lachrymis ei dixit: Scis fili Reginalde, quàm me hiſce diebus afflixerim, ob loci huius obſcuritatem, cuius iam expoſitionem ex ore meo ſcripſiſti. Miſit autem pius Dominus ad me Apoſtolos Petrum & Paulum, quos mihi apud illum interceſſores adhibueram, & cum illis iam dulcia habui colloquia, iìque hunc mihi locum valdè luculenter explicârunt. Sed ego omnipotentis Dei verbis tibi præcipio, nè hoc, quod ex me adiurato cognouiſti, donèc ero in hac vita, cuiquam omninò reueles.

Eccl. 1

Diuinitùs edocetur.

Petrus & Paulus ei apparent.

Idem Reginaldus incidit quandoquè in febrem valdè moleſtam & continuam. Eum Thomas acceſſit, & optimis ſermonibus hortabatur ad patientiam. Ferebat autē vir ſanctus ad collum ſuum ſuſpenſas reliquias quaſdam S. Agnetis virginis & martyris, quam ſingulari amore & deuotione proſequebatur: monebatque Reginaldum, vt ipſe quoquè in illam ſanctiſſimam virginem animi deuotionem conciperet: ſimulque eius pectori ſacras reliquias imponens, Dominum pro fratris ſalute precabatur, & ille mox è lecto ſurrexit incolumis. Oranti quodam tempore S. Thomæ Neapoli in templo Dominicanorum apparuit frater Romanus S. Theologiæ Doctor, Ordinis S. Dominici, quem ille ſibi Pariſijs in prælectionibus reliquerat ſucceſſorem: qui non ità pridèm obierat, Thoma ignorante. Vt ergò illum vidit iuxta ſe ſtantem, Gratulor, inquit, te huc aduenìſſe: ſed quandò, oro, veniſti? Reſpondit ille: Ego iam exceſſi è corpore: permiſſum autem mihi eſt pro tuo merito tibi apparére. Territus eo reſponſo nonnihil ſanctus vir, cùm ſe collegiſſet, ait: Adiuro te per Dominum, vt indices mihi, num placeant Deo opera mea. Reſpondit Romanus: Perſeuera in hoc ſtatu, nec dubites grata eſſe Deo quæ facis. Et Thomas, Tecum verò, inquit, vt agitur? Reſpondit: Ego vita fruor ſempiterna. Attamen ob negligētiùs curatū teſtamentum, à Pariſienſi Epiſcopo mihi traditū, pœnas lui in locis Purgatorijs ad dies quin-

Reliquijs S. Agnetis curat morbum.

decim. Et Thomas: Scis, inquit, crebrò nos in disputationem illam adduxisse quæstionem, an permaneant in animo scientiæ, in hac vita acquisitæ: quæso, vt eam mihi expedias. Respondit Romanus: Ego Deum intueor: noli hac de re ex me sciscitari. Et Thomas: Vides'ne, inquit, Deum sine medio, aut aliqua re interposita? Tum ille: Sicut audiuimus, ait, sic videmus in ciuitate Domini virtutum: moxque disparuit, & S. Thomam multa reliquit consolatione perfusum. Alio tempore eidem sancto viro in preces incumbenti Parisijs soror eius apparuit, seque in Purgatorijs locis cruciari dixit, orans, vt sacrificia & preces pro ipsa Domino offerret. Curauit vir sanctus, vt fratres pro ea facerent vt petierat. Interiecto indè aliquanto temporis spatio, Romæ illi rursùs se visendam obtulit, indicans se à pœnis liberatam, viuere in beata vita. Interroganti autem S. Thomæ de duobus fratribus suis, respondit illa, Landulphum quidem teneri adhuc in locis Purgatorijs, Arnoldum verò habitare in cælis: addiditque: Tu quoque frater breui nobis iungeris, sed maior te gloria expectat, quàm nos, ob susceptos pro Ecclesia labores.

Psal. 47.

Soror ei apparet.

Inuitauit quandoque S. Thomam ad sumendum cum ipso cibum Diuus Ludouicus Galliæ rex. Excusabat se Thomas, quòd propter studiorum occupationes non esset sibi integrũ venire ad mensam regis. At compulsus tamẽ est iussu Prioris Parisiensis. Acriter id temporis animo incumbebat in Manichæorum oppugnationem: cumque sederet ad regis mensam ijs cogitationibus intentus, manu percutiens mensam, Definitum est, inquit, contra hæresin Manichæorum: vocansque ex nomine socium suum, perindè ac si esset in suo cubiculo, Surge, ait, & scribe. Prior verò illi assidens, eumque manu tangens, Domine Doctor, inquit, ad mensam regis hîc sedes, non ad mensam Cellulæ tuæ. Tum ille ad se reuersus, verecundè ait ad regem: Ignosce mihi Domine mi Rex, quia putabam me domi versari in cubiculo meo. At sanctus Rex valdè admirans, cum inter epulas vsqueadeò extra se positum, prudenter acciuit librarium, iussitque vt quamprimùm annotaret, quæ sancto viro erant diuinitùs inspirata. Similiter contigisse fertur, cùm sanctus vir ad Cardinalis Legati Tusciæ mensam sederet, qui eius visendi cumprimìs erat cupidus: quo tempore scribebat illud opus insigne aduersùs gentiles. Crebros patiebatur eiusmodi mentis excessus: sed tum præcipuè diuturnum, cùm esset in castro sororis suæ Theodoræ, non longè ante obitum suum, vbì sanè per triduum ferè permansit à corporeis sensibus abstractus, adeò vt soror eius, talium rerum imperita, non minimùm turbaretur, quæreretque ex socio sancti viri, quidnam ità subitò fratri suo accidisset. Cui ille respondit, Sæpe quidem illum extra se rapi, cùm se daret arcanorum contemplationi: at nunquàm tamen anteà tam prolixè eum se vidisse in eo mentis excessu. Tandèm verò idem frater sanctum virum fortiter traxit, eius appræhenso cucullo, sicque ad se redijt, & suspirans ait: Tibi fili Reginalde secretum aperio, prohibeoque nè id me viuente cuiquam reueles. Ego iam scribendi finem facio. sunt enim mihi talia diuinitùs ostensa, vt illorum comparatione ea, quæ hactenùs scripsi & docui, mihi exigua sanè videantur. Spero autem in Deo meo, quòd sicut scribendi, ità & viuendi mihi propediè finis aderit. Solebat verò sancti viri mens in eiusmodi raptibus nonnunquàm vsqueadeò abalienari à corpore, vt etiam magnos ei illatos dolores minimè sentiret. Erat illi ex medicorum consilio in tibia adhibendum cauterium. Ait itaque ad socium fratrem: Vbì venerit is, qui tibiam vsturus est, me fac quæso certiorem. Factum est ità. cumque vrendus esset, extendit quidem tibiam, sed adeò fuit mente abstractus, & in Deum subleuatus, vt vstionem illam neutiquàm perciperet. Itidèm alio quodam tempore in cubiculo scriptitans, & manu ardentem candelam tenens, extra se raptus est, ità vt candelam, eius manum diù adurentem, prorsùs non aduerteret: Id genus alia sæpiùs illi Parisijs accidisse compertum est.

Ad mensam regis Gallorum sedet ecstaticus.

Præ mentis excessu non sentit vstionem.

Fuit verò etiam multa illi gratia in habendis ad populum sacris concionibus: in quibus tamen vitare solebat ea, quæ ad curiositatem potiùs, quàm ad auditorum vtilitatem pertinere videbantur, ad hominum illorum, quibus loquebatur, captum se accommodans, & acutas subtilesq; quæstiones ad scholas amandans. Tanta autem cum reuerentia auscultabat eum populus, ac si è cælo eius verba manarent. Et erat sermo eius ad persuadendum efficax, cùm nihil verbis doceret, quod factis ipse non præstaret. Ardebant verba eius instàr facularum, & auditorum animos ad Dei amorem & animi compunctionem inflammabant, Domino cooperante & sermonem eius confirmante sequẽtibus signis. Concionabatur quãdoque Romæ sacratissimo Paschatis die, & ab

Est egregius cõcionator.

& absoluta concione cùm è suggestu descendisset, mulier quædam, quæ multo tempore sanguinis fluxum patiebatur, nec vllius medici opera curari poterat, fimbriam cuculli eius attigit, credens se sancti viri meritis posse sanari. nec est spe frustrata sua, illicò à tactu restituta sanitati. Sequebatur autem eum vsque ad monasterium S. Sabinæ, fratrique Reginaldo, quid ipsi contigisset, indicauit.

Miraculū.

Præter alias animi virtutes, ingens quoquè in sancto viro humilitas relucebat, quæ est custos virtutum cæterarum, de qua dicit Dominus Iesus: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Cùm enim Bononiæ in cœnobio ambularet contemplationi intentus, frater quidam alterius cœnobij, qui sanctum virum non nouerat, à Priore petijt, vt liceret ipsi cum fratre, qui primus ei venisset obuiàm, ad quædam expedienda negocia egredi in vrbem. Priore annuente, ante omnes incidit in S. Thomam, dixitque ei: Dilecte frater, Prior te iussit mecum ire. Mox præeuntem fratrem vir sanctus sequitur. sed cùm ille iret festinantiùs, non potuit eum assequi. Itaque non raro ab illo arguebatur, sed vir sanctus humiliter se excusabat. Vt autem ciues viderunt tantum virum parui momenti fratrem sequi, existimabant id errore fieri. Accedunt igitur ad illum fratrem, indicant quem virum post se ducat. Tum ille ad S. Thomam conuersus, obnixè rogauit, vt veniam daret suæ ignorantiæ. Ciues autem cum multa reuerentia virum Dei compellantes, sciscitabantur cur adeò se abijcere voluisset. Quibus ille respondit: Monastica omnis religio sanctæ obedientiæ studio perficitur, qua homo homini se subijcit propter Deum, quemadmodùm Deus ipse se hominibus causa salutis humanæ submisit.

Humilitas & obedientia sancti viri.
Matth. 11.
Perfectio vitæ monasticæ.

Præclaro inprimìs ingenio eum fuisse, præter erudita, quæ extant, eius scripta, etiam illud confirmat, quòd aliquandò in colloquio familiari ipse dixisse fertur, se nunquàm legisse librum, quem non etiam intellexisset: quod certè paucissimorum est. Memoria verò vsqueadeò tenaci fuit, vt quod semèl legisset, facilè animo retineret. Referre de illo solebat frater Reginaldus, itemque alij, quòd de diuersis rebus dictârit quandoquè tribus, interdùm verò etiam quatuor amanuensibus siue librarijs scribenda. Erga pauperes & in peccata lapsos ex infirmitate, multa commiseratione mouebatur. Diuitias, licèt vir admodùm nobilis genere, planè fastidiuit. Iuerat aliquandò ad sanctum Dionysium, cùm Parisijs degeret, ad visendas sacras reliquias: iamque reuertenti ostendebant socij ciuitatem Parisiensem, eamque laudibus efferebant. Tum verò ille ait: At ego mallem mihi dono dari Chrysostomi Homilias in Matthæum, quàm Lutetiam Parisiorum. Honores etiam amplissimos, vltrò ipsi oblatos, respuit. Clemens eius nominis 4. Romanus Pontifex, qui sanctum virum amabat, Archiepiscopatum Neapolitanum ei tradidit: sed ille non modò recusauit, verumetiam cum multa humilitate petijt, nè deincèps id genus dignitates in ipsum conferret.

Eius ingenium.
Memoria tenacissima.
Recusat Archiepiscopatum Neapolitanum.

Quantùm quidem ad corporis eius habitudinem attinet, fuit statura procerus & rectus, colore triticeo, magno capite, eoque quadam adsperso caluitie, viribus robustus. Cùm tempestates & tonitrua aërem concuterent, signo crucis se muniebat, ità dicens: Deus carnem suscipere dignatus est. Deus nostra causa mortuus est & resurrexit. Eo autem anno, quo vita functus est, cùm decumberet Neapoli, Iohannes Copa Neapolitanus & eius germanus frater Conus, professione Dominicanus, eum inuiserunt, amboque viderunt per fenestram sese inserentem stellam lucidissimam, quæ cùm aliquàdiu hæsisset super caput sancti viri, deindè rursùs abscessit. Iam verò tempus erat, quo Concilium generale Lugduni habebatur, ad quod eum proficisci voluit Gregorius Romanus Pontifex, eius nominis decimus. Annus tum agebatur à Christo nato 1274. Igitur Neapoli discedens vir sanctus, in ipso itinere ad castrum quoddam Franciscæ neptis suæ peruenit, vbi eum morbus corripuit, qui eius appetitum omnem ferè deiecit. Sciscitanti verò medico Iohanni de Guidone, num quem cibum omninò appeteret, ille respondit: Si haleces possent obtineri, quales habentur Parisijs, fortassis liberet ijs vesci. Sed hi pisces hic non extant. Abeunti autem medico, obuiàm venit quidam pisces ferens, quos sardas vocant. Illos medicus emit, & vbi attulit domum, in haleca mutati sunt. Vbi verò ad sanctum Thomam recentes haleces, quæ nunquàm ijs in locis feruntur haberi, allatæ sunt, ille diuinam admiratus benignitatem, noluit eas in cibum sumere, imitatus S. Dauidem regem, qui cupitam aquam, ex cisterna Bethleemitica haustam, noluit bibere, sed libauit eam Domino. Porrò miraculum illud passim diuulgatum est, & multi ex ijs halecibus comederunt. Tandèm tamen alio se cibo & potu nonnihil refocillauit vir Dei, diuinæ se prouidentiæ committens. Cœpto autem

Forma corporis.
2. Reg. 23.

deret, honoris causa in eius occursum processurus, Apostolus iussit eum pergere in prælectione suscepta. Sciscitabatur verò ex illo Thomas, num probè assecutus esset mentem Epistolarum eius. Cui Apostolus respondit: Quantùm quidem assequi potest quispiam in mortali corpore. & subdidit: At nunc tamen eò te perducturus sum, vbi longè maiori instrueris cognitione & intelligentia. Atque hæc dicens, videbatur illum, appræhensa eius veste, secum è scholis educere. Tum verò Frater Paulus Aquilinus, cœpit clamare fortiter: Succurrite, fratres, succurrite: en frater Thomas aufertur à nobis. Ad quos clamores excitati fratres, quærebant ex eo, ecquidnam vidisset ità clamitans. Illo autem visionem omnem ordine referente, hora annotatur: & facta diligenti inquisitione, animaduersum est, ea ipsa Doctorem sanctum excessisse è viuis.

In cœnobio Fossæ nouæ monachus erat Iohannes Ferentinus, vtroque penè orbatus lumine. Is priusquàm sancti viri corpus humaretur, ad illud se duci curauit: cumque eius faciem esset deosculatus, orauit Dominum, vt tanti viri meritis amissum sibi lumen restitueretur. eoque recuperato, in has voces erupit in præsentia fratrum cæterorum: Benedictus Deus. Eccè S. Thomæ meritis clarissimè video. *Cæcus recipit lumē ad sancti corpus.*

Postquàm autem sepulturæ mandatum fuit sacrum corpus, Abbas & fratres eius cœnobij non immeritò vereri cœperunt, nè tantus thesaurus ipsis quandoquè eriperetur. Erat enim eis instàr depositi illud corpus commendatum, & Frater Reginaldus eius socius ad eam rem notarium & testes adhibuit, iusseratque vir sanctus corpus suum opportuno tempore Neapolim deferri. Itaque intempesta nocte Abbas cum fratribus suis id ad sancti Stephani sacellum transtulit: verùm sanctus Doctor Iacobo Florentino, qui eius monasterij Prior erat, apparens in somnis, dirè eum obiurgauit, minasque intentauit, nî ad pristinum locum corpus reduceretur. Veritus autem ille diuinæ vltionis censuram, cum aliquot monachis & fratribus illis Laicis, quos Donatos vocant, ad sacellum sancti Stephani accedens, sepulcrum aperuit: vndè tanta erupit odoris suauitas, vt per monasterium diffusa, mox fratres omnes ad se inuitaret: quibus præsentibus detectum sacrum corpus, omnibus membris repertum est integerrimum, & ipse quoquè habitus prorsùs incorruptus. Quæ res tanto magìs visa est admirabilis, quòd vir sanctus magno & amplo ex naturali habitudine, fuisset corpore, & locus sepulturæ humidus esset: quæ solent celeriorem adferre putrefactionem. Vbì igitur fratres illi tam insigne miraculum viderunt, maiori erga sanctum virum deuotione concepta, corpus sacrum reuerenter & honorificè ad pristinum locum reportârunt. Altera verò die, indignum arbitrati Missam defunctorum pro illo cantare, in quo tam mira Dei opera conspexissent, Missæ officium celebrârunt, quod solet de Confessore non pontifice dici. Hæc autem prima sancti viri translatio septimo plùs minùs mense ab eius obitu facta est. *Transfertur sacrum corpus.* *Odor suauissimus è corpore.*

Cùm autem iam anni septem euoluti essent à prima hac translatione, Petrus Abbas monasterij Fossæ nouæ, sancti viri corpus denuò exhumatum, iussit in sepulcro marmoreo supra terram reponi: & tunc itidèm odor suauissimus indè manauit, corpusque & vestes illæsa fuère, nisi quòd parùm deerat extremi pollicis dextræ manùs: atque huius sanè rei idem Abbas testis iuratus fuit. Rursùs autem, vt ad omnes celebrior & certior de sancti viri gloria & meritis fama perferretur, eiusdem monasterij Abbas anno quartodecimo ab obitu illius, rogatus à sorore eius Theodora, vt manum eius dextram inter sacras reliquias asseruandam ipsi daret, monumentum aperuit, & tanta indè est odoris fragrantia effusa, vt monachi omnes accurrerent, rei nouitate obstupefacti: & tunc quoquè nihil neque in sacro corpore, neque in vestibus corruptionis inuentum est, prærerquàm quòd extrema suî parte nasus nonnihil imminutus cernebatur. Existimans autem Abbas leui tractu se posse manum à brachio auellere, cùm id frustrà tentâsset, coactus est ferro eam detruncare: quam quidem sancti Doctoris pijssima soror Theodora cum lachrymis admodùm reuerenter ad sacellum castri sui detulit, & inter alias reliquias collocauit. Porrò anno à morte S. Thomæ 42. Canonicus quidam Salernitanus, sacras reliquias inquirens, quas reponeret in sacello S. Crucis ab ipso constructo, ad castrum vbì manus S. Doctoris seruabatur, aduenit, multasque ipsi ostensas sanctorum reliquias reuerenter, vt par erat, venerabatur. Cùm autem diceret sacellanus castri, se adhuc maioris precij habere reliquias, nempe manū integram fratris Thomæ Aquinatis, ille spreuit & irrisit, dicens, illum sanctum non esse, sed vnum è familia sancti Dominici. Mox verò contemptum *Secundò transfertur & cernitur corpus integrum.* *Tertiò aperitur sepulcrū, & corpus incorruptū conspicitur.*

secuta

Pœna contemnentis eius sacras reliquias. secuta est vindicta cælestis. Nam tremor illum ingens apprehendit totius corporis, & caput eius mirè intumuit. Tum ille ad se rediens, seseque temeritatis arguens, veniam humiliter petijt à sacerdote, manumque sancti Thomæ reuerenter exosculans, & tremore & tumore se sensit liberatum. Percepit autem odorem mirificum ex sacræ manûs attactu, qui etiam illius vesti diù posteà inhæsit, adeò vt valdè admirati illi, inter quos versabatur, sciscitarentur ex eo, vndè esset odor tam eximius. Quibus ille crebrò exponebat totius gestæ rei seriem. Multa alia sancti Doctoris meritis sunt diuinitùs edita miracula, quorum etiam quædam recitat summus Pontifex Iohannes 22. in Bulla, qua sancti viri in Diuos relationem explicat: quæ euidentissimè declarant, quantùm possit apud præpotentem Deum. Nos breuitati studentes, ea omisimus, quoniam multa sunt, & habentur apud alios diuersos. Est autem vir beatissimus sanctorum catalogo adscriptus ab eo, quem iam diximus, Romano Pontifice Iohanne 22. Anno Christi 1323. die 18. Iulij.

DE SS. MARTYRIBVS ALEXANDRO ET EVBVLO, EX LIB. VIII. HISTOR. ECCLESIAST. EVSEBII, *cap. 21. interprete Ioanne Christophorsono.*

Martij 7.



Orrò dum sçuitia aduersùm istos vsurpata, in omnium ore & sermone versabatur, Adrianus & Eubulus ex regiōe, quæ Mangança dicitur, ad reliquos cōfessores Cęsaream versùs accedentes, ad portas vrbis causam sui itineris eò suscepti rogantur. Deindè rei veritatem ingenuè cōfessi, deducuntur ad Firmilianum. Iste, nulla dilatione aut mora interposita, post multa tormenta, quæ in eorum latera impegerat, bestijs dilaniandos condemnat. Biduo autem interiecto, Adrianus quinto die mensis Dystri, hoc est, ad tertium Nonas Martij, die festo quo natalitia Fortunæ Cæsareensium (sic enim putabatur) celebrari solent, leoni primùm ad discerpendum proiectus fuit: deindè gladio iugulatus, obijt mortem. Eubulus autem perendino die ad meridiem ipsis Nonis Martij, qui est septimus dies Dystri, cùm iudex illum admodùm rogaret, vt hostias immolaret idolis, quó libertate eorum legibus decreta potiretur, gloriosam mortem pro pietate susceptam, huic vitæ breui & caducæ præposuit: & post bestiarum laniatus, gladio vt socius ante illum, trucidatus fuit, omniaque martyrum certamina Cæsareæ confecta, suo sanguine postremus obsignauit.

Adrianus & Eubulus intrepidè se declarant.

Octauo die Martij habent Martyrologia Philemonis & Apollonij martyrium: sed de illis copiosè agitur in Passione Thyrsi, Lucij &c. die 14. Decembris, quò Lectorem remittimus.

HOMILIA BASILII MAGNI IN QVADRAGINTA MARTYRES, QVI APVD CAESAREAM *Cappadociæ passi sunt. Extat in primo Tomo Operum eius.*

9. Martij.



VIS modus aut quæ satietas martyrum memoriam prosequendi erit, illi præsertim, qui eorũ amore ac charitate magnoperè tenetur? Nam honor in bonos à conseruis collatus, beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet. Palàm est enim, quemadmodùm is, qui generosos homines ac fortes cum honore exceperit, in simili, si fortè contingat, occasione imitari non dedignabitur. Venerare igitur legitimè martyres, vt egregiæ tuæ voluntatis te testē adducas, ac demùm sine persequutione, sine igne, sine verberibus ac plagis, eodem cum illis præmio dignus habearis. Nobis hodierna die non vnum propositum est celebrare, neque duos, neque decem: sed viros quadraginta, qui vnam in diuersis corporibus animam retinentes, in vna conspiratione & concordia fidei, eandem erga res arduas

arduas constantiam, & pro veritate stabile propositum ostenderunt. Omnes inter se similes, pares sententia, pares certamine. Quamobrem & parem coronæ gloriam sunt promeriti.

Quæ digna laus, quę sermonis copia his poterit adhiberi? Non enim linguę quadraginta ad prosequendam talium virorum virtutem sat fuerint. Nec solùm multitudo tāta, phalanx militaris, cuneus insuperabilis, æquè & in bellis inexpugnabilis, àc in laudibus inenarrabilis: sed horum vnus tantùm, si legitimè fuerit oratione commendandus, nostram facilè vim ingenij sermonisque facundiam superabit. Igitur in mediū eos per commemorationem adducentes, ad communem omnium hîc adstantium vtilitatem constituere, palamque omnibus, quemadmodùm in pictura, fortia illorum facta reddere conabimur. Nam magnifica in bellis gesta, & oratores sæpenumerò, & pictores pulcherrimè demonstrant: Hi oratione, illi tabulis describentes atq; ornantes, amboque plures ad fortitudinem imitandam inducentes. Quæ enim sermo historiæ per inductionem præbet, eadem & pictura tacēs per imitationem ostendit. Sic & nos martyrum virtutem commemorantes, vos adstantes excitabimus, ac vobis sub adspectum ipsorū facta reducentes, eos, qui sunt animo aliquantulùm generoso, ac ipsis voluntate propinquiores, facilè ad imitandum accendemus. Hæc est enim martyrum vera laus, alios ad eorum virtutē æmulandam inuitare. Non enim encomiorum legibus, aut eorum, quæ in genere demonstratiuo reperiuntur, sermones de sanctis vllo modo seruiunt. Quoniā qui laudant cęteros, ex mundi huius rebus materiam vsurpare solent: quibus autem mundus crucifixus est, quomodò ex eo quicquam quod ad laudem faciat, mutuari poterit? Non erat his sanctis vna patria: alius aliundè venerat. Quid igitur? sine patria dicemus eos, aut orbis ciues? Sicut enim in symbolorum collationibus, quæ oblata sunt, communia existunt omnium conferentium: sic & in his beatis, cuiuslibet patria communis omnium erat: & omnes è diuersis terrarum locis, tanquàm ex vno, duxerant omnia communia. Sed quid opùs terrestres memorare patrias, cùm liceat, quæ iam illis vera patria sit, nôsse? Patria igitur horum martyrum, Dei ciuitas est, cuius author atque conditor ipse Deus. Hæc est superna Hierusalem, quæ libera est, quæ est mater Pauli, & omnium ei similium. Genus autem humanum, aliud alij: genus verò spirituale, vnum omnibus omninò. Cōmunis nanque eis pater Deus, & fratres omnes, non ab vno & vna descendentes, sed ex adoptione spiritûs in vnam concordiam inter se per charitatem conuenientes: Chorus paratus: conuentus maximus eorum, qui ab initio Deum laudant: non singulatìm congregati, sed cumulatìm dispositi.

Orationes & picturæ quid conferant.

Martyrum vera laus.

Martyrum patria. Galat. 4.

Quis autem dispositionis modus? Hi magnitudine corporis, & ætatis flore, ac virtute, cæteris omnibus præcellentes, ad militares ordines regendos promoti sunt. In tantam quoquè Imperatoris dignationem venerunt, vt ob bellorum experientiam & animi fortitudinem primas apud eum obtinerēt. Vbì verò iniquū præconium edictumq; omnibus denunciauit, nè quis Christum profiteretur, propositaque omnia pœnarum genera confitentibus: multa quoquè à iudicibus iniustis ira & feritas prodit, multę tendebantur vbiquè insidiæ, doli, delationes: ignis insupèr paratus, ensis in promptu, crux affixa, botrus, rota, flagella. In tanta igitur fidelium turbatione, nonnulli fugiebant, alij succumbebāt, alij fluctuabant, quidam ante certamen solis minis absterrebantur: alij vbì coràm videbant intētatos cruciatus, consternabantur: alij certamen ineuntes, deindè vsque ad finem laborum durare nequeuntes, pugnam ac periculum detrectabant, & velut in pelago naufragātes, quæ virtute patientiæ parta multorum annorum secum in naui vehebant, per impatientiam amiserunt. Tunc igitur hi quadraginta inuicti & generosi Christi milites, cùm pręfectus Imperatoris literas ostendisset, & obedientiam requireret, libera voce, audactèr ac fortiter, nihil ex ijs, quæ viderant, exemplis expauescendo, sed minas omnes contemnendo, in medium procedentes, sese Christianos esse fassi sunt. O beatas linguas, quæ sacram illam vocem emiserunt, quam aër quidem excipiens, sacer est factus, angeli audiētes plauserunt: diabolus verò cum dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus postremò in cælo descripsit.

Martyrum 40. præstantia & dignitas.

Constantia martyrum.

Igitur horum quilibet in medium procedens: En, ait, Christianus sum. Et velut in stadijs, qui ad certamen prodeunt, dicunt sua nomina, & in locum pugnæ describūtur: sic & hi tunc nobilitatis generisque ac dignitatis propriæ obliti, tantùm seruatoris sui professi sunt nomen: quod omnes ordine fecerunt. Ex quo facta est omniū vna appellatio. Non enim talē ac talem, sed Christianos omnes se clamantes. Hoc itaq; cernens præfectus, anxius ac dubius erat, an blādis verbis vel potiùs minis eos ad obtemperan-

 dum

Blanditur primum vt alliciat.

dum deduceret. Primùm quidem ipſos, ſi quo modo à pietate obſtinata poſſet auertere, dulci aggreditur ſermone: Nolite, inquit, iuuenes ętatem perdere veſtram, neque intempeſtiuam mortem cum dulci hac & amœna vita commutare. Abſurdū nanque eos, qui in bellis ſunt aſſueti fortia gerere facta, morte prauorum hominum perire. Poſt hæc pecuniam pollicebatur, honores ex Imperatore, dignitatesque ac ordines militiæ primos offerebat. Cùm his rebus nihil proficeret, aliud genus aliumq; modū tentauit: plagas, mortes, pœnas intolerabiles oſtendit. Et hic quidē talia: Martyres verò qualia?

Terret, vt euertat.

Martyrum egregia vox

Quid, inquiunt, muneribus tuis nos demulcere ſtudes Dei hoſtis, vt diſcedamus à Deo viuente, ac dæmonibus pernicioſis ſeruiamus? Putáſne tantum te daturū, quantum eripere contendis? Tua reſpuo dona, quæ nocumentum mihi conciliant: nō accipio honorem, vndè mihi naſcetur ignominia. Pecuniam da, quæ permaneat ac continuò duret: gloriam, quæ ſemper floreat. Me Imperatori vis facere familiarem, ſed me à vero rege alienare quæris? Quid enim hęc minima, quę tu vocas magna, ex mūdo polliceris, cùm mūdus vniuerſus à nobis deſpiciatur? Non ſunt omnia, quæ videri poſſunt, ſpei paria, quam continuò retinemus. Vides hoc cælum, vt adſpectu pulchrum, vt magnum, & terram, quanta eſt, quot've in ipſa mirabilia? Nihil horum iuſtorū felicitati ac beatitudini æquiparari poterit. Illa nanque velociter tranſeunt, hęc continuò durant. Vnam tantùm iuſtitiæ palmam expecto, circa vnam gloriam, quæ in regno eſt cælorū, ſolicitor. Honoris ſuperni cupidus ſum, pœnas varias gehennæ metuo. Illius ignis mihi formidoloſus. Nam ignem eum, quem vos nobis intentatis, cōſeruus eſt. Nouit & ipſe vereri eos, qui idola contemnunt. Sagittas infantium, veſtras plagas exiſtimamus. Corpus enim cædis, quod eo clariorem aſſequetur coronā, quo magis tibi reſiſtet. Si verò defecerit, eo citiùs à iudicibus violētis ſolutum abſcedet: qui quoniam corporum dominium accepiſtis, etiam animabus dominari contenditis: & niſi Deo noſtro præferamini, non ſecùs indignamini, quàm ſi ad extremum vſque à nobis vituperemini: & hac ratione horrenda hæc ſupplicia intentatis, vt pietatem noſtram culpabilem reddatis. At nacti eſtis non meticuloſos, neque huius vitæ cupidos, nec qui facilè cōſternentur. Pro charitate, proque fide in Deum, & in rota poni, & cruci affigi, & flāmis vri, ac omnibus demùm modis torqueri parati ſumus.

Crudele ſupplicium ab immani iudice conſtitutum.

Vbi verò hæc audijt barbarus ille ac ſuperbia tumidus, audaciam ac loquēdi libertatem minimè ferens, furore percitus, modum conſiderare cœpit, quo mortē eis acerbiſſimam prolixamque pararet: inuenit tandèm. Audite itaque, rem quàm duram ſit commentus. Animaduerſo ille regionis naturam ſalebroſam & collibus præruptam eſſe, ac brumæ tempus inſtare: obſeruauit, in qua maximè parte frigus vehemens, ac boreæ flatus horridior eſſet. Iuſſit omnes nudos ſub dio in media ciuitate cōgelandos mori. Nóſtis autem fratres dilectiſſimi omnes, qui hyemis horrores eſtis experti, quod ſit genus hoc pœnæ. Non enim nóſſe licet, niſi ijs, qui exemplis ſimilibus periculum fecerunt. Corpus inprimis frigore proſtratum, primùm in pallorem concreto ſanguine vertitur: deindè turbatur & fremit, dentes frendunt, venæ contrahuntur, adeoque & totum corpus conſtringitur. Dolor inſupèr quidam acutus, & labor inenarrabilis per medullas penetrans, intolerabilem facit ſic frigore concretis dolorem. Deindè in acutum tendit, vt ab igne cùm ſumma cremantur. Ab extremis nanque corporis partibus conſequens vapor, & ad interiora ac penitiora confugiēs, quædam vndè abſiſtit, mortua relinquit: nonnulla verò ad quę tendit, doloribus afficit morte paulatìm procedente. Igitur ſancti Dei ſub dio pernoctare in ſtagno quodā iuſſi ſunt, quod pro mœnibus ciuitatis erat: ac per brumam ità glacie concretum apparebat, vt equis peruium & accolarum pedibus tritum eſſet: aquæ verò ſolitum nō retinerent curſum, earumq; natura mollior in lapidis duritiem concreſceret. Boreæ nanque mordētis ſpiritus, animantia omnia iuxtà verſantia interimebat.

Martyrum admiranda fortitudo.

Hîc itaque, audito damnationis iuſſu, martyres conſiderate quanta fuêre conſtantia: qui loco cum ſumma lætitia conſpecto, vltimum nuditatis amictum alacriter reijcientes, per frigus ad mortem properârunt: non tanquàm ad ſupplicium, ſed ad glorioſiſſima ſpolia rapienda, ſe inuicèm hortando deſcendentes. Non enim, inquiunt, amictum exuimus, ſed veterem hominem, concupiſcentię deceptione corruptum, deponimus. Gratias agimus tibi Domine, quòd cum iſto amictu ſimul & peccatū exuere licet: quoniam ob ſerpentem, eum induimus: ob Chriſtū verò, exuimus. Relinquamus hunc amictum propter paradiſum quem perdideramus. Quas Domino, qui pro nobis eſt ſpoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum ſeruo, ſi ea, quæ paſſus eſt

Dominus,

Dominus,subeat? Nos causæ sumus,vt illi vestis detraheretur: longè magìs quàm militum audacia,qui eam diripuêre ac sortiti sunt. Durum profectò frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies,sed delectabilis requies. Breui tēpore durantes,sinus Abraham nos perpetuò fouebit. Vnam noctem cum æuo sempiterno commutabimus. Incēdatur frigore pes,vt cum angelis continuò saltet. Torpescat frigore manus,vt facultatem habeat in Deum attollendi. Quot enim nostri commilitones ceciderunt, fidem mortali regi seruantes? Nos pro fide in verum Deū seruanda hanc vitam non proijciemus? Quot item malefici homines mortem tulerunt in scelere depræhēsi? Nos verò pro iustitia mortem non subeamus? Nè obsecro cōmilitones emolliamur,neu terga diabolo demus. Quandò semel mori oportet,moriamur vt viuamus. Fiat sacrificiū nostrum coram te Domine: & velut hostiæ viuētes tibi placentes,nosmet hoc sæuo gelu immolantes abs te recipiamur. Pulchrum quidem sacrificium,pulchra oblatio,pulchrū holocaustum: non quidem per ignem,sed per frigus absumptum. Hæc igitur & his similia credibile est inter se dixisse, ac communem laborem in Domino solatos esse. Velutì quandam in bello custodiam instruentes,eam noctem sæuos cruciatus sustinendo atque algendo prætерiêrunt, tantùm spe certa gaudentes, & hostem continuò deridentes. Vnum erat omnium votum: Quadraginta in stadium intrauimus, totidem Domine coronas tribue. Non desit numero nec vnus quidem. Preciosum est tempus, quod quadraginta dierum ieiunio ornâsti, per quod diuina lex in orbem transiuit. Quadraginta item dierum ieiunio Elias Dominum exquirens,videre meruit. Et oratio quidem eorum talis. Exod.34. 3.Reg.19.

Vnus ex eorum numero, indè per animi inconstantiam subterfugiens, mœrorem socijs maximum reliquit: nec propterea Dominus eorū vota inania permisit esse. Nam propè aderat quidam,cui eorum custodia credita est, in gymnasio quodam è vicino à frigore seruatus,& exitum rei expectans,paratusq; martyres, si qui fugerent, vt eis clarè pollicitus fuerat,in lauacro quodam aquæ calidæ,quod iuxtà situm erat,excipere ac seruare. Res à Præfecto astutè excogitata, talem videlicet inuenire certaminis locū, in quo paratum damnati haberent refugium, vt omnem cœpti propositi constantiam amitterent. Sed hoc martyrum patientiam clariorem reddidit. Nō enim qui cogitur, est constans,sed qui liber & in oblectationis copia dura pati potest,is demùm constans ac patiens est. Custos itaque dum hos obseruaret,quosdam è cælo descendentes angelos,ac coronas singulis martyribus,vno excepto,distribuentes adspexit. Is autē, quem indonatum illi reliquerunt,ac honoribus cælestibus indignum iudicauerunt,ea repertus est animi mollitie atque inconstantia, vt statim laboris tolerantiam desperans, ad hostes transfugeret,miserabile prorsùs spectaculum,miles trāsfuga, vir fortissimus captus, Christi ouis à lupo direpta: & quod miserabilius, à vita perpetua cælestique excidens,neq; hac postremò diù gaudens. Nam vbì calidam attigit aquam,corpore,quod glacie torpebat,dissoluto,statim interijt. Custos verò, qui prodigium hoc viderat, vbì illum fugientem conspexit,relictis omnibus,sese in eius demisit locum, ac vnam cum sanctis illis vocem emisit: Christianus & ego sum. Itaq; cùm eius subita mutatione stuporem illis incuteret,& numerum impleuit,& mœstos ob sociū amissum sanctos consolatus est: eos imitando,qui in acie prima,vbì fortè aliquis ceciderit,statim ordini alium restituunt ac surrogant,nè proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipse se gessit. Vidit miracula cælestia,agnouit veritatem,ad Dominum confugit, cum martyribus annumeratus est. Exemplum est apostolorum imitatus. Abijt Iudas, Matthias est surrogatus. Imitatus & Paulum,qui herì persecutor,hodiè factus est euāgelizator. Supernè & ipse vocatus,non ab hominibus neque per homines, credidit in nomine Domini Iesu Christi. Baptismum suscepit,non ab vllo, sed à propria fide: non in aqua, sed in proprio sanguine. Cùm verò primùm illuxit,adhuc spirantes, igni traditi sunt, ac cineres in fluuium proiecti,vt per omnem creaturam eorum transiret certamen. In terra primùm exerciti, deindè in aëre sub dio durauêre: postremò igne crematos aqua excepit. Horum est ergo vera vox illa: Transiuimus per ignem & aquā, & eduxisti nos in refrigerium.

Vnus deficit in tormentis. Constans quis sit. In apostatę locū custos martyrum succedit. Actor.1. Actor.9. Psal.65.

Hi sunt,qui nostram obtinentes regionem,quasi quædam turres cōtra aduersariorum incursum refugium exhibent. Nec vno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt: nec tamen separati, sed inter se commixti: si in singulos ipsos diuiseris, proprium numerum nō excedunt: si verò in vnum congregaueris,quadraginta nihilominùs erunt,ac ità vt ignis natura permanent. Nam

ille & ad progredientem transit, & totus est apud habentem: sic hi quadraginta sunt vnum, & omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc, fratres dilectissimi, gratiã hanc minimè deficiẽtem, ex Deo obtinemus. Paratum est hîc Christianis auxilium, Ecclesia videlicet martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpè operam dedistis, sæpè laborâstis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis: quadraginta sunt hi, vnam orationis emittentes vocem. Vbi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est. Vbi verò quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentem? Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursùs lætatur, hos oret. Hic vt à malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis. Hîc mulier orans pro filijs auditur: peregrinanti viro reditum incolumẽ, ægrotanti verò salutẽ implorat. Cum his ergò martyribus nostras effundamus preces. Adolescentes, suos coæuos imitentur: patres, talium esse filiorum parentes exoptent: matres, exemplum matris optimę spectent. Nam vnius illorum mater alios iam penè frigore consumptos adspiciens, suum verò filium ob vires aliquantulùm validiores, & aduersùs dura constantiam, adhuc viuum & permittentibus lictoribus, vitæ consulere valentem: ipsum proprijs accepit manibus, ac currui, in quo reliqui iacentes ad pyram ferebãtur, apposuit martyris vera mater. Non enim lachrymam indecoram effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere visa est. Sed ô nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, nè à choreæ deseraris, néve inferior alijs Domino appareas. O matrem felicem, ô bonæ radicis bonum germen. Ostendit generosa parens, quemadmodùm pietatis institutis eum magis quàm lacte educauerat. Et hic quidem sic nutritus, sic elatus est à pia genitrice. Diabolus verò his visis, præ verecundia discessit. Frustrà nanque omnem propè creaturam mouerat, & tamen omnia à virtute martyrum superata vidit. Nox horrida & ventosa, tempus anni frigidissimum, corporea nuditas, patria borealis.

In sanctis paratũ nobis est auxilium.

Matth. 18.

Sancti inuocandi.

Matris egregium facinus.

O sanctum chorum, ô sacrum ordinem, ô cuneum inexpugnabilem, ô communes generis humani custodes, optimi curarum socij, precum ac votorum inuicèm suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores ecclesiarum: vos non terra contexit, sed cælum excepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ, dignum profectò exercitibus angelorũ, patriarchis, prophetis, & iustis omnibus spectaculum. Viri ætate florentes ac pares, vitam alacriter despiciẽtes, supra parentes ac filios Deum amantes, in ipso vitæ flore existentes, temporariam hanc vitam contempserunt, vt in membris suis Deum reciperent, mũdo simul & angelis & hominibus spectaculum facti, mœstos erexerunt, dubios in fide confirmauerunt, pijs desiderium auxère: vnum omninò pro pietate trophæum erigentes, vna iustitiæ corona ornati fuère: In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & imperium nunc & in æterna secula, Amen.

Nota quæ hic dicũtur de Sanctis.

MARTYRIVM EORVNDEM SANCTORVM QVADRAGINTA MILITVM, EX SIMEONE *Metaphraste.*

9. Martij.



TEmpore Licinij Imperatoris magna fuit in Christianos homines persecutio, & omnes, qui piè de Christo sentiebant, dijs immolare cogebantur. Ad hoc autẽ diaboli ministerium propensissimus erat Agricolaus, pręfectus perniciosus atq; sæuissimus. Christianis igitur, qui in exercitu militabãt, imperabatur, vt dijs sacrificarent. Erant porrò ex Cappadociæ regione, qui vno in contubernio piè Deũ colebant, milites quadraginta, viri in bello fortissimi, atq; inuicti, quorũ nomina hęc sunt: Domitianus, Eunoicus, Sisinnius, Heraclius, Alexander, Iohannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Meliton, Ecditius, Acacius, Viuianus, Heluius, Theodulus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cyrion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priscus, Euthycus, Smaragdus, Philoctimon, Aërius, Michallius, Lysimachus, Domnus, Theophilus, Euthycius, Xantius, Angias, Leontius, Isychius, Caius, Gorgonius, Cãdidus. His cõpræhensis, Præfectus imperat, vt dæmonibus immolent: eosque alloquitur ad hunc modum: Mutuam inter vos concordiam in bellis declarâstis: qua quidem concordia victoriam exercitui peperistis. Eundem nunc etiam consensum, pari voluntate Imperatoris legibus obtemperantes, ostendite, dijsque priusquàm suppliciorum vi cogamini, sacrificate.

Nomina 40. militũ.

Ad hæc sancti milites tyranno respondentes: Si pro mortali Imperatore pugnantes, inquiunt, vicimus, vt ipse testaris infelix, quanto magìs pro immortali certamē subeuntes, malitiam dolosque tuos superabimus? Tunc Agricolaus Præfectus: E duobus, inquit, vtrum magìs libet, eligite, vt vel dijs immolantes, ad maiores dignitatis gradus ascendatis: vel id recusantes, ignominia notati, honore militari spoliemini. Considerate igitur & eligite, quod vobis vtilius videtur. Sancti verò milites: Vtilitas, inquiunt, nostra Deo erit curæ. Pręfectus autem: Omissis, inquit, nugis, crastina die ad immolandum dijs accedite. Et eos in carcerem conijci iussit. Quò illi ingressi, flexis genibus Dominum his verbis precabantur: Eripe nos, Domine, à tentationibus, & à scãdalis operantium iniquitatem. Cùm autem vespera aduenisset, cœperunt psalmum hunc canere, atq; dixerunt: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei commorabitur: & quæ sequuntur. Cumque psalmum hunc percurrissent, dimidium noctis insomnes transegerunt. Præcinebat autē illis sanctus Cyrion. Sancti verò Candidus & Domnus respondebant. Sed Dominus ipsis se perspicuum præbens: Initia, inquit, vobis pręclarè se habent: sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hanc vocem omnes audiuerunt, & perterrefacti, ad auroram vsque insomnes permanserunt.

Cōstans responsum martyrum. *Psal. 90.* *Mat. 10. 24.*

Præfectus autem, amicis omnibus cōuocatis, sanctos adduci iubet, atque ità loquitur: Quæ in præsentia dicam, non loquar ad gratiã, sed vt sese veritas habet. Quotquot Imperator milites habet, nec sapientia sunt vobiscum, nec fortitudine, nec pulchritudine comparandi, neque ità diliguntur à me, quemadmodùm vos. Itaque nolite beneuolentiam in odium conuertere. In vestra enim est manu, vt vel odium à me, vel gratiam ineatis. Cui sanctus Candidus respondit: Cum moribus, inquiēs, congruit nomen tibi Agricolaë: Es enim agrestis adulator. At ille: Nónne, inquit, dixi, in vestra esse potestate, vt vel odium, vel gratiam ineatis? At sanctus Candidus: Quoniam, inquit, hoc in nobis est, ideò te odio prosequimur: Dei autem nostri gratiam atque beneuolentiam quærimus. Tu verò, agrestis & immanis homo, atque inimice Deo nostro, noli nos diligere, cùm sis impius atque inuidus, & ignorantiæ tenebris coopertus, ferisque moribus agresti nomini respõdeas tuo. His verbis Præfectus indignatus, & dentibus frendens vt leo, iussit eos in vincula atque custodiam trudi. Sed sanctus Cyrion: Non habes, inquit, potestatem puniendi nos, sed tantùm interrogandi. Qua territus oratione Præfectus, iussit illos solutos in carcerem duci, Aglaioque custodi, vt eos diligenter seruaret, imperauit. Ducis enim aduentum expectabat. At illi per totam diem & noctem à sancto Cyrione erudiebantur, qui sic eos alloquebatur: Dei consilio factum est, amici, vt in hac caduca militia cõiungeremur. Quamobrem operam demus, nè seiungamur. Sed quemadmodùm vno animo, eademque sententia viximus, sic etiam martyrium perferamus. Et quemadmodùm hîc grati fuimus mortali Imperatori, ità immortali Imperatori Deo chari esse studeamus.

Serpentina vox. *Contēnitur à sanctis.* *Ducūtur in custodiam.*

Diebus igitur septem elapsis, cùm adhuc in carcere sancti detinerentur, Dux rediјt Cæsaream. Cumq; Sebasten ingressus esset, atque in tribunali vnà cum Præfecto consedisset, octauo die sanctos in iudicium adduci imperauit. Eos autem in via sanctus Cyrion sic adhortabatur: Fratres, nè timeamus. Nónne cùm essemus in prælio, Deum inuocauimus, & opitulatus est nobis, & vicimus? Memoria repetite, cùm manus consereremus in magno prælio, & reliqui omnes se fugæ dedissent, & nos in hostium medio soli quadraginta relicti essemus, Deo cum lachrymis supplicâsse, eiusq; auxilio partem ipsorum occidisse, partem ità profligâsse, vt nemo ex nobis in tanta turba vulneraretur. Nunc autem tres sunt, qui nos oppugnant, Satanas, Dux, & Præfectus. Immò verò nos vnus tantùm hostis persequitur, qui nõ perspicitur. Vnus ergò quadraginta superabit? Absit. Id, quod semper fecimus, nũc etiam nobis faciendũ existimo, vt ad Deum confugiamus. Hoc nobis opitulante, nec carcer nos lædet, nec tormenta, nec vincula. Nónne semper institutum hoc obseruauimus, vt prælium ineuntes, psalmum hunc diceremus: Deus, in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me: Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei? Nunc item psalmum hunc dicamus, & exaudiet nos Deus atque adiuuabit. Hunc igitur psalmum, dum ad tyrannos ducerentur, pronunciabant. Omnes autem ad spectaculum concurrebant.

Psal. 53.

Verùm cùm ad Ducis & Præfecti præsentiam essent constituti, Dux, oculis in eos defixis: Isti cogentur, inquit, vt ad maiores honoris gradus velint conscendere? Et ad illos cõuersus: Maximas, inquit, à me dignitates & plura, quàm alij munera percipietis. Vobis iam datur optio, vt vel deis sacrificantes, maxima dona & maiorem dignitatem

Blãditur, vt fallat: terret, vt frangat.

 consequa-

consequamini: vel si id facere recusabitis, honore militari priuemini, & supplicijs statim afficiamini. Candidus: Aufer, inquit, nobis non solùm militiæ honorem, sed etiam ipsa corpora. Nihil enim Christo præstãtius, aut magis præclarum existimamus. Tunc Dux imperauit, vt ora sanctorum lapidibus percuterentur. Candidus autem, O dux, inquit, tenebrarũ, & totius magister iniquitatis, aggredere id facere, & videbis suppliciũ tuũ. Tunc Dux dentibus frendens, ad ministros ait: O serui pessimi, cur celeriter non facitis imperata? At illi, sublatis lapidibus, mutuis sese ictibus percutiebãt. Sancti verò milites, re perspecta, confirmabantur. At Dux indignatione atque ira percitus, arrepto lapide, vt vnum è sanctis militibus percuteret, eum in faciem Præfecti cõiecit, & totum illi os contriuit. Tunc sanctus Cyrion ait: Qui oppugnabant nos, afflicti sunt ipsi, & ceciderunt. Verè gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringantur. Per deos, inquit Præfectus, præstigiæ aliquæ præcesserũt. At sanctus Domnus: Per Christum, inquit, Deus præcessit. Ora enim vestra impudentia, quæ aduersùs filium suum loquuntur iniquitatem, impleuit confusione. Nónne erubescis, ebrie tenebricosèque diabole, & ab omni veritate aliene, qui scandala seminas? Tu caput es diaboli, Agricolaë, & Dux, qui tecum est, furoris caudã obtinet. Ambo estis satanæ ministri. Nihil vos mouet primum experimentum tormentorum, alterum aggredimini. Ministri verò: O dementes, inquiunt, & ab omni deorum beneuolentia remotissimi, cur dijs nõ immolatis? Nos, inquit sanctus Cyrion, per Iesum Christum, in spiritu sancto, Deum vnum colimus, & certaminis nostri curriculum alacri animo conficere festinamus, vt fraude vestra deuicta, coronas accipiamus immortalitatis. Tunc eos Dux in carcerem iussit abduci, vt quid de illis agendum esset, consideraret.

Psal. 36.

Reducũtur in carcerẽ.

At illi, cùm in carcerem essent conclusi, psalmum illum canere cœperunt: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Eccè sicut oculi seruorum in manus dominorum suorum, ità oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donèc misereatur nostrî. Et quæ sequuntur. Qua quidem precatione persoluta, Saluatoris vocem, qui se illis perspiciendum præbuit, exaudiêrunt ità dicentis: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Confidite, tormenta ipsorum nolite timere. Celeriter enim prætereunt: paululùm sust nete, legitimè certate, vt coronemini. Hac illi consolatione Christi confirmati, noctem transegerunt. Sed cùm dies illuxisset, tyrannorum iussu è carcere in eorum conspectum adducti: Facite, inquiunt, quod vobis luber. Nos enim Christiani sumus, nec idola volumus adorare. Diabolus autem dextera manu gladium, sinistra verò draconem tenens apparuit, & in aure Agricolao dixit: Meus es, pugna. Tum Præfectus imperauit, vt funibus omnes vincti in lacum traherẽtur. Est enim apud Sebasten lacus, in quo magna est aquæ copia. Et quo tempore sancti Martyres cruciabantur, vehemens erat frigoris vis. Nudi igitur in medio lacu sunt constituti, cùm hyems esset, & diei hora acerbissima. Iam enim vesper appetebat. Porrò custodes vnà cum carnifice relicti sunt, qui illos obseruarent. Erat autem in propinquo balneum, cui ignem subiecerunt, vt si quis vellet deficere, posset ad illud transfugere.

Psal. 122.

Iohan. 11.

Mittuntur in stagnum.

Hora noctis prima Sancti frigore cruciabantur, & corpora illorum disrumpebãtur. Verùm cùm vnus eorum, frigoris impatiens, ad balneũ transfugisset, simulàc calorem attigit, dissolutus est & animam egit. At reliqui Sancti transfugam conspicati, vno omnes ore, atque vna voce dixerunt: Nè in fluminibus irascaris Domine, neque sit in fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua. Qui enim à nobis defecit, tanquàm aqua effusus est, & discerpta sunt omnia ossa eius. Nos autem à te non deficiemus. Viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus, quem laudant omnes res procreatæ, dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies & spiritus procellarum: qui ambulas super mare, tanquàm super terram, & æstuantis impetus nutu manus tuæ mitigas atq; demulces. Et nunc idem es, Domine, qui precantem Iacob, & fratris Esau minas fugientem exaudîsti, qui Ioseph adiuuisti & conseruâsti, qui Mosen edentem signa atque prodigia in Aegypto aduersùs Pharaonem & populum ipsius, diuidentemque mare, & populum tuum in deserto ducentem exaudîsti. Qui sanctos Apostolos tuos audiuisti, nos item audi, Domine, Nè demergat nos aquæ procella, néve absorbeat nos profundum, quoniam pauperes facti sumus valdè. Adiuua nos, Deus Saluator noster, quia stetimus in profundo maris, & tincti sunt pedes nostri in sanguine nostro. Onere nos leua, & aëris acerbitatem mitiga, Domine Deus noster. In te sperauimus, & non sumus confusi. Intelligant omnes, nos ad te clamâsse, & fuisse seruatos.

Vide supplicij acerbitatem.

Habac. 3.

Psal. 148.

Circiter tertiam noctis horam, Sol eos circunfulsit ità calidus, vt est in æstate, frigusque

gusque dissoluit,& aquam calidam reddidit. Custodes autem somno detinebantur, & solus clauicularius vigilabat: qui cùm illos precantes audiuisset,cogitaretque,quomodò is,qui ad balneum profugerat,statìm propter calorem interijsset, illi verò tanto in rigore frigoris adhuc viuerent: cumque lucem circùm illos cerneret,sublatis in cœlum oculis,vt videret,vndénam illa lux proueniret, conspexit coronas numero nouem & triginta super Sanctorum capita descendentes. Considerabat autem,quî fieri posset,vt cùm essent quadraginta,vna corona deficeret,& intellexit,eum,qui ad balneum transfugerat, ab eorum numero excludi. Itaque custodibus excitatis,& proiectis vestimentis suis, in conspectu ipsorum insilijt in lacum, magna voce clamans, ac dicens: Ego quoquè Christianus sum. & in medio sanctorum militum consistens: Domine Deus, inquit, in te credo, in quem & hi crediderunt, me ad numerum ipsorum asscribe, & dignum effice, vt pro te cruciatus tormentaque sustineam, atque ità probatus inueniar.

Coronæ 39. cælitus lapsæ.

At diabolus victus, & in hominis speciem mutatus, genua sua manibus complectens,coram omnibus vociferabatur: Væ mihi,inquiens, à sanctis viris superatus sum, & factus sum omnibus derisui. Non habui socios ac ministros vnanimes: neque enim victus fuissem. Quid reliquum est, nisì vt meorum principum animos conuertam, & Sanctorum corpora comburam,in fluuiumque proijciam,nè reliquiæ ipsorum reperiantur? Sanctus autem Cyrion: Quis,inquit,deus magnus,sicut Deus noster? Tu es Deus,qui facis mirabilia.Eos enim,qui contra nos erant,pro nobis stare fecisti,& imminutum quartæ decadis numerum explêsti, & satanam confudisti. Et canere cœperunt: Salua nos,Domine,quia defecit Sanctus.

Querelæ dæmonis.

Psal. 76.

Mane autem cùm impij Tyranni venissent, & clauicularium cum sanctis reperissent,à militibus quæsierunt,quánam re perspecta adductus id effecisset. Milites autem responderunt: Nos graui somno oppressi detinebamur, cùm ille,qui tota nocte vigilauerat,repentè nos excitauit.Et circùm milites ingens lumen adspeximus. Ille verò statìm,vestimentis suis abiectis,ad eos desilijt,clamans & dicens: Ego quoquè sum Christianus.Tunc Tyranni furore permoti,iusserunt eos vinctos ad ripam trahi,baculisque crura eorum confringi.Vnius autem eorum mater Sanctorum animos confirmabat, Filius enim ipsius erat omnium natu minimus. Quamobrem metuebat, nè vi tormentorum in certamine se minùs fortiter gereret. Itaque defixos in eum oculos perpetuò tenebat, manibusque protentis, dicebat: Fili dulcissime, paululùm adhuc perfer, vt perfectus sis. Nè timeas,fili: Eccè enim Christus adest adiutor tibi. At Sancti, dum disrumperentur,atque animas agerent, dicebant: Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Et omnes dicentes, Amen, animas Deo reddiderunt. Sed filius ille,quem mater cohortabatur,nomine Meliton, adhuc spirabat.Iusserunt autem Tyranni,vt sanctorum corpora palustris imposita ad fluminis ripam veherentur,relicto iuuene,quem adhuc viuere existimabant. Sed mater, quæ filium solum relictum cernebat, reiecta imbecillitate muliebri, virilemque animum ac robur assumens,humeris suis filium imposuit,& strenuè plaustra sequebatur. Iuuenis autem,dum gestaretur à matre,lætus animam efflauit.Mater verò plaustra iam consecuta, super illa filium proiecit. Constructa autem incensaque pyra, Sanctorum corpora combusta sunt.

Egregium mulieris exemplum.

Psal. 123.

At Tyranni sese mutuò conspicientes,dixerunt: Si reliquias istas ità reliquerimus, eas tollent Christiani,& mundum vniuersum complebunt. Agè igitur ipsas in flumen proijciamus.Quo facto,reliquiæ nihil à flumine sunt imminutæ. Sed tertio pòst die ciuitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt,quo in loco reliquiæ seruarentur: De nocte,dicentes,veniens è flumine nos educito. Adhibitis igitur Episcopus clericis viris religiosis,ad fluminis ripam accessit. Et eccè reliquiæ sanctorum in aqua, tanquàm stellæ,fulgebant. Et locus,vbì residebant,ab ipso lumine indicabatur.Assumptas igitur indè sanctorum Martyrum reliquias,in loculis asseruauerunt. Sic illi, qui decertârunt,& coronati sunt in Christo, stellarum instar, in orbe lucent. Deo crediderunt, Christum confessi sunt,spiritum sanctum non abnegârunt, in Christo gloriam acceperunt,vitæ monimentum relinquentes ad salutem omnium, qui credunt in patrem,filium,& spiritum sanctum.Passi sunt autem sancti Martyres quadraginta,VII.Idus Martij,Licinio Imperatore,immò verò Domino nostro Iesu Christo regnante: Cui gloria & imperium in secula seculorum,Amen.

Nota,quo in precio olim habitæ Sanctorum reliquiæ.

DE INVENTIONE SACRARVM RELIQVIARVM HORVM BEATORVM XL. MARTYRVM,

ex Sozomeni Hist. Ecclesiast. lib. 9. cap. 2.



Sanctorum 40. militum reliquię vbi asseruatæ.

Vlier quædā Eusebia nomine, hæreseos Macedonianæ ministra, domū & hortum habebat extra mœnia ciuitatis Constantinopolitanæ, & sanctas reliquias hic asseruabat quadraginta militū, qui apud Sebastiam Armeniæ tempore Licinij martyrium fecerant. Ea cùm esset moritura, locum hunc reliquit monachis, sibi in religione conformibus, & eos iureiurando adstrinxit, vt se ibidèm sepelirent, atque vt supra caput in sublimi loculum suum priuatìm expolirent, & secum vnà martyrum reliquias reconderent, ac nemini rem indicarent. Ac monachi quidem fecerunt, sicutì mandatum fuerat. Vt autem debitum cultum martyres consequerentur, & externi tamen rem nescirent, secūdùm datū Eusebiæ iusiurandum, oratoriū sub terra cōstruxerunt ad illius loculum: in ædificio autem conspicuo supernè coctis lateribus vestitū pauimentum, & ex eo descensum clancularīū ad martyres.

Post hæc Cæsarius, vir ea tēpestate cū primis potens, qui & ad consularē & ad præfectoriā dignitatem peruenerat, defunctā vxorem suam iuxta loculum Eusebiæ sepeliuit. hoc enim illis ità decretū erat, dum adhuc in viuis essent, cùm & miro amore inter sese mutuò tenerentur, & in religione ac doctrina concordes essent. Et hinc Cæsario huius loci emendi data occasio fuit, vt & ipse prope vxorem sepeliretur. Prędicti ergò isti monachi aliò emigrârunt, neque tamen de martyribus quicquam indicârunt. Domo posteà collapsa, terraq; ac ruderibus ingestis, vniuersus ille locus exæquatus fuit, quia templum inibì magnificum Deo Cæsarius ipse in honorem Thyrsi martyris ædificârat. Deus autem, vt apparet, hunc locum ità obscurare, & tantum temporis elabi de industria voluit, vt & martyrum inuentionem, & inuentricis pietatem admirabiliorem illustrioremque redderet. ea erat Imperatrix Pulcheria, soror Imperatoris. Huic enim cùm tertiò apparuisset admirandus ille Thyrsus, eos qui sub terra absconditi latebant indicauit, & ad se transferri iussit, vt & eiusdem loci, & eiusdem quoquè honoris secum participes essent: simul & ipsi quoquè quadraginta martyres, militaribus vestimentis candidis induti, semetipsos illi conspicuos fecerunt.

Diù latentium sacrę reliquiæ.

S. Thyrsus ter apparet Pulcheriæ.

Item martyres 40.

Hæc verò res & supra fidem, & prorsùs inextricabilis esse videbatur: neq; enim aut Clerici, qui hoc in loco seniores erant, quanuìs sæpè rogati, aut alius quisquam indicare martyres poterat. Ad extremùm cunctis iam desperantibus, Polychronio cuidam presbytero, qui olìm ex familiaribus Cæsarij fuerat, in mentem Deus redegit istos monachos, qui hunc locum quondàm incoluerant: qui quidem ad Macedonianorum clericos veniens, sciscitatur de ipsis. Omnibus autem illis iam defunctis, cùm vnum duntaxàt superstitem reperisset, qui in hoc ipsum videbatur in vita conseruatus, vt quæsitos martyres indicaret: orabat vt diceret, cognouisset'ne sanctas reliquias sub indicato loco reconditas. Sed cùm eum propter datum Eusebię iusiurandum subdetrectantem videret Polychronius, diuinam illi apparitionem, & perturbationes Imperatricis, & ipsorum desperationem commemorat. Tum ille vera confitetur esse ea, quæ Deus Imperatrici reuelârat. nam se, quia adolescentulus tum ibi sub senibus præceptoribus ad monasticam institutus esset, certò scire martyres iacere circa loculum Eusebiæ: ignorare tamen, vtrúmne sub delubro, an verò alibì defossi sint, propterea quòd multum temporis effluxerit, & prior loci facies in eam sit mutata, quæ nunc est. Atquì, inquit Polychronius, mihi non idem accidit. Recordor enim me fortè adfuisse sepeliendæ coniugi Cæsarij, & ex vicina via publica rationem ducens, conijcio eam iacere circa ambonem, quod est suggestum lectorum. Proindè, respondens monachus, etiam Eusebiæ loculus, inquit, prope vxorem Cæsarij quærendus est: quandoquidem & viuæ plerunquè vnà erant, & post mortem se coniunctum sepulcrum habituras pactæ sunt.

Cùm itaque secundùm hæc, quæ dicta sunt, fodere, & sanctas istas reliquias inuestigare oporteret, Imperatrix facta certior opus vrgeri iussit. Effosso igitur illo circa ambonē loco, repertus fuit loculus vxoris Cæsarij, sicutì coniectârat Polychronius. Paululùm aūt hinc distās ex transuerso stratū coctis lateribus pauimentū erat, & ad huius ambitum æquali mensura respondens tabula marmorea, sub qua ipsius Eusebiæ loculus ostendebatur, & huic imminens delubrum perquàm scitè marmoribus leucoporphyris in-

ris incrustatum. Ipsum porrò loculi tegmen, velut in mensam sacram fabrefactum erat. In summo autem, vbi martyres iacebant, exiguum foramen apparebat. Adstans igitur quidam de familia Imperatoris, tenuem virgulam, quam fortè habebat, per foramen immisit, & extractam naribus admouit, & vnguentum fragrantissimum olfecit: ex quo statim tum laborantibus, tum adstantibus bona spes suborta fuit. Inueniuntur reliquiæ sanctorum 40. martyrum.

Itaque cùm loculum auidè aperuissent, Eusebiam inueniunt. Illud verò quod ad caput eius eminebat, in arcæ formã celatum, proprio intùs tegebatur operculo: & vtrinquè ei ad labra circundatum, plumbo conglutinatum ferrum, ipsum cõtinebat. In eius medio rursùs foramen istud apparens, etiamnùm manifestiùs declarabat intùs haberi martyres. Hæc vbì annunciata essent, e uestigiò accurrunt Imperatrix & Episcopus ad martyrium. Tum solutis per artifices ferreis istis vinculis, confestìm sine negocio operculum extractum fuit. sub hoc autem multa vnguenta, & in his pyxides argenteæ duæ repertæ sunt, in quibus sanctæ reliquiæ iacebant. Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd se tanta reuelatione dignatus esset, tum quòd sanctarum reliquiarum inuentionem assecuta esset. Post hæc preciosissima theca martyres honoratos, iuxta venerabilem Thyrsum composuit, publica festiuitate, vt æquum erat, cum debito honore ac pompa ac psalmodijs celebrata: cui & ipse ego interfui. Atque hæc quidem sic esse gesta, testabuntur illi, qui hùic festiuitati interfuerunt. omnes enim fermè adhuc supersunt, cùm multò posteà gesta fuerint, Proclo scilicet ecclesiam Constantinopolitanam gubernante. In argenteis pyxidibus conditæ eorũ reliquiæ. Nota de theca preciosissima.

DE S. PACIANO EPISCOPO, EX CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM *S. Hieronymi presbyteri.*

PAcianus in Pyrenæi iugis, Barcilonæ Episcopus, castitate & eloquentia, & tam vita quàm sermone clarus, scripsit varia opuscula: de quibus est κέρβος, & contra Nouatianos. Sub Theodosio principe iam vltima senectute mortuus est. 9. Martij.

SANCTORVM CODRATI, CYPRIANI, DIONYSII, ANECTI, PAVLI, CRESCENTIS'QVE MARtyrum, *quo affecti sunt Corinthi, Ex Simeone Metaphraste.*

OMNES quidem Sanctorum celebritates, si verum fatendum est, laudibus prosequi debemus, vt à nobis pro viribus exornentur: sed hanc tamen potissimùm, quæ sanctorum Martyrum concursu peragitur. Deo enim ab initio consecrati, ad id, quod omnium pulcherrimũ est, peruenerunt. Nam cùm & temporis longitudine grauitatem essent assecuti, & exquisita viuendi ratione ad pietatis fastigium peruenissent, nihil tamen à se præclarè gestum, nihil laude dignum existimârunt, nisì priùs sacra certamina subijssent. Itaque cùm magnam magnis in rebus virtutem præstitissent, hac tamen victoria cæteras obscurârunt: immò verò apud eum, qui præmia certaminibus proponit, hac reliquas etiam illustrârunt. Declarati sunt enim martyres generosi, & Dei maximi imitatores. Ad summum igitur virtutis culmen prouecti, meritum à Deo præmium, melioremq; finem, & quæ potest in hominem cadere immortalitatem obtinuerunt. Qui enim apud Deum virtutis obtinet testimonium, is assequitur immortalitatem. Quamobrèm Martyres ex operibus admiramur, qui virtutes amplexi, voluptatibus renunciârunt, & animos suos fortitudine armantes, omnem ignauiam repulerunt, totiq; in spem victoriæ erecti, atq; alacriter aduersa omnia perpetientes, in ea, quam sibi ab initio proposuerant, pietatis ac religionis lege immobiles perstiterũt. Vbì enim præstat se fortiter gerere, quàm cùm se Deus ducem præbet? Vbi satiùs est dare virtutis specimen, quàm vnà cum Iesu Saluatore? Quæ porrò dulcior corona, quàm illa, quæ nos cum præstantioribus coniungit? Ad hoc igitur signum Martyres respicientes, & ardentiori quodã sanctæ gloriæ desiderio inflammari, rerum turpium cupiditates reiecerunt, & in virtutis atque honestatis studium incumbentes, pulcherrimum posteris exemplum ad imitandum reliquerunt. Quæ enim tempore atq; vsu sunt antiquiora, nos magis ad rerum honestarum studiũ incendunt. 10. Martij. Sanctorum martyrum horum excellens virtus. Meritum obtinuerũt præmium. Virtutis & honestatis studiosi martyres.

Virtutum

Virtutum igitur inimicus, qui in multis sæpè petulanter agens, & ciuitates euertit, & falsos rumores disseminauit, & mentes hominum immutauit, & grauitatis pulchritudinem infecit, & omnia in deterius traxit, admirandis Christi pugnatoribus inuentus est imbecillior, cùm nec ab honesto illos proposito posset abducere, nec rationem ipsorum subuertere, quos Christus armabat. Itaque impetus eius aduersùs Sanctos nihil naturam illorum læsit. Quinetiam quemadmodùm inuidia, pulchritudinem corporis obtutu, tanquàm morbo, frustrà conatur inficere atque corrumpere, cùm decor ipsius pristino in statu conseruetur: sic etiam Martyribus accidit, quorum animi pulchritudini nec impetus inimici, nec res istæ caducæ quicquam obfuerunt. Nihil igitur metuens sanctorum Martyrum cœtus, pari consensu ad fortiter agendum se comparauit, & strenuè ad sanctam gloriam, honoremque contendens, præmium est consecutus. Vbi primùm enim ad virtutis specimen exhibendum vocati sunt, (quod quidem fuit, cùm militiæ Christi fuerunt adscripti) videre licuit, Christi chorum antecedentem militem Codratum, qui seipsum Deo primum dicare festinabat, illic velle educationis gratum animum ostendere, vbì Deo placuisset. Neque enim æquum est, vt rem admiratione dignam silentio prętereamus. Nam cùm educationem pręter naturam habuisset, quantoperè Deo esset charus, manifestum fuit.

Codrati mirabilis educatio. Hic enim iamindè ab ipsis incunabulis nutrimentum incertum habuit, quippe qui matrem adhuc infans amisit, & maternis vberibus caruit. Christus autem illi signis minimè obscuris alimenta subministrauit, cùm eius iussu nubium globus è cælo infantem amplecteretur, alimentumque suppeditaret, vndè ipse quantum satis esset in futurum, percipiebat. *Studet medicinæ.* Verùm cùm adoleuisset, ætati congruentē disciplinam percepit, & in primis rudimentis didicit medendi facultatem. Vir autem effectus, pariter cum disciplina naturam diuiniorem & perfectiorem assumpsit, continuoque declarauit, quisnam esset futurus. Omnes enim labores fortitudinemque complexus, factis gloriam confirmauit, cùm à Christo, quò ipsi placebat, duceretur.

Iason igitur Græciæ Præfectus, post immane Decij & Valeriani Imperatorum mandatum, ad crudelitatem se instruens, insurrexit aduersùs Christianos, timoremque singulis inijciens, tormenta atque cruciatus minabatur, nisì eos dicto audientes reperisset. At primùm quidem pulcherrimi cœtûs principem sic est aggressus: Codrate, quæ te vesania ducit, vt tantam cruciatuum acerbitatem velis experiri? Aut quę te spes mouet, vt intrepidè carcerem ac vincula negligas, sponteque patriam amittas, & ab amicorum consuetudine diuellaris? Cur non potiùs Imperatorum decretis obtemperans, & dijs immolans, nobiscum eligis beatus esse, & amabili vitæ pręsentis iucunditate frui? His ille conabatur sanctum virum à recta ratione deducere. *Codrati pręclara vox.* Codratus verò blanda Pręfecti oratione, qua nefarius animus tegebatur, neglecta, respondit: Nemo, inquiens, cui naturæ ratio cognita sit, iucundam esse vitæ gratiam negabit. Sed tamen hanc Deus largitus est. Quamobrèm necessarium est, vt tanti muneris largitorem virtutis studio commendemus, & eius gloriam testimonio nostro propagemus. Nequè verò tanti faciendum est huius vitæ tam breue curriculum, vt illius amittendæ metu, adorationem, quæ Deo soli conuenit, idolis tribuamus. Quem porrò deum meliorem possumus appellare illo, qui summis nos ab initio, perpetuisque beneficijs cumulauit? Ex tot autem ac tantis beneficijs, quem nisì Christum possumus Saluatorem cognoscere? Aut quem Saluatorem prædicare fas est, nisì Iesum, qui pro nobis cruciatus & mortem pertulit? Illud inprimìs ad virtutem nobis propositum est, vt pro vera pietate ac religioue tormenta superemus, nec vllis vnquàm difficultatibus ab ea deficiamus. Qui autem diuinorum mysteriorum studiosos amantesq; conantur corrumpere, eorū & animus impius est, & oratio detestanda. Præstat autem, quæ meliora sunt, imitari. Illud item cogitandum est, non eos protinùs sequendos esse, qui probitatis speciem præ se ferunt, sed res & facta esse perpendenda: *Nō species, sed facta expendenda.* quæ si praua sint, maior periculi timor est. Scito igitur, nos Maiorum instituta complectentes ad ea, quæ meliora sunt, tendere. Quarè nè studeas nobis inimicissimis persuadere, vt ad partes tuas transfugiamus, neq; vt Christum relinquētes, aliò nos cōferamus. Veritas enim nobis adest cōsiliaria, pietatisque leges ad persuadendū vim habent maximā. Hæ nos genere moribusq; similes Deo coniungunt. Illud prætereà consideremus, cōmuni naturæ lege omnibus esse moriendū, & ab ea quidē necessitate liberum esse neminem: Quæ autem fortiter & ex virtute geruntur, ea viris bonis gloriam parere sempiternā. In hoc animi proposito permanentes, & in hac sententia cōfirmati, præclarum imitari volentibus exemplū relinquemus. Nam

qui

qui rectè sentiunt, nihil aliud student, nisi vt ad ea, quæ præstantiora sunt, habeant occasionem.

Ad hæc Præfectus: Codrate, inquit, si iamindè ab ipsa pueritia Dei beneficijs adductus, eum tibi meritò colendum putas, rectè facis, teque gratum hominem præbes. Verùm vide, nè dum alterum Christum prædicas, inaniorem Dei naturam asseras. Tunc Codratus: Si vis, inquit, Præfecte, indignatione deposita, veritatem adspicere, & animum à crudelitate ad mansuetudinem reuocare, quanuis magnis de rebus loqui difficile sit, & ego tanto oneri sustinendo impar sim, tamen aliquid dicam. Admirabilem, ait Præfectus, naturæ Christi rationem perspicuè declarato. Tum Codratus: Principium, inquit, mundi procreationis Deo quidem cognitum erat, Verbo autem perfectum fuit. Ac patris quidem voluntas fuit, procreationis autem actio à filio habuit constitutionem opere confirmatam. Cùm igitur præfinitum à Deo tempus affuit, cæteræ quidem res omnes præclarè factæ sunt, quas quidem opifici Verbo placuit in mundum inducere, initio atque fine singulis constituto. Sed cùm rerum vniuersitatem mente ac scientia immensa perfecisset, eaque ratione diuina regeret ac gubernaret: vellet autem aliquos esse, qui bonis fruerentur, & in ijs, quæ fabricauerat, habitarent, opifex ipse condidit hominum genus, vt ei totam hæreditatem assignaret: & cùm ratione quadam sensus dimensus esset, & genus ipsorum corporibus varium effecisset, animas immisit, eosque in loco deliciarum collocauit. At illi, rerum vniuersitatis perspecta varietate, statim gauisi sunt, & plantis fruendi potestatem acceperunt. *Homo cur à Deo conditus.* *Paradisus.*

Cogitantes autem, quàm præclara conditione atque ordine cõstituti essent à Deo, æquum esse iudicârunt, vt sese illi gratos præstarent, atque ità virtutis viam ingressi sunt. Verùm impostor ille callidissimus rabie furens, & oris veneno dolos illinens, dolores, quos intùs gerebat, in eos euomuit, & pro viribus cupiditates illis iniecit, vt à diuina vitę conditione miseros exturbaret. Dignitatem igitur ipsorum polluens, volentibus errorem immisit. Ex quo factum est, vt qui cum Deo versabantur, in exilium eijcerentur: & qui bona mente gloriæ diuinæ participes extitissent, cupiditatibus inuoluerentur. At Deus misericordia motus, & imbecillitatis humanæ rationem habens, non diuinitate nuda, sed carne contecta, voluit nobiscum versari, vt ad nos miseros ac perditos accedens, à seruitutis vinculis liberaret, & mortis imperio subditos in libertatem restitueret. Itaque sanctum Verbum suum extremis temporibus in casto Virginis Dei genitricis vtero sic voluit inhabitare, vt totum hominem indueret. Quæ quidem Virgo concipiens è Spiritu sancto, Deum humana forma indutum edidit. Atque ità oculis verè perspectus est, quem Christum esse dicimus. Hic ità se hominum cognitioni patefecit, vt cùm Deus sit, corpoream è Virgine nascens formam assumpserit. Et aduersùs instabilem potestatem pugnans, amplissimos sibi benemerêdi terminos statuit, eos nimirùm, quos illi pater præfiniuerat, mortis decreta abrogans, eiusque fila rescindens diuinitatis potestate. A qua quidem benignitatis communione neminem repulit. Et Saluator vocatus est primus, qui populos vniuersos, & integras regiones ab interitu atque periculis liberauit, & humanitatis thesauris patefactis, munera sua voluit omnibus esse cõmunia. Cùm igitur omnes à tyrannica confusione liberauerit, omnem hæreditatem suam ab exitio liberam incolumemque conseruat. Nihil enim Christi præsentiam cognitionemque fugit, non ortûs initium, non vitæ spatium, non mortis exitus, non aliud quippiam, quod in cognitionem cadat. Sed quæ Patris decreto facta sunt, hæc filio sunt ad opus perspicua. Hic est ille Christus, quem prædicamus. Hic est ille, cui generis humani salus curæ fuit. Hic est ille, qui gratiæ nobis magnitudinem elargitur, qui ad benemerendum semper & vbiquè præstò est, nè rectam viuendi rationem negligamus. *Inuidia diaboli.* *Cur Deus homo factus.* *Christum nihil latet.*

Præfectus, & si Codrati responsum admirabatur, tamen cùm ad veritatis fidem venire non posset, De rebus, inquit, sublimibus Codrate mihi videris nugas confingere, qui perturbationibus humanis Deum subijcias, cumque dicas mulierculæ gremio potuisse compræhendi, quæ vterum gerens, Christum pepererit, atque ità Deum in terra visum esse, corporis formam gestãtem, alibi autem esse verum Deum. Pietatis arcana perscrutari profanis non licet, inquit Codratus: nec eius cognitio parua est, aut facilè comparatur: neque nos permittemus, vt homines impuri sacris perspiciendis admittantur. His se filius Dei sponte subiecit, vt Deus idem atq; homo esset, & vt nos è dæmonum eriperet seruitute. Tu autem ista tua peruersa audacia impietatis indicium in te moues. Neque enim improbitate tua studium nostrum corrumpis. Natura enim vbiquè dominatur, & actiones seruiunt voluntati. Præfectus autem, vt à virtute alienus, & veri-

Codratus virgis cæditur. & veritatis rationem non intelligens, egregium Christi seruum virgis cædi iussit. Ministri verò homines ignauissimi, virgis admotis, cruciatuum immanitate sæuiebant. At Codratus tormentorum victor, Ignoras, inquit, Præfecte, quicquid à violentia proficiscitur, esse contrarium libertati, nec vllam ad persuadendum vim obtinere? Qui enim cogit, se iniustum atq; improbum esse significat: qui verò suadet & hortatur, is se mansuetum humanumque declarat. Quamobrèm cùm te virtutis expertem indices, indignum ostendis cui fides habeatur. Nè putes nos metu virtutem atq; honestatem deserturos, aut morum abiecturos grauitatem. Cùm enim Christi studiosi amantesque simus, eum solum confessionis habebimus adiutorem. Is nobis ærumnas omnes præmiorum spe leniet ac mitigabit, docebitq; nos, non esse cedendum aduersarijs. Tantùm in periculis virtus valet, & viris constantibus præclara proposita sunt præmia.

Eius constantia.

Tum Præfectus primi fortitudine territus, ad alterum sese conuertit, & blanda dulcique oratione in sententiam suam adducere conabatur. Cyprianus autem adolescens, quanuis primo pubesceret ætatis flore, tamen libertatis dignitatem considerans, sese ad perferendos cruciatus parabat. Et Codratus hic item animo ad Christum properans, socijs generosis, rectèq; secum ac piè sentientibus consilia tempori conuenientia suggerebat: Moneo, inquiens, vos, ó rerum pulcherrimarum socij, vt memineritis, quàm multa vobis bona proposita sint, tum gloriæ propter religionem, tum honoris, quem à Deo consequemini, tum auxilij, quod vobis à Christo de cælis presens aderit, in primisque, quòd Iesu misericordia digni existimemini. Nunc igitur virtus exploranda est: nunc tẽpus postulat, vt vos maiore dignos admiratione prebeatis, vt alacri animo legem adimpleatis, vt morum vestrorũ specimen detis, vt re ipsa atque factis professionem vestram comprobetis: nunc boni à malis discernentur: nunc in conseruanda pietate custodia maior adhibenda. Cauete, nè dispari morum ratione discrepetis: Sed eandem pietatis normam sequimini, vt qui à tali Deo iudicandi sitis. Virtutis viam nè deseratis, qui iamiam cum Christo perfecti estis futuri. Deum bonũ bona mente comprobate. Nolite propter adolescentiam ignauiæ succumbere. Cogitate in foribus esse certamen, & iuuentuti pro pietate, quæ nos Deo coniungit, pericula iucunda esse debere, cui vires suppetunt, & nerui vigent. Vos igitur mutuò cohortamini, certatim in hoc pietatis studium incumbite, idem sentite, tormentorum formidine nolite deficere: sed cruciatibus corpora tradentes, dolores æquo animo tolerate, vt victoriam adepti, gloriam consequamini, in martyrum ordine ac numero collocati. Hac Codrati cohortatione iuuenes alacriores & fortiores reddebantur.

Codrati ad socios martytes oratio.

Præfectus autem hortatorem & consiliarium audiens, cruciabatur, quòd se ab eo, quod sperabat, depulsum intelligebat. Iracundia autem sæuiebat, quòd adolescentes decipere non posset. Quanuìs enim singuli ætate essent iuuenes, virtutis tamen proposito se viros præbebant. Itaque cùm & Cyprianum multis verberibus tentâsset, ab eo victus erubescebat. Primus igitur pugil ante alios confessionis coronam adeptus est. Alter autem æmulationis pulchritudine primum imitatus, magno tempestatis æstu superato, cum illo in Christo sese coniunxit. Nec tertius, nomine Dionysius, inferior fuit: sed illos spectans, socius eorum fieri festinauit, quanuis tortores eum à Christo studerent abalienare. Quartus verò, qui Anectus appellabatur, ductus est: qui cùm torquentium crudelitate victoriam amissurus existimaretur, neglexit vim tormentorum, nec vllam cruciatuum acerbitatem recusauit. Qua re perspecta, Princeps fortitudinem hominis admiratus, atque impietate furens, quintum ad quæstionem adduci iubet, cuius præstantiam vel nomen ipsum declarabit: Paulus enim vocabatur. In hunc item crudelitatem suam tortores vt exercerent, Præfectus imperauit. At Martyr futura contemplans, propositi sui excellentiam ostendit. Neque enim Tyranni contumelia fractus, grauitatem abiecit: sed præcedentes socios assequendi studio incensus, libenti animo certamen subijt. Inuidia verò rectè factorum inimica, hunc frustrà propositis cruciatuum doloribus territans sequebatur. At Crescens cùm consideraret, semper esse difficile Principibus aliquid persuadere, in medio stãs, virtutis specimen dedit. Cùm enim ad maiora tenderet, egregium se pugilem, & sacro sociorum cœtu dignum præstitit, & firmam futuri præmij spem habens, victoriam reportauit.

Cyprianus verberatur.

Dionysij certamen.

Itẽ Anecti.

Itemque Pauli.

Crescentis item.

Cæterùm dum carcere, tormentisq; constantiam Martyrum exploraret Princeps insanus, & singulis periculorum terrorem incuteret, eos salutis cursum perfecturos non putabat. Verùm vbi animos ipsorum intrepidos vidit, cruciatuumque victores, non dubitauit ampliùs, quin victoriæ præmia apud Deum essent habituri. Itaque suprà,

quàm decet, ira permotus, talem in viros innocentes sententiam tulit, vt capite plecterentur, & singuli singulos sequerentur carnifices. Sanctos igitur Martyres totidem numero fraudis ministri, vt facerent imperata, traxerunt ad locum, vbi in homines sceleratos solet animaduerti, vbi damnati bestijs obijciuntur, & vbi gladiatores mutuis ictibus, quos pedum celeritate & saltu declinare non possunt, sese trucidant, vt spectantium oculi immani voluptate delectentur. At martyres, hoc etiam in loco difficultatibus superatis, hymnum victoriæ signum Christo canere studuerunt, vt ei precibus initiarentur: & ministros, vt studio suo obsequi vellent, obsecrabant. Qui licèt acerbi sæuique essent, tamen eorum optatis acquieuerunt.

Sancto igitur spiritu afflati, sic vna omnes voce precabantur: Deus, qui diuinam harmoniam concordem indissolubilemque fecisti, & labentem ordinem nutu confirmas tuo: qui varios cæli cursus ità moderaris, vt mutuò inter se coniuncti, diuersis necessitatibus seruiant, & perpetuas eximis naturæ inimicitias: qui Solis ortus & occasus intueris, & cursum eius instabilem dirigis: qui cæli stellas, & sidera, & pulchritudinem Lunæ, & amplitudinem ætheris, & quicquid à diuina quiete seiunctum est, fabricatus es atque exornâsti: Pater cælestis, qui rerum terram ambientium motus perpetua celeritate confirmas, qui temporis spatia quaternis tempestatum varietatibus temperas, cuius mandato ex arboribus flores fructusque proueniunt: qui grauissimi hostis diaboli impietatem à nobis repulisti, qui peccati maculas nobis abstersisti, vt arcanis nos signis renouares: Christe Iesu, qui ex antiquo peccati genere nos eruisti, & meliorem spem in futurum adiecisti: qui ea, quæ Patre sunt digna tuo, perficiens, in immensum potestatem tuam propagâsti: qui tutam & facilem viam proponis, & per illam iter facientes ad teipsum trahis: qui tuo egentibus auxilio promptus ades, maioremque gratiam tribuens, nobis, tanquam amicis, quæ commoda opportunaque sunt, subministras: Tu nobis vitam educatione dignam dedisti, & facta professioni congruentia largitus es: Tu nobis sacrorum sermonum, & exercendæ pietatis es author: Tu nunc ordinem nobis ostendisti, & ad præbendum virtutis specimen euocâsti, vt quod honestum atque vtile est, eligamus. Tu non permisisti, vt aduersarij crudelitati atque minis succumberemus. Tu perfecisti, vt omnes tormentorum acerbitates victoriæ præmijs inferiores iudicaremus, vt ad seruorum tuorum numerum adscribamur. Deus, qui antequàm pateremur, effecisti, vt quæ futura sunt, omnem spem superantia cerneremus: qui teipsum dignis fruendum, & sanctam personarum Trinitatem in vna essentia cognoscendam studiosè contemplantibus præbes, & bis trinam profectò societatem nostram vna mente coniunctam tibi conciliâsti, vt libero pietatis cursu confecto, & decurso veræ victoriæ stadio, regnis cælestibus admitteremur, largire per sanctum filium tuum, vt in hoc pio proposito constantes simus, quò puris lucis radijs in cælum sublati, apud te victoriæ præconium concinamus. *Preces sanctorũ martyrum.*

Hac precatione absoluta, malorum operarijs ceruices obtuletũt. Qui gladijs dexteras manus armantes, singulis ictibus, magna spectantium commiseratione, capita sanctorum obtruncârunt. Madebat subiecta terra sanguine passim irrigata, & locum illum ingens occupabat mœror, & tristes quædam tenebræ ciuitatis oculis, ciuium suorum cædem indignè ferentis, offundebantur. *Plectuntur capite SS. martyres.*

Rem nobis memoratu dignam diuinorum Martyrum celebritas suggerit, quæ rerum gestarum certissimum posteris testimonium afferet. Nam simulàc a sacris pugnatoribus certamen peractum est, & corpora sunt exuta, Christus maximum illis remunerationis signum dedit: quod quidem omnes, qui ad spectandum accedunt, admirantur. Quemadmodùm enim Deus incolis concessit, vt sancti Martyres apud eos certamen absoluerent: sic etiam dignis magnam gloriam confirmauit. Duplici igitur spectaculo, qui præsentes erant, variè sunt affecti, tum misericordia, tum admiratione: misericordia, calamitatem humanam considerantes: admiratione, id, quod Christus incredibile ac nouum effecerat, obstupentes. Prædicabant omnes diuinum opus, quod spontè Deum cognoscentibus apparuerat. Nam vbi Martyres mirabile lucrum perceperunt, ibi Dei iussu clari fontis latices emanârunt. Ibi decliuis fluento aditus patuit, vbi sacrati Deo viri gloriam pertulerunt. Prope sacram ædem nimirùm, quæ seruando sanctarum reliquiarum pignore digna fuit. *Celebritas horum martyrum.* *Fons erũpit eo loco, vbi cæsi sunt.*

Ità Christus iustum se iudicem præbens, eos, qui mutua & pia beneuolentia coniuncti sunt, qui sacra nunc certamina subeunt, lætantes accipit: sacrisque coronis redimitos, Martyrum laudibus exornat: vltores autem ac vindices inimicis suis in futurum

parat. Sic illi, qui virtutem complexi, se viros fortes ac strenuos in rebus arduis præstiterunt, & cum Christo coniuncti sunt, non solùm à præsentibus laudantur, sed ex vltimis terrarum finibus visuntur: & tanquàm mundi stellæ, cœtu suo coronam conficiunt. Certatim igitur homines pij & omnes, qui rectè factis dignam mercedem propositam esse conspiciebant, congredientes, corpora sanctorum sacris in loculis collocârunt, vbi sanctorum martyrum cœtus celebratur.

Peregrinationes religionis ergò

Aequum est igitur, fratres, vt considerantes præsentia sic à Christo disponi & gubernari, vt perpetuò nobis afferant vtilitatem, eos, qui lege diuina ipsi consecrati sunt, quique se cæteris hominibus præstantiores exhibuerunt, & Christi ærumnas delicijs prætulerunt, meritis laudibus celebremus, eosq; ad maiora contendentes, studeamus imitari: Quoniam est gloria, honor & imperium Deo patri, & filio, & spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA S. ATTALÆ ABBATIS, EDITA AB IONA SCOTO ABBATE, EIVSQVE DISCIPVLO.

10. Martij.



VM venerabilis pater Columbanus de hac luce migrâsset, omni religione laudabilis Attala in locum eius suffectus est, cuius post magistrum virtutes clarè fulserunt. Qui Burgundiorum ortus genere, nobilis natione, sed nobilior sanctitate, perfectè magistri vestigia secutus est. Huius autem beati viri rudimenta, qualiter inter ipsa primordia vberem à Domino profectum inuenerint, prætermittendum non est. Igitur dum à patre nobili liberalibus literis imbutus fuisset, Arigio quondàm pontifici ab ipso genitore commendatus est. Sed bonæ indolis puer, nihil ibi vtilitatis agi cernens, cœpit mente ac spiritu ad potiora tendere, & ad altiora anhelare. Dedit ergò operam, vt postpositis mundi phaleramentis, monachorum iungeretur cohorti. Clàm itaque à sodalibus progressus, duobus pueris contentus, ad Lirinense cœnobium venit. Quo in loco diù degens, cùm cerneret monachos eiusdem cœnobij nequaquàm regularis disciplinæ habenis colla submittere, cœpit anxio animo trutinare, quà potioris consilij aditûs viam panderet. Progressus ergò indè, ad beatum Columbanum Luxouium venit. Quem vir sanctus cùm ingenij sagacis solertem esse cerneret, suo monasterio iunxit, atq; omnibus diuinis monitis erudire tentauit.

Genus S. Attalæ.

Literis instituitur.

Petit Lirinen. cœnobium.

It Luxouiũ.

Succedit S. Colũbano.

Cumque beatus Attala egregiè ac strenuè post magistrum patremque suum Columbanum supradictum cœnobium regeret, & in omni disciplina regularis tenoris fratres erudiret, cœpit contra eum antiqui hostis versutia letiferum discordiæ virus noxijs ictibus laxare, excitans & instigans aduersùs eum aliquorum corda subditorum fratrum, qui mussitando ac sacræ religioni derogando, dicebant se nimij feruoris authoritatem ferre non posse, & arduæ disciplinæ pondera portare non valere. At ille, sagaci vt erat animo, pia fomenta præbere, & salutaris antidoti, quo sanies putrefacta amputaretur, potum dare studens, tumentia corda mollire nitebatur. Sed cùm diù castigatos secũ retinere non posset, mœrore animi turbatus, multis precibus cũ pietatis officio prosequebatur eos, orans vt se non relinquerent, sed ardui itineris callem fortiter tenerent, reminiscentes, quia sancti patres per mortificationem carnis & contemptum præsentis vitæ, regna cælorum possiderent. Tandèm cùm nihil se proficere cerneret, nec aliò nitentes animos suæ societatis habenis continere posset, sinit eos pertinaces abire. Postquàm ergò segregati sunt ab eo, alij eorum marinis finibus recepti sunt, alij locum eremi ob libertatem habendam petiêrunt: sed temeritatis & arrogantiæ suæ inibi positi mox damna senserunt. Nam cùm in eisdem locis morarentur, & virum Dei suis detractionibus laniarent, vnus eorum, qui Roccolenus dicebatur, qui & iurgiorum, vt credebatur, incrementa ministrauerat, subitò ictu febrium igneo accensus, inter pœnarum incendia clamare cœpit, se, si valuisset, ad beatum Attalam venire velle, & admissa criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Nec mora, vix hæc dicere licuit, statimque obmutuit, ac extremum halitum dimisit. Ast hi, qui aderant, videntes viri Dei iniurias diuina vltione vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, suasque noxas confitentur, se in omnibus, si recipiantur, emendaturos pollicentur. Quos vir sanctus miro gaudio, ac si è luporum ore liberatas oues recepit, & suis in locis singulos eorum restituit. At verò alij, qui verecundia præueniente, vel temeritate ac arrogantiæ

Via ad cælum.

Pœna grauis murmuratoris.

vitio

vitio maculati, redire noluerunt, & datū pœnitentiæ locū contēpserunt, diuersis mortibus sunt direpti: vt manifestè daretur intelligi, socios eos fuisse eius ad excitanda contumaciæ incrementa, quem vltio diuina percusserit, ac propterea cum cæteris veniam non meruisse. Nam vnus eorum, Theodomundus nomine, securi percussus interijt: alius dum parui fluminis alueum transmearet, irretitis poplitibus, perparuula fluuij vnda necatus est. Tertius vero, qui Theodarius dicebatur, cùm se carinæ credidisset, in mari demersus est. Videntes hæc qui adhuc supererant, verecundia submota, ad beatum patrem Attalam repedant, à quo, vt alij suprà memorati, benignè suscepti ac saluati sunt. Pœna item aliorum rebellium monachorum.

Plura post hæc ab eo patrata miracula, omnium in supradicto monasterio fratrum testimonio approbantur. Inter quos ego positus, & beati viri ministerio deputatus tenebar. De quibus etiam nunc aliqua disserere tentabo. Quodam tempore fluuiolus, Bobius nomine, turbidis aquarum molibus ac rapaci cursu violenter defluens, vt solent torrentes ex alpium cacuminibus dilapsi, & imbrium effusionibus aucti, saxorum rupes & arborum congeries, nimia vi tumescens, coaceruabat, molendinumq; monasterij impetu valido suffodere, & totam iam officinam quatiens, demergere nitebatur. Quo fragore audito, custos molendini, nomine Agibodus, ad molendinum velociter cucurrit, vt videret, si tanti fragoris moles inibi dispendij damna generaret. Quò cùm venisset, vidit, nisi celeri auxilio subueniret, cuncta direptum iri. Festinus igitur patri Attalæ nunciandum credidit, vt adiutores præbeat, qui opportuna necessitati ex aquarum fluctibus liberarent. Ad quem vir Dei ait: Vade, voca mihi Sinoaldum diaconum: tu verò stratu tuo receptus, somnum cape, nec metu aliquo detentus sis, aut mœrori mentem subijcias. Erat enim manè, priusquàm aurora funderet grata lumina terris. Vocatus ergò Sinoaldus, venit ad virum Dei. Cui beatus pater Attala ait: Apprehenso baculo, quo sustentor, vade ad Bobium, imperantisque voce dicito ei, signo Dominicæ crucis prælato, vt istas desinat perfodere ripas, nec præsumptæ audaciæ modum suppleat: sed ad alia cedens litora, ista sinat illæsa, imperijsque Domini se agnoscat cessurum. Tunc Sinoaldus diaconus, imperio patris obediens, cum fidei adminiculo pergit: impositoque ripæ baculo, imperat fluuio ex viri Dei præceptis, annuente diuina potentia, ab illo loco citiùs promoueri, aliaq; collis latera violēto conatu petere. Mox obediens fluuius relicto alueo, collis ad latera cedens, fluendo per ardua velut strictis ripis latices sustentabat, quousquè concaua aluei paterent, quo sustinente, liquidò fluerent. Iamq; prorumpens sol, mundo vt lumen panderet, surgebat, cœpitque Sinoaldus intra semetipsum cogitans dicere: Vadam & videbo, si viro Dei violenti fluctus obediant. venitque ad ripam aluei, vbi stetit priùs pleno tunc fluctu, & cernens iam subitò vacuum litus, spectabat qualiter ad alterius collis latera ex imperio patris cederet, vt sibi alueum, quo fluere posset, aperiret. Festinusque ad virum Dei venit, partæ victoriæ trophæum nunciauit. Cui vir Dei, Nullatenùs, inquit, me in hoc seculo viuente vlli dicere præsumas: proculdubiò nè fauor adulatorum corda plena virtutibus macularet. Quod vitiū, quamuis sint diuersis virtutibus ditati, ab omnibus tamen sanctis est studiosè vitandum atq; fugiendū. Nā hoc callidus hostis malitiosè studet, vt dū in maioribus ac certis culpis sanctos Dei maculare nō valet, saltē vel in occultis, quæ minora videtur, polluat. Signo crucis reijcitur rapidus fluuius in litus aduersum. Humanæ laudes sanctis vitādæ.

Deindè cùm in aliquo tempore vnus monachorū, Fraimerus nomine, ad frumenta suscipienda vomere tellurem excoleret, subitò stiuæ firmitatem duræ glebæ asperitas confregit. Quam cum prædictus frater componere conaretur, inopinato ictu ferramenti pollicem de læua amputauit, soloque conditum superposita gleba velut funus sepulturæ tradidit. Relictoque vomere, ad monasterium pergit, patrique per confessionem humi prostratus prodit. Quod videns vir Dei, Vbi est, inquit, pars abscissi pollicis? At ille fatetur eam esse terra conditam, sulcoq; sepultam. Malè, ille ait, fecisti. Cur eam ad me non detulisti? Concito ergò gradu, nulli causam indicans, perge, sumptamque eandem pollicis partem huc deporta. Egressus ille, pergit ad locum, effossamque portionem pollicis detulit ad virum Dei. Erat autem iter quasi vnius milliaris, tum propter ardui montis, tum interfluentis fluminis flexuosos circuitus. Porrò vir Dei suscipiens frusta pollicis, suisque saliuis liniens, simul coniunxit: statimque pollex carnis glutino compactus, velut antè fuerat, sanus sibi adhæsit. Tunc pater sanctissimus, imperato silentio, nè alicui hoc proderet, vt abiret, opusque inceptum perficeret, iussit. O mira virtus omnipotentis Dei, quæ sic suos in terris glorificat, vt frigida abscissaque membra eorum interuentu pristinæ sanitati atque decori reddat. Pollicē præcisum restituit in locū suum.

Idem etiam sanctissimus vir cùm quodam tempore Mediolanum venisset, quidam

ibi puerulus in extremis febrium anxietatibus positus, vitæ tantùm expectabat exitum. Cuius parentes, audito beati Attalæ aduentu, festino ad eum properant cursu, cumque precantur, vt illi subueniat. Quod vir Domini cùm dissimulare voluisset, illi eum fletibus & terribilibus sacramentis compellebant, vt antè accedat ad puerum, quàm eum noxius ardor vitalibus priuet auris. Anxiùs ergò & popularis fauoris rumores fugiens, Ite, inquit, ego vt potuero, vos prosequar. Pergens ergò, basilicas ac sanctorum loca circumit, & pro infirmo puero precatur, vt protinùs sospitati reddatur. Deindè vt promissæ fidei impleret effectum, ad infirmum festinus venit: sed nè quis largitori salutis, præco existeret laudis, latenter domum ingressus, infirmum attigit, moxq; virtus diuina, sanctis fauens precibus, sanitati pristinæ ægrum reddidit. Grates simul conditori parentes referunt, qui sic ad suorum petitiones famulorum pietatis suæ aures accommodat. Erat nimirùm beatus pater Attala vir gratus omnibus, singularis cuiusdā feruoris, singularis alacritatis, singularis charitatis erga pauperes & peregrinos. Nouerat & superbis resistere, & humilibus subditus esse, sapientibus cōdigna rependere, simplicibus mystica aperire: in soluendis ac componendis quæstionibus sagax, aduersùs hæreticorum procellas vigens ac solidus, fortis in aduersis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, discretus in cunctis, redundans amore & timore in subditos. Redolebat eius doctrina in discipulis, nullus iuxta eum vel mœrore deijciebatur, vel nimia lætitia extollebatur.

Vide quàm vir sanctus declinauerit omnē ostentationem.

Virtutes S. Attalæ.

Cumque iam seruum suum ab ærumnis seculi rerum conditor liberare vellet, monstrare ei per visionem voluit, vt de mundo egressurus, paratum in omnibus iter haberet, quinquaginta dierum spatio suspenso, quo pararet iter venturum. Verùm animus viri Dei non cognouit apertè, an istud esset exitus vitæ eius, an ad aliū locum esset progressurus. Præparat autem sese ad vtrunque: densat septa monasterij, tegmenta renouat, omnia roborat, vt si abeūdum sit, nihil imbecille dimittat. Vehicula ad iter agendum componit, libros ligaminibus firmat, supellectilia ablui, dissuta consui, corrupta renouari, calceamenta præparari iubet, vt ad manus præstò sint omnia. Ipse vero corpus suum ieiunijs, vigilijs & precibus afficit, ità vt nunquàm intentiùs antea in orationem visus sit incubuisse. Et nè cuiquam incredibile videatur, quod refero, apertè narro, quid in me idem sanctissimus pater peregerit. Cùm iam nouem annorū per circulum in monasterio conuersatus fuissem, & sæpè parentes mei postulâssent, vt ipsos eius permissu visitarem, nec impetrare valuissent: quadam posteà die, nullo indè mentionem faciente, ait: Vade fili festinus, & matrem fratremque visita, & nulla mora præpediente, quantocyùs reuertere. Cùm autem ego differrem, & temporis opportunitatē euenire in proximo dicerem, (erat enim tempus nimij frigoris, tempus videlicet Februarij mensis) ille respondit: Accelera iter, quod dixi. Nam ignoras, vtrùm in posterum liceat illud agere tibi. Datis ergo comitibus, Blidulpho presbytero & Hermenoaldo diacono, viris religiosis, ad destinatum peruenimus locum, à monasterio distantem centum & quadraginta millibus. Quò cùm venimus, gratuita pietate à genitrice post tantorum interuallum annorum susceptus sum: sed non diù genitrix optato fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus, inter incendia clamare cœpi, me viri Dei precibus torqueri, nè inibì contra interdictum aliquantispèr moram facerem: & si nō me citò submouens, quocunque possem conamine ad monasterium repedarem, me citò morte præueniendum. Mater ad hæc: Præstat me ibì sanum te scire, inquit, quàm hîc mortuum plangere. Fateor, longum fuit diei expectare aduentum. Vix erumpente aurora, ad monasterium repedare studuimus. Nequaquàm ego cibi per triduum quicquam cepi, donèc ad medij penè itineris loca pertingeremus. Festinantibus ergò & iter vrgentibus nobis, sospitatem rursùm recepi: venientesque ad monasterium, patrem nostrum Attalam iam febribus detentum reperimus ac morti proximum. Ipse verò visis nobis gratulatus est. Sicque apertè cognouimus, viri Dei in hoc præualuisse preces, vt me vis febrium vrgerèt citò ad monasterium ante eius exitum redire.

Obitus suus viro Dei reuelatur.

Non fruitur Ionas apud matrē hærere cōtra iussum S. Attalæ.

Qui cùm supremas vitæ præsentis horas duceret, & adhuc vigens halitus superesset, iussit se extra cellam perduci. Surgensque è strato quo valebat conamine, sustentantibus vndiquè fratribus, extra cellulam est progressus: ibique adspiciens crucem, quam ipse in eodem loco poni præceperat, vt ingrediens egrediensque cellulam, eius tactu frontem suam muniret, cœpit mœstus lachrymas fundere, ac trophæum crucis commemorare: Aue, inquit, alma crux, quæ mundi precium portâsti, quæ vexilla fers æterna: tu nostrorum vulnerum medicinam attulisti: tu cruore eius illita es, qui vt humanum

Nota hæc de crucis imagine.

num genus saluaret, de cælo in hanc lachrymarum vallem descendit: qui in te primi Adæ rugam extendit dudùm, iam iamque secundus Adam, lauacro maculam abluens. Cùm hæc oraret sanctus Attala, precatur omnes, vt abeant, sesèque cellulæ reddant, sibique paulispèr locum quietum præbeant. Abeuntibus ergò omnibus, vnus tantùm frater, nomine Blidemundus, post tergum viri Dei tacito anhelitu stetit, cogitans, si viri Dei poplites labefactari vidisset, se ad suscipiendum eum paratum fore. Cùm ergò nullum superesse sanctus pater putaret, cœpit conditoris clementiam cum lachrymarum vbertate flagitare, vt largitatis suæ sibi, etsi indigno, dona largiretur, & veteres maculas delens, omnia saluti redintegraret, ac antiquam misericordiam exercens, se à cælesti munere non abdicaret. Oratio sancti viri ad Dominum.

Inter hæc mœsta suspiria & fluentes lachrymas cælos intuens, vidit sibi eos apertos: quos multarum horarum spatio affectuosè inspiciens, vberes cordis rugitus promebat. Gratias deindè referens omnipotenti Deo, qui sibi ianuas cæli apertas demonstraret, quas post paululùm corporis membris exuta anima penetratura esset, facto signo, vt fratres aduenirent, præcepit, vt eum cellulæ redderent. Hæc nobis supradictus frater eadem die retulit. Hanc quippe consolationem famulo suo Christus ostendit, vt extremum halitum, securus de futura venia, immò gloria, ouans dimitteret. Quod vir Dei libenter occultare voluisset, si supradictus Blidemundus abditè post eius dorsum non remansisset. Altera die valefaciens omnibus fratribus vir Domini sanctus Attala, exhortabatur eos, vt cœptum iter non relinquerent, sed vt melioribus actibus roborati, quotidiè perseuerādo firmarent. Cōsolatis ergò cunctis, vitæ præsentis nexibus absolutus, animam cælo feliciter reddidit. Meritò itaque rerum conditor & humani generis reparator sanctos suos virtutum copia adornat, sicut scriptum est: Spiritus eius ornauit cælos: quia illi ad cælestem vitam anhelantes, eius præceptis parére student, vt de labore obedientiæ fructus recipiant vitæ æternæ, Amen. Videt apertos cælos. Hortatur fratres, vt perseuerēt. Decedit è vita. Iob 26.

DE S. GVMBERTO Confessore quædam habentur Tomo 5. in Vita S. Burchardi Episcopi Herbipolensis, die 14. Octobris.

VITA S. GREGORII SVMMI ET INCOMPARABILIS VIRI, VRBIS ROMAE PONTIFICIS.

SVscipe Romuleos pastor venerande triumphos:
 Gregorij sancti suscipe gesta tui.
Qui nituit factis, verbis, scriptisque beatis.
 Vt iubar auricomi solis in orbe cluit.
Norma, decus, speculum tibi sit, via, vita per æuum,
 Si cupis æternum ferre sacerdotium.
Nam qui non huius sequitur vestigia præsul,
 Ante Deum præsul non erit, immò pecus.
Hinc Psalmista canit hominem similare caballis Psal. 40.
 Ignauum stultis, qui sub honore perit.
Nocturnum dedimus sancto, cantumque diurnum,
 Carminibus clarum concinimusque virum.
Redde vicem scriptor, seruans cola, commota, puncta,
 Nè tua mendosum pagina seruet opus.
Dissimilis cunctis vox, vultus, vita, voluntas,
 Mens sociata bonis, dissociata malis.
Ludere me libuit variabilis ordine campi,
 Postquàm prosa fugit, Musa iocosa redit.
Hæc mihi tu tribuis doctor preciose Gregori,
 Qui bona das famulis, sed mala nulla tuis.
Vestitus cœpi, nudus tua munia dixi,
 Indue me factis, velleribusque tuis.
Vt quia mortalis desunt commercia carnis,
 Da mihi sub pedibus posse iacere tuis.

Ex Bibliotheca Vaticana & codice vetustissimo manuscripto.

PROLOGVS IN VITAM S. GREGORII, EDITAM A IOHANNE DIACONO ROMANO.

Claruit is Iohannes Diaconus anno Domini 872.



Eatissimo ac felicissimo domino Iohanni, sanctæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesię præsuli, Iohannes vltimus Leuitarum. Nupèr ad vigilias beati Gregorij Romani Pontificis, Anglorum scilicet gentis Apostoli, Lectione de Paulino ciuitatis Nolanæ præsule consuetudinaliter personante, visus es à venerabilibus Episcopis diuino quodam instinctu commotus requirere, cur tantus Pontifex, qui multorum sanctorum vitas texuerat, gestis proprijs in propria duntaxàt ecclesia caruisset: præsertim cùm & apud Saxones, & apud Longobardorū sibi prorsùs infensissimam gentem, gestis proprijs vbiquè polleret. Cumque venerabiles Episcopi has ab vtrisque gentibus haberi quidem, sed cõpendi osissimè, responderent, meam quoquè paruitatem conscisscens, præceperas vt vitam ipsius de scrinio sanctę sedis Apostolicæ tanto pleniùs, quanto & certiùs carpere studuissem. Sed dum ego propriæ inertiæ conscius, me meis prioribus, ac per hoc sapientioribus, qui vitam eius, licèt breuiter, tamen pio conatu, pulcherrimoque stylo descripserant, conferre penitùs dubitarem, identidem iubendo vehementer hortatus es, vt Romanæ sedis Pontificem, eiusdem sedis præsulis authoritate describerem: cui Deus omnipotens probandorum seu repellendorum scriptorum omnium specialem dederit proculdubiò potestatem. Itaq; tam imperiosis authoritatibus tandèm compulsus, vix primum librum Gregorianæ vitæ compleueram, quandò hunc in eiusdem vigilijs, annua vertigine reuolutis, tua probauit pariter ac publicauit authoritas. Ergò solicitior factus ad cætera, pauca de multis, te incentore, te præceptore, te fautore, teq; iudice colligens, in libris quatuor, auxiliante Domino, coarctaui: & secundùm distributionem eiusdem doctoris, qua librum regulæ pastoralis quadripartita ratione distinxerat, ego quoq; illum, qualiter ad culmen regiminis venerit, in primo huius operis libro perhibui. Et ad hoc ritè perueniens, qualiter vixerit, in secundo disserui. Et benè viuens, qualiter docuerit, in tertio designaui. Et rectè docens, infirmitatem suam quotidiè quanta consideratione cognouerit, in quarto conclusi. Neque magnoperè tempora temporibus contuli, sed rebus similibus similia coaptaui: Quoniam reuerà non tantùm quandò fecisset, sed quantum fecisset, solicitus deflorare curaui. In quibus quanquàm multa & varia memoratu digna studio breuitatis omiserim, nihil posuisse me memini, quæ scriptorum veterum nequeant authoritate defendi. Exceptis illis miraculis, quæ nostris temporibus facta, multorum adhuc superstitum viuis vocibus celebrantur. Si cui tamen aliter visum fuerit, vt assolet, ad plenitudinem scrinij vestri recurrens, tot * cartactos libros epistolarum eiusdem patris, quot annos probatur vixisse, reuoluat. Et quia quædam illarum vario tempore destinatæ, varietatem sensuum retinent: eædemque nonnullis integræ, quibusdam verò parte aliqua diminutæ pro personarum, locorum siue temporum dispensatione videntur, finetenùs relegendo conspiciat: sicque demùm lucidam veritatem cognoscens, me aut cum amasijs defendat, aut cum osoribus arguat. Quanquàm in eo, quòd tuo iudicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me perpetuò placiturum fore præsumam. Peto igitur, vt sicut tuis iussionibus humiliter parui, sic beati Gregorij precibus, & in hoc seculo ab æmulorū insidijs, & in futuro à peccatorū nexibus merear misericorditer liberari, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Vide authoritatem Romani pontificis.

Distributio huius operis.

for. * chartaceos

CAPITA LIBRI PRIMI.

Vbi

LIBER PRIMVS. CAP. I.



Regorius genere Romanus, arte philosophus, Gordiani viri clarissimi, & beatæ Syluiæ filius, præfuit Romanæ sedi annis tredecim,mensibus sex,diebus decē,temporibus Tiberij,Mauritij & Phocę Augustorū. Iste senatoria stirpe progenitus,tam nobilissimā quàm etiam religiosissimā genealogiam duxit, ità vt quartus Felix Apostolicæ sedis pōtifex, vir magnę in Christi Ecclesia reuerentiæ,qui Basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum,via sacra iuxta templum Romuli, sicut hactenùs cernitur, venustissimè fabricauit, eius atauus fuerit, & beata Tarsilla virgo, quæ moritura, promissionis cælestis audiuit harmoniam, & Iesum Christum ad se recipiendam videre meruit, amita nihilominùs eius extiterit.

12. Martij.

Parentes & patria S. Gregorij.

Vide Gregoriū Homil. 38. in Euangelia, & Dialog.lib.4. cap.16.

2 Quam Gregorius geminæ nobilitatis lineã pijs moribus extulit, probis actibus exornauit: adeò vt præsagio quodam Græcè γρηγορίος, quod Latinè Vigilãtius resonat, vocaretur. Nam recta, quæ docturus erat, dum viuis operibus adimpleuit, sibimetipsi vtiquè se vigilâsse perdocuit. Dum verò recta, quæ faciebat, docendo quoquè disseruit, vigilâsse quoquè dignoscitur, non solùm sibi, sed & futuri temporis Christianis.

3 Siquidem inerant ei in tenera ætate matura iam studia, & auditurus incognita, religiosis senibus indagator solertissimus adhærebat: sumptaque doctrinæ semina, tenaci memoria ruminanda, quæ pòst in populos mellito declamaret gutture, congerebat. Deniquè docilis adolescens, cùm transmisso communiter stylo surgentis infantiæ, ad biuium Pythagoricæ literæ peruenisset, incunctanter sinistrum tramitẽ cum seculi voluptate relinquere, & ad dextrum cœpit cum cælesti desiderio totis viribus anhelare.

4 Sed dum conuersionis suæ gratiam longiùs protrahens, tutiùs se Christo famulaturum putaret, si sub prætoris vrbani habitu mundo specietenùs deseruiret, cœperunt multa contra eum ex eiusdẽ seculi cura succrescere: ità vt non iam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur & mente.

Septem monasteria cõdidit.

5 Tandèm patre orbatus, vbì liberam disponendarum rerum suarũ nactus est facultatẽ, sex monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulauit. Quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari.

6 Septimum intra Romanæ vrbis mœnia, sub honore sancti Andreæ Apostoli iuxta Basilicam sanctorum Iohannis & Pauli ad cliuum Scauri monasterium in proprio domate fabricauit. In quo, relictis sericis, auro gemmisque radiantibus togis, simulq; supellectilibus reliquis in vsum pauperum erogatis, ex huius mundi naufragio nudus euasit: diuque desideratum monachicum capiens indumẽtum, primò sub Hylarionis, deindè sub Maximiani venerabilium patrum regimine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militauit. Pòst verò, cùm subesse mâllet, fratrum votiua concordia imminente, præesse non renuit, sicut in consequentibus apparebit.

Fit monachus.

7 Erat ei abstinentia tanta ciborum, sedulitas orationum & ieiuniorum, studiositas tam desiderata sacrorum librorũ, vt infirmato stomacho lassescens, vix subsistere proculdubiò videretur. Nam cùm quodam tempore incisionem vitalium, quam Grẹci dicunt συγκοπήν, pateretur, crebrisque angustijs per horarum momenta deficeret, & ad exitum appropinquaret, ac nisi eum fratres frequenter cibo reficerẽt, vitalis ei spiritus funditùs intercipi videretur, paschalis superuenit dies: Et dum sacratissimo sabbato, in quo omnes etiam paruuli pueri ieiunant, ipse ieiunare non posset, cœpit plùs mœrore quàm infirmitate deficere.

Nota ieiunium sabbati sancti.

8 Mox accersito viro sanctissimo Eleutherio, dudùm penès Spoletum multis præposito, tunc verò eiusdem sui monasterij monacho, à quo videlicet audierat fuisse mortuum suscitatum, oratorium petijt, seseq; cum lachrymis, vt saltem die illo ad ieiunãdum sibi virtus daretur, in orationem dedit. Et post paululùm completa oratione digressus, tantam virtutem suum stomachum percepisse cognouit, vt ei cibus & morbus funditùs de memoria tolleretur. Cœpit secum mirari, quis esset, quis fuerit: & cùm ad animum redibat infirmitas, nihil in se ex his, quæ meminerat, recognoscere præualebat. Cumq; in dispositione monasterij occupata mens esset, obliuiscebatur funditùs ægritudinis suæ. Si verò rediret ægritudo ad memoriam, cùm tam fortem se esse sentiret, mirabatur si non comedisset. Qui ad vesperum veniens, cognouit sibi tantam fortitudinem permanere, vt ad diem alterum trãsferre potuisset ieiunium, si voluisset. Verùm quanquàm penè quotidiano languore tabesceret, nullam tamen corpori suo cupiebat quietem, quo minùs aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret.

Precibus morbum pellit.

Eius exercitia.

9 In huius sacri monasterij penetralibus idem vir omnipotẽtis Dei Gregorius à matre Syluia, tunc temporis iuxta portã beati Pauli apostoli loco, qui dicitur Cella noua, quo hactenùs oratorium nomini eius dedicatum, & famosum sancti Sabæ confessoris Christi monasterium, cuius laus est in sexta & septima synodo, constitutũ videtur, degente, crudis leguminibus pascebatur.

Crudis victitat leguminibus.

10 Vbi hunc de more quædam scribentem Angelus Dei reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat. Cui Gregorius ex intimo corde cõpatiens, bis ternis nummismatibus datis, abire præcepit. Nec multò pòst eadẽ die idem naufragus redijt, seq; multa perdidisse, pauca verò recepisse perhibuit. A quo senis pari modo nũmismatibus sumptis, lętabũdus abscessit. Sed die tertia rediẽs, idẽtidẽ adiutoriũ naufragus impor-

importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus pater, accersito vestiario, alia sex nummismata dari præcipiens, cognouit in vestiario nil nummismatũ, vnde posset consolari naufragum, remansisse. Quid faceret, nesciebat. Aestuabat Deo deuoti pectoris pietas, non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam. Rursus vestiariũ suum, si fortè vas quodlibet aut vestimentum haberet interrogans, audiuit nil penitùs remansisse, præter matris argenteam, quæ cum infusis leguminibus mitti solita erat, scutellã. Mox alacrior factus: Ergò, inquit, frater hanc defer, nè tristis abeat, qui cõsolari quærit, pauper. Itaq; delatam scutellã Gregorio satis hilariter largiente, pauper qui putabatur, lætus amplectitur, non iam ad expetenda, sed ad conferẽda suffragia rediturus. A quo videlicet Angelicę visitationis tẽpore, tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, vt omnibus secũ viuentibus & exẽplo fuerit & terrori. Quippe qui nõ solus, sed socialiter cum beato Andrea apostolo, suo monasterio signis euidentibus sit præfuisse putatus. Egregia ei' liberalitas.

11 Nam vt pauca de multis loquar, quadam die duos exindè fratres transmisit, qui aliquid emere pro eiusdem monasterij vtilitate debuissent. Vnus iunior, qui prudentior videbatur: alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt vtrique, & de precio, quod acceperunt, ipse, qui custos iunioris missus fuerat, nesciente altero, furtum fecit. Qui mox vt in monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limen venerunt, arreptus à dæmonio is, qui furtum fecerat, cecidit. Dimissus autem a dæmonio, concurrentibus monachis, Abbatis iussu requisitus est, an fortè de eo, quod acceperat, furtum fecisset. Negauit, & iterùm vexatus est: dimissus, atque iterùm requisitus negauit, atque iterùm vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo vicibus vexatus est. Post octauam verò negationem, Gregorio interrogante, confessus est, quòd nummos furto abstulerat: eique prostratus, se peccâsse testatus est: perceptaque pœnitentia, vlteriùs ad eum dæmonium non accessit. Pœna furis. Pœna furtũ negantis.

12 Alio quoq; tempore, dum in die natalitio eiusdem Apostoli, iam meridianis horis fratres requiescerent, subitò quidã frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere: quibus vocibus testabatur ferre se non posse, quod patiebatur. Concurrerunt fratres, viderunt cæcum oculis apertis, trementem & clamantem, & à præsentibus alienum, nihilque, quod foris agi poterat, sentientem. Hunc in manibus leuauerunt, ante altare sancti Andreæ apostoli iussu Gregorij proiecerunt, ipsique pro eo in orationem prostrati sunt. Qui statìm ad se reuersus, confessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilacerandum dimisit, dicens: Quarè fugere voluisti de monasterio isto? Cumque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statìm iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Hic etiam sæpè confessus est posteà, dicens, quòd eo die, quo ista pertulerat, consilium habuerit de monasterio fugiendi. Ob apostasiæ meditationẽ quid monachus passus.

13 Alius quoq; monachus discedere ex eodem monasterio latẽter disponens, oratoriũ ingredi voluit, sed dæmone corripiente nequiuit. Relinquebatur à dæmonio, quandiù extra oratoriũ stabat. Si ingredi conabatur, statim maligno spiritui traditus, vexabatur. Hoc dum sæpiùs fieret, tandèm Gregorio inquirente, se de monasterio fugere voluisse confessus est: eiusque per triduum simul cum fratrum precibus ità pietate diuina curatus est, vt ad eum postmodùm malignus spiritus nunq̃ accedere tentaret. Si hęc considerâssent nostri temporis apostatæ, non totà monasterijs deficerent.

14 Alij quoquè duo fratres de eiusdem patris monasterio fugerunt: qui aliqua priùs colloquendo fratribus signa dederant, quòd per Appiam viam descendẽtes, Hierosolymam tenderent. Hi exeuntes, diuerterunt de itinere, & vt à sequentibus inueniri minimè possent, terrusas cryptas iuxta Flamineam portã inuenientes, in eis se occultauerunt. Cùm verò vespertinis horis iussu Gregorij requisiti, minimè in congregatione inuenti fuissent, ascensis caballis eos quidã fratres secuti sunt. Per Metrouij portã exeuntes, vt eos in Latinã vel Appiam viam sequerentur: subitò eis consiliũ ortum est, vt eos in Salaria via extra ciuitatẽ requirere debuissent. Igitur pergentes deflexerũt iter, & in Salaria eos vetere non inuenientes, per portam Flamineã decreuerunt redire. Cumq; reuerterentur, mox vt equi ante cryptas illas venerũt, in quibus se monachi absconderant, fixerunt gradum. Pulsati & compulsi, passum mouere noluerunt. Considerauerunt equites rem talem sine mysterio esse non posse. Attendentes ergo ad cryptas, viderunt earum aditus missã maceria prędamnatos: sed caballis suis nusquàm ire volentibus descenderunt, & lapides, qui ad ora cryptarum compositi fuerant, deponentes, ingressi sunt, eosque in eidem tenebrosis latibulis consternatos terræ inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, tam stupore miraculi, quam exhortatione venerabilis patris Grego- Monachos apostatas produnt equi.

Gregorij, sic meliorati sunt, vt eis multùm profuerit ad paruum tempus de monasterio recessisse.

Monachus proprietarius.

15 Alio quoquè tempore quidã monachus, Iustus nomine, medicinali arte imbutus, beato Gregorio sedulè obsequi atque in assiduis ægritudinibus eius excubare consueuerat. Hic itaq; corporis languore præuentus, ad extrema deductus est. Cui in ipsa molestia frater germanus, Copiosus nomine, seruiebat. Sed prædictus Iustus cùm iam se ad extrema peruenisse cognosceret, eidem Copioso fratri suo quia occultos tres aureos haberet innotuit. Quod nimirùm fratribus celari non potuit. Qui subtiliter indagantes, atque illius medicamenta omnia perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerũt in medicamine absconditos. Quod mox vt Gregorio nunciatum est, tantum malum de fratre, qui secum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valuit. Quippe qui eidem monasterio iam dudùm regulam constituerat, vt cuncti fratres ità communiter viuerent, quatenùs eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc Gregorius nimio mœrore perculsus, cogitare cœpit, vel quid ad purgationem moriẽtis faceret, vel quid ad exemplum viuentibus prouideret. Specioso igitur eiusdem monasterij præposito ad se accersito, dixit: Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientẽ iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat: sed cùm in morte constitutus fratres quæsierit, ei suus frater carnalis dicat, quia pro solidis, quos occultè habuit, à cunctis fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpa sua mentem illius amaritudo transuerberet, atque à peccato, quod perpetrauerat, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrũ corporibus non ponatur: sed quamlibet fossam in sterquilinio facite, ibique super eũ tres aureos, quos reliquit, iactate simul omnes clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione. & sic cum terra cooperite. In quibus vtrisque rebus solertissimus pater Gregorius vnam morienti, alteram verò viuentibus fratribus prodesse decreuit: vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio misceri talibus prohiberet. Quod ità factum est. Nam cùm idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret fratribus cõmendare, nullusque fratrum ei applicare vel loqui tentaret, ei suus carnalis frater, cur ab omnibus esset abominatus, aperuit. Ille protinùs, vt audiuit, de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia de corpore exiuit. Qui ità est sepultus, vt Gregorius iusserat: sed fratres omnes eadem eius sententia perterriti, cœperũt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehemẽterque formidare, nè quid apud se esset, vndè repræhendi potuissent.

Vide seueritatem sancti viri in monachum peculium habentem.

16 Cùm verò post mortem fratris triginta iam essent dies euoluti, cœpit animus Gregorij misericorditer ei compati, eiusq; cum graui mœrore supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium, inquirere. Tunc euocato ad se eodem Specioso monasterij sui præposito, tristis dixit: Diù est, quòd frater ille Iustus, qui defunctus est, in igne cruciatur. Debemus ei aliquid charitatis impendere, & ei inquantùm possumus, vt eripiatur, adiutorium nostrum accommodare. Vade itaque, & ab hodierna die continuis triginta diebus offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omninò prætermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia nõ mactetur. Qui protinùs abscessit & paruit. Gregorio autem alia curante, atque euolutos dies minime numerante, isdem frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo Copioso per visum apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisiuit, dicens: Quid est frater? Quomodò es? Cui ille respõdit: Nunc vsque malè fui, sed iam modò benè sum, quia hodiè communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinùs indicauit in monasterio fratribus. Fratres verò solicitè computauerunt dies, & ipsum diem inuenerunt fuisse, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta: cùm & Copiosus nesciret, quid pro eo fratres authore Gregorio agerent: & fratres ignorarent, quid de eo Copiosus vidisset. Vno igitur eodemque tempore dum agnoscit ille oblationem, isti audiunt somnium, trigesimumque diem cognoscunt, concordante simul visione & sacrificio: res apertè claruit, quia frater, quem sub animaduersionis sentẽtia Gregorius mori permiserat, per salutarem hostiam à supplicio liberatus esset.

Iubet pro eo offerri sacrificium.

Liberatur à pœnis Purgatorij. Habes hic originẽ 30. Missarum, quæ vulgò beati Gregorij dicũtur.

17 Sed quia idem venerabilis pater quemadmodùm fratribus terrori fuerit, ex parte iam tetigi, qualiter eius exemplis ijdem profecerint, breuiter indicandũ putaui. Frater quidã in eodẽ monasterio, Antonius nomine, beato Gregorio sedulus adhærebat: qui tãti patris verbis exemplisq; cõmonitus, multis quotidianisq; lachrymis ad gaudia patriæ cęlestis anhelabat. Cumq; studiosissimè & cũ magno feruore desiderij sacra eloqa,

Antonius egregi' monachus & discipulus S. Gregorij.

duce

duce Gregorio, scrutaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis quærebat: quatenùs per hæc incitata mens eius exardesceret, & ima deserens, ad contemplationem cælestis patriæ peruolaret. Huic per nocturnam visionem dictum est: Paratus esto, & quia Dominus iussit, migra. Cumq; ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinùs audiuit, dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod dum semèl audisset, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoquè alia in eisdem est verbis admonitus. Post quinque verò dies febre correptus, cunctis fratribus flentibus orantibusque defunctus est.

18 In eodem monasterio frater quidam Gerontius dicebatur: qui dum graui molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros & clari omnimodò habitûs in hocipsum monasterium descendere de superioribus adspexit. Qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorũ dixit: Ad hoc venimus, vt de monasterio Gregorij quosdam fratres in militiam mittamus. Atque alteri præcipiẽs, dixit: Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atque alios, quorum ego cognitionẽ non habeo. Quibus expletis, addidit dicens: Scribe & huncipsum, qui nos adspicit. Ex qua visione Gerontius certus effectus, facto manè innotuit fratribus, quot & qui essent ex eodem monasterio morituri, seque illos continuò secuturum. Cùm die altero prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in mortem secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati: ad extremũ verò & ipse obijt, q̃ eosdẽ fratres morituros præuidit. *Visio Gerõtio ostensa de fratribus morituris.*

19 Alius etiam frater in eodẽ monasterio Merulus dicebatur, vehementer lachrymis atque eleemosynis ex Gregorij viri venerabilis doctrina intentus. Psalmodia verò ex ore illius pene nullo tempore cessare consueuerat, excepto cùm aut alimẽta corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit, quia ex albis floribus corona de cælo in caput illius descendebat. Qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atq; hilaritate defunctus est. Ad cuius sepulcrum dum post annos quatuordecim Petrus, qui pontificatûs istius beati Gregorij tempore, monasterio eidem præfuit, sibi sepulturã facere voluisset, tanta de eodẽ sepulcro fratris Meruli fragrantia suauitatis emanauit, àc si illic florũ omniũ fuissent odoramẽta congesta. Ex qua re manifestè patuit, q̃a verũ fuit, quod per nocturnã visionẽ tanti patris discipulus vidit. *Merulus, insignis discipulus S. Gregorij.*

20 Alius quoquè frater in eodem monasterio, Iohãnes dictus est, magnæ indolis adolescens, qui ætatem suam intellectûs & humilitatis dulcedine & grauitate morum, docente Gregorio, transcendebat. Huic ægrotãti atque ad extremum perducto, per nocturnam visionem sub habitu senis beatus apostolus Andreas apparuit, & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge. Ex hac enim molestia modò minimè morieris. Sed paratus esto, quia longum tempus hìc facturus non eris. Qui dum iam esset à medicis desperatus, repentè sanatus est atque conualuit. Rem, quam viderat, narrauit, seque per biennium in Dei seruitio, sicut prædixi, vltra ætatis suæ annos exhibuit. Euolutis autem duobus annis, cùm quidam frater fuisset mortuus, atq; in cœmeterio eiusdem monasterij à Gregorio fratribusque sepultus, cunctis indè discedentibus, idem Iohannes, sicut postmodùm pallens & tremens Gregorio & fratribus indicauit, solus inuentus ab eodem fratre, qui sepultus fuerat, de sepulcro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis ostendit. Nam post dies decem correptus febribus, moriendo vocantem subsecutus est. Verùm quia longum est, & multa restant, quæ de huius viri sanctimonia certis possunt attestationibus prædicari, quæ etiam ex relatione Maiorum scriptis've priorum compererim, his inserenda decreui. *Visio F. Iohãnis, adolescentis eximij.*

21 Quadam die cùm aduenientibus nupèr negociatoribus multa venalia in foro Romanæ vrbis fuissent proposita, multique ad emendum vndiquè confluxissent, contigit & Gregorium virum Deo dignissimum præterire. Qui cernẽs inter alia pueros corpore candidos, forma pulcherrimos, vultu venustos, capillorũ quoquè nitore perspicuos esse venales, interrogauit mercatorem, de qua patria illos attulisset. Ille respondit: De Britannia insula, cuius incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: Christiani sunt ijdem insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus implicati? Mercator respondit: Non sunt Christiani, sed paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius grauiter ingemiscens: Heu prô dolor, inquit, q̃ splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet, tantaq; frontis species vacuam ab interna Dei gratia mentem gestat. Rursùs interrogauit, quod esset vocabulũ gentis illius. Mercator respondit: Angli vocantur. At ille: Benè, inquit Angli quasi angeli, quia angelicos vultus habẽt, & tales in cęlis angelorũ decet esse cõciues. Iterùm ergò interrogat, quod nomẽ haberet *Pueri à Britannia Romę venales.*

ipsa

ipsa prouincia. Mercator respondit: Prouinciales illi, Deiri vocantur. Et Gregorius: Benè, inquit, Deiri, quia de ira sunt eruendi, & ad gratiam Christi conuocandi. Rex (ait) illius prouinciæ quomodò nuncupatur? Mercator respondit: Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen, dixit: Benè, quia rex dicitur Aelle. Alleluia enim in laude creatoris oportet illis in partibus decantari.

22 Mox itaque accedens ad Benedictum, Apostolicæ sedis pontificem, cœpit vehementer expetere, vt in Britanniam aliquos verbi ministros emitteret. Quo cùm neminem ire velle cognosceret, semetipsum quoquè non dubitauit ingerere, dummodò Pontifex sibi licentiam commodaret. Qui, licèt cum magna cunctatione totius cleri ac populi, Gregorium spontè proficisci cupientem abire permisit, imprecatus ei diuinitùs prospera ministrari.

S. Gregorius it ad conuertendos Britannos.

23 De cuius absentia Romani plurimùm perturbati, deliberato consilio, trifariè per loca viæ contigua, vndè Pontifex ad beati Petri profecturus erat basilicam, partiuntur, eumque turmatim taliter alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti. Quibus sententijs omninò Papa perterritus, misit cõtinuò nuncios, qui virum Domini reuocarent Gregorium, quod ipse sibi cõmeantibus iam prædixerat fore futurum.

24 Iamque trium dierum itinere profligato, ad quendam locum requieturi fortè diuerterant. Quo singulis quiescẽtibus, Gregorius lectitabat. Quem locusta superueniẽs, coëgit paululùm à legendo quiescere, & ex consideratione sui nominis docuit eum in eodem loco restare debere. Tunc fertur dixisse: Locusta, inquit, dici potest, quasi loco sta. Statimq; comites adhortatus, festinãtiùs ire certabat: sed preueniẽtibus Apostolicis nuncijs, licèt magnoperè tristaretur, redire ad proprij compulsus est monasterij curam.

Reuocatur ex itinere.

25 Deniquè cernens Benedictus venerabilis Pontifex virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum à quiete sui monasterij abstrahens, Ecclesiastici ordinis officio sublimauit, Leuitamque septimum ad suum adiutorium consecrauit. In quo venerabilis pater Gregorius tanta humilitate viguit, tanta solertia ministrauit, vt in Ecclesiasticæ hierarchiæ ministerio videretur diuinis angelis non solùm nitore habitûs, verùm etiam claritate morum probabilium veraciter coæquari.

Creatur Leuita.

26 Nec multò pòst pro responsis Ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim à Pelagio præsule destinatur. Vbi quanuis in terreno conuersaretur palatio, vitæ cælestis nõ intermisit propositum. Secuti nanque sunt eum multi ex suo monasterio fratres, germana deuincti charitate: quod diuina factum dispensatione conspicitur, vt eorum videlicet exemplo ad orationis placidum litus, quasi ancoræ fune stringeretur: & dum causarum secularium continuatis vertiginibus fluctuaret, ad illorum consortium, velut ad tutissimi portûs sinum, refugeret. Et licèt illud eum ministerium à monasterio abstractum, à pristinæ quoquè quietis vita, mucrone suæ occupationis extingueret, inter eos tamen per studiosæ lectionis alloquium, quotidianæ adspiratio compunctionis animabat.

Agit apocrisarium Cõstãtinopoli.

Nota de cõsortio monachorum, quantum ei contulerit.

27 Horum ergò consortio non solùm à terrenis est munitus incursibus, verùm etiam ad vitæ cælestis exercitia magis magisq; succensus. Nam ab eisdem fratribus enixè rogatus, maximeque à Leandro Hispalensi episcopo, qui pro causis Vuisigothorum legatus eodem tempore Constantinopolim venerat, compulsus est, vt librum beati Iob multis inuolutum mysterijs enodaret. Neque ille negare potuit opus, quod sibi amor fraternus multis vtile imponebat futurum. Sed eundem librum quomodò iuxta literam intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ sacramenta referẽdus, quo sensũ vnicuique fidelium sit aptandus, per trifarias intelligendi species, miranda ratione perdocuit. In quibus tamen ità de virtutibus vitijsque disseruit, vt nõ solùm videatur eadem verbis exponere, sed formis quodammodò visibilibus seu palpabilibus demonstrare. Vndè non est dubium, perfectionem ipsarum eum consecutum fuisse virtutũ, quarum tam efficaciter valuit indicare profectus.

Scribit expositiones in S. Iob.

28 Prætereà venerabilis Leuita Gregorius in eadem Vrbe regia constitutus, nascentem nouam hæresim de statu nostrę resurrectionis, cum ipso, quo orta est initio, iuuante gratia nostri redemptoris attriuit. Siquidem Eutychius, eiusdẽ ciuitatis episcopus, libro de resurrectione mortuorum confecto, dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum. Quod Gregorius audiens, & ratione veritatis, & exẽplo Dominicæ resurrectionis, probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium. Catholica etenim, inquit, fides habet,

Eutychianã hęresin profligat.

Eutychij error.

bet, quòd corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatũ, subtile quidem erit per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ: Iuxta exemplum Dominici corporis, de quo à mortuis resuscitato, dicit ipse discipulis suis: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Cumque hoc euangelicæ veritatis testimonium Gregorius protulisset, Eutychius ait: Idcircò hoc Dominus fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoueret. Cui Gregorius dixit: Mira est res valdè, quam adstruis: vt indè nobis dubietas surgat, vndè discipulorum corda fuerunt à dubitatione sanata. Quid enim deteriùs dici potest, quàm vt hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate reparati? Si enim hoc non habuisse adstruitur, quod ostendit, vndè fides discipulorum eius confirmata est, indè nostra destruitur. Eutychius ait: Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem aliquam est redactũ. Ad hæc Gregorius respondit: Scriptum est: Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Si quid ergò in eius corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, Dominus redijt in mortem post resurrectionem. Quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis eius resurrectionem negat? Tunc Eutychius obiecit, dicẽs: Cùm scriptum sit, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui Gregorius respondit: In sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atq; aliter iuxta culpam vel corruptionem. Caro quippe dicitur iuxta naturam, sicut scriptum est: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Caro verò iuxta culpam, sicut scriptum est: Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eò quòd sunt caro. Et sicut Psalmista ait: Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens. Vndè & discipulis Paulus dicebat: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat: Sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, iam liberi per virtutem spiritûs, in carne non erant. Quod ergò Paulus Apostolus dicit, Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: carnem secundùm culpam intelligi voluit, non carnem secundùm naturam. Vndè & mox, quia carnem secundùm culpam diceret, ostendit subdens: Neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergò cęlestis regni gloria caro secundùm naturam erit, sed secundùm corruptionẽ vel etiam passionis desideria non erit: Quia deuicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Quibus auditis, Eutychius consentire se protinùs respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiam in libello, quem scripserat, Pauli quoque testimonium indiderat, dicentis: Tu quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quia non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum. Hoc nimirùm ostendere festinans, quia caro vel palpabilis, vel ipsa non erit. Dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, non corpus quod futurum est, seminari dixerit, sed nudum granũ. Sed ad hæc citiùs Gregorius respondit: Paulus apostolus dicens, Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, hoc insinuat, quod videmus: quia videlicet granum cum culmo & folijs nascitur, quod sine culmo & folijs seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse, quod erat, sed adesse, quod non erat. Tu autem dum verum corpus resurgere denegas, nequaquàm dicis adesse quod deerat, sed deesse quod erat.

Luc. 24. Rom. 6. 1. Cor. 15. Genes. 2. Iohan. 1. Genes. 6. Psal. 77. Rom. 8. 1. Cor. 15. Ibidem. Ibidem.

29 Tunc itaque Gregorius Romanus diaconus & Eutychius Constantinopolitanus episcopus, hac de re in longa contentione perducti, grauissima cœperunt ab inuicèm simultate resilire. Tum piæ memoriæ Tiberius Constantinopolitanus Imperator, secretò vtrunque suscipiens, quid inter eos discordiæ versaretur, agnouit. Et vtriusq; partis allegationem subtiliter pensans, eundem librum, quem Eutychius de resurrectione conscripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberauit vt flammis cremari debuisset. A quo videlicet pijssimo Imperatore vt simul egressi sunt, post lõgissimæ disputationis conflictum pariter ægrotantes, in lectulum deciderunt.

30 Dum ergò Gregorius validissimis febribus æstuaret, Eutychius cum morte confligens, pellem manus suæ tenebat, coram omnibus dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus. Post quam catholicæ fidei confessionẽ defunctus est. Quo mortuo, quia penè nullus erat, qui eius dicta sequeretur, Gregorius dissimulauit cœpta persequi, nè in fauillas videretur verba iaculari.

Eutychius resipiscens moritur.

31 Quanta autem authoritate ministerium sui apocrisariatûs impleuerit, quantę reuerentiæ apud Augustos extiterit, quantaque solicitudine afflictæ Italiæ succurri sæpiùs fecerit, si quis pleniùs nôsse desiderat, epistolas antecessoris sui Papæ Pelagij, ad eum super multimodis Ecclesiæ Dei necessitatibus destinatas, quæ hactenùs in scrinio sanctæ sedis Apostolicæ studiosissimè conseruantur, percurrat. Ex quarum multitudine hîc vnam intersero, quatenùs & illius ministerij qualitas, & reliquarum quoquè consequentia cognoscatur.

Pelagij Papæ ad Gregoriũ Epistola.

32 Quæ ità se habet: Pelagius episcopus, dilecto filio Gregorio venerabili diacono. Omnia quidem, quæ necessaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curauimus indicare. Quem cum fratre & coëpiscopo Sebastiano, ad dilectionem tuam direximus: vt quia in illis partibus ad Rauennam vsque nunc cum viro glorioso domino Decio patritio fuit, ipse sua relatione studeat te ex omnibus informare, vel si qua necessaria iudicaueris, possit domino Imperatori suggerere: Quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis à perfidia Longobardorum illatæ sunt, contra suum proprium iusiurandum, vt nullus possit ad referendum sufficere. Prędictum autem fratrem Sebastianum quomodò suscceperimus, vel in quali apud nos te suggerente fuerit charitate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam iam promisit nobis necessitates vel pericula totius Italiæ pijssimo domino Imperatori suggerere. Loquimini ergò & tractate pariter, quomodò nostris celeriter possitis subuenire periculis. Quia ità hîc coangustata est respublica, vt nisi Deus pijssimi in corde principis inspirauerit, vt insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, & super illam diacoposim vel vnum magistrum militum & vnum ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti. Quia maximæ partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur, & Exarchus scribit nullum nobis posse remedium facere, quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere. Imperet ergò illi Deus nostris velociter periculis subuenire, antequàm nefandissimæ gentis exercitus loca, quæ adhuc à republica detinentur, Deo sibi contrario (quod absit) præualeant occupare. Presbyterum autem ad nos transmittere Deo iuuante festina, quia & in monasterio tuo, & in opere, cui eum præposuimus, necessarius esse omninò cognoscitur. Data quarto Nonarum Octob. Indict. 3.

Infestationes Longobardorum.

33 Huic siquidem monasterio, cuius hîc Papa Pelagius meminit, Siculus Maximianus, qui pòst Syracusanus episcopus extitit, eodem tempore præfuit. Qui ad venerabilem Leuitam Gregorium in eiusdem regiæ vrbis palatio, pro responsis Ecclesiasticis desudantem, visitationis gratia cum fratribus venit, & dum ad monasterium eius, sibi quoquè commissum, Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate depræhensus, inæstimabili ordine atq; inusitato miraculo erga se cunctosque, qui secũ aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit, & gratiam. Nam cùm in eorum morte ventorum nimietatibus fluctus eleuati sæuirent, ex naui claui perditi, arbor abcisa est, vela in vndis proiecta, totumque vas nauis nimijs quassatum fluctibus, ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit, ità vt non magis nauis inter vndas, quàm vndæ iam intra nauim esse viderentur. Tunc in eadem naui residentes, non iam ex mortis vicinia, sed ex ipsa eius præsenti visione turbati, omnes sibimetipsis pacem dederunt, corpus & sanguinem redemptoris acceperunt, Deo se singuli commẽdantes, vt eorum animas benignus susciperet, quorum corpora ità pauendæ morti tradidisset. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentem mirabiliter terruit, eorum quoquè vitam per meritũ famuli sui Gregorij, pro cuius speciali amore venerant, mirabiliùs reseruauit. Nam diebus octo nauis eadem, vsque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatauit. Nono autem die, ad Cortonẽsis castri portum deducta est. Ex qua exiêrunt omnes incolumes, qui cum prędicto Maximiano viro venerabili nauigabant. Cumque post eos ipse quoquè fuisset egressus, mox in eiusdem portûs profundum nauis demersa est, àc si illis egredientibus, pro pôdere subleuatione caruisset, & quę plena hominibus in pelago aquas portauerat atque natauerat, Maximiano cum fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu, nec portare valuerit, nec natare: Vt hinc omnipotens Deus ostenderet, quia per meritum Gregorij, quem fratres visitauerant, hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua, permanere non potuit super aquas.

Asseruata in naui sacra Eucharistia.

Miraculum insigne.

Inundatio Tiberis.

34 Igitur postquàm Romam Gregorius venerabilis Leuita reuersus est, aliquanto interiecto tempore, tanta inundatione Tiberis fluuius alueum suũ egressus est, tantumq; excreuit, vt eius vndæ super muros vrbis influerẽt, atque in ea regiones maximas occuparent,

parent,& antiquarum ædium plurima monimenta deijceret, ecclesiastica quoque horrea violenter subuerterent, in quibus nonnulla modiorum tritici millia periêre.

35 Tunc siquidem apud Veronensem vrbem fluuius Athesis, vt idem Gregorius refert, excrescens, ad beati Zenonis martyris atque Pontificis ecclesiam venit. Cuius ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè intrauit. Quæ paulispèr crescens, vsque ad fenestras ecclesiæ, quæ erant tecto proximæ, peruenit. Sicque stans aqua, ecclesiæ ianuam clausit, ac si illud elementum liquidum, in soliditatem parietis fuisset immutatum. Cumque essent multi interiùs inuenti, sed aquarum magnitudine circundata omni ecclesia, qua possent egredi non haberent, ibique se siti ac fame deficere formidarent, ad ecclesiæ ianuam veniebant, & ad bibendum hauriebant aquam: quæ vsq; ad fenestras excreuerat, & tamen intra ecclesiam, vt aqua, defluere nullo modo præualebat. Stans autem ante ianuam, ad ostendendum cunctis meritum martyris, & aqua erat ad adiutorium, & aqua non erat ad inuadendum locum. Quod nimirùm miraculum, Babylonici illius ignis miraculo non dissimile poterit æstimari, qui trium puerorum & vestimenta non tetigit, & vincula incendit.

Nota miraculum stupendum. *Dan. 3.*

36 Tunc etiam innumerabilis multitudo serpētium cum magno dracone in modum trabis validæ, per Tiberini fluminis alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestię inter salsos maris turbidissimi fluctus, sine mora in litore desederunt, suaque putredine totum aërem corruperunt.

Serpētes extincti corrumpūt aërem.

37 Sequuta est è vestigio clades inguinaria, quæ Romanam vrbem adeò vehementi pestilentia laniauit, vt etiam corporali visu sagittæ cælitùs venire, & singulos quosque percutere viderentur. Quæ in mense vndecimo veniens, primùm omnium, iuxta illud, quod in Ezechiel propheta legitur, A sanctuario meo incipite: Pelagium Papam perculit, & sine mora extinxit. Quo defuncto, ità in reliquum vulgus desæuit, vt subtractis habitatoribus, domos in vrbe plurimas vacuas omninò reliquerit.

Pestis inguinaria. *Pelagius Papa moritur.*

38 Eodem tempore in monasterio venerabilis Leuitæ Gregorij, puer inquietus valdè, Theodorus nomine, cum fratre religioso magìs necessitate quàm voluntate degebat, cui nimiùm grauis erat, si quis ei pro sua quicquam salute dicebat. Bona autem non solùm facere, sed etiam audire non poterat. Nunquàm se ad sanctæ conuersationis habitum venire, iurando, irascendo ac deridendo testabatur. Qui tamen eiusdem pestilentiæ clade percussus in inguine est, & perductus ad mortem. Cumque extremum spiritum ageret, conuenerunt cum Gregorio fratres, vt egressum illius orando protegerēt. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum: in solo tantummodò pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem, qui aderant, tantùm pro eo cœperūt enixiùs orare, quantùm eum iam videbant sub celeritate discedere. Cùm repentè cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorū interrumpere, dicens: Recedite, eccè draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam me deuorare non potest. Caput meum in suo ore iam absorbuit. Date locum, vt me ampliùs non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cū Gregorio cœperūt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? signum tibi sanctæ Crucis imprime. Respondebat ille cum magnis clamoribus, dicens: Volo me signare, sed nō possum, quia squamis huius draconis premor. Cumque hoc fratres audirent, vnà cum Leuita Dei Gregorio in terram prostrati, cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs Dominum deprecari. Et eccè subitò cœpit æger cum magnis vocibus clamare, dicens: Gratias Deo: eccè Draco, qui me ad deuorandum susceperat, fugit. Orationibus vestris expulsus est, stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditùs relinquere. Homo ergò, qui, sicut dictum est, ab extrema fuerat parte præmortuus, Gregorij precibus, & morte corporis caruit, & salutem animæ acquisiuit.

Exemplum terribile.

39 Sed pestilentia supra modum sæuiente, quia Ecclesia Dei sine rectore esse non poterat, Gregorium, licèt totis viribus renitentem, Clerus, Senatus, populusque Romanus sibi concorditer pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus euitare decernens, sese indignum omninò tali honore clamitabat: videlicet metuens, nè mundi gloria, quam priùs abiecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere potuisset.

S. Gregorius planè nolēs creatur Ro. Pontifex.

40 At vbì decretum generalitatis euadere nequiuit, cōsensurum se tandèm aliquandò simulauit, & Imperatori Mauritio, cuius filium ex lauacro sancto susceperat, latēter

literas destinauit, adiurans & multa prece deposcẽs, nè vnquàm assensum populis præberet, vt se huius honoris gloria sublimaret: sed præfectus vrbis, Germanus nomine, eius nuncium anticipauit, comprehensumque ac disruptis epistolis, consensum, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia diaconi, eò quòd locum deferendi ei honoris, vt cupierat, reperisset, data præceptione, ipsum ordinari pręcepit. Interìm dum ab vrbe regia Imperatoris præstolaretur assensus, & lues ipsa populum vehementiùs deuastaret, venerabilis Leuita Gregorius verbum ad plebem exorsus est, dicens:

Oratio eius ad populū.

41 Oportet, fratres dilectissimi, vt flagella Dei, quę metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim Propheta teste prædictū est, Peruenit gladius vsque ad animas nostras. Eccè etenim cuncta plebs cælestis irę mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. Nec languor mortem præuenit, sed languoris moras, vt cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergò, qualis ante conspectum districti iudicis peruenit, cui non licet flere, quod fecit. Et habitatores quidem non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes adspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergò nostrûm ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis, quicquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in cõfessione, & sicut propheta admonet, Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. Ad Dominum quippe corda cum manibus leuare, est, orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarũ immanitate desperet. Veternosas nanque Niniuitarum culpas, triduana pœnitentia absterfit, & conuersus latro, vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus: citiùs ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminẽte ergò tantæ animaduersionis gladio, nos importunis precibus insistamus. Ea nanque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritatis placet. Quia pius ac misericors Deus vult à se precibus veniam exigi, qui quantùm meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & glorificabis me. Ipse ergò sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur. Proindè fratres reuerendissimi, cum contrito corde & correctis operibus, crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam, iuxta distributionem inferiùs designatam, deuota cum lachrymis mente veniamus. Nullus vestrûm ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negocium agere præsumat: quatenùs ad sanctæ genitricis Domini ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus: vt districtus iudex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat.

Ierem. 4. Thren. 3. Leuare corda cum manibus. Ezech. 18. Ionæ 3. Luc. 23. Psal. 49. Litaniarum vsus antiquissimus in ecclesia.

Litania septiformis.

Litania clericorum exeat ab ecclesia sancti Iohannis Baptistæ. Litania virorum, ab ecclesia sancti martyris Marcelli. Litania monachorum, ab ecclesia sanctorum Iohannis & Pauli. Litania ancillarum Dei, ab ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani. Litania fœminarum coniugatarum, ab ecclesia beati primi martyris Stephani. Litania viduarum, ab ecclesia beati martyris Vitalis. Litania pauperum & infantum, ab ecclesia beatæ martyris Cæciliæ.

43 Igitur dum magna multitudo diuersæ ætatis, sexûs atque professionis, iuxta præceptionem Leuitæ Gregorij, die constituta Dominum rogatura venisset, intantùm lues ipsa iudicio diuino desæuijt, vt intra vnius horæ spatium, dum voces plebs ad Dominũ supplicationis emitteret, octoginta homines ad terrã corruentes, spiritum exhalarent. Sed nequaquàm destitit facundissimus rhetor populo prædicare, nè ab oratione cessarent, donèc miseratione diuina pestis ipsa quiesceret.

44 Enimuerò cùm adhuc futurus antistes putaret se principem à consensu consecrationis suæ penitùs auertisse, cognouit tandèm suas literas a Germano præfecto vrbis interceptas fuisse. Cuius rei gratia Imperiale responsum, quod videlicet volũtati suæ contrarium rebatur, præueniẽs, quia palàm egredi portas ciuitatis nõ poterat, à negociatoribus exponendum se dissimulato, vt fertur, habitu callidus impetrauit, syluarum saltus expe-

Fugit mutato habitu & latitat.

expetijt, cauernarum latibula requisiuit. In quibus dum ab omnibus summa solicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ, super se iugiter à cælo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur, & apud beati Petri apostolorum principis templum summus Pontifex consecratur.

45 Verùm quia sunt nõnulli Longobardorum perfidi, qui Gregorium appetîsse magis pontificium autument quàm fugisse, operæprecium reor pauca de multis inserere, quibus eum, inquantùm sine pertinaciæ vitio potuit, noluisse pontificium, immò quasi pondus importabile penitùs cauere voluisse, luce clariùs manifestem. Ait enim, penè in ipso consecrationis suæ principio, in epistola Paulo Scholastico: Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arrident, non valdè penso. De vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minimùm doleo, qui desiderium meum plenissimè scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui, si voluntatem meam, quam dudùm cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem. At nunc quia honoris huius vinculis in ciuitate teneor Romana religatus, habeo aliquid, quod etiam vestræ gloriæ exultem. Quia viro eminentissimo domino Leone exconsule veniente, vos in Sicilia remanere nõ suspicor, & cùm ipse quoquè tuo honore religatus, Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar, agnosces. Veniente autem viro magnifico domino Maurentio chartulario, ei quæso in Romanæ vrbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladijs foris sine cessatione confodimur, sed & seditione militum interno periculo grauiùs vrgemur. Item: Lib.1.epist.1.

46 Gregorius Iohanni Patriarchæ Constantinopolitano: Si charitatis virtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos iubemur, quid est, quòd me beatitudo vestra non ità vt se diligit? Quo enim ardore, quo studio episcopatus pondera fugere voluerim, scitis. Et tamen hæc eadem episcopatûs pondera nè mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergò, quia non me sicut vos diligitis: quia illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis. Sed quia vetustam nauim vehementerque confractam indignus ego infirmusque suscepi: (Vndiquè enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ, putridæ naufragiũ tabulæ sonant) per omnipotentem Dominum rogo, vt in hoc mihi periculo orationis tuæ manum porrigas: quia tanto enixiùs potestis exorare, quanto & à confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longiùs statis. Item: Li.1.epist.4. Matth.22.

47 Gregorius Theoctistæ sorori Imperatoris: Mens mea vestræ venerationi quanta deuotione substernitur, explere verbis nequeo. Nec tamen me prodere laboro, quia & me tacente in vestro corde legitis, quid de mea deuotione sentiatis. Miror aũt, quòd in me collatas dudùm continẽtias vestras, ex hac moderna pastoralis officij continentia distraxistis: in qua sub colore episcopatûs ad seculum sum reductus, in qua tantis terrenis curis inseruio, quantis me in vita laica nequaquàm deseruîsse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intùs corruens, ascendisse exteriùs videor. Vndè me à conditoris mei facie longè expulsum deploro. Conabar nanque quotidiè extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre: Et non solis vocibus, sed totis medullis cordis ad Dei speciem anhelans, dicebam: Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Nihil autem in hoc mundo appetens, nihil pertimescẽs, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ità vt in me penè impletum crederẽ, quod pollicitahte Domino ex propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super altitudines etenim terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta ac gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. Sed repentè à rerum vertice tentationis huius turbine impulsus, ad timores pauoresque corrui: Quia & si mihi nihil timeo, eis tamen, qui mihi commissi sunt, multùm formido. Vndiquè causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ità vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationũ tumultibus exclusus, redire non possum. Et hoc ergò mihi longè factũ est, quod intra me est, ità vt obedire nequeã propheticæ voci, qua dicitur, Redite præuaricatores ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus, solũmodò exclamare compellor, Et cor meũ dereliquit me. Contemplatiuæ vitæ pulchritudinẽ velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram. Quę etsi per quietem suam minùs generat, lucem tamen subtiliùs videt. Sed quo iudicio nescio, Lia mihi in nocte coniuncta est, actiua videlicet vita, fœcunda, Li.1.epist.5. Hæc vir sanctus ex summa animi modestia dicit. Psal.26. Esa.58. nota animi securitatem & fortitudinem. Psal.68. Esa.46. Psal.39.

 cunda,

cunda, sed lippa, minùs videns, quanuis ampliùs pariens. Sedere ad pedes Domini, cum
Luc.10. Maria festinaui, verba oris eius percipere: & eccè cum Martha compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. Expulsa à me, vt credidi, legione dæmonum, volui obliuisci quos noui, & ad Saluatoris pedes quiescere: & eccè mihi nolenti atque
Mar.5. compulso dicitur: Reuertere in domum tuam, & annuncia quanta tibi fecerit Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare, cùm iam mihi difficile sit saltem recolere? Pressum nanque in hoc honore, tumultu secularium nego-
Psal.72. ciorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Neque enim dixit, Deiecisti eos, postquàm alleuati sunt: sed, dum alleuarentur. Quia praui quique dum seculari honore suffulti, foràs videntur surgere, intùs cadunt. Alleuatio ergò ipsa, ruina est: quia dum gloria falsa subnixi sunt, à vera gloria vacuantur. Hinc
Psal.67. iterùm dicitur: Deficientes vt fumus deficiant. Fumus quippe ascendendo deficit, & se dilatando euanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur. Quia vndè ostenditur, vt altus sit: indè agitur, vt non sit. Hinc rursùs scriptum est:
Psal.82. Deus meus, pone illos vt rotam. Rota quippe ex posteriori parte attollitur, in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quę reliquimus: anteri-
Philip.3. ora verò sunt æterna & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo attestante, qui ait: Quæ retrò oblitus, in ea quæ sunt priora, extendens me. Peccator ergò cùm in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus eleuatur. Nam cùm in hac vita gloriam percipit, quam reliquit: ab illa cadit, quæ post hanc venit. Et quidem multi sunt, qui sic exteriores profectus regere sciunt, vt per eos nequa-
Iob 36. quàm interiùs corruant. Vndè scriptum est: Deus potentes non abijcit, cùm & ipse sit
Prouer.1. potens. Et per Salomonem dicitur: Et intelligens gubernacula possidebit. Sed mihi hæc difficilia sunt, quia & valdè onerosa. Et quod mens voluntariè non recipit, congruè non disponit. Eccè serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem iussit. Et quidem pro iussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Vndè necesse est, vt omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit. Item.
Lib.1.ep.6. 48 Gregorius Narsi patricio: Dum contemplationis dulcedinem altè describitis, ruinæ meæ mihi gemitum renouatis. Quia audiui quod intùs perdidi, dum foràs ad culmē regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me perculsum mœrore cognoscite, vt vix loqui sufficiam. Oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est, quicquid adspicitur: quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile appáret. Penso enim, ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quàm deiectum exterioris prouectûs culmen ascendi. Et pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus,
Thren.1. quasi destructę Iudeæ vocibus cum propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Quòd verò causæ & nominis similitudinem faciendo per scripturam, clausulas declamationesque formatis, certè frater reuerendissime simiam leonē vocas. Quod eo modo vos agere cōspicimus, quo scabiosos sępè catulos, pardos vel tigres vocamus.
Ruth 1. Ego enim bone vir quasi filios perdidi, quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergò me vocare Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine plenus sum. Item.
Lib.1.epist. 7.& 25. 49 Gregorius Anastasio Patriarchæ Antiocheno: Scripta vestræ beatitudinis vt fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, vmbram ęstuans inuéni. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritualem erga me amorem suū, quem gestabat, aperuit, acsi mens per semetipsam loqueretur. Sed durum vàldè fuit, quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera pręcepit: & quem priùs spiritualiter diligebatis, pòst, vt æstimo, temporaliter amantes, vsque ad terram me superposito onere depressistis: ità vt omnem mentis rectitudinem funditùs perdēs, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum
Psal.37. dicam: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaquè. Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenùs erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, & post illa quietis ocia, tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ità vt re-
Psal.68. ctè dicam: Véni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Periclitanti igitur mihi orationis vestræ manum tendite vos, qui in virtutum litore statis. Quòd verò me os
Nota mirabilē animi candorem & puritatē. Domini, quòd lucernam dicitis, quòd loquendo multis prodesse, multisque posse lucere perhibetis, æstimationem meam mihi fateor in dubietatem maximam perduxistis. Considero nanque quis sum, & nihil in me ex huius boni signo deprehendo.
Con-

Considero autem qui estis, & vos mentiri posse non arbitror. Cùm ergò credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea. Cùm discutere volo quod in laude mea dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quæso vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conueniat: vt si non quod dicitis, ità est: sit ità, quia dicitis. Item.

50 Gregorius Andreæ illustri: Omnipotẽs Deus dulcissimo cordi vestro indicet, quia & absens corpore, à charitate vestra animo non recessi. Bona enim vestra, etiam si volo, obliuisci non valeo. Hoc autem quòd me ad episcopatûs ordinem cognoscitis peruenisse, si me diligitis, plangite: Quia tantæ hîc huius mundi occupationes sunt, vt hîc per episcopatûs ordinem penè ab amore Dei videam me esse separatum. Quod incessanter defleo, atque vt pro me Dominum exoretis, rogo. Item. Lib. 1. ep. 29.

51 Gregorius Iohanni exconsuli & patricio atque Quæstori: Bona vestræ excellentiæ expertus, tanto erga vos amore constringor, vt vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenùs possit. Sed contra amorem non modicè contristor, quia quietẽ me quærere cognouistis, & ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo fecistis, bona æterna retribuat: sed me à tanto loci huius periculo qualiter voluerit, absoluat: Quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Lõgobardorũ Episcopus factus sum. Quorum syntychiæ spathæ sunt, & gratia pœna. Eccè vbì vestra patrocinia me perduxerunt. Gemo quotidiè occupationibus pressus, & respirare non valeo. Sed vos qui adhuc valetis, mundi huius occupationes fugite: quia quantum in eo quisque profecerit, tantum, vt video, ab amore Dei ampliùs decrescit. Item. Li. 1. ep. 30.

52 Gregorius Leandro Hispalensi Episcopo: Respondere epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi pastoralis curæ ità me labor attereret, vt mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere. Quod vestra quoquè reuerentia in ipso literarũ mearum textu vigilanter intelligit, quandò ei negligẽter loquor, quẽ vehementer diligo. Tantis quippè in hoc loco huius mũdi fluctibus quatior, vt vetustam ac putrescentẽ nauim, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenùs possim, Nũc exaduersò fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescũt: nunc à tergo tempestas insequitur. Inter quæ omnia turbatus, cogor modò in ipsam clauum aduersitatem dirigere, modò curuato nauis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quòd, negligente me, crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obuiante, iam iamq́ue putridę naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quòd perdidi meę placidum litus quietis, & suspirãdo terram conspicio: quam tamen, rerum ventis aduersantibus, tenere non possum. Si ergò me frater reuerendissime diligis, tuę mihi orationis in his fluctibus manum tende: vt quo laborantem me adiuuas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoquè laboribus valentior existas. Lib. 1. Epist. 41. Hęc omnia ab incredibili animi humilitate proficiscuntur.

53 Sed quia Gregorium nõ solùm declinare voluisse, quin etiam cum magno angore animi summum sacerdotiũ suscepisse, satis (vt opinor) probatum est: qua discretione id fecerit, videtur breuiter indicandum, nè scilicet tantus vir aut pertinacię, aut pusillanimitatis vitio saltem leuiter succubuisse putetur. Ait enim in epistola ad Anastasium Corinthiorum Archiepiscopum: Iudicia Domini quanto sunt inuestigabilia, tãto debent humanis mentibus esse metuẽda. Et quia ea ratio mortalis compræhendere non valet, his se necesse est humili cordis ceruice substernat: quatenùs quò eam regẽtis voluntas duxerit, illuc obedientibus mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatẽ meam ad Apostolicæ sedis culmẽ non posse pertingere, onus hoc malui declinare, nè in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberẽ. Sed quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum, quod misericors de me regentis manus voluit operari. Nam fraternitati vestræ, etsi præsens non eueniret occasio, necessariò fuerat indicandum, quòd licèt indignum, me Apostolicæ sedi Dominus præesse dignatus est. Li. 1. ep. 26.

54 Item idem de eadẽ re, Philippico comiti excubitorũ: Inquantùm homo discutere & inuestigare iudicia superna nõ sufficit, intãtùm sub eis debet ceruicẽ cordis inflectere. Et quia id, quod sibi tribuitur, quo iudicio disponatur ignorat, nec ad appetendũ locũ procax insistere, nec ad repellendũ contumax debet inueniri. Vndè indignus ego, ad suscipiẽda episcopatûs onera iussioni omnipotentis Dei vestræq; volũtati me subdidi, cui me pręesse largitate magis gratiæ, quàm iudicij æstimatione voluistis. Potens est enim Deus, propter quẽ me indignũ diligitis, hãc vobis in perpetuũ repẽsare mercedẽ, vt gratiã quam indignis famulis eius impenditis, apud eũ multipliciùs inuenire valeatis. Li. 1. ep. 31.

At ego hîcâ deflorationis opere paululùm respirabo, vt quæ specialiter de pontificio eius dicenda sunt, in libello alio, suffragante Domino, referantur.

FINIS LIBRI I.

CAPITVLA LIBRI II.

LIBER SECVNDVS. CAP. I.

AGè iam nunc, quoniam athletæ Christi Gregorij, viriliter in gymnasio sanctæ ipsius Ecclesię desudantis, prçlato libello torosa membra descripta sunt: qualiter in palæstra quoquè conflixerit, adspirãte Domino proferatur. Siquidem mox vt summum pontificium felicissimæ Romanæ vrbis, Christo mortalibus consulente, sortitus est, superstitiosum Vniuersalis vocabulum, quod Iohannes Constantinopolitanus Episcopus insolẽter sibi tunc tẽporis vsurpabat, more antecessorum suorum pontificum, sub districtissimæ interminationis sententia refutauit, & primus omnium se in principio suarum epistolarum seruum seruorum Dei scribi satis humiliter diffiniuit, cunctisque suis successoribus documentum suæ humilitatis, tam in hoc, quàm in mediocribus pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenùs in sancta Romana Ecclesia conseruatur, hæreditarium reliquit. *Seruum seruorum Dei se scribit.*

2 Deniquè in specula sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vir totius humanitatis & authoritatis ac orthodoxæ fidei, vndè videri & audiri clariùs Euangelicus præco valeret, consistens: oris sui diuinissimo gladio & rectam fidem munijt, & cunctas hæreses vno symbolo dissipauit. Quod videlicet sacræ confessionis symbolum ità se habet: *Nota, de specula vniuersalis Ecclesiæ.*

Credo in vnum Deum omnipotentem, patrem & filium & spiritum sanctum, tres personas, vnam substantiam: Patrem ingenitum, filiũ genitum: spiritum verò sanctum nec genitum, nec ingenitum: sed coæternum, de patre & filio procedentem. Confiteor vnigenitum filium consubstantialem, & sine tempore natum de patre, omnium visibilium & inuisibilium cõditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriæ, figuram substantiæ: qui manens verbũ ante secula, perfectus homo creatus est iuxta finem seculorum, conceptus & natus ex spiritu sancto & Maria virgine: qui naturam nostram suscepit absque peccato, & sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus, tertia die resurrexit à mortuis: die autem quadragesimo ascendit in cælum, sedet ad dexteram patris: indè vẽturus est iudicare viuos & mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum, daturus iustis perpetua præmia regni cęlestis, iniquis autem supplicia ignis æterni: Innouaturus seculum per ignem, & carnis resurrectionem. Confiteor vnam fidem, vnum baptisma, vnam Apostolicã & vniuersalem Ecclesiam, in qua sola possunt laxari peccata in nomine Patris & Filij & Spiritussancti. *Symbolum S. Gregorij.*

3 Synodicam quoquè suam Gregorius, secundùm priscam prædecessorum suorum consuetudinem Iohanni Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Iohanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiochiæ destinauit. Quæ ità se habet:

Consideranti mihi, quòd impar meritis, ac toto animo renitens, pastoralis curę pondera portare compulsus sim, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud nisi eas, quę videre nil sinũt, tenebras videt. Nam quid Antistes ad Dominũ, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaq; fiducia ad eũ pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de proprijs securus non sum? Si fortassè quispiam apud potentem virum, qui & sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinùs responderem: Ad intercędendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedula fami- *Li.1.ep.24. Epistola Synodica ad Patriarchas.*

familiaritate non habeo. Si igitur rectè homo apud hominem, de quo minimè præsumpsissem, fieri intercessor erubescerem: quantæ hoc audaciæ est, quòd apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me per vitæ meritum non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud grauiùs formidandum, quia sicut cuncti liquidò nouimus, cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Et valdè pertimesco, nè commissa mihi plebs fidelium, reatùs mei additamento depereat, cuius vsq; nunc Dominus æquanimiter delicta tolerabat. Cùm verò vtcunquè hunc timorem supprimo, & consolatam mentem ad pontificalis operis studia accingo, considerata ipsa rei immensitate deterreor. Perpendo quippe, quòd omni cura vigilãdum est, vt rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silẽtio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis in contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentiũ vitia per zelum rectitudinis erectus, & cætera, quæ latiùs pòst in libro Pastorali prosequitur.

Rector qualis esse debeat.

4 Prætereà quia corde, inquit, creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem: sicut sancti Euãgelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicenum scilicet, in quo Arrij peruersum dogma destruitur: Constantinopolitanum quoquè, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur: Chalcedonense verò, in quo Eutychis Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio. Quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit: & cuiuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoquè Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, & Theodorus, personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse cõuincitur. Scripta quoquè Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides repræhenditùr, ausu * inuidentiæ prolata refutãtur. Cunctas verò, quas prefata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerãtur, complector. Quia dum vniuẽrsali sunt consensu cõstituta, se, non illa, destruit, quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergò aliud sapit, anathema sit.

Rom. 10. Cõcilia V. œcumenica quanti fecerit.

*dementię

5 Hoc modo postquàm Gregorius fundamentum fidei suæ, secundùm pristinum prędecessorum suorum pontificum morem, luculenter Apostolicis thronis exposuit, animaduertens ideò se à Domino super gentes & regna summum pontificẽ constitutum, vt iuxta illud propheticum, vitiorum radices euelleret, destrueret atque disperderet: sicque demùm ædificaret plantaretque virtutes: omnes consuetudines, quas contra priscam traditionẽ Apostolicam nouiter pullulâsse cognouerat, videlicet de ministris, de cantoribus, de laicis pontifici familiariter adhęrentibus, de titulandis præiudicialiter quibuslibet rebus: de contegendo dalmaticis Apostolico feretro, de * pastillatico pro pallio vel consecratione pontificum, & de non admittẽdis passìm laicis ad ecclesiastici iuris officium: primò quidem à Romanę Ecclesiæ, postmodùm verò, collectis circunquaq; positarum prouinciarum episcopis, à totius sanctæ vniuersalis Ecclesiæ corpore segregauit, eaque sub interpositione terribilis anathematis, tam generaliter quàm perpetualiter condemnauit.

Ierem. 1. Traditioni Apostolicæ contrarias tollit consuetudines. *pastillaco

6 Deinde in domum Domini, more sapientissimi Salomonis, propter musicæ compunctionem dulcedinis, antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimìs vtiliter compilauit, scholamque cantorum, quæ hactenùs eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit, eique cum nonnullis prædijs duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus ecclesię sancti Petri Apostoli, alterũ verò sub Lateranensis patriarchij domibus fabricauit. Vbi vsque hodiè lectus eius, quo recubans modulabatur, & flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua, cum authentico antiphonario reseruantur. Quæ videlicet loca per præcepti seriem, sub interpositione anathematis, ob ministerij quotidiani vtrobiquè gratiam subdiuisit.

Schola cantorum & Antiphonarius.

7 Huius modulationis dulcedinem, inter alias Europæ gentes Germani seu Galli discere, crebroque rediscere insigniter potuerũt: incorruptam verò tam leuitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quàm feritate quoquè naturali, seruare minimè potuerunt. Alpina siquidẽ corpora, vocũ suarum tonitruis altisonè perstrepentia, susceptę modulationis dulcedinẽ propriè nõ resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodã fragore quasi plaustra per gradus confusè sonantia, rigidas voces

Cantus à Gallis depranatus.

voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat.

8 Hinc est, quòd huius Gregorij tempore cum Augustino, tunc Britannias adeunte, per occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi, Barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis, occidentales ecclesiæ ità susceptum modulationis organum vitiârunt, vt Iohannes quidam Romanus cantor cum Theodoro, æquè ciue Romano, sed Eboraci Archiepiscopo per Gallias in Britannias à Vitaliano sit præsule destinatus: Qui circunquaquè positarum ecclesiarum filios ad pristinam cantilenæ dulcedinem reuocans, tam per se, quàm per suos discipulos, multis annis Romanæ doctrinæ regulam conseruauit.

9 Sed & Carolus noster patritius, rex autem Francorum, dissonantia Romani & Gallicani cantûs Romæ offensus, cùm Gallorū procacitas cātum à nostratibus quibusdam nænijs argumētaretur esse corruptum, nostrique è diuerso authenticū antiphonarium probabiliter ostentarent: interrogâsse fertur, quis inter riuum & fontem limpidiorem aquam conseruare soleret? Respondentibus, fontem, prudenter adiecit: Ergò & nos, qui de riuo corruptam lympham vsque hactenùs bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios clericos Adriano tunc episcopo dereliquit. Quibus tandèm satìs eleganter instructis, Metensem metropolim ad suauitatem modulationis pristinę reuocauit, per quam illam totam Galliam suam correxit.

Carolus Magnus reformari curat cantum in Gallijs.

Eccles. Romana fons perennis.

10 Sed cùm multa post tempora defunctis his, qui Romæ fuerant educati, cantū Gallicanarum ecclesiarum à Metensi discrepare prudentissimus regum vidisset, ac vnumquenq; ab alterutro vitiatum cantum iactantem aduerteret: Iterùm, inquit, redeamus ad fontem. Tunc Regis precibus, sicut hodiè quidam veridicè adstipulantur, Adrianus Papa permotus, duos in Galliam cantores emisit: quorum iudicio Rex omnes quidem corrupisse dulcedinem Romani cantûs leuitate quadam cognouit: Metenses verò sola naturali feritate, paululum quid dissonare peruidit. Deniq; vsque hodiè quantum Romano cantui Metensis cedit, tantū Metensi cedere Gallicanarum ecclesiarum Germaniarumq; cantus, ab his, qui meram veritatem diligūt, comprobatur. Hæc ergò per anticipationem retulerim, nè indiscussam Gallorum leuitatem videar præterîsse.

11 Cæterùm prudentissimus rector Gregorius, remotis à suo cubiculo secularibus, clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit. Inter quos Petrum diaconum coætaneū suum, cum quo posteà disputans, quatuor Dialogorum libros composuit: Aemilianum quoquè notarium, qui quadraginta Homilias euangelij cum socijs suis excepit: Paterium æquè notarium, qui ab eo secundicerius factus, ex libris ipsius aliqua vtilissima deflorauit: Et Iohannem defensorem, qui eius iussu in Hispanias cognitor est destinatus. Ianuarium episcopum ciuitatis Malalitanę, ab episcopis suis compatriotis depositum, sedi propriæ restaurauit, & depositores eius cum eo, qui in locum eius obrepserat, pari sententia condemnauit. Monachorum verò sanctissimos sibi familiares elegit. Inter quos Maximianum monasterij sui Abbatem, quem Syracusis episcopum fecit, eique per Siciliam vices suas commisit. Augustinū eiusdē monasterij sui præpositum, & Mellitum, per quos Anglorum gentes ad Christianismi gratiā conuocauit. Marinianum eiusdem monasterij sui monachum, quem in Rauennati metropoli episcopum consecrauit. Probum, quem subitò Abbatem spiritu reuelante constituens, pro construendo Xenodochio Hierosolymis destinauit: simulque Claudium Classitanæ ciuitatis Abbatem, qui de Prouerbijs, de Canticis canticorū, de Prophetis, de libris Regum, & de Heptateucho, Papa disputante, multa licèt non eodem sensu composuit.

S. Gregorius clericos suis adhibet cōsilijs &c.

Monachos habet familiares.

12 Cum quibus Gregorius die noctuque versatus, nihil monasticę perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Videbantur passìm cum eruditissimis clericis adhærere pontifici religiosissimi monachi, & in diuersis professionibus habebatur vita communis: ità vt talis esset tunc sub Gregorio pęnès vrbem Romanam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Euangelista penès Alexandriam Philo commemorat.

Familia S. Gregorij.

13 Tunc rerum sapientia Romę sibi templum visibiliter quodammodò fabricabat, & septemplicibus artibus veluti columnis, nobilissimorum totidem lapidum Apostolicæ sedis atrium fulciebat. Nullus pontifici famulantium à minimo vsq; ad maximum, barbarum quodlibet in sermone vel habitu præferebat, sed togata Quiritum more seu trabeata Latinitas, suū Latium in ipso Latiali palatio singulariter obtinebat. Refloruerant

ibi diuersarum artium studia,& qui vel sanctimonia vel prudẽtia fortè carebat,suo ipsius iudicio subsistendi coram pontifice fidutiam non habebat.

14 Arcessebantur pontificalibus profundis consilijs prudentes viri,quos perhibui, potiùs quàm potentes,& paupere philosophia intrinsecùs,quid potiùs aut potissimùm in vnoquoque negocio sequendum putaretur,artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente, diues inertia, quæ modò se de sapientibus pari sorte vlciscitur, pro cubiculi foribus despicabilis remanebat. Sola deerat interpretandi bilinguis peritia, & facundissima virgo Cecropia, quæ quondàm suæ mentis acumina, Varrone cælibatum suum auferente, Latinis tradiderat, imposturarum sibi præstigia, sicut ipse in suis epistolis queritur,vindicabat.

Laici à quibus exclusi functionibus.

15 Nemo laicorum quodlibet palatij ministerium vel ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia ecclesiastici iuris munia ecclesiastici nihilominùs viri subibant: Nimirùm laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli procerum,sub obtentu religionis, primò tonsurare cœperunt. Quorum tergiuersationi Mauritius Imperator prudenter occurrens, data per Longinum stratonem lege præcepit, vt quisquis publicis fuisset administrationibus implicatus,ei ad ecclesiasticum venire officium nõ liceret. Quam legem Gregorius super hoc valdè laudauit,dicens: Qui secularem habitum deserens, ad ecclesiastica officia venire festinat,non relinquere cupit seculum,sed mutare.

Milites permulti cupiuntin Clerũ admitti.

16 Verùm dum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica, quàm ex seculari quoquè militia diuersis occasionibus quotidiè penè innumerabilis multitudo conflueret, Pastor ad omnia prouidus, nequaquàm eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodò monachicum propositum suscipiendos esse censebat, dicens: Multos ex ecclesiastica seu seculari militia nouimus ad omnipotentis Dei seruitium festinare,vt ab humana seruitute liberi, in diuino seruitio videãtur familiariùs conuersari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici vel secularis iuris dominium occasionem præbemus.Si verò festinantes ad omnipotentis Dei seruitium incautè retinemus,illi inueniemur negare quædam,qui dedit omnia.Vndè necessè est, vt quisquis ex iuris ecclesiastici vel secularis militiæ seruitute, ad Dei seruitium conuerti desiderat,probetur priùs in laico habitu constitutus:& si mores eius atque conuersatio bono desiderio illius testimonium perhibuerint, absq; vlla retractatione seruire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, vt ab humano seruitio liber recedat, qui in diuino obsequio districtiorẽ subire appetit seruitutem. Si autẽ & in monachico habitu secundùm patrum regulas inrepræhensibiliter fuerit conuersatus, post præfixa à sacris canonibus tẽpora,licẽter iam ad quodlibet ecclesiasticũ officiũ promoueatur: si tamẽ illis nõ fuerit criminibus maculatus, quæ in testamẽto veteri morte mulctãtur.

17 Sed & Gelasianum codicem, de Missarum solennijs multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla adijciens pro exponendis euangelicis lectionibus, in vnius libri volumine coarctauit.In canone apposuit,Diesque nostros in tua pace disponas,atque ab æterna damnatione nos eripi,& in electorum tuorum iubeas grege numerari.

Stationes vt instituerit.

18 Stationes per basilicas vel beatorum martyrũ cœmeteria, secundùm quod hactenùs plebs Romana quasi eo viuente certatìm discurrit, solicitè ordinauit. Per quas & ipse simul discurrens,dum adhuc eloqui præualeret,viginti Homilias euangelij coram ecclesia diuerso tempore declamauit. Reliquas verò eiusdẽ numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo,alijs pronunciandas commisit.

19 Sequebatur exercitus Domini vltrà citràque B. Gregorium præeuntem, & auditurae verbum doctrinæ, innumerabiles vndiquè diuersi sexûs, ætatis ac professionis voluntariæ confluebant cohortes.Quibus ille,vtpotè ductor cælestis militiæ,cunctis duntaxàt arma spiritalia suggerebat. Pauperibus verò & aduenis,qui pro conditione temporum Romæ influxerant,quotidiana stipendia ministrabat.

Super corpora Apostolorum Missas celebrat

20 Super corpora autẽ beatorum Petri & Pauli Apostolorũ,Missarum solennia celebrari decreuit,acquisitis numerosissimis oliuetis,quorum summã in tabulis marmoreis pro foribus eiusdẽ Basilicæ annotauit. Luminaria superaddidit, officia sedula deputauit,de sepultura iuxta ecclesiam,commodũ sperare prohibuit,septem ex defensoribus honore regionario decorandos indixit. Alleluia extra Pentecostes tẽpora dici ad Missas fecit, Subdiaconos expoliatos procedere statuit, Kyrieeleison cantari præcepit, & orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari.

21 De quibus cùm posteà quosdã murmurare sentiret, tanquã qui Constãtinopolitanę

nę ecclesiæ cõsuetudines sequeretur, pijssimus pater non dedignatus est reddere ratio- Li. 7. ep. 63.
nem, dicens: Nos in nullo horum aliam ecclesiam secuti sumus. Nam & alleluia hîc vt
diceretur, de Hierosolymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatę
memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideò magis in hac sede illam consuetudi-
nem amputauimus, quæ hîc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem vt spoliatos
procedere facerẽ, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed placuit cuidã nostro pontifi-
ci, nescio cui, qui eos vestitos procedere pręcepit. Nam Siciliæ ecclesiæ nunquid à Græ-
cis traditonẽ acceperunt? Vndè habent ergò hodiè, vt subdiaconi in lineis tunicis pro-
cedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesia perceperunt? Kyrieeleison autem
nos neq; diximus, neq; dicimus, sicut à Græcis dicitur: quia in Gręcis omnes simul di-
cunt: Apud nos verò à clericis simul dicitur, à populo respondetur. Et totidèm vicibus
etiã Christeeleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis au-
tem Missis, alia, quæ dici solent, tacemus: tantũmodò Kyrieeleison & Christeeleison di-
cimus, vt in his deprecationis vocibus paulo diutiùs occupemur. Orationẽ verò Domi-
nicam idcircò mox post precẽ dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solum- Missa ab
modò orationẽ, oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconueniens visum Apostolis
est, vt precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam celebrata.
traditionem, quam Redẽptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non
diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos
verò à solo sacerdote. In quo ergò Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut ve-
teres nostras reparauimus, aut nouas & vtiles constituimus, in quibus tamẽ alios com-
probamur imitari? Ergò vestra charitas, cùm occasio dederit, vt ad Catanensem ciui-
tatẽ pergat, vel in Syracusana ecclesia eos, quos credit aut intelligit, quia de hac re mur-
murare potuerũt, facta collatione doceat, & quasi alia ex occasione eos instruere non
desistat. Nam de Constantinopolitana ecclesia quod dicũt, quis eam dubitet sedi Apo- Ecclesia
stolicę esse subiectam? Quod & pijssimus dominus Imperator, & frater noster eiusdem Constantinop. subie-
ciuitatis episcopus assiduè profitẽtur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia ha- cta est Ro-
bet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stul- manæ.
tus est enim, qui in eo se primum existimat, vt bona, quæ viderit, discere contemnat.

22 Tantæ hospitalitatis Gregorius in ipso etiã patriarchio permansit, vt exceptis his, Hospitali-
quos tam per diuersas regiones, quàm Romæ quoquè, Longobardorum perfidiæ gla- tas S. Gre-
dios fugientes, Ecclesię stipe misericorditer nutriebat, quotidiè ad mensam suam pere- gorij.
grinos quoslibet inuitaret. Inter quos die quadam vnus accessit, in cuius manibus dum
ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conuersus vrceum accepit: sed re- Vide eius Homil. 23.
pentè eum, in cuius manibus aquam fundere voluẽrat, inuenire non potuit. Cumque in Euange-
hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Cæte- lia.
ris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.

23 Alio quoquè tempore idem Gregorius iuxta consuetudinem suam præcepit sa-
cellario, vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret. Qui pergẽs, iussa compleuit,
eosque ad mensam pariter ordinauit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa,
tredecim numerauit. Et accersito sacellario, cur contra iussionem suam tertiumdeci-
mum inuitare præsumpserit, inquisiuit. Ille obstupefactus, conuiuantes peregrinos cu-
riosiùs numerauit, & duodecim solos inueniens, veluti securus respondit: Crede mihi,
honorabilis pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse iussisti. Ergò dum conuictus sæpi-
ùs duodecim identidèm numeraret, ac tertiumdecimum, quem solus Papa videre po-
terat, non videret, animaduertens spiritualis pater Gregorius virũ propiùs discumben-
tem, vultus crebrò conuertere, & nunc adolescentem, nunc verò se vetulum veneran-
da quadam canitie simulare, finito conuiuio, duodecim quidẽ abire permisit: tertium-
decimũ verò manu suscipiens, in cubiculũ suum induxit, vehementer adiurans, vt ei se
nomenq; suum simpliciter prodere dignaretur. Qui respondens, dixit: Et cur interro-
gas de nomine meo, quod est mirabile? Veruntamẽ scito memoria recognoscẽs, quia
ego sum naufragus ille, qui quondàm véni ad te, quandò scribebas in cella monasterij
tui ad cliuũ Scauri, cui dedisti duodecim nummismata & argẽteam scutellam, quam ti-
bi miserat cũ infusis leguminibus beata Syluia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit co-
gnitũ, quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuisti, destinauit te Dominus fieri
præsulẽ sanctæ suæ Ecclesiæ, pro qua & propriũ sanguinem fudit, & esse te successorem
atque Vicarium Apostolorum principis Petri, cuius & virtutem imitatus es, cùm sub-
stantias offerentium diuideret, prout cuique opùs erat. Hæc audiens Gregorius, dixit: Act. 2 & 4.

Angelus se ostendit S. Gregorio. Et tu quomodò nôsti, quòd tunc me Dominus præesse sanctæ suæ Ecclesiæ destinârit? At ille inquit: Quoniam ego Angelus eius sum,& tunc ab eo ad tuum inquirendū propositū destinatus. Tunc Gregorius, quia nondùm manifestè viderat angelum, prorsùs expauit, sibique hunc taliter dicentem audiuit: Nè timeas, neque formides. Eccè enim remisit me Dominus, vt sim tibi custos quandiù fueris in isto mortali seculo: quatenùs quamcunq; rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Ilicò Gregorius in faciem suam corruit, dicens: Si propter pusillum meæ paruitatis munusculum tanta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus, vt & pontificem me sanctæ suæ Ecclesię faceret,& custodem mihi suum angelum deputaret: quanta putem mihi restitui, si in præceptis eius totis viribus permanens, plura studuero de pluribus erogare?

Eius admirāda liberalitas. 24 Igitur incipiens tantùm largior esse de collato temporali commodo, quantū certior de recipiēdo præmio sempiterno, cunctorum patrimoniorum prædiorumque reditus, ex Gelasiano polyptycho, cuius nimirùm studiosissimus videbatur pedissequus, adæræquit, eorumque pensionibus in auro argentoque collatis omnibus ordinibus Ecclesiasticis, vel palatinis, monasterijs, ecclesijs, cœmeterijs, diaconijs, xenodochijs, vrbanis, vel suburbanis, quot solidi quater in anno distribuerentur, Pascha scilicet, natali Apostolorum, natali sancti Andreæ, natalitioque suo, per polyptychum, quo hactenùs errogantur, indixit.

25 Extra quos, primo Dominicæ Resurrectionis diluculo, in basilica quondàm doctissimi Papæ Vigilij, iuxta quam consuetudinaliter habitabat, ad impertiēdum pacis osculum residens, cunctis episcopis, presbyteris, diaconibus, alijsq; axiomaticis, aureos erogabat. Natalitio verò Apostolorum vel suo, mixtos solidos offerens, peregrinis nihilominùs vestimenta donabat.

26 Omnibus omninò Kalendis, pauperibus generaliter easdem species, quæ cōgerebantur ex reditibus, erogabat. Et suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, suo legumen, suo lardum, suo manducabilia animalia, suo pisces, vel oleum, paterfamiliâs Domini, discretissimè diuidebat. Pigmenta verò aliaque delicatiora commercia primoribus honorabiliter offerebat, ità vt nihil aliud, quàm communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia.

3000. moniales alit. Lib. 6. Epist. 187. 27 Tribus millibus ancillis Dei, quas Græci Monastrias vocant, quindecim libras auri pro lectisternijs dedit. eisque pro quotidianis stipendijs octoginta libras annualiter conferebat. De quibus Theoctisto patricio scribens, Harum, inquit, talis vita est, atque intantùm lachrymis & abstinentia districta, vt credamus quia si ipsæ non essent, nullus nostrûm iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset.

28 Quotidianis quibusque diebus per omnium regionum vicos vel compita, infirmis seu qualibet corporis parte debilibus, cocta stipendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus verò, antequàm ipse cibum caperet, à mensa sua benedictionis Apostolicæ ostiatìm dirigere curabat scutellam: ità vt neminem prorsùs exciperet misericordissimi beneuolentia prouisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio creatoris.

Pauperis obitu quàm fuerit afflictus. 29 Horum dum quendam pauperem in angustis andronarum recessibus à vespillonibus inueniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopia perijsse, ità per aliquot dies, vt dicitur, à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquàm si eum proprijs manibus, quod dictu nefas est, peremisset.

30 Extat vsque hodiè in sacratissimo Lateranēsis Palatij scrinio, huius cōfectum temporibus chartaceum prægrande volumen, in quo communis sexûs cunctarum ætatum ac professionum nomina, tam Romæ quàm per suburbana ciuitatésve vicinas, necnon longinquas maritimæ vrbes degentium, cum suis cognominibus, temporibus & remunerationibus expressiùs continentur. Quorum summam, nè videlicet fastidiatur, ego transferre diffugio, meique lectoris oculum ad illius venerandi scrinij plenitudinem, cuius ipse penè in cunctis authoritatem, Papa largiente, secutus sum, transmitto.

31 Præthereà cùm Arrianorum Basilica in regione vrbis huius, quæ Suburra dicitur, clausa vsque ad Gregorij Pontificatûs tempora remansisset, placuit ei, vt in fide Catholica, introductis illuc beati Sebastiani & sanctæ Agathę martyrum reliquijs, dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magna populi multitudine Gregorius laudes canendo perueniens, Basilicam præfatam ingressus est. Cumq; venerabilis Pontifex iam Missarum solennia celebraret, ac propter eiusdem loci angustias populi se turba comprime

Dedicare tēpla cum sanctorū reliquijs, antiquus mos est Ecclesię.

prime

primeret,quidam ex his,qui extra sacrarium stabant, porcum subitò inter suos pedes hucillucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stãribus indicaret,idem porcus ecclesiæ ianuas petijt,& omnes,per quos transijt,in admirationem conuertit. Sed videri nihil potuit, quamuìs sentiri potuisset. Quod idcircò diuina pietas ostendit,vt cunctis patesceret,quia veniente cum reliquijs sanctorum Gregorio, de loco eodem immundus habitator exiret.

32 Peracta igitur Missarum celebratione, Papa cum plebe recessit. Sed adhuc nocte eadem magnus in eiusdem ecclesiæ tectis strepitus factus est, acsi in ea aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte grauior sonitus excreuit, cùm subitò tantus terror insonuit,acsi omnis illa ecclesia à fundamẽtis fuisset euersa. Et protinùs recessit,ac nulla illic vlteriùs inquietudo antiqui hostis apparuit. Sed per terroris sonitum, quem fecit,innotuit,à loco,quem diù tenuerat, quia per inuocationem Gregorij coactus exibat. Post paucos verò dies in magna serenitate aëris super altare eiusdem ecclesiæ nubes cælitùs descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque ecclesiam tanto terrore ac suauitate odoris impleuit, vt patentibus ianuis nullus illuc præsumeret intrare. Et sacerdos atque custodes,vel hi,qui ad celebranda Missarum solennia venerãt,& rem videbant,ingredi minimè poterant,& suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò alia in ea lampades sine lumine sunt accensæ. Post paucos iterùm dies, cùm expletis Missarum solennijs,extinctis lampadibus custos ex eadem ecclesia egressus fuisset, post paululùm intrauit,& lampades,quas extinxerat,lucentes reperit.Quas negligenter extinxisse se credidit,atq; eas iam solicitiùs extinxit.Qui exiens,ecclesiam clausit:sed post horarum trium spatium regressus,lucentes lampades,quas extinxerat,inuenit: vt videlicet ex ipso lumine apertè clarescerec,quia per beatum Gregorium locus ille de tenebris ad lucem venisset.

Nubes cælitùs descẽdit in templum.

Lampades diuinitùs accenduntur.

33 Sed cùm sanctus Gregorius pro conuertendis Anglis Saxonibus,quemadmodùm in monachatu suo proposuerat,assiduis cogitationum fluctibus vrgeretur,mox vbi Ecclesiæ statu composito, quartum sui pontificatùs annum intrauit,Augustinũ cum alijs domûs suæ monasterij monachis in Britanniam euangelizandi gratia destinauit. Qui susceptæ peregrinationis post dies aliquot inerti tædio pęgrauati, redire domum potiùs,quàm barbaram,feram,incredulamque gentem,cuius nec linguam intelligerent, adire decreuerunt. Nec mora,Augustinum, quem eis episcopum consecrandum, si ab Anglis exciperentur, indixerat, Romam remittunt, summum præsulem deprecantes, vt tam laboriosam,tam incertam, tamq; periculosam peregrinationem sibi nupèr impositam remoueret,& ad suos reuerti permitteret. Quibus ille rescripsit, dicens:

Mittit ad conuertendos Anglos.

34 Gregorius episcopus,seruus seruorũm Dei,seruis Domini nostri Iesu Christi. Quia melius fuerat bona non incipere,quàm ab his,quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsùm redire:summo studio, dilectissimi filij, oportet vt opus bonum, quod cœpistis, auxiliante Domino compleatis. Nec labor vos ergò itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant,sed omni instantia, omnique feruore, quæ inchoâstis, Deo authore peragite: scientes, quòd laborem magnum maior æternę retributionis gloria consequetur. Remeanti autem Augustino Præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & vestri laboris fructum in æterna me patria videre cõcedat, quatenùs etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare scilicet volo.

Literis cõfirmat à se missos.

35 His exhortationibus Augustinus cum fratribus roboratus, per Etherij Arelatensis vatis,perque aliorum Episcoporum Galliæ Regumque,quibus eos pijssimus pater proprijs literis commendârat, hospitia,Britanniam petijt,& ad Ethelbertum regem Cantuariorum veniens, Dei cooperante gratia, non solùm licentiam prædicandi, verùm etiam victus & mansiones in ciuitate Doruernensi, quæ erat regni eius metropolis, facilè impetrauit. Ad quam Augustinus cum socijs, prælata cruce, seu Saluatoris imagine,appropinquans, cecinit dicẽs: Deprecamur te Domine in omni misericordia tua, vt auferatur furor tuus & ira tua à ciuitate ista & à domo sancta tua, quandò peccauimus. Predicantibus autem eis, & in nomine Iesu miracula facientibus, crediderunt multi, & baptizati sunt, mirantes innocentis vitæ simplicitatem, complectentesque dulcedinem cælestis doctrinæ.

Humaniter accipiuntur in Anglia.

Præferunt crucem & imaginem Christi.

Multi credunt.

36 Quapropter Augustinus Arelatem venit,& secundùm Gregorij iussionẽ, ab Etherio

rio Episcopus consecratus, in Britanniam remeauit. Ilicoque per Laurentium presbyterum & Petrum monachum, Papæ Gregorio conuersionem gentis Anglorum, seque consecratū innotuit, suggerens vt mitteret plurimos verbi ministros, eò quòd messem quidem multam haberet, operarios autem paucos.

37 Quibus relationibus Gregorius in Christo lætificatus, misit Augustino plurimos verbi ministros, in quibus præcipui erant, Mellitus, Iustus, Paulinus & Rufinianus: & per eos vniuersa, quæ ad cultum erant Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamēta Ecclesiastica, vestimenta clericalia, Apostolorum & multorum sanctorum reliquias, & codices multos. Misit ei & pallium, iubens vt sub metropoli sua Cantiæ duodecim Episcopos ordinaret: ad Londoniam & Eboracum singulos Episcopos mitteret, qui sub se duodecim nihilominùs episcopos consecrantes, pallium ab Apostolica sede perciperent. Et post Augustini obitum ipse inter eos primus haberi debuisset, qui priùs consecrari meruisset. Præcepit quoque, vt in Anglorum gente idolorum fana nō destrueret, sed sanctificatis aquis respersa, in basilicas dedicaret. Et quia solebant Saxones in sacrificio dæmonum boues multos occidere, iussit vt in die dedicationis, vel natalitijs sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponerentur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum facerent, & religiosis conuiuijs solennitates debitas celebrarent. Et quia super quibusdam capitulis Augustinus eum interrogans, qualiter episcopus cum suis cōuersari deberet clericis, requisiuit, Doctor humilimus inter cætera sic rescripsit: Quia tua fraternitas monasterij regulis erudita, seorsùm viuere non debet à clericis suis: in ecclesia Anglorum, quæ nupèr ad fidem perducta est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris: In quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Cùm vna fides sit, cur super Missarum celebratione Gallicana à Romana discordet, Augustino requirenti, Gregorius ait: Nouit tua fraternitas Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in qualibet ecclesia aliquid inuenisti, quod plùs omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc noua est ad fidem, institutione præcipua, quæ de multis ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergò quibusque ecclesijs quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt eligas, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem vertas. Interrogatus etiam, quomodò ea, quæ fures de ecclesijs abstulerint, reddere debeant: mitissimus pater, Absit, inquit, vt ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærat. Sanè requisitus ab eodem Augustino, vsque ad quotam generationem fideles debeant copulari, Gregorius dispensatoriè sic rescripsit: Quædam terrena lex in Romana republica permittit, vt siue frater & soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceātur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vndè necessè est, vt iam tertia vel quarta generatione, generatio fidelium licēter sibi iungi debeat. Nam secunda, quam prædiximus, omnimodò debet abstinere.

Pallij vsus peranti- quus. — *Aquæ sanctificatæ.* — *12. q. 1. Quia tua.* — *Actor. 4.* — *Dist. 12. Nouit.* — *Leuit. 18.*

38 Verùm post multum temporis à Felice Messanæ Siciliæ præsule requisitus, vtrùm Augustino scripsisset, vt Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minimè soluerentur, humilimus pater Gregorius inter cætera talem reddidit rationem: Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, vt recordatus es, tuo, de consanguinitatis coniunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nupèr ad fidem venerat, nè à bono, quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter cæteris, me scripsisse cognoscas. Vndè & mihi omnis Romana ciuitas testis existit. Nec ea intentione hæc illis scriptis mandaui, vt postquàm firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem iungantur. Sed adhuc illos neophytos existentes, sæpissimè eos priùs illicita docere vitare, & verbis ac exēplis instruere, & quæ pòst de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apostolum, qui ait, Lac vobis potū dedi, non escam: ista illis modò, non posteris, vt præfixum est, temporibus tenenda indulsimus, nè bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, erueretur, sed cœptum firmaretur, & vsque ad perfectionem custo-

Lib. 12. Epist. 31. — *1. Cor. 3.*

custodiretur. Hæc ego idcircò perstringenda curaui, vt hi, qui occasione nouæ dispensationis illicita matrimonia contrahunt, eruditissimum Papam Gregorium non regulariter quartæ generationis copulam concessisse, immò venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant. Cuius nimirùm precibus Deus omnipotens tantam Augustino, eiusque socijs faciendorum signorum contulit gratiam, vt verbum vitæ, quod ore prędicabant, signorũ efficacia confirmarent. Vndè factũ est, vt paucis elabentibus annis, etiam cæteri Saxones ad Christi Domini fidem per discipulos eius accederent. Miracula apud Anglos.

39 De cuius gentis conuersione simulque miraculorum prodigijs, quæ ibidèm fiebant, ità Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: Eccè lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarum frendere, iamdudùm in Dei laudibus Hebræa cœpit verba sonare. Eccè quondàm tumidus, iam substratus sanctorum pedibus, seruit Oceanus, eiusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiuerãt, hos pro diuina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquàm metuerat, iam nũc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoquè miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiusdem diuinitatis terrore refrenatur, vt prauè agere metuat, ac totis desiderijs ad æternitatis gratiam venire concupiscat. Eulogio quoque patriarchæ Alexandrino de doctrina suæ Ecclesiæ, conuersione hæreticorum, concordiaque fidelium plausibilia referenti, Gregorius ità rescripsit: Quoniam in bonis, quæ agitis, scio quòd & alijs congauderis, vestræ quoquè gratiæ vicem reddo: Quia dum gens Anglorum, in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc vsque remaneret, ex vestræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam monasterij mei monachum transmittere, Deo authore, debuissem. Qui data à me licentia, à Germaniarum episcopis episcopus factus, cum eorum quoquè solatijs ad prædictam gentem in fine mundi perductus est. Et iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt, quia tantis miraculis vel ipse, vel hi, qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, vt Apostolorum virtutes in signis, quæ exhibent, imitari videantur. In solennitate autem Dominicæ Natiuitatis, quæ prima indictione transacta est, plusquàm decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coëpiscopo nostro baptizati. Quod idcircò narraui, vt cognoscatis, quid in Alexandrino populo loquendo, & quid in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in eo loco, vbì non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco, vbì estis. Li. 17. ca. 8. Li. 7. ep. 30. Germaniarum, pro Galliarum

40 Nihilominùs eidem Augustino pro eisdem miraculis inter alia scribit, inquiens: Scio quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vndè necessè est, vt de eodem dono cælesti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: Pertimescas verò, nè inter signa, quæ fiunt, infirmus animus in suî præsumptione se eleuet, & vndè foras in honore attollitur, indè per inanem gloriam intùs cadat. Li. 9. ep. 58.

41 Quæ autem de Gregorij miraculis penès easdem Anglorum ecclesias vulgò leguntur, omittenda non arbitror, nè studiosi lectoris animus aut defraudâsse se peruicaciter, aut negligenter prætervisse me cognitionem congruam suspicetur. Matrona quædam beato Gregorio, per stationes publicas Missarum solennia celebranti, solitas oblationes obtulerat. Cui pòst mysteria traditurus, cùm diceret, Corpus Domini nostri Iesu Christi conseruet animam tuam: lasciua subrisit. Ille continuò dextram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis verò Missarum solennijs, Matronam coram populo inquisiuit, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa diù mussitans, tandèm prorupit: Quia panem, inquiens, quem proprijs manibus me fecisse cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostrauit. Et post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit. Quam coram cunctis incredulæ Matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam reuocare potuit, quàm totum populum confirmare curauit. Rursùs itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformauit. Nota hinc veritatem corporis Christi in eucharistia.

42 Alio quoquè tempore vir Dei Gregorius miraculum penè huic simile perpetrauit. Nam cùm, petentibus quibusdam occidentalibus, per legatos, in singulis pyxidibus, sub nominibus petitorum martyrum, brandeum solito more concludens, de- Reliquiæ reuerenter habitæ.

supèr sigillâsset, legatis largitus est. Illi susceptas reliquias veneratione congrua deferentes, postquàm quædam itineris milliaria consumpserunt, stultè se tantum viaticum confecisse murmurare cœperunt, si nesciant vtrùm sanctorum ossa, an magìs carnes à Romano pontifice suscepissent. Itaque communi consilio remoto pontificali signaculo, reseratisque pyxidibus, particulas brandei repererunt. Mox ad vrbis mœnia cum furore nimio reuertentes, per Archidiaconem à Gregorio se delusos fuisse, vt pro reliquijs vilem pannum susciperēt, flebiliter querebantur, dicētes dominos suos pulcherrimis pallijs abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brādeis non egére. Fortè tunc Gregorius Missarū solennia celebrabat. Quibus expletis, ab eisdem legatis brandeum coram cunctis recipiens, super altare composuit, seque cum omnibus in orationem dedit, vt Deus omnipotens vtrùm quod à liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro reliquijs martyrum venerari deberet, quātocyùs indicaret. Deindè ab oratione surgens, incredulos legatos propiùs adstare fecit, cultellum petijt, more sanctissimi papæ Leonis brandeum pupugit, de cuius punctionibus sanguis protinùs emanauit. Quo miraculo tam legati confusi, quàm omnes qui aderant tremefacti, iussu Gregorij cum eo terræ prostrati sunt: nec anteà ab oratione cessauerunt, quàm cuncta brandeorum foramina diuinitùs clauderentur.

Nota hanc sanguinis emanationem.

43 Quidam prætereà diuitum Romanorum, relicta coniuge, fuerat à pontifice communione priuatus. Quod ille molestissimè ferens, & authoritatem tanti pontificis euacuare non præualens, magorum suffragia requisiuit: qui magnis muneribus persuasi, posse se suis carminibus agere, vt immisso dæmone, tam diù caballus pontificis vexaretur, quousquè cum sessore suo periclitaretur, fidutialiter promiserunt. Hac incestus iudex pollicitatione lætatus, magos iuxta viam, per quam Pontifex ad stationem profecturus erat, in abdito & edito stare permisit, vt videre transeuntes, non videri à transeuntibus potuissent. Cumque magi ex planetatorum mappulatorumque processionibus magnum Pontificem cognouissent, immisso dæmone tam fortiter eius equum vexari fecerunt, vt nequaquàm à sessore siue à stratoribus teneri posse putaretur. Tunc Gregorius, reuelante spiritu sancto, dæmoniacam immissionem cognoscens, facto crucis signaculo, tam caballum à præsenti rabie liberauit, quàm maleficos ex latenti culmine iubēs deponere, perpetua cæcitare mulctauit. Quos reatum suum suggestione incesti iudicis confitentes, ac postmodùm ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, nè magiam relegerent, reddere noluit, eos tamen ecclesiastica stipe nutriri præcepit.

Vide S. Crucis vim admirandam.

44 Legitur etiam penès easdem Anglorum ecclesias, quòd Gregorius per Forum Traiani, quod ipse quondàm pulcherrimis ædificijs venustârat, procedens, iudicij eius, quo viduam consolatus fuerat, recordatus atque memoratus sit. Quod scilicet, sicut à prioribus traditur, ità se habet. Quodā tempore Traiano ad imminentis belli procinctum vehementissimè festinanti, vidua quædam processit, flebiliter dicens: Filius meus innocēs te regnante peremptus est. Obsecro, vt quia eum mihi reddere non vales, sanguinem eius digneris legaliter vindicare. Cumq; Traianus, si sanus reuerteretur à prælio, hunc se vindicaturū per omnia responderet, vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Traianus respondit: Ille, qui post me imperabit. Vidua dixit: Et quid tibi proderit, si alter mihi iustitiā fecerit? Traianus respondit: Vtiquè nihil. Et vidua: Nónne, inquit, melius tibi est, vt tu mihi iustitiā facias, & pro hoc mercedē tuam accipias, quàm alteri hanc transmittas? Tunc Traianus ratione pariter pietateq; commotus, equo descēdit, nec antè discessit, quàm iudiciū viduæ per semet imminēs profligaret. Huius ergò mansuetudinē iudicis asserunt Gregorium recordatū, ad sancti Petri Apostoli basilicam peruenisse, ibique tam diù super errore tam clementissimi principis defleuisse, quousquè responsum sequenti nocte cepisset, se pro Traiano fuisse auditum, tantùm pro nullo vlteriùs pagano preces effunderet. Sed cùm de superioribus miraculis Romanorū sit nemo, qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maximè dubitari videtur, quòd tātus doctor nequaquàm presumeret pro pagano prorsùs orare, qui quarto dialogorū suorum libro docuerit, eandē causam esse, cur non oretur à sanctis in futuro iudicio pro peccatoribus ęterno igne damnatis, quę nunc etiā causa est, vt nō orent sancti homines pro hominibus infidelibus impijsq; defunctis. Non aduertētes, quia non legitur pro Traiano Gregoriū exorâsse, sed tantùm fleuisse. Sic enim cùm nō orauerit, Gregorius plangendo potuit exaudiri, sicuti cùm Moyses dolēdo taceret, potuit clamâsse videri.

De Traiani anima.

Pro veritate huius miraculi, quod totus Oriēs atque Occidens testatur, lege Ioannem Damascenum, Defunctos viuorū beneficijs iuuari.

videri. Cui Dominus tacenti labijs, Quid clamas, inquit, ad me? Nimirùm Deus omnipotens corda renesq; scrutatur, & frequenter ea misertus cōcedit, quæ homo quanuis vt carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Vndè Psalmista: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, & desideria cordis eorū exaudiuit auris tua. Et notandū, quia non legitur Gregorij precibus Traiani anima ab inferno liberata & in paradiso reposita: quod omninò incredibile videretur, propter illud, quod scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: sed simpliciter dicitur ab inferni solummodò cruciatibus liberata, quod videlicet potest videri credibile. Quippe cùm ita valeat anima in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti vnus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sed per Dei iustitiam cunctos æqualiter non valet exurere. Nam vniuscuiusque quantum meruit culpa, iusto Dei iudicio tantum sentietur & pœna.

Exod. 14. Psal. 7. Psal. 9. Iohan. 3.

45 Nihilominùs ex libro, qui à Græcis λειμὼν dicitur, à Latinis verò intelligitur campus vel pratum, præceptor meus inter alia, toto orbe diffamata iam, miracula interpretatus est mihi, scribens: Enarrauit nobis presbyter nomine Petrus, de sancto Gregorio Papa Romano. (illinc enim erat reuerentissimus hic presbyter.) Is, inquit, effectus Papa, ædificauit monasterium virorum magnum, & dedit mandatum, vt nullus monachorū proprium aliquid haberet vsque ad vnum obolum. Frater ergò de monasterio habebat fratrem secularem, & postulauit eum, dicens: * Casulam non habeo, sed fac charitatē, eme mihi. Dicit ei secularis frater: Eccè tria nummismata. suscipiēs compara, qualis tibi placet. Acceptis itaque monachus tribus nummismatibus, habebat ea apud se. Alius autem frater videns eum habentem tria nummismata, pergens nunciauit Abbati. Abbas verò audiens, retulit beatissimo Papæ. Beatissimus autem Gregorius discens hoc ab Abbate, segregauit eum à communione, tanquàm eum, qui soluerat regulam monasterij. Igitur post modicum temporis, moritur frater segregatus, nesciente Papa. Post duos ergò aut tres dies pergens Abbas, nunciauit ei quia frater requieuit. In hoc itaque non mediocriter tristatus est, quia antequàm exiret de hac vita, non soluit eum ab excommunicationis epitono. Et scribens orationem in pictatio, dedit vni diaconorum suorum, iubens ei ire, & super fratrem eam legere. Erat autem oratio, soluēs ab excommunicatione defunctum. Vadit ergò diaconus, sicut præceptum ei fuerat, & super tumulum fratris legit pictatium, habens orationem. Et ipsa nocte vidit Abbas fratrem illum defunctum, & dixit ei: Non es mortuus frater? Ille respondit, Etiam. Et iterùm interrogat eum Abbas: Vbi eras vsquè hodiè? Respondit frater: Verè Domine in custodia, & vsque heri non sum absolutus. Notum itaque factum est omnibus, quia in hora, qua Diaconus orationem dixit super sepulcrum, in ea hora absolutus est ab excommunicatione, & liberata est à damnatione anima eius.

Est Prati Spiritualis caput 192.

* Tunicam

Monachus proprietarius priuatur cōmunione à S. Gregorio.

46 Igitur Gregorius non solùm Saxones, in proprijs sedibus commanentes, Christo Domino dedicauit: verùm etiam pueros eorum, per exteras regiones diffusos, suis precijs comparans annualiter, ad cognitionem fidei deducebat. Vndè Candidum presbyterum commonet, dicens: Pergens auxiliante Domino nostro Iesu Christo ad patrimonium, quod est in Gallijs, gubernandū, volumus vt dilectio tua ex solidis, quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui sint ab annis decem & septem vel decem & octo, vt in monasterijs dati Deo proficiāt, comparet: quatenùs solidi Galliarum, qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium vtiliter expendantur. Si quid verò de pecunijs redituum, quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris: ex his quoquè vestimenta pauperum comparare te volumus, vel sicut præfati sumus, pueros, qui in omnipotentis Dei seruitio proficiant. Sed quia pagani sunt, qui illic inueniri possunt, volo vt cum eis presbyter transmittatur, nè quid ægritudinis contingat in via: vt quos morituros conspexerit, debeat baptizare.

Lib. 5. ep. 10.

Anglos pueros vult emi, & tradi in monasteria.

47 Sardiniæ quoquè rusticos mitissimus rector Gregorius in errore vetustatis adeò permanere condoluit, vt Ianuarium Caralitanum episcopum pro negligentijs increpando, inter cætera scriberet: Accidit aliud valdè lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet ecclesia, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo, vt ad Dominum extraneos adducatis, qui vestros corrigere ab infidelitate negligitis? Vndè necessè est vos per omnia in eorum conuersione vigilare. Nam si cuiuslibet episcopi in Sardinia insula paganum rusticum inuenire potuero, in eodem episcopo fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus, vt ad Deum venire minimè consentiat: tanto pensionis

Lib. 3. ep. 26.

Dolet rusticos nō pertrahi ad fidem.

onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

48 Quod cùm Gregorius fructuosè simulque salubriter in Sardiniæ rusticos processisse cognosceret, etiam in Iudæos patrimoniorum suorum rusticos non dissimiliter est conatus extendere. [Lib.4. ep.6.] Vndè Cypriano diacono scribit, dicens: Peruenit ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui conuerti ad Dominum nullatenùs volunt. Sed videtur mihi, vt per omnes possessiones, in quibus Hebręi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quòd quicunque ad verum Deum & Dominum nostrum Iesum Christum ex eis conuersus fuerit, onus pensionis eius ex aliqua parte imminuetur. Quod ità quoquè fieri volo, vt si quis ex eis conuersus fuerit, si solidū pensionis habet, tremissis ei relaxari debeat. Si tres vel quatuor, vnus solidus relaxetur. Si quid ampliùs, iam iuxta eundem modum debet relaxatio fieri, vel certè iuxta quod dilectio tua præuiderit, vt & ei, qui conuertitur, onus releuetur, & Ecclesiastica vtilitas non graui dispēdio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro leuādis pensionis oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus. Quia etsi ipsi minùs fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, iam fideliùs baptizantur. Aut ipsos ergò, aut filios eorum lucrabimur. Et ideò non est graue, quicquid de pensione pro Christo dimittimus.

49 Enimuerò tam leuigationibus dationum, quàm promissionibus regni cælorum Iudęi per diuersa loca ad Christum, quem patres eorum negauerunt, venire cœperunt. Quibus cum salute animæ, vestimenta quoquè baptizandis habilia conferebat. Vndè [* Faustino] * Fantino defensori, Domina, inquit, Abbatissa monasterij sancti Stephani, quod in [Li.7. ep.24.] Agrigentino est territorio constitutum, indicante comperimus, multos Iudæorum ad Christianam fidem, diuina gratia inspirante, velle conuerti: sed esse necessarium, vt aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proindè huius tibi authoritatis tenore præcipimus, vt omni excusatione summota, ad prædictum locum pergere, & desideriū eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adiuuare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solennitatem sustinere Paschalē, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, nè, quod absit, longa dilatio eorum retrò possit animos reuocare, cum episcopo loci ipsius loquere, vt pœnitentia ac abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festiuitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet. [Ecce quomodò baptizādi per multos dies antè pœnitētia & abstinētia præparabantur.] Quia & temporis qualitas propter eam, quæ sibi imminet, * damnationem impellit, vt desideria eorum nulla debeāt dilatione differri. [* cladem] Quoscunque verò ex eis pauperes & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem, quam ad baptisma habeant, comparare volumus ac præbere, in quibus precium, quod dederis, tuis noueris rationibus imputandum. Si verò sanctum Pascha elegerint expectare, item cum episcopo loquere, vt modò quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque solicitudinem, & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat: vt quanto quæ expectatur, elongatur festiuitas, tanto se præparare & eam desiderio feruenti debeant sustinere. Item Petro episcopo Corsicæ, inter alia, Transmisimus, ait, Fraternitati tuæ quinquaginta solidos, ad vestimenta eorum, qui baptizandi sunt, comparanda.

50 Nihilo minùs pro Arrianorum paruulis, fidei catholicæ sociādis, Gregorius pastoralis curæ solicitudinem prorsùs extendit. Quapropter vniuersis episcopis Italiæ scribens, ait: [Lib.2.ep.17.] Quoniam nefandissimus Antarith in hac, quæ nupèr expleta est, Paschali festiuitate, Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit: pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solennitatem Paschæ vlteriùs non videret, vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia grauis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Arriana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quatenùs iram super eos Dei omnipotentis placent. Item Præiectitio episcopo Narniensi: [Lib.2.ep.2.] Peruenit ad nos, peccatis imminentibus, in ciuitate vestra mortalitatem omninò grassari, quæ res nos nimìs addixit. Quamobrèm salutātes Fraternitatem vestram, instantissimè suademus, vt à Longobardorum siue Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione, nulla ratione cessetis, & maximè à gentilium & hęreticorū, vt ad veram rectamque fidem catholicam conuertātur. Sic enim aut diuina misericordia, pro sua forsan eis conuersione & in hac vita subueniet, aut si eos migrare contigerit, à suis, quod & magìs optandum est, transient facinoribus absoluti.

51 Igitur prudentissimus paterfamiliâs Christi Gregorius, singulis diaconijs vel xenodochijs viros idoneos deputauit. Quos etiam, vt securiùs, immo sagaciùs in opere pietatis

tatis ac misericordiæ laborarent, huiusmodi priuilegijs muniendos esse decreuit. Licèt eos, qui pia intentione solicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt, sua apud omnes valeat tueri deuotio, melius tamen est, si pro quiete sua de his fuerint muniti, quæ gesserint, nè indè eis inquietudinis occasio, vndè magìs laudandi sunt, oriatur. Quia igitur te virum religiosum, intentionis tuæ studio prouocati, mensis pauperum exhibendæ diaconiæ elegimus præponendum, nè qua tibi ex hac nascatur administratione dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum: Constituentes, vt de hoc, quod ad mensas pauperum vel diaconiæ exhibitione percepisti, siue subindè perceperis erogandum, nulli vnquàm hominum quolibet modo seu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere. Sed quia humanis te ità omnibus esse volumus rationibus absolutum, vt Deo nostro de his, quæ tibi commisimus, rationem te noueris positurum: hortamur, vt fidei in te synceritas vigeat: sit mens in rebus intentior, cura propensior, studium vigilantius, deuotio clarior, exhibitio efficacior: quatenùs dum diuino intùs auxilio, hoc opus solerter impleueris, & illi pro quibus solicitudinem geris, studij tui solatio vtiliter consolentur, & tu mercedis tuæ bonum in æterna vita, redemptoris nostri gratia compensante, recipias.

Priuilegia eorum, qui præfecti erant xenodochijs &c.

52 Hæc quidem Gregorius intra vel extra vrbem studio pietatis exercuit. Cæterùm Probum religiosum Abbatem cum multis pecunijs Hierosolymam destinauit, cuius instantia venerabile xenodochium constituit. Et tam ibi, quàm in monte Sina penès Arabiam, Dei famulis sub regimine Palladij constitutis, quotidiani victûs & vestimenti copiam, quandiù viuere potuit, annualiter mittere procurauit.

Xenodochium Hierosolymis extruxit.

53 Nihilominùs per diuersas prouincias pro custodia sacræ religionis rebusque pauperum strenuè gubernandis, Ecclesiæ suæ viros industrios rectores patrimoniorũ asciuit. In quibus & Cyprianum diaconum patrimonij Siculi, Pantaleonem notarium Syracusani, Fantinum defensorem Panormitani, Sergium defensorem Calabritani, Romanum notarium Apuli, Benenatum defensorem Samnitici, Anthemium subdiaconem Neapolitani, Petrum subdiaconem Campani, Candidum defensorem Tusci, Vrbicum defensorem Sabini, Optatum defensorem Nursini, Benedictum defensorem Carseolani, Felicem subdiaconem Appiæ, Castorium chartularium Rauennatis, Castorium notarium Hystriani, Antonium subdiaconem Dalmatini, Iohannem notarium Illyriaciani, Symmachum defensorem Sardiniæ, Bonifacium notarium Corsicani, Pantaleonem notarium Liguriæ, Hieronymum defensorem Alpium Cotiarum, Hilarium notarium Germaniciani, & Candidum presbyterum Gallicani. Hæc autem prudentissimus pater Gregorius non solùm in Romana, sed & per diuersas ecclesias perpetualiter obseruanda censebat. Vndè Ianuario Caralitano episcopo inter cætera scribit, dicens: Indicatum nobis est, quòd laicis quibusdam curam vestri patrimonij committentes, postmodùm in rusticorum vestrorum deprædationibus atque per hoc & fatigationibus fuerint depræhensi. Quod si ità est, districtè à vobis discuti conuenit, atque inter eos ecclesiæque vestræ rusticos, causam examinari subtiliùs, vt quicquid in eis fuerit fraudis inuentum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. Decætero verò cauendum à fraternitate vestra est, nè secularibus viris, atque non sub regula degentibus, cuiuslibet res ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis: in quibus si quid reperiri poterit prauitatis, vt in subditis emendare, quod illicitè gestum fuerit valeatis. Quos videlicet apud vos habitûs sui officium magìs conueniat, quàm excuset.

Rectores patrimoniorum ab illo constituti.

Li.7.ep.66.

Res ecclesiasticæ non committendæ laicis.

54 Singula quoquè ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis singularìm committi debere dicebat, asserẽs, quia sicut in vno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non eundem actum habent: ità in ecclesiæ corpore, secundùm veridicam Pauli sententiam, in vno eodemque spiritu alij conferendum est hoc officiũ, alij committendum est illud. Neque vni quantunlibèt exercitatæ personæ vno tempore duarum rerum officia committenda. Quia si totum corpus oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat: ità varietas personarum, per diuersa nihilominùs officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, vt in corpore humano alterum membrũ alterius fungatur officio: ità nimirùm noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidẽ non fuerint distributa. Hinc est, quòd quibusdã ambitiosis, sicut in suis literis, quas ego studio breuitatis omisi, poterit inueniri, moderationis frena frequẽter imposuit. Vndè Anthemio subdiacono

Rom.12.

1.Cor.12.

Duo officia nō sunt vni committenda.

diacono pro Paschasio episcopo, qui per semetipsum sibimet maior domûs & vicedominus permanebat, inter cætera præcipit, dicens: Volumus autem, vt frater noster Paschasius, & vicedominum sibi ordinet, & maiorem domûs: quatenùs possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis quæ veniunt, idoneus & paratus existere. Si verò vel negligentem eum prospicis, vel ea, quæ dicimus, implere differentem, omnis clerus eius adhiberi debet, vt communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeāt ordinari. Item Rauennatibus clericis, ad monasteriorum regimina importunè tendentibus, restitit, Iohanni Rauennati episcopo scribens: Peruenit ad me, quòd in ecclesijs fraternitatis tuæ aliqua loca, dudùm monasterijs consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sint: Dumque hi, qui sunt in ecclesijs, fingunt se religiosè viuere, monasterijs pręponi appetunt, & per eorum vitā monasteria destruuntur. Nemo etenim potest & ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in monachica regula ordinatè persistere, vt ipse districtionē monasterij teneat, qui quotidiè in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proindè fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emendare festinet: Quia ego nullo modo patior, vt loca sacra per clericorū ambitum destruātur. Item Mariniano episcopo Rauennę: Dudùm ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria, in Rauennatibus partibus constituta, omninò clericorum vestrorum dominio prægrauari: ità vt occasione quasi regiminis, ea, quod dici graue est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicùm condolentes, decessori vestro literas misimus, vt hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citiùs pręoccupatus, nè hoc onus monasterio remaneret, fraternitati vestræ eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, vt comperimus, in huius rei hactenùs correctione cessatum est, hæc ad vos iterùm præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergò, vt omni mora omnique excusatione summota, ità monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenùs nullam deincèps in eis clerici, vel hi, qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodò causa, accedendi licentiam, aut si fortè ad peragenda sacra Missarum fuerint inuitati mysteria. Sed nè vel pro cuiuslibet monachi aut Abbatis promotione onus aliquod fortasè sustineant, studendum vobis est, vt si quispiam Abbatum aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatûs officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat, vt diximus, vlteriùs potestatem, nè monasteria huius occasionis velamine, ea, quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Hęc itaque omnia vigilanti cura emendare, iam secundò commonita sanctitas vestra non differat, nè si post hoc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit, quia tantæ necessitati seruorum Dei congregationem ampliùs subiacere non patimur. Item Maximiano episcopo Syracusano post aliqua: Presbyteros, diaconos, cæterosque cuiuslibet ordinis clericos, qui ecclesijs quoquo modo militant, Abbates fieri per monasteria non permittas: sed aut omissā clericatûs militia, monachicis prouehantur ordinibus: aut si in Abbatis loco permanere decreuerint, clericatûs nullatenùs permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrunque iudicetur idoneus: Sicque inuicem & ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & ecclesiasticis vtilitatibus regula monachatûs impediatur.

Lib.4.ep.1. — Li.7.ep.40. Monasteria non debent à Clericis occupari. — [illegible] — Lib.5.ep.11. Clerici ecclesiarum, non debent fieri Abbates.

55 Qualiter sanè Gregorius per procuratores ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem suæ pastoralis solicitudinis oculos circuntulerit, non ab re forsitan duxerim perstringēdum. Ait enim in epistola Anthemio subdiacono: Discedenti mandauimus tibi, & postmodùm præceptis discurrentibus iniunxisse me memini, vt curam pauperum gereres, & si quos illic egére cognosceres, scriptis recurrentibus indicares, & vix de paucis hæc facere curâsti. Volo autem, vt domnæ Patriarchiæ meæ mox, vt præsentem iussionem susceperis, offeras ad calceamenta puerorum solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos: Domnæ Palatinæ relictæ Vrbici, solidos viginti, & tritici modios trecentos: Domnæ Viuianæ relictæ Felicis, solidos viginti, & tritici modios trecentos. Qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur. Summā verò pensionis sub festinatione transmitte, & ad Paschalem diem, Domino auxiliante, occurrito. Item eidem: Insinuatum nobis est, ancillas Dei quasdā Nolanæ ciuitatis, in Aboridana domo commanentes, nimiam victûs vestitusq; penuriam sustinere. Quibus ex pręcepto Dei subuenire nos côuenit, & inopiā earum, quantùm possumus, donante Domino, subleuare. Propterea

Lib.1.ep.37. — Lib.1.ep.23.

expe-

experientiæ tuæ præsenti iussione mandamus, vt de hac præsenti nona indictione quadraginta in auro eis solidos dare debeas, & deincèps succedentibus indictionibus annuatim viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Prætereà Paulino presbytero monasterij sancti Erasmi, quod in latere montis Soractis situm est, sed & duobus monachis, in oratorio sancti archangeli seruientibus, quod in Callano castro iuxta sancti Petri basilicam esse dignoscitur, binos te in præsenti solidos dare præcipimus, qui & ipsi tuis rationibus imputentur. Ità ergò fac, vt impensæ mercedis tuæ quoquè participium sortiaris. Item eidem: Si in proximorum necessitatibus habita com- Lib.1.ep.57.
passione benigna mente concurrimus, in nostris proculdubiò petitionibus clemẽtem Dominum reperimus. Palatina siquidem illustris fœmina, continua hostilitate insinuauit se plurimis necessitatibus subiacere. Propterea experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, vt ei pro sustentatione eius annuos triginta solidos dare nõ differas, qui tuis possint postmodùm rationibus imputari. Ità ergò fac, vt & tu benè ministrando commodum mercedis suscipias, & nostra ad effectum præcepta perducas. Item Petro Lib.1.ep.18.
subdiacono: Insinuatum nobis est, Marcellum * Barruntitanæ ecclesiæ, ibidèm in ciuitate Panormitana in monasterio sancti Adriani in pœnitentiam deputatum, nõ solùm victûs necessitatem pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necessè habemus strenuitati tuæ præsenti iussione præcipere, vt ipsi pro victu ac vestimento stratoque ad continentiam, pueroque eius annonam, quantum prospexeris satis esse, constituas, vt inopia nuditasq; eius tali prouidentia possint habere consultum: & vt ea, quæ eidem viro deputaueris, tuis postmodùm possint rationibus imputari. Ità ergò fac, vt & nostram iussionem impleas, & tu quoquè hocipsum benè disponendo, hac ipsa possis participari mercede. Item eidem: Monasterium sancti archangeli, quod in Tro- Lib.2.ep.2.
peis est constitutum, indicante præsentium portitore, victûs habere necessitatem didicimus. Ideoque experientia tua diligenter inuigilet: & si eiusdem loci monachos benè se tractare cognoueris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subuenire, hac authoritate suffultus, modis omnibus festinabis: sciturus tuis esse rationibus, quicquid nostra præceptione præbueris, imputandũ. Sed & terrulam Ecclesiæ nostræ vicinã sibi, quam solidum vnum & tremisses duos pensitare asserunt, si ità est, libellario nomine ad summam tremissis vnius habere concede. Studij ergò tui sit, hæc omnia ità complere, si, sicut diximus, eius monachi in Dei seruitio, sicut decet, solertes perstiterint. Item eidem: Diuina præcepta nos admonent diligere proximos tanquàm Li.1.ep.44.
nosmetipsos: & cùm hac eos præcipiamur charitate diligere, quanto magis debemus his in subsidijs necessitatũ carnalium subuenire, vt eorum angustias, si non ex omnibus, saltẽ aliquibus sustentaculis subleuemus? Quoniam ergò Godelstadij dignissimi filium non solùm amissione visûs, sed etiam inopia victûs egestatẽ pati cognoscimus, necessarium duximus, inquantùm possibilitas suppetit, ei præbere consultum. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione præcipimus, vt ei annis singulis vigintiquatuor modios tritici, fabæ quoquè modios duodecim, & vini decimatas viginti pro sustentatione vitæ debeat ministrare: quod tuis postmodùm possit rationibus imputari. Ità ergò fac, vt præsentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras sustineat, & tu in die Domini benè dispensatæ mercedis possis particeps inueniri. Item.

* Barubicanæ

Gregorius Cypriano diacono: Cosmas ex varijs periculorum necessitatibus multis Lib.2.ep.55.
se dicit debitis obligatũ, ità vt pro eis à creditoribus suis suos dicat filios detineri. Quæ res si ità est, nos omninò commouet. Quamobrèm hortamur dilectionẽ tuam, vt quia de rebus pauperum dandis agitur, causam eius cum summa subtilitate perquiras: & si inueneris cum prædictis debitis veraciter ità inuolutum, vt non sit substantia, vndè possit hæcipsa persoluere, prædictos creditores eius adeas, & propter recolligendos filios eius, quanta cognoueris quantitate componas. Et quia ipse, sicut dicit, non habet vndè restituat, de rebus pauperum ex præsenti nostra authoritate persolue. Sciens quicquid illic te prouidente datum fuerit, patrimonij nostri pensionibus esse reputandum. Item eidem: Zeno frater & coëpiscopus noster quosdam in ciuitate sua alimoniarum neces- Lib.5.ep.4.
sitatem innotuit sustinere. Quibus quoniam, vt possibile est, aliquod ferre desideramus consultum, idcircò dilectionem tuam antedicto fratri & coëpiscopo nostro mille modios tritici, aut si plus leuare potuerit, vsque ad duo millia, scriptis te dare præsentibus deputamus. Hortamur ergò, vt in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas, quatenùs dum tempus finit, & hic cum Dei adiutorio sine periculo ad propria remeare, & citiùs necessitatem valeat patientibus subuenire. Item.

Grego-

Li.1.epi.24. Gregorius Eusebio religioso Abbati: Credat mihi charitas tua, quia valdè contristatus sum de tristitia tua,&c. Propterea centum solidos per Petrum subdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto vt absque iniuria suscipiat. Item.

Li.3.epi.28. Gregorius Candido defensori: Necessitatem patientibus pontificale conuenit adesse subsidium. Pro qua re experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, quatenùs Albino priuato luminibus, filio quondàm Martini coloni, singulis annis duos tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat: non dubitatura, suis hoc sine dubio rationibus imputari. Item.

Lib.3.epi.43. Gregorius Fantino defensori: Lator præsentium Cosmas Syrus in negocio, quod agebat, debitum se contraxisse perhibuit. Quod & multis alijs & lachrymis eius attestantibus, verum esse credimus. Et quia centum quinquaginta solidos debebat, volui vt creditores illius cum eo aliquid paciscerentur: quoniam & lex habet, vt homo liber nullatenùs pro debito teneatur, si res defuerint, quæ possint eidem debito addici. Creditores ergò suos, vt asserit, ad octoginta solidos consentire possibile est. Sed quia multum est, vt à nihil habente homine octoginta solidos petant, sexaginta tibi solidos per notarium tuum transmisimus, vt tu cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, & rationem reddas, quia filium eius, quem tenere dicuntur, secundùm leges tenere nō possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus, quàm nos dedimus, condescēdant: & quicquid de eisdem sexaginta solidis remanserit, ipsi trade, vt cum filio suo exinde viuere valeat. Si autem nil remanet, vel ad eandem summam eius debitum incidere stude, vt possit sibi liberè postmodùm laborare. Hoc tamen solerter age, vt acceptis solidis, ei plenariam munitionem scripto conficiant. Item.

Li.4.ep.24. Gregorius Castorio diacono, & chartulario Rauennæ, inter cætera: Valerianū monachum, quem emendatum in monasterio beati Iohannis in classe posito tradidisti, in eodem eum monasterio volumus sine dubio permanere. Præterea nè quam necessitatem in expensis tua experientia patiatur, de reditibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui illic te prouidente aggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus. Et si quid superfuerit, nobis, cùm veneris, defer. Item.

Li.7.epi.38. Gregorius Romano defensori: Diuinorum nos admonent eloquia præceptorum, necessitatem patientibus ecclesiasticum prębere subsidium. Quia ergò dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus Gaudiosum defensorem sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur, paupertatis asserit inopia constringi: idcircò experientiæ tuæ præsenti authoritate mandamus, vt à præsenti secunda Indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas: vt & ille huius remedij solatio potiatur, & tu quod dederis, tuis sine dubio noueris rationibus imputandum. Item.

Lib.8.ep.38. Gregorius Libertino expætori: Quanta vos seculi huius premat angustia, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis sola est consolatio misericordia creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsum tota vos mente cōuertite: Qui & iustè quem vult, permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergò gratias agite, & patienter quæcunque illata sunt, sustinete. Nam rectæ mentis est, Deum non solùm in prosperis benedicere, sed etiam in aduersitatibus collaudare. In his igitur, quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro subrepat: quia ad quid hoc creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim, magnifice fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, vndè te clementi amaritudine vult purgare. Et ideò nec temporalis te frangat afflictio, nec rerū damna discrucient: quia si in aduersis gratias referens, Deum tibi patientia feceris esse placabilem, & quæ amissa sunt, multiplicata reddentur, & super hæc gaudia æterna præstabuntur. Peto autem, nè iniuriosum ducatis, quòd viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorē scripsimus præberi: quia de beati Petri Apostoli rebus quanuis parua sint quæ offerantur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt. Quoniam & hic vobis valebit maiora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare. Item.

Recti animi est, in oībus laudare Deum.

Li.11.epi.26. Gregorius Philippo episcopo: Suscepi epistolas dilectionis tuæ, in quibus mihi innotescere curâsti, quòd vir venerabilis Andreas presbyter de hac luce migrauit. De cuius ereptione gauisus sum, quia ad ea, quæ semper expetijt, gaudia æterna peruenit. De solidis verò, qui pro faciendo xenodochio à filio nostro Probo Abbate Hierosolymis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat, vt fieri debuisset, immutare non potui: sed benedictionem paruulam sanctitati vestræ quinquaginta solidos transmisi.

56 Longum est nimisq; difficile, si eleemosynarum eius saltem huiusmodi prosequar actio-

actiones. Hoc breuiter assero, quia & non petentibus vltrò distribuit, & omnibus pe-
tentibus hilariter ministrauit. Vndè Eliæ presbytero & Abbati prouinciæ Isauriæ, Eu-
angelia, inquit, sicut mandàstis, transmisimus. Et post pauca: Solidos autem vobis vo- lib. 11. epi.
luistis pro necessitatibus Cellæ quinquaginta transmitti. Quod multum esse æstiman- 30.
tes, ex eis nobis decē donàstis, vt quadraginta mitteremus. sed nè forsitan vel hoc gra-
ue esset alios decem nobis ex eis adhuc dignari estis largiri. Sed quia vos valdè in con-
tinentia vestra benignos inuenimus, eidem benignitati vice simili respōdentes, quin-
quaginta transmisimus. Et nè forsitan minus esset, alios decem superaddidimus. Nè
verò & hoc adhuc minus esset, alios duodecim iungi fecimus. In hoc autem cogno-
scimus charitatē vestram, quia de nobis ità præsumitis, sicut vos præsumere debetis.

57 Item idem Iuliano: Gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis lib. 11. epi.
perlecta replicaui. In eis quippè dicebatur, quòd pudoris causa fuerit, mihi vos ea, quæ 21.
dicenda erant, tempore longo tacuisse. Et certum est, quia minùs amatur, qui adhuc
erubescitur. Absque modo contristatus sum, quia me à vobis comperi minùs, quàm
æstimaueram, amari. In hoc autem valdè me continetis, si mercedis causas mihi assi-
duè prouidendas studiosè requiritis. Nec debet esse verecundiæ, ei aliquid de eleemo-
synis importunè dicere, quem constat non suas, sed ad dispensandum res pauperum
habere. De causis itaque mercedis apud episcopum liberè agere debuistis, etiam si me-
um animum, qualis in amore vestro existeret, nesciretis. Postquàm & nos omninò
gloriam vestram diligimus, & dispensationis locum in rebus, sicut scitis, pauperum
tenemus, vestra fateor verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideò tot verbis incre-
pando insequor, vt hanc a corde vestro funditùs repellam, & in mercedis causis ma-
gnum solatium vestræ prouisionis habeam. Monasterio itaq; vestro, quod à vobis in
Catanensi vrbe constructum est, per Adrianum notarium & rectorem patrimonij e-
missa præcepti pagina, decem annuos solidos dare deputauimus. Quos petimus sinè
iniuria suscipi, quia non hoc vobis nostra oblatio, sed sancti Petri Apostolorum prin-
cipis benedictio offert.

58 Sanè quia sunt nonnulli, qui ea quidem quæ habent tribuunt, sed aliena, quæ non
habent, rapere non desistunt: & dum valdè videri munifici appetunt, violenter ab ha-
bentibus auferunt, quæ quasi misericorditer non habentibus largiantur, duas hîc
Gregorij epistolas insero, quibus liberalitatis eius innocentia mirabiliter doceatur.
Ait enim in epistola Pantaleoni notario: Experientia tua, quod vel quale apud sacra- lib. 11. epi.
tissimum corpus beati Petri apostoli iusiurandum præbuerit, memor est. Vndè nos 39.
quoque securi, ei discussionis causas in patrimonio partis Syracusanæ commisimus.
Oportet ergò te fidem tuam, & eiusdem beati Petri apostoli timorem semper ante
oculos habere, atque ità agere, vt neque ab hominibus in præsenti vita, neque ab omni
potenti Deo in extremo iudicio valeas repræhendi. Valerio siquidem chartulario no-
stro narrante cognouimus, quia modium, cum quo coloni ecclesiæ frumenta darè
compellebātur, vigintiquinque sextariorum inueneris, quod omnimodò execrati su-
mus, atque eandem discussionis causam te tardè fecisse doluimus. Quia verò eundem
modium te fregisse, & iustum fecisse commemoras, gauisi sumus. Sed quia prædictus
chartularius summam quoque vobis indicare studuit, quę de fraudibus conductorum
apud experientiam tuam iam de duobus territorijs est collecta, sicut te studiosè fecisse
fracto iniusto modio gaudemus, quia de futuro nobis proderit: ità etiam de peccatis
præteritis cogitamus: nè si ea, quæ fraudulenter conductores à rusticis abstulerunt, ad
nos perueniunt, peccata, quæ ab ipsis perpetrata sunt, ad nos trahantur. Et ideò volu- Nota san-
mus cum omni fide omniq; puritate, considerato timore omnipotentis Domini, re- ctissimi vi
ducta ad memoriam districtione beati Petri Apostoli, per vnamquanque massam co- ri integri-
lonos pauperes & indigentes experiētiam tuam describere, atque ex eis pecunijs, quæ tatem &
in fraudibus sunt inuentæ, vaccas, oues, porcosque comparare, & singulis colonis pau- religionē.
perioribus ea distribuere. Quod facere te cum consilio viri reuerendissimi Iohannis e-
piscopi atque Adriani chartularij nostri & rectoris volumus. Si autem necesse propter
consilium fuerit, etiam filius meus dominus Iulianus debet adhiberi: ità vt nullus a-
lius hoc cognoscat, sed omninò secretum sit. Vos igitur inter vos pertractate, vtrùm
in auro, an certè in pecunijs eisdem colonis pauperibus dari eadem continentia de-
beat. Quicquid vero communiter steterit, priùs descriptionem, sicut dixi, facito, &
postmodùm singulis iuxta qualitatem suæ paupertatis distribuere stude. Ego enim, si-
cut Magister gentium testatur, habeo omnia & abundo: nec pecunias, sed mercedem

quæro. Ità ergò age, vt in die iudicij de eadem causa mercedis, quæ experientiæ tuæ cōmissa est, mihi fructum quem feceris, ostendas. Quòd si purè ac fideliter & strenuè egeris, & hîc illud in filijs tuis recipies, & postmodùm retributionem plenariam in æterni iudicij examine habebis. Item idem Petro subdiacono: Quòd responsalem tuum tardè dimisimus, Paschalis festiuitatis occupationibus implicati, eum relaxare citiùs minimè valuimus. Causas verò, de quibus indicandum curâsti, omnes subtiliter perquirentes, qualiter disposuerimus, inferiùs agnosces. Cognouimus rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorū precijs grauari, ità vt instituta summa eis in comparatione abundantiæ tempore non seruetur. Et volumus, vt iuxta precia publica omni tempore, siue minùs siue ampliùs frumenta nascantur, in eis comparationis mensura teneatur. Frumēta autem, quæ naufragio pereunt, per omnia volumus reputari: ità tamen, vt à te negligentia ad transmittendum minimè fiat: nè, dum transmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio vestro generetur. Valdè autem iniustum & iniquum esse perspeximus, vt à rusticis Ecclesiæ de sextariaticis aliquid accipiatur, & ad maiorem modium dare compellantur, quàm in horreis Ecclesiæ infertur. Vndè præsenti admonitione præcipimus, vt plusquàm decem & octo sextariorum modio nunquàm à rusticis Ecclesiæ frumenta debeant accipi: nisi fortè si quid est, quod nautæ iuxta consuetudinem superaccipiunt, quod minui ipsi in nauibus attestantur. &c. quæ in ipso sanctissimi viri Epistolarum opere requirantur.

Lib. 1. epi. 4.

59 Hactenùs de Gregorianæ liberalitatis innocentia me retulisse sufficiat. Cæterùm quia famis tempore, vt videlicet haberet, vndè Christi pauperibus subueniret, frumenta comparare studebat, nullo modo prætermittam. Ait enim in alia epistola eidem Petro subdiacono inter cætera: Quinquaginta auri libris noua frumenta ab extraneis compara, & in Sicilia in locis, in quibus non pereant, repone, vt mense Februario illuc naues, quantas possumus, dirigamus, vt eadem ad nos frumenta deferantur. Sed & si nos transmittere cessamus, ipse naues prouide, & ad nos, auxiliante Domino, Februario mense hæc eadem frumenta transmitte. Exceptis duntaxàt frumentis, quæ nunc mense Septembrio vel Octobrio iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ità ergò tua experientia faciat, vt sine alicuius vexatione coloni ecclesiastici frumenta congregentur. Quia tam hîc parua natiuitas fuit, vt nisi auxiliante Domino de Sicilia frumenta congregentur, fames vehementer immineat.

Eremitæ cuiusdam oratio ad Deum.

60 Huius liberalitatis multitudinem quidam eremitarum, vir magnæ virtutis, qui nihil in mundo possidebat præter vnam cattam, quam blandiens crebrò quasi cohabitatricem in suis gremijs refouebat, cognoscens, orâsse fertur ad Deum, vt sibi ostendere dignaretur, quam futuræ remunerationis mansionem sperare debuisset, qui pro illius amore seculum deserens, nil ex eius diuitijs possideret. Cumque nocte quadam dormiret, cognouit sibi reuelatum fuisse, vt cum Gregorio Romano pontifice mansionem sibi præparandam sperare debuisset. At ille fortiter ingemiscens, parùm sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tantaque suæ remotionis ieiunia putabat, si cum eo mansionem reciperet, qui tantis mundialibus diuitijs redundaret. Cùm verò Gregorianas diuitias suæ paupertati die noctuque suspirando conferret, alia nocte quiescens, audiuit sibi Dominum in somnis dicentem: Quandò diuitem non possessio faciat diuitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitijs comparare? Qui magìs illam cattam, quam habes, quotidiè palpando, nullique conferendo diligere comprobaris quàm ille, qui tantas diuitias nō amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo dispergit? Ità solitarius increpatus, Deo gratias retulit, & qui meritum suum decreuisse putauerat, si Gregorio conferretur, orare vehementiùs cœpit, vt cum eo mansionem quandoquè percipere mereretur. Sed istius iam secundi Libri finis adueniat, vt quæ secutura sunt, auxiliante Domino, tertius prosequatur.

Diuitem non opes, sed cupiditas facit.

CAPITVLA LIBRI III.

Quòd

LIBER TERTIVS. CAP. I.

TAlibus venerabilis Papa Gregorius commissam sibi diuinitùs Ecclesiam studijs efficaciter gubernabat. Iam Ligures, Venetos, Hiberos, aliosq; à schismate sub libello confessos, Chalcedonensem synodum venerari compellens, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ reuocârat. Iam Barbaricinos Sardos & Campaniæ rusticos, tam prædicationibus quàm verberibus emendatos, à paganizandi vanitate remouerat: iam Donatistarum hæresim penès Aphricam, Manichæorum penès Siciliam, Arrianorum penès Hispaniam, Agnoitarum verò penès Alexandriam, scriptorum suorum validissimis authoritatibus importunisque legationibus, Domino suffragante, à corpore totius sanctæ matris Ecclesiæ sequestrârat. Sola penès Galliam Neophytorum hæresis, quot Simoniacis muneribus, quasi tot radicibus pullulans, longè lateque prorsùs excreuerat & manebat. Contra quam venerabilis pater apud Brunichildem reginam, Theodoricum quoquè & Theodebertum Francorum reges fortiter expugnauit, donèc collecta generali synodo, hanc sub anathemate damnandam penitùs impetraret. Nec antè Siagrio episcopo Augustudunensi, regina & regibus pallium multis precibus flagitãtibus, dedit, quàm præsente Cyriaco suo Abbate ipsi, quod de propellendis hæresibus moniti fuerant, adimplerent.

Neophytorum in Galliis.

Vsus pallij per antiquus.

Lib. 7. epi. 113.

2 Nam pro his Brunichildi reginæ inter cætera scribit, dicens: Sacerdotale officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductum est, vt sacerdotes subitò, quod graue nimis est, ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo præstaturi sunt, qui non ad vtilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupiscunt? His igitur, qui necdùm quod docere debeant, didicerunt: quid aliud agunt, nisi vt paucorum prouectus illicitus, fiat multis interitus, & in confusionẽ Ecclesiasticæ moderationis obseruantia deducatur? Quippe vbi nullus ordo regularis seruatur. Nam qui ad eius regimen improuisus vel præcipitatus accedit, qua admonitione subiectos ædificet, cuius exemplũ non rationem docuit, sed errorem? Pudet profectò, pudet alijs imperare, quod ipse nescis custodire. Nec illud quidem, quod simili emendatione radendum est, prætorimus, sed omninò execrabile & esse grauissimum detestamur, quòd sacri illic ordines per Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergò agitur, vt sacerdotalis dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtiquè reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit: & nefaria ambitione, honorabilis sacerdotij ducitur in deprauationem censura. Nam quis denuò veneretur, quod venditur? Aut quis non vile putet esse, quod emitur? Vndè valdè contristor, & terræ illi condoleo: quia dum spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed pręmijs assequuntur, sacerdotium illic subsistere diù non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magìs contra Deum pecuniæ venerantur. Item de eisdem, Theodorico & Theodeberto regibus Francorum post aliqua: Fertur Simoniaca hæresis, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, telo Apostolicæ vltionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cùm in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita: quæ si deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sinè operibus mortua est. Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti conuincitur obtinere per præmium? Ex qua reagitur, vt ipsi quoquè, qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed diuitias, quibus honor sacer emitur, congregare. Hinc fit etiam, vt insontes & pauperes à sacris ordinibus prohibiti despectique resiliãt: & dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quòd præmium illic delicta commendet: quia vbi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam letale vulnus infigitur, verùm etiam excellentiæ vestræ regnum, episcoporum culpa, quorum magìs intercessionibus iuuari debuerat, prægrauatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copiæ suffragantur: restat, vt nihil sibi in honores ecclesiasticos grauitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia honore munerantur, in locum vltoris is, qui fortasse fuerat vlciscendus, adducitur: atque

Acto. 8.

Lib. 7. epist. 114. Act. 8.

Iacob. 2.

quæ hinc sacerdotes non proficere, sed perire potiùs iudicantur. Vulnerato nanque pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quandò populum orationis clypeo tuebitur, qui iaculis se hostium feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cuius graui peste radix infecta est? Maior ergò metuenda est locis illis fore calamitas, vbi tales inter cæteros ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocent, quàm per semetipsos populis placare debuerāt. Nec hoc quoq; malum solicitudo nostra patitur negligenter omittere, quòd quidā, instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu sacerdotij honorem arripiūt: & quod dicere pudet, & tacere graue est, regendi, Rectores: & qui docendi sunt, doctores nec erubescunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarū impudenter assumunt, quibus via omnis ignota doctoris est, & quò vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Nam dū dux exercitus nō nisi labore & solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione cōscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores timeant, nè cæca honoris ambitio & ipsis in pœna sit, & alijs pestifera erroris semina iaciant, quippe qui non didicère quod doceant. Proindè paterno salutātes affectu, petimus præcellentissimi filij, vt tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excusatio, nulla contra animas vestras suggestio locum inueniat: quia facientis proculdubiò culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Item pro eisdem hæresibus Siagrio episcopo Augustudunensi: Nuncio apud nos olìm discurrente vulgatum est, quòd in Galliarum partibus sacri ordines, per Simoniacam hæresim conferantur, & vehementi tædio mœroris afficimur, si in ecclesiasticis officijs quenquam habet locum pecunia, & fit seculare, quod sacrum est. Quicunq; ergò hoc precij studet datione percipere, sacerdos nō esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Quid scilicet, quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodò dignus, qui dare precium suffecerit, æstimetur? Ex qua re, si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanē gloriam locū festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis, quòd honorem quærit, indignus est. Sicut autem is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouēdus: sic qui vltrò ambit, vel importunū se ingerit, est proculdubiò repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendēdo exteriùs, interiùs in profunda descendat? Itaq; frater reuerēdissime, in sacerdotibus ordinandis synceritas vigeat: sit simplex sinè venalitate consensus, pura præferatur electio: vt ad summa sacerdotij non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio. Nam quia graue omninò sit facinus, Dei donū vel precio comparare vel vendere, euangelica est testis authoritas. Templum enim Dominus & redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas euertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi precium de manus impositione percipere, & sanctum spiritum, quē omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium antè Dei oculos cadere, cathedrarum vtiquè patenter euersione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiæ prauitas vires suas. Nam cogit vendere, quos decepit, vt emerent. Et dū non attenditur, quod diuina voce præcipitur, Gratis accepistis, gratis date: agitur vt crescat, & geminata fiat in vno eodemq; delicto conditio, ementis scilicet, & vendentis. Et cùm liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cauetur? cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus, promouetur? Plerunq; igitur aduersarius animarum, dum non potest in his, quæ ad faciem sunt praua, subrepere: callidè, specie quasi pietatis iniecta, nititur supplātare: suaderq; forsitan debere ab habentibus accipi, vt sit, quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera, eleemosynę celata obumbratione, transfundat. Nam nec venator ferā, nec auem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum in esca absconditum nō haberet. Omninò ergò metuenda & cauenda est hostis astutia, nè quos aperta nequit tentatione subuertere, latente telo sæuiùs valeat trucidare. Neq; enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dipsensetur, quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, vt quasi benè dispenset, grauatur potiùs quàm iuuatur. Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, sed

Ex laicis repentè fieri sacerdotes quàm sit turpe.

Lib. 7. Epist. 110.

Sacerdos nō est, qui precio vult effici.

Matth. 21. Columbas vēdere qd sit.

Matt. 10.

Virtutis specie vt fallat diabolus.

quæ de rebus concessis & benè acquisitis impenditur. Vndè etiam illud certũ est, quià & si monasteria aut Xenodochia vel quid aliud de pecunia, quæ pro sacris ordinibus datur, construatur, mercedi non proficit: quoniam dum peruersus & emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad sui similitudinem sub cõmodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ędificare, qui ab eo pecuniã ordinationis accepit. Nè ergò sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, apertè sacra scriptura nos prohibet, dicens: Hostiæ impiorum abominabiles Domino, quę offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei iracundiã nõ placat, sed irritat. Hinc rursùs scriptum est: Honora Dominum de tuis iustis laboribus. Qui ergò malè tollit, vt quasi benè præbeat, constat sinè dubio, quia Dominum nõ honorat. Hinc quoq; per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantia pauperis, àc si victimet filium in conspectu patris. Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in eius conspectu filius victimetur, & hinc facilè cognoscimus, quanto Deus omnipotens dolore exasperatur, quandò ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergò declinandum est, dilectissime frater, sub obtentu eleemosynæ peccata Simoniacæ hæresis perpetrare. Nam aliud est, propter peccata eleemosynas facere: aliud, propter eleemosynas peccata committere. Hoc quoq; ad nos peruenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quòd quidam desiderio honoris inflammati, defunctis episcopis tonsurantur, & fiunt repentè ex laicis sacerdotes, atque inuerecundè religiosi, præpositi ducatum arripiunt; qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus, quid illi subiectis præstaturi sint, qui antequàm discipulatûs limen attingant, tenere locum magisterij non formidant? Qua de re necessè est, vt quanuis inculpati quisque sit meriti, antè tamen per distincta ordinis Ecclesiastici exerceatur officia. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat, vt posteà non debeat errare, qui eligitur viam errãtibus demonstrare. Diù ergò religiosa meditatione poliatur, vt placeat: & sic lucerna super candelabrum posita luceat, vt aduersa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat. Nam cùm scriptum sit, Vt priùs quis probetur, & sic ministret: multo ampliùs ante probandus est, qui populi intercessor assumitur: nè fiant causa ruinæ populis sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio: quia cunctis liquidò notum est, quæ sit in huius rei negligentia egregij solicitudo doctoris, qui neophytum ad ordines vetat sacros accedere. Sicut autẽ tunc neophytus dicebatur, qui initiò in sanctæ fidei erat * eruditione plantatus: sic modò neophytus habendus est, qui repentè in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergò ad ordines ascendendum est. Nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. Et cùm idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiquam citiùs imponendam: quid hoc celerius, quidúe præcipitantius, quàm vt exoriatur à summitate principium, & antequàm esse incipiat discipulus, sit magister? Quisquis igitur sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatẽ adipisci desiderat, priùs vires suas cum eo, quem est subiturus, honore metiatur, vt & impar abstineat, & ad id cum metu, etiam qui se sufficere existimat, accedat. Ab re autem non facimus, si ad argumentum rationabile, vsum rerum irrationabilium colligamus. Apta nanque ædificationibus de sylvis ligna succiduntur, nec tamen adhuc viridibus ædificij pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorũ dierum mora siccauerit, & apta ad necessariũ vsum effecerit. Quæ si obseruãtia fortè negligitur, citiùs superimposita mole franguntur, & gignit ruinã ad auxiliũ res prouisa. Hinc etenim medici, qui corporum curam gerunt, quædam adiutoria, recenti adhuc confectione formata, indigenti non offerunt, sed maturanda temporibus derelinquunt. Nam si immaturè quis dederit, dubium non est, quia fit causa periculi res salutis. Discant itaq;, discant in officio suo sacerdotes, quibus animarum credita est cura, seruare quod diuersarum artium homines docente ratione custodiunt, & à præcipiti se ambitione, & si non metu, saltem pudore contineant. Sed nè forsitan ad hoc prauæ se consuetudinis quisquam velit obiectu defendere, fraternitatis tuæ discretio rationis eos freno coërceat, & labi in illicitis non permittat: quia quicquid vltione dignum est, non ad imitationis, sed potiùs ad exemplum debet correptionis adduci. Et post pauca:

3 De ijs itaque, quæ superiùs dicta sunt, Fraternitatem vestram authore Deo volumus

Prouer. 21. Prouer. 3. Eccle. 34. Contra eos, qui repente ex laicis student fieri episcopi. 1. Tim. 3. Ibidem. * conuersatione. 1. Tim. 5. Elegans similitudo. Item alia.

mus synodum congregare, atq; in ea reuerendissimo fratre nostro Aregio episcopo, & dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnētur: Id est, vt nullus pro adipiscēdis ecclesiasticis ordinibus dare aliquid commodum præsumat, vel pro datis accipere. Neque ex laico habitu quisquam repente audeat ad locum sacri regiminis peruenire, neque vt aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ, quæ à sacris canonibus sunt permissæ.

4 Has pestiferas hæreses cernens prudentissimus doctor Gregorius, per sacerdotū conniuentiam siue taciturnitatem magis magisq; diffusis muneribus quasi pestifer cancer, non solùm infirma posse corrodere, verùm etiam fortia membra mucrone pulcherrimarum rerum corrumpere: diuino zelo commotus, Victori episcopo generalem sententiam protulit, dicens: Quisquis ad hoc facinus, videlicet Simoniæ ac Neophytorum hæresim emendandum, officij sui consideratione vehementer non arserit, cùm ipso se habere non dubitet portionem, à quo priùs hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. Lib. 10. Epist. 33.

5 Cùm verò quosdam cognosceret ad cuitādæ Simoniacæ hæresis crimina, pestiferæ negociationis munera pastellaticum callidè vocitare, ac huiusmodi mutato nomine, suæ cupiditatis auaritiam velle contegere, prudentissimus doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui pontificatûs coram synodo promulgauerat, iteratò protulit, dicens: Antiquorum patrum regulam sequens, nulli quicquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallij, neq; ex traditione chartarum, neq; ex ea, quam noua per ambitionem simulatio inuenit, appellatione pastelli. Quia enim in ordinando episcopo Pontifex manum imponit, euangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit, sicut non decet episcopum manum, quam imponit, vendere: ità minister vel notarius non debet in ordinatione eius, vocem suam vel calamum venundare. Pro ordinatione ergò vel vsu pallij, seu chartis atque pastellis, eundem, qui ordinandus est vel ordinatur, omninò aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid cōmodi appellatione exigere vel petere fortè præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit. Item Iohanni episcopo Corinthiorū post multa: Nouit, inquit, fraternitas vestra, quia priùs pallium nisi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus beati Petri Apostolorum principis, tam de hoc, quàm de ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergò, vt neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Pastellaticum quid. Nihil pro sacris ordinibus accipiendum. Li. 4. ep. 55.

6 Sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens tantis se commodis licèt turpissimis, immò periculosissimis angustari, commētum satis artificiosum reperit, quò scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post cōsecrationem tanto subiectiores esse debuissent, quanto non diuino, quin potiùs humano iudicio se fuisse promotos ipsi procul dubiò reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in euangeliorum tractatibus, vt scilicet frequentiùs legi vel audiri potuisset, disputat, inquiens: Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodò retributionem quærunt. Hi nimirùm quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis expetunt nummū fauoris. Vndè benè cum iustum virum describeret, Propheta ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim dixit, Qui excutit manus suas à munere: sed adiunxit, ab omni. Quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio, est subiectio indebitè impensa. Munus à manu, pecunia. Munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quandò in diuinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Homil. 4. in Euangelia. Esa. 33. Munus varium.

7 Hæ sunt Gregorij super simoniacis & illicitis ordinationibus doctissimi Papæ sententiæ, quas ipse summo cultu seruasse docetur in eo, quod ab ipso suæ consecrationis exordio per omnem dioecesim suam episcopos vndecunque meliores inuenire potuit, studiosissimus ordinauit. Et si quandò necessitas ordinandi sacerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesiæ suæ, neq; monachos monasterij sui penitùs excusa- Optimos quosque constituit episcopos.

uit,quò minùs illis ecclesiam regendam committeret,qui exemplis et verbis pariter illam ædificare meliùs potuissent. Nam vt pauca de multis contingam,ex presbyteris Cardinalibus Ecclesiæ suæ consecrauit episcopos Bonifacium Rhegij, Habentiũ Perusij,& Donum Messanæ Siciliæ. Ex subdiaconibus verò Gloriosum Ostiæ, Festũ Capuæ,Petrum *Trecas,& Castorium Arimini. At verò ex monachis monasterij sui Marinianum Rauennæ,Maximianum Syracusis,& Sabinum Callipoli præsules ordinauit. Sed & Augustinum penès Anglos à Galliarum episcopis ordinari præcepit. Post quem nihilominùs ad episcopatum in eadem gente, monachi eiusdem patris tempore diuerso prouecti sunt, Mellitus, Iustus, Laurentius & Paulinus. Solis diaconibus Apostolicæ sedis super hac quodammodò parte parcebat. Quorum cùm decẽ & nouem plenitudine redundaret,ipse Bonifacium, Florentiũ & Epiphanium consecrauit. Nec quenquam eorum ab officio, nisi Laurentium archidiaconum pro superbia reliquisque criminibus,in basilica Lateranensi,quæ dicitur aurea, vbi mox Honoratum archidiaconum constituit,sequestrauit.

*Trecis.

8 Cumq; Gregorius,percepta occasione,suæ Ecclesiæ Cardinales,si tamen consentirent,satis voluntariè proueheret,neminem prorsùs quantacunque necessitate coactus,violenter promouere certabat,nè sub huiusmodi occasione quenquam eliminando deponere videretur. Vndè Scholastico*duci Campaniæ scribens,ait: Dum de Neapolitanæ ciuitatis cura destitutę sacerdotis solatio vehementiùs angeremur,superuenientes pſentium latores cum decreto,in Florentiũ subdiaconum nostrum cõfecto,aliquid nobis in tãto cogitationis põdere releuationis inuenerũt. Sed dum pręfatus subdiaconus noster,refugiens ciuitatem ipsam,ordinationem suam lachrymabiliter euitâsset,quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite creuisse mœstitiam. Atque ideò salutantes hortamur magnitudinem vestram,vt conuocantes Priores vel populum ciuitatis,de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cũ Dei solatio ad sacerdotium promoueri. In quo decreto solẽniter facto, atq; ad hanc Vrbem transmisso,ordinatio illic tandèm,Christo auxiliante, proueniat.

*Iudici Lib. 2. epist. 15. Indict. 11.

Lib. 2. epist. 16. Indict. 10.

9 Ab alijs quoq; violenter promotos,in gradus pristinos reuocabat. Vndè Antonino subdiacono scribẽs,dicit: Honoratus archidiaconus ecclesiæ Salonitanæ à sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione poposcerat,vt ab antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradûs ordinem contra morẽ nullo modo cogeretur. Hoc enim fieri sibi non prouehendi gratia,sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopoque nostro interdixerat,nè prædictum Honoratum archidiaconum inuitum proueheret, nève dolorem conceptæ ingratitudinis diutiùs in corde retineret. Cumque & à me hæc eidem summoperè fuerint interdicta,non solùm mandata DEI negligens, sed etiam scripta nostra contemnẽs, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorem honorem prouehens,conatus est callidè degradare. Vndè actum est,vt eo de archidiaconatûs loco summoto, alium accerseret, qui eius obtemperare moribus posset. Quem Honoratum archidiaconem arbitramur antistiti suo aliundè displicere nõ potuisse,nisi quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quã causam subtili voluimus & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego indagatiõe discutere. Sed ipse suorum actuum conscius,personam ad iudicium postposuit destinare. Proindè experientiam tuã præsentis præcepti authoritate duximus fulciendam,quatenus conueniens in Salonam,Natalem fratrem coëpiscopumq; nostrum, saltẽ tot scriptis admonitum studeat adhortari,vt suprà memoratum archidiaconem in suo statim loco suscipiat. Quòd si facere hoc contumaciter, vt cõsueuit, fortè distulerit, vsum ei pallij,qui ab hac sede concessus est, ex authoritate sedis Apostolicæ contradicito. Quem si,etiam amisso pallio,adhuc in eadem pertinacia perseuerare perspexeris,Dominici quoque corporis ac sanguinis eundem antistitem participatione priuabis. Eum verò, qui contra iustitiæ regulam ad locum alterius prouehi consensit, ab eiusdem archidiaconatûs honore deponi præcipimus. Qui si vlteriùs in loco eodem ministrare pſumpserit,communionis sacræ participatione priuamus. Aequum enim est,vt asperos de iustitia sentiat, quos erga se positos in charitate contempsit. Restituto ergò loco suo Honorato archidiacono,instructam personam supradictus antistes,te compellente,dirigat,qui intentionem eius esse vel fuisse iustam, suis nobis allegationibus possit ostendere. Sed & eundem archidiaconem ad nos venire præcipimus,vt quicquid iustum, quicquid omnipotenti Deo placitum fuerit,cognitis
assertio-

assertionibus partium, decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed authore Deo, normam iustitiæ, postposita cuiuslibet acceptione personæ, seruamus. Item Honorato Salonitano, iam ex presbyterio in diaconatum reducto: Dudùm quidem decessoris nostri nostraque præceptio ad dilectionem tuam cucurrerat, in qua & de obiectis tibi calumniosè capitulis fueras absolutus, & in tui gradûs ordinem sinè aliqua te instituimus altercatione restitui. Sed quia rursùs ante non multum temporis spatium ad Romanam ciuitatem veniens, de quibusdam illic actis incongruè, & de sacrorum es conquestus alienatione vasorum: atque dum pro hac re, quæ tuis obiectionibus respondere potuissent, sustineremus in hac ciuitate personas, Natalis episcopus tuus de hac luce migrauit: necessarium iudicamus, easdem præceptiones tam decessoris nostri quàm nostras, quas dudùm, vt dictum est, pro tua absolutione transmisimus, præsentibus deincèps apicibus confirmare. Quamobrèm à cunctis tibi obiectis capitulis te pleniùs absoluentes, in tui te ordinis gradu sinè aliqua volumus altercatione permanere, vt nihil tibi penitùs mota à præfato viro quæstio qualibet occasione præiudicet. Lib.2. Epist. 32. Indict. 11.

10 Item cardinales, violenter in parochijs forensibus ordinatos, in pristinum cardinem Gregorius reuocabat. Quapropter Iohanni episcopo Syracusano scribens, ait: Quorundam ad nos relatione peruenit, Cosmam, qui ex monacho monasterij sanctæ Luciæ, à decessore tuo venerandæ memoriæ Maximiano, in ecclesia Syracusana subdiaconus factus, atque à te posteà in possessione, quæ Iuliana vocatur, presbyter dicitur ordinatus, ità nimia tristitia & loci qualitate vehementer afflictum, vt vitam sibi pœnam existimet, & cōtritioni suæ, fugæ quęrat auxilium. Et ideò quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nos, si subiecti fuissemus, nostros volueramus esse præpositos: magnæ benignitatis est, si eum in ecclesiam, vbì subdiaconi est functus officio, sanctitas tua reducere, atque illic presbyterum studuerit constituere cardinalem. Quod & facere, quantùm arbitramur, debes, si nihil est, quod iustè contra ipsum animum tuum exasperet. Si verò aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitas tua, vt scire possimus, insinuet. Libr.11. Epist.14.

11 Quanta curiositate Gregorius idoneos quosque ad regimen destitutarum quæsierit plebium, breuiter indicabo, vt tantus vir non solùm doctrinis, quin & operibus verus paterfamiliàs fuisse gregis Dominici probabiliter colligatur. Ait enim in epistola Maximiano episcopo Syracusano: Felix vir clarissimus, præsentium lator, edocuit nos, esse quendam in illis partibus presbyterum, qui ad episcopatùs ordinem prouehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc ergò fraternitas tua coram se deduci faciat, & eum, sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc prouehi gradum dignū esse perspexerit, ad nos studeat destinare, vt eum, Domino disponente, loco cui præuiderimus, possimus ordinare pastorem. Lib.2. Epist.18. Indict.10. Item Cypriano diacono: Amarissimas dilectionis tuæ epistolas de domini Maximiani obitu mense Nouembri suscepi, Et quidem ille ad præmia desiderata peruenit: sed infelix populus Syracusanæ ciuitatis lugendus est, qui pastorem talem diù habere non meruit. Proinde dilectio tua solicitudinem gerat, vt in eadem ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post dominum Maximianum eiusdem regiminis locum non indignus videatur aut immeritus sortiri. Et quidem credo, quòd Traianum presbyterum maxima pars eligat: qui, vt dicitur, bonę mentis est, sed quantùm suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inueniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur inuolutus, condescendi ad eum, cogente nimia necessitate, potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secretè indico quod volo, quia nullus mihi in eadem ecclesia post dominum Maximianum tam dignus videtur, quàm Iohannes archidiaconus Catanensis ecclesiæ. Qui si fieri potest, vt eligatur, credo quòd apta valdè persona inueniatur, Sed ipse quoque priùs de criminibus, quæ impedire possunt, à te secretiùs requirendus est, à quibus si liber inuentus fuerit, eligi iure potest. Quod si factum fuerit, etiam frater & coepiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, vt liber ad ordinandum valeat inueniri. Lib.4. Epist.19. Item Clementinæ patritiæ: Amandum presbyterum à Surrentinis ad episcopatum, gloriosa filia, electum esse cognoscas. Quem quia huc scripsimus debere transmitti, contristari de eius absentia non debetis, quia nec abscedere creditur, qui mente vobiscū est. Et quoniam pastorem quærentibus is, qui vobis olim placuit, gratus est, omnipotentem Deum benedicentes, Christiana magìs in hac deuotiōe gaude- Li.8.ep.17.

te.

li. 10. ep. 13 te. Et vt ad nos celeriùs alijs profuturus venire debeat, hilariter studete: quia syncerae charitatis est exultare, quandò is, qui diligitur, ad hoc vocatur vt crescat. Item Passiuo episcopo: Benè nouit fraternitas vestra, quàm longo tempore Aprucium pastorali sit solicitudine destitutum. Vbì diù quaesiuimus qui ordinari debuisset, & nequaquàm potuimus inuenire. Sed quia * Importunus mihi in moribus suis, in psalmodiae studio, in amore orationis valdè laudatur, & religiosam vitam omnimodò agere dicitur: hunc volumus vt fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenùs in bonis studijs crescat. Et si nulla ei crimina, quae per legis sacrae regulam morte mulctantur, obuiant, tunc hortandus est, vt vel monachus, vel à nobis subdiaconus fiat, & post aliquãtulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralẽ curam debeat promoueri. Item Venantio patritio Panormitano, petenti sibi quendam presbyterum episcopum consecrari, rescribit, inter caetera dicens: Hunc presbyterum dare omnimodò nobis excellentia vestra sciat esse difficile, quia personarum nos necessitas ad ordinanda alia loca pastoribus destituta non leuis angustat.

* Opportunus

Libr. 11. Epist. 14.

Lib. 12. Epist. 6.

12 Sed quia necessitate ordinandarum se angustatum meminit personarum, nè indiscussè quenquam promouisse putetur, vno exemplo videtur docendum. Ait enim in epistola Iohanni episcopo: Nè incauta eorum ordinatio, qui ad episcopatum eliguntur, valeat prouenire, vigilanti de eorum personis est solicitudine requirendum. Indicatum siquidem nobis est, Florentinum archidiaconum ecclesiae Anconitanae, qui ad episcopatum electus fuerat, scripturae quidem sacrae scientiam habere, sed ità aetatis esse senio iam confractum, vt ad regiminis officium non possit assurgere. Adijciẽtes etiam, ità illum tenacem existere, vt in domum eius amicus ad charitatem nũquàm introeat. Rusticus autem, diaconus eiusdem ecclesiae, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur: sed quantum asseritur, psalmos ignorat. Florentinum verò diaconum ecclesiae Rauennatis, qui electus ab omnibus memoratur, solicitum esse nouimus: sed qualis sit interiùs, omninò nescimus. Ideoq; fraternitas tua vna cum fratre & coepiscopo nostro Armenio, suprascriptę ecclesiae Anconitanae visitatore, illuc festinet accedere, & diligẽter de vita ac moribus singulorum requirere, si de nullo sibi sunt crimine conscij, quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est, si hoc, quod de praefato archidiacono dictum est, quia nũquàm amicus domum eius ingressus est, ità se veritas habeat. Et vtrùm ex necessitate, an ex tenacia talis sit: aut si ità senex est, vt ad regendum nõ possit assurgere, vel si tactis sacrosanctis euangelijs (sicut nobis nũciatum est) iusiurandum praebuit, nunquàm se ad episcopatum accedere. Sed & de Rustico diacono, quantos psalmos minùs tenet, scrutandum est. Florentino autem diacono Rauennati, si nullum, sicut diximus, crimen est quod obsistat, apud episcopum eius agi necessè est, vt ei debeat cessionem concedere. Non tamen ex nostro mandato vel dicto, nè contra suam cum voluntatem concedere videatur.

Ecclesia per quos vel stet, vel cadat.

* Scriniensi

Li. 4. ep. 35.

13 Et quidem Gregorius prudenter cognoscens, totum corpus Ecclesiae tam per bonos episcopos feliciter stare, quàm per malos infeliciter cadere: non solùm diuersarũ gentium diuersi ordinis clericos, verùm etiam vacantes episcopos in suae dioeceseos episcopatus inuitabat. Vndè Sebastiano episcopo * Smyrnẽsi inter cętera scribit, dicens: Debitum salutationis alloquium soluens, indico, quòd ad me Bonifacio defensore referente peruenerit, quia vir sanctissimus frater noster dominus Anastasius patriarcha in vna suarum ciuitatum regendam vobis ecclesiam committere voluit, & consentire noluistis. Quem sensum atque sapientiam vestram, valdè ego libenter amplexus sum, & laudaui vehementer, & vos felices, me infelicem esse deputaui, qui tali hoc tempore regimen Ecclesiae suscipere consensi. Si tamen animus vester fortassis fratribus condescendendo, & misericordiae operibus intentus, ad hoc vnquàm cõsentire decreuerit, peto vt amori meo alium minimè praeponatis. Sunt enim in Sicilia insula ecclesiae vacantes Episcopis. Et si vobis placet, authore Deo, Ecclesiam regere, iuxta beati Petri Apostoli limina cum eius adiutorio meliùs potestis. Si verò non placet, feliciter state, & pro nobis infelicibus exorate.

* Bacandae

Li. 1. epi. 8.

14 Intereà Gregorius locis munitis Episcopis constitutis, dissipatas ecclesias adunabat. Quapropter * Bagaudae Formiensi Episcopo scribit, dicens: Et temporis necessitas nos perurget, & imminutio exigit personarum, vt destitutis ecclesijs salubri ac prouida debeamus dispositione succurrere. Et ideò quoniam ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quàm plebis destitutam desolatione cognouimus, tuamq;

pro

pro ea petitionem, quatenùs Formianæ ecclesiæ, in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cuiq; fraternitas tua præsidet, adiungi debeat: piam esse ac iustissimam præuidentes, necessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius, quàm tuæ ecclesiæ paupertati, reditus supradictæ ecclesiæ Minturnensis, vel quicquid ei antiquo modernoque iure vel priuilegio potuit potést ve qualibet ratione competere, ad tuæ ecclesiæ ius potestatemque hac præcepti nostri authoritate migrare, vt à præsenti tempore, sicuti de propria ecclesia debeas cogitare, eique competentia tua prouisione disponere: quatenùs deincèps quod perire nuncusq; potuit, pauperum ecclesiæ tuæ vtilitatibus clerique proficiat. S. Erasmi martyris corpus vbi sit.

Item Benenato episcopo: Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat, vt Cumanam atque Misenatium vnire debeamus ecclesias. Quoniam hæ non longo à se itineris interuallo seiunctæ sunt, nec peccatis facientibus tanta populi multitudo est, vt singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum vitæ huius expleuit, vtrasque nos ecclesias præsentis authoritatis pagina vniisse, tibique commisisse cognosce, propriumq; vtrarunque ecclesiarum scito te esse pōtificem. Et ideò te quæcunque tibi de earum patrimonio vel cleri ordinatione promotionéve iuxta canonum statuta visa fuerint ordinare atq; disponere, habebis vt proprius re vera sacerdos, liberã ex nostræ authoritatis consensu atq; permissione licentiam. Vbi veró commodius ac vtilius esse perspexeris, habitato: Ita sanè, vt alteram ecclesiam, à qua corporaliter ad præsens absens es, solicita prouidentiq; cura disponas, quatenùs diuina illic mysteria solenniter auxiliante Domino peragantur. Fraternitas ergò tua tanta in adhortatione populi lucrandisque animabus solicitiore cura semper inuigilet, quanto se vnitarum ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit. Item Iohanni episcopo Veliterno: Postquam hostilis impietas diuersarum ciuitatum ità peccatis facientibus desolauit ecclesias, vt reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit, maiori valdè cura constringimur, nè defunctis earũ sacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo pastoris moderamine gubernatæ, per inuia fidei, hostis callidi rapiantur, quod absit, inuidia. Huius ergò rei solicitudine sæpè cōmoniti hoc nostro sedit cordi consilium, vt vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoq; fraternitati tuæ curam gubernationemq; trium Tabernensium ecclesiæ præuidimus committendam. Quam tuæ ecclesiæ aggregari vniriq; necessè est, quatenùs vtrarunque ecclesiarum sacerdos & rector, CHRISTO adiutore, possis existere: & quæcunq; tibi de eius patrimonio vel cleri ordinatione seu promotione vigilãti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe vt pontifex proprius, liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam. Lib. 2. Epist. 31. Indict. 10.

15 At verò ciuitatum desolatarum pontifices Gregorius vacantibus ciuitatibus incardinare curabat. Vndè Martino episcopo Corsicæ inter cætera scribens: Quoniam, inquit, ecclesia Tamitana, in qua dudùm fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ità est delictis facientibus hostili feritate occupata & diruta, vt illic vlteriùs spes remeandi nulla remanserit: in ecclesia te * Alirensi, quæ iamdiù pontificis est auxilio destituta, Cardinalem secundùm petitionis tuæ modum hac authoritate constituimus sinè dubio sacerdotem. Ità ergò studio vigilanti cum Dei amore secundùm canonum præcepta cuncta dispone & ordina, vt & fraternitas tua suis desiderijs se gaudeat fuisse potitam, & ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, Cardinalem te suscepisse pontificem. Item Iohanni episcopo Squillaceno: Pastoralis officij cura nos admonet, destitutis ecclesijs proprios constituere sacerdotes, qui gregem Dominicum pastorali debeant solicitudine gubernare. Propterea te Iohannem, ab hostibus captiuatæ Lisitanæ ciuitatis episcopum, in Squillacena cardinalem necessè duximus constituere sacerdotem, vt & susceptam semèl animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas, & licèt à tua, hoste imminente, depulsus sis, aliam quæ pastore vacat, debeas ecclesiam gubernare: Ità tamen, vt si ciuitatem illam hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit reuocari, in eam, in qua priùs ordinatus es, ecclesiam reuertaris. Si autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate prematur, in hac, in qua à nobis incardinatus es, debeas ecclesia permanere. Lib. 1. epist. 77. * Saonensi Lib. 2. Epist. 25. Indict. 10.

16 Sed & expulsos episcopos, quos tam citò Gregorius vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, alijs episcopis, qui tunc videlicet in locis suis degebant, interìm pro sustentatione ac stipendijs præ-

sentis

sentis vitæ iungebat, generaliter dicens: Fratres & coëpiscopos nostros, quos & captiuitatis diuersarumque necessitatum angustiæ comprimunt, studete consolandos, conuiuandosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere. Non quidem vt per communionem episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab ecclesia iuxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris ecclesijs authoritatem tribuimus, sed tantùm vestris solatijs eos contineri summoperè hortamur.

Lib. 2. Epist. 11. Indict. 10. 17. Loca quoq; sedium prudentissimus pontifex, accepta iusta occasione, mutabat. Vnde Iohanni episcopo Veliterno scribit, dicens: Temporis qualitas admonet, episcoporum sedes, antiquitùs certis ciuitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, eiusdem diœcesis loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum faciliùs declinare. Propterea te Iohannem fratrem coëpiscopumque nostrum Veliternensis ciuitatis, sedemque tuam in locum, qui appellatur Arenata, ad sanctum Andream Apostolum præcipimus exindè transmigrare: Quatenùs & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas.

18 Et notandum quòd Gregorius licèt monasteria & episcopatus vniërit, atq; vacantes episcopos vacantibus ciuitatibus incardinare studuerit, nunquam tamen episcopũ ab integritate suæ ecclesiæ, vel ipse in aliam commutauit, vel sub quacunque occasione migrare consensit. Nam postquàm Demetrium Neapolitanum episcopum super criminibus manifestis deposuit, cùm ab eisdem Neapolitanis incardinari sibi Paulum Nepesinum episcopum magnoperè quereretur, discretissimus pontifex visitatione ciuitatis Nepesinæ Iohanni episcopo delegata, eundem quidem Paulum visitatorem illis tribuit, Cardinalem verò constituere tam primò dispensatoriè distulit, quàm postea penitùs recusauit. Cui postmodùm licentiam reuertendi ad suam diœcesim concedens, centum solidos de Neapolitana ecclesia & vnum puerulum orphanum, qualem ipse de familia eiusdem ecclesiæ voluisset, dari præcepit.

19 Aliarum parochiarum clericos sibi, & alijs discretissimus pontifex discretissimè indicare curabat. Quapropter Eliæ presbytero & Abbati prouinciæ Isauriæ post aliLib. 4. epi. 10. qua scribens: Filium, inquit, vestrum Epiphanium mandâstis, vt ad sacrum ordinem prouehere deberemus, vobisque retransmittere. sed in vno vos audiuimus, in altero verò minimè potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea vlteriùs licentiam non habet. Si ergò videre vos non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vestro requiesco.

Lib. 3. epi. 14. 20 Item Maximiano episcopo Syracusano: Præsentium lator Felix diaconus, cùm nullatenùs in hæreticorum dogmata lapsus sit, nec à catholica fide discesserit, prauis illectus aduersùs Constantinopolitanam synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione remouerat. Qui cùm Romam venisset, recepta à nobis, iuuante Domino, ratione, excessum suum recepta Dominici corporis & sanguinis communione correxit. Quia ergò, vt dictum est, non in hæresim incidit, sed à sacris generalis Ecclesiæ mysterijs quasi rectæ studio intentionis errauit, imbecillitati eius atq; necessitatibus consulentes, maximeq; sustentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tua Syracusana ecLib. 5. epi. 11. clesia eum præuidimus cardinandum. Item Fortunato episcopo Neapolitano: Fraternitatem tuam à nobis petijsse recolimus, vt Gratianum ecclesiæ Venafranæ diaconũ tuæ concederemus ecclesiæ cardinandum, & quoniam nec episcopum, cui obsecundare, nec propriam habet ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam, idcircò scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habituro licentiam diaconem illum, nostra interueniente authoritate, ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere cardiLib. 5. epi. 20. nalem. Item Cypriano diacono: Sicut dilectio tua studiosè laborauit pro persona fratris & coëpiscopi nostri Iohannis, vt in Syracusana ecclesia authore Deo debuisset ordinari: ita nunc necessè est, vt per dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quendam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen à fratre & coëpiscopo nostro Leone in Catanensi ecclesia dicitur ordinatus. Et quia in nouam ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necessè est, vt dum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inueniat vbi requiescat: prædicto fratri & co-

& coepiscopo nostro Leoni blandè & leniter persuadere debes, vt ei præfatū presbyterum cedere debeat, nè, quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur.

21 Antiquissimum Ecclesiasticæ consuetudinis ordinem Gregorius ab Apostolis traditum, & ad sua vsque tempora solenniter conseruatum, adeò studiosissimè retinebat, vt nullum quantalibet sanctitate, sapientia, nobilitate've polleret, anterioribus clericis in cōuentu, consessu, statione siue subscriptione præponeret. Vndè Ianuario Caralitano episcopo scribens: Liberatus, inquit, de quo nobis tua fraternitas indicauit, qui diaconi fungi perhibetur officio, si à decessore tuo non factus est Cardinalis, ordinatis à te diaconibus nulla debet ratione præponi: nè eos, quos consecrando probâsse cognosceris, reprobare supponendo quodammodò videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia ab intentionis suæ prauitate compesce, & vltimum inter diaconos stare constitue: nè, dum se illicitè præferri contendit, immeritus loco, in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientia fueris inuitatus, & eum post hoc facere Cardinalem volueris, nisi pontificis sui cessionem solenni more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione memineris. Quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt alijs seruare non differas, quod ipse quoque tibi seruari desideras. Li.1.epi.81.

22 Cuius videlicet antiquissimæ cōsuetudinis ordine Gregorius prouocatus, defunctorum episcoporum ecclesias pro faciendo inuentario, & eligendo legitimæ opinionis episcopo, vicinis episcopis commendabat, hoc modo scribens: Obitum illius antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Quam ità te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministerijsq́;, vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, à quoquam presumatur, ecclesiæ. Et ideò fraternitas tua ad prædictam ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque eius admonere festinet, vt remoto studio, diuersarum partium vno eodemq́; consensu, talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerādis canonibus nullatenùs respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & dilectiōis tuæ testimonio literarum, ad nos veniat cōsecrandus: Prouisurus ante omnia, nè ad hoc cuiuslibet cōuersationis vel meriti laicæ personæ adspirare præsumāt, & tu periculū ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem, si qua sunt in ipsius parœcia constituta, sub tua cura dipositioneq́;, quousq; illic proprius fuerit episcopus ordinatus, esse cōcedimus, vt solicitudinis tuæ vigilantia proposito suo congrua, Deo adiuuante, actione respondeat. Lib.2.Epi. 19. & 16. Indict. 10.

Item clero, ordini & plebi: Vestri antistitis obitum cognoscētes, curæ nobis fuit destitutæ ecclesiæ visitationē illi fratri & coepiscopo nostro sollenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, vt nil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministerijsque à quoquam vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, quatenùs in ecclesiastico obsequio sacerdos exquiratur, qui à venerandis canonibus nulla discrepet ratione. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus. Prouisuri ante omnia, nè cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solùm ille ad episcopatûs apicem nulla ratione prouehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam posse promereri cognoscite: Sed omnes, quos ex vobis de laica persona adspirare constiterit, ab officio & à communione alienos faciendos proculdubiò noueritis. Lib.2. Epist. 27. Indict. 10.

23 Nulla occasione Gregorius quicquam de donarijs siue prædijs quarumlibet ecclesiarū patiebatur auferri. Idcircò Maximiano Syracusano episcopo inter alia scribit, dicens: Charitatem tuam cōmonere curauimus, vt si quispiam episcoporū de hac luce migrauerit, vel, quod absit, pro suis fuerit motus excessibus, conuenientibus hierarchicis cunctisq; cleri prioribus, atque in suî præsentia inuentarium ecclesiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta fuerint, subtiliter describantur: nè, sicut anteà fieri dicebatur, species quædam aut aliud quodlibet de rebus ecclesiæ, quasi pro faciendi inuentarij labore, tollatur. Sic nanque ea, quæ ad munitionem facultatis pauperum pertinent, desideramus expleri, vt nulla penitùs in rebus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur occasio. Visitatores ecclesiarum, clerici quoque eorum, qui cum ipsis per non suæ ciuitatis parœcias fatigantur, aliquod laboris suî capiant, te dispo- Li.3 epi.11

Q nente,

nente, subsidium. Iustum nanque est, vt illic consequantur stipendium, quo pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.

24 Consuetudines dationum vel xeniorum à suis episcopis accipere Gregorius, quasi pondus quoddam pestiferum, toto mentis conamine detrectabat. Vndè Felici episcopo Messanensi: Consuetudines, inquit, quæ ecclesijs grauamen noscuntur inducere, nostra nos decet consideratione remittere: nè illic aliqua cogantur inferre, vndè sibi referenda debent potiùs expectare. Clericis quidem tuis vel aliorum consuetudinem te oportet illibatam seruare, eisque annis singulis, quæ sunt cōsueta, transmittere. Nobis verò de cæterò, nè quid transmitti debeat, inhibemus. Et quoniam non delectamur xenijs, palmatianas, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus. Sed eas, nè quod exindè sentire potuisses dispendium, digno fecimus precio venundari, & id tuæ fraternitati transmisimus sigillatū. Sed quia charitatem tuam ad nos velle venire cognouimus, scriptis præsentibus admonemus, vt ad veniendum non debeas laborem assumere: sed ora pro nobis, vt quanto nos itineris interualla dissociant, tanto animis nostris adinuicèm, Christo adiuuante, simus in charitate coniuncti: quatenùs alterna nos obsecratione iuuantes, susceptum officiū venturo integrum iudici resignemus. Item Iohāni episcopo primę Iustinianæ cui & pallium mittit, & vices suas committit, post multa scribit: Xenia aūt vestrę sanctitatis suscipere omnimò nolueram, quia valdè est incongruum, vt à prædatis & afflictis fratribus munera percepisse videremur. Sed responsales vestri alio me argumento vicerūt, ad eum illa deferentes, à quo non possent oblationes vestræ fraternitatis repelli.

Li. 1. ep. 64

Nota tanti viri mirabilem syncceritatem.

Lib. 4. Epist. 15.

25 Hinc est, quòd Gregorius episcoporum neminem ad Vrbem fatigare delectans, Maximiano Syracusano episcopo vices suas per Siciliam totam commisit, præcipiens, vt omnes episcopi semel in quinquennio Romam venirent. Vndè Cypriano diacono scribens, ait. Nouit dilectio tua hanc olìm consuetudinem tenuisse, vt fratres & coepiscopi nostri Romam semèl in triennio de Sicilia conuenirent, sed nos eorum labori consulentes, scias constituisse, vt suam hìc semèl in quinquennio præsentiam exhiberent, &c. Vbì notandum, quia si B. Gregorius xenia, quod credi nefas est, anhelaret, non episcoporum aduentus à triennio in quinquennium protelaret, immò a triennio in biennium proculdubiò festinaret.

26 Sed quando xenia gratè susciperet, qui quamuis dispensandas alterius eleemosynas recusare timeret, eas tamen & timendo suscipiebat, & cautissimè dispensabat? Quique adeo sua dare, & aliena non accipere consueuerat, vt etiam rerum quarundam precia penitus refutaret. Vndè Eulogio patriarchæ Alexandrino inter cætera scribit, dicens: De lignis quòd scribitis, quia breuia fuerint: nauis, per quam transmissa sunt, qualitas fecit. Quia si maior nauis venisset, potuissem ligna etiam maiora trāsmittere. Quòd autē dicitis, quia si maiora transmittimus, precium datis: largitati quidem gratias agimus, sed accipere precium, euangelio interdicente, prohibemur. Nos enim ea, quæ transmittimus, ligna non emimus: & quomodò possumus precium accipere, cū scriptum sit, Gratis accepistis, gratis date? Nūc ergò iuxta modum nauis per nauclerū parua ligna transmisimus: sequenti verò anno, si omnipotenti Deo placuerit, maiora præparamus.

Li. 7. ep. 29

Matt. 10.

Lib. 10. Epist. 34.

27 Non mirum, si liberalissimus pontifex nullas consuetudines à suis suffraganeis, nulla xenia capiebat, quibus ipse, si qua necessaria habere videbantur, satis hilariter ministrabat. Vndè Venantio episcopo Perusino scribit, dicens: Fratrem & coepiscopum nostrum Ecclesium frigore omninò laborare cognouimus, pro eo, quòd hyemalem vestem non habeat, & quia aliquid sibi à nobis petijt debere transmitti, fraternitati tuę ad hoc per latorem præsentium transmisimus * Amphimachum, tunicam & pectorale, vt à te ei debeant sinè mora tansmitti. & ideò ad prædictum fratrem nostrum sub omni illud celeritate stude trāsmittere, atquè nobis hoc ipsum quia trāsmiseris, tuis renunciare epistolis non omittas. Sed ita fac, vt ad transmittendum, quia vehemens frigus est, moram aliquam minimè facias. Item eidem Ecclesio Clusino episcopo: Scripta fraternitatis vestræ suscipientes, contristati sumus, quòd vos per ea & grauiter infirmatos, & adhuc debiles esse cognouimus. Et licèt sanctitatem vestram videndi desiderium haberemus, benè tamen fecistis isto vos illic tempore continere, nè venientes huc, de ægritudinis vestræ molestia recidiuam nobis tristitiam faceretis. Et post pauca: Vnum autem caballum vobis qualem inuenire potuimus, de benedictione sancti Petri transmisimus, vt habeatis, cum quo post infirmitatem vectari possitis.

* amphibalum.

Lib. 8. ep. 46.

28 Ta.

28 Tali patrono tunc illius temporis pontifices ampliati, tam nouas ecclesias à fundamentis construentes ornare, quàm veteres quoque splendidissimè renouare cœperunt. Nam Gregorius nihil in suis coëpiscopis magìs, quàm sanctitatem, sapientiam & liberalitatem, curiosissimè quæritabat. Quod vt significantius elucescat, quasdam epistolarum eius adhibeo, quarum testimonio lector meus quorundam Episcoporum vitia repræhēsa cognoscat. Ait enim in epistola Secundino seruo DEI inter cætera: In Episcopis quid requisierit.

29 Fratrem nostrum Marinianum Episcopum verbis quibus vales, excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venêre quidā ad me, in quibus erant quidam senes mendicantes. Qui à me discussi sunt, à quibus quid acceperint: & per singula retulerunt, quāta eis & à quibus in itinere data sunt. Quos dum solicite de prędicto fratre requirerem, quid eis dedisset, responderunt se eum rogâsse, sed ab eo nihil accepisse: ità vt neq; panem in via acceperint, quod dare omnibus illi ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respōdit nobis, dicens: Non habeo, quod vobis dē: & miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet: quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergò illi, vt cum loco mutet mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu nihil fructificare. Sed largam manum habeat, necessitatem patiētibus occurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum episcopi nomen tenet. Libr. 5. Epist. 29.

30 Item Sereno Episcopo Massiliensi post aliqua: Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, nè adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omninò laudauimus: fregisse verò repræhendimus. Dic frater, à quo factū sacerdote aliquandò auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit reuocare, ne despectis alijs fratribus, solū te sanctum esse crederes & sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus. Quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant: in ipsa legūt, qui literas nesciunt. Vndè & præcipuè gentibus pro lectione pictura est. Quod magnoperè à te, qui inter gentes habitas, attendi decuerat, nè dum recto zelo incautè succēderis, ferocioribus animis scandalum generares. Frangi ergò non debuit, quod non ad adorandum in ecclesijs, sed ad instruendas solummodò mentes fuit nescientium collocatū. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sinè ratione vetustas admisit, si zelum discretione condijsses, sinè dubio & ea, quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed dispersum potiùs poteras congregare: vt pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hinc autem, dum in hoc animi tui incautè nimìs motus exequeris, ità tuos scandalizâsse filios perhiberis, vt maxima eorum pars à tua se communione suspenderet. Quandò ergò ad ouile Dominicum errantes oues adduces, qui quas habes, retinere non pręuales? Proindè hortamur, vt vel nunc studeas esse solicitus, atq; ab hac te præsumptione compescas, & eorum animos, quos à tua disiunctos vnitate cognoscis, paterna ad te dulcedine omni annisu omnique studio reuocare festines. Li. 9. ep. 9. Non sunt tollendæ sacræ imagines. Imaginū vsus in Ecclesia antiquissimus.

31 Ianuario quoq; Caralitano Episcopo post aliqua scribit, dicens: Inter querelas multiplices Isidorus, vir clarissimus, à fraternitate tua frustrà se excommunicatum anathematizatumq; conquestus est. Quod quamobrèm factum fuerit, dum à clerico tuo, qui præsēs erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisì pro eo, quòd te iniuriauerat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit. Quia si ità est; nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexisti. Vndè de cætero omninò esto circunspectus atque solicitus, & talia cuiquam pro defensione iniuriæ tuæ inferre denuò non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias posteà vindicandum. Li. 2. ep. 34. Indict. 10.

32 Item eidem: Prædicator omnipotentis Domini Paulus Apostolus præcipit, dicens: Seniorem nè increpaueris Sed hæc eius regula in eo seruanda est, cū culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi enim senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibì districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos, & rursū Propheta dicit: Puer centum annorum, maledictus erit. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute per- Lib. 7. ep. 2. Indict. 2. Esa. 42. Esa. 66.

te peruenit, vt eam, nisi adhuc humanitùs pensaremus, fixa iam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est, quòd dominicorum die priusquã Missarum solennia celebrares, ad exarãdam messem latoris præsentium perrexisti, & post exarationem eius, Missarum solennia celebrâsti. Post Missarum verò solennia etiã & terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factum quę pœna debuit insequi, omnes qui audiunt, sciũt. Dubij autem de tanta hac peruersitate fueramus: sed filius noster Cyriacus Abbas, à nobis requisitus, dũ esset Caralis, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, aliquandò resipisce senex, atq; à tanta leuitate morum, & operum peruersitate compescere. Quia quanto morti vicinior effìceris, tanto fieri solicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ sententia in te fuerat iaculãda: sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interìm tacemus.

33 Omnes omninò pontifices à lectione librorum gentilium Gregorius inhibebat. Quapropter Desiderio Galliarũ episcopo, pallium postulanti scribit, inquiens: Cùm multa nobis bona de vestris fuissent studijs nũciata, ità cordi nostro est nata lætitia, vt negare ea, quæ sibi fraternitas vestra cõcedenda deposcerat, minimè pateremur. Sed post hoc peruenit ad nos, quod sinè verecundia memorare non possumus, Fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ità molestè suscepimus, ac sumus vehementiùs aspernati, vt ea, quæ priùs dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in vno se ore, cum Iouis laudibus, Christi laudes n õ capiunt. Et quàm graue nefandumque sit episcopis canere, quod nec laico religiosa conueniat, ipse considera. Nam quãuis dilectissimus filius noster Cãdidus presbyter postmodùm veniens hac de re subtiliter inquisitus negauerit, atque vos conatus fuerit excusare, de nostris tamen adhuc animis non recessit. Quia quãto execrabile est hoc de sacerdote narrari, tanto vtrùm ità nécne sit. districta & veraci oportet satisfactione cognosci. Vndè si post hoc euidenter hæc, quæ ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, neque vos nugis & secularibus literis studere constiterit, & Deo nostro gratias agemus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum laudibus non permisit, & de concedendis, quæ poscitis, securi iam & sinè aliqua dubitatione tractabimus.

Lib.9. Epist.48.

34 Nihilominus Natali Salonitano episcopo scribit, dicens: Multis ab vrbe tua venientibus, frater reuerendissime, didici, pastorali cura derelicta, solis te conuiuijs occupatum. Quæ audita non crederem, nisì hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia lectioni nequaquàm studeas, nequaquàm exhortatiõi inuigiles, sed ipsum quoq; vsum ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonium, quòd eis, sub quibus es positus, seruare reuerentiam, nescis.

Lib.2.epist.14.Ind.10.

35 Sed cùm Natalis per inanẽ philosophiam scriptis proprijs se niteretur inculpabilem demonstrare, mitissimus doctor Gregorius ità rescripsit: In conuiuiorum defensione vestra fraternitas Abrahæ conuiuiũ memorat, in quo, teste sacro eloquio, tres angelos suscepisse perhibetur. Sed hoc exemplo neq; nos beatitudinem vestram repræhendimus, si hanc suscipere angelos in hospitalitatem cognoscimus. Rursùm narrat tua fraternitas Isaac satiatum, filio benedictionẽ dedisse. Quæ vtraq; veteris testamenti, quia ita sunt gesta per historiã, vt tamen signarẽt aliquid per allegoriam: vtinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, vt possimus etiam gerendas præuidendo sentire. Ille quippe in tribus Angelis vnum salutans, Trinitatis subsistentias vnius substantiæ esse declarauit. Iste verò satiatus benedicit filiũ, quia qui diuinis epulis repletur, illius sensus in prophetiæ virtutem extenditur. Diuinæ autem epulæ, sacri eloquij verba sunt. Si igitur assiduè legitis, si exemplũ ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri venatione satiati, mentis ventrem repletis: vt anteposito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nunciare. Sed iã in hoc seculo caligat, qui de Deo aliquid prophetat: Quia profectò dignum est, vt hìc iam per concupiscentiam minùs videat, cuius sensus per intelligentiam intùs coruscat. Hæc ergò ad vosmetipsos trahite, & si vos tales agnoscitis, nihil est, quod de vestra ęstimatione dubiteris. Gaudere quoquè beatitudinem vestram inuenio, si voracis nomen cum rerum authore sustineat. Quod ego breuiter expono, quia si de vobis falsum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum authore sustinetis. Si verò de vobis verum est, quod de illo falsum fuisse quis dubitet, absoluere vos non valet par nomen, quorum dispar est causa. Nam cum eo crucem etiam periturus latro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absoluit. Ego tamen quantis valeo precibus de-

Ibidem Epist.37. Gen.18. Gen.27. Epulę diuinæ, scriptura sacra. Matth.11.

bus deposco, vt sanctissimam fraternitatem vestram authori nostro Deo nō solùm nomen, sed etiam causa coniungat. Conuiuia autem, quæ ex intentione impendendę charitatis fiunt, rectè vestra sanctitas in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex charitate prodeunt, cùm in eis nulla absentiū vita mordetur, nullus ex irrisione repræhenditur, & nō in eis inanes secularium negociorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cùm non plus quā necessè est, seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaq; si vos in vestris conuiuijs agitis, abstinentium (fateor) magistri estis. Quòd ergò Pauli Apostoli ad me testimonium posuistis, Qui non manducat, manducantē non iudicet: omninò existimo incongruum fuisse. Quia neque ego non comedo, neque ob hoc à Paulo Apostolo dictum est, vt membra Christi, quæ in eius corpore, id est, in Ecclesia sibi charitatis compage connexa sunt, nullā de se vllo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, iure tacere compellerer: vt eum non repræhenderem, qui emendari non posset. Hæc ergò sententia propter eos solummodò dicta est, qui illos iudicare student, quorum cura sibi commissa non est. At postquā nos authore Domino vnum sumus, si vobis ea, quæ corrigenda sunt, tacemus, valdè delinquimus.

Conuiuia quænā ex charitate proficiscātur.

Rom. 14.

36 Neminem sanè pontificum à parœcia sua saltem parumpèr absque ineuitabili prorsùs necessitate discedere Gregorius permittebat, quos nimirùm in causis mūdialibus occupari vehementissimè prohibebat. Vndè Romano defensori scribit, dicēs: Perlatum ad nos est, reuerendissimū fratrem nostrum Basilium episcopum, velut vnum de laicis, in causis secularibus occupari, & prætorijs inutiliter obsecūdare. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam sacerdotalē annihilat, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ità ad reuertēdum districta executione compellat, quatenùs ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: Nè, si quolibet modo eum ibidèm ampliùs moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.

lib. 8. ep. 11.

37 Item Anthemio subdiacono: Peruenit ad nos, Pimeniū, Amalphitanæ ciuitatis episcopum, in ecclesia sua residere non esse contentum, sed foras diuersa per loca vagari. Quod videntes alij, nec ipsi in castro se retinent: sed eius exemplum sequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes, ipsi potiùs ad suam hostes deprædationē inuitant: idcircò hac tibi authoritate præcipimus, vt suprascripto episcopo interminari non desinas, quatenùs hoc de cæterò facere non præsumat, sed in ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si fortè nō emendari post tuam interminationem cognoueris, in monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, vt quid facere debeas, nostra iterùm præceptione cognoscas.

lib. 5. ep. 28.

38 Nō mirum, si Gregorius ex ministerio sibi credito, curabat vitia quorumlibet præpositorū verbis salubribus increpare, qui lapsum proprię amitæ non dubitauerit ad instructionē populi posterorum memoriæ commendare. Siquidem euangelica sententia, qua dicitur, Multi sunt vocati, pauci verò electi, volens multorum vocationē à paucorum electione formis exemplorum discernere, perhibet dicēs: Pater meus tres sorores habuit, quæ cunctæ, sacræ virgines erant. Quarū vna Tharsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuersæ, vno eodemq; tempore sacratæ, sub districtione regulari degētes, in domo propria socialē vitam ducebāt. Cumq; essent diutiùs in eadē conuersatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla & Aemiliana succrescere, & cùm solo essent hìc corpore, quotidiè animo ad æterna transire. At cōtra Gordianæ animus cœpit ab amore caloris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulispèr ad huius seculi amorē redire. Crebrò autem Tharsilla dicere Aemilianę sorori suæ cum magno gemitu solebāt. Video Gordianam sororē nostram, de nostra sorte non esse. Perpendo enim, quia foràs defluit, & cor ad quod proposuit, non custodit. Quā curabant blanda quotidiè redargūtione corripere, atque à leuitate morum ad grauitatē sui habitùs reformare. Quę quidem resumebat vultū subitò grauitatis inter verba correptionis, sed cùm eiusdē correptionis hora transisset, transibat protinùs & supducta grauitas honestatis: moxq; ad leuia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valdè onerosa erat, quæcunq; huic mundo dedita non erat. Quadā verò nocte huic Tharsillæ amitæ meæ, quæ in inter sorores suas virtute orationis continuę, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, grauita-

Matth. 22.

Homil. 38. in euāgelia

Tres amitę S. Gregorij.

 te vi-

te vitæ venerabilis,in honore & culmine ſanctitatis excreuerat,ſicut ipſa narrauit,per viſionem atauus meus Felix,huius Romanæ Eccleſiæ Antiſtes,apparuit,eiq; manſionem perpetuæ claritatis oſtendit,dicens: Veni,quia in hac te lucis manſione ſuſcipio. Quæ ſubſequenti mox febre correpta,ad diem peruenit extremum. Et ſicut nobilibus fœminis viriſq; morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos conſolentur: eadem hora,eius exitum præſtolantes,viri ac fœminæ lectulum circunſteterunt,inter quas mater quoquè mea adfuit. Cùm ſubitò ſurſùm illa reſpiciens, Ieſum venientem vidit,& cum magna animaduerſione cœpit circunſtantibus clamare,dicēs: Recedite, recedite,Ieſus venit. Cumq; in eum intenderet,quem videbat,ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Tantaq; ſubitò fragantia miri odoris adſperſa eſt,vt ipſa quoq; ſuauitas cunctis oſtenderet,illic authorem ſuauitatis veniſſe. Cumq; corpus eius ex more mortuorum ad lauandum eſſet nudatum,longæ orationis vſu,in cubitis eius & genibus camelorum more inuenta eſt obdurata cutis excreuiſſe: & quid viuens eius ſpiritus ſemper egerit, mortua caro teſtabatur. Hæc autem geſta ſunt ante Dominici Natalis diem. Quo tranſacto,mox Aemilianæ ſorori ſuæ per viſionem nocturnæ viſitationis apparuit,dicens: Veni,vt quia Natalem Dominicum ſine te feci, ſanctam Theophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinùs,de Gordianæ ſororis ſuæ ſalute ſolicita, reſpondit: Et ſi ſola venio,Gordianam ſororem noſtram cui dimitto? Cui triſti vultu iterùm dixit: Veni. Gordiana etenim ſoror noſtra inter laicas deputata eſt. Quam viſionem mox moleſtia corporis eſt ſecuta,atq; ità,vt dictum fuerat,ante Dominicæ apparitionis diem,eadem moleſtia ingraueſcente,defuncta eſt. Gordiana autem mox vt ſolam remanſiſſe ſe reperit,eius prauitas excreuit: & quod priùs latuit in deſiderio cogitationis,hoc pòſt effectu prauæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris,oblita pudoris & reuerentiæ,oblita conſecrationis,conductorem poſtmodùm agrorum ſuorum maritum duxit. Eccè omnes tres vno priùs ardore conuerſæ ſunt, ſed non omnes in vno eodemq; ſtudio permanſerunt: quia,iuxta Dominicam vocem: Multi ſunt vocati,pauci verò electi.

Felix Ro. pontifex, atauus S. Gregorij.

Gordiana deſeruit profeſſionem ſuam diuini timoris oblita.

lib. 7. epi. 9. indict. 1.

39 Subditorum quoquè negligentias Gregorius ſubtiliter inquirebat, & diſtrictiſſimis redargutionibus emendabat. Vndè Vitaliano epiſcopo Sipontino ſcribens: Si cuſtos,inquit,religioſi habitûs,aut eſſe nôſſes epiſcopus, filiæ glorioſæ memoriæ Tulliani magiſtri militiæ te illic poſito,nec proiectis religioſis veſtibus ad ſecularem reuerti habitum,nec ad nos licuiſſet peruerſam epiſtolam deſtinare. Sed quia nimia deſidia, nimioq; torpore deprimeris,in tuo dedecore res ad præſens illicita impunè commiſſa eſt. Nam ſi,vt præfati ſumus,ſolicitus extitiſſes,priùs ad nos vltio mulieris prauiſſimæ,quàm culpa debuit peruenire. Quia ergò tantum hebes,tantumq; es negligens,vt niſi canonicam in te fueris coërtionem expertus,in alijs diſtrictionem & diſciplinam neſcias cuſtodire: qualiter debeas eſſe ſolicitus,congruo tibi,ſi Domino placuerit,tempore demonſtrabimus.

Ibidem. epiſt. 10.

40 Item Sergio defenſori. Si homo eſſes,aut diſcretionem aliquam habuiſſes,ità regularis diſciplinæ debuiſti cuſtos exiſtere, vt ea, quæ illic illicitè committuntur, antè vindicta corrigeretur,quàm ad nos eorum nuncius perueniret. Sed dum nimia te facit ſtultitia negligentem,non ſolùm de illis offendimur, ſed etiam ad vlciſcendum deſidiam tuam nihilominùs prouocamur.

lib. 11. epi. 29.

41 Item Anthemio ſubdiacono Campaniæ: Peruenit ad nos fratrem & coëpiſcopū noſtrum Paſchaſium,ità deſidem negligentemq; in cunctis exiſtere, vt in nullo quia eſt epiſcopus agnoſcatur: adeò vt neque eccleſia ipſius,neque monaſteria,ſiue filij vel oppreſſi pauperes,eius erga ſe dilectionis ſtudium ſentiant, nec aliquam ſupplicantibus ſibi,in quibus iuſtum eſt,opem defenſionis accommodet: &, quod adhuc dici eſt grauius, conſilia ſapientium & recta ſuadentium nulla patiatur ratione ſuſcipere: vt quod ipſe per ſe nequit attendere,ab alio ſaltem poſſit addiſcere. Sed rebus, quæ ad paſtoris curam pertinent,prætermiſſis, ad fabricandam nauim toto ſe ſtudio inutiliter occupet. Vndè,ſicut fertur,contigit quadringentos aut eo ampliùs illum iam ſolidos perdidiſſe. Hoc quoquè eius culpis adiungitur, quòd ità quotidiè deſpectus, cum vno aut duobus clericis dicitur ad mare deſcendere, vt apud ſuos in fabula ſit, & extraneis ſic vilis ac deſpicabilis videatur, vt nihil habere epiſcopalis vel ingenij, vel reuerentiæ iudicetur. Quod ſi ità eſt, non ſine culpa tua eſſe cognoſcas, qui eum obiurgare atque coërcere, vt dignum eſt, diſtuliſti. Quia ergò hoc totum non ſolùm ipſum reprobat, ſed etiam ad ſacerdotalis officij pertinere probatur opprobrium: volumus

lumus, vt eum coram alijs sacerdotibus, vel quibusdam filijs suis nobilibus contestari debeas ac hortari, vt vitio torporis excusso, deses esse nō debeat, sed in ecclesiæ suæ ac monasteriorum cura sit vigilans, Paternam filijs suis charitatem exhibeat, in defensione pauperum sit alacer cum discretione, in quibus iustitia suaserit, sit erectus: consilia sapientum libenter suscipiat: quatenùs & ciuitas illa eius queat solicitudine consolari, & ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si verò, quod non credimus, post hanc adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentauerit, ad nos est modis omnibus transmittendus: vt hic positus discere possit, quid vel qualiter secūdùm Dei timorem agere conueniat sacerdotem.

42 Item eidem: Quotiès illa de fratribus coëpiscopisque nostris audimus, quæ & illos repræhensibiles ostendere, & nobis tristitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit necessitas cogitare. Quia ergò nunciatum nobis est, Campaniæ episcopos ità negligentes existere, vt immemores honoris sui, neq; erga ecclesias, neque erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monasteriorum solicitudinem gerant, seu in oppressorum se pauperum tuitionē impendant: Ideò hac tibi authoritate præcipimus, vt eis ad te conuocatis: ex nostro illos mandato districtè commoneas, quatenùs desides vlteriùs esse non debeant, sed sacerdotalē se habere zelum & solicitudinem opere doceāt. Atque ità in his, quæ eos iustè secundùm Deum agere conuenit, vigilantes existant, vt nullum nos de eis denuò murmur exasperet. Si quem verò eorum post hæc negligentem cognoueris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmitte: vt quàm sit graue nolle ab his, quæ repræhensibilia & valdè vituperanda sunt, corrigi, regulari in se valeat districtione sentire. Ibidem epist. 32.

Item Victori episcopo Panormitano post aliqua: Cuius, inquit, iam culpæ sis intelligis, vt ego tam longè positus, quæ in ciuitate tua aguntur agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant, disponam. li. 4. epi. 4.

43 Notandum sanè, quia sicut manifesta crimina discretissimus præsul Gregorius aut vix, aut nunquàm sine vindicta laxabat: ità nimirùm in rebus dubijs nunquàm aliquandò certam sententiam proferebat. Quapropter Andreæ Tarentino episcopo scribit, dicens: Tribunal iudicis æterni securus adspiciet, quisquis reatûs sui conscius, digna cum modò placare pœnitentia contendit. Habuisse te siquidem concubinam, manifesta veritate comperimus. De qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambigui absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ eligimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus eius te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposito, ad ministrandū nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculum ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huius sceleris conscius, in eo, quo es, ordine celans veritatem, permanere volueris. Lib. 2. epi. 44. Indic. 11 Notent. qui in sacerdotio constituti, concubinas habent, & à se dimittere nolunt.

44 Ob hoc solicitissimus Ecclesię Dei custos Gregorius, vniuscuiusque consiliarios arguens, quantùm in se erat, omnes omninò saluare certabat. Vndè Venantio ex monacho patritio, post aliqua scribens, ait: Scio quia cùm epistola mea suscipitur, protinùs amici conueniunt, literati clientes vocantur, & de causa vitæ consilium à fautoribus mortis quæritur. Qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales etiam fuêre, sicut ipse reminisceris, dudum consiliarij, qui te ad tanti facinus perduxêre delicti. Et vt tibi aliquid secularis authoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed priùs de ipsis. Si verò in causa tua hominem cōsiliarium quęris, consiliarium me, rogo, suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua, sed te diligit. Item Iohanni Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopo post nonnulla: Ego beatissimo viro domino Iohanni rescripseram: sed credo, quia mihi familiaris vester ille iuuēculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera charitatis nescit, qui in cælestib. rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidiè diuersorum mortibus per occulta testamenta nec Deum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede, frater reuerendissime, si zelum veritatis perfectè habes, ipsum priùs debes corrigere: vt ex his, qui vobis vicini sunt, etiam hi, qui vicini nō sunt, exemplo meliùs emendentur. Illius linguam noli recipere. Ille ad consilium vestræ sanctitatis debet dirigi, non autem vestra sanctitas ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit. lib. 1. ep. 33. lib. 2. epist. 32. indic. 11.

Item Ianuario Caralitano episcopo: Eos, inquit, quorum consilijs messem alterius

lib.7.ep.2. indict. 2. exarâsti,& eradicare terminos minimè timuisti,in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus:ità vt si quid eis intra duorum mensium spatium humanitùs euenerit,benedictione viatici non priuentur: Deincèps autem ab eorum consilijs cautus existe, teque solicitè custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti,nec simplicitati tuæ,nec vlteriùs senectuti parcamus.

Item Gallinico Exarcho Italiæ post nonnulla: Illud verò cognoscite, quia me nō modicè contristauit,quòd maior domûs,qui petitionem episcopi, volētis à schismate reuerti,suscepit,eam se perdidisse professus est,& postmodùm ab aduersarijs Ecclesiæ tenebatur.Quod ego non negligentia,sed venalitate eius factum arbitror. Vndè miror,quia in eo culpam hanc minimè vestra excellentia vindicauit.Sed tamen quia hoc miratus sum,memetipsum citiùs repræhendi. Nam vbi dominus Iustinus cōsilium præbet,qui pacem cum catholica Ecclesia non habet, ibì non possunt hæretici addici. Natalitius dies S. Petri Apostoli. Prætereà sancti Petri apostolorum principis natalitium diem in Romana ciuitate vos facere velle perhibetis. Et oramus omnipotentem Dominum,vt sua vos misericordia protegat, & vota vestra vos implere concedat. Sed prædictus vir eloquentissimus peto vt simul veniat. Qui si non venerit, à vestris obsequijs recedat. Vel certè si vestra excellentia fortasse emergentibus causis venire nequiuerit,ipse tamen sanctæ Ecclesiæ vnitati communicet.Bonum enim virum audio,si pessimi non esset erroris.

li.9.epi.9. 45 Item Sereno Massilitano episcopo post multa: Peruenit ad nos, quòd dilectio tua libenter malos homines in societate vel consilio suo recipiat: adeò vt presbyterum quendam,qui postquàm lapsus est,& in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari,familiarem habeat.Quod quidem nos ex toto non credimus,quia qui talem recipit,scelera non corrigit, sed magis alijs talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed nè forte aliqua tibi subreptione vel dissimulatione,vt à te reciperetur atque adhuc haberetur gratus,suaserit,non solùm hunc à te longiùs expellere, verùm etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus conuenit resecare.Alios verò, qui praui esse memorantur,paterna adhortatione à sua prauitate compescere, & ad viā stude rectitudinis reuocare. Quòd si, quod absit, salubri monitu eos videris in nullo proficere,& hos quoq; curabis à te procùl abijcere, nè prauitates eorum ex eo, quòd recipiuntur,displicere minimè videantur:& non solùm ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alij corrumpantur. Et considera, quàm & hominibus execrabile,& periculosum ante Dei sit oculos,si per eum,à quo plectenda sunt crimina,nutriri vitia videantur Hæc igitur dilectissime frater diligenter attende,& ità agere stude,vt prauos salubriter corrigas, & scandalum de malorum societate filiorum tuorum animis non inducas.

Lib. 8. Epist. 12. 46 Pro vnius culpa vindicari alium rectissimus iudex Gregorius minimè permittebat. Ideoque Godescalco Duci Campaniæ scribens,ait: Illa præpositorum solicitudo vtilis,illa est cautela laudabilis,in qua totum ratio agit,& furor sibi nil vendicat. Restringenda ergò sub ratione potestas est,nec quicquam agendum,priusquàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore iustum omne putat ira,quod fecerit.Peruenit itaq; ad nos,magnitudinem tuam vsq; ad hoc esse impetu furoris impulsam,vt non solùm frangi ianuas monasterij sancti archangeli, verùm etiam diripi exindè,quod ibì inuentum est,feceris. Insupèr autem sic contra Abbatem eiusdem monasterij diceris exarsisse,vt nisi occultans se,iracundiæ tuæ tempore latuisset,non leue discrimen incurreret.Deniquè vt metu tuo perterritus,de domo, in qua olìm se receperat,exire nuncusquè non audeat. Quod nè frustrà fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius,qui ad hostes abijt,ad eius, quantùm ad nos perlatum est,crimen impingis,asserens quòd illius voluntate fugerit. Quod si ità est,contristamur,& valdè vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis, vt aliorum culpa alij sit nociua,multi huic possunt crimini subiacere.Diuersorū enim nobiliū serui,multarum ecclesiarum clerici, diuersorum monasteriorum monachi,multorum iudicum homines,sæpè se hostibus tradiderunt. Ergò si hoc creditur,seruorum vtiq; domini,clericorum episcopi,monachorum Abbates,diuersorum fugacium iudices, omnes sub culpa sunt & crimine constituti.Nunquid & diebus magnitudinis tuę multi de ciuitate in qua consistis,ad Longobardorum milites fuga non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæq; possit stultitiæ reperiri, vt eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam?

47 Libertatem vniuscuiusque hominis Gregorius contra iudicum insolentias, liberis vocibus nihilominùs similiter defendebat. Vndè Leontio exconsuli post aliqua scribens, ait: Si Libertinus in ista causa cautionis culpabilis inuenitur, de aliis causis quid pro se alleget, nescio. Vnum tamen hoc benè atque constanter noui, quia & si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc, quòd liberi homines cæduntur vel includuntur, vt taceam, quòd omnipotens Deus offenditur: vt taceam, quòd vestra opinio vehementer grauatur, pijssimi tamen Imperatoris nostri omninò tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, & Imperatorem Romanorum distat, quia Reges gentium, domini seruorum sunt: Imperator verò Romanorum, dominus liberorum. Vndè & vos quicquid agitis, priùs quidem seruata iustitia, deindè custodita per omnia libertate agere debetis. Scriptum est enim: Quod tibi non vis fieri, vide nè alteri facias. Et per semetipsam veritas dicit: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. In libertate ergò eorū, qui vobis in discussione commissi sunt, vestram specialiter attendere debetis: & si ipsi à Maioribus vestris iniuriari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum libertatem honorando custodite. Scimus enim qui dixit: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Cuius quia verba non transeunt, sed per omnia implentur, metuamus quod iterùm dicit: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Quid autem gloria vestra existimat, quia si superbè, si crudeliter agimus, Despecto Deo, nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipse, qui despicitur, eum contra nos, quem despecto Deo placare volumus, irritat. Curemus ergò per omnia placare Deum, qui potens est & iratos homines ad mansuetudinē reducere. Nam, sicut dixi, etiam mansueti homines, indignante Deo, ad iracundiam prouocantur. Si autem dicitur, quia sinè verberibus atque terroribus fraudes publicæ inueniri non possunt: hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa dominus Leontius non venisset. Nam verum etiam est, quia illi solent manibus excedere, qui in sensu & lingua deficiunt.

li.8.epi.51.

Inter reges gentium & Imperatores Romanorum quid inter sit.

Tob. 4.
Matt. 7.

Matt. 24.

Matt. 7.

48 Cunctorum iudicum cupiditates vel scelera Gregorius quasi camo frenoque, pontificij sui validissimis authoritatibus restringebat: & si quos dulciter à prauitate corrigere non valebat, scriptorum suorum redargutionibus publicabat. Vndè Romano exarcho Italiæ residenti Rauennæ scribit, inquiens: Apud excellētiam vestram prauorum audacia correptionis debet aculeos magis, quàm defensionis inuenire solatium. Nam satis graue est, illic habere prauam vt contingat actionem refugium, vndè disciplinæ decet prodire censuram. Peruenit itaque ad nos, Speciosum quendam presbyterum, qui causa poscente in monasterio à Iohanne fratre & coëpiscopo nostro fuerat deputatus, contra sui pastoris exindè voluntatem exisse, & Ecclesiasticæ constitutionis vigore despecto, antedicto episcopo, vestra fretum tuitione, resistere. Quod quia excellentiæ vestræ sinè dubio pulsat inuidiam, necesse est, vt ab eius vos, habita discretione, debeatis tuitione suspendere: ne si nominis vestri occasione pastori suo inobediens vel contumax fuerit, ad tempus & vestros contra vos iudices defensare, atque excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, & nos pariter de vestra discordia contristari. Comperimus etiam, quod dici nefas est, quasdam mulieres, quæ nunc usque in religioso atque monachico habitu permansêre, religiosam vestem deponere, & coniugibus, quod sinè graui referre dolore non possumus, sociari. Sed hoc quidem vt dicere vel attentare præsumant, fauoris vestri patrocinio fulciri dicuntur. Quod nos credere, peruersitatis ipsius acerbitas non permittit. Petimus ergò, vt in tanto vos peccato miscere nullatenùs debeatis. Nam huiusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur remanere. Vnde iterùm quæsumus, vt excellentia vestra in talium causarum se defensione non misceat, ne & Deus suam defendat iniuriam, & inter nos aliorum pariat culpa discordiam. Item Venantio exmonacho patricio: Multi homines stulti putauêre, quòd si ad ordinem episcopatùs eueherer, te alloqui ac per epistolas frequentare recusarem. Sed non ità est: Quia ipsa iam loci mei necessitate compellor, vt tacere non debeam. Et post pauca: Hac igitur consideratione compulsus, velis nolis, locuturus sum. Quia omni virtute, aut te cupio saluari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris, recolis, & supernæ districtionis animaduersione postposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergò tuam pensa dum vacat. Districtionem futuri iudicis, dum vales, exhorresce: ne tunc illam amaram sentias, cùm eam iam nullis fletibus euadas. Et infrà: Teste euangelio scis

lib.4.ep.21.

Nota, quàm doleat vir sanctissimus sanctimoniales nubere.

Lib. 8. Epist. 33.
Vide, quàm grauiter obiurgat huic apostatiā.

Matt. 12. ſcis, quia diuina ſeueritas de ocioſo ſermone nos arguit, & de verbo inutili rationes ſubtiliter exquirit. Penſa ergò, quid factura eſt de peruerſo opere, ſi quoſdam in iu-
Act. 5. dicio ſuo reprobat de ſermone. Ananias Deo pecunias vouerat, quas pòſt, diabolica victus perſuaſione, ſubtraxit. Sed qua morte mulctatus eſt, ſapis. Si ille igitur mortis
Attendāt hæc apoſtatæ. periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abſtulit: conſidera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, ſed temetipſum omnipotēti Deo, cui te ſub monachico habitu deuoueras, ſubtraxiſti. Quapropter ſi correctionis meæ verba ſecuturus audièris, quàm ſint blanda & dulcia, in fine cognoſces. Eccè fateor, mœrens loquor, & facti tui triſtitia adductus, edere verba vix valeo. Et tamen animus tuus actionis ſuæ conſcius, vix ſufficit ferre, quod audit, erubeſcit, confunditur, auerſatur. Si ergò ferre non valet verba pulueris, quid facturus eſt ad iudicium conditoris? Fateor tamen, quia ſupernæ gratiæ eſſe miſericordiam maximam credo, quòd te effugere vitam conſpicit, & tamen adhuc ad vitam reſeruat: Quòd ſuperbientem te videt, & tolerat. Cumque Venantius, in eadem apoſtaſia permanens, obortis quibuſdam ſimultatibus, oblationes ſuas à Iohanne Syracuſano epiſcopo execratas cognoſceret, contra ēpiſcopum hoſtili more commotus eſt, eumque
li. 5. epi. 42. non timuit Gregorio accuſare. Cui ipſe reſcribit, dicens: Multùm nos ea, quam direxiſtis, iam nos contriſtatos inuenit epiſtola, quòd inter vos & Iohannem fratrem & coepiſcopum noſtrum, de quorum deſiderabamus gaudere concordia, ſcandalum prodijſſe cognouimus. Quæuis enim cauſa fuiſſet, non vſque ad hoc debuit furor erūpere, vt armati homines veſtri, ſicut audiuimus, in epiſcopum irruerent, & diuerſa hoſtili more mala committerent, atque vos hæc res à paterna interim charitate diuideret. Nunquid non poterat, ſi quælibet contentio fuit, trāquillè diſponi, vt nec partium vtilitas detrimentum, nec ſentiret gratia læſionem? Cuius autem grauitatis, cuius ſanctitatis, cuius manſuetudinis ſupraſcriptus frater noſter ſit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus, quia niſi vis eum doloris nimia coēgiſſet, ad hanc rem, de qua vos contriſtatos aſſeritis, eius fraternitas nullo modo perueniſſet. Nos tamen, vbi hoc eo ſcribente comperimus, ilicò ei ſcripſimus, admonentes, vt & oblationes veſtras, ſicut antè, ſuſciperet, & Miſſas in domo veſtra nō ſolùm celebrari permitteret, ſed ſi velitis, etiam ipſe perageret, & cæt. Verùm Venantius cum epiſcopo in concordiam rediens, cum per vndecim annos à Gregorio multiplicibus literis exhortatus, redire ad monachicum propoſitum detractaret, in grauiſſimam ægritudi-
Lib. 9. ep. 31 nem cecidit. Quòd à Iohanne Syracuſano epiſcopo Gregorius audiens, reſcripſit, dicens: Fraternitatis veſtræ ſcripta ſuſcepi, quæ mihi de dulciſſimi filij mei domini Venantij ægritudine loquebantur, & cuncta erga eum qualiter acta ſunt, enarrabant. Sed vno tempore auditis, & illum deſperatè ac grauiter ægrotare, & in rebus orphanorum, filiorum ſcilicet eius, homines iniquos inſiſtere, vix ſe in corde meo dolor capere poterat. Sed in hoc ſolatium fuit, quòd lachrymæ mihi per gemitus erumpebant. Veſtra igitur ſanctitas primam, quam decet, curam negligere non debet, vt de anima eius cogitare debeat exhortando, rogando, Dei terribile iudicium proponendo, ineffabilem eius miſericordiam promittendo, vt ad habitum ſuum redire vel in extremis debeat, nè ei reatus tantæ culpæ in æterno iudicio obſiſtat. Si quos tamē iudicum à ſuis prauitatibus inconuertibiles Gregorius aduertebat, eos ſcriptis pro
Lib. 4. Epiſt. 11. prijs penès principes denotabat. Vndè Conſtantiæ Auguſtæ queritur, dicens: Dum in Sardinia inſula multos eſſe gentilium cognouiſſem, eoſque adhuc prauæ gentilitatis more idolorum ſacrificijs deſeruire, & eiuſdem inſulæ ſacerdotes ad prędicandum redemptorem noſtrum torpentes exiſterent, vnum illuc ex Italiæ epiſcopis miſi, qui multos gentilium ad fidem, Domino cooperante, perduxit. Sed quidam rem mihi ſacrilegam nunciauit, quia hi, qui in ea idolis immolant, iudici præmium perſoluunt, vt hoc eis facere liceat. Quorum dum quidam baptizati eſſent, & immolare iam ido-
* deſiuiſſet lis * deſeruiſſent, adhuc ab eodem inſulæ iudice etiam poſt baptiſmum, illud præmiū
Grauiſſimæ exactiones in Corſica. exigitur, quod dari priùs pro idolorum immolatione conſueuerat. Quem cùm prædictus epiſcopus increparet, tantum ſe ſuffragium promiſiſſe reſpondit, vt niſi de cauſis etiam talibus impleri non poſſit. Corſica verò inſula tanta nimietate exigentium, & grauamine premitur exactionum, vt ipſi, qui in illa ſunt, eadem quæ exiguntur, cōplere vix filios ſuos vendendo ſufficiant. Vndè fit, vt derelicta pia republica, poſſeſſores eiuſdem inſulæ ad nefandiſſimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim grauius, quid crudelius pati poſſunt à barbaris, quàm vt conſtricti atque com-

compressi suos vendere filios compellantur? In Sicilia autem insula Stephanus quidam marinarum partium chartularius tanta præiudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, inuadendo loca singulorum, atque sine dictione causarum per possessiones ac domos titulos ponendo, vt si velim acta eius singula, quæ ad me peruenêre, dicere, magno volumine hæc explere non possim. Quæ omnia serenissima domina solerter adspiciat, & oppressorum gemitus compescat. Et post pauca: Quæ enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt perpendite, quando filios suos distrahunt, nè torqueantur. Qualiter autem miserendum sit filijs aliorum, hoc benè sciunt, qui habent proprios. Vndè mihi hæc breuiter suggessisse sufficiat, ne si ea, quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum iudicem silentij mei culpa mulctaret. Orat Augustã pro oppressis.

49 Hinc est, quòd huius Gregorij tempore tot sacerdotes & laici per diuersas regiones miraculis coruscâsse, Dialogo teste, probantur, quot nunquam sub posterioribus pontificibus inueniri posteà potuerunt. Tantis igitur Ecclesiæ Dei felicitatibus hostis humani generis inuidens, nonnullos pontificum, simulque secularium iudicum ad eius inuidiam conflagrauit. Super quorum afflictione Iohanni Rauennati episcopo inter cætera quæritur, dicens: Peccatis hoc meis reputo, quia iste, qui nunc interest (haud dubium, quia Romanus exarchus) & pugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem vetat: Quanuis iam modò, etiam si velit, facere omninò non possumus: quia Ariulfus exercitum Auarith & Nodulfi habens, eorum sibi dari precario desiderat, vt nobiscum loqui aliquid de pace dignetur. Item Sebastiano episcopo * Sirmiensi post aliqua: Quæ sanctissime frater de amici vestri domini Romani persona in hac terra patimur, loqui minimè valemus. Breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorum vincit: ità vt benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quàm reipublicæ iudices, qui nos malitia sua rapinis atque fallacijs in cogitatione consumunt, & vno tempore curam episcoporum atq; clericorum, monasteriorum quoq; & populi gerere, contra hostium insidias solicitum vigilare, contra ducum fallacias atq; malitias suspectum semper existere, cuius laboris sit, cuius doloris sit, vestra fraternitas tanto veriùs pensat, quanto me, qui hæc patior puriùs amat. Item Anastasio Patriarchæ post multa: Quæ mala à barbarorum gladijs, quæ à peruersitate iudicum patimur, beatitudini vestræ narrarę refugio: nè eius gemitum augeam, quem minuere consolando debueram. Item Palladio presbytero de monte Sina post plurima: Peto vt pro me orare debeas, quatenùs omnipotēs Deus, & à malis me spiritibus, & à peruersis hominibus custodire dignetur. Quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me simul & multa circūdant: ità vt cum Psalmista iure dicam, In me transiērunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me sicut aqua tota die, circundederunt me simul. Lib. 2. ep. 32. Ind. 10. * Sirinięsi Li. 4. Ep. 35 Li. 8. ep. 45. Psal. 87.

50 Porrò Mauritio, tunc auarissimo simulque rapacissimo principi, suggestionibus inimicorum suorum funestissimam legem ferenti, vt nulli militum, qui videlicet in manu signatus fuisset, conuerti liceret, inter cætera sic respondit: Ad hoc potestas super omnes homines pietati dominorum meorum cælitùs data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cælorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cælesti regno famuletur. Et eccè aperta voce dicitur, vt ei, qui semèl in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Christo militare non liceat. Ad hæc eccè per me seruum vltimum suum & vestrum respondet Christus, dicēs: Ego te de notario comitem excubitorum, de comite Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, & non solùm hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, pijssime domine seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Et post pauca: Requirat ergò dominus meus, quis prior Imperator talem legem dederit, & subtiliùs æstimet, si dari debuerit. Item Theodoro medico post aliqua: Peccatis, inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio nescio, talem in republica sua legem protulit Imperator, vt nullus, qui actionem publicam egit, nullus qui optio, vel manu signatus vel inter milites habitus est, ei in monasterio conuerti liceat, nisi fortè militia eius fuerit expleta. Quam legem primùm, sicut hi dicunt, qui leges veteres nouêre, Iulianus protulit. De quo scimus omnes, quantùm Deo aduersus fuerit. Lib. 2. epi. 61. Indi. 11. Ibidèm Epist. 64. Impia lex Iuliani Apostatæ.

51 Confortabat insaniam iudicum siue fouebat Iohannes, tunc ex monacho regiæ

vrbis

vrbis antistes, qui eo tempore, quo Gregorius à Pelagio præsule destinatus apocrisarius, penès Constantinopolim morabatur, fugere se summum sacerdotium quasi humiliter finxit. Sed eo suscepto, vsqueadeò in superbiam dolosæ mentis excreuit, vt ex causa alia occasionem quærens, synodum faceret, in qua se Vniuersalem appellare conatus est. Quod mox Papa Pelagius vt agnouit, directis epistolis ex authoritate sancti Petri apostoli, eiusdem synodi acta cassauit: Diaconum verò, qui iuxta morem pro responsis Ecclesiasticis faciendis Imperatoribus adhærebat, cum eo Missarum solennia celebrare prohibuit. Cuius sententiam beatus quoquè Gregorius sequens, prædictum Iohannem sæpè commonitum acquiescere differentem, sententia pari mulctauerat, omnibusq; pontificibus sub interminatione proprij honoris mandauerat, nè vnquàm Vniuersalis profanum vocabulum aut scriberent, aut scriptum susciperent, aut vbì fuisset scriptum, subscriberent. Quapropter Iohannes, multis fallacijs ad suam hypocrisim consensum auarissimi Imperatoris redimens, obtinuit, vt Imperator Gregorio scriberet, quòd sibi pacificus existeret. Quapropter ipse Imperatrici Constan-
Lib. 4. Epist. 34. tiæ inter alia scripsit, dicens: Sabiniano diacono responsali meo scribente cognoui, in causis beati Petri apostolorum principis contra quosdam superbè humiles, fictè blandos, quanta se iustitia vestra serenitas impendat. Vndè adhuc peto, vt nullius præuale-
Roma. 16. re contra veritatem hypocrisin permittatis. Quia sunt quidam, qui iuxta egregij prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument: & quasi in hoc mũdo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, cuncta simul adipisci quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed priuatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, vndè omnibus digniores esse videantur. Et post pauca.

52 Præterea indico, quia pijssimi domini scripta suscepi, vt fratri & consacerdoti meo Iohanni debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum dominum decuit, vt sacerdoti ista præciperet. Sed cùm se noua præsumptione atque superbia idem frater meus Vniuersalem episcopum appellet, ità vt sanctæ memoriæ decessoris mei tempore adscribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quanuis cuncta illius synodi, sede Apostolica contradicente, soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus dominus innuit, quòd non eum corripuit qui superbit, sed me potiùs ab intentione mea declinare voluit, qui in hac causa Euangeliorum & Canonum statuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo, contra Euangelicam sententiam, contra beatum quoquè Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias canonumque statuta agitur. Sed est omnipotens Deus, in cuius manus
Pro. 21. sunt omnia, de quo scriptum est, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, Et quidem sæpefatus sanctissimus frater serenissimo domino multa suadere conatur: sed benè noui, quia tantæ illæ orationes eius & lachrymæ, nil ei à quoquam contra rationem aut animam suam subripi permittunt. Triste tamen valdè est, vt patienter feratur, quatenùs despectis omnibus, prædictus frater & coëpiscopus meus, solus conetur appellari episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud, nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designantur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio angelorum legionibus, ad culmẽ conatus est singularitatis erumpere, dicẽs: Super astra cæli exaltabo solium meũ, sedebo in monte testamenti, in
Esa. 14. lateribus aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo? Vndè per omnipotentem Dominum rogo, nè pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerso vocabulo vllum quoquo modo præbeatis assensum. Atque in hac causa nequaquàm me pietas vestra despiciat: Quia etsi peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat, Petri Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati talia mereantur. Vndè iterùm atque iterùm per omnipotentem Dominum rogo, vt sicut priores principes sancti Petri apostoli gratiam quæsiêrunt, vos quoquè hanc vobis & quærere & seruare curetis: & propter peccata nostra, qui ei indignè seruimus, eius apud vos honor nullatenùs minuatur: qui & modò vobis adiutor esse in omnibus, & postmodùm vestra valeat peccata dimittere. Viginti autem iam & septem annos ducimus, quod in hac Vrbe inter Longobardorum gladios viuimus. Quibus quàm multa ab hac ecclesia quotidianis diebus erogentur, vt inter eos viuere possimus, suggerenda non sunt. Sed breuiter indico, quia sicut in Rauennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ sacellarium habet, qui causis superuenientibus quotidianas expensas faciat: ità & in hac Vrbe in causis ta-

Sedes Apostolica quàm semper fuerit venerabilis etiam Imperatoribus.

ſis talibus eorum ſacellarius ego ſum. Et tamen hæc Eccleſia, quæ vno eodemq́; tempore clericis, monaſterijs, pauperibus, populo atque inſupèr Longobardis tam multa indeſinenter expendit, ecce adhuc ex omnium eccleſiarum afflictione premitur: quę de vnius hominis ſuperbia multùm gemunt, & ſi dicere nil præſumunt.

53 Auariſſimo quoquè principi Gregorius voce libera contradicit, poſt aliqua ſcribens: Eccè claues regni cæleſtis haud dubium, quin Petrus accepit. Poteſtas ei ligandi atque ſoluendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ & principatus committitur, & tamen Vniuerſalis Apoſtolus non vocatur: & vir ſanctiſſimus, conſacerdos meus Iohãnes, vocari Vniuerſalis Epiſcopus conatur. Exclamare compellor & dicere: O tẽpora, ô mores. Eccè cuncta in Europæ partibus barbarorum iuri ſunt tradita, deſtructæ vrbes, euerſa caſtra, depopulatæ prouinciæ. Nullus terram cultor inhabitat, ſæuiunt & dominantur quotidiè in necem fidelium cultores idolorum, & tamẽ ſacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, & nouis ac profanis vocabulis gloriantur. Nunquid ego in hac re, pijſſime domine, cauſam propriam defendo? Nunquid ſpecialem iniuriam vindico? Cauſam omnipotentis Dei ago, cauſam vniuerſalis Eccleſiæ quæro. Quis iſte eſt, qui contra ſtatuta euangelica, cõtra canonum decreta nouum ſibi nomen vſurpare præſumit? Vtinàm vel ſine imminutione vnus ſit, qui eſſe appetit vniuerſus. Et certè multos Conſtantinopolitanæ eccleſiæ in hæreſeos voraginem cecidiſſe nouimus ſacerdotes, & non ſolùm hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos. Inde quippe Neſtorius, qui mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum duas eſſe perſonas exiſtimans, quia Deum hominem fieri potuiſſe non credidit, vſq; ad Iudaicam perfidiam erupit. Indè Macedonius, qui conſubſtantialem patri & filio ſpiritum ſanctum, Deum eſſe denegauit. Si igitur illud nomẽ in ea eccleſia ſibi quiſquam arripit, vndè tot hæreſiarchæ prodiſſe noſcuntur, vniuerſa ergò Eccleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quandò is, qui appellatur Vniuerſalis, cadit. Sed abſit à Chriſtianis cordibus nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium ſacerdotum honor adimitur, dum ab vno ſibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri apoſtolorum principis honore, per venerãdam Chalcedonenſem ſynodum Romano pontifici oblatum eſt: ſed nullus eorum vnquàm hoc ſingularitatis nomine vti conſenſit, nè dum priuatìm aliquid daretur vni, honore debito ſacerdotes priuarentur vniuerſi. Quid eſt ergò, quòd nos huius vocabuli gloriam & oblatam non quærimus, & alter ſibi hanc arripere etiam non oblatam præſumit? Ille ergò magis eſt pijſſimorum dominorum præceptione flectẽdus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coërcendus eſt, qui ſanctæ vniuerſali Eccleſiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine ſingularitatis appetit, qui honori quoquè Imperij veſtri ſe per priuatum vocabulum ſuperponit. Eccè omnes hac de re ſcandalum patimur. Ad viam igitur rectam reuertatur author ſcandali, & omnia ſacerdotum iurgia ceſſabunt. Ego enim cunctorum ſacerdotum ſeruus ſum, inquantùm ipſi ſacerdotaliter viuunt. Nam qui cõtra omnipotentem Deum per inanis gloriæ tumorem, atque contra ſtatuta patrum ſuam ceruicem erigit, in omnipotente Domino confido, quia meam ſibi nec cum gladijs flectet. Quid autem nupèr in hac Vrbe ex huius vocabuli auditu geſtum ſit, Sabiniano diacono ac reſponſali meo ſubtiliùs indicaui.

Lib. 4. epi. 32. Matt. 16. Iohan. 21.

Rom. Pontifex a Synodo Chalcedonenſi dictus eſt vniuerſalis.

54 Item Iohanni epiſcopo Conſtantinopolitano: Eo tempore, quo fraternitas veſtra in ſacerdotali honore prouecta eſt, quantam eccleſiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo auſu, quóve tumore neſcio, nouum ſibi conata eſt arripere nomen, vndè omnium fratrum corda potuiſſent ad ſcandalum peruenire. Qua in re vehementer admiror, quia nè ad epiſcopatum venire potuiſſes, fugiſſe te velle memini, quem tamen adeptum ità exercere deſideras, àc ſi ad eum ambitioſo deſiderio decurriſſes. Qui enim indignum te eſſe fatebaris, vt epiſcopus dici debuiſſes, ad hoc quandoquè perductus es, vt deſpectis fratribus, epiſcopus appetas ſolus vocari. Et paulò pòſt: Verè enim flens dico, atque ex intimo viſcerum dolore peccatis meis reputo, quòd ille meus frater nunc vſque reduci ad humilitatem non valuit, qui ad hoc in epiſcopatûs gradu conſtitutus eſt, vt aliorum animas ad humilitatem reducat: quòd ille, qui veritatem docet alios, ſemetipſum docere, nec me quoque deprecante, conſenſit. Item poſt aliqua. Quis, rogo, in hoc tam peruerſo vocabulo niſi ille ad imitandum proponitur, qui deſpectis angelorum legionibus, ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt nulli ſubeſſe, & ſolus

Lib. 4. Epiſt. 38.

Eſa. 14.

præesse omnibus videretur? Qui etiam dixit: In cælum conscendā, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Quid enim fratres tui, omnes Ecclesiæ vniuersalis episcopi, nisi astra cæli sunt, quorum vita simul & lingua, inter peccata erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent? Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elato præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi in cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum? An non vniuersi episcopi nubes sunt, qui & verbis pluunt, & bonorū operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens, sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cùm flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lachrymæ, gemitus se in corde meo non capiunt, quòd vir ille sanctissimus, dominus Iohannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, familiarium seductione linguarum, ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbè esse Deo similis voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus princeps apostolorum, primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Iohannes quid aliud, quàm singularum sunt plebium capita? Et tamen sub vno capite omnes membra, atq; vt cuncta breui cingulo locutionis adstringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, sunt in membris Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquàm Vniuersalem vocari voluit. Vestra ergò sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit: Item pòst pauca: Certè olim clamatur per Apostolum: Filioli, nouissima hora est: &, secundùm quod veritas prædicit, Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis, terra dehiscente, sorbetur, omnia quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est: & quod dici nefas est, sacerdotum ei præparatur exercitus: quia ceruici militant elationis, qui positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re etiam si nostra lingua minimè contradicat, illius virtus contra elationem in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Et infra: Considerare nos conuenit, nè qua radix amaritudinis sursùm germinās impediat, & per illam coinquinentur multi. Quod tamen si nos considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia superna vigilabunt. Item eidem in alia epistola post multa: Sed etiam nunc dico: aut easdem personas, videlicet Iohannem Chalcedonensem, & Athanasium Isauriæ presbyteros, in suis ordinibus suscipe, eisq; quietem præbe. Aut si hoc fortasse nolueris, omni altercatione postposita, de eorum causa statuta maiorum aut canonum terminos custodi. Si verò neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen venientem à vobis non deuitamus. Quid autem de episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, benè fraternitas vestra nouit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina. Noua vero atq; inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

Episcopi astra cæli.

Episcopi, nubes.

1.Iohan 2. Luc.21.

Heb.12.

li.2.ep.52. indict.11.

2.Tim.4.

55 Item Aniano Diacono Constantinopolitano. De causa fratris nostri, viri reuerendissimi Iohannis episcopi Constantinopolitani, duas epistolas facere nolui: sed vna breuiter facta est, quæ vtrunq; habere videretur admixtum, id est, & rectitudinē, & blandimentum Tua itaq; dilectio eam epistolam, quam nunc direxi pro voluntate Imperatoris, ei dare studeat. Nam de subsequenti talis alia transmittetur, de qua eius superbia non lætetur. Ad hoc enim vsq; peruenit, vt sub occasione presbyteri Iohannis gesta huc transmitteret, in quibus se penè per omnem versum œcumenicum patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisin illius superna maiestas dissoluet. Miror autem, quod dilectionem tuam fallere potuit, vt permitteres domino Imperatori persuaderi, quatenùs ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admoneret, vt cum eo pacem habere debuissem. Qui si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere, vt se à superbo vocabulo compesceret, & protinùs inter nos fieret pax. Tamen qua calliditate à prædicto fratre nostro Iohanne factum sit, vt suspicor, minimè pensâstis. Idcircò enim hoc ille fecit, vt aut audiretur dominus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non à me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenebimus,

Lib.4. Epist.39.

nihil in hac causa aliud, nisi omnipotentem Dominum meruētes. Vndè tua dilectio in nullo trepidet. Omnia, quæ in hoc sęculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat, & omnipotentis Dei gratia atque beati Petri Apostoli adiutorio cōfidat. Vocem veritatis recolat, dicentis: Maior est, qui in vobis est, quàm qui mundo: & in hac causa quicquid agēdum est, cum summa authoritate agat. Postquàm enim defendi ab inimicorum gladijs nullo modo possumus, postquàm pro amore rei publicæ argentum, aurum, mancipia vestesq; perdidimus, nimìs ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quàm fidē perdere. Vndè sicut iam transactis epistolis scripsi, cum eo nunquàm procedere præsumas. 1. Ioan. 4.

56 At verò Iohānes, nouæ præsumptionis inuētor, vbì Mauritium Deo aduersum, Gregorio cum suis complicibus fecit infensum, cernens Cōstantiam Imperatricem totis conatibus Romanæ Ecclesiæ seruāda priuilegia suadere, quantis valuit artibus incitauit, vt propter eam, quam in honorem sancti Pauli apostoli in Palatio ædificabat ecclesiam, à Gregorio caput eiusdem Apostoli, aut aliud quid de ipsius corpore sibi dirigi postularet. Quam calliditatem beatissimus Papa cognoscens, Imperatricis animo taliter satisfecit: Dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facilimam obedientiam exhibens, vestram erga me potuissem gratiam ampliùs prouocare, maior me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli apostolorum, tantis in ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Deniquè dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus sancti Petri apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore, ferè quindecim pedibus, mutare voluit, signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimū corpus sancti Pauli apostoli meliorare volui: & quia necessè erat, vt iuxta sepulcrum eiusmodi effodi altius debuisset, præpositus loci illius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro coniuncta, reperit. Quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memorię decessor meus idem ad copus sancti Laurentij martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbì corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo, & subitò sepulcrū ipsis ignoranter apertum est. Et hi qui præsentes erant atque laborabant monachi & mansionarij, quia corpus eiusdem martyris viderunt, quod quidem tangere minimè præsumpserunt, omnes intrà decem dies defuncti sunt, ità vt nullus vitæ superesse potuisset, qui semiustū corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quandò sanctorum reliquias dant, vt quicquam tāgere præsumāt de corpore, sed tantummodò in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur. Quod leuatum in ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur. Et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, àc si illic specialiter eorum corpora deferantur. Vndè contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ tempore, sicut à Maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent, prædictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, & ex ipsa incisione sanguis effluxit. In Romanis nanque vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile est atq; sacrilegum, si sanctorum corpora quisquam tangere fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa leuare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus. Nam quidam Græci monachi huc ante biennium venientes, nocturno silentio iuxta ecclesiā sancti Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, seruantes sibi dum recederent. Qui cùm tenti, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, cōfessi sunt, quòd illa ossa ad Græciam essent tanquàm sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est, maior nobis dubietas nata est, vtrùm verum sit, quòd leuari ossa sanctorum dicuntur. De corporibus verò beatorum Apostolorū quid ego dicturus sum, dū constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuiū suorum repeterent? Quæ ducta vsque ad secundum Vrbis milliariū, in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exindè leuare omnis eorum multitudo cōueniens niteretur, ità eos vis tonitrui atque fulguris terruit ac dispersit, vt talia de-

Lib. 3. epist. 30.

Nota, quæ hic dicūtur de corporibus apostolorum, &c.

Nota reuerentiā erga sacras reliquias.

En vt vltio diuina persecuta sit tangentes sanctorū corpora.

nuò nullatenùs tentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauêre, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergò, serenissima domina, tam temerarius possit existere, vt hæc sciens, eorum corpora nô dico tangere, sed vel aliquatenùs præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi à vobis præcepta sunt, de quibus parére nullatenùs potuissem, quantùm inuenio, non vestrum est, sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, vt mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent: & proptereà quæsiuerunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens inuenirer. Sed in omnipotenti Domino cõfido, quia nullo modo benignissimæ voluntati subripitur, & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali presentia, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium vero, quod similiter trãsmitti iussistis, cum corpore eius est: quod ità tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia serenissimæ dominæ tam religiosum desiderium vacuum esse nô debet, de catenis, quas ipse sanctus apostolus Paulus in collo & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem vobis aliquam transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando valuero. Quia dum frequenter ex catenis eisdem multi veniunt, & benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura percipiant, assistit sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ità concitè aliquid de catenis eius excutitur, vt mora nulla sit. Quibusdam verò petentibus, diù per catenas ipsas lima ducitur, & tamen vt aliquid indè exeat, non obtinetur.

Ioannem episcopū videtur perstringere.

Nota de catenis S. Pauli.

57 In quibus Gregorij, veracibus vtiquè, verbis appáret, quia vsque ad illa tempora pro reliquijs brandeum Romanus pontifex conferebat, cùm posteriori tempore de vestibus, quæ sub altari sancti Iohannis in basilica Constantiniana seruantur, particulæ cœperunt pro sacris reliquijs petentibus dari.

58 Quæ quidem vestes vsq; hactenùs tantis miraculis coruscare probantur, vt siccitatis tempore foràs excussæ, pluuiam conferant: inundationis verò, serenitatem reducunt. Nam super hæc, quæ per singulas ecclesias faciunt, quæ in oratorio domûs meæ in Suburra positæ, per eas Dominus omnipotens fecerit, non celabo. Nupèr Adriani pontificis tempore visum mihi est, vt altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod extra oratorium sancti Iohannis in apertissimo atrio positum, congruis luminaribus honorari non poterat, intrà oratorium locari debuisset. Accersitus verò Gaudericus Veliternus, qui adhuc superesse videtur, episcopus, cum hymnis & canticis ab altari veteri pyxidulas duas sigillatas excussit. Quarum alteram, me deprecante, nimiùm timoratus aperiens, de illis tunicis, quantùm ex similitudine curiosis oculis potuit depræhendi, particulas reperit, quas solenniter sub nouo altari deposuit. Vbi ex tunc, sicut multi nôrunt, qui adhuc superstites esse probantur, diuinitùs accensæ lampades frequentiùs solito patuerunt. Nam ista octaua Indictione in hebdomada ante Dominici natalis diem, cum ego super huiusmodi parùm quid dubitarem, cõpletis matutinalibus hymnis, mansionarius candelam extinxit. Quam post vesperum succendere cupiens, accensam reperit, eamq; se negligenter extinxisse perpendens, die altera solicitiùs prorsùs extinxit, & obseratis ianuis, ad vesperum succẽsurus lampadem remeauit. Quam vbi nihilominùs accensam reperit, ex conscientia seruatæ à se clauis & miraculo non diminuti olei profectò cognouit, quia lampadem ille succenderat, qui nè oleum in ea diurna succensione minui potuisset, diuinitùs ampliârat.

Vide & hîc mira de vestib' D. Iohãnis Euangelistæ.

Lampades diuinitùs accensæ.

59 Harum quidem vestium, sicut opinor, altera, quæ strictioribus manicis constat, veraciter sancti Iohannis est tunica: quam beatus Gregorius suo tempore, quodam episcopo deferente, suscepit. Vndè Iohanni Abbati inter cætera scribit, dicens: De tunica sancti Iohannis omninò gratè suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut, quod est melius, eundem episcopum, qui eam habet, cum clericis suis & cum ipsa ad me transmittere: quatenùs & benedictione tunicę perfruamur, & de eodem episcopo vel clericis mercedem habere valeamus. Altera verò quæ largioribus manicis, non tunica, sed videtur planè esse dalmatica, nisi fallor, sancti Paschasij Apostolicæ sedis diaconi constat. Qui, iuxta quod idem beatus Gregorius in quarto dialogorum libro meminit, cùm temporibus Symmachi Papæ fuisset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. Sed quamobrèm ambæ vestes sancti Iohannis dicantur, ideò priscam consuetudinem obtinuisse crediderim, quòd sub eius altari consuetudinaliter recondantur. Nam quòd eorum altera Iohannis Euangelistæ, non autem Baptistæ sit,

li. 2. epi. 3. Indic. 11.

li. 4. ca. 40

nemo

nemo est qui dubitet: præsertim cùm omnis sapiens nouerit, Baptistam camelorum pilis pro vestibus vsum fuisse: Euangelistam verò, qui per tot annos post passionem Domini pontificium gerens, Missarum solennia frequentissimè celebrabat, sine sacerdotalibus esse nequaquàm vestibus potuisse. Si autem dicitur, quòd tunica & dalmatica, quia pontificalia sunt indumenta, vtraque sancti Iohannis credi debeant, cōsiderandum est, quia Gregorius Iohanni Abbati non dalmaticam, sed tunicam nominârit. Qui si dalmaticam quoquè sancti Iohannis fuisse sentiret, eius tunicam quærens, consequenter habere se ipsius dalmaticam non taceret.

Iohannes Apostolus Missas celebrauit.

60 Hæc de sancti Iohannis vestibus, de quibus à quamplurimis dubitatur, me vtcunquè in beati Gregorij gestis inseruisse sufficiat. Cæterùm Iohannes Constantinopolitanus hypocrita, qui ab Vniuersalis nominis ambitione conuerti multis tergiuersationibus recusabat, iuxta eiusdem patris prophetiam, iudicia Domini super se vigilare cognoscens, post non multi temporis spatium, subita morte defungitur: & cuius ambitiosam superbiam totus capere mundus vix poterat, in vnius sepulcri angustia facile collocatur. Post cuius paulatim discessum, cùm Mauritius Imperator, sacerdotum videlicet Christi contemptor, pro Cyriaco, qui Iohanni successerat, suaderet, nè pro causa tam friuoli nominis Gregorius laboraret, ipse tandiù Pontificatûs sui authoritatibus restitit, quoûsquè pestem Vniuersalis nominis ab ipsis etiam subdolis adulatorum labijs penitùs abstulisset. Quaproptèr Eulogio patriarchæ Alexandrino post aliqua scribens ait: Indicare vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt: & mihi loquitur, dicens: Sicut iussistis: quod verbum iussionis, peto, à meo auditu remouete: quia scio, qui sum, qui estis. Loco enim, mihi fratres estis, moribus patres. Non ergò iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè tenere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere. Et eccè in præfatione epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, Vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curâstis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltrà non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquàm ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem meum esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus nanque honor est, honor Vniuersalis Ecclesiæ. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo atque pòst à subsequentibus patribus, hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit: vt dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.

Iohannes Episcopus subita morte extinguitur.

Libr. 7. Epist. 30. Indic. 1.

Chalcedonensis Synodus Roman. Pontificem vocauit Vniuersalem.

CAPITVLA LIBRI IIII.

Quan-

LIBER QVARTVS CAP. I.

HAec est Gregorij, de refutatione nominis Vniuersalis, plena rariðis humilitatisq; sententia. Qui videlicet contra superbos prudẽter vti nouerat serpentis astutia, & à columbæ simplicitate circa humiles minimè recedebat. Quapropter suę tẽperantiæ cõscius, Dominico Carthaginensi episcopo post cætera: (Lib. 2. ep. 39. Ind. 10.) De Ecclesiasticis, inquit, priuilegijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ità singulis quibusq; ecclesijs sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente gratia vltrà, q̃ meretur, impertior, nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo: sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicq; studio honore singulos subuehi, dũmodò non sit, quod alteri iure ab altero possit opponi. (Libr. 4. Epist. 36.) Item Eulogio Alexãdrino & Anastasio Antiocheno Patriarchis scribit, dicens: Cùm prædicator egregius dicat: Quandiù quidẽ sum gentium apostolus, ministerium meũ honorificabo: (Rom. 11.) qui rursùs aliàs dicit, Facti sumus paruuli in medio vestrûm: (1. Thes. 2.) exemplum proculdubiò nobis sequentibus ostẽdit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamẽ ordinis nostri dignitatem seruemus in honore: quatenùs nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. Et cętera: Quod Gregorius, sicut ex præcedentibus ac subsequentibus manifestissimè colligi poterit, & fecit & dixit.

2 Nam Iohannem Rauennatem episcopum, typho superbiæ pallium frequentantem, suosque presbyteros ac diaconos in mappulis procedere permittentem, primò quidem per Castorium chartularium familiariter arguit, pòst ex consuetudine sine priuilegio sibi hæc concessa pertinaciter defendentem, tali sententia post nonnulla (Libr. 2. ep. 54. Ind. 11.) mulctauit: Vt enim, inquit, ea, quæ superiùs dixi, breuiter colligam, admoneo quatenùs, nisi decessorum meorũ munificentia tibi hæc per priuilegium attributa docueris, vti in plateis pallio vlteriùs non præsumas, nè non habere & ad Missas incipias, quod audacter & in plateis vsurpas. De secretario autem, quod fraternitas tua residisse cum pallio, & filios ecclesiæ suscepisse se & fecit & excusauit, nũc interim nihil quærimus: quia synodorum sententiam sequentes, minores culpas, quæ negãtur, vlcisci recusamus. Hoc tamen quia semèl & iterùm sit factũ, cognouimus. Fraternitas autem tua sit omninò solicita, nè hoc, quod pręsumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deteriùs vindicetur. Et post pauca: illud autem, quod pro vtendis à clero vestro mappulis scripsistis, à nostris est clericis fortiter obuiatum, dicentibus nulli hoc vnquã aliæ cuilibet concessum fuisse ecclesiæ, nec Rauennates clericos vel illic, vel in Romana ciuitate tale aliquid cum sua conscientia præsumpsisse: nec si tentatũ esset, ex furtiua vsurpatione sibi præiudicium generaretur: Sed etiam si in qualibet ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum, quod nõ concessione Romani Pontificis, sed sola subreptione præsumitur. Sed nos seruantes honorem fraternitati tuæ, licet contra voluntatem antedicti cleri nostri, tamen primis diaconibus vestris, quos nobis quidam testificati sunt, etiam antè eis vsos fuisse, in obsequio duntaxàt tuo mappulis vti permittimus: alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissimè prohibemus.

3 Quam

3 Quam sententiā vir vanæ gloriæ cupidissimus, molestissimè ferens, per quoscunque poterat, vsum pallij sibi restitui magnoprè flagitabat. Cui Gregorius ità scripsit: Fraternitatem vestram valdè inuenio contristatam pro eo, quòd in litanijs induere pallium rationis censura prohibetur. Sed per excellentissimum Romanū patricium, & per eminentissimum præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importunè expetit, vt hoc debeat concedi. Nos aūt solicitè requirentes ab Adeodato, quondàm diacono fraternitatis tuæ, cognouimus, quia nunquam cōsuetudo fuerit decessoribus tuis, vt in litanijs pallio, nisi in solennitate B. Iohannis Baptistæ, B. Petri Apostoli, & B. Apollinaris martyris vterentur. Cui quidem nequaquàm credere debuimus, quia multi apud ciuitatem fraternitatis vestræ responsales sæpiùs fuerunt, qui se fatentur tale aliquid nunquā vidisse. Et hac de re multis potiùs credendum est, quàm vni pro sua ecclesia aliquid attestāti. Sed quia nos fraternitatem vestram contristari nolumus, & petitionem filiorum nostrorum apud nos minimè frustrari, vsum pallij, donèc subtiliùs veriusq; aliquid cognoscamus, in Litanijs solennibus, id est, die natalitio B. Iohannis Baptistæ, B. Petri apostoli, & B. Apollinaris martyris, atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario verò secundum morem pristinum, susceptis ac dimissis ecclesiæ filijs, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad Missarum solennia ità proficisci, & nihil sibi ampliùs ausu temerariæ præsumptionis arrogare: nè, dum in exteriori habitu inordinatè aliquid ambitur, ordinatè etiam quæ licere poterant, ammittantur.

Libr. 4. Epist. 10.

Vide hic vsum pallij & solennes litanias.

4 Sed isdem Iohannes ab inanis gloriæ ambitione freno apostolicæ moderationis coërcitus, ad detractionem pontificis totus conuertitur. Vnde prudentissimus pontifex sic eum admonet, dicens: Primum me hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit: & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua seculariter ostendit. Deindè graue mihi est, quia irrisiones illas, quas habere notarij adhuc pueri solent, vsque hodiè frater meus Iohannes in lingua sua retinet, mordenter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur: amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertiò graue mihi & omninò execrabile est, quia seruis suis, qua hora fuerit commotus, turpia crimina imponit, vt effœminati, & adhuc grauiter hoc apertiùs vocentur. Post hoc accessit, quòd disciplina ad vitam clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodò clericis suis dominium exhibet. Vltimum vero est, quod tamen pondere elationis primum est: scilicet de vsu pallij extra ecclesiam, quod temporibus decessorum meorum facere nunquàm quisquam præsumpsit, nūquàm à decessoribus eius præsumptum est, sicut responsales nostri testantur, excepto nisi reliquiæ conderentur, quod tamen de reliquijs vnus tantummodò potuit inueniri, qui meis diebus in despectum meum cum summa audacia nō solùm faciebat, sed etiam frequentabat. Ex quibus omnibus inuenio, quia honor episcopatûs vestri totus foris in ostensione est, non in mente. Et quidē omnipotenti Deo gratias ago, quia eo tempore, quo ad me hoc peruenit, quod ad aures decessorum meorum nunquàm peruenerat, Longobardi inter me & Rauennatem ciuitatem positi fuère. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantùm scio esse districtus. Nè autem credas, quia ego ecclesiam tuam in aliquo grauari aut minui volo, recordare inter missarum Romanorum solennia, vbi Rauennas diaconus stabat, & require, vbì hodiè stat, & cognosces, quia Rauennatem ecclesiam honorare desidero. Sed vt quicunque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tollerare non possum. Tamen hac de re iam diacono nostro Constantinopolim scripsi, vt per omnes, qui sub se etiam tricenos & quadragenos episcopos habent, requirere debeat. Et sicubì iste vsus est, vt in Litanijs cum pallijs ambulent, absit vt per me honor Rauennatis ecclesiæ in aliquo minuatur. Hæc ergò omnia, quæ superiùs dixi, frater charissime recogita, diem tuæ vocationis attende, quas rationes de sarcina episcopatûs redditurus es considera. Emenda illos mores notarij. Vide quid in lingua, quid in actu episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Non aliud loquaris, aliud in corde habeas. Nec apperas vltrà videri, quam es, vt possis vltrà esse, quàm videris.

Libr. 4. Epist. 14.

5 Hæc quia Iohannes emendare superbiæ fastu despexit, eodem anno, iuxta quod Gregorius ei prædixerat, diē suæ vocationis dum nō attendit, incurrit, & antè tumidus crepuit, q̄ meruisset amictu pallij saturari. Cuius rei gratia Gregorius visitationē Rauēnatis ecclesiæ Seuero Ficulino episcopo secundum consuetudinē priscā committens, Marinianū monachum familiarem suum Rauennatibus episcopum consecrauit,

Iohannes episcopus Rauennas obit.

Li.4.ep.54. crauit,cui & pallium dirigit,scribens:Apostolicæ sedis beneuolentia,& antiquæ cõsuetudinis ordine prouocati,fraternitati tuæ,quam in Rauennati ecclesia gubernationis constat suscepisse officium pallij, vsum puidimus concedendum. Quo nõ aliter vti te memineris,nisì in propriæ tuæ ciuitatis ecclesia,dimissis iam filijs ecclesię, procedẽs à salutatorio ad sacra Missarũ solẽnia celebrãda. Peractis verò Missis,id in salutatorio rursũ curabis deponere. Extra ecclesiã verò non aliter illo tibi,nisi quater in anno,in litanijs,quas ad decessorẽ tuum Iohannẽ expresśimus,vti pmittimus.

6 Sed Marinianus clericorum suorum suggestiõibus delinitus, tam per Andream virum magnificum, quàm per quoscunq; potuerat, restitui suæ ecclesiæ vsum pallij flagitabat. Quapropter Gregorius Castorio chartulario inter cætera scribit,dicens: Lib.5.ep.33. Tua experientia nullius personam, nullius verba cõsideret. Solum Dei timorem & rectitudinem ante oculos habeat,& seniores personas eiusdem ecclesiæ & archidiaconum, quem non suspicor pro alterius honore peierare, & alios antiquiores, qui in sacris ordinibus ante Iohannis episcopi tempora fuerãt, requirat, vel si qui maturiores sunt extra sacros ordines, & veniant ante corpus sancti Apollinaris, & tacto eius sepulcro iurent, quæ consuetudo ante Iohannis episcopi tempora fuerit. (Quia,sicut scis,idem vir multùm præsumptor extitit,& multa sibi per superbiam conabatur arrogare.) Et quicquid à fidelioribus viris & grauibus iuratũ fuerit, secundùm indiculum,qui subtèr annexus est, hoc voluimus in eadem ecclesia cõseruari. Sed vide ne negligenter agas, nè quis fidem aut deuotionem tuam in hac causa corrumpat. Zelum enim tuum scio, age solicitè,ita tamen,vt prædicta ecclesia cõtra iustitiam non grauetur, sed vsus, qui ante Iohannis episcopi tempora extitit, ei conseruetur. Personas aũt non duas vel tres ad satisfaciendum tibi,sed quantas antiquiores & grauiores inueneris, require: vt neque,quod vsus fuit antiquitùs eiusdẽ ecclesiæ denegemus, neque quod nouo ausu appetitum est,cõcedamus. Sed omnia age blandè & dulciter,vt & actio tua districta sit,& lingua mitis: Iuro ego N. per patrem & filium & spiritum sanctum, inseparabilem diuinæ potentiæ Trinitatem, & hoc corpus beati Apollinaris martyris,me pro nullius fauore personæ,neque commodo aliquo interueniente testari: sed hæc scio,& per memetipsum cognoui,quia ante tempora Iohannis quondàm episcopi, Rauennas episcopus præsente apocrisario sedis Apostolicæ,illo atque illo,illis & illis diebus consuetudinem vtendi pallio habuit,& non cognoui,quia hoc latenter vel absente apocrisario vsurpâsset.

Formula iuramenti ad corpus S. Apollinaris.

7 Hoc Gregorius per indictionem quartamdecimam iusiurandum præceperat. Quod quia, sicut rei exitus manifestat, deficientibus testimonijs per tres continuos annos infectum remanserat, iterùm Marinianus, suorum suggestione compulsus, vsum pallij,quẽ ex consuetudine sicut conuenerat, vindicare non poterat, importunitate precum se posse recipere confidebat. Quapropter Gregorius,in eadem sententia permanẽs,eidem chartulario per indictionem secundã scribit,dicens: Dum Florentinus Rauennatis ecclesiæ diaconus apud nos pro reuerendisśimo fratre & coëpiscopo nostro Mariniano de vsu pallij ageret,requisitus à nobis,quę esset antiqua consuetudo, respondit, quòd in omnibus Litanijs pallio Rauennas episcopus vteretur. Quod ità non esse,& ab alijs didicimus, & ex epistolis Iohannis quondàm episcopi,quas ei ostendi fecimus, euidenter apparuit. Sed hoc asseruit, quod dicere iussus est. Nam tempore, quo à te isdem Iohannes quõdàm episcopus est inhibitus, nè pallio inordinatè ac temerè vti præsumeret, scripsit nobis,hanc fuisse priscã cõsuetudinem,vt ciuitatis ipsius episcopus pallio in Litanijs solẽnibus vteretur. Quarum tibi literarum exemplaria pro tua informatione transmisimus. Adeodatus verò,prædictæ ecclesiæ diaconus,dum apud nos tẽpore,quo hic fuit, similiter de eiusdem pallij vsu agere enixiùs studeret, volentes cognoscere veritatẽ, eum similiter, quæ esset consuetudo, curauimus requirendum. Qui vt credi sibimet suaderet,atq; à nobis valeret, quod petebat,exigere: sub iureiurãdo testatus est,antiquam consuetudinem fuisse, vt in quatuor aut quinq; solennibus litanijs pallio ciuitatis suæ episcopus vteretur. Experientia ergò tua diligẽter inuigilet;& cum omni solicitudine, quot litanię solennes ab antiquitate fuerint,requirat. Nec eas solennes nominando requirere studeat,sed maiores: vt per hoc,quod nobis præfatus Adeodatus diaconus testatus est,& prędicti Iohannis episcopi fatetur epistola,dum constiterit quantæ litaniæ solennes fuerint, quoties indui solebat in litanijs pallio cognoscẽtes, libentisśimè concedamus. Sed hoc nõ ab illis perquirat,qui ab ecclesiasticis exhibentur, sed ab alijs,

lib.7.epist. 76.Ind.2.

ab aliis, quos sine fauore partis suæ esse cognouerit: & quæque solicita indagatione repererit, nobis subtiliter indicet: vt veritate, sicut diximus, cognita, fratris & coëpiscopi nostri reuerendissimi Mariniani animos releuemus. At quia prisca consuetudo à nostratibus subtiliter inquisita, à Rauennatibus prob. nullo modo potuit, Gregorium in sua sententia permansisse proculdubiò illud ostendit, quòd neque ob hoc, quantum ex apicibus eius dinoscitur, à quoquam solicitatus extitit, neque à semetipso commotus, vlteriùs omninò rescripsit.

8 Non solùm in magnis rebus Gregorius solicitudinis suæ oculos couertebat: verùm etiā nè impunè præsumerentur quandoq; maiora, hoc in rebus minimis curiosissimè præcauebat. Vndè Iohanni Syracusano episcopo scribit, dicens: Ecclesiastici vigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita ꝑsumantur, aut impunè nō concessa tentantur. Peruenit itaq; ad nos, diaconos Ecclesiæ Catanensis, calceatos compagis procedere præsumpsisse. Quod nulli hactenùs per totam Siciliam licuisse, nisì solis tantūmodo diaconibus ecclesiæ Messanensis, quibus olim à prædecessoribus nostris nō dubitatur esse concessum, benè recolitis. Quia ergò tantæ temeritatis ausus non est leuiter attendendus, cum omni hoc fraternitas vestra perquirat subtilitate: & si ità, sicut ad nos peruenit, inuenerit, vtrū à se vel alicuius hoc authoritate prꝑsumpserint, nobis subtiliter innotescat: vt cognita veritate, quid fieri debeat, disponamus. Nā si negligenter ea, quæ malè vsurpantur, omittimus, excessūs viam alijs aperimus. Lib.7.epis. 28. Indic.1.

9 Intereà Natali episcopo defuncto, cum Dalmatinorum generalitas Honoratum archidiaconum, quem ipse ex presbytero in diaconum conuerterat, sibi præficiendum concorditer elegissent, eorumq; decretum pontifex approbásset, factione Malchi episcopi, rectoris Apostolici patrimonij, manuque militari Maximus multis criminibus inuolutus, episcopatum Salonitanæ ciuitatis inuasit. Quod Gregorius audiens, Dalmatinis & Iadertinis episcopis, nè illi manū imponerent, sub magna interminatione prohibuit. At verò Maximus, qui episcopatus sedem contra canones inuaserat, etiam sacerdotium contra Deum per Simoniacā hæresim ab episcopis duntaxat excommunicatis corruptisque non timuit promereri, fauente sibi occasione temporum ex cupiditate simul insolentiaq; Augusti. Quem, dispergendo facultates inuasæ ecclesiæ, adeò defensorem scelerum suorum effecit, vt à Gregorio nō solùm frequenter postularet, quatenùs indiscussam Maximi promotinem relinqueret, verum etiam Romam, satisfacturum pro Simoniaca hæresi alijsq; criminibus, venientem cum honore susciperet. Gregorius verò faciem nullius contra veritatem custodiens, ipsum Maximum primò à Missarum solennijs, pòst à communione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quousquè suam præsentiā exhiberet, priuauit. Maximus autem imperialibus militijs fultus, post excommunicationem & Missas cecinit, & sacramenta satis indignus accepit. Quapropter Constantiæ Augustæ post multa alia scribit, dicens: Temeritas Maximi, inuasoris sedis Salonitanæ. Li.4.ep.34

10 Salonitanæ ciuitatis episcopus, me ac responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens, ad eundē præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinùs misi, vt omninò Missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisì priùs à serenissimis dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent. Quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audacia quorundam secularium hominū, quibus, denudata sua ecclesia, prꝑmia multa præbere dicitur, nunc vsque missas facere prꝑsumit, atq; ad me venire secundū iussionem dominorū noluit. Ego autem prꝑceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc, quod in ordinatione sua me vel responsalem prꝑtermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, àc si me authore fuerit ordinatus. Alia verò peruersa illius, scilicet mala corporalia, quꝑ cognoui, vel quia eum pecunijs est electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumpsit, propter Deum irrequisita prꝑterire nō possum. Sed opto & dominum deprecor, quatenùs nihil in eo de his, quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur. Priùs tamen, quàm hæc cognoscantur, serenissimus dominus discurrente iussione prꝑcepit, vt eū venientē cum honore suscipiam. Et valdè graue est, vt vir, de quo tāta & talia nunciantur, cùm antè requiri & discuti debeat, honoretur, & si episcoporum causæ mihi cōmissorum apud pijssimos dominos aliorum patrocinio disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad se-

ad ſeculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter ſuggero, quia aliquantulùm expecto, & ſi ad me venire diù diſtulerit, exercere in eo diſtrictionem canonicam nullo modo ceſſabo. In omnipotente autem Domino confido, quia longã pijſſimis dominis vitam tribuet, & nos ſub manu veſtra non ſecundùm peccata noſtra, ſed ſecundùm ſuæ gratiæ dona diſponet.

11 Hæc Gregorius diſſimulatrici Auguſtæ: Cæterùm eodem Maximo in ſua præſumptione manente, conſecratores atq; omnes Dalmatinos & Iadertinos epiſcopos ab eius communione ſub excommunicatione diſiunxit: adeò vt nè nomen quidem Maximi inter ſacra Miſſarum ſolennia memorarent. Quo facto, ità omnes conſternati ſunt animo, vt ſub pœnitentiæ ſatisfactione, relicto Maximo, veniam poſtularent. Vndè miſericordiſſimus pontifex Sabiniano Iadertino epiſcopo ſcribens: Sicut, inquit, perſeueranti culpæ debetur iure vindicta: ità reſipiſcentibus eſt venia concedenda. Nã vt res illa contra ſe meritò poteſt iracundiam excitare, ſic hæc in ſua prorsùs dilectione ſolet concordiam propagare. Et ideò quia fraternitatem tuam à conſortio & communione Maximi, vbi te priùs neglectus impulerat, intantùm poſteà grauitas ſacerdotij ad animum reducta ſuſpendit, vt eius ſola nullatenùs patereris eſſe ſegregatione contentus, niſi & in monaſterij te clauſtra recipiens, dudùm commiſſa defleres, ea propter in noſtra te gratia ac communione receptum eſſe non dubites. Nam quantùm nos priùs culpa tuæ charitatis offenderat, tantùm pœnitentia mitigauit.

Caſtigat temeritatẽ epiſcopi Salonitani.

li. 7. epi. 12. indict. 1.

12 Itaque Maximus cernens tandèm aliquandò durum eſſe contrà ſtimulum calcitrare, relictis imperialibus adminiculis, per Gallinicum exarchum ſatis humiliter cõcedi ſibi pœnitentiam, ſimulq́ue veniam à Gregorio poſtulauit. Quem ipſe Romam fatigari nolens, cauſam eius diſcutiendam Rauennæ commiſit, Conſtantino Mediolanenſi epiſcopo ſcribens: Maximus, inquit, Salonitanæ eccleſiæ præuaricator, poſtquàm per poteſtates maiores ſeculi obtinere nil valuit, ad minores ſe contulit, nobisq́ue tam nimietate precum, quàm atteſtatione bonorum operum præualere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, ſi is, qui ſe quaſi multùm timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minimè inuenire potuiſſet. Et ideò decreui, vt reuerendiſſ. frater & coëpiſcopus noſter Marinianus, eius cauſam debeat in Rauennati vrbe cognoſcere. Si autem perſona eius ſuſpecta forſitan habebitur, volumus, vt veſtra quoq; fraternitas, ſi ei laborioſum non eſt, ad eandem ciuitatem fatigare ſe debeat, & cum prædicto fratre in eodem iudicio pariter ſedere. Quicquid autem veſtræ vtrorunque ſanctitati placuerit, ſcitote mihi modis omnibus placiturum, & veſtrum ego iudicium meum deputo.

li. 7. ep. 68. indict. 2.

13 Inter hæc præuaricator Maximus anno ſeptimo excommunicationis ſuæ, poſt caſtigationes & flagella Gregorij ad cor reuertens, Rauennam petijt, & iactauit ſe tenſus in ciuitatem in media ſilice, clamans & dicens: Peccaui Deo & beatiſſimo Papæ Gregorio. Et agente eo pœnitentiam tribus horis, cucurrit Gallinicus exarchus & Caſtorius chartularius Eccleſiæ Romanæ cum Mariniano epiſcopo, & eleuauerunt eum de ſilice. Qui etiam cœpit ampliorem pœnitentiam agere coram eis. Quod Gregorius vt audiuit, ad miſericordiam protinùs redijt, Mariniano epiſcopo inter cætera ſcribens: Qualis de cauſa Maximi fraternitatis veſtræ voluntas ſit ac magìs petitio, præſentium latore Caſtorio chartulario noſtro renunciante cognouimus. Ideoq́ue ſi idem Maximus coram vobis & prædicto chartulario noſtro de Simoniaca hæreſi præſtito ſe ſacramento purgauerit, atque de alijs ante corpus ſancti Apollinaris tantummodò requiſitus, liberum ſe eſſe reſpõderit: cauſam ipſius, fraternitatis veſtræ de eo, quòd excommunicatus Miſſarum ſolennia agere præſumpſit, iudicio committimus, qua debeat prœnitentia talis culpa purgari. Et ideò quicquod vobis ſecundùm Deum placet, ſecuri diſponite, nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quicquid à vobis hac de cauſa fuerit ordinatum, nos & gratè ſuſcipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen, vt debeatis eſſe ſoliciti, & ità quæ fienda conſpicitis temperetis, quatenùs & illi, ſi ità videbitur, communionem præſtetis, & vigoris Eccleſiaſtici genium cõgrua, vt oportet, diſpenſatione ſeruetis. Supraſcriptum verò portitorem in præſenti quid vobiſcum ei ſit agendum, inſtruximus. A quo cuncta ſubtiliter addiſcentes, ſic vos in omnibus exhibete, vt in veſtra ſolicitudine noſtram fuiſſe præſentiam ſentiamus.

Pœnitẽtia publica epiſcopi Salonitani.

li. 7. ep. 79. indict. 2.

14 Item Caſtorio & notario & chartulario Rauennæ: Quanto credi tibi à nobis, & neceſſarias vides ſuas iniungi, tanto te magìs ſtrenuum debes & ſolicitum exhibere.

Ibidem. epiſt. 80.

Pro-

Proindè si Maximus Salonitanus, præstito sacramento, firmauerit Simoniaca se hæresi non teneri, atq; de alijs ante corpus sancti Apollinaris tantummodò requisitus innoxium se esse responderit, & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputauimus, egerit: volumus, vt ad consulandum illum epistolam, quam ad eum scripsimus, vbi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signauimus, experientia tua dare debeat. Quia sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic iterùm humiliatis, & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.

15 Cumque Maximus penes corpus beati Apollinaris secundùm iussum Gregorij de cunctis humiliter satisfecisset, Castorius chartularius consolatoriam ei epistolam præbuit, verbis Gregorij asserentem: Quanuis culpabilibus ordinationis tuæ primordijs graue malum per inobedientiæ culpam addideris, nos tamen sedis Apostolicæ authoritatem eo, quo decuit, moderamine temperantes, nunquàm contra te vsque ad hoc, quod causa poscebat, exarsimus. Sed vt longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitâsti, produceret, credita nos solicitudo vehementer angebat, ne quædam illicita, quæ de te audièramus, negligenter omittere videremur. Quæ si benè consideres, ipse per te satisfacere differendo firmabas, atque ex hoc aduersùm te zelum nostrum acriùs incitabas. At vbi salubri tandèm consilio vsus, iugo te obedientiæ humiliter summisisti, & dilectio tua pœnitentiam agens, digna se, vt deputauimus, satisfactione purgauit, redditam tibi gratiam fraternæ charitatis intellige, atq; in nostro te receptum consortio gratulare. Quia sicut perseuerantibus in culpa districtos, ità resipiscentibus nos benignos decet esse ad veniam. Postquàm ergò fraternitas tua Apostolicæ sedis communionem se reparâsse cognoscit, personam ad nos transmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodùm illicita perpetrari non patimur, sic ea, quæ sunt consuetudinis, non negamus. Licet autem ad hæc concedenda dispensatio nos loci nostri vocauerit, multum tamen à nobis petitio dulcissimi atque excellentissimi filij nostri domini Gallicini exarchi, vt temperatiùs erga te ageremus, exegit. Cuius charissimam voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contristare.

Ibidèm. Epist. 81.

16 Prætereà cupidissimus ac tenacissimus Imperator, qui consuetudinibus antiquissimis dationum, legionum quoquè milites frequentissimè, sicuti Romanorum narrat historia, defraudabat, cernens Gregorium contra omnes mundi strepitus Augustalibus defensionibus, quarum suffragio ad arcem pontificatus hunc se prouexisse iactabat, penitùs non egere, immò canonicis authoritatibus, sanctitatis ac prudentiæ suæ virtutibus, Christo propitio cunctis alta sapientibus præualere: ad odium detractionemque famæ illius magis magisque côuersus est, liberalitatem pontificis, quia famelicis militibus tam ecclesiastica quam publica frumenta diuiserat, subdolis assertionibus repræhendens. Cui Gregorius (vtpotè qui prouectionem suam diuino iudicio, in cuius nimirùm manu corda regum consistentia, quocunquè voluerit inclinãtur, non caducis humanis fauoribus deputabat) voce libera contradicens, his eum responsionibus fregit, deturpauit, atq; nonnulla de futuro Dei iudicio differendo deterruit: In serenissimis, inquit, iussionibus suis dominorum pietas, dum me de quibusdã redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis vrbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra, cùm in bona intelligentia simplicitas ponitur, vigilanter sæpè prudentiæ aut rectitudini sociatur. Vndè etiam de beato Iob scriptum est: Erat vir simplex & rectus. Et beatus Apostolus admonet, dicens: Estote simplices in malo, & prudentes in bono. Et per semetipsam veritas in euangelio admonet, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: Esse valdè inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Vt ergo seruos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes vt serpentes voluit: quatenùs in eis & columbæ simplicitatem astutia serpentis, & serpentis astutiam simplicitas columbæ temperaret. Ego igitur, qui in serenissimis dominorum iussionibus ab Arnulphi astutia deceptus, non adiuncta prudentia simplex denuncior, constat proculdubiò, quia fatuus appellor. Quod ità esse, ego quoquè ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè venissem. In ea autem re, quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprændendor. Sed etsi sacerdos non sum, scio grauem esse hanc iniuriam sacer-

Tenacitas Mauritij Imperat.

Carpit S. Gregorij liberalitatem.

Prou. 21.

li. 4. ep. 31.

Iob 1.

Rom. 16.

Matt. 10.

dori, vt veritati seruiens fallax credatur. Et dudùm noui, quoniam Arnulpho plus est creditum quam mihi, Leoni ampliùs quàm mihi. Et nunc eis, qui esse ad medium videntur, plusquàm meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atq; irrisione lætus tacerem. Sed hoc me vehemẽter affligit, quia vnde ego crimen falsitatis tolero, indè Italia quotidiè ducitur sub Longobardorum iugo captiua: dumq; meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostiũ immaniter excrescunt. Hoc tamen piissimo Domino suggero, vt de me mala omnia quælibet existimet: de vtilitate verò reipublicæ, & causa ereptiõis Italiæ, nõ quibuslibet facilè pias aures præbeat, sed plùs rebus quàm verbis credat. Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citiùs indignetur, sed excellenti consideratiõe propter eũ, cuius serui sunt, eis ità dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs sacerdotes aliquandò dij, aliquandò angeli vocantur. Et per Moysen deeo, qui ad iuramentum adducendus est, dicitur. Applica illum ad deos, videlicet ad sacerdotes. Et rursùm scriptum est: Dijs non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuẽs, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino principi in scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens. Vos dij à vero Deo constituti. Ite & inter vos causas vestras disponite: quia dignum nõ est, vt nos iudicemus deos. In qua tamen sententia pie domine sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republica principes fuerũt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant: & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quod igitur mirũ, si Christianus Imperator, veri Dei cultor, sacerdotes dignetur honorare, dum, vt prędixi, pagani principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui dijs ligneis & lapideis seruiebãt? Hæc ego pietati dominorum nõ pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Ego enim peccator homo sum, & q a omnipotenti Deo incessanter quotidiè delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen ipsius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidiè plagis ferior. Et credo, quia eundem omnipotentem Dominum tanto vobis ampliùs placatis, quanto me ei malè seruientem districtiùs affligitis. Multas enim iam plagas acceperam, & superuenientibus dominorum iussionibus, inueni consolationes, quas non sperabam. Si possum, has celeriter plagas enumero. Primò, quòd mihi pax subducta est, quã cum Longobardis in Tuscia positis sine vllo Reibublicę dispendio feceram. Deindè corrupta pace, de Romana ciuitate milites ablati sunt. Et quidẽ alij ab hostibus occisi, alij verò Narnijs & Perusij positi, & vt Perusiũ teneretur, Roma relicta est. Post hæc plaga grauior fuit, aduentus Agilulphi, ità vt oculis meis cernerem Romanos, more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur, venales. Et quia nos, qui intrà ciuitatem sumus, Deo protegente manus eius euasimus, quæsitum est, vnde culpabiles esse videremur: Videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diù multa seruari nullatenùs possunt, sicut in alia suggestione pleniùs indicaui. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientia, fateor aduersa quælibet pati paratus sum, dummodò hæc omnia cum salute dũtaxàt meæ animæ euadam. Sed de gloriosis viris, Gregorio præfecto & Castorio magistro militum, non mediocriter sum afflictus. Qui & omnia, quæ potuerũt fieri, nullo modo facere neglexerũt, & labores vigiliarum & custodiæ ciuitatis in obsidione eadem vehementissimos pertulerunt. Et post hæc omnia graui dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos nõ sua acta, sed mea persona grauat. Cum quo quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborem pariter tribulantur. Quòd autem dominorum pietas illud mihi pauendum & terribile omnipotentis Dei iudicium intentat, rogo per eundem omnipotentem Dominum, nè hoc vlteriùs faciat. Nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit: & Paulus egregius prædicator dicit: Nolite iudicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc tamen breuiter dico, quoniam peccator & indignus plus de venientis Iesu misericordia, quàm de vestræ pietatis

Imperatores pontificibus debẽt reuerentiam.
Exod. 22.
Ibidem.
Mala. 2.
Nota sanctissimi viri humilitatem.
I. Cor. 4.

pietatis iustitia præsumo. Et sunt multa, quæ de iudicio illius homines ignorant: quia fortassè quæ vos laudatis, ille reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Intermitto ergò incerta: ad solas lachrymas redeo; petens, vt idem omnipotēs Deus pijssimum dominum nostrum & sua hîc manu regat, & in illo terribili iudicio liberum ab omnibus delictis inueniat: & me ità placere, si necessè est, hominibus faciat, vt æternam eius gratiam non offendam.

17 Deniquè Mauritius Imperator libertatem vocis tanti pontificis reprehensionisque constantiam admiratus, quia de futuro Dei iudicio se terruerat, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur: cùm protinùs eodem anno vir quidam, monachicis vestimentis indutus, diuina quadam virtute commotus, dextra spathā cepit. Quam videlicet à foro vsque ad æneam statuam gladiatoris nudam circunferens, Imperatorem gladio cunctis moriturum prædixit. Quod Mauritius vt audiuit, à tyrannide Gregorio inferenda semet continuit, & iudicium diuinum, quod ei minatus fuerat, citò se subiturum tanto magìs timuit, quanto Gregorium credidit non posse mentiri.

18 Mox itaque scripto preces compositas, tam eidem, quàm cunctis patriarchis episcopis & monachis ciuitatum siue solitudinum pecunias multas, cereos & thymiamata destinauit: hoc potissimùm deprecans, vt Domino supplicarent, quatenùs in hoc seculo merita suorum malorum reciperet; tantùm vt à futuris cruciatibus redimi meruisset. Cumque hoc & ipse vehementiùs per multa tempora cum lachrymis postulâsset, quadam nocte dormiens, vidit apud æneam palatij portam se coram multo populo æneæ statuæ Saluatoris assistere. Tunc vox terribilis facta est ex ipso incarnati verbi charactere, dicens: Date Mauritium. Et capientes eum iudiciorum ministri, posuerunt iuxta purpureum vmbilicum, qui illic erat. Cui eadem vox characteris ait: Vbi vis reddam tibi mala, quæ in hoc seculo perpetrâsti? Ille respondit: Amator hominum Domine & iudex iuste, hîc potiùs ea mihi, & non in seculo futuro, retribue. Statìm diuina vox iussit tradi Mauritium & Constantiam vxorem eius cum filijs & filiabus, omnique cognatione ipsius, Phocæ militi. Euigilans ergo Mauritius, misit parochœnum, & vocauit ad se Philippicum generum suum, quē dudùm suspicatus fuerat, Imperium sibi velle subripere. At ille pro suspicione se perdendum coniiciens, aduocatæ Gordiæ vxori suæ, tanquàm non se reuisuræ, vltimum vale dixit. Sacramentoque communionis accepto, ad palatium venit, & cubiculum Imperatoris ingrediens, ad pedes eius prócidit. Cui Imperator assùrgens, ad pedes eius nihilominùs corruit, dicens: Ignosce deprecor mihi, quia nunc profectò diuina reuelatione doctus cognoui, quòd nihil in me vndè suspicabar, commiseris: sed si quem in agminibus nostris cognoscis, qui Phocas soleat vocitari, dicito mihi. Et Philippicus diù apud se recogitans ait: Vnum Phocam cognosco, qui nupèr procurator ab exercitu nuncupatus, contradicebat tuo Imperio. Cùm verò Mauritius de qualitate eius inquireret, Philippicus ait: Est quidem iuuenis, & temerarius, at timidus. Et Mauritius: Si timidus, inquit, profectò & homicida. Dumque super huiusmodi titubaret, in crastinum Magistrianus ab Eremitis, quibus Imperatoris preces portauerat, rediens, responsum retulit, dicens: Deus recepta pœnitentia tua, saluabit animam tuam, & cum sanctis te cum tota domo tua constituet: ab Imperio vero cum ignominia & discrimine décides.

Mauritius Impe. precibus S. Gregorij &c. studet sibi placare Deum.

Sententia Christi in Mauritiū &c.

19 Quibus auditis, Mauritius Dominum glorificans, pœnitentiam tenuit, sed à cupiditatis auaritia vsqueadeò non recessit, vt exercitus in periculosis locis hyemarent, & transito Danubio, victum sibi de Sclauorum regione periclitabundè quærerent, nè videlicet alimenta publica manducarent. Quod cùm Petro prætori feralibus literis immineret, ille Taxiarchis vocatis, ait: Nimìs mihi videntur grauia Imperatoris præcepta, Romanos in aliena terra hyemare iubentia. Nam illi non obedire, sæuum est: & rursùs obedire, sæuissimum. Nullum bonum parit auaritia, quia mater omnium malorum consistit. Quia Imperator languens, horum maximorum malorum causa Romanis efficitur. Exercitus itaque hoc per Taxiarchas audito, ad seditionem conuertitur, exaltatumque super clypeum Phocam centurionem, Exarchum acclamârunt. Fugatoque prætore, Theodosio filio Imperatoris & Germano socero eius dirigunt, vt alter eorum sibi imperare studeret. Illi nullo modo consenserunt: immò hoc Mauritio retulerunt. At ille Germanum perdere voluit: qui quoniam in ecclesiam fugerat, filium tanquàm proditorem sui consilij flagellauit, multosque ad hunc

Milites tumultuâtur aduersùs Mauritiū.

ab eadem ecclesia extrahendum transmittens, nunquàm permittitur: immò multis conuicijs à populo laceratus, Marcionista hæreticus appellatur. Et commoto intra Constantinopolim graui tumultu, Mauritius, dissimulato habitu, cum vxore & filijs noctù dromonem conscendit, & fugiēs, apud sanctum Antonomum venit. At vero Phocas cum exercitu in Septimum veniens, Imperator efficitur, A quo Mauritius cum filijs, vxore ac filiabus penès Chalcedonem, quemadmodùm sibi denunciatum fuerat, decollatur. Et quia oratio Gregorij, qua illum petierat in terribili Dei iudicio liberum à delictis omnibus inueniri, vacua esse non poterat, idem Mauritius id recepit quod meruit, & in cunctis suis incommodis Dominum benedicens, à sempiterno supplicio meruit liberari.

Mauritius cum suis cæditur.

20 Igitur septimo Kalendarum Maiarum, Indictiōe sexta, imago Phocæ & Leontiæ Augustorū cum eorundem fauorabilibus literis Romam delata est. Et postquàm à clero & senatu acclamatum est eis in basilica Iulij, iussu Gregorij in oratorio sancti Cæsarij Lateranensi palatio constituta reponitur. Qui etiam Phocæ Imperatori ità rescripsit: Gloria in excelsis Deo, qui, iuxta quod scriptū est, mutat tempora & trāsfert regna, & qui hoc cunctis innotuit; quod per prophetam suum loqui dignatus est, dicēs: Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit, ipse dat illud. In omnipotentis quippe Dei incomprǽhensibili dispensatione, alterna vitæ mortalis moderamina consistunt, & aliquādò cùm multorum peccata ferienda sunt, vnus erigitur, per cuius duritiam tribulatiōis iugo subiectorum colla deprimantur. Quod nos in nostra diutiùs tribulatione probauimus: Aliquandò verò, cùm misericors Deus mœrentia multorum corda sua decernit consolatione refouere, vnum ad regiminis culmen prouehit, & per eius misericordię viscera in cunctorū mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citiùs credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad Imperiale fastigium peruenisse gaudemus. Lætentur cæli, & exultet terra, & de benignis vestris actibus vniuersæ Reipublicæ populus, nunc vsque vehementer afflictus, hilarescat. Comprimantur iugo vestrę dominationis superbæ mentes hostium, releuentur vestra misericordia contriti ac depressi animi subiectorum. Virtus cælestis gratiæ inimicis vos terribiles faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris in vniuersa Republica prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus proprijs secura possessio, vt sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt ab eis fraudibus acquisita. Reformetur iam singulis sub iugo pij Imperij libertas sua. Hoc nanque inter reges gentium & Reipublicæ Imperatores distat, quòd reges gentium domini seruorum sunt: Imperatores verò reipublicæ, domini liberorum.

Lib.11. Epist.16. Dan.2. Dan.4.

Discrimen inter reges gentiū & Imperatores.

21 Cumq; Phocas mandari sibi Romanæ sedis diaconum cum magna humilitatis reuerentia postularet, Gregorius ità rescripsit: Considerate cum gaudijs & magnis actionibus gratiàrum libet, quantas omnipotenti Domino laudes debemus, quòd remoto tristitiæ iugo, ad libertatis tempora sub Imperiali benignitatis vestrę pietate peruenimus. Nam quòd permanere in palatio, iuxta antiquam consuetudinem Apostolicæ sedis diaconum vestra serenitas nō inuenit, nō hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit. Quia dum ministri omnes huius Ecclesiæ tam cōtrita asperaq; tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad Vrbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquàm vestram clementiam, omnipotentis DEI gratia disponente, ad culmen Imperij peruenisse cognouêre, ipsi quoquè suadente lætitia ad vestra vestigia venire festinant, qui illuc priùs accedere valdè timuerant. Sed quia eorum quidam ità senectute sunt debiles, vt laborem ferre vix possint: quidam verò Ecclesiasticis curis vehementer implicantur, & lator præsentium, qui primus omnium defensor fuit, benè mihi ex longa assiduitate compertus est, vita, fide ac moribus approbatus, hunc aptum pietatis vestræ vestigijs esse iudicaui. Vndè cum authore Deo diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, inuento opportuno tempore, valeat clementiæ vestræ suggerere. Cui rogo vt serenitas vestra pias aures inclinare dignetur, vt tanto nobis celeriùs valeat misereri, quanto afflictionem nostram veriùs ex eius relatione cognouerit. Qualiter enim quotidianis gladijs, & quantis Longobardorum incursionibus ecce iam per triginta & quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus. Sed in omnipoten-

Libr.11. Epist.43.

rente Deo confidimus, quia ea, quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet, & qui suscitauit in Republica pios dominos, extinguet crudeles inimicos.

22 Item Leontiæ Augustæ: Quæ lingua eloqui, quis animas cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri Imperij omnipotenti Deo gratias debemus, quòd tam dura longi temporis pondera ceruicibus nostris amota sunt, & Imperialis culminis leue iugum redijt, quod libeat portare subiectis? Reddatur ergo creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris gloria in cælo, persoluatur ab hominibus gratiarum actio in terra: quia vniuersa Respublica, quæ multa mœroris pertulit vulnera, iam nunc consolatiõis vestræ inuenit fomenta. Vndè nobis necesse est omnipotentis Dei misericordiã enixiùs exorare, vt cor vestræ pietatis sua semper dextera teneat, eiusque cogitationes cælestis gratiæ ope dispenset: quatenùs tranquillitas vestra tanto rectiùs valeat sibi seruientes regere, quanto dominatori omnium nouerit veriùs deseruire. In amore Catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex benigno opere Imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul & mansuetudinem, vt pio semper feruore valeatis, & quicquid in Deo exceditur, non inultum relinquere: & si quid in vobis delinquitur, parcendo tolerare. Ibidem. Epist. 44. Zelus & mansuetudo sectãda principibus.

23 His Gregorius laudibus aut ideò nouos principes demulcebat, vt audientes quales esse debebant fierent mitiores, quàm Mauritius fuerat, cuius tot criminibus inuoluta tempora cognoscebant: aut quia eos sibi suæque Ecclesię deuotissimos cernens, non eos ad tyrannidẽ ituros esse putabat. Qui sicut quorumlibet vitia liberis vocibus arguebat, & contra canones priscasue consuetudines venire neminem permittebat: ità quæ consuetudinis fuerant, nulli penitùs denegabat. Nam mox vt episcopus Apostolicæ sedis enituit, patriarchalibus sedibus suam synodicam destinauit, & postmodùm Secũdino seruo Dei incluso, inter cætera scribens, dicit: Hinc est, vt quoties in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum alijs generalibus synodis custodire fateantur. Item Athanasio presbytero de Isauria post multa: Fratri nostro Cyriaco, Constantinopolitanæ ciuitatis antistiti, qui nupèr in Iohannis reuerendissimi episcopi loco ordinatus est, nostra voluimus scripta trãsmittere. Sed quia non est consuetudo, vt priusquàm ad nos eius synodica deferatur, ei scribere debeamus: idcircò nunc distulimus, posteà autem indicabimus. Quam videlicet cõsuetudinem, sicut nostri quoque, qui ante biennium, ab Adriano liberalissimo Papa missi, in sancta octaua synodo præfuère, testantur, ità oriẽtales præcipuè retinent vsq; hactenùs sedes, vt in suis diptychis nullius pontificis nomen describant, quousq; synodicã ipsius suscipiant: & tandiu defunctum pontificem inter viuentes annumerent, quandiù successor illius suas literas studuerit destinare. Lib. 7. Epist. 51. Indict. 2. li. 6. ep. 64.

24 Hinc est nimirùm, quòd Gregorius à consuetudine prisca nõ discrepans, Iohanni subdiacono, rectori patrimonij Liguriæ scribit, dicens: Quanto Apostolica sedes, DEO authore, cunctis prælata constat ecclesiis, tanto inter multiplices curas & illa nos valdè solicitat, vbi ad consecrandum antistitem, nostrum expectatur arbitrium. Defuncto igitur Laurentio, ecclesiæ Mediolanensis episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit, in electione se filij nostri Constantij diaconi sui vnanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, nè quid quod ad cautelam pertinet, omittamus, idcircò huius præcepti authoritate suffultum Genuam te proficisci necesse est: & quia multi illic Mediolanensium coacti, Longobardorũ barbarica feritate cõsistunt, eorum te voluntates oportet, conuocatis eis, in commune perscrutari. Et si nulla eos diuersitas ab electionis vnitate disterminat, si quidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensus perdurare cognoscis, tunc eum à proprijs episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ authoritatis assensu, solatiante Domino facias consecrari: Quatenùs huiusmodi seruata consuetudine, & Apostolica sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa alijs sua iura non minuat. Sed cùm post annos aliquot Constantius, functus insigniter Pontificio, dormisset in Domino, clerus & plebs Mediolanensis Deusdedit diaconem eligentes, ab Agilulpho rege terrebantur, quatenùs illum eligerent, quem Longobardorum barbaries voluisset. At illi decretum suum Gregorio dirigentes, consilium & licentiam petunt. Quibus ipse inter cætera sic rescripsit: Illud, quod vobis ab Agilulpho indicâstis scriptum, dilectionem vestram non moueat. Nam quòd nos vtilitati vestræ salubriter consulere velimus, in hominem, qui Lib. 2. Epist. 30. Indict. 11. Nota antiquũ morẽ cõsecrandi Metropolitanum per suos suffraganeos de sedis Apostolicæ consensu. li. 9. ep. 65.

non à Catholicis,& maximè à Longobardis eligitur,nulla præbebimus ratione consensum: Quia Vicarius sancti Ambrosij indignus euidenter ostenditur, si electus à talibus ordinatur. Et post pauca : Vt igitur in ordinando Deusdedit diacono, qui à vobis electus est,nulla possit mora cōtingere,Pantaleonem notarium nostrum trāsmisimus,qui cum,vt moris est,adnitente consensus nostri authoritate , faciat cōsecrari.
25 Ab aduersis potestatibus prægrauatos fortissimus miles Christi Gregorius viriliter defendebat : iniusteque deiectos nō solùm inter depositos non habebat , verùm etiam pristinis gradibus authoritatis suæ priuilegio reformabat. Nam Anastasiū Antiochenum Patriarcham,qui Iohānem Constantinopolitanum præsulem voce libera reprehendens,Imperatoris Iustini iussu detrusus in exilium, ab ipsis Iohannis Papæ temporibus vsque ad sui pontificatùs tempora permanebat,mox vt summum sacerdotium meruit,inter patriarchas eum reputans,scriptis talibus animauit : Præterea,inquit,sicuti patriarchis alijs paribus vestris, synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis,quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse,nō quod ex voluntate hominum putamini non esse. Item eidem in alia epistola post nō multa scribens ait:Fraternitati tuæ indico,quia à serenissimis dominis quantis valui precibus postulaui,vt vos honori proprio restitutos, ad sancti Petri apostolorū principis limina venire,& quousquè ità Deo placuerit,hic mecum viuere cōcedant:quatenùs dum vos videre meruero,peregrinationis nostræ tædium, de æterna patria inuicèm loquendo,releuemus.Deniquè studiosissimus pater Gregorius tam diù penès Mauritium imperatorem suggestionibus suis imminuit,donèc post multorum annorum curricula magnus Anastasius throno proprio redderetur. Cui congratulabundus rescripsit,dicens:Gloria in excelsis Deo , & in terra pax hominibus bonæ voluntatis : quia magnus ille fluuius, qui quondàm arentia Antiochiæ saxa reliquerat, ad proprium alueum reuersus, subiectas & iuxtà positas valles rigat, vt vnum trigesimum,aliud sexagesimum,aliud vero centesimum fructum ferat.

Li.1.ep.25. Li.1.epi.7. Li.4.ep.37.

26 Adrianum Thebanæ ciuitatis episcopum,à Iohāne primæ Iustinianæ, atq; altero Iohāne Larissæo episcopis iniustè depositū,non solùm sedi própriæ reddidit,verū etiam ipsius ecclesiam Romano iure defendens,à Larissæi episcopi potestate subduxit,inter cætera dicens: Adrianum episcopum reperimus, & tuo contra sacerdotales mores odio laboráſſe,& nullo iure pecuniarijs in causis eum fraternitatis tuę condemnatum fuisse sententia. Quia igitur & ab antefato Iohāne, primæ Iustinianæ episcopo,contra ius canonesq; depositus,honoris sui gradu carere nō potuit, in suam eum reformari ecclesiam,atq; in propriæ dignitatis ordinem decreuimus reuocari. Et cū oportuisset te ex eo Dominici corporis communione priuari,quòd admonitiōe sanctæ memoriæ decessoris mei contempta , per quam eum ecclesiamq; eius potestatis de tua iurisdictione exemit, rursùs in eis aliquid tibi iuris & ditionis seruare præsumpseris: tamē nos humaniùs decernentes, communionisq; tibi sacramētum interìm cōseruantes,decernimus, vt fraternitas tua ab eo ecclesiaq; eius omnem antehabitā suæ potestatem iurisdictionis abstineat: sed secundùm scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei vel criminis vel pecuniaria aduersùs præfatum Adrianum cōsacerdotem nostrum potuerit euenire, vel per eos qui nostri sunt vel fuerint in vrbe regia responsales,si mediocris est quæstio,cognoscatur: vel huc ad Apostolicam sedem, si est ardua,deducatur: quatenùs nostræ audientiæ sententia decidatur. Quòd si cōtra hęc, quę statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione vel surreptione venire tentaueris,sacra te communione priuatum,nec eam te,excepto vltimo vitæ tuæ tempore, nisi concessa Romani pontificis decernimus iussione recipere. Hoc enim consona sanctis patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, vel communionem capere sit dignus altaribus.

Li.2.epi.7. Indict.11.

Eccè pœna statuta sacrorū Canonū contēptoribus.

Item Iohanni episcopo primæ Iustinianæ : Post longas tribulationes, quas Adrianus Thebanę ciuitatis episcopus, à consacerdotibus suis velut ab hostibus pertulit, in Romanam ciuitatem confugit. Et licèt aduersùs Iohannem Larisseum episcopū eius fuisset prima suggestio, non ab eo in causis pecuniarijs lege esse iudicatum: tamen post hoc magis contra personam fraternitatis tuę, à qua non iuste se sacerdotij gradu flagitabat esse deiectum, grauissimè querebatur. Et infrà: Quòd verò, inquit,ad pręsens attinet , cassatis prius atque ad nihilum redactis prędictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Apostolorum principis Petri authoritate decernimus, triginta dierum spatio sacra te communione priuatum , ab omnipotenti DEO nostro tanti

Ibidèm. epist. 6.

excessûs veniam cum summa pœnitentia & lachrymis exorare. Quòd si hanc sententiam nostram te cognouerimus implêsse remissiùs, nō iam tantùm iniustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, adiuuante Domino, seueriùs puniendam. Præfatum verò Adrianum, fratrem & coëpiscopum nostrum, ex tua sententia, vt diximus, nequaquàm canonibus atque legibus subsistente damnatum, in suum locum atque ordinem reuerti, CHRISTO comitante, disponimus, vt nec illi fraternitatis tuæ noceat contra iustitiæ tramitem prolata sentētia, nec charitas tua, pro placanda futuri indignatione iudicij, incorrecta remaneat.

27 Hinc est, quòd exceptis criminibus, neminem de sacerdotio Gregorius deponebat, immò pro qualitatibus delictorum, venialiter communione priuabat. Vndè Ioanni episcopo Calliopolitano post aliqua scribens, ait: Matriculam, quam frater & coëpiscopus noster Andreas Tarentinus episcopus fecit fustibus castigari, quanuis exindè post octo mēses hanc obijsse non credamus, tamen quia eam contra propositi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc mēsibus à Missarū solennitate suspende: vt vel hæc eū verecundia, qualē se de cęterò exhibere possit, instituat. lib. 2. epist. 45. Indi. 11.

28 Si quandò super sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandū, cum summa districtione grandiq; cautela Gregorius vniuscuiusq; capituli modulos quærēs, sententiam suā magìs difficulter, quàm faciliter promulgabat. Vnde Natali Salonitano episcopo scribens, ait: Cùm cuncta negocia indagandæ solicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad deiectionem sacerdotalium pertinent graduum, sunt districtiùs trutinanda: in quibus non tam de humanis cōstitutis, quàm de diuinæ quodammodò benedictionis refragatione tractatur. Nunciatū siquidem nobis est. Florentium, Tauritanæ ciuitatis episcopum, à quibusdā fuisse in causis criminalibus accusatum, & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis concilij præueniente iudicio, cum honoris officio nō iure, sed authoritate depositum. Quia ergo nō potest quenquā episcopatûs gradu, nisi iustis ex causis, cōcors sacerdotum summouere sententia, hortamur fraternitatem vestram, vt præfatum virum ex eodem, in quod detrusus est, eijci faciatis exilio, causamq; eius episcopali disceptatione perquiri. Et si in his, in quibus accusatus est, canonica fuerit probatione conuictus, canonica proculdubiò est vltione plectendus. Quòd si aliâs, quàm de eo æstimatum est, synodali fuerit inquisitione compertum, necessè est, vt & criminatores iusti districtionē iuris exhorreant, & in criminata innocentiæ suæ seruentur illibata suffragia. Exequutionem verò antefati negocij Antonino subdiacono nostro ex nostra pceptione mandauimus, quatenus eius instantia, & quæ sunt legibus canonicis placita decernantur: & decreta, iuuante Domino, mancipentur effectui. Item Constātino Mediolanensi: Relectis epistolis, quas ad nos per Maurinum latorem præsentium trā sinisistis, gratam nobis solicitudinem vestrā fuisse rescripsimus, quòd eam, quæ ad vos de fratre & coëpiscopo nostro Pompeio, qui à nobis ità est nominādus, peruenit, causam dissimulare minimè pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc, quod de eo dictum est, fuisset ambiguum, sed vtrùm verum, an esset compositū, patuisset. Quia iam contra ipsum dudùm in Sicilia apud reuerēdæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum episcopum talis quæstio, vt cognouimus, mota est: Sed quia causa ipsius subtili omninò inuestigatione quæsita est, inuentus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniā illa, quæ contra eum dicta sunt, non sub illa, qua decuit districtione quæsita sunt, & gesta, quæ exindè apud fraternitatem vestram confecta sunt, neq; ad condemnationem, neq; ad absolutionem eius probantur posse sufficere: non leuis res agitur, vt incautè, vel in transcursu debeat diffiniri. Nam graue est satis & indecens, vt in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta, esse poterant ad diffiniendum satis idonea, si accusati ea confessio sequeretur: si tamen eandem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, vt noxios se fateri etiam cogantur, innoxij. Nam postquàm prefatus episcopus, vt dicitur, custodia cruciari cremarique se fame asserit, scire debetis, si ità est, vtrùm noceat, si sic fuerit extorta confessio. Nunquid quando sententiam tales causę suscipiunt, & ad sedem Apostolicam appellatur, non & persona, quæ iudicatur, præsens est, vt districtissimè atque ab omni latere veritas requiratur, vt tunc, si debeat necne manere sententia, decernatur? Nec non & si prædictus episcopus ad sedem Apostolicam appellare voluerit, causa ipsius deteriùs, & cum omni est diligentia perscrutanda?

lib. 2. epist. 8. Indic. 11.

lib. 8. ep. 30.

De dubijs nō est certa ferēda sententia.

tanda? Et ideò postquàm & persona absens est & gesta, quæ ad nos transmisistis, nobis, sicut præfati sumus, idoneè satisfacere non videntur, temerè aliquid de episcopi persona decernere, nec debemus, nec possumus: nè, quod absit, reprehensibiles inueniamur in nostris, quibus aliorum iure competit retractare sententias.

Libr. 11. Epist. 50. Item Iohāni defensori post aliqua: Quia, inquit, Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta, & de falsis se capitulis accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed iniustè se asserit condemnatum, diligenter quærendū est, primò si iudicium ordinabiliter est habitum, si alij accusatores, alij testes fuerunt. Deindè causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit, si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est: si scriptis actum est, si ipse licentiam respōdendi & defendendi se habuit, sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cuius vitæ, cuius conditionis, cuiusq; opinionis, aut ne inopes sint, ne fortè aliquas contra præfatum episcopum inimicitias habuissent. Vtrùm testimonium ex auditu dixerunt, aut certè se scire specialiter testati sunt. Si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Quòd si fortè hæc solenniter acta non sunt, neque causa probata est, quæ exilio vel depositione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus reuocetur.

29 Authoritatem quorumlibet summorum Pontificū Gregorius authoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potiùs multipliciter roborabat. Et quamuis inter culpabiles authoritatem sui prioratûs agnosceret, tamen inter insontes episcopos se præbebat prorsùs æqualem. Quapropter Iohanni Syracusano episcopo inter cætera scribens, ait: Quòd primas Byzacenus à suis episcopis impetitus, se sedi Apostolicæ dicit subijci, si qua culpa in episcopis inuenitur, nescio quis ei episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes episcopi secundùm rationem humilitatis æquales sumus, & cæt. Item in libro regulæ pastoralis. Liquet, inquit, quod omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine, alios alijs culpa postponit. Ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur: vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero. Vndè cuncti, qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: Nec præesse hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres nostri nō reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur: & cùm Noë Dominus filijsq; eius diceret, Crescite & multiplicamini, & replete terram: protinùs adiunxit. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animātia terræ. Quorum videlicet terror ac tremor, quia esse super animantia terræ præcipitur, profectò esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris natura prælatus est. Et iccircò ei dicitur, vt ab animalibus & non ab homine timeatur: Quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Et tamen necesse est, vt rectores à subditis timeantur, quandò ab eis Deum minimè timeri deprehendunt: vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Nequaquā tamen præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subiectorum iustitiam quærunt. In eo enim, quòd metum sibi a peruersè viuentibus exigunt, quasi nō hominibus, sed animalibus dominantur. Quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini iacere substrati. Sed plerunquè rector eo quo ipse cæteris præminet, elatione cogitationis intumescit: & dum ad vsum cuncta subiacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subditi, si qua benè gesta sunt, laudibus efferūt, malè gestis aūt nulla authoritate contradicunt, dum plerunquè laudant etiam, quæ reprobare debuerant, seductus ab his, quę infrà suppetunt, super se animus tollitur: & dum foris immenso fauore circundatur, intùs veritate vacuatur, atq; oblitus suî, in voces se spargit alienas, talemq; se credit, qualem foris audit, non qualem intùs discernere debuit. Subiectos despicit, eosque æquales sibi naturæ origine non agnoscit: & quos fortè potestatis excesserit, transcendisse etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat ampliùs sapere, quibus se videt ampliùs posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, & qui æqua cæteris naturæ conditione constringitur, ex æquo cæteros respicere dedignatur. Sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptum est: Omne sublime videt, & ipse est rex super vniuersos filios superbiæ: Qui singulare culmen appetens, & socialem angelorum vitam despiciens, ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Miro ergò iudicio intùs foueam deiectionis inuenit, dum foris se in

Lib. 7. Epist. 64. Indict. 2.

Pastoralis curæ par. 2. cap 6.

Genes. 9.

Subditi suos debēt timere pręposítos.

Iob. 40.

Esa. 14.

se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe angelo similis efficitur, dũ homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum, in tumorem superbiæ culmine potestatis exercuit. Per humilitatem quippe prælatus est & per superbiam reprobatus, Domino attestãte qui ait: Nónne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? Paruulum se priùs in suis oculis viderat: sed fultus temporali potentia, iam se paruulum non videbat. Cæterorum nanque comparationi se præferens, quia plùs cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo cùm apud se paruulus, apud Deum magnus: cùm verò apud se magnus apparuit, apud Deum paruulus fuit. Plerumq; ergò dum ex subiectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam benè regit, qui & tenere illam nouerit, & impugnare. Benè hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa cæteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerunq; extollitur, etiam cùm nulla potestate fulcitur. Quanto magìs in altum se erigit, cùm se ei etiam potestas adiungit? Quam tamen potestatem rectè dispensat, qui solicitè nouerit, & sumere ex illa quod adiuuat, & expugnare quod tentat: & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen se peccãtibus zelo vltionis anteferre. Sed hanc discretionem pleniùs agnoscimus, si pastoris primi exempla cernamus. Petrus nanque authore DEO, sanctæ Dei ecclesiæ principatum tenens, à benè agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente, immoderatiùs venerari recusauit, seq; illi similẽ recognouit, dicens: Surge, nè feceris: & ego ipse homo sum. Sed cùm Ananię & Saphiræ culpã reperit, mox quanta potentia super cæteros exercuisset, ostẽdit. Verbo nanq; eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante depræhendit: Et summum se intrà Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehemẽter impenso, coram bene agentibus fratribus non agnouit. Illic quippe cõmunionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus vltionis ius aperuit potestatis. Et paulò pòst: Sed cum delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat necessè est, vt solicitè attendant, quatenùs per disciplinæ debitum, culpas quidem iure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus, qui corriguntur, agnoscant. Quanuìs plerunquè etiam dignum est, vt eosdẽ quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum nanque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur: in his verò, quæ ipsi committimus, nè verbi quidem ab aliquo inuectione laceramur: Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inultè peccamus. Et reliqua.

1. Reg. 15.

Potestate quis rectè vtatur.

Act. 10.

Act. 5.

30 Hac Gregorius æqualitate seruata, Romano defensori Siciliæ scribit, dicens: Peruenit ad nos, quòd si quis contra quoslibet clericos causam habeat, despectis eorum episcopis, eosdẽ clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod si ita est, quia valdè constat incongruum, hac tibi authoritate præcipimus, vt hoc denuò facere non præsumas. Sed si quis contra quemlibet clericũ causam habuerit, episcopum ipsius adeat, vt aut ipse cognoscat, aut certè ab ipso iudices deputentur. Aut si ob hoc fortassè ad arbitros eundum est, partes ad eligendos iudices ab ipso executio deputata compellat. Si quis verò vel clericus vel laicus contra episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes, vt inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente, sibi iudices eligant. Nam si sua vnicuiq; episcopo iurisdictio nõ seruatur, quid aliud geritur, nisì vt per nos, ꝑ quos Ecclesiasticus custodiri ordo debuerat, confundatur?

Lib. 9. Epist. 32.

31 Sicut conuictum de crimine sine vindicta canonica Gregorius neminem relinquebat, sic nimirùm falsarium delatorẽ regulari tramite puniebat. Vndè Anthemio subdiacono scribẽs, ait: Cùm fortiùs punienda sint crimina, quæ insontibus, & maximè sacris ordinibus ingerũtur, quàm sitis culpabiles omnes, qui in causa Iohannis diaconi resedistis, attendite, vt Hilarium, criminatorem eius, nulla ex definitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneum, quòd vobis quasi iudicare volentibus, solus frater & coëpiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nã si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius vni à multis rationabiliter suaderi, quàm multi ab vno poterant sine causa differri. Quia ergò tantæ nequitiæ malum non debet sine vltione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eundem Hilarium priùs subdiaconij, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in exilium deportari: vt vnius pœna, multorum possit esse correctio. Cuius si fortè leuitatem diaconij sui adhuc opinio lacerata nõ commouet, & in hoc, quod non credimus

Libr. 9. Epist. 66.

mus, torpens extiterit, experientia tua hæc, quæ diximus, faciat, & de illius nobis neglectu renunciet. Idcircò Gregorius non probantem, quod obiecerat, subdiaconum officio iubet priuari: quia iuxta canonicas patrum sentẽtias, qui calumniam illatam nõ probat, pœnam debet incurrere, quam, si probâsset, reus vtiquè sustineret. Ac per hoc quia subdiaconus crimen diacono probare non potuit, quoniam impositionem manus, quà carere potuisset, nõ habuit, non sacerdotio, sed officio caruit, & tanquàm re vera infamis, meruit verberibus castigari. Nam cui cum tribus testibus velutì laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum, quod obiecit, dũ probare non sufficit. si corporali infamiæ, queadmodùm laicus, ex iuris similitudine subiugatur. Quod enim esset diacono gradum amittere, hoc fuit subdiacono famę plenitudine caruisse.

Lib. 2. Epist. 18. Indict. 11. 32 Crimina semèl audita Gregorius indiscussa nullo modo præteribat, etiamsi accusatus cum accusatore suo redisset in gratiam. Quapropter vniuersis episcopis Corinthi scribens, ait: Desiderij nostri est ad concordiam redigere discordes, & vnitos esse in gratia eos, quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis facit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegentes, agnouimus quòd hi, qui contra Adrianum fratrem & coëpiscopum nostrum aliqua dixerant, modò cum eodem episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate lætitia. Sed quoniam ea, quæ dicta sunt, indiscussa, remanere non patimur, sedis nostræ diaconum ad ea inuestiganda dirigimus: quia nunciati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea, quæ audiuimus, dissimulare nullatenùs debeamus. Præsertim cùm accusatores & accusatum inter se fecisse gratiam indicâstis, hoc nobis necessè est subtilius perscrutari, nè fortassè eorum sit comparata concordia. Quæ si, quod absit, non ex charitate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos, qui canonicè, reuelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus, commissam postmodùm culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus. Item Iohanni episcopo Corinthiorum post aliqua: Paulum, inqt,

Lib. 4. Epist. 56. diaconem, latorem præsentium, quanuìs culpa sua vehementer confundat atque redarguat, quòd deceptus promissione, ab accusatiõe nuper depositi quondàm episcopi sui destiterit, & cupiditatis studio silere contra animam suam potiùs, quàm prodere vera consensit: tamen quia pios plùs nos esse cõuenit, quàm districtos, hanc ei culpam ignoscimus, atque eum in ordine locoq; suo recipiendũ censemus. Nam ei à tempore prolatæ sententiæ afflictionem, quam pertulit, credimus ad vinctam huius culpæ posse sufficere. Euphemium verò atque Thomam, qui pro deserenda accusatione sacros ordines acceperunt, eisdem ordinibus priuatos esse, atque ità, sicutì sunt depositi, volumus permanere: nec vnquàm eos sub qualibet excusationis specie in sacros ordines reuocari decernimus. Nam nimìs indignum, & cõtra Ecclesiasticæ regulam disciplinæ est, vt honore, quem nõ ex meritis, sed pro sceleris præmio percepêre, fungantur. Quia tamen plùs misericordiæ, quàm districtæ nos conuenit operam dare iustitiæ, eosdem Euphemium atq; Thomam in ordinem locumq; tantummodò, vndè ad sacros ordines promoti fuerant, volumus reuocari: & cunctis diebus vitæ suæ eorundem locorum continentiam, sicut consueuerant antè, percipiant. * Clementium

* Clematũ verò lectorem similiter benignitatis intuitu in ordinem locumq; suum reuocãdum esse constituo. Quibus etiam omnibus, id est, Paulo diacono, Euphemio, Thomę, atq; Clementio commoda sua secundùm locum & ordinem, in quo quisq; eorum est, sicut solitus erat accipere, à præsenti Indictione fraternitas vestra sine aliqua studeat imminutione præbere.

33 Consueta clericorum stipendia nullis quarũlibet ægritudinum occasionibus misericordissimus pater Gregorius retrahebat. Vndè Candido episcopo vrbis veteris

Lib. 2. Epist. 5. Indict. 10. scribens, ait: Cùm percussio corporalis, vtrùm pro purgatione an pro vindicta cõtingat, Dei in hoc iudicium ignoratur, non debet à nobis addi flagellatis afflictio, nè nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentium lator Calumniosus pro hac percussione, quam sustinet, consueta sibi commoda ab ecclesia vestra asserit denegari, idcircò fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenùs nihil eum ad percipienda quæ consueta sunt, hęc ægritudo debeat impedire. Quia diuersis in Ecclesia militantibus, varia, sicut nôsti, sæpè contigit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus decætero, qui Ecclesiæ militet, poterit inueniri. Sed secundùm loci eius ordinem quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari: de ipsa exiguitate, quæ ecclesiæ potest accidere, fraternitas tua, diuini contemplatione iudicij, ægrotanti præbere non desinat.

34 Epi-

34 Episcoporum venerabilium factas proprijs clericis spõsiones, Gregorius Apostolicæ sedis authoritatibus roborabat. Vndè Iohanni Panormitano episcopo scribit, dicens: Implenda semper sunt postulantium desideria, quotiès illa poscũtur, quæ à ratione non deuiant. Et ideò quia quædam capitula, quæ seruaturum te clericis tuis petẽtibus promisisti, nostra ab eis postulatur authoritate firmari: fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt ea, quæ præsentia scripta continent, sine aliqua debeat refragatione seruare. Primùm, vt de reditibus ecclesiæ quartam in integro portionem ecclesiæ tuæ clericis, secundùm meritum vel officium siue laborem suum, vt ipse vnicuiq; dare prospexeris, sine aliqua pbere debeas tarditate. De hoc verò, quod ex fidelium oblatione accesserit, itidem quartam partem in solidis vel cellario eis, iuxta pristinam cõsuetudinem, dare non differas. Reliqua autem mobilia omnia in tua retineas potestate: immobilia cuncta ecclesiasticis reditibus aggregẽtur: vt multiplicata quantitate clericorum tuorum vsibus, Deo largiente, proficiant. Tabellarium autem vna cum consensu seniorum & cleri memineris ordinandũ, qui annis singulis, ad amputãdam fraudis suspicionem, solenniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum verò tempore idem clerus emẽdi vinum de possessionibus ecclesiæ tuæ ad iusta precia, inquantùm vendẽdum est, remedium consequatur. Nam satìs contra rationem est, vt quod potest extraneis venundari, clericis dato precio denegetur. Possessiones igitur vel si qua sunt alia Ecclesiastico iuri competentia, & ab extraneis indebitè detinentur, cum omni studio, seruata ciuilitate, in ius ecclesię tuæ reparare festina, vt negligens in aliquo videri non valeas. Si quid verò de quocunq; clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè posit offendere, facile nõ credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: sed præsentibus ecclesiæ tuæ senioribus, diligẽter est veritas perscrutanda. & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis. Hæc itaq; omnia sic solicitè ac mansuetè studij tui sit custodire, quatenus nec tu promissionis tuæ videaris immemor extitisse, nec illi iustam contra te occasionem inuenire valebant murmurandi. Item Maximiano episcopo Syracusano post pauca: Cognouimus de reditibus, ecclesiæ nouiter acquisitis, canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire, sed episcopos locorum tãtummodò distribuere quartam antiquorum redituum, nunc verò quæsita suis vsibus retinere. Quamobrèm prauam subintroductam cõsuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare festinet: vt siue de præteritis reditibus, siue de his, quæ nouiter obuenêre, vel obuenientibus, quartæ secũdùm distributionem canonicam dispensentur. Incongruum nanque est, vnam candemq; ecclesiæ substantiam, duplici quodammodò iure censeri, id est, vsurpationis & canonum.

Libr. 11. Epist. 49.

Li. 5. ep. 10.

35 Ab alijs episcopis communione priuatos, Gregorius communioni pristinæ reformabat. Quapropter Magno presbytero Mediolanẽsis ecclesiæ scribens, ait: Sicut exigente culpa dignè quis à sacramento cõmunionis abigitur, ità insontibus nullo modo talis irrogari debet vindicta. Comperimus siquidem, quòd Laurẽtius frater & coëpiscopus noster, nullis te culpis extantibus cõmunione priuauerit. Ideoq; huius præcepti nostri authoritate munitus, officium tuum securus perage, & communionem sine aliqua sume formidine.

Libr. 9. Epist. 26. Indict. 11.

36 Purgãtes se à crimine cuiuslibet hæresis, Gregorius non solũ recipiebat, immò etiam Catholicos declarabat. Vndè Iohanni Constantinopolitano episcopo scribit, dicens: Sicut hæreticorum prauitas zelo rectæ fidei comprimenda, ità veræ cõfessionis est integritas complectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atq; errores ex incauta districtione mortifere generantur. Et hinc non solùm errãtes oues ad caulas minimè Dominicas reuocantur, sed etiã intus positæ, ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergò subtiliter frater reuerendissimè perpendamus, vt sub prætextu hæresis affligi quempiam, veraciter profitentẽ fidem catholicam, non sinamus. Valdè enim mirati sumus, cur hi, qui in causa fidei iudices contra Iohanem Chalcedonensis ecclesiæ presbyterum, à vobis fuerãt deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderunt, & credere districtè profitẽti noluerunt: maximè cũ accusatores ipsius Marcionistarum, quam memorabant, hęresim, vndè eum reũ moliebantur efficere, interrogati quę esset, nescire se manifesta professiõe respõderint. Ex qua re euidẽter agnoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non iustè, sed contra animas suas sola grauare volũtate tantummodò voluẽrint. Nos itaq; facto concilio, sicut gestorum apud

Li. 5. epi. 15.

nos

nos habitorum tenor ostendit, cuncta, quæ erant necessaria subtiliter perscrutantes atque tractantes, quoniam in nullo antedictum presbyterum reum inuenire potuimus, præcipuè quia libellus, quem delegatis à vobis iudicibus obtulit, rectæ fidei per omnia synceritati concordat: eapropter eorundem iudicum reprobantes sententiam, nostra cum diffinitione Catholicum, & ab omni hæreticorum crimine liberum esse, Christi Dei redemptoris nostri gratia reuelante, denunciauimus. Item Mauritio Imperatori post pauca: Relatis in concilio, quæ contra Iohannem ecclesiæ Chalcedonensis presbyterum acta sunt, simul & seriei indicati, maiorem illum iniustitiam sustinuisse cognouimus. Quippe quem clamantem se atque monstrantem esse catholicũ, non reatus culpa, sed diù accusatio incerta protriuit intantùm, quia accusatores ipsius Marcionistarum, quam memorabant, hæresim nescire se aperta responsione professi sunt. Et qui ilicò in ipso iudicij fuerãt limine repellendi, in accusatione eius incerti permanere permissi sunt. Sed nè ficta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei obtulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorem studuit & sequacem. Sed hunc à sanctissimo Iohanne coepiscopo meo iudices deputati, iniustè ac irrationabiliter negligentes, dum in eius se nisi sunt occupare grauamine, se potiùs repræhensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Item Narsi comiti de eodem post alia: De Iohanne vero presbytero cognoscite, quia causa illius per synodum decisa est, in qua apertè cognoui, quia eius aduersarij eum facere hæreticum voluerunt, & diù conati sunt, sed minimè potuerunt. Item Athanasio presbytero de Isauria: Sicut de eis, quos ab vnitate Ecclesiæ hæreticæ prauitatis error abscidit, affligimur & dolemus: ità de his, quos intrà sinum suum Catholicæ fidei professio continet, congaudemus. Et vt pastorali solicitudine illorum nos oportet impietatibus obuiare, sic pijs horum professionibus congruit fauorem impendere, & syncera esse, quæ sapiunt, declarare. Atque ideò, dum tibi ab Athanasio presbytero monasterij sancti Melæ, cui est vocabulum Tannaco, quod in Lycaonia est prouincia constitutum, contraria integræ fidei orta suspicio est, vt professionis tuæ potuisset integritas apparére, ad Apostolicam sedem, cui præsidemus, elegisti recurrere: asserens etiam te corporaliter verberatum, aliqua iniustè ac violenter fecisse. Et quanquàm ea, quæ vi impulsionis fiunt, canonum minimè censura recipiat, & iure habeantur infirma, quia ipse ea dissoluit, qui iniustum fateri compellit: sed magis illa est suscipienda & amplectenda confessio, quæ ex spontanea monstratur voluntate procedere, sicut apud nos fecisse dinosceris: Nè quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Iohanni, quondàm fratri nostro Constantinopolitanæ ciuitatis antistiti, de te præuidimus scribendum, vt suis nos, quid actum esset, epistolis informaret. Qui sæpè à nobis admonitus, rescribens innotuit, quendam codicem apud te fuisse inuentum, quo plura continebantur hæretica: & ob hoc aduersùs dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit prò satisfactione transmittere, priores eius partes solicita lectione percurrimus. Et quoniam manifesta in eo hæreticæ infectionis venena reperimus, nè denuò debuisset legi, vetuimus. Sed quia hunc te simpliciter legisse testatus es, & ad amputandam ambiguæ suspicionis materiam, libellum nobis manu tua porrexisti perscriptum, in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter hæreses, vel quicquid aduersùs Catholicæ professionis integritatem est, apertissimè condemnâsti, & cuncta, quæ sanctæ quatuor Vniuersales synodi recipiunt, te semper recepisse ac recipere, quæ condemnauerunt, condemnâsse condemnareque professus es: Eam quoque synodum, quæ Imperatoris Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, te & suscipere, & custodire promisisti: & prohibitus à nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferæ fraudis virus innexum est, libentissimè consensisti: reprobans etiam atque condemnans omnia, quæ in eo cõtra Catholicæ fidei integritatem dicta vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuò promisisti: Hac ratione permoti, postquàm etiam ex probata à te libelli pagina, & fides tua nobis catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticę peruersitatis macula, iuxta professionem tuam, liberum esse decernimus, & catholicum atque synceræ in omnibus fidei professorem ac sequacem, Iesu Christi saluatoris gratia, claruisse pronunciamus: Liberam quoque tribuendo licentiam, ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominùs remeare.

Li.5.ep.26. | Li.5.ep.14. | Li.4.ep.64. | Extorta cõfessio, infirma censenda.

37 Schismaticos ad recipiendam satisfactionem venire Gregorius inuitabat: Quibus, etiam si nunquàm ad vnitatem Ecclesiæ redire voluissent, nullam se facturum vio-

violentiam promittebat. Vndè Petro & * Prouidentio episcopis de Istria scribens, ait: Deus qui lætatur in vnitate fidelium, & reuelat quærentibus veritatem, cordi vestro dilectissimi fratres aperiat, quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ vniuersalis Ecclesiæ contineri, & in eius manere vnitate concordes. Quod fore nō dubito, si abiecto contentionis stimulo, satisfieri vobis veraciter de his, de quibus est dubietas, intendatis. Remeantis autem Castorij notarij mei relatione edoctus sum, fraternitatē vestram ad me habere desiderium veniendi, si promissum fuerit, quia nullā molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens, & opto, & succensus ardore charitatis inuito, vt ad me veniendi debeatis laborē assumere, quatenùs pariter conferentes, quæ vera & redemptori nostro sunt placita, & communiter loquamur, & modis omnibus teneamus. Ego verò diuinæ gratia protectionis suffragante, satisfacere vobis, de quibus dubitatis, paratus sum: & confido de omnipotentis Dei nostri clementia, quia ità vobis satisfactio mea interiùs inhærebit, vt nihil charitati vestræ decæterò possit ambiguum remanere. Nam illa, quæ sanctissimæ quatuor Synodi sapuerunt atque diffiniêre, & prædecessor noster Leo sanctissimus Papa, ità & nos sapimus, sequimur ac tenemus, nec ab eorum fide aliquo modo dissentimus. Sed quia plùs persona præsens, quàm epistola satisfacit: hortor, dilectissimi fratres, vt ad me venire, sicut præfatus sum, debeatis, dummodò ratione percepta, à concordia sanctæ vniuersalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet. Hoc tamen certa vestra sit charitas, quia vos & cum affectu, quo decet, suscipio, & cum gratia relaxabo. Nec aliquam vos vel quoscunque alios, qui pro hac ad me causa venire voluerint, afflictionem vel molestiam sustinere permitto. Sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia diuina compunxerit, siue, quod absit, in ea vos durare dissensione cōtigerit, ad propria vos remeare, quandò volueritis, iuxta promissionem meam, sine læsione vel molestia relaxare curabimus.

* Prudentio
Li.4.epi 49.

38 Seuerum Aquileiensem episcopum, caput totius schismatis existentem, Romam venire compellit, dicens: Sicut gradientem per deuia, carpētem denuò rectum tramitem, tota Dominus auiditate complectitur: ità demùm de deserente cognitam veritatis viam, maiori mœrore quàm gaudio, quo de conuertente lætatus fuerat, contristatur. Quia minoris excessùs est veritatem non cognoscere, quàm in eadem agnita non manere: aliudque est, quod ab errante committitur, aliud, quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem quanto incorporatum te iampridèm fuisse in vnitate Ecclesiæ gauisi fueramus, tanto abundantiùs nunc dissociatum à Catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & serenissimi rerum domini iussionem, ad beati Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, vt authore Deo aggregata synodo, de ea, quę inter vos vertitur, dubietate iudicetur. At Seuerus Apostolica simul imperialique iussione coactus, imminēte Senaragdo exarcho, simulque Antonio Ecclesiæ Romanæ defensore, Rauennam perducitur. Vbi veritus cum Gregorio synodalem subire conflictum, ad vnitatem sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, mediante Iohanne Rauennati pontifice, remeauit. Sed cùm post anni spatium ad propria redisset, ab alijs schismaticis persuasus, non solùm ad pristinū vomitum redijt, verùm etiam Mauritij, Deo semper aduersi, iussione surrepta, qua iubebatur, vt schismatici redire ad vnitatem Ecclesię minimè cogerentur, reliquis episcopis Ecclesiæ se iungentibus, maximas seditiones conflabat. Quapropter Gregorius neminem iam reuertētium sine cautione iuratoria penitùs suscipere satagebat. Qua præstita, huiusmodi literis eidem patricio exarcho commēdabat: Firminus frater & coëpiscopus noster, Tregestinæ antistes ecclesiæ, ante aduentum vestræ excellentiæ salubri consilio à schismate, cui inhæserat, resipiscens, atque ad vnitatem matris Ecclesiæ rediens, nostris est epistolis cōfirmatus, quatenùs in veræ, quam agnouerat, sinu matris Ecclesiæ fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito, Seuerus Gradensis Episcopus, eiusdē caput schismatis, eum diuersis primùm cœpit, si posset, suasionibus à bono reuocare proposito. Quod dum perficere authore Deo minimè valuisset, seditionem illi suorum ciuium excitare non timuit. Quanta verò prædictus frater & coëpiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, pleniùs illic ac veraciùs è vicino poteritis agnoscere. Directis itaque excellentiæ vestræ iussionibus his, qui in Istrię partibus locum vestrum agere, Deo authore, noscuntur, districtiùs iubete, quatenùs & sæpedictum fratrem nostrum ab illatis debeāt defensare molestijs, & quietem illius, multis ad imitandum profuturam, modis omnibus procurare: Vt hæc vestra prouisio, & conuersorum sit optata securitas, & occasio * oborta sequentium. Deniquè Se-

Li.1.epi.16.
Seuerus Episcopus resipiscit.
Redit ad vomitum.
Li.11.ep.38.
* apta

T uerus

uerus quia ad vnitatem sanctæ vniuersalis Ecclesiæ redire non meruit, ad scindendum quoquè suæ ipsius diœcesis vnitatem, Romanum pontificem sua vecordia suscitauit: adeò vt ab ipso illius obitûs tempore, Aquileiensis diœcesis in duos metropolitanos, Catholicorum videlicet & schismaticorum, diuisa sit. Neque potuit postmodùm, licèt omnes generaliter ad vnitatem de schismate repedauerint, ad pristinæ coniunctionis vnionem vsque hactenùs reformari.

39 Sicut nulli clericorum pro infirmitate corporis quartarũ subsidia Gregorius minuebat, ità nulli pontificum pro ægritudine qualibet succedendum fore docebat. Vndè Anatolio Constantinopolitano subdiacono rescribens, ait: Scripsit mihi dilectio tua, pijssimum dominum nostrum reuerentissimo fratri nostro, primæ Iustinianæ episcopo, pro ægritudine capitis, quam patitur, præcipere succedi, nè fortasse dum episcopi iura eadem ciuitas non habet, quod absit, ab hostibus pereat: & quidem nusquàm Canones præcipiunt, vt pro ægritudine episcopo succedatur. Et omninò iniustum est, vt si molestia corporis irruit, honore suo priuetur ægrotus. Atque ideò hoc per nos fieri nullatenùs potest, nè peccatum in mea anima ex eius depositione veniat. Sed suggerendum est, vt si is, qui est in regimine, ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere, & locum illius in regimine ecclesiæ, ipso non deposito, ac in custodia ciuitatis implere, vt neque Deus omnipotens offendatur, neque ciuitas inueniatur esse neglecta. Si verò idem reuerentissimus Iohãnes fortasse pro molestia sua petierit, vt ab episcopatûs honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodò nõ valemus. Quòd si hoc petere ille noluerit, quod pijssimo Imperatori complacet, quicquid iubet facere, in eius est potestate, sicut nouit, ipse prouideat. Nos tantummodò in depositionem insontis non faciat permisceri. Quod verò ipse fecerit, si canonicum est, sequimur: si verò canonicum non est, inquantum possumus sine peccato nostro, portamus. Pontificibus voluntariè suis renunciantibus sedibus, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodùm de reditibus relictæ ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. Vndè Mariniano Rauennati episcopo significans, ait: Qualiter ordinati à nobis sacerdotis, corporis qua notum est impediente molestia, Ariminensis ecclesia pastorali hactenùs sit regimine destituta, dudùm fraternitas vestra cognouit: quem dum, habitatorum loci illius precibus permoti, sæpiùs hortaremur, vt si de eadem capitis, qua detinebatur, molestia melioratum se esse sentiret, ad suam, auxiliante Domino, reuerteretur ecclesiam, datis inducijs, in hoc quadriennio expectatus est. Quem dum monitu clericorum vel ciuium illinc venientium, nosque precibus arguentium, instantiùs hortaremur, vt si valeret, cum eis auxiliante Domino remearet, data in scriptis supplicatione nos petijt, vt quia ad eiusdem ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadẽ, qua detinebatur, molestia assurgere nullatenùs posset, ecclesiæ ipsi ordinare episcopum deberemus. Vndè quia cunctarum ecclesiarũ iniuncta nos solicitudinis cura constringit, nè diutiùs gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus, huiusque ex sui impossibilitate renunciatione compulsis, visum nobis est, eidem Ariminensi ecclesiæ debere episcopum ordinari. Et datis ex more præceptis, clerum plebemque eiusdem ecclesiæ non destitimus admonere, quatenùs ad eligendum sibi antistitem concordi prouisione concurrant.

40 Item Eleutherio episcopo: Quanuis triste nobis sit valdè, quod loquimur, atque fraterna nos magis compassione vrgeat, quàm de auditis aliquid diffinire permittat: suscepti tamen solicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos ecclesijs cura prospicere, & antequàm harum possit vtilitas deperire, quod fieri debeat, Deo authore disponere. Peruenit igitur ad nos, quendam episcopum ità passionẽ capitis incurrisse, vt quæ mente alienata agere soleat, gemitus & fletus audire sit. Nè ergò languente pastore, grex, quod absit, insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel ecclesiæ ipsius vtilitates depereant, cauta nos necesse est prouisione tractare. Et ideò quia viuente episcopo, quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen, abducit, alium loco eius, nisi recusante eo, nulla sinit ratio ordinari: si interualla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione, nec se vlteriùs ad hoc ministerium, subuertente infirmitate, nec ad alia officia posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium solenni electione alter, qui dignus fuerit, episcopus consecretur: sic tamen, vt quousque eundem episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem ecclesia ministrentur. Enimuerò si nullo tempore ad sanæ mentis

Margin notes: lib.9.epi.41. — Non debet ob corporis ægritudinẽ episcopus deponi. — Li.7.epi.49. Indict.2. — Ecclesiarũ omniũ cura demandata Rom. Pontifici. — li.11.epist.7.

mentis redit officium, persona fidelis ac vitæ est probabilis eligenda, quæ ad regimen ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum vtilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vindicta restringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiam, si episcopo qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco eius debeat consecrari.

40 Virginem stupratam Gregorius iubebat vxorem percipere, aut stupratorē eius, castigatum verberibus, in monasterio deputare. Vndè Felici Sipontino episcopo scribit, dicens: Expectabamus fraternitatē tuam sita aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & malè agentes ad rectitudinem reuocare. Qua de re nimìs cōtristamur, quia ediuersò in nepotis tui Felicis prauitate, tua euidenter, qui talem nutrîsti, culpa monstrata est. Peruenit itaque ad nos, quòd suprascriptus Felix, Euangeli diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si verum est, quanuìs graui esset de lege pœna plectendus, nos tamen aliquatenùs legis duritiam mollientes, huiuscemodi disponendo præcipimus, vt aut quam stuprauit, vxorem habeat: aut certè si renuendum putauerit, districtus ac corporaliter castigatus excommunicatusque, in monasterium, in quo pœnitentiam peragat, retrudatur, de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia.

lib. 2. epist. 42. indi. 11.

Pœna eius, qui virginē vitiat.

41 Virum sine vxoris propriæ voluntate conuersum, etiam si fuisset iam tonsuratus, Gregorius vxori reddi iubebat. Quapropter Adriano Panormitano notario scribens, ait: Agathosa latrix præsentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Vrbici Abbatis esse conuersum. Quod quia ad eiusdem Abbatis culpam & inuidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquisitione discutiat, nè fortè cum eius voluntate conuersus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illum in monasterio permanere prouideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si verò nihil horum est, nec quondàm fornicationis crimen, propter quod viro licet vxorem dimittere, prædictam mulierem commisisse cognoueris, nè illius conuersio, vxori relictæ in seculo, fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritum suum illi, etiam si iam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante. Quia & si mundana lex præcipit, conuersionis gratia, vtrolibet inuito, solui posse coniugium, diuina lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis causa, virum vxorem relinquere, nulla ratione concedit. Quia postquàm copulatione coniugij, viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in seculo permanere.

Li 9. epi. 44.

Matt. 5.

42 Iudæorum perfidiam rationibus magìs, quàm violentijs excutere Gregorius decertabat. Quapropter Virgilio & Theodoro episcopis Galliarum post aliqua scribens, ait: Plurimi Iudaicę religionis viri, in hac prouincia commanentes, ac subindè in Massiliæ partibus pro diuersis negocijs ambulantes, ad nostram perduxêre notitiam, multos consistentium in illis partibus Iudæorum, vi magis ad fontem baptismatis, quàm prædicatione perductos. Nam intentionem quidem huiuscemodi & laude dignam censeo, & de Domini nostri descendere dilectione profiteor. Sed hanc eandem intentionem nisì competens scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo nè aut mercedis opus exindè non proueniat, aut iuxta aliquid animarum, quas eripi volumus, quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem, non prædicationis suauitate, sed necessitate peruenerit, ad pristinam superstitionem remeans, indè deteriùs moritur, vndè renatus esse videbatur. Fraternitas ergò vestra huiuscemodi homines frequenti prędicatione prouocet, quatenùs mutare veterem magìs vitam de doctoris suauitate desiderent. Sic enim & intentio nostra rectè perficitur, & conuersi animus ad priorem denuò vomitum non mutatur. Adhibendus ergò illis est sermo, qui & errorum spinas in ipsis vrere debeat, & prædicando, quod in his tenebrescit, illuminet: vt pro his admonitione frequenti mercedē fraternitas vestra capiat, & eorum, quantas Deus donauerit, animas ad regenerationem nouæ vitę perducat. Item Victori episcopo Panormitano: Sicut Iudæis non debet esse licentia, quicquam in synagogis suis vltrà, quàm permissum est lege, præsumere: ità in his, quæ eis concessa sunt, nullum debent præiudicium sustinere.

Li. 1. epi. 45.

Lib. 7. epist. 26. Indi. 1.

43 Quemadmodùm Iudæos violenter baptizari Gregorius denegabat, ità Christianos eis quoquomodò subijci, nullatenùs permittebat. Vndè Libertino * prætori Siciliæ scribens, ait: Fertur, quòd Nasas quidam sceleratissimus Iudæorū, sub nomine beati Elię oratorium punienda temeritate construxerit, multosque illic Christianorum ad adorandum sacrilega seductione deceperit. Sed & Christiana, vt dicitur, mancipia

* præfecto

lib. 2. epist. 37. Indi. 11.

comparauit, & suis ea obsequijs ac vtilitatibus deputauit. Dum igitur seuerissimè in eum pro tantis facinoribus debuisset vlcisci, gloriosus Iustinus medicamento auaritiæ, vt nobis scriptum est, delinitus, Dei distulit iniuriam vindicare. Gloria autem vestra hæc omnia districta examinatione perquirat, & si huiuscemodi manifestum esse repererit, ità districtissimè ac corporaliter in eundem sceleratum festinet vindicare Iudæum, quatenùs hac ex causa, & gratiam sibi Dei nostri conciliet, & his se posteris pro sua mercede imitandum monstret exemplis. Mancipia autem Christiana, quæcunque eum comparâsse patuerit, ad libertatem, iuxta legum præcepta, sine ambiguitate perducite, nè, quod absit, Christiana religio Iudæis quoquomodò subdita polluatur.

Li.3.epi.21. Item Venantio episcopo Lunensi: Multorum ad nos relatione peruenit, à Iudæis in Lunensi ciuitate degentibus, in seruitium Christiana detineri mancipia. Quæ res nobis tanto visa est asperior, quanto à fraternitatis tuæ patientia operosior. Oportebat quippe te respectu loci tui ac Christianæ religionis intuitu, nullam relinquere occasionem superstitioni Iudaicæ, nè simplices animæ non tam suasionibus, quàm potestatis iure quodammodò deseruirēt. Quamobrèm hortamur fraternitatem tuam, vt secundùm pijssimarum legum tramitem, nullo Iudæo liceat Christianum mancipium in suo retinere dominio: sed si qui penès eos inueniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione seruetur.

44 Si quos Christianorum pro longitudine itineris per prouincias ab Hebræorum seruitio per legalem violentiam Gregorius liberare non poterat, suis precijs redimendos esse censebat. Vndè Candido presbytero per Gallias scribens: Dominicus, inquit, (Li.6.epi.21.) præsentium portitor, lachrymabiliter nobis innotuit, quatuor fratres suos de captiuitate à Iudæis redemptos esse, atque eos nunc Narbonæ in eorundem Iudæorum seruitio detineri. Et quia omninò graue execrandumque est, Christianos esse in seruitio Iudæorum, dilectionem tuam scriptis præsentibus adhortamur, vt cum omni subtilitate & solicitudine studeat perscrutari, & si re vera ità est, atque manifesta tibi veritate constiterit, quia neque ipsi vndè se redimant, neque suprascriptus portitor habet, eos studij tui sit redimere, sciens quia quicquid in eis dederis, tuis sine dubio rationibus imputabitur.

45 Iudæorum mancipia semèl confugientia ad Ecclesiam, nunquàm quibuslibet sua-
Li.3.epi.9. sionibus reddi iubebat. Vndè Ianuario Caralitano episcopo inter cætera scribens, ait: Peruenit ad nos, seruos ancillasque Iudæorum fidei causa ad Ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, nè restituantur, precium dari. Hortamur igitur, vt nullatenùs tam prauam consuetudinem manere permittas. Sed cùm quilibet Iudæorum seruus ad venerabilia loca fidei causa confugerit, nullatenùs eum patiamini præiudicium sustinere. Sed siue olìm Christianus, siue nunc fuerit baptizandus, sine vllo Christianorum pauperum damno, religioso Ecclesiasticæ pietatis patrocinio, in libertatem modis omnibus defendatur.

46 Non solùm Christiana mancipia Gregorius in libertatem pristinam legaliter re-
Li.5.epi.31. uocabat, verùm etiam pagana, ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat. Vndè Fortunato Neapolitano episcopo inter cætera scribens, ait: Fraternitatem vestram oportet esse solicitam, & si de Iudæorum seruitio nō solùm Iudæus, sed etiam quisquam paganorum fieri voluerit Christianus, postquàm voluntas eius fuerit patefacta, nè hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Iudæorum venundandi facultas sit. Sed is, qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vindicetur. Hi verò, quos huiuscemodi oportet seruos amittere, nè forsitan vtilitates suas irrationabiliter æstimēt impediri, solicita vos hoc conuenit consideratione seruare: vt si paganos, quos mercimonij causa de exteris finibus emerint, intra tres menses, dum emptor, cui vendi debeant, inueniatur, fugere ad ecclesiam fortè contigerit, & velle se dixerint fieri Christianos, vel etiam extra ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, precium eorum à Christiano scilicet emptore percipiant. Si autem post præfinitos tres menses quisquam huiuscemodi seruorum Iudaicorum velle suum edixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodùm emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venundare, sed ad libertatis proculdubiò præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad seruiendum sibi intelligitur reseruâsse.

47 Pagana mancipia Iudæos, videlicet dominos suos, ad fidem præcedentia, in eorum seruitium, etiam si ipsi eos ad Christianitatem subsequebantur, nullo modo reuo-

cabat

cabat. Vndè Iohanni Syracusano episcopo: Felix, inquit, præsentium portior questus nobis est, cùm sit de Christianis natus parentibus, à quodam Christiano, Samaræo se, quod dici scelus est, esse donatum: & dum huiuscemodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere, nec ratio legis, nec reuerētia religionis admittat, se tamen per decem & octo annos in eius asserit seruitio permansisse: sed cognoscente hoc decessore vestro sanctæ memoriæ Maximiano, ab eo se zelo, sicut decuit, sacerdotali commoto, de Samaræi nefario seruitio dicit liberatū. Sed quia eiusdem Samaræi filius post quinq; annos factus dicitur Christianus, & suprascriptum Felicem in eius seruitium, quantùm ipse dicit, quidam nitūtur redigere, sanctitas vestra hæc, quę edocti sumus, diligenter inquirat: & si ità ei esse constiterit, eū tueri studeat, & à nullo sub qualibet occasione grauari permittat: quia dum superstitiosæ sectæ mancipia, dominos suos ad fidem præcedentia, seruitio eorum apertè redigi iura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus, & factus à paruulo Christianus, hanc nō debet quæstionem aliquo modo sustinere? maximè quia nec patris esse seruus potuit, quem liquet ex praua potiùs præsumptione pœnam posse venientem de legibus sustinere. Li.7.epi.22. Indict.1.

48 Circuncidi saltem paganorum neminem Gregorius permittebat. Quamobrèm Leoni Catanensi episcopo: Res, inquit, ad nos omninò detestabilis & legibus inimica peruenit, quæ si vera est, fraternitatem tuam vehementer accusat, quia eam de minori solicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem, quòd Iudæi vel Samaræi degentes Catanæ, pagana mancipia emerint, atque ea circuncidere ausu temerario præsumpserint. Idcircò necessè est, vt omnimodò zelum in hac causa sacerdotalē exerceas, & cum omni hoc viuacitate ac solicitudine studeas perscrutari. Et si ità repereris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus vendica, & Ecclesiasticā eis tuitionem impende. Nec quicquam dominos eorum de precio quolibet modo recipere patiaris: qui non solùm hoc damno mulctandi, sed etiam alia erunt pœna de legibus feriendi. Li.5.epi.32.

49 Sanè quia Iudæorum perfidia zelum Christianorum, datis contra se muneribus, ludificare solebat, non solùm nil ab eis penitùs capiebat, quinimmò eorum munera Gregorius execrabilia iudicabat. Vndè Recharedo regi Vuisigothorum posteà scribit, dicens: Præterea indico, quia creuit de vestro opere in laudibus Dei hoc, quod dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante cognoui: quia cùm vestra excellētia constitutionem quandam contra Iudæorum perfidiā dedisset, hi de quibus prolata fuerat, rectitudinē vestræ mentis inflectere, pecuniarum summā offerendo moliti sunt. Quam excellentia vestra contempsit, & omnipotentis Dei placere iudicio quærens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi Dauid regis factum ad memoriam venit. Cui dum concupita aqua de cisterna Bethlehemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset oblata, protinùs dixit: Absit à me, vt sanguinē istorum hominum bibam. Quam quia fudit, & bibere noluit, scriptum est: Libauit eam Domino. Si igitur ab armato rege in sacrificiū Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius nō aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque fili excellentissime fidēter dicam, quia libâsti aurum Domino, quod contra eum habere nullo modo voluisti, Et cætera. Li.7.epi.126 Indict.2. 2.Reg.23.

50 Hinc est, quòd, sicut à Maioribus traditur, & nos vsq; ad nostra tempora, dum adhuc pubesceremus, oculis nostris conspeximus, consuetudo vetus obtinuit, vt omnes superstitionis illius homines, quātumcunq; pulcherrima mercimonia detulissent, nunquàm pontificalibus alloquijs fruerentur, nunquàm obtutibus Apostolicis potirētur: sed extra velum longissimæ porticûs, non quidem in scamnis, sed in marmoreo pauimento sedentes, suscepta precia numerabant, nè videlicet viderētur aliquid de manu pontificis accepisse. Nam reuerendæ memoriæ Nicolaus pontifex Arseniū quondàm, Hortanæ ciuitatis episcopum, Iudaicas tunc primùm pellicias introducere moliētem, adeò auersatus est, vt ei palatinā processionem vellet adimere, nisi superstitiosæ gentis *vestibus adiurādo, cū sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisset. Rom. Pontifices quā olim auersati Iudæos. Legēdū videtur, * vestem abiurādo.

51 Antichristi præcursores, obseruari debere sabbatum prædicantes, Gregorius comminando taliter refutauit: Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritûs homines, praua inter vos aliqua & sanctæ fidei aduersa seminâsse, ità vt die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? qui veniens diem sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se simul & Lib.11.epi.3.

resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum. Et quia Iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Hoc enim, quod per Prophetam dicitur: Nè inferatis onera per portas vestras die sabbati: tandiù teneri potuit, quandiù legem licuit iuxta literam custodiri. At postquàm gratia omnipotentis Domini nostri Iesu Christi apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta sunt, iuxta literam seruari non possunt. Nam si quis dicit hoc de sabbato esse seruandum, dicat necessè est, etiam carnalia sacrificia persoluenda, dicat præceptum quoquè de circuncisione corporis adhucusque retinendum: sed contra se Paulum Apostolum audiat dicentem: Si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest. Nos itaque hoc, quod de sabbato scriptum est, spiritualiter accipimus, spiritualiter retinemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem sabbatū, ipsum redemptorem nostrum Iesum Christum Dominum habemus. Et qui lucem fidei eius cognoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit. Non ergò in die sabbati onera per portas introducimus, si in redemptoris nostri gratia cōstituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac redemptor noster, multa in die sabbati legitur operatus, ità vt Iudæos repræhenderet, dicens: Quis vestrûm bouem aut asinum suum non soluit in die sabbati, & ducit adaquare? Si ergò ipsa per se veritas nō custodiri iuxta literam sabbatum præcepit, quisquis ociosus sabbatum secundùm legis literam custodit, cui alteri, nisi ipsi veritati contradicit? Aliud quoquè ad me perlatum est, vobis à peruersis hominibus esse prædicatū, vt Dominicorum die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxu animi atque voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus. Scriptum quippe est: Nemo vnquàm carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet eam. Et rursùm scriptum est: Carnis curam nè feceritis in concupiscentijs. Qui igitur carnis curam in concupiscentijs fieri prohibet, profectò in necessitatibus concedit. Nam si Dominicorum die corpus lauare peccatum est, lauari ergò die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc, exigente necessitate, toti corpori denegetur? Dominicorum verò die à labore terreno cessandum est, atque omnimodò orationibus insistendū: vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

[Marginal notes: Ierem.17. — Galat.5. — Sabbatū nostrū, Christus. — Luc.13. — Ephe.5. — Rom.13. — Dominico die quid agendum.]

52 Tanta compassionis gratia circa omnes Gregorius redundabat, vt alterius infirmitatem in suo corpore hunc sustinuisse, si velis, aspicias. Vndè Iohanni Rauennati episcopo scribens, ait: Dominicis mandatis præcipimur proximos, sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus tanquàm proprijs infirmitatibus condolere. Quorū memor vestra fraternitas, competenti sibi more Castorium fratrem coëpiscopumque nostrum, & priùs per compassionē studuit visitare, & eum postmodùm pro excrescente molestia corporis, in Rauennati vrbe suscipere. Vndè non solùm nos inpensæ charitatis, sed & Deum vobis fecistis proculdubiò debitorem, cui in fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumque ægrum in sui membri molestia, non solùm visitâsse, sed etiam suscepisse. Quem quidem ipse pro sua simplicitate illic ordinare omninò renuebam, sed petentium importunitas fecit, vt nullatenùs cōtradicere potuissem. Si autem fieri potest, multùm mihi & ipsi consulitis, si eum ad me vel per Siciliam transmittatis. Item Leontio episcopo Vrbinati: Castorium fratrem coëpiscopumque nostrum Romæ pro corporis sui molestia retinemus. Et quia nunc ad suam non valet ecclesiam remeare, propterea eo absente, ecclesiæ ipsius fraternitati tuæ visitationis operam præuidimus delegandam. Item vniuersis habitatoribus Arimini: Si culpam vestram, filij dilectissimi, intentiùs velitis attendere, assidua vos apud Deum debetis oratione purgare, quòd episcopum vestrum non deuota mente, nec vt filij suscepistis. Quem inquietudo & tribulatio à vobis illata, ad hoc vsque perduxit, vt molestiam corporalem incurreret. Quamuis in eo nihil de his, quæ nobis sunt scripta, cognouimus, sed solam inesse debilitatem vidimus, pro qua eum hîc retinere curauimus. Item Eulogio Patriarchæ Alexandrino: Ante hoc temporis Bonifacij chartularij responsalis mei, qui in vrbe regia demoratur, vehementer me scripta turbauêre, quæ dicebant dulcissimam mihi atque suauissimam sanctitatem vestram defectum corporei luminis pertulisse. Ex quibus scriptis graui mœrore perculsus sum. Sed subitò creatoris ac redemptoris nostri gratia prosperante, beatitudinis vestræ suscepi epistolam, & sanum de ea corporis molestia, quam audieram, agnoscens, exultaui vehementer: quia tanta

[Marginal notes: Li.2. epi.22. Indict.10. — Li.2.epi.24. Indict.11. — Ibidèm epist.25. — Li.11.epi.47]

lætitia cordis secuta est,quanta priùs tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim,quia in omnipotẽtis Dei adiutorio,multorum salus est vita vestra. Item Rusticianæ patritiæ: Quotiès de vrbe regia ad nos aliquis venit,curæ nobis est,de corporis vestri sospitate requirere: sed peccatis meis facientibus,semper audio,quæ me tædet audire. Quia in tanta tenuitate ac debilitate,adhuc in vobis referunt podagræ dolores excrescere. Sed oro omnipotentem Deum, vt omnia, quæ in vestro corpore aguntur, ad salutem animæ dirigantur. Flagella temporalia æternam vobis præparent quietem, & per eos dolores,qui cum fine sunt, gaudia vobis sine fine concedat. Item Mariano episcopo Rauennati: Venientes quidam Rauennates homines,grauissimo me mœrore inuenerunt perculsum,quia fraternitatem tuam retulerunt de vomitu sanguinis ægrotare. Ex qua re sollicitè & singulatim eos,quos hîc doctos lectione nouimus, medicos fecimus requiri: & quid singuli senserint, quid've dictauerint, sanctitati vestræ scriptum misimus. Qui tamen quietem & silentium præ omnibus dictant. Quam si tua fraternitas in sua ecclesia possit habere,valdè sum dubius. Et ideò videtur mihi,vt ordinata illic ecclesia,vel qui Missarum solennia explere valeant,vel qui episcopij curã gerere,hospitalitatem & susceptionem possit exhibere, qui've monasterijs custodiendis præesse nôrint, tua fraternitas ad me ante æstiuum tempus debeat venire,vt ægritudinis tuæ ego specialiter,inquantùm valeo,curam geram,quietemque tuam custodiam. Quia huic ægritudini æstiuum tempus medici vehementer dicunt periculosum: & valdè pertimesco, nè si curas aliquas cum aduersitate corporis ceperis, ampliùs ex eadem molestia periclitaris. Ego enim ipse valdè sum debilis,& omninò est vtile,vt cum Dei gratia sanus ad tuam ecclesiam redeas: aut certè,si vocandus es,inter manus tuorum voceris: & ego, qui me proximum morti video,si me omnipotens Deus antè vocare voluerit, inter tuas manus debeam transire.

Li.11.ep.24. Li.9.ep.37.

53 Pro barbarorum incursionibus bis in hebdomada fieri Litanias Gregorius decernebat. Quapropter vniuersis episcopis Siciliæ scribens,ait: Super afflictiones & gemitus,quos annosa hîc continuatione de hostibus sustinemus, maior nos metus excruciat,quòd inimicos nostros omni annisu ad Siciliæ inuasionem cognoscimus festinare. Sed nè hoc illis molientibus,prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum,toto nos corde ad redemptoris nostri remedia conferamus,& quibus virtute resistere non possumus,lachrymis obuiemus. Nam quid vobis cauendum, quidve sit vehementiùs formidandum,ex istius prouinciæ deberis desolatione colligere. Itaque hortor,fratres reuerendissimi, vt omni hebdomada quarta & sexta feria Litaniam inexcusabiliter indicatis, & contra hos barbaricæ crudelitatis incursus, supernæ protectionis auxilium imploretis. Li.9.epi.45.

54 Eandem Siciliam Simoniaca hæresi libidineque sordentem, Gregorius, sicut modò cernitur,perituram prædixit, Maximiano Syracusano episcopo scribens: Tanta nobis subindè mala, quæ aguntur in illa prouincia, nunciantur, vt peccatis facientibus, quod auertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus. Li.3.epi.18.

55 Sed & peiora prioribus esse futura, præsago spiritu Maximo Salonitano episcopo scribit,dicens: Ad Romanam Vrbem veniens communis filius presbyter Veteranus, ità me podagræ doloribus debilem reperit,vt fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenùs valuissem. Et quidem de Sclauorum gente,quæ vobis valdè imminet, & affligor vehementer, & turbor. Affligor in his, quæ iam in vobis patior: conturbor autem,quia per Istriæ aditum iam ad Italiam intrare cœperunt. De Iuliano autem Scribone quid dicam, quandò vbiquè video, quia nobis peccata nostra respondeant,vt & foris à gentibus, & intùs à peruersis iudicibus conturbemur? Sed nolite de talibus omnimodò contristari, quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ità vt in comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse. Inquantùm verò præualet fraternitas tua, opponere se pro oppressis debet. Quæ etiam si prodesse minimè valuerit, ipsa omnipotenti Deo mentis deuotio sufficit, quam dedit. Scriptum est enim: Eripe eos qui ducuntur ad mortem,& qui trahuntur ad interitum,liberare nè cesses. Quòd si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit. In omni ergò, quod agis,inspectorem cordis appete habere placatum. Quicquid est,vndè illi placeas,facere non omittas. Nã humani terrores & gratiæ,fumo sunt similes,qui leni aura raptus euanescit. Hoc certissimè scito, quia placere Deo & prauis hominibus nullus potest. In tãto se ergò ęstimet fraternitas tua omnipotẽti Deo placuisse,quanto se peruersis hominibus displicuisse cognouerit. Ipsa tamen defensio

Li.8.epi.36. Futura prædicit. Prouer.24.

pauperum, moderata, & grauis sit; nè, si quid nimis rigidè agitis, ex iuuentute vos arbitrentur homines superbire. Sed talis necesse est vt inueniatur pro oppressis vestra defensio, quatenùs & humiles protectionem sentiant, & oppressores non facilè inueniant, quod ex maleuola mente reprehendant. Attende ergò, quod ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Et beatus Iob ait: Frater fui draconum, & socius struthionum. Et Paulus discipulis dicit: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mūdo. Tantò ergò debemus cautiùs ambulare, quantò nos scimus inter Dei inimicos viuere.

Ezech. 2. Iob 30. Phil. 2.

Lib. 7. epist. 24. Indict. 2.

56 Huius cautelæ suæ conscius, Romano defensori Gregorius ait: Peruénit ad nos, quia quidam homines minorem omnimodò discretionem tenentes, in suis nòs periculis implicari desiderent, atque ità volunt ab Ecclesiasticis personis defendi, vt ipsæ quoquè personæ Ecclesiasticæ ex eorum culpa teneantur. Idcircò præsenti te præceptione admoneo, & per te fratrem & coëpiscopum nostrum dominum Iohannem, vel cæteros, qui interesse possunt, vt patrocinia Ecclesiastica, siue mea suscipiatis scripta, siue etiam ea minimè fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impēdere, quatenùs si qui in furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniustè defendi, nè opinionem malè agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos vllo modo transferamus. Sed quantùm decet Ecclesiam, admonendo, verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.

57 Item Iohanni episcopo post aliqua: Si qui eorum, de quibus est aliqua quæstio, in ecclesiam fortaßè refugerint, ità debet causa disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec hi, qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Curæ ergò vestræ sit, vt eis sacramentum ab his, quorum interest, de seruanda lege & iustitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum redd ere rationem. Quibus etiam ecclesiæ vestræ defensorem deputare vos conuenit, cuius solicitudine ea, quæ illis fuerint promissa, seruentur.

58 Quantæ humilitatis Gregorius fuerit, cùm ex multis, tum ex his manifestissimè poterit depræhendi, quòd omnes quidem sacerdotes, fratres & comministros: clericos autem diuersi ordinis, dilectissimos filios: at verò laicos viros, dominos: & fœminas, dominas in suis literis nominabat, neque ab aliquo se summum pontificem, aut vniuersalem siue dominum vocari æquanimiter permittebat. Nam vt ea, quæ super huiusmodi compræhensa sunt, prætermittam, Rusticianæ patritiæ scribens, ait: Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in grauissima ægritudine positum, de salute, de deuotione, ac de dulcedine sua omninò releuârunt. Vnum verò ægrè suscepi, quia in eisdem epistolis ad me, quod semèl esse poterat, sæpiùs dicebatur, Ancilla vestra, & Ancilla vestra. Ego enim, qui per episcopatûs onera seruus sum omnium factus, qua ratione te mihi ancillam dicis, cuius ante susceptum episcopatum proprius fui? Et ideò rogo per omnipotentem Deum, nè hoc verbum aliquandò ad me in scriptis vestris inueniam.

Li. 9. epi. 38.

59 Huius humilitatis māsuetudine Gregorius non solùm Theudelindæ reginæ Longobardorum pro tribus capitulis, verùm etiam inter alios Sauino quoquè suo subdiacono satisfacere non renuit, dicens: Exeuntes maligni homines, turbauêre animos vestros, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: Adstruentes, quòd aliquid de sancta Chalcedonensi synodo piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutum: quam nos omni fide omnique deuotione veneramur, & sic quatuor synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Euangelij recipimus. De personis verò, de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est ventilatum, ità tamen, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliud aliquid ageretur, quàm apud eandem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem, si quis ex definitione fidei, quæ in eadem synodo prolata est, aliquid imminuere præsumit, vel quasi corrigendo eius sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergò, fili charissime, decet ad vnitatem fidei remeare, vt finem tuum valeas in pace concludere, nè malignus spiritus, qui contra te per alia opera præualere non potest, ex hac causa inueniat, vndè tibi in die exitûs tui in aditu regni cælestis obsistat.

Lib. 2. ep. 10 Indict. 10.

Li. 6. epi. 22. 60 Item Gregoriæ cubiculariæ Augustorum post cætera: Quòd dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quousquè scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sint, rem & difficilem & inutilem postulâsti. Difficilem

lem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousquè veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.

61 Item Anastasio presbytero Isauriæ post aliqua: Tua itaque fraternitas quantùm in charitate perfecta sit, scio. Et quia omnipotentem Deum multùm diligit, oportet vt de proximo multùm præsumat. Non enim loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt: sed ei nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt. Quia ergò adhuc incertum est, quis interiùs qualis sit, cur non audeas scribere, dum inter me & te quis sit superior, ignores? Et quidem benè te viuere scio, me autem multis oneratum peccatis cognosco: sed & si ipse peccator es, me tamen multo es melior, quia tua tantummodò: ego verò & eorum, qui mihi commissi sunt, peccata porto. In hoc ergò ego te altum, in hoc magnum adspicio, quia ante humanos oculos in magno atque in alto loco minimè profecisti. In quo sæpè dum exteriùs ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus grauatur. Tibi autem omnipotens Deus, iuxta hoc quod scriptum est, Ascensus in corde disposuit in conualle lachrymarum. Multo nanque mihi altior, multo sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterij, quod Neas dicitur, suscepisses. Li. 6. ep. 29. Psal. 83.

62 Item Stephano episcopo inter alia: Multum mihi & vltrà, quàm indignus audire debui, fauorem in vestris epistolis demonstrâstis, Et scriptum est: Nè laudes hominem, quandiu viuit. Tamen etsi audire talia dignus non fui, orationibus vestris peto vt dignus efficiar: vt si bona in me non ideò dixistis, quia sunt: ideò sint, quia dixistis. Lib. 6. ep. 8. Eccli 11.

63 Sed nè solis verbis tanti præsulis humilitas inculcari credatur, superest vt Græcorum relationibus ad me nuper interpretatis, eadem patris humilitas viuis operibus demonstretur. In quibus videlicet ità refertur: Enarrauit nobis Abbas Iohannes Persa, sanctus & reuerendus vir existens, de magno Gregorio beatissimo Papa Romano, dicens: Quoniam iui Romam ad adorandum loculos sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & vna dierum cùm starem in medio ciuitatis, video Papam Gregorium per me transiturum, & cogitaui me mittere ante eum. Cùm ergò appropinquâsset mihi Papa, videns, quia pergerem vt mitterem me ante eum, sicut coram Deo dico fratres, primus misit se ante me super terram, & non antè surrexit, quàm ego prior surgerem: & amplexatus me cum multa humilitate, tribuit mihi per manum tria nummismata, & iussit dari mihi casulam & necessitates meas omnes. Glorificaui ergò Deum, qui donauit ei talem humilitatem circa omnes, & eleemosynam, & charitatem. Prati spiritualis cap. 151.

64 Hinc est, quòd patientissimus pastor Gregorius penès Imperatorem Mauritium, sibi prorsùs infensum, dudùm accusatus, quòd Malchum episcopum, sui patrimonij prouisorem, pro retentis pensionibus tandiù in custodijs afflixisset, quousque spiritum exhalaret, Sabiniano suo Constantinopolitano diacono scribens, ait: Vnum est, quod breuiter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego seruus eorum in mortē Longobardorum me miscere voluissem, hodiè Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione diuisa esset. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem idem episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione: sed die, qua causam dixit, & addictus est, nesciente me, à Bonifacio notario in domum eius ductus est, ibique prandidit & honoratus est ab eo, & nocte subitò mortuus est inuentus. Lib 7. ep. 1. Indict. 1.

65 Igitur in omnibus suis dictis vel operibus Gregorius imminentem futuræ retributionis diem vltimum perpendebat, tantoque cautiùs cuncta cunctorum negocia ponderabat, quanto propinquiùs finem mundi insistere, ruinis eius crebrescentibus, aduertebat. Quapropter in Homilijs euangelicis perhibet, dicens: Exurget gens contra gentem, & regnum aduersùs regnum, & erunt terræmotus magni per loca, & pestilentiæ, & fames. Et quibusdam interpositis, adiunxit: Et erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris & fluctuum. Ex quibus profectò omnibus alia iam facta cernimus, alia è proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plùs iam in nostris tribulationibus * patimur, quàm in codicibus legimus. Quòd terræmotus vrbes innumeras subruat, ex alijs mundi partibus, scitis, quàm frequēter audiuimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Signa verò in sole & luna & stellis adhuc apertè minimè vidimus. Sed quia hæc nō longè sint, ex ipsa iam aëris immutatione colligimus. Homilia 1. in Euangelia. * cernimus.

Quanuis

Quamuis priùs, quàm Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsum, qui posteà humani generis fusus est, sanguinem coruscantes. Confusio autem maris & fluctuum needùm noua exorta est. Sed cùm multa iam prænunciata completa sint, dubium non est, quin sequātur etiam pauca, quæ restant: Quia sequentium rerum certitudo, est præteritarum exhibitio. Et paulò pòst: Eccè fratres mei iam cernimus, quod audiebamus. Nouis quotidiè & crebrescentibus malis mundus vrgetur. Ex illa plebe innumera quanti remanseritis, aspicitis: & tamen quotidiè flagella vrgent, repentini casus opprimunt, nouæ nos & improuisæ clades affligunt. Sicut enim in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, torosa ceruix, plena sunt brachia: in annis autem senilibus statura curuatur, ceruix exiccata deponitur, frequentibus suspirijs pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit. Nam si languor desit, plerunquè senibus ipsa salus, ægritudo est. Ità mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestijs crebrescentibus vrgetur. Et iterùm: Euntes prædicate, dicentes: Quia appropinquabit regnum cælorum. Hoc iam fratres dilectissimi, etiam si euangelium taceat, mundus clamat. Ruinæ nanque illius, voces eius sunt. Qui enim tot attritus percussionibus à gloria sua cecidit, quasi iam nobis è proximo regnum aliud, quod sequatur, ostendit. Ipsæ enim eius ruinæ prædicant, quòd amandus non est. Si enim ruinam suî domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: & qui stantem dilexerat, recedere quantocyus à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur: opprimi volumus potiùs, quàm habitare. Quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos in eius passionibus amor ligat. Facile est ergò nūc iam cùm destructa omnia cernimus, animum nostrum ab eius dilectione disiungere. Sed hoc illo in tempore difficilimum fuit, quo tunc apostoli prædicare cæleste regnum inuisibile mittebantur, cùm longè lateque omnia cernerent florere regna terrarum.

Homilia 4. in Euangelia.

66 Quæ autem de istius Vrbis Gregorius incommoditate descripserit, indicabo, quatenùs hi, qui nunc in ruinis eius habitantes, eam ordinatiorem, ac per hoc valentiorem fuisse non autumant, contremiscant. Ait enim in expositionis Ezechielis Homilia octauadecima sic: Quid est iam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Vbiquè luctus aspicimus, vndiquè gemitus audimus. Destructæ vrbes, euersa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in vrbibus habitator remansit. Et tamen ipsæ paruæ generis humani reliquiæ, adhuc quotidiè & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cælestis iustitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergò, quod in hac vita libeat, fratres mei? Si talem mūdum adhuc diligimus, non iam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem, quæ aliquandò mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, conspicitis. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione ciuium, impressione hostium, frequentia ruinarum, ità vt in ea completum esse videamus, quod contra Samariam per Ezechielem prophetam prædictum est: Pone ollam, pone, inquam, & mitte in ea aquam, & congere frusta eius in ea. Et paulò pòst: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa illius in medio eius. Atque iterùm: Congere ossa, quæ igne succendam. Consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Pone quoquè eam super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius. Tunc enim nobis olla posita est, cùm hæc est ciuitas constituta. Tunc in ea aqua missa est, & frusta eius congesta sunt, quandò ad eam vndiquè populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi feruescerent, & quasi frusta carnium in ipso suo feruore liquarentur. De qua benè dicitur: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa illius in medio eius. Quia priùs quidem in ea vehementer incaluit actio gloriæ secularis, sed postmodùm ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim, potentes seculi: per carnes verò, populi designantur. Quia sicut carnes portantur ossibus, ità per potentes seculi infirmitas regitur populorum. Sed eccè iam de illa omnes huius seculi potentes ablati sunt. Ossa ergò excocta sunt. Eccè populi defecerunt: carnes eius liquefactæ sunt. Dicatur itaque: Congere ossa, quæ igne succendam. Consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Vbi enim senatus? vbi iam populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes. Omnis in ea secularium dignitatum ordo extinctus est, excocta ergò est vniuersa com-

Flagella Dei nō cessant, dum non cessatur à sceleribus.

Ezech. 24.

Clades vrbis Romæ tempore S. Gregorij.

sa compositio eius. Et tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidiè gladij, adhuc quotidiè innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergò: Pone quoquè eam super prunas vacuam. Quia enim senatus deest, populus interijt, & tamen in paucis, qui sunt, dolores & gemitus quotidiè multiplicantur, iam ergò vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cùm ruinis crebrescentibus, ipsa quoquè eius destrui ædificia videmus? Vndè aptè de ciuitate iam vacua subditur: Incalescat & liquefiat ęs eius. Iam enim & ipsa olla consumitur, in qua priùs carnes consumebantur & ossa: quia postquàm defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Vbi enim sunt, qui in eius aliquandò gloria lætabantur? Vbi eorum pompa? Vbi superbia? Vbi frequens & immoderatum gaudium? Impletum est in ea, quod contra destructam Niniuen per prophetam dicitur: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? An eius duces ac principes leones non erant, qui per diuersas mundi prouincias discurrentes, prędam sæuiendo & interficiendo rapiebant? Hinc leonum catuli inueniebant pascua: quia pueri, adolescentes, iuuenes, seculares & secularium filij huc vndiquè concurrebant, cùm proficere in hoc mundo voluissent. Sed eccè iam desolata, eccè contrita, eccè gemitibus oppressa est. Iam nemo ad eam currit, vt in hoc mundo proficiat: iam nullus potens & violentus remansit, qui opprimendo prædam diripiat. Dicamus ergo: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? Contigit ei, quod de Iudæa nouimus per prophetam dictum: Dilata caluitium tuum sicut aquila. Caluitium quippe hominis, in solo capite fieri solet: caluitium verò aquilæ, in toto fit corpore: quia cùm valdè senuerit, plumæ eius ac pennæ ex omnibus illius membris cadunt. Caluitium ergò suum sicut aquila Roma dilatat, quia plumas perdidit, dum populos amisit. Alarum quippe pennæ ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueuerat: quia omnes eius potētes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Item Dialogorum libro secundo: Prætereà, inquit, antistes Canusinæ ecclesiæ ad Benedictum Domini famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc regem ciuitas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terræmotu fatigata, marcescet in semetipsa. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia, longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternūtur, videmus. Item in epistola Iohanni Episcopo Rauennati post aliqua: Si quando est aliquando locus obtinendi, agat apud Exarchū fraternitas vestra, vt pacem cum Arnulpho, si aliquid parum possumus, faciamus: quia miles de Romana Vrbe ablatus est, sicut ipse nouit: Theodosiani verò, qui hîc remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant: & destituta ab omnibus ciuitas, si pacem eius non habet, quomodò subsistet?

Nahum 2. / Mich. 1. / Li. 2. cap. 15. / Prophetia S. Benedicti de Roma. / Lib. 2. epist. 32. Ind. 10.

67 Tantis curarum tumultibus pro animarum pariter ac ciuitatis custodia Gregorius grauabatur, vt in coli molestias corruēs, non solùm, sicut proposuerat, per ordinem Ezechielis mysteria minimè pertractaret, verùm etiam hostilibus incursionibus, multisq; corporis debilitatibus aggrauatus, à studio expositionis omninò desisteret, & ad dies illos se peruenisse defleret, atque dissolutionem sui corporis totis conatibus flagitaret. Quapropter eidem Iohanni episcopo queritur, dicens: Quòd multis vestræ beatitudini minimè respondi, nō hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus eo tempore, quo Arnulphus ad Romanam Vrbem veniens, alios occidit, alios detruncauit, tanta mœstitia affectus sum, vt in * coli molestiam caderem. Ibidem. / * colicam

Item in expositione vltimæ visionis Ezechielis prophetæ: Quia multis curis prementibus prophetæ librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis vestris desiderijs placuit petere, vt saltem extrema eius visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus eius obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parére necessè est, sed duo sunt, quæ hac in re perturbant animum meum: Vnum, quòd hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, vt vix in ea aliquid intellectu interlucēte videatur. Aliud, quòd iam Agilulphum Longobardorum regem ad obsidionem vestrā summoperè festinantē, Padum transisse cognouimus. Vndè pensate fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata? Quanto enim circa terrena plùs satagit, tanto in his, quæ sunt cælestia, minùs videt. Et pro In præfatione libri 2.

eo quòd

Sap.9. eo quòd curis suis extra se ducitur, valdè intùs minor est. Quia scriptum est: Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Quæ enim superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere poterit diuisa. Scimus omnes, quia & fluuius, qui in multis riuis diuiditur, à suo alueo siccatur. Item idem in eiusdem prophetæ tra-
Homil.11.in Ezechielem ctatibus, Homilia 11. Siue, inquit, iustus in culpam, siue peccator in mortem corruat, speculatori timẽdum est, nè hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter inuoluat. Sed interìm dum loquor, auertere à memetipso oculos volo, & eccè iterùm sermo diuinus me impingit in memetipsum, vt meam negligentiam videam, & mihi dici hæc, quæ audio, pertimescam. Sicut enim superiùs dixi, cuius cor innumeris curis sparsum, se ad se colligat? Quandò etenim possum & ea, quæ circa me sunt, solicitè omnia curare, & memetipsum adunato sensu conspicere? Quandò possum prauorum nequitias insequendo corrigere, bonorum actus laudando & admonendo custodire: alijs terrorem, atque alijs dulcedinem demonstrare? Qandò valeo, & de his, quæ sunt necessaria fratribus, cogitare, & contra hostiles gladios de vrbis vigilijs solicitudinem gerere, nè incursione subita ciues pereant, prouidere, & inter hęc omnia pro animarum custodia plenè atque efficaciter verbum exhortationis impendere? Loqui etenim de Deo, quietæ valdè & liberæ mentis est. Tunc nanque benè lingua dirigitur in sermone, cùm securè sensus quieu erit in trãquillitate. Quia nec concussa aqua imaginem respicientis reddit, sed tunc in ea vultus intendentis adspicitur, cùm non mouetur. Quam ergò exhortationem vobis speculator vester fratres charissimi faciat, quem tot rerum confusio per-
Pastores vt se suis subditis accommodare debeant. turbat? Et paulò pòst: Sacerdos etiam post compunctionem ac lachrymas cogitur necessaria quæque filiorum suorum cognoscere, & ea, quæ refugit animo, patienter audire, atque post suspiria cælestium, quorunlibet carnalium hominum onera portare, & sępè cum superuenientibus cor in diuersam qualitatem transfundere. Nam aliquandò de lucris spiritualibus gaudet: sed cùm quilibet mœrens superuenerit, nisì eius mœrorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquãdò de damnis animarum luget: sed repentè superueniunt, qui de suis prosperitatibus lætantur. Quorum si lætitiæ sacerdos non congaudet, minùs amare creditur filios, in quorum gaudio non
Rom.12. exultat, præcipuè cùm Paulus dicat: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Nihil ergò tam onerosum in ordine sacerdotum video, quàm rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis superuenientibus animum mutare. Et tamen hoc valdè est necessarium. Nam quandò ex prædicatione eius ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse, qui prædicat, videtur ingratus?

Homil.22. Item in fine eiusdem voluminis: Eccè hæc vt Domino largiente potuimus, coram vobis fratres charissimi rimati sumus. Nemo autem me repræhendat, si posthàc à locutione cessauero. Quia sicut omnes cernitis, nostræ tribulationes excreuerunt. Vndiquè gladijs circunfusi sumus, vndiquè imminens mortis periculum timemus. Alij detruncatis ad nos manibus redeunt, alij capti, alij interempti nunciãtur. Iam cogor linguam ab expositione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ. Iam nullus in me sacri eloquij studium requirat, quia versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Iam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat, quia dormitauit anima mea præ tædio. Iam minùs lectio animo dulcis est, quia oblitus sum manducare panem meum à voce gemitûs mei. Cui autem viuere non licet, de scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidiè amara bibere, quandò possum dulcia propinare?

Lib.7.epist. 27. Indi.2. Item idem Italicæ patritiæ & Venantio exmonacho patricio: Quosdam de Sicilia venientes, affectu, quo debui, de sospitate vestræ excellentiæ requirere curaui. Sed de assiduitate ægritudinum mihi tristia responderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de meipso inuenio aliud, quod debeam nunciare, nisì quòd peccatis meis facientibus, eccè iam vndecim menses sunt, quòd valdè rarum est, si de lecto surgere aliquandò potui. Tantis enim podagræ doloribus tantisque molestiarum premor angoribus, vt vita mea mihi grauissima pœna sit. Quotidiè enim in dolore deficio, & mortis remedium expectandò suspiro. In Clero verò huius Vrbis & populo tanti febrium languores irruerunt, vt penè nullus liber, nullus seruus remanserit, qui esse idoneus ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem vrbibus strages nobis mortalitatis quotidiè nunciantur. Aphrica autem qualiter mortalitate & languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quòd subtiliùs cognoscatis. De Oriente verò qui veniunt, grauiores desolationes nunciant. In his itaque omnibus, quia appropinquante fine

mundi

mundi generalem percussionem esse cognouimus, affligi nimis de proprijs molestijs non debemus. Item Eulogio patriarchæ Alexandrino: Transacto anno suauissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respōdere nunc vsq; non valui. Ecce enim iam bienniū penè expletur, quo lectulo teneor, tantisq; podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis vsq; ad horarum trium spatium surgere valeam, Missarum solennia celebrare. Mox autem cum graui cōpellor dolore decumbere, vt cruciatum meum non possim gemitu interrumpente tolerare: qui dolor interdùm lentus est, interdùm nimius: sed neq; ità lentus, vt recedat: neq; ità nimius, vt interficiat. Vndè fit, vt qui quotidiè in morte sum, quotidiè repellar à morte: nec mirum, quia peccator grauis, talis corruptionis carcere diù teneor inclusus. Vndè compellor exclamare: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine. Sed quia meis adhuc precibus obtinere non mereor, rogo vt vestræ sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adiutoriū præbeat, meq; à peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam, quam benè nôstis, libertatem gloriæ filiorum Dei. Item eidem: Peto autem, vt pro me enixiùs vestra sanctitas orare debeat, quia podagræ doloribus, & barbarorum gladijs, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quòd me contra omnia aduersa fortiter iuueris. Item eidem: Rogo ergò, vt pro me peccatore enixiùs oretis, quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immensa vastitas mortalitatis, inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit: inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro. Quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestræ beatitudinis hanc me obtinere cōfido. Item * Mariano episcopo Arabiæ: Multum iam tēpus est, quo surgere de lecto nō valeo. Nam me modò podagræ dolor cruciat, modò nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expādit: & fit plerunquè, vt vno in me tempore ardor cū dolore confligat, & corpus in me animusq; deficiat. Quantis autem alijs necessitatibus extra has, quas protuli, infirmitates afficiar, enumerare non valeo. Sed breuiter dico, quia sic me infectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna sit, & mortē desideranter expectē, quam gemitibus meis solā esse credo remedium. Proindè frater charissime diuinæ pro me pietatis misericordiā deprecare, vt percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiā tolerandi cōcedat, nè nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & quæ curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure. Item Rusticianæ patritiæ: De podagræ molestia, quā vobis euenisse signâstis, & contristatus vehementer sum, & lætatus. Lætatus, quia humor noxius inferiora petens, superiora profectò deseruit: Cōtristatus verò, quia in tā tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Vbi enim deest caro, quæ virtus esse poterit doloribus resistēs? Me etenim, quē qualis fuerim nôstis, ità amaritudo animi, & assidua exacerbatio, atq; præter hoc podagræ molestia affecit, vt corpus meū tanquàm in sepultura siccatū sit. Vndè fit, vt iam rarò de lecto surgere valeam. Item eidem: Ego in tanto gemitu & occupationibus viuo, vt ad dies, quos ago, me peruenisse pœniteat, solaque mihi in cōsolatione sit mortis expectatio. Vndè peto, vt pro me orare debeatis, quatenùs de hoc carnis carcere citiùs educar, nè tātis laboribus diutiùs torquear. Itē Anastasio Antiocheno: Rogo, vt pro mei cordis infirmitate enixiùs oretis, quatenùs omnipotēs Deus mentē meā ab omnibus malis pro vestra intercessione tueatur, & citiùs me de tot procellis huius tēpestatis eripiat, atq; in ęternæ quietis litore perducat.

Lib.8.epi.35 — Psal.141. — Lib.7.epist.78.Indi.2. — Lib.11.ep.47 — * Maximiano — Lib.9.ep.26. — Lib.9.ep.38. — Lib.11.ep.24 — Lib.7.epist.3.Indict.1.

68 Tantis precibus Gregorius tandèm aliquandò diuinitùs exauditus, postquàm sedem sanctæ catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex & diebus decem, doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustrauit, anno imperij Phocæ secundo, indictione septima, quarto Iduum Martiarum, à carnis corruptione subtractus est, incorruptionis perpetuæ gloria sublimandus. Qui videlicet omni vitæ suæ tempore sicut nouas basilicas minimè fabricârat, ità nimirùm fabricatarum veterum sartatecta cum summo studio annualiter reparabat. Quas reditibus, luminaribus, officijs atq; donarijs cumulans, in basilica B. Petri apostoli fastigium de argento purissimo, quod à Leone tertio pōtifice in basilica Sixtiana, sanctæ Mariæ nomini dedicata, translatum est, fabricauit: & in basilica beati Pauli apostoli super altare nihilominùs aliud fastigium procurauit. Huius prætereà venerabile corpus in extrema porticu basilicæ beati Petri apostoli ante secretarium tunc antiquissimum, quo videlicet Leo, Simplicius, Gelasius atque Symmachus, Apostolicæ sedis episcopi, cum nonnullis alijs tumulati, suis hactenùs epitaphijs prædicantur, sepultum tali titulo decoratur:

Moritur beatissimus Pontifex.

V Suscipe

Epitaphiũ S.Gregorij.

Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus aſtra petit: Leti nil iura valebunt,
Cui vitæ alterius mors magis ipſa via eſt.
Pontificis ſummi hoc clauduntur membra ſepulcro,
Qui innumeris ſemper viuit vbiquè bonis.
Eſuriem dapibus ſuperauit,frigora veſte,
Atque animas monitis texit ab hoſte ſacris:
Implebatque actu,quicquid ſermone docebat,
Eſſet vt exemplum,myſtica verba loquens.
Anglos ad Chriſtum conuertit mente benigna,
Sic fidei acquirens agmina gente noua.
Hic labor,hoc ſtudium,hæc tibi cura,hoc paſtor agebas,
Vt Domino offerres plurima lucra gregis:
Hisque Dei conſul factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum iam ſine fine tenes.

69 Quo ſcilicet liberaliſſimo paſtore defuncto, vehementiſſima fames eodem anno incubuit.Et quanto patrono tunc Roma caruerit, licèt rerum inopia toto penè mundo monſtrauerit,inuidorum tamen feritas minimè recognouit.Nam ſicut à maioribus traditur,cùm calumniarũ veterum incentores Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis patriarchatûs theſauri perſtreperent, deficiente perſonali materie, ad comburendos libros eius cœperunt pariter anhelare.Quorum dum quoſdã iam combuſſiſſent, & reliquos vellent exurere, Petrus diaconus familiariſſimus eius, cum quo quatuor Dialogorũ libros diſputauerat,creditur vehementiùs obſtitiſſe,dicens,ad obliterandam eius memoriam librorum exuſtionem nihil proficere,quorum exemplaria diuerſis petentibus mundi ambitũ penetrâſſent. Subiungens, immane ſacrilegium eſſe,tanti patris tot & tales libros exurere,ſuper cuius caput ſpiritũ ſanctum ipſe in ſimilitudine colũbæ tractantis frequentiſſimè perſpexiſſet.Cumq; dudùm deuotum populum Diaconus cerneret occaſione temporis cum inuidis reſultare, in hoc omniũ ſententiam dicitur prouocâſſe,vt ſi quod dixerat iureiurando confirmans,mori continuò meruiſſet,ipſi à librorum exuſtione deſiſterent. Si verò ſuperſtes ſui teſtimonij extitiſſet,ipſe quoquè combuſtoribus manus daret.Itaque cum euangelijs in ambonem venerabilis Leuita Petrus aſſcendens,mox vt Gregorianæ ſanctitati teſtimonium præbuit,inter verba veræ confeſſionis ſpiritum efflauit : & à dolore mortis extraneus, iuxta pyrgi baſim,ſicut hactenùs cernitur,confeſſor veritatis meruit ſepeliri.

Calũniæ in eum poſt obitum.

Nota rem mirabilem.

70 Hinc eſt,quòd conſuetudinaliter ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper ſcribentis Gregorij caput depingitur: & quòd expoſitionum illius pars maxima, quæ vtiquè ab inuidis exuſta recolitur,non habetur. Quarum ipſe ſummam Iohanni ſubdiacono Rauennæ reſponſali ſuo ſignificare videtur, inter cætera ſic deſcribens : Quia chariſſimus quondàm filius meus Claudius aliqua,me loquẽte,de Prouerbijs,de Canticis canticorum,de Prophetis,de libris quoquè Regum,& de Heptatico audiĕrat,quæ ego ſcripto tradere præ infirmitate non potui, ipſe ea ſuo ſenſu dictauit,nè obliuione deperirent,vt apto tempore hæc eadem mihi inferrentur, & emendatiùs dictarentur. Quæ cùm mihi legiſſet,inueni dictorum meorum ſenſum valdè in multis fuiſſe permutatum. Vndè neceſsè eſt,vt tua experientia omni excuſatione atque mora ceſſante, ad eius monaſterium accedat,eumque venire faciat, & cum omni veritate quantaſcunque de diuerſis ſcripturis chartulas detulit,ad medium deducat. Quas tu ſuſcipe,& mihi celerrimè trãſmitte. Enimuerò quia ſtudioſitas Gregorij,qui poſt hæc tribus fermè annis ſuperfuit,falli non potuit,conſtat nimirùm,quia plures libros, quàm nunc habeantur, compoſuit. Quorum memoriam quidam in Epiſcopali ſuo perſtringens, ait: Iob,Ezechiel,Euangelia & Paſtoralem expoſuit, & multa alia : vt ſubaudias, quæ iam inueniri non poſſunt. Quoniam reuerà antè ſuccenſa ſunt, quàm edita, ſicut reliqua ipſius opera,quæ nunc in ſancta Romana retinentur Eccleſia adhuc ſub cuſtodia, nè penitùs vulgarentur.

Scripta pleraque S.Gregorij cur intercciderint.

Lib.10. epiſt.22.

71 Itaque ſi curioſiùs perpendatur, omne Gregorij tractandi tempus, quo libros, qui nunc habentur,expoſuit,à diacono ſuo vſque ad penultimum ſui pontificatûs annum extenditur. Et licèt Longobardorum perfidia ſæuiente, poſt Ezechielis tractatus ab expoſitione librorum deſtiterit,ab exponendis tamen epiſtolis, quandiù viuere potuit,

tuit, nunquàm omninò cessauit. Quarum videlicet tot libros in scrinio dereliquit, quot annos aduixit. Vndè tertiumdecimum epistolarum librum septimæ indictionis imperfectum reliquit, quoniam ad eiusdem indictionis terminum non pertigit. Ex quarum multitudine primi Adriani Papæ temporibus quædam epistolæ decretales per singulas indictiones excerptæ sunt, & in duobus voluminibus, sicuti modò cernitur, congregatæ. Et Gregorius iamdudùm in monasterio positus, vbì cum angelus Domini sub habitu naufragi scribentem repererat, nimirùm quædam dictauerat, vt ad expositionem tantæ profunditatis, quam in libro Iob penetrare potuit, eo paratior, quo ex dictandi consuetudine doctior, perueniret.

72 Ergò Gregorius in diaconio suo, dum illum in Constantinopolitana vrbe sedis Apostolicæ responsa constringerent, & Leandrum Hispanum episcopum iniuncta pro causis fidei Vuisigothorum ibì legatio perduxisset, eodem Leandro, sicut in primo libro dixisse me recolo, cum fratribus, tunc Gregorio adhærentibus, importunissimè compellente, librum beati Iob cœpit exponere. Quibus coràm positis, priora libri sub oculis dixit: & quia tempus paulo vacantius reperit, posteriora tractando dictauit. Cumque ei spatia largiora supperterent, multa augens, pauca subtrahens, atque ità, vt inuenta sunt, nonnulla derelinquens, ea quæ se loquente excepta sub oculis fuerant, per libros emendando composuit. Qui cùm iam factus episcopus, Romæ postrema dictaret, quo stylo prima dixerat, solicite attendens egit, vt ea, quæ locutus fuerat, studiosa emendatione transcurrens, quasi ad similitudinem dictantis erigeret, & ea quæ dictauerat, non longè à colloquentis sermone discreparent: quatenùs dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo dissimili, res non dissimilis formaretur. Quanuis tertiam ipsius operis partem, vt colloquendo protulit, penè ità dereliquit: quia dum eum fratres ad alia exponenda pertraherent, hanc subtiliùs emendari noluerunt. Quibus multa iubentibus, dum parere modò per expositionis mysterium, modò per contemplationis asscensum, modò per moralitatis studeret instrumentum, hoc opus per triginta & quinque libros extensum, in sex codicibus expleuit. Quorum exemplaria primò per Vrbis monasteria subdiuisit, postremò verò eidem Leandro episcopo destinauit.

S. Iob quando cœperit D. Gregorius exponere.

73 Sed in ipso sui episcopatùs exordio, dum à Iohanne Rauennatis vrbis episcopo humiliter repræhensus fuisset, cur pastoralis curæ delitescendo pondera fugere vir tam idoneus voluisset, librum regulæ pastoralis composuit. Quam quadripartita ratione distinguens, valdè pensandū esse perdocuit, cùm rerum necessitas exposcit, ad culmen regiminis quisque qualiter veniat: atque ad hoc ritè perueniens, qualiter viuat: & benè viuens, qualiter doceat: & rectè docens, infirmitatem suam quotidiè quanta consideratione cognoscat, nè aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Primùm ergò appetitum timor temperet, pòst autem magisterium, quod à non quærente suscipitur, vita commendet. Deindè necesse est, vt pastoris bonum, quod viuendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, vt perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat, nè hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Et quia quosdam imperitos ad sacerdotium conspirâsse cognouerat, quosdam conspiraturos esse præuidebat, qui metiri se nescientes, quæ non didicerunt docere concupiscerent, quique pondus magisterij tanto leuius æstimarent, quanto vim illius magnitudinis ignorarent: hos in ipso libri sui repræhendit exordio: vt si quandò indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetîssent, à præcipitationis suæ ausibus in ipsa Gregorianæ locutionis ianua pellerentur. Hunc librum Anatholius diaconus, eius apocrisarius, quærenti ac iubenti Imperatori quondàm obtulerat, quem magnus Anastasius Antiochenus episcopus in Græcam linguam transfudit, & Orientalibus ecclesijs opus venerabile procurauit.

Pastoralis curæ librum quandò scripserit.
In prologo eius operis.
Testatur id S. Gregorius lib. 10. epist. 22.

74 Deindè, sicut in secundo huius operis libro iam retuli, dum adhuc Gregorius ad loquendum voce, flatuque sibi sufficeret, per stationes discurrens, XX. Homilias Euangelij diuerso tempore coram populo declamauit. Reliquas verò eiusdem numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho, languore continuo, alijs pronunciare permisit. Quarum exemplaria Secundo seruo Dei petenti mandauit.

Opus 40. Homiliarū in Euange.

75 Cumque à suis familiaribus, vt aliqua de miraculis Patrum describeret, Gregorius enixiùs rogaretur, Maximiano Syracusano episcopo scripsit, dicens: Fratres mei, qui mecum familiariter viuunt, omnimodò me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate describere. Ad quam rem solatio vestræ

Li. 2. epi. 50 Indict. 11.

charitatis vehementer indigeo, vt quæque vobis in memoriam redeunt, quæque cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis. De Domno enim Nonnoso abbate, qui iuxta Domnum Anastasium de Pentomijs fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui. Et hæc ergò, & si qua sunt alia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me ipse non proficisceris. Hinc Gregorius roboratus, sanctorum miracula Patrum cum Petro suo diacono, quæ per inquisitionem atque responsionem protulerat, expositionis altius studium interrumpens, sola nominum prænotatione distinxit, & in libros quatuor ordinauit: Vt sicut in libris expositionum suarum, quibus esset virtutibus insudandum, docuerat: ità etiam, descriptis sanctorum miraculis, quæ virtutum fuisset earundem claritas, luce clariùs ostentaret. Quos libros Zacharias, sanctæ Ecclesiæ Romanæ episcopus, Græco Latinoq; sermone doctissimus, temporibus Constantini Imperatoris, post annos fermè centum septuagintaquinque in Græcam linguam conuertens, Orientalibus ecclesijs diuulgauit: Quanuis astuta Græcorum peruersitas, in commemoratione spiritûs sancti à patre procedentis, nomen filij suaptim radens abstulerit.

Dialogus quádo scriptus.

Græci corrumpunt Dialogũ S. Gregorij.

76 Primam quoquè & vltimam Ezechielis prophetæ partes, quæ videbantur obscuriores, Romanis postulantibus pertractauit, easque per Homilias viginti & duas distinguens, quantum lucis intùs habeant, demonstrauit: & in his tractandi, sicut superiùs patuit, finem fecit.

Homiliæ in Ezechielẽ.

77 Qui libri dum à doctoribus sequentis temporis tam rectissimis sententijs editi, quàm luculentissimo rhetoricæ facundiæ stylo cõpositi veraciter doceantur, eos beatus Gregorius ex humilitatis suæ dulcedine incultos perhibet, Leandro episcopo inter cætera scribens: Quæso vt huius operis (haud dubiũ quin Moralium) dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubiò scimus, quia quotiès in folijs malè lætæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescũt. Vndè & ipsam loquendi artem, quam magisterium disciplinæ exterioris insinuat, seruare despexi. Nam sicut huius quoquè epistolæ tenor enunciat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionẽ deuito, situs motusque præpositionum casusque seruare contemno. Quia indignum vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab vllius temporis interpretibus in scripturæ sacræ authoritate seruata sunt. Ex qua nimirùm quia nostra expositio oritur, dignum profectò est, vt quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur. In quibus verbis agnoscitur Gregorius non affectâsse locutionem pompaticam, sed ex pristina secularis exercitij consuetudine potiùs incurrisse. Cuius facundiæ consonantiam Isidorus, Hispalensis vrbis episcopus, in expositione Geneseos admiratus: Sumpta, inquit, sunt hæc ab authoribus, Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Fulgentio, ac nostris temporibus insigniter eloquente Gregorio. Sed & Beda presbyter in libro de schematibus oratores homœoteleuton facere perhibens, exemplum proposuit, dicens: Beatus Iob Deo soli sibique cognitus, in tentatione ad nostram notitiam perducendus, tactus est vulnere, vt odorem suarum virium tanto latiùs spargeret, quanto more aromatum meliùs ex incẽsione flagraret. Quo schemate ipse, qui hoc dixit, beatus Papa Gregorius sæpissimè vsus fuisse cognoscitur. Et huiusmodi orationes esse reor, quas B. Hieronymus concinnas rhetorum declamationes appellat.

In fronte expositionis in S. Iob cap. 5.

Deut. 16.

78 At Gregorius humilitatis suæ cautela commonitus, non solùm facundiæ suæ redolentiam contemnebat, verùm etiam in comparatione tractatûs alterius, dictatum suum, furfurem nominans, libros suos legi, quandiù viueret, vehementissimè prohibebat, Innocentio præfecto Africæ inter cætera scribens: Quòd in expositione sancti Iob transmitti vobis codicem voluistis, vestro omninò studio congaudemus: quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foràs vos exire permittat, & ad cor iterùm secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite: & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis. Item Iohanni episcopo Syracusano: Prætereà audio, quòd aliqua de his, quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat. Quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc, quod vos pro charitate facitis, possunt quidam, quantùm ad me est, vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum authoritate valeant,

Li. 8. epi. 37.

Lib. 6. epi. 9.

qui

qui audiunt, informari. Item Iohanni subdiacono Rauennæ post multa: Illud, inquit, quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia reuerentissimus frater & coëpiscopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publicè ad vigilias facit, non grarè suscepi: quia non est illud opus populare, & auditoribus rudibus impedimentum magìs quàm prouectum generat. Sed dic ei, vt commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes secularium ad bonos mores præcipuè informant. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facilè hominibus innotesci.

Li. 10. ep. 22.

Scripta sua vult nesciri.

79 Quanta sanè consideratione Gregorius, qui ad culmen regiminis humiliter peruenisse, ad hoc opus perueniens, benè vixisse, benè viuendo rectè docuisse, satis vt opinor, monstratus est, infirmitatem suam cognouerit, in extremo libro Moralium manifestat, cùm dicit: Expleto itaque hoc opere, ad me mihi video esse redeũdum. Multùm quippe mens nostra, etiam cum rectè loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem nanque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia trahunt extrinsecùs, minuunt. Igitur à publico locutionis redeundum est ad curiam cordis, vt quasi in quodam concilio consultationis ad meipsum discernendum conuocem cogitationes mentis: quatenùs ibi videam, nè aut incautè mala, aut bona non benè dixerim. Tunc enim benè dicitur bonum, cùm is, qui dicit, soli ei, à quo accepit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua etsi dixisse non inuenio, tamen quia omninò non dixerim, non defendo. Bona verò si qua diuinitùs accipiens dixi, meo videlicet vitio minùs me benè dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecùs rediens, postpositis verborum folijs, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summoperè placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio quomodò intentio humanæ laudis interserit. Quod cùm iam póstmodùm tardeque discerno, inuenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoâsse. Sic enim sæpè intentionem nostrã, dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè subiuncta, & eam velut in itinere compræhendens, intentio humanæ laudis assequitur. Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Vndè plerunquè contingit, vt refectionem corporis, quam salutis causa cœpimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur, quòd rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquàm intentio minùs recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his diuinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quandò & mala nostra, pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquàm possunt? Sed hoc mihi operæprecium credo, quòd fraternis auribus omne, quod in me latenter ipse repræhendo, incunctanter aperio. Quia enim exponendo non celaui quod sensi, confitendo non abscondo quod patior: per expositionem patefeci dona, per confessionem detego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec parui desunt, qui dictis meis debeant instrui: nec magni desunt, qui cognitæ meæ valeant infirmitati misereri: per hæc vtraque alijs fratribus, quantùm possum, curam confero, ab alijs quæro. Illis dixi exponendo, quod faciant: istis aperio confitendo, quod parcant. Illis verborum medicamenta non subtraho, istis lacerationem vulnerum non abscondo. Igitur quæso, vt quisquis hoc legerit, apud districtum iudicem solatium mihi suæ orationis impendat, & omne, quod in me sordidum depræhendit, fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collata, Lector meus in recompensatione me superat, si cùm per me verba accipit, pro me lachrymas reddit.

Li. 35. cap. 26

Hæc vir sanctissimus ex humilitate & modestia dicit.

80 Huius beatissimi Gregorij venerabile corpus, à Gregorio quarto, sedis Apostolicæ præsule, post annos circiter † quinquaginta translatum ante nouellum secretarium constructis absidibus, sicutì modò cernitur, sub altari sui nominis collocatur, quo eius anniuersaria solennitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur. In qua pallium eius & phylacteria, sed & balteus eius consuetudinaliter osculantur. Quæ singulatim considerata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitùs, & speciem regularis propositi signis perspicuis repræsentant. Nam in eo, quòd pallium eius bysso candente contextum, nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obuolutum fuisse, non autem confixum, dignoscitur, sicutì vetustissimis musiuis vel picturis ostenditur. Quòd autem reliquiarum phylacteria, tenui argento fabricata, vilique pallio de collo suspensa fuisse videntur, habitùs eius mediocritas demonstratur. Porrò in exilitate baltei, quæ vnius pollicis mensuram nunquàm excedit,

† videtur deesse, ducentos

Anniuersaria solennitas S. Gregorij.

Li.2.cap.3 &

speciem propositi regularis, olim à sancto Benedicto statuti, cuius ipse vitã describens in Dialogo, regulam quoquè laudauerat, cum seruâsse luce clarius manifestat: præsertim cùm idem venerabilis doctor Gregorius Græcam linguam nesciêrit, & sui monasterij monachos, Benedicti vtiquè regulis mancipatos, in Saxoniam destinârit.

Saxoniam, pro Anglia.

81 Siquidem quòd Græcam linguam nesciêrit, ipse testatur in epistola, Eusebio Thessaloniceensi episcopo scribens: Lator præsentium Theodorus, ecclesiæ vestræ lector, ad sanctorum apostolorum limina veniens, dum omnes, quippe vt homo nouus, haberet incognitos, Andreæ monacho, qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res & chartas, quas detulit, vt reuerà olìm noto, innocenter deposuit, credens quòd mens ipsius, sicut & nos antè putaueramus, cum habitu concordaret. Sed tantæ ille prauitatis inuentus est, vt si eius stultitiæ sub inclusionis specie paulò adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet, & quæcunque potuisset, non leuia scandala generaret. Nam inter alia, quæ isdem Andreas pessimè cogitauit & fecit, eam quoquè, quam ad nos misistis, dum apud ipsam à præfato lectore esset deposita, infalsauit epistolam: vt quicunque eam legeret, vos nec catholica, nec recta sapere euidenter argueret. Ex qua re contigit, vt dum veritatem studiosè quæreremus, eius, quæ latebat, iniquitas vulgaretur: & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocunque laico crederentur. Et quia inter diuersa mala, aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulauit, & suspecti sumus, ne eos alicubi transmiserit, fraternitas vestra solicitudinem gerat, & si quid tale repererit, eos excindi, & omninò faciat aboleri: vt quod imperitus literarũ, & scripturæ diuinæ nescius, nostro, sicut diximus, nomine prænotauit, quorundam animos nõ possit inficere. Nam nos nec Græcè nouimus, nec aliquod opus aliquandò Græcè conscripsimus.

Lib.9.ep.69

Andreæ monachi inclusi peruersitas.

82 Quòd vero monachi, qui à Gregorio in Saxoniam missi sunt, sancti Benedicti regulæ fuerint mãcipati, inter alia etiam illud ostendit, quòd ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus monachus aliquis inueniri, à quo non obseruetur tam in proposito quàm in habitu regula Benedicti. Quapropter sicut constat Gregorianum monasterium à Latinitate in Græcitatem, necessitate potiùs quàm voluntate conuersum: ità fideliter præstolatur, in Latinitatis cultum, fauente Domino, denuò reuersurum.

83 In cuius venerabilis monasterij atrio, iussu Gregorij, iuxta nymphium duæ iconæ vetertimæ artificialiter depictæ vsque hactenùs videntur: In quarum altera beatus apostolus Petrus sedens conspicitur, stantem Gordianum regionarium, videlicet patrem Gregorij, manu dextera per dexteram nihilominùs suscepisse. Cuius Gordiani habitus, castanei coloris planeta est, sub planeta dalmatica, in pedibus caligas habens, statura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus grauis. In altera verò mater Gregorij sedens depicta est Syluia, candido velamine à dextero humero taliter contra sinistrum reuoluto contecta, vt sub eo manus tanquàm de planeta subducat, & circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactinei coloris appareat, quæ magno sinuamine super pedes defluat, duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta: Statura plena, facies rotunda quidem & candida, sed senio iam rugosa, quam ipsa quoquè senectus pulcherrimam fuisse significat: Oculis glaucis & grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem mithram, candentis brandei, raritate * niblatam, duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens: In sinistra verò patens psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. A dextero verò cubitu vsque ad sinistrum circa scapulas versus ascendens reflectitur, qui ità se habet: Gregorius Syluiæ matri fecit.

Forma Gordiani, patris S. Gregorij.

Item matris eius Syluiæ.

* vmblatam

Psal.118.

84 Sed & in absidicula * post fratrum cellarium, Gregorius eiusdem aurificis magisterio in rota gypsea pictus ostenditur. Statura iusta & benè formata, facie de paternæ faciei longitudine & maternæ rotunditate ità mediè temperata, vt cum rotunditate quadam decentissimè videatur esse deducta, barba paterno more subfulua & modica: Ità caluaster, vt in media fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat, & dextrorsùm reflexos. Corona rotunda & spatiosa. Capillo subnigro & decenter intorto, sub auriculæ medium propendente, fronte speciosa, elatis & longis, sed exilibus, superciliis: Oculis pupillas furuis, non quidem magnis, sed patulis, subocularibus plenis, naso à radice vergentium superciliorum subtiliter directo, circa medium latiore, deindè paulò recuruo, & in extremo patulis naribus præminente: ore rubro, crassis & subdiuiduis labijs, genis compositis, mento a confinio maxillarum decibiliter prominente. Colore aquilino &

* super

Forma S. Gregorij.

lino & viuido, nondũ, sicut ei posteà contigit, cardiaco. Vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, & habilibus ad scribẽdum. Præterea planeta super dalmaticam castanea, Euãgelium in sinistra, modus crucis in dextera, pallio mediocri, à dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursùm per sinistrũ humerum post tergum deposito: cuius pars altera super eundem humerum veniens, propria rectitudine non per medium corporis, sed ex latere pendet: circa verticem verò, tabulæ similitudinem, quod viuentis insigne est, præferens, non coronam. Ex quo manifestissimè declaratur, quia Gregorius, dum adhuc viueret, suam similitudinẽ depingi salubriter voluit, in quo posset à suis monachis non pro elationis gloria, sed pro cognitę districtionis cautela frequentiùs intueri, vbi huiusmodi distichon ipse dictauit:

Christe potens Domine, nostri largitor honoris,
Indultum officium solita pietate guberna.

85 Ibi etiam tempore iam Petri archidiaconi & Iohannis œconomi, Saturninus monachus dextra læuaque beati Gregorij, effigies sanctorum apostolorum, quemadmodum modò videntur, depinxit. Quo scilicet loco nonnunquàm diuinitùs candela succenditur, & in eiusdem similitudinis effigie pro regimine sui monasterij sæpè beatus Gregorius præsentatur.

Nota cãdelam diuinitùs accendi.

86 Nam vt pauca de multis contingam, Leonis quarti pontificis tempore, cùm Megistus Ostiensis episcopus & Apostolicæ sedis bibliothecarius, eidem monasterio præesset, Iohannes presbyter eiusdem præpositus, cum quadam fœmina turpiter viuens, vehemẽtissimo podagræ dolore correptus est. Qui medicorum manu cauteriatus, per exustionis vulnus calcem cœpit effundere: quam restringere nullis artibus præualens, in tantam desperationẽ perductus est, vt ab omni illius fœminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum presbyter ad pristinam sanitatem reuertens, quanquàm propositum sibi fuisset, vt vlteriùs nullam contingeret, ad eandem tamen misso nuncio, futuro die Dominico se redire professus est. Quo recepto, vbi suo desiderio votum quoque mulierculæ conuenire gauisus est, ad balnea processit. Vndè reuertens, tãtum lætitiæ potionibus & cantionibus se dissoluit, vt subrepente somno, interesse nocturnis cum fratribus nunquàm potuisset officijs. Eadem nocte cuidam presbytero & monacho beatus Gregorius in somnis apparens, ait: Surge, & dic præposito, vt pœnitentiam agens, peculium suum, quod cum aggregare non puduit, pro peccato conscientiæ suæ dispergat, quia die tertia funditùs extinguetur à vita. Quod præpositus vehementer, vt audiuit, expauit, & quia mandato Gregorij incredulus esse non poterat, pœnitentiam cepit, cunctaq; sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, vt à diluculo diei tertij vsque ad horam tertiam cum ingenti fragore præ incendio linguam ab ore proijciens, vltimum flatum protraheret. Quẽ presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic monachis, qui cum psalmodijs eius exitum commendarent, ipsi pro eo studuère omnipotenti Domino solennes hostias immolare. Sed monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se moriẽti fratri detrahere. Cùm ecce presbyteri à Missarum solennijs circa horam septimam remeantes, Iohãnem presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, leuiùs se habere mirati sunt, eumque nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens, Parcat, inquit, vobis Dominus, fratres: quarè me solicitare voluistis? qui ab ipso huius diei principio vsque nunc, coram Christo præsidenti multis millibus angelorum, cum diabolo ad iudicium steti, & adiuuantibus me sanctis Andrea & Gregorio, cunctis eius obiectionibus benè respondi. Sciatis autem, quia monasterij sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum & luminum, omnemq; mensuram curiosissimè Christo quærenti vsque ad scabellum pedum eius portaui: sed de vna obiectione fateor conuictus erubui. De qua me nimium, sicut vidistis, laborando vexaui, & me adhuc liberare non potui. Cumq; fratres de ea requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quãdò vos me clamàstis, & à sancto Gregorio redire iussus sum, vt vobis etiam de mensuris & consuetudinibus monasterij ponerem rationem, diabolus conquestus est, putans quòd me pater Gregorius ad pœnitentiam remisisset. Quapropter beatum Gregorium vadem dedi, nè cõmotam calumniam cuilibet reuelarem. Illis magis imminentibus, & se pro eo deprecaturos Dominũ promittentibus, vt causam fratribus reuelaret, defunctorum quorũdam domos & viuentium merita proferebat, dicens: Iste dignus, iste indignus est. Rursùs interrogatus, ad monachos, qui pridem secũ remanserant, cõuersus est, dicẽs: Omnia, in quibus mihi detraxistis,

S. Gregorius cuidam monacho apparet.

ftis,fratres,audiui,quanquàm respondere nequiuerim,& impedimentum mihi nō modicum generâstis, quia tam à vobis quàm à diabolo sub vno tempore accusatus, nesciebam cui calumniæ primitùs responderem. Sed si quādò quemlibet migrantem videritis,compatimini sorti communi, & nolite de eo iudicare, qui ad tam districti iudicis cum criminatore suo iudicium vadit. His expletis,cunctos iubet abscedere,solum presbyterum,qui sibi mortem prænunciauerat, secum tenens: qui solus remanere pauescens, alterum secum tenuit,hortatus vt causam,pro qua conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At ille vehementer ingemuit, & conuerso ad parietem capite, clamabat dicens: O Andrea Andrea,hoc anno pereas,qui me prauo consilio ad periculum compulisti. Euestigiò Zacharias medicus,qui anno prеterito ad suos,videlicet Saracenos,apostatando reuersus est,affuit,tactisque temporibus, iurare cœpit, presbyterum ex eadem valetudine minimè moriturū.Quem languidus vt audiuit, cum ingenti animaduersione repulit,dicens: Fratres,iam omne corpus meum est mortuum,in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuò moriturus. Tantùm psallite, vt reuideam angelos quos videbam,& innuens vobis ostendam. Quibus orantibus totus cœpit tremere,pallescere,sursùm desideranter adspicere. Cùm subitò spiritus aduentare conspiciens,reuolutis terribiliter oculis, monachis innuit,& abscessit: eosq; tanto terrore perculsos dimisit,vt multis noctibus ibi iacere timuerint.

Non est obtrectādum morientibus.

Moriturus præpositus imprecatur dira Andreæ.

87 Eodem die,sicut posteà depræhensum est, eodemq; momento, quandò presbyter moriens Andreæ periculum fuerat imprecatus, idem Andreas fundi Barbiliani, positi scilicet in via Ostiensi,conductor,in lectulum decidit,in quo per multū temporis continuo lāguore correptus,ità totus emarcuit,vt omne corpus eius particulatim videretur dissolui.Cumq; defluentibus carnibus consumi posset, mori autē non posset, vxor, quæ fœtorem vulnerum viriq; cruciatus iam sustinere non poterat,intellexit tanti languoris incōmoda sine diuinę vltionis sentētia hunc nullatenùs incurrisse: quem flendo curauit inquirere,vt quoniam à moriente prеposito frustrà vocari non poterat, quid cum ipso commiserat, vt monachis reuelaret, si fortè Dominus eius confessionē recipiens,eum à tantis cruciatibus liberaret. At ille cognoscēs malum,quod fecerat, latere non posse,monasterij monachos conuocari rogauit,eisq; confessus est,cum eodē prеposito quasdam monasterij chartulas rapuisse,ac receptis precijs, extraneis tradidisse; seque certum existere,quia pro hoc flagitio mori non posset, quousq; hoc corā omnibus reuelaret. Quod videlicet verum fuisse, rei exitus euidenter ostendit. Nam mox vt tantum facinus cunctis innotuit,is,qui dudùm mori volens nō poterat,inter verba suæ confessionis spiritum efflauit.Quem idcircò omnipotēs Deus diù cruciari voluit,mori autem,donec reatum suum confiteretur,non posse permisit, vt exemplo sui cruciatûs ostenderet,quid consumptores rerum Gregorij de semetipsis vtiq; sperare debuissent.

Andreas diuinitùs castigatur.

88 Ipsius quoquè pontificis tempore eiusdem patris monasterio Athanasius præfuit,vir quidem castitate conspicuus, & sui monasterij cautissimus exequutor. Qui cùm sæuientis inopiæ tempus agnosceret, nè monachis necessitas fortalsis incumberet, quadraginta pauperum,quos beatus Gregorius pasci semèl in anno decreuerat, refectionem subduxit. Quod impunè se fecisse perpendens, etiam duodecim pauperū totidèm denarios,qui die depositionis beati Gregorij pro cōmemoratione duodecim, ab eo quondàm inuitatorū,quorum tertiusdecimus angelum se esse professus est,consuetudinaliter pascebantur,penitùs intercepit. Cùm eiusdem Quadragesimæ tempore beatus Gregorius eidem presbytero, cui suprà, & monacho in somnis apparuit, dicens: Vade,& dic œconomo,quia diminuit consuetudinem,quam ego constitui, Dominus quoquè dies eius diminuit. Quod œconomus vt audiuit, primò quidem cōtremuit,pòst verò tanto minùs credidit,quanto longiùs vitam suam cognoscebat extēdi. Et eccè sub ipsis Albis paschalibus in oratorio sancti Seuerini cum fratribus vespertinis assistens officijs, ardere parietem vidit, quem fratribus extinguere imperauit. Quibus hunc vinolētum credentibus,ipse tandèm ferulam,quam tenebat, proijciens, manusque per parietem circunducens, conabatur forìs flammas extinguere, quas constabat intima eius depascere.Deniquè tandèm ad hospitium rediens,tantæ febris ardore succensus est,vt peruenire ad diem septimum nullatenùs potuisset. Quia ergò dum consuluisse putauit se monachis,pauperibus nocuisse non timuit: ac per hoc,quo se placare posse Gregorium credidit, prorsùs offendit: frustrà flammas parietis extinguere voluit,qui tenacitatis suæ flammas extinguere recusauit.

Athanasius monasterij præfectus subtrahit pauperibus.

Diuinitùs punitur.

89 Eodem nihilominùs tempore post absidem oratorij sanctæ Mariæ semper virginis,

nis, oratorio sanctæ Barbaræ, vbi Gregorius laudes Domino celebrare solebat, coniuncti, dæmon apparuit, sibique in antro, quod illic cernitur, hospitium faciens, nocturnis horis tanto crepitabat fragore, vt omnia fundamenta monasterij putaretur conuellere. Nonnunquàm equos de stabulis auferens, audiebatur tota nocte discurrere, quorum duos præcipitio demersisse probatus est. Cumque pauore tãti sonitûs monachos à triclinio, in quo ad auram propter feruorem caumatis iacere solebant, penitùs auertisset, vnus eorum confisus in virtute Dei omnipotẽtis, ante foramen decumbens, oratione facta, cœpit dormire. Cui dæmon in similitudine catti apparuit, eumque vnguibus est aggressus discerpere: quo monachus oratione repulso, identidèm sopori se tradidit. Cùm subitò dæmon in similitudine cuiusdam Aethiopis lancea minando apparuit, dicens: Ego quidem hinc vado, sed te vulneratum dimitto. Quo dicto, lanceam vibrauit, monachusque eiulauit, tanquàm si reuerà percussus extiterit. Accurrentibusque monachis, licèt pauidus, quod viderat indicauit, & deinceps ibi vlteriùs dæmonium non accessit. Infestatio mali dæmonis.

90 Benedicti quoque pontificis tempore, Lucido Ficulino episcopo eidem monasterio præminente, cùm pestilentia faucium multitudo quotidiè maxima deperiret, idem monachus præclusis faucibus venit ad mortem. Cui desperanti beatus Gregorius in somnis apparuit, dicẽs: Vis sanus fieri? At ille se velle respondit. Et B. Gregorius: Si mihi, inquit, promiseris ea, quæ tibi dixero, fore dicturum, scito te esse sanandum: sin verò, citiùs moriturum. Cumq; ille se dicturum tota certitudine promitteret, audiuit: Ito denuncians Sabæ, Iohanni, Benedicto, Aiartino, Palumbo & Antonio monachis, Laurentio coco, Gemmoso carpentario, Accepto pistori, Andreæ, Romano & Leoni laicis, quoniam à crastino incipientes, omnes dietìm se moriendo subsequantur. Post quorum decessum denũcia Lucidum episcopum, qui tenet id monasterium, die septimo moriturum. His dictis, Monachum oscitare præcipiens, duos digitos in faucẽ coniecit, vulnusque disrumpens, vt exclearet iniunxit. Ille tussiens, partem coagulati sanguinis in morem lapidis re vera proiecit, & ab ipsis penè mortis ianuis liberatus, eadem nocte contra spem omnium matutinalibus hymnis interfuit. Mirantibus fratribus, sanitatis suæ modum innotuit, quos quandò & qualiter ex monasterij familia morituros præuiderit, indicauit. De sola interim episcopi morte dubitando, conticuit. Et euestigiò in cunctorum morti deputatorum auribus volans fama discurrit, & dum ex relatione monachi se morituros certo die cognoscerent, dispositis suis reculis, ità se in mortem secuti sunt, sicut fuerant in somno nominati. B. Gregorius apparet ægroto, eûque sanat.

91 Cumque presbyter & monachus Lucido episcopo tam dirum nuncium reuelare timeret, tacere autem penitùs non auderet, monasterio se tandèm proripuit, & ad domum episcopi non longè à flumine Tiberi, regione videlicet iuxta basilicam sanctorũ Cyri & Iohannis positam, somnium nunciaturus accessit. Quem scilicet vbì cum pontifice in palatio prandere cognouit, expectans redeuntem sacerdotalibus vestimentis indutum, colore fulgidum, valetudine quoq; sanissimum salutare curauit. Cui episcopus ait: Iam nũc in tota Vrbe pro diuino haberis, quia de eis, quos morituros pronunciâsti, solus vnus remansit. At ille: Vtinàm sicut & ille, quem viuere putas, defunctus est, sic ipse, qui hunc sequi prædictus est, exiliret. Cumque episcopus de eo tota curiositate requireret, & monachus dicere palpitaret, tandèm vbi die sexto se moriturum cognouit, expalluit atque contremuit, resumptisq; viribus, contra Monachum frenduit, quem redire volentem retinuit, interiora cubiculi peruagus penetrauit, paulatìm sibi fauces dolere persensit. Deindè tacto sibi pulsu, mox febris signa cognouit, monacho credidit, domum suam disposuit, ad monasterium, cui præerat, eisdem redimitus, quibus à patriarchio reuersus fuerat, venit, secunda feria, cunctis tam subitam conuersionem mirantibus, monachicum habitum suscepit: & paulatìm ingrauescente molestia, sextæ feriæ diluculo subdormiuit. Ac denuò suscitatus, apparuisse sibi sanctum Andream Apostolum, seque circa horam tertiam vocandum esse, sibique præceptum perhibuit, vt quia suæ mortis expectatione suspensi monachi, sancti Fabiani munia solita celebrare non poterant, mox corpus suum sepulturæ traderent, acceptisque à se cereis ac thymiamatibus, ad peragenda solennia festinarẽt. Hora itaque tertia episcopus lætus defungitur, vt in ipsa vultûs eius lætitia, conuersio ipsius Deo fuisse placabilis cunctis videntibus monstraretur. Lucid⁹ episcopus repẽtè mutatus, fit monachus & obit. Vide antiquũ ecclesiæ morẽ sepeliendi mortuos, nempe cum cereis &c.

92 Eodem tempore germanus cuiusdam monachi, mentis insaniam passus est, ità vt humana consortia fugiens, multo tempore peruagus per cryptas solitarias & cœnosa

nosa monumenta discurreret. Cuius insaniæ frater nimiùm condolens, quotidiè sanctum Gregorium profusis lachrymis precabatur, vt sibi fratrem sospitem reddere dignaretur. Itaque cùm nocte quadam post huiusmodi fletus quiesceret, beatus Gregorius apparuit ei, dicens: Videns lachrymas tuas, suscepi orationem tuam: Et eccè germanum tuum tibi hodiè reducam sanum: & hoc tibi signum, quia statim vt dies illuxerit, iussu pontificis presbyter, qui hîc inclusus est, extrahetur. Qui surgens, matutinali tempore fratribus indicauit. Fortè tunc idem presbyter Campanus de loco, qui Claustrum, nō longè à Terracina, vocatur à suis pro quodam crimine accusatus, in eodem monasterio tenebatur, & temporibus multis labentibus, à suis accusatoribus iam contemptus, à cunctis quoquè suis fuerat in obliuionem ductus, cùm nullum propinquum, nullum in vrbe cognitum habere potuisset, qui de eo pontifici suggessisset, & monachi quidem pro eo satagerent, sed perficiendi aditum non haberent, Pontifex diuinitùs recordatus eiusdem, diluculo hunc ab ergastulo iussit extrahi, liberumq; dimitti. Nec multò pòst monachi frater ità sanus reuersus est, vt videretur hactenùs in eiusdem patris monasterio tanto fideliùs deseruisse, quanto se illius adminiculo meminit ad sanitatem pristinam remeâsse.

93 Reuerendæ quoquè memoriæ Nicolai pontificis tempore, regimen eiusdem monasterij Zacharia, ciuitatis Anagninæ præsule, sicut hodiè superest, procurāte, fundum Barbilianum, cuius superiùs feceram mentionem, pro incolarum sceleribus dæmon aggressus est, & in similitudine taurelli de pratis mugiendo ad domum recurrens, inuisibiliter suis corniculis virum sentiebatur noctù percutere, ouesque à præsepijs extrahens, per contiguos campos & compita cursu velocissimo fatigare. Cumque hoc diutiùs faceret, crebroque rusticis noxius immineret, huiusmodi percussionibus Saxulum quendam, eiusdem prædij conductorem, affligendo disperdidit. Deindè bubulcos aggressus, tanta cæde perdomuit, vt intra trium mensium spatium neminem illic, præter vnum tātùm, Vrsellium nomine, quem similiter affligebat, reliquerit. Qui Romam veniens, dum tantæ cladis periculum fratribus indicaret, interrupto sermone, monasterij portis egressus est, & obstupescentibus monachis, non nisi manè facto reuersus est. A quibus curiosè discussus, quonàm se pridèm tam subita velocitate proriperet, confessus est, dicens: Dum vobis insaniam dæmonis reuelarem, taurellus affuit, anterioribusque pedibus me complectens, ac suis corniculis tundens, ante se cœpit minare, & tota nocte me subire muros coëgit & arbores. Cumque nouissimè per pontem me conaretur demergere, de complexibus ipsius exiliui, cumque toto conamine fugiens, ad portas, quas Euthymius œconomus fecerat, monasterij huius perueni. Quas clausas inueniens, ambabus manibus ambos eius annulos appræhendi, & dum ab eis me luctaretur diuellere, quidam caluus pontifex obliquo latere se inter portarum rimas excutiens, ferula caput taurelli percussit, eumque in fugam compellens, me ab illius persecutionibus liberauit. Ergò dum incolæ deperîssent, & nullus ibidèm habitator accederet, ac per hoc monachi pro desolatione loci satagerent, cuidam eorum Gregorius in somnis appárens, iubet, vt si dæmonem à monasterij fundo voluissent depellere, ab oratorio sanctæ Martinæ in eodem fundo, vsque ad oratorium sanctæ Mariæ, ibidèm in Dominico constitutū, fratres cum litanijs aquam spargētes exorcizatam, procederent. Quo facto, ità dæmon ab omni monasterij possessione repulsus est, vt posteà per confinij limites ore, naribus atque oculis flammas eijcere, porcosque cogere à subulco notatus sit, sed intra fines monasterij nunquàm intrare permissus.

Dæmon in tauri specie multos infestat etiam inuisibiliter

Litanijs, & aqua benedicta profligatur dæmō

94 Alio quoquè tempore Tetgaudus, quondàm Treuirensis episcopus, qui cum Gunthario, Agrippinæ Coloniæ episcopo, à reuerendæ memoriæ Nicolao fuerat sacerdotali priuatus officio, liberalitate Adriani pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit. Cui beatus Gregorius in somnis appárens, maximum terrorem, quo de suo monasterio concitus egrederetur, incussit. Ille perpendens visum fuisse phantasticum, oratione facta, rursùs dormire cœpit. Cui Gregorius pontificali habitu redimitus appárens, Nónne, inquit, dixi tibi, vt à monasterio meo, quod in rebus proprijs per inuocationem sancti Andreæ Apostoli Domino dedicaui, recederes, quia diuersorium fieri nullo modo licuisset? Cumque Tetgaudus hospitandi ibi licentiam suscepisse se à pontifice respōdisset, Gregorius ait: Et tu qui petisti, & ille qui dedit, vterque contra Deum fecistis, cuius vindictam citiùs incurres. Euigilās Tetgaudus, intremuit, & facta oratione, sopori se reddere voluit: cùm repentè venientium sonitum audiēs, vehementer expauit, seque dormire simulauit. Appropinquans ergò Gregorius, sanctum

De Tetgaudo Treuirorum Episcopo, diuinitùs punito.

Andream Apostolum per dexteram tenens, præcepit subdiacono, qui se præibat cum lumine, dicens: Corripe illum. Qui dum correptus in lectulo clausis oculis resedisset, Gregorius ait: Adspice in nos. Intuitus in eos Tetgaudus, magis intremuit, eumque sibi taliter comminantem audiuit: Quia secundò commonitus, verbis oris mei credere noluisti, & me tua inobedientia adeò prouocâsti, vt hunc Apostolum Dei huc fatigare studuerim: scito cognoscens, quia nisi hodiè ab hoc monasterio meo recesseris, futura hebdomada cum tuis omnibus vita priuaberis. Si verò recesseris, ab hac quidem momentanea sententia liberaberis, sed neque tu, neque aliquis hic tecum degentiū suam patriam reuidebit. Mox Tetgaudus lectulo se proripuit, & primò suis, deindè monasterij monachis, postremò quibuscunque potuit, somnium reuelauit. Et quia aliud hospitium citiùs à pontifice impetrare non potuit, apud Sabinos concedens, eodem anno cum suis omnibus vita priuatus est.

Vide quāta sancti possunt post mortem.

95 Eodem quoquè tempore Suppo Piceni comes ibì applicuit. Qui monachis quidem plurimam dapsilitatem ostendit, & in rebus tam venerabilis monasterij vsurpationem suorum prohibuit. Huius familiaris quidam, nomine Faraldus, existens, si quandò Suppo ad palatium processisset, fornicarias illuc, detestantibus monachis, nō verebatur inducere, atq; cum eis comessationes & saltationes illicitas celebrare. Is deniquè noctis principio secessum petens, à spiritibus immundis in aëre per capillos appēsus est. Cumq; tota nocte pendens, vocis officium non haberet, matutinalibus horis beatus Gregorius ei videndum se præbuit, dicens: Inimice Dei, non tibi sufficiunt alia mala, quæ in meo monasterio peruicaciter perpetrâsti, nisi insupèr scenicas meretriculas in claustro monachico, tanquàm in theatro, conducas? Crede mihi, hoc anno peribis. Tunc ille magnis cœpit viribus pœnitētiam supplicare, & decæterò plenam correctionem promittere. Continuò Gregorius iussit eum dimitti: qui ad terrā décidens, quia corrigi noluit, eodem anno veram fuisse Gregorij sententiam moriendo probauit.

Faraldi improbitas.

Faraldus extinguitur.

96 Eiusdem Comitis homo sub alio tempore Indulphus vocatus est. Cui dum cocus pro cōparandis lignis denarios peteret, nullo modo potuit impetrare: sed nefario iure percepit licentiam, vt attegias & fenestras & vicini dormitorij tabulas aggressus diripere, earumque ignibus sibi prandium præpararet. Cùm sequenti nocte idem Indulphus ad secessum pergens, cur monasterij tabulas tam petulāter incendi præcepisset, à quodam sene discussus est. At ille more Gallico sanctū senem increpans follem, ab eo quidem virga leuiter percussus est: sed vir superbus tanto pondere lapsus est, vt semiuiuus humì decumberet. Eodem momento sub eadē specie cuidam clerico foris dormienti, idem senex apparuit, dicēs: Surge, & dic Comiti, vt ab hoc meo monasterio, in quo diuersorium fieri omninò non licet, antequàm me ad iracundiam prouocet, saluus recedat. Eccè ego familiari eius mihi obnoxio, quē videlicet percussum ante secessum dimisi, congruam medelam refundam. Quem cùm, quis esset, clericus requirēs, ipsum se esse perhibuit, qui ex pictura, quæ eius lectulo præminebat, facilè potuisset agnosci. Statim clericus surgens, lumen arripuit, & ex picturæ similitudine sanctum Andream Apostolum sibi apparuisse cognouit. Itaque ad Indulphum iacentem perrexit, eum semiuiuum iam reperit. Quem magnis eiulatibus clamare incipiens, tam Comitem, quàm cunctos, qui sub eisdem domibus dormiebant, miserabili vociferatione venire coëgit. Et in faciem iacentis aquam suffundens, per inuocationem sancti Andreæ apostoli tandèm aliquandò loqui fecit, atque cuncta, quæ sibi reuelata fuerant, cum eo pariter Comiti reuelauit. Qui die facto, monachos euocauit, quid contra sanctum Andream commiserit, querelabundis cœpit vocibus inquirere. At illi deletum dormitorium cocorum manibus ostenderunt. Cumque Deo deuotus Comes eos vellet supplicio subiugare, confessi sunt, se illud ædificium Indulphi iussionibus deleuisse. Pro cuius reparatione dum Comes monachis argentum voluisset tribuere, Sergius magister militum restitit, promittens illud se pro eo continuò meliùs refecturum. Mox Comes humiliter à monasterij claustro secedens, ad domum Petri filij quondàm Caroli cum omnibus suis secessit, neque vlteriùs in eodem monasterio hospitium sibi dari concessit. Indulphus verò in domo eiusdem Sergij magistri militum derelictus disperijt, sibique sanctum apostolum præualuisse suo ipsius detrimento monstrauit.

Indulphi petulantia.

Diuinitùs percutitur.

Ex pictura D. Andreas cognit' est.

Vide S. Andreæ inuocationem, & illius exauditionē.

97 Nupèr Dominicus quidam presbyter, Zacharia episcopo, de quo præfatus sum, Gregoriani monasterij curam gerente, præpositus extitit monasterij: qui carnis fragilitate corruptus, Eupraxiam quandam sanctimonialē à monasterio sancti Andreę apostoli, quod appellatur Cliuus Scauri, diripuit vel subduxit, & in regione septem viarum loco,

Dominici presbyteri nefarium facinus.

loco,qui dicitur Vipera,collocauit. Cui cùm corrupta sanctimonialis,quia latrinam & furnum contiguum non habebat, crebrò videretur esse molesta, infelix presbyter peccatum peccato connectens,vt meretriculę placere potuisset,beatum Gregorium non recusauit offendere. Cuius mirabilis, immò saluberrimi fontis tegulas diripiens, secessum & furnum prostitutæ fœminæ nō erubuit fabricare. Quibus peractis,cùm sequenti nocte iam securior à querelis lasciuæ mulieris, in eadem domo dormiret, vidit duos quosdam terribiles cubicularios se ligatis manibus ad venerabile monasterium reducentes: quos interrogans, cuius præcepto sibi talia facerent, audiuit, hoc Romanum Pontificem præcepisse. Fortè tunc Iohannes sanctæ sedis Apostolicæ Pontifex, contra Saracenorum incursus litora peragrabat.Cuius absentię ligatus presbyter recordatus, increpando subiunxit: Dominus Papa pridiè cōtra Saracenos perrexit,& vos quomodò dicitis, quòd ipse me ligari iusserit, qui eum posteà non vidistis? At illi dixerunt: Si Iohannes Papa hinc abijt, sanctus Gregorius hîc remansit: qui monasterij sui claustra solito more perlustrās, à te suum fontem reperit dissipatum, & nos ex eius tegminibus tuæ meretriculæ furnum ac necessarium vidimus coopertum. Quod presbyter vt audiuit,erubescens intremuit,eorumque violentia se in chorte monasterij teneri conspiciens, quendam subdiaconum ab intimis egredientem, atque cubicularijs dicentem audiuit: Extendite eum,& cum quadraginta rubricis ventrem totidemq; dorsum fornicatoris atque sacrilegi presbyteri verberate. Quarū doloribus reuerà presbyter iam febricitans excitatus,ad monasterium caballo impositus, dextra læuaq; ab alijs sustentatus recurrit,reatûs sui sententiam fratribus indicauit,& inuisibilibus verberibus sub febris specie laniatus, nil aliud dicere poterat, nisi, Domine reficio, Domine reficio. Cumq; interrogaretur,cur hoc tam frequenter repeteret,dicebat se sub continuo verbere gemere: sicque sexto die sub hac miserabili voce defunctus est. Siquidem plurimis documentis probatum est,in eodem venerabili monasterio fornicationis contagione pollutos,diù subsistere omninò non posse.

Nota.

Cęditur durissimè.

Moritur.

98 Quo scilicet hactenùs libra omnisque mensura, quam idem beatus Gregorius instituit,cum modio reseruatur.De cuius mensura si quis ad opus monasterij panes velit efficere,triginta & quinque fiunt,singuli duntaxàt trium librarum.Si quis verò ad opus alterius, ad eundem numerū nunquàm pertingit. Quod cùm præfatus Zacharias episcopus pro certo vellet addiscere, pro celebranda festiuitate sancti Andreæ apostoli decem modiorum tritici mensuram pistoribus dedit. E quibus pro vndecim modijs multiplicatos,obstupescentibus eisdem pistoribus, panes recepit. Qui vtiquè solicitè priùs dinumerantes,si superfluos aliquot inuenissent,sibi proculdubiò reseruarent.

Nota quiddam mirabile.

99 Sanè quàm frequenter beatus Gregorius tam illic, quàm in apostolorum basilicis,necnon & in patriarchio nunc exhortans innoxios, nūc verò deterrens obnoxios, in ipsa suæ cognitionis effigie appareścat, quia nunc narrare non valeo, hîc huius operis,adminiculante Domino,terminum facio, & reliqua eiusdem patris miracula post me doctioribus memorāda relinquo. Cuius nimirùm venerabile meritum,quousquè mundi huius orbita voluitur,vt cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiet incrementum,quia ipsius sine dubio gloriæ asscribitur,vel quòd Anglorum Ecclesia noua semper sobole fœcundatur,vel quòd illius doctrinis per orbem vniuersum multi à peccatis elongati,ad Christi clementiam conuertuntur, vel quòd boni quique ipsius suasionibus inflammati,cælestem patriam desideranter inquirunt.

Paulus diaconus in vita S. Gregorij.

100 Eccè studiose pontificum,iussionis tuæ virtute coactus, dum quædam gestorum beati Gregorij prædecessoris tui,Saxonum videlicet gentis apostoli, deflorare desidero, virum descripsi rhetoricum scriptor ignarus. Sed deprecor, vt ea curiositate, qua me dudùm hæc decerpere iusseras,ad omniū,sicut cœpisti, facias peruenire notitiam: vt in eo,quòd sacrosancto vestro iudicio placuisse me gaudeo, nulli penitùs dijudicandus addicar, quin potiùs iudicaturus inueniar. Siquidem nuperrimè, quandò hunc quartum librum, cooperante Domino,claudere gestiebam,nocte, qua Dominicæ resurrectionis dies venerabilis lucescebat, in somnis describens, quidam sub effigie cuiusdam veteris insidiatoris palàm videndum se præbuit,& candidissima tunica, simulque tenuissima,cuius nimirùm raritate nigredo subterioris tunicę extrà lucebat,sacerdotaliter insignitus,mox propiùs adstitit, & inflatis buccis risum continere nō potuit. Cui dum curulem pręparare cogitarem,hunc supra modum cachinnantē cōspiciens, compellare videbar,quamobrèm nocturno silentio tam petulāter vir officij grauioris perstreperet.At ille:Quia,inquit,tu scribis de mortuis,quos viuētes aliquādò nūquàm vidisti.

vidisti. Cumque ego tanto me veraciùs scribere, quanto incognitum facie, non autem incognitum lectione, sine vllo liuoris vel adulationis vitio retulissem, respondit: Tu, sicut video, quod voluisti, fecisti: at ego quæ facere potero, non cessabo. Hæc dicens, lucernæ flammas, cuius lumine fortè fruebar, prorsùs extinxit. Et lychnum quidē totum extinguere non potuit, me tamen in tenebris constitutum ità perterruit, vt putarem me gladijs ab eo protinùs iugulari. Cùm post paululùm desperanti mihi beatus Gregorius, comitante secum dextrorsùm reuerendę memorię Papa Nicolao, sinistrorsùm verò, sicut mihi videbatur, Petro suo diacono, multo lumine clarificatus apparuit, dicēs: Modicæ fidei, quare dubitâsti? Cui dum ego priori pauore perculsus, respondere non possem, beneuolus mihi pater Nicolaus latētem aduersarium post cortinam, quæ tunc meum lectulū circundabat, digito manifestans: Quia, inquit, hic inuidus lucernę ipsius flammas, quantùm in se fuit, extinxit. Mox Gregorius manum diaconi, qua magnam facem tenere videbatur, arripiens, eiusque flammis os faciemque petulantis exurens, ad instar æthiopis denigrauit. Qua exustione ab ore petulantis paruissima scintilla descendens, candentem tunicam dicto citiùs conflagrauit, sicque nigerrimus totus apparuit. Cumque diaconus diceret satis aduersarium denigratum, beatus Gregorius, Nos, ait, illum non denigrauimus, sed nigrum fuisse monstrauimus. Deindè infortunium meum diuersis consolationibus exhortatus, abscessit. Et facem quidem secum detulit, sed tanto lumine locum, in quo dormiebam, re vera fulgentem dimisit, vt expergefactus, pueros ante me dormiētes crebriùs inclamarem, nec antè quicquam sub graui sopore quoquomodò responderent aut surgere potuissent, quàm relictæ lucis copia paulatìm se subtrahens, penitùs effluxisset. At de ijs Deus viderit. Ego tamē diuinæ spei fiducia roboratus, quia Gaudericus episcopus Veliternus expostulat, ad Clementem Romanæ sedis antistitem, suffragante Domino, stylum conuertam: quatenùs qui continuis infortunijs tenuatus, amicis meis, à quibus vtcunquè sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba, quæ valeo, minimè denegâsse cognoscar.

Dæmon extinguit lucernam.

Visio authoris vitæ huius.

ILLVSTRE MARTYRIVM S. PETRI, CVBICVLARII DIOCLETIANI IMPERATORIS, EX EVSEBII *Cæsareensis Historiæ Ecclesiasticæ lib. 8. cap. 6. Interprete Iohanne Christophorsono.*



X omnibus, qui vnquàm vel apud Græcos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinem illustres & hominum sermone celebrati sunt, nullus cū diuinis & eximijs nostri temporis martyribus, Dorotheo & suis sodalibus, Imperatorum ministris, comparari potest: qui quidē cùm summum honorem apud dominos adepti fuissent, & amore essent apud illos liberis proprijs & ingenuis non inferiores, probra & afflictationes, pro pietate corporibus impositas, noua & multiplicia mortis genera contra ipsos excogitata, splendidiores reuerà existimârunt diuitias, quàm gloriam, quàm delicias, quibus hominum vita soleat diffluere. Mortem igitur vnius ex illorum numero, qualis fuerit, commemorare placet, eamque lectoribus spectandam relinquere, vt indè, quæ reliquis etiam eius sodalibus contigerint, animaduerti possit. Quidam illorum in ciuitate suprà commemorata coram Imperatoribus, quos diximus, in medium adducitur: qui cùm iussus idolis immolare, omninò recusaret, mandârunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eousquè toto corpore dilaniari, quoàd supplicio euictus, etiam animo inuito, quod erat imperatum, præstaret. Sed vbi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iam carne denudatis, acetum sale permistum, in corporis membra cruciatu attenuata & propè contabefacta, infuderunt. Atque vt istos dolores protriuerat, & veluti pedibus conculcârat, indè craticula & ignis vnà in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis, tanquàm carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio, non raptìm, vt breui è vita decedens, omni dolore liberaretur, sed paulatìm absumptæ fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogum, etiam post tot tamque grauia cruciamenta, ei vllum respirandi locum dare in animo habebant, nisi priùs se ipsorū imperata facturum annueret. Sed ille proposito suo mordicùs adhærescens, victor in tormentis animam efflauit.

12. Martij.

Nicomediā dicit.

Petrus cæditur atrociter.

Assatur in craticula.

flauit. Tale vnius regiorum famulorum martyrium extitit, appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) reuerà dignum.

SANCTI PATRIS NOSTRI THEOPHANIS, QVI ET ISAACIVS DICTVS EST, VITA ATQVE *laudatio, ex Simeone Metaphraste.*

12. Martij. Elegās similitudo.



VAE mercatoribus, mundi pelagus & longinqua maria maioris lucri gratia traijcientibus, solēt accidere, dum cum inuictis fluctibus atq; vndis, quæ tum inter se, tum cum ventis furentibus decertant, ipsi luctantur, & tenebris obruti, ac procella iactati, propè desperata salute, naufragium expectant: si paruus stellæ salutaris splendor periclitantibus ipsis affulserit, eius luce perspecta respirant, animumque recipiunt, ac rectorem nauis ad gubernacula sedentem hortantur, vt alacriùs munere fungatur suo: ille verò sublatis oculis, splendorem intuetur, eoque tanquàm duce, procellæ impetum vitat, & ad rectum cursum nauem dirigit: Eadem ferè in hoc vitæ pelago nauigantibus, & ad tutum futuri seculi portum studiosè tendentibus, contingere consueuerunt. Incredibili enim tentationum æstu laborantibus, & dæmonum impetu atque insidijs, tanquàm densissimis tenebris, circunfusis, res à sanctis viris gestæ, oculis eorum propositæ, splendore suo tenebras discutiunt, diuinaque doctrina perturbationum impetum prosternentes, iucundissimā afferunt tranquillitatem: & preciosis mercibus onustos atque lætantes, ad optatam facilimè prouehunt hæreditatem. Alios igitur alijs ornatos virtutibus inuenies. Hic abstinentiæ præstat integritate. Ille temperantia splendet: & quomodò intemperantiæ dominatus superetur, ostendit. Alius vitam hanc docet esse contemnendam. Alius inanem gloriam negligendam declarat. At si viri sanctissimi patris nostri Theophanis res gestas consideraueris, tanq uàm in horto florido, virtutum omnium exempla perspicies.

Res gestæ sanctorum quid conferant.

Has ego vt laudatione prosequerer, multorum precibus adductus, & eius auxilio fretus, prompto animo prouinciam suscepi: non vt viro diuino & admirando gloriam conciliarem: (Quæ enim illi gloria ex oratione mea, quæ virtutibus eius longè est inferior, acquiri potest?) sed contrà potiùs, vt rebus ab ipso gestis commemorandis, & orationem meam exornarem, & eas imitari studentibus, adiumentū afferrem. Quanquàm in ipso statìm principio, antequàm in ipsum laudationis stadium ingrediar, tāto me oneri imparem sentio. Simul enim & patria, & genus, & natura præstantior, & quæ magnitudine naturam superat, virtus, ità concurrunt, vt vndè potissimùm exordiar, dubitem. Patria enim tum laudationum legibus, tum causa ipsius armata, primas sibi vendicat partes: oratque nos atque obtestatur, ne proprijs ornamentis spolietur. Parentes autē hanc cubito opposito propellunt, educatione ac disciplina ipsius gloriantes. Virtutes verò, gloriosa ceruice sublata, proposito eius ac possessione confisæ, magna voce reliquis clamant, solum illius studium atque animum spectari oportere. Cui victoria sit adscribenda, vos facilè cernitis. Ego autem inter res, quæ se vinci non patiūtur, iudex constitutus quid faciam? Parumpèr in prioribus immorabor, vt ostendam, quæ'nam ipse creatoris amore inflammatus, contempserit, & pro nihilo duxerit. Deindè me totum ad eius virtutes perpendendas conuertam.

Patria Theophanis.

Tulit virum hunc admirabilem illa patria, quæ imperij dignitate decorata, cæteris omnibus tantùm antecellit, quantùm reginā subditis præstare par est. De qua me multa dicere volentem impedit, tum quòd nulla possunt oratione explicari, tum quòd omnibus, quascunque sol adspicit, terræ partes habitantibus sunt cognita. Parentibus ortus est tali patria dignis, qui & diuitiarum copijs, & gloria militari, & virtutibus omnibus affluebant. Hos diligebant nō solùm omnes illi, qui Deo sunt chari, quique virtutis studio atque honestatis concilantur, aut qui paribus erant dignitatibus insignes, licèt pessimo essent animo præditi, atque amicitiam proprijs vtilitatibus metirentur: sed ipsi principes atque Imperatores virtutis eorum præstantiam venerantes, eos inprimìs diligebant. Isaacius & Theodota, si quid vobis etiam nomen est curæ, vocabantur. His amplissimæ hæreditatis natus est hæres ille, qui nobis in præsentia laudandus est. Autumni tempore ex vtero matris in lucem editus, eximia corporis pulchritudine, similem animi

Parentes.

animi præstantiam indicabat. Neque enim mortalis hominis, sed Dei filius esse videbatur, ex ventre matris (Quod de magno illo propheta Hieremia scriptum legimus) sanctificatus, & iam indè ab ipso ortu ad extremum vsque vitæ finem virtutibus omnibus excellens.

Ierem. 1.

At pater ipsius, cùm exiguo temporis spatio in hoc mundo vixisset, puerum ipsum, cùm trimulus adhuc esset, Imperatori curandum ac gubernandum relinquens, præfinitum omnibus peregrinationis terminum absoluit. Mater autem *

Obitus patris.

Desunt nonnulla.

* Hic, prudēs Lector, multa in exemplari deerāt, quę historiam hāc mancā reddere videntur. Sed tu, quod dare possumus, benign[e] accipe. In reliquis excusatos habe.

illud canticum expresserunt, quo tres Pueri, contempto Tyranni iussu, in medio camini ardentis Seruatorem collaudabant. Sed cùm omnes ad hilaritatem, lætitiamq; profusi, nuptiarum conuiuium celebrarent, mens tamen illius rebus diuinis vacans, & animi propositum explere cupiens, minimè obtundebatur. Nocte autem cùm in cubiculo esset cum sponsa sua, & in lectulo cōsidéret, & toto animo res diuinas agitaret, suspirio indicans desiderium suum, sic eam alloqui aggressus est: Vitæ curriculum, coniunx, vt omnibus patet, exiguum est & incertum. Nemo enim mortaliū nouit, quandò mors sit accessura, nosque hinc ad futurum illud iudicium, quod omnibus est commune, dimissura: in quo rerum gestarum ratio seueris quæstionibus reddenda erit, cùm imparati nonnunquàm & magnis peccatorū cumulis onerati, illuc homines rapiantur, & rerū procreatarum pulchritudine spoliati, omnium cruciatuum acerbitate, atque igne conficientur sempiterno: &, cùm bona quædam exigua, si tamen dicenda sunt bona, quæ specie tantùm & opinione sunt eiusmodi, possederint, innumerabilibus torqueātur calamitatibus, quæ morte sunt ipsa longè grauiores. Atque vt interìm taceam, quàm breuia hæc sint atq; instabilia, diuitiæ, nisi rectè illis vtaris, vitiorum magis quàm virtutum ministræ sunt, & multorum insidijs obnoxiæ, & antequàm partæ sint, dilabuntur. Quid ipsa corporis pulchritudo, quæ constat ex quadam coloris suauitate, atque apta figura membrorū, non'ne vel tempore extinguitur, vel morbo deflorescit? Iam humana gloria quid inanius, ô coniunx charissima, præsertim si cum æterna illa, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, comparetur? Hanc qui manè adeptus est, ignorat, an sit vsque ad vesperam permansura. Quamobrèm nihil est, cur numeretur in bonis. Quæ cùm ità sint, si videtur, naturæ legibus renunciantes, nostri iuris simus, cęlestiaque spectemus: & quæ perpetuò non permanent, promptis animis reijciamus & aspernemur.

Hæc atque alia multa ille corpore iuuenis, sed prudentia senex loquebatur, cùm pura atque integra Christi columba, & turtur solitudinis, & castitatis cupidior, quàm nuptiarum, Christi amore succensa, & muliebrem superans infirmitatem, ac sese in omnibus, quæ honesta essent, sponso suo sociam fore promittens, ità respondit: Multo præstantius est, sponse charissime, virginitatis pulchritudinem semper integram conseruare, quàm eam maxima ex parte corrumpere. Quis autem fore spondeat, vt qui huic vitæ seruiunt, & liberis operam dant, voti compotes sint futuri? Non'ne satiùs est, vt, inani spe repudiata, quæ certa sunt, complectamur? Longè laudabilius est, vt leue Christi iugum ab adolescentia subeuntes, beatitudine, quæ indè sequitur, nos dignos præstemus, quàm vt rebus istis caducis & inanibus omni studio incumbentes, pessimi reperiamur. Hæc illa cùm dixisset, obstupuit adolescens: superauerat enim omnem suam expectationem. Ac primùm quidem humì prostratus, gratias egit creatori: deindè lætiore vultu coniugem intuitus, pollicitus est, se illam honestis omnibus in rebus sociam habiturum, vt in seculo venturo præclari muneris simul cum ipsa pręmium perciperet. Ac principiò quidem seiuncti, & cælestem agentes vitam in mundò coniuges sanctissimi, atque animorum sulcos scindentes, & in cælestibus horreis triticum recondentes, Christum, bonus ipsius odor effecti, delectabāt, & bonum eius vnguentorum odorem percipientes, illius præsentia fruebantur.

Consentiūt in perpetuā continentiā Theophanes & sponsa eius.

Cùm igitur noctem sic inter se transegissent, tota domus boni odoris fragrantia repleta est: quæ longo interuallo omnem modum superans, Domini præsentiam indicabat: qui bonum ipsorum propositum comprobans, aduentu suo locum ipsum gaudio, lætitiaque repleuerat. Sese igitur humì prosternentes, vt sibi misericordiæ fontes aperiret, obsecrabāt. Ac diuinæ quidem præsentiæ signum id fuit, quòd ea re trāsacta, inanes diuitias pauperum manibus distribuērent, ad vitam in solitudine degendam se parabāt. Sed communis hostis inuidia, quam ipse ex rebus omnibus honestis præclarisque contrahit, aduersabatur. Nam socer eius, qui omnem in ipsis solis spem positam habebat, eam rem sic ægrè tulit, vt ipsum quoquè Imperatorem in magnam indignationem impulerit.

Distribuunt suas facultates pauperibus.

pulerit. Leo hic fuit, sordidi patris filius atque successor, qui & ipsorum adolescentiam commiseratus, & proprium amicum patrem honorans, iureiurando comminatus est adolescenti, se illi, nisi à proposito desisteret, oculos effossurum. Et Cyzicum misit eum, munusque præclarū commisit, vt rebus inanibus atq; caducis administrandis, earum, quæ semper permanent, splendorem obliuisceretur. At ille, tanquàm murus, in suo instituto stabilis manēs, libenti animo iter ingressus, apud Sigrianem occurrit admirando seni, qui Gregorius appellabatur, & tum alijs donis, tum prophetiæ gratia præstabat. Multis enim sudoribus animum à perturbationibus liberum, seq; tum ad contemplationem rerum diuinarum, tum ad eorum, quæ essent euentura, cognitionem aptū reddiderat. Huic Theophanes animi sui propositū aperit, sibiq; certum iam esse dicit, exilium eligere voluntariū. At ille sancto spiritu, vt erat solitus, illustratus: Nihil est, inquit, ô iuuenis, quãobrèm de exilio cogites. paulò pòst enim licebit tibi, nemine prohibente, ad solitudinem te conferre. Socero enim tuo & Imperatore defunctis, ad vitam pristinam reuocaberis. Et hæc dicens, solito murmure labijs intonabat, quemadmodùm ipse iuuenis tempore suo comitibus dixit, cùm eius testimonium narraret.

Vult eos impedire satan.

Senis autem iumento visus est, eoque magis, quàm regio equorum ministerio, quo erat ornatus, gloriabatur. Senis igitur monitu, & aliorum patrum consilio confirmatus, reditum in patriam distulit, & vnà cum socijs in loco, quem nactus est, cum supellectili sua consedit. Verùm cùm & magnis caloribus, & siti cruciarentur, non tamen indignatus est, nec aquæ penuria sententiam mutauit, nec proprium orauit Dominum, vt siti mederetur: sed solitas illi preces fundens, super tapete recubuit, vt somno paulispèr sitim leniret. At rerum admirabilium effector Deus, iuuenem intuitus propter se libenti animo labores ferentem, magno illum miraculo decorauit. Qui enim ingrato populo ex durissima petra latices effudit, cur grato iuueni necessaria non subministraret? Propè igitur, vbì ille iacebat, diuino iussu fons mirabilis emanauit, tactuque suo Dei seruum excitans, sese illi patefecit: qui socijs conuocatis, sitis remedium à Deo datum ostendit. Cauis igitur manibus aquæ copiam haurientes, debitas bonorum omnium largitori Deo gratias egérunt. At nè quis posset suspicari, casu fontem illum repertum fuisse, nocte repentè sic euanuit, vt ne vestigium quidem eius vllum mane relinqueretur. Hoc amoris, quo sanctus hic iamindè ab ipsa adolescentia Deum prosequebatur, signum fuit, tanto maius illis, quæ Moses Dei inspector edidit, quòd ipse precibus ea impetrauit, hic autem ne id postulans quidem. Prætereà ille murmurantium adductus necessitate, Dominum ad largiendum impulit: hic autem patientia & gratiarum actione vtens cum socijs suis, proprium Dominum mouit. Ad hæc Iudæi (nè dicam Mosem) munus dubitatione coinquinârunt, hic autem donum honestatis proposito commendauit.

Exod.17. Num.20. Eccè miraculum.

Nondùm anni tres præteriērant, cùm socer eius & Imperator à præsenti gloria depulsi sunt, & ad domicilium illis conueniens missi. Irene autem mulier illa fortis atque diuina cum filio Imperij gubernacula suscepit: Si tamen mulier dicenda est, quæ aduersùm hostes atque perturbationes virilem animū gessit: & homines, qui diuturno bello conflagrauerāt, tum inter ipsos conciliauit, tum etiā Deo. Quamobrèm, discussis mundi tenebris, lætiorem omnia faciem susceperunt. Tunc sol, qui cuncta lustrat, clariorem liberioremque diem extulit, & mœrorem atque tristitiam, quæ diù orbem occupauerat, exuens, nitidiùs illuxit. Tunc igitur sponsa, Dei sese oculis ornans, & castitatis studiosa, cùm iuris sui esset effecta, diuitias, quibus multùm abundabat, domo protulit, & omnibus inopia laborantibus distribuit. Sic vna Dei amantium domus, multis, quæ victui erant necessaria, subministrans, & pauperum, qui se Deo dediderant, calamitates eximiè subleuans, Deum ipsum qui eas sibi proprias fecerat, vehementer oblectabat.

Irene imperio potitur.

Cùm igitur hæc & alia multa perfecissent, illa quidem in monasterio suis facultatibus constructo vitam egit: hic autem ad magnū senem redijt, qui apud Sigrianem degebat in oppidulo, quod illi ab ipso ocij quietisque gratia donatum fuerat. Hoc in loco manibus eius tondetur, immò verò consecratur, hostiam offerens hostia sancti Isaac multo sacratiorem: siquidem grauius censendum est, quod voluntate fit, quàm quod præter voluntatem: & id, quod perficitur, eo, quod non perficitur. Illic mansione proprijs sumptibus constructa, & multis muneribus exornata, eius permissu & voluntate ad insulam, quam Calonymum vocant, se contulit, & prædium, quod in ea paternū habebat, in monasterium commutauit, viris in solitudine degentibus ex Theodori, quem Monocherarium appellant, monasterio congregatis. Quantæ autem virtutis esset, vel vulgi

Sponsa Theophanis petit monasterium.

Theophanes fit monachus.

Vulgi prouerbium facilè indicat. His viris monasterij tradita gubernatione, omniumq; probatissimo duce declarato, obedientiæ exemplar seipsum exhibuit: tanta enim præstabat humilitate, vt aliorũ nemini compararetur. Sic autem se exercebat, atque humi cubabat, vt longo omnes post se relinqueret interuallo. Diuinorum librorum lectioni assiduè incumbebat, eosque nõ humana disciplina, sed labore perpetuo & diuina gratia planè intelligebat. Noctem precando consumebat, & cum Christo, quem optabat, versabatur, & beneuolentiam eius sibi conciliabat. Cumque aduersùs dæmones & cupiditates pugnaret, mitis ac mansuetus omnibus, vt alter Moses, videbatur. Rerum terrenarum cupiditatem sic abiecerat, vt diuinis tantùm vacaret. Quanta porrò fortitudine esset ac temperantia, & quantoperè negligeret dignitates, extrema ipsius tempora potissimùm indicârunt. *Eius exercitia & virtutes.*

Hoc igitur virtutibus florente, monasterij Præfectus ab hac mortali vita discessit ad immortalem. Omnes autem ad hunc concurrẽtes & lachrymantes supplicabant, vt sibi præesse vellet, & eorum, inter quos licèt extremum locum teneret, virtutibus tamen & factis præfulgebat, saluti vellet consulere. Sed animum eius mouere non potuerunt, qui in rebus abiectis ac vilibus constituerat permanere: & quãto sublimior virtute tollebatur, tanto se gerebat summissiùs. Res enim omnes mortales pro nihilo ducebat. Baculum igitur in manum sumens, & spe in Christum, cui per omnem vitam innixus fuerat, benè armatus, ad Sigrianæ montem peruenit, & ab agricola quodam prædiolum emit, pecunia à Dei amicis mutuata. Neque enim animo quicquam possidebat: sed vili panno corpus induerat, & sensibus silentium ac quietem indicẽs, carne extra mundum versabatur. Hoc in loco sibi domicilium statuit, & manuum labore tantum, adiuuante Deo, profecit, vt paruo temporis spatio, & mutuò sumptam pecuniam redderet, & victui necessaria compararet. In dies autem seipso melior euadens, & quæ retrò sunt (vt Apostoli verbis vtar) obliuiscens, ad meliora contendebat. Neque enim satis esse ducebat in proposito permanere: immo non mediocre damnum existimabat, si proficiendo non progrederetur. Comes autem & adiutrix omnibus in bonis illi erat gratia Dei, quæ in ipso adhuc puero ità conquieuerat, vt eum nunquàm reliquerit. *Fugit monasterij præfecturam.* *Phil. 3.*

Quis eius in orationibus familiaritatem cum Deo, qua sic à rebus terrenis purus euadebat, vt diuinarum actionum instrumentum fieret, pro dignitate queat explicare? Quis temperãtiæ decus cordis eius enarrare possit, quæ sic eum rebus incorporeis coniungebat, vt Dei purissimum esset habitaculum, & Deum contemplaretur, & quæ futura erant, tanquàm præsentia cerneret? Quæ nam oratio assequi valeat incredibilẽ illius erga Deum & proximum charitatem, licet vi sua cælum conscendat? Quæ fidei firmitatem, ab omni duplicitate alienam? Quæ spei constantiam, qua ille iam indè ab ipsa pueritia instructus fuit? Rebus futuris, tanquàm præsentibus, fruebatur. Virtus autem eius ardentibus gratiarum iaculis multos ad imitandum inflammabat: qui suaue Christi iugum subeuntes, hunc sibi ad virtutem assequendam ducem proponebãt. Summa enim ipsius erga proximum charitas, sic humilem eius de seipso sensum vincebat, vt eorum præfectus videretur. Quanuis enim illius animi summissio contemptum apud eos, qui erant initiandi, pareret: tanta tamen erat cum beneuolentia & charitate coniuncta, vt eius virtutem venerantes, ei sese submitterent. *Ecce virtutum eius catalogum.*

Is diuina sanè gratia sic illustrabatur, vt facilimè posset, quæ recta & consentanea essent, intueri. Quæ in Bithynia atque alibi sunt, monasteria inuisens, & in eis, tanquàm in floridis pratis, versans, virtutumque exempla, quasi rosas decerpens, domum ad suos reportabat, perfectæ charitatis & sublimis humilitatis secum circunferens documenta. Perpetua verò abstinentia sic erat confirmatus, vt cùm amicorũ præsentia ad communionem vocaretur, eius pulchritudini charitatẽ anteponeret, & vnà cum magno Paulo sciret & abundare, & penuriam pati, atque ità inanem gloriam euitare. Pulcherrimum illius factum me pene præterijt. Cùm enim Nicææ synodus secunda coacta esset, ad eam ipse quoquè cum alijs patribus vocatus est. Cumq; omnes equis præstantibus & splendidis vestimentis ornati venirent, ipse veste solita indutus lacera, & asinæ insidens, læto animo iter suscepit. Sed cùm omnes viderent eum, qui priùs omnibus diuitiarũ copijs abundauerat, sic indutum, maiorem ex illo, quàm ex reliquis, vtilitatem acceperunt, & ingẽti tranquillitate animi repleti sunt. Ipse verò veritatem amplexus, & errores aspernatus, maxima virtutum opinione insignis redijt. *Phil. 4.* *Venit ad 2. Nicenam synodum.*

Verùm cùm malitiæ authores dæmones præclaris ipsius factis inuiderẽt, ei nocte parumper dormienti impudenter illudere conati sunt. Manus enim ipsius pollicẽ, tan- *Dæmones eũ mordẽt.*

quàm sues agrestes, dentibus corripientes, acerbum dolorem intulerunt, in eaque corporis parte luxata, dentium vestigia reliquerunt. At ille Dei amore confixus, & nequitia dæmonum animum gerens superiorem, non permisit, vt ea re diutiùs inuidi dæmones gloriarentur: sed preciosi ligni vnguento manum luxatam inungens, dicto citiùs, quod mirabile fuit, eam curauit. Gratia enim diuina perpetuò illius laboribus, summissique animi moribus præsens, eumque munerum apostolicorum gratia illustrans, rerū admirabilium effectorem reddebat. Equidem si omnia, quæ diuina gratia in hoc sancto viro inhabitans elargita est, munera enumerare voluëro, & laudandi leges transiliam, & oratio mea instàr nauigij in medio mari dissoluetur. Quòd si pauca quædam, pluribus omissis, commemorabo, & oratio, tanquàm litora legens, in tuto versabitur, & ex ijs, quæ dicta fuerint, reliqua facilè conijcientur.

Cùm sæui dæmonis impetu quidam opprimeretur, repentè mentis vim amisit, & carnes propria, tanquàm alienas, laniabat. Erat autem omnibus accedentibus grauis. Itaq; vinculis & compedibus à compluribus custodibus coërcebatur. Sed vir sanctus vnius vesperæ supplicatione ad Deum fusa, liberauit hunc miserum, & vincula ex eius corpore statim exciderunt: & qui mente captus erat, atque omnibus molestus, ad sanitatem redijt. Vsu venit, vt vir sanctus ad oppidum quoddam maritimum accerseretur: sed in medio cursu tempestas ingens oborta est, qua pelagus intumuit: fluctibusq; sublatis iactabantur, & impediebatur nauigatio. At vir sanctus solita fide fretus, proprium explenti ministerium ait: Conseruo mari denuncia, vt frenet tempestatem, & fluctus tranquillos reddat, vt iter nostrum placidè conficere valeamus. Atque ità confestìm effectum est, vt Christus & Deus noster hac item in re, quemadmodùm in reliquis omnibus, vera dixisse demonstraretur, cùm maiora ministros suos, quàm ipse faceret, pollicitus est effecturos. Cæterùm cùm omnibus virtutibus excelleret, curandis tamen & subleuandis pauperibus maiorem diligentiam adhibebat. Cùm enim amore fraterno maximè teneretur, misericordiam ex eo proficiscentem in primis complectebatur. Et salutarem accedentibus manum porrigens, quatuor mensium spatio cibum, monasterij vsibus comparatum, effundebat. Cumque minister rem ægrè ferret, atque illum ne familiæ quidem satis esse diceret, miti oratione iubebat, vt frumentum numeraret. Quod ille cùm fecisset, nullum aceruo modium deesse reperit. Verum facilius sit, vndas maris enumerare, aut caua manu pelagus dimetiri, quàm res ab illo gestas admirabiles oratione complecti. Quamobrèm alijs cætera relinquentes commemoranda, quæ rei institutæ magis conueniunt, persequemur.

Curat furentem dæmoniacum.

Iohan. 14.

Benignitas eius in pauperes.

Ager Ecclesiæ bonis omnibus abundabat. Nam & rectis institutis instructus erat, & factis congruētibus affluebat. Imperatores autem Dei amantes, pietatis studio potiùs, quàm Imperij amplitudine, gloriabantur. Porrò magnus Pontifex sublimem cathedrā sortitus, virtutis lumina per vniuersum orbem terrarū accendebat. Et qui sub ipso erāt sacerdotes, sine repræhensione suos singuli greges tutos in portus perducebant. Monasteriorum autem rectores, quibus, tanquàm sol, admirandus hic vir prælucebat, viam in cælum ducentem, anteà impeditam, discipulis suis demonstrabant. Sed inuidus serpens Ecclesiam tam multis bonis florētem videre non poterat, & ex multitudinis peccato occasionem arripiens, ità permittente Deo, Ecclesiæ pulchritudinem peruertere aggressus est. Verùm cùm propriæ peruersitatis ministrum idoneū quæreret, aptiorem inuenit, quàm optabat: Leonem, inquam, hominem perniciosissimum, qui ab Armenijs & Assyrijs genus ducens, vtriusq; gentis dolos & feritatem imitatus, immò verò superans, & ad mentiendum promptus erat, & ad persuadendum ea, quæ mentiebatur, aptissimus. Fraude, loco virtutis vtebatur, eamque aduersùs cōiunctissimos exercebat. Hic in blandum & præclarum imperium consurgens, ornatissimum & inaccessum Ecclesiæ solem deiecit: & cum illo omnes ferè sacerdotum principes exturbauit. Et hanc ab Apostolis per manus traditam institutionem negligens atque contemnens, diuinæ Christi carnis imaginem defodit: idemque de matris eius & sanctorum omnium imaginibus fecit, & Ecclesiam grauioribus, quàm fuerint Aegyptiæ, tenebris impleuit. Barbaræ enim violentiæ patriam stultitiam admiscens, & veterem illum Rapsacem superans, iniquitatem in sublime loquebatur, & ciuitatem Dei, quæ est Ecclesia, multis dolis perturbare studebat. Qua quidem fluctuum tempestate omnis recta institutio periclitari cœpit, cùm illi ne repugnaretur quidem. Nam qui virtutū præstantia reliquos ad cælestia ducere debebant, illius improbitatis fluctibus obruebātur, & socordia vinci se permittebant. Qui verò & rebus terrenis neglectis, & vita contempta, scelus industria sua

Leo V. Imperator iconomachus.

Nota, quòd vsus imaginum ... Apost. institutione per manus tradita.

sua superabant, partim fame, partim verberibus cruciabantur: nonnulli etiam noctu conijciebantur in mare.

Tunc igitur, tunc ad certamen vocatur etiam Theophanes admirandus, non tamen manu tyrannica aut violenta, sed blăditijs ac dolis. Aduersùs hostes, dicebat impostor ille, mihi pugnandum est: sed antequàm manus cum illis conseram, precibus tuis armari me oportet. Theophanes autem, cognita hominis malitia, quanuis renum & vrinæ difficultate laboraret, (Instrumentis enim per naturalem cuniculum in vesicam admissis, quæ lapides insitos constringerent, humidis excrementis exitū præbebat) maximisque molestijs vexaretur, & in lectulo ægrotus assiduè decumberet, naui tamen ad vrbem se regiam contulit. Quod cùm scelestissimus ille intellexisset, sancti viri conspectum (vt arbitror) veritus, per nuncium hæc illi significauit: Si venisti, vt mihi morem geras, (Aduentùs enim celeritas bonam mihi spem attulit) scito tam multis te bonis fruiturum, quàm multis eos frui par est, qui propriæ voluntati Imperatoris voluntatem & consilium anteponunt, & monasterium tuum varijs muneribus ornatum iri, & propinquos tuos maximis dignitatibus decorandos, teque primas apud me amicitię atque authoritatis partes habiturum. Sin, quod vix cogitare fas est, studio tuo preces meas posthabueris, & consilium meum neglexeris, & quæ tibi proponuntur, præmia fueris aspernatus, inuitus facies, quæ volens recusas, & maximi tibi ipse dedecoris atq; calamitatis author existes.

Ad hæc diuinus vir, perspecta dictorum stultitia, ità nuncio respondit: Ego nec pecunias, nec possessiones, nec reliqua huius vitæ bona vllo modo curo: Quæ enim adolescens, cùm ijs frui possem, amore Christi inflammatus repudiaui, ea iam senex quomodò complectar, áb institutoque recedam: præsertim cùm corpus morbis confectū sit, vt vitæ finis procùl abesse non possit, & hæc inania esse constet? Quòd autem ad monasterium propinquosque pertinet, id Deo erit curæ, cui à me commendantur: & quibus ipse Deus meliùs, quàm Imperatores & Principes, potest consulere. Quòd si, quemadmodùm pueros parùm generosos magistri scutica perterrefaciunt, ità tu me morbo & senectute confectum, minis territum iri speras, rogus accendatur, tormenta parentur, & omnia cruciatuum genera: vt scias planissimè, Christi virtutem in meis infirmitatibus perfici. Ego, qui per humum iter facere nequeo, valetudinis infirmitate superata, in ignem insiliam. *Præclarum eius responsum ad Leonem impium.*

His auditis, impurissimus ille constantiā quidem animi fortis admiratus est, de victoria tamen non desperauit, hominis facinorosissimi, quem apud se habebat, fretus astutia, qui sophistarum pręstigijs, & gentium auspicijs, & iecinoris inspectionibus instructior erat, quàm disciplinis: & ad impietatis barathrum infelices homines trahens, apud ipsum valebat plurimùm. Huic beatum Theophanem tradit, sperans præstigijs ipsius omninò deceptum iri. Sed tanquàm asinus ad lyram depræhensus est. Inuictam enim viri sancti dicendi libertatem admiratus, antequàm congrederetur, se victum esse confessus est: Imperatorique nunciauit, eum esse præstantiorem, quàm vt oratione aut minis superari posset: quinetiam, si ibi diutiùs commoraretur, fore, vt aliorum animos, quos in sententiam suam adduxerant, abalienaret. O mentem adamante firmiorem, & nullis cedentem machinis oppugnantibus veritatem. O beneuolentiam erga creatorem incredibilem, quæ nullis vitæ tentationibus dissolui potuit. Cæterùm ab impugnatione non destitit homo tyrannica plenus crudelitate: sed virum sanctum in Eleutherij palatio includi iubet, adhibitis custodibus, nè quis humanitate ductus, ei propter Christum patienti consolationem vllam afferret. Itaque corpus eius diuturna fame confectum, paulatìm tabescebat, & ad acerbam mortem appropinquabat. Morbi enim medicorum auxilio destituti, grauiùs sæuiebant, & vitam reddebant morte ipsa longè acerbiorem. At ipse optatissimam Dei pulchritudinem mente contemplans, ea, quæ ne auditu quidem tolerabilia sunt, patiēti & æquo animo perferebat. Gaudebant angeli, cùm fortitudinem, quæ longo tempore à mortalibus abfuerat, ad eos rursùm redeuntem conspicerent: & viri sancti præstanti aduersùs hostes virtute lætantes, victoriæ pręconium concinebant. Horrebant dæmones, quòd sanctos, quorum nomina audire non poterāt, & imagines oppugnabant, rursùm factis florentes spectare cogerentur: & satellites ac ministros suos ignauiæ coarguebant. Christus verò muneribus orationem omnem superantibus, pugilem suum decoratum, victoriæ corona donauit. *Vincit præstigiatorem.* *Includitur à tyranno, & fame cruciatur.*

Duos igitur annos cùm acerbissimum carcerē pertulisset, in Samothracem insulam deportatur: quod ipse diuino animo prospiciens, ei, qui sibi ministrabat, pręnunciauerat.

Migrat à corpore. rat. Cumque tribus & viginti diebus in insula vixisset, tanquàm suauis hostia communi Domino oblatus est,& eius manibus sacrum atque sanctum spiritum tradidit, vt ad diù optatam hæreditatem admitteretur. Neque verò corpus eius,quod victoriæ particeps fuerat,& animo semper in omnibus bonis inseruierat,meritis muneribus caruit. Nam piorum virorum manibus in lignea arca compositum, & conuenientibus cantibus, vt tempus ferebat, elatum, admirandis gratijs à Deo fuit illustratum. Cùm enim lues in pecora illius insulæ desæuiret, adeò vt mortua repentè conciderent, aquam illius arcæ admouentes (neque enim corpus audebant attingere) pecora peste laborantia conspergebant,& periculo liberabantur.

Nota.

Leo cęditur Haud multò pòst immanis ille aper Ecclesiæ Christi pro multis peccatis vno supplicio affectus est,& sacris in locis,in quæ fuerat debacchatus,turpiter vitā amisit. Quarè, densa caligine paulispèr disiecta, quidam veluti libertatis sol, tenuissimis tamen adhuc nebulis tectus, illuxit. Tunc igitur sancti viri discipuli fiduciam sumunt, & nauigio ad insulam accedentes, præclarum illud & splēdidissimis gratijs effulgens corpus in arca sublatum,gestant in locū quendam,Sacrum dictum,qui à monasterio abest duodecim stadiorum interuallo,& in templo sancti martyris Procopij,ibi existente,deponunt.

Miracula ad eius sacrū corpus. Hic ille,qui eos,à quibus honoratur,honoribus afficit,vt futuræ gloriæ statum sancti sui declararet, incolas omnes illius regionis munerum ipsius fecit esse participes. Confluebant enim, vndarum instàr, qui morbis grauissimis, nec vllam curationem admittentibus,laborabant: & qui à dæmonibus vexabātur,illis inuitis, & dolorem suum clamore gemituque testantibus,huc trahebantur:& solo arcæ attactu liberati recedebāt, Deo, per ipsum sanctum seruanti,gratias agentes. Et qui clàm ea peste laborabant, inhabitātibus dęmonibus athletę iussu necessariò patefactis & expulsis,liberi ostēdebantur. Paralytici, qui vix in lectulis suis gestari poterant, sancti virtute membra corroborantes, humeris lectulos suos cum diuinis laudibus reportabant. Cæci, qui omni corporis actione spoliati,aliorum manibus ducebātur,& veros duces oculos requirebant, voti compotes facti,sine labore ità redibant,vt alienę manus operam minimè requirerent. Claudi membra corporis,quæ terram attingere non erant solita, humì fœdè trahentes, aut ad iter faciendum alienas manus mutuantes, caprearum in morem rectis tibijs saliendo discedebant. Iam qui aurium, aut linguæ munere fungi non poterant, præter omnium expectationem,& aliorum sermones intelligebant,& vna omnes voce agebant gratias. Fœminæ,quæ perpetuo sanguinis fluxu laborātes, insiti caloris discessu ad mortem appropinquauerant,non Domini fimbrię,sed serui arcæ contactu,mirabiliter exiccato fluxu,gratiarum fontes emittebant. Chirographum flagitiosis actionibus plenum, cùm arcæ obsignatum admoueretur, sic omnibus apparuit, àc si nihil vnquam in eo fuisset scriptum: & Apostolicam potestatem,ex huius arca manantem, admirabantur. Verùm quis ea,quæ tunc ab ipso gesta sunt, singulatim aut oratione, aut scriptis valeat explicare,quanuis illi linguæ sint centum, oraque centum, cùm ne genera quidem numerari facilè queant?

Trāsfertur ad suū monasterium. Integrum igitur annum in tēplo sancti martyris Procopij commorati, nè preces diuinam ab ipso gratiam implorātium impedirent, serò, & vix tandèm rectà ad eius monasteriū peruenerunt, cùm ordine quadruplici circa feretrum ipsius constitissent. Medium enim inter patres locum obtinētes viri lectissimi, humeris suis sanctissimā arcam gestabant,in qua non vrna erat ingrati populi cibum conseruans, non lapideæ tabulæ, non virga Aaron: sed corpus illius,qui virtutem omni repręhēsione superiorem ostenderat: Qui naturali tranquillitate inuidiæ aculeos obtusos, hebetesq; reddiderat: Qui charitatis insignijs eximiè excelluerat: Qui fide,cui nihil est difficile, in primis pręstiterat,& eius auxilio hostium arces euerterat: Qui spe in Christum inuicta,per omnem vitam armatus extiterat,& aduersariorū tela cunctis inania demonstrârat: Qui munerum spiritûs sancti tanquàm fluuius erat: Qui animos omnium gratijs hilares efficiebat: Qui in Ecclesiæ firmamento, quasi nitidus quidam sol fulserat: Qui hæreticorum oculos doctrinæ splendore perstrinxerat: piorum autem animos direxerat ad rectam fidem.

Hebr. 9.

Inuocat S Theophanē author. O ægrotantium medice, ô miserorum perfugium, largire mihi celerem mearum ægritudinū curationem: vt recuperata sanitate, rursùm ad te supplex accedam, & grati animi testimonium afferam. Libera me à periculis, quæ quotidiè imminent, vt pulcherrimis factis incumbam, & per te, illorum authorem Deum agnoscam. Peccatorum mihi veniam à Deo,& iuuentutis meæ delictorum obliuionem impetra: vt instàr illius chartæ, quæ arcæ tuæ contactu ab omni scriptione libera apparuit, ante tribunal horrendum

rendum iusti iudicis, obliterata videantur. Pessimam contra nos incitatam inuidiam extingue, & ab inuidorum peste tutos integrosque conserua: vt sine offensione salutis semitam conficientes, almi præsidij tui præconium lætis animis celebremus, in Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & imperium in secula seculorum.

MARTYRIVM SANCTI SABINI,

ex Simeone Metaphraste.



IMperante Diocletiano, edictum per vniuersum orbem terrarum promulgatū est, vt qui iussis eius non obtēperarent, nec dijs immolarent, supplicijs excruciati necarētur. Quæ quidem fama per omnem Aegypti regionem peruagata est. Quamobrèm cùm magna aduersùs Christianos persecutio vigeret, & tota Aegyptus ea tempestate iactaretur, Sabinus quidam Hermopoli princeps, atq; illustri loco natus, Christianæq; religionis cultor egregius, in ea rerū perturbatiōe è ciuitate discessit, & in parua domūcula cū alijs Christianis habitabat, & nocte atque die ieiunijs & precationibus incūbebat. Sed cùm multi Christiani essent comprehensi, omnesq; Sabini celebre nomen detulissent, ab iniquis hominibus diligenter quærebatur. Ad quos cùm mendicus quidam post aliquot dies accessisset, qui solebat ab illis cibum accipere, (sciebat autem locum, vbi sanctus Sabinus cōmorabatur) Quid vultis, inquit, mihi dare, & ostendam vobis, vbi Sabinus, quem quæritis, delitescit? Huic cùm duos nummos dedissent, secuti sunt eum, & ad locum peruenerūt, pulsâruntq; fores, tanquàm aliquid vellent sibi responderi. Cùm autem vnus è fratribus aperuisset, vt, quid vellent, intelligeret, statìm irruerunt homines scelerati, & sanctum Sabinum cum sex alijs fratribus stantem & psallentem offenderunt, vinctosq; extra domum extraxerunt. Cumq; quæsissent, quis eorum esset Sabinus, & comperissent, eum separatìm duabus catenis vinxerunt, iniectoq; ceruici eius graui vinculo, ad Præfectum duxerunt.

13. Martij.

Nota exercitia veterū Christianorum.

Vinctus ducitur ad præfectum Sabinus.

Tunc autem Hermopoli præerat quidam nomine Arianus, qui cùm ad fluminis ripas egressus esset, procùl adspexit multitudinem cum magna militū manu venientem: & relicta fluminis ripa, in locum quendam floridum & amœnum animi gratia se contulit, ac duabus pòst horis, sublatis oculis, vidit sanctum Sabinum, qui à magna militum copia trahebatur, & ad tribunum: Quis est, inquit, ille, quem nostri ordinis milites ducunt? Respondit: Vnus aliquis, domine Princeps, vt arbitror, ex infelicibus Christianis. Et paulò pòst milites accedentes, per tribunum nunciârunt, eum esse Sabinum Christianorum propugnatorem, quem ipse conquirendum mandâsset. Quo audito, vehementer lætus: Gratias, inquit, ago benignis & immortalibus dijs. Statimque iussit tribunal constitui. Et ipse in sella sublimi sedens: In iudicium, inquit, adducatur flagitiosus Sabinus, impiæ Christianorum sectę studiosus. Tribunus statìm adduxit, & ait: Sabinum, quem amplitudo vestra iussit comprǣhēdi, sistimus ad tribunal vestrum. Doceat, inquit Arianus Præfectus, nomen & fortunam, & vndè sit. Respondit sanctus: Sabinus vocor, & Christianus sum. Seruus es, inquit Præfectus, an liber? Respondit Sabinus: Liber sum, & dum per ętatem licuit, in militia Ducis locum obtinui. Cur, inquit Præfectus, mīlitiam talē deserere maluisti, quàm diuinis Imperatoribus & legibus ipsorum parére? Quia animaduerti, respondit Sabinus, decreta eorum aduersùm Christi seruos iniusta, elegi magìs abiectus esse in domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Non audîsti, inquit Præfectus, ab Imperatoribus fuisse constitutum, vt in omnibus prouincijs & regionibus omnes vbiq; dijs propitijs immolent atq; sacrificent? Impium istud edictum, respondit Sabinus, vt antè dixi, nos minimè latuit, neq; leges, quibus multos offenderūt & perdiderunt. Quæ quidem leges quoniam abhorrent à natura, imprudenter ipsi Imperatores Dominū suum, & de ipsis optimè meritum iniuria afficiunt. Ego verò Deo meo Christo Iesu sacrifico, & ipsum solum adoro.

Sistitur ad tribunal.

Psal. 83.

His verbis indignatus Arianus Pręfectus: Malū, inquit, caput, audes in gloriosos Imperatores nostros, & leges ipsorum maledicta conijcere, quas quidē nobis pro humanitate sua ad communem salutem tulerunt? Scito, inquit Sabinus, ó Præfecte, te minis tuis nunquàm effecturum, vt dijs immolem. Hæc cùm audiuisset Præfectus: Ego, inquit, deorum adductus beneuolentia, benignus erga te sum. Quamobrèm confitere bene-

ficos esse veros deos. Quod si recusas, tormẽta & cruciatus, quibus afficiendus es à me, efficient, vt eos cognoscas esse veros deos. Nunquàm, inquit Sabinus, terrebis me tormentorum minis. Diuinis, inquit Præfectus, augustisque legibus tormenta varia præscripta sunt, quibus excruciaberis, si contumax permanseris. Si terrena, inquit Sabinus, tormenta & cruciatus sic extimescimus, quotquot illa sint, quæ nobis, nisi vanis dijs sacrificemus, proposita sunt, cùm nec perpetua esse queant, nec sine fine hominem illis affectum cruciare: quanto magìs metuendus est nobis Christus Iesus, qui supplicijs aduersùs impios paratis potest eos, qui sibi non obediuerint, afficere in sempiternum? Oportet igitur potiùs timere Deum, & Dominum nostrũ Iesum Christum, quàm eos, quos deos dicitis, qui sunt vani. His auditis, Ego, inquit Præfectus, admonui te, vt resipisceres, & deos esse futereris: quod si recusaueris, te vel inuitum cogam id facere. Confitere igitur, & noli vim expectare. Tú ne me, respõdit Sabinus, coges fateri deos, quos asseris? Ego potiùs cogam te coram vniuerso hoc populo confiteri, esse Deum in cælo, nec vllum esse alium, nisì Christum Iesum Sabini Deum.

Præclara Sabini sententia.

Crudelissimè laniatur

Tunc Præfectus vehementer commotus, iussit eum in armamentario suspendi, & dissecari. Quo quidem modo sic excruciatus est sanctus Dei martyr, vt carnes eius omnes in solum cõciderent. Et Præfectus, Nondùm, inquit, immolare vis deis? Minimè verò, respondit Sabinus. Vnus autem ex aduocatis, qui adstabant, nomine Bisambo: Domine, inquit, non est ampliùs mentis compos, sed animam agit ac moritur. Sabinus statìm magna voce: Sum, inquit, planè mentis compos, nec vllo modo sensum amisi. Quamobrèm absit, vt à Deo, qui me procreauit, abalienar. Adhuc, inquit Arianus, audax es & obstinatus? Verùm ego te hìc non afficiam supplicio, Antinopolim petamus, & illic disces esse veros deos, quibus Imperatores sacrificare nos volunt. Sabinus igitur ante Præfectum Antinopolim ducebatur. Cumque aliquot horis priùs fluuium traiecisset, paulispèr prope ripam respirabat, & à custodijs obseruabatur. Exibant autem è ciuitate multæ turbæ, vt beatum Martyrem conspicerent. At Præfectus, conscensa naui, Antinopolim, quò sanctum Sabinum præmiserat, contendebat. Sed cùm sanctus Dei martyr à circunstantibus turbis intelligeret, Præfectum in nauim conscendisse, vt in ipsam vrbem ingrederetur, surrexit, & stans in medio vniuersi populi orauit: Deus meus, inquiens, Christe Iesu, propter quem hos dolores pertuli, & triumphans ac nudus conspicior ab hac multitudine, exaudi me hodiè, & extende potentem manum tuam, & illustra nomen tuum, & me peccatorem atque inutilem seruum tuum exaudi in medio huius populi. Sic illustrabitur sanctum nomen tuum, si retinueris iniquum Præfectum in medio fluminis, nauimque ipsius ità cohibueris, vt moueri non possit, sed in periculo versetur, donèc ipse honoret celeberrimum & maximum nomen tuum, id quod se facturum negauit.

Ducitur Antinopolim.

Præfectus fluctibus iactatur.

Hæc cùm à sancto Sabino dicerentur, nauis in medio fluminis cohibita est, & valdè fluctibus iactabatur. Quod vbì Præfectus animaduertit, ad eos, qui secũ erant in naui, Videtis, inquit, quid acciderit? Aliquid fortasè dixit ille magus, & præstigijs eius factum est, vt in medio fluminis coërceamur. Ego expauesco, dum magiæ ipsius vim considero. Iussit igitur, vt alia nauigia ferrent auxilium. Et qui cum ipso erant in naui, magna voce significârunt, vt nauigia ad opitulandum accederent. Sed cùm nauigia ad locum, vbì erat nauis Præfecti, peruenissent, ipsa quoquè vehementer ventis & fluctibus iactabantur: cumque regredi conarentur, summum periculum adibant. Vnum porrò nauigium ex illis, cùm ad Præfecti nauẽ non posset appropinquare, reuertebatur. Clamauit autem Pręfectus ad eos, qui in illo erant nauigio: Ad ripam, inquiens, accedite, & quẽdam ante vrbem, nomine Sabinum, conquirite, qui tormentis affectus est, & ei dicite, cur nos magia sua prohibeat cursum nostrum conficere, & ad fluminis ripam peruenire: Sed ipse tormenta omninò formidat, & idcircò nos vetat traijcere. Iussa facessunt, qui erant in nauigio, inuentoq; sancto Sabino, mandata nunciant. At ille respondens, Viuit, inquit, Dominus Deus meus Iesus Christus, propter quẽ hęc ego patior, Nõ priùs ad ripam peruenies, quàm confitearis nomen Domini mei Iesu Christi. Hermeas autem vnus ex illis, qui sanctũ Sabinũ custodiebant: Quomodò, inquit, intelligere poteris, vtrùm Pręfectus confiteatur, cùm procùl absit? Respondit sanctus Sabinus, & ait: Quandò literas exarauerit, quibus Deum meũ confiteatur, easq; mihi, vobis omnibus pręsentibus, legẽdas miserit, tũc ipsi licebit in vrbẽ ingredi. Redeũtes igitur cũ nauigio, retulerunt ea, quæ sanctus Sabinus responderat. Iamq; ipse vnà cùm illis, qui secũ erant, de salute desperabat. Itaq; chartã flagitauit, & scripsit hęc verba: Vnus est Deus Sabini, Christus

Pręfect⁹ cogitur Chri-

Christus Iesus, post quem non est alius. Quæ cùm essent ab illo scripta, & ad sanctum Sabinum missa, tranquillitas confestim subsecuta est, & nauis ad ripam peruenit. stum confiteri.

Cùm igitur Præfectus in vrbē ingressus esset, & in tribunali sederet, iussit ad se sanctū Sabinum adduci, & sic eum est allocutus: Tu quidem facinus & dijs & Imperatoribus inuisum & execrandum aggressus es, quippe qui, magia adhibita, nos in medio fluminis cohibuisti, & viribus tuis abusus es in me, quantū tibi collibuit. Quarè si quid ego quoquè possum, in re id exercebo. Tum quaternas iussit faces accensas inferri, & athletam Christi quaternis funibus extensum ad quatuor palos alligari, facesque ventri, & lateribus eius subijci, donèc carnes ipsius, instàr ceræ liquefactæ, defluerēt. Quibus ille cruciatibus affectus nullam vocem emisit, sed perindè sustinuit omnem acerbitatem, àc si non ipse, sed alius pateretur. Arianus Præfectus: Dic, inquit, mihi, stulte, quid sibi vult hoc, quòd nihil sentis, cùm tam vehementer & acerbè torquearis? Quid expectas, aut in quem speras? Spes meas, inquit sanctus Sabinus, in Deo meo Iesu Christo positas habeo, qui potest me ab inanibus tormentis tuis liberare, & regno suo æterno dignum efficere. Vis igitur, inquit Præfectus, miserè interire? Respondit Christi pugil: Si moriar, rursùm, vt dixi, vitam habebo sempiternam. Quibus verbis Præfectus furore concitatus, ad milites: Eccè, inquit, Solem vobis & Lunam testor, me varijs tormentis operam dedisse, vt impius iste resipisceret: verùm ipse, quemadmodùm cernitis vos omnes, qui vrbem incolitis, adduci non potuit, vt dijs immolaret, ac seruaretur, sed maluit cruciatibus mori. Oportet igitur in ipsum sententiam ferri. Atque ità locutus, imperauit, vt in flumen proijceretur, & in profundo periret. Atrocissimè sæuit in martyrem.

Compræhensum igitur milites ad ripam fluminis perduxerunt, & saxum ingens pedibus eius alligârunt, vt sic eum ex Iudicis sentētia in flumen proijcerent. Cùm autem quidā ex fratribus cibos attulissent, vt ederet: Quid, inquit ille, charissimi fratres, laborem hunc suscipitis? Ego non vescar ampliùs cibo terreno, quippe qui propero ad illas epulas, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Cupio autem vos omnes, qui me sequimini, atque cōspicitis, ità certare, vt digni efficiamini vita sempiterna. Hęc illum loquentem ministri in scapha nauigij cum saxo, quod pedibus eius suspenderant, imposuerunt. Cumque ad fluminis medium peruenissent, ille rursùm magna voce multitudinem adstantem, & prospicientem allocutus est ad hunc modum: Adspicite me, & meî memores estote, & cùm die crastina quieueritis, tertia ab hinc die accedite à parte Boreæ, quæ respicit ciuitatem, & corpus meum in terram subductum reperietis. Volo autem, vt saxum hoc, quod pedibus męis suspensum est, simul cum meo corpore sepeliatis. Hæc cùm dixisset sanctus Dei pugil Sabinus, sublatis in cælum oculis orauit: Domine, inquiens, Iesu Christe, gloria tibi, qui per me seruum tuum indignum res magnas & admirabiles effecisti, & homines improbos confudisti, ostendens potentiam eorum infirmam, & inania tormenta, seruum autem tuum fortitudinis corona decorans, & in conspectu totius multitudinis gloriosum efficiens. Ago tibi gratias, Pater, & nomen tuum sanctissimum veneror, qui largitus es mihi, vt te confiterer, & sanctum filium tuum Iesum Christum, & spiritum sanctum tuum authorem vitæ, & prædicarem nullum esse Deum præter te, neque in cælo, neque in terra, neque in mari. Qui seruas omnes sperantes in te, suscipe animam meam in pace, & dignum me fac æterno regno. Hæc locutum impij ministri in medium flumen proiecerunt. Esa. 64. 1. Cor. 2. Eius precatio extrema

Tertio autem pòst die factum est id, quod beatus Sabinus prædixerat. Accedentes enim ad locum, à S. Sabino præscriptum, viri illi, qui fuerant certaminis eius spectatores, almas ipsius atque venerandas reliquias inuenerunt. Et quidam ex ipsis zelo bono compulsi, vesperì eas suscipientes, clàm propter metum Pręfecti in domunculam comportauerunt, & vnguentis conditas, in arca noua prope ciuitatē reposuerunt vnà cum ipso lapide, quemadmodùm ille præceperat. Martyrio coronatus est sanctus Christi Sabinus 3. Idus Martij, regnante impio Diocletiano, immò verò Domino nostro Iesu Christo: cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

VITA

VITA S. EVPHRASIÆ NOBILISSIMÆ VIRGINIS, EX VITIS PATRVM ET INSIGNI *MS. codice, mutato stylo per F. Laur. Surium descripta.*

13. Martij.



Mperij habenas moderante Theodosio pijssimo principe, in vrbe regia Constantinopoli Senatorij ordinis vir fuit, Antigonus nomine, ipsi Imperatori & genere & consuetudine coniunctus. Erat is non sermone duntaxàt, sed etiam factis sapiens, ad bona semper adhortans principem, vt ad pietatis præscriptum Reip. negocia curaret. Inerat verò etiam illi erga miseros pia commiseratio, qua fiebat, vt benignè cunctis egentibus res necessarias suppeditaret. Princeps Theodosius, non modò vt parentem & senatorem, sed etiam vt Christianum & pium, semperque optima consulentem, illum valdè charum habebat. Tantæ autem illi suppetebant opes, vt Constantinopolis neminem illi diuitijs & rectè factis parem haberet. Accepit verò coniugem generis sui, id est, quæ Imperatorem quoquè sanguine contingeret, Euphrasiam nomine, matronam cumprimìs religiosam, Deumque valdè timentem, in templis assiduam, & Deo pias preces cum lachrymis offerentem. Multos illa inopes fecit locupletes, multaque sacris ædibus & locis munera deferebat. Amabant illam impensè Augustus & eius coniunx, tum quòd suæ esset familiæ, tum quòd moribus optimis, inprimisque honesta & religiosa videretur. Porrò temporis successu nata est eis filia, quam Euphrasiam dici voluerunt. Ea prole aucti cùm essent, dixit vxori Antigonus: Nôsti soror mea Euphrasia, quàm prorsùs nihil sit hæc vita præsens, quàm nihil quantunuìs amplę facultates, quàm nihil vanitas omnis mundi huius pręterlabentis. Aetas hominis octoginta annis peragitur cum multis calamitatibus. Opes autem in cęlo si recondantur, in infinita secula permanent Deum timētibus. Et eccè nos mundanis implicati curis & cogitationibus, illis nos æternis diuitijs priuamus, opumque fluxarum circunscripti fallacia, tempus omne vitæ nostræ inaniter transmittimus, nulla nostris animabus lucra acquirentes.

Coniugem ducit Euphrasiam Antigonus. *Euphrasia nascitur.*

Hæc cùm dixisset Antigonus, Euphrasia respondit: Quid vis igitur, mi domine, vt faciamus? Cui Antigonus: Vnam iam, inquit, Dei beneficio filiam habemus. Ea nobis sufficiat, nec deincèps nos huius seculi miseriæ & calamitati misceamus. Tum verò Euphrasia surgens, manibus sursùm erectis, ductisque ab imo pectore suspirijs, dixit Antigono: Benedictus Deus, qui te suo timore dignatus est, veritatisq; notionem tibi præstitit. Equidem domine mi crebrò rogaui Deum, vt suæ gratiæ lumen tibi adspiraret: sed id tibi indicare ausa non fui. Quandò verò tuipse prior hac de re verba fecisti, liceat mihi tua pace dicere, quæ volo. Cui Antigonus: Dic, ait, soror mea, qnicquid visum erit. Et Euphrasia: Nôsti, inquit, mi domine, iam olìm dixisse Apostolum: Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquàm non habentes sint. præterit enim figura huius mundi: & mundus transit, & concupiscentia eius. Quem enim vsum habebit hæc pecunia & tam amplę facultates? Non poterimus sanè quicquam ex eis absportare nobiscum in tartara. Quod igitur consultissimè constituisti, festina liberaliter ex his impartiri pauperibus, nè sine fructu id animo pertractâsse videaris.

Antigonus hortatur vxorem ad continentiam. *1. Cor. 7.* *1. Iohan. 2.*

His auditis, Antigonus Deo grates laudesque agens, multa in egenos beneficia contulit, & admodùm piè vitam suam instituēs, postquàm ab vxoris abstinuit commercio, vno duntaxàt anno superuixit, rebusque suis benè dispositis, in pace sepultus est. Fleuerūt verò de morte illius Imperator & Augusta, quippe suę stirpis viri iusti & religiosi, vicemq; Euphrasię dolebant, quæ & ipsa eis esset cognata, & ætate iuuenili. Annis quippe duobus & mēsibus tribus vixerat cum marito suo. Porrò annum vnum continēter exegerant pariter, matrimonij consuetudinē vltrò sibijpsis interdicentes. Postquàm autem sepulturæ traditus fuit Antigonus, Imperator & eius cōiunx multùm incumbebant in Euphrasię cōsolationem. Porrò illa ad eorū se pedes abijciens, atq; cum lachrymis & multo gemitu filiā suam illis offerēs: In manus, inquit, Dei & vestras hanc orphanam commendo. Sitis, quæso, memores Antigoni vestri, & hanc suscipite tuendam, vt non alios quàm parentes suos vos sibi sentiat extitisse. Ad has eius voces multi ex ijs, qui aderant, vbertìm lachrymas fuderunt, nec ipsi principes à lachrymis abstinuerunt.

Antigoni benignitas, in pauperes, & obitus. *Coniuges viuunt continentes.*

Non multò pòst, cùm iam nōnihil de luctu remisisset Euphrasia, suasit ei Imperator,

vt

vt filiam suam Euphrasiam cuidam Senatori ditissimo traderet vxorem. Fit contractus inter illos, & arrhas accipit Euphrasia. Interim differebātur nuptiæ, donèc puella adolesceret, cuius ætas id temporis vix quinquennij spatia expleuerat. Atquì Senator aliquantò pòst ad ipsius Euphrasiæ senioris matrimonium cœpit animum adijcere, persuasitque per matronas quasdam Imperatrici, vt nesciēte Imperatore ea de re animum Euphrasiæ solicitaret. Euphrasia vbi id cognouit, acerbissimè fleuit, matronisque ad ipsam missis ità dixit: Væ vobis in illo futuro seculo, quæ mihi talia persuadere instituitis, mulieri nō nisi secundùm Dei præceptū piè viuere cupiēti. Discedite à me, quæ rem à meo instituto abhorrentem attentatis. Illæ verò cum ignominia reiectæ, rem gestam Augustæ indicârunt. Vt autem Imperator didicit quid actum esset, grauiter inuectus est in Augustam, aitque illi indignabundus: Reuerà talem rem designâsti, quæ te minimè deceret. Isthúcne Christianæ Augustæ officium est? Itáne pollicita es Deo te piè regnaturam? Hasce vices reddis Antigono, cuius in nos fidem & studium semper expertissimus? Fecisti profectò rem nostro Imperio minimè congruentem, dum fœminam iuuenculam, quæ cum marito suo vix anno vno vixit pro matrimonij consuetudine, ac deindè ex mutuo consensu propter cæleste regnum perpetuam sibi indixit continentiam, rursùs ad ea, quæ sunt mūdi huius, redire compellis, nec timuisti Deum, vt tantum in te facinus admitteres. Non dubium, quin omnes me authore id factum esse sint existimaturi. Absurdè & præter decorum fecisti, quod nec audiri à me oportuit propter Antigonum, amicum nostrum integerrimum. His auditis, Augusta multo affecta pudore & verecundia, instàr lapidis per duas horas obmutuit, ortaq; est in Imperatorem & ipsam perturbatio ingens propter Euphrasiam. Id postquàm resciuit Euphrasia, parùm abfuit quin præ mœrore è vita decederet, cogitabatque aliò proficisci: Flensque acriter, dixit Euphrasiæ filiæ suæ: Filia mea, sunt nobis amplæ facultates in Aegypto: eamus illuc, & paternas inuisamus possessiones: Mea omnia, tua sint.

Euphrasia iunior desponderur.

En pius Imperator q̃ dolet, Euphrasiam, post continentiæ propositum, ad nuptias inuitari.

Ità ergò ab vrbe regia discessit cum filia, nesciente Principe, venitque in Aegyptum, & illic morabatur, subindè inuisens prædia sua. Profecta autem est in interiorem Thebaidem cum procuratoribus & ministris suis, quibus cura & administratio rerum ipsius credita erat, illicque sacris locis inhærens, in vtriusque sexûs monasteria multam vim pecuniæ elargita est, multasque fecit oblationes.

Abit Euphrasia in Aegyptum.

Erat autem in quadam vrbe monasterium fœminarum, in quo plùs minùs centum & triginta degebant. In eo cœnobio nemo vel vinum, vel oleum, vel vuas, aut ficos aut poma in cibum sumebat. Erant inter eas, quæ ab ipsa infantia se ne nouisse quidē poma assererent, eæque interdùm leguminibus, aliâs oleribus vescebātur, sed nullo oleo conditis. Quædam earum vesperì sumebant cibum, quædam post biduum, nonnullæ post triduum. Nulla earum pedes lauabat aqua: balneas verò, quòd eis corporum nudatio abominabilis videretur, nec audire sustinebant. Cubabant omnes humì in cilicio, quod in latum vnius, in longum trium esset cubitorum: nec erat requies diuturna. Vestes quoquè habebant cilicinas, quæ in pedes vsque se porrigerent. Laboris autem tantum quæque siue operis suscipiebat, quantum vires paterentur. Si qua in morbum incidisset, nulla ei medicorum fomenta abhibebantur, sed pro maximo Dei beneficio accipiebat eam morbi molestiam, ferens æquanimiter, donec à Domino curaretur. Nulla ex eis è monasterio egrediebatur. Ad monasterij fores ianitrix erat, quæ si quid nunciatum esset, intrò perferebat, responsaque referebat. Multæ illic curationes diuinitùs fiebant.

Insigne fœminarū cœnobium.

Harum itaque venerabilem viuendi consuetudinē non mediocriter amans Euphrasia, crebrò illas visitabat, offerens thymiama & cereos. Quodam autem die ait ad Abbatissam & primas eius cœnobij: Exiguum volo munus conferre huic monasterio, nempe auri libras viginti vel triginta, vt oretis pro hac orba filiola mea, & sitis memores Antigoni patris eius. Respondit Abbatissa: Domina Euphrasia, ancillæ tuæ non habent opùs reditibus, neque pecunias concupiscunt. Idcircò enim se cunctis mundi huius facultatibus nudârunt, vt possint frui bonis sempiternis. Et hæc nobis ratio est, cur nihil in terris habere, nihil possidere velimus, nè scilicet ab illa cælesti beatitudine excludamur. Nè tamen ex nobis aliqua tibi mœroris offeratur materia, parùm aliquid olei ad lucernas, & thymiama in vsum oratorij recipere non recusabimus: quod quidem tibi iustitiæ mercedem conciliabit. His igitur oblatis, rogabat eas Euphrasia, vt orarent pro Antigono & filia sua Euphrasia. Accidit intereà, vt puellæ Euphrasiæ diceret Abbatissa, tentandi animo: Domina méa Euphrasia, diligis ne nos & monasterium nostrum?

Nolunt recipere oblatas pecunias.

nostrum? Respondit illa: Immò certè, ego amo vos ô Domina. Rursùs Abbatissa cum ioco: Si nos, inquit, amas, mane nobiscum, & vtere nostro habitu. Respondit puella: Reuerà si scirem non ægrè laturam matrem meam, non exirem è monasterio. Et Abbatissa: Plús ne nos, ait, diligis, aut verò sponsum tuum? Sed neque ego illum noui, ait Euphrasia, neque ille me: Vos autem & noui, & amo. Sed dicite, quæso, mihi: Vos quem diligitis: méne, an illum potiùs? Abbatissa respondit: Nos te diligimus & Christum nostrum. Tum puella: Ego verò, inquit, & vos diligo, & Christum vestrum. Sedebat interìm mater eius, & cùm audiret hos needùm septennis puellæ sermones, ex eius oculis lachrymarum imbres manabant: aitque ad illam: Veni filia, eamus hinc. nam vesper incumbit. At illa respondit: Ego hîc manebo cum Domina Abbatissa. Ait verò illi Abbatissa: Abi hinc Domina Euphrasia. hîc enim nemo manere potest, nisì se Christo deuoueat. Ad quam puella: Et vbì, inquit, est Christus? Tum Abbatissa Dominicam ei imaginem ostendit: quam cùm illa esset exosculata, Reuerà, inquit, ego me Christo voueo, nec vlteriùs cum Domina matre recedam. Iam vesperascebat, & neque mater eius, neque Abbatissa ei persuadere poterant, vt se domum conferret. Dicebat quidem Abbatissa: Non potes hîc manere, nec est hîc locus vbì maneas: at illa respondit: Vbì vos manetis, illic & ego manebo. Aliquammultis igitur diebus & Abbatissa, & mater eius in id summoperè incumbebant, vt eam è monasterio educerent: sed cùm frustrà se niti animaduerterẽt, ait ad illam Abbatissa: Si vis igitur permanere apud nos, oportebit te literas discere: psalterium mandare memoriæ, in vesperam vsque ieiunare quotidiè, quemadmodùm reliquæ omnes faciunt. Respondit puella: Ego & ieiunijs me afficiam, & dabo operam literis: tantùm oro, vt liceat mihi degere vobiscum. Tum verò Abbatissa ait ad matrem eius: Domina mea, patiaris hanc puellam apud nos morari. Video enim cælestis gratiæ lumine eius mentem perfusam. Surgens itaque mater Euphrasia, appræhensamque filiam ducens ad imaginem Saluatoris, sublatis in cælum manibus cum lachrymis, ità precata est: Domine Iesu Christe, suscipe curam infantulæ huius. te enim concupiuit, seque tibi commendauit. Conuersa autem ad filiam, dixit: Deus, qui fundauit montes immobiles, te in suo timore confirmet. His dictis, tradidit eam Abbatissæ, flensq; recessit, & tundens pectus suũ, omnes ad lachrymas commouit.

Vsus imaginum antiquissimus.

Euphrasia puella non potest abduci ex monasterio.

Altera die Abbatissa eam adduxit in oratorium, & cùm fudisset preces ad Dominũ, monastico illam habitu induit, dicens: Rex seculorum & Domine Dominorum, qui in ea cœpisti opus bonum, tu illud perfice vsque in finem. Presta illi, vt viuat conuenienter mandatis tuis, & inueniat semper fidutiã in conspectu tuo. Dixit autẽ illi Euphrasia mater eius. Vis'ne filia hoc habitu vestiri? Et illa hilariter respondit: Etiam Domina mater. Vt enim ex Abbatissa & sororibus audiui, hunc habitũ arrhabonis loco prębet Christus diligentibus se. Ait verò mater: Christus igitur, cui despõsata es, ipse te seruet & dignam faciat thalamo suo. Et hæc cùm dixisset, valedixit Abbatissæ & sororibus, filiamque deosculans, egressa est, & per monasteria proficiscens, præstabat eleemosynas pauperibus. Iam vbiquè eius optima conuersatio apud omnes diuulgabatur, & quàm liberaliter res suas conferret monasterijs & sacris locis. Peruenit hic rumor etiam ad aures Imperatoris & Senatûs, qui omnes eam admirabantur & glorificabant Deum. Audiebant enim illam prorsùs abstinere à vino, sed neque piscibus vesci: omnibus autem ciborum delicijs repudiatis, à vespera in vesperam protrahere ieiunium, & modò olera, modò legumina edere. Paucis indè elapsis diebus, Abbatissa illam ad se euocauit, dixitque ei secretò: Domina mea Euphrasia, habeo quod indicem tibi, sed quæso nè perturberis. Cui Euphrasia respondit: Loquere Domina mea. Tum Abbatissa: Vidi, inquit, in somnis Antigonum maritum tuum in magna gloria, rogantem Christum, vt ab hac mortali vita trãsferaris ad illam sempiternam, liceatq; tibi deincèps esse cum illo, & frui ea gloria, qua ipse fruitur ob merita vitæ optimè transactæ. Hęc vbi didicit Euphrasia, multùm exhilarata est, quippe quæ optaret è rebus humanis excedere, & esse cum Christo. Mox igitur accersitæ ad se filiæ suæ dixit: Ego iam vocor à Christo, sicut mihi indicauit domina Abbatissa, & propè adest finis vitæ meæ. Itaque tibi, filia mea, omnes patris tui & meas facultates trado in manus, quas tu ea pietate dispenses, vt possis esse consors hæreditatis sempiternæ.

Induit habitum monasticũ penè infans.

Abstinẽtia Euphrasiæ senioris.

Hæc vt Euphrasia audiuit, ingemuit & fleuit, dicens: Hei mihi, quia peregrina sum & orphana. Dicit ei mater eius: Cùm habeas Christum, nec peregrina es, nec orphana. Matris autẽ officia omnia erga te & studia exequetur domina Abbatissa. Tu iam festina implere, quod pollicita es. Deũ time, & dominas sorores venerare, seruiẽs eis cũ omni humi-

Mandata Euphrasiæ morituræ ad filiam.

humilitate. Caue, nè vnquàm cogites in animo tuo: Regio sum prognata sanguine, nec me istis seruire par est. Sis interìm pauper in terris, vt quandoque diues efficiaris in cęlis. Absque intermissione roga Deum pro me & pro patre tuo, vt inueniamus misericordiam apud illum, & ab gehennæ supplicijs seruemur. Hęc cùm pręcepisset filię suæ, tertio pòst die defuncta est, & in eodem monasterio sepulta. Postquàm autem resciuit Imperator illam migrâsse ad Dominũ, accito ad se Senatori, cui eius despõsa erat filia, ait eam degere in monasterio. Ille verò rogauit Imperatorem, vt missis ad eam literis, iuberet eam venire Constantinopolim & celebrare nuptias. Vbi autem Imperatoris literas accepit Euphrasia, legit eas ridens, moxq; sua manu hunc in modum illi rescripsit: Domine Imperator, itá ne suades ancillæ tuæ, vt repudiato Christo, homini corruptibili & quem paulò pòst vermes edent, coniungar: qui hodiè est, cràs verò nusquàm appáret? Absit hæc tanta peruersitas ab ancilla tua. Oro igitur domine Imperator, nè tibi deincèps vir ille hac de re molestus sit. Ego enim me Christo deuoui, & fieri non potest, vt illum abnegem. Precor autẽ Imperium tuum, vt sis memor parentũ meorum, nostrasque opes & facultates dispenses in pauperes & Christi Ecclesias. Seruos verò omnes manumittas, & patris mei actoribus præcipe, vt debitũ omne remittant agricolis iamindè ab obitu patris mei vsq; in præsens, vt sine solicitudine possim seruire Christo, cui me totã commisi. Ora pro ancilla tua, oret etiã Christo amabilis domina mea Augusta pro ancilla sua. Deindè obsignans epistolam, tradidit illã veredario. Cùm autẽ Imperator & Augusta eã legissent, vbertìm fleuerũt: conuocansq; mox Senatum omnem & patrem eius, cui despõsa fuerat Euphrasia, iussit Imperator, vt in præsentia omnium epistola recitaretur. Quod cùm fieret, omnes lachrymati sunt, dixerũtque: Reuerà hæc est Antigoni & Euphrasiæ filia, qui tibi Imperator sanguine coniuncti fuêre. Reuerà religiosorum parentum religiosa filia: sanctæ radicis sanctus est ramus. simulque omnes eius nomine Deum glorificârunt, & pro ea orauerunt: nec vnquàm posteà visus est importunus senator ille. Imperator autem omnia piè disponens, & res puellę benè distribuens, & ipse vita functus est, & sepultus cum patribus suis in pace.

Literæ Euphrasiæ ad Imperat.

Euphrasia verò se totã componebat ad voluntatẽ Dei, & quidẽ supra vires sese affligebat. Erat enim annorum duodecim, quandò pro pietate sacra suscepit certamina. Et primò quidem à vespera in vesperam ieiuna permansit: posteà, biduo triduoque abstinebat à cibo. Nulla præter illam mũdabat triclinium, lectulos sororibus ipsa sternebat, aquam hauriebat è puteo, & in coquinam apportabat. & hæc omnia faciebat liberẽ & iucundo animo. Erat illo in monasterio more receptum, vt si qua soror in somnis diabolica fuisset illusione tentata, mox id Abbatissæ aperiret. Illa verò cum lachrymis orabat Dominum, vt maligni infestatio ab ea arceretur: iubebatq; illi, vt sub strato suo lapides poneret, & cineribus adspergeret cilicium, sicq; in decimum vsque diẽ cubaret. Accidit verò, vt Euphrasia virgo sanctissima aliquid eiusmodi pateretur. Itaque lapides suo strato supposuit, & cineres sparsit in cilicium. Id vt vidit Abbatissa, dixit vni è sororibus: Euphrasia cœpit dæmonis infestationes perpeti. Orauit igitur pro ea, dicens: Deus omnipotẽs, qui eam creâsti, & ad hoc religiosum vitæ institutum venire permisisti, conserua eam in timore tuo. Deindè vocauit illam ad se, & ait: Cur nõ exposuisti mihi maligni dæmonis tẽtationem? Illa verò ad eius collapsa pedes: Ignosce mihi, ait, Domina: nam me verecundia retinuit, nè tibi eam aperirem. Dixit autem Abbatissa: Quandoquidem iam pugnare cœpisti cum hoste, viriliter age, vt post victoriã coroneris. Post dies non multos iterùm tentata est, & sorori Iuliæ, quæ impensè illam amabat, & eam exercebat ad certamina, quid sibi accidisset, aperuit. At illa dixit: Domina mea Euphrasia, nè celes quæso isthuc dominam Abbatissam, sed explica ei, vt roget Dominum pro te. Fertur enim multas ab ineunte ętate diabolicas pertulisse tẽtationes, & diebus quadraginta nihil accepisse vel cibi vel potûs, sed immobiliter in precibus perdurâsse, sicq; diaboli fraudes & insidias superâsse. Omnes autem impugnamur à diabolo, sed speramus in Domino quòd illũ vincemus. His cognitis, Euphrasia illi gratias egit, dicẽs: Christus te adiuuet soror, quandoquidem ædificâsti me, & animum meum tuis sermonibus confirmâsti. Ego autem proculdubiò accedam dominam Abbatissam, & rem omnem illi enunciabo. Dixit illi Iulia: Ità quæso fac, vt oret pro te, & aliquid addat tuæ abstinẽtiæ. Dixit ergo Euphrasia Abbatissæ, quid passa esset. Cui illa respõdit: Nihil filia reformides maligni illius infestationes omnes, quibus nos oppugnat: sed cõstanter agas, & animo immoto resistas illi, nec poterit aduersùm te præualere. Multas illius tentationes passura es: sed certa viriliter, vt à Christo sponso tuo victoriæ triumphos promerearis. Qui

Abstinẽtia mirabilis S. Euphrasiæ, & humilitas.

Nota ieiunium Abbatissæ.

enim legitimè certauerit, amplissima dona & pręmia cõsequetur. Interrogauit autem illam, quot dies ieiunaret. Cumq; illa dixisset, Tres: iussit vt quartum etiam diem huic abstinentiæ adiungeret. Quam illa iussionem cum ingenti lætitia excipiens, discessit.

Postquàm autem ad vicesimum ętatis annum peruenit, iam sancti spiritus eam confirmante gratia, præualebat. Erat sanè valdè speciosa, vtpotè regio procreata stemmate. Cùm verò rursùs illi tentatio accidisset, & ad Abbatissam retulisset, illa dixit: Noli timere filia, Dominus tecum est. Erat autem in quodam monasterij loco aceruus saxorum. Itaque Abbatissa eam probare volens, & ad obedientiæ lucra maiora prouehere, dixit ei: Tolle hinc saxa, & apud furnum depone. Fecit hoc illa hilariter, arreptaque in humeros, sola quò iussa erat, ea deportauit, cùm in eis quædam essent tanti ponderis, vt ijs ferẽdis duæ sorores vix sufficerent. nec interim dixit: Adiuuet me aliqua è sororibus, nec saxorum molem causabatur, nec sua proferebat lõga ieiunia, nec operis difficultatem: sed cum pia fidutia obedientię officia impleuit. Altera verò die rursùm illi ait Abbatissa: Non par est, filia, hic iacere saxa: reporta ea in locum pristinum. Mox Euphrasia cum multa alacritate fecit, vt iussa erat. Hac ratione ad dies triginta eam occupauit, vt eius patientiam probaret. At illa iucundo animo & psallens in illo opere versabatur, ità vt sorores omnes eius obedientiam mirarentur. Non tamen deerant, quæ eam irriderent: porrò aliæ acclamabãt: Viriliter age Euphrasia. Et illa quidem rursùs, diuini operis celebratione peracta, ad opus illud se accingebat, sed ait illi Abbatissa: Cessa iam filia ab hoc ministerio: porrò accipe farinam, & coque panes in clibano, vt ad vesperam parati sint. Illa studiosè iussa compleuit.

Abbatissa Euphrasiam exercet.

At rursùs malignus dæmon eam nonnihil vacantem reperiens, huiusmodi ei somnium immisit, vt sibi videre videretur Senatorẽ illum, cui desponsa fuerat, cum militibus in monasterium intrantem, eamque indè vi auferentem. Quæ humì cubans, cùm eam vim & molestiam ferre non posset, exclamauit. Abbatissa verò & quædam sorores expergefactæ, eius clamores audiunt, accurruntque ad eam, sciscitanturq; cùm eam excitâssent, quænam tanti esset causa angoris. At illa confestim somnium enarrauit. Tum Abbatissa, sororibus omnibus excitatis, vnà cum illis pro Euphrasia in preces incubuit, donèc dilucesceret. Deindè Euphrasia tenens manu codicem, cæteris sedentibus, stans legebat vsque ad horam tertiam. Tertiæ verò precibus absolutis, ad sororum ministeria accesit, eis præparans necessaria, verrens triclinium, lectulos sternens, aquam hauriens & deferens in culinam, legumina coquens, ligna secans, farinam fermentans, & panes in furno efficiens. Tot autem modis occupata, neque nocturnis neque diurnis aberat precibus, non tertiæ, non sextæ, non nonæ, non vesperarum: ac nihilominùs sola omne ministerium, quod diximus, exequebatur. Accedebat autem ad laborem absolutis vespertinis precibus: nonnihil tamen à Iulia sorore adiuuabatur, quæ, vt antè dictum est, plurimùm illam diligebat.

Preces Tertiæ, Sextæ, Nonæ, vesperarum.

Aderat autem rursùs satan, & dormienti infestißimũ se exhibens, maximum ei certamen attulit. Illa quamprimùm Abbatissæ suas angustias detexit. Quæ cùm pro illa rogâsset, ait ei: Filia mea, certaminis hoc tẽpus est. Caue, nè ille iniquus eneruet animum tuum, & perdas omnes labores tuos. Si ad breue tempus illius impetũ sustinueris, vbì se senserit victum, cum ignominia iterùm à te aufugiet. Dixit autem ei etiam soror Iulia: Domina & soror mea, si in hac ætate cum illo non cõfligimus, eumq; profligamus, quas ad bellandum vires in senectute habituræ sumus? Cui respondit Euphrasia: Viuit Dominus, soror mea Iulia, si iusserit domina Abbatissa, tota hebdomada ne panẽ quidem sumam, donèc eum, Domino adiuuante, superem. Ad quæ Iulia: Equidem, ait, totius hebdomadæ inediam ferre non possum: tu si potes, & in terris & in cęlis beata eris. In hoc verò monasterio nulla hactenùs totã septimanam absq; cibo transigere potuit, dempta domina Abbatissa. Deindè iterùm ad Abbatissam veniẽs Euphrasia, cõfessa est nocturnam dęmonis tentationem. rogauitque eam, vt liceret ipsi tota hebdomada ab omni cibo abstinere. Cui Abbatissa: Fac, inquit, filia quicquid te posse videris, & Deus omnipotẽs, qui te creauit, robur addat tibi, & conferat tibi ex illo cruento hoste victoriam. Itaque tota cœpit septimana se inedia conficere, nec tamen quicquã de psallendi officio remittere, nec sororũ ministeria omittere: adeò vt omnes eius tolerantiam mirarentur, simulq; & formæ elegantiam, & ætatis iuuentutem. Quædam etiam hoc de illa testabãtur, quòd toto anno obseruâssent illam, & neque noctũ, neque interdiù vnquàm illam sedentem conspexissent, præterquàm cùm se ad quiescendum in lectulo suo humì collocâsset: immò ne comedendo quidem vnquàm illam sedisse.

Euphrasia hebdomadarũ inedia se macerat.

Erat

Erat autem in illo monasterio soror quædam, Germana nomine, quam ignobili genere, nempè matre ancilla, ortam dicebant. Eius animum vastabat liuor & inuidentia aduersùs Euphrasiam, insurgensque clàm cõtra illam in culina, ait: Tu quidem Euphrasia ex præscripto dominæ Abbatissæ semel tantùm cibum capis in septimana, quod nos non possumus assequi. Si igitur illa nos quoquè ad id adigere voluerit, quid faciemus? Respondit Euphrasia: Domina soror, domina Abbatissa iussit, vt vnaquæque certamen suscipiat pro viribus, nec illa mihi temerè aut absque necessitate hoc iugum imposuit. Ait illi Germana: O te impostricem, omni vafricie & calliditate instructam: quis non videat hoc animo & consilio te isthuc facere, vt decedenti Abbatissæ tu succedas? Ego verò credo in Christum, quòd nunquàm te Deus Abbatissæ honore dignabitur. Hæc cùm audiuisset Euphrasia, eius se pedibus prosternens, ait: Ignosce mihi domina mea, & ora pro me. peccaui enim in Deũ & in te. Vbi autem res hæc ad Abbatissæ notitiam peruenit, coram omnibus iussit adesse Germanam, dixitque ei: Ancilla nequam & aliena à Deo, quid tibi nocuit Euphrasia, vt eius bona studia velis interturbare? Itaque aliena sis à sororũ cõgregatione, quia indigna es ministerio & earũ conuictu. Euphrasia verò multùm deprecabatur Abbatissam, vt ei veniam daret, sed flectere eam non potuit, donèc exacti essent dies triginta. Tricesimo autem die videns Euphrasia se nihil rogando proficere, assumens Iuliam & seniores eius loci sorores, orabat, vt pro Germana apud Abbatissam intercederent. Quod cùm illæ fecissent, Abbatissa rursùs corã omnibus eam accersiuit, aitque illi: Non ne debuisti perpendere cum animo tuo, quòd Euphrasia, cuius optimos conatus impedire voluisti, cùm esset Imperatoribus sanguine iuncta, tamen humiliauit sese, & Christi amore tibi inseruiuit? Tandèm omnibus pro ea supplices preces Abbatissæ offerentibus, eam in gratiam recepit.

Germanę inuidentia aduersùs Euphrasiã.

Abbatissa Germanam castigat.

Porrò diabolus odio inflammatus in Euphrasiam, quadam nocte phantasmata & errores seculares in illam immisit. At illa repentè exiliens, seseq; consignans, egressa est foràs, stansque sub dio, expandit manus suas in cœlum, rogauitq; Deum, vt ab ipsa malignum dæmonem amoueret. Interìm Abbatissæ nunciatur Euphrasiiam agere sub dio. Illa quamprimùm eò properauit, dixitq; ei: Confirmet te Deus, & det tibi tolerantiam in timore suo. Omnes quoquè sorores orabant Deum pro illa, & condolebant iuuentuti eius. Erat enim annorum plùs minùs vigintiquinque. Cùm autẽ in decimum vsque diem sic stetisset, orauit Abbatissa cum sororibus, eius patientiam volens explorare. Vt autem dies triginta completi sunt, mirari cœpit Abbatissa: dixeruntque ei sorores: Reuerà Domina mater, dies quadraginta in hac statione permanere decreuit, quemadmodùm tu aliquandò fecisti. At illa respondit: Dominus illam suo in timore corroboret. Post dies autem quadraginta, etiam alijs quinque ità stetit: sed tandèm nimiùm debilitata, cecidit in terram, & instàr mortuæ iacebat. Itaque sorores accurrentes, eam intulerunt in triclinium, sed neque manus, neque pedes eius flectere potuerunt: adeò instàr ligni aridi tabefacta visebatur, nec eius vox vlla audiebatur. Abbatissa verò cibum illi offerens, ait: Filia mea Euphrasia, sume hanc escam in nomine Domini mei Iesu Christi. Quod cùm illa fecisset, vires recepit.

Euphrasia se longissimo ieiunio penè conficit.

Cernẽs itaque diabolus tantam eius laborum tolerantiam, nequaquàm ad id genus tentationes redire voluit, sed id magìs studebat, vt eam posset citò auferre è medio. Nam cùm die quodam abijsset ad hauriendã aquam, arripuit eam iniquus ille vnà cum hydria, detrusitque in puteum, ità vt capite, quemadmodùm illa postmodùm retulit, ad fundum vsque pertingeret. In ipso autem puteo clamauit: Christe, adiuua me. Qua voce audita, sorores accurrerunt, & cum Abbatissa pariter eam è puteo extraxerunt. Cumque indè exijsset, consignauit se, & subridens, dixit: Viuit Christus meus: non me vinces satan, neque cedam tibi. Et hactenùs quidem vna hydria, deincèps duabus feram aquam in culinam. quod etiam ità fecit. Videns autem hostis humani generis, quòd in puteo eam extinguere frustrà tentâsset, alia vice, cùm ligna finderet, colligauit manus eius, & vsque ad calcaneum attraxit, dirumque ei vulnus inflixit. Quod vt illa vidit, & multum indè sanguinem profluentem, abijciens securim, in terram corruit. Iulia autem terrore correpta, nunciauit sororibus, Euphrasiam ictu securis exanimatam iacere.

Diabol⁹ eã detrudit in puteum.

Dirè eam sauciat.

Cumque illæ concurrerent & clamores ederent, Abbatissa aquam benedictã in eius faciem sparsit, complectensque eam dixit: Filia mea Euphrasia, quid ità anxia es? Collige te, & loquere sororibus. At illa intuens in Abbatissam, ait: Noli flere Domina mea mater. anima enim mea mecum est. Tum Abbatissa crucis signum imprimens

Aqua benedicta.

Signum crucis.

fronti eius, orauit, dicens: Domine Iesu Christe, sana ancillam tuam. nam propter te multa patitur. cumque eius pedē panno cilicino obligâsset, eleuauit eam: & apprę-hensa manu eius, duxit in monasterium. Illa autem vt vidit ligna iacentia: Viuit Dominus, inquit, nisi ligna collegero, & meas ijs vlnas compleuero, non ascendam. Cui Iulia dixit: Noli Domina soror. nam imbecillior es quàm vt possis. At illa non acquiescēs, manus suas lignis compleuit, & sic ascendit. Aderat autē illic quoquè diabolus: & cùm iam summum attigisset Euphrasia gradum, imprudens calcauit oram vestimenti sui, & in ipsa ligna corruit: infixumq; est lignum vnum in frontem eius, ità vt sorores putarēt eius oculum planè confectum & confossum: exclamansque Iulia, An non dixi tibi, inquit, Domina soror, quòd labor hic vires excederet tuas? Ad quam Euphrasia: Noli, ait, dolere soror mea: tātùm modestè extrahe lignum. nam oculus meus sanus est. Id cùm factum esset, multus indè fluxit sanguis. Abbatissa verò adhibito sale & oleo, pro ea orauit, dixitque illi soror Iulia: Abi, & paulispèr quiesce in lectulo tuo. Ego tuo interim fungar ministerio. Illa respondit: Viuit Dominus: nō dabo me quieti, donèc omne exequar officium meum. Rogabāt etiam aliæ sorores, vt propter vulnera quietē captaret, sed illa non cedens, vtraq; ex parte saucia, læto animo suum erga sorores ministerium exercebat, & neque ab vllo Dei opere, neque à monasterij seruitio sese subducebat.

Nullam sibi dat requiē licet saucia.

Alio quoquè tempore cum Iulia ascendit in tertium solarium. Ibi tum eam corripiens improbus dæmon, deorsùm præcipitauit. Exclamante autem Iulia, sorores aduolârunt, existimātes se illam exanimem reperturas. At illa surgens, occurrit eis, duxerūtq; illā intrò ad Abbatissam. Cui sciscitanti, num aliqua parte corporis læsa esset, respondit: Viuit Dominus, Domina mater, nec quemadmodū ceciderim noui, nec vt surrexerim. Vt autem cognouit Abbatissa ab editissimo loco eam decidisse, nec tamen vel parùm læsam esse, glorificauit Deum, dixitque ei: Perge filia ad opus tuum, & Dominus erit tecum. Iterùm autem malignus hostis eam extinguere volens, cum ea feruentem ollam teneret, in qua coquebat olus, vt iam coctum olus in vas effunderet: obligatis eius pedibus, eam supinam præcipitauit, atq; in eius faciem ebulliens olus effudit. Quod cùm cernerent sorores, valdè animis consternatæ sunt. Illa verò exiliens & ridens, dixit eis: Cur sic animo turbatæ estis? At Abbatissa videns nihil ei incommodi accidisse, inspexit in ollam. cumque id quod remanserat, ebullire cerneret, multùm admirans, ait ad eam: Deus te seruet filia, & tibi perpetuam suo in timore præstet tolerantiam. Euphrasia verò asserebat se non aliter sensisse, atquè si frigida aqua perfusa fuisset. Ingressa porrò oratorium Abbatissa, conuocauit primarias sorores, aitque illis: Sanè aduertistis Euphrasiæ diuinitùs magnam collatam gratiam, quippe quæ nec præcipitio tam immani, neque ex feruenti olere aliquid passa est detrimenti. Responderunt illæ: Reuerà Dei famula est Euphrasia, & Dominus curam eius gerit, qui eam in huiusmodi tentationibus seruauit illæsam.

Præcipitatur à dæmone, sed illæsa pmanet.

Nihil læditur olere ebulliente perfusa.

More autem comparatum erat apud incolas eius ciuitatis & regionis, vt si quos haberent infantes morbis affectos, eos ad illud monasterium adducerent curandos. Clarebant enim illæ sorores miraculis, & Abbatissa illos infantes ad se recipiens, in oratorium ferebat, fundebantq; pro eis preces ad Dominum, & mox sanabantur. Eos autem matres illorum sanos reducentes domum, glorificabāt Deum. Porrò in ipso monasterio quædam erat mulier, à primis ætatis initijs à dæmone nequissimo & primario obsessa. Eam nanq; parentes eius commendauerant Abbatissæ, & erat vincta catenis, spumabatq; & stridebat dētibus, terrosq; edebat clamores, ità vt ijs auditis, omnes timore nimio corriperētur. Et frequentes quidem Abbatissa cum sororibus pro ea Domino preces obtulerat, sed curata nō fuit: nec vlla ausa erat eam accedere, vt vel cibū ei offerret. Alligabāt autem escam & potū virgę, atq; ità procùl porrigebant: interdùm quidem ijs vescebatur, plerunq; verò in offerentiū facies reijciebat. Contigit autē, vt ostiaria nunciaret Abbatissæ, adesse præ foribus monasterij fœminam, gestantē paruulum quēdam surdum, mutum & paralyticum. Dixit itaque Abbatissa Euphrasiæ: Ito filia, & affer huc infantem. Quod cùm illa faceret, videretq; puerum trementē & valdè miserè affectū, miserta illius, cōsignauit eum, & dixit: Qui te creauit fili, ipse te sanet: sicque eum adducebat ad Abbatissam. Interìm salus redditur puero, & cœpit loqui & pedibus suis velle ingredi. Id vt vidit Euphrasia, terrefacta deposuit eum in terram. At ille cucurrit ad matrem suam. Vidit id ianitrix, & currens indicauit Abbatissæ. Illa iubet acciri matrē pueri, aitque illi: Cur nos soror tentare voluisti? Quæ dixit: Per Christum, Domina mea, neque ambulauit, neque vel loqui vel audire potuit puer vsque in præsens: sed cùm accepisset

Infantes morbidi curantur in monasterio

Euphrasia sanat puerū paralyticum &c.

pisset eum hæc domina soror, mox locutus est. Dicit ei Abbatissa: Accipe igitur eum sinum, & vade in pace. Illa abijt cum puero, dans gloriam præpotenti Deo.

Deindè Abbatissa conuocans sorores primarias, ait ad illas: Ecquid vobis videtur de Euphrasia? Illæ responderunt: Profectò Dei famula est. Iussit igitur illam adesse Abbatissa, & dixit ei: Filia mea Euphrasia, volo vt huic dæmoniacæ, quæ apud nos est, cibum præbeas, si tamen non times illam. Cui Euphrasia: Non timeo, inquit, Domina mea, quicquid etiam iusseris. Tulit igitur Euphrasia in vasculo quodam legumina & panem, & attulit dæmoniacæ. At illa stridens dentibus & valdè fremens, impetu facto irruit in eam, apprehendensque vasculum, confringere illud voluit. Euphrasia verò eius tenens manus, dixit: Viuit Dominus, si tu id feceris, ego te humì prosternam, & tam dirè flagellabo, vt deincèps nunquàm ausura sis aliquid tale attentare. Videns illa Euphrasiam superiorem, quieuit. Tum verò Euphrasia cœpit illi blandiri & dicere: Sede mea soror, & sume cibum, nec quicquam turberis. Non recusauit illa, sicque quotidiè ex eius manibus cibum potumque recepit. Cùm autem id vidissent sorores, orabant Dominũ pro illa: si vero illa indignari & commoueri cœpisset, dicebant ei sorores: Cessa soror, & noli malignè te gerere. Alioquì si id senserit Domina Euphrasia, acriter te virgis cædet. Quibus auditis, illa modestè se gerebat.

Cibum offert dæmoniacæ valdè feroci.

Rursùs autem Germanam inuidia momordit, aitque ad sorores: Ita'ne præter Euphrasiam nulla alia inueniri potuit, quæ huic mulieri escam porrigat? Date mihi cibos, & ego illi offeram. Sumptum igitur cibũ attulit ad eam, & dixit: Accipe soror & comede. At illa in eam repentè insiliens, vestes eius discerpsit. cumque eam humi prostrauisset, cœpit eius carnes manducare. Clamore igitur excitato, cùm nulla eam ausa esset accedere, Iulia ad Euphrasiam properè cucurrit, inuentæque in culina dixit: Festina Domina soror. nam dæmoniaca Germanam propemodùm enecauit. Currens ergò Euphrasia, apprehendit illius guttur & manus, Germanamque miserè laceratam & cruentam eripuit, dixitque: Ab hac hora si in sorores malignam te præbueris, non tibi parcam neque miserebor, sed Dominæ Abbatissæ virga cædam te atrocissimè. Illa verò sedens, ilicò cessauit. Manè facto, expleto sacro ministerio, sororibusque ab oratorio egredientibus, Euphrasia abijt ad dæmoniacam. At illa suam lacerârat vestem, illique in terram proiectæ insidens, colligebat stercus & edebat. Id cernens Euphrasia, fleuit, Abbatissæque nunciauit. Illa verò iussit ei aliam dari vestem, & ea indui. Accepit ergo Euphrasia tunicam & vasculum cum legumine & pane, dixitque illi: Cur te sic turpiter dehonestâsti soror? Accipe hanc vestem, & indue te, ac deindè comede cibos hos. Sumpsit illa, & comedit ac bibit, eamque Euphrasia induit, non cessans pro ea gemitus, lachrymas & preces fundere vsque ad vesperam, vt Dominus eam sanitati restituere dignaretur.

Germanam dirè lacerat dæmoniaca.

Manè autem Abbatissa ad se vocauit Euphrasiam, eique dixit: Cur me celâsti filia, quòd pro hac vexata preces Deo offerre voluisti? Si mihi id communicâsses, ego tecum pariter laborâssem. Cui Euphrasia respondit: Ignosce mihi Domina. Vidi enim illam turpiter se nudâsse, maleque affectam, & dolui vicem eius. Ait rursùs Abbatissa: Habeo quippiam, quod te nôsse velim: sed caue nè fallente dæmone, animo efferaris: Eccè Christus tibi potestatem contulit hunc dæmonem eijciendi. Audiens hoc Euphrasia, caput cinere conspersit, humique se abijciens, clamabat: Quæ sum ego misera & immunda, vt hunc profligem dæmonem, quem vos tam diuturni temporis precibus ab ea depellere non potuistis? Dixit ei Abbatissa: Te filia sustinebat hoc opus. Nam in cælis amplissima tibi merces reposita est. Itaque Euphrasia ingressa in monasterium, coram altari se prostrauit, petens diuinitùs sibi præstari opem & auxilium. Deindè è pauimento surgens, iussu Abbatissæ adijt dæmoniacam: sequebanturque eam sorores omnes, vt rei exitum contemplarentur. Dixit igitur dæmoniacæ Euphrasia: Sanet te Dominus Iesus Christus, qui creauit te: moxque signum crucis in eius frontem impressit. Exclamauit autem dæmon: O impostricem & fallacem. Tot annos in hac habitâs, nunquàm potui ab ea excludi, & hæc impura & luxuriosa me vult eijcere? Cui Euphrasia dixit: Non ego te expello, sed Christus omnium Dominus. Respondit dæmon: Ego hinc non emigro immunda: neque enim tibi me expellendi facultas data est. Respondit Euphrasia: Ego planè immunda sum, & omni malignitate plena, vt tu quoquè asseueras: at tu nihilominùs Christo iubente discede. Nam si accepero virgam Abbatissæ, egregiè te flagellabo. Cùm verò ille obluctaretur, nec vellet egredi, corripuit Euphrasia Abbatissæ virgam, dixitque ei: Aut exi hinc, aut certè ego te cruciabo. Ait dæmon:

Vide sanctę virginis modestiam.

Qua ratione ab illa possum discedere? Mox Euphrasia cœpit cædere, & cùm tertiò percuteret, dixit: Missum fac hoc Dei plasma immunde spiritus. Increpet te Dominus Iesus Christus. Respondit dæmon: Si exiero, quò iturus sum? Illa dixit: In tenebras exteriores, in ignem æternum, in supplicia nullũ finem habitura, quæ sunt parata tibi & patri tuo diabolo, & cunctis eius voluntatem facientibus. Interim sorores omnes intendebant in eam, nec audebant propiùs accedere: eratque acre illud Euphrasiæ cum refractario & peruicace dæmone certamen. Suspiciens igitur in cælum, dixit: Domine Iesu Christe, noli me pudore afficere in hac hora, nec me sinas superari ab hoc impuro dæmone. Tum verò spumans & stridens dęmon, cum ingenti clamore abscessit: & mulieri integra est sanitas restituta. Duxerunt autem eam in oratorium, dantes gloriam Deo pro tanto miraculo. Priùs autem illam Euphrasia aqua abluerat, & vestibus induerat, atque sic adduxerat ad Abbatissam. Non solùm autem nihil hinc elata est Euphrasia, sed magis etiam sese humiliauit, noctes sine somno transigẽs, & integris septimanis, vti consueuerat, ieiuna permanens, ac nihilo seciùs sine defectu & cum omni humilitate, mansuetudine & animi iucunditate sororibus cunctis officiosè inseruiens.

Dæmonem ab obsessa expellit.

Visio Abbatissæ.

Accidit intereà Abbatissæ somnium vel visio in somnis, vndè non mediocriter fuit perturbata, nec tamen cuiquam explicare voluit quid vidisset. Cumq; diù apud se rem tacitam haberet, tandèm sorores primariæ eam obnixè rogârunt, vt visionem ediceret, causamque suorum gemituum, quibus ipsę pariter affligerẽtur, non reticeret. Tum verò illa dixit: Euphrasia nos deserit, cràs hinc migratura ad Dominum. Sed nemo id illi indicet, nè mœrore afficiatur. Cœperunt autem multis horis miserè eiulare sorores. Vna autem è sororibus vt id audiuit, accurrit ad furnum, inuenitque Euphrasiam, adiuuante illam pro cõsuetudine sorore Iulia, panes coquentẽ, aitque illi: Noueris Domina Euphrasia intùs apud Abbatissam sorores tua causa in magno luctu versari. Quo audito, Iulia & Euphrasia pariter obstupuêre: cumque diù stetissent attonitæ, tandèm ait Iulia: Fortasis perlatum est ad Dominã Abbatissam, sponsum illum tuum mittere huc homines, qui ex mandato Imperatoris te extrahant è monasterio: & hac causa lamentis se afficit cum sororibus. Respondit Euphrasia: Viuit Dominus meus Iesus Christus, etiamsi omnia mundi regna & ipsius quoquè terrę fundamenta commoueantur, non mihi tamen persuadere poterunt, vt ipsum Dominum meum derelinquam. Sed quæso te Domina soror, ito percontatum, dum interim coquuntur panes, quæ sit harum causa lachrymarum, nè ægrè sit animo meo. Abijt Iulia, auscultansque foris, audiuit Abbatissam somnium referentem hoc modo: Videbam quasi duos egregia forma viros huc aduentantes, mihique dicentes: Dimitte Euphrasiam, vt eat nobiscum. Rex enim illa opùs habet. Iterùm vidi etiam alios venientes atque dicentes: Assume Euphrasiam, & adduc eam tecum ad Dominum. Ego itaque tuli eam, vnaque properauimus cum viris illis: cumque venissemus ad portam quandam, cuius splendorem enarrare non sufficio, ea nobis vltrò aperta est. Porrò intrò ingressæ, vidimus palatium incredibilis elegantiæ, thalamumque sublimem & solium nuptiale non manufactum. Et ego quidem non potui ad interiora penetrare, sed illam secum abducentes, Domino offerebant. Illa verò statim eum adorauit, osculataque est pedes eius immaculatos. Vidi illic angelorum myriades, & turbas sanctorum innumerabiles, in Euphrasiam suos obtutus defigentes. Eccè autem mater Domini aduenien, tulit eam secum, ostenditq; ei palatium & thalamum & nuptiale decus, coronamque illi præparatã. Audiui autem vocem dicentem: Euphrasia, hæc est merces tua. Et nunc quidẽ redibis ad tua, sed post dies decem reuocaberis huc, & fruéris his bonis per infinita secula. Cùm sit autem nona dies, posteaquàm hæc visio mihi oblata est, cràs morietur.

Visionẽ exponit Abbatissa.

Hæc cùm audîsset clàm Iulia, pectus faciemque suam verberans & flens amarissimè, redijt ad Euphrasiam. Quod illa cernens, dixit ei: Coniuro te per filium Dei soror Iulia, vt indices mihi, quid audiẽris, & quamobrèm ità plangas. Illa respondit: Hodiè nanque ab inuicèm separabimur. Vt enim audiui, cràs excedes è vita. Hoc illa audiens, angore correpta, cecidit in terram, rogabatque Dominum, dicens: Cur Domine abominaris me peregrinam & orphanam? cur me despicis pie Iesu? Eccè nunc tempus adest, quo cõfligere me oportebat cum improbo dęmone, & anima mea à me repetitur. Miserere mei Domine Iesu Christe, & patere me adhuc annum vnum permanere in hac vita, vt plangã peccata mea. Sum enim Domine expers pœnitentiæ & omni pietate destituta. Nemo in inferno cõfitebitur tibi, nõ est in sepulcro pœnitẽtia, non possum post mortẽ quicquam lachrymis proficere: sed viuens confitebitur tibi & laudabit nomen sanctũ tuum.

Humilitas admiranda tantæ virginis.

Esa. 38.

tuum. Hæc illam dicentem quædam è sororibus audiuit, & retulit Abbatissæ: quæ iussit illam ad se adduci, dixitque ei acerbè ploranti: Quid habes filia? quid ità ingemiscis? Illa respondit: Ploro Domina mea, quia sciuisti mihi supremũ impendére diem, nec mihi indicásti, vt lugerem peccata mea. Hæc dicens, prócidit in pauimentum, tenensque pedes Abbatissæ, ait: Miserere meî Domina, & ora pro me, vt Dominus vel vnius anni mihi spatia impertiatur, nè me sine pœnitentia decedentem tenebræ comprehendant. Respondit Abbatissa: Viuit Dominus, filia, quia beatorum concilio dignam te fecit rex tuus Christus: narrauitque ei somnium, rogabatque eam, vt pro ipsa rogaret Dominum, quò eius particeps esse mereretur.

Paulò pòst acris febris Euphrasiam inuasit, sororumque ministerio in * valetudinarium perducta est, vbì vsque in vesperam cum illa permansére. Vesperì autem, cùm hora cibi sumendi adesset, iussit omnes discedere Abbatissa, solam Iuliam secum retinens, nè Euphrasia sola relinqueretur: clausisque ostijs, vsque in lucẽ alterius diei erant apud illam: dixitque ei Iulia: Domina soror, nè sis quæso meî immemor. Tu scis, quàm semper tibi indiuidua adhæserim in terris: ora Dominum, nè me sinat vnquàm separari à te, sed vt iubeat me tecum hinc egredi cum bona fiducia. Die illucescente, Abbatissa omnes adesse iussit, Euphrasia extremum iam trahente spiritum. Accurrunt omnes, valedicunt Euphrasiæ, cum lachrymis dicentes: Memento nostrî Domina soror. Posteà venit etiam illa, à qua dęmonem expulerat, & osculans manus eius, dicebat: Per Deum & hasce manus à me dæmon exclusus est. Cùm autem ei multùm lugenti & beneficia ipsi ab ea præstita commemoranti Euphrasia respondere non posset, dixit Abbatissa: Filia mea, nõ te miseret huius? Cur nihil ei loqueris tam valdè propter te afflictæ? Tum illa respiciens in eam, dixit: Quarè me sic luges soror mea? Sine me iam quiescere. nam planè deficio viribus. Time Deum tuum, & ille te seruabit ab omni malo. Deindè Abbatissam intuens, Ora pro me, inquit. nam in magno certamine versatur nunc anima mea. Orante igitur Abbatissa, & sororibus dicentibus, Amen, virgo sanctissima reddidit spiritum, anno ætatis suæ tricesimo, conditaque est in sepulcro matris suę: & sorores glorificabant Deum, quòd promeruissent sororem habere apud illum. Porrò Iulia magistra eius, triduo flens, ab eius monumento non recessit. Illa enim docuerat eam literas & psalterium, & præcipuo eam complectebatur amore. Quarto autem die exhilarata Iulia, dixit Abbatissæ: Ora pro me domina, quia vocat me Christus, pro me peccatrice beata Euphrasia intercedente. Et hæc dicens, osculata est sorores omnes, & die quinto obijt, atque apud Euphrasiam humata est.

* oratorium

Euphrasia febre corripitur.

Feliciter migrat ad Christum.

Iulia eam sequitur.

Post dies triginta Abbatissa maiores natu sorores ad se euocans, ait: Eligite vobis matrem, quæ meo loco præsit vobis. Responderunt illæ: Cur id ità iubes domina mater? Dixit eis Abbatissa: Vocat me Christus, flexus precibus dominę Euphrasię: qua rogante, etiam Iulia eius consors esse meruit & ingredi in illud tabernaculum non manufactum. Itaque & ego festino, vt possim digna haberi illarum in cælis consortio. Quod cùm audiuissent sorores, elegerunt Theogeniam, vt ipsis præesset. Eam verò ad se Abbatissa accersiens, ait illi: En testimonium tibi perhibent sorores omnes, voluntque te præfectam esse traditionum monasterij huius, in meumque locum succedere. Itaque adiuro te per intemeratam & consubstantialem Trinitatem, nè acquiras huic monasterio pecunias aut possessiones, neque curis huius mundi occupes sororum animos, vt peritura respuentes, bonis mereantur cælestibus augeri. rursumque sororibus ait: Quandoquidem probè cognitam habetis dominæ Euphrasiæ vitam & conuersationẽ, ad eius vos imitationem componite, vt eius possitis effici consortes. Hæc cùm dixisset, omnesque respondissent, Amen: cunctis valedicens, ingressa est oratorium, clausisque ostijs præcepit, nè qua illarum ante alterius diei ortum introiret. Itaque manè intrantes, inuenerunt eam obdormijsse in Domino: hymnumque Deo dicentes, posuerunt eam in Euphrasiæ sepulcro. Deincèps verò nullam aliam illic condiderunt. Multa verò ad illud monumentum facta sunt hodieque fiunt miracula, multæque curationes. Clamabant verò expulsi dæmones: Etiam post obitum aduersùm nos præuales Euphrasia. Festinemus igitur etiam nos huiusmodi vitam obtinere, sectari benignitatem, humilitatem, obedientiam, laborem, mansuetudinem, longanimitatem, vt ad beatissimam supernorum spirituum sodalitatem & immensa illa gaudia pertingere mereamur: per magnum Regem & Dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

Abbatissa quoquè abit è vita.

THEO-

THEOPHANIS PRESBYTERI ET PRÆPOSITI ORATIO IN EXILIVM S. NICEPHORI PAtriarchæ Constantinopolis, & in translationem sanctarum ipsius reliquiarum. Habetur in Simeone Metaphraste.

13. Martij.



Lurima profectò diuersis occasionibus atq; temporibus, in gentibus & ciuitatibus preclara facinora, ad eximias Dei maximarumq; rerum demonstrationes, facta sunt, quibus vera ipsius cognitio perspicuè fuit cōfirmata: quemadmodùm in psalmis canitur: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. (Psal. 18.) Quibus verbis etsi perpetua illa Dei virtus rerum omnium, atq; vniuersi orbis conseruatrix ac moderatrix indicatur: non minùs tamen, immò verò magis etiam significantur ea, quæ nostris temporibus in primis excellētia atque admirabilia gesta sunt ab eadem ipsa diuina virtute, quæ eximia potentia sua cuncta gubernat ac regit. Siquidem non in vna parte, neque in gente minima, aut contemnenda, eiusmodi bonorum munera viguerunt: sed publicè & passim, & in proprio atque electo Christi clero, qui Apostoli Petri verbis meritò vocatur regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. (1. Pet. 2.) Verùm quoniam rerum maximarum argumenta præstantissimos requirunt enarratores, qui dicendi vi eas valeant explicare, nè inornata orationis tenuitate earum amplitudo imminuatur: ego, qui orationis laboro paupertate, vehementer à scribendo deterrebar: sed tamen assiduis me ad munus hoc suscipiendum adhortantium precibus non potui non obtemperare. Dei igitur, qui dicendi facultatem elargitur, benignitate confisus, ad scribendum accedo, adiuuante me precibus suis, orationemque moderante diuino patre Nicephoro, qui se nobis maximum ad dicendum argumentum præbuit.

(Resp. quandò floreat.) Cùm præclarè res nostræ sese haberent, & ex vtilitate ac dignitate gererentur, tunc nimirùm, cùm vnus in Ecclesia sensus vigebat, & impia cuncta ac peregrina dogmata, tanquàm scelera atque piacula detestanda reijciens, omnes hæreticorum nugas ad nihilum redigebat: Nicephorus Imperij sceptra moderabatur, & Nicephorus sacram excelsæ, atque vrbium reginæ ciuitatis sedem obtinebat, qui luminis instàr perpetuò fulgentis, vniuersum orbem terrarum virtutum radijs illuminabat. (Anno Christi 808.) Iam & in principe ac beata Trinitate vna & eadem essentia, & in vna Dei verbi carnem induti persona duæ naturæ, & duæ voluntates clarissimè fuerant opportunis concilijs constitutæ & declaratæ, contrarijs opinionibus reiectis atque improbatis: & vtilis sacrarum imaginū vsus (Vsus imaginum antiquissimus in Ecclesia.) iam indè ab initio institutus, & per manus traditus, in omnibus Ecclesijs ornatè decoreque demonstrabatur: quemadmodùm proximis temporibus, sanctorum patrum concilium celebrantium suffragijs, diuinitùs fuerat comprobatus.

(Anno 815.) Verùm posteaquàm Nicephorus Imperator vnà cum filio huius vitæ finem sortitus est, & ad Michaëlem eius generum Imperij gubernatio peruenit, sub Leontij nomine (Leo Armenus Iconomachus.) crudeliter frendens inuasit hunc valdè sæuus immanisque Leo, ex Armenia genus ducens, qui & defectionem à Deo, & aduersùs Imperatorem, apud quem in honore erat, minimè obscuram aut tectam tyrannidem machinabatur. Quod quidem illi è sentētia successit. Nam per vim sibi Imperium vindicauit. Cæterùm haud aliter duxit potentiā suam fore diuturnam, nisì contra nos audacter bellum susciperet, & venerabiliū imaginum interitū omni studio atq; arte moliretur. Ad hunc enim furorem atq; dementiā à dæmonibus, à quibus instruebatur, & falsis vatum mendaciū somnijs, & incertis temporum promissis miserè compulsus erat. Impium autem atq; audax facinus ad optatos exitus se perducturum non sperauit, nisì præclarum Ecclesiæ ducem, & ab omni repræhensione remotum, rectæ doctrinæ regulam, Nicephorum è sacra sede exturbaret, vt propriæ malitiæ propugnaculum Ecclesiam constitueret, &, nemine conatibus suis repugnante, omnia ex sententia sua, & eorum qui sibi fauebant, tutò moderaretur.

Primùm igitur tempus obseruabat, vt eum artibus ac dolis in sententiam suam adduceret, fingens sesè in recta dogmatum exercitatione versari. Verùm cùm vir ille diui- (Et scripturarum testimonijs, & longissimi) narum rerum peritissimus & prudentissimus, tum multis sermonibus, tum scripturarū testimonijs, tum longissimi temporis consuetudine comprobatum imaginū vsum de-

mon-

monstraret, nec tamen insolentem hominem à proposito posset dimouere, tunc dolus qui anteà latuerat, in apertum erupit. Mores enim ferinos nomini congruentes gerebat. Itaque tanquàm perniciosus quidam aper, aut sæuissimus leo, immanisque fera, salutaribus magistri documentis sic aures occludens, vt aspis incantationibus, nihil mouebatur: sed obstinatiùs insaniebat. Statim igitur & pietatis zelo, & præstantioris auxilio confirmatus vir, cui à victoria nomen erat, & proptereà Nicephorus vocabatur, strenuè aduersùs impietatem, & Tyrannum impietatis defensorem instruitur: coactisque primarijs sacerdotibus, viris tum vita, tum doctrina probatis, qui simul pro pietate pugnare parati erant, de communi sententia iniquè se gerentem Imperatorem, licèt frustrà, coarguerunt, & tanquàm contumeliosum Dei, rerumque diuinarum hostem iudicârunt. Quamobrèm arrogans & superbus ille confestìm & simulationem, quam occultabat, aperire, & reconditam malitiæ rationem, tanquàm redundantem quandam corruptorum humorum ex cruditate copiam, euomere, aut deformes & imperfectos ex abortu fœtus in lucem edere coactus est. Tyrannica igitur audacia celeberrimū Patriarcham, è sede sua depulsum, in exilio viuere compulit: ne illud quidem veritus, si nihil aliud, quòd impositione & obsignatione manuum ipsius (quod fieri non debuit) Imperij coronam acceperat. Verùm, vt verisimile est, defectionis & tyrannidis lubrico lapsus, simul cum pietate prudentiam & rationem ac mentem amiserat. Itaque nefanda impietatis atque audaciæ facinora aggrediebatur.

tēporis cōsuetudine comprobatus imaginum vsus.

Nicephorꝰ agitur in exilium.

Patriarcha verò, vt pacifici magistri discipulus, ab Ecclesia discessit tristis & lachrymabundus, vt qui sponsam immaculatam, sibi à Deo traditam, discessu suo mœrentem ingemiscentemque relinqueret. Populum autem & gregem suum opportunis sermonibus instruebat & cohortabatur, vt integram in vinculo pacis fidem obseruaret. At ille insaniens & furore percitus, pietatem pro viribus pergebat insectari: nec contentus ijs, quæ in Patriarcham diuinum commiserat, adhuc malitiæ suæ spectacula lamentationibus & gemitibus digna in plures edebat. Omnes, qui recta veritatis dogmata complexi cum magistro cōsenserant, primarios sacerdotes, monachosq; & præstātes in populo, tum viros, tum etiam fœminas, nō ferendis pœnis atque supplicijs afficiebat. Alij enim ipsorum plagis ac tormentis crudelibus excruciabantur. Alij fame & siti in carcere diù premebantur. Multi sine vlla veniæ spe mittebantur in exilium. Non pauci spoliabantur fortunis ob id solùm, quòd erant pietatis studiosi. Quidam etiam, vt fama est, clàm necabantur. Nonnulli igitur magistratus & in dignitate constituti, & sacerdotes, & monachi, & ex reliqua multitudine, partìm imperantis vi pertracti, illi adhærebant: partìm metu, partìm ignauia, partìm adulatione, partìm gloriæ cupiditate corrumpebantur. Sed maxima pars stabiles & constantes in fide animos conseruabat. Tunc in sacra regiæ ciuitatis sede tres veri pastoris aduersarij, ordine vnus post alium, impiè consederunt, Theodorus, Antonius, & Iohannes: qui tanquàm graues quidam lupi, passìm Ecclesiam lacerauerunt ac deuorârunt. Et alijs in locis & ciuitatibus, eiusdem opinionis sacerdotes, ac duces imperiti, & nullius precij homines, Ecclesijs præfecti sunt: qui execrabile ac detestandum sectæ suæ decretum impiè & stultè confirmantes, varijs modis ità conati sunt imaginum vsum abrogare, vt quantùm in ipsis fuit, nullum earum vestigium relinqueretur, quod vel Dei verbi carnem induti, vel sanctissimæ Dei genitricis, vel cælestium Angelorum, aut totius reliqui sanctorum atque iustorum ordinis speciem præ se ferret.

Catholici à Leone affliguntur.

Nota quales habeat hæresis ecclesiarū præfectos.

Erat autem admodùm absurdum & graue, videre passìm sacrosancta templa ab obscuris & execrandis hominibus, pulchritudine sua & veteribus ornamentis spoliari. Atque ista quidem mali dominatio grauissimas calamitates inuexit, & cuncta permiscuit ac perturbauit, non exiguo aut breui temporis interuallo Imperatoris robore munita, sed triginta propè annorum spatio. Quorum cùm quatuordecim in exilio diuus pater Nicephorus transegisset, ab hac mortali vita migrauit ad immortalem: & sepultus est iuxta templum sancti martyris Theodori in monasterio, quod ipse à fundamentis construxerat. In hoc enim, cùm esset mulctatus exilio, piam & sacram vitam traduxit, & virtutum studio mentem suam diligenter excoluit atque expurgauit, seque purum Dei rerumque diuinarum templum exhibuit, cùm similis esset angelorum: & simul tum monasticæ, tum pontificiæ vitæ dignitatem virtutibus suis exornauit.

Templa spoliantur.

S. Nicephorus moritur

Hactenùs cōmemorauimus, quemadmodùm beatissimus Nicephorus, vt optimus gubernator, munus ecclesiasticū sapienter administrârit: & tam vitæ honestate, quàm cognitionis excellētia & sensus omnes, & animum rectè ad pietatē instituerit: & quòd

ad fidem pertinet, tranquillè ſemper curſum tenuerit: & legitimas vitæ ciuilis inſtitutiones obſeruârit: & quemadmodùm inuidia, quæ rectè facta carpere conſueuit, liuore commota, cùm Chriſti gregem optimis quibuſque auctum atque ornatũ inſtitutis intueri non poſſet, Leonem Imperatorem, pernicioſum animæ propriæ inimicum, impulerit, vt nouarum rerum in religione ſtudio aduersùs Deum inſurgeret, & pro viribus res ſanctas atque diuinas contumelijs afficeret & contaminaret, & ad extremum è ſacra ſede diuinum hunc virum exturbaret, atque in exilium eijceret: vbì virtutibus & contemplationibus animum excolens, & cum Deo verſans, benè beateque vitam traduxit. Nunc autem tempus eſt, vt, cùm prouidentia Dei, qui mortis vmbram in matutinum ſplendorem, & tenebras in lucem conuertit, mœrorem atque triſtitiam in gaudium lætitiamq; commutauit, in reliqua orationis parte breuiter demonſtremus, quemadmodùm ſacrum illius corpus in regiam vrbem tranſlatum ſit. Hoc enim nobis potiſſimùm propoſueramus, licèt in alijs rebus recenſendis ſimus immorati.

Anno Chriſti 842. Poſteaquàm enim, defuncto Theophilo, Imperium ad eius vxorem Theodoram, & filium eorum Michaëlem admodùm adoleſcentem delatum eſt, in pietatis ſtudium curamque maximè incubuit fœmina verè Dei munere (vt nomen eius indicat) data, ex omnibus præclaris & magnis facinoribus, quibus principes probari ſolent, nullum præſtantius exiſtimans, quo tutiùs ſibi imperium confirmaret, aut virilem in fœminea perſona fortitudinem exerceret, quàm ſi pietatis & religionis cultu Deum ſibi propitium redderet: Id autem nullo pacto faciliùs aut commodiùs poſſe contigere, quàm ſi perturbationem in Eccleſia iamdiù excitatam ſedaret, & partem in illo morbo laborantē reduceret ad ſanitatem: vt qui inter ſe animis eſſent abalienati, conciliarentur, atque idem omninò ſentirent: Sic enim fore, vt cùm vna eſſet omnium ſententia, atque idem ſenſus, vera ſynceraque fides, Apoſtolorum patrumque inſtitutis, tanquàm ſolidis fundamentis inhærens, firma atq; immobilis conſeruaretur: & ſibi deinceps Imperij gubernatio facilis ac tolerabilis permaneret. (Concordia & fidei ſynceritas, ſalus Reip.) Hæc igitur cùm illa verè animo excellens, ac mente fortis Regina ingenio ſuo excogitâſſet, & prudentia conſiderâſſet, re cum illis, qui erant in magiſtratu & dignitate conſtituti, communicata, acceſſit cum ipſis eos, qui inter monachos præſtabāt, & de imaginum inſtauratione quæſtionem proponit. Cumque idem omnes ſentientes comperiſſet, diuturnoque eius rei deſiderio teneri, atque animo excruciari propter religionis in ea re mutationem, poſtulauit, vt ſe patrum etiam authoritatibus ad veritatem confirmarent, quas varijs in libris inueniſſent: mandauitque quo in loco palatij præfinito cœtus eccleſiaſticus vniuerſus cogeretur, & ad populum ea de re quàm apertiſſimè verba faceret. Tanta autem multitudo confluxit, vt numero compræhendi non poſſet. Conuenerunt enim non ſolùm illi, qui mentem ſanam impietatis temporibus conſeruârant, verùm etiam complures ex ijs, qui cum pietatis hoſtibus conſenſerant, quique ſacerdotijs & Eccleſijs regendis ab ipſis electi fuerant: è veſtigioque mutata ſententia, eos, qui ſanctas imagines oppugnârant, anathemati ſubiecerunt.

Iohannes epiſcopus Conſtantinop. Iconomachus deponitur. Qua quidem celeri & inſpirata rerum commutatione, Iohannes, qui tunc impiè munus pontificium adminiſtrabat, ſtupore & mentis caligine captus, parùm abfuit, quin ſibi ipſe manus afferret, mortemque conſciſceret. Hic enim ſceleris caput & ſumma fuerat: qui cùm impiè ſentiret, & apud Imperatorem authoritate poſſet anteà plurimùm, eos mendacijs & dolis, imprudenter inconſiderateque confictis, in impietatis barathrũ impellebat. Eo igitur propter flagitia, quæ in Deum admiſerat, vno omniũ conſenſu, & cunctis tum magnorum Imperatorũ, tum vniuerſi cœtûs Eccleſiaſtici ſuffragijs à ſacra ſede cum ignominia eiecto, Methodius vir & vita, & doctrina valdè probatus, & qui pro veritate & religione permulta certamina & longum exilium pertulerat, atque indè plagis & carcere diù cruciatus redierat, omnibus in dignitate conſtitutis approbantibus, electus eſt, qui ſacram reginæ vrbiũ ciuitatis ſedem obtineret. (Methodius ei ſubſtituitur.) Tunc Nicææ ſecundum diuinitùs electum ſanctum œcumenicum Conciliũ, quod Irenæ Imperatricis, verum ab ipſa pace nomen habentis, & Tharaſij maximi beatiſſimique Patriarchæ ſtudio celebratum eſt, meritò firmam obtinuit authoritatem ac robur, cùm omnes, quæ, Deo adſpirante, in ipſo decreta fuerant, comprobarent. Tunc omnes eccleſiæ ſuum vbiquè decus receperunt, & venerabilium imaginum ſplendore fuerunt illuſtratæ: eiectiſque illis, qui eas nefariè inſectabantur, ſacerdotes in eis ac duces, recti dogmatis ſtudioſi, ſunt conſtituti. (Reſtituũtur ſacræ imagines.)

Quadriennio igitur pòſt ſacratiſſimus Methodius, diuino planè ſpiritu impulſus, opportunè

portunè sapienterque diuinam Imperatricem Theodoram admonuit, non esse ex Imperij & Reipublicæ dignitate, quòd venerandus & inter Patriarchas illustris Nicephorus, qui pro gloriosæ syncerǽque fidei defensione à sacra sede depulsus, in longissimo exilio defunctus erat, negligeretur: sed omni studio curandum esse, vt diuinum corpus ipsius in ciuitatem reportaretur. Alioquin ingrati animi vitium, inquit, nō euitabimus, si post mortem etiam ipsum in exilio, tanquàm iure damnatum, reliquerimus: præsertim cum non ignoremus, eos, qui ex genere erant Ioseph, in benedictionis parte posuisse, vt patris ossa post quadringentos ferè annos ex Aegypto in Chananitidem exportarent. Quod cùm ità sit, nos, qui sumus pietatis filij, diutiùs priuari patiemur patris illius præsentia, à quo diuinis documentis enutriti sumus? Hæc quidem omnium, quas intuetur sol, vrbiū præstantissima & regia ciuitas, sacri ducis atq; pastoris sui reliquias sanctas desiderat, quas piè cōseruet & colat. Sponsi sui pręsentia fruatur rursùm ipsius Ecclesia amātissima, & quo viuo iniustissima Imperatoris manu spoliata fuit, mortui corpus, annuēte studiosa pastoris Imperatrice, cōplectatur. Cernis, quemadmodùm hic populus, qui per te securus in vera religione conquiescit, incredibili studio post mortem etiam, spiritu vocem eius audire concupiscit? Quòd si tabernaculum eius tantùm ad se relatum adspexerit, se illum ipsum recepisse spirantem existimabit, & tanquàm thesaurum aliquem preciosissimum recondet & obseruabit. His precibus & cohortationibus celerrimè ac libentissimè inclyta annuit Imperatrix. Perspicuum est enim, inquit, hoc apud omnes posteros & mihi, & liberis meis honori futurum. Exod. 13.

Tunc sacer ciuitatis Antistes cum sacerdotibus & monachis, vniuersoque populo ad sancti Theodori templum accedit, in quo gratia plenæ reliquiæ iacebant, easq; cum veneratione & lachrymis complectens, tanquàm sanctum ipsum viuentem sic allocutus est: O vir beatissime, qui eisdem laboribus & ærumnis, quibus sanctus Ioannes Chrysostomus, affectus es, sicut eodem religionis studio & dicendi libertate præstabas, quique pariter & sede priuatus, & mulctatus exilio, & idem triginta trium annorum spatium extorris tum viuus, tum mortuus transegisti: nunc te nobis tui amantissimis restitue, atque hinc discedens, ad propria redi, vt te nunc, vt ipsum olim, populus tuî studiosissimus cum gaudio suscipiat. Tibi iam à Deo alienus Imperator viuenti aduersatus est, & inconsideratè ab ecclesia te depulit: sed dignas furore suo pœnas dedit, miserandoq; exitu Imperio simul & vita priuatus est, audaciæque suæ debita præmia tulit. Hodiè Imperatores, Deo propter morum pietatem charissimi, mortuo Ecclesiam reddunt, quam, vti filij per Euangelium effecti, mecum constituunt non habentem maculam neq; rugam, qualē tuis ornatam & confirmatam institutis reliquisti. Adspice & vide congregatos filios, qui ex propinquo venerunt, cùm reliqui procùl tuum ad se reditum expectent: quos tu, velut orphanos, noli tua mœrentes absentia relinquere. Habeat ciuitas tua loco muneris preciosissimi tuum beatissimum tabernaculum, quo magis, quàm Imperij amplitudine, ornata glorietur & gaudeat. Hæc voce flebili supplicans sacratissimus Patriarcha Methodius, nocturnum psalmorum cantum, & mysticum sacrificium cum populo fideli perficiens, præclarum è tumulo corpus retexit, quod vndeuiginti annorum spatio integrum omninò purumque manserat: & in arca ab ipso compositum, & sacerdotum manibus sublatum, cum luminibus & frequenti psalmorum cantu in nauim ad hoc paratam illatum est.

Vniuersus clerus & populus abit ad reducendas Nicephori reliquias.

Corpus eius. 19. annis integrū mansit.

Sed cùm fretum traiecisset, & ad vrbis litus appropinquâsset, Dei cura Michael Imperator iuuenis, & amplissimis dignitatibus præstantes viri, & patricij, & reliqui ciues læti, facesque manibus tenentes, obuiàm processerunt, & arcam illam preciosam cum fide ac veneratione humeris suis subeuntes, ad magnam vsque gestârunt ecclesiam, ex qua, pontificia dignitate spoliatus, eiectus fuerat. Atque indè rursùm, assiduis item diurnis nocturnisque psalmorum cantibus vicissìm vtentes, & cum omni luminum genere per mediam vrbem ipsum gestantes, in sanctorum Apostolorum templo collocârunt. Tanta autem erat concurrentis populi virorum & fœminarum atq; ætatum omnium multitudo, vt numerari non posset. In biuijs enim & porticibus premebantur, & vbiquè per vim sibi exitum parabant: adeò, vt quanuis multæ propter Imperatores & sacerdotes varijs temporibus celebritates extiterint, nulla tamen cum hac conferri queat. Nonnulli etiam in via spiritibus immundis vexati, dum ab alijs comprimerentur, miserandas atque maledicas voces emittebant: quorum è numero quidam ab ipso curati sunt. Populi igitur impetu vix euitato, sanctum eximij Patriarchæ corpus in celeberrimo Apostolorum templo, sacris mysterijs Deo peractis, in sepulchro recens constructo, ma-

Vide huius trāslatiōis celebritatē.

nibus ipsius Methodij compositum est, iij. Idus Martij. quo quidem die in exilium etiam eiectus fuerat, vt vtraque re sit memorabilis.

Nos autem ô patrum sanctissime, ô sacrorum præconum decus, qui digni facti sumus, vt te & terrestrem haberemus ciuem, & cælestem apud Deum intercessorem, ad arcam tuam cum desiderio accedimus, eamque cum omni veneratione complectentes, has tibi voces effundimus: O sublimium & arcanorum mysteriorum inspector & contemplator: ô diuini adspectûs atque splendoris gloria abundè propter mentis puritatem illustrate. ô patriarcharum atque pontificum societatis particeps, qui & nomine & re simul cum illis victoriæ præconia & præmia, ærumnis & periculis superatis, percepisti: suscipe benignè synceri cordis erga te fidem & affectionem, vicissimq; tuas pro nobis ad Deum puras castasque preces exhibe: vt Ecclesia sancta in tranquillitate versetur, & fides integra custodiatur. In perpetuum nobis Deum propitium redde, & nos, qui iucundissima tua monumenta, qui pulcherrima ad salutem instituta varijs in libris à te relicta perlegimus, in recta dogmatum doctrina firmos immobilesq; conserua, & in omni temporum varietate constantes, vt omnem reliquam vitam exemplo tuo sanctè transigamus, vt Deo chari simus, & quæ iustis promissa sunt, bona consequamur: Illius misericordia ac munere, qui propter nos homo fieri, & carne indutus perspici non est dedignatus, Christus Deus noster, qui colendus & adorandus est cum patre, qui est ante principium, & diuino spiritu, qui est eiusdem cum illis essentiæ, authoréque vitæ in secula seculorum, Amen.

Inuocat S. Nicephorum Theophanes.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS LONGINI CENTVRIONIS. SIMEONE *Metaphraste authore.*

15. Martij.



CVM Deo verbo propter eam, quæ ex inobedientia nobis fuit importata, à bonis prolapsionem, visum esset fieri sicut nos, & voluntaria crûce & morte propter nos fuisset condemnatus propter suam in nos misericordiam: & chorus quidem discipulorum, timore amicitiæ Christi esset oblitus: qui autem in eum cædem spirabāt Iudæi, cum iam morte damnâssent, vnus erat etiam Longinus è Synagoga Iudæorum, & constitutus fuerat Centurio cuiusdam numeri militum. Cùm autem executioni esset mandata scelerata sententia, & ipse Christus in ligno esset affixus, medicās sumptum ex ligno gustum, admirandus hic Longinus habebat crucis custodiam sibi commissam cum suis militibus. Signis autem & prodigiis, quæ circa crucem facta sunt, ad veritatem deductus, omni excusso metu, liberè Christū ipsum & Deum confessus est in medio synagogæ Iudæorum, Verè, dicens, filius Dei est hic.

Matt. 27.

Postquàm sepulturæ mandatum fuit viuificum Christi corpus, vt nos à peccati sepulcris euocaret, & ad antiquam reuocaret beatitudinem, Longino rursùs iussit Pilatus, vitæ sepulcrum tueri custodia militari. Et ille quidem fecit id, quod erat imperatum, etsi non esset eiusdem de Christo cum Pilato sententiæ, vt iam didicimus. Cùm autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, & milites miracula, quæ erant maiora, quàm vt ea caperet humana cogitatio, principibus sacerdotum, & presbyteris Iudaici cœtûs annunciâssent, hoc illi ignominiam & dedecus sibi afferre existimantes, & miraculum volentes extinguere, pecunijs persuaserunt militibus, vt calumniarentur Christi resurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes, falsam dixerunt esse resurrectionem. Verùm non sic Longinus: sed mendacij quidem fuit præclarus confutator, verax autem testis veritatis, vt qui non sustinuerit calumniari Christum, tanquàm furto surreptum: sed lingua & mente libera eum verum esse Deum prædicârit, & e mortuis esse excitatum affirmauerit. Quo factum est, vt & ipse Pilatus, & Iudæorum synagogæ principes, inuidiam qua priùs mouebantur in Christum, & quem in eum animo concipiebant furorem, cum nunc in Longinum transferant, ei adeò irascentes, vt quicquid pateretur Longinus, existimarent eum non satis daturum esse pœnarum. Hinc ea res venit ad aures Longini, & eorum ira fuit ei significata. Quapropter magis volens abijci cum Christo, quàm habitare in tabernaculis Iudæorum, cum veste & cingulo dignitatis, ipsam quoque simul quamprimùm exuit militiam. Et acceptis duobus militibus, qui habebant

Longini constātia.

Pilatus & Iudæi ei infensi.

Deserit militiam.

bant eundem zelum pro Christo & veritate, declinat cum populo congressionem, & cum Deo solo & secum versatur.

Nec multùm intercessit tẽporis,& relictis Hierosolymis,venit in Cappadociam,prę-co simul & apostolus Christi admirabilium operũ, & quæ sunt præter opinionem cum illis duobus militibus effectus. Cùm autem eorum nihil laterêt Iudæos,vtpotè quòd fama ad omnes Longinum transmitteret, & perindè ac alata perniciter omnem percurreret regionem, ij simul conuenientes persuadent Pilato, vt de Longino maledicat, & significet Cæsari, quòd aliena sentiret ab Imperio Romanorum, & quòd neglectis armis, Christum prædicet quendam regem gentibus: & sic omnes in suam redigens potestatem,attrahat ad illius fidem. Eorum autem, aiebant,quæ dicuntur, signum est, quòd vniuersam Cappadociam ea impleuit doctrina. Cùm his literis simul etiam emittunt pecunias,in aures Cæsaris volentes irrepere,vt Longini mortem facilè emerent. Quod quidem processit etiam,vt videbatur,Iudæis. Et Roma statim in Iudæam ad Pilatũ mittuntur literæ, quæ Longinum morte damnabãt. Pilatus ergò acceptis literis, eas statim tradit Iudæis, & ad beati viri cædem alacris alacres emittit. Illi autem cùm totam, quæ intercedebat, regionem maxima peruasissent celeritate, veniũt in Cappadocum regionem: & cùm audijssent Longinum in quodam agro paterno agere vitam ab omni negocio remotã,statim veniunt in agrum,& cũ Longino sermones conferunt, nescientes eũ esse, propter quem tam magnos labores suscepissent,& iter confecissent. Vndè etiam illum ipsum rogabant,quisnam esset Longinus, & in quonam prædio habitaret. Longinum enim studebant clàm aggredi,timentes nè salutem sibi fuga quæreret. Ignorabant autem eum magìs studere vt caperetur, quã illi, vt caperent. Imitabatur enim mortem illius volũtariam, quem cùm vidisset in cruce, Deum fuit confessus: & quomodò Christus propter nos, ità Longinus propter Christum cædem sitiebat. It in Cappadociam.

Cùm ergò spiritus sanctus illa hora ei omnia significâsset,sensìm ad ipsos conuersus, miti & leni voce dicit: Sequimini, & ipse eum,quem quæritis,ostendam. Tunc ergò velutì apud se lætans ille beatus & futuri gaudium pręcipiens,& ante martyrium mortem martyrij amplectens,hæc secum dicebat: Quàm speciosi pedes euangelizantium bona. Esa.52. Nunc videbo cælos apertos. Nunc adspiciam gloriã patris. Nunc, sicut primus martyr Stephanus, ipse quoq; dicam: Domine Iesu Christe, accipe spiritum meum: quem clarissima voce audiui mortem ad se vocantem. Nunc supernam Hierusalem, angelorum Act.7. quidem patriam, totius autem chori sanctorum metropolim, cum victoriæ plausibus, & canticis, & gloriosis trophæis,ascendã. Nunc exuo è luto confectam tunicam, & lamentabilia depono carnis vincula. Nunc liberor ab interitu & corruptione,& lætus induo incorruptionem. Egredior è vita caduca & momentanea, & ex tempestate, cuius sunt magni fluctus & grauia naufragia, & venio ad verum & solum portum, in quo vita est ab omni tristitia remota & æterna. Lætare anima, quæ vadis ad tuum effectorem. Ostende lætam,tempore id postulante,faciem. Eos,qui tibi tot bona conciliant,ô Longine,benignè excipe. Eos qui nos ad cœnam vocant regalem, lauto & magnifico accipiamus conuiuio.

Hæc cùm apud se locutus esset Longinus, eos, qui ad ipsum venerant, statìm ducit in domum suam, & cùm hospitio præclare accepisset, incipit deindè rogare post cœnam cur venissent,& quænam esset tanta Longini inquisitio. Illi autem,cum sacramentum, tanquàm aliquod pignus, ab eo accepissent, non esse publicaturum, quæ ei dicerent, neque secretum esse aperturum, dicunt quæ Pilato scripta fuerãt à Cæsare, & quòd venissent,vt Longini cum duobus militibus capita amputarẽt. Cùm autem sciuisset, quinam essent cum ipso morituri,illi scilicet qui Iudaicæ mercedi Christum præposuerãt, significauit eis, qui non diù antè ab eo discesserant, vt primorum bonorum essent sibi socij. Cumq; semel atq; iterùm eos,qui missi fuerant à Pilato, hospitio magnificè accepisset, postridiè eos ducens in agrum, expectabat eos, quos accersiuerat. Cùm autem accepisset eos iam appropinquare,statìm annunciat ijs,qui missi fuerant à Pilato: Ego sum,qui à vobis quæror, Longinus. Illi autem primùm quidem nõ credebant. Quomodò enim existimâssent eum esse, qui erat passurus, cùm eum viderent tam lætum ad periculum? Postquàm autem rectè sciuerunt illum esse, & nulla eis fuit relicta dubitatio, ægrè ferebant, & à conscientia multas plagas accipiebant, quid non quidem dicentes, quid non autem facientes, cùm esset adhuc recens recordatio, vt qui pro bonis essent malas redditurí gratias? O infelicem,dicebant,cœnã. O graue hospitium. Curnam,ô chare Longine, hoc tibi cœptum venit in mentem, vt eos, qui venerant ad tuî cædem, domus tua Percussores suos vocat ad conuiuium. Prodit seipsum lictoribus.

acciperet? O miserum habitaculum, ô acerbū cōuiuium. Mors tibi euadit hospitium, & teipsum mensæ appones, eos præter opinionem inueniens latrones, qui hospitio à te fuerunt accepti. Quid faciens, sic molestia affecisti eos, qui te sunt occisuri? Abi ergò, accepta mercede hospitij, nempe mortis remissione. Non sustinemus ensem tibi inferre: cædem molientem manum tuo capiti afferre formidamus: communem salem reueremur: nos pudore afficit mensa: ad cædem torpet manus: abhorret animus morte afficere benefactorem. Facilius est periculum, quod nobis est Pilato paratum, quàm vulnera conscientiæ. Parati sumus omnia pati potiùs, quàm Longino tales referre gratias.

Milites reformidāt cedere hospite suū.

Sic quidem milites dicebant Christi martyri valdè miserabiliter. Cæterùm non poterant Longino persuadere: sed eis fortiter respondet vir verè generosus: Cur magna mihi bona inuidetis, quibus vos inuiti me estis remuneraturi? Cur meam mortem defletis tam miserabiliter? Cur tristes estis propter meam perpessionem? Non est hoc mihi mors, sed vitæ primitiæ. Mihi reuerà potiùs est mors, quæ hîc est conuersatio, quoniam non assisto meo Domino, nec fruor ea, quæ est illic, beatitudine. Finis finem malorum, non etiam finem vitæ mihi conciliabit: sed ad veram transmittet beatitudinem, & efficiet, vt sim particeps illius æterni splendoris. Habetis, ô amici, habetis apud vos solatiū, prope est vobis consolatio. Quem enim propter finem lugetis, cum vos post finem beatum reputabitis. Sufficit autem hoc ad afferendam animi tranquillitatem, scire amicum fore multorum bonorum participem: quomodò est inuidorum, vel odio potiùs habentium hominum, studere eum priuare splendore. Nolite deflere eum, qui deficit: sed gratias agite ei, qui accipit. Non mihi illius gloriæ detrimentum afferatis, quam ego vidi elementa mouentem. Non negauerim eum, quem Dei semel filium sum confessus. Timeo nè creatam naturam inueniam accusatricem, si in eum appaream infidelis, propter cuius passionem cælum quoquè ipsum est affectum tristitia, & sol contraxit radios, & lux diei miserabiliter deducta fuit ad noctem.

Hæc adhuc dicente Longino, & eis, qui missi fuerunt à Pilato persuadente, vt facerēt quod eis fuerat imperatum, veniunt milites, qui cum eo morte damnati fuerant. Ille autem læto & alacri vultu eos intuens, & dexteram eis inijcit, & collum amplectitur, & oculos suauiter deosculatur, &, Saluete, inquit, ô Christi commilitones, & hæredes regni, saluete. Iam enim aperta est porta, quæ est in cælis, & angeli sunt nostras accepturi animas, & oblaturi filio vnigenito. Ecce, & lampades video, & apparent mihi brauia, cum quibus sistendi sumus ad Iudicis tribunal. Sed enim si quid vobis est imperatum, dicebat eis, qui missi fuerant, id implete. Deindè etiam conuersus ad domûs curatorem, iubet vestem mundam ad se deferri, vt qui iam esset vocatus ad nuptias & thalamum, & eò festinaret. Porrò autem cùm induisset vestem, & manu ostendisset tumulum, in quo volebat poni corpus, in genua cum ijs duobus, qui erant cum ipso, inclinatus, (ô beatum finem) peregit certamen: & amputatis eorum capitibus, illi asscribuntur in choros martyrum & Apostolorum, illorum quidem fortitudinem, horum verò zelum pro Christo ostendentes.

Longinus confirmat duos milites.

Capite plectitur cū illis.

Quid verò post hæc est consecutū: Martyricum illius Longini caput cùm statim accepissent ij, qui eum interfecerant, ad fidē plenè faciendam, quòd Longinus esset mortuus, id portant ad Pilatum, vt qui scirent se nullo alio dono, quàm eo magìs illi gratificaturos. Ipse autem statìm conuocauit Iudæos, magna secum voluptate afficiendos, vt qui Longini valdè mortem sitirent, & eā emissent pecunijs. Quod quidem cùm factum fuisset, vt eis placebat, iubet rursùs indigna Pilatus: & ante portam ciuitatis per ignominiam fuit projectum preciosum eius caput. Sed is, cui visum fuerat pati pro nobis, eius, qui propter ipsum fuerat passus, nè nunc quidem est oblitus: sed veluti perpetuò apparentem quandam facem ijs, qui aderant, cernendam præbebat ante ciuitatem, & in sterquilinio iacentem, tanquàm in domo regia conseruatam, tutò protegebat, non solùm non permittens, vt aliquid pateretur à fimo: sed etiam liberans alios, ne aliquid propter id paterentur. Quædam enim mulier vidua, quæ morte maritum amiserat, cum filio aūt vnico conflictabatur, & præter viduitatē sustinuerat etiā oculorum orbitatē, malo fide superato, cum filio vadit Hierusalem, sanctorū, quæ ibì erant, locorum contactu & adoratione, quos amiserat corporis duces, sperans se recuperaturam. Cùm autem à filio deducta terram caperet & puluerem, & imponeret oculis, adijcitur viduitati & oculorum orbitati (Qualia sunt Dei iudicia) alia quoquè grauis calamitas. Morbus enim quidam inuadens puerum, qui pro amissis oculis fuerat ei alius oculus, repentè (proh dolor) abripit à sinu matris.

Pilati crudelitas in caput eius.

Statim

Statìm ergò duplices ad eum accedunt tenebræ, & vitæ lux simul extinguitur cum luce oculorum:eratque omninò infelix illa immobilis,tanquàm aliquo fulmine,perculsa calamitate.Cùm autem paulopòst à malo ad se rediisset,deflebat miserabiliter, & miserandas voces emittebat ad Dominũ: ô Domine,dicens, cur sic grauata est manus tua super me,& supra dolorem vulnerum meorum addidisti? Et nunc lumen oculorũ meorum & ipsum non est mecum. Num vires lapidum vires meæ? Ipsa quoque dicã, quod Iob: Posuisti me parabolam Domine, & motum capitis in omnibus: & pudore affecti sunt super me, qui sustinent te Domine virtutum. Num sola sic peccaui ego? & sola sic punior,quòd me luce & vnigenito filio,qui erat instàr lucis,priuâsti? Quænam mihi est deincèps spes salutis?Quænam mihi via cõsolatiõis?Hei mihi,charissime, quãdò mihi malum consolaberis? Quandò oculorum leuabis calamitatem, me deducens ad salutem? Nesciuisti, ô fili, quòd maiori omni alio, tuo casu mihi damnũ afferres maximum?Abis planta mihi iucundissima, me misera sola relicta? Sed sic quidem mater, & mater vnigeniti, qui sic fulciebat eam,quæ se habebat tam miserabiliter. *Viduæ ingens calamitas.* *Iob 6.*

Interìm autem dũ fuisset in somnum resoluta, diuinus ei appáret Longinus, & omnia dicit,quæ ad ipsum pertinebant,quæ in cruce Saluatoris nostri facta fuit, confessionem,mortem qua a Cæsare & Pilato fuit condemnatus, capitis amputationem,& alia, quæ martyr propter Christum sustinuit magnificè.Quin etiam dicit ei:Oportet te obseruare meum caput multo fimo tectum,ad tuorũ oculorum curationẽ. Nam si illud attigeris,lux statim te sequetur.Porrò autem ego quoquè tibi adducam puerum cũ gloria, qui, quem propter eum accipis,dolorem consoletur. His verbis mulier animo recreata,& corpore satis corroborata,properabat ad opus. Cùm autẽ deducta iam peruenisset ad locum,in quo sciebat caput esse repositum,prompto & alacri animo fodiebat manibus. Et cum veluti quendam thesaurum caput inuenisset, simul cum eius inuentione, suam quoquè lucem inuenit:& adspicit solem,aut etiam ipsum caput cernit tanquàm lucidam stellam,apparuisse. Deindè id ardenter cõplexa, cùm à stercore expurgâsset,& vnguentis vnxisset honorificè, reuertitur ad eum, qui illam hospitio exceperat,preciosam illam afferens margaritam. *Longinus ei reuelat caput suũ.* *Repurgatũ à fimo, honorificè vngitur vnguentis caput.*

Sequenti autem nocte diuinus rursus accedit Longinus,læto vultu subridentem, & quasi sponsalibus vestimentis nitentem filium suum inducens, suauiterque & paternè eum amplectens,& dicit ei: Eccè quem lugebas,filium,ô mulier,quæ lugebas:eccè quãtus sit nunc eius honor & gloria,& teipsam consolare.Deus enim ipsum retulit in numerum militiæ sui regni:egoq; nunc eum habeo acceptum à Saluatore, nec à mea vnquam recedet dextera.Accipe ergo meum caput & corpus tui filij,& sepeli in eadem arca,& nè ampliùs lugeas filium tuum vnigenitum, neque te verberet cor tuum. Nã magna gloria & lætitia,& magnis laudibus celebrandæ choreæ, & festa celeberrima ei data sunt à Deo,qui eum accepit. Hæc cùm audiisset mater filij,statim surgit,& acceptum martyris caput,reddit patriæ martyris (Pago autem nomen est Sãdiale) & cum corpus filij capiti martyris lubenter apposuisset, & in loco insigni honestè composuisset, hæc apud se dicebat: Nunc scio, quòd iis,qui Deum diligunt, omnia ad bonum conferunt. Quærebã oculos carnis, ego autem accepi etiam oculos spiritûs. Me afficiebat tristitia iactura filij,sed eccè eum habeo hæredem,Deo cum gloria regia assistẽtem,& nunc noctù & interdiù mihi matri blandè arridet, conglorificatus honoribus prophetarum & martyrum, & cum eis exultans,& cum Longino crucem ferens,& regni cælorum præclarum ferens trophæum inter angelos: adeò vt Longini factus discipulus, ipse quoquè sacram emittat vocem, hymnicamque & mysticam, & epinicij instar habentem: Verè Dei filius erat iste, & est,& erit. Regnum eius,regnum omnium seculorum,& eius dominatio permanebit in æternum. Ei gloria & potentia in secula seculorum, Amen. *Rom. 8.* *Psal. 144.* *Dan. 7.*

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ABRAMII CONFESSORIS, ET MARIAE NEPTIS EIVS: AVTHORE Simeone Metaphraste, qui eam ex S. Ephræm videtur interdùm fusiùs, plerunquè compræhensiùs descripsisse. Est hæc historia multo elegantiùs Latinè conuersa, quàm illa, cuius author fertur S. Ephræm.

16. Martij. alij 29. Octobris.



Irorum virtutis studiosorum vita, & eorum quæ ab eis gesta fuerunt, narratio, omnibus quidem, qui piè viuere studuerunt, tanquàm vtilis & iucunda, summo studio est expetenda: maximè autem ijs, qui virtutem exercent, & qui beatam illam Dei mandatorum semitam ingredi decreuerunt. Fiunt enim eis veluti quidam duces itineris, vt quod ipsi priùs confecerint, & re ipsa experientia ostendere possint ijs, qui sequuntur: vbì quidē oporteat aliquid remittere de ingressûs vehementia, vbì autē rursus gradum accelerare & intendere. Sicque certam virtutis viam & facilem illis faciūt, qui eam aggrediuntur. Quoniā autem ex ijs maximè insignis Abramius, nō solùm cū esset adhuc superstes, sed nunc quoque oratione velutì quadam expressus imagine, id plenè præstare potest: res eius nūc à nobis narrandæ sunt pro viribus: vt sequamur, & quoàd eius fieri poterit, imitemur vestigia eius virtutis.

Abramij genus. Hic ergò secundus Abraam, & cum primo conferendus, ex nobili quidem radice germinauit ramus nobilis. Nam fuerunt quidem ei parentes clari genere, vita autem illustres, & qui diuitijs & gloria mundana sibi summoperè placebant. Cùm aūt viderēt puerum ab ineūte ætate omnem virtutem exercentem, tenebantur quidem vehemēti igne in eum amoris & desiderij. Sunt enim talia eorum, qui genuerunt, viscera: & natura est eis insitum, vt virtus filiorum maiorem in eis incitet flammam naturalis charitatis & affectionis. Quamobrèm cùm esset eorum in eum amor & insatiabilis, & longè ardentissimus, desiderabāt videre fructus pulchri huius germinis: vt cernentes tanquam imagines filij nepotes, sui in eum amoris sedarent vehementiam, & simul successioni generis hoc iacerent fundamentum. Itaq; studebant, vt & filius duceret vxorem, & alligaretur vinculis matrimonij, & ad præcipuas & maximè illustres mundi proueheretur dignitates. Abramio aūt nihil horum erat curæ: Nam ea delegerat, quæ parentum animo planè aduersabantur: & ecclesiam quidem, tanquàm sponsam quandam, sibi desponderat, ei, vt solent sponsi ardentes, noctù & interdiù assidens, & animum simul & aures demulcens ijs, qui in ipsa fiunt ad Deū, hymnis & melodijs: Vnum verò verum honorem, ad Deū existimabat profectū. Magistratus aūt & potestates & honorum altitudinem, & dignitatum magnitudinē, & si quid aliud mundanū & terrenum, existimabat omnia ludibrium & scenicā actionem, quæ nihilo meliùs sunt affecta, quàm somnium & vmbra.

Fastidit ea quæ huius mūdi sunt.

Consentit in matrimonium. Cùm autem parentes instarent & vehementissimè vrgerent, vt vxorē duceret, quinetiam mater videns eum differentē, sæpè lachrymas emitteret ex oculis, quæ sunt certa signa flammæ internæ, & quæ, si quid aliud, filij valdè possunt animum infringere: nesciret vero egregius Abramius quid faceret, cedit matris precibus & iussis patris, & iugū accipit matrimonij, vt qui sciret hoc esse vnum ex Domini præceptis, patri & matri parére. Nam ad illum quoque transire honorem pulchrè sciebat, à quo profectum est præceptum: & qui est communis omnium & primus pater, & opifex, & præcipua causa, vt simus & viuamus. Sed mihi arrigantur omnes aures ad audiendum: iam enim in animo Abramij incipiunt oriri radij gratiæ. Sex quidem præterierant dies, ex quo peragebatur conuiuium, & celebrabantur nuptiæ, & canebatur hymenæus: septimo autem, in quo erat eis soluendum matrimonium, fit res quędam admirabilis, & quę vix credi possit. Nam sedebat quidem ad mensam cum sponsa splendidè admodùm Abramius, tanquàm sponsus re vera in thalamo suo: tumultu autem & plausu tota domus perstrepebat, mensæq; & conuiuis erant omnes intenti: occultus autem amator nostræ salutis, & qui intelligentia percipitur, animarum nostrarum pronubus & sponsus Christus, illarū scilicet, quæ sunt dignæ thalamis suis, dulci quodam radio cælestis & ineffabilis splendoris sensim immisso in thalamum, suaui & allicienti luce oculos illustrauit Abramij, veluti ad se accersens, & ipsum per lucē attrahens. Illius enim animæ apertè amabat pulchritudinem, & volebat eum collocare in longè melioribus thalamis.

Lux cælitùs illabitur eius & oculis & pectori.

Huius

Huius autem lucis dulcedine summè captus Abramius, vt quæ ei per oculos ad animum affluxerat, & ineffabili iucunditate & splendore cor habens repletum, neq; cibum neque potum volebat sumere: sed stabant immoti eius oculi, ad lucis illius speciem intuentes, & apud se optabat, vt citò solueretur conuiuium. Quo quidem vt desiderabat, soluto, & singulis conuiuis domum reuersis, tacitè domo egreditur, à nullo alio, nisi à solo Deo, qui eum vocabat, visus. Et cùm circa duo stadia abesset a ciuitate, peruenit ad quandam cellam, quæ pulchrè erat posita ad quietem & silentium. Eam autem, quàm iucundè est ingressus? Aliquid enim ei ostenderat, quæ apparuerat visio, quod spectabat ad eius habitationem. Deindè, vt assolet in rebus huiusmodi, cùm domi frequentissimè nominaretur sponsus, & essent omnes occupati ad illi inseruiendū, ipse autem minimè adesset, statim recordati sunt parentes prioris filij sententiæ, & illius in Deum propositi, & magnæ aduersùs nuptias constantiæ: neque eam rem poterant aliud vocare, nisi apertum secessum. Et ideò scrutabantur, nō theatra solùm, & fora, & regiam, & domos amicorum, sed solitudines, & montes, & monachorum habitacula, & sicubi esset aliquis locus aptus ad secessum & silentium. Cùm multi ergò vbiq; quærerent Abramium, decimo septimo die postquàm secesserat, inuenitur in dicta cella, nullum habēs, qui simul habitaret, sed ipse solus inclusus. Atque illos quidem, qui ipsum inuenerant, inuadit stupor cōmixtus lætitia & tristitia: vt qui lætarentur quidem, quòd inuenissent adolescentem: stuperent autē tam repentinam eius mutationem, & statìm ab initio susceptam vitam illam solitariam, & remotam ab omni consuetudine & societate: dolerent verò propter Abramij iacturam, quòd talis scilicet adolescēs sic ante tempus se à mundo remouisset, & rebus quæ ad mundum pertinent.

Clā fugit, sponsam deserens.

Ingritur.

Inuenitur.

Ille autem cùm eos sic vidisset affectos, placidè & benignè eos alloquens: Neque tristitia, inquit, affici oportet, nec admirari: sed Deo potiùs agere gratias, & eius ineffabili benignitati & clementiæ, qui me sapienti quadam & arcana prouidentia à mundi subduxit nequitia. Orate ergò, inquit, amici mei & fratres, deincèps orate, vt bonum eius iugum portem vsque ad finem, & nō onus eius leue abijciam: sed semper sequar legem, & illius præcepta & voluntatem. Deindè etiam vehementer rogauit, nè illuc assiduè venientes, suum desideratum obturbarent silentium, & impedirent profectum eius ad meliora. Illi quidem cùm hæc audijssent & vidissent, sunt reuersi. Ille vero obstructo aditu domunculæ, & relicta parua quadam fenestra, per quam panis solùm & aqua ei præberetur, soli decæterò orationi vacabat & ieiunio. Cùm in his autē esset Abramius, & hanc philosophicam exerceret viuēdi rationem, de eo spargebatur fama in omnes partes, & magna hominum multitudo confluebat ad illum spectandum, desiderans ab illo aliquam consequi benedictionem. Decimo autem anno postquàm secessisset, decedunt quidem eius parentes: ad eum autem deferuntur illorum diuitiæ, & omnium paternarum facultatum fit hæres Abramius. Ille verò, cùm iam olim tales curas iussisset valere, cuidam ex suis amicis committit, vt curam gerat hæreditatis, mandans, vt pars eius maxima consumatur in egenos. Quod quidem cùm factū fuisset, vt iusserat, & pulchrè profusæ fuissent eius diuitiæ, & opem tulisset multis pauperibus, solutus omni cura fuit Abramius. Nam in hoc ille perpetuò incumbebat, vt eius animus occuparetur in nulla re mundana terrena, sed eum totum haberet ad cælum extensum, semperque leuem & sublimem ad spiritalia.

Vacat orationi & ieiunio.

Cùm ergo tanq̃ possessionem preciosissimā desiderâsset nil possidere, nihil aliud habere sustinuit, præter ea sola, quæ sunt corpori necessaria. Ea aūt erāt, palliū & cilicium, quibus erat indutus, & storea ad breuem corporis accubitū, & poculum, quo modicam sumebat aquam. Sed quo magis egebat ijs, quæ pertinebant ad vsum corporis, eo magis abundabat bonis animæ, in orbe virtutū, qui eum circundabat, semper resplendentem humilitatem habens, & charitatem, quas cuiuslibet boni matres esse definiunt. Hinc æqualem quidem cōmuniter in omnes ostendebat charitatē. Proximi aūt salutem semper suæ præponebat. Quæ verò ex eius labris procedebant, quam nō poterant animam demulcere, & attrahere ad virtutem? Nam valdè quidem doctè adhortabatur: repræhendebat autē paternè & amanter: mansuetudoq; & gratia vndiq; in eo florebat, internam animi constitutionem perfectè aperiens. Meritò aūt admirabitur quispiam eius in certaminibus fortitudinē, & constantiā. Nam cùm ante mortē continuos quinquaginta annos transegerit in exercitatiōe, nunquā molliter aut segniter aggressus est labores, neq; quicquam remisit de ei ab initio tradita regula abstinentiæ: sed perindè àc si spiritales labores recèns attingeret, ità ad certamina accedebat quotidiè, seipsum in dies superans.

Vestitus eius & supellex.

Eius fortitudo & cōstantia.

rans. Non erat autem Dei omninò permittere, vt talis lux sub modio lateret: neq; fieri poterat, vt qui erat huiusmodi, & perindè ac clara quædam & illustris ciuitas, velutì in quodam monte rerum maximarum & pulcherrimè gestarum, positus erat, absconderetur. Nec ergò fuit absconsus. Sed quomodò nupèr ipse Dominus discipulis, ità etiam nūc illorum imitatori desuper apostolicū committit ministerium, & eius honorat virtutem chrismate sacerdotij, & sudoribus monasticæ exercitationis athletica etiam certamina adiungit, & laboribus abstinentiæ præter opinionem & admirabiliter annectit coronas martyrij. Quonam modo autem, deincèps exponam.

Tænia vicus gentilium. Lampsaci, quod est oppidum ad Hellespontū, erat quidam magnus vicus, & frequens populo, qui vocatur Tænia. Quoniā autem qui in eo vico habitabant, tenebantur a graui errore gentilium, magna quidem multitudo sacerdotum, & diaconorum ab episcopo ad eos mittebatur: plurimi quoq; ex ijs, qui vitam susceperant monasticā, ab eo constituti erant vici magistri. Sed nemo eos poterat conuertere ab errore: immò pijs potiùs illi inferebant tormenta & supplicia, neq; erat vllum pœnæ genus, quod non terribiliter eis intentaretur. Cùm ergò dubitaret Episcopus, quidnam oporteret facere, vt qui errabant, errorem agnoscerent, & rem aliquandò cum suis communicaret, venit eis interìm in mentem Abramij admirabilis. Tum non expectans ipse aliorū de eo testimonia, eis statìm ostendit, quid de illo esset sibi persuasum, dicens? Credite mihi, filii, dicturo teste veritate, quòd in tota vita nunquam mihi contigit videre talem virum, & qui in tanta virtute viueret & pietate. Cùm ij autē, quæ ab ipso dicta fuerant, vna voce confirmâssent, ipse rursùs: Venit, inquit, mihi in mentē quædā cogitatio: ea est autem, vt arbitror, diuinioris cuiusdam prouidentiæ, eum initiare Chrismate Sacerdotij, & ei tradere vicum, qui est ad Hellespontum. Fortè poterit, opem superna ei ferente gratia, & multos deducere ad agnitionē veritatis. Hæc dixit, & è cathedra statim surgens episcopus, vadit ad beatum Abramium cum vniuerso clero. Et iam solitis dictis precibus postquā eum in Christo salutâsset, & osculum dedisset, de vico ei exponit omnia. Prætereà autē eum quoquè valdè rogauit, vt illorum susciperet præfecturam. Ille verò cùm primùm quidem Episcopum aduenisse ægrè tulisset, vt qui putaret se esse indignum, ad quem tātus vir accederet: deindè etiam quæ dixerat, grauiter accepisset, propter magnā illam cordis contritionem & moderationem, & quòd se nulla re putaret esse dignum, ea respon-

Recusat sacerdotiū. dit, quæ & tali vitæ conueniebant, & tantæ humilitati: Quis ego sum Domine mi, dicēs, vt sacerdotij tantam subeam magnitudinem, & grauis populus mihi committatur docendus? Sine per Christum, sine me acerbè mea deflere peccata.

Cui rursùs Episcopus respondens: Rectè scio, rectè scio, inquit, ô chare fili Abrami, quòd gratia, quæ tibi data est à spiritu, potēs es & verbis & factis. Nè ergò dubitaueris ad munus accedere, quod erit quidem causæ tantæ animarū vtilitatis, magnas autem apud Deū tibi conciliabit remunerationes. Ille verò perseuerans in prioribus: Sine rogo, rursùs dicebat, sine me mala propria deflere. Ille verò respondens, acrioribus eum verbis excepit: Ecce, dicens, cùm mundū, & quæ mundi sunt omnia reliqueris, & quid non laudabile quidem exercueris; quodnā aūt Dei præceptum non accuratè seruaueris? id quod est præcipuū, nescio quomodò imprudens prætermisisti, nempe obedientiam. Hęc cum ille audijsset B. Abramius, oculos suffusus lachrymis, & ex imo grauiter suspirans: Quis ego sum, Domine, Domine mi, inquit, (vt rursùs repetam ea, quę dicta sunt) vt de me talem susceperis cogitationē, & me, qui sum vilis & abiectus, sic tota manu contendas attrahere ad tātam virtutis altitudinē? Episcopus autem: Quoniā, inquit, qui sibi quidem soli viuit, & solū curat, vt res suæ rectè se habeant, sibi soli parat vtilitatē. Alios autē corrigere & animarum sibi creditam curā gerere, quātum habet emolumentū, & quantum

Iohan. 21. charitatis in Deū indiciū? Quòd autē id sit maius quouis alio cultu creatoris & Domini, adducā tibi illius ipsius testimonium: Si enim diligis me Petre, inquit, pasce oues meas.

Fit sacerdos & abit ad vicum Tæniam. Quamobrèm Deo tantæ sunt curæ greges, vt maximū signum in ipsum dilectionis, eorū curam esse statuat. Talibus cōsiliis, monitis & sermonibus persuasus Abramius, Episcopum ad vrbem est secutus. Cumq; ille in ipso, quę par erat, peregisset, & sic eum perfectū creâsset sacerdotem, & deindè cum toto clero & populo eum deduxisset, propositam illinc viam inijt, multas interìm fundens lachrymas, & supernum inuocans auxilium.

Rom. 1. Cùm autem venisset in vicum, & cum inuenisset iacentē in profundis tenebris impietatis, & vt dicit diuinus Paulus, gloriā vnigeniti mutatam in similitudinem sculptilis, sic Deū p̄cabatur in cōtritione cordis: Benigne & clemēs Domine Christe Deus, q̄ es solus bonus, qui es solus patiēs, q̄ es solus misericos, qui creasti hominē benignitate ineffabili

qu,

qui intelligis in omnia opera eius, & corda & renes examinas, & intelligis eius cogitationes: nè despicias tuum figmētum, opus tuarum manuum, quod malè necatur à bellua, quæ percipitur intelligētia: sed libera eos à tyrannide inimici, & da eis veritatis tuæ agnitionem. Tu enim scis, quòd non propter humanam gloriam, sed propter animarum salutem suscepi hanc curam & hoc ministerium. Cùm sic ergò esset precatus, & aliquas accepisset pecunias, quæ remanserāt apud amicum, cui curam commiserat facultatum, ex ipsis ædem extruit oratoriam longè elegantissimam. Postquàm autem finitum fuit ædificium, incruentum in eo sacrificium Deo offerebat, & similes prioribus rursùs fundebat preces: Collige, Domine, dicens: oues tuas errantes in hanc mandram recenter ædificatam, aperiens eis viam salutis per tui agnitionem, ad gloriam tuí gloriosi nominis. Tu es enim Deus solus misericordiæ & miserationum, qui non vis mortem peccatoris, sed magìs vt conuertatur & viuat. Cùm has ei preces obtulisset, & cor deindè vir sapiens confirmâsset, & fuisset repletus zelo & desiderio, obiens statuas dæmonum, eas omnes diruit, & humì euertit, quæ erant verè terra dignæ, soloque cinere & puluere.

Extruit ædem ornatissimā, & offert incruentum sacrificiū.

Ezech. 18.

Cùm autem post hæc accessissent quidam ex infidelibus, vt illis sacrificarent statuis, & eas precarentur, vidissentq; graui casu corruisse, non ignorârunt hostem: statimque correptis lignis & lapidibus, repentè in sanctum irruerunt: nec priùs cessârunt eum petere & crudelissimè percutere, quàm eum vidissent planè defecisse, & extremam iam agere animam. Recesserunt enim, existimantes eum mox esse moriturū. Ille autem cùm circa mediam noctē recreatus esset ab illis intolerandis doloribus, vix tandem surgens, in templum est ingressus: & cùm se pronum humì deiecisset, flens grauiter, & fronte solum verberans, acerrimo & maximo studio fundebat preces pro illorum salute, vt depelleret impietatis nubē, quæ eos detinebat, & purè adspicerent ad radios veritatis. Manè autem cùm illi ad templum accessissent, nō gratia orationis, (Quomodò enim, cùm eorum animi fluctuarent adhuc salo impietatis?) sed ad videndam ædificiorum structuram (erat enim templum benè figuratum, & ea, qua par erat, symmetria constructum, & quod animum & oculos satìs poterat lætificare) cùm, inquam, venissent in templum, & offendissent sanctum in eo precantem, priorem rursùs sæuitiam & rabiem in eum ostenderunt: & cùm eum rursùs varijs modis & vehementer cæcidissent, vinculis & funibus omni ex parte compræhensum, trahūt per medium vicum, & in eum omni ex parte lapides niue cadente densiores coniecerunt, ignorantes stulti, pro quali gratia, pro quali pro ipsis precatione, qualem reddiderint ei remunerationem. Ille ergo tūc quidem ab eis relictus est semimortuus, iam à plagis dissolutus & in terram fluxionibus. Cùm autē media nocte ad se redijsset, dicebat: Domine quousq; obliuisceris meí in finem? Quousquè auertis faciem tuam à me? Quousq; opera manuum tuarum despicis, quæ pereunt? Hæc Deo dicebat, & verba miscebat lachrymis. Deindè autem vix tādēm e solo surgit, perindè ac si non esset confectus tot plagis & vulneribus, & in dictum templum rursus ingreditur.

Dirè cæditur à paganis.

Rursùs cæditur atrocissimè & lapidatur.

Die aūt sequenti belluæ illæ Christi inimicæ, cùm illic rursùs venissent, & eum orantem inuenissent, ne tunc quidem potuerunt id ferre moderatè: sed cū ei plagas priores, aut etiā multo maiores imposuissent, & eum similibus vinculis alligâssent & traxissent, procùl à vico proiecerunt. In his ergò se tres annos deinceps fortiter gessit Abramius, non fractus, non cedens, nec vlli malè imprecans: sed odio charitatem adiungens, iræ mansuetudinem, maledictis benedictiones, admonens, consulens, adhortans, senes adolescentes, omnem, vt semèl dicam, ætatem, vt patres, vt filios, vt fratres, nihilq; omninò ostendens, quod sit pusilli & abiecti animi: sed re ipsa implens, quæ sunt diuini Dauidis, & inter necessitates & afflictiones meditans pcepta Domini. Propter hæc in ipsum floruit eius sanctificatio. Nam cùm repentè conuenissent illi, qui nuper erant impij & infideles, (Est aūt hoc Dei omninò, qui docet hominem scientiam, & illius gratiæ in Abramium) omnesq; qui illum vicum habitabant, congregati essent, &, vt est consentaneum in cœtu multitudinis, sermones omni ex parte haberētur, res Abramij in medium adducebatur, & omnium animi implebātur admiratione. Itaq; cùm præ stupore in magnam adducti essent dubitationem: Videtis, dicebāt inter se inuicem, qualia à nobis facta sunt aduersus Abramium: ille autē quam benignè & clementer in nos se gerit, quamq; fortiter ac generosè tulit mala, quæ sunt illata? Omninò nisi esset verè Deus aliquis æternus & immortalis, qui potest pro laborū meritis reddere remunerationes, non ostendisset tantā pro ipso tolerantiā. Porrò autem deorum nostrorū imagines videtis quàm facile & citra vllum laborem euertit, neq; vllus ex ijs dijs potuit à se propulsare iniuriam?

Idē rursùs.

Psal. 118.

Psal. 131.

Psal. 93.

Hæc

Hæc illi quidem inter se dicebant: Deus autem verbis finem imposuit conuenientē. Ij enim protinùs incitati animis, dixerūt: Adeste omnes, ad huius boni viri genua procidamus, consentientes Deo, qui ab ipso prædicatur. Quæ simulatq; dixissent, concurrūt protinùs ad templum, tanquàm vna lingua & anima clamantes: Gloria tibi Deo cœli, qui misisti seruum tuum Abramium, vt nos à simulacrorū liberaret caligine. Quod quidem cùm ille beatus vidisset præter omnem spem, ineffabili in corde repletus lætitia, repentè tēpus quoque arripit: &, O patres in Domino, & filij, & fratres, inquit, adeste, & Deo simul reddamus gloriam, qui tā admirabiliter & arcanè illuminauit vestros animæ oculos: & accipite signaculum spiritûs. Accedite ad ipsum, & illuminemini: & vestri vultus pudore nequaquàm afficientur. His verbis coniungit etiā doctrinam veritatis. Et cùm, quomodò credere oporteat, verbis esset persecutus, eos in filiorū adoptionem asciscit per baptismum, cùm essent numero circà mille. Et deinceps erat multus in eis quotidiè admonendis & docendis. Illi autem tāquàm bona terra, & pinguis, & aquis irrigua, reddiderunt fructus multiplicatos diuinorum seminum. Atque annus quidem in his fuit consumptus ab Abramio.

Ethnici impij resipiscunt.

Psal. 33.

Baptizantur circa mille.

Deindè timens, nè, dum in Vici curis versaretur & tumultibus, sibi aliqua re indulgeret ex ijs, quæ ad victum pertinent: cumque iam videret gregem perfectū & absolutum in diuinis mandatis, statuit ad priorem reuerti solitudinem. Cùm noctù itaq; surrexisset, dicebat: Domine, qui es solus bonus, qui solus es immemor acceptæ iniuriæ, qui hanc recèns collectam multitudinem soluisti à vinculis aduersarij, & per eā, quam in te habent, fidem tuo colligâsti vinculo: conserua hunc paruum tuum gregem inuictum ab insidijs dæmonum, eos tanquàm armis muni tua protectione, & eum accinge forti tua potentia: te autem propitium ego quoquè miser inueniam, quādò iudicium pones in spem, & misericordiam tuam in trutinis. Ad peccati rationem nihil mihi imputetur à tua benignitate hic meus recessus. Tu enim es occultorum cognitor, & cordium examinator, & tu è longinquo cognouisti cogitationes meas, quòd propter te & tui amorem suscepi hanc peregrinationem: & eccè me subduco ab ijs omnibus, quæ ad victum pertinent, nè si ad aliquid horum, tanquàm ad scopulum impegero, in medio mari curarum mundanarum subeam naufragium. Atque sic quidem finem acceperunt eius preces: & cùm Dominico signo vicum munijsset, & eum Deo commendâsset, se clanculùm proripit ad secessum.

Abramius fugit.

Manè ergò cùm de more venissent vicani ad templum Dominicum, vt benedictionem Pastoris assequerentur, cumque eum ibi non inuenissent, illos inuasit confusio, mœrorque & animi ægritudo. Eum igitur diligenter quærūt, non paruam terræ partē obeuntes. Sed reuersi vacuis manibus, cum calidis lachrymis accedunt ad Episcopum, & apud eum deflent, se esse priuatos suo Pastore. Ille autem sauciatus paribus telis ægritudinis, eum quoque quærit similiter. Postquàm verò & ipse cognouit se ea facere, quę erant inutilia, (tutò enim propter quietis ac silentij cupiditatem latebat Abramius) tūc, sui cleri accepta parte aliqua, cùm venisset ad vicum, primùm quidem illorum animos satis consolatur, qui ægreferebant Pastoris absentiam. Deindè cùm eos elegisset, qui erant virtute insigniores: & alios quidem Presbyteros, alios autem Diaconos cōstituisset, & alios cooptâsset in alios sacros gradus: & ijs veluti quandam tradidisset regulam, & formam glorificationis, quæ fit in ecclesia, & eis precatus esset vitam pacatā & à molestia liberam, recedit. Quæ quidem nec diuinum quidem latuerunt Abramiū, Sed ipse quoquè, cùm in eo, in quo latebat, loco hæc per spiritum cognouisset, ab illius vici curis animum liberauit. Nam etsi trahebatur amore solitudinis, curis tamen gregis rursùs erat vinctus vinculis insolubilibus.

Presbyteri & diaconi &c creantur in Taxia.

Cùm ergò, quòd ad hæc attinebat, quieto esset animo, & Deo, vt par erat, egisset gratias, rursùs reuertitur ad vetus illud habitaculū. Et cū ei cōtiguam ædificâsset domunculam, & obstruxisset aditum, priori se tradit solitudini. Quænam autem sunt deindè cōsecuta, & quosnam ei tendit laqueos, qui rebus eiusmodi inuidet inimicus, non est prætermittendum. Erat quidem nox media, cùm consuetas preces funderet Abramius: Præses autem tenebrarum, suscepta persona luminis, & eam ipsam lucem esse simulans, ad eum emittit vocem, tanquàm ex magna multitudine dicētem: Beatus es senex Abrami, verè es beatus: & nemo in rebus diuinis fuit tam perfectus, sicut tu. Ille autem cùm rem minimè ignoraret, sed eum illum esse cognosceret, qui decepit primum hominem, ei suggerendo, quòd futurus esset Deo similis, & sciret hanc lucem esse veluti quandam escam vanæ gloriæ: Compescere, dixit: te increpat Christus Deus, ô maligne.

Fallacia dæmonis.

Genes. 3.

Ame

A me citò recede: absit enim, vt me aliquid aliud esse putem nisi terram & cinerē. Hæc dixit, & in fumum statim fuit dissoluta phantasia luminis, & manifestus fuit actus simulatus, & scena abiecit personam. Sic ergò pudore affectus, cum contraria ratione aggreditur: sicut illic per adulationem, ità hîc per timorem eum conans supplantare. Profligatur sancti viri humilitate.

Non multum enim intercessit temporis, & rursùs ab eo cernitur manu tenens securim: & videbatur quidem mediam tecti trabem dissecare, grauiter autem concutere & mouere domunculam, & multitudinem in Abramium quasi magno quodam studio cōuocare, & ad summam eum grauiter perturbare. Ille autem hîc quoquè rursùs idem erat, hostem minimè ignorans. Visione itaque nihil territus, Omnes gentes me circundederunt, sensìm apud se dicebat, & in nomine Domini vltus sum eos. Talibus aduersùs inimicum carminibus Abramius, talibus armis est vsus. Quid ille ergò? In eum rursus bellum gerit posteà, vt qui vehementi igne videretur comburere stoream. Ille autem nihil affectus ea visione, interrito vultu eum inuasit, dicēs: Super aspidem & basiliscum ingredieris, & conculcabis leonem & draconem. Deindè venit tempus comedendi: & ille quidem solam sibi aquam apponit: malignus autem mutatus in adolescentem, manu tangit poculum, illud conans euertere. Diuinus autem Abramius nihil perterritus, constanti vultu aquam accepit. Vide autem mihi maligni impudentiam. Sæpè repulsus, ne sic quidem recedebat, sed rursùs in vnum ex ijs, qui sancto ministrabant, veste & forma seipsum mutans, cùm sanctus tunc comederet, lucernam ei apponebat. Deindè etiam videbatur talia canere: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Hic autem verè beatus, erat planè surdus, vt qui aures ad hæc obstrueret, donèc sumpsit illud modicum cibi. Post hanc autem paruam corporis curationem, crucis signo munitus: Si beatos, inquit, nôsti eos, qui diligunt Dominum, cur non cessas assiduè eis exhibere molestiam? Ille autem respondens, vel inuitus suam confitetur malitiam, & dicit: Quoniam eos bonum exercere video, nec possum pati id videre. Hæc cùm dixisset, statìm abijt. Dæmonis terriculamenta cōtemnit. Psal. 117. Psal. 90. Psal. 118.

Nondùm autem quinque dies intercesserant, cùm denuò eum aggreditur hic sæuus hostis cum maligna, quæ erat circa ipsum, caterua, & consuetis suis machinis & importunitate. Videbantur autem funibus domunculam omni ex parte compræhendisse, & totis manibus eum trahere, & se inuicèm adhortari, vt fieri solet in multitudine: Videte, dicentes, vt eum de propinquo proijciamus præcipitio. Ille autem (O interritum animum, O generosum spiritum) ne sic quidem pertimuit importunum inuentum: sed dicebat, Circundederunt me, sicut apes fauum: & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini vltus sum eos. Hæc ille quidem apud se dicebat. Illi autem cum magno fugati sunt timore, tanquàm egregij alicuius Imperatoris, ne minas quidem solas sustinentes. Atque sic quidem sacrosanctus Abramius, qui ad spiritalis philosophiæ tantam ascenderat altitudinem. Infestę dæmonum præstigiæ. Psal. 117.

Porrò autem in ijs, quæ de illo narrantur, hæc quoquè addere oportet: quæ, quòd attinet ad admirationem, nulli cedunt ex prioribus, quòd scilicet non solum lætum radium semper è vultu emitteret, etsi non esset robusto corpore, immò à magna abstinentia videretur consumptus, & liquefactus: sed etiam, quod tempore vltimæ migrationis & resolutionis is rubor, quem habuit in iuuentute, suam non ignoraret naturam, cùm adhuc vigeret, & floridus in genis insideret: & quod est his longè pulchrius, panni, quibus erat indutus, toto illo tempore, quo se exercuit (in exercitatione autem vixit Abramius quinquaginta annos) non cesserunt prolixitati temporis, nec effluxerunt, sed perpetuò floridi ac recentes tegebant sancti corpus. Nunc autem tempus est transeundi ad admirabilem illam narrationem, quæ eius ex Deo zeli, & apostolicorum viscerum, & bonæ affectionis est maximè insigne. Id autem principiò quidem tristitia & dolore afficiet auditores: postremò autem multa voluptate, & animi tranquillitate animas implebit: & persuadebit nè desperent homines, etiamsi ad summam deducti fuerint improbitatem. Ità autem habet: Vultus eius semper floridus. Vestes 50 annis nihil attritę.

Mortuus est Abramii secundùm carnem frater: mortuus est autem, vnica relicta filia. Ea verò erat planè infans, & ambobus parentibus orba: mater enim iam antè erat mortua. Illam ergò accipientes, qui ad ipsam attinebant, iam septimum annum agentem ducunt ad patruum, nempe ad diuinum Abramium. Qui & fratris iacturam consolans, & misertus puellæ teneræ ætatis & orbitatis, supinis eam accipit manibus: & ei attribuit domunculam, quæ erat extra cellam: eamque decæterò prospiciebat ex fenestra: & eam sacras docebat literas, optimamque viam ei indicabat: nec- Neptem suam sanctè instituit.

non confirmabat & excitabat ad certamina spiritalia: ac in summa, puellæ erat veluti quædam aquila, quæ pullum alis sustinet, alleuatque, & portat, & cum eo scindit aerem: sicque eam docebat volare ad virtutis altitudinem. Illa autem, etsi esset ætate tenera & immatura, ad hæc tamen incrementum accipiebat, & maiorem, quàm licebat pro ætate, ostendebat virtutem. Propter quæ toto corde & visceribus exultabat Abramius, non secùs, atquè pater propter suam filiam: & rogabat, vt sine offensione posset cursum perficere exercitationis. Lætabatur autem omninò, quòd in ea ætate tantum valeret in rebus spiritalibus, & in eis esset adeò studiosa & diligens.

Cùm ea autem esset eiusmodi, & in tanta haberetur admiratione, vbì processit ætate, & iam peruenit ad annum vicesimum, vir quidam habitu quidem monachus, mente autem perditus & sceleratus, lege amicitiæ accedens ad beatum, cùm eam adspexisset oculis impudicis, turpem quoquè ei inijcit amorem cum eo congrediendi. Erat autem hoc omninò ars & astus maligni, vt tantam virtutem efficeret ludibrium obscœnæ libidinis, & sacrosanctam Abramij animam superaret per maximam animi ægritudinē & calamitatem. Ab impudico ergo amore coacta virgo, seipsam educit extra domunculam, & cum scelerato illo & execrando congressa, acri expleta cupiditate protinùs fuit animo saucia: & propter ea, quæ admiserat, vehementer compuncta, seipsam deflebat, valdè miserabiliter clamans: Hei mihi miseræ, hei mihi, quæ Dei templum violaui, quæ pollui illam regiam imaginem, quæ inquinaui figmentum eius manuum. Hei mihi miseræ, hei omnium infelicissimæ fœminarum, quòd violaui pactum cum Deo cōuentum, quòd omne præteritum tempus exercitationis breuissima vendidi voluptate. Hei mihi, quòd omnia, quæ à me anteà fuerant ædificata, inania euaserunt & irrita. Quibus oculis ego cælum intuebor, cùm eos habeam cæcutientes impudicis adspectibus? Quanam lingua Deum precabor, vel quænam labra mouebo ad supplicationem, cùm ea feram inquinata libidinosis & verbis & osculis? Cum quanam autem fiducia accedam ad fenestram, fenestram, inquam, illam, per quam meo gutturi affluebant dulcia eloquia? Quomodò autem patruum alloquar, quæ transgressa sum illius mandata, quæ non seruaui ei facta promissa, quæ sum improba, scelerata & execranda, corporeque polluta & animo? Hei mihi, quid de me fiet? Quò me vertam? Cur sum adhuc superstes? Vtinàm mors ad me venisset ante libidinem. Vtinàm priùs rapta fuissem ex corpore, vt mortis donum haberem puritatem corporis. Nunc autem quinam fontes lachrymarum mihi poterunt tantas sordes abluere? Eam sic acerbè deflentem, per eum dolorem malignus arripit ad desperationem, velutì timens, vt arbitror, nè per pœnitentiam fieret promptiori & alacriori animo, & longè magis & vehementiùs reluceret, quàm priùs. Desperans ergò suam salutem, aufugit in ciuitatem quandam Aesum nomine, quæ aberat duorum dierum itinere: & diuersans in quodam diuersorio, cùm mutâsset habitum, & vestem sumpsisset secularem, erat cuiuis volēti prompta ministra acerbæ voluptatis.

Maria neptis eius corrumpitur. Valdè luget facinus suum.

Desperans fugit, seq; omnibus prostituit.

Cùm illa ergò sic se haberet, & sic esset proposita ad lasciuos illiciendos oculos, Abramio quiescenti in interiore cella existit tale somnium: Videbatur ei draco ingentis magnitudinis, & adspectu horribilis, à sua cauerna prorepsisse, & veniens ad eius domunculam, quæ intus erat, columbam deuorâsse: deindè rursùs suam repetijsse speluncam. Ille ergò excitatus præ timore, tristi animo erat, & conturbato: & suspicans illam visionem significare persecutionem aliquam aduersùs Ecclesiam, decæterò erat vehementiùs intentus orationi, rogans, vt ei apertè reuelaretur visio. Non diù autem tardauit euentus: sed tertio die posteà videbatur rursùs videre illum draconē emersisse ex eo loco, quem subierat: & cùm ad eum prorepsisset, & eius pedibus caput submisisset, illum quidem protinùs esse disruptum: columbam autem, quam fuisse ab eo deuoratam præcedens ostenderat somnium, totam puram & immaculatam è medio eius ventre euolâsse. Hæc cùm vidisset, & existimâsset visionem significare aliquem lapsum animæ fratris sui, conturbatus & animi ægritudine affectus, prospiciens e fenestra: Maria, Maria mea, inquit, quid est ò filia, quòd tibi tantā attulit socordiam, vt totos hos duos dies nō moueris os ad laudes, non reddideris consuetas glorificationes, non petieris doctrinam, non eloquiorum illorum auditionem, quæ fuerunt melle & fauo ori tuo dulciora?

Somnium Abrahæ.

Cùm hæc dixisset fratris filiæ, & nihil ab ea audiuisset, (Quomodo enim, cùm illa in diuersorio versaretur in amoribus & comessationibus?) apertè cognouit visionem de ea significare: & protinùs grauissimo dolore affectus, & in visceribus supra modum cruciatus, suspirio veluti quodam fumo ex interna flamma emisso, Deum rogabat, vt ea re-

sipi-

ſipiſceret & exurgeret, & rediret ad priorem probæ vitæ inſtitutionem. Nam etſi tunc ignorabat, quomodò abſceſſiſſet, & locum, in quo Maria verſabatur: quòd tamen latenter receſſiſſet, & propter viſionem illam, quæ apparuerat, non bonam ſpem de ea conceperat. Duos itaque annos DEVM pro ea rogauit. Somnij enim duplex viſio, biennium temporis ſignificabat. Circa finem autē ſecundi anni reuertitur quidam amicus, qui ad eam quærendam fuerat ab ipſo miſſus, vbinā verſaretur fratris filia, & apud quem, & quomodò, omnia apertè ſignificans Abramio. Ille verò ſtatim nihil cunctatus, ſed multùm valere iubens & ſenium, & exercitationem, & ſilentium, monaſticumque habitum & inceſſum, vt liberaret animam à laqueis diaboli, cum veſtem induiſſet militarem, & in ſinum nummum vnum immiſiſſet, (tantū enim erat ei opus) & equum conduxiſſet, & cum quamprimùm conſcendiſſet, ipſe quoq; inſtàr primi Abrahæ, viam inijt, quæ ducebat ad diuerſoriū. Nam ille quidem expeditione ſuſcepta aduersùs quinque reges, Lot fratris filium ſeruauit à captiuitate. Hic autem, cùm in certamen proceſſiſſet contra aduerſarium, & eum vi expugnâſſet, reduxit ſui fratris filiam ad priorem virtutis exercitationem. *Habitu mutato abit ad neptem ſuā.* *Geneſ. 14.*

Cùm perueniſſet itaque ad diuerſorium, nō ſecùs àc venator peritus huc & illuc obſeruabat, ſicubì poſſet prædam parumpèr adſpicere. Verùm tempus ab eo terebatur, & eam, quam quærebat, non poterat adſpicere. Illa enim pudicos tantùm vitabat oculos, quantùm contra accurrebat ad laſciuos & impudicos. Cùm ergò ſic eam non poſſet intueri, excogitat rem quandam, quæ vel ſola poteſt oſtendere magnum illius zelum, & quemadmodùm, vt ſeruaret animam, à nulla re omninò abſtinebat. Amatoris quidem ſimulat & habitum, & mores, qui eò peruenerat, vt eſſet, ſicut angeli, propè expers materiæ: & fingit ſe amare amore carnali. Itaq; ſenſim accedens ad dominum diuerſorij: Audio, inquit, apud te eſſe puellā inſigni pulchritudine, quæ præeſt diuerſorio, & volentes admittit amatores. Illius igitur ego quoquè captus amore, huc acceſſi. Præfectus autem diuerſorij intuens ad canos Abramij, rem verò ignorans, & neſciens quidnam ſibi volens ſe amare ſimularet, animo quidem eum abominabatur, & eum magnæ damnabat impudicitiæ & intemperantiæ, quòd nec in tanta quidem ſenectute & canitie ſuſtineret eſſe temperans, ſed eius mores adeò diſcreparent ab ætate. Nè autem priuaretur mercede, quam propter puellam erat habiturus, viſum eſt illi ſenem prouocare & incitare, atque ad maiorem accendere libidinem, dicens eſſe quidem puellam elegantem & pulchram, & alijs fœminis tantùm præſtantiorem, quantùm eſt roſa lætior cæteris floribus: nomen autem ei eſſe Mariam. *Fingit ſe turpi captū amore.*

Hæc cùm dixiſſet dominus diuerſorij, audito nomine, Abramius apertè cognouit hanc eſſe illam, neq; dubitabat ampliùs. Manu igitur in ſinum immiſſa, & nummo ſoluto domino diuerſorij, iubet parari cœnam, & introduci puellam. Cœna itaque opiparè parata, diuerſorij dominus ad eam educit puellam, quæ valdè erat delicata, mollis & diſſoluta. Quam cùm vidiſſet ſic meretricē ornatā Abramius, corde medio ſauciatur: & conabatur quidem cohibere lachrymas, nè actum prodētes, puellam effugarent, earum tamen minimè poterat ſiſtere fluxionem, victus a doloris neceſſitate, vndè etiam guttatìm lachrymabatur, in alteram partem conuertens faciem, & à genis repellens lachrymas. Vt autem huius rei omnem auferret ſuſpicionem, amatorijs apud eam verbis vtebatur, annuebatq; & ſuauiter arridebat, & alia omnia faciebat, quæ poſſunt prouocare, & ad amorem accendere. Illa autem viciſsim Abramio offerebat oſculum, & arctè collum eius amplectebatur. Interim verò cùm ſenſim redolentem caſtorum & exercitationi deditorum membrorum fragrantiam ſenſiſſet, & vitæ prioris eſſet recordata, & boni caſtitatis, & à quàntis bonis excidiſſet miſera, valdè lachrymabatur & ingemiſcebat, &, Væ mihi miſeræ, dicebat, væ mihi, quæ ſum implicata tot funibus peccatorum. Hei mihi, quid agam? Quomodò me nunc terra nō deuorat? Propter quę in magnam adductus dubitationē dominus diuerſorij, vt qui nihil ſciret eorum, quæ præceſſerant: Maria Domina mea, dicebat, hoc totum biennij tempus iam tecum degēs, nunquàm te vidi ad tātam adductam triſtitiam & animi ægritudinem. Præ dubitatione itaque deficio & contremiſco, cogitans, vndenam & quonam modo hæc dicere tibi venerit in mētem: Illa autem, tanquam ei cauſam ſignificans: Vtinàm, inquit, duobus annis antè deceſſiſſem. Sic enim fuiſſem omninò inter beatas. *Nō poteſt tenere lachrymas.* *Mariā quoquè plorat.*

Propter hæc veritus diuinus Abramius, nè ipſe euaderet manifeſtus, deindè aufugeret filia eius fratris, vt quam magna illa morderet pœnitentia, & quæ non ampliùs ferret eum intueri, cuius præcepta tam apertè contempſiſſet: & ſic aufugeret præda ex me-

dijs eius manibus, priusquàm totam escam deuoraret, & propterea volens omnem auferre suspicionem, petulantiores mores amatoris suscipiens: Reprime, dicebat, ô mulier, hæc tristia verba. Non enim ideò huc conuenimus, vt recordareris eorum, quæ fecisti. Et conuersus ad dominum diuersorij: Amice, inquit, affer nobis citò quæ parâsti, vt ambo collætemur: è longinquo enim, vt vides, accessi propter ipsam. Lautè itaque exhibito conuiuio, qui totos quinquaginta annos ne sustinuerat quidem adspicere mulierem, & nec panem quidem, nec aquam, quæ sunt maximè necessaria, sumpserat ad satietatem: vinum bibit, & vescitur carnibus, & conuiuatur cum meretrice. Nam beatum quoquè sciebat Paulum, ad quem ipse intuebatur, & cuius viscerum & zeli contendebat esse imitator, se aliquandò purificâsse, & caput etiam rasisse, Timotheum etiam circũcidisse, & ità ne Iudaismo quidẽ pepercisse, vt infideles animas attraheret ad pietatẽ.

Act. 21. Act. 16.

Cùm sic ergò essent conuiuati, se inuicèm manu accipientes, in intimam ingrediuntur domunculam. In ea autem stabat quidam lectus, molliter stratus ad quietem, In quo cùm molliter sedisset Abramius, qui semper terra vsus erat pro strato: Sine, inquit puella, vt tibi soluam calceos. Ille autem iubet priùs vectem obdi foribus. Cumque illa instaret vehementiùs, vt priùs solueret calceos, beatus Abramius non sustinuit. Tandèm ergo persuasa, cum ostium tutò clausisset, ad sanctum accessit. Postquàm verò eam per manum cepit Abramius, & vidit eam non posse ampliùs effugere, & iam prædam esse retibus irretitam, tunc amatoris personam deponens, & abijciens omnem scenam & simulationem, qui intrinsecùs latebat, aperit Abramium: & ablato pileo, quem habebat in capite, & grauiter suspirans: Cor meum, inquit, Maria, nescis quisnam ego sim? Non agnoscis cognatum? Quid est, anima mea, quod tibi accidit? Quis est, qui te traxit ad interitum? Vbi nunc est ille angelicus habitus virginitatis? Vbi est vita cruci affixa? Vbi est lachryma compunctionis? Quomodò tantarum virtutum altitudine descendisti ad vltimum barathrum deceptionis? Cur mihi non statìm significâsti atrocem illam pugnam inimici? Cur non de graui illo lapsu è vestigio triumphâsti? Omninò ego & charissimus Ephræm lachrymis & precibus pro te apud Deum intercessissemus. Cur te tantum elongâsti à nobis, & cur à te obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde? Cur te adeò cepit desperatio, quæ est maligni hamus ineuitabilis, vt nec tibi quidem peperceris deincèps, sed inuerecundè feceris ea, quæ sunt turpissima, & inimici plagis tuas adieceris: cum oporteret potiùs exurgere, & propter ea, quæ admiseras, magnam ostendere pœnitentiam? Non nôsti Dei in nos viscera, & quemadmodùm nostri curam gerit magìs quàm mater, vt qui nos velit congregare (idque cùm sæpè à nobis contemnatur, & despiciatur) nõ secùs ac gallina pullos suos sub alis? Propterea ergò rogo te, ini viam, quæ ducit ad meliora. Rogo, inquam, per meos canos, per labores propter te susceptos, & illas intolerabiles animi ægritudines, & hunc mœrorem, & confusionem, redi ad priorem viuendi rationem. Concede mihi, vt paululùm respirem, & nè cum dolore meã senectutem transmittas ad inferos.

Abramius se prodit nepti suæ.

Hæc filiæ fratris dicens Abramius, videbatur surdo canere. Deorsùm enim in terram inclinata facie, & præ magno illo pudore eius voce repressa, stabat terram intuens: ex quibus significabatur angor & animi perturbatio. Quamobrèm ille eam sic confusam recreans, cum magna lenitate & moderatione: Cur, inquit, ô filia, tu mihi non respondes? Nescis propter te tantum iter esse ingressum? Nescis me propter te & propter tuam salutem hæc omnia simulâsse, vestem militarem, amorem, esum carnium, quem scis nihil aliud nôsse, præter cellam & silentium? Non est vllum peccatum humanum, pro quo desperare oporteat. Nullum est animæ vulnus adeò immedicabile, quod non curetur, vstum pulchro igne pœnitentiæ. Super me sit tua iniquitas, ô filia. Ego pro te Christo reddam rationem. Solùm veni mecum, & ad solitudinis reuertamur habitaculum. Ad hæc illa vix humile quippiam & triste, & velutì ægritudine animi emortuum submissè loquitur: Cùm ad te & vultum tuum ne oculos quidem habeam, qui possint intueri, ô venerande pater, vt qui sint tecti propter tantum pudorem, quomodò potero ad Deum accedere, à maligno grauiter animo sauciata, & scatens tam multis peccatorum vlceribus? Ille autem verba eius excipiens: Super me, inquit, ô filia, sit iniquitas tua, & onus collo meo erunt tuæ actiones: solùm reuertamur ad priores nostras habitationes. Ecce enim dilectissimus quoq; Ephræm, pudore propter te afficitur & animi ægritudine. Concede ergò nobis, vt respiremus, & ab hoc graui propter te liberemur mœrore. His puella valdè animo contrita, cadit ipsa quoque, non secùs ac meretrix illa, ad pedes præceptoris, acerbè deflens, & eos irrigans fluuijs lachrymarum.

Maria animo cõsternatur.

Pœnitentiæ vis.

Luc. 7.

Cùm

Cùm ij ergò ità se haberent, & ille quidem apud eam vteretur admonitionibus, & in bonam terram sic seminaret: illa autem lachrymis quodammodò irrigaret semina, vt fructus citò proferrent, & hinc pœnitentiam ostenderet & contritionem, nox iam deducta erat ad matutinum: & ipse quidem fratris filiam iubebat sequi ad montem. Cùm illa rogâsset autem, quidnam de vestibus, & auro, & argento, & stragulis vestibus deincèps faceret, (erat enim splendidè & sumptuosè ornata) vt conuenienter diuino præcepto omnia relinquat, diuinus admonet Abramius, & eum solum sequatur, & contendat ad veras illas vitæ futuræ diuitias. Ea ergò accepta, egreditur clàm è diuersorio: & cùm ipsam equo imposuisset, ille præcedebat pedes, equum manu trahēs. Cùm autem fuissent in monte, mutant ordinem domuncularum: & eam quidem, quæ erat exteriùs, ipse statuit habitare: filiæ autem fratris tribuit interiorem. In qua cùm se coërcuisset, & fores occlusisset domunculæ, illic fuit perpetuò, precibus, ieiunijs & lachrymis delens labes peccatorum animæ. Etenim vt quæ nupèr resipuisset à vitijs corporis, sic ea semper habebat præ oculis infernè versantia animam, & admodùm acerbè pungentia conscientiam, etsi Deus sæpè ei ostenderet peccatorum remissionem, nec hoc solùm, sed etiam eam tāta impertiret fiducia, vt & assiduè miracula, & à morbis & vitijs liberationes per eam ostenderet. Propter quæ corde lætabatur Abramius, & Deo agebat gratias, quòd spe minimè esset frustratus, sed susceptorum propter ipsam laborum fructus ferret suauissimos.

Abramius neptē reducit in eremum.

Egregiam illa agit pœnitentiam.

Atque ille quidem cùm ad profundam peruenisset senectutem, è vita excedit, & ad æterna transit tabernacula, ad efferendum corpus magna vndiquè confluente multitudine, atque eius pannorum & ciliciorum parùm quid attrahere vnoquoque contendēte, ad cuiusuis boni thesaurum, ad mala omnia propulsanda. Quinto autem anno post illius mortem, moritur etiam fratris filia. Quæ cùm animam desiderato Domino tradidisset, & iam esset mortua, in sepultura, in eius vultu suauissima quædam florebat gratia: & illinc quidam micabat radius, apertum signum eius animæ splendoris: In Christo Iesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor, & adoratio in secula seculorum, Amen.

Abramius excedit è vita.

Maria obit.

DE S. EVSEBIA VIRGINE HABENTVR QVAEDAM in Vita S. Rictrudis matris eius Tomo 3. die 12. Maij.

VITA S. HEREBERTI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, AVTHORE RVPERTO ABBATE TVITIENSI.

Porrò vetustus MS codex hoc loco sic habet: Titulus huius castri: (Tuitiense enim monasterium, prius castrum fuit) Virtute Domini Constantini Maximi, pij, felicissimi, inuicti Augusti, suppressis, domitisq; Francis, in eorum terris Castrum Diuitensium sub præsentia principis sui fecerunt: deuoti numini maiestatiq; duodeuiginti hæc vota fecerunt.

PROLOGVS AVTHORIS.



TV mihi hoc opus in angaria, venerande pater Marcuuarde, imposuisti, quatenus sancti archipræsulis Hereberti vitam virtutibus splendidam, sed prioris, vt tibi videbatur styli rubigine subobscuram, nouo rescriberem stylo, pro gloria & laude Domini nostri Iesu Christi. Ibam quippe aliàs, quò me scribentem ducebat ardor studij: & idcircò tibi obtemperare, nimirùm quasi in angaria seruire existimaui. Cùm autem & te instante iugiter, & mea voluntate ad alia tendente, diutiùs angerer, venit tandèm in memoriam illud, quod summus veræ dilectionis magister, inter cætera perfectionis euangelicæ præcepta congrue, in monte locutus est: Et si quis angariauerit (ait) mille passus, vade cum illo & alia duo. Sed & ille Simon Cyrenæus in mentem venit, quem, sicut Euangelista testatur, prætereuntem angariauerūt, vt tolleret crucem Iesu. Denique exemplum eiusdem, qui crucem quidem Iesu tulit, sed non ipse crucifixus est: & hocipsum, quòd crucem non suam baiulauit, inuitus & in angaria fecit, vehementer Christianum hominem redarguit, quicunq; ille est, qui Christi vel sanctorum eius labores ità prædicat, vt non collaboret imitando. & hocipsum

Matt. 5.

Mar. 15.

Sectandus Christus & sancti eius. quod prædicat, magis ex precepti necessitate facit, quàm ex pio mētis desiderio. Acquieui igitur, & omisso interim cursu proposito, diuerti huc, nō iam inuitus, sed bonam habens voluntatem, si spiritus patris nostri Dei, quid vel qualiter loqui deberem, suggerere dignaretur. Ecce habes quod iussisti: immò ad quod agendum me magis rogando, quàm iubendo compulisti: tu ipse iudicato, vtrùm id efficiendo quicquam profeceris: id est, vtrùm prioribus scriptis, quæ non tibi satisfaciebant, hoc posterius scriptū ad ædificationem audientium magis an minùs idoneum sit. Porrò me & apud Deum cōscientia testis, & apud eos, qui audire vel legere dignabuntur, præsens epistola excusare poterit: quia non quasi mihijpsi placens, prioribus me scribendo superposui, sed postulanti tuæ charitati placere cupiens, obediendo supposui. Dignum quippe te, cui obaudire deberem, existimaui, licet monachicam sub tuo regimine militiam professus nō fuerim.

De ortu B. Hereberti, & qualia illo nascente signa diuinitùs apparuère.

Cap. I.

16. Martij. Quandò factus sit Archiepiscopus.



ANno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi nongentesimo nonagesimonono, Romanorum regēte imperium Ottone tertio, insigni metropoli Germaniæ Coloniæ Agrippinæ pontifex à Deo datus est sanctus Herebertus, vixitque in eadem sede laudabiliter annos vigintitres, mēses duos, dies fermè vigintiduos. Huic donum gratiæ, quod daturus erat ascensor cæli, de quo scriptum est: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus: in ipso eius ortu præsignare dignatus est. Deniquè cùm noctù materno funderetur ex vtero, lux immensa cælitùs in loco effulsit, quam & dormientes nonnulli, oculis cordis: & vigilantes, oculis viderunt corporis. Dormiens erat pater eiusdem infantuli, & cum eo quidam ex amicis, Iudæus tamen, qui tunc venerat ad eum pro consuetudine colloquij, siue negocij familiaris. Hi ambo dormiētes hora ipsa, qua in lucem prodibat felix puerperium, vnum idemque vident somnium: & euigilantes, continuò loquebantur ad alterutrum, quasi proprium singuli narraturi visum, quippe qui nescirent cōmune fuisse, vel vnū. Narrauit prior is, qui propter familiaritatem aduenisse iam dictus est, & deindè ipse paterfamiliâs idipsum, & non aliud se vidisse, vehementer admirans testatus est. Erat autem huiuscemodi somnium: Cubiculum in quo mulier decūbere proximaq; partui nō ignorabatur, à frōte aperiri, admissumque iubar infulsisse velut solis meridiani. Porrò vigilantes eadem hora circa parturientē de more aderant sexûs illius personæ sedulæ, & ipsæ corporalibus, vt iam dictum est, oculis viderunt miraculum cælitùs infusæ claritatis. Adhuc enim loquebantur illi somnium, quod viderant, miraculum & felicitatem partûs non vanis præsagiendo cōiecturis: cùm ecce vna ex illis gaudio & pauore simul attonita, bonum patri nunciauit nuncium, videlicet elegantis filij exortum, & in ortu eiusdem editum miræ suauitatis & circunfusæ magnæ lucis diuinum miraculum.

Psal. 67.

Eo nascente, lux cælitus spargitur.

Somnum patris eius.

Quòd lucis inuisibilis, qua illuminandus erat, signum fuerit visibilis lux, quæ illo nascente in domo refulsit. Cap. 2.

HOc igitur quis dubitet conferendæ illi gratiæ fuisse signum, significans quòd copiosiùs illuminaret illum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Et quidem si sola illi conferenda fuisset lux gratiæ spiritualis, quam Iudaica cęcitas nescit, rectè forsitan cuiuis incredibile videretur aut indignum, Iudæum participem extitisse eiusdem somnij luminosi, quod pater Christianus videre meruit. At ille electus & gloriosus filius lucis, fulgere habebat & interiori dono luminis æterni, quod Iacob simplex maximè optauit: & exteriori prouentu gloriæ temporalis, quam venator Esau solam quęsiuit ex benedictionibus patris. Quis enim nesciat splendorem magnæ ecclesiæ Coloniensis, quantùm illis præcipuè temporibus splenduerit etiam in facultatibus & honoribus seculi? Cùm ergo tantæ sedi præesse deberet, & super tale tantumque candelabrum exaltāda esset hæc lucerna Domini, habendo tot facultates, habendo nomen etiam & ius eximium apud fastigium terræ, sicut sequens narratio declarabit: non indignum videri debet, quòd Iudæus quoque præsagium futuræ claritatis eius acceperit, qui & patri eiusdem dixit: Certissime noueris, quia quod nascitur tibi, teipsum iucunditate replebit, suosque natales magno sui nominis splendore illustrabit. Hoc dicere potuit ille, solam respiciendo lucem vel gloriam seculi: Christus autem lux vera & gloria patriæ cælestis, mirabile eius præsagium mirabiliter adimpleuit. Nam qua noctè, illo de virgine nato, exortum est in tene-

Iohan. 1.

Genes. 27.

Ecclesia Colonien. maximè floret.

Iudæi de Herberto præsagiū.

Psal. 111.

Luc. 2.

bris

bris lumē rectis, & pastores super gregem suum vigilantes claritas Dei circūfulsit: ipsa nocte, immò sub ipso lucis sequentis crepusculo, inter Missarum sacra solennia, quorū hæc prima vox est, Lux fulgebit hodiè super nos: consecratus est pontifex, veri baiulus luminis, eorumq; sortitus ministerium, quibus dictum est: Vos estis lux mundi &c. Quis dubitet hoc euenisse per prouidentiam siue ordinationem Domini, eadem cura vel gratia, qua memoratum signum eo nascente premisit? Verùm de hac re suo loco pleniùs dicendum erit. Matt. 5.

De materno genere eius, & vt stirps, vndè talis nasciturus erat è captiuitate, Deo prouidente, redempta fuerit. Cap. 3.

TAli, vt dictum est, cum præsagio puer hic, beatæ prædestinationis filius, in Vuormatia Galliarum vrbe ortus est. Porrò illuc, scilicet in Gallicum Vuormatiæ territorium, genus eius maternum de fonte Alemannico casibus aduersis deriuatum fuerat. Siquidem auia eius materna nomine Emma, Regimboldi nobilissimi Alemannorum comitis filia extitit, & ab Hunnis deprædantibus è castro patris cū duabus sororibus extracta, atque in prædictæ vrbis territorio captiua violenter abducta est, Quam vir quidam nobilis vt vidit, protinùs instinctu Dei, sine quo nec passer vnus in terram cadit, formam captiuæ liberalem miseratus est, eamque redemit. Quid multa? Prouidente Deo, vt radix seruaretur, de qua nasciturus esset fructus, qui permaneret in acquisitione salutis, pater eius puellæ, dum fortè pergeret ad curiam Imperatoris, in domo eiusdem viri nobilis hospitium habuit. Illic inter multa colloquia filiam recognouit, gratulatus est, eamq; viro, qui redemerat, postulanti coniugem, cum dote multa tradidit. Ex illis nata nuptijs sancti huius mater est. Hoc idcirco non præterire libuit, quia nonnihil spectat ad laudem & gloriam Dei, quòd amaritudo illa tantis superata est benedictionibus dulcedinis, vt redempta captiuitas, talem tantumque partu ederet ciuem cæli.

S. HeREberti patria. Emma auia eius capitur. Redimitur.

Vt apud Hildebaldum Vuormatiæ præsulem per Dei gratiā in sacris disciplinæ ecclesiasticæ studijs profecerit. Cap. 4.

IGitur prospiciente proposito Dei, qui & ante tempora secularia sanctos omnes præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, & in suo quenque tempore vocauit, iustificauit & magnificauit: hic sanctus præscitus, vt nasceretur, vocatus est, non solum vt per baptismi gratiam iustificaretur, verùm etiam vt honore pontificalis gratiæ magnificaretur. Huius nimirùm magnificentiæ præparatio in eo extitit, quòd in eadē ecclesia Vuormatiensi studijs liberalibus traditus est. Tanta quippe facilitate diuinæ pariter & humanæ philosophiæ fluenta potauit, vt dubitandum non esset, eum intrinsecùs doctorem habere illum, de quo Apostolus dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit: maximè quia cum spiritu scientiæ clarescebat in eo spiritus pietatis & timoris Domini, à quo sanctus omnis ad sapientiam ascendere incipit, sicut scriptum est: Initium sapientiæ timor Domini. Hoc perpendens vir venerabilis Hildebaldus, qui tempore illo pontifex erat eiusdem ecclesiæ Vuormatien. & prudentem adolescentem cognoscens ex studijs ipsius, sicut scriptura dicit: Ex studijs suis cognoscitur puer, vtrum munda sint opera eius, gaudebat in eo, spe bona reputās, quòd homo hic vtilis foret sanctæ ecclesiæ. Erat nanq; idē pontifex eius beneuolentiæ, quā in propheta spiritussanctus insinuās: Dicite, inquit, iusto, quoniā benè, quoniā fructum adinuentionū suarum comedet. Et in euangelio Dominum dixisse nouerat: Messis quidē multa, operarij autem pauci. Rogate ergò Dominum messis, vt mittat operarios in messem. Itaque sanctæ ecclesiæ prospectum esse cupiens, & in ea, cui præerat, sede iam paratum sibi à Deo sperans successorem, benè agentem condigna laude confortare studebat. Denique defuncto tunc temporis eiusdem ecclesiæ præposito, protinus hunc subrogauit. At ille sanctus & verus, qui habet stellas, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, in alio firmamenti sui loco stellam istam figere, & super alterius ecclesiæ candelabrum lucernam istam ponere disposuit.

Rom. 8. Traditur Herebertus studijs literarum. 1. Cor. 3. Psal. 110. Pro. 1. & 9. Pro. 20. Esai. 3. Luc. 10. Fit præpositus ecclesiæ Vuormatiensis. Apoc. 1.

Quomodò per bonam famam Imperatori Ottoni innotuerit, & archicancellarius esse electus: suasusq́; ab eo, presbyterij gradum cum socio Brunone ascenderit. Cap. 5.

Prou. 21. PRoinde vt longiùs innotesceret, qui longiùs erat expetendus, Otto Romanorum Imperator tertius, de viro illustri, quis vel qualis esset audiuit, & inclinante cor eius Deo, sicut scriptū est. Cor regis in manu Dei: adeò viri probitas illi complacuit, vt eum suo lateri sociaret, primumque cancellarium sibi constitueret. A quo etiam persuasus hic beatus, iugum Domini, scilicet presbyterij honorem, alacriter suscepit, socio Brunone, qui posteà Romani dignitate pontificij functus est. Matt. 8. Attamen tunc idem Bruno, vt presbyter fieret, non citò acquieuit, humiliter excusans veluti maiorem suis meritis accipere gratiam. Sanè vterque laudabilis, & hic qui animo alacri citò acquieuit: & ille, qui primò stupefactus, rem arduam refugere tentauit. Nam & Centurio, qui dicenti sibi Domino, Ego veniam, & curabo puerum tuum iacentem in domo paralyticum: respondit, dicens: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus: statim ab eodem Domino secun- Luc. 19. dùm fidei suæ humilitatem laudatus est: & Zachæus, qui dicente illo, Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere: statim festinans descendit, & excepit illum gaudens: secundùm charitatis suæ lætitiam dignus iudicatus est, cui diceret Dominus: Quia salus hodiè huic domui facta est. Verùm hic quoquè, qui presbyteratûs officium rogatus citò, vt iam dictum est, subijt, adhuc excellentiorem pontificij gradum postmodùm sibi oblatum suscipere humiliter recusauit. Defuncto nanque paulò pòst Herebertus recusat episcopatum Herbipolensem. Ecclesiæ Vuirzeburgensis Episcopo, optabat Imperator vt illi subrogaretur. Recusauit, vt iam dictum est, indignum se profitens, & in fratrem suum, nomine Henricum, tanquàm seipso longè digniorem, mox eandem transferri obtinuit electionem. Factumque est, & frater eius ecclesiæ iam dictæ præsedit: ipse autem in humilitate & dilectione sua, præfinito sibi à Deo, tempori & loco seruatus est. Intereà Romano pontifice defuncto, iam dictus Bruno sedem sortitur Apostolicam, agnominatus Gregorius, vixitque Gregorius V. Roma. Pontifex. in ea annos fermè duos, & menses nouem, vndecimus supra Brunonem alterum, qui & nonus Leo dictus est. De isto, qualiter à Romanis Imperatori rebellantibus, primò expulsus, ac deindè veneno peremptus sit, quoniam ad rem præsentem minùs attinet, nūc omittentes, potiùs propositum prosequamur.

Vt à Coloniensi populo facta concordia, in Archiepiscopum electus sit. Cap. 6.

NON multò pòst Colonia metropolis vidua facta est, defuncto Euergero eiusdem ciuitatis Archiepiscopo. Ecce autem dum eligere conantur successorem, sciderunt vnanimitatem, clerusque & populus grauiter dissentiebat abinuicem. Nam alium clerus, aliumque sua electione poscebat populus: & intantùm processit partium diuersarum conflictus, vt propè ad arma concurreretur. Itaque velut absente Iesu, nauicula in medio mari iactabatur fluctibus. Sed laborantibus velociùs succurrit ipse, & venit ad eos supra mare. Nam is, quem non probante populo clerus eligebat, videlicet Vuezelinus, domûs sancti Petri præpositus, repentè silentium flagitans, per voluntatem Dei sic omnes alloquitur: In causa ista, Patres & domini, Nota insignem probitatem huius Vuezelini. non sua singuli, sed pariter ea quærentes, quæ Domini sunt, melius quoàd possumus ineamus consilium. Nam præesse vobis nec ipse cupio, nec alteri inuideo: sed in hac re liber ab vtroque, scilicet inuidia & ambitione, aliū vobis notum designo, qui dignus sit, videlicet illustrem Herebertum, valentem secundùm Deum & secundùm seculū, vtpotè Christo deuotum, & Imperatori charum. Soluamus ergò litem, in huius dignissimi concedendo electionem. Vix ille hæc dixerat, raptimque ex ore eius, Herebertum vni- Herebertus eligitur episcopus Colō. uersa turba conclamabat. Vna omnium vox, vna voluntas, quos eatenùs discordantes, nunc miro modo in vno absente homine vinculum pacis alligabat. Ità Domino impe- rāte, cessauit ventus, & tranquillitas facta est. Cuius verò tranquillitatis tam celerem euentum magìs memorabilem nobis facit aliorum temporum siue locorum nonnunquàm audita vel visa tempestas, vbi quodammodò dormiente siue absente Iesu, non ante motus maris sedatus est, quàm multus animarum, immò & corporum rerumque cæterarum periret ac profligaretur numerus. Nimirùm iusto Dei iudicio propter peccata inhabitantium, vbi tale quid accidit, asscribendum est. Nam quòd nauiculæ Coloniensis Ecclesiæ, dum illis discordiæ fluctibus iactaretur, tam citò, nè ad arma perueniretur, subuentum est, misericordiæ diuinitatis asscribi debet. Porrò meritorum beati viri in hoc quoque euidens adstipulatio est, quòd oblato ad electionem nomine [illegible] ipsius,

ipsius, animosa cleri & populi discordia quieuit, & pax reddita est. Subtiliter namque attendentibus res ipsa loquebatur, quòd mitteret illum princeps pacis, lapis angularis, & pax nostra Christus, qui fecit vtraque vnum: qui inimicitias interfecit in semetipso, & per sanguinem suum pacificauit omnia, quæ in cælis & quæ in terris sunt. Esa. 9. Psal. 117. Eph. 2.

Vt pro electione eius Imperator gauisus sit, & quàm sapienter electionis eius gratiam acceperit. Cap. 7.

IGitur cum præsentia Domini electio memorabiliter celebrata est serui fidelis, & hæc tam à Deo quàm ex hominibus continuò testimonium laudemque habere meruit. Siquidem & Imperatoris suprà memorati cor iam tetigerat manus Domini, vt per hunc virum sedaret iam fama compertos sibi motus ciuitatis discordantis. Nam & cùm pecunia tentaretur ab alio, quem (vt iam supradictum est) acclamauerat dissensio populi: ipse responsum differens, cõtemptumque oblatæ pecuniæ dissimulans, hæc interim à territorio Beneuentano, vbì tunc temporis commanebat, manu propria beato vero scripsit, tunc Rauennæ cum ciuitatis eiusdem antistite iussa ab Imperatore negocia peragenti: Otto Imperator Augustus sola Dei gratia, Hereberto Archilogothetæ gratiam & Coloniam & pallij cubitum vnum. Vbì verò Coloniensium adfuit legatio, viri complures honorati, tam de clero quàm de populo, & qui in vtroq; ordine videbantur præstãtissimi, cum quibusdam de principibus terræ maximis, electionem coràm deprompserunt personæ talis. Tum verò vehementer exhilaratus idem Imperator, prudenti consilio ciuitatis grates non minimas egit: quia quod ipse optabat, quodq; optimũ sibi videretur, hoc ipsi quoquè sentirent, & eligerent vno eodemque secum spiritu. Ità prorsus euidenter huic ostiarius aperuit, intraturo in ouile ouium, pacificans cunctos in electione eius, vt nullum fieret obstaculum. Hæc omnia vir laudabilis reuerà sapienter accepit: qui intereà petens ecclesiam, stratusq; solo, gratiarum cælestium largitori Domino Deo toto mentis affectu grates egit, non vtiquè pro gloria temporali exultans, sed supernæ benedictionis munus adorans. Quomodò enim non gauderet, qui se tam euidentibus experimentis Deo curæ esse perspiceret? Imitatus nanq; est sanctum regem & prophetam Dauid, qui cùm audisset sermonem Domini, per prophetam Nathan dicentis: Cumq; impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius: ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsq; in æternum &c. Ingressus est & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia? Et subiunxit: Nunc igitur Domine, sermo quem locutus es famulo tuo super domum eius, confirmetur in perpetuum, & fac, sicut locutus es. Hæc & cætera cùm diceret rex fortis, sapiens & humilis, exultabat, non vtique pro temporali memoria domùs vel templi manufacti, quod filius eius Salomon facere habebat nomini Domini: sed pro æterna Christi, sui secundùm carnem filij, & Ecclesiæ gloria, quam in illius Salomonis filij sui & templi eius figura prophetico spiritu intelligebat. Hoc nimirum exemplo & hic beatus egit, & agere debet omnis, qui vocatur à Domino, vt domui Dei rector, siue ouibus Christi pastor præsit: non humanam gloriam, sed diuinam amplectẽdo gratiã: quia profectò magna gratia, pastorem & episcopum esse animarum, computanda inter dona maxima, quæ dedit hominibus ascendens Christus in altum. Nam & Apostolus cùm dixisset: Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia: & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas: alios vero euangelistas: secutus est & ait: Alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum. Rectè igitur & sapienter hic pro collato siue conferendo benedictionis & pastoralis gratiæ munere grates egit.

Imperatoris literæ ad Herebertum.

2. Reg. 7.

Quid agendum illis, qui ad dignitates vocantur.

Ephes. 4.

Quàm liber ab ambitione fuerit, & de morte Argentinensis Episcopi. Cap. 8.

IAm de ambitionis vitio quàm liber ab illo fuerit, cùm tota eius vita indicio sit, illud quoque memorabile testimonium, quòd 8. Idus Iulij, quę dies sancti Kiliani martyrio erat celebris, cùm creari deberet Archiepiscopus, differri in crastinum præoptauit, propter præsentes exequias lugubres, quæ ibidèm agebantur, Strasburgensis Episcopi: videlicet ne alijs lugẽtibus & flentibus, ipse ridere videretur cum suis, memor scripturæ, dicentis: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimis suis benedictione carebit. Et reuerà dolendum erat pro exitu eiusdem Episcopi: quia videlicet terribiliter acciderat, præeunte signo non bonæ æstimationis. Nam cùm ille mitra

Prouer. 20.

Epiſcopi, Argentinẽſis leuitas in Miſſæ ſacrificio, quã diuina vltio ſecuta eſt.

redimitus, Miſſarum ſolennia celebrare ingrederetur, vbi ſe ad populum vertit, dicturus de more, Pax vobiſcum: Imperatorem intendens, tanto riſu ſolutus eſt, vt funditùs oblitus eſſe videretur, ad quid ſe conuertiſſet. Vt verò ad prandium ventum eſt, cunctis pariter conſidentibus, percutitur morbo pleuretico, interq́ue manus ad proprium delatus hoſpitium, die decimoquarto reddidit ſpiritum. Viderat autem ante annos ſeptem, vt ſolitus erat narrare, viſionem: videlicet adſtitiſſe ſibi ſenem quẽdam, veſte purpurea pontificaliq́ue redimitum infula, qui ſe profitens eſſe Kilianum. Tale, inquit, ille mihi profudit oraculum: Age per hos ſeptem annos, qualia Epiſcopum decent opera: quia non longius tibi à Domino vitæ ſpatium poſitum eſt. Quomodocunquè ille viſionem acceperit, qualitercunquè ſe præparauerit, qualiſcunque in illa hora ſuæ mortis inuentus fuerit, rectè nimirùm ſapienti huic talis, vt prædictum eſt, illius exitus meditationem mortis renouauit vel auxit, magnumq́ue fuit temperantię eius indicium, quòd pro tempore flendi, differendo ſibi vel ſuis tempus gaudendi, triſtibus exequijs priuatus intereſſe maluit.

Quanta cum humilitate Coloniam venerit, & quandò conſecratus fuerit. Cap. 9.

ET quidem Beneuenti pontificalis ei honor datus eſt 7. Idus Iunij: Et exindè Romam profectus, pallium ab Apoſtolicæ ſedis præſule accepit: ſed ciuitatem Coloniam ingreſſus eſt, & in ſede ſua ſedit die, quæ apud Chriſtianos non incognita eſt, ſcilicet in vigilia Domini. Quò cùm accederet, iamq́ue in vicino adeſſet, dignum memoria eſt, qualiter Apoſtolicæ doctrinæ recordatus eſt, qua dicitur: Obſecro autem vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine. Nam verè humilis & manſuetus, pallio miſſionis Apoſtolicæ præmiſſo, ipſe indutus linea, diſcalceatusq́ue, lento pede ſecutus eſt, cùm frigus hyemale pro tempore calceatis quoquè permoleſtum eſſet. Attendebat etiam vocationem ſuam, quòd nõ ad regna gentium, ſed ad miniſterium vocaretur ſanctorum Chriſti diſcipulorum. Et quanuis ad inſignem iam veniret ſuam ciuitatem Coloniam, tali ſchemate confitebatur cum beatis patriarchis, quorum Apoſtolus meminit, quòd peregrinus & hoſpes eſſet ſuper terram, patriam ſe quærere ſignificãs meliorem, id eſt, cæleſtem, & eam, quam parauit illis Deus, ciuitatem. Venit itaque duce ſpiritu ſancto, ſpiritu humilitatis, cum animo contrito, nõ tamen abſq; ſancto & ſpirituali gaudio, & ſicut ſuperiùs iam prelibatum eſt, ipſa nocte gaudij ſui, ſcilicet natalis Domini, cõſecratus eſt inter Miſſarum ſolennia, quæ ex more celebrabãtur paulò ante vel circa ortum diei. Venerant quippe ad hoc ipſum cum eo plures epiſcopi. Iam verò in illa conſecratione eius quis diuinã ordinationem non miretur? Quis non vereatur hîc altitudinem conſilij diuini, quo ità fieri complacuit? Denique totum illud officium matutinum ſanctis paſtoribus ouium Chriſti ſpiritus ſanctus compoſuit, quorum nimirùm myſticum exemplar paſtores illi fuerunt, qui nocte illa vigilãtes & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum, circũfulgente ſe claritate Dei, nuncium bonum, gaudium magnum nati Saluatoris, quod à ſanctis angelis primi audierant, videre meruerunt, ſicut ſanctum eiuſdem Miſſæ narrat euangelium.

Epheſ. 4.

Hereberti inſignis humilitas.

Hebr. 11.

Conſecratur epiſcopus.

Luc. 2.

Cunctæ nimirùm eiuſdem officij partes, paſtorum Eccleſiæ voces ſunt, qualis rationabilibus curæ ſuæ ouibus perſonare debent, natum de virgine pro ſalute mundi ſaluatorem. Planè niſi legentium vitandum eſſet faſtidium, promptum erat exponere partes ſingulas ſecundùm eiuſmodi ſenſum. Vnum tamen eſt, quod iure non prætereundum ſit, videlicet propheticum capitulum, quod in eodem officio lectionem Apoſtolicam ex more præcedit: maximè quia huius ſancti paſtoris perſonæ locus ille miro modo ſeſe accommodauit. Denique dum in conſecrando illum, epiſcopi duo codicem euangeliorum ſuper caput ceruicemq́ue eius tenerent, reuoluto mox eodem codice verſiculus iſte primus occurrit: Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me: ad euãgelizandum pauperibus miſit me. Propheticum nanque hic Eſaiæ capitulum euangelicis literis hoc modo inſertum eſt: Et regreſſus eſt Ieſus, inquit Lucas, in virtute ſpiritûs in Galilæã, & venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit ſecundũ conſuetudinem ſuã die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt ei liber Eſaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librũ, inuenit locum, in quo ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me: euangelizare pauperibus miſit me, prædicare captiuis remiſſionẽ, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis. Et cùm plicuiſſet librum, reddidit cum miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

Eſa. 61.

Luc. 4.

Cœpit

Cœpit autem dicere eis, Quia hodiè impleta est hęc scriptura in auribus vestris. Constat ergò quia persona Christi est, quæ hæc in propheta suo de semetipso loquitur. At ille nimirùm nō solùm vnctus, sed vnctus est præ omnibus, sicut alia scriptura dicit: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. omnes nanq; sancti, omnes quicunq; illius speciosi & gratiosi regis participes siue cō sortes sunt, eodem spiritu, eodē oleo lætitiæ vncti sunt: quippe qui nec sancti absq; vnctione hac vllo modo esse possunt. Cùm itaque vniuersos eius participes vnctos esse constet eodem spiritu Domini, de quo ille princeps & potentissimus dicit: Spiritus Domini super me, &c. contestās & dicens: Quia hodiè scriptura hæc cōpleta est in auribus vestris: sine dubio præsules ecclesiarum, quorum est pauperibus euāgelizare, & pdicare captiuis remissionem, & ad hoc sacro chrismate vncti sunt: ipsi singuli scire debent, & de semetipsis post Christum dicere possunt: Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, &c. Igitur dum in huius beati pontificis vnctione, aperto super caput eius euangelico volumine, primam scriptura sancta vocem hanc edidit, reuera iure omnes, qui aderant, venerabiliter pro vero diuinitatis oraculo sententiā arripuerunt, credēdo quia Dominus hunc misit: nō dubitando, quia hunc spiritus Domini vnxit. Cum hac lectione prophetica, sicut est ordo eiusdem officij matutini, consonantibus atque alternantibus choris, concrepabant diuinæ voces sacra præconia lucis & decoris, quem princeps pastorum Deus & Dominus noster induit, qui nocte illa illuxit nobis: de quibus non est modo explanatio continuanda: ne, sicut iam dictum est, prolixitas fastidium pariat. Hoc tantùm indubitāter dixerim, quia quædam signa erant hæc persistentis in tenore suo propositi Dei: qui & dum nasceretur hic beatus, splendorem lucis pro signo mirabiliter edidit, & dum consecraretur, sic eandem consecrationem disposuit, vt solennia circa illum audirentur præconia veri luminis, cuius nuncij debeant esse pastores cuncti animarum, secundum exemplum pastorum illorum, quos nocte illa claritas Dei circunfulsit.

Psal. 44.

Sancti omnes quo vnguntur oleo.

Esa. 61.

Vt quorundam sustinuerit inuidiam, & Henrico Imperatori cœperit esse suspectus. Cap. 10.

TVum est hoc opus Christi, cuius sermo verus est: immò qui es ipsa veritas, cuius sententiam permanere oportet, dicentis: Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Item: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Sed quæ vnquam ciuitas sic super montem posita, non inuidiam passa & oppugnata est à ciuitate Cain terrena & in valle posita, cuius princeps est satanas? Aut quæ vnquàm lucerna sic super candelabrum posita fuit, & nullus ei nequam oculus inuidit? Quod vt iam manifestiùs dicam, quis vnquàm sanctorum ædificatus in monte virtutum, verboque & exemplo lucens ad ædificationem videntium & audientium, nullam ab ingratis & inuidis passus est tribulationem? Quis inter supernarum gaudia gratiarum propriam nō habuit mensuram eiusmodi lachrymarum, quas faciunt filijs lucis habitatores Cedar, id est, tenebrarum? Nam hoc est quod in Psalmo gementes singuli dicunt: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cū habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Et quanuis tribulentur, nō tamen permittuntur tribulari sine mensura, id est, supra id, quod sustinere possunt. Item ipsi dicunt: Domine Deus virtutum, cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Oportebat igitur & hunc sanctum, cuius anima, regis Dei ciuitas supra montem posita, qui lucerna erat super insignis ecclesiæ candelabrum constituta: oportebat, inquam, & hūc pati aduersa inter prospera virtutum, quibus intùs proficiendo ardebat, & inter radios signorum, quibus foris ad gloriam Dei lucebat, sicut protinùs narratiōis ordo monstraturus est. Quomodò autem vel qualem per occasionem aduersitas in eo reperit aditum? Videlicet per ingentem muri vel præcelsæ turris eius ruinam, id est, per mortem Imperatoris sępedicti: cuius, dum adiuueret, amicitia pro muro illi esse poterat contra aduersarios, quos contra eum postmodùm inuidia suscitauit. Qui nimirùm Imperator si, vt in cæteris, ità & in causa, per quam mortem incurrit, consilium beati viri attendisset, multo meliùs sapientiæ appropinquâsset, & non pœnituisset eum, quemadmodum ipsa sapientia dicit: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Quod quia non fecit, incidit in insidias mulieris malæ, videlicet eius, cuius virum Crescentium, sibi rebellantem, captum iusserat capitalem subire sententiam: Et ab illa non præca-

Iohan. 14.

Matth. 5.

Luc. 11.

Sācti inuidiæ patēt.

Psal. 119.

Psal. 79.

Eccl. 32.

Otto 3. Imper. veneno per.it. præcauens, quamuis à sancto viro sæpius esset commonitus, veneno intrà cubiculum dormiens infectus est. Obijt itaq; Romæ anno post ordinationem beati viri tertio. Ierat autem nunc quoq; sanctus idem cum illo, vtpote ad disponenda pernecessarius maxima regni negocia. Cui cùm die sequenti confessus fuisset pestem quam perceperat, seq; mori persentiret, id quoque supremum ab eo postulauit, quatenùs corpus eius Aquisgrani sepeliendum transferret. Hoc agere insistens vir fidelis, regalia quoque penes se habuit, & electioni non interfuit noui principis Henrici, tunc Baioariorum ducis: quem secundùm seculi dignitatem locupletissimum, & literarum studijs non tenuiter instructum, principes regni regem sibi elegerunt. Hæc fuit occasio, quam aduersùs illum rapere potuerunt aduersarij, quales in ecclesia nunquàm defuerunt, ex quo sacrificia Deo primi obtulerunt Abel & Cain, scilicet falsi fratres, quibus sic scriptura dicit: quia abierunt in via Cain, quorum pressuram Apostolus quoque inter cætera pericula sua maximè gemit. Et hęc quidem regalia repetita, citò reddidit: sed quia noui, vt iam dictum est, principis electioni non interfuit, extunc illi suspectus erat. Vndè & idem rex obtrectatoribus sancti proniùs aurem præbebat. deniquè impacato semper cum odio persecutus est, donèc à Domino redargui meruit paulò ante obitum sancti, quod in suo loco præsens narratio non præteribit. Nunc memorabilium eius ad laudem Domini miracula percurramus.

Gen. 4. Iudæ. 2. Cor. 3. Henricus Imperator Heriberto infensus.

De siccitate, & quomodò per speciem columbæ gratia spiritussancti super eum apparuit: vtq; lachrymis suis repentinam è cælo pluuiem obtinuerit. Cap. 11.

Res ipsa, quæ iamnunc enarranda est, satìs lucidè commēdat, non casu, sed per diuinam dispensationem id, quod suprà memorauimus, euenisse: vt scilicet in consecratione sancti præsulis prima se ex euangelij codice offerret illa vox misericordis pontificis Christi, Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me. Subsecuta nanque postmodum siccitas, peccata populorum vehementer arguebat, vt ferè omnis herba præmortua, omnis ager exustus, non qualemcunque famem, sed famem mortiferam iamiamque minaretur. Deniquè cum siccitate pestilentia quoquè sæuiebat, multique moriebantur, multi adhuc ægra vix trahebant corpora. Erat ergò pijssimo pontifici non parua vel qualiscunque solicitudo: sed & in solicitudine compatientis animi tribulatio, & in tribulatione iugis & lachrymosa oratio. Vndè quia ferrum pertransibat animam eius, & in corde eius gemebat spiritussanctus, sicut dicit Apostolus: Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: meruit & populum reconciliare Deo, sicut de sacerdote magno & digno quidam sapiens dixit: Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, & inter reconciliandum, glorioso glorificari miraculo. Indicto ieiunio triduano, luctuosus ibat populus per vrbem fœcundam tot sanctorum millibus, & ad singulorum patrocinia locorum fideliter atque suppliciter lachrymosas fundebat preces, quatenùs ab imminentibus, iamiamque præsentibus malis eriperetur. Erat autem publicus cleri & populi, monachorum quoque atque sanctimonialium processus, & ex omni ordine vtriusque sexùs, lingua quidem diuersa, sed vna intentione & eodem sensu concrepando kyrie eleison, altitudo cæli pulsabatur. Inter omnes & præ omnibus mœstus & supplex tristium filiorum spes & pater patriæ procedebat Archiepiscopus, ità vulnerato corde tantisque cum gemitibus, vt miro modo consolatione sua dignum eum iudicaret spiritussanctus paracletus. Cùm igitur oratorium sancti Seuerini litania solennis egressa, beati Pantaleonis adiret oratorium, eccè niuei candoris columba, videntibus multis, caput eius circunuolitabat, eademque repentè disparens, iterùm visibilis comparebat. Videbant eam multi, sed non omnes: quia videlicet non terrena species, sed cælestis erat gratia, quam aliquibus videre donatum est. Vt autem ventum est ad locum, vbì iam dictus confessor Domini Seuerinus in transitu beati Martini voces angelorum psallentium audire meruit: vident eminùs eandem columbam caput beati viri terriò circunuolantem, quæ & protinus in sublime eleuata, cælos petijt, nec vltrà comparuit. Vndè quis dubitet spiritussancti gratiam, qualis in domo pectoris eius habitabat, talem deforìs apparuisse, præsertim in tali luctuoso tempore? Columba nanque, sicut & turtur, auis gemituosa est, gemitumque pro cantu edere solet: & sicut illa soliuaga, sic ista auis gregatim gemere consueuit. Verissimè ergò cum signo huiusmodi orantem pariter & gementem præ omnibus hunc designabat spiritùssancti gratia, & de isto quoque quodammodo idipsum dicebat, quod de alio quodam non ignoto, sed eximio pre-

Esa. 61. Fames & pestis grassantur. Rom. 8. Eccl. 44. Indicit triduanum ieiunium, fitq; solemnis processio & litania. Columbæ miraculū.

propheta, dictum sacra narrat pagina: Hic est fratrum amator & populi sui: hic est, qui multùm orat pro populo & pro ciuitate ista. Nimirùm & iste vir in populo suo mitissimus apparuit, secundùm similitudinem columbæ mitis & simplicis, sancto redundās spiritu pietatis: atq; idcircò gemitus & oratio eius perire non potuit. Nam vbi ad prandium ventum est, cùm ipse appositis cibis ferè ieiunaret, ità tamen more suo, & tunc maximè, ieiunium dissimularet: quibusdam ad ipsum respicientibus, & cum dolore loquentibus, quòd ea die profusis tam multorum lachrymis needùm propitiato Domino cælum aperiretur, dignum memoria verbum respondit hic beatus, verè mitis, verè mansuetus, Vestri, inquit, ô charissimi, pastoris est culpa, quòd cælum desupèr tam ferreum est, quòd multitudò viscerum Domini & miserationum eius cōtinuerunt se super vos. Nisi enim Dominus meis irritatus esset sceleribus, qui inter ipsum & vos debebam stare medius: iam dirupisset cælum, & beneficium eius descēdisset, & stillāsset super vos. Hæc eo dicente, pariter quasi quidam sanguis fluebāt animæ vulneratæ ex oculis lachrymæ: quas erumpentes, & cum impetu currentes coram multis volebat quidem, sed non poterat, continere. Lachrymis ergo victus, caput super mensam declinauit in manibus, & cum fortissimo spirituum Deo forti humilitate atq; ardenti oratione luctabatur. Erat autem hora eadem tanta cęli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret: cùm ecce subito fragore magna pluuiæ vis inundando erupit, ità vt prius imbrium crepitus audiretur, quam vir sanctus caput ab oratione subleuaret. Cuncti protinùs circumsedentes, à mensa sese excusserunt, & prosilire conati sunt, vt in laudem Christi tantiq; eius pontificis hymnis personarent, & signa ecclesiastica cōcrepare facerent. At ille vir prouidus & humilitatis suæ custos vigilā tissimus, terribiliter adiurādo illos, hoc fieri vetuit, vixq; obtinuit, vt interim quidem a semetipso quiescerent, Dei verò laudem ac gratias Christo agendas nunquam tacerent. Nec verò insufficiens pluuia tunc extitit: sed ità vberrimè terram irrigauit, vt iam præmortuas segetum radices ad fœcunditatem repararet.

2. Mac. 15.

Nota sancti viri insignem modestiā.

Efficacia precum eius.

Non sustinet se laudari.

Quòd communi proposito suo & Imperatoris Ottonis ipse superstes cœnobium construere deliberauit. Cap. 12.

INtereà cùm multis & magnis misericordiæ operibus insisteret pauperum pater, viduarumq; & orphanorum quotidianus prouisor, incumbebat animo eius cura cōtinua, seruituris Deo monachis construere cœnobium: quorum ordo videlicet profitetur, quia pauperes sunt, pauperes voluntarij, nihil in hoc mundo habendo proprium. Habuerat aūt Imperatorem Ottonem, dum adviueret, huiusce rei monitorem. Deniq; cùm nouissima profectione Italiam ingrederetur rempublicā dispositurus, beatum virum habens in comitatu, cunctis prosperè succedentibus, tractans cum viro Dei de salute animæ suæ, & quodammodò dicens: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? consilium hoc accepit, quatenùs ob salutem suam cœnobium construeret monachorum in honorem sanctæ Dei genetricis, omniumq; Sanctorum. Hoc inito salubri consilio, necessaria protinùs ad hanc rem prædia Christo delegauit, quæ & beato viro in manum dedit, cum pollicitatione vel spōsione huiusmodi, vt quoniā vita mortalium incerta est, si quē ex ipsis necessitas mortis præoccuparet, alter quicunq; superstes existeret, votum perficeret. Talis, Christo mediante, inter illos conditio cōuenit, & ità pauperum memores extiterunt viri summi, hæredes æternæ viriditatis, de quibus in psalmo spiritus propheticus dicit: Saturabūtur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit. Hoc nanq; preconio, sub nominibus lignorum, cāpi & cedrorum Libani, mysticè a sancto spiritu diuites & potētes seculi promissi sunt, hospitales futuri pauperibus, id est, Ecclesiæ filijs spiritualibus, de qualibus ibidem cōtinuo subiungit: Illic passeres nidificabunt: Herodij domus, dux est eorum: quia propter ipsum pauperes fiunt, præparādo animos diuitum secularium: vt quomodò passeres in ramis lignorum campi cedrorumq; Libani nidificant, ità ipsi in possessionibus siue facultatibus illorum parata sibi vitę huius necessaria percipiant. Hęc idcircò cōmemore libuit, vt pariter recogitet quisq;, qui de talium constituto viuit, professus Christi seruitium sanctamq; paupertatem, quā Christus ipse docuit, quia tanquam passer volare, id est, celestia cogitare debet, vt dignus sit hospitio vel stipendio, quod passerum, id est pauperum siue humilium spirituali vitę paratum est. Nā hinc est, quòd idē Dominus Christus, instruens pauperes suos: Nolite, inquit, cogitare de crastino. Itē: Nolite soliciti esse, dicētes: Quid māducabim⁹, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit.n. pater vester cælestis, quid vobis necesse sit. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Quod idem est, ac si dicat: Securi ô vos omnes, qui laboratis & onerati estis, venite ad me, & ego reficiam

Otto Imperator agit cum illo de construendo cœnobio.

Largitur cœnobio prædia Imperator.

Psal. 103.

Matt. 6.
Luc. 6.

Matt. 6.
Ibidem.

ficiam vos: securi & confidentes venite ad vitæ contemplatiuæ requiem, nihil de crastino soliciti: quia iamdudũ pater vester cælestis, sciens quid vobis necessè sit, promisit & parauit vobis victũ & vestitum, dicendo in propheta: Saturabũtur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit: illic passeres nidificabunt. Sed his omissis, reuertamur ad rẽ. Neque enim propositum nobis fuerat docere monachos, quòd statuta percipere stipendia non debeant, nisi per contemplationis pennam volent, & à seruili opere peccati vacẽt, sed gestorum beati viri texere narrationem.

Psal. 103.

Quòd sancta Dei genitrix illi apparuit, et quo in loco cœnobium construere deberet, indicauit. Cap. 13.

CVm beatus Herebertus propositum electo in loco construere optaret cœnobium, & nusquam locum reperiret, quem aptum putaret satis & idoneum: conuertens sese ad Dominum sanctamq; eius genitricẽ in ieiunijs & orationibus, postulabat sibi ipsius reuelari voluntatẽ. Fecit hoc instanter, & sicut de sancta Anna prophetissa scriptum est, Vultus illius non sunt ampliùs in diuersa mutati: nõ antè destitit, donec suis condignum meritis responsum cælitùs accepit. Deniq; nocte quadam, dum post vigilias fatigata sopori membra dedisset, ecce adest per visum illa beata angelorum & omnium regina sanctorũ: quæ stellato sedens solio, latum & amplũ cælorum cũ filio suo possidens regnum, non paruipendebat etiam hoc paruum, quod sibi in terris fideli deuotione offerebatur domicilium. Et assistens, Scias, inquit, ô Hereberte, exauditas esse orationes tuas: iam eccè venio ad te, vt indicem tibi, votum, quod mente geris, quo in loco perficias. Ego enim sum Maria mater Domini. Surge ergò, & Diuitẽse castrum petens, locum in eodem mundari præcipe: ibiq; monasterium Deo, mihi & omnibus Sanctis cõstitue: vt vbì quondàm abũdauit peccatũ & cultus dæmonũ, ibì iustitia regnet in multitudine Sanctorũ. His dictis, misericordiæ mater disparuit, beato scilicet viro euigilante, atq; ità relabente à dulcedine tantæ visionis. Erat aũt in eodẽ castro sita chors, pertinens ad seruitium episcopij. Surgẽs igitur, & gratias Deo corde & ore deuotissimè agens, & ei, quæ sibi apparere dignata fuerat, salutis perpetuæ genitrici nõ ingratus existens, confestim prædictæ chortis ministerialem accersiuit, iussitq; quantocyùs chortem illam emũdari, quoniam regis cælorum & genitricis eius iam deberet curia fieri: vt exportata supellex vniuersa, locũ daret aduenienti, atq; habitaturo illic nomini Domini. Factumq; est, & exportata rerum omnium quę multa erat, copia, citiùs quàm sperari poterat, locus emundatus est. Quid multa? Iactis fundamẽtis, alacriter atque celeriter structura speciosa surrexit.

1. Reg. 1.

S. Maria regina angelorũ illi apparet.

De structura templi vt ceciderit, & alia structura surrexerit: & cuius rei exemplum conuenienter indè poßit accipi. Cap. 14.

SEd quid dicam? cùm enim opus ferè peractum est, iamq; sicut propositũ fuerat, seruientium Deo monachorum cœtus adunatus existeret, quadam nocte dum finitis matutinorum solẽnijs, omnes fuissent egressi, repentè sic tota structura corruit, vt lapis super lapidẽ non remaneret, preter vnũ parietem paruulũ, qui solus inter illas ruinas stans repertus est. Quid de euentu sapiẽs auditor arbitretur? Nisi enim cælesti authoritate structura surrexisset, nisi talis tamque sublimis personæ, quæ apparuit, sicut iam dictum est, dignitas opus tali in loco fieri iussisset, & nisi fundator operis hic pontifex notæ sanctitatis existeret, fortuitò accidisse arbitraremur. Nunc aũt considerata rerum vel personarũ qualitate, arbitrari licet, diuina & iusta hoc actũ esse dispositione. Et quidem quoniã altitudinẽ diuini consilij perspicere non valemus, hoc tantũ dicere libet, quia cunctis loca sancta inhabitantibus, & eis maximè, qui eodem in loco sanctum deinceps subituri erant seruitium, terribile signum datũ est. Nã quod veraciter de filio virginis dictum est: Eccè hic positus est in ruinam & in resurrectionẽ multorũ: idipsum non incõuenienter de isto, & eiusdem virginis oratorio, & de omni Sanctorũ loco dici pòtest, quia in ruinam & in resurrectionẽ multorũ positus est. Quorum in ruinam, nisi illorum, qui sancto in loco vitam perditam ducũt, & idcircò maius portaturi sunt iudicium? Et quorum in resurrectionem, nisi illorum, qui de seculo nequam exeũtes, & peccata præterita fugientes, ad sanctum locum, pœnitentiã acturi, confugiũt: atq; ità in statũ iustitiæ resurgũt? Nimirùm & illorum ruinã in iam dicta ruina lapidũ, & istorum resurrectionem nõ absurdũ est intelligi in structura iterata, quæ protinùs in melius consurrexit. Nam vir Dei grauiter quidem tulit id quod accidit: sed citò resumptis viribus sancti desiderij, totum ipsum spatium ædificandi monasterij in altitudinem ma-

Templum corruit.

Illa ruinã quid signi ficasse videatur.

Luc. 2.

lina.

li nauals effodiens, rursùs fundamenta iecit, ocyusque consummatum, quinto Nonas Maij monasterium dedicauit. Porrò de lapidibus prioris structuræ, claustrum cum officinis construxit. Igitur dum eiusmodi rem gestam legis aut recolis, quicunque mente studiosa exempla spiritualium de quorumlibet corporaliũ similitudine scrutari delectaris, non curans quali fine, quàm humili ex re tuę capias instrumenta salutis, dummodò possis vtiliter ædificari: opportunè simul & illud ad memoriam redit, quod manifestè diuina cum authoritate scriptum est, vbì Dominus ad prophetam dicit: Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi, inquit, in domum figuli, & eccè faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis. Et conuersus, fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret. Hæc & cætera persequi vel tractare, præsentis narrationis propositum non admittit: hoc breuiter studio intendente, quatenùs hoc loco ad memoriã reuocaretur, in omni ordine & superbos pro sua duritia cedere vel dissipari, & humiles pro sua mansuetudine ad pœnitentiam conuersos, restaurari.

Instauratur & dedicatur templum.

Ierem. 18.

De cruce Dominica, quæ non de qualicunque ligno, sed de vna tandèm arbore formari potuit: & cuius rei etiam in hoc, exemplum sit. Cap. 15.

Accidit & aliud, quod similiter non prætereundum, neque ratione vacare putandum. Nam vir Domini statim vt ecclesiæ fundamenta iecit, crucem Dominicam, quæ ibidèm statueretur, formari præcepit. Artifices verò vigilanter quidem instituerunt, vt præceptum perficeretur, sed nullo modo diligentiam sequebatur effectus. Quotidiè reiectis alijs alia ligna cædebant, & nullatenùs ex quolibet ligno, quamuis electo, suæ artis officium peragere valebãt. Multo igitur labore, sed & maiore defessi tædio, omninò ab eiusmodi opere desistere decreuerũt. Quadam verò die vir beatus in quandam deuenerat possessionem ad se pertinentem, mensaq; illi iussu ipsius in pomario, quod domui suæ cõtiguum erat, parata est. Stabat pirus ex aduerso in altum porrecta, quæ ramis diductis, immò quasi brachijs distẽtis, quodammodò Domini effigiẽ manus in cruce expandentis, imitari videbatur. Cùm itaque sedens, oculos inter prandendum fortuitis motibus diduceret, ecce talis effigies in arbore illa repentè sese obiecit, miroque modo ad primum intuitum quendam terrorẽ diuinum animo eius incussit. Nec mora, facto præ oculis illo familiari sibi signo crucis, totus in se rediens, rem diuinitùs præmissam, suisque oculis oblatam esse prudenter intellexit. Statìm igitur accersito artifice, arborem illam succidi, & ex illa crucem Dominicam, & in ea Saluatoris imaginem diligenter formari imperat. Paruit ille, & compendiò satisque efficaciter artem operis elegãtia secuta est. Quid ex facto huiusmodi conijci potest? Nunquid de lignis aut de truncis Deo cura est, vt indicare debeat, quod vel quale lignum sibi eligat aut eligere debuerit artifex? Sed reuerà est aliud, vndè curat Deus, quod prudens auditor non inutiliter secundùm hanc similitudinem contempletur. Nam signum Crucis vel imaginem, quam in recordationem Saluatoris Christianus veneratur populus, sublevatam ante oculos, sicut Moyses in deserto serpentem æneum pro signo exaltauit, imitari honore secundarij debent pastores, quos spiritussanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisiuit, vt vice Christi honorẽtur, quos vicem constat agere Christi. Nimirùm non humana præsumptione ad dispensationem domùs Dei sunt intrudendi, sed electione Dei vocandi: vt videlicet ille constituatur, quem Deus elegerit, quem vt præesse mereatur, Deus velut operarium suum dignum spiritu sancto demonstrare dignatus sit. Rectè ergò huius veritatis, huius diuinæ electionis meminisse nos facit res ipsa, quæ penè similiter accidit, dum non qualecunque lignum, non quodcunque volebant homines artifices, sed quod nutu diuino monstratum est, ad eiusmodi operis effectum perduci potuit.

Iubet statui crucem Dominicam.

Ex nullis potest lignis cõfici.

Signũ Crucis cur venerẽtur Christiani.

Num. 21.

Actor. 20.

Quòd faciendo signa, semper famam vel gloriam fugit: & de Elisæo, cur signa duplicia quàm Elias, facere voluerit, dicens: Oro vt fiat spiritus tuus duplex in me. Cap. 16.

Operandi virtutes hic beatus à spiritusancto, diuidente singulis prout vult, gratiam habuit, sed gloriam semper fugit: quippe qui egregiè custos humilitatis, nolebat, immò fugiebat iustitiam suam ab hominibus videri. Deniq; talium maximè operum luce, sanctorum vita coram hominibus innotescit. Huius rei clarum satis & euidens indicium est, quòd cùm gratiam hanc haberet, vt iam dictũ est, nunquam tamen precem ad Dominũ fudisse reperitur pro cuiuslibet operatione virtutis:

1. Cor. 12.

tutis: sed nihilominùs per eum nonnulla facta sunt miracula eiusmodi, nonnunquàm inuito, nonnunquàm & nesciente ipso, sicut sequens sermo declarabit. Veruntamen in hac laudatione humilitatis huius, nihil magnorum Sanctorum authoritati vel gloriæ derogauit, qui opus huius gratiæ fusis persæpè precibus impetrâsse leguntur. Omnia
Eccl.3. nanque tempus habent, dicit Ecclesiastes. Deniquè sicut de generibus linguarum, quæ
1.Cor.14. ab eodem spiritu dantur, dicit Apostolus: Quia linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: ità & de operatione virtutum rectè dicas, quia virtutes ad testimonium sunt, non fidelibus, sed infidelibus: & ibì summoperè sanctis optādæ sunt, vbì ignorantiam veri Dei habens, ad fidem eruditur populus. Vndè sanctum Elisæum laudabiliter
4.Reg.2. egisse animaduertimus, qui dicente sibi Elia, Pete quod vis, antequàm tollar à te: protinùs petens, Oro, inquit, vt fiat spiritus tuus duplex in me. Videbat nanque miserabi-
3.Reg.18. lem Israel, sequentem fornicationes impijssimæ Iezabel, claudicare in duas partes, sequendo Baal idolum Iezabel, & hæsitando post Deum patrum suorum, qui vnus & verus Dominus Deus est: & non posse populum eundem in suum restitui gradum, nisì per multarum operationem virtutum. Proindè rem difficilem quidem postulauit, attamen quia non suam, sed Dei gloriam & communem quærebat populi salutem, factum est quod petiit, & duplex spiritus Eliæ super eum requieuit. Duplum nanque do-
Duplex spiritus Eliæ quid. num spiritûs in operatione virtutum ille accepit. Nam si scripturā consulas, & diligenter computes, Elias quidem octo, Elisæus autē circiter sedecim miracula operatus est. Igitur & illi laude digni sunt sancti, qui per charitatem vel propter ædificationem infidelium, fusis ad Deum precibus, virtutes operati sunt: & hic atque cæteri iure honorandi sunt, quicunque propter humilitatis custodiam quodammodò fugere studuerūt datam sibi cælitùs & vltrò prosequentem, eandem virtutum gratiam. Sed iam earundem virtutum sancti huius narrationem ingrediamur.

De homine dæmoniaco, vt eo sermonem faciente liberatus sit. *Cap.* 17.

Concionatur Herbertus apud populum. Matt.21. DIe solenni hic sanctus Dei, sermonem de more faciebat ad populum. Erat autem dies ille, quem Christianitas appellat diem Palmarum, quo videlicet die rex cælorum sanctam ingressus est ciuitatem Hierosolymam, sedens super pullum asinæ: nimirùm ob contemptum superbiæ regum terræ, de quali-
Psal.19. bus Psalmista dicit: Hi in curribus, & hi in equis: subiungens protinùs, Nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus: in quo videlicet nomine tunc ille passurus
Matt.21. aduenit, clamantibus turbis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Erat ergò sermo in ore eius tempori & rei congruens, videlicet quomodò diabolus per seductionem primi hominis, atrium huius mundi tanquàm fortis armatus occupauerit, &
Luc.11. quomodò superueniens fortior filius Dei, per humilitatem crucis & passionis suæ fortem illum vicerit, & vniuersa eius vasa, id est, nos homines ab eo iure victoris tulerit. Eccè autem in maxima turba audientium quidam aderat, ab eodem forti & tenebrarum principe corporaliter obsessus, & ob hoc nexibus duris obstrictus. Iam anteà per multa sanctorum loca fuerat deductus, vt meritis sanctorum liberaretur, & non prouenerat illi optata salus: quia videlicet liberatio eius, beatissimi huius meritis per Dei prouidentiam reseruabatur. Cum igitur sermo eiusmodi ab ore beati viri proflueret, nō sustinuit virtutē virtutis fortitudo inimici, qui ad singula dicta, tanq̀ ad totidem verbera, vehementiùs eiulabat, dentibusque miserrimi hominis tanquàm suis in semetipso stridebat, audiens illas, quibus à Christo victus narrabatur, historias. Itaque qui iam notus fuerat multis homo captiuus, omnibus innotuit, dum clamoribus cunctorum silentia turbaret, atque ad audiendum Dei verbum intentam totius regionis multitudinem solus inquietaret. Ad clamores eius maximè, vir ille misericordiæ filius, totus intendit: & sermonem, quem habebat in ore, prosequi non præualens, quoniam magnitudine compassionis occupabatur, orabat tacita mente, vt in vno manifestaretur homine virtus liberatoris, qui totum mundum liberauit. Hæc tacitus orans, iterum atque iterùm de industria repetebat capitulum, victoris Christi gloriam, & victi diaboli referens ruinam: ità vt mente excessisse videretur, vnam eandemque totiès iterando sententiam, flens pariter & vberibus, quod perpulchrum est, lachrymis perornans oris eloquentiam. Non ergò sustinuit, vt iam dictum est, ille hostis antiquus, sed virtute ver-
Oratione pellit ab obsesso dæmonem. bi omnipotentis coactus effugit, liberumque, quem diù possederat, hominem reliquit. Illo nanque exturbato, is, qui vinctus à multis tenebatur, placido sermone: Obsecro, inquit, soluite me, vt ea, quæ beatus ille pontifex loquitur, possim & ego quietus audire. Cùm

re. Cùm hæc primò diceret, putabatur adhuc in illo nequam hostis fallere: sed loquebatur homo constantiùs, iterùm atque iterùm se liberatum asserens beati pontificis meritis, & sana verba proferre. Soluerunt ergò illum, & stabat sana mente, cum audientibus reliqua sermonis intentiùs audiens. Testes atque miratores virtutis erga beatum virum tanti extiterunt, quanti illum sermocinantem tali in loco circunstabant, qui & diligenter attenderant eius intuitum gestumq; lachrymosum, cùm nihil quidem labijs pro liberatione captiui diceret, & tamen liberationem eius tacitæ orationis virtute perficeret.

De Abbate Volberto, qualiter per visum monitus, de aqua vndè vir sanctus post Missam manus lauit, sanitatem recepit. Cap. 18.

ALiud sub eodem tempore actum est virtutum eius indicium, in quo ampliùs splenduit desursùm, qui humilitatis studio apud se premebatur deorsùm. Tres nanque ex eis qui malè habebant, ob meriti eius testimonium cælica visio direxit ad illum, tanquàm ad salutis medicum. Primus illorum, cœnobij, suprà iam memorati, quod idem sanctus construxerat, Abbas nomine Volbertus extitit, vir venerabilis, qui capitis oculorumque duro ac diutino vexabatur incommodo. Huic vna noctium diuinitùs per visum intimatum est, vt ex aqua, qua sanctus Dei pontifex post Missarum celebrationem manus de more lauisset, caput sibimet oculosque perfundendo foueret, indubitanter credens, quòd protinùs sanitatem recepturus foret. Credidit ille, quippe qui præ multis alijs familiariter conscius erat vitæ illius sanctissimæ. Venit ergò, priùs tamen ab eodem accersitus, vt sæpè solebat accersiri & requiri de monasterij iam dicti necessarijs rebus. Cumque ad celebranda Missarum solennia pontifex de more pararetur, accedens propiùs, vt erat familiaris, visum retulit, aquam de manibus iussu eiusdem sibi, vt præmonstratum fuerat, dari poposcit. At ille quasi vehementer commotus, & quodammodò suæ mansuetudinis oblitus, in qua veraciter dicere poterat: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me: repulit à se hominem velut delirum & amentem, qui nesciret aut non vidisset Rhenum pro foribus suis præterfluentem, in quo non solùm capite & oculis, sed & toto posset corpore, quantùm vellet, mundari. Repulsus ille, perstitit non incredulus visioni, & à ministris eiusdem pontificis clàm sibi, quod petebat, reseruari obtinuit: moxque vt caput & oculos ex aqua illa perfudit, integram sanitatem recepit.

Volbertus Abbas Tuitiensis.

Nota tanti viri humilitatem.

Psal. 130.

Aquæ, quâ vir sanctus manus abluit in Missa, vis.

Vt mulier cæca, per visum monita, de vino, quo post Missam digitos lauerat, oculos intinxerit, & illuminata sit. Cap. 19.

POst hunc quædam mulier, quæ multo tempore cæca fuerat, visum penè eundem vidit. Dictum nanque illi est, quòd si ex vino, quo idem sanctus Dei post Dominici corporis & sanguinis communionem digitos de more lauisset, sibimet oculos intingeret, amissum protinùs lumen reciperet. Credidit illa, dansque operam, vt ostensum posset remedium consequi, protinùs vt oculos vino intinxit, lumen optatum recepit.

Vinum quo digitos lauit, cæcam curat.

De muliere paralytica, quomodò item per visum monita, benedictionem ab eo flagitauit, & sanata est. Cap. 20.

ALia deindè mulier, diù paralytica, per visum commonita est, quatenùs beati viri benedictionem expeteret, cõfidens de virtute Christi, quòd per meritum beati pontificis infirmitate propulsa, confestim sanitas succederet. Illa nihil dubitans, virorũ manibus sese deferri postulauit, & secus viam collocari, qua transiturus esset vir Dei. Itaque illo prætereunte clamauit, benedictionem petẽs in nomine Domini. At ille paululùm subsistens, cùm ex præsentibus cognouisset quòd paralytica esset, & quòd benedictionẽ postularet, stans eminùs, eleuata manu signũ crucis edidit: statimque reddita sanitas, dissoluta membra solidauit, & quæ aliorum manibus deuecta fuerat, surgens ad propria remeauit incolumis. Ità miro modo qui apud se latére volebat, magìs ac magìs ex Deo clarescebat, & vox veritatis implebatur, dicẽtis: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: & nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

Signò crucis edito, abigit paralysim.

Matth. 5.

Luc. 11.

Vt familiaris clericus ab eo visitatus, repentè de ardore febrium conualuerit. Cap. 21.

ALiquandò quidam familiaris clericus, & in ministerio quotidiano necessarius, valida febre correptus, grauissimè vexabatur, ità vt penè à cunctis vita eius desperaretur. Erat autem tunc sanctus pontifex cum Imperatore in profectione, & de Vangionum ciuitate cum illo Moguntiam proficiscebatur, habens clericum iam dictum secum in itinere, vt semper foris & intùs obsequio eiusdem consuetudinaliter vtebatur. Cùm ergò febris illum in profectione corripuisset, & penè vsque ad mortem fatigaret, patri, semper pium super afflictos habenti affectum, cum eodem pietatis affectu solicitudo quoquè familiaris obsequij non parua pro tempore & re suborta est. Accessit ad lectulum, suumque proniùs visitauit infirmum, paternè percontans, si quid vellet, si quid saltem gustare præualeret. Ille vt ardebat valido æstu febrium, nihil præter aquam se posse professus est. Qua cum benedictione concessa, ipse de more solennia Missarum ingressus est. Nihil quod audiretur foris, pro virtutis operatione, vt sibi ægroti concederetur salus, orauit, sicut iam superiùs dictum est, quia nunquàm pro huiusmodi signis aut virtutibus precem manifestã fudit. Orabat tamen, Deo quidem loquens, sed hominibus tacitus, & maximè in eiusmodi causis euangelicum consilium obseruabat Domini, dicentis: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Clauso nanque oris ostio, orabat pro talibus, vt cùm prouenisset virtutis effectus, ipse nihil egisse putaretur: atque ità iustitia eius nõ videretur ab hominibus. Quid multa? Peractis Missarum solennijs, dum suum rursùs visitaret ægrotum, ille iam sine dubio meritis eius de magnis febrium ignibus ac suspicionibus mortis instantis ereptus, adeò cõualuerat, vt auiditatem quoque ciborum adeptus, rogaret sibi transmitti pulmentum de mensæ ipsius apparatibus. Factum est, & exindè vsque ad satietatem refectus, adeò de infirmitate cõualuit, vt proxima die cum alijs proposito itinere Moguntiam præiret, & episcopalis obsequij munia ex integro, vt erat solitus, adimpleret.

Pie visitat febricitantẽ clericum. *Matth. 6.* *Fugit ostẽtationem.* *Febricitans eius precib' reualescit.*

Vt ipse inter tenebras noctis orans, circunfusa diuinitùs luce clarificatus fuerit: & quòd multotiès hocipsum acciderit. Cap. 22.

IDem familiaris clericus, postmodùm domûs S. Petri præpositus, plurima de eodem patre magna & magnifica nouerat & narrare consueuerat. Quorum pleraque cùm ob breuitatis studium prætérita sint, vnum est, quod silentio transire non libuit: quia verè signum magnum est & euidens, quòd oratio eius verè ignis fuerit, & ante oculos diuinitatis velut lampas ardens & lucens, charitas eius extiterit. Nocte quadam, cunctis circa ipsum dormientibus, lumen, quod de more coram ipso positum fuerat, vt toto noctis spatio luceret, extinctum est. At ille iam dictus familiaris clericus repentè somno excitatus consurgens, & hac illacque sub horridulo silentio circunspiciens, dum pro recuperando lumine solicitus trepidat, rem diuinam & memoria dignam, vt ipse cum iuramento testabatur, conspicatus est. Nam inter ipsas noctis tenebras, ecce de lectulo, in quo beatus pontifex peruigil orabat expãsis manibus, lux immensa refulsit: cuius etiam magnitudine inualescente, nec manus easdem, vt ipse fatebatur, videre aut discernere potuit. Hoc nimirùm signo satis claruit, quòd verè filius esset lucis, & filius diei, & quia oratio eius verè vt ignis peccata consumit, & potestates tenebrarum vincit. Nec verò illa tantùm vice, sed & multotiès cùm post matutinales hymnos, psalmorumque continuas decantationes lumen materiale alicubì recondèretur, lumen spirituale pontificem sanctum secretiùs orantem ità circunfulsit, vt putaretur adesse præsentia solis meridiani.

Illo orante, lux imméſa diffunditur in tenebris. *Crebrò id contigit.*

De humilitate eius, qua contemptum à presbyteris omnibus, pauperis sui filium baptizauit. Cap. 23.

IAm de humilitate eius gloriosa signa præmissa sunt, quia in operatione virtutum, & patris, qui in cælis est, glorificationem quærebat, & sic operantem, sciri vel videri se ab hominibus refugiebat. Porrò ipsa humilitatis virtus, tunc demùm dulcis & sua perfectione laudabilis est, quandò is, qui intùs plenus Deo, creatori suo sese subijcit in confractione cordis, foris quoquè ad infimorum condescensionem hominum semetipsum quanto maior est, tanto ampliùs pro eo & tempore submittit. Libet igitur narrationi huic inserere rem gestam, magnæ humilitatis exemplum ferentem, & testimonio vtilem, vt maximè in sacris rebus nulla Ecclesiastica dignitas qualemcunque despiciat pauperem fidelem. Simul quia plerique salutarium sacramentorum ministri nimium peccant, dum sacra venditant, cunctaque quæstûs causa faciunt, libenter

Humilitas perfecta.

hoc

hoc illis exemplum ingerendum est: quia videlicet peccatum quoquè illorum vehementer hæc res gesta redarguit, in qua sanctus iste magna, vt iam dictum est, laude refulsit. Pauperi cuidam ex his, quos pater sanctus ope quotidiana sustentabat, infantulus natus erat. Is quia pauper erat, & quia nihil quæstûs in manu habebat, cõtemnebatur à sacerdotibus, per totam vrbem Coloniam puerulum illum circunferẽs, & eidem filiolo regenerationis gratiam offerri postulans. Defessus ergò & contemptus, ad sanctum recurrit pontificem, & quòd tali in re contẽptus esset, magna & flebili voce conquestus est. Ille vt verè sapiens, Currens, inquit, affer illum ad me. ego enim eum habeo baptizare. At ille: Suscipe, inquit, ergò eum tu quoquè de sacro fonte, & compater meus esse dignare. Baptizauit itaque pauperculum, non pro personis nostræ salutis appendens sacramentum: suo nimirùm facto & exemplo tantæ ciuitatis tam multos redarguẽs presbyteros, quòd ausi fuissent fidem Domini nostri Iesu Christi habere in acceptione personarum, iudicantes, vt ait Apostolus, apud semetipsos, & facti iudices cogitationum iniquarum. Etenim, inquit, si introiërit in conuentũ vestrum vir, annulum aureum habens, in veste candida: introiërit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dicatis ei, Tu sede hìc benè: pauperi autem dicatis, Tu sta illic: aut, Sede sub scabello pedũ meorum: nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Quòd si in quouis iudicio iure hæc authoritas Apostolica redarguit acceptores personarum: quanto magìs in dispensatione sacramentorum, quæ de cælo gratis profluxerunt, vir sanctus exemplo suo redarguere debuit paupertatis contemptum? Rectè igitur gradiens secundùm regulam vel consilium sapientiæ dicentis: Si benè feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa: tradidit sacramentum salutis, non personæ intendens, sed creaturæ formatæ ad imaginem Dei: & ipse de sacro fonte suscepit puerum, factusq; compater, dedit patri, vndè nutriret eum. Quadã postmodùm die, cùm celebrata statione apud S. Seuerinum, reuerteretur, multa cleri & populi turba comitatus, transibat exiguum iam dicti pauperis tugurium. Ille vt prætereuntem vidit, non parùm alacri visus confidentia, prorupit, frenum equi corripuit, simul clamans & adiurans per nomen Christi & per maiestatem diuinæ charitatis, vt paululùm subsisteret, & vel modicum quid de compatris sui apparatu perciperet: memor fœderis, quod secũ pepigisset in iam dicta regeneratione vel susceptione filioli. Audiant & hoc exemplum, quicunque quasi iure sacerdotali de pauperibus libenter obsonia capiunt, immò & violenter exigunt: qualibus per prophetam Dominus cùm dixisset, Væ qui opulenti estis in Sion: subsecutus & hoc addidit: Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Audiant, inquam, hoc & imitentur exemplum, quia pontifex magnus ad huiusmodi tugurium compatris digressus, optimum sumpsit conuiuium, panis videlicet frustum, & gallinæ pullum, necnon & tenuis ceruisiæ poculum. Talis causa sit, talis pietatis custodia, talis charitas, vbì vel quotiès sacerdotalis dignitas, pro accipiendo munere ad pauperes sese inclinat. Hæc pro humilitatis eius testimonio vel exemplo dicta sint.

Baptizat pauperis filiũ, ab omnibus reiectũ.

Iacob. 2.

Eccl 12.

Amos 6.

Tãtus pontifex nõ respuit inopẽ mensam tenuis hominis.

De misericordia eius, vt damnatum pro sacrilegio clericum, de suspendio liberauerit. Cap. 24.

Porrò de misericordia, quàm magnam in pectore eius domum sibi ædificauerit, quàm verè misericors & misericordiæ filius fuerit, testes erant pauperum multitudines, & penè innumerabiles esuriẽtium cunei: quos non vno tantùm tempore vel anno, sed pluribus episcopatûs sui annis, fame per totum penè orbem grassante, de multis regionibus confluentes, paterno affectu & materna pietate in magna benignissimi cordis sui latitudine suscipiebat, dispertiens illos per episcopij sui possessiones, quantùm cuiuscunque fundi facultatem sustinere posse perpendebat. Verùm præter quotidiana hæc pietatis eius experimenta, quãdam aliquandò memoria dignam rem gessit, in qua propter abundantiam misericordiæ, propè mendacij siue simulationis ac duplicitatis iniquitatẽ incurrisse possit existimari. Sed nos eiusmodi rem gestam commemorantes, simul ad memoriam reuocemus illud dictum Sapientis: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Res hoc modo gesta est: Clericus quidam ex pauperibus, qui, vt iam dictum est, ad beati põtificis curam & eleemosynam confluxerant, non contentus stipendio charitatis, quod sibi ex illo die porrigebatur, vsque in Saxoniam transuolauerat, & ociositatem sectatus, quæ, vt ait Sapientia, multam docuit malitiam, furtum perpetrauerat. Deniquè tres noctù effringens eccle-

Benignitas eius in pauperes.

Eccl 42.

Eccl 33.

sias,cum vasis & vestibus sacris exindè sublatis,sacrilegus Coloniā versùs repedauerat. Illic depręhensus,immò subsequentibus è vestigio his,qui damnum pertulerant,iudici eiusdem ciuitatis reus repręsentatus fuerat. Nec erat dubia sententia,quin sicut habet forensis lex,cōuictus fur sacrilegus,statìm suspendio interiret. At tum sanctus pater in ipsa vrbe pręsens aderat. Audito ergò quod acciderat,confestìm iudicem ad se euocat, iubetq; tanquàm furti vindex animosus, vt furem secum in suam præsentiam deducat: Non,inquit,hodiè quicquā cibi aut potùs percipiam, donèc in cōspectu meo ille mortis reus appareat. Factumq; est, & coràm adductum, quanuis toruis oculis adspiciens, Te,inquit,viuere fas non est, cui mors tanto acquisita scelere, iam debita iamq; parata est. Hæc palàm cunctis minaciter elocutus,optimo illum executori,scilicet pauperum prouisori,reum cōmittens,secretiùs edixit, vt necessarijs sumptibus vbertìm reficeretur. Ipse ad prandium discumbens,quę sola causa pœnam illius differre videbatur, assidente omni frequentia, cunctisq; ad epulandū intentis, ipse propositi non immemor, iam dictum prouisorem pauperum clàm aduocans, clamq; auri insusurrans: Educ,inquit,clericum, meumq; sessuro illi sterne quantocyùs equum, tuq; pariter adequitans, deducito vltra syluā proximam: dansq; illi librā argenti, illo in salutē dimisso, tu quantocyus reuertens,coràm adstabis. Factum est,vt imperauit. Et ministro,qui redierat coràm adstante,ipse simulata seueritate: En,inquit,vbì est reus ille? Hæc dicens,videbatur, immò videri volebat,de pœna illius iam maturanda tractare. At ille voluntatis eius simul & facti conscius,tristitiam simul & pauorem confingens: Fuga,inquit,mi Domine lapsus est. Tunc & ipse discurrens,fictumq; metum verbis atque questibus depromens, cunctos qui aderant,attonitos reddidit. Quę sanctus pontifex quasi vehementer increpitans & minaciter obiurgans,cōuersus ad populū, spectaculi causa confluentē, Eccè, inquit,reus ille effugit,euasit. Ite, currite, quatenùs retractus ex fuga, debitam quantocyùs pœnam soluat. Hoc insigne pietatis egit memorādus hic fraternæ salutis artifex, simulator fidelis,&,si dici fas est,splendidè mendax: de cuius tali cōmento si cuiquam mendacij nota non carere videretur,iterùm atq; iterùm decantare licet id,quod suprà dictum iam est,Quia melior est iniquitas viri,q̄ benefaciens mulier. Vir nanq; is est, qui ad virtutē tendit,& in omnibus,quę agit,regno charitatis intētus est. Mulier aūt,id est, mollis iudicatur, quisquis quolibet in sexu malū intendit, & regno cupiditatis deditus est. Ergò hic in facto suo,quanq̄ simulationis vitiū subijsse videatur,vir est, & hæc iniquitas melior est,quàm benefactū eius,qui dum iustitiæ zelū simulat, crudelitatē exercet.

Reū mortis clericū mira simulatione liberat à supplicio.

Ecci 42.

De sancti viri persecutionibus. *Cap.* 25.

INter tot ac tanta pietatis opera seruus Christi quasi malè operans, persecutionibus,vt iam superiùs prælibatum est,non carebat. Nec mirum. Dicit enim Apostolus,immò is,qui in Apostolo suo loquitur Christus: Omnes qui piè volunt viuere in Christo,persecutionem patiuntur. Et in psalmo prophetica veritas cùm dixisset de sanctis ecclesiarum rectoribus, Qui descendunt mare in nauibus,facientes operationem in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini,& mirabilia eius in profundo: continuò subiunxit, Dixit,& stetit spiritus procellæ,& exaltati sunt fluctus eius. Ascēdunt vsque ad cælos,& descendunt vsque ad abyssos &c. Oportebat ergò & istum,quoniam piè in Christo viuebat, persecutionem pati: & quia nauim in mari, id est, ecclesiam in hoc seculo regendam susceperat,oportebat eum fluctibus turbari & moueri. Persecutionem patiebatur ab inuidis, quorum moribus ipse minimè conueniebat. Illis nanque grauis erat etiam ad videndum, & vbi sanctiùs atq; reuerentiùs coram Domino, humilis & paruus in oculis suis, procedebat siue adstabat,ibì ampliùs inuidis displicebat. Erat verò vultu valdè reuerendus,& earū,quæ in mente illius regnabant,virtutum quædam maiestas forinsecùs in facie quodāmodò visibiliter sentiebatur, maximè cum sancto altari assisteret, sacris Missarum solennijs intentus. Tunc etenim tam reuerēdus apparebat, vt in faciem eius intēdere volentes, quadam velut magisterij dignitate subditos terreret,nisì quos dilectio confortabat, quæ sola Dei & sanctorum eius adspectu digna est. Hoc ampliùs indignantes inuidi, execrabantur,procaciter ad alterutrùm loquentes,& dæmonem eum esse dicebant,quem constabat esse angelū Domini, secundùm veritatem scripturæ,dicentis: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius,quia angelus Domini exercituū est. Videte,aiebant,dæmonē,quomodò se in effigiē transfigurat angeli,ità vt nemo nostrùm faciē eius intueri possit. Et quid mirum,si veritas verū dixit, & secūdùm dictū eius locuti sunt domestici falsitatis? Dixit enim: Si patremfamiliàs Beelzebub vocauerunt,quanto magìs domesticos eius?

2.Tim 3.

Psal.106.

Inuidos patitur infestos.

Maiestas vultùs eius sacrificātis.

Malac.2.

Matth.10.

De

De S. Herico Imperatore, qui ab inuidis malè persuasus, sancto viro infensus erat. Cap. 26.

PОrrò maiores fluctus illi excitabat in Imperatoris animo ventus contrarius, quia videlicet suspicionem, quam contra sanctum virũ in initio regni sui, sicut iam supradictum est, mente conceperat, inuidi iam dicti semper augere laborabant detractorijs susurrationibus. Deniquè res eousquè processit, vt iam dictus Imperator, nimio contra illum furore succensus, Coloniam peteret, hoc propositum habens, vt eum pontificatu amoueret: aut certè, si hoc rationabiliter fieri nõ posset, quolibet modo iniuriosè illum & indignè tractaret. At verò Deus, maris & fluctuum Dominus, qui ad beatum Iob mysticè loquens: Circundedi, inquit, mare terminis meis, posuique vectem & ostia, & dixi: Hucusquè venies, & hîc confringes tumentes fluctus tuos: non permisit procellam hanc hucusquè procedere, vt perficeret Imperator, quod intenderat: sed occurrens subuenit ambobus, videlicet & ei, qui patiebatur immeritus: & illi, qui de innocentis conscientia malè sentiens, peccabat errore deceptus. Causa, propter quam tali cum animo Imperator Coloniam properabat, huiusmodi extiterat. Imperator exercitu commoto, Comitem quendam Ottonem, seculi dignitate præpollentem, in castro, quod dicitur Hamerstein, sito supra Rheni litus, obsederat. Is nanque Otto episcopatum Moguntinum multa infestatione, sæpiùs peruagans, ferro & igne populabatur, odio magno contra eiusdem ciuitatis præsulem vehementer inflammatus. Fuerat nanque ab illo propter illicitum connubium iudicio generalis concilij anathematizatus. Cùm ergò querimonia eiusdem præsulis excitatus Imperator, prædicto in castro illum obsedisset, venerabili huic viro demandauit, quatenùs & ipse cum suis ad hoc negocium festinus adueniret. At ipse tunc immensis vexabatur febribus: & idcircò adimplere non valuit, quod imperabatur. Quam impossibilitatem eius causam vt audiuit Imperator, non credidit, videlicet antiqua suspicione præoccupatus, & putans illum semper exosa sui habere tempora imperij. Respondens igitur cum furore, magnoque spiritu iracundiæ: Si, inquit, ad me dedignatur venire, ipse eum, quia ægrotat, habeo visitare: atque cum hac iracundia mox, vbì hostem expugnauit, Coloniam, vt iam dictum est, properabat, imminentibus nimiumque sese ingerentibus inuidis suprà memoratis, qui satis ardentem furoris eius ignem magìs ac magìs perflabant, linguis maleuolis detrahendo innocenti viro Dei. Sed quia tempus erat iam consolandi, terminumque ponendi fluctibus illis, & tempestati diutinæ aduersitatis, prospiciens de cælo Dominus, statuit procellã eius in auram, & siluerunt fluctus eius. Nam ipsa nocte, qua Coloniam ingressus & officiosissimè à viro Dei erat susceptus, cùm se sopori dedisset, videt in somnis quendam quasi venerabilem virum, pontificali veste ornatũ, qui illum sic allocutus est: Caue, inquit, ô Imperator, nè posthàc ampliùs pecces in conseruum meum Herebertum. Scito illum Deo esse acceptum: in quem si quid admiseris, tu sine dubio portabis iudiciũ. Nimirùm gratia miserentis Dei, taliter præmonẽdo Imperatorẽ, ignorantiæ eius pepercit: quia videlicet in eo, ꝙ virum eiusmodi suspectũ habebat, nõ malitia, sed ignorãtia peccabat. Siquidẽ eiusdem Imperatoris animã timor Domini possidebat, neq; scienter disponere aut iudicare quicquam in regno cupiebat, per quod cælestis offenderetur maiestas. Deniquè cùm aliquid de regni negocijs disponere aut iudicare intenderet, dispositiones omnes siue iudicia sua precibus & eleemosynis præueniebat: quatenùs mens eius & actus cælesti regimine gubernaretur, nè quandò exorbitaret agendo vel iudicando, quod diuinis contrairet legibus. Rectè igitur secundùm intentionẽ suam diuino, vt iã dictũ est, oraculo præuẽtus & seruatus est, nè tantorum meritorũ pontificẽ iniuriãdo, vt ꝓposuerat, ipse reus iudicio diuinitatis existeret.

Vide vt etiam sanctos principes malæ linguæ nonnunquàm fallant.

Iob 38.

S. Imperator per visum admonetur.

Vide hic sancti Imperatoris encomion.

Vt Imperator sanctum virum, cernentibus æmulis, tèr osculatus sit. Cap. 27.

QVid multa? Manè facto, cùm Imperator mente mutatus virũ Dei aduocâsset, & id, quod cælitùs euenerat, quòd superno respectu rex compunctus fuerat, vir sanctus adhuc ignoraret, ac perindè lachrymosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens, propter quas sibi tandiù Imperator infestus existeret, repentè, quod non sperabatur, idem Imperator exurrexit, & virum Dei amplexatus est. Ille admirans, hæc pariter consolationis ab eodem dicta accepit: Ex quo ad regni fastigium, Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimiùm credulus fateor, venerande pater, te exosum habui, & hanc odij trabem in oculo gestans, & ideò nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamq; iustitiã, immò Dei gratiam in te fulgentẽ, videre nõ merui. Porrò, te tacente, cælũ clamat super te, tuamq;

Imperator humiliter fatetur errorem suum.

causam defendit apud me. Nam ipse, qui de sanctis suis curam habet semper & habuit,
Psal.104. sicut scriptum est, Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges, dicens: Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: ipse me pro te corripuit, vt sciam, quòd inter electos eius computatus sis. Indulge ergò, precor te, quòd in te malignatus sum, vel quòd te seruum Dei tangere deliberaui: quia peccatum
Osculatur tertiò sanctum virum meum cognosco, nec ampliùs addam aduersari tuæ sanctitati. His dictis, semèl & iterùm ac tertiò sanctum pontificem deosculatus est, triplicem nimirùm nectens dilectionis
Ecclés 4. nodum, de quo Sapiens loquitur: Funiculus triplex difficilè rumpitur. Profectò Imperatorem, dignum & ecclesiasticum virum, vt erat eruditus, & literarum scientia ad vnguem perfectus, arbitrari licet euangelij memorem fuisse, vbì primus Apostolorum Petrus trinæ negationis culpam, trina dilectionis deleuit confessione, tertiò respōdens:
Iohan.21. Tu scis Domine, quia amo te. Pulchrè igitur & dignè trinum dedit osculum dilectionis & pacis, sub testimonio sanctæ Trinitatis: atque hac dulcedine gratiæ & honoris, præteritæ infestationis amaritudinem superauit. Nec moratus, virum Dei, iam amicus amicum, prope se residere fecit. Hæc videntes aduersarij, qui quasi tempus opportunum nacti, aduersùm illum conuenerant, suasque diù linguas ad accusandū acuerant, confusi, protinùs in fugam conuersi sunt. At verò cæteri benedicebant Dominum, veritatem
Prouer.21. tem magnificantes scripturæ, dicentis: Quia cor regis in manu Dei est.

Vt Imperatori, suppliciter denuò veniam petenti, prædixerit obitum suum. *Cap.28.*

NEc contentus hac satisfactione rex religiosus, adhuc de iudicio diuino erat solicitus. Etenim is, in quem peccatum aliquod commissum est, præceptum
Matth.18. quidem vel consilium habet euangelicum, vt peccanti in se ex corde suo dimittat: sed adhuc timendus est ille, qui legem dedit, quique per prophetam
Zach 2. dixit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. & de quo item scriptum est: Mihi vin-
Rom.12. dictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Benè ergò solicitus, & præterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis matutinorum solennijs, assumpto vno ex clericis, idem Imperator cubiculum sancti pontificis adijt: sed non ibì quiescētem, verùm in proximo S. Iohannis oratorio vigilantem, vt solebat, & orationibus insistentem re-
Vide sancti Imperatoris eximiam humilitatē, & vt agnoscat pontificum authoritatem. perit. Protinùs abiecta chlamyde, solo stratus ante pedes eius, in spiritu humilitatis & in animo contrito se suscipi postulat, & ea potestate, quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum, quæ in ipsum commiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem prostratum à terra subleuat, & Christo mediante, qui dixit: Vbì duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum: ac deindè: Amen dico vobis, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in
Matth.18. cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: absolutio culpæ secundùm fidem regis in cælo & in terra peracta est. Erat autem hoc seruo Domini initium sempiternæ consolationis, quippe qui de ista valle lachrymarum protinùs ascen-
Psal.83. surus erat ad gaudium diuinæ visionis, sicut Psalmista dicit: Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum. Et subindè: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Etenim hoc idem vir Domini, reuelante sibi spiritu, prænoscens, ait in illo secreto inter cætera ad eundem Imperatorem: Noueris certissimè, quia post discessum nostrum, quo nunc separandi sumus, nostras inuicèm facies iam in hoc seculo nequaquàm videbimus. Eo magìs Imperator corde compunctus, iterùm in amplexus & in oscula ruit, flens pariter & cuncta penè membra, manus & oculos, collum quoquè fixis demulcens osculis. Hoc facto, clàm ad cubiculum redijt, mœstam reportans memoriam prophetiæ beati viri, quam & postmodùm, transitu eiusdem subsequente, veram fuisse comperit, & ipse, vt audièrat, ore proprio denarrauit. Nec sui verò transitûs tantummodò, sed & obitûs Imperatoris prophetico spiritu hic sanctus Dei prescius extitit, quod postmodùm suo loco præsens narratio non tacebit.

Febre corripitur vir sanctus, & Ecclesiasticis sacramentis munitur. *Cap.29.*

IGitur post discessum Imperatoris beatus Herebertus, cælorum ciuis, longa in hoc seculo peregrinatione fatigatus, cùm suspirans prospiceret mansionem æternam patriæ cælestis, tandèm febre corripitur: & eccè seruus Domini pro ipsa ex-
Nouesij corripitur febre pectatione peruigil, sentire sese arbitratus est, quòd iam veniret, iamque pulsaret Dominus, vt sibi aperiretur. Erat autem tūc temporis in quadam suæ diœcesis villa,

quæ

quæ Nussia dicitur. Cùm igitur vrgente atque ingrauescente molestia vexaretur, properè Coloniam mittens, Abbatem Eliam accersiuit. Quo veniente, ipse, secundùm præceptum Apostoli, sacro est vnctus oleo in nomine Domini, pariterque corporis & sanguinis Dominici sacramentis munitus, tunc demùm carinæ illatus est, vt Coloniam deduceretur. Tunc in Apostolorum principis oratorium iussu suo delatus, atque coram altari sanctæ Crucis, quod ad medium situm est, depositus, prout valuit, capite oculisq; ac manibus in cælum protensis, prolixiùs orauit. Aderant nanque tam ex clero quàm ex populo quamplurimi, mirantes pariter & compuncti pro suauitate orationum & pietate supplicantis, cui veraciter omni tempore & tunc maximè in extremis suis congruebat illud Dauidicum: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Oratione ergò bono cum odore ac religioso exemplo completa, in cubiculum oratorio coniunctum delatus est. Prædictus Abbas ab eodem pro consolatione retentus, continuis duabus noctibus, vbi parùm quid somni percepisset, visionibus clarissimis instruebatur, quòd eadem infirmitate sine dubio idem foret è corpore migraturus.

Iacob.5.
Extremam vnctionē & Eucharistiā moriturus accipit.
Psal.140.

Visiones Eliæ Abbatis de obitu sancti viri. Cap. 30.

ERat autem huiusmodi vna visio, quam mox hora matutina beato viro, carnis suæ solutionem desideranti, hoc modo retulit: Videbam, inquit, me beati Petri oratorium introisse, & ecce illud erat quasi magna & solenni frequētia plenum, splendidis clericorum atque sanctimonialium choris consistentibus, & quasi ad procedendum paratis obuiàm cuidam magnæ personæ, vt ab ipsis honorificè susciperetur: quo videlicet honore sacras illustresque personas in tempore præuenire, Ecclesiasticæ consuetudinis est. Nesciebam, inquit, quæ illa deberet esse persona, veruntamen magnam aliquam atque insignis reuerentię suscipiendam fore personam, meus somniantis sensus habebat. Ergò licèt tremebundus, in gradu meo cōsistens immotus, eum, qui primus inter eos videbatur, acciui, & quisnam ab ipsis suscipiendus foret, percontatus sum. Ille respondens: Deo, ait, sanctisque omnibus dilectum, videlicet Archiepiscopum Herebertum venimus susceptum. Ego vehementer admirans tanti tamque splendidi occursús festiuitatem, hæc audiui ab eodem protinùs: Si scires, qualiter vel à quibus postmodū suscipiendus est, nequaquàm admirareris super hoc processu nostro, qui re ipsa longè minor est. Huiusmodi visum is, qui viderat, beato viro confestim diluculo referens, verè tanquàm bono nuncio sanctam lætificabat animam, dissolui & cum Christo cupientem esse. Nam expectationi desiderioque eius anhelanti celerem adesse pollicebatur effectum, & eam, de qua iam supradictum est, discessus sui confirmabat præscientiam. Deniquè & ante visionem hanc aliud quiddam iam dictus vir venerandus Elias viderat, quod proculdubiò ad eiusdem rei significationem pertinebat. Fuerat autem huiusmodi somnium, eundem pontificem, sacris atque festiuis indumentis perornatum, procedere quasi ad celebranda solennia Missarum, solum tamen atque incomitatum, clero expectante taciturno: cuius idem pontifex, quasi Romam peregrè profecturus, benedictionem flagitaret: qui & solus, vt videbatur, declinauit, & nusquàm repertus est. Talia, non dubiam interpretationem habentia, cùm ille tristis referret, vir beatus in abundantia lætitiæ suscipiebat: quippe qui iamdudùm finem suum habens præcognitum, præsentibus adhuc iuuabatur documentis, vt diceret: Disrumpe vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Maiora his, per quæ longè vel propè beati huius viri transitus vel meritum significatum est, loco alio seruata sunt. Nunc eundem eius cœptum sermo prosequatur transitum.

Visio Eliæ Abbatis.
Alia eius visio.
Psal.115.

Vt vir sanctus fratrem suum flentem consolatus sit. Cap. 31.

CVm ergò absque dubio per præsentis ægritudinis molestiā pulsaret Dominus, hic seruus fidelis aperire illi properabat, lumbis iamdudùm præcinctis, & lucernis clarè ardentibus. Distribuebantur omnia, quæ superfuerant, pauperibus, vt profecturus ad æterna tabernacula, pauper ipse grata vice reciperetur. Residebat autem ad caput lectuli frater eius Comes, nomine Gezemannus, profundas lachrymas atque amarissimos continuans gemitus, velut qui in magno pelago tempestatem circunspiciens, fractoque gubernaculo naufragus periclitaretur. Cui vir pijssimus valdè compatiens: Quid, inquit, frater mi tam miserabili temetipsum afficis eiulatu? Parce, quæso, lachrymis & gemitibus: quia sperantibus in se non deerit consiliarius & consolator Deus. Tu ergò iacta cogitatum tuum in illo: & quia cunctis

Moriturus omnia sua largitur pauperibus.

cunctis in hoc seculo viuendi tempus breue est, & migrare oportet, nunc interim præparare, & miserere animæ tuæ, vt dignus habearis seculo venturo. Præparationis hic modus tibi pernecessarius & optimus est, vt de rebus tuis quoad potes, pauperibus impertiendo, amicos tibi facias: vt cùm defeceris, sicut ait Dominus noster, recipiant te in æterna tabernacula. Hæc & huiusmodi salubria monita danti, ille respōdit: Ista, Domine mi, Deo adspirāte, libenti animo agere curabo: sed tuus ab hac vita discessus, fratris tui orphanitas & inconsolabilis animæ meæ viduitas est. Nôsti prætereà quia maiestas imperialis tuis omnibus propinquis aduersa semper extitit, & dum aduiueres, tunc quoque nobis propter ipsum periculosus erat status vitæ præsentis. Ecce autem refugium nostrum, murus & antemurale nostrum cadit, dum tu ab hac vita discedis, cuius muniebamur virtute & gratia, magnisque apud Deum & homines meritis peruulgatis. Ad hæc vir Dei spiritu prophetico prædoctus: Regem, inquit, immortalem modis, quibus iam dixi, stude tibi efficere propitium: de isto autem homine communis necessitas finem factura est, vt & ipse viam vniuersæ carnis ingrediatur. Noueris enim quia post obitum meum, trium non peraget annorum curriculum.

Optimè cōsulit fratri suo comiti. *Luc. 16.* *Prædicit obitum Imperatoris.*

Vt in extremis pauperum memorem sese declarârit. Cap. 32.

POst hæc, morbo inualescente, iamque non incerto eius transitu, spirituales ipso iubente à fratribus exequiæ psalmorum decantationibus inchoantur. Ipse quoquè pectoris anhelantis, quoàd poterat, citharam extendebat, pariter psallens & quodammodò dicens: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis. Intereà pauperum procuratorem, cui curam illorum ipse commiserat, inter mœrentium cateruam cominùs sibi assistere vidit: Et quid, inquit, nunc agunt fratres mei? Num illorum seruitio deest aliquid? Dicebat autem de dauperibus. Etenim illos humili conscientia fratres suos, immò & dominos & patronos apud Deum æstimare consueuerat. Cùm ille cuncta, quæ sibi assignata fuerant, se expendisse, iamque nihil superesse respondisset, protinùs ecclesiæ præpositum, & ciuitatis accersiens aduocatū, his illos allocutus est: Audîstis, charissimi, immò & vigilanter audire debetis scripturam dicentem: Quia fœneratur Domino, qui miseretur pauperi: & quia sicut ignem extinguit aqua, ità eleemosyna resistit peccatis. Ego si quid exempli boni secundùm verba hæc vobis præbui, si quid in pauperibus seminaui, nunc iam reposita compensabitur merces, & messis, quam acquisiui, nunc iam recipienda est, sicut item scriptum est: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Iam enim vobiscū diutiùs non ero hîc, vbi seminatur. Migrandum est, & iam hora instat, vt eam illuc, vbi metitur, propria corporis mei, prout gessi, recepturus. Vos igitur tanquàm filios charissimos pater moriens & vltimum spiritum trahens, hac nouissima testatione conuenio, quatenus pauperum memores sitis, atque hoc animæ meæ solatium impendatis, vt quoadusque successor episcopus subrogetur, constitutum à me pauperibus refrigerium, vestra suppeditante cura, non desit. His auditis, vehementer compuncti sunt, seque hoc libentissimè acturos spoponderunt, eo magis abeuntem congemiscentes, quòd factis præteritis perpendebant conuenire verba nouissima, respicientes qualis erat, qualiter vixerat, quanto sibi semper studio misericordiam thesaurizauerat, & instantis horæ necessitatem finemque, in quo laus omnis canitur, quàm sapienter prouiderat.

Psal. 41. *Pauperes vocat fratres suos & dominos.* *Prouer. 19.* *Eccl. 3.* *2. Cor. 9.* *Commēdat pauperes primarijs viris.*

Prædicit quis ipsi sit successurus, & moritur. Cap. 33.

ET quia de successore mentionem fecerat, altiùs in planctum excitati, velut pupilli iam deserti, percontabantur & quæritabant, quisnam tanto præsule viduatam recepturus foret matrem ipsorum ecclesiam. Ille, aiebant, virtute venerabilis est, & ille alius vtcunquè idoneus est: atque ità diuersorum qualitates perpendendo, solicitudinem suam inuicèm anhelando conferebant. At ille prophetico, vt iam suprà dictum est, prædoctus spiritu: Neque illum, inquit, neq; hunc, quem putatis: sed Pillegrinum habebitis episcopum, & hic in hac ecclesia pontificatûs officium breui tempore administrabit. His dictis, carne solutus, de vitæ præsentis angustia ad æternæ patriæ sempiternam consolationem ascendit, fructum percipiens perpetuæ iucunditatis. Migrauit autem septimodecimo Calend. Aprilis, sepultusq; est in Diuitensium castro, in oratorio sanctæ Dei genitricis, quod ipse condidit, multis deincèps ibidèm coruscans miraculis ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Vbi cùm sanctum corpus eius humatum fuisset, tunc demùm reminiscens is, qui villicus sancti pontificis extiterat [illegible] in chor-

Prædicit quem sit habiturus successorem. *Moritur.*

in chorte ipsa, in qua iam dictum per superiùs memoratam reuelationem constructum erat oratorium, admirando diuinam prouidentiam, dicebat: Locus hic, in quo corpus hoc sanctum sepultum est, tumulus erat omni tempore herbidus, semper mundus & amœnus, omniumque oculis iugiter gratiosus. Quod nimirùm laudibus proficit beatissimi viri, cuius futuris exequijs seruandisque reliquijs taliter sese loci facies, iubente Deo, præparauit, vt semper seruaretur viridis ille sinus terræ, in quo requiescere haberet possessor sempiternæ viriditatis, cui reposita erat hæreditas incorruptibilis, incontaminata, & immarcescibilis. Proindè cum Apostolo regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honorem dicamus & gloriam, in secula seculorum, Amen.

Nota de loco sepulcri eius.

1. Tim. 2.

Visio oblata Epponi episcopo post obitum sancti viri. Cap. 34.

EOdem tempore vir memorabilis Eppo Babenbergensis episcopus, præclaris moribus, & non contemnendis florebat virtutibus. Hic tam longè positus, eadem nocte, qua vir Domini Herebertus, post emeritam vitæ huius militiam, supernum, vt iam dictum est, donatiuum accepit, visionem vidit huiusmodi: Ingrediebatur quasi quoddam magnum splendidumque Capitolium: & ecce illic innumerabilis residebat concio personarum venerabilium, episcoporum, abbatum, regum atque Imperatorum, cæterorumque cuiuscunque ordinis virorum illustriū, secundùm suum quique ordinem vestiti, & omnes pulchri ac reuerendi, quasi ad agendum generale concilium congregati. Porrò in medio considentium, loco euidenti sella videbatur episcopalis, sessorem nondùm habens: Veruntamen ad hoc parata, vt in illa resideret aliquis. Vt ergò tantæ amplitudinis locum, tamque venerandæ multitudinis conuentum introspiciens vidit, sicut ipse referebat, admiratione pariter & timore compressus stetit, & nequaquàm introire præsumpsit. Nam visionem hanc diluculo Imperatori Henrico festinus intimare curauit. Is enim tunc inibi degens, Quadragesimam celebrabat. Aiebat ergo: Cùm ità starem stupefactus, ecce vnus de illo sancto senatu, tantoque quasi patritiorum cœtu surgens, & vsque ad me pro foribus stantem procedens, quem & ego dudùm noueram, appræhensum manu introduxit me, annuens vt super sedem vacantem, sicut iam dictum est, residerem. Ego veritus, hoc facere recusaui. Sciebam enim sellam eandē positam non mihi, sed alteri, quē catenùs ignorabā, viro maioris reuerētiæ & dignitatis amplioris. Nec mora, is, qui cōuentùs eiusdem primatum tenere videbatur, duobus ex eodē consessu venerabilibus episcopis præcepto edixit, vt foràs exeuntes, eum quē primùm inuenirēt stantem & paratū, introducerent, & in sede illa media, quoniā sessioni eius præparata fuisset, dignè collocarēt. Fecerunt illi, vt fuerat imperatū: & ecce quem adducebant, is erat dominus Herebertus archiepiscopus Coloniensiū, sacro redimitus ornatu, tanquàm in die solēni ad celebrāda solennia Missarū. Eum in illa sede mediū, vt fuerant iussi, sedere fecerūt. Veruntamen vnum ad ornatū eius, scilicet balteus, deesse videbatur. Cùm ergò vidissent illū principes tanti considentes, balteumque illi deesse animaduertissent, quasi vehementi admiratione concitati, sciscitabantur quisnam ille esset, qui tanti pontificis ornatū diminuere præsumpsisset. Ad hæc ipso tacēte, prælocutus est vnus de primoribus: dixitque, quòd is esset Imperator Henricus. Hæc, vt iam dictū est, venerabilis episcopus manè facto Imperatori retulit, pariterq; vt erat certus de visionis veritate, affirmabat, quòd sanctus Domini Herebertus iam separatus à terrenis, & translatus esset ad immortalem senatum curiæ cælestis. Nec verò illum constantia sua fefellit. Nam post dies aliquot nuncius venit, qui Imperatori sacram, vt iam dictum est, Quadragesimam celebranti, Coloniensis archiepiscopi obitum annunciauit. Requisitus quoque diligenter, quandò obisset, & vtrum noctù, an interdiù de corpore migrâsset, cùm sicut se res habebat, respondisset, admirati sunt tam Imperator, quàm is, qui visionem viderat, episcopus, quòd talia tamque longè positis Dominus fuerit reuelare dignatus. Nam ipsa nocte, qua visum episcopus viderat, sanctum Domini migrâsse constabat. Sed & antequàm nuncius iam dictus adueniret, Imperator non incredulus visioni, responderat eandem episcopo narranti: Si balteo caruit, me prædone, ille sanctus & venerandus vir, Domino adiuuante, meque operam dante, rapina hæc restituetur illi. Recordabatur autem & nouissimæ eius collocutionis, qua Imperator pro reatu suo coram illo satisfecit, & hoc ab eodem audiuit, quòd suas inuicem vlteriùs facies non essent visuri. Item & illud prudenter in hac re coniectorem non latebat, quia quòd à se dicebatur vir tantus balteo suo spoliatus, hoc erat, quòd à se non fuisset dignè pro meritis suis honoratus. Igitur

Visio Epponis episcopi.

Imperator S. Henricus celebrat Quadragesimæ ieiunium.

Pius Imperator agnoscit culpam sui, & eam

Imperi-

largiſsimis eleemoſynis &c. expiat. Imperialem manum largiùs extendens, dona Chriſti Eccleſijs pauperibusque diſtribuit, ſacriſque Miſſarum ſolennijs, pſalmis & orationibus tranſitum beati præſulis edixit celebrari, cui balteum ipſe ſuſtuliſſet : id eſt, qui viuentem longè minus, quàm decuerat, honorificáſſet. Verè vt ſapiens hoc egit, quia nimirùm nullo modo meliùs rapinam eius poterat reſtituere, quàm faciendo pro ſemetipſo fructus dignos pœnitentiæ. Quapropter arbitrari licet, viſionem huiuſmodi non tantùm pro beati præſulis honore, verum etiam pro eiuſdem Imperatoris melioratione celebratam fuiſſe : quoniam ipſe ſuperiùs memorata ſatisfactione ſua promeruiſſet, vt ſicut eum perſona nō accuſabat, ità nec illum ſuperſtes cauſæ veſtigium accuſaret. Nam in prædicta viſione ſancto percontante concilio, quis ornatum eius minuiſſet, diligenter notandum, quòd non ipſe beatus præſul reſpondit, neque Imperatorem accuſauit : quia videlicet viuens, euangelici memor præcepti, totum ex corde ſuo dimiſerat illi. Itaque vel modicum cauſæ veſtigiū, quod ſupererat, nè accuſaret eum, pulchrè talis viſio iuuit, ad miſericordiæ opera ſuſcitans eius animam. Matth. 18.

De miraculis ad eius monumentum, & quadam viſione mirabili. Cap. 35.

Miracula ad eius ſacras reliquias. INtereà tumulus beati viri, locus (vt erat) apparebat eſſe refugij fidem habentibus, & ex quacunque neceſſitate confugientibus ad protectionem Dei cæli : & velut quidam riuus paradiſi, gratia curationum exindè fluebat vbertìm. Sanabantur infirmi, illuminabantur cæci, erigebantur contracti, currebant claudi, paralytici curabantur, dæmones de obſeſſis corporibus effugabantur. Vnum autem inter cætera contigit infra tricenarium funeris, quod pro ſui magnitudine non prætetire, immò & inprimìs narrare dignum eſt. Res enim geſta, eſt valdè mirabilis, & penè eſſet incredibilis, ſi non ex ſanctis canoniciſque conſtaret ſcripturis, angelos quoquè, qui vtiquè ſpiritus ſunt, & carne non teguntur, interdùm viſos & auditos fuiſſe ab hominibus ſenſibus corporeis. Siquidem hoc accidit, vt ſpiritus beati huius viri, iam carne ſolutus, homini viuenti viſibiliter appareret, ſermonemque conferret : cuius videlicet ſermonis ſubſecuta veritas teſtatur, non phantaſticum, ſed verum & diuinum fuiſſe, quod oſtenſum eſt. Res hoc modo geſta eſt : Vir vitæ venerabilis Volpertus, cœnobij, quod ab eodem ſancto pontifice conſtructum fuerat, pater primus, recenti tanti præſulis obitu magìs excitatus, quotidianis maximeque nocturnis peruigil inſiſtebat orationibus. Erat multorum monachorum pater, quippe cui propter egregiam vitæ conuerſationem, ſcientiam quoquè & dilectionis abundantiam, non ſolùm præfati cœnobij, verùm etiam monaſteriorum ſancti Pantaleonis, ſanctique Viti cura vel prouidentia commiſſa fuerat. Huic per omne tempus vitæ continuum penè ſtudium fuerat, matutinos præuenire hymnos, ſolitarijſque vigilijs pſalmos decantare Dauidicos : & hunc ſanctum feruorem eius dolor, qui de tanti patris obitu acciderat, maiorem, vt iam dictum eſt, effecerat. Cùm ergò quadam nocte ad hoc ipſum opus ardentiùs aſſiſteret, & magno charitatis igne ſanctæ orationis incenſum adoleret, reuerà fumus aromatum eius altiùs aſſcendit, & ante oculos Domini in cælum vſque peruenit. Nam illo diutiùs orante, reſpectus diuinitatis ſuper eum factus eſt, & locus contremuit, iuxta quod in pſalmo, ſaluo altiori ſenſu, ſcriptum eſt : Qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Stabat autem ipſe prope ſepulcrum beati antiſtitis, & quem viuentem dilexerat, eidem ſepulto mente & corpore ardenter inhærebat. Cùm igitur locus intremuiſſet tam validè, vt tota monaſterij fabrica funditùs quati videretur, mortalis, vt erat homo, inhorruit quidem, ſed non modicam habens fidem, cœptam continuabat orationem, cornu altaris appræhendens. Iterùm a parte orientali murus templi cum magno ſonitu intremuit, & omnia circunſtantia moueri viſa ſunt. Ecce autem & ſepulcrum beati viri patefactum eſt, & ſanctus Dei egredi viſus eſt. Iſque ſtans prope virum iam dictum, leniterque tangens illum, quid operaretur, ſciſcitatus eſt. Hoc, vt iam ſuprà dictum eſt, omninò incredibile videretur, ſi nuſquàm Eccleſiaſticis contineretur literis, aliquos Deo volente corporaliter viſos fuiſſe mortuorum ſpiritus, ſi non etiam angeli ab hominibus Deo placentibus fuiſſe hoſpitio ſuſcepti legerentur. Sed & Daniel in viſione angelica conturbatus, eodem, qui apparuerat, ſatagente confortatus eſt. Cùm igitur & iſtum beatus pontifex alloqui inciperet, tangens priùs latera eius baculo pontificali, cum quo fuerat tumulatus, vires ille reſumpſit, & ad interrogata reſpondere præualuit. Nam ſic ex viſione & ex prædicto fragore fuerat tremefactus, vt non ſtare præualeret, immò & vix ad ſedendum virtus ſufficeret. Cum ergò percontanti quid operaretur, breuiter pro ſe reſpon-

Volperti I. Abbatis Tuitienſis egregia laus.

Pſal. 103.

S. Heribertus loquitur poſt obitū cum Volperto Abbate.

Gē. 18. & 19. Dan. 10.

respondisset, confestim is, qui apparuerat, intulit hæc: Orationibus, frater mi, sedulus vigilanter insiste, & viuorum atque mortuorum parentum vel familiarium tuorum salutem exorans, meî quoque memoriam abundantiùs habe. Scito enim & veritatem loquenti mihi præbe fidem, quia obitûs mei die tricesimo qui nunc imminet, mecum pransurus es. Hoc ille audito, penè exanimatus resedit in eodem loco. Tandem verò spiritum paulatim attrahens, respirauit, baculoque innixus surrexit, & corpore ac mente tremens, vix ad lectulum peruenit. Manè facto, in conuentum fratrum de more processit, sermonem protulit ædificationis satis eloquenter & cum spirituali ornatu magnæ venustatis, inter cætera maximè illud exhortans, quod egregium decus est monachorum, vt videlicet oris sui custodiam haberent ad silentium: quia sicut propheta testatur, cultus iustitiæ est silentium. Porrò visionem, quam viderat, tunc interim reticuit: conuentu autem soluto, seniores tantùm, & qui magis spirituales esse videbantur, secretiùs aduocauit, & quæ viderat, quæque audierat, cuncta per ordinem retulit. Illi rem non vt erat attendentes, & longè minùs quàm erat æstimantes, suo sensu loquebantur, dicentes ei nihil aliud fuisse quàm quod est humanæ consuetudinis: scilicet quem viuentem dilexerat, eundem mortuum præ oculis cordis cogitatione continua versabat, & cogitationes vigilantis curamque dilectionis, quam erga illum habebat, sequebantur huiusmodi somnia. At ille audiens hæc, nihilominùs sciebat, quid vel qualiter vidisset: magisque suæ conscientiæ, quàm aliorum credebat opinanti ignorantiæ. Quid multa? Obitûs beati viri dies instabat tricesimus, & prædictus monasterij pater ad eundem diem copiosas pauperibus impensas præparabat. Oportebat autem illum propter hocipsum exire ad quandam suæ vel Ecclesiasticæ possessionis villam, quæ fermè decem milliaribus à monasterio procùl aberat, vbi quæ necessaria erant futuro diei, præparare præsens ipse properanter iussit. Hoc facto, nauem conscendens, velociter per alueum Rheni ad monasterium reuertebatur. Iam hora sexta rogabatur à comitibus, vt pranderet: quoniam & ipsis ità iucundum de more erat, & hora satis opportuna commonebat. Ipse quoquè non abnuens, immò & ex charitate iuuentuti famulanti condescendens, præmisit opus Dei, sextamque horam de more cum duobus, qui obsequio eius aderant, fratribus canere incepit. At vbi ventum est ad lectionem, quam nos Capitulum dicimus: hæc autem erat, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur: quòd enim mortuus est &c. respondentibus illis, Deo gratias: continuò spiritum exhalauit. Quod videntes qui simul aderant fratres, socijque vel comites, vehementer attoniti, & repentino stupore præuenti, paulisper attendentes, protinùs voces cum eiulatu leuauerunt, paulò antè læti, nunc autem tristes, quippe qui citharam suam in luctum, & organum suum videbant versum esse in vocem flentium. Egressus est vnus, vt terrestri itinere præcurreret ad monasterium, vt rem fratribus intimaret. At illi qua hora nuncius hic ingressus est, ad cœnandum consederant, alacriter sui patris aduentum, & subsecuturæ diei, quæ tricesima beati præsulis erat, spiritualem expectantes lætitiam. Vt ergò nuncium huiusmodi consedentibus innotuit, pariter cuncti non leuiter congemuerunt, mente concussi, & suis penè cuncti sedibus excussi, tam miserabili gestu tamque lachrymoso processu, vt nulla sermonis copia satis exprimere possit. Vulneri quippe adhuc recenti, id est, dolori, qui de beati præsulis obitu acciderat, vulnus hoc aliud superaccesserat. Itaque filiorum animos non mediocriter tangebant tam confinia, tamque contigua patrum funera. At ille venerabilis pater qui nunc taliter discesserat, reuerà feliciter ad æternæ vitæ prandium cœnamque immortalitatis inuitatus processerat, veram visionem suam, verum oraculum illius, exitu suo comprobans, qui dixerat illi, Quia die obitûs mei tricesimo mecum es pransurus. Allatum itaque defuncti corpus, prope sepulcrum eiusdem vatis sui, videlicet sancti præsulis, cum libitina depositum est. Ecce autem inter exequiarum vigilias pauper quidam, à cunabulis contractus, quem idem sanctus pontifex, dum adhuc viueret, alebat, inter sepulcrum sancti & huius defuncti feretrum tristis proreperat, & inter duos mortuos, suæ inopis vitæ patronos, iacens, tota nocte se illis superstitem esse deplorabat. Viderunt illum, qui coram Deo viuebant, & eadem clementia, qua viuentes in carne victualem illi præbebant alimoniam, defuncti ijdem mirabilem totius corporis eius operati sunt medelam. Deniquè circa lucis exortum, matutinos fratribus hymnos persoluentibus, repentè is, qui contractus iacuerat, vehementer exclamauit, velut ad succurrendum sibi, videlicet virtute inuisibili concussus, neruisque solutis in longum extensus. Quo eius clamore audito, nonnulli ex fratribus seniores accurrunt, videntque

Silentij cura, egregiũ decus monachorum.
Esa. 32.

Volpertus Abbas religiosus, subitò obdormit in Domino.

Contractus ad sepulcrũ S. Hereberti curatur.

dentque illum extensum iacere, riuumque tetri sanguinis per pauimentum. Allata protinùs aqua, refocillatus est, & post pusillum sanus surrexit, ac permansit incolumis. Huius opus virtutis rectè vtriusque asscribi debet meritis. Cæterùm à beati præsulis transitu, intra paucorum dierum decursus, viri pariter & mulieres fermè quadragintaquinque diuersis incommodis liberati sunt ad sepulcrum eius gloriosum, laudantes nomen Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Multa miracula fiunt ad eius sepulcrum.

VITA S. GERTRVDIS ILLVSTRISSIMÆ VIRGINIS, CONSCRIPTA AB AVTHORE QVIDEM

anonymo, sed qui testetur ea se scribere, quæ partìm ipse viderit, partìm ab idoneis testibus auditione acceperit. Porrò stylus in gratiam lectoris mutatus est per F. Laur. Surium.

PROLOGVS.



SAncta ac indiuidua persuasi charitate credimus, & stabili atque inconcussa fide tenemus, ijs, qui iter illud, quod ad cęlestem perducit patriam, ingredi, cunctaque huius labentis seculi lucra & emolumenta abijcere cupiunt, ad æterna illa capessenda præmia impendiò hoc adminiculari, si res gestas sanctorum vtriusque sexùs hominum, ad aliorum profectum & ædificationem, vel breuiter, at bona tamen fide, siue scribendo, siue concionando commemoremus: vt illorum exempla pectorum nostrorum tenebras flamma feruentis amoris & ardore sanctę compunctionis illustrent. Atque hanc ob rem, adiuuante nos omnium opifice sancto Spiritu, de vita beatissimæ virginis Christi Gertrudis, eiusque conuersatione, qua secundùm Deum & monasticam disciplinam, dum esset in humanis, regulariter vixit: ad exemplum sanctæ familiæ Christi, ea iam scribere aggrediar, quæ vel ipse meis vidi oculis, vel à testibus idoneis & fide dignis accepi: maximè id à me poscente sacra virgine & Abbatissa Dominicana, sanctaque * Niualensis cœnobij, cui Gertrudis beatissima præfuit, congregatione.

* Niuellēsis.

NARRATIO.

17. Martij.



ET quidem, quòd ad illius genus & familiam attinet, longùm est ea hîc recensere: præsertìm cùm in tota Europa apud omnes perulgata sint clarissimæ stirpis huius & loca & nomina. Ad alia igitur accedamus: Cùm in paternis ædibus versaretur sacra puella Gertrudis, ad pedes beatæ memoriæ parentis suæ * Ittæ, die ac nocte verbi Dei sapientiam meditabatur, Deoque chara & hominibus grata ac amabilis, coætaneas suas longè anteibat. Fuit verò hoc primùm illius in Christi seruitio initium, quemadmodùm ab homine veraci & iusto, qui præsens illic aderat, cognoui: Cùm pater illius Pipinus regem Dagobertum in suas ædes ad splendidas epulas inuitâsset, quidam eò adolescens aduenit, filius ducis Austrasiorum, isque tum à rege, tum à parentibus S. Gertrudis eam sibi coniugem dari petijt, suam illis, vt est seculi huius more comparatum, vicissim amicitiam & studium promittens. Et regi quidem iucundus fuit hic sermo, hortabaturque patrem puellæ, vt ad ipsius conspectum puella vnà cum matre adduceretur. Venerunt illæ, tametsi ignorarent, quam ob causam rex illas acciri voluisset: inter edendum autem cùm ex puella rex sciscitaretur, num illum adolescentem auro fulgentem & sericis comptum vestibus, vellet habere sponsum, illa indignabunda, etiam adhibito iureiurando, respondit: Ego neque hunc, neque quenuis alium mortalem hominem, sed Christum Deum ac Dominum meum volo sponsum habere. Quæ cùm audiuisset rex & proceres eius, stupebant ad tam teneræ puellæ sermonem, diuino vtique instinctu prolatum: porrò adolescens pudefactus, recessit cum indignatione. At illo posthabito, sancta Dei puella ad matrem se contulit.

* Itanæ

Puella Gertrudis respuit nobilissimi adolescentis coniugium.

Ab illo autem die animaduerterunt parentes eius, regi illam non mediocriter charam esse. Elapsis inde annis quatuordecim, Pipinus vita functus est. Tum verò matri viduæ

Pipinus pater S. Gertrudis obit.

duæ Gertrudis ſedula adhærebat, eiuſq; iuſſis officioſè,ſobriè & caſtè inſeruiebat.Cùm verò mater eius quotidianas ſuſciperet curas & cogitationes de familia & filia orba Gertrude,vir Dei Amandus Epiſcopus ad eius venit ædes, verbum Dei prædicans: Rogauit autem eam,vt ſibi & filiæ,Chriſtique familiæ cœnobium conſtrueret. Poſtquàm igitur à ſancto Epiſcopo rem ad animarum ſalutem pertinentem didicit,mox ſacro accepto velamine,facultates ſuas omnes, ſeque Deo obtulit. Res ea malè habebat antiquum humani generis hoſtem diabolum,qui ab initio ſemper pios omnes ſtimulante inuidia,inſectatus eſt.Itaque incitauit quorundam animos in illam,idque adeò,vt ab illis,qui ad exequendam Dei voluntatem adiutores ſe ei præbere debuerant, nō parùm moleſtiæ pateretur,immò multas perferret iniurias,multa afficeretur ignominia,& rebus neceſſarijs priuaretur vnà cum ſancta Gertrude filia ſua. Quæ quidem ſi nos ſingulatìm commemorare velimus, nimiùm prolixi futuri ſumus. Quanta verò eius animi fuerit erga Deum deuotio,quàm diuinis flagrârit deſiderijs, ſequentia declarabunt.

Itta mater S.Gertrudis ſacrum accipit velamen.

Nè enim animorum corruptores, Dei famulam Gertrudem ad illecebroſas huius mundi voluptates vi adhibita pertraherent,arrepta forfice, capillos eius ità abſcidit, vt coronæ ſimilitudinem referre viderentur.Interìm lætabatur ſancta Gertrudis, & gratias agebat Deo, quòd in hac vita momentanea pro Chriſti amore coronam in capite ſuo repræſentare meruiſſet, vt in illa vita ſempiterna coronam perpetuam ob corporis & animæ integritatem digna eſſet percipere.Præſtitit autem Deus eis pacem ab aduerſarijs,& pars diaboli victa eſt. Deindè verò mater eius Chriſti ſacerdotibus eam tradidit,à quibus cum ſodalibus ſacrum acciperet velamen: eamque toti illi ſanctimonialium congregationi voluit eſſe præfectam. Erat enim ſancta virgo Gertrudis magna morum continentia prædita,mente ſobria, verbis & ſermone moderata, ætatem ſenilem iam moribus præ ſe ferens. Feruebat amore Chriſti ſponſi ſui, vultu pulchra, ſed pulchrior mente: caſtitate integra,larga eleemoſynis,ieiunijs & orationibus dedita, pauperum & peregrinorum ſolicitè curam gerens: erga ſenes quidem & ægros humana & pia, porrò iuuenibus ſtrenuam ſe exhibens erga res diuinas. Atque hoc pacto,ſummo ſtudio creditum ſibi officium exequebatur. Porrò per nuncios ſuos, boni teſtimonij viros, tum Sanctorum patrocinia,tum ſacros codices ab vrbe Roma & regionibus tranſmarinis,gnaros quoquè homines,qui diuinæ legis cantica,ſibi ſuiſque meditanda, interpretarentur,meruit obtinere.

S.Gertrudis à matre tondetur.

Catalogus virtutum S. Gertrudis.

Cæterùm mater eius Itta, rebus his ad hunc modum compoſitis, plena iam dierum,cùm etiam nepotes ſuos vidiſſet,non minor annis 60.ab obitu mariti ſui Pipini anno 12.Deo & ſanctis angelis ſpiritum ſuum commendans,migrauit ad Dominum,atque in Niuellenſi monaſterio ſub B.Petri Apoſtoli tegmine honorificè tumulata eſt. Cùm autem matre defuncta S.Gertrudis totum regiminis pondus in ſe ſolam recepiſſet, cogitabat ſecum de rerum cæleſtium contemplatione, cupiebatque ſine rerum temporalium ſtrepitu illi vni vacare.Itaque foris quidem bonis & fidelibus fratribus, intùs verò,id eſt, intra monaſterij ſepta ſpiritalibus ſororibus rei familiaris curam demandabat,vt poſſet ipſa liberiùs die ac nocte in ſancto agone perſiſtere, & vigilando, orando, ſacris incumbendo lectionibus & ieiunijs aduersùs ſpiritales nequitias dimicare.Et hac quidem ratione eouſquè progreſſa eſt,vt penè omnem ſcripturam diuinam memoriæ commendârit,& obſcura allegoriæ myſteria,ſancto reuelante ſpiritu,luculenter auditoribus explanârit. Extruebat verò etiam diuorum templa,aliaque egregia ædificia, ſimulque orphanis,viduis,captiuis,peregrinis & clericis victum quotidianum liberaliter ſubminiſtrabat. Minimè verò hoc loco id prætermittēdum arbitramur,quod ipſa nobis velutì terrore correpta retulit: Cùm ad altare S. Sixti martyris orationis cauſa aſſiſteret, vidit ſuper ſe deſcendentem ſphæram igneam ſanè luculentam, adeò vt tota baſilica eius ſplendore irradiaretur dimidiæ fermè horæ ſpatio; quæ ſenſìm diſpârens, eò redijt,vndè proceſſerat. Poſteà quoquè, etiam alijs ſororibus cernentibus, rursùs eodem modo ſuper ipſam lux illa apparuit.

Itta moritur.

Vides hinc authorē historię huius S.Gertrudis æqualē fuiſſe.

Ablegauerat quandoquè nonnullos pro ſui cœnobij vtilitate. At illi cùm iam mare nauigarent, in præſens vitæ diſcrimen coniecti ſunt. Tum illi in S. Gertrudis memoriam redeuntes,periculum omne euaſerunt. Primò quidem illi tranquillum ſenſêre pelagus: deindè autem procùl conſpiciunt quaſi nauim quandam miræ vaſtitatis, à latere ad ipſos accedentem: cumque ad illos appropinquâſſet,ingens orta tempeſtas eſt, & ferueſcens mare, horrendis agitabatur fluctibus. Eccè autem immanis quædam & terribilis bellua ab illis conſpicitur,non quidem tota, ſed ſolo dorſo è mari eminens.

Ea re perterriti nautæ,& iam salutem omnem desperātes,falsis dijs vota nuncupārunt. Porrò illi,quos S.Gertrudis miserat,nomen Christi inuocantes,putabant se iam ad supremam huius vitæ horam peruenisse: vnusque ex illis exclamauit: Gertrudis,adiuua nos,vti pollicita es. Cumque id ille tertiò diceret, cetus ima pelagi petiuit, & illi cum multo gaudio, reddita maris tranquillitate, eadem nocte in portum appulerunt. Ità Christus precibus S.Gertrudis pauperes suos à præsentissimo mortis periculo liberauit.Hæc quidem nos ab illo habemus, qui præsens interfuit. Cùm porrò aliquot fluxissent anni,& sacrum sanctæ virginis corpusculum, multa abstinentia multisque vigilijs attenuatum,acri insupèr ægritudine fatigaretur, Domino reuelante didicit propè adesse suam è corpore migrationem.Itaque ex consilio seruorum & ancillarum Dei,Abbatissæ honore & officio sese Christi amore abdicans,quantùm quidem ad rerum externarum curam attinet,neptem suam Vuilfetrudem, quæ ab ipsis propè incunabulis apud ipsam ad monasticæ regulæ præscriptum educata, & sacris literis imbuta fuerat, suo loco inuitam coëgit Abbatissæ ministerium exercere. Agebat tum Deo sacrata puella Vuilfetrudis vicesimum ætatis annum, antiquo Francorum stemmate prognata. Erat illa quoquè eleganti forma,familiæ chara, lenis erga subditos, rigida superbis, suauis eloquio,& Dei proximique amore feruens,corporisque integritate conspicua.Effecerat autem pater eius,qui eam dolebat id vitæ genus complexam, vt reges & reginæ, itemque antistites,diaboli id inuidia agente,primò quidem blanda persuasione,deindè verò etiam vi eam è cœnobio extrahere niterentur, res cœnobij illius, cui sancta virgo præerat, sibi sceleratè vendicantes. Sed Domini misericordia & sanctorum precibus munita,omnes suos aduersarios, Christo, cui se deuouerat, adiuuante, mirabiliter superauit.Tantam enim illi gratiam Christus contulit,vt qui priùs, praua inflammati cupiditate,eius accusatores & facultatum monasterij direptores fuerant, multa in eam vsi liberalitate, eius extiterint defensores, omnesque sacræ ædes præclarè instauratæ sint.A suscepta autem Abbatissæ functione anno vndecimo, diebus ampliùs quinquaginta morbo compellente decumbens,solito nihilo minùs more largas eleemosynas in pauperes & inopes conferebat. Tandèm omnibus, vt sacrum monet euangelium, debita remittens,& ab omnibus pacem ac benedictionem recipiens, cùm inter religiosas Dei ancillas fide & spe in Christum munita vixisset, anno ætatis suæ tricesimo lætum Domino reddidit spiritum, nono Calend. Decembris, atque in B. Petri Apostoli basilica summo studio in sepulcro marmoreo condita est.Sed his obitèr commemoratis,eò,vndè sumus digressi,reuertamur.

Liberantur quidam à mortis periculo.
Abdicat se Abbatissæ ministerio.
Vuilfetrudis virginis persecutiones.
Eius constantia.
Luc.6.

Itaque beatissima Gertrudis,posteaquàm se Abbatissæ administratione abdicauit, * triennij ferè spatio perpetuis vacabat precibus & sacris exhortationibus, Deiq; verbum tum sibi,tum suæ curæ creditis annunciare non destitit. Erat interim spe gaudens, in rebus duris & aduersis patiens,mente inuicta,vultu placida & serena,valdè sitiens supremum vitæ suæ diem,quippe quæ peroptaret è carcere ad regnum, è tenebris ad lucem,à morte proficisci ad vitam. Degebat inter mortales solo corpore: nam animo quotidiè transibat ad cælestia,continuis precibus & abstinentiæ afflictioni singulariter addicta.Et licè tenero esset corpusculo, at tamen asperis illud cilicijs macerabat, nihil sibi in hac vita refrigerij aut laxamenti indulgens, vt posset illic beatissima frui quiete, vbi iusti fulgebunt sicut sol,nempe in regno cælorum. Cùm autem ad supremum vitæ diem venisset,planè decreuit,nè quidquam omninò,id est,nullum neq; laneum neque lineum indumentum eius corpusculo adhiberetur, præter velum quoddam penè nullius precij,quod quædam peregrina sanctimonialis ante complures dies illi pro benedictione miserat,vt illo caput eius tegeretur: porrò in sepulcro cilicium poneretur: nec alio operimento se contegi voluit,nisi cilicio,quo erat induta,& panno veteri,quo cilicium illud tegebatur.Dicebat enim,superflua nihil neque viuentibus, neque morientibus posse conferre: quod quidem ità se habere,etiam sapientes affirmant.

** trimestri*
Suspirat ad cælestem patriam.
Matth.13.

Cùm iam propè adesset dies migrationis eius, vni ad se accito è fratribus dixit: Abi celeriter ad illum peregrinum monachum,qui Vltanus dicitur, degitque in monasterio,quod * Vossuinse appellant,dicasque illi: Virgo Christi Gertrudis misit me sciscitatum ex te,quo sit die ab hac luce decessura, valdè enim se formidare dicit, pariterque lætari. Porrò ab illo auditurus es,quæ ad me responsa referre debeas. Abi igitur nihil hæsitans.Fecit ille,quod iussus erat: responditque ei seruus Christi Vltanus: Crastino die intra Missarum solennia Christi virgo Gertrudis è corpore abscedet: dicas verò illi,nè quicquam trepidet ad suũ obitum,sed læta proficiscatur,sancto Patritio episcopo cum

** Fossuense*
Vltanus prædicit obitũ S.Gertrudis

cum beatissimis angelicis spiritibus cum ingenti gloria ipsam excepturo. Interrogante fratre, num hæc diuinitùs ipsi essent reuelata, ille respondit: I properè, certus illam cras Domino spiritum reddituram. Quid prætereà ex me requiris? Abijt itaque frater, & omnia ordine enarrauit sanctæ Gertrudi. Illa quasi è somno euigilans, gratias egit Deo, quòd per seruum suum ipsam dignatus esset consolari: multumque illa promissione exhilarata, totam noctem cum sororibus in psalmis & precibus duxit insomnem: die autem postero qui erat Dominicus, horam circiter sextam, vt vir Dei prædixerat, sacratissimum Christi corporis & sanguinis viaticum accepit: cumque sacerdos precem illam, quam Secretam vocant, absoluisset, anno ætatis suæ tricesimotertio, 16. Calendas Aprilis, gratias agens pijssimo creatori, quòd à corporis corruptione alienam ipsam ad suum regnum vocare dignaretur, feliciter in Domino obdormiuit. Sub obitum munit se Eucharistia.

Tum verò ego vnà cum fratre Richino accersitus eò sum, ob sorores, eius mœrentes obitu, consolandas. Dixit autem ad me frater ille: Sentisne aliquid? Respondi: Nihil equidem sentio, sed sorores video mœstissimas. Hoc cùm dixissem, suauissimus erupit odor, tanquàm fragrantium vnguentorum, totam complens cellulam, vbi sacrum virginis corpusculum iacebat: inhæsitque diù illa miri odoris suauitas nostris naribus, etiam posteaquàm è cella digressi eramus. Impletis autem funeris officijs, in cistella, quam ipsa olim sibi parauerat, à sacerdotibus & Christi ancillis cum diuinis laudibus sacrum beatissimæ virginis corpusculum honorificè conditum est: vbi quotidiè orantibus multa diuinitùs præstantur beneficia. O nimiùm felices illos, qui in hoc seculo degentes, vitam æmulantur angelicam, & licèt corpore agant inter homines, at mente & animis in illa æternitate figuntur, rerumque diuinarum & cælestium contemplatione perpetuò occupantur. Fecit hoc Christi famula Gertrudis, cuius vitam scribimus: nam tametsi corpore versaretur inter homines, & famulorum famularumque Christi esset moderatrix, qui eius ditione continebantur: at tamen internæ & sempiternæ vitæ cogitationem & studium nunquàm abiecit, nihilque de statu rectitudinis suę, nihil de morum grauitate, nihil de disciplinæ regularis seueritate remisit. Itaque hoc apud omnipotentem Dominum promeruisse illam perspicuum est, vt non exiguæ per illam virtutes fiant, vt eius vita hominibus innotescat, planumque fiat, quantum possit precibus efficere apud Deum: præsertim cùm virtutes & signa, quæ Dominus, prout fides petentium exigit, ad eius monumentum dignatur operari, veritati testimonium perhibeant: è quibus nonnulla referemus.

In Treuirensi monasterio Abbatissa fuit, Modesta nomine, ab infantia sua Deo consecrata, & sanctissimæ Gertrudi virgini singulari amicitia deuincta. Multis quidem à se inuicèm milliaribus corpore disiunctæ erant, at amor eas sibi mutuò præsentes semper exhibebat. Vnum enim Christi iugum ambæ ducebant, & synceris mentibus Domino pari studio seruiebant. Post multum verò tēporis Modesta Abbatissa, cœnobij sui templum precandi animo ingressa, cùm se ante aram beatissimæ Mariæ virginis prostrauisset, atque indè, finita precatione, surrexisset, subitò vidit ad dextrum altaris latus sanctam Gertrudem adstare eo in habitu, quo vti consueuerat: audiuit etiam illam sibi dicentem: Soror Modesta, nihil de huius visionis veritate ambigas, sed certò noueris, me hodie migrâsse è vita. Ego enim sum Gertrudis, quam summoperè amâsti. His dictis, ab eius oculis disparuit. At illa secum tacita cogitabat, quid sibi ea vellet visio: nihil tamen illo die cuiquam indicare voluit. Altera autem luce venit ad monasterium eius Treuirensis episcopus Clodulphus: ex quo illa inter alia percontabatur de S. Gertrude, quo habitu vel forma corporis illa fuisset. Ille mox ordine exposuit & staturam corporis eius, & formæ elegantiam. Itaque ex eius verbis cognouit sacra virgo Modesta veram sibi oblatam fuisse visionem, aitque ad Episcopum: Confiteor nunc tibi Domine Episcope, quod hactenùs celaui, reuelatum mihi esse, hesterna die hora quasi sexta ex hac luce illam abijsse. Episcopus diem & horam annotauit, & rem ità se habere, vt Abbatissa dixerat, comperit. S. Gertrudis apparet Abbatissæ Treuirensi. Clodulphus Treuirensis Episcopus.

Anno ab obitu sanctissimæ virginis Gertrudis decimo, in Niuellēsi cœnobio ignem tanta vi erupisse ferunt, vt nemo non desperaret illum à quoquam extingui posse: Christique ancillæ, quæ in eo degebant, extra murum ad loca vicina cōfugerant. Ille autem, cui monasterij cura demandata erat, repentè oculos suos eleuans, vidit S. Gertrudem stantem in suprema refectorij parte, ea forma & habitu, quo fuerat viuens, suoque velo à domo flammas abigentem. Quod vt vidit, non solùm nihil perterritus est, sed multo etiam perfusus gaudio, hortabatur socios, vt constanter agerent: festinusque sursùm Ignē extinguit S. Gertrudis.

 asscen-

aſcendit,vt rei exitum ſpectaret: & eccè miro modo repentè vident omne ab illo monaſterio profligatum incendium.

Hæc ſummatim ſunt reddita ob vitandam prolixitatẽ. Nimiùm prolixi erimus, ſi omnia commemorare velimus, quæ ad eius ſacras reliquias diuinitùs declarantur miracula. Satis itaque ſit compendio dixiſſe, quotquot cum fide eius implorant patrocinia,eos omnes Dei benignitate indè incolumes redire. Ad lectulum quoquè eius,in quo poſt longas vigilias & prolixas preces feſſa membra nonnihil refouere ſolita erat,qui poſteà in S. Pauli eccleſiam tranſlatus eſt,permulta ſigna edita ſunt. Miracula ad lectulum S.Gertrudis Cùm autem poſt Vuilfetrudem Agnes, quæ etiam fuerat S. Gertrudis alumna, Abbatiſſæ locum obtinuiſſet,& in S. Gertrudis honorem templum cõſtruxiſſet, eiuſque lectulum in illud intuliſſent,eadem nocte cum multa ſolennitate vigilias ibi celebrârunt ſacræ virgines: expletiſque nocturnis precibus,lampades omnes, demptis ſeptem,quæ ſemper illic ardebant,extinxerunt: & eccè manè illuc reuerſæ,lampades extinctas ardentes viderunt.Quæ res mox longè lateque diuulgata eſt. Begga ſoror S.Gertrudis. Begga quoquè venerabilis matrona,S. Gertrudis germana ſoror, monaſterium conſtruxit, petijtquè ab Agnete,quam diximus, Abbatiſſa & eius ſororibus ſacras virgines & reliquias, vt cœptum poſſet opus abſoluere. Datæque ſunt ei ſacræ reliquiæ & libri ſanctarum ſcripturarum,& eiuſdem habitùs aliquot religioſæ ſorores,quæ illic monaſticæ religionis prima iacerent fundamenta : addita eſt etiam pars quædam lectuli eius, in quo S. Gertrudis ſoror eius,ſupremum Chriſto reddiderat ſpiritum: quem lectulum pijſſima Begga curauit reponi iuxta altare S.Genouefæ virginis: ad quem certè innumera facta ſunt miracula, Chriſto glorificante ſponſam ſuam, cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DE S. ALEXANDRO EPISCOPO HIEROSOLYMITANO ET MARTYRE, EX ECCLESIASTICA *Hiſtoria Euſebij lib.*′*.cap.9.interprete Ioanne Chriſtophorſono Anglo.*

Martij 18.

De hoc Narciſſo vide Eccl. Hiſt. Euſebij lib. 6.cap.8.&9.



CVM Narciſſus non ampliùs propter ingraueſcentem ætatem miniſterio præeſſe poſſet, Alexander alterius eccleſiæ Epiſcopus, diuina prouidentia per reuelationem, quæ noctù ipſi ſecundùm quietem apparuiſſet, vt cum Narciſſo in miniſterio eccleſiæ fungendo coniungeretur, accerſitus eſt. Vndè Alexandrum,cùm tanquàm diuino quodam oraculo ex Cappadocum regione, vbi primùm in epiſcopatûs gradu fuiſſet locatus, Hieroſolymam tum voti, tum locorum viſendorum cauſa contenderet, illius eccleſiæ fratres eum excipiunt benigniſſimè, & non ampliùs domum reuerti permittunt: idque propter aliam reuelationem,ipſis itidèm noctù viſam: quæ quidem,voce euidentiſſima profuſa, eis, qui erant inter illos ob virtutem ſpectatiſſimi,perſpicuè ſignificauit, vt extra portas ciuitatis egreſſi, cum epiſcopum admitterent,qui ipſis à Deo anteà deſignatus erat. S. Alexander fit Hieroſolymæ epiſcopus. Quo ad hunc modum geſto,Hieroſolymitani communi epiſcoporum conſenſu, qui finitimas eccleſias procurabant, neceſſariò illum apud ſe manere coëgerunt. Idem ipſe Alexander in ſuis epiſtolis,quas ad Antinoitas ſcripſit,quæque adhuc apud nos extant, Narciſſi collegæ ſui in præfectura eccleſiæ Hieroſolymitanæ gerenda mentionem facit, iſta in extrema illa epiſtola ad verbum ſcribens: Salutat vos Narciſſus,qui hîc ante me epiſcopatûs locum occupauit,& centum iam & ſedecim annos prætergreſſus, mecum in eodem miniſterio quorundam precibus coniunctus fuit: qui obſecrat vos, vt idem mecum ſentiatis,eademque ſitis voluntate.

Lib.6.c.32. Alexander Hieroſolymitanæ eccleſiæ epiſcopus in Palæſtina rursùs, vbi Cæſareæ propter Chriſtum præſidis tribunali ſtetiſſet, & magnam fuiſſet ex ſecunda fidei ſuæ confeſſione commendationem adeptus, iam extrema ſenectute, & veneranda planè canicie eximius,carceris cruciatu denuò afflictatus eſt. Quo quidem, poſt præclarum & illuſtre teſtimonium fidei Chriſtianæ præſulis tribunali datum, morte in carcere conſopito, Mazabanes ſucceſſor eius in epiſcopatu Hieroſolymitano declaratur.

VITA

VITA S. CYRILLI EPISCOPI HIEROSOLYMITANI, QVAM NOSTRA AETATE EX ECCLESIASTICAE *historiæ scriptoribus collegit D. Iohannes Grodecius Decanus Glogouiensis.*



Yrillus Hierosolymitanus inter veteres Ecclesię patres, 18. Martij.
sanctos illos verè Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ assertores ac propugnatores, clarissimus antistes recensetur. Nam & cõpluribus ex illis Ecclesiæ columnis æqualis, multis etiam antiquior fuit: doctrinã verò orthodoxã communem cum omnibus catholicis habebat. Claruit temporibus Constantij Imperatoris & aliquot eius successorum: quod multis in locis pleriq; scriptores Ecclesiasticæ historiæ, vt Socrates, Theodoretus, Sozomenus & alij demonstrant, & honorificam semper illius faciunt mentionem. A quibus etiam Nicephorus id accipiens, & catalogũ Patrum, qui circiter tempora Sardicensis Concilij floruerunt, quod de Constantij & Constantis voluntate institutum erat, longa serie recensens: inter cæteros æquales Cyrilli, magnæ authoritatis vnà cum illo & clarissimos fuisse sanioris doctrinæ defensores, cõmemorat Paulum Constantinopolitanũ, Lib. 9. ca. 14. Athanasium Alexandrinum, Antonium Aegyptium, vnà cum vniuerso Aegyptiorum Ecclesi. hist. monachorum cœtu. Deindè subdit: Multi deniq; spectati alij viri eisdem annis viguêre, atq; in ecclesijs Dei enituêre: inter quos præcipuè eruditione & eloquentia floruit Eusebius Emesenus Episcopus, Titus Bostrensis, Serapion Tmuæus, Basilius Ancyranus, Eudoxius Germaniceensis, Acacius Cæsareensis Eusebij successor, Cyrillus, qui post Maximum Hierosolymitanam administrabat ecclesiam, & Theodorus Perinthius, tum & Ephraim Syrus. Hæc & alia permulta scribit eo in loco Nicephorus de claris & catholica pietate excellentibus illius seculi viris: inter quos cùm & Cyrillus Hierosolymitanus recenseatur, quæ sit & quanta illius authoritas, facilè quiuis perspicere potest. Legitur quoq; de eodem Cyrillo, non modò alijs virtutibus, vero Episcopo dignis, illum fuisse præditum, verùm etiam dono prophetiæ non caruisse. Nam cùm Iulianus Imperator, vt scribit in Eccl. hist. Socr. lib. 3. c. 20. (secundùm quosdam 17.) Iudæis templum Hierosolymis instaurare iussisset, & de publico sumptus subministrâsset: tum temporis Cyrillus Hierosolymorum episcopus, memor vaticinij Danielis prophetæ, quod & Christus in sanctis euangelijs confirmauit, ac multis futurum prædixit, quòd in eo templo lapis super lapidem non maneret: Hoc, inquit, Seruatoris oraculũ adimplebitur. Cùm hoc dixisset Episcopus, noctù terræmotus magnus factus, lapides fundamentales veteris tẽpli structuræ euulsit, ac cunctos vnà cum contiguis ædificijs dispersit. Et cùm multi ad miraculum Iudei conuenissent, ignis cælitùs delapsus, cuncta artificũ instrumenta consumpsit. Sequenti verò nocte signa crucis, instàr radij solaris splendentia, vestibus illorũ impressa cõparuerunt, quę extergere nullo pacto potuerũt. Hæc adeò stupenda prodigia vnũ illud Cyrilli verbũ, diuino planeq; prophetico spiritu prolatũ, consecuta sunt.

Cyrillus prophetiæ spiritu pditus.

Dan. 9. Matth. 24. Luc. 19.

Signa Crucis inhęrent vestibus Iudæorum.

Neque verò his tantùm in terra prodigijs prædictionem eius cõfirmare, verùm etiam in cælo maiori miraculo Episcopatum illius Deus illustrare dignatus est. Nam illo præside sacrorum Hierosolymis, signum Crucis in cælo ex lumine, super sacrum montem Caluariæ diebus Pentecostes, hora ferè diei tertia apparuit: & sole tunc lucente, radios Solis, illius Crucis fulgores longè præcelluerunt, ità vt lucis illius excellẽtia vniuersus populus Hierosolymitanus concitatus, maxima cum admiratione signum illud filij hominis aliquandiù spectauerit. Nam & magnitudine Crux illa fuit tanta, vt quindecim stadia excederet, ab ipsoque sacro Golgotha ad montem vsque Oliueti protenderetur: & luce tanta, vt non modò Christiani omnes istic illustratos sese confirmatosque sentirent: verùm etiam Iudæi ac gentiles aduenæ, ab erroribus tenebrarũ auersi, illuminarentur, & crucifixum, verum esse Deum profiterẽtur. Quemadmodùm ipse Cyrillus optimè id describit in epistola sua, quam de eodem admirando signo ad Constantium Imperatorem dederat: & Nicephorus in Historia Ecclesiastica idem pluribus commemorat. Ità sanè tum coruscabat Hierosolymis verbũ Dei multo ampliùs, quàm hisce nostris postremis temporibus apud nos, non modò prædicatione Cyrilli, verùm etiam virtute Dei sequentibus tam admirandis signis.

Signũ Crucis appãret in cælo.

Lib. 9. ca. 21. Ecclesi. hist.

Successit autem Cyrillus in Hierosolymitana sede Episcopo Maximo, & ipse quoquè

Lib.2.ca.27. interprete Iohanne Christophorsono. istic maximus fidei catholicæ defensor erat. Sic enim scribit Theodoretus: Primatum autem Hierosolymorum post Macarium illum, cuius sæpè à me facta est mentio, obtinuit Maximus, vir ob certamina pro pietate suscepta egregiè nobilitatus. Cuius & oculus dexter erutus fuit, & dextri pedis flexus prorsùs labefactatus. Isto ad vitam immortalem translato, Cyrillus alacris & promptus doctrinæ Apostolicæ propugnator, in episcopatûs gradu locatur. Hæc ille. Qua de causa maximas etiam passus est persecutiones ab Arrianis. Nam cùm anim aduertissent illum vehementer hæresibus obstare, & Apostolica dogmata adeò strenuè tueri, congestis quibusdam calumnijs, in quodam conciliabulo suo accusare illum, & deincèps, ità vt alios permultos catholicos episcopos, more suo deponere non dubitârunt: idque ex negocio pietatis illius erga egenos quæsito prætextu, vt author est Sozomenus lib.4. cap.25. secundùm Christophorsonum 24. Ecclesiast. hist. Cæterùm episcopi catholici centum quinquaginta, qui non ità multò pòst Seleuciam ad Synodum conuenerant, depositionem illam ratam non habuerunt, vt testatur Theodoretus in Christophorsoni versione lib.2.cap. 27. Ecclesiast. hist. immò ipsum potiùs aduersarium illius & authorem depositionis Acacium, quàm Cyrillum, ab illa Synodo excludere maluerunt. Nicephorus verò de eiusdem Seleucianæ Synodi actis & de Acacianis scribens: Neque eandem, inquit, cum alijs fidem profiteri, neque ad obiecta crimina respondere sustinuêre. Quin etiam ad Cyrilli Hierosolymitani causam audiendam inuitati, quem ipsi Episcopatu abire iusserant, non adfuêre. neque enim qui eos cogeret, aderat quisquam. At alteri illi (nempe Catholici) non modò liberè hæc egêrunt: sed Acacium & quicunque ad eum confugissent, (quippe qui intentata eis crimina diluere timuissent) dignitate priuârunt.

Cyrillus è sua sede pellitur.

Lib.9.ca.43. Ecclesi. hist.

Cyrilli integritas.

Ex his patet, quanta fuerit Cyrilli integritas, quem ne accusare quidem coram legitimis iudicibus aduersarij veritatis audebant, sed tantùm apud suos sectarios: quorum adeò tum creuerat potentia & audacia, cùm intelligerent Imperatorem suarum esse partium, vt ipsi nihilominùs quos semèl iniquè deposuissent, iniquiùs vi & armis de suis sedibus exturbarent, & alios pro arbitrio suo substituerent. Quemadmodùm accidit & Cyrillo, quo de sede Hierosolymitana deiecto, Heraclius est illi substitutus, vt ait Nicephorus: atque huic rursùm successit Hilarius. Isti nanque vsque ad Theodosij imperium eam ecclesiam administrâsse traditi sunt. Post quos D.Cyrillus deincèps sedem suam recuperauit. Quomodò autem is denuò ad sedem suam peruenerit, & quo pacto in ea sese gesserit, ex literis Synodi Cōstantinopolitanæ, quæ Nectario præside sub Theodosio celebrata est, ad Damasum, Ambrosium & reliquos episcopos Romæ coactos, videre est, cùm scribunt: In ea verò ecclesia, quæ aliarum omnium mater est, Hierosolymis reuerendissimum & Deo amantissimum Cyrillum episcopum esse scimus, ritè iamdudùm à prouincialibus episcopis electum: qui sanè diuersis in locis plurimùm aduersùs Arrianos decertauit.

Lib.9.ca.49.

Niceph. lib. 12. cap. 16.

Epiphanius quoquè lib.3. Tom.1. Hæresi 73. Cyrilli huius meminit, quòd præter Acacium Arrianum, cum alijs quoquè illius sectæ episcopis contendere religionis ergô non dubitauit. Et Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum de illo scribit: Cyrillus Hierosolymę Episcopus sępè pulsus ecclesia & receptus, ad extremum sub Theodosio principe octo annis inconcussum episcopatū tenuit. Itaq; ex his & alijs permultis Ecclesiasticorū Scriptorū testimonijs certū est, Cyrillum fortissimum Christi athletam, & orthodoxæ fidei assertorem constantissimum, multis annis pro veritate fidei decertâsse, persecutiones varias pertulisse, atque hoc bonum certamen certâsse à primis ferè annis Constantij Imperatoris, vsque ad complures annos Theodosij: cursum autem suum tum demùm consummâsse, cùm Theodosius, deuicto Maximo tyranno, qui Romanum Imperium in Occidente inuaserat, rebus Romanis rectè constitutis, Constantinopolim reuersus, filios suos Arsenio erudiendos traderet, vt scribit Nicephorus: Eadem tempestate Timotheus & Cyrillus, qui in Alexandrinæ & Hierosolymitanæ ecclesiæ thronis enituerant, vita defuncti, alter quidem Alexandriæ Theophilum, alter autem Hierosolymis Iohannem successorem habuit, vsque ad tempora Anastasij & Innocentij Pontificum Romanorum. Iohannis verò successor erat Hierosolymis Nepos. Hactenùs Nicephorus. Et Cyrillus quidem ità, vt legimus, bonum certamen certauit, cursumque vitæ suæ consummauit: decætero autem reposita est illi corona iustitiæ, quā retribuet illi iustus iudex. Quàm præclaram autem & sanctam suî memoriam apud posteros etiam reliquerit Cyrillus, tum scripta illius

Lib.12. c.24.

illius,quæ extant: tum Orientalis Ecclesiæ fasti seu calendaria, in quibus preces anniuersariæ & commemorationes Sanctorum descriptæ sunt, abundè testantur. Nam vt aliorum Patrum,qui in Sanctorum cœtu clariores habentur, ità huius quoquè Cyrilli Hierosolymitani die 18.Martij in ecclesijs Græcis sancta celebratur memoria: ac scriptis quoquè illius apud Græcos nomen sancti Patris præfixum vbiquè reperitur. Festũ S. Cyrilli apud Græcos.

S. EDVARDI REGIS VITA ET MARTYRIVM, VT IN ANTIQVIS MS. EXEMPLARIBVS HABENTVR: *sed paulò Latiniùs hîc reddita sunt per F. Laurentium Surium.*



INclytus Rex Eduardus multa fuit generis claritudine, ab antiquis Britanniæ regibus originem ducens: & quod longe illustrius est, in teneris annis à Dunstano sanctissimo pontifice Cantuariensi Christi sacramento regeneratus, cœpit virtute & probitate pollere. Patrē habuit Edgarum regem,rebus & bello & pace gestis valdè insignē : matrem verò Elfledam, præpotētis cuiusdam Orientalium Anglorum Ducis filiam. Et quidem Edgarus postquàm non pauca sibi eius terræ loca subdiderat, & iam monarchiam obtinere videretur, solus imperio potitus, vbì priùs multi regnauerant: hortantibus eum SS. Dunstano Cantuariensi & Atheluuoldo Vuintoniensi Episcopis,permulta monasteria illarum regionum,quas subiugârat,ab alijs vastata,suis impendijs iussit instaurari, nônulla etiam noua à fundamentis extrui: ad quorum alia misit Abbates cum aliquot monachis, disciplinæ monasticæ conuenienter victuris: ad alia verò sanctimoniales, Christo seruituras. Omnibus autem prædia & villas attribuit, vndè affatìm eis suppeterent, quæ ad victum vestitumque pertinerent. Et ipse quidem pius rex cōstituerat monachorum cœnobia subindè inuisere & fratres consolari: Porrò reginam voluit idem præstare erga fœminas Deo sacratas. Habebat autem ex altera coniuge etiam filium Ethelredum. Interìm Eduardus maior natu filius,optimæ indolis puer,lasciuiam omnem & illecebrosas vitę huius voluptates respuēs, ità se erga Deum & homines comparare studuit, vt Deo quidem ante omnia mentis & corporis integritate sectanda placeret: hominibus verò gratum & amabilem se exhiberet. Erat verò etiam multa industria & prudētia conspicuus. Ijs permotus pater eius Edgarus, illum post se voluit regni sceptra tenere: ac deindè compositis regni rebus,pijssimus rex vita functus est anno à Christo nato 977. regni verò sui 16.mensis Iulij die octauo.

18.Martij. Parentes S. Eduardi. Edgarus rex construit cœnobia. Attribuit illis prædia &c. Edgari mors.

Eo defuncto,Eduardus ex patris volūtate à S.Dunstano & quibusdam regni proceribus rex creatur. Ipso autem consecrationis eius tempore quidam regni optimates illi se opposuerunt. Id vt vidit S.Dunstanus,nihil à sententia sua dimotus,vexillū S.Crucis,quod pro more ante illum ferebatur, in medio statuit, & cum cæteris regni episcopis Eduardum regem consecrauit: eumque quoàd vixit, sanè paterno amore complexus est, quippe quem à primis ætatis annis in filium adoptauerat. Vbì igitur ad regni gubernacula Eduardus rex peruenit,à rege regum Christo opt. max. in viam iustitiæ & veritatis dirigebatur,& cùm esset regia maiestate sublimis,in dies studebat animi humilitate fieri submissior. Et vt regni negocia prudenter curaret, noluit in consilium adhibere iuuenes aut minùs sapientes: sed eius quē diximus, sancti pontificis Dunstani monitis obtemperabat,& ex illius aliorumque religiosorum & spectatæ integritatis virorum consilio,in iudicijs sententiam promebat. Paternis quoquè vestigijs insistens,tam rebus bellicis quàm Ecclesiasticis negocijs strenuum ac deuotum intendit animum: hostibus quidem & flagitiosis hominibus seuerum & terribilem : pijs verò, & illis præcipuè,qui essent sacris initiati, quemadmodùm à patre didicerat, benignum se præbebat,& ab omni illos infestatione tuebatur. Erat prætereà hæc illi quotidiana exercitatio,inopes alere, pauperes beneficijs fouere, nudos tegere, in maximis lucris ponere, quicquid in miseros contulisset. Magna tunc apud Anglos lætitia, inconcussa pax & tranquillitas,multa rerum opulentia existebat. Videbant enim regem suum in tenera adhuc ætate talibus studijs deditum: tum quoquè cunctis affabilem, castitate venerabilem,facie iucundum & decorum,consilio & prudentia spectatissimum.

Eduardus consecratur rex. Eius consiliarij. Benignitas in egenus.

Torquebatur interìm inuidia coluber tortuosus,totius boni æmulus, eiusque felices

ces conatus & communia regni totius gaudia interturbare modis omnibus annitebatur. Itaque odio inflammat animũ nouercæ eius Elfridæ, quæ ægrè ferebat Eduardum suo filio Ethelredo antelatum. Conuertitur interim ad callida consilia mulier detestabilis, & tandem quod animo secum diù tractârat, quibusdam suis consiliarijs, & regni primoribus exponit, communicatoque cum illis consilio, orat & obtestatur, vt ipsi faueant, cogitentque viam, qua Eduardum regni sede deturbare, suumque filium Ethelredum in eius locum sufficere possint. Illi verò in Eduardi necem pariter conspirant, eiusque celeriter illi afferendæ machinas excogitant. Iam tres annos & menses octo Eduardus regno potitus erat, & ecce die quodã cum canibus & equitibus in syluam, cui villa Vuerham adiacet, venationis causa proficiscitur. Erat id temporis ea sylua benè grandis, tametsi hodiè rara tantùm spineta & nucum arbores neglecto situ, campis latè patentibus, illic visuntur. Cùm autem in ea venatione aliquandiù hæsisset, incessit animum illius cupido inuisendi fratrem suum Ethelredum. Amabat enim illum syncerè & ex animo. Porrò syluæ illi adiuncta erat domus nouercæ eius, vbi Ethelredus educabatur eo in loco, quem incolæ Corph vocant, qui ab ea, quam diximus, villa tribus abest milliaribus, vbi nunc castrum sic satis egregium constructũ est. Eò igitur iter intendens Eduardus, paucos sibi comites adhibuit, qui tamen ludendi causa hac illac dispersi, regem solum reliquêre. At ille cùm iam eminùs domum nouercæ cerneret, illuc vt agnus mitissimus solus ire perrexit, nihil quicquam sibi metuens, quippe qui neminem se vel minima re læsisse vel offendisse meminisset. Nunciatur interim reginæ illum aduentare. Illa verò plena dolo & iniqua in pijssimum adolescentem cogitatione, ad complenda animi sui desideria opportunum tempus adeptam se gaudens, obuia mox cum satellitibus & suæ nequitiæ administris, tãquàm eius aduentu sibi gratulans, illi procedit, blandè & comiter salutat, inuitat ad hospitiũ. Illo recusante ingredi, tantumque fratrem se videre & alloqui velle affirmante, regina ad alia se transfert machinamenta, iubet absque mora potum regi offerri. Adfertur potus, rex nihil mali suspicans, admouet ori poculum, & ecce vnus ex reginæ administris, cæteris ad audendum promptior, & ad scelus patrãdum immanior, cùm priùs teterrima simulatione regem osculatus esset, quemadmodùm Iudas Christum, rege summis labris potum degustante, in illum cruentissimus latro insilijt, cultelloque eius viscera transfixit. Ille tam atroci accepto vulnere, paululùm indè deflexit, & mox ex equo, quo sedebat, exanimis corruit. Incidit tam barbarum facinus in annum Christi 981. & quod dictu quoquè nefas est, in sacrum Quadragesimæ tempus, nempe diem 18. Calendas Aprilis. Nos quidẽ piè credimus diuinæ prouidentiæ mirabili dispensatione id ità accidisse ad maiorem militis sui gloriam, vt qui annuo Quadragesimæ ieiunio carnem suam macerando, aliaque pietatis opera exercendo, pro laudabili more & instituto Christianorum ad sacratissimum Dominicæ resurrectionis diem sese præparabat, bono fine consummatus, cum bonorum operum fructu in cæleste illud palatium à Christo susciperetur. Vbi verò cognouit regina illũ de equo cecidisse mortuũ, iubet corpus exanime proijci in vicinum domicilium, nè tantum scelus innotesceret. Obtemperant crudeles ministri sceleratæ mulieri, & sacrum corpus per pedes contemptìm arreptum, eò, vbi illa iusserat, abijciunt, & vili stramine tegunt.

Nouerca illi cum alijs quibusdam necem parat.

Rex pius crudeliter necatur.

In illa autẽ domuncula mulier erat à primo ortu cæca, quam regina alebat. Ea cùm proxima nocte illic apud sacrũ corpus sola pernoctaret, ipsa intempesta nocte immensa lux domicilium illud compleuit, & cæca illa mulier Dominum deprecans, meritis sancti regis lumen diù desideratum obtinuit: in cuius rei memoriam eodem in loco posteà à Christianis templum ædificatum est. Illucescente autem die, cùm rem gestam ex fœmina didicisset crudelis regina, multùm anxia timere cœpit cędem, cuius ipsa author fuerat, propalatum iri. Mox igitur præcipit tolli sacrum corpus, & in paludes deprimi, nè posset ab vllo vnquàm reperiri: nec hoc contenta, palàm edicit, nè quis regem extinctum ploret, nec de illo omninò loquatur. Deindè proficiscitur ad quędam suæ ditionis locum, qui decem aberat milliarijs, nè posset in ipsam patratæ necis vlla cadere suspicio. Ethelredus autem adeò mœrebat ob crudelem fratris sui cædem, vt neque lachrymas cohibere, neq; vllam posset cõsolationem admittere. Id molestè ferens atrox regina, furore correpta, cùm non haberet ad manus alia, cãdelis tandiù verberauit illum, donèc eius vlulatum compesceret. Iam annus ferè elapsus erat, & volens præpotens Deus martyrem suum mundo innotescere, & quanti apud ipsum meriti esset, declarare, corpus eius venerabile quibusdam fidelibus, deuotè illud inquirentibus, reuelare

Nocte intẽpesta lux immensa ad corpus S. Eduardi, & cæca illuminatur.

Ethelredus fratris necem plorat.

reuelare dignatus eſt. Nam eo in loco, vbi in paludem depreſſum erat, columna ignea cælitùs demiſſa apparuit, & ſuis radijs omnia circunquaquè illuſtrauit. Viderunt id pij quidam viri in vicina villa, (nam ſæpè lux illa extitit) & in vnum collecti, tranſtulerũt ſacrum corpus in villam ſuam. Fit magnus hominum concurſus, plangentium obitum pijſſimi regis & fidiſſimi protectoris ſui: deportaturque cum multo gemitu venerabile corpus ad templum beatiſſimę Marię virginis, & in eius orientali parte officioſiſſimè ſepelitur Idibus Februarij: vbi lignea ædicula à viris religioſis ædificata, hodiéque cernitur, & fons eo loco, vbi priùs iacuerat, dulces & perſpicuas iam indè ab illo tempore emanat aquas, diciturque fons S. Eduardi, vbi ſanè multa ægris quotidiè prętantur beneficia in laudem & gloriam Chriſti. Corpus eius diuinitus indicatur.

Iam verò fama diuulgante, per Britanniam reginę fraus & impietas propalatur, rex innocens laudibus in cęlum tollitur, virtutes & merita eius vbiquè celebrantur. Peruenit etiam ad aures comitis Alferi, ſacrum corpus regis cæleſti indicio repertum: iſque mirificè exhilaratus, & domino ſuo tanquàm adhuc ſuperſtiti fidelem cupiens nauare operam, ad locum inſigniorem illud transferre decreuit. Itaque epiſcopos, abbates & regni proceres, quotquot ſibi adiungere potuit, hortatur vt in eandẽ curam vnà ſecum incumbant. Miſit etiam nuncium ad Vuilfredam abbatiſſam cœnobij Vuiltonienſis, orans vt cum virginibus ſuis tanti regis exequijs nõ deſit. In eo autem monaſterio erat regis Eduardi ſoror, virgo admodùm venerabilis, multa vitę & morum integritate pollens. Conuenientibus igitur Epiſcopis, Abbatibus & alijs permultis cum multa veneratione & ſtudio, comes Alferus è Dorſata multos vtriuſque ſexûs homines collegit, & ad eum locum, vbi ſancti regis corpus humatum fuerat, cum magna deuotione peruenit. Ibì tum ſacrum illud corpus in tantæ multitudinis præſentia detectum, adeò ab omni corruptione repertum eſt alienum, àc ſi die illo tumulatum fuiſſet. Quod vt viderunt epiſcopi & alij omnes, Deum hymnis & laudibus glorificârunt, qui ſancti martyris innocentiã tam euidenti ſigno declararet. Porrò ſoror eius antedicta ad ſacrum corpus accurrens, illud ſtringit amplexibus, religioſè exoſculatur, largis lachrymarum imbribus rigat faciem, nec ſatiari poteſt tanta fratris ſui gloria. Accedunt indè viri venerabiles, & cum ingenti cleri populique gratulatione illud ſanctum corpus ad celeberrimum cœnobiũ Scephtoniã deferunt: quod olim diuę memoriæ Elfredus rex, S. Eduardi atauus, cõdiderat, & pro amore filiæ ſuæ Ailenæ, quam cæleſti ſponſo deſponſam, in illud monaſterium tradiderat, ampliſſimis auxerat donis & poſſeſſionibus. Eduardi regis ſoror ſanctimonialis. Corpus eius incorruptũ.

Accurrebant intereà permulti ſexûs vtriuſque homines, & in ijs duo pauperes adeò contracti, vt vix manibus & cruribus per terram poſſent repere, Deum & S. Eduardum pro incolumitate reddenda exoraturi: cumque feretro propinquâſſent, & illi, qui ſacrum ferebant corpus, eis feretrum impoſuiſſent, confeſtim cunctis aſpectantibus ſanitati ſunt reſtituti. Fit repentè clamor populi, S. Eduardi merita prædicatur. Ad reginam quoquè perferuntur tam præclara miracula, & illa corde compungitur ob admiſſum ſcelus: aſcenſoque mox equo, veniam petitura, ſe accingit itineri, quod ducit ad corpus martyris. Eccè autem inter equitãdum ità diuinitùs retardabatur, vt equus eius retrocedere potiùs quàm progredi videretur, nec vlla ratione efficere poſſet, vt is procederet. Animaduertens igitur pro ſuo immani facinore iſthuc ſe perpeti, ab equo deſcendit, pro maiori reuerentia pedibus ſuis itura ad corpus ſancti martyris: ſed tunc quoquè ſenſit ſe repelli retrò, nec potuit voto potiri ſuo. Porrò ſacrum corpus ad locum deſtinatum perductum, à virginibus Chriſti honorificè exceptum, & ad ſummi altaris partem borealem reuerentèr admodùm conditum eſt 12. Calend. Martij: vbi deinceps multa ſunt ægris diuinitùs collata beneficia: multa verò etiã miracula ſcriptorum negligentia non ſunt literis annotata, neque nos alia de ſancto Chriſti martyre referre voluimus, quàm quæ ab alijs bona fide conſcripta inuenimus, aut fidelium hominum relatione didicimus. Tandèm anno Domini 1001. qui fuit 21. ab eo, quo illic corpûs venerabile tumulatũ fuit, eleuatum eſt, incredibili odoris ſuauitate indè manante, & in locello accuratè præparato repoſitum, atque cum alijs ſanctorum reliquijs in ſanctis ſanctorum honorificè collocatum. Nam & ipſe ſanctus rex cuidam in viſione præceperat, vt eius cœnobij Abbatiſſa indicaret fratri ipſius regi Ethelredo, vt aliò ſanctũ corpus transferret: & ipſe ſacri pignoris tumulus quotidiè mirabili facilitate à terra eleuabatur, non obſcuro vtiquè argumento, ſanctum regem ſacras reliquias ſuas alibì velle tranſponi. Duo cõtracti ſanãtur. Nota diuinã vltionẽ. Corpus ſacrũ eleuatur.

DE

DE S. IOSEPH, PATRE PVTATITIO IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI: DE QVO ETSI SPARSIM

apud sanctos Patres habeantur nonnulla, quæ ad eius faciant commendationem, tamen quia nos non tam encomia quædã, quàm integras historias, vbi fieri potest, edere cupimus: omissis illis, pauca duntaxat ex D. Bernardo huc adscribemus, nè tantum Patriarcham neglexisse videamur. Porrò Lector non dubitet tantum fuisse hunc virum, quantum esse decuerit & patrem licèt putatitium Saluatoris, & sponsum præstantissimæ virginis.

Martij 19. Ex D. Bern. Homi. 2. super Missus est.



NEcessariò fuit desponsata Maria Ioseph, quandò per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur. Quid sapiẽtius, quid dignius diuina prouidentia? Vno tali cõsilio secretis cælestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama virginis matris. Alioquin quãdò pepercisset iustus adulteræ? Scriptum est autem: Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Benè cùm esset iustus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquàm iustus esset, si cognitam ream consensisset: sic nihilominùs iustus non esset, si probatam innoxiam condemnâsset. (Matth. 1.)

Cùm ergò iustus esset, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Quarè voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed patrũ sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat, cùm diceret: Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ità ergò & Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & à tanta non debere sibi vltrà familiare præstari cõtubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem: expauit Centurio præsentiæ maiestatem. Exhorruit nimirùm & Ioseph, sicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem: & ideò occultè voluit dimittere eam. Miraris, quòd Ioseph prægnantis sese consortio virginis iudicabat indignum, cùm audias & sanctam Elisabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore & reuerentia? Ait nanque: Vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideò itaque Ioseph voluit dimittere eam. (Ioseph cur voluerit dimittere S. Mariam. Luc. 5. Matth. 8. Luc. 1.)

Sed quarè occultè, & non palàm? Nè videlicet diuortij causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo duræ ceruicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nonne mox increduli & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quandò nanque veritati crederent tacenti in vtero, quam posteà contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdùm apparenti, cui postmodùm impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Meritò ergò vir iustus, nè aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam.

Sin verò aliter quis sentiat, & Ioseph sicut hominem dubitâsse contendat: sed quia iustus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, & ideò voluerit occultè dimittere eam: Breuiter respondeo, etiam sic dubitationem illam Ioseph fuisse necessariam, quæ diuino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est: Hæc autem eo cogitante, scilicet, quòd occultè dimitteret eam, apparuit ei angelus in somnis, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam cõiugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Ioseph, vel potius, sicut ponit Euangelista, viro, cui nomen erat Ioseph. Virum nominat, non quia maritus, sed quòd homo virtutis erat: vel potiùs, quia iuxta alium Euangelistam, non vir simpliciter, sed vir eius dictus est: meritò appellatur, quod necessariè putatur. Debuit ergò vir eius appellari, (Matth. 1. Luc. 1.)

pellari, quia necesse fuit & putari: sicut & pater Saluatoris nō quidem esse, sed dici meruit, vt putaretur esse, dicente hoc ipso Euangelista: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph. Nec vir ergo matris, nec filij pater extitit, quanuis certa (vt dictum est) & necessaria dispensatione vtrunque ad tempus & appellatus sit & putatus. Luc.3.

Conijce tamen ex hac appellatione, qua, licèt dispensatoria, meruit honorari à Deo, vt pater Dei & dictus & creditus sit: conijce & ex proprio vocabulo, quod augmentū non dubitas interpretari, quis & qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul & memēto magni illius quondàm Patriarchæ venditi in Aegypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assequutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus, & ductus in Aegyptū, Christi venditionem præfigurauit: Iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens, Christum in Aegyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri: Iste dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: Isti datum est conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: Iste panem viuum è cælo seruandum accepit tam sibi, quàm toti mundo. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris. Fidelis, inquam, seruus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum. Gen.37. Matth.2. Gen.39. Matth.1. Gen.40.

Huc accedit, quòd dicitur fuisse de domo Dauid. Verè enim de domo Dauid, verè de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degenerans à patre suo Dauid. Prorsùs, inquā, filius Dauid, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione: quem tanquàm alterum Dauid Dominus inuenit secundùm cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanū, cui tanquàm alteri Dauid incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo principum huius seculi agnouit: cui denique datum est, quod multi reges & prophetæ cùm vellent videre, non viderunt: audire, & non audierunt: non solùm videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire & custodire. Non tantùm autem Ioseph, sed & Maria descendisse credenda est de domo Dauid. Alioquin non esset desponsata viro de domo Dauid, si non esset & ipsa de domo Dauid. Ambo igitur erant de domo Dauid: sed in altera completa est veritas, quam iurauit Dominus Dauid: altero tamen conscio & teste adimpletæ promissionis. S. Ioseph nobilitas. Psal.50. Luc.10. Psal.131.

VITA B. IOHANNIS SYRI CONFESSORIS, AB ADONE EPISCOPO CONSCRIPTA IN *ipsius Martyrologio.*



APVD Penarensem vrbem natale beati Iohannis, magnæ sanctitatis viri, qui de Syria oriundus, peruenit ad Italiam: Cùmque quæreret locum habitationis suæ, orationem fudit ad Dominum: Te deprecor Domine, qui lumen es verum, si prosperum facis iter meum, hoc mihi signum fiat: Vbicunque ambulauero, si Psalterium meum dedero, & eadem die mihi redditum fuerit, ibi sit permansionis meæ locus. Factum est, Recepit eum hospitio matrona quędam, cui vir Dei psalterium suum dedit, requisiuit: eique mox à muliere redditur. Hoc itaque signo, vt stationem suam ibi vir Dei faceret, confirmatur, ac indè non longè plùs minus've, quàm duarum sagittarum progressus, habuit angelum Dei obuium, qui ei dixit: Serue Dei, hîc tibi locus permansionis à Domino parabitur. Erat autem hyems, & sedebat vir Dei sub arbore. Venatores verò cùm per locum transitum facerent, viderunt eum sedentem, atque arborem illam iuxta illum folijs vestitam. Requirentes autem virum, quis esset, ob Domini seruitium se de vltramarinis partibus locis've venisse, moraríque hîc velle respondit. Nunciantibus igitur illis, famaque vitam beati viri longiùs spargente, tanta frequentia populi Dei vndequaque illuc aduenit, vt monasterio facto, 19. Martij. E Syria venit in Italiam. Plurimi ad eū accurrūt & fiunt monachi.

congregatio magna seruorum Dei simul habitantiũ ibì fieret. Cui præfuit multis clarus virtutibus beatus Iohãnes quadragintaquatuor annos: & requiescẽs in pace, depositus est 14. Calend. Aprilis in loco, vbì præstantur beneficia Dei vsque in hodiernum diem.

VITA S. LANDOALDI, S. ROMANÆ ECCLESIAE ARCHIPRESBYTERI ET CONFESSORIS,

itemque translatio eius & sociorum, ab Nodgero episcopo Leodiensi duobus libris explicata.

PRAEFATIO AVTHORIS.



Vuomarus Abbas S. Bauonis apud Gandauum.

Nodgerus, quem, etsi indignum sanctæ Mariæ, sanctiq; Lamberti mancipium, prædicant tamen episcopum, Vuomaro venerabili in Christo patri, & fratribus Gandẽsibus, omnibusque fidelibus quocunque locorum positis, hæc oculo non obliquo lecturis, perpetuitatem vitæ cælestis.

Postulare, immò exhortari facultatulam nostrę modicitatis, patres reuerendissimi, nõ dubitâstis, vt ex mirabilibus seculis omnibus & gentibus prædicandis, nostris diebus, licèt simus indigni, nobis quidem manifestatis, vobis insupèr prærogatis, in translatione scilicet S. Landoaldi archipresbyteri & sociorum eius reuelatis: quia ex nostra elati diœcesi, vestro, præordinante Deo, cesserunt iuri, debemus, quantum ad nos vsque, fama vulgante potuit perferri, omnium, immò vestræ satisfacere petitioni. Iusta quidem petitio & digna exhortatio, quæ iuxta quendam sapientem, & de præsentis honestate propositi, & de futurę ætatis vtilitate coniuncta est. Nisi enim gesta eorum, incuria prędecessorum nostrorum deperissent, nobis hodieque sufficerent. Sed quãta audiuimus & cognouimus ea, & patres nostri narrauerunt nobis, ea videlicèt, quæ adhuc nostra tenet memoria, rogatis scripto mandãda, nè itidèm & nos damnemur à posteritate subsecutura. Positis adhæc in ancipiti, quia præsulatum apud vos omnium artium artem constat esse & credi, suspensam mentem silentium librabat, illudq; poëticum animum offendens, In syluam ne ligna feras: parùm quid diffidentiæ importabat. Sed quia in culpa est animus, qui se non effugit vnquàm, diffidentiæ torpor cessit, expostulatio vestra inualuit: nisi quòd celeritas, quæ iuxta Socratem beneficium gratius facit, plùs festinare, quàm res expostularet, nos compulit. Erat nanque ante nos dictum, vires, quas imperitia denegat, charitas subministrat: & quia incepto tantùm opus est, cætera res expediet: Igitur adorsi sumus, nè vestram authoritatẽ defugere videremur. Præsumenti enim authoritas datur cùm credit, quem postulat, præstare posse quod petitur; & scienti econtra parére æqualis est gloria cum imperante. Si quis autem fortè futurus obtrectator, obliquo hæc oculo non timuerit limare, & odio obscuro mortuque præsũmpserit venenare, in eius satisfactionem Iesum & sanctos angelos eius, iudiciumq; futurũ testamur, nos parùm hìc aliud posuisse, quàm quæ aut à presbytero Saraberto, id sanctè iurante, à vobisque, vt ipse retulit, fortiter & horum merita sanctorum obtestato, audiuimus, aut in scripto vestro, nobis delato fideliter mandata reperimus: exceptis duntaxàt ijs, quæ ex episcopatu nostro decerpta, huic schedulæ pro temporis ratione videbantur congruenter præponẽda. Valete, datum tertiodecimo Calend. Iulij, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo octogesimo, Indictione octaua, Imperante domino Ottone post mortem patris anno octauo, Episcopatus nostri anno nono.

S. Gregorius Homil. 21. in Euangelia.

VITÆ S. LANDOALDI, LIBER I.

19. Martij.



Francorum regnum à suî principio semper infatigabile, tunc præ cæteris sibi collimitaneis visum est florere, cũ iugo Dominicæ fidei colla passim est inclinare, & quod priùs adorârat, incendere: quod incenderat, voluit deincèps adorare. Maximum autem accepit incrementum & firmum sub eo sancta Dei Ecclesia statum, cùm Lotharius rex, iusta successione hinc quartus, monarchiam singulariter trium regebat regnorum, & cùm quadragesimum agebat annũ, quem Heraclius Augustus, sanctæ crucis relator, quartumdecimum. Hic sceptro suo nullius circum-

Lotharius rex.

circumpositi sceptrum passus est occursare: sed quicquid penè Gallia & Germania regum & gentium continebat, suis habenis studuit coërcere. Hic filium suum inclytum Dagobertum Austrasijs præfecerat, eiusque dominio Germaniæ regnum cõiunxerat. Quorum fidelissimo tempore intantùm exuberauit Christianitatis titulus vbiquè, vt penè rara aut nulla citra finitimos inueniatur hodieque ecclesia, quæ non alicuius eius sancti temporis nobis prætendat patrocinia. Sed vt sileamus interim de innumeris, sancti viri Eligius & Audoënus Palatinis inceptabant insudare curis, beatus Arnulphus cũ Romarico iam tunc intererant regalibus consilijs: sanctus autem Amandus Aquitaniam natiuitatis suæ illustrabat auspicijs. Qui dum puer adhuc esset, patriam parentesque reliquit, Ogiamque insulam, ad Occidentem maris Oceani positam, expetiuit. Illic à fratribus spiritualibus cum magno recipitur gaudio: & quia sacras literas didicerat, in Dei quotidiè seruitio maiori feruebat desiderio. Post hæc ætate quidem adultior, sed animi intentione feruentior, apud Turones sancti Martini petijt sepulcrum. Ibi eius interuentionis orauit auxiliũ, vt id sibi gratiæ apponi postulet Dominum, quatenus peregrinationi totius vitæ sibi concedat dependere cursum. Ab oratione surrexit, capitis comam sibi abscindi fecit, Clericatûs adeptus honorem, omnem in clero gratiã, peregrinando tamen, transcendit per ordinem. Bituricos deinceps adijt, cum beato Austrigisilo eiusque archidiacono sancto Sulpitio sanctissimè conuersatus, in cella, à se ędificata, per quindecim annos arctissimæ vitæ se addixit. Deinde Romam quoque regressus, & à B. Petro per visum monitus, vt Gallias prædicationis causa repedaret: tandèm coactus à rege & sacerdotibus, episcopus ad prædicandum, vt tunc moris erat, est ordinatus. Circunquaquè etenim paganorum errore adhuc impendente, necessè erat tam religiosis principibus, quàm Domini sacerdotibus, alios ad verbũ Domini annunciandum, baptizandumque populum & confirmandum ordinare.

Dagobert' Austrasiorũ princeps.

Historia S. Amandi.

Quod vt nemini videatur ambiguum, testis est Taxandria, post multos hinc annos à B. Lamberto idolorum culturis stirpitùs liberata. Brachbantium quoque, multis erroribus gentilium irretitum, ab eius successore S. Huberto ex parte correctum: Germania etiam penè tota, nouiter non solùm conuersa, sed etiam nouis episcopijs & ecclesijs illustrata pariter & ditata. Ex ijs alios nouimus prædicationi vsque ad obitum institisse, alios vacantibus episcopijs aut abbatijs posteà subrogatos esse, alios nouis ecclesijs, episcopia noua instituisse. Beatus verò Amandus officium susceptum strenuè impleuit: circumcircà positis, Vacceiam, id est, Vasconiam & Danubium vltra perreptans, verbum Domini annunciauit, donèc vires suas ad opus tam arduum videns non sufficere, Romam deliberauit iteratò adire. Romanum vniuersalem Pontificatum Martinus Papa tum administrabat. Cui B. Amandus votum, cuius obtentu venerat, expromplit: qui vt sibi ad id opus peragendum suppetias mitterentur, poposcit. Destinati sunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adiutores. Inter quos S. Landoaldus Archipresbyter, Amantius Diaconus: quos etiam comitatæ sunt sanctæ fœminæ Vinciana & Adeltrudis, cum alijs viris & mulieribus septem. Per idem ferè tempus B. Iohannes Tungrensium vel Traiectensium feliciter regens pontificatum, mortem occubuit.

Brachbantium, pro, Brabantia.

S. Amando socij cõplures adiunguntur Roma abeunti.

Dagobertus rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, B. Amandum euocauit, Traiectensium cathedræ præsidere fecit. Qui per triennium vicos & castra, verbum vitæ annunciando, circuiuit: sed nil se proficere cernens, sacerdotes insupèr & Leuitas insultare sibi dolens, ad alia deinceps loca demigrauit. Incompertum est deindè, quanta temporis intercapedine plebs Traiectensium fuerit vsque ad B. Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quia fama ad nos vsque perferente accepimus, B. Landoaldum illic remansisse, & per nouem annos vices pontificis administrasse. Cui opinioni illud nos facilè facit accedere, quia refertur idem B. Landoaldus specialem patronum nostrum, sanctum scilicet Lambertum, prima pueritia nutriuisse. Propter quod & illustris vir Aper, eiusdẽ pueri pater, prędium vocabulo Vuentershouum, super Archa fluuium positum, eidem ad inhabitandum & ecclesiam construendam perpetuo iure concessit, & eundem puerum, diuinis dogmatibus imbuendum, cum eo manere constituit. Vbi dum artifices operi insistunt, & aquam, vtpotè de paludibus turbidam, fastidiunt, B. Landoaldus cum puero Lamberto, inuocato Christi nomine, cum crucis protensione fontem limpidissimum baculi impressione omnium vsibus fecit ebullire, qui fidem dictis præbet vsque hodiè.

Fit Traiecti Episcopus.

S. Lãbertus à S. Landoaldo nutritus.

Fons ad eorum preces scaturit.

Alio itidem tempore cùm vsui necessario ignis deesse videretur, accitus à viro sancto

puer, ignem inferre iubetur. Cœpit idem imperio reniti, & cur statim iubenti non satisfecerit, palàm fateri. Vas, inquit, domine, quo ignis opportunè importetur, deesse vides, & quo hunc modo inferri iubes? Promptus quidem tibi obtemperare mihi est animus: sed vt votis tuis contraire videar, ipse vasis cogit defectus. At pius pater, vbi hæsitantis pueri animum persensit: Placétne, inquit, fili paternæ iussioni moram fieri, cùm ea, qua tegeris, veste ignis satìs commodè queat inferri? Qua puer motus increpatione, cùm prætereà obedientiæ exemplo cogeretur, imperio patris sanè obtemperat, paulóque progressus, ignem requirens properat. Quo tandèm inuento, nil adesse vidēs, quo eum opportuniùs ferret, gremium prunis ardentibus laxat, easque nihil cunctatus infrà collocat, & ità veste illæsa ad patrem vsque deportat. Tunc vir sanctus nouitatem miraculi secum altiùs considerare, felicisque pueri meritum perfectorum etiam non dubitat virtutibus comparare: quo quidem ardens elementum naturā suam vel ostendere timuit, vel omninò coactum est occultare. At vbi ad populares aures recens adhuc miraculum peraccessit, tum omnium ore puer extollitur: tum etiam res diuinitùs gesta, cum obedientis merito, iubentis imperio asscribitur. Itaque ex vtriusque sanctitate, virtus eadem acta creditur. Sperabatur & alia multa per eorum meritum illic Christus miracula facturus.

Illustre miraculum.

Quorum rumore Childericus rex, tunc sedem habens apud Traiectum, tactus compassione, sumptus necessarios mittebat ei quotidiè. Sed quadam vice Adrianus, eiusdem beati viri ad regem internuncius, nimia auri & argenti pondera deportare creditus, à latronibus est interceptus, & in medio viæ loco villari martyrium indeptus. Beatus verò Landoaldus, cursum vitæ præsentis explens, in senectute bona repausationem indeptus, hominem exuit, brauium coronę perennis accepit, sepultus in ecclesia, quam ipse ædificauerat, & in honore B. Petri per Calendas Decembris dedicauerat. Decessit autem quartodecimo Calendas Aprilis. Sed & comites peregrinationis eius, suprà denominati, suis, prout Christo libuit, temporibus hac luce quiq; euocati, circa eum sunt in eadem ecclesia tumulati. Solus beatus nomine & merito Amantius, in eadem cum ipso theca, quia eius, vt fama fert, in baptismate filius extiterat, sepeliri est contentus.

Childericus rex alit S. Landoaldū.

Obitus S. Landoaldi.

Plurimis deindè elapsis annorum curriculis, sanctus Florebertus, tertio loco post sanctum Lambertum regens Traiectense vel Leodiense episcopium, audita illic multitudine signorum, monitus pariter responsis visionum, eos illinc cum digna reuerentia transtulit, & eorum tumbas pro possibilitate sua decorari mandauit. Facta est autem hæc translatio Calend. Decembris, quo & dedicationem eiusdem ecclesiæ suprà diximus memoratam. Mansit verò honor, cultus & reuerentia circa sanctorum corpora, quoadusquè effera gens Nortmannorum, sedibus suis non contenta, totam penè Galliam perturbauit: & timore eruptionis eorum, nè sanctorum violarentur busta, terræ sunt a fidelibus remandata. Huic repositioni interfuit quidam Frangerus, homo nostra ætate senissimus, qui & ante infestationem paganorum nouem annis villæ eiusdem extiterat procurator & villicus. Hildebrandus quoquè presbyter, quem propria manu ante annos tumulauit Sarabertus æquè presbyter, huius notitiæ relator fidelissimus, qui & hæc, quæ præmisimus, ab eodem Frangero commemorat multis attestantibus se audisse, & libellum de vita eorum pariter vidisse. Quem quia antiquaria manu commemorat scriptum, & à stillicidio ceræ penè infusum, lectorem eius non ignoramus fuisse perrarum. At verò quæ hactenùs paucis perstrinximus verbis, illinc se delibâsse, nuperrimè verò incursione Hungrorum, propter incuriam custodiæ, cum alijs rebus eundem libellum deflagrâsse. Sed hæc hactenùs.

Translatio S. Landoalpi & sociorum.

Nortmanni vastant Galliam.

Post Nortmannicam autem repulsionem, primus quidam Thietboldus locum prælibatum, vbi corpora sanctorum erant reposita, à Comite Flandrensi, Abbatiam sancti Confessoris Christi Bauonis tenente, accepit iure beneficij: post eum Adelgandus. Qui potiùs cogitantes, quæ sunt mundi, quàm quæ Domini, aliquem reuerentiæ cultū Sanctorum paruipenderunt reliquum esse honori. Quocircà paulatim haberi cœpit contemptui. Vt verò Aper, nostræ ætati finitimus, cum filijs locum precariò sortitus est ipsum, iam ipsius Dei timore postposito, ecclesia ipsa non tantùm Sancti honore condebito, verùm suo omninò vacuata est ornamento. Vuanboldus deincèps in dominio eiusdē successit villæ, vbi & accepit locum sepulturæ. Pro cuius tumulatione, filius deindè eius Lambertus, cordis tactus est deuotione, vt locū hunc deberet excolere, paritérque miraculorū, quæ illic fiebant, suspensus admonitione. Nanq; domino prędiū ipsum sibi tunc vendicante, à vicinis, præeuntibus inimicitijs quibusdam, diffidente, familia

Sepulcrum sanctorum cur aliquandiu neglectum.

ipsius

ipsius villæ telas & alias vestes, ad ecclesiam confugium faciens, super sanctorum tumbas abiecit: Presbyter econtrà Sarabertus exindè ea deturbauit. Sed ijs iterùm à familia reportatis ibidem, & presbytero deterrito, nè vlteriùs resisteret eis, nox superuenit, familia ipsa dormitum se locauit. Manè expergefacti, vident insperatò & sine sua læsione telas & quæ deposuerant, ambusta esse.

Est prætereà phylacterium, quod verè dicitur S. Landoaldi fuisse proprium, in quo qui periurare præsumit, non impunitus abscedit. Familia plus 12. virorum, ac multorum Vuitgeri & Lamberti fratrum sacramento, ne aufugerent, in eo phylacterio est obstricta. Quod irritum ducẽs, insupèr & thesaurum in eadem ecclesia dominorum suorum reconditum violando auferens, aufugit. Sed manè circumcircà à persequentibus frustrà requisita, & à reuertentibus sub arbore prope ecclesiam dormiens, saluo thesauro est reinuenta. Alius quidam, quodam flagitio verè impetitus, in eodem periurauit. Eadem nocte cum domo & vnico filio miser deflagrauit. Et alia quoquè miracula illic fieri contigit, quæ nunc dicere supersedeo. Quapropter idem Lantso venerabilem virum antecessorem nostrum, dominũ scilicet Euradum, supplex adijt rogans, vt aut per se, aut per vicarios suos sanctorum corpora transferrentur, & vndè ante Nortmannicam depositi erant infestationem, releuarentur. Sæpiùs postulando, hæc iterans, tandèm impetrauit: & Bono Archidiaconus cum duobus Archipresbyteris, fidelibus vtiquè viris, Thierboldo & Vhodone, sed & cum alijs ex monasterijs, sancti scilicet Trudonis, Belisiæ, & Tungris, illuc aduenerunt, & cum litania solenni ex tumulis, quibus negligenter nimis squalebant, extulerunt. Inuenerunt autem plures thecas: sed vna erat, in qua S. Landoaldus archipresbyter & diaconus suus pariter tegebantur Amantius. Aderat & lapis ad capita eorum, nominibus ipsorum insculptus. Aliæ continebant sanctas Adeltrudem & Vincianam, quod indicabat crucicula quædam argentea, pectori S. Vincianæ * superinuenta. His retectis pariter & relatis, dum sanctorum corpora vino simul & aqua diluerentur, auicula quædam per fenestram feretro sanctorum illapsa, simul & importunè aliquotiès eis, qui huic officio intererant, immersa, aliquotiès in defossum deuolans, quo corpora sanctorum erant elata, omnibus adstantibus & hæc videntibus miraculum incussit pariter & horrorem. Nam & colore pulchritudinis erat diuersæ, sed antehàc inuiso, & stridore vocis quidem dulcifluæ, sed inaudito. Quæ licèt ab adstantibus posset compræhendi, à nemine præsumpta est temerari. Quæ quasi quibusdam plausibus lætitię & sibilatione hàc illàc circunuolans, & iterùm feretro sanctorum insidens, non destitit ab incepto, donèc omnia competenti consummarentur officio.

Phylacteriũ S. Landoaldi.

Lantsonem dicit, quem suprà Lambertum.

Eleuantur sanctorum corpora.

Auicula rara ad feretrum circunuolitat.

Eadem die cæca quędam de villa Hasbina, quæ erat in vicinia, vulgante fama, quòd sanctorum efferrentur corpora, accurrit celeriter cum candela. Biduum deindè sustinens, & sanctorum patrocinia indesinenter exposcens, tertia die recessit clare videns. Sequenti igitur anno vxor iam dicti Lantsonis, nomine Sigeburgis, morbo sic intercutis laborabat, cruraque eius cum pedibus ità intumuerant, vt penè per totum annũ nec saltem ecclesiam, nisi sella gestatoria eueheretur, intrauerit, nec toro viri, nec conuiuio participata sit, edulium omne fastidierit, potum, excepta aqua, vniuersum execrata sit. Hæc intempestæ cuiusdam noctis visione subita semiuigilans corripitur, atq; in hęc verba monetur: Cùm dominos dominasq; nostras terra extuleris, cur & nos fideles corũ in luto delitescere sinis? Ego quippe sum Landrada: Adrianus martyr & Iulianus, ipsi quoquè sunt de societate nostra. Hanc visionem illa viro intimauit, & vt aut Episcopus, aut authoritas episcopi ad subleuationem eorum inuitaretur, rogauit. Ille præterito anno ità in eleuatione cæterorum questus est opsonatum, vt ei per manus hæc inceptare nimis videatur arduum. Post dies aliquot apparente iterùm eadem visione, ab eadem, qua priùs, sanctimoniali secundùm effigiem de negligẽtia corripitur, de cõtemptu confunditur. Et quæ, inquit, tot & tanta in medicos expendisti, nec curari meruisti, si nos ex luto efferres, iam sanari meruisses. Et vbi, inquit illa, vos inueniemus? Sella, qua ad ecclesiam gestaris, inquit, tua nostra irreuerenter deprimit busta: arca autem retrò posita, nimiùm est nobis onerosa. Et si causaris, quia episcopum aut eius vicarios non mereris, è vicino Sarabertum saltem presbyterum habes, & alios ad id perficiendum viros fideles. Manè itaque, quid super his facto opùs esset, deliberanti, adest quædam ex gynecæo eius puella, cum eadem visione referens se monitam per hæc eadem signa. ea nunc in villa Guodengohouo habitat. Sigeburgis autem domina eius, cui hęc demonstrabantur, a cuiusque ore iurantis hæc & obtestantis nos ista decerpsimus, adhuc viuit:

Cęca ad sanctorum corpora lumen recipit.

Visio.

nit: Viuit, inquā, & præsenti luce sana & incolumis vescitur: nobilis persona, domus ampla, rem fideliter quærētes scire, nō sinit latére. Quæ cum omni festinatione mittēs presbyteros, qui hæc explerēt, accersire, interim ipsa pro obtentu recuperandæ salutis non passa quiescere, fecit se ferri ad ecclesiam, & interim à loco denominato paulatim egerere terram. Et vix semipedem terræ eruerāt: & ecce sanctorum cisternę in ipsa penè superficie apparebant. Adueniunt & presbyteri, quicunq; erāt euocati: & retectis sanctorum sepulcris, repererunt nomina eorum exprompta in breuiculis. Et dum quæque digna translationi adimplēt pro posse, ipsa iam dicta matrona, quæ operi insistebat attentius, subitò conuersa, riuos veneni & putredinis saniem ad sextarij mensuram videt excurrisse sibi ex cruribus. Quæ admirata, & de recepta sospitate hilarior reddita, domum pedes redijt, conuiuium hospitibus & domesticis opulenter apparauit, ipsa interfedit, nec edulium aliquod fastidiens, nec vini potionem vel alterius sorbitionis iam abhorrens. Fert autem fama multorum & ante nos & inpræsentiarùm, hanc beatā, dum sanctimonialibus Belisiæ positis præfecta, suauissimos supernæ contemplationis carperet fructus, sacratissimam virginem præclaræque nobilitatis Amelbergam sanctis instituisse moribus studijsque. Facta est verò hæc translatio tertio Nonas Martij.

Inueniūtur sanctorum corpora.

Sigeburgis hydropica curatur.

Illud quoque in memorabili sanctorum clarificatione miraculum minimè remur silendum, quod perindè stupenda sui nouitate constat magnificū. Præfato quippe Lantsoni cùm basilica vel fundus sacratissimæ quietis prędictorum sanctorū, post nonnullos forte successisset, benè sibi conscius determinato rationis tenore, (nam in eum constitutio chirographi, finem statuerat possidendi) successuram sibi stirpis suæ progeniem, prælibato fore priuandam prędio, consultè sibi prospicere deliberauit, eo animo, vt rurali priuatus fundo, sanctorum saltem pignorū non fraudaretur solatio. Expetens enim eiusdem diœcesios magnificentiam pontificis, tantæ illi suæ deuotionis intimauit arcanum. Cuius ilicò benedictione insignitus & authoritate roboratus, preciosarum gazarum adijt repositorium, deligens ex sacris corporibus, quas æstimauit, portiunculas. Eccè autem in ipso præcipuo paschalis festi gaudio, submissis baiulorū ceruicibus, impendiosum inuadunt laborem itineris, & ad fores vsq; ædis sacratę properātes perueniunt. Verùm mirabile dictu, ne vtiq; vel ipsas transgredi præualentes, repētinis inopinatè defixi passibus hæsēre. Omni tamen annisu multa diù frustrà moliti, tandèm diuina potentia se intelligunt arceri: sicq; inuiti, pudoris sui cessēre difficultati. Porrò illustris Lantso à proposito nequaquàm destituitur. Verùm diem ipsam noctemq; contiguam eleemosynarum largitionibus crebrisq; precum continuans obsecrationibus, sequenti rursùs die frustratur, vt priùs: immò perendinatis totius hebdomadę diebus, quotidiè eosdem conatus consimilis sequitur liminaris obstaculi repulsus.

Non potest Lantso sacras asportare reliquias, diuinitùs impeditus.

Hac ergò quia minùs successerat, octaua itidèm lucis aurora, alia non cunctatus aggreditur via. Licèt enim tot anteà fusis nequaquàm profecisset orationibus, tunc omni virtutis conamine pręcordialia accumulās vota, plurimaq; spondens obsequia, delegauit ad ipsam quietis eorum basilicā, nonam frugum suarum portionem, quia decimam alterius constaret esse ecclesię. Ei verò loco, cui deuotionis suę inferre satagebat fructū, non modicam cum alijs xeniorum impensis, hæreditatis suæ largitus est possessionem. Sicq; tandèm sanctorum obtentu, benignum misericordis Dei meruit respectū, votiq; compos ac spe potitus optabili, vilipendit pristinæ difficultatis dispēdia, magnifica Domini miseratione adeptus desiderij sui lucra. Suebenmenha nomen est fundi, vndè quidam, Manimius nomine, cōtractus omni neruorum virtute, nec manum gratia cibi sumendi poterat ad os ducere, nec nisi alio subuehente, ad necessaria saltem naturæ procedere. Is quidem carpento ad sanctorum patrocinia est prouectus: sed eis salutē plenissimam impartientibus, domum redijt pedes & sanus. In villa Lena, Huberto cuidam primario ab Leodiensi episcopo beneficiata, erat mulier, Geyla vocabulo, sed legionario plena dęmonio: quod deindè patuit. Nam ducta à cognatis per diuersa virorū Dei cœnobia, scilicet sanctorum Geruasij, Lamberti, Trudonis, Gertrudis: cùm nusquàm posset curari, presentatur iam desperata eo loci: quia sanctos nouiter mirificandos spectabat de hoste plenior laus triumphi. Quæ in cupa fonte benedicto redundante deposita, mox nomen B. Landoaldi terribiliter cœpit inclamare, & magnum ab ore muscarum examen emittere. Quæ mediante hebdomada paschali, meruit emundari.

Tādèm voto potitur suo.

Demoniaca liberatur.

Mulier alia, S. Bauonis ancilla, Andrelburgi catenùs commorata, pro neglecto per annos cēsu, oculorum visu est mulctata. Quarto iam anno cæcitati succumbens, decęterò emendationem pollicens, candelam sanctorum luminarijs attulit, censum neglectum

Cæca videt.

ctum retulit, illuminata ilicò sana recessit. Zubleua dicitur & alia villa: illic quædam mulier sex annorum curriculo patiebatur hydropis morbum. Videt in visu nocturno se illuc adduci cum oblatione, & recepta regredi sospitate. Quod euigilans continuò expleuit, in plaustro illò se deduci mandauit: & postquàm sanitatem recuperauit, à domino suo Hildrado tradita Sanctorum iuri, deindè recessit. Quidam Hildico nomine, omni dissipatus actione, syluam ecclesiasticam sæpiùs extirpās, increpatus tandèm quadam die per nomen Sanctorum, vt saltem desisteret: cùm monitores insupèr suos cum sanctis, verbis vilibus annullaret: progressus sequenti die, vt itidèm faceret, sagum cum securi ilicò superbus conscendit, & continuò inuerso cadens collo, guttur liquidum, quod blasphemiam spirauerat, elisit, sicque pessimam vitā digna morte finiuit. Presbyter Sarabertus equum, furtìm nocte quadam latronibus subripiētibus, perdiderat. Manè comperto ad notum præsidium cucurrit, candelam facere maturat. Quam vt sanctis attulit, & precum suarū vota deprompsit, reuersum equum foribus adstātem reperit. Sic ergò copiosa, quæ per eorum Dominus merita dignatus est operari, miracula nos segnis tenacitate silentij perhorrescentes succingere, res quidem memorabiles, tamen paulò diffusa prolixitate signauimus. Præsenti verò tempore nihilominùs apud nos gesta suppetunt adhuc perplura, quæ nostra itidèm mandantes roboranda authoritate, petistis huic quàm breuiter inseri schedæ. Nos autem respirationi legentium vel auditorum consulentes affectui, néve magni Domini magnifica in angustum cogantur beneficia, dilatis sequentibus, sermonem istum isto claudendum fine iudicauimus, vt viribus interim per silentium recreatis, quæ restant, quoniam proprio indigere volumine pernoscuntur, alio rursùs initio commodiùs & insigniùs prætitulentur.

Hydropica restituitur.

Sacrilegi horrenda mors.

Equus ablatus redit.

Liber secundus.

Relaturi mira Domini cūctipotentis opera, quibus dilectum sui nominis Confessorem beatum Landoaldum sociosque eius nostris in temporibus mirificè dignatus est propalare, dignū remur nec superfluum, memorabilē translationis eorundem sanctorum præmittere iucunditatem, per quam & ipsorum signorum enituerūt nonnulla, & locus vester vel regio dignationis eorum meruit feliciter insigniri presentia. Igitur emēso dierum curriculo, cùm inexplicabilis æui mortalis ità exigeret determinatio, præfatus illustris Lantso, determinatus videlicet prememorati possessor fundi, cunctis viuentibus commune debitum soluit, prolisque suę successionem eiusdem possessionis hæreditate destituit. Imperialis autem serenitatis moderante clementia (quæ laudabili deuotionis voto, suapte natura beneuolum induxit animum, seruorum Dei impendiò vtilitatibus prospicere) eadem possessio, absque refragationis obstaculo, vestræ potestatis relegata cessit ditioni, prælatorum scilicet sanctorum prælecti Christi militis egregij confessoris Bauonis.

Igitur quia sapiens semper agit sapienter, vestro restitutam iuri sagaci perlustrantes industria, altiori intellexistis consilio, honorabile depositū eius ipsam præponderare omnimodò, nec tam preciosi thesauri thecam eo loci tantillo occulēdam modio. Super qua re trutinata inter vos diù mutuę collationis deliberatione, adstipulante prętereà archipræsulum & antistitum prudentiumque virorum conniuentia, ad vestri, præpollentioris videlicet, eminētiam loci sanctorum cinerum transferri decreuistis pignora. Sed inter iter agendum, dum videlicet sanctæ deuotionis tandèm celebraretur executio, sanctorumque preciosissimæ per non modicam itineris intercapedinem transferrentur reliquiæ, contigit, vt par erat, plurimos finitimorum tam felicis opinionis occupari rumore. Inter nonnullos itaque auditorum comperit hæc languida quædam, quæ ægritudinis depressa pondere, lectuli detinebatur strato, vt non diebus iam numerosis ab eo nisi baiulata exurgeret. Sed cum hac optabili auditi rumoris iucunditate, in spem bonam pariter erigitur, de destitutæ salutis recuperatione per sanctorum opitulationem fiducialiter certioratur. Vndè nō cunctata, per vnanimem sibi collateralem, apparatum candelæ munusculum, sanctorum meritis & præsentiæ precatur celeriter exhiberi. Assensit ille fideliter, sanctumque fidei aggrediens officium implere maturauit. Ecce autem, dictu mirabile, repentinum sanctorum suffragium derelicta coniunx experitur infirma. E uestigiò nanque dirigit, qui præmissum à sanctorum accessu remouerent, maritū, vtpotè ipsa mox secutura, Sanctorumque præsentiam expetitura, & per semet quæ mittebat, oblatura. Sed inhibente loci vel temporis angustia, nè Sanctorum moraretur profectio, lator munusculi Sanctorum se misericordiæ præsentialiter submissus

Transferuntur sacræ reliquiæ Gandauum.

Aegra subitò reualescit.

missus intulit, coramque ipsis omnium, qui aderant, notitiæ in vxore exhibita pietatis eorum opera, ad laudem & gloriam cunctipotentis Domini protestatus & professus est.

Vltio diuina in quendam se temerè subducentem sanctorũ trãslationi.

Præterea quoniam profectionis conducebat competentia, locata nauis cum mercenarijs iucundæ Sanctorum deuectioni instituitur famulari. Eccè autem vnus remis applicitorum, cui quoddam acciderat haud longè infortunium, rei familiaris dispendio stimulatus, susceptoque labore obsaturatus, ante destinatum itineris expentium tam sancto infelix sese subripere præsumpsit officio. Sed quia non contemnenda, nec vtilitati priuatæ substituenda Sanctorum feretra fuerint, absque moroso persensit interstitio. Vltroneus nanque & inexorabilis electorum Dei auulsus ministerio, non modò deliberatæ nõ profuit vtilitati, immò dignam non spontè passus est redargutionem. Discedens itaque non spatiosa peragrat itinera, neque desiderata expetit spatia: verùm mentis alienatus integritate, pristino quoque membrorum frustratus vigore, vix proximæ sibique citiùs oblatæ sepem cum gressibus offendens commigrat viciniæ, ibique stupidus deijcitur. Quinetiam superantem nihilominùs instantis diei particulam, totumque sequentis noctis excursum debitæ impendens vltioni, hęrebat attonitus. Attritus ergo aliquandiù tanto correptionis verbere, tandemque pio sanctorum, quos vilipenderat, obtentu benigno miserentis Dei visitatus respectu, ipse reatûs sui medullitùs intelligit offensam. Mox igitur vt fenestratum mentis penetrale, sera licèt transegit pœnitentia, consopito pariter corpori desides reuiguére vires: posthabitisque pristinæ intentionis mordacibus curis, solo verò sanctorum, pridèm neglecto, nunc inhianter flagrans obsequio, emensa retrorsùm festinis passibus remetitur itinera, vt tandèm lætabundus eorum sese inferret præsentiæ. Cuius nimirùm recentis castigatio verberis, veraque conuersio pœnitudinis, velocia reddiderant. Nec requieuit, donèc voti compos optabilis, gloriosa sanctorum præsentialiter consequeretur merita, coramque ipsis & multorum frequentia expertam in se protestatus est castigationem & clementiam.

Cæcę duæ lumen recipiunt.

Ipso autem die, id est, octauo Calendas Aprilis, quo in monasterium præfatum cum reliquijs eisdem est intratum, mulier quædam, Lenekin nomine, præuenit, lumen diù amissum recepit Idibus Aprilis, feria tertia scilicet hebdomadę paschalis. Puella quædam cęca de villa Scholt aduenit, nomine Teudsmudis, Vespertinam synaxim fratribus celebrantibus sustinens, redijt clarè videns, nec viæ ducem vlteriùs quærens.

Tres paralyticæ sanantur.

In ipsa villa fuit & altera intra annos infantiæ ità debilitata, vt ante annum nec pedibus incedere, nec saltem à lecto quiuerit surgere. Hanc mater, supradictis virtutibus excita, primo manè inter brachia sub diuo sustulit, pro eius recuperatione votum Sanctis fecit, scilicet illò se cum sobole venturam, oblationem pariter deuotam secum delaturam. Quod vt expleuit, puella paulatìm subrigens sese in pedes, stetit, conualuit, ambulare cœpit, & abijt. Ibidèm extitit & alia, Leuuich vocitata, itidèm omni corporis virtute inualida. Et cùm iam penè desperâsset de vita, audita signorum, quæ illic fiebant, fama, cereum sanctorum luminarijs deuouit. Mox vt illuc destinauit, valentia totius corporis statìm reintegrari meruit. Vuentiæ nomen villæ. Riberta erat illic mulier nuncupata, varijs passionibus detenta, & penè omni membrorum officio destituta. Ad horum memoriam deuota accessit, aliquantis diebus demorari instituit, sanitatem consecuta recessit.

Cęcus idẽq; gibbosus fit sanus.

Mulier præterea quædam 13. Calend. Maij pro filio rogatura venit. Huic filius domì relictus erat, nomine Adelgerus, non solùm lumine oculorum destitutus, sed & capitis & corporis rheumatis motu gibbosus totus. Mater pro eius recuperatione orauit, votum fecit: timore filij, quem desperatum reliquit, citiùs redijt: vt domum remeauit, filium videntem reperit, cætera incolumitate gaudẽtem læta recepit.

Cęca videt.

Post hæc sub die septimodecimo Calend. Iunij, aduenit ancilla, Egerin vocata, albedinem vel lippitudinem in oculis per annos multos perpessa. Quæ Sanctorum meritis sospitatem indepta, sine ductore gaudens & exultans remeauit ad propria. Deincèps quinto Calend. Iunij mulier de villa Rothen, paupercula Adalmudis vocitata, dũ ex infirmitate nimia facta fuisset cæca, audita Sanctorum fama, ad eorum desiderabat peruenire patrocinia: sed dum inflatis cruribus vix reperet, & a suis præ paupertate illò deduci neglecta esset, & hac desperatione nimis tabesceret, nocte superueniẽte se sopori indulsit, sanctum Landoaldũ & Vincianam habitu splẽdidissimo incensis cereis adstantes sibi cognouit. Euigilans, reintegrationẽ totius corporis adesse sibi persensit, dolorem totius infirmitatis recef-

recessisse didicit. In crastinum de illuminatione iam certa, de reliqua sanitate non dubia, per se cum alijs admiratoribus multis, Sanctorum limina tentauit inuisere, gratiarum actiones pro posse non cessauit impendere. Alia cæca videt.

In crastinum, id est, quarto Calend. Iunij, quædam fœmina Frethunara, & ipsa cæca, Sanctorum limina orationis gratia, causa salutis expetendæ, adibat. Sed in ipsa via necdum illuc peruenerat, & ecce pristina sanitate recepta, incedens gaudebat. Sequenti demùm die sancto Pentecostes, quod est tertio Calend. Iunij, quidam Theodoricus neruis totius corporis per annos multos contractus, multis veridicis testibus coram adstantibus, omninò sospitatem est adeptus. Deindè tertio Nonas Iulij, feria quinta eiusdem hebdomadæ, mulier cæca ex pago Brachbantensi, Sanctos cùm auxiliatum inuocâsset, & luminare deferendũ eis pro posse parâsset, non mora extitit, & lumen oculorum recepit. De eodem pago extitit & altera mulier, quæ nimio renum affecta dolore, per vnius fermè anni spatium ad nullius, vt ipsa fatebatur, officij commoditatem valuit exurgere. Hæc vbi Sanctorum pignora delata didicit, & per ea illic mira operari cognouit, candelam pro readipiscenda salute deuouit, vt suî in tanto dolore misererentur, orauit. Continuò sospitati pristinæ reddita, candelam sanctis deuotè offerens, cinctorium simul protulit, pro indepta incolumnitate gratias Deo per Sanctorum merita immensas retulit. Contractus reualescit.

De translatione S. Landoaldi & sociorum eius ad Gandense cœnobium.

VTile creditur, ad excitandas torpentium mentes, occulta Sanctorum miracula ad nouam vsque audientiam importare: quorum probata virtus, cursum festinantis animæ ad superos sufficit inflammare. Quis enim auditis beati Landoaldi præconijs, non statim meliore mẽte ad Deum euolat, nisi quem ad supernam Hierusalem nec spes, nec voluntas excitat? Nota eius merita, & tot miraculis celeberrima, quæ cùm præ magnitudine non capit Oriens, remotum vsque ad Occidentem sunt porrecta. Nam præter ea, quæ adhuc viuus egit, quis non miretur ad sepulcrũ eius tot fieri virtutes, quot veniunt languentes? Quæ cunctis notissimæ, apud Vuintershouum tamen magìs celebres habentur: vbì apud cæteros diuulgata, visũ teste, signa probantur. Cùm igitur surdi & claudi, & id genus malè habentium circunquaquè sancti merita faterentur, incongruum putabatur, sancti reliquias humili ecclesia detineri, raro adhuc honore venerari, officiumque diuinum paruo presbyterorum conuentu agi. Miracula ad sepulcrũ S. Lãdoaldi.

Quæ omnia animos fratrum in Gandensi cœnobio eò concitauerunt, vt sui crederent esse periculi, reliquias diù neglectas, raro adhuc honore venerari. Accitò ergò Vuomaro Abbate, quid agendum putet, vnanimes exorant: ipsumque ad transferendas reliquias facilè exorâssent, nisi quòd quædam impedimenta sano negocio obstiterunt. Nam quidam clericus Ottonis iunioris, qui Francis Imperator præfuit, prædictam sancti Bauonis villam suo iuri addicere præsumpsit, eamque dimittere rogatus, suam esse maluit. Cui iniustitiæ Imperator contraire monitus, vltrò consensit, eo scilicet deuotior, quòd nouiter in fraternitatem fratrum susceptus, eorum etiam orationibus communicauit. Ità exclusa clerici præsumptione, S. Bauo sua recepit. Tunc Imperator ad transferendas reliquias operam dare exoratus, priuilegio sui nominis locum prius ad honorem sancti Bauonis deliberare, dein ad exequenda fratrum desideria pari deuotione cœpit æstuare. Ità accepto eiusdem priuilegio, data insupèr à Papa Ioanne authoritate, pars fratrum non modica ad Vuintershouum vsque proficiscitur, & quid opùs facto sit, ex arbitrio prudentiorum pensatur. Francis, pro Germanis. Deliberare, Gallica phrasi, pro, In manus dare seu reddere.

Erat in eodem procinctu presbyter quidam, quo nemo præsentium rem meliùs nouerat, Sarabertus nomine, sanctorũ ibidèm miracula eo magìs expertus, quo eos venerabatur attentiùs. Hũc misso legato rogant adesse: sanctos sibi insinuari, & quæ plurima nouerat, eorum insignia reuelare. Sarabertus econtrà: Signa, inquit, hîc diuinitùs acta, adeò magna putantur, vt fidẽ excedant audientiũ, nisi quòd sana fides nihil impossibile credit apud Deũ. Nam ad corroborandam virtutũ seriem certa adsunt experimẽta, infirmorũ baculi, repentium scabella. Sed quia cõuenistis eas, quæ apud nos sunt, reliquias cognoscere, en tria in publico scrinia, quæ à me audire cupitis, vosipsi potiùs visu teste perpendite. Si tamen ea, quæ ab antecessoribus comperta habeo, delectat in mediũ producere, illo in scrinio, quod altiùs eminet, beati Lãdoaldi archipresbyteri integrum Luc. 1.

grum corpus cum beato Amantio diacono suo, claudi scitote. In secundo eidemque contiguo continetur soror eius, beata Vinciana virgo, ab ineunte æuo integerrima, quæ blandiměta mundi respuēs, à Roma hunc vsq; locum dilecti fratris secuta est vestigia. Illud autem paulo remotius scrinium, sanctam continet Landradam: quæ immortali sponso copulata, exacto vitæ suæ cursu, virginitatis suæ recepit coronam. Qui vbi verbis fecit finem, fratres maiori ardebant desiderio ad scrinia accedere, caute aperire, & quæ narrauerat, proprio visu cognoscere.

Vinciana soror S. Lādoaldi.

Et accedentes, inuenerunt Epitaphium dignissimi confessoris, ad caput ipsius in preciosissimo marmore diligenter descriptum, quod tamen per omnia perlegere nequiuerant propter incendium paganorum olim factum, quod ideò videbatur ex parte confractum fuisse. Igitur beatum Landoaldum vitamque eius breui Epitaphio recolligunt, cæterasque Deo dilectas virgines proprio nomine ostendunt. Tunc consulto opus esse æstimantes, prædictum presbyterum aliosque huic operi idoneos aduocant, & quomodò honestiùs sancti transferantur, eorum prudentia pertractant. Dato consilio, ordinatisque ad transferendum reliquias, circunfinitimus accurrit populus, humeros subijciunt, hilarique vultu, plurimis tamen gementibus, ad vicinam cuiusdam agelli sanctos efferunt. Quo in loco dum antiqua horum miracula in medium reuocarentur, hoc apud plerosque magis celebre putabatur, quod nunc ità, vt accidit, euoluere locus ipse adhortatur. Itaque euentum rei paucis verbis absoluam. Erant quidam vesanæ mentis, omnem circà regionem ferro igneque vastantes, incerti loco, cædis auidi, suam perfidiam humano sanguine vix temperantes. Qui depopulatis aliquot ciuium ædificijs, dum nec ecclesijs sanctisque parcunt, hos secum etiam ferendos loco prædicto auferunt. Dumque ad hunc locum vlteriùs progressuri perueniunt, rigescente gressu, totoque immobiles corpore, vltrà progredi nequeunt: vbi vident illicito operi nullum cedere effectum, seipsos detestantur, iniustum increpant negocium, sanctosque loco inuiti restituunt. Deindè sanctis humiliter exoratis, maturabant discedere, aliò quantocyùs tendere, nè vindicta sui commissi traherentur membra, oculi damnarentur caligine. Hæc olim irà peracta dum nunc populus in memoriam reuocat, visum est eis, Sanctos ob similem rei euentum inclamare, vt vtrùm reportari mallent, quàm transferri, aliquo dignarentur indicio reuelare. Defixis in terram vultibus, alij pectora ferire, alij lachrymas fundere: plurimi tamen, quibus grauius erat Sanctorum præsentia viduari, altiùs cœperunt gemere.

Grassatores quidā non possunt tollere sanctorum reliquias.

Reuerentiam erga sacras reliquias.

Exacta igitur oratione, fratres, qui iter citatum volebāt, eundi moram increpabant, tollique reliquias, easque efferri imperabant. Subijciunt rursùs humeros, & quia in Sanctis ferendis nullus labor cessit oneri, conclamatum est, idque eis omnibus sanè creditum, voluisse eos transferri. Cumque iam procùl à monasterio sancti Trudonis agerent, (ibi quippe primam mansionem elegerant) primus fratrum, qui vtilitatis causa longiùs præierant, obuiàm venit, plurimusque senum iuuenumque concursus diuersa Sanctis donaria intulit. Nonnulli, quibus metalli copia aut preciosæ vestis ornamenta defuère, cereos aut sumptum lateri cinctum obtulerunt: alij, quibus nec horum copia erat, seipsos in contritionem cordis dederunt. Qui verò opulentiores videbantur, ex hoc, quod abundauit illis, misêre: nihilominùs eos æquiparantes, qui licèt modicum dederint, nihil tamen sibi detinuère. Visum est intereà necessarium, in agello eodem moram fieri, tum propter aduentantium donaria, tum quia res exigebat prædicari in populo verbum Dei. Cumque ad audientiam & nomina sanctorum & merita præaccesserunt, omnes, qui habebāt infirmos, nihil de salute eorum cunctati, adduxerunt. Videres contractos erigi, illuminari cæcos, surdos tam recipere auditum, quàm diuersos languentes sospitatem. Ne've hæc miraculorum insignia posteritati succedentium viderentur abolita, eo in loco crucem erigunt ligneam, ob memoriam scilicet sanctorum posteris transmittendam.

Multa fiunt miracula ad sacras reliquias.

Factum est autem vt vnus, qui cum cæteris circa locum sanctum discurrebat, puerulus cupiditate seductus, cādelas & alia, quæ fideles cum magna deuotione contulerāt, furando auferret. Qua de re sine mora ab antiquo hoste miserabiliter est possessus, ac integro sensu penitus priuatus. Indè parentes eiusdem pueri cum fletu nimio pœnitentiam agētes, & cum puero ad locum accedentes, atq; furtū restituentes, integerrimam per Sanctorū merita impetrauerunt sanitatem. Sed hæc pleniùs describenda illis committo, qui & partes reliquiarum habere meruerunt, & in quorum agelli cōfinio ipsa & alia

Puer sacrilegus à dæmone vexatur.

Sanatur.

alia multa miracula, Domino auxiliante, facta sunt. His itaque peractis, cùm reliquias susceptas ad monasterium sancti Trudonis festinarent deportare, non solùm turba, verumetiam palliata monachorum processio cum cereis & id genus ornamentis obuiàm ruere, eas honestè suscipere, deindè intra monasterium summa cum deuotione properabant inferre. Conuenientibus autem in crastino turbis, pauca de Sanctis ad ædificationem adstantium enarrantur: dataque tam populo benedictione, quàm ipsi ecclesiæ reliquiarum portione, ad villam, quam Andesbrucken dicunt, proficiscuntur. Vbi quandam matronam, Sigeburgem nomine, quæ locū eorundem Sanctorum diu in præcariam tenebat, adeunt; plurimaque cum ea tum de Sanctis tum de sua vtilitate conferunt. Tum illa: Ego, inquit, quæ de istis sum experta in me, breuiter tentabo euoluere, si tamen vobis est animus breuiter dicenda attendere. Nam in priori eleuatione sancti Landoaldi, cùm me minùs voluntariam exhibuissem, febribus correpta, per aliquot dies langui, morboque indiès inualescente, offensam potiùs Sancti, quam periculum mortis extimui. Eo infortunio in eleuatione beatæ Landradæ cautior effecta, me totum ipsi virgini officiosam reddidi, eiusque suffragantibus meritis, sanitatem, quam meritò perdideram, recepi. Suprà lib. 1. And... gu...

Vix ea verba finierat, cùm eccè quidam ipsius matronæ miles à ripa Thili fluminis, fratres ità alloqui properat: Ad laudem sanctorum horum idoneus testis peraccedo, eorumque in me beneficia, quoàd viuam, tacere nequeo. Nam quodam sinistro euētu cùm irā domini mei Lantsonis, eiusque coniugis Sigeburgis incurrissem, quid agerem, quam in partem me verterem, ignorabam. Cumque anxius ad hoc peruenissem, vt de ipsa patria fugere deliberâssem: adij die quadam presbyterum Sarabertum, nimia sollicitudine eiusmodi curæ fluctuans, & cum eo, quid mihi iam desperato esset agendum, consulendo, & adhuc semel miseriarum mearum querimoniam faciendo, pertentare curaui. Ille verò nihil hæsitans, fidere iubet, atque precium vnius cerei præparare hortatur, vt hoc sancto Landoaldo deportetur. Continuò his consilijs diligenter acquieui, & deuotissimè, sicut iusserat, expleui. Mira inde res, & mihi multùm profutura. Nam vt ad beatam sancti Landoaldi memoriam accessi, & hunc pro angustijs meis intercessorem esse fideliter petij, eccè dominus meus prædictus Lantso post me veniens, & ipse oraturus introgressus est insperatè basilicam. Cœpi ergo mox ad adspectum eius pallescere atque nimis trepidare, ne cùm me videret, subitò interitum irrogaret. Sed longè aliter, quàm æstimaui, sancto Landoaldo interueniente, accidit. Etenim nihil omninò mihi locutus est mali, sed ministerium meum, sicut priùs, agere præcepit. Nam pincerna illius dudùm fueram. Sic ab illo die vsque nunc securus de præterita angustia consisto. Talibus ergò & his similibus indicijs & miraculis per eum ostensis, certum est apud me, illum esse in numero beatorum. Miraculum non contemnendum.

His ab eo dictis, fratres inter alia immani onerati lucro egrediebantur, & ità nauim intrantes, cum magna prosperitate, Domini præeunte virtute, indè cum gaudio magno profecti sunt. Post hæc nautis studiosè nauigantibus, cùm iam quieuissent, & in vno loco resedissent, accidit vt feretrum, in quo sancta Landrada continebatur, saltum cunctis cernentibus daret, ac se à sancto Landoaldo remoueret, præbens mirabiliter tanto sacerdoti reuerentiam & competentem honorem. Illud sanè miraculum, quod non multò pòst in ipso itinere factum est de quodam nauta, necnon & illud, quod de illo homine per merita sanctorum contigit, qui cor perditum & mentem per eorum misericordiam recepit, non est necessè isto in loco pleniùs perstringere, cùm aliâs diligenter sit descriptum. His ergò miraculis, vt simpliciter propter nescientes prosecuti sumus, ità peractis, in ipso sacratissimo Dominicæ Annunciationis atque incarnationis die peruenerunt, Deo volente, ad sancti Bauonis monasterium, quod rectissimè vocatur Gandense cœnobium. Et cùm fideles quique ad beatas reliquias vndiquè cum exultatione nimia confluerent, quædam mulier aliorum manibus adducta, continuò est per eorum merita illuminata. Fratres verò deuotissimi, meritò in aduentu Sanctorum gaudio magno præ cæteris sunt repleti, ac proindè solenni more vestiti, cum vniuerso ecclesiastico ornatu, & infinito agmine vndiquè confluentium populorum, obuiàm delongè psallendo venientes, easdem sanctissimas reliquias ouantes in humeros suos susceperunt, & in basilicam cum exultatione magna introduxerunt, anno ab incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. Aliud. S. Bauonis Gandense cœnobium.

Eleuatio

Eleuatio S. Landoaldi, archipresbyteri sociorumque eius Idibus Iunij, à quodam Gandauensi, vt apparet, monacho conscripta.

GLoriosus in sanctis suis omnipotens Dominus, mirabilis in maiestate sua, faciens mirabilia solus, dilectum suum Landoaldum, eiusque socios glorificauit multarum virtutum insignibus. Ipso enim, qui futura prævidet, ordinante, ac domino Abbate Vuomaro iubente, cum omni diligentia pro possibilitate temporis positi sunt in crypta, Sanctæ Mariæ virginis honori dedicata, quousquè latius manifestarentur eorum merita, & meritorum testimonia. Intereà Dominus sanctorum non immemor, cœpit reliquias nupèr delatas, ac sine debito honore depositas, miraculis multis glorificare, & quòd veræ reliquiæ essent, cunctis manifestare. Nam cæci ibidèm recipiebant, Deo annuente, visum, claudi gressum, manci restaurationem, atque varijs oppressi languoribus, perfectissimam cælestis medicinæ recuperationem. Tunc Christianus populus, seu propè seu procùl positus, cum cereis & varijs oblationibus illuc venerunt, & coram ipsis reliquijs Deo incessanter pro necessitatibus vota vouerunt. Igitur dum hæc à Deo & per Deum agerentur in Gandauo, consurrexerunt aduersùs Dominũ & aduersùs Christos eius, quidã in spiritu maligno, qui signa Domini videntes non videbant, & miracula Sanctorũ audientes non intelligebant, & in eos, tanquàm in mortuos malignantes, consilium & infamiam promulgauerunt vsque ad Rhemensium archipræsulis audientiam. Abbas verò & fratres sancti Bauonis, excitati zelo domùs Domini, & illorum spiritualis nequitiæ mendacio & errori opponentes scutum fidei, & gladium sancti spiritûs, profecti sunt Rhemos statuta die concilij. Vbi lectis & relectis actibus Sanctorum, & veritate probata de Sanctis, authoritate omnium episcoporum sancitum est ab omni conuentu synodalium, exaltare sanctos intra sanctuarium.

Multa declarátur miracula ad S. Landoaldi & sociorum reliquias.

Sãctos quidam calũniantur.

In synodo Rhemensi confutátur.

Redeuntes igitur à concilio abbas & monachi, dominum Lindulphum Nouiomensem episcopum adeunt, cum authoritate archiepiscopi monent, orant & impetrant illum interesse statuto die sanctorum eleuationi. Gandauum indè perueniunt, Gandensibus de prosperitate sui itineris gaudium magnum inferunt, & venturę festiuitati necessaria præparare non desistunt. Circũfluens itaque fidelium multitudo maxima, non cessabat in thesauros ecclesiæ, sicut olim ad arcam Dei, multa deferre: hinc viri, hinc fœminæ quęque preciosa offerentes pro anima sua, tria decenter ex auro argentoque construxerunt scrinia. Floruit ibì diuinæ miserationis operatio: quia ad omnes malè habentes cælestis confluxit medicatio: sanatis succedunt sanãdi, & medicatis certatim se ingerunt medendi. Tertio igitur anno post aduentum Sanctorum in Gandauum, Lindulphus Nouiomensium episcopus, sicut promiserat, veniens, cum vniuerso clero, ab Abbate & cæteris fratribus cum ingenti susceptus est gaudio. Aderant ibì primates regni & populi, conuenerant sacerdotes & clerici, plures etiam de remotis mundi partibus, felici sanctorum rumore excitati. Et præparatis, quæ necessaria erant, ad effectũ solennitatis, fratres solenniter accurati, obseruabant chorum in ordine suo, populus expectans stabat in gradu suo, cùm idem pontifex totus festiuus cum ordinibus sacris egreditur de sacrario. Stans autem in publico, monet populum & exhortatur, confidentiam cordis habere in Domino, quatenùs inceptum opus, eius dignè perficeretur auxilio.

Exod. 36.

Et data omnibus benedictione, cryptam ingreditur, disposita monachorum & clericorum processione Ecclesiastica, cantantium & psallẽtium Deo cum omni reuerentia. Apertisque sanctorum loculis, cuncti primates cum pontifice cernunt desiderabilem thesaurum Domini, cęlesti nimirùm dulcedine delectati, quasi in paradiso deliciarum Dei essent conuersati. Nam exhalans subitò de retectis sanctorũ corporibus odor perfudit ora & mentes omnium suauissimus. Vndè maxima salus tam corporis quàm animæ emanauit adstantibus. Cælestis interim cantilenæ murmur auditur in scriniolis sanctorum. De quo certissimè creditur, congratulari conciuibus suis angelicos spiritus cælorum. O quàm mirum & dulce spectaculum: dulce quidem cęlestibus, mirũ autem mortalibus. O beati & felices oculi, Sanctorum corpora intuentium: quorum proculdubiò precium erit æternæ salutis gaudium. Virtus enim diuina in ossibus recondita viuificis, efflauit fragrantiã miri odoris & supernæ dulcedinis, quæ in hominibus operata est salutem vtriusque hominis. Pontifex igitur & monachi in incepto persistentes opere & officio, Sanctorum corpora condiebant more fidelium & more debito. Eleuantesque

Odor suauissimus e sanctorum corporibus.

Cælestis cantilena.

Eleuãtur sacra corpora

uantesque ea de vilibus & antiquis eorum vasculis, transtulerunt in scrinia, nouiter honorificè composita. Apertis deindè cryptæ ianuis, maximo labore procedunt, patens monasterium introëunt: sed nec ipse templi locus sufficiebat oblationes Sanctis deferentibus.

Tunc imperante episcopo, fortiter clamatum est in populo, vt quantocyùs ecclesiam exirent sub diuo, nè fortè quisquam intùs comprimeretur ab alio. Certatim verò proruentes, latam adiacentis prati planitiem petunt, si fortè vel ibì liberiorem ad eos accessum habere possint. Qui autem Sanctorum ferebant corpora,cum difficultate erumpentes exibant, & trahendo magìs quàm ferendo in campum perueniebant. Videres illò multifluum concurrere populum, quasi de summis in præceps concurrere congregationes aquarum. Vbì sacerdos ascendens in altum, annunciabat populis verbum Domini, & recitatis quibusdam beati Landoaldi miraculis, omnes qui aderant, fecit in Domino congratulari. Finitis ergò à sacerdote verbi Dei sermonibus, Sanctorum reportantur reliquiæ, & populus præiens & subsequens psallebat: Gloria tibi Domine. Pontifex verò præ foribus ecclesiæ expectans, excepit Sãctos Dei omni deuotione & debita veneratione,monachos & clericos monens in hymnis & confessionibus Deum benedicere.Et progressus,vbì in sancta sanctorum ascendit, composuit & ordinauit in thesauros Dei thesaurum à Deo concessum, coniungens Sanctos Sanctis in vnica basilica, quos in cælesti Hierusalem cohæredes Christi collocauit Deus omnipotens in æterna gloria. Hinc pontificalibus infulis decoratus, celebrauit ad honorem Sanctorum, Deo Missarum solenne decus: & omnibus à Deo & in Deo felici more peractis, statuit & demandauit episcopali authoritate hunc diem solennem agere omnibus annis, ad honorem Dei & Domini nostri, qui Sanctos suos glorificat semper, & hîc & in seculum seculi. Facta est autem hæc sacratissima eleuatio, Deo & hominibus placidissima, atque sanctis angelis per omnia gratissima, à Lindulpho venerabilissimo viro Nouiomæ ciuitatis episcopo, cum inenarrabili clericorum siue monachorum gaudio, necnon infinito cœtu fidelium populorum, anno incarnati verbi nongentesimo octogesimosecundo, indictione decima, Idibus Iunij, tertio quoquè anno aduentùs ad nos gloriosissimorum sanctorum.

VITA S. VVLFRANNI, SENONENSIS ARCHIEPISCOPI, AVTHORE IONA MONACHO FONtanellensi, *eius contemporaneo.*

PROLOGVS AVTHORIS.



Euerentissimo atque sanctisimo præsuli vrbis Taruennæ, Abbatique cœnobij Fontanellę Baino, vltimus seruorum Christi seruus Ionas. Iubet apostolatûs vestri celsitudo, vt almi patris Senonum archiepiscopi meo studeam stylo condere vitam. Qui tempore regiminis sancti Ansberti abbatis Fontanellensis cœnobij, futuri præsulis Rothomagensis ecclesiæ, hoc adiens cœnobium, abruptis seculi laqueis, militiam Christi perseuerandi definitione suscepit, atque ad prædicandum Frisonum genti, catenùs in ignorantię cæcitate sedenti, euangelici ministerij opus assumens, animum conuertit. Nam penès nos superstes manet venerabilis vitæ presbyter Ouo, ex ipsa Frisonum natione oriundus, qui viua voce narrat, quanta per eundem pontificem sanctum in eadem gente Christus virtutum miracula operari sit dignatus. Ex quibus pauca pro captu ingenij & opportunitate audientium fideli sermone inseremus. Sed tam præclaro operi pauper succumbit ingenium, tamque profundæ rei non sufficit sermo sterilis, & ab omni scientiæ fœcunditate ieiunus. Quanlibèt ergò inualidis humeris impositum onus obedientiæ amore suscipiam, dabit Dominus oratione beata antistitis dicendi vires, qui diuitias bonitatis suæ sine vllo defectu scit effundere, & nescit, cùm effuderit, euacuari.

NARRATIO.

20. Martij. Patria S. Vulfranni. Pater.



Eatus igitur Vulfrannus Senonum pontifex, exordium natiuitatis in territorio Vastinensi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco. Fuit enim carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor quoquè eius, Vulbertus nomine, in aula regis Dagoberti & filij eius Clodouci militari operi æuum impendit: prædictus verò Dei famulus in puerili etate constitutus, ab ipso magistris catholicis traditus est, sacrarum literarũ studijs imbuendus. Qui per omne pueritiæ vel adolescentiæ tempus exercens, vsque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non reflexit. Exin crescentibus meritis piæ intentionis, clericatùs habitũ sumens, parentum hortatu ac suffragij adminiculo fultus, in aula regum iunioris Lotharij & Theodorici, ecclesiastici ordinis curæ delegatus, diuinis studebat attentissimè inseruire edictis, terrena videlicet transiliens, atque ad cælestia semper amanda, petenda & quærenda peruolans. Sub horum tempore regum, electione populi Senonicæ vrbis, consensuque ac fauore omnium, pontifex eligitur & benedicitur. Successit autem in ordine episcopatùs venerabili Lamberto pontifici. Qui susceptum episcopatùs gradum, ad imitationem priorum sanctorum, virtutum ornabat operibus. Commissam nanq; sibi plebem & orationibus protegebat asiduis, & admonitione pia ad cælestia anhelanda prouocabat. Et quod maximè doctores iuuare solet, ea, quæ agenda dicebat, ipse priùs agendo præmonstrabat. Erat enim diuinæ dilectionis igne succensus, patientiæ virtute modestus, orationum deuotioni solertissimè intẽtus, affabilis omnibus, qui ad se consolationis gratia veniebant. Erat abstinentiæ castigatione insignis, & gratia compunctionis semper ad cælestia suspensus.

Fit clericus.

Creatur Senonensis antistes.

Virtutes sancti viri.

Aliquot autem annis in præsulatu administratis, superno oraculo in visu admonitus, vt genti Frisonum verbum Domini anteà illis inauditum euangelizaret, inito opere apostolico, proposuit ilicò animo pluribus prodesse. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagensi, quæ & ipsa mater est ciuitatum, præsul sanctissimæ religionis & Abbas monasterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipse scientia literarum imbutus, sed & ecclesiasticis simul & monasterialibus disciplinis summè instructus, monachicũ & nomen seruans & habitum, in prædicto monasterio multorum pater extans monachorum. Hunc pontificem adiens beatus Vulfrannus, suam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo, in tenebris ignorantiæ sedenti, verbum vitæ immortalis annũciaret. Nam & anteà possessionem suam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ sita est in territorio Vastinensi, per testamẽti seriem prædicto sacro loco & ipsi sancto patri contradiderat, quæ facta erat anno 15. regis Theodorici. Needùm enim idem vir dei pontificatùs conscenderat gradum. Intererat in hoc conuentu, & confirmauerat cum alijs illustribus viris hoc scriptum sanctus Erenbertus, episcopus vrbis Tolosæ & monachus eiusdem cœnobij Fontanellensis, cuius nunc ossa sacra in eodem monasterio virtutum gloria pollent. Nepos quoquè prædicti sancti Vulfranni pontificis, nomine Mogislus, aliam largitionem edidit de patrimonio Maniaco siue villari, quod est situm in pago Meldunensi. Qui in prædicto monasterio monachus effectus, & regularibus subditus disciplinis, spretis terrenis, cælestia sperare didicit.

Ansbertus Rothomagensis Episcopus, idemque monachus.

Erenbertus monachus episcopus Tolosanus.

Sed his omissis, nunc intimãdum, qualiter dictus sanctus præsul ex præfata Frisonum gente plurimam prædicãdo conuerterit partem ad Christum. Siquidem ad præfatum Fontanellense monasterium perueniens, de eodem loco cooperatores verbi strenuos & ad prædicandum idoneos, vtpotè actione simul & eruditione præclaros assumens, præparatis omnibus, quæ nauigãtibus necessaria esse videbantur, in portu eiusdem monasterij nauim ascendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens Gallicũ, nauigauit in Frisiam, & genti illius ac duci eius Radbodo verbum Dei annunciabat, dicẽs deos non esse, qui manibus hominum facti essent: Dei materiam, lignum vel lapidem esse non posse: quorum recisuræ vel igne absumerentur, vel in vasa quælibet, humano vsui necessaria formarentur, & pedibus conculcata, in terram verterentur: Deum potiùs intelligendum maiestate incomprehensibilem, humanis oculis inuisibilem, omnipotentem, æternũ, qui cælum & terram, maria & humanũ genus creâsset, regeret & iudicaturus esset orbẽ in æquitate: cuius sedes æterna, non in vili & caduco metallo, sed in cælis esset credenda. Hæc & his similia prosequẽte inclyto Christi sacerdote vnà cum comitibus, libẽter audiebatur, multique quotidiè nobiliũ & infimorum, abrenunciata

Vulfrannus pdicat Christũ Frisijs

Frisij multi

sorde

sorde idolatriæ, fidei fonte abluebantur. Nec prohibuit prædictus dux verbum, vt si qui vellent audire, prædicaretur, inter quos & filius prędicti Radbodi ducis credens, baptizatus est, imposito sibi nomine sui genitoris à præfato pontifice, & ab eo de sacro fonte susceptus, adhucque in albis positus, carne solutus, mundus, vt creditur, transiuit è mundo. dat Christo nomē & in ijs Radbodi filius.

Nec silentio est prętereundum, quod diuina pietas per eundem sanctum pontificem operari dignata est. Plurima enim virtutum miracula in itinere, dum ad eam iret, & in eadem gente, per eundem fiebant. Ex quibus vnum memoriæ tradere & posteris intimare, commodum duximus. Deniquè fratres, qui eum familiariter nouerūt, & coràm quibus patratum est, dicere solent, & maximè vir reuerentissimus Vuando, tunc temporis diaconus & cooperator in verbo Dei eiusdem præsulis, posteà autem presbyter, & succedenti tempore eiusdē monasterij Fontanellensis Abbas, in quo educatus fuerat. Dum enim nauigaremus, inquit, in Frisiam, positis nobis in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua sacrificium Deo victimę salutaris immolandum erat. Tunc positis ancoris, nauis immobilis permanebat. Et celebrante eodem sancto pontifice Missarū solennia, ventū est ad locum, vbi minister patenā pręsuli porrigere debuit: extensaque manu, expectabat horam, qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit, prostratusq; pedibus sancti pōtificis, humiliter veniam precabatur, dicēs quia dum eam abluere voluisset suis manibus, in maris elapsa profunda, ima petisset. Moxque idem vir Dei flectens genua sua ad patrē Domini nostri Iesu Christi, precabatur eius clemētiam, vt qui quōdàm coram patribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius suis adesset precibus. Finita verò oratione, imperat diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris eadē patena diuinitùs reuecta, eiusdem ministri manui inhæsit. Quod videntes nautę cæterique nauis comites, Dominum cunctipotētem totis viscerū præcordijs collaudauerunt, qui per seruum suū tale dignatus est operari miraculum. Sicque commixtionē corporis & sanguinis idem sanctus pręsul faciens, nomenq; Saluatoris glorificans, sacrosancta Missarū solennia compleuit. Nec impar hic beatus pontifex in hoc facto fuit sancto Elisæo prophetæ, & beato patri Benedicto, per quos similia Christus fecerat miracula. Ad eorū enim preces ferrea de profundis aquarum remeârūt instrumenta, & isto claro præsule orāte, lanx aurea diuinitùs extemplò redijt ad supera. Diuulgatumq; est hoc miraculum & celebre factū apud incolas Galliarum & Germanorum, ad quos hoc factum peruenire potuit, vsque in præsentem diem. Nam & ipsa patena in eodem cœnobio Fontanellensi pro munere sacro seruata tenetur, quam idem venerādus pręsul cum calice suo ibidèm largitus est, dum monachicum sponderet votum. Altare quoquè consecratum, in quatuor angulorum locis & in medio reliquias continens sanctorū in modū clypei, quod secū, dum iter ageret, vehere solitus erat. Vascula quoq; & instrumēta largitus est, & tabernacula ecclesiastici * ministerij plurima. Vuando Abbas. Missa celebratur in mari. Miraculum insigne. 4. Reg. 6. * ordinis

Aliud quoquè eiusdē patris memorabile miraculum, sicut ab eis didicimus, coram quibus factum est, ob ædificationem posterorum narrare cur pigeat? Pręaicante enim illo & docente prædictum populū Frisonum, contigit quadam die puerum quendam ex ipsa gente Frisonum ortum, dijs immolandū duci ad laqueum. Orabat autē S. pontifex incredulum ducem, vt huius pueri sibi vitam donaret, nec hominē ad imaginem Dei factum, sacrificium execrabile dęmonibus immolaret. Vocabatur autē idem puer Ouo. Respondebat autem dux patrio sermone, decretum esse lege perenni olìm à prædecessoribus suis, omniqueFrisonum gente, vt quemcunque sors elegisset, in eorum solennijs dijs offerendum sine mora. At verò sanctus pręsul dum persisteret in precibus, & præfatus populi princeps eius dignę petitioni satisfacere vellet, animosi gētiles, zelo vani erroris deuicti, sicut scriptum est: Zelus appræhendit populum ineruditum: vnanimes frustrabant eius precem, dicentes: Si tuus Christus de tormento mortis eū eripuerit, sit tuus, eiusque æuo perenni seruus. Ad hæc S. pontifex: Non hominum, inquit, in hoc facto, sed Domini Christi fiat voluntas. Appenditur deniquè puer in patibulo, adspicientibus Christianorum simulque gentilium turmis, per duarum ferè spatiū horarum. Extemploq; sacerdos Domini pro salute & vita non solùm illius, qui in tormento erat mortis constitutus, verùm etiam pro obcæcatione populi, qui satanæ vinculis irretitus erat, flectens genua, hanc ad Dominū fudit orationem: Deus inuisibilis, immortalis & æterne, exorabilis tuis esto supplicibus: & sicut quondàm Danielem liberâsti de lacu leonum, ità hūc puerum de faucibus eripe illius sæui leonis, qui circumiens Barbara Frisiorum lex. Precatio S. Vulfranni Dan. 6.

quærit quem deuoret: vt de illius duplici saluatione populus hic incredulus, deposita sorde idolatriæ, ad veritatis conuertatur agnitionē, & per cūctas generationes nomen tuū benedicatur in secula. Hac cōpleta oratione, ilicò disrupta sunt vincula, quibus semiuiui pueri guttur illigatum fuerat: sicq; illæsus in terram ruit. Videbatur autē illi, vt pòst ipse narrabat, quasi sopore graui teneretur oppressus, sanctiq; pontificis zona pectore circunligatus, subleuaretur omnis eius corporis status. Apprehensaque eius manu, pōtifex sanctus ait: In nomine Domini Iesu Christi exurge cōcitè sanus. Quo dicto, ilicò incolumis surrexit, nullum illatæ sibi pœnæ sentiens dolorem: atque ex hoc facto plurima Frisonum multitudo conuersa est ad Dominū: credebantque & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitā æternam. Prædictus autē Ouo, lauacri salutaris vnda perfusus, atque à prefato pōtifice Fontanellā perductus, literisque sacris eruditus, posteà diaconus consecratus, deindè sequenti tēpore à venerando pontifice Reginaldo vrbis Rothomagensis presbyter ordinatur. Et quia erat in arte scriptoria eruditus, plurimos codices in prędicto scripsit monasterio, sed & testamenta & largitiones fidelium plurimas, quas ipsi loco felici munere conferebant. Ibique magno cōfectus senio, sub Ostrulphi Abbatis tempore vitam Deo digna conuersatione terminauit, magistri & domini sui Vulfranni sacerdotis eximij imitando vestigia.

Multi Frisij credunt in Christum.

Alios quoquè duos adolescētes ex ipsa Frisonū gente, qui similiter ritu profano dæmonibus erant immolandi, quorum vnus vocabatur Turinus, alterque Ingomarus, deprecante claro pōtifice Vulfranno, prefatus dux vitæ donauit, & eidem gratuito munere contradidit. Qui diuinis mysterijs imbuti atque in fide confirmati, in sanctæque Trinitatis nomine baptizati, & à dæmoniacę seruitutis iugo erepti, libertate perenni donati sunt. Sicque à prædicto pontifice Fontanellam perducti, Hildeberto Abbati educandi traditi sunt. Qui sacris literis & cęlesti disciplina eruditi, sub regimine & dominio eiusdem patris & successorum eius, per plurima strenuè militauerunt tempora, ibique in ditione eiusdem cœnobij vsque ad vitæ suæ metas permanserunt.

Illud quoquè stupendū & anteà inauditū, & nisi Apostolo Petro, rarissimè alicui sanctorum concessum miraculū, verax scribentis stylus pandat auribus fideliū. Mos pessimus, diabolica fraude inuētus, prædicto incredulorū duci inerat, vt corpora hominum damnatorū, in suorum solennijs dęmonū & non deorum execrabiliter sępissimè diuersis litaret modis: quosdā videlicet gladiatorū animaduersionibus interimēs, alios patibulo appendens, aliorum vitā laqueis acerbissimis extorquēs: præterea & alios marinorū siue aquarū fluctibus instinctu diabolico submergebat. Erat in prædicta gēte mulier quędam vidua, duos charissimos habēs filios, qui ex sorte missa, dęmonibus immolandi fuerant, & gurgite maris enecandi. Ducti nanq; sunt ad quendam locū, bithalassi more aqua inclusum, vt dum rheuma maris eundē locū cooperiret, miserabiliter fluctibus absorberētur. Erat verò, vt fertur, vnus ætate septennis, alterq; quinquēnis. Cumq; rheuma maris tempore malaciæ prędictū impleret locum, is, qui maior natu erat, puerulus minorem fratrē vlnis nitebatur sustollere, dū iam ingurgitarentur. Aderat nanq; ad spectaculum infandum præfatus dux incredulus cum innumera turba gētilium: sed nulla compassionis pietas vel miserantis affectus, eius saxeum pectus emollire quiuit. Sacer verò Vulfrannus pontifex eos sibi vitæque donari rogabat, dicēs non esse iustum de hominibus ad imaginem Dei factis, ludum exhiberi dęmonibus. Tunc dux incredulus: Si Deus tuus, inquit, Christus eos de præsenti periculo liberauerit, eius eos dominio perpetim concedo, sitque eorum Deus, & ipsi eius perenniter serui. Tunc S. pontifex Vulfrannus: Secundùm, inquit, tuum promissum fiat. Orāte autem eo Dominum, concitè rheuma maris in altum se subrigens cumulum, Domino iubēte, prædictum subitò reddidit locū aridum, in quo stabant innocentes, in proximo morituri. Sicque S. pontifex de Domini pietate fisus, more Apostoli Petri, ad Dominum super aquas venientis, super vndas maris ambulauit, adspicientibus gentiliū turmis, donèc ad prædictos puerulos perueniens, vnū manu dextera, aliumq; sinistra appræhēdens, plantis tantummodò aqua tinctis, quasi super humū gradiens siccam, sic aquas maris calcans, pueros præfatos, Deo donante, de periculo eripuit mortis, & flenti matri reddidit incolumes, ac sacro baptismatis fonte abluens, vni nomen suum imposuit, à quo apud incolas Frisonum hoc nomē enituit. Quo viso miraculo, plurima gentiliū multitudo conuersa est ad Dominum, credebantque & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam.

Mos planè barbarus ducis Frisiorum.

Præclarissimum miraculum. Matth. 14.

Præfatus autē princeps Radbodus, cùm ad percipiendū baptisma imbueretur, percontabatur à sancto episcopo Vulfranno, iuramentis eum per nomen Domini adstringens,

gens, vbi esset maior numerus regum & principum seu nobiliũ gentis Frisonum, in illa videlicet cęlesti regione,quam,si crederet & baptizaretur,percepturũ se promittebat: an in ea,quam dicebat tartareã regionem. Tunc B. Vulfrannus: Noli, inquit,errare inclyte princeps. Apud Deum certus est numerus suorum electorum. Nam prædecessores tuos principes gentis Frisonum, qui sine baptismi sacramento decesserunt, certum est damnationis suscepisse sententiam.Qui verò abhinc crediderit & baptizatus fuerit, cum Christo gaudebit inæternum. Hæc audiens dux incredulus, (Nam ad fontem processerat, vt ferunt) à fonte pedem retraxit,dicens non se carere posse consortio prædecessorum suorũ Frisonum principum, & cum paruo pauperum numero residere in illo cęlesti regno. Quinpotiùs non posse facilè nouis dictis assensum prębere: sed potiùs permansurum se in his,quæ multo tempore cum omni Frisonum gente seruauerat. At B. pontifex: Heu proh dolor,inquit,deceptum te video à seductore,qui humanum decipit genus.Sed nisi pœnitentiã egeris,& credideris,& in nomine Trinitatis baptizatus fueris,ianuam regni perennis nõ intrabis,sed æternę damnationis pœna plecteris.Hæc dicente & docente S. pontifice,multi Frisonum credebant & baptizabantur, prędicto rege in paganismo perseuerante. Nam à sacro fonte infeliciter recessit, & iam Vuillebrordum,cognomento Clementem,episcopum & doctorem præfatæ gentis accersiri fecit,vt ad eius consulta simul cum B.Vulfranno in doctrina suæ religionis concordante efficeretur Christianus. Sed quoniam, vt scriptum est, in maleuolam animam non introibit sapientia: quia dubitando per omnia in fide catholica, & tentãdo sanctos antistites loquebatur,ideò obtinere non meruit, quod fictè quærebat. Cùm verò eius legatum super hoc facto suscepisset, Vuillebrordus respondisse fertur: Quia prędicationem sancti fratris nostri Vulfranni põtificis dux vester audire contempsit,meis quomodò obsecundabit dictis? Nam hac nocte vidi illum in visu catena religatum ignea.Vndè certum fore constat, damnationem illum iam subijsse æternam. Cumque iter carperet, quod ad domum eiusdem damnati ducis ducebat, nunciatur ei ipsum sine baptismi sacramento iam esse mortuum.Sicque cœptum deserẽs iter,ad propria repedauit habitacula.

Radbodi barbara vox.

Radbodus à sacro fonte retrahit pedem.

Sap. 1.

Radbodus misere obit.

Nec prætereunda ratio est, quam de prefato duce Radbodo, venerabili presbytero Ouone narrante, didicimus, cur in Christũ credere, ac fonte regeneratiois noluit mergi. Nam in ægritudine positus,de qua & præsentis vitæ lucẽ clausit,perpetuasq; Auerni descendit ad vmbras:dum sopori deditus foret, deceptor hominũ diabolus, qui etiam Dei omnipotentis permissu in angelum se transfigurat lucis,ei apparuit diademate aureo,circunfulgẽtibus gemmis,capite opertus, vesteque aurea textili toto amictus corpore:diuque attonitus pręfatus princeps,diligenter in eum attendebat stupens ac tremebundus,admirans cuius speciei & virtutis esset,qui ei apparebat. Isque multimodæ artis nocendi sæuissimus draco inquit ad eum: Dic, quæso,fortissime virorũ,quis te ità seduxit,vt à cultura deorum & à religione prędecessorum tuorum velis recedere?Noli ità,obsecro,agere: sed in his,quæ hactenùs tenuisti,culturis deorũ permane:ibisque ad domos aureas æternaliter mansuras,quas tibi in proximo sum daturus, vt verborũ meorum dictis adstruam fidem. Quapropter cras accersiẽs Vulfrannum doctorem Christianorum,inquire ab eo, vbinàm sit illa mansio æternę claritatis,quam pollicetur te,si Christianum susceperis dogma,in cęlestibus habiturum. Quam cùm demonstrare nequiuerit,vtriusque partis mittantur legati,eroq; dux itineris,& demonstrabo illis mansionem eximiæ pulchritudinis & fulgoris immensi,quam tibi post modicum sum daturus. Qui euigilans,S. pontifici Vulfranno cuncta per ordinẽ pandit. Sanctus autẽ pontifex ingemiscens eius damnatione,ait: Hæc illusio diaboli est,qui omnes vult perire,& neminem saluari. Quapropter salua temetipsum vir nobilis, credendo in Christum, & festina ad fontem baptismi,in quo est remissio omnium peccatorum, & nullo modo fidem accommodes verbis diaboli mendacibus. Ipse est enim seductor, qui vniuersum seducit orbem:qui propter suam superbiam de alto cæli culmine prostratus ruit in terram,& ex angelo benigno,dęmon teterrimus effectus est: cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum,dum primum hominem concupiscentiam docuit,atque ad inobedientiæ culpam traxit. Nam qui promittit aureas largiri mansiones sibi credentibus, tartareas potiùs inferi deducit ad sedes, fœtidumque lacum Cocyti. Vndè vt ab his pœnis eripi valeas, & bonis frui ęternis, festina in Christo baptizari, in quo est remissio omnium peccatorum,& per quem vitæ cælestis tribuitur ingressus.

Diabolus apparet Radbodo, eumque fallit.

Apoc. 12.

Sap. 2.

Hæc & huiusmodi plura prosequente S. pontifice, respondit prædictus incredulus

 prin-

princeps, omnia se facturum quæ iubebat, si illa non demonstraretur mansio à suo deo, quam sibi largiturum spoponderat. Cumque insuperabilẽ in cunctis Christi sacerdos animum illius cerneret, nè à gentilibus alia fingerentur pro alijs, misit continuò cum quodam Frisone suũ diaconum. Qui cùm paululùm ab oppido processissent, obuiam sibi repererunt in humana effigie quendã itineris comitem, qui dixit eis: Properetis citò: nam ostensurus sum vobis mansionẽ eximię pulchritudinis, quæ præparata est à deo suo principi Radbodo. Qui ducem ac comitẽ itineris prosequentes, loca diù peragrãt incognita, donèc viam ingredientes latissimam, diuersorũ generibus marmorum eam cernunt polito opere decoratam. Videntque à longè domum auream, ac perueniunt vsque ad plateam, quæ ante præfatam domũ sita erat, & ipsa auro gemmisq; strata. Intrantesque in domũ aurei splendoris & incredibilis pulchritudinis, adspiciunt thronũ miræ magnitudinis. Tum ductor itineris: Hæc est, inquit, domus & ista pulcherrima sedes, quam post eius mortẽ principi Radbodo deus suus largiturũ se spopondit. Et diaconus stupefactus in his, quę viderat, dixit: Si à Deo cunctipotente facta sunt ista, perpetuò maneant: si autem à diabolo, citò dispereant. Et cùm vallaret se cõtinuò S. Crucis munimine, dux itineris, qui videbatur homo, euanescendo transijt in diabolum, & domus versa est in lutũ. Remanseruntq; hi duo simul, Friso scilicet & diaconus, in medio locorum palustrium, quæ plena erant longissimis rauseis virgultis. Triduoque immensi laboris iter conficientes, reuersi sunt ad oppidũ, inuenientes præfatum ducẽ Radbodũ sine baptismatis sacramẽto mortuum. Narrantque B. Antistiti, quantam à diabolo pertulissent illusionem. Friso autẽ credidit in Christum, & baptizatus est. Vocabatur autẽ Ingomarus. Qui & ipse ad Fontanellense cœnobium B. Vulfrannum secutus est: Inducias que sibi renunciandi, quas putauerat se adipisci, prædictus dux minimè valuit impetrare: quia non erat ex ouibus Christi, neque ad vitam præordinatus æternam. Percrebuitque hoc stupẽdum miraculũ apud incolas gentis Frisonum, atque ex hoc facto plurima gentis multitudo conuersa est ad Dominũ. Mortuus est autem infeliciter præfatus dux Radbodus, anno Domini Dei nostri Iesu Christi, in quem ipse credere contempsit, 719. qui erat annus septimus inclyti principis Caroli.

Vide præstigias dæmonũ, vt solebant illudere humanis sensibus.

Ad signũ S. Crucis satanicę pstigiæ euanescut.

Is est Carolus Martellus.

Venerabilis autem præsul Vulfrannus, cùm tenuisset pontificatum Senonensis vrbis, cum licentia regis Childeberti & Pipini principis, ad prædicandum præfatæ Frisonum genti, sicutì diuinitùs sibi fuerat reuelatum, animum cõuertit, qui erat annus Dominicæ incarnationis septingentesimus, Pipini quoquè principis annus 13. Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam monasterium sæpiùs reuertens, vbì & monachicum assumpserat habitum. In eadem verbi Dei prædicatione occupatus, & in maiori senectute iam positus, (Nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ordinato in episcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando pontifice, secessit ad præfatum Fontanellæ cœnobium, ibique regularibus subditus disciplinis, coronam expectabat æternam. Nam & in hoc monasterio basilicam in honore S. Stephani primi martyris fabricauit, iuxta quam mansionẽ eidem præparauerãt fratres: vbì diuino cultui deditus, sollicitus operis Dei curam exhibebat: quæ distabat à basilica S. Apostoli Pauli passibus ferè 30. Annis itaque pluribus expers erat lectuli. Cuius corpus sub monachali tunica ciliciũ tegebat. Nam & ægrotis medelam ità conferebat, vt quocunque quis languore detentus fuisset, si ab eo visitari, benedici ac contrectari meruisset, incolumitati mox pristinæ redderetur. Vir nanque venerandus Bertgandus monachus, patruus videlicet Vuandonis Abbatis, ex ea passione, quæ Græco eloquio paralysis dicitur, ità subita membrorũ dissolutione percussus fuerat, vt & loquelam pariter & omne corporis officium amitteret. Ad quem cùm B. Christi pontifex Vulfrannus visendum venisset, & oleo pontificali benedictione consecrato eum tetigisset, incolumitati mox pristinę redditus est, fugataque est ilicò omnis molestia corporis. His & huiusmodi miraculorum signis, qualis fuerit eius vita, arbiter æternus edocuit.

Pipinus, pater Caroli Martelli.

S. Vulfrannus abdicat se pontificatu.

Vita eius in monasterio.

Sanat paralyticum.

Cuius etiam doctrinam id maximè commendabat omnibus, quia non aliter viuebat, quàm docebat. Nihil enim huius mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta quæ sibi à regibus vel diuitibus seculi donabãtur, mox hilariter pauperibus erogabat. Nunquàm diuitibus, honoris siue timoris gratia, si quę deliquissent, reticebat: sed aspera illos inuectione corrigebat, atq; ad eleemosynas operumq; bonorũ executionẽ & verbis excitabat & actibus. Deniq; cùm sacrificiũ victimę salutaris Deo offerret, nõ elata in altũ voce, sed ꝓfusis ex imo pectore lachrymis, Domino vota cõmendabat. Cumq; docendo verbũ Dei in p̃fata ꝓuincia degeret occupatus, diuino admonitus oraculo, redijt ad

venerabile cœnobium Fontanellæ, quia suæ resolutionis diem iam proximè instare cognouerat: sicut ipse quoquè tempore eodem nonnullis, sed verbis obscurioribus, quæ posteà manifestè intelligerent, solita sibi benignissima dilectione pādebat. Quibusdam hoc idem etiam manifestè reuelabat. Reuerso autem eo ad cœnobiū Fontanellæ, acri cœpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus eadem corporis laborabat molestia: in quo toto ipso tempore & conditori gratias agere, & fratres publicè ac priuatìm non prætermittebat docere. Admonebat nanque eos, vt virtutem dilectionis & pacis adinuicèm & ad omnes seruarent. Instituta quoquè disciplinæ regularis, quæ à sanctę recordationis patre Vuandregisilo didicerant, vel in ipso viderant, in patrumq; precedentium factis siue dictis inuenerant, indefessa instantia sequerentur. Deniquè subiunxit, diem sui obitûs in proximo imminere. Cumque hæc & huiusmodi plura sanctæ exhortationis verba inter sacra Missarum solennia eis loqueretur, atque percepta eius benedictione, de suo tam cito * responso tristes flentesque existerent, redijt ad stratum, quod iuxta ecclesiam S. Stephani martyris in mansiuncula sua fratres ei preparauerant. Ibique languore corporis, quem diù protraxerat, per dies ingrauescente, septimo, vt sibi diuinitùs promissum fuerat, die, postquàm obitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus angelis, æternæ felicitatis gaudia & consortia ciuium petijt supernorum.

Eius optimæ adhortationes ad monachos.

*forte * recessu*

Abit è vita.

Obijt verò venerandus pontifex 13. Calend. Aprilium die, anno Dominicæ incarnationis 720. Sepultusque est, primò quidem in ecclesia B. Pauli Apostoli iuxta sacerdotē Domini Vuandregisilū, in dextera parte: in quo loco iacuit per annos 9. Sanctus quoquè pater Vuandregisilus requieuit in eadē basilica annis 40. Ansbertus annis 11. Translati quoquè sunt indè in basilicam B. Petri Apostoli à S. Baino episcopo vrbis Taruennæ, & rectore Fontanellensis cœnobij, sub anno regiminis sui 5. qui erat annus ab incarnatione Domini 729. Qui ità integri ab omni corruptione cum vestimentis, quibus induti fuerant, reperti sunt, quasi eodem die sepulturæ fuissent traditi. Hæc ergò dies, cunctorum votis præstolata, aduenerat: sacerdotes, monachi, clericorumq; chori vnà cum fidelibus aderant plebibus. Tunc cum hymnorum laudibus tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantię odor prodijt, vt mira dulcedine non solùm in ecclesia circunstantem populum, verùm & in atrijs sitam repleret plebem. Illati sunt autem in ecclesiam B. Petri Apostoli, & positi in absida eiusdem in orientali parte, vbì signis & miraculis coruscant, præsule Christo, cui est cum Deo Patre in vnitate Spiritûs sancti omnis honor & gloria, per cuncta secula seculorum, Amen.

Translatio SS. Vuulfrāni, Vuandregisili & Ansberti.

VITA S. CVTHBERTI EPISCOPI LINDISFARNEN. AVTHORE VENERABILI BEDA PRESBYTERO.

Extat tertio Tomo Operum eius.

PRAEFATIO.



Domino sancto ac beatissimo patri Eadfrido Episcopo, sed & omni congregationi Fratrū, qui in Lindisfarnensi insula Christo deseruiunt, Beda fidelis vester conseruus, Salutem.

Quia iussistis dilectissimi, vt libro, quem de vita beatæ memoriæ patris nostri Cuthberti vestro rogatu composui, præfationem aliquam in fronte iuxta morem præfigerem, per quam legentibus vniuersis & vestræ voluntatis desiderium, & obeditionis nostræ pariter assensio fraterna claresceret: placuit in capite præfationis & vobis, qui nôstis, ad memoriam reuocare, & eis, qui ignorant, hæc fortè legentibus, notum facere, quia nec sine certissima exquisitione rerum gestarum aliquid de tanto viro scribere, nec tandèm ea, quæ scripseram, sine subtili examinatione testium indubiorum passìm transscribenda quibusdam dare præsumpsi: quinpotiùs primò diligenter exordium, progressum ac terminū gloriosissimæ conuersationis ac vitæ illius ab his, qui nouerant, inuestigans, quorum etiam nomina in ipso libro aliquotiès ob certum cognitæ veritatis indicium apponenda iudicaui: & sic demùm ad schedulas manum mittere incipio. At digesto opusculo, sed adhuc in schedulis retento, frequenter & reuerentissimo fratri nostro Herefrido presbytero huc aduentanti, & alijs, qui diutiùs cum viro Dei conuersati, vitam illius

optimè nouerant, quæ scripsi, legenda atque ex tempore præstiti retractanda, ac nonnulla ad arbitrium eorum, prout videbantur, sedulus emendaui: sicque ablatis omnibus scrupulorum ambagibus, ad purum certam veritatis indaginem, simplicibus explicitam sermonibus, commendare membranulis, atque ad vestræ quoquè fraternitatis præsentiam absportare curaui: quatenùs vestræ authoritatis iudicio vel emendarentur falsa, vel probarentur vera esse, quæ scripta sunt. Quod cùm Domino adiuuante patrarem, & coram senioribus ac doctoribus vestræ congregationis libellus biduo legeretur, ac solertissimè per singula ad vestrum pensaretur examen, nullus omnimodis inuentus est sermo, qui mutari debuisset: sed cuncta, quæ scripta erant, communi consilio decernebantur absq; vlla ambiguitate legenda: & his qui religionis studio vellent, ad transscribendum esse tradenda. Sed & alia multa nec minora his, quæ scripsimus, præsentibus vobis adinuicèm conferẽtes de vita & virtutibus beati viri, superintulistis, quæ prorsùs memoria digna videbantur, si non deliberato ac perfecto operi noua interserere vel superaddere minùs congruum atque indecorum esse constaret. Dehinc admonendam vestræ almitatis coronam ratus sum, vt sicut ipse munus obedientiæ meæ, quod iubere estis dignati, promptus soluere non distuli: ità vos quoquè ad reddendum mihi vestræ intercessionis præmium, pigri non sitis: sed cùm eundem librum relegentes, pia sanctissimi patris memoria vestros animos ad desideria regni cælestis ardentiùs attollitis, pro mea quoquè paruitate memineritis diuinam exorare clementiam, quatenùs & nunc pia mente desiderare, & in futuro perfecta beatitudine merear videre bona Domini in terra viuentium: sed & me defuncto, pro redemptione animæ meæ, quasi pro familiaris & vernaculi vestri, orare & Missas facere, & nomen meũ inter vestra scribere dignemini. Nam & tu sanctissime antistes, hoc te mihi promisisse iam retines, in cuius etiam testimonium futuræ conscriptionis religioso fratri vestro Gudfrido Mansionario præcepisti, vt in albo vestræ sanctæ congregationis meum nunc quoquè nomen apponeret. Sciat autem sanctitas vestra, quia vitam eiusdem Deo dilecti patris nostri, quam vobis prosa editam dedi, aliquanto quidem breuiùs, sed eodem tamen ordine, rogantibus quibusdam è nostris fratribus, heroicis dudùm versibus edidi. Quos si vos habere delectat, à nobis exemplar accipere potestis. in cuius operis præfatione promisi, me aliàs de vita & miraculis eius latiùs esse scripturum: quam videlicet promissionem in præsenti opusculo, prout Deus dederit, adimplere satago. Orantem pro nobis beatitudinem vestram Dominus omnipotens custodire dignetur incolumem, dilectissimi fratres & Domini mei, Amen.

Nota fidem huius historiæ.

Petit Beda pro se defuncto Missas & preces fieri.

Scripsit hãc vitam Beda etiam carmine.

Quomodò Cuthbertus octennis puer, per infantem sit de episcopatu præmonitus. Cap. 1.

20. Martij.

Thren. 3.

Adolescens Cuthbertus monachum profitetur.



PRincipium nobis scribendi de vita beati Cuthberti, Ieremias propheta consecrat, qui anachoreticæ perfectionis statũ glorificans, ait: Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuabit se super se. Huius nanq; boni dulcedine accensus vir Domini Cuthbertus, ab ineunte adolescẽtia iugo monachicæ institutionis collũ subdidit: & vbi opportunitas iuuit, arrepta etiã conuersatione anachoretica, nõ pauco tempore solitarius sedere, atq; ob suauitatem diuinæ contemplationis, ab humanis tacere delectabatur alloquijs. Sed vt hæc in maiore ætate posset, superna illũ gratia ad viam veritatis paulatìm à primis iam pueritiæ incitauerat annis. Siquidem vsq; ad octauum ætatis annum, qui post infantiã pueritiæ primus est, solis paruulorum ludis & lasciuiæ mentẽ dare nouerat: ità vt illud beati Samuelis tunc de ipso posset testimoniũ dici: Porrò Cuthbertus necdùm sciebat Dominũ, neq; reuelatus fuerat ei sermo Domini. Quod in preconium laudis dictum est pueritiæ illius, qui ætate maior, perfectè iam cogniturus erat Dominum, ac sermonem Domini reuelata cordis aure percepturus. Oblectabatur ergò, vt diximus, iocis & vagitibus, & iuxta quod ætatis ordo poscebat, paruulorũ cõuenticulis interesse cupiebat, ludentibus colludere desiderabat. Et quia agilis natura, atq; acutus erat ingenio, contendentibus ludo sæpiùs præualere consueuerat: adeò vt fessis nonnunquàm cæteris, ille indefessus adhuc, si quis vltrà secum vellet certare, quasi victor lætabundus inquireret. Siue enim saltu, siue cursu, siue luctatu, seu quolibet alio membrorum sinuamine se exercerent, ille omnes æquæuos, & nonnullos etiam maiores, à se gloriabatur esse superatos. Cùm enim esset paruulus, vt paruulus sapiebat, vt

1. Reg. 3.

par-

paruulus agitabat: qui postmodùm factus vir, plenissimè ea, quæ paruuli erāt, deposuit. Et quidem diuina dispensatio primitùs elationem animi pueriilis digno se pædagogo compescere dignata est. Nam, sicut beatæ memoriæ Trumuuine Episcopus ab ipso Cuthberto sibi dictum perhibebat, dum quadam die solito luctamini in campo quodā non modica puerorum turba insisteret, interesset & ipse, &, sicut ludentium leuitas solet, contra congruum naturę statum varijs flexibus membra plerique sinuarent, repentè vnus de paruulis triennis fermè, vt videbatur, accurrit ad eum, & quasi senili constantia cœpit hortari, nè iocis & ocio indulgeret, sed stabilitati potiùs mentē simul & membra subiugaret. Quo monita spernente, luget ille corruens in terram, & faciem lachrymis rigans. Accurrunt consolaturi cæteri: sed ille perstat in fletibus. Interrogant quid haberet repentinum, vndè tantis afficeretur lamentis. At ille tandèm exclamans consolanti se Cuthberto, Quid, inquit, sanctissime antistes & presbyter Cuthberte hæc & naturæ & gradui tuo contraria geris? Ludere te inter paruulos nō decet, quem Dominus etiam maioribus natu magistrum virtutis consecrauit. Audiens hæc bonæ indolis puer, fixa intentione suscepit, illo nimirùm spiritu interiùs eius pręcordia docente, qui per os infantis extrinsecùs eius auribus insonuit. Nec mirandum cuiquam, paruuli lasciuiā per paruulum potuisse, Domino agente, cohiberi: qui ad prohibendam prophetæ insipientiam, ore subiugalis muti rationabilia verba, cùm voluit, edidit: in cuius laude dictum est veraciter: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Admonetur Cuthbertus puer à trimo infante.

Mirabilis Deus in sanctis suis.

Num. 22. 2. Pet. 2.

Psal. 8.

Quomodò genu dolente claudus sit effectus, & angelo medicante, sine mora sanatus. Cap. 2.

VErùm quia omni habenti dabitur, & abundabit, id est, habenti propositum amoremq; virtutum, harum copia superno munere donabitur: quoniā puer Domini Cuthbertus quæ per hominem accepit hortamenta, sedulo cordè retinebat, etiam angelico visu & affatu confortari promeruit. Nam subito dolore genu correptum illius, cœpit acri tumore grossescere: ità vt neruis in poplite contractis, pedem primò à terra suspēsum, claudicans portaret: dehinc ingrauescente molestia, omni penè priuaretur incessu. Qui die quadam deportatus foràs à ministris, atque sub diuo recumbens, vidit repentè venientem de longè equitem albis indutum vestimentis, & honorabilem vultu: sed & equum, cui insidebat, incomparandi decoris. Qui cùm adueniens, mansueto illum salutaret alloquio, addidit quasi per iocum inquirere, si aliquod tali hospiti vellet præbere obsequium. At ille: Iam, inquit, promptissimè tuis cuperem deuotus adstare obsequijs, si non, exigentibus culpis, huius compede languoris retinerer. Diù nanque est, quòd molestia genu tumentis oppressus, nulla cuiuslibet medicorum industria possum sanari. Qui desiliens equo ac genu languidum diligentiùs considerans: Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, & hac cōfectione calida tumorem superunge, & sanaberis. Et his dictis, ascendens equum, abijt. Ille iussis obtemperans, post dies paucos sanatus est: agnouitque angelum fuisse, qui hæc sibi monita dedisset, mittente illo, qui quondàm Raphaëlem archangelum ad sanandos Tobiæ visus destinare dignatus est. Quòd si cui videtur incredibile, angelum in equo apparuisse, legat historiam Machabæorum, in qua angeli in equis & ad Iudæ Machabæi & ad ipsius templi defensionem aduenisse memorantur.

Matth. 25.

Tob. 11.

2. Mach. 10. & 3.

Quomodò ventis oratione mutatis, rates in Oceanum delapsas, reuocârit ad litus. Cap. 3.

AB hoc autē tempore deuotus Domino puer, sicut ipse posteà familiaribus suis attestari solebat, sæpè in angustijs se vallantibus orans Dominum, angeli meruit opitulatione defendi: necnon etiam pro alijs in periculo cōstitutis, quia benigna pietate supplicabat, exaudiebatur ab illo, qui clamantem pauperē exaudire, & ex omnibus tribulationibus eius consueuit eripere. Est deniquè monasteriū non longè ab ostio fluminis * Tini ad meridiem situm, tunc quidem virorum, nunc autem mutato, vt solet, per tempora rerum statu, virginum Christo seruientium nobili examine pollens: qui videlicet famuli Christi dum ligna monasterij vsibus apta per memorati alueum fluminis delongè ratibus veherent, iamq; è regione eiusdem monasterij vehendo deuenirēt, ac rates ad terram educere conarētur, eccè ventus subitò ab occasu intempestiuus assurgens, abripuit rates, atq; ad ostiū fluminis trahere cœpit. Quod videntes è monasterio fratres, emissis in fluuio nauiculis, eos qui in ratibus laborabant, adiu-

Psal. 33.

* Thini

adiuuare nitebantur: sed vi fluminis ac ventorum violentia superati, nequaquàm valebant. vndè facta desperatione humani adiutorij, confugerunt ad diuinum. Egressi nanque de monasterio, & labentibus in Oceanum ratibus, collecti in primo obice, flectebant genua, supplicantes Domino pro his, quos in tantum mortis discrimen iamiamq; irruere cernebant. Sed prouisione diuina, quanuis diù precantium, vota sunt dilata, vt videlicet quanta esset in Cuthberto virtus precandi, patesceret. Stabat enim in altera amnis ripa vulgaris turba non modica, in qua stabat & ipse: quæ cùm, adspectantibus cum tristitia monachis, raptas porrò per mare cerneret rates, adeò vt quasi quinque aues paruulæ (quinque enim erant rates) vndis insidentes apparérent, cœpit irridere vitam conuersationis eorum, quasi meritò talia paterentur, qui communia mortalium iura spernentes, noua & ignota darent statuta viuendi. Prohibuit probra deridentium Cuthbertus: Quid agitis, inquiens, fratres, maledicentes his, quos in letum iam trahi videtis? Nónne melius esset & humanius, Dominum pro eorum deprecari salute, quàm de illorum gaudere periculis? At illi rustico & animo & ore stomachantes aduersùs eum: Nullus, inquiunt, hominũ pro eis roget, nullus eorum misereatur Deus: qui & veteres culturas hominibus tulêre, & nouas qualiter obseruare debeant, nemo nouit. Quo accepto responso, ipse oraturus Dominum, genua flexit, caput in terram declinauit: statimque retorta vis ventorum, rates cum his, qui ducebant, gaudentibus integras ad terram eiecit, & iuxta ipsum monasterium in loco opportuno deposuit. Videntes autem rustici, erubuerunt de sua infidelitate: fidem verò venerabilis Cuthberti extunc laude digna prædicabant, & deincèps prædicare nullatenùs cessabant: adeò vt frater quidam nostri monasterij probatissimus, cuius ipse hæc relatione didici, sese hæc ab vno ipsorum rusticæ simplicitatis viro, & simulandi prorsùs ignaro, coram multis sæpè assistentibus audisse narrauerit.

Irrisores monachorũ compescuntur à Cuthberto.

Pudefiunt infideles monachorum irrisores.

Quomodò cum pastoribus positus, animam sancti Aidani Lindisfarnensis episcopi ad cælum ferri ab angelis adspexerit. Cap. 4.

AT vbì gubernatrix vitæ fidelium gratia Christi voluit famulum suum arctioris propositi subire virtutem, altioris præmij gloriam promereri, contigit eum remotis in montibus commissorum sibi pecorum agere custodiam. Qui dum nocte quadam, dormientibus socijs, ipse iuxta morem peruigil in oratione duraret, vidit subitò fusum de cęlo lumen, medias longè noctis interrupisse tenebras: in quo cælestium choros agminum terras petisse, nec mora, rapta secum anima claritatis eximiæ, supernam redisse ad patriam. Compunctus est multùm hoc visu Deo dilectus adolescens ad subeundum gratiam spiritualis exercitij, ac promerendæ inter magnificos viros vitæ felicitatisque perennis: confestimque Deo laudes, gratiarumque referens actiones, sed & socios ad laudandum Dominum fraterna exhortatione prouocans: Heu miseri, inquit, qui somno & inertiæ dediti, non meremur semper vigilantium ministrorum Christi cernere lucem. En ipse cùm modico noctis tempore peruigil orarem, tanta Dei magnalia conspexi: aperta est ianua cæli, & inductus illuc angelico comitatu spiritus cuiusdam sancti, qui nunc, nobis in infima caligine versantibus, supernæ mansionis gloriam ac regem illius Christum perpetuò beatus intuetur. Et quidẽ hunc vel episcopum quemlibet sanctum, vel eximium de fidelium numero virum fuisse existimo, quem tanto splendore lucis, tot ducentium choris angelorum cælis illatum vidi. Hæc dicens vir Domini Cuthbertus, non parùm corda pastorum ad diuinæ laudationis reuerentiam accendit, agnouitque manè facto antistitem Lindisfarnensis ecclesiæ Aidanum, magnę vtiquè virtutis virum, per id temporis, quo viderat, raptum de corpore cælestia regna petisse: ac statim commendans suis pecora, quæ pascebat, dominis, monasterium petere decreuit.

Visio S. Cuthberti.

Aidani anima petit regna cælorũ.

Quomodò iter faciens, cibos Domino procurante, percepit. Cap. 5.

CVmque nouum vitę continentioris ingressum sedulo iam corde meditaretur, affuit superna gratia, quæ animum eius arctiùs in proposito firmaret, ac manifestis edoceret indicijs, quia quærentibus regnum Dei & iustitiam eius, ea, quæ ad victum pertinent corporis, beneficio diuinæ prouisionis adijciuntur. Quadam nanque die, dum iter solus ageret, diuertit hora tertia in villam, quam eminùs fortè positã reperit: intrauitq; domum cuiusdã religiosæ matrisfamiliâs, paululùm ibidèm quiescere desiderans, & iumento potiùs, cui insedebat, quàm sibi alimentũ poscere curans. erat enim tempus incipiẽtis brumę. Suscepit ergò eum mulier benignè, rogauitque

Matth. 6.

tur que solicitè, vt prandium parare atque illum reficere liceret. Negauit vir Domini:
Non possum, inquiens, adhuc manducare, quia dies ieiunij est. Erat nanque sexta sab- Ieiuniū se-
bati, qua plerique fidelium ob reuerentiam Dominicæ passionis, vsq; ad nonam horam xtæ feriæ tā
solent protelare ieiunium. Perstitit in rogando mulier, hospitalitatis studio deuota: Ec- antiquum.
cè, inquiens, itinere quo vadis, nullum viculum, nulla hominum habitacula reperies. &
quidem longum restat iter, neque ante solis occubitum valet consummari. Vndè pre-
cor, antequàm egrediaris accipias cibos, ne tota die ieiunium sustinere, vel etiam pro-
crastinare cogaris. At ille, quanuis multùm rogante fœmina, rogantis instantiam reli-
gionis amore deuincens, ieiunus viam repetijt, ieiunus diem duxit ad vesperam. Cum-
que instante iam vespera, cerneret se iter, quod proposuerat, eodem die non posse fini-
re, neque vlla in proximo hominum hospitia, vbi manere posset, adesse: eccè subitò iter
faciens, vidit iuxtà pastorum tuguria, quæ æstate infirmiter posita, tunc iam deserta pa-
tebant. Huc propter manendum ingrediens, equum, in quo venerat, alligauit ad pari-
etem, collectumque fœni fasciculum, quem tecto ventus abstulerat, edendum illi ap-
posuit: ipse orando horam ducere cœpit. At subitò inter psallendum vidit equum, ela-
to sursùm capite, tecta casæ carpentem ore * visumque trahentem, atque inter caden- * rictuque
tia fœna tecti, inuolutum pariter decidere linteum: volensque dinoscere certiùs quid
esset, finita oratione, accessit, & inuenit inuolutum linteo dimidium panis calidi & car- Diuinitùs
nem, quæ ad vnam sibi refectionem sufficere possent, laudemque decantans beneficijs S. Cuthber-
cęlestibus: Deo, inquit, gratias, qui & mihi pro eius amore ieiunanti, & meo comiti cœ- to esca præ-
nam prouidere dignatus est. Diuisit ergò fragmen panis, quod inuenit, partemq; eius betur.
dimidiam equo dedit: reliquum suo esui reseruauit: atque ex illo iam die promptior
factus est ad ieiunandum, quia nimirùm intellexit, eius dono sibi refectionē procura-
tam in solitudine, qui quondàm Eliam solitariū, quia nullus hominum aderat qui mini- 3. Reg. 17.
straret, eiusmodi cibo per volucres non pauco tempore pauit, cuius oculi super timen- Psal. 32.
tes eum, sperantes autem in misericordia eius, vt eripiat à morte animas eorum, & alat
eos in fame. Hæc mihi religiosus nostri monasterij, quod est ad ostium Vuiri fluminis,
presbyter nomine Inguuald, qui nunc longæ gratia senectutis magìs corde mundo cæ-
lestia, quam terrena carnalibus cōtemplatur adspectibus, ab ipso Cuthberto, iamtunc
episcopo, se audisse perhibuit.

Quale ei testimonium venienti ad monasterium Boisilus vir sanctus in spiritu perhibuerit. Cap. 6.

INtereà venerabilis Domini seruus, relictis seculi rebus, monasterialem properat
subire disciplinam, vtpotè cælesti visione ad appetenda perpetuæ gaudia beatitu-
dinis incitatus, ad tolerandàm pro Domino esuriem sitimque temporalem, epulis
inuitatus cęlestibus. Et quidem Lindisfarnensem ecclesiam multos habere sanctos Multi san-
viros, quorum doctrina & exemplis instrui posset, nouerat: sed fama præuentus Boisi- cti viri in
li, sublimium virtutum monachi & sacerdotis, Mailros petere maluit: casuque conti- ecclesia Lin
git, vt cùm illò perueniēs, equo desiluisset, ingressurusque ad orandum ecclesiām, ipsum disfarnensi.
pariter equum & hastam, quam tenuerat manu, ministro dedisset, (needùm enim habi-
tum deposuerat secularem) Boisilus ipse præ foribus monasterij consistens, prior illum
videret, præuidensque in spiritu, quantus conuersatione esset futurus quem cernebat,
hoc vnum dixit adstantibus: Eccè seruus Dei: imitatus illum, qui venientem ad se Na-
thanaël intuitus, Eccè, inquit, verè Israëlita, in quo dolus non est. sicut religiosus ac ve- Iohan. 1.
teranus Dei famulus & presbyter Sigfridus solet attestari, qui eidem Boisilo hæc dicen-
ti inter alios adstabat, tunc in ipso monasterio adolescens, primis adhuc monachicę vi-
tæ rudimentis institutus, nunc in nostro, id est, Giruensi monasterio perfectum in Chri-
sto agens virum, & inter ægra spiritûs extremi suspiria lætum vitæ alterius sitiens introi-
tum. Nec plura loquens Boisilus, peruenientem mox ad se Cuthbertum benignè susce-
pit, causamque itineris exponentem, quia videlicet monasterium seculo prætulerit, be-
nigniùs secum retinuit. erat enim præpositus eiusdem monasterij. Et post dies paucos
aduenīēte viro beatę recordationis Eata, tunc presbytero & Abbate monasterij ipsius,
posteà Lindisfarnensis ecclesiæ simul & eiusdem loci antistite, indicauit ei de Cuthber-
to, & quia boni propositi animum gereret exposuit, obtinuitque apud eum, vt accepta Cuthbertus
tonsura, fratrum iungeretur consortio. Et egressus monasterium, confestim æqualē cæ- tondetur, &
teris fratribus vitæ regularis obseruantiam tenere, vel etiam arctioris disciplinæ studijs fit mona-
supergredi curabat, legendi videlicet, operandi, vigilandi, atque orandi solertior. Sed chus.
& iuxta

Iudic.13. & iuxta exemplũ Samsonis fortissimi, quondàm Nazaræi, ab omni, quod inebriare potest, sedulus abstinebat, non autem tantam escarum valebat subire continentiam, nè necessarijs minùs idoneus efficeretur operibus. Erat enim robustus corpore & integer viribus, atque ad quæcunque volebat, aptus exercitia laboris.

Quomodò angelum hospitio suscipiens, dum panem quærit ministrare terrenum, cælesti ab eo remunerari meruit. Cap. 7.

Alchfridus rex construi cœnobium vult.

CVmque post aliquot annos regi Alchfrido placeret, pro redemptione animæ suæ locum quendam regni sui, qui vocatur Inrhipum, ad construendum ibidèm monasterium Eatæ Abbati donare, tollens idem Abbas quosdam è fratribus secum, in quibus & Cuthbertum, condidit ibì quod petebatur monasterium, atque eisdem, quibus anteà Mailros, institutis disciplinæ regularis imbuit: vbì famulus Domini Cuthbertus suscipiendorum officio prępositus hospitum, probandæ suæ gratia deuotionis, angelum Domini suo suscepisse fertur hospitio. Exiens enim primo manè de interioribus monasterij ædibus ad hospitum cellulam, inuenit inibì quendam sedentem iuuenem: quem hominē æstimans, solito mox humanitatis more suscepit. Nam lauandis manibus aquam dedit, pedes ipse abluit, linteo extersit, fouēdos humiliter manibus suo in sinu composuit, atque vt horam diei tertiam etiam cibo reficiendus expectaret, rogauit: nè si ieiunus iret, fame pariter & frigore lassaretur hyberno. Putabat nanque hominem nocturno itinere simul & flatibus defessum niueis, illò requiescendi gratia diluculò diuertisse. Negauit ille, & se citò iturum, quia longiùs esset mansio, ad quam properaret, respondit. At Cuthbertus diù multumque rogans, tandèm adiuratione addita diuini nominis, ad manendum coëgit: statimque vt expletis horæ tertię precibus, vescendi tempus aderat, apposuit mensam, sumēdas obtulit escas, &, Obsecro te, inquit, frater reficias, dum rediens calidum panem affero. Spero enim quia iam cocti sint. At vbì redijt, non inuenit hospitem, quem edentem reliquerat. Explorat vestigia, quà ierat, sed nulla vspiàm inuenit. Recens autem nix terram texerat, quæ facilimè viantis iter proderet, & quò declinaret, monstraret. Stupefactus ergò vir Dei, & secum quęrens de facto, reposuit mensam in conclaui. Quod ingressus, continuò obuiàm habuit miri odoris fragrātiam. Circunspiciens autem, vndè esset orta tanta nidoris suauitas, vidit iuxtà positos tres panes calidos insoliti candoris & gratiæ, pauensque, talia secum loquitur: Cerno quòd angelus Dei erat, quem suscepi: pascere, non pasci, veniens. En panes attulit, quales terra gignere nequit. Nam & lilia candore, & rosas odore, & mella pręcedunt sapore. Vndè constat, quia non de nostra tellure orti, sed de paradiso voluptatis sunt allati. Nec mirum, quòd epulas in terris sumere respuerit humanas, qui æternę vitæ pane fruitur in cælis. Itaque vir Domini de ostensa miraculi virtute compunctus, maiorem ex eo virtutum operibus curam impendebat. Crescentibus autem virtutibus, creuit & gratia cælestis. Deniquè sæpiùs ex eo tempore angelos videre & alloqui, sed & esuriens, cibis, speciali munere à Domino præparatis, meruit refici. Nam quia affabilis & iucundus erat moribus, plerunquè dum ad exemplum viuendi præsentibus patrum præcedentium gesta referret, etiam quid sibi doni spiritualis superna pietas contulerit, humiliter interserere solebat. Et aliquandò quidem palàm, aliquandò autem velatè, quasi sub persona alterius, id facere curabat. Quod tamen qui audière, quia de seipso dixerit, intelligebant, iuxta exemplum magistri gentium, qui modò apertè suas virtutes replicat, modò sub prætextu alterius personæ loquitur, dicens: Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, raptum vsque ad tertium cælum. & cætera illius loci.

Angelũ hospitio accipit Cuthbertus.

Tres panes ab angelo relicti.

Videt crebrò angelos, & cælitùs pascitur.

2.Cor.12.

Quomodò sanato à languore Cuthberto, Boisilus moriturus, omnia quæ ei ventura erant, prædixerit. Cap. 8.

INtereà quia fragilis est & more freti volubilis omnis seculi status, instante subitò turbine, præfatus Abbas Eata cum Cuthberto & cæteris, quos secum adduxerat, fratribus domum repulsus est, & locus monasterij, quod condiderat, alijs ad incolendum monachis datus. Nec memoratus athleta Christi mutatione loci mutauit mentē ab arrepto semel proposito militiæ cælestis, verùm diligentissimè, iuxta quod & antè facere consueuerat, beati Boisili dictis pariter auscultabat & actis. Quo tempore, sicut Herefridus familiaris eius presbyter & Abbas quondàm monasterij Lindisfarnensis, ipsum referre solitum testatur, morbo pestilentiæ, quo tunc plurimi per Britanniam

Cuthbertus peste corripitur.

niam longè lateque deficiebant, correptus est. At fratres monasterij illius totam, pro eius vita & salute precãtes, duxêre noctem peruigilem. Omnes enim, quasi hominis sancti necessariam sibi eius adhuc in carne præsentiam rebantur. Quod dum ipsi manè quidam de illis indicaret, (nam eo nescio fecerant) respondẽs statim: Et quid iaceo, inquit? Neque enim dubitandum est, quia tot taliumque virorum preces Deus non despexerit. Date baculum & caligas. Statimque exurgens cœpit tentare incessum. baculo innitens: & crescente per dies virtute, sanitatem quidem recepit: sed quia tumor, qui in femore apparebat, paulatim a superficie detumescens corporis, ad viscerum interiora prolapsus est, toto penè vitæ suæ tempore aliquantulum interaneorũ non cessabat sentire dolorem, videlicet vt iuxta Apostolũ, virtus in infirmitate perficeretur. Quem cùm famulus Domini Boisilus à valetudine sanatum cerneret, ait: Vides frater, quia liberatus es à molestia, qua laborabas. Et dico tibi, quòd ea vltrà iam tangendus non es, neque hoc moriturus in tempore: simulque moneo, vt quia me mors vicina præstolatur, discere à me aliquid, quandiù docere valeam, non omittas. Non enim plus quàm septem dies sunt, quibus mihi ad docendum sanitas corporis & linguæ suppetat virtus. Respondit Cuthbertus, nihil hæsitans de veritate dictorum illius: Et quid, rogo, mihi optimum est legere, quod tamen vna valeam consummare septimana? At ille: Iohannem, inquit, euangelistam. Est autem mihi codex, habens quaterniones septem, quos singulis diebus singulos possumus, Domino adiuuante, legendo, & quantum opùs est, inter nos conferendo percurrere. Factumq; est vt dixerat. Quam ideò lectionẽ tam citissime cõplere volebant, quia solam in ea fidei, quæ per dilectionem operatur, simplicitatem, nõ autem quæstionum profunda, tractabant. Completa ergo post dies septem lectione, memorato morbo arreptus vir Domini Boisilus, diem peruenit ad vltimũ: & hoc magna cum exultatione transcẽso, ad gaudium perpetuæ lucis intrauit. ferũt illum his septem diebus omnia Cuthberto, quæ futura restabant, exposuisse. Propheticus nanque, vt dixi, & miræ sanctitatis erat homo. Deniq; præfatæ acerbitatem pestilentiæ triennio, priusquàm veniret, Eatano Abbati suo prædixit fuisse futuram, nec se illa tollendum celauit, ipsum verò Abbatem suum non ea moriturum, sed illo potiùs morbo, quem dysenteriam medici appellant, veridico, vt rerum exitus docuit, sermone præmonuit. Sed & Cuthberto inter alia, quia episcopus esset ordinandus, insinuauit. Vnde idem Cuthbertus, postmodùm in secessu anachoreseos positus, dicere quidem nulli volebat, quia episcopum eum prædixerat futurum: sed tamen visitantibus se aliquoties fratribus, solebat multo cum dolore protestari, quia etiam si fieri possit, vt in caute permodicam domunculam habens delitẽam, vbi circunferentes me vndique fluctus Oceani tumescentes, a cunctorum mortalium visu pariter & cognitione secludant: nec sic quidem liberum me ab insidijs mundi fallentis æstimo, sed ibi quoque, quia qualibet ex causa philargyria me tentans abripere possit, vereor.

2. Cor. 12.

Vaticiniũ Boisili.

Boisilus migrat ad Dominũ.

Multa futura prædicit.

Quàm sedulus erga ministerium verbi Cuthbertus extiterit. Cap. 9.

POST obitum verò dilecti DEO sacerdotis Boisili, memoratum Præpositi officium Cuthbertus suscepit, & per aliquot annos spirituali, vt sanctum decebat, exercens industria, non solùm ipsi monasterio regularis vitæ monita simùl & exemplum præferebat, sed & vulgus circumpositum longè latéque, à via stultæ consuetudinis, ad cælestiũ gaudiorum conuertere curabat amorem. Nam & multi fidẽ, quam habebant, iniquis profanabant operibus, & aliqui etiam tempore mortalitatis, neglecto fidei, quo imbuti erant, sacramento, ad erratica idolatriæ medicamina concurrebant, quasi missam a Deo conditore plagam, per incantatiões vel alligaturas, vel alia quælibet dæmoniacæ artis arcana, cohibere valerent. Ad vtrorunque ergo corrigendum errorem, crebrò ipse de monasterio egressus, aliquotiès equo sedens, sed sæpiùs pedes incedens, circumpositas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus: quod ipsum etiam Boisilus suo tempore facere consueuerat. Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum, vt veniente in villam clerico vel presbytero, cuncti ad eius imperium, verbum audituri, confluerent, libenter ea, quæ dicerentur, audirent. libentiusq;, quæ audire & intelligere poterant, operando sequerentur. Porrò Cuthberto tanta erat docendi peritia, tantus amor persuadendi quæ cœperat, tale vultûs angelici lumẽ, vt nullus præsentium latebras ei sui cordis celare præsumeret, omnes palàm quæ gesserant, confitendo proferrent, (quia nimirùm hæc eadem illum latére nullo modo putabant, & confessa, dignis (vt imperabat) pœnitentiæ fructibus abstergerent. Solebat

Dat operã hominibus ad Deum conuertendis.

Anglorũ feruor ad audiendũ verbũ Dei

 autem

aurē ea maximè loca peragrare,illis prædicare in viculis,qui in arduis asperisque montibus procul positi,alijs horrori erant ad visendum , & paupertate pariter ac rusticitate sua doctorum prohibebant accessum:quos tamen ille, pio libenter mancipatus labori, tanta doctrinæ excolebat industria,vt de monasterio egrediens , sæpè hebdomada integra,aliquandò duabus vel tribus, nonnunquam etiam mense pleno domum non rediret:sed demoratus in montanis, plebem rusticam verbo prædicationis simul & exemplo virtutis,ad cælestia vocaret.

Quomodò animalia maris,in quo pernox orauerat, illi egresso præbuerint obsequium, & frater,qui hæc videbat,præ timore languescens,eius sit oratione recreatus. Cap.10.

Ebbe Abbatissa,soror Osuuini regis.

CVm verò sanctus vir in eodem monasterio virtutibus signisque succresceret, famaq; operum eius circunquaque crebresceret, erat sanctimonialis fœmina & mater ancillarum Christi, nomine Ebbe, regens monasterium,quod est in loco,quem Coludi vrbem nuncupant, religione pariter & nobilitate cunctis honorabilis: nanque erat soror vterina regis Osuuini . Hæc ad virum Dei mittens, rogauit,vt se suumq; monasterium gratia exhortationis inuisere dignaretur. Nec negare potuit,quod ab eo charitas ex ancillæ Dei corde poposcit. Venit igitur ad locum, diesq; aliquot ibi permanens,viam iustitiæ,quam precabatur omnibus,actu pariter & sermone pandebat. Qui cùm more sibi solito, quiescentibus noctù cæteris, ad orationem solus exiret , & post longas intempestæ noctis vigilias , tandem instante hora communis synaxeos domum rediret,quadam nocte vnus è fratribus eiusdem monasterij , cum egrediētem illum silentiò cerneret,clanculò secutus eius vestigia,quò ire, quídve agere vellet,dinoscere querebat. At ille egressus monasterio,sequente exploratore, descendit ad mare,cuius ripę monasterium idem superpositum erat:ingressusq; altitudinem maris,donèc ad collum vsque & brachia vnda tumens assurgeret, peruigiles vndisonis in laudibus tenebras noctis exegit. Appropinquante autem diluculo , ascendens in terrā, denuò cœpit in litore flexis genibus orare. Quod dum ageret, venère continuo duo de profundo maris quadrupedia, quæ vulgò Lutræ vocantur. Hæc ante illum strata in arena,anhelitu suo pedes eius fouere cœperunt, ac villo satagebant extergere. Completoque ministerio,percepta ab eo benedictione,patrias sunt relapsa sub vndas. Ipse quoque mox domum reuersus,canonicos cum fratribus hymnos hora competente compleuit. At frater,qui eum de speculis præstolabatur , perculsus pauore ingenti, vix præ angustia premente domum nutante gressu peruenit: primoque mane accedens ad eum sese in terram strauit , veniam de reatu stulti ausus cum lachrymis flagitauit , nil dubitans illum nôsse,quid ipse noctù egerit , quídve pateretur. Cui ille : Quid habes frater? Quid fecisti? Num nostrum iter nocturnum lustrando explorare tentâsti? Sed ea solùm conditione tibi hoc indulgeo commissum , si promiseris te , quæ vidisti , nulli ante meum obitum esse dicturum. In quo nimirùm præcepto eius secutus est exemplum,qui discipulis in monte gloriam suæ maiestatis ostendens,ait: Nemini dixeritis visionem,donèc filius hominis à mortuis resurgat. Promittentem ergò quæ iusserat, fratrem benedixit, pariterque culpam & molestiam , quam temerarius incurrerat , absterśit : qui virtutem , quam viderat , ipso viuente silentio tegens : post obitum eius plurimis indicare curabat.

In mare vsque ad collum ingressus Cuthbertus Deo noctibus laudes persoluit.

Matt. 17.

Quomodò nautis tempestate præclusis serenum mare ad certum prædixerit, & orando cibos impetrauerit. Cap. 11.

COepit intereà vir Dei etiam spiritu prophetiæ pollere,ventura prædicere, absentia nunciare. Quodam enim tempore pergens de suo monasterio , pro necessitate causæ accidentis, ad terram Pictorum , qui Niduari vocantur , nauigando peruenit , comitantibus eum duobus e fratribus , quorum vnus posteà presbyterij functus officio, virtutem miraculi , quam ibidem vir Domini monstrauit, multorum notitiæ patefecit. Venerunt autem illò post natalis Dominici diem, sperantes se,quia vndarum simul & aurarum arridebat temperies, citiùs esse redituros, ideoq; nec cibaria secum tulére, tanquam ocyùs reuersuri, sed longè aliter quam putabant, euenit. Nam mox vt terram tetigére, tempestas fera suborta est, quæ iter eis omne re-

mean-

meandi præcluderet. Cumque per dies aliquot ibidem inter famis & frigoris pericula laterent, (quo tamen tempore vir Dei non marcida luxu ocia gereret, nec somnis vacare volebat inertibus: sed pernox in oratione perstare satagebat) aderat sacratissima Dominicæ apparitionis dies. Tum ille socios blando, vt iucundus atque affabilis erat, sermone alloquitur: Quid, rogo, tanta ignauia torpemus, & non quacunque iter salutis inquirimus? En tellus niuibus, nebulis cælum horrescit, aër flatibus aduersis furit, fluctibus æquor, ipsi inopia deficimus, nec adest homo qui reficiat. Pulsemus ergò Dominum precibus, qui suo quondàm populo maris rubri viam aperuit, eumque in deserto mirabiliter pauit: orantes, vt nostri quoque misereatur in periculis. Credo, si non nostra fides titubat, non vult nos hodierna die ieiunos permanere, quam ipse per tot ac tanta suæ miracula maiestatis illustrare curauit: precorque, eamus alicubi quærentes, quid epularum nobis in gaudium suæ festiuitatis præstare dignetur. Hæc dicens, eduxit eos sub ripam, vbi ipse noctu peruigil orare consueuerat. Eò aduenientes, inuenerunt tria frusta delphininæ carnis, quasi humano ministerio secta & præparata ad coc̃turam, flexisque genibus, gratias egerunt Domino. Dixit autem Cuthbertus: Videtis dilectissimi, quæ sit gratia confidendi & sperandi in Domino. Eccè & cibaria famulis suis præparauit, & ternario quoque numero, quot diebus hìc residendum sit, nobis ostendit. Sumite ergò munera, quæ misit nobis Christus, & abeuntes reficiamus nos, maneamusque intrepidi. Certissima enim nobis post triduum serenitas cæli & maris aduenict. Factũ est, vt dixerat: manente triduo tempestate præualida, quarto demùm die tranquillitas promissa secuta est, quæ illos secundis flatibus in patriam referret.

Pernox in precibus persistit.

Exod. 14. & 16.

Diuinitùs illi & sociis esca præbetur.

Quomodò iter faciens, aquila ministra viaticum & percepturum se esse prædixerit, & perceperit. Cap. 12.

QVadam quoque die, cùm prædicaturus iuxta consuetudinem suam populis de monasterio exiret, vno comite puero, iamq; diù gradiendo fatigatis non parùm adhuc restaret itineris, quousque ad vicum, quò tendebant, peruenirent, ait ad puerum, tentans eum: Dic age sodalis, vbi hodiè refici disponas: an habeas aliquem in via, ad quem diuertere valeas, hospitem. At ille respondens ait: Et hæc ipsa mecum, inquit, tacito in corde tractaui: quia nec viaticum ituri tulimus nobiscum, neque aliquem in itinere notum habemus, qui nos suo velit recipere hospitio: & nõ parùm adhuc itineris superest, quod ieiuni sine molestia complere nequimus. cui vir Domini inquit: Disce filiole fidem semper & spem habere in Domino: quia nunquàm fame perit, qui Deo fideliter seruit. Et sursùm adspectans, vidensq; aquilam in alto volantem: Cernis, inquit, aquilam illam porrò volantem? Etiam per huius ministerium possibile est Domino, nos hodiè reficere. Talia confabulantes, agebant iter iuxta fluuium quendam, & eccè subitò vident aquilam in ripa residentem, dixitque vir Dei: Vides vbi nostra, quam prædixi ministra residet? Curre, rogo, & quid nobis epularum, Domino mittẽte, attulerit inspice, & citiùs affer. Qui accurrens, attulit piscem non modicum, quem illa nupèr de fluuio præhenderat. At vir Dei: Quid inquit, fecisti fili? Quare ministræ suam partem non dedisti? Seca citiùs medium, & illi partem, quam nobis ministrando meretur, remitte. Fecit, vt iusserat, sumptaque secum parte reliqua, vbi tempus reficiendi aderat, diuerterunt ad proximum vicum: & dato ad assandum pisce, se pariter & eos, ad quos intrabant, gratissimo refecêre conuiuio, prædicante Cuthberto verbum Dei, atq; eius beneficia collaudante, & quia beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Ac sic resumpto itinere, ad docendum eos, quos proposuêre, profecti sunt.

Piscem ab aquila accipit.

Psal. 39.

Quomodò prædicans populis, phantasticum subitò ignem diaboli & præuiderit venturum & venientem extinxerit. Cap. 13.

EOdem tempore, dum congregatis in quadam villula perplurimis, verbum vitæ prædicaret, præuidit subitò in spiritu antiquum hostem, ad retardandum opus salutis, adesse: moxque eius insidias, quas futuras intellexit, docendo præoccupare curauit. Nanque inter ea, quæ disputauerat, repentè huiusmodi monita inseruit: Oportet, charissimi, vt quotiès vobis mysteria regni cælestis prædicantur, intento hæc corde ac sensu semper vigilantissimo audiatis: nè fortè diabolus, qui mille nocendi habet artes, superuacuis vos curis ab æternæ salutis auditione præpediat. Et hæc dicens, denuò sermonis, quem intermiserat, ordinem repetijt: statimque hostis ille nequissimus

phantasticum deferens ignem, domum iuxtà positam incendit, ità vt viderentur faces ignium totam volitare per villam, ac iuuante vento fragor aëra concutere. Tum exiliens, quasi ad extinguendum ignem, turba penè tota, quam docebat (nam paucos ipse manu missa retinuit) certatìm aquas iactabat, nec tamen vnda vera falsas potuit restinguere flammas, donèc orante viro Dei Cuthberto, fugatus author fallaciarum, ficta secum incendia vacuas reportaret in auras. Quod videns turba, multùm salubriter erubuit: rursúsque ad virum Dei ingressa, flexis genibus, instabilis animi veniam precabatur, confitēs se intellexisse, quia diabolus ab impediendâ salute humana nec ad horam vacaret. At ipse confirmans inconstantiam fragilium, rursùs, quæ cœperat, vitæ monita exequitur.

[illegible] igne phantastico turbam à con[illegible]euocat.

Quomodò flammas domùs cuiusdam, vero igne ardentis, orando restinxerit. Cap. 14.

NEC tantùm ignem phantasticum, sed etiam verum, quem multi frigidis fontium vndis minimè valebant extinguere, ipse solis feruētibus lachrymarum riuulis compressit. Siquidem dum more Apostolorum, gratia salutiferæ instructionis vniuersa pertransiret, deuenit die quadam in domum cuiusdam deuotæ Deo fœminæ, quam crebriùs inuisere curabat: quia & bonis operibus intentam nouerat, & ipsa eum primis pueritiæ nutriebat ab annis: vndè & mater ab eo cognominari solebat. Habebat autem domum in Occidentali parte viculi. Quam cùm vir Domini Cuthbertus verbum seminaturus intraret, repentè in Orientali plaga eiusdem vici per culpam incuriç domus incensa, vehementer cœpit ardere. Nam & ventus ab eodem climate assurgens non modicus, arripiebat ignitos fœnei tecti fasciculos, & totam latè iactabat per villam. Iactantes aquam, qui aderant, fortior flamma repulit, longiusq; fugauit. Tum præfata Dei famula cucurrit concita ad domum, in qua virum Dei receperat, obsecrans vt orando succurreret, priusquàm domus ipsius & tota simul villa periret. At ille: Nè timeas, inquit, mater: animæquior esto. Non enim tibi tuísve hæc quanlibèt ferox flamma nocebit. Statimque egressus, ante ostium sternitur in terram. Quo adhuc orante, mutatur flatus ventorum, spiransque ab occasu, totum tanti incendij periculum ab inuasione villulç, quam vir Domini intrauerat, reiecit. Sicque in duobus miraculis, duorum patrum est virtutes imitatus: in phantasticis quidem & euacuatis incendijs, virtutem reuerendissimi & sanctissimi patris Benedicti, qui simulatum ab antiquo hoste quasi ardentis coquinæ incendiū, ab oculis discipulorū orando depulit: in veris verò æquè victis ac retortis ignium globis, virtutem viri venerabilis Marcellini Anchonitani antistitis: qui ardenti eadem ciuitate, ipse contra ignem positus, orando flammas compescuit, quas tanta ciuium manus aquam proijciendo nequiuerat. Nec mirandum, perfectos & fideliter Deo seruientes viros tantam contra vim flammarum accipere potestatem, qui quotidiana virtutum industria, & incentiua suç castus edomare, & omnia tela nequissi[illegible]i ignea nórūt extinguere. Quibus aptissimè congruit illud propheticum: Cùm transieris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te. At ego & mei similes, propriæ fragilitatis & inertiæ conscij, certi quidem sumus, quia contra ignem materialem nil tale audemus: incerti autem an ignem illum inextinguibilem futuræ castigationis immunes euadere queamus. Sed potēs est & larga pietas Saluatoris nostri, quæ indignis nobis & nunc ad extinguendam vitiorum incendia, & ad euadendas in futuro pœnarū flammas, gratiam suæ protectionis impēdat.

Act. 9.

Mira vis precū sancti viri.

Sancti homines cur facilè possint flammas extinguere.

Esa. 43.

Qualiter dæmonium ab vxore præfecti, nec dùm eueniens eiecerit. Cap. 15.

VErùm quia paulo superiùs, quātum idem venerabilis Cuthbertus aduersùm simulatitias diaboli fraudes valuerit, exposuimus: nunc etiam, quid aduersùs verum apertumque eius furorem valeat, explicemus. Erat præfectus Egfridi Hildmer nomine, vir religiosis cum omni domo sua deditus operibus, ideoque à beato Cuthberto specialiter dilectus, & cùm itineris propinquitas congrueret, crebrò ab eo visitatus. Cuius vxor cum eleemosinis & cæteris virtutum fructibus esset intenta, subitò correpta à dæmone, acerrimè cœpit vexari: ità vt stridēdo dentibus, voces miserabiles emittendo, brachia vel cætera sui corporis membra in diuersa raptando, non minimum cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorē. Cumque iaceret explosa, & iam iamque videretur esse moritura, ascendit eius equū, & concitus venit ad hominem Dei, precatusque est eum, dicens: Obsecro, quia vxor mea malè habet, & videtur iam proxima morti, vt mittas presbyterum, qui illam, priusquàm moria-

Hildmer prefectus religiosus.

Eius pia coniunx obsidetur à dæmone.

moriatur, visitet, eique Dominici corporis & sanguinis sacramenta ministret: sed & corpus illius hîc in locis sanctis sepeliri permittat. Erubescebat enim eam confiteri insanam, quam vir Domini sobriam semper videre consueuerat. Qui cum ab eo parumpèr diuerteret, visurus quem mitteret presbyterum cum illo, cognouit repentè in spiritu, quia non cōmuni infirmitate, sed dæmonis infestatione premeretur coniunx, pro qua supplicabat. Reuersusq; ad eum: Non, inquit, alium mittere, sed ipse ad visitādam eam tecum pergere debeo. Cumque agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis profluentibus in maxillam lachrymis prodere. Timebat enim, nè cùm eam dæmoniosam inueniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino, sed fide ficta seruisset, Quem vir Domini blandè consolatus: Noli, inquit, plorare, quasi inuenturus sim coniugem tuam, qualem non velim. Scio enim ipse, quanuis te dicere pudeat, quia dæmonio vexatur: scio etiam, quia priusquam illò peruenerimus, fugato dæmonio, liberabitur, ac nobis aduenientibus cum gaudio occurrens, has ipsas habenas sanissima mente excipiet, nosque intrare citiùs obsecrans, ministerium, quod consueuerat, nobis sedula impendet. Neque enim tali tormento soli subijciuntur mali, sed occulto Dei iudicio aliquotiès etiam innocentes in hoc seculo non tantùm corpore, sed & mente captiuantur à diabolo. Dumq; hæc & huiusmodi verba in consolationem & eruditionem illius perorante Cuthberto, appropinquarent domui, fugit repentè spiritus nequam, aduentum spiritussancti, quo plenus erat vir Dei, ferre non valens. Cuius soluta vinculis mulier, quasi graui expergefacta de somno, surrexit continuò, ac viro Dei gratulabunda occurrens, iumentum, quo sedebat, per frenum tenuit: moxq; ad integrum recepto vigore mentis & corporis, eum citò descendere, atque ad benedicendam domum suam precabatur ingredi, deuotumque illi ministerium prebens, testabatur palàm, quomodò ad primum freni eius tactum, omni se molestia priscæ vexationis absolutam sensisset.

Insignis prophetica cognitio in S. Cuthberto.

Pia matrona liberatur à dæmone.

Qualiter in Lindisfarnensi monasterio vixerit vel docuerit. Cap. 16.

CVM ergò venerabilis Domini famulus, multos in Mailrosensi monasterio degens annos, multis virtutum spiritualium clarescerct signis, transtulit eum reuerendissimus Abbas ipsius Eata in monasterium, quod in Lindisfarnensium insula situm est: vt ibi quoquè regulam monachicæ perfectionis & Præpositi authoritate doceret, & exemplo virtutis ostenderet. Nam & ipsum locum tunc idem reuerendissimus pater Abbatis iure regebat. Neque aliquis miretur, quòd in eadem insula Lindisfarnea, cum permodica sit, & suprà episcopi, & nunc Abbatis & monachorum esse locum dixerimus: reuerà enim ità est. Nanq; vna eademque seruorum Dei habitatio, vtrosque simul tenet, immò omnes monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus eiusdem loci episcopus fuit, monachus erat, & monachicam cum suis omnibus vitam semper agere solebat. Vndè ab illo omnes loci ipsius antistites vsque hodiè sic episcopale exercēt officium, vt regente monasterium abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores cæterique gradus Ecclesiastici, monachicā per omnia cum ipso episcopo regulam seruent. Quam viuendi normam multùm se diligere probauit beatus Papa Gregorius, cum sciscitanti per literas Augustino, quam primum genti Anglorum episcopum miserat, qualiter episcopi cum suis clericis conuersari debeant, respondit inter alia: Sed quia tua fraternitas monasterij regulis erudita, seorsùm fieri non debet à clericis suis in ecclesia Anglorū, quæ Deo authore, nuper adhuc ad fidem perducta est: hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Igitur ad Lindisfarnensem ecclesiam siue monasterium vir Domini aduen:ens, mox instituta monachica fratribus viuendo pariter & docendo tradebat. Sed & circunquaque morantem vulgi multitudinem, more suo crebra visitatione ad cælestia quærenda ac promerenda succendebat. Necnon etiam signis clarior effectus, plurimos, varijs languoribus & tormentis comprænhensos, orationum instantia priscæ sanitati restituit: nonnullos ab immundorum spirituum vexatione, non solùm præsens orando, tangendo, imperando, exorcizando: sed & absens vel tantùm orando, vel certè eorum sanationem prædicendo curauit. In quibus erat illa præfecti vxor, de qua suprà retulimus. Erant autem quidam in monasterio fratres, qui priscæ suæ consuetudini, quam regulari mallent obtēperare custodiæ: quos tamen ille modesta patientiæ suæ virtute superabat, & quotidiano exercitio paulatim ad melioris propositi statum conuertebat. Denique sæpiùs

S. Cuthbertus fit Præpositus cœnobij Lindisfarnēs.

Episcopi Lindisfarnenses cum toto Clero suo sunt monachi.

Est libr. 12. epistolarū, ad eius calcem.

Act. 4.

in cœtu fratrum de regula disputans, cùm acerrimis contradicentium fatigaretur iniurijs, exurgebat repentè, & placido vultu atque animo egrediens, dimittebat conuentum: ac sequente nihilominùs die, quasi nil obiectionis pridie sustinuisset, eadem, quæ priùs, monita eisdem dabat auditoribus, donèc illos paulatim, vt diximus, ad ea, quæ vellet, conuerteret. Erat nanque vir patientiæ virtute præcipuus, atque ad perferenda fortiter omnia, quæ vel animo, vel corpori aduersa ingerebantur inuictissimus, nec minùs inter tristia, quę contigissent, faciem prætendens hilarem: ità vt palàm daretur intelligi, quia interna spiritussancti consolatione, pressuras contemneret extrinsecas. Sed & vigiliarum atq; orationis ità studiosus existebat, vt aliquotiès tres siue quatuor noctes continuas peruigil transegisse credatur, cùm per tantum temporis, nec ad lectum proprium,* nec extra dormitorium fratrum, locum aliquem in quo pausare posset, haberet. Siue enim locis secretioribus solus orationi vacabat, siue inter psallendum operabatur manibus, torporemque dormiendi laborando propellebat, seu certè circuibat insulam, quomodò se singula quæque haberent, pius explorator inquirens, pariter & longitudinem sibi psalmodiæ ac vigiliarum incedendo alleuians. Deniq; arguere solebat pusillanimitatem fratrum, qui grauiter ferrēt, si qui se nocturnæ vel meridianæ quietis tempore importuna fortè inquietudine suscitarēt, dicens: Nemo mihi molestiam facit me excitādo de somno, sed potiùs lætificat me, qui excitat. Facit enim me, discusso torpore somni, vtilitatis aliquid agere vel cogitare. Tantum autem compunctioni erat deditus, tantum cælestibus ardebat desiderijs, vt Missarum solennia celebrans, nequaquàm sine profusione lachrymarum implere posset officium: sed congruo satis ordine, dum passionis Dominicæ mysteria celebraret, imitaretur ipse, quod ageret, seipsum videlicet Deo in cordis contritione mactādo, sed & adstantes populos sursùm corda habere & gratias agere Domino Deo nostro, magis ipse cor quàm vocem exaltando, potiùs gemendo quàm cantando admoneret. Erat zelo iustitiæ feruidus, ad arguendum peccantes: erat spiritu mansuetudinis modestus, ad ignoscendum pœnitentibus: vt nonnunquàm sibi confitentibus peccata sua, his, qui deliquerāt, prior ipse, miserans miseros, lachrymas funderet, & quid peccatori agendum esset, ipse iustus suo monstraret exemplo. Vestimentis vtebatur communibus, ità temperanter agens, vt horum neque munditijs, neque sordibus esset notabilis. Vndè vsque hodiè in eodem monasterio exemplo eius obseruatur, nè quis varij aut preciosi coloris habeat indumentum: sed ea maximè vestium specie sint contenti, quam naturalis ouium lana ministrat. His & huiusmodi spiritualibus exercitijs vir venerabilis, & bonorū quorunq; ad se imitandum prouocabat affectum, & improbos quosque ac rebelles vitæ regulari, à pertinacia sui reuocabat erroris.

Patientia sua frangit quorūdam pertinaciā.

Vigiliæ eius.

* videtur deesse, redirct.

Gratia lachrymarū abundans.

Eius vestitus.

Qualiter sibi in insula Farne, pulsis dæmonibus habitationem fecerit. Cap. 17.

AT postquàm in eodem monasterio multa annorum curricula expleuit, tandèm diu concupita, quæsita ac petita solitudinis secreta, comitante præfati Abbatis sui simul & fratrum gratia, multùm lætabūdus adijt. Gaudebat nanque, quia de longa perfectione conuersationis actiuæ, ad ocium diuinæ speculationis iam mereretur ascendere. Lætabatur ad eorum sortem se pertingere, de quibus canitur in Psalmo: Ambulabunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Et quidem in primis vitæ solitariæ rudimentis secessit ad locum quendam, qui in exterioribus eius cellæ partibus secretior appareret. At cùm ibidèm aliquandiù solitarius cum hoste inuisibili orando ac ieiunando certaret, tandèm maiora præsumens, longinquiorem ac remotiorem ab hominibus locum certaminis petijt. Farne dicitur insula, medio in mari posita: quæ non, sicut Lindisfarnensium incolarum regio, bis quotidiè, accedente æstu Oceani, quem rheuma vocant Græci, fit insula, bìs renudatis, abeunte rheumate, litoribus, contigua terræ redditur: sed aliquot millibus passuum ab hac semiinsula ad Eurum secreta, & hinc altissimo, & indè infinito clauditur oceano. Nullus hanc facilè ante famulum Domini Cuthbertum solus valebat inhabitare colonus, propter videlicet demorantium ibì phantasias dæmonum: verùm intrante eam milite Christi, armato galea salutis, scuto fidei & gladio spiritûs, quod est verbum Dei, omnia tela nequissimi ignea extincta, & ipse nequissimus cum omni satellitū suorum turba porrò fugatus est hostis. Qui videlicet miles Christi, vt deuicta tyrannorum acie, monarcha terræ, quam adierat, factus est, condidit ciuitatem suo aptam imperio, & domos in hac æquè ciuitati congruas erexit. Est autem ædificium situ penè rotundum, à muro

Petit locū desertum S. Cuthbertus.

Psal. 83.

Farne insula.

Ephes. 6.

Aedificiū à Cuthber.

muro vsque ad murum mensura quatuor fermè siue quinque perticarum distentum. Murus ipse de foris altior longitudine stantis hominis. Nam intrinsecùs viuam cædendo rupem, multo illum fecit altiorem, quatenùs ad cohibendam oculorum siue cogitationum lasciuiam, & ad erigendam in superna desideria totam mentis intentionem, pius incola nil de sua mansione præter cælum posset intueri. Quem videlicet murum non de secto lapide, vel latere & cæmento: sed impolitis prorsùs lapidibus & cespite, quem de medio loci fodiendo tulerat, composuit. E quibus quidam tantæ erant granditatis, vt vix à quatuor viris viderentur potuisse leuari: quos tamen, angelico adiutus auxilio, illuc attulisse aliundè & muro imposuisse repertus est. Duas in mansione habebat domos, oratorium scilicet & aliud ad cōmunes vsus aptum habitaculum: quorum parietes quidem de naturali terra multùm intùs forisq; circunfodiendo siue cædendo cōfecit: culmina verò de lignis informibus & fœno superposuit. Porrò ad portum insulæ maior erat domus, in qua visitantes eum fratres suscipi & quiescere possent: nec longè ab ea fons, eorundem vsibus accommodus. to extructum.

Quomodò precibus aquam de arida produxerit, vel qualiter in Anachoresi vixerit. Cap. 18.

AT verò ipsa eius mansio aquæ erat indiga, vtpotè in durissima & propè saxea rupe condita. Accitis ergò vir Domini fratribus, (necdū enim se ab aduenientium secluserat adspectibus) Cernitis, inquit, quia fontis inops sit mansio, quam adij? Sed rogemus (obsecro) illum, qui conuertit solidā petram in stagna aquæ, & rupes in fontes aquarum: vt non nobis, sed nomini suo dans gloriam, de hac quoque rupe saxosa nobis venam fontis aperire dignetur. Fodiamus in medio tuguriunculi mei, credo, torrente voluptatis suæ potabit nos. Fecerunt ergò foueam, quam in crastinum, emanante ab internis vnda, repletam inuenerunt. Vndè dubium nō erat, hanc orationibus viri Dei de aridissima ac durissima priùs terra elicitam fuisse aquam. Quæ videlicet aqua mirum in modum primis contēta ripis, nec foràs ebulliendo pauimentum inuadere, nec hauriendo nouit deficere: ità moderata gratia largitoris, vt nec necessitati accipientis superflueret, nec sustentandæ necessitati copia deesset. Facta ergò, iuuātibus se fratribus, mansione ac domibus præfatis, incipit habitare solus vir Domini Cuthbertus. Et primò quidem venientibus ad se fratribus, de sua cella egredi, eisq; ministrare solebat: quorum dum pedes aqua calida deuotus lauaret, coactus est aliquotiès ab eis etiam se discalceare, suosque pedes illis ad abluendum præbere. Nanque intantum à cultu sui corporis animum sustulerat, atque ad animæ solius cultum contulerat, vt semèl calceatus tibracis, quas pelliceas habere solebat, sic menses perduraret integros. Aliquandò etiam calceatus in pascha, non nisi post annum, redeunte paschæ tempore, propter lauationem pedum, quæ in cœna Domini fieri solet, se discalceâsse dicatur. Vndè ob crebras preces incuruationesque genuum, quas calceatus exercebat, callum oblongum nec exilem in confinio pedum & tibiarum habuisse depræhensus est. Deindè increscente studio perfectionis, includitur in suo monasterio, atque ab hominum remotus adspectibus, solitariam in ieiunijs, orationibus & vigilijs discit agere vitam, rarum cum aduenientibus deintùs habēs colloquium, & hoc per fenestram: qua primitùs aperta, & videri à fratribus, & fratres, quos alloquebatur, ipse videre gaudebat. Exindè procedente tempore & ipsam occlusit, nec nisi dandæ benedictionis vel alterius cuiuslibet certè necessitatis gratia, reserabat.

Psal. 113.

Precibus in insula fontē impetrat.

Viuit plenè solitarius.

Qualiter à messe, quam sua manu seruērat, verbo volucres abegerit. Cap. 19.

ET primùm quidem permodicū ab eis panem, quo vesceretur, accipiebat, ac suo bibebat è fonte: postmodùm verò proprio manuum labore, iuxta exempla patrum, viuere magis aptum ducebat. Rogauit ergò afferri sibi inibi instrumenta, quibus terram exerceret, & triticum, quod sereret. Sed seminata verno tempore terra, nullos vsque ad medium æstatis, reddidit fructus. Vndè visitātibus se iuxta morem fratribus, aiebat vir Dei: Forsitan aut telluris huiusce natura, aut voluntas Dei non est, vt hoc in loco mihi triticum nascatur. Afferte (rogo) hordeum, si fortè vel illud fructum facere possit. Quòd si nec illi Deus incrementum dare voluerit, satiùs est me ad cœnobium reuerti, quàm alieno hìc labore sustentari. Allatumque hordeum dum vltra omne tempus serendi, vltra omnem spem fructificandi terræ commendaret, mox abundanter exortum fecit fructū copiosum. Quod dum maturescere cœpisset, venêre

Triticum non facilè in insula maturescit.

Hordeum crescit abundè.

volucres & huic depaſcendo certatìm inſiſtebant. Ad quos piiſſimus Chriſti ſeruus appropians, (ſicut pòſt ipſe referebat: ſolebat enim ſæpè, quia læti vultûs & affabilis erat, ad confirmandam fidem audientium, aliqua etiam de eis, quæ ipſe credendo obtinuerat, in medium proferre) Quid tangitis, inquit, ſata, quæ nõ ſeruiſtis? An fortè vos plùs me his opùs habetis? Si tamen à Deo licentiam accepiſtis, facite quod ipſe permiſit: ſin autem, recedite, neq; vlteriùs aliena lædatis. Dixerat, & ad primam iubentis vocem vniuerſa volucrum multitudo receſſit, ſeq; per omnia deincèps ab eiuſdem meſſis inuaſione continuit. Et hîc quoq; venerabilis Chriſti famulus in duobus miraculis, duorum patrum eſt facta ſequutus: in aqua videlicet elicita de rupe, factum B. patris Benedicti, qui idem penè & eodem modo legitur feciſſe miraculum: ſed idcircò vberiùs, quia plures erant, qui aquæ inopia laborarẽt. Porrò in arceſſitis à meſſe volatilibus, reuerendiſſimi & ſanctiſſimi patris Antonij ſequebatur exemplum, qui à læſione hortuli, quem ipſe plantauerat, vno onagros ſermone compeſcuit.

Aues illo iubente recedunt.

Quomodò corui iniuriam, quam viro Dei intulerant, precibus & munere purgauerint. Cap. 20.

LIbet etiam quoddam beati Cuthberti, in exemplum præfati patris Benedicti, factum narrare miraculum, in quo auiũ obedientia & humilitate, palàm contumacia & ſuperbia condemnatur humana. Erant ſiquidem corui multo ex tempore eiuſdem inſulæ ſedibus aſſueti: quos cùm die quadam vir Dei nidificantes hoſpitiolum fratrum, de quo præfatus ſum, roſtro lacerare, ablatoſque culmos quibus tectum fuerat, ad fabricam nidi ore ferre conſpiceret, coërcuit eos leui protenſione dexteræ, at q; à læſura fratrum iam ceſſare præcepit. Sed illis imperium ſpernentibus: In nomine, inquit, Ieſu Chriſti abite quantocyùs, neque in loco, quem læditis, vltrà manere præſumatis. Vix verba compleuerat, & confeſtìm triſtes abiêre. Peracto autem triduo, vnus è duobus rediit, & fodientem reperiens famulum Chriſti, ſparſis lamentabiliter pennis, & ſubmiſſo ad pedes eius capite, atque humiliata voce, quibus valebat indiciis veniam precabatur. Quod intelligens venerabilis pater, dedit facultatem remeandi. At ille impetrata redeundi licẽtia, mox ſodalem adducturus abiit. Nec mora, redeunt ambo, & ſecum digna munera ferunt, dimidiam videlicet axungiam porcinam. Quam vir Domini aduentantibus poſteà fratribus ſæpiùs oſtendere, atque ad vngendas * caligas præbere ſolebat, conteſtans eis, quanta hominibus obedientiæ, quanta ſit cura humilitatis habenda, cùm auis ſuperbiſſima iniuriam, quam viro Dei intulerat, precibus, lamentis & muneribus feſtinauit abluere. Denique ad dandum hominibus exemplum correctionis, multos deincèps annos in ipſa inſula manebant & nidificabant, neque aliquid moleſtiæ cuiquam irrogare audebant. Nulli autem videatur abſurdum, à volatilibus formam diſcere virtutis, cùm Salomon dicat: Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.

Coruos iubet abſcedere.

Res admiratione digna.

* ocreas

Prouer. 6.

Qualiter eius neceſsitatibus etiam mare ſeruierit. Cap. 21.

NOn ſola autem aëris, ſed & maris animalia, immò & ipſum mare, ſicut & aër & ignis, iuxta quod in ſuperioribus expoſuimus, viro venerabili præbuêre obſequium. Qui enim authori omnium creaturarũ fideliter & integro corde famulatur, non eſt mirandum, ſi eius imperiis ac votis omnis creatura deſeruiat. At nos plerunquè idcircò ſubiectæ nobis creaturæ dominium perdimus, quia Domino & creatori omnium ipſi ſeruire negligimus. Et ipſum, inquam, mare promptum famulo Chriſti, vbì opùs habuit, impendebat officium. Diſponebat nanque paruulam ſibi in ſuo monaſterio, ſed quotidianis neceſſitatibus aptam condere caſulam, cui à parte maris, qua alluuione frequẽtium gurgitum excauata rupis altiſſimum, nec breuem fecerat hiatum, baſis ſupponenda erat, & hæc, iuxta latitudinem hiatûs, duodecim pedes longa. Rogauit ergò fratres, qui ſe viſitaturi aduenerant, vt cùm redire vellent, lignum ſibi longitudinis duodecim pedum, ad faciendã domunculæ baſim, deferrent. Qui promiſerũt ſe libentiſſimè facturos, quod petiit. Sed accepta benedictione ab eo, vbì domum ſunt reuerſi, fugit mentem petitio patris: reuerſiq; die debito ad eum, non attulêre quod rogabantur. Quibus ille benigniſſimè receptis, & oratione ſolita Deo commẽdatis, Vbì eſt, inquit, lignum, quod vos afferre rogabã? Tum illi reminiſcentes petitionẽ eius, ſuamq; confitentes obliuionẽ, veniam de admiſſo precabantur. At vir mitiſſimus blando illos ſermone conſolatus, vſq; ad manè in inſula manere

& qui-

& quiescere præcepit, dicēs: Credo, quia Deus non obliuiscatur meæ voluntatis & necessitatis. Fecerunt, vt dixerat, & exurgētes manè, viderūt quia nocturnus Oceani æstus lignum memoratæ longitudinis attulit, & in ipso insupèr loco deposuit, vbi in ædificiū desupèr erat imponendum. Videntes autem, mox & viri venerabilis sanctitatem mirabantur, cui etiā elementa seruirent: & suę mentis tarditatem debito cum pudore culpabant, quo etiam insensibile elementum, quàm sit sanctis obtemperandum, doceret.

Lignum ei necessariū diuinitùs adducitur.

Quomodò multis ad se venientibus monita dans salutis, fragiles exposuerit antiqui hostis insidias. Cap. 22.

VEniebant autem multi ad virum Dei, non solùm de proximis Lindisfarnensium finibus, sed etiam de remotioribus Britanniæ partibus, fama nimirùm virtutum eius acciti, qui vel sua, quæ commisissent errata, vel dæmonum, quę paterentur tentamenta profitentes, vel certè communia mortalium, quibus affligerentur, aduersa patefacientes, à tantæ sanctitatis viro se consolandos sperabant. Nec eos fefellit spes. Nanque nullus ab eo sine gaudio consolationis abibat: nullum dolor animi, quem illo attulerat, redeuntem comitatus est. Nouerat quippe mœstos pia exhortatione refouere: sciebat angustiatis gaudia vitæ cælestis ad memoriam reuocare, fragilia seculi huius & prospera simul & aduersa monstrare: didicerat tentatis multifarias antiqui hostis pādere versutias, quibus facilè caperetur animus, qui vel fraterno, vel diuino amore nudatus existeret. At qui integra fide roboratus incederet, insidias aduersarij, Domino auxiliante, quasi casses transiret araneæ. Quotiès, inquit, meipsum de alta rupe per præceps misère? quoties, quasi ad interficiendum me lapides iactabant? sed & alijs alijsque phantasiarum tentamentis me appetentes deterrere, ac de loco huius certaminis conabantur eliminare: nec tamen vllatenùs vel corpus meum læsura aliqua, vel mentem timore contaminare valebant. Hoc quoquè fratribus solebat crebriùs intimare, nè conuersationem eius, quasi singulariter celsam, mirarentur, quia contemptis secularibus curis, secretus viuere mallet. Sed iure, inquit, est cœnobitarum vita miranda, qui Abbatis per omnia subijciuntur imperijs, ad eius arbitrium cuncta vigilandi, orandi, ieiunandi atque operandi tempora moderantur: quorum plurimos noui paruitatem meam longè & munditia mentis, & culmine gratiæ propheta lis anteire. E quibus est venerabilis & cum omni honorificentia nominandus seruus Christi Boisilus, qui me in Mailrosensi monasterio quondam senex adolescentem nutriebat, & inter enutriēndum cuncta, quæ mihi erant ventura, prophetica veritate prædixit, & vnum tantummodò restat ex omnibus, ab eo mihi prædictis, quod vtinàm nunquàm impleatur. Hoc autem dicebat, quia præfatus Christi famulus episcopatùs eum gradu significabat esse functurum, cuius perceptionem ipse non parùm desiderio vitæ secretioris horrebat.

Multi ad eum consolationis reportādæ causa conueniunt.

Cœnobiticam vitam præfert suę anachoreticæ causa modestiæ.

Quomodò Elfled Abbatissa & puella eius, per zonam ipsius sint sanatæ. Cap. 23.

NEque verò sanitatum miracula per hominem Dei, tametsi longè ab hominibus positum, fieri cessabant. Siquidem venerabilis ancilla Christi Elfled, quæ inter gaudia virginitatis non paucis famularum Christi agminibus maternæ pietatis curam adhibebat, ac regalis stemmata nobilitatis potiori nobilitate summæ virtutis accumulabat, multo virum Dei semper excolebat amore. Hæc eo tempore, sicut ipsa posteà reuerendissimo Lindisfarnensis ecclesiæ presbytero Herefrido, & ille mihi referebat, graui percussa languore, ac diù vexata, penè visa est peruenisse ad mortem. Cui cùm nil curationis possent adhibere medici, subitò diuina intrinsecùs gratia curante, paulatìm morti subtracta est, nec tamen plenè sanata. Nam dolor quidem interaneorum abscessit, membrorum vigor redijt: sed facultas standi vel ambulandi prorsùs defuit, quia nec ad standum erigi, nec nisi quadrupes valebat ingredi. Cœpit ergò tristis æternam timere debilitatem: nam & de medicorum auxilio iamprìdèm facta fuerat desperatio. Cui cùm die quadam inter angustias tristium cogitationum veniret in mentem beata & quieta conuersatio reuerendissimi patris Cuthberti: Vtinam, inquit, haberem aliquid de rebus Cuthberti mei: scio certè & credo & confido in Domino, quia citò sanarer. Et non multò pòst aduenit, qui ei zonam lineam, ab eo missam, deferret. Quæ multùm gauisa de munere, & desiderium suum viro sancto iam cælitùs patefactum intelligens, succinxit se illa, & manè mox erecta ad standum, tertia verò die plenè est reddita sanitati: Post dies autem paucos cœpit ægrotare quædam de virginibus monasterij ipsius, dolore capitis intolerabili. Quæ cum, ingra

Elfled Abbatissa, regio orta stemmate.

Zona S. Cuthberti pellit morbum Abbatissæ.

ingrauescente morbo per dies, videretur esse moritura, intrauit ad visitandam eam venerabilis Abbatissa. Cumq; eam grauiter afflictam conspiceret, tulit memoratam viri Dei zonam, & hac illi caput circunligare curauit. Quæ eodem mox die, abeunte dolore, curata est: tollensq; zonam, sua condidit in capsa. Quam cùm post dies aliquot Abbatissa requireret, neque in capsa eadem, neque vspiam prorsùs potuit inueniri. Quod diuina dispensatione factum intelligitur, videlicet vt & per duo sanitatis miracula Deo dilecti patris sanctitas appareret credentibus, & deinceps dubitandi de sanctitate illius occasio tolleretur incredulis. Si enim eadem zona semper adesset, semper ad hanc cõcurrere voluissent ægroti: & dum forte ex his aliquis non mereretur à sua infirmitate curari, derogaret impotentię non saluantis, cum ipse potiùs esset salutis indignus. Vndè prouida, vt dictum est, dispensatione supernæ pietatis, postquàm fides credentium confirmata est, mox inuidiæ perfidorum materia detrahendi est prorsùs ablata.

Item virgi. nis cuiusdam.

Quid sciscitanti eidem Elfledæ de vita Egfridi regis & episcopatu suo prædixerit. Cap. 24.

ALio item tempore misit eadem reuerẽdissima virgo & mater virginum Christi Elfled, rogauitque virum Dei, adiurans in nomine Domini, vt eum videre & de necessarijs mereretur alloqui. Qui ascensa naui, cum fratribus venit ad insulam, quæ Coquedi fluminis ostio præiacens, ab eodem nomen accepit, & ipsa monachorum cœtibus insignis. Nam præfata Abbatissa illò eum sibi occurrere rogauerat. Cuius potita colloquijs, cùm multa ab eo, quæ sciscitabatur, audiret, ecce repentè in medio sermone aduoluta pedibus eius, adiurauit eum per nomen illud terribile ac venerabile superni regis & angelorum eius, vt diceret illi, quàm longo tempore victurus esset Egfridus frater illius, & regnum gubernaturus Anglorum. Scio enim, inquit, quia prophetiæ spiritu, quo polles, hoc dicere potes, si vis. At ille expauens ad iuramentum, nec tamen volens apertè, quod petebatur, reuelare secretum: Mirum, inquit, quarè sapiens fœmina & in sanctis erudita scripturis, longa vocare velis humanæ tempora vitæ, dicente Psalmista, quia anni nostri sicut aranea meditabuntur: Et cùm moneat Salomon: si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguuntur præterita. Quanto magìs is, cui vnius solùm anni vita superest, breui videtur tempore vixisse, vbi mors adstiterit in ianuis? Hæc audiens illa, fusis lachrymis, præsagia dira deflebat: extersaque facie, rursùs audacia fœminea adiurauit per maiestatem summæ diuinitatis, vt diceret, quem habiturus esset hæredem regni, cùm filijs careret & fratribus. Qui parùm silens, Nè dicas, inquit, quia cares. Habebis enim successorem, quem germana, vt ipsum Egfridum, dilectione complectaris. At illa: Obsecro, inquit, dicas, quibus in locis sit ille. Qui ait: Cernis hoc mare magnum & spatiosum, quot abundet insulis? Facilè est Deo de aliqua harum sibi prouidere, quem regno præficiat Anglorum. Intellexit ergò, quia de Aldfrido diceret, qui ferebatur filius fuisse patris illius, & tunc in insulis Scotorum ob studium literarum exulabat. Sciebat autem, quia Egfridus proponeret eum constituere episcopum, volensque dinoscere, si propositum sequeretur effectus, ità quærendo exorsa est: O quàm varia intentione diuiduntur corda mortalium. Quidam adeptis gaudent diuitijs: alij amantes diuitias, semper egent: tu gloriam mundi, quanuìs offeratur, respuis: etiamsi ad episcopatum pertingere possis, quo sublimius apud mortales nihil est, tui claustra deserti huic gradui præferes: At ille: Scio me, inquit, tanto gradu dignum non esse, nec tamen iudicium superni gubernatoris vspiàm effugere queo: qui si tanto oneri me subijciendum disposuit, credo quia post modicum liberum reddet, & fortasse non ampliùs, quàm duobus annis exactis, solitam me meæ solitudinis remittet ad requiem. Præcipio autem tibi in nomine Domini & Saluatoris nostri, nè cui ante obitum meum, quæ à me audiuisti, referas. Cumque illi hæc & multa alia, quæ quærebat, exponeret, atque eam, de quibus opùs habebat, instrueret, reuersus ad insulam & monasterium suum, solitariam, vt cœperat, agebat sedulus vitam. Nec multò pòst, congregata synodo, non parua sub præsentia pijssimi ac Deo dilecti regis Egfridi, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiscopus præsidebat, vnanimi omnium consensu ad episcopatum ecclesiæ Lindisfarnensis electus est. Qui, cùm multis legatarijs ac literis ad se præmissis, nequaquàm suo loco posset erui, tandèm rex ipse præfatus vnà cum sanctissimo antistite Trumvuino, necnon & alijs quamplurimis religiosis ac potentibus viris ad insu-

Insula Coquedi monachorum cœtibus insignis.

Psal. 89. Eccl. 11.

Futura prædicit S. Cuthbertus.

Synodus Anglicana

En quam difficulter vir sanctus

insulam nauigauit, genu flectunt omnes, adiurant per Dominum, lachrymas fundunt, obsecrant, donec ipsum quoquè lachrymis plenum dulcibus extrahunt latebris, atque ad synodum pertrahunt. Quò dum perueniret, quanuis multùm renitens, vnanima omnium voluntate superatur, atque ad suscipiendum episcopatûs officium collum submittere compellitur. Nec tamen statim ordinatio, sed peracta hyeme, quę imminebat, expleta est: atque vt verbis eius propheticis per omnia satisfieret, Egfridus post annum Pictorum gladio trucidatur, & Aldfridus in regnum frater eius nothus substituitur: qui non paucis ante temporibus in regionibus Scotorũ lectioni operam dabat, ibi ob amorem sapientiæ, spontaneum passus exilium. trahi potest ad episcopatum.

Quomodò electus ad episcopatum, seruum comitis languentem aqua per se benedicta curauerit. Cap. 25.

CVm ergò electus ad episcopatum vir Domini Cuthbertus, suam remeâsset ad insulam, atque aliquantulùm temporis secretus Domino solita deuotione militaret, euocauit eum venerabilis episcopus eius Eata, atq; ad suum colloquiũ Mailros venire præcepit. Quo expleto colloquio, dum domum redire cœpisset, occurrit illi comes quidam Egfridi regis, rogauitque obnixè, vt ad benedictionem dandam in villulam suam domumque diuerteret. Quò cùm peruenisset, & gratifico omnium susceptus esset officio, indicauit ei vir de infirmitate famuli sui, dicens: Deo gratias sanctissime pater, quòd nos videre, nostramque domum intrare dignatus es. Et verè credimus, quia maximum nobis lucrum & mentis & corporis præstet aduentus tuus. Est autem nobis famulus pessima diutius infirmitate cruciatus, & in tantum doloris hodiè perductus, vt morienti similior, quàm languenti appareat. Extrema nanque corporis parte præmortua, permodicum ore & naribus flatum trahere videtur. Qui confestim benedixit aquam, & dedit ministro comitis nomine Baldhelmo, qui nuncusque superest, & in ecclesia Lindisfarnẽsi presbyterij gradum officio tenens, moribus implet, virtutesque viri Dei cunctis scire volentibus referre melle dulcius habet, qui & mihi hoc ipsum, quod refero, miraculum narrauit. Huic ergò dans aquam benedictam vir Dei: Vade, inquit, & gustandam præbe languenti. Qui dictis parens, attulit aquam ægrotanti. Quam dum tertiò ori eius infunderet, continuò contra morem se quietum dimisit in soporem. Erat enim iam vespera. Qui etiam silentio transegit noctem, & visitanti se domino suo saluus manè apparuit. Aqua benedicta sanat morbo penè extinctũ.

Qualiter in episcopatu vixerit. Cap. 26.

SVsceptum autem episcopatûs ordinem venerabilis vir Domini Cuthbertus, iuxta præcepta & exempla Apostolica, virtutum ornabat operibus. Commissam nanque sibi plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cælestia vocabat. Et, quod maximè doctores iuuat, ea, quæ agenda docebat, ipse priùs agendo premonstrabat. Eripiebat inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à rapientibus eum: tristes ac pusillanimes consolari: malè autem gaudentes, ad tristitiam, quæ secundùm Deum est, reuocare curabat. Solitam sibi parsimoniam exercere sedulus, & inter frequentiã turbarum monachicæ vitæ rigorem obseruare solicitus gaudebat. Esurientibus alimenta, indumenta præbebat algentibus, cæterisque vitæ pontificalis insignibus ritè decoratus incedebat. Cuius internis, id est, animi virtutibus ea quoque, quibus foris effulgebat, miraculorum signa testimonium dabant. Ex quibus aliqua breuiter memoriæ commendare curauimus.

Quomodò interitum Egfridi regis & militiæ eius, quem prædixerat, absens viderit in spiritu. Cap. 27.

IGitur dum Egfridus rex ausu temerario exercitum in Pictos duceret, eorumq; regna atroci ac feroci sæuitia deuastaret, sciens vir Domini Cuthbertus adesse tempus, de quo anno præterito interroganti eius sorori prædixerat, non eum amplius quàm vno anno esse victurũ: venit ad Lugubaliam ciuitatem, quæ à populis Anglorum corruptè Luel vocatur, vt alloqueretur reginam, quæ ibidem in monasterio suæ sororis euentum belli expectare disposuit. Postera autem die deducentibus eum ciuibus, vt videret mœnia ciuitatis, fontemque in ea miro quodam Romanorum opere extructum, repentè turbatus spiritu, vt stabat super baculum, mœstam faciem deflexit ad terram: rursumque se erigens, atque ad cælum oculos attollens, ingemuit grauiter, & non grandi voce ait: Fortè modo discrimen factum est certaminis. At presbyter, qui Egfridus rex populatur Pictorum ditiones.

ter, qui adstabat, intelligens de quo diceret, incauta velocitate ductus, respondit & dixit: Vndè scis? Nolens autem ille ampliùs de his, quæ sibi erant reuelata, patefacere, Nónne videtis, inquit, quam mirè mutatus ac turbatus sit aër? Et quis mortalium sufficit inuestigare iudicia Dei? Attamen confestim intrauit ad reginam, & secretò eam alloquens, (erat autem dies sabbati) Vide, inquit, maturè illucescente secunda sabbati ascendas currum, quia die Dominico curru ire non licet: vadasq; & regiam ciuitatem citissimè introeas, nè fortè occisus sit rex. Ego autem, quia crastina die ad vicinum monasterium ob dedicandam ibi ecclesiam venire rogatus sum, expleta dedicatiõe, te continuò subsequor. Veniente autem die Dominico, prædicans verbum Dei fratribus eiusdem monasterij, finito sermone & fauentibus cunctis, qui aderant, rursùs ità cœpit: Obsecro, dilectissimi, iuxta Apostoli monita, vigiletis, stetis in fide, viriliter agatis, & confortemini: ne fortè superueniens aliqua tentatio, vos imparatos inueniat: sed memores potiùs semper illius Dominici præcepti, Vigilate & orate, nè intretis in tentationē. Putabant autem, quia non multò antè pestilentiæ clades & eos & multos circunquaq; lata cæde strauerat, cum de huiusmodi plaga iam reditura fuisse locutum. At ille rursùs assumpto sermone: quondam, inquit, cùm adhuc in mea demorarer insula solitarius, venerunt ad me quidam de fratribus die sancto Dominicæ natiuitatis, rogabantq; vt de mea casula & mansione egrediens, solennem cum eis & lætum diem tantæ venerationis transigerem. Quorum ego deuotis precibus acquiescens, egrediebar, & consedimus ad epulas. At in media fortè refectione dixi ad eos: Obsecro, fratres, cautè agamus & vigilanter, ne per incuriam fortè & securitatem inducamur in tentationem. At illi responderunt: Obsecramus, hodiè lætum agamus diem, quia natale est Domini nostri Iesu Christi. Et ego: sic, inquam, faciamus. Cumque post hæc aliquandiù epulis, exultationi ac fabulis indulgeremus, rursùs admonere cœpi, vt soliciti existeremus in orationibus & vigilijs, atque ad omnes tentationũ incursus parati. Et illi, Benè, inquiunt, & optimè doces: sed tamen, quia abundant dies ieiuniorum, orationis & vigiliarum, hodiè gaudeamus in Domino. Nam & angelus, nascente Domino, euangelizabat pastoribus gaudium magnum, quod esset omni populo celebrandum. Et ego: Benè, inquam, faciamus sic. Sed cùm epulentibus nobis & diem lætum ducentibus, tertiò eiusdem admonitionis verba repeterem, intellexêre illi, quia non frustrà hæc tam studiosè suggererem: & expauescentes, dicebant: Faciamus, vt doces, quia necessitas magna nobis incũbit, vt contra insidias diaboli & omnia tentamenta semper accincti spiritualiter vigilemus. Hæc dicens ego, nesciebam, sicut nec illi, aliquid nobis occursurum nouæ tentationis: sed tantùm instinctu mentis admonitus sum, aduersùs subitas tentationum procellas statum cordis semper esse muniendum. Sed vbi reuersi à me, manè ad suum, id est, Lindisfarnense monasterium redierunt, ecce quendam de suis morbo pestilentiæ obiisse reperiunt. Et crescente ac sæuiente per dies, immò etiam per menses & annum totum eadem clade, nobilissimus ille patrum fratrumq; cœtus spiritualium penè vniuersus migrauit ad Dominum. Et nunc ergò fratres vigilate & vos in orationibus, vt si quid vobis tribulationis ingruerit, vos iam paratos inueniat. Hæc dicente venerabili antistite Cuthberto, rebantur, vt præfatus sum, quia de reditu pestilentiæ diceret. Sed post vnum diem aduenĩes, qui fugerat è bello, occulta viri Dei vaticinia miseris exponebat eloquijs. Probatumq; est, ipsa die, eademq; hora, qua viro Dei iuxta puteum stanti reuelatum est, cæsis circùm tutoribus, regem hostili gladio fuisse prostratum.

1. Cor. 16.

Matth. 26.

Inter epulas hortatur ad cautè agendũ.

Luc. 2.

Semper vigilandum cõtra fraudes diaboli.

Egfridi regis cædes.

Quomodò Hereberto anachoretæ obitum suum prædixerit, comitatumq; illius à Domino precibus obtinuerit sine mora. Cap. 28.

NOn multò pòst tempore, idem famulus Domini Cuthbertus ad eandem Lugubaliam ciuitatem rogatus aduenit, quatenùs ibidem sacerdotes cõsecrare, sed & ipsam reginam, dato habitu sanctæ conuersationis, benedicere deberet. Erat autem presbyter vitæ venerabilis, nomine Herebertus, iamdudùm viro Dei Cuthberto spiritualis amicitiæ fœdere copulatus, qui in insula stagni illius pergrandis, de quo Deoruuentionis fluuij primordia erumpunt, vitam solitariam ducens, annis singulis ad eum venire, & monita salutis perpetuæ ab eo accipere consueuerat. Hic cùm audisset eum illa in ciuitate demoratum, venit ex more, cupiens salutaribus eius exhortationibus ad superna desideria magis magisq; inflammari. Qui dum sese alterutrùm cælestis sapientiæ poculis debriarent, dixit inter alia Cuthbertus. Memento frater Hereberte, vt modò quicquid opùs habes, me interroges, mecùmque loquaris: quia post-

quam

quàm ab inuicèm digressi fuerimus, non vltrà nos inuicèm in hoc seculo carneis oculis videbimus. Certus sum enim, quia tempus resolutionis meæ instat, & velox est depositio tabernaculi mei. Qui hæc audiens, prouolutus eius pedibus, fusisq; cum gemitu lachrymis: Obsecro, inquit, per Dominum, nè me derelinquas: sed tui sodalis memineris, rogesq; supernam pietatem, vt cui pariter in terris seruiuimus, ad eius vidēdam claritatem pariter transeamus ad cælos. Nosti enim, quia ad tui oris imperium semper viuere studui, & quicquid ignorantia vel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ voluntatis arbitrium castigare curaui. Incubuit precibus episcopus, statimque edoctus in spiritu impetrâsse se, quod petierat à Domino: Surge, inquit, frater mi, & noli plorare: sed gaudio gaude, quia donauit nobis superna clementia, quod rogauimus eam. Cuius promissi & propheticę veritatem sequens rerum finis adstruxit: quia & digredientes ab inuicèm, nō ampliùs se corporaliter viderunt: & vnius eiusdemq; momento temporis egredientes è corpore spiritus eorum, mox beata inuicèm visione coniuncti sunt, atq; angelico ministerio pariter ad regnum cæleste translati. Sed Herebertus diutina priùs infirmitate decoquitur: illa fortasſis dispensatione Dominicæ pietatis, vt si quid minus haberet meriti à beato Cuthberto, suppleret dolor continuus longæ ægritudinis: quatenùs æquatus gratia suo intercessori, sicut vno eodemque tempore cum eo de corpore egredi, ità etiam vna atque indissimili sede perpetuæ beatitudinis mereretur recipi.

Prædicit obitum suum.

En quàm facile impetrat rem grandem à Domino.

Quomodò vxorem comitis per presbyterum suum aqua benedicta sanauerit. Cap. 29.

QVadam autem die, dum parochiam suam circumiens, monita salutis omnibus rurì casis & viculis largiretur, necnon etiam nupèr baptizatis, ad accipiendam spiritussancti gratiam, manum imponeret: deuenit ad villulam cuiusdam comitis, cuius vxor malè habens, quasi proxima morti iacebat. Cui iam venienti occurrens ipse comes, flexis genibus gratias egit Domino de aduentu illius. Et introducens eum, benigno recepit hospitio. Cumq; lotis more hospitalitatis manibus & pedibus resedisset antistes, cœpit referre illi vir de languore coniugis desperatę, obsecrans, vt ad aspergendam eam, aquam benediceret. Credo, inquit, quia mox aut sanitati, Deo donante, restituatur, aut si moritura est, perpetuam de morte transeat ad vitam, citiusq; moriendo, compendium tam miserabilis ac diutinæ vexationis accipiat. Annuit deprecanti vir Dei, & allatam benedicens aquam, dedit presbytero, præcipiens vt super languidam aspergeret. Qui introgressus cubiculū, in quo illa exanimi similima iacebat, aspersit illam & lectulum eius: sed & os illius aperiens, gustum salutiferi haustûs immisit. Res mira & vehementer stupenda. Mox vt eam aqua benedicta tetigit languentem, & quid erga eam ageretur prorsùs ignorantem, ità plenam mentis & corporis sanitatem recepit, vt confestim resipiscens, benediceret Dominum, gratiasque referret ei, qui tales tantosque hospites ad se visitandam curandamq; destinare dignatus sit. Nec mora, exurgens ipsis suæ sanitatis ministris ministerium sana præbuit, pulchroque spectaculo ipsa prima de tota tanti viri familia episcopo potum refectionis obtulit, quę per ipsius benedictionem poculum mortis euasit, secuta exemplum socrûs apostoli Petri, quæ curata à febribus per Dominum, continuò surgens, ministrabat illi ac discipulis eius.

Sacramentum Confirmationis.

En quantum olim pij tribuerint aquæ benedictæ.

Mirabilis sacratæ aquæ effectus.

Luc. 4.

Quomodò puellam oleo perunctam, à dolore capitis laterisq; curauerit. Cap. 30.

NEque huic dissimile sanitatis miraculum à venerabili antistite Cuthberto factum, multi, qui præsentes fuère, testati sunt: è quibus est religiosus presbyter Ediluualdus, tunc minister viri Dei, nunc autem Abbas cœnobij Mailrosensis. Dum enim more suo pertransiret vniuersa docendo, deuenit in vicum quendam, in quo erant fœminæ sanctimoniales non multæ: quibus timore barbarici exercitus à monasterio suo profugis, ibidèm manendi sedem vir Domini paulò antè donauerat: quarum vna, quæ erat cognata præfati sacerdotis Ediluualdi, grauissimo tenebatur languore depressà. Per integrum nanque annum intolerabili capitis & totius lateris alterius dolore vexata, funditùs à medicis erat desperata. Indicantibus autem de illa viro Dei, & pro sanatione eius obsecrantibus his, qui venerant cum eo, miseratus ille miseram, vnxit oleo benedicto. Quæ ab illa mox hora meliorari incipiens, post dies paucos plena sospitate conualuit.

Oleo benedicto sanat ægrā.

Quomodò per panem ab eo benedictum infirmus sit sanatus. Cap. 31.

NEc silentio prætereundum arbitramur miraculum, quod eiusdem viri venerabilis virtute, quanuis ipso absente, patratum cognouimus. Meminimus suprà Hildmeri præfecti, cuius vxorem vir DEI ab immundo spiritu liberauerit. Idem ergo præfectus posteà decidit in lectum, grauissima pressus infirmitate, adeò vt crescente molestia per dies, iamiamq; videretur esse moriturus. Aderant multa imicorum, qui ad consolandum venerant languentem. Cumque lecto iacentis assiderent, repentè vnus eorum intulit, quia secum haberet panem, quem sibi nupèr vir Domini Cuthbertus benedictionis gratia dedisset. Et credo, inquit, quia huius gustu possit, si tamen fidei nostræ tarditas non obsistit, medelã recipere salutis. Erant autem laici omnes, sed religiosi. Conuersi igitur ad inuicem, confitebantur singuli, quia absq; vlla dubietate crederent, per eiusdem benedicti panis communionem eum posse sanari. Implentesque calicem aqua, immiserunt pauxillulum panis illius, & dederunt ei bibere. Cuius statim vt viscera gustus ille aquę per panem sanctificatus attigit, fugit dolor interaneorum omnis, fugit exteriorum tabitudo membrorum. Nec mora, expeditum à languore virum salus subsecuta confirmauit, atque ad laudandũ famuli Christi sanctitatem & admirandam fidei non fictæ virtutem, meritò & ipsum & omnes, qui celeritatem tam inopinatæ salutis vidêre vel audiêre, sustulit.

Mira vis panis à S Cuthberto benedicti.

Qualiter oblatum sibi in itinere iuuenem moriturum, orando reuocârit ad vitam sine omni mora. Cap. 32.

QVodam quoque tempore, dum sanctissimus gregis Dominici pastor sua illustrando circumiret ouilia, deuénit in montana & agrestia loca, vbi multi erãt de circumpositis latè villulis, quibus manus erat imponenda. Nec tamen in montibus ecclesia vel locus inueniri potuit aptus, qui põtificem cũ suo comitatu susciperet, Tetenderunt ergo tentoria in via, & cæsis de vicina sylua ramusculis, sibi quique tabernacula ad manendum, qualia potuêre, fixerunt. Vbi dum confluentibus ad se turbis vir Dei verbum biduo prædicaret, ac spiritûs sancti gratiam nupèr regeneratis in Christo per manûs impositionem ministraret, eccè subitò apparuêre mulieres, ferentes in grabato iuuenem, longæ ægritudinis acerbitate tabefactum, ponentesque in exitu syluæ, miserunt ad episcopum, rogantes, vt ad accipiendam benedictionem ad se hunc afferri permitteret. Quem cùm ad se perductum acerrimè vexatum conspiceret, iussit omnes secedere longiùs: & ad solita orationis arma confugiens, data benedictione, pepulit pestem, quam solicita medicorum manus pigmentorum compositione nequiuerat. Deniquè eadem hora surgens, & accepto cibo confortatus, reddita Deo gratiarum actione, regressus est ad eas, quæ se portauerant, fœminas. Sicque factum est, vt quæ eum illò tristes languidum aduexerant, cum eis indè gaudentibus & ipse sospes ac lætabundus domum rediret.

Precibus & benedictione pellit pestem.

Quomodò tempore mortalitatis morientem puerum matri sanum restituerit. Cap. 33.

EOdem tẽpore pestilẽtia subitò exorta illis in partibus, grauissima nece incubuit, ità vt in magnis quondam refertisq; habitationibus, villis ac possessionibus, vix paruæ raræque reliquiæ, & interdùm nullæ residerent. Vnde sanctissimus pater Cuthbertus diligentissimè suam lustrans parochiam, eisdem minimis, quæ superfuêre, reliquijs ministerium verbi & necessariæ consolationis opem ferre non desijt. Adueniens autem in viculum quendam, ibidemq; omnibus, quos inuenerat, auxilio exhortationis adhibito, dixit ad presbyterum suum: Putásne superest quispiam his in locis, cui nostra visitatione & allocutiõe opùs sit, an cũctis, qui malè habebant, visis, iã ad alios transire licet? Qui circũspiciens omnia, vidit mulierem eminùs stantem, quę extincto paulò antè filio, fratrem eius, iam morti proximum tenebat in manibus, lachrymisq; faciem rigantibus, præteritam pariter & præsentem testabatur ærumnam. Quam cùm viro Dei ostenderet, nil moratus, accessit ad eam: & benedicens dedit osculum puero, dixitque ad matrem: Nè metuas, nec mœsta sis: saluabitur enim & viuet infans, neque vllus vltra de domo tua hac mortalitatis peste deficiet. Cuius prophetiæ veritati, ipsa cum filio mater, multo exinde tempore viuens, testimonium dabat.

Sæuissima pestis.

Curat infantem moribundum.

Vt

Vt animam cuiusdam, qui de arbore cadendo mortuus est, ad cælum ferri conspexerit. Cap. 34.

INtereà dum præscius vicini sui obitûs vir Domini Cuthbertus, iam decreuisset animo, deposita cura pastoralis officij, solitariam redire ad vitã, quatenùs excussa solicitudine externa, inter libera orationũ & psalmodiæ studia, diẽ mortis, vel potiùs vitæ cælestis præstolaretur ingressum, voluit priùs nõ solùm sua circuita parochia, sed & alijs circà fidelium mansionibus visitatis, cunctos necessario exhortationis verbo confirmare, ac sic desideratæ solitudinis gaudio refoueri. Quod dum ageret, rogatus à nobilissima & sanctissima virgine Christi Elflede Abbatissa, cuius superiùs memoriã feci, venit ad possessionem monasterij ipsius, quatenùs ibidèm & ipsam videre atque alloqui, & ecclesiam dedicare deberet. Nam & ipsa possessio nõ pauco famulorum Christi examine pollebat. Vbì dum hora refectionis ad mensam consedissent, subitò venerabilis pater Cuthbertus auersam à carnalibus epulis mentem ad spiritualia contemplanda contulit. Vndè lassatis ab officio suo membris corporis, mutato colore faciei, & quasi attonitis contra morem oculis, cultellus quoquè, quem tenebat, décidit in mensam. Quod dum presbyter eius, qui adstabat & ministrabat, adspiceret, inclinatus ad Abbatissam, dixit silentiò: Interroga episcopum, quid viderit. Scio enim, quia non sine causa manus eius tremefacta, cultellum deseruit, vultusque mutatur illius: sed vidit aliquid spirituale, quod nos cæteri videre nequiuimus. At illa statìm conuersa ad eum: Obsecro, inquit, Domine mi episcope, dicas quid víderis modò. Neque enim frustrà lassata tua dextera cultellum, quem tenebat, amisit. Qui dissimulare conatus vidisse se quippiã secreti, iocosè respondit: Num tota die mar- ducare valebam? Iam aliquandò quiescere debui. Illa autem diligentiùs adiurãte ac flagitante, vt exponeret visionem: Vidi, inquit, animam cuiusdam sancti manibus angelicis ad gaudia regni cælestis ferri. Rursùs illa: De quo, inquit, loco assumpta est? Respondit: De tuo monasterio. Adiecit nomen inquirere. Et ille: Tu mihi, inquit, die crastino Missas celebranti nomen eius indicabis. Hęc audiens illa, confestìm misit ad maius suum monasterium videre, qui nupèr raptus esset è corpore. At nuncius omnes ibidèm saluos incolumesque reperiens, postquàm manè facto reuerti ad dominam cœpit, obuios habuit eos, qui corpus defuncti fratris sepeliendum in carro deferrent. Interrogansque qui esset, didicit, quia quidam de pastoribus, bonæ actionis vir, incautiùs in arborem ascendens, deciderat deorsùm, & contrito corpore, ipsa hora spiritum exhalauit, qua hunc vir Domini ad cælestia ductum videbat. Quod dum veniens Abbatissæ referret, statìm illa ingressa ad episcopum, iamtunc dedicantem ecclesiam, stupore fœmineo, quasi nouum aliquid incertumque nunciatura, Precor, inquit, Domine mi episcope, memineris ad Missas Haduualdi mei, (hoc enim viro erat nomen) quia heri cadendo de arbore, defunctus est. Tunc liquidò omnibus patuit, quia multiformis prophetiæ spiritus viri sancti præcordijs inerat, qui & in præsenti occultum animæ raptum videre, & quid sibi in futuro ab alijs indicandum esset, potuit præuidere.

Inuisit sanctissimam Abbatissã Elfledẽ.

In mẽsa residens, visum videt.

Quomodò aquam gustando, in vini saporem converterit. Cap. 35.

INdè peragratis ex ordine superioribus locis, venit ad monasteriũ virginum, quod non longè ab ostio Tini fluminis situm suprà docuimus: vbì à religiosa & ad seculum quoquè nobilissima famula Christi Verca Abbatissa magnificè susceptus, postquàm de meridiana quiete surrexerunt, sitire se dicens, vt biberet, rogauit. Quærebant quid bibere vellet, rogantes, vt vinum siue ceruisiam afferri liceret. Aquã, inquit, date mihi. Qui haustam de fonte aquam, obtulerũt ei. At ille data bendictione, vbì paululùm gustauit, dedit adstãti presbytero suo. Qui reddidit ministro. Et minister accepto poculo: Licet, inquit, mihi de potu bibere, de quo bibit episcopus? Respondit: Etiã. Quarè non liceat? Erat autem & ille presbyter eiusdem monasterij. Bibit ergò, & visa est ei aqua quasi in vini conuersa saporem. Tantique sibi testem volens adhibere miraculi fratrem, qui proximè adstabat, porrexit ei poculum. Qui cùm & ipse biberet, eius quoquè palato pro aqua vinum sapiebat. Aspectabant autem mirantes adinuicèm. Et vbì vacuum tempus ad loquendum acceperunt, confitebantur alterutrùm, quia viderentur sibi nunquam melius vinum bibisse, sicut vnus ex ipsis posteà in nostro monasterio, quod est ad ostium Vuiri fluminis, non paruo tempore moratus, ibidemq; nunc placida quiete sepultus, sua mihi relatione testatus est.

Verca Abbatissa nobilissima.

Aquã benedictione mutat in vinũ S. Cuthbertus.

Quomodò inobedientes ei quosdam fratres tempestas maris per septem dies obsederit. Cap. 36.

Abdicat se episcopatu.

DVobus igitur annis in episcopatu trāsactis, sciens in spiritu vir Domini Cuthbertus appropinquare diem sui transitùs, abiecit pondus curæ pastoralis, atq; ad dilectum eremiticæ conuersationis agonem quantocyùs remeare curauit, quatenùs inolita sibi solicitudinis mundanæ spineta, liberior priscæ cōpunctionis flamma consumeret. Quo tempore sæpiùs ad visitantes se fratres de mansione sua egredi, eosque præsens solebat alloqui. Libet autem referre quoddam tunc ab eo factum miraculum, quo clariùs elucescat, quantum viris sanctis obtemperandum sit etiam in his, quæ negligentiùs imperare videntur. Quadam die dum venissent quidam, egressusque ille, exhortatorio illos sermone reficeret, post admonitionem completam subiunxit, dicens: Iam hora est, vt ad mansionem meam regrediar: vos autem quia proficisci disponitis, primò sumite cibos, & aucam illam (pendebat enim auca in pariete) coquite & comedite, & sic in nomine Domini nauem ascendite, ac domum redite. Dixerat hæc, & data benedictione & oratione, suam mansionem introiuit. Illi autem, vt præceperat, sumpsêre cibos: sed quia abundabant cibis, quos secum attulerant, aucam, de qua præceperat, tangere non curabant. At cùm refecti nauiculam vellent ascendere, exorta subitò tempestas fera, omnem eis nauigandi facultatem abstulit. Factumque est, vt septem diebus feruente vnda conclusi, tristes in insula residerent, nec tamen culpam inobedientiæ, pro qua huiusmodi carcerem patiebantur, ad memoriam reuocarent. Qui cùm sedulò ad patris colloquium reuersi, ac de reditùs sui dispendio conquesti patientiæ ab illo monita perciperent, septima tandem die egressus ipse ad eos, volebat mœstitiam eorum gratia suæ visitationis & piæ consolationis verbo lenire. Ingressus autem domum, in qua manebant, vt vidit aucam non fuisse comestam, placido vultu & læto potiùs sermone redarguit eorum inobedientiam: Nónne, inquiens, incomesta adhuc pendet auca? Et quid mirum si vos mare nō siuit abire? Citissimè ergò mittite eam in caldarium, coquite & comedite, vt possit mare quiescere, & vos domum remittere. Fecerunt statim vt iusserat, contigitq; miro ordine, vt cùm ad præceptum viri Dei coctura in caldario, foco agente, feruere cœpisset, eadem hora vnda in mari, cessantibus ventis, suo à feruore quiesceret. Expleta itaque refectione, videntes mare placidū, ascenderunt nauem, & secundis flatibus cum gaudio simul & pudore domum remeauerunt. Pudebat nanque eos inobedientiæ & sensûs tardioris, quo verebantur suum etiam inter flagella cōditoris dinoscere & emendare reatum: Gaudebant, quia intellexêre tantam fuisse Deo curam de fideli suo famulo, vt contemptum eius etiam per elementa vindicaret. Gaudebant, quia vidêre tantam suimet curam suo fuisse creatori, vt etiam manifesto miraculo ipsorum errata corrigeret. Hoc sanè, quod retuli, miraculū, non quolibet authore, sed vno eorum, qui interfuêre, narrante cognoui, vitæ videlicet venerabilis monacho & presbytero eiusdem monasterij Cynemundo, qui plurimis latè fidelium, longæuitatis & vitæ gratia iam notus existit.

Viris sanctis quāta sit præstāda obediētia.

Viderēad mirandā.

Quanta ægrotus tentamenta pertulerit, quid've de sua sepultura mandauerit. Cap. 37.

REpetijt autem insulā mansionemque suam vir Dei Cuthbertus, mox peracto die solenni natiuitatis Dominicæ. Cumque eum nauem ascensurum caterua fratrum circunstaret, interrogauit vnus ex eis veteranus & venerabilis vitæ monachus, fortis quidem fide, sed dysenteriæ morbo corpore iam factus imbecillis: Dic nobis, inquiens, Domine episcope, quandò reditum tuum sperare debeamus. At ille simpliciter interroganti, simpliciter & ipse, quod verum nouerat, pandēs: Quandò, inquit, meum corpus huc referetis. Qui cum duos fermè menses in magna repetitæ suæ quietis exultatione transigeret, multo cōsuetæ districtiōis rigore corpus mētemq; constringeret, arreptus infirmitate subita, temporalis igne doloris ad perpetuæ cœpit beatitudinis gaudia præparari. Cuius obitum libet verbis illius, cuius relatione didici, describere, Herefridi videlicet deuotæ religionis presbyteri, qui etiam tūc Lindisfarnensi monasterio Abbatis iure præfuit. Tribus, inquit, hebdomadibus cōtinuis infirmitate decoctus, sic ad extrema peruenit. Siquidem quarta feria cœpit ægrotare, & rursus quarta feria, finita ægritudine, migrauit ad Dominū. At cùm manè primò inchoatæ in-

Herefridi narratio de obitu sancti viri.

tæ infirmitatis venirem,(nam & ante triduum cum fratribus insulam adieram)cupiēs solitæ benedictionis & exhortationis ab eo solatia percipere, vt dato iuxta morē signo me aduenisse prodidi,processit ad fenestram, & salutanti se mihi suspirium pro responso reddidit. Cui ego dixi: Quid habes Domine mi episcope? an fortè nocte hac tuus te lāguor tetigit? At ille: Etiam, inquit, languor me tetigit nocte hac. Putabam, quia de veteri sua infirmitate, cuius quotidiana penè molestia consueuerat excoqui, non autem de noua & insolita diceret. Nec plura interrogans: Da, inquam, benedictionem nobis, quia iam tempus nauigandi ac domum remeandi adest: Facite, inquit, vt dicis: ascendite nauem, ac domum salui redite. Cùm autem Deus susceperit animam meam, sepelite me in hac mansione iuxta oratorium meum ad meridiem contra orientalem sanctæ Crucis plagam, quam ibidèm erexi. Est autem ad Aquilonalem eiusdem oratorij partē sarcophagus terræ cespite abditus, quem olìm mihi Cudda venerabilis Abbas donauit. In hoc corpus meū reponite, inuoluētes in sindone, quā inuenietis istic. Nolui quidem ea viuens indui, sed pro amore dilectæ Deo fœminæ, quæ hanc mihi misit, Vereæ videlicet Abbatissæ, ad obuoluendum corpus meū reseruare curaui. Hæc ego audiēs: Obsecro, inquam, pater, quia infirmum & moriturū te audio, aliquos de fratribus hîc ad ministrādum tibi remanere permittas. At ille ait: Ite modò: tempore autem opportuno redite. Cumq; diligētiùs obsecrans, vt ministrum susciperet, nequaquàm impetrare valerem, tandèm interrogaui, quādò deberemus reuerti. Qui ait: Quandò Deus voluerit, & ipse vobis ostenderit. Fecimus, vt iusserat. Conuocatisque mox in ecclesiam fratribus cunctis, iussi orationem fieri sine intermissione pro eo: quia videtur, inquiens, mihi ex quibusdam verbis illius appropinquare diem, quo sit exiturus ad Dominum. Eram aūt solicitus de reditu propter infirmitatem eius: sed quinque diebus obstitit tempestas, nè redire possemus. Quod diuinitùs dispensatum fuisse, rei probauit euētus. Vt enim omnipotens Deus famulum suum ab omni labe mundanæ fragilitatis ad purum castigaret, vtque aduersarijs eius, quàm nihil contra fidei virtutem valerent, ostenderet, voluit eū tanto tempore segregatum ab hominibus, & suæ carnis dolore & antiqui hostis acriori certamine probari. Vt autem reddita tranquillitate insulam repetiuimus, inuenimus eum, suo monasterio egressum, sedere in domo, in qua nos manere solebamus. Et quia necessitas quædam poscebat fratres, qui mecum venerant, renauigare ad proximum litus, ipse remanens in insula, confestim patri ministerium præbere curaui. Siquidem calefaciens aquam, abluebam pedem eius, qui gratia diutini tumoris iamtūc vlcus habebat, ac profluente sanie, cura indigebat. Sed & vinum calefaciens attuli, eumque gustare rogaui. Videbam nanque in facie eius, quia multùm inedia simul & languore erat defessus. Completa curatione, resedit quietus in stratu: resedi & ego iuxta eum. Cumque sileret, dixi: Video Domine episcope, quia multùm vexatus es ab infirmitate, postquā recessimus à te. Et mirum, quarè nolueris, vt aliquos nostrûm, qui tibi ministrarent, hîc dimitteremus abeuntes. At ille ait: Dei prouidentia & voluntate gestum est, vt præsentia & auxilio destitutus humano, aliqua paterer aduersa. Postquàm enim à me digressi estis, continuò cœpit languor ingrauescere: ideoque de mea mansione egrediēs, huc intraui, vt quicunque vestrûm mihi ministraturi aduenirent, hîc me possent inuenire, nec meam mansionem necessè haberent ingredi. Ex quo autem ingrediens, hac in sede membra composui, non moui me hinc, sed quinque diebus his & noctibus hic quietus permansi. Cui ego aio: Et quomodò domine mi episcope sic viuere potuisti? Num absque cibi perceptione tanto tempore mansisti? Tū ille retecto lectisternio, cui supersedebat, ostendit ibì cepas quinq; reconditas, & ait: Hic mihi victus erat his quinq; diebus. Quotiescunq; enim os ariditate ac siti nimia aruit & ardebat, hæc gustando me recreare ac refrigerare curaui. Videbatur aūt vna de cepis minùs quàm dimidia parte corrosa. Insupèr ait: Et cōcertatores mei nunquàm per omne tēpus, ex quo in hac insula conuersari cœpi, tot mihi persecutiones, quot in his quinque diebus, intulêre. Non audebam interrogare, quæ essent tentationes, de quibus dixerat: tantùm rogaui, vt ministros susciperet. Annuit ille, & quosdā nostrûm secum retinuit, in quibus erat maior Beda presbyter, qui ministerio eius familiariter semper adesse consueuerat, ideoque donationum acceptionumque eius omnium conscius erat indubius: quem ob id maximè secum manere voluit, vt si cuiuslibet acceptis muneribus digna recompensatione non respondisset, illius admonitione recoleret, & priusquàm obiret, sua cuique restitueret. Sed & alium quendam de fratribus, vt inter ministros sibi adesset, designauit: qui longo quidem ventris fluxu grauiter ægrotabat, neq; à medicis poterat curari, sed

Crux ab illo erecta.

Virtutē fidei illius dicit, quæ diuino feruet amore.

Cepa se sustentat quinque diebus.

Quæ dæmonum certamina tulerit ijs diebus.

merito religionis, prudentiæ & grauitatis dignus extiterat, qui testis esset verborũ, quæ vir Dei vltima diceret, vel quo ordine ad Dominũ migraret. Intereà rediens domũ, narrabã fratribus, quia venerabilis pater in sua se insula sepeliri iubebat: & videtur, inquã, mihi iustius esse multo & dignius impetrare ab eo, quatenùs huc transferri corpus suum, & iuxta honorẽ congruũ in ecclesia condi permittat. Placuerunt illis, quæ dixerã, & venientes ad episcopum, rogabamus dicẽtes: Non ausi sumus domine episcope contemnere iussionẽ tuã, qua te hîc tumulari mandâsti, & tamen rogandũ videbatur nobis, vt te ad nos transferre, & nobiscũ habere mereamur. At ille: Et meæ, inquit, voluntatis erat hîc requiescere corpore, vbì quantulumcunq; pro Domino certamen certaui, vbi cursum cõsummare desidero, vndè ad coronã iustitiæ subleuandã meà pio iudice spero. Sed & vobis quoq; cõmodius esse arbitror, vt hîc requiescã, propter incursionẽ profugorum vel noxiorum quorumlibet. Qui cũ ad corpus meum fortè confugerint, quia qualiscunq; sim, fama tamen exiuit de me, quia famulus Christi sim: necessè habetis pro talibus sæpiùs apud potentes seculi intercedere, atque ideò de præsentia corporis mei multum tolerare laborem. At nobis multũ diù precantibus, laboremque huiusmodi gratum ac leuem fore asseuerantibus, tandèm cũ consilio locutus vir Domini, dixit: Si meam dispositionem superare, & meum corpus illò reducere vultis, videtur mihi optimum, vt in interioribus basilicæ vestræ illud tumuletis, quatenùs & ipsi cùm vultis, meũ sepulcrũ visitare possitis, & in potestate sit vestra, an aliqui illò de aduenientibus accedant. Gratias egimus permissioni & consilio illius, flexis in terram genibus, ac domum redeuntes, frequentiùs illum exindè visitare non destitimus.

Quomodò ministrum suum à profluuio ventris sanauerit ægrotus vir beatus.
Cap. 38.

CVmq; increscente languore, videret tempus suæ resolutionis instare, præcepit se in suam mansiunculam atq; oratoriũ referri. Erat autẽ hora diei tertia. Portauimus ergò illum, quia præ molestia languoris, ipse non valebat ingredi. At vbì ad portã peruenimus, rogabamus, vt alicui nostrûm liceret ad ministrandũ ei pariter intrare. Non enim per annos plurimos quispiã illuc, præter ipsum, intrauerat. Qui circunspectis omnibus, vidit fratrem, cuius suprà memini, ventris fluxu languentẽ, & ait: Vualchstod ingrediatur mecum. Hoc enim erat nomẽ fratris. Qui cùm ad nonam vsq; horam intùs cum illo maneret, sic egrediens vocauit me: Episcopus te iussit ad se intrare. Possum autẽ tibi rẽ referre nouam permirabilẽ, quia ex quo ingrediens illuc tetigi episcopum, deducturus eum ad oratorium, cõtinuò sensi me omni illa longæ infirmitatis molestia carere. Non autẽ dubitãdum, supernæ pietatis hoc dispẽsatione procuratum, vt qui multos anteà sospes adhuc valensq; curauerat, hunc quoq; moriturus curaret: quatenùs hoc quoq; indicio pateret etiam corpore infirmatus vir sanctus quantum spiritu valeret. In qua profectò curatiõe sequebatur exemplum sanctissimi & reuerendissimi partis Aurelij Augustini episcopi: qui dum pressus infirmitate, qua & mortuus est, decumberet, venit quidam cum suo ægroto, rogans vt eidem manum imponeret, quò sanus esse posset. At ille ait: Si aliquid in his possem, mihi hoc vtiquè primitùs præstitissem. Rursùs is, qui venerat: Te, inquit, visitare iussus sum, siquidẽ in somnis dictum accepi: Vade ad Augustinum Episcopum, vt eidem manum imponas, & saluus erit. Quo ille audito, mox ægrotanti manum benedicens imposuit: nec mora, sanum ad propria remisit.

Tactu episcopi fugatur dysenteria.

Quæ vltima fratribus mandata dederit, & vt percepto viatico, inter verba orationis spiritum reddiderit cælis. *Cap.* 39.

INtraui autem ad eum circa horam diei nonam, inuenique eum recumbentem in angulo sui oratorij contra altare: assidere cœpi & ipse. Nec multa loquebatur, quia pondus ægritudinis * facilitatem loquendi minorauerat. Verùm me diligentiùs inquirente, quem hæreditarium sermonem, quod vltimum Vale fratribus relinqueret, cœpit disserere pauca, sed fortia, de pace & humilitate, cauendisque eis, qui his obluctari, quàm oblectari mâllent. Pacem, inquit, inter vos semper & charitatem custodite diuinam, & cùm de vestro statu consilium vos agere necessitas poposcerit, videte attentiùs vt vnanimes existatis in consilijs. Sed & cum alijs Christi seruis mutuam habetote concordiam, nec venientes ad vos hospitalitatis gratia domesticos fidei, habeatis contemptui: sed familiariter ac benignè tales suscipere, tenere ac dimittere curate: nequaquàm vos meliores arbitrantes cæteris eiusdem fidei & vitæ con-

* facultatẽ puto legẽdum.

Pax & humilitas seruanda.

consortibus. Cum illis autem, qui ab vnitate catholicæ pacis, vel pascha non suo tempore celebrando, vel peruersè viuendo aberrant, vobis sit nulla communio. Sciatisque & memoria retineatis, quia si vos vnum è duobus aduersis eligere necessitas coëgerit, multò plùs diligo, vt eruentes de tumulo, tollentesque vobiscum ossa mea, recedatis ab his locis, & vbicunque Deus prouiderit, incolæ maneatis, quàm vt vlla ratione consentientes iniquitati, schismaticorum iugo colla subdatis. Catholica patrum statuta diligentissimè discere atque obseruare contendite. Ea quoquè, quæ per meum ministerium vobis diuina pietas instituta vitæ regularis dare dignata est, exercere soliciti. Scio enim, quia etsi quibusdam contemptibilis vixi, post meum tamen obitum, qualis fuerim, quàm mea doctrina non sit contemnenda, videbitis. Hæc & his similia vir Dei per interualla locutus, quia vis, vt diximus, infirmitatis possibilitatem loquendi ademerat, quietum expectatione futuræ beatitudinis diem duxit ad vesperam. Cui etiam peruigilem quietis in precibus continuauit & noctem. At vbì consuetum nocturnæ orationis tempus aderat, acceptis à me sacramentis salutaribus, exitum suum, quem iam venisse cognouit, Dominici corporis & sanguinis communione muniuit, atque eleuatis ad cælum oculis, extensisque in altum manibus, intentam supernis laudibus animam ad gaudia regni cælestis emisit.

Schismatici vitandi.

Statuta Patrum obseruanda.

Eucharistiam accipit sub mortem & it in cælos.

Quomodò iuxta prophetiam psalmi, quem eo moriente cantauerant, Lindisfarnenses sint impugnati sed Domino iuuante, iterùm protecti. Cap. 40.

AT ego statim egressus, nunciaui obitum eius fratribus, qui & ipsi noctem vigilando atque orando transegerant, & tunc fortè sub ordine nocturnæ laudis dicebant psalmum quinquagesimumnonum, cuius initium est: Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es, & misertus nobis. Nec mora, currens vnus ex eis, accendit duas candelas, & vtraque tenens manu, ascendit eminentiorem locum, ad ostendendum fratribus, qui in Lindisfarnensi monasterio manebant, quia sancta illa anima iam migrâsset ad Dominum. Tale nanq; inter se signum sanctissimi eius obitùs condixerant. Quod cùm videret frater, qui in specula Lindisfarnensis insulæ longè decontrà euentus eiusdem peruigil expectauerat horam, cucurrit citiùs ad ecclesiam, vbì collectus omnis fratrum cœtus, nocturnæ psalmodiæ solennia celebrabat: contigitque vt ipsi quoque intrante illo præfatum canerent psalmum: quod superna dispensatione procuratum, rerum exitus ostendit. Sepulto siquidem viro Dei, tãta ecclesiam illam tentationis aura concussit, vt plures è fratribus loco magìs cedere, quàm talibus vellent interesse periculis. Attamen post annum, ordinato in episcopatu Eadberto, magnarum virtutum viro, & in scripturis nobiliter erudito, maximeque eleemosynarum operibus dedito, fugatis perturbationum procellis, vt scripturæ verbis vtar, ædificauit Hierusalem, id est, visionem pacis Dominus, & dispersiones Israëlis congregauit. Sanauit contritos corde, & alligauit contritiones eorum: vt palàm daretur intelligi, quid significauerit psalmus cum cognita beati viri morte cantatus? quia videlicet post eius obitum repellendi ac destruendi essent eius ciues, sed post ostensionem iræ minantis, cælesti protinùs miseratione refouendi. Cuius sequentia quoquè psalmi eidem sensui cõcordare, qui rectè tractat, intelligit. Impositum autem naui venerabile corpus patris, ad insulam Lindisfarnensium retulimus: quod magno occurrentium agmine chorisque canentium susceptum est, atq; in ecclesia B. Apostoli Petri ad dexteram altaris petrino in sarcophago repositum.

Lindisfarnen. ecclesiæ perturbatio ingens.

Psal. 146.

Defertur sacrũ corpus in insulam Lindisfarnensem.

Quomodò puer dæmoniacus sanatus sit humo in aquam missa, cui lauacrum corporis sancti infusum est. Cap. 41.

SED nec defuncto ac tumulato Christi famulo, signa sanitatum, quæ viuens exercuerat, cessare potuerunt. Contigit nanque puerum quendam in territorio Lindisfarnensium atrocissimo dæmone vexari, ità vt sensu rationis funditùs amisso, clamaret, eiularet, & vel sua membra, vel quicquid attingere posset, morsibus dilaniare niteretur. Missus est ad energumenũ presbyter de monasterio: qui cùm solitus fuisset per exorcismi gratiã immundos fugare spiritus, huic tamen obsesso prorsùs nil prodesse valebat. Vnde dedit consilium patri illius, vt impositum carro puerum ad monasterium deferret, atque ad reliquias beatorum martyrum, quæ ibì sunt, Dominum pro illo precaretur. Fecit, vt monuerat: sed noluêre sancti Dei martyres ei petitam reddere sanitatem, vt quàm celsum inter se locũ Cuthbertus haberet, ostẽderent.

Cùm ergò insanus vlulando, ingemiscendo, & frendendo dentibus, nimio cunctorum visus & auditus horrore concuteret, nec esset, qui aliquod remedij genus excogitare quiuisset: tum eccè quidam de presbyteris edoctus in spiritu, per opitulationem beati patris Cuthberti illum posse sanari, venit clanculò ad locum, vbi nouerat effusam fuisse aquam, qua corpus eius defunctum fuerat lotum, tollensque modicam humi particulam, immisit in aquam: quam deferens ad patientem, infudit in ore eius. Quo horribiliter hiante, voces diras ac flebiles emittebat. Statim autem vt attigit aquam, continuit clamorem, clausit os, clausit & oculos, qui sanguinei & furibundi patebant, caput & corpus totum reclinauit in requiem. Qui etiam placido sopore noctem transegit, & manè de somno simul & vesania consurgens, liberatum se à dæmonio, quo premebatur, beati Cuthberti meritis & intercessione cognouit. Mirandum & bonis omnibus delectabile spectaculum, cùm videres filium cum patre sospitem loca sancta circumire, sanctorum auxilio gratias sanissima mente referre, qui pridiè præ insania mentis nec seipsum, qui esset, vel vbi esset, poterat agnoscere. Qui vbi, tota fratrum caterua adstante, vidente & congratulante, ad reliquias martyrum genibus flexis dedit laudem Deo Domino & Saluatori nostro Iesu Christo, iam & ab hostis verbere liberatus, & in fide firmior, quàm fuerat, effectus, ad propria rediit. Ostenditur vsque hodiè fossa illa, cui memorabile infusum est lauacrum, quadrato schemate facta, ligno vndiquè circundata, & lapillis intùs impleta. Est autem iuxta ecclesiam, in qua corpus eius requiescit, ad partem meridianam. Factumque est ex eo tempore, vt plures sanitatum operationes per eosdem lapides vel eandem terram, Domino donante, fierent.

Mira vis terræ, in quam effusa fuerat aqua, qua sacrum corpus erat ablutū.

Vide miracula.

Quomodò corpus eius post vndecim annos sit sine corruptione repertum.

Cap. 42.

Volens autem latiùs monstrare diuina dispensatio, quanta in gloria vir sanctus post mortem viueret, cuius ante mortem vita sublimis, crebris etiam miraculorum patebat indicijs, transactis sepulturæ eius annis vndecim, immisit in animo fratrum, vt tollerent ossa illius, quæ more mortuorum, consumpto iam & in puluerem redacto corpore reliquo, sicca inuenienda rebantur, atque in leui arca recondita, in eodem quidem loco, sed supra pauimentum dignæ venerationis gratia locarent. Quod dum sibi placuisse, Eadberto, antistiti suo medio fermè Quadragesimæ tempore referrent, annuit consilio eorum, iussitq; vt die depositionis eius, quæ est tertiadecima Calendarum Aprilium, hoc facere meminissent. Fecerunt autem ità: & aperientes sepulcrum, inuenerunt corpus totum, quasi adhuc viueret, integrum & flexibilibus artuum compagibus, multo dormienti quàm mortuo similius. Sed & vestimenta omnia, quibus indutum erat, non solùm intemerata, verùm etiam prisca nouitate & claritudine miranda parebant. Quod vbi viderunt, nimio mox timore & tremore sunt perculsi, adeò vt vix aliquid loqui, vix auderent intueri miraculum, quod parebat: vix ipsi, quid agerent, nôssent. Extremam autem indumentorum eius partem pro ostendendo incorruptionis signo tollentes (nam quæ carni illius proxima aderant, prorsùs tangere timebant) festinârunt referre antistiti, quod inuenerant: qui tum fortè in remotiore à monasterio loco, refluis vndiquè maris fluctibus cincto, solitarius manebat: (in hoc etenim, semper Quadragesimæ tempus agere: in hoc, quadraginta ante Dominicum natalem dies in magna continentiæ orationis & lachrymarum deuotione ducere cōsueuerat: in quo etiā venerabilis prædecessor eius Cuthbertus, priusquàm Farne peteret, sicut & suprà docuimus, aliquandiù secretus Domino militauerat) Attulerunt autem & partem indumentorum, quæ corpus sanctum ambiêrant. Quæ cùm ille & munera gratanter acciperet, & miracula libenter audiret, (nam & ipsa indumenta, quasi patris adhuc corpori circundata, miro deosculabatur affectu) Noua, inquit, indumenta corpori pro his, quæ tulistis, circundate, & sic reponite in thecam, quam parâstis. Scio autem certissimè, quia non diù vacuus remanebit locus, qui tanta cælestis miraculi virtute consecratus est. Et beatus est multùm, cui in eo sedem quiescendi Dominus, veræ beatitudinis author atque largitor, concedere dignatur. Adiecitque mirando, quæ quondàm versibus dixi, & ait:

Post 11. annos corpus planè integrum, itēque vestes.

Eadberti episcopi abstinentia, &c.

Quis Domini expediet cælestia munera dictis?
Vel paradisiacas quæ capit auris opes?
Cùm pius infesti dirupto pondere leti,
Viuere siderea semper in arce dabit.

Mor.

Mortua nunc tanto qui membra decorat honore,
  Pulchraque perpetuæ pignora præstat opis.
Quamque beata domus, sub tanto quæ hospite fulges,
  Nescia quæ næui, lumine læta micas.
Nec tibi difficile omnipotens, mandare sub aruo
  Nè deposta voret funera labes edax,
Qui triduo seruas ceti sub viscera vatem, Ionæ 2.
  Lucis iter pandens mortis ab ore tuo.
Qui ignibus in medijs insontia membra tueris, Dan. 3.
  Nè Hebræum lædat Chaldea flamma decus.
Dena quater renouas per frigora plebis amictum,
  Quæ Phariam fugiens, inuia seruat, humum. Deut. 19.
Qui rediuiua leuem formas in membra fauillam,
  Cùm tremet angelicis mundus ab axe tubis.

Hæc vbi multis cum lachrymis ac magna compunctione pontifex tremente lingua compleuit, fecerunt fratres vt iusserat, & inuolutum nouo amictu corpus, leuique in theca reconditum, supra pauimentum sanctuarij composuerunt.

Quomodò corpus Eadberti episcopi in tumulo viri Dei ponentes, sarcophagum illius desupèr posuerunt. Cap. 43.

Intereà Deo dilectus antistes Eadbertus morbo corripitur acerbo, & crescente per dies multumque ingrauescente ardore languoris, non multò pòst, id est, pridiè Nonas Maias, etiam ipse migrauit ad Dominum, impetrato ab eo munere, quod diligentissimè petierat, videlicet vt non repentina morte, sed longa excoctus ægritudine, transiret è corpore. Cuius corpus in sepulcro beati patris Cuthberti ponentes, apposuerunt desupèr arcam, in qua incorrupta eiusdem patris membra locauerant. Vbi nunc vsque, si petentium fides exigat, miraculorum signa fieri non desinunt. Sed & indumenta, quæ sanctissimum corpus eius vel viuum, vel sepultum vestierant, à gratia curandi non vacant. [Eadberti episcopi obitus.] [Miracula per vestes S. Cuthberti.]

Vt quidam ægrotus ad tumbam eius orando sit sanatus. Cap. 44.

Deniquè adueniens transmarinis è partibus clericus quidam reuerendissimi & sanctissimi Vuillebrordi Clementis, Frisonum gentis episcopi, dum aliquot dies ibidem hospes moraretur, décidit in infirmitatem grauissimam, ità vt inualescente per longum tempus ægritudine, iam desperatus iaceret. Qui cùm victus dolore, videretur sibi nec mori, nec viuere posse, inuento salubri consilio, dixit ministro suo: Obsecro, perducas me hodiè post celebratas Missas adorare ad corpus sacratissimum viri Dei, (erat enim dies Dominica) spero, per gratiam intercessionis eius his cruciatibus eripiar, & vel sanatus ad vitam redeam præsentem, vel defunctus perueniam ad æternam. Fecit ille, vt rogauerat iste: baculoque innitentem ægrotum, in ecclesiam non paruo cum labore perduxit. Qui cùm ad sanctissimi ac Deo dilecti patris sepulcrum genua curuaret, caput in terram dimitteret, pro sua sospitate rogaret, tantas continuò vires suum corpus de incorrupto illius corpore accepisse persensit, vt absque labore ipse ab oratione resurgeret, absque adminiculo vel ministri ducentis vel baculi sustentantis ad hospitium rediret. Qui post dies paucos, roborata ad integrum virtute, viam, quam disposuerat, peregit. [Ad sepulcrum sancti viri orans languidus, mox reualescit.]

Quomodò paralyticus per eius calceamenta sit sanatus. Cap. 45.

Erat in monasterio quodam, non procùl indè posito, adolescens ea, quam Græci paralysin vocant, infirmitate omni membrorum officio destitutus. Vndè Abbas ipsius, sciens in monasterio Lindisfarnensi medicos esse peritissimos, misit eum illò, rogans, infirmanti, si quid possent curationis, conferrent. Qui cùm, suo quoquè Abbate & episcopo iubentibus, diligenter illi assisterent, & quicquid nôssent, erga eum industriæ medicinalis impenderent, nihil omninò proficere valebant: quin potiùs crescebat morbus quotidiè, & paulatim in deteriora vergebat, adeò vt, excepto ore, nullum penè membrum posset loco mouere. Cumque à carnalibus medicis, diù frustrà laborantibus, desperatus ac desertus iaceret, confugit ad diuinum cælestis medici auxilium, qui in veritate peritus, propitius fit omnibus iniquitatibus nostris, qui sanat omnes languores nostros. Rogauit nanque ministrum suum, vt aliquam [Psal. 102.]

uam sibi portiunculam de incorruptibilibus sacri corporis afferret exuuijs: quia crederet per huius se virtutem ad gratiam sanitatis, Domino largiente, reuersurum. Qui consulto Abbate, attulit calceamenta, quæ viri Dei in sepulcro pedes induerant, & ea pedibus dissolutis ægroti circumdedit: siquidem primò à pedibus cum paralysis apprehenderat. Fecit autem hoc noctis initio, cùm tempus requiescendi adesset: statimq; ille placidum dimissus in soporem, procedente intempestæ noctis silentio, cœpit alternis palpitare pedibus, vt palàm, qui vigilabant & videbant, ministri aduerterent, quia donata per reliquias viri sancti virtute medicandi, sanitas optata à planta pedum per cætera membra esset transitura. At vbì consuetum in monasterio nocturnæ orationis signum insonuit, excitatus sonitu, resedit ipse. Nec mora, solidatis interna virtute neruis, artuumque compagibus vniuersis, & dolore fugato, sanatum se esse intelligens, surrexit, & in gratiarum actione Domino omne nocturnæ siue matutinæ psalmodiæ tempus stando persoluit. Manè autem iam facto, processit ad ecclesiam, videntibusq; & congratulantibus vniuersis, circumiuit loca sancta orando, & suo Saluatori sacrificium laudis offerendo. Factum nanq; est, vt pulcherrima rerum conuersione is, qui dissolutus toto corpore illuc in vehiculo perlatus fuerat, indè strictis firmatisque membris omnibus, domum per se rediret incolumis. Vndè meminisse iuuat, quia hæc est mutatio dexteræ excelsi, cuius memoranda ab initio mirabilia mundo fulgere non cessant.

[Margin: [illegible] fiunt, [illegible] num eius spiritus?]

Qualiter anachoreta Felgildus operimento parietis eius in vultu sit mundatus.

Cap. 46.

NEC prætereundum arbitror, quid miraculi cælestis etiam per reliquias sanctissimi oratorij, in quo pater venerabilis solitarius Domino militare consueuerat, diuina pietas ostenderit: quod tamen vtrùm meritis eiusdem beati patris Cuthberti, an successoris eius Ediluualdi, viri æquè Deo dediti asscribendum sit, internus arbiter nouerit. Neque aliqua ratio vetat, vtriusque merito factum credi, comitante etiam fide reuerendissimi patris Felgildi, per quem & in quo miraculum ipsum, quod refero, sanationis completum est. Ipse est qui tertius eiusdem loci & militiæ spiritualis hæres, hodie maior septuagenario, in magno vitæ futuræ desiderio, terminum præsentis expectat. Cùm ergo viro Dei Cuthberto ad cælestia translato, Ediluualdus eiusdem insulæ & monasterij colonus existere cœpisset, qui & ipse multos anteà per annos in monachica conuersatione probatus, ritè gradum anachoreticæ sublimitatis ascenderat: reperit, quia parietes præfati oratorij, qui tabulis minùs diligenter coaptatis erant compositi, longa essent vetustate dissoluti, & separatis abinuicem tabulis, facilem turbinibus præbuissent ingressum. Sed vir venerabilis, qui cælestis ædificij magìs, quàm terreni decorem quærebat, sumpto fœno vel argilla, vel quicquid huiusmodi materiæ reperisset, stipauerat rimulas, nè quotidianis imbrium siue ventorum iniurijs, ab orandi retardaretur instantia. Cùm hæc igitur Ediluualdus, ingressus locum, vidisset, postulauit à frequentantibus se fratribus pelliculam vituli, eamque in illo angulo, quo & ipse & prædecessor eius Cuthbertus, sæpiùs orans stare vel genu flectere solebat, clauis affixam, violentijs procellarum opposuit. At postquàm ipse quoque, expletis ibì duodecim continuis annis, gaudium supernæ beatitudinis intrauit, ac tertius locum eundem Felgildus incolere cœpit, placuit reuerentissimo Lindisfarnensis ecclesiæ pontifici Eadfrido, dissolutum vetustate oratorium illud à fundamentis restaurare. Quod dum esset opus expletum, & multi deuota religione à beato Christi athleta Felgildo postularent, quatenùs aliquam illis particulam de reliquijs sancti ac Deo dilecti patris Cuthberti, siue successoris eius Ediluualdi dare debuisset, visum est illi, diuisam particulatim memoratam pelliculam petentibus dandam: sed daturus eam alijs, priùs in se ipse, quid hæc virtutis haberet, expertus est. Habebat nanque vultum deformi rubore simul & tumore perfusum, cuius quidem futuri in eo languoris & priùs, cùm adhuc communi inter fratres vita degeret, adspicientibus in facie eius signa patebant. At cùm in solitudine remotus, minorem corpori cultum, maiorem adhiberet continentiam, & quasi diutino carcere inclusus, rariùs vel fotu solis, vel aëris vteretur afflatu, excreuit languor in maius, faciemque totam tumenti ardore repleuit. Timens ergò, nè fortè magnitudine huiusmodi infirmitatis solitariam deserere vitam, & communem necesse esset conuersationem repetere, fideli vsus est præsumptione, sperauitque se illorum ope curandum, quorum se mansionem tenere & vitam gaudebat imitari. Mittens enim præfatæ partem

[Margin: Ediluualdus successor S. Cuthberti in insula solitaria.]

[Margin: Item Felgildus.]

tem pelliculæ in aquam, ipsa aqua lauit faciem suam: statimque tumor omnis, qui hanc obsederat, & scabies fœda recessit, iuxta quod mihi & primò religiosus quidam presbyter huius monasterij Gyruensis indicauit, qui se vultum illius & priùs tumentem ac deformem nôsse, & posteà mundatum per fenestram manu palpâsse referebat: & ipse postmodùm Felgildus retulit, adstruens quia res ità, vt presbyter narrauerat, esset expleta, & quòd ex eo tempore, cùm inclusus per multa annorum curricula maneret, vt priùs, immunem ab huiusmodi molestia vultum semper haberet, agente gratia Dei omnipotentis, quæ & in præsenti multos, & in futuro cordis & corporis nostri languores sanare consueuit, satiansque in bonis desiderium nostrum, sua nos in misericordia & miseratione coronat in secula seculorum, Amen. Hactenùs vita S. Cuthberti, authore Beda venerabili. At longo pòst tempore scripsit quidam satis grauiter, sancti eiusdem corpus etiam, post annos quadringentos & decem & octo æquè incorruptum fuisse repertum. Mirabilis Deus in sanctis suis, apud quem etiam non est impossibile omne verbum. Immò nostra ætate, vt Alani Copi Dialogo tertio habetur, huius beatissimi Cuthberti in Anglia corpus integrum repertum, vir quidam magnæ doctrinæ & venerandæ grauitatis ex illius testimonio indicauit, qui beatas Cuthberti reliquias ipse fide dignus conspexerat. De eodem sanctissimo Episcopo vide eundem Beda lib. 4. Hist. Ecclesiast. gentis Anglorum, cap. 27. &c.

Insigne miraculum.

Luc. 1.

VITA S. BENEDICTI ABBATIS PRAESTANTISSIMI, AB SANCTISSIMO PONTIFICE ROMANO *Gregorio conscipta. lib. 2. Dialogi.*



Vit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Aetatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè adhuc vti potuisset, despexit iam quasi aridum, mũdum cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Nursiæ exortus, Romæ liberalibus studijs traditus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedẽ: nè, si quid de scientia eius attingeret, ipse quoquè in immane præcipitiũ totus iret. Despectis itaque literarum studijs, relicta domo rebusq; patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quęsiuit. Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus. Huius ego omnia gesta non didici: sed pauca, quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus, agnoui: Cõstantino scilicet, reuerentissimo valdè viro, qui ei in monasterij regimine successit: Valentiniano quoq;, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit: Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua priùs conuersatus fuerat, præest.

21. Martii. Cap. 1.

Eius patria.

Monasterium Lateranense.

Hic itaque cùm iam, relictis literarum studijs, petere deserta decreuisset, nutrix, quæ hunc arctiùs amabat, sola secuta est. Cumque ad locum venissent, qui Effide dicitur, multisque honestioribus viris pro charitate se illic detinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur, prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt: quod super mensam incautè derelictum, casu accidente fractum est, sic vt in duabus partibus inueniretur diuisum. Quod mox rediens nutrix illius, vt ità inuenit, vehementissimè flere cœpit: quia vas quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus & pius puer, cùm nutricem suam flere conspiceret: eius dolori compassus, ablatis secum vtrisque fracti capisterij partibus, sese cum lachrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens, ità iuxta se vas sanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla vestigia potuissent, moxque nutricem suam blandè consolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipsum capisterium eius loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspenderent, quatenùs & præsentes & secuturi omnes agnoscerent, Benedictus puer conuersationis gratiam à quanta perfe-

Benedictus puer fractum capisterium, oratione integrum restituit.

perfectione cœpisset. Quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vsque ad hæc Longobardorum tempora super fores Ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes: & pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli: nutricem suã occultè fugiens, deserti loci secessum petiit, cui Sublacus vocabulum est: qui ab Romana vrbe quadraginta ferè millibus distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenso priùs lacu colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam, Romanus nomine, hunc euntem reperit: quò tenderet, requisiuit. Cuius cùm desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eique sanctæ conuersationis habitum tradidit, & inquantùm licuit, ministrauit. Vir autẽ Dei ad eundem locum perueniens, in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, ominibus hominibus ibi incognitus mansit. Qui videlicet Romanus non longè in monasterio sub Theodati patris regula degebat: sed piè eiusdem patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem verò specum à Romani cella iter non erat, quia excelsa desupèr rupes eminebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatũ Romanus deponere panẽ consueuerat: in qua etiam resti paruũ tintinnabulũ inseruit: vt ad eius sonũ vir Dei cognosceret, quandò sibi Romanus panem præberet, quem exiens acciperet. Sed antiquus hostis vnius charitati inuidens, alterius refectioni: cùm quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit. Romanus tamen horis congruentibus ministrare non desiit. Cùm verò iam Deus omnipotens & Romanum vellet à labore quiescere, & Benedicti vitam in exemplum hominibus demonstrare, vt posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenùs omnibus, qui in domo Dei sunt, luceret: cuidam presbytero lõgiùs manenti, qui refectionem sibi in paschali festiuitate parauerat, per visum Dominus apparére dignatus est, dicens: Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinùs surrexit, atque in ipsa solennitate paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per defossa terrarum quæsiuit, cumque latére in specu reperit. Cumque oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia is, qui aduenerat, presbyter dixit: Surge, sumamus cibum: quia hodiè pascha est. Cui vir Dei respondit, dicens: Scio, quia pascha est: quia hodiè videre te merui. Longè quippe ab hominibus positus, quia die eodem paschalis solennitas esset, ignorabat. Venerabilis autẽ presbyter rursùs asseruit, dicẽs: Veraciter hodiè resurrectionis Dominicæ paschalis dies est: abstinere tibi minimè congruit: quia & ego ad hoc missus sum, vt omnipotentis Dei dona pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum, sumpserunt cibum. expleta itaque refectionẽ & colloquio, ad ecclesiam suam presbyter recessit. Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt: quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt: sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis, Factumque est, vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset: qui cùm ei cibum afferrẽt corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ.

Induit habitũ monasticum. *Paschalis solénitas.* *Presbyter adfert cibũ S. Benedicto.* *Inuenitur in specu à pastoribus*

Cap. 2. Quadam verò die dum solus esset, tentator affuit. Nam nigra paruaque auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusq; vultui importunè insistere, ità vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset: sed signo crucis edito, recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eadem recedente, secuta est, quantam vir sanctus nunquàm fuerat expertus. Quandam nanq; aliquandò fœminam viderat, quã malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit: tantoque igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flãma vim caperet, etiam penè deserere eremum, voluptate victus, deliberaret. Tunc subitò superna gratia respectus, ad semetipsum reuersus est: atque vrticarum & veprium iuxtà densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis & vrticarum incendiis proiecit: ibique diù volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque bene pœnaliter foris arderet, extinxit quod intùs illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut pòst discipulis ipse perhibebat, ità in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperunt

Tentatio carnis vehemens. *Fortiter superatur.*

perunt postmodùm multi iam mũdum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum magister. Vndè & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à vigintiquinque annis & suprà, ministrare debeant: ab anno verò quinquagesimo, custodes vasorum fiant.

Num. 8.

Petrus: Iam quidem prolati testimonij mihi aliquantum intellectus interlucet: sed tamen hoc pleniùs exponi postulo.

Gregorius: Liquet, Petre, quòd in iuuentute carnis tentatio ferueat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat. Vasa autem sacra, sunt fidelium mentes. Electi ergo cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac seruire necessè est, & obsequijs laboribusq; fatigari. Cùm verò iam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt: quia doctores animarum fiunt.

Petrus: Fateor, placet, quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reserâsti, quæso, vt de vita iusti debeas ea, quæ sunt inchoata, percurrere.

Cap. 3.

Gregorius: Recedente igitur tentatione, vir Dei quasi spinis erutis, exculta terra, de virtutum segete feraciùs fructus dedit. Præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. Non autem longè monasterium fuit, cuius cõgregationis pater defunctus est: omnisq; ex illo congregatio ad eũdem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus, vt eis præesse deberet, petijt. Qui diù negando, distulit: suis illorumq; fratrum moribus se conuenire non posse prædixit: sed victus quandoq; precibus assensum dedit. Cumq; in eodem monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nullique, vt priùs, per actus illicitos in dexteram læuamque partem deflectere à conuersationis itinere liceret: suscepti fratres insanè sæuientes, semetipsos priùs accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerãt, quorum scilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerent adsueta relinquere, durumque esset, quòd in mente veteri cogebantur noua meditari: & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorũ, tractare de eius morte aliqui conati sunt: qui inito consilio, venenum vino miscuerunt. Et cùm vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum crucis edidit, & vas, quod longiùs tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, àc si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinùs vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque ilicò surgens, vultu placido, mente tranquillà, conuocatos fratres alloquutus est, dicens: Misereatur vestrî, fratres, omnipotẽs Deus: quarè in me ista facere voluistis? Nunquid non priùs dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minimè conueniret? Ite, & iuxta vestros mores patrem vobis quærite: quia posthàc me habere minimè potestis. Tuncq; ad locum dilectæ solitudinis redijt, & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.

Dissoluti fratres non ferũt sancti viri rectitudinem.

Benedictus, signo crucis edito, vas, in quo veneno inerat, perfregit.

Petrus: Minùs patenter intelligo, quidnam sit, Habitauit secum.

Gregorius: Si sanctus vir contra se vnanimiter conspirantes, suæque conuersationi longè dissimiles, coactos diù sub se tenere voluisset: fortasse sui vigoris vsum & modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinâsset. Dumque quotidiè illorum correptione fatigatus, minùs curaret sua, & se forsitan relinqueret, & illos non inueniret. Nam quotiès per cogitationis motum, nimiùm extra nos ducimur: & nos sumus, & nobiscum non sumus: quia nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur. An illũ secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abijt: portionem, quam acceperat, consumpsit: vni in ea ciuium adhæsit, porcos pauit, quos & manducare videret siliquas, & esuriret? qui tamen cùm postmodùm cœpit cogitare bona, quæ perdidit, scriptum de illo est: In se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Si igitur secum fuit, vndè ad se redijt? Hunc ergo venerabilem virum secum habitâsse dixerim: quia in sua semper custodia circunspectus, ante oculos conditoris se semper adspiciẽs, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.

Luc. 15.

Petrus: Quid ergò, quod de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab angelo eductus fuisset: Qui ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus angelũ suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum?

Actor. 12.

Gregorius: Duobus modis, Petre, extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque, qui porcos pauit, vagatione mentis & immũditia sub semetipsum

Duobus modis extra nos ducimur.

cecidit: Iste verò, quem angelus soluit, eius mẽtem in ecstasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Vterque ergò ad se redijt: quandò & ille ab errore operis se collegit ad cor: & iste à contẽplationis culmine ad hoc redijt, quod in intellectu communi vt priùs fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitabat secum, inquantùm se intra cogitationis claustra custodiuit. nam quotiescunquè hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se proculdubiò sub se reliquit.

Petrus: Placet quod dicis, sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semèl suscepit?

Ministeriū susceptum num liceat deserere. Gregorius: Vt ego Petre existimo, ibì adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni. Nam vbì omnimodò de bonis fructus deest, fit aliquandò de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque sanctus propter quem custodiendũ staret, qui omnes vnanimiter se persequentes cerneret? Et sæpè agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est: quia cùm laborem suum sine fructu esse consi- Philip. 1. derent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vndè ille quoq; egregius prædicator, qui dissolui cupit, & cum Christo esse, cui viuere Christus est, & mori lucrum: qui passionum certamina non solùm ipse appetijt, sed ad toleranda hæc & alios accen- Actor. 9. 2. Cor. 11. dit: Damasci persecutionem passus, vt posset euadere, murum, funem, sportamq; quæsiuit, seque latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cùm in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & grauem laborem, ad laborem se alibì cum fructu seruauit. Fortis etenim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Vndè idem quoquè venerabilis Benedictus, si libenter audis, citiùs agnoscis, quia non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis alijs à morte animæ suscitauit.

Petrus: Ità esse vt doces, & manifesta ratio, & prolatum congruum testimoniũ declarat. Sed quæso, vt de vita tanti patris ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius: Cùm sanctus vir diù in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium cõgregati: ità vt il- S. Benedictus 12. monasteria extruit. lic duodecim monasteria cum omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret: in quibus statutis patribus duodenos monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptiùs erudiri iudicauit. Cœpêre etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosq; ei filios omnipotẽti Deo nutriẽdos dare. Tunc quoq; bonæ spei suas soboles, Eutychius Maurum, Tertullius verò patritius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior, cùm bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere: Placidus vero puerilis adhuc indolis gerebat annos.

Cap. 4. In vno autem ex eis monasterijs, quæ circunquaq; construxerat, quidam monachus erat, qui ad orationem stare non poterat: sed mox vt se fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egrediebatur foràs, & mẽte vaga, terrena aliqua & transitoria agebat. Cumque ab Abbate suo sæpiùs fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est: qui ipse quoquè stultitiam eius vehemẽter increpauit, & ad monasterium reuersus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad vsum proprium reuersus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cùm seruo Dei ab eodem monasterij patre, quem constituerat, nunciatum fuisset, dixit: Ego venio, eumque per memetipsum emendo.

Diabolus monachum ab oratione abstrahit. Cumque vir Dei venisset ad idem monasterium, & constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent, adspexit, quòd eundem monachum, qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbrias foràs traheret. Tunc eidem patri monasterij, Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo secretè dixit: Nunquid non adspicitis, quis est, qui istum monachum foràs trahit? Qui respondentes, dixerunt: Non. Quibus ait: Oremus, vt vos etiam videatis, quem iste monachus sequi- Castigatus virga monachus, manet constans. tur. Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompeianus verò eiusdem monasterij pater, videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione, vir Dei oratorium egressus, stantem foris monachũ reperit, quem pro cæcitate cordis sui virga percussit: qui ex illo die nil persuasionis vlteriùs à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicque antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, àc si ipse percussus fuisset ex verbere.

Cap. 5. Ex his autem monasterijs, quæ in eodem loco construxerat, tria sursùm in rupibus montis erant: & valdè erat fratribus laboriosum, quòd semper ad lacum oportebat descendere, vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo montis latere erat

graue

graue descendētibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasterijs, ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes: Laboriosum nobis est propter aquam quotidiè vsq; ad lacum descendere, & idcircò necesse est ex eodem loco monasteria mutari. Quos blandè consolans, dimisit: & nocte eadem cum paruo puerulo, nomine Placido, cuius superiùs memoriam feci, eiusdem montis rupem ascēdit, ibiq; diutiùs orauit. Et oratione completa, tres petras in loco eodē pro signo posuit, atq; ad suum, cunctis illis nescientibus, monasterium redijt. Cumq; die alia ad eum pro necessitate aquæ prædicti fratres redijssent, dixit: Ite, & rupē illam, in qua tres super inuicèm positas petras inueneritis, in modico cauate: valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes, rupem montis, quam Benedictus prædixerat, iam sudātem inuenerunt. Cumque in ea concauum locum fecissent, statìm aqua repletus est: quę tam sufficienter emanauit, vt nuncusquè vbertìm defluat, atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur. Precibus è rupe fontē elicit.

Alio quoq; tempore Gotthus quidam pauper spiritu, ad conuersionē venit: quem Dei vir Benedictus libentissimè suscepit. Quadam verò die ei dare ferramentum iussit, quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur, vt de loco quodam vepres abscinderet, quatenùs illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse, quem mundandum Gotthus susceperat, super ipsam laci ripam iacebat. Cumq; Gotthus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens, in lacum cecidit: Vbì scilicet tanta erat aquarum profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gotthus: damnū quod fecerat, nunciauit, & reatûs sui pœnitentiam egit. Quod Maurus quoquè monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiēs, accessit ad lacum: tulit de manu Gotthi manubrium, & misit in lacum: & mox ferrum à profundo redijt, atque in manubrium intrauit. Qui statìm ferramētum Gottho reddidit, dicens: Eccè labora, & noli contristari. Cap. 6. Insigne miraculum.

Quadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, prædictus Placidus puer, sancti viri monachus, ad hauriēdam de lacu aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoquè cadēdo sequutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius sagittæ cursum, eum à terra introrsùs traxit. Vir autē Dei intra cellam positus, hoc protinùs agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iamque eum longiùs vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolū inusitata. Benedictione etenim postulata atque percepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus, atque vsque ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, cursu rapido redijt. Qui mox vt terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset, agnouit: & quod præsumere non potuisset vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaque ad patrem, rem gestam retulit. Vir autē venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cœpit. At contrà Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seque conscium in illa virtute nō esse, quam nescius fecisset. Sed in hac humilitatis mutua & amica contentione accessit arbiter puer, qui ereptus est. nanque dicebat: Ego cùm ex aqua traherer, super caput meum melotem Abbatis videbam, atque ipsum me ex aquis educere considerabam. Cap. 7. Maurus currit super aquas.

Petrus: Magna sunt valdè, quæ narras, & multorum ædificationi profutura: ego autem boni viri miracula quo plùs bibo, eo plùs sitio.

Gregorius: Cùm iam loca eadem in amorem Domini nostri Iesu Christi, longè lateq; feruescerent, & secularem vitam multi relinquerent, & sub leui redemptoris iugo ceruicem cordis edomarēt: sicut mos prauorum est, inuidere alijs virtutis bonū, quod ipsi habere non appetunt: vicinæ ecclesiæ presbyter, Florentius nomine, huius nostri subdiaconi Florētij auus, antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studijs cœpit æmulari, eiusq; cōuersationi derogare, quosq; etiam posset, ab illius visitatione compescere. Cumq; iam se conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris ipso quoquè opinionis eius præconio indesinenter vocari: inuidiæ facibus magìs magisque succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cæcatus, ad hoc vsque perductus est, Cap. 8. Florentius presbyter necem machinatur sancto viro.

vt seruo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicina sylua coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cùm more solito venisset, panem, quem presbyter transmiserat, vir Dei ante coruum proiecit, eiq; præcepit, dicens: In nomine Iesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, & tali eum in loco proijce, vbi à nullo hominum possit inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis, circa eundem panē cœpit discurrere, crocitare, ac si apertè diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat, iterùm atque iterùm dicēs: Leua leua securus, atque ibi proijce, vbi inueniri non possit. Quem diù demoratus, quandoq; coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium verò horarū spatium, abiecto pane, redijt, & de manu hominis Dei annonam, quam consueuerat, accepit. Venerabilis autem pater contra vitam suam inardescere sacerdotis animum videns, illi magìs quàm sibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accēdit: ità vt in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret: quæ coram eis sibi inuicèm manus tendentes, & diutiùs ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsusq; adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idq; pro sua solius persecutione fieri pertractans: inuidiæ locum dedit, atq; oratoria & cuncta quæ construxerat, sub statutis præpositis adiunctisque fratribus ordinauit, & paucis secum monachis ablatis, habitationem mutauit loci. Moxq; vt vir Dei eius odia humiliter declinauit, hunc omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cùm prædictus presbyter, stans in solario, Benedictum discessisse cognosceret & exultaret, perdurante immobiliter tota domûs fabrica, hocipsum tantùm, in quo stabat, solarium cecidit, & Benedicti hostem cōterens extinxit. Quod viri Dei discipulus, Maurus nomine, statìm venerabili patri Benedicto, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus aberat, æstimauit esse nunciādum, dicens: Reuertere, quia presbyter, qui te persequebatur, extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiēs, sese in grauibus lamentis dedit: vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est, vt eidem quoquè discipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

Nititur perdere animas discipulorū S. Benedicti

Percutitur à Deo.

Petrus: Mira sunt & multùm stupenda, quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta, Moysen: in ferro verò, quod ex profundo aquæ redijt, Elisæum: in aquæ itinere, Petrum: in corui obedientia, Eliam: in luctu autem mortis inimici, Dauid video, & perpendo quia vir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit.

Exod.17. 4.Reg.6. Matth.14. 3.Reg.17. 2.Reg.1.

Gregorius: Vir Domini Benedictus, Petre, vnius Dei spiritū habuit, qui per cōcessæ redemptionis gratiam, electorum corda omnium impleuit, de quo Iohānes dicit: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum. De quo rursùs scriptum est: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Nam sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, nō etiam alijs tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Ionæ promisit inimicis, vt coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgere: quatenùs & illi viderent, quod contemnerent, & isti, quod venerātes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, vt dum superbi adspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

Iohān.1. Ibidem. Matth.12.

Petrus: Quæso te, post hæc ad quæ loca vir sanctus migrauerit, vel si aliquas in eis virtutes postmodùm ostenderit, innotesce.

Innotesce, actiuè dicit.

Gregorius: Sanctus vir ad alia demigrans, locum, non hostem mutauit. Nam tanto pòst grauiora prælia pertulit, quanto contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ magistrum inuenit. Castrum nanque, quod Cassinum dicitur, in excelsi montis latere situm est: qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se subrigens, velut ad aëra cacumen tendit. Vbi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium, à stulto rusticorū populo Apollo colebatur. Circunquaquè etiam in cultu dæmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perueniens, contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum B. Martini: vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculū S. Iohannis construxit, & commorantem circunquaquè multitudinem, prædicatione continua ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè vel per somniū,

Castrū Cassinense.

Arā Apollinis euertit.

sed

ſed aperta viſione eiuſdẽ patris oculis ſeſe ingerebat, & magnis clamoribus vim ſe perpeti cõquerebatur: ità vt voces illius etiã fratres audirẽt, quanuìs imaginẽ minimè cernerent. Vt enim diſcipulis ſuis venerabilis pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hoſtis teterrimus & ſuccenſus apparebat, qui in eum ore oculiſq; flammantibus ſæuire videbatur. Iam verò quæ diceret, audiebant omnes. Priùs enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm vir Dei minimè reſponderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cùm clamaret dicens, Benedicte Benedicte: & eum ſibi nullo modo reſpondere conſpiceret, protinùs adiungebat: Maledicte, maledicte, & non Benedicte, quid mecum habes? quid me perſequeris? Sed iam nunc expectanda ſunt contra Dei famulum antiqui hoſtis noua certamina: cui pugnam quidem volens intulit, ſed occaſiones victoriæ miniſtrauit inuitus. Fremit in eũ ſatanas.

Quadam die dum fratres habitacula eiuſdem cellæ conſtruerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumque eum duo vel tres mouere non poſſent, plures adiũcti ſunt: ſed ità immobilis manſit, àc ſi radicitùs in terra teneretur: vt palàm daretur intelligi, quòd ſuper eum ipſe per ſe antiquus hoſtis ſederet, quẽ tantorum virorum manus mouere non poſſent. Difficultate igitur facta, ad virũ Dei miſſum eſt, vt veniret, & orando hoſtem repelleret, vt lapidem leuare poſſent. Qui mox venit, & orationem faciens, benedictionem dedit: & tanta lapis celeritate leuatus eſt, àc ſi nullum priùs pondus habuiſſet. Cap. 9.

Tunc in conſpectu viri Dei placuit, vt in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altiùs penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horã caſu in coquinam proiecto, exire ignis repentè viſus eſt, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiuſdem coquinæ ædificium conſumeretur, oſtendit. Cumque iaciendo fratres aquam ad ignem quaſi extinguendo perſtreperẽt, pulſatus eodem tumultu vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum eſſe, in ſuis verò non eſſe conſiderans, caput protinùs in orationem flexit, & eos, quos phantaſtico reperit igne deludi, vocauit fratres, monuit vt oculos ſuos ſignarent, vt & ſanũ illud coquinæ ædificium aſſiſtere cernerent, & flammas, quas antiquus hoſtis finxerat, non viderent. Cap. 10. Præſtigiæ dæmonum.

Rursùs dum fratres parietem, quia res ità exigebat, paulò altiùs erigerent, vir Dei in orationis ſtudio intra cellæ ſuç clauſtra morabatur. Cui antiquus hoſtis inſultans apparuit, & ei, quòd ad laborãtes fratres pergeret, indicauit. Quod vir Dei per nunciũ celerrimè fratribus indicauit, dicẽs: Fratres, cautè vos agite: quia ad vos hac hora malignus ſpiritus venit. Is qui mandatũ detulit, vix verba compleuerat, & malignus ſpiritus eundem parietẽ, qui ædificabatur, euertit, atq; vnum puerulum monachũ, cuiuſdam curialis filium, opprimens ruina contriuit. Contriſtati omnes ac vehementer afflicti, non damno parietis, ſed contritione fratris, venerabili patri Benedicto celeriter cum graui luctu nunciârunt. Tunc idem pater Benedictus dilaceratũ puerum ad ſe deferri iubet. Quem portare non niſi in ſago potuerunt: quia collapſi ſaxa parietis, non ſolùm eius membra, ſed etiã oſſa cõtriuerant. Præcepitq; vir Dei ſtatìm eũ in cella ſua in pſiatho, quod vulgò matta vocatur, quo orare cõſueuerat, proijci: miſſiſq; foràs fratribus, cellã clauſit: qui orationi inſtantiùs, quàm ſolebat, incubuit. Mira res, eadẽ hora hunc incolumem, atq; vt priùs valentẽ, ad eundẽ iterùm laborem miſit, vt ipſe quoq; parietẽ cum fratribus perficeret, de cuius ſe interitu antiquus hoſtis Benedicto inſultare crediſſet. Cap. 11. Dæmõ euertens murũ, opprimit puerum. Eum S. Benedictus excitat.

Cœpit verò inter iſta vir Dei prophetiæ etiã ſpiritu pollere, ventura prædicere, præſentibus etiam abſentia nunciare. Mos etenim cellæ fuit, vt quotiès ad reſponſum aliquod egrederentur fratres, cibum potumq; extra cellam minimè ſumerent. Cumque hoc de vſu regulæ ſolicitè ſeruaretur, quadam die ad reſponſum fratres egreſſi ſunt, & in eo tardiori compulſi ſunt hora demorari. Qui manere iuxtà religioſam fœminã nouerant, cuius ingreſſi habitaculum, ſumpſerunt cibum. Cumq; iam tardiùs ad cellam rediјſſent, benedictionem patris ex more petiêrunt. Quos ille protinùs percõtatus eſt, dicens: Vbì comediſtis? Qui reſponderunt: Nuſquàm. Quibus ille ait: Quarè ità mentimini? Nunquid illius talis fœminæ habitaculum non intrâſtis? Nunquid hos atq; illos cibos non accepiſtis? Nunquid tot calices non bibiſtis? Cumque eis venerabilis pater & hoſpitium mulieris, & genera ciborum, & numerum potionum diceret, cognoſcentes cuncta, quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & ſe deliquiſſe confeſſi ſunt. Ipſe autem protinùs culpæ pepercit, perpendens quòd in eius abſentia vltrà non facerent, quem præſentem ſibi eſſe in ſpiritu ſcirent. Cap. 12. Abſens, in ſpiritu vidit, quid fratres agerent.

Frater quoque Valentiniani, eius monachi, cuius ſuperiùs memoriam feci, vir erat Cap. 13.

 laicus,

laicus, sed religiosus. Qui vt serui Dei orationē perciperet, & germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam eius ieiunus venire cōsueuerat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adiunxit, qui sumēdos cibos in itinere portabat. Cumq; iam hora tardior excreuisset, dixit: Veni frater, sumamus cibum, nè lassemur in via. Cui ille respondit: Absit frater, hoc nō faciam: quia ad venerabilem patrem Benedictum ieiunus semper peruenire consueui. Quo responso percepto, ad horam conuiator tacuit. Sed cùm post hoc aliquantulū itineris spatiū egissent, rursùs admonuit, vt manducarent. Noluit consentire, qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidem, qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum consensit. Cumq; iter longiùs agerēt, & eos tardior hora fatigaret ambulantes, inuenerunt in itinere pratum & fontem, & quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conuiator ait: Ecce aquam, ecce pratum, ecce amœnus locus, in quo possumus refici & parùm quiescere, vt valeamus iter nostrū postmodùm incolumes explere. Cùm igitur & verba auribus, & loca oculis blandirētur, tertia admonitione persuasus, consensit & comedit: vespertina verò hora peruenit ad cellā.

Obijcitcuidam, quod absens commiserat. Præsentatus aūt venerabili Benedicto patri, sibi orationē petijt: sed mox ei vir sanctus hoc, quod in via egerat, improperauit, dicēs: Quid est, frater, quòd malignus hostis, qui tibi per conuiatorem tuum locutus est, semèl tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, & te ad hoc quod voluit, superauit? Tunc ille reatū infirmę suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus, tanto magìs cœpit culpam deflere & erubescere, quanto se cognouit etiam absentem in Benedicti patris oculis deliquisse.

4. Reg. 5. Petrus: Ego sancti viri præcordijs Elisæi spiritum video inesse, qui absenti discipulo præsens extitit.

Cap. 14. Gregorius: Oportet, Petre, vt interìm sileas, quatenùs adhuc maiora cognoscas: Gotthorum nanque temporibus, cùm rex eorum Totila sanctū virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad eius monasterium pergens, paulò longiùs substitit, eique se venturum esse nunciauit. Cui dum protinùs mandatū de monasterio fuisset vt veniret, ipse, sicut perfidæ mētis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò eius spatharius Riggo dicebatur, cui calceamēta sua præbuit, eumq; indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhærere consueuerāt, comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum regē Totilam esse simulantes, eius lateri obambularēt: cui alia quoquè obsequia, alios spatharios præbuit, vt tam ex eisdem obsequijs, quàm ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus, obsequētum frequentia comitatus, monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminùs sedebat. Quem venientem cōspiciens, cùm iam ab eo audiri potuisset, clamauit, dicens: Pone fili, pone: hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinùs in terram cecidit, & quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ cōsternati sunt. Surgentes autem, ad eum minimè propinquare præsumpserunt: sed ad suum regē reuersi, nunciauerunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi.

Totilæ regis versutia à S. Benedicto retegitur.

Cap. 15. En barbari regis erga sanctū virū reuerentia. Tunc per se idem Totila ad Dei hominē accessit: quē cùm longè sedentē cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret, Surge; sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet: Benedictus Christi Iesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regē, prostratumq; de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atq; in paucis sermonibus cuncta, quæ illi erant ventura, prænunciauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti: iam aliquandò ab iniquitate conquiesce: Equidē Romam ingressurus es, mare transiturus, nouē annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis, rex vehementer territus, oratione petita recessit: atque ex illo iam tempore minùs crudelis fuit, & nō multò pòst Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autē regni sui decimo, omnipotentis Dei iudicio regnū cum vita perdidit. Præterea

Episcopus Canusinus. Canusinæ antistes ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire cōsueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc regem ciuitas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terræmotu fatigata, marcescet in semetipsa. Cuius ꝓphetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, q in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domus, destructas ecclesias turbine cernimus, eiusq; ædifi-

S. Benedicti vaticinium de Roma.

ædificia, longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternātur videmus, quamuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquàm ex ore illius audisse se perhibet: sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Eodem quoque tempore quidā Aquinensis ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Cōstantio, eiusdem ecclesiæ antistite, per multa fuerat martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia, demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum: qui Iesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinùs expulit. Cui sanato præcepit, dicens: Vade, & posthàc carnem non comedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas: quacunque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discessit igitur clericus sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea, quæ vir Dei præceperat, interim custodiuit. Cùm verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrâssent, & minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is, qui reliquerat, diabolus tenuit, eumque vexare, quousquè animam eius excuteret, non cessauit. Cap.16. Curat dæmoniacum. Vide vltionem Dei.

Petrus: Iste vir Dei diuinitatis, vt video, etiā secreta penetrauit: quia perspexit hunc clericum idcircò diabolo traditum, nè ad sacrum ordinem auderet accedere.

Gregorius: Quarè diuinitatis secreta non nôsset, qui diuinitatis præcepta seruaret, cùm scriptum sit: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo? 1.Cor.6.

Petrus: Si vnus fit cum Domino spiritus, qui Domino adhæret, quid est, quòd iterùm idem egregius prædicator dicit: Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Valdè enim esse inconueniens videtur, eius sensum, cum quo vnum factus fuerit, ignorare. Rom.11.

Gregorius: Sancti viri, inquantùm cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque Apostolus dicit: Quis enim scit hominum, quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ità & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. qui vt se ostenderet nôsse, quæ Dei sunt, adiunxit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est. Hinc iterùm dicit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: nobis autem reuelauit per spiritum suum. 1.Cor.2. Ibidem.

Petrus: Si ergo eidem Apostolo ea, quæ Dei sunt, per Dei spiritū sunt reuelata, quomodò super hoc, quod proposuit, præmisit, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incompræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Sed rursùm mihi hæc dicenti, alia suboritur quæstio. Nam Dauid propheta Domino loquitur, dicens: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Et cùm minus sit nôsse, quàm etiā pronunciare, quid est, quòd Paulus incompræhensibilia esse Dei iudicia asserit: Dauid autem se omnia non solùm nôsse, sed etiam in labijs pronunciâsse testatur? Rom.11. Psal.118.

Gregorius: Ad vtraque hæc tibi superiùs sub breuitate respondi, dicens, quòd sancti viri, inquantùm cum Domino vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim, qui deuotè Dominum sequuntur, etiam deuotione cum Deo sunt, & adhuc carnis corruptibilis grauati pondere, cum Deo non sunt: occultaque Dei iudicia, inquantùm coniuncti sunt, sciunt: inquantùm disiuncti sunt, nesciunt: quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incompræhensibilia eius iudicia esse testantur. Qui verò mente ei inhærent, atque inhærendo vel sacris scripturæ eloquijs, vel occultis reuelationibus, inquantùm accipiunt, cognoscunt: hæc & nouerunt, & pronunciant. Iudicia enim, quæ Deus tacet, nesciunt: quæ Deus loquitur, sciunt. Vndè & Dauid propheta, cùm dixisset: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia: protinùs addidit, Oris tui: àc si apertè dicat: Illa ego iudicia & nôsse & pronūciâsse potui, quæ te dixisse cognoui. Nam ea, quæ ipse non loqueris, à nostra proculdubiò cognitione abscondis. Concordat ergò prophetia Apostolicaque sententia: quia & incompræhensibilia sunt Dei iudicia: & tamen quæ de ore eius prolata fuerint, humanis labijs pronunciantur: quoniam sciri ab hominibus & prolata per Deum possunt, & occulta non possunt. Iudicia Dei occulta vt sciāt sancti, itemque nesciant, dum sunt in terris.

Petrus: In obiectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis. Sed quæso te, si qua sunt adhuc de viri huius virtute, subiunge.

Gregorius: Vir quidam nobilis, Theoprobus nomine, eiusdem Benedicti patris fuerat admonitione conuersus: qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis Cap.17.

tatis

tatis fiduciam habebat. Hic cùm quadam die eius cellam esset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumque diù subsisteret, eiusque non finiri lachrymas videret, nec tamen, vt vir Dei consueuerat, orando plangeret, sed mœrendo, quænam causa tanti luctûs existeret, inquisiuit. Cui vir Dei ilicò respondit : Omne hoc monasterium, quod

Prædicit excidium cœnobij sui.

construxi, & cuncta, quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus, qui destructum modò à Longobardorum gente eius monasterium scimus. Nocturno enim tempore, quiescentibus fratribus, nupèr illic Longobardi ingressi sunt : qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem illic tenere potuerunt : sed impleuit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiserat, vt si res gentibus traderet, animas custodiret. Qua in re

Act.19.

Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cuius dum nauis rerũ omnium iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit.

Cap.18.

Quodam quoquè tempore Exhilaratus noster, quem ipse cõuersum nôsti, transmissus à domino suo fuerat, vt Dei viro in monasteriũ vino plena duo lignea vascula, quæ vulgo flascones vocantur, deferret : qui vnum detulit, alterum vero pergens, in itinere

Furtum videt in spiritu.

abscondit. Vir autem Domini, quem facta absentia latére non poterant, vnum cum gratiarum actione suscepit, & discedentem puerum monuit, dicens: Vide fili, nè de illo flascone, quem abscondisti, bibas: sed inclina illum cautè, & inuenies, quid intùs habet. Qui confusus valdè, à Dei homine exiuit. Et reuersus, volens adhuc probare, quod audierat, cùm flasconem inclinâsset, de eo protinùs serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer per hoc, quod in vino reperit, expauit malum quod fecit.

Cap.19.

Non longè autem à monasterio vicus erat, in quo nõ minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu, Benedicti fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoquè quædam sanctimoniales fœminæ inerant, & crebrò istuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam verò die misit ex more: sed is, qui missus fuerat, monachus, post admonitionem factam, à sanctimonialibus fœ-

Cernit absens mappulas dari monacho.

minis rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine cœpit increpare, dicens : Quomodò ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vndè corripiebatur ignorabat. Cui ait : Nunquìd ego illic præsens non eram, quandò ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti? Qui mox eius vestigijs prouolutus, stultè se egisse pœnituit, & eas, quas in sinu absconderat, mappulas abiecit.

Cap.20.

Quadam quoquè die, dum venerabilis pater vespertina iam hora corporis alimenta perciperet, eius monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernæ ministerio adstaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum

Occultas videt monachi cogitationes.

ego, vt isti inseruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens : Signa cor tuum frater. Quid est, quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque statìm fratribus, precepit ei lucernam de manibus tolli : ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quòd venerabilem Benedictum latére nil posset, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent.

Cap.21.

Alio quoquè tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque in Benedicti monasterio triticum deerat. Panes verò penè omnes consumpti fuerant, vt non plusquàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursùm promissione subleuare, dicens : Quarè de panis inopia vester animus contrista-

Farina diuinitùs allata.

tur? Hodiè quidem minùs est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia nec in egestate dubitare.

Petrus : Dic, quæso te : nunquìd non credendum est, huic Dei famulo semper prophetiæ

phetiæ spiritum adesse potuisse, an per interualla temporum eius mentem prophetiæ spiritus implebat?

Gregorius: Prophetiæ spiritus, Petre, prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de sancto spiritu scriptū est, Vbi vult spirat: ità sciendū est, quia & quandò vult adspirat. Hinc est enim, quòd Nathan à rege requisitus, si construere templum posset, prius consensit, & postmodùm prohibuit. Hinc est, quòd Elisæus cùm flentem mulierem cerneret, causámque nesciisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & nō indicauit mihi. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit: quia dum prophetiæ spiritum aliquandò dat, & aliquandò subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate: vt & accipientes spiritum, inueniant quid de Deo sint: & rursùm prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid sint de semetipsis. Iohan.3. 2.Reg.7. 4.Reg.4.

Petrus: Ità hoc esse, vt asseris, magna ratio clamat: sed, quæso, de venerabili patre Benedicto quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

Gregorius: Alio quoquè tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Taracinensem vrbem, missis discipulis suis, construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus patrem constituit, & quis ei secundus esset, ordinauit. Quibus euntibus spopondit, dicens: Ite, & die illo ego venio, & ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria, ædificare debeatis. Qui benedictione percepta, ilicò perrexerunt, & constitutum diem magnoperè præstolantes, parauerunt omnia, quæ his, qui cum tanto patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte verò eadem, qua promissus illucescebat dies, eidem seruo Dei, quem illic patrem constituerat, atque eius præposito, vir Domini in somnis apparuit, & loca singula, vbi quid ædificare debuissent, subtiliter designauit. Cumque vtrique à somno surgerent, sibi inuicem, quid viderant, retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodò fidem dantes, virum Dei, sicut se venire promiserat, expectabant. Cumque vir Dei constituto die minimè venisset, ad eum cum mœrore reuersi sunt, dicentes: Expectauimus pater, vt venires, sicut promiseras, & nobis ostenderes, vbi quid ædificare deberemus, & non venisti. Quibus ipse ait: Quarè fratres, quarè ista dicitis? Nunquid sicut promisi, non veni? Cui cùm ipsi dicerent, Quandò venisti? respondit, Nunquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, & loca singula designaui? Ite, & sicut per visionē vidistis, omne habitaculū monasterij ità construite. Qui hæc audiētes, vehementer admirati, ad prædictum prædiū sunt reuersi, & cūcta habitacula, sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt. Cap.22. In somnis apparet adhuc viuens vir sanctus, & docet quę promiserat.

Petrus: Doceri velim, quo fieri ordine potuit, vt longè iret, responsum dormientibus diceret, quod ipsi per visionem audirent, & recognoscerent.

Gregorius: Quid est quod perscrutans rei gestæ ordinem, ambigis Petre? Liquet profectò, quia nobilioris naturæ est spiritus, quàm corpus. Et certè, scriptura teste, nouimus quòd propheta ex Iudæa subleuatus, repentè est cum prandio in Chaldæa depositus, quo videlicet prandio prophetam refecit, seque repentè in Iudæa iterùm inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum, si Benedictus pater obtinuit, quatenùs iret per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret: vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ità iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret? Dan.14.

Petrus: Manus tuæ locutionis, tersit meæ (fateor) dubietatem mentis, sed velim nosse, in communi locutione qualis iste vir fuit.

Gregorius: Vix ipsa, Petrè, cōmunis eius locutio à virtutis erat pōdere vacua: quia cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquàm verba de ore illius incassùm cadebant. Si quid verò vnquàm nō iam decernendo, sed minādo diceret, tātas vires sermo illius habebat, àc si hoc non dubiè atq; suspensè, sed iam per sententiam protulisset. Nam longè ab eius monasterio duæ quædam sanctimoniales fœminæ, nobiliori genere exortæ, in loco proprio cōuersabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, vt minùs se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt: needùm prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitus sui freno restrinxerant, & eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequiū præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diù ista toleraret, perrexit ad Dei hominem: quantasq; pateretur verborum contume- Cap.23.

Minatur excommunicationem linguis procacibus. tumelias, enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinùs mandauit, dicens: Corrigite linguam vestram: quia si non emendaueritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis sententiã non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atq; in ecclesia sepultæ. Cumque in eadem ecclesia Missarum solennia celebrarentur, atque ex more diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum: nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulcris suis progredi & exire videbat. Quod dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exibant foràs, atque intra ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est: qui manu sua protinùs oblationem dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes, ab ecclesia exirent, illæ exire ab ecclesia vlteriùs visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

Illius excõmunicationis comminatæ vis.

Petrus: Mirum valdè, quod dicis, quanuis venerabilem & sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

Matth. 16. Absolui possunt animæ etiam corporib' exutæ.

Gregorius: Nunquidnam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cælis? Cuius nunc vicem ligando & soluendo obtinẽt, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terra, cæli & terræ conditor in terram venit è cælo: atque vt iudicare caro etiam de spiritibus possit, hoc ei largiri dignatus est factus pro hominibus Deus caro: quia indè surrexit vltra se infirmitas nostra, vndè sub se infirmata est firmitas Dei.

Petrus: Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

Cap. 24.

Gregorius: Quadam quoquè die, dum quidam eius puerulus monachus parentes suos vltrà, quàm deberet, diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exijsset, eodem die mox, vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum foràs corpus eius inuentum est: quod rursùs tradere sepulturę curauerunt. Sed sequenti die iterùm proiectum exteriùs atq; inhumatum, sicut priùs, inueneruut. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currentes, cum magno fletu petiêrũt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinùs communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicũ corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit. Perpendis Petre, apud Iesum Christum Dominum cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proieccrit, qui Benedicti gratiam non haberet?

Pœna inobedientiæ.

Effectus corporis Christi.

Petrus: Perpendo planè, & vehementer stupeo.

Cap. 25.

Gregorius: Quidam autem eius monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur immineret: quadam die idem venerabilis pater, nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit vt discederet. Qui mox vt monasterium exijt, contra se assistere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumque eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite succurrite: quia draco iste me deuorare vult. Currẽtes autem fratres, draconem minimè viderunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquàm se esse à monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit: quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem priùs non videndo sequebatur.

Instabilis monachus draconem videt.

Cap. 26.

Sed neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ità vt iam pilis cadentibus, cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

Cap. 27.

Neque illud taceam, quod eius discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueuerat:

rat: quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, vnum fore sibi remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit: quia à creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur, intimauit. Cui venerabilis pater nequaquàm se habere duodecim solidos, respondit, sed tamen eius inopiam blanda locutione consolatus, ait: Vade, & post biduum reuertere: quia deest hodiè, quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is, qui necessitate debiti affligebatur, redijt, super arcam monasterij, quæ erat frumento plena, subitò tredecim solidi sunt inuenti. Quos vir Dei deferri iussit, & afflicto petitori tribuit, dicens, vt duodecim redderet, & vnum in expensis proprijs haberet. Iuuat ære alieno pressum.

Sed ad ea nunc redeam, quæ eius discipulis, in libri huius exordio prædictis, referentibus agnoui. Quidam vir grauissima aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius ad hoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quanuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ità vt diffusa in corpore eius varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citiùs recepit. nam mox vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit. Sanat veneno infectũ.

Cap. 28. Eo quoquè tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario, nisi parùm quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cęlo omnia reseruaret, hocipsum parùm, quod remanserat, olei iussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paululùm, si id quod iusserat, datum esset inquireret, respondit monachus se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei iratus, alijs præcepit, vt hocipsum vas vitreum, in quo parùm olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, nè in cella aliquid per inobedientiã remaneret. Factumque est. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat, saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, àc si proiectum minimè fuisset, ità vt neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedientem monachum de infidelitate sua & superbia coram omnibus increpauit. Benignitas in egenos. Insigne miraculum.

Cap. 29. Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, vbì cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium coopertum. Cumque sanctus vir in oratione perlisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo excrescente subleuari. Quo commoto atque subleuato, oleum, quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci, in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinùs orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latiùs admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis pater virtutẽ omnipotentis Dei, quã admonitione intimauerat, miraculis ostendebat: nec erat iam, vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset: qui in vno eodemque momento pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset. Precibus impetrat oleũ à Deo.

Cap. 30. Quadam die dum ad beati Iohannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiàm factus est, cornu & tripedicam ferens. Quem cùm requisisset, dicens: Quò vadis? ille respondit: Eccè ad fratres vado, potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis pater Benedictus ad orationem, qua completa, concitus rediјt. Malignus verò spiritus vnum seniorẽ monachum inuenit aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumque in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cùm vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodò alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinùs excussit, ità vt ad eum redire vlteriùs non auderet. Alapa pellit dæmonem.

Petrus: Velim nósse, si hæc tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquandò etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

Gregorius: Qui deuota mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quæq; aliquandò ex prece faciant, aliquandò ex potestate. Cùm enim Iohannes dicat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui filij ex potestate sunt, quid mirum, si signa facere ex pote- Miracula vt faciant sancti. Iohan. 1.

potestate valeant? Quia enim vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui
Act.5.9. Tabitham mortuam orando suscitauit: Ananiam verò & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neq; enim oràsse in eorũ extinctione legitur, sed solummodò culpam, quam perpetrauerant, increpàsse. Constat ergò, quòd aliquandò hæc ex potestate, aliquandò verò exhibent ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nã duo quoq; fidelis famuli Dei Benedicti facta nũc replico, in quibus apertè clareat aliud hũc accepta diuinitùs ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

Cap.31. Gotthorum quidam Zalla nomine, perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ regis eorum temporibus, contra catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit, ità vt quisquis ei clericus monachus've ante faciẽ venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadã verò die auaritię suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quendã rusticũ tormẽtis crudelibus affligeret, cumq; per supplicia diuersa laniaret, victus pœnis rusticus, sese res suas Benedicto Dei famulo cõmendàsse professus est, vt dum hoc à torquente crederetur, suspensa interim crudelitate, ad horam vita repararetur. Tunc idem Zalla cessauit rusticum tormentis affligere, sed eius brachia loris fortibus adstringens, ante equum suum cœpit impellere, vt quis esset Benedictus, qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachijs rusticus antecedens, duxit ad sancti viri monasterium, cumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit & legentem. Eidem autem subsequenti & sæuienti Zallæ rusticus dixit: Eccè iste est, de quo dixeram tibi, Benedictus pater. Quem dum feruido spiritu cum peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore, quo consueuerat, acturum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinùs oculos leuauit à lectione, cumq; intuitus, mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachijs lora dissòluere, vt dissolui tam concitè nulla hominum festinatione potuissent. Cumque is, qui ligatus venerat, cœpisset subitò adstare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Zalla, ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius cõmendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit: sed vocatis fratribus, eum introrsùs tolli, vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus, recedens, nil vlteriùs petere à rustico præsumpsit, quem vir Domini non tangẽdo, sed respiciendo soluerat. Eccè est, Petre, quod dixi, quia hi qui omnipotenti Deo familiariùs seruiunt, aliquandò mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gotthi terribilis sedens repressit, lora verò nodosque ligaturæ, quæ innocentis brachia adstrinxerant, oculis dissoluit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursùm quoquè quale quantumque miraculum orando valuit obtinere, subiungam.

Arriani persequuntur clericos & monachos.

Nota quid possint sancti viri.

Cap.32. Quodam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus. Quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æstuans, ad monasterium venit, Benedictum patrem quæsiuit. Cui cùm dictum esset, quia idem pater cum fratribus in agro moraretur, protinùs ante monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus, ad inueniendum venerabilem patrem sese in cursum concitus dedit. Eadem verò hora vir Dei ab agri opere iam cum fratribus reuertebatur. Quẽ mox vt orbatus rusticus adspexit, clamare cœpit: Redde filiũ meum, redde filium meũ. Vir autem Dei in hac voce substitit, dicens: Nunquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est: veni, resuscita eum. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valdè contristatus est, dicens: Recedite fratres, recedite: hæc nostra non sunt, sed sanctorũ Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit, iurans, quòd non recederet, nisi eius filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisiuit, dicens: Vbi est? Cui ille respondit: Eccè corpus eius ad ianuã monasterij iacet. Vbi cùm vir Dei cum fratribus peruenisset, flexit genu, & super corpusculũ infantis incubuit, seseq; erigens, ad cælũ palmas tetendit, dicens: Domine, non adspicias peccata mea, sed fidẽ huius hominis, qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculũ animam, quam abstulisti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente anima, ità corpusculũ pueri omne cõtremuit, vt sub oculis omnium, qui aderant, apparuerit concussione mirifica tremendo palpitàsse. Cuius mox manum tenuit, & eum patri viuentem atque incolumem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petijt, vt exhibere potuisset.

Humilitas sancti viri.

Restituit vitæ defunctum.

Petrus

Petrus: Sic cuncta esse, vt asseris, constat patenter: quia verba, quæ proposueras, rebus probas. Sed quæso te, vt indices, si sancti viri omnia quæ volunt, possunt: & cuncta impetrant, quæ desiderant obtinere.

Gregorius: Quisnam erit, Petre, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogauit, & tamen quod voluit, obtinere non valuit? Ex qua re necesse est, vt tibi de venerabili patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. Soror nanque eius, Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire cōsueuerat. Ad quam vir Dei non longè extra ianuam in possessionem monasterij descendebat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater: qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquijs ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris, simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, vt ista nocte me non deseras, vt vsque manè de cælestis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris soror? Manere extra cellam nullatenùs possum. Tāta verò erat cæli serenitas, vt nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina, cùm verba fratris negantis audìsset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, omnipotentem Dominum rogatura, declinauit. Cumq; de mensa leuaret caput, tanta coruscationis & tonitrui virtus, tantaq; inundatio pluuiæ erupit, vt neq; venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lachrymarū fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatē aëris ad pluuiam traxit. Nec paulo tardiùs post orationē inundatio illa secuta est: sed tanta fuit conuenientia orationis & inundationis, vt de mensa caput iam cum tonitruo leuaret, quatenùs vnum idemq; esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos & tonitruos atq; ingentis pluuiæ inundationem videns se ad monasteriū non posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror: quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modò ergò, si potes, egredere, & me dimissa, ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, quia remanere spontè noluit, in loco mansit inuitus. Sicque factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atq; per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem adspicimus, dubium non est, quin eandem serenitatem voluerit, in qua descenderat, permanere: sed contra hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum inuenit. Nec mirum, quod plus illo fœmina, quæ diù fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Quia enim, iuxta Iohannis vocem, Deus charitas est: iusto valdè iudicio illa plùs potuit, quæ ampliùs amauit.

Cap. 33. 2. Cor. 12. Scholastica soror S. Benedicti, sanctimonialis. Efficacia precū eius. 1. Iohan. 4.

Petrus: Fateor, multùm placet quod dicis.

Gregorius: Cumque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium redijt. Cùm ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam, in columbæ specie cæli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusque obitum fratribus denunciauit. Quos etiam protinùs misit, vt eius corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulcro, quod sibi ipse parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Domino fuerat, eorum quoquè corpora nec sepultura separaret.

Cap. 34. Anima Scholasticæ in columbæ specie cælum petit.

Alio quoquè tempore Seruandus diaconus atque Abbas eius monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondàm patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia ex more venire consueuerat. Eius quippe monasterium frequentabat, vt quia idem quoquè vir doctrina gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicèm vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quia adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque hora iam quietis exigeret, in cuius turris superioribus se venerabilis Benedictus, in eius quoquè inferioribus se Seruandus diaconus collocauit: quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius cōtinuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant. Cumque vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans & omnipotentem Deum

Cap. 35. Seruandus diaconus & Abbas.

deprecans, subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desupèr, cunctas noctis tenebras effugâsse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiâsset. Mira autem res valdè in hac speculatione secuta est: quia, sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam mundus, velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphæra ignea ab angelis in cælum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum diaconum, iterato bis terq; eius nomine, cum clamoris magnitudine vocauit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque iam lucis exiguā vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculū, vir Dei per ordinē, quæ fuerant gesta, narrauit: statimque in Casinum castrū religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanā vrbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano episcopo ageretur, agnosceret & indicaret. Factumque est: & reuerentissimū virum Germanum episcopū is, qui missus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius cognouit ascensum.

S.Benedictus videt animam S. Germani ferri in cælum.

Petrus: Mira res valdè, & vehementer stupenda. Sed hoc, quod dictum est, quia ante oculos ipsius quasi sub vno solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut nunquàm expertus sum, ità nec conijcere scio, quonam ordine fieri potest, vt mundus omnis ab homine vno videatur.

Anima videns Deum, quàm facilè videat, quicquid est infra Deum.

Gregorius: Fixum tene Petre, quod loquor: quia animæ videnti creatorem, angusta est omnis creatura. Quamlibèt etenim parùm de luce creatoris adspexerit, breue ei fit omne, quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, vt superior existat mundo. Fit verò ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumque in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur: & dum se sub se conspicit, exaltata compræhendit quàm breue sit, quod compræhendere humiliata non poterat. Vir ergò Dei, qui in turri globum igneum, angelos quoquè ad cælum redeuntes videbat, hæc proculdubiò cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine, extra mundum fuit? Quòd autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus: qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. In illa ergò luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei, quam angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

Petrus: Videor mihi vtiliter non intellexisse, quæ dixeras, quandò ex tarditate mea tantum creuit expositio tua. Sed quia hæc liquidè meis sensibus infudisti, quæso vt ad narrationis ordinem redeas.

Cap. 36.

D. Benedictus scripsit monachorū regulam discretione præcipuam.

Gregorius: Libet, Petre, adhuc de hoc venerabili patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereo, quia ad aliorum gesta reuoluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quòd vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoquè verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtiliùs mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.

Cap. 37.

Mortem suam munit Eucharistia, & feliciter obdormit.

Eodem verò anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitùs denunciauit diem: præsentibus indicens, vt audita, per silentium tegerent: absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret, quandò eius anima de corpore exiret. Ante sextum verò sui exitùs diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumq; per dies singulos languor ingrauesceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibiq; exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atq; inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælū manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longiùs posito, reuelatio vnius atq; indissimilis visionis apparuit. Viderunt nanque, quia strata pallijs atq; innumeris corusca lampadibus via recto Orientis tramite ab eius cella in cælum vsq; tendebatur. Cui venerando habitu vir desupèr clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cælum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt,

derunt, ità absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, agnouerunt. Sepultus verò est in oratorio beati Iohannis Baptistæ, quod, destructa ara Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo priùs habitauit, nunc vsque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

Nupèr nanque est res gesta, quam narro. Quædam mulier mente capta, dum funditùs sensum perdidisset, per montes & valles, & syluas & campos die noctuque vagabatur, ibique tantummodò quiescebat, vbì hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quadam verò die dum vaga nimiùm erraret, ad beati viri Benedicti specum deuenit, ibique nesciens ingressa mansit. Manè autem facto, ità sanato sensu egressa est, àc si eam nunquàm insania capitis vlla tenuisset: quæ omni vitæ suæ tempore in eadem, quam accepit, salute permansit. Cap. 35. Amens mulier redit ad sanitatem.

Petrus: Quidnam esse dicimus, quòd plerunquè in ipsis quoquè patrocinijs martyrum sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciant, vbì minimè per semetipsos iacent?

Gregorius: Vbì in suis corporibus sancti martyres iacent, dubium Petre non est, quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrúm ne ad exaudiendum ibì præsentes sint, vbì constat, quia in suis corporibus non sunt: ibì necessè est eos maiora signa ostendere, vbì de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa est, tanto maius habet fidei meritum, quanto illic eos nouit & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vndè ipsa quoquè veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit: Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Cùm enim constet, quia paracletus spiritus à patre semper procedat & filio, cur se filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à filio nunquàm recedit? Sed quia discipuli Dominum in carne cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur: Nisì ego abiero, paracletus non veniet: àc si apertè diceretur. Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritûs, non ostendo: & nisì me desieritis carnaliter cernere, nunquàm me discetis spiritaliter amare. Petrus: Placet quod dicis. Sancti vtique possunt ipsos inuocantes exaudire.

FINIS.

Vitam S. Lupicini Abbatis inueniet Lector primo Tomo, vltimo Februarij die.

VITA LEÆ, RELIGIOSISSIMÆ FOEMINÆ, ET MONASTERII PRAEFECTAE, AVTHORE *Diuo Hieronymo Epistola xxiiij. ad Marcellam.*



VM hora fermè tertia hodiernæ diei septuagesimumsecundum Psalmum, id est, tertij libri principium legere cœpissemus, & docere cogeremur, tituli ipsius partem ad finem secundi libri, partem ad principium tertij libri pertinere: quòd scilicet, Defecerunt hymni Dauid filij Iesse, finis esset prioris: Psalmus verò Asaph, principium sequentis: & vsque ad eum locum peruenissemus, in quo iustus loquitur: Si dicebam, Narrabo sic: ecce generationem filiorum tuorum præuaricatus sum: quod in Latinis codicibus non ità habemus expressum: repentè nobis nunciatum est, sanctissimam Leam exîsse de corpore. Ibique ità te palluisse conspexi, vt verè aut pauca, aut nulla sit anima, quæ fracto vase testaceo, non tristis erumpat. Et tu quidem, non quòd futuri incerta esses, dolebas, sed quòd triste funeri obsequium non dedisses. Denique in medijs fabulis rursùm didicimus, reliquias eius iam Ostiam fuisse delatas. Quæras: Quò pertinet ista replicatio? Respondebo tibi verbis Apostoli: Multùm per omnem modum. Primùm, quòd vniuersorum gaudijs prosequenda sit, quæ, calcato diabolo, coronam iam securitatis accepit. Secundò, vt eius vita breuiter explicetur. Tertiò, vt designatum consulem de suis seculis detrahentem, esse doceamus in tartaro. 22. Martij. Rom 2.

Et quidem conuersationem Leæ nostræ quis possit digno alleuare præconio? Ità eam totam ad Dominum fuisse conuersam, vt monasterij princeps, mater virginum fieret: post mollitiem vestium, sacco membra triuisse, insomnes orationibus duxisse no- Vita Leæ summatim perstricta.

Eius humilitas. ctes,& comites suas plùs exemplo docuisse,quàm verbis. Humilitatis fuit tantæ tamq; subiectæ,vt quondàm domina plurimorum,ancilla omnium putaretur: nisi quòd cô Christi magis esset ancilla,dum domina hominum non putatur. Inculta vestis, vilis cibus,neglectum caput: ità tamen,vt cùm omnia faceret,ostentationem fugeret singulorum,nè reciperet in præsenti seculo mercedem suam. Nunc igitur pro breui labore Luc.16. æterna beatitudine fruitur, excipitur angelorum choris, Abrahæ sinibus confouetur, & cum paupere quondàm Lazaro,diuitem purpuratum & non palmatum consulem, sed atratum,stillam digiti minoris cernit inquirere. O quanta rerũ mutatio.Ille,quem ante paucos dies dignitatum omnium culmina præcedebant,qui,quasi de subiectis hostibus triumpharet,Capitolinas ascendit arces, quem plausu quodam & tripudio populus Romanus excepit, ad cuius interitum vrbs vniuersa commota est, nunc desolatus & nudus,non in lacteo cæli palatio,vt vxor mentitur infelix,sed in sordentibus tenebris continetur.Hæc verò,quam vnius cubiculi secreta vallabant, quæ pauper videbatur & tenuis,cuius vita putabatur amentia,Christum sequitur & dicit: Quæcunque audiuimus,ità & vidimus in ciuitate Dei nostri,& reliqua. (psal.47.) Quapropter moneo,& flens gemensque contestor,vt,dum huius mundi viam currimus,non duabus tunicis,id est,duplici vestiamur fide: non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus prægrauemur: non diuitiarum nos pera ad terram premat: non virgæ, id est, potentiæ secularis quæramus auxilium: non pariter & Christum velimus habere & seculum: sed pro breuibus & caducis æterna succedant,& cùm quotidiè (secundùm corpus loquor) præmoriamur,in cæteris non nos perpetuos existimemus,vt possimus esse perpetui.

Duę tunicæ. Calceamẽta. Pera. Virga.

DE SS. TIMOLAO, DIONYSIO ALIISQVE SEX MARTYRIBVS, EX HISTOR. ECCLESIAST.

Eusebij lib.8.cap.13 interprete Ioanne Christophorsono.

Martij 24.



DVM gentiles publica inter se festa celebrabant, & consueta agebant spectacula, inter alia, quæ magnoperè ipsis in optatis erant ad contemplandum, crebro hominum sermone ferebatur, Christianos qui dudùm erant ad bestias damnati,certamen confecturos. Cùm verò huius rei fama latiùs manaret, & apud omnes passìm vagaretur, adolescentes numero sex, quorum vnus genere Ponticus, nomine Timolaus: alter ex Tripoli vrbe Phœniciæ,qui Dionysius nuncupatus fuit: tertius ecclesiæ Diospolis subdiaconus,qui Romulus dictus est: quartus Pausis,& quintus Alexander,vterque Aegyptius: sextus huius gentilis Alexander ex vrbe Gaza,proprias manus, quô ardentem martyrij cupiditatem significarent, antè colligantes, ad Vrbanum, qui iam bestias ad Christianos dilaniandos emissurus esset,curriculo currunt,seque Christianos liberè confitentur: atque ipsa sua propensione tanquàm ad aciem instructa, & ad quodque discrimen admodùm parata liquidò declarârunt eos,qui in vero Dei, omnium rerum fabricatoris cultu gloriantur, violentas immanium ferarum incursiones nequaquàm formidaturos. Vndè profectò tum ipsum Præsidem,tum illos,qui cum eo erant, in repentinam admirationem traducentes,extemplò in carcerem contruduntur.

Sex egregij adolescẽtes. Vrbanus præfectus prouinciæ.

Non multis diebus pòst,alij duo fuêre in eorum numerum adscripti: vnus,qui acerba & varia tormenta propter fidei suæ confessionem, varijs temporibus ostentatam, anteà exhausisset, Agapius nomine: alter qui res, ad corporis vsum necessarias, illis martyribus subministrâsset, Dionysius appellatus. Omnes isti,octo numero, vno die, nempe vigesimoquarto mensis Dystri,hoc est,ad nonum Calendas Aprilis, in ipsa Cæsarea securi percussi obeunt. Per idem tempus duo ex Imperatoribus, quorũ alter primum ac summum Imperij gradum,alter secundum post illum obtinebat,ad priuatam quandam vitæ rationem se transtulerunt, atq; res publica languescere & ægra esse cœpit. Paulò pòst Imperio Romano contra se dissentiente, bellum graue &acerbum inter ipsos Imperatores mutuò excitatur: neq; seditio ac tumultus in ea commotus priùs sedatus fuit,quàm pax aduersùm nos in vniuersis orbis partibus, quæ Romano paruêre Imperio,firma constitueretur. Nam simul àc illa omnibus instàr lucis cuiusdam ex tenebricosa & obscura nocte exorta fuit,communis Imperij Romani status iterùm

Octo martyres vno die iugulantur.

ad

ad stabilitatem, amicitiam & pacem restituitur, mutuamque concordiam, quam à maioribus acceperat, recuperauit.

HISTORIA S. AGAPETI EPISCOPI, AVTHORE SVIDA.

AGapetus Synadorum Episcopus fuit, quem quidem Eusebius Pamphili magnoperè commendat, eximiaque per ipsum edita miracula commemorat, montes videlicet, fluuiosque è proprijs sedibus in alias translatos, necnon mortuos ad vitam reuocatos. Ad hæc, quòd Maximinus eum, dum rei militari operam daret, vt Christianum voluit de medio tollere, quippe quòd multos eius præclara facinora demirari intelligeret. 24. Martij.

VITA SANCTISSIMÆ VIRGINIS PARITER ET VIDVAE CATHARINAE, FILIAE S. BIRGITTAE, CVIus ob diuinas reuelationes est in Christi Ecclesia celeberrimum nomen, authore quidem non prorsùs certo, sed tamen fideliter conscripta: porrò ob vitandam prolixitatem, & nè stylus rudior lectorem eruditū offenderet, per F. Laurentiū Surium aliquanto compræhensiùs reddita.

CAPVT I.

VEnerabilis & Deo dilecta Catharina, patre Vlphone viro nobili & matre Birgitta, quam omnis celebrat Ecclesia, in hanc lucem edita est. Quæ cùm adhuc in cunis versaretur, futuræ sanctitatis eius indicia non obscura diuinitùs ostensa sunt. Nam adhibita illi nutrice, eius vbera sugere noluit, lasciuia & vitæ eius turpitudine, vt probabilis est coniectura, absterrita: Porrò sanctæ matris suæ & aliarum pudicarum mulierum vbera citra horrorem sugebat, ab incontinentibus fœminis cum lachrymis & vagitu prorsùs abhorrens. Postquàm autem ablactata est, sancta mater eius tradidit illam religiosè instituendam Abbatissæ Risabergensi, cuius erat spectata vitæ integritas. Accidit intereà, vt Abbatissa nocturnas Deo preces offerente, puellam Catharinam dormientem, malus dæmon, sumpta bouis cornupetę specie, è lectulo cornibus excuteret, & semiuiuam prosterneret in pauimentum. Dat illa gemitus miserabiles, & repentè accurrens Abbatissa, semimortuam in suo reponit sinu: apparet illic teterrimus dæmon, &, O quàm libens, inquit, illam iugulâssem, nisi fuisset à Deo negata facultas. Cùm septimum ætatis annum ageret, persuasa à puellis coætaneis, quadam vice cum illis cœpit puparum ludo operam dare. Sed quia ad maiora à Domino parabatur, illam tantillæ ætatis puerilem vanitatem non passus est abire impunitam, nè animum eius tales ineptiæ, vt plerunquè solent, dissoluerent. Permisit igitur, vt proxima nocte valdè infestos sentiret dæmones. Videbat enim in somnis multos impuros spiritus in puparum specie ad suum venire cubiculum. Cumque ad eam accessissent, è lectulo extractam atrociter flagellârunt, ità vt toto corpore liuida cerneretur. Mox igitur huiusmodi ludis & vanitatibus longùm valere iussis, deincèps se nullis prorsùs ludentibus miscuit: immò contra illius ætatis ingenium, quandam præ se morum ferebat maturitatem.

12. Martij. Eius parentes. Traditur cuidam Abbatissæ instituenda. Dæmon ei infestus. Cæditur à dæmonib⁹.

CAP. II.

VBI ad nubiles peruenit annos, voluit pater vt nuberet. Illa, quæ multa in Deum & Christi sanctissimam matrem seruandæ integritatis fiducia niteretur, non recusauit. Nupsit ergò viro nobili Eghardo: sed ità nupsit, vt ipsum quoquè sponsum ad nuncupandum Deo castitatis votum, diuina faciente gratia, adduxerit. Ambo igitur suam pudicitiam, interposito iureiurando, Christo consecrârunt, & deincèps in Domino castissimè pariter degētes, sub pompa seculari sancta quadam calliditate hosti pudicitiæ illuserunt. Nam nè caro insolesceret, cum qua nobis est bellum intestinum, posteaquàm sanctis precibus, genuflexionibus & vigilijs noctù incubuerant, humi in cubiculo substernebant pannum aliquem, capitique ceruicalia singula

Nubit viro. Vouent ambo continentiam.

existimabat, nec ausus fuit ei se opponere, licet tenerrimè illam diligeret. At nihilominùs veritus, nè quid fœminæ tanti decoris & florentis ætatis, putà quæ annos duntaxat haberet decem & octo, in tam longinqua profectione aduersi accideret, non ilicò assensus est. Victus tandem & illius precibus & animi religione, sumptus in iter necessarios & honestos comites comparat. Iam nihil nisi è patria excessus expectabatur, & ecce Carolus Catharinæ frater ira percitus, minas atroces intentat Eghardo, si permittat sororem ipsius ire peregrè. Commodùm tum domo aberat Eghardus, & literæ Caroli in manus Catharinæ venere: quæ suspicata quod erat, literas resignans legit, minasque fratris ad auunculum suum Israëlem virum potentem, multaque in Deum pietate & prudentia insignem retulit. Is iubet eam ob fratris minas non discedere à proposito, dicens se iram illius facilè sedaturum. Addidit verbis humanissimis etiam munera, vt maturiùs proficisceretur. Mox igitur se dat itineri cum D. Gorstano Thunasson Marestallo Suediæ, & alijs duabus Suediæ nobilibus matronis.

CAP. V.

MAri non sine multa difficultate emenso, per Germaniam iter habuêre in Italiam, atque tandem Augusto mense Romam Catharina peruenit. Agebat tum sancta mater eius Bononiæ, quò Christus eam miserat cuiusdam Abbatis & fratrum eius admonendorũ causâ. Erat cum illa D. Petrus Olauus, pater eius spiritalis, & pauci è familia. Porrò Catharina nesciens quò illa abijsset, ad dies octo anxiè quæsiuit eam Romæ. Interim D. Petrus Olauus cœpit vrgeri quibusdam intolerabilibus animi stimulis, vt Romam rediret. Assensit, licèt inuita S. Birgitta, & ille celerrimè proficiscens, vbi Romam venit, in æde S. Petri Catharinam & comites eius offendit: quam sane humanissimè salutãs, nihil iam dubitabat eius causâ se fuisse compulsum ire ad vrbem. Sequenti die cum illa & socijs eius profectus est ad matrem, & ab Abbate monasterij pro S. Birgittæ amore, cuius sanctis exhortationibus iam ad meliorem se frugem receperat, honorificè accepti sunt. Post dies paucos hortante matre, Catharina cum suis Romam repetijt, & cum multa deuotione ad stationes & limina sanctorum accessit. Deindè exactis Romæ aliquot septimanis, patriam reuisere constituit: cumque iam ad iter accincta esset, mater ex illa percontata est, vellet'ne cum ipsa Romæ manere, & Christi causâ labores & aduersa quæque perpeti. Tũ illa tota inflammata spiritu, respondit se non modò patriam, cognatos, amicos, diuitias & delicias, sed ipsum quoquè Eghardum, quem suo corpore chariorem haberet, pro Christi voluntate & amore libenti animo relicturam. Vbi igitur cõsensit matri, Christus ei reuelauit, ipsam esse fidelem adiutricem, quam ei promisisset. Adiecit etiam, se illam multis aucturum gratiæ muneribus. Et certè ab eo tempore, quo se vouit cum matre permansuram, mirabilis ei à Deo collata est eloquentia, ità vt etiam apud principes & eruditos viros de scripturis diuinis præclarè diceret. Atq; ipse etiam Romanus Pontifex Vrbanus vj. cum aliquandò coram ipso & Cardinalibus verba faceret, vsqueadeò eius miratus est sapientiam, vt ei familiariter diceret: Reuerà filia, tu bibisti de lacte matris tuæ. Porrò autem non diù pòst horrere nonnihil cœpit insolitum viuendi modum, & memor libertatis pristinæ, multùm anxia rogauit matrẽ, vt liceret ipsi redire in Suediam. Sensit sancta mater eius tentatione inimici id fieri, & ad Christum se conuertit, preces ei fundens. Qui ei indicauit obijsse Eghardum, & eam admoneri voluit, vt à matre non discederet. Hoc vt illa percepit, submisit se quidẽ humiliter diuinæ volũtati: nec tamen cessabat tortuosus serpens ei ob animi oculos repræsentare natalis soli delicias: & licèt eas ratione & voluntate respueret, tamen cùm ei essent molestæ & importunæ satanæ vexationes, à matre sibi petijt adhiberi remedium. Et illa, quæ iam eiusmodi tẽtationes victrix superâsset, opportunum filiæ, carnali adhuc affectione laboranti, remedium apposuit, molestum sanè carni & sanguini, sed quod ipsa quoquè Catharina summoperè appeteret. Curauit enim eam aliquotiès virgis cædi, donèc omnis illa tentatio instàr fumi euanuit. Non potuit superbus dæmon tantam ferre humilitatem, sed tanquàm ipse esset flagellatus, cum ignominia aufugit.

Catharina Romam venit.

Romæ sacra multa loca.

Eloquentia & sapientia eius.

Tentatur à satana.

CAP. VI.

PER id tempus Romanus Pontifex Auinione residebat. Præbuit ea res improbis multis occasionem prædas agendi Romæ, & multa contra fas attentandi, adeò vt peregrini & tenuiores homines, illorum audacia & importunitate absterriti, non auderent ad promerendas condonationes, quas Indulgentias vocant, atque ad stationes accedere: maximè verò periculum impendebat fœ-

minis ætate & forma præstanti. Quæ res in causa fuit, vt etiam S. Birgitta Catharinę filię interdiceret, nè sine multis socijs sacra loca inuiseret. Itaque matre cum suo cõfessario ad stationes & indulgentias abeunte, illa dies non paucos cum suis ancillis hæsit domi.

Rursùs eam tẽtat hostis. Adest rursùs satan, & acerbas in eius animum cœpit cogitationes immittere, tanquàm alijs suarum animarum lucra captantibus, ipsa instàr bruti animantis, ab omnibus spiritalibus bonis arceretur. Addebat his, eius cognatos, fratres & sorores in patria cum summa tranquillitate seruire Deo, ipsam verò miseram ducere vitam: præstare igitur, ne in lucem quidem editam fuisse, quàm id genus inertẽ vitam viuere. Erat hæc in animo sanctæ virginis tentatio vehemẽs, adeòque eam mœrore & perturbatione oppleuerat, vt matre illius reuertente, & seriò præcipiẽte, vt tanti mœroris causam ediceret, simpliciter responderet, se loqui non posse. Et certè iam planè instàr mortuę facies eius expalluerat, oculi transuersi erant: intantùm ei molestus erat dęmon, id genus importunissimis ingerendis cogitationibus.

Visio illius. Porrò nocte proxima in somnis visa sibi est videre totum mundum quasi inflammatum, seq; in medio ignis positam in parua quadam planitie, planeque desperantem ab illis se posse flammis eripi. Tum verò apparentem ipsi beatissimam Mariam virginem his se verbis deprecantem: Adiuua me charissima Domina mea. Illam vero respondentem: Et qua te possum ratione iuuare, quæ tanto patriæ teneris desiderio, oblita sponsionis tuæ, & neque Deo, neque mihi, neque matri tuæ, neque patri spirituali obediens? Se verò offerentem ad omnia exequenda, quæ iuberet Dei mater: atque tum demùm Dei genitricem dicentem: Obedias igitur matri tuæ & patri spirituali. Expergefacta indè Catharina, matrem cum omni humilitate celeriter adijt, veniam suæ inconstantię petijt, promisitque se deincèps ad mortem vsq; libenter in exilio cum ipsa permansuram.

CAP. VII.

Volens igitur S. Birgitta eius saluti certiùs consulere, nè forrasfis materna indulgẽtia remissiùs ageret, Dominum Petrum confessarium suum, virum sanctissimum & multiplici sancti spiritûs munere cumulatum, multis eò tãdèm precibus adigit, vt pateretur Catharinam filiam ipsius sibi obedientiam polliceri.

Promittit obediẽtiam cõfessario. Et fecit id tunc Catharina, adeoq; præstitit, quod promiserat, vt nihil omninò absque illius permissu facere vellet. Munita igitur sanctæ obediẽtiæ virtute, quam non ignorabat nihil non posse promereri apud Deum, spiritalis exercitij militiam accuratius complectitur, & corpori suo subiugando frena castitatis arctiùs adhibet, nè qua ratione in mortiferæ voluptatis consensum prolabatur. Nam tametsi etiam in matrimonio virgo integra permãsisset, non poterat tamen non timere ætati lubricæ, & nè quid hostis versutus fraudis ipsius iuuentuti moliretur. Posuit igitur Deum altissimum refugium suum, illum obnixè deprecans, vt vires suggereret contra insidias inimici. Cumq; sabbato quodam sacram esset sumptura Eucharistiam, ipso sacerdote audiente, ità ferè

Eius precatio. precabatur: Redemptor pijssime, qui hoc corpus de virgine intemerata accepisti, & in cruce atrocissimè distẽdi voluisti, obsecro te indigna peccatrix, nè me sinas labi in peccata. Et quia militem egregium in hac vita mortali habui custodẽ pudoris mei, illo iam vita functo, alium mihi asciscere volo sanctum Sebastianum militem cumprimis strenuum, & martyrem tuum sanctissimum, eiusque, oro, vt me curę committere digneris. Hæc & alia vt dixit, sacram accepit Eucharistiam: tantaq; precum eius fuit efficacia, vt deincèps à multis periculis non sine miraculo eam constet præseruatam. Vixit autem sub matris cura haud secùs atquè in monasterio, habuitque confessarium D. Petrum Olauum, cuius salutaribus consilijs promptè se accommodabat. Matris quoq; vitam & mores ob oculos statuebat, didicitq; ab ea certis temporibus tenere se intra silentium, non ignorãs, quot bona ex silentio, quàm innumera mala ex loquacitate nascantur. Si interrogata fuisset, pauca & rationi consentanea respondebat: porrò de ijs, quæ pertinent ad implendam Dei voluntatem & ad eius exequenda præcepta, omnibus, præsertim inopibus & peregrinis, humiliter loquebatur, obseruans illud sapientis cu-

Eccle. 19. iusdam: Omnis enarratio tua sit in præceptis altissimi. Romæ degens, pauperes & per-

Eius humanitas erga pauperes & peregrinos. egrinos humaniter fouebat, permultos è patria eò aduẽtantes, tum eleemosynis, tum suaui & familiari sermone recreabat, hortans eos ad patientiam & Christi Iesu amorem: crebrò id inculcans, vt assiduè memores essent acerbissimę passionis eius, & à Dei præceptis nequaquàm deflecterent. In ijs vnus erat pauper & peregrinus, quem crebrò ad se accire solebat, prælegens ei aliquid ex sacris euangelijs, siue de vitis Sanctorum, diuina quoquè præcepta ei exponens, & ad vitanda septem illa mortifera peccata

nata summoperè illum inuitans. Is posteà cum ea reuersus in patriam, in monasterio Vuatstena frater Conuersus, vt vocant, factus, bonam Christo militiam militauit, multaque laude digna de eius sanctitate fratribus referre consueuit.

CAP. VIII.

CVm adhuc Romæ ageret, viuente matre, etiam in ætate iuuenili, puta annos habens nō ampliùs viginti, morum fuit grauitate spectabilis, & sensus canos præ se ferens. Accedebat eò corporis elegantia, quæ omniū oculis eam amabilem reddebat, adeò vt non pauci magnates illam optarent habere coniugem, votumque suum, tum per seipsos, tum per alios ei aperirent, multa eaque amplissima offerrent munera. At illa constanter omnibus respondit, se Christo perpetuā vouisse continentiam, nec velle mortalis viri subire torum. Dolebant illi nihil se potuisse blandis efficere pollicitationibus: itaque ad minas & vim inferendam conuertuntur: ponunt insidias in vijs publicis, vt eam rapiant vel inuitam. Accidit tum temporis, vt, matre eius alijs occupata, cum multis nobilibus Romanæ vrbis matronis ad S. Sebastianum extra muros, ob condonationes siue indulgentias promerendas se conferret. Et eccè Comes quidam cum magna hominum caterua sese in syluas abdit, & vt certò cognouit Catharinam illàc transituram, iubet suos esse paratos ad rapiendam illam. Et illi quidem è suis proruunt latibulis: sed subitò offert se illis ceruus, cui capiendo dum acriter intendunt, Catharina cum cæteris matronis celeriter redit ad vrbem, eruta instàr auis ex insidijs aucupis. Viderat eius & periculum & euasionem sancta mater eius in spiritu, reuertentiq; tantam felicitatem gratulabatur. Ex illo tempore non ibat palàm ad stationes, sed contenta visitâsse vicinum templum domui suæ, rarò in plateis videri voluit. Non tamen etiam extra vrbis muros religionis ergò proficisci dubitauit, quotiès mater eius, diuinis edocta reuelationibus, id voluisset. Ità quandoquè instante solennitate S. Laurentij, mater eius dixit illi: Cras, Deo benè volente, simul ibimus ad S. Laurentium. Cumque illa responderet, vereri se, nè ab illo Comite vi adhibita raperetur, mater dixit: Cōfido in Domino Iesu, nos eius misericordia ab omni periculo immunes fore. Ipsis ergò D. Laurentij ferijs cùm se S. Crucis signo munijssent, & sanctissimo martyri commendâssent, abeunt ad eius ecclesiā. Porrò Comes latitabat illic quidem cum suis satellitibus, sed diuinitùs cæcitate percussus, tandèm ad S. Laurētij ædem perductus, prostrauit se coram illis, veniamque obnixè petēs, promisit se nihil eiusmodi deincèps attentaturum: immò eas pro viribus defensurū, & modis omnibus eis gratificaturum. Tum verò illis Dominum pro eō deprecantibus, ilicò visum recepit: atq; deincèps multa eas reuerentia multisque beneficijs prosecutus est: ipsumque miraculum coram Vrbano Romano Pontifice & eius Cardinalibus enarrauit.

In iuuētute morib' maturam se exhibet.

Multi eā conantur sibi adsciscere coniugem.

Comes eam rapturus, fit cæcus, & recipit lumen.

CAP. IX.

MVltis sanè modis antiquus serpens per sua organa eius Deo consecratam sæpè oppugnauit castitatem. Iussa quodam tempore diuinitùs fuit mater eius inuisere Assisium & ecclesiam, quæ de portiuncula dicitur: vnà etiam proficisci Dominus voluit filiam Catharinam, promittens quòd à cunctis infesti dæmonis machinamentis ipsas eriperet, & in itinere ab omni periculo seruaret immunes. Abeunt igitur Assisium, nec desunt comites. In ipso autē itinere cùm die quodam non possent hospitium honestum, nocte impendente, attingere, ad quādam peruenerunt pauperē cauponulam, & ægrè à caupone admissæ, inter angustas eius tugurij latebras, vt ab imbribus & niue corpora vtcunquè tuerentur, sese condiderunt. Eccè autē nocte media multi eò latrones accurrunt, accendunt ignem, vultus omniū inspiciunt, & capti pulchritudine Catharinæ, obscœnos iactant sermones, eiq; vim afferre constituunt. Quibus tum illa pudica mēs correpta fuerit angoribus, quis explicet? Iam omne aberat humanum præsidium: vnū solum supererat, vt precibus Domini misericordiam implorarent. Quod cùm facerent sanè deuotè, auditur mox tanquàm sonitus aduentantis magni cuiusdam exercitûs, itemq; armorum strepitus: tum quoq; voces clamantium, vt capiantur illi perditi latrones. Quibus illi mirabiliter consternati, aufugiūt, nec ausi fuêre ea nocte reuerti. Manè verò S. Birgitta cum filia & reliquis comitibus susceptum prosequitur iter. Ibì rursùs adsunt scelerati homines, vt quod nocte efficere nequiuerant, clara luce designarent, suamque explerent libidinem. Et illi quidem viam ab vtraque parte obsederant, sed percussi cæcitate, videre non potuerunt cum bona in Deum fiducia illàc securè transeuntes. Ità ergò, diuina fretæ protectione, Assisium peruenerunt, vbì diuinis cùm essent recreatæ consolationibus, Romam reuersæ sunt.

Patitur latrones infestos.

Latrones occæcātur.

CAP.

CAP. X.

CErnens autem Catharina tam euidentia erga se diuinæ bonitatis indicia, vt præpotenti Deo posset magis magisque placere, virtutum cæterarum fundamentum, putà sanctam humilitatem, vsqueadeò sectata est, vt non modò sibi ipsi vilesceret, sed vellet etiam ab alijs vilis haberi, & duci pro nihilo. Et quanuis eius præclara extarent vitæ merita, nequaquàm tamen ab alijs sibi sanctitatem voluit attribui, sed potiùs nō alio, quàm peccatricis loco haberi. Ab illa verò interna animi summissione proficiscebatur exterior illa suî abiectio, atque humiliatio in verbis & corporis habitu, cunctisq; actionibus. Nec ferre æquo poterat animo, vt ab quoquam laudaretur, laudem omnem suorum rectè factorum illi transscribi volēs, quem sciebat bona omnia in nobis efficere & operari. Charitate quoquè in Deum fuit eximia: & vt omittamus eam ab infantia preces Horarias diuæ virginis, septem psalmos, quos pœnitentiales vocant, multaq; alia quotidiè legisse, priùs quàm se ad dormiendum componeret, diebus singulis horas quatuor continēter impendebat flectendis genibus & tundendo pectori, multisq; fundendis lachrymis in Dominicæ passionis commemoratione, veluti totam se Domino in holocaustum offerēs. Deindè & nocturnis & diurnis fessa laboribus, somno membra fatigata permisit, sed nō valdè diuturno. Nam semper admodùm manè surgens, redibat ad preces, in silentio quotidianum Deo sacrificium impendēs, nec ante meridiem, nisi vrgeret necessitas, à sanctis occupationibus desistens. Orauit quodam tempore Romæ ante aram S. Iohannis Euangelistæ in æde maiori D. Petri, apparuitq; illi fœmina peregrina, alba induta veste, præcincta balteo, albū ferens in capite velamen, & pallio atro operta. Accessit autem celeriter ad illam, salutansq; eam nominatìm, supplex rogauit, vt oraret pro anima Noricæ. Sciscitante autē Catharina cuiâs esset, respondit se Suedam esse, vxoremque fratris eius Caroli obijsse. Tum illa rogauit, vt veniret ad ædes matris suæ. Illa verò ait id sibi nō licere: porrò breuì ipsas habituras nō parùm subsidij è patria. nam Noricā legâsse eis auream capitis sui coronā, iterumq; repetebat, vt fideliter precarētur pro anima illius: sicq; disparuit. Admirans autē Catharina, rogabat ancillas, quonàm abijsset matrona illa. Responderunt illæ, se quidē audiuisse vocem cum ipsa loquentis, sed neminē vidisse. Stupens igitur indicauit matri suæ, cui oranti reuelatum fuit migrâsse è corpore Gidham vxorē Caroli, eiusq; animam petēdæ opis causa, filię apparuisse. Non multò pòst venit è Suedia Ingeualdus Amundsson, familiaris Catharinæ: qui ei & obitum indicauit Gidhæ, & coronā attulit auream, quā pro more patriæ in capite ferre solebat. erat enim ex nobiliori Noricorū stemmate orta. Fuit aūt tanti precij corona illa, vt ad totius anni victū S. Birgittę & filiæ Catharinæ, totiq; earū familiæ suffecerit. Solebat verò Catharina Domino preces oblatura, locum secretum expetere, vt posset liberiùs Domino cor suū effundere.

S. Catharinæ eximia humilitas.

Precibus diutissimè incumbit.

Anima vxoris Caroli apparet ei, & petit pro se orari.

CAP. XI.

FVit sanè tanta erga proximos beneuolentia & commiseratione, vt posset ipsa quoquè sibi vsurpare illud sancti Iob: Ab infantia mea creuit mecum miseratio, nempe erga inopes & morbis affectos. Solebat enim sanctissima mater eius adhuc tenellam secum ad domos hospitales & nosocomia ducere, & illic ipsa inspectante, miserorū plagas, vulnera & vlcera sine horrore suis manibus deuotè contrectare, multa quoquè eis conferre beneficia, & optimis sermonibus illos cōsolari: vt filia eius exemplo disceret per omnem ætatē eis similia impēdere humanitatis officia. Erant quidem nonnulli, qui reprehenderent piam matrē, quòd teneras filiolas suas ad id genus loca perduceret, veriti nè quid eis aduersi accideret ex fœtore: at illa respondit ea causa se id facere, vt discerent filiæ seruire Christo in morbidis & egenis. Et certè filiæ eius Catharinæ materna tum dicta, tum exēpla adeò pectus penetrauerant, vt erga pauperes & afflictos summa afficeretur misericordia, eosq; tū sermonibus, tum beneficijs liberaliter confoueret. Solebat verò etiam clàm noctibus matri in duro pauimento cubanti tegmen capitis sui supponere, dolens venerabilē dominā tam duriter se habere. Et quia animi deuotionem vel maximè impediunt mūdi & carnis desideria, ea tanquàm virus mortiferum summoperè conata est profligare, & vt posset pro modulo suo Christo se conformare, qui cum diues esset, propter nos egenus factus est, & humiliauit semetipsum: paupertatem & abiectiorem viuēdi rationem vltrò complexa est: mundiq; calcatis diuitijs, voluptatibus & pompis, immò ipsa quoquè propriæ voluntatis abdicata libertate, alteri se per obedientiam subiecit, & exilium, posthabitis amicorum solatijs, ipsa patria charius habuit, vt posset dilectissimo Domino suo

Iob 31.
S. Birgittæ pietas erga morbis afflictos.

Prauas cupiditates abominatur.
2. Cor. 8.

ſuo & rebus cæleſtibus animi intentionem liberiùs affigere. Hanc verò eius voluntariam ſuî abiectionem munificus ille caſtarum mentium ſponſus Chriſtus Ieſus etiam in hac vita in gloriam commutauit. Nam cum aliquandò quædam nobiliores Romanæ matronæ peterent à matre eius, vt permitteret ei cum ipſis animi cauſa extra muros egredi, idq; ob illarum inſignem probitatem mater annueret, vbi ad vinearum macerias ventum fuit, viderentq; matronæ botros vltra macerias propendere, rogabant S. Catharinam, vt illos botros ipſis decerperet. Erat enim procera corporis ſtatura, præter alias egregias vtriuſq; hominis dotes, quæ eam cunctis reddebãt amabilem. Illa verò ſtudio paupertatis iam manicas habebat attritas & conſutas, neque verebatur apud tantas matronas vilis & inops videri. Itaq; extendit brachia vt vuas carperet: & ecce matronæ illæ videre ſibi viſæ ſunt brachia eius purpura magni precij operta. Accedũt igitur præ multa admiratione, tanguntq; ſingulæ, cernuntq; manicas inſigni purpura rutilantes, aiuntq; ad eam: Quis vnquàm crederet, domina Catharina, tanti precij veſtibus vti te voluiſſe? Ignorabant enim Chriſtum cohoneſtâſſe ſponſam ſuam. Teſtabatur hæc familia, q̃ his interfuerat, itemq; ſanctæ memoriæ magiſter Petrus, eius cõfeſſarius. *Viles manicæ apparent purpureæ.*

CAP. XII.

DEcubuit quãdoquè ſancta virgo, matre adhuc Romæ degente. Erat tum grauis correpta morbo, petijtq; ab eius matre eam inuiſendi copiam quidã nobilis baro, Ludouicus nomine. Erubuit verò familia, quòd vir tantus ad eam in vili lectulo iacentem eſſet acceſſurus. Erat is lectulus ſtramineus: ad caput ceruical exiguum: porrò operimentum vetuſtum conſutum, ac nullius penè precij. Sed Dominus Ieſus, qui ſua inopia ſeruorum ſuorum voluntariam paupertatem maximè illuſtrẽ reddidit, non defuit ſponſæ ſuæ. Cùm enim potens ille & opulentus vir multis ſtipatus ad eam acceſſiſſet, videbatur ei lectulus illius aureo & purpureo tectus operimento. Stupens igitur dixit famulis ſuis: Hæ dominæ pauperes ab omnibus putantur. nam ſæpè ob res neceſſarias emendas pecuniam mutuò accipiunt. Præſtaret, illas tanti precij purpuram, tantumq; apparatum, quẽ illic vidimus, diſtrahere, quàm premi inopia. Inter alias virtutes, quarum celebri opinione apud omnes mirificè redolebat, erga domeſticos & qui eam iniuria afficerent, ſancta virgo egregiã ſemper animi patientiam declarabat. Accuratè enim ſecum perpẽdit, ſi quid à nobis benè geſtum ſit, id facilè redigi in nihilum, ſi ſit animus patientia deſtitutus. Vt igitur ſolẽt odores tum latiùs ſpargi cùm commouentur: ità hæc ſancta virgo, iniurijs & perſecutionibus infeſtata, præcipuam exhibebat patientiam: haud aliter quàm qui eam affeciſſent beneficio, diligens eos, à quibus offenſa fuiſſet. Verùm autẽ vera quis ſit humilitate prædìtus, tũ poteſt intelligi, ſi placidè ferat iniuriã. Præclarum ſanè huius venerabilis virginis patientiæ teſtimonium reddidit religioſa Deoq; ſacrata virgo Margareta Caroli fratris eius filia: quæ cùm quinquennio ei inſeruijſſet, affirmabat ſe nullam vnquàm impatientię vocem, immò ne ſignum quidẽ cõmoti animi in eos, qui eam læſiſſent, animaduertere potuiſſe. *Paupertas eius a Chriſto cohoneſtatur.* *Eius egregia patientia.*

CAP. XIII.

ANnis viginti & quinque cum ſanctiſſima matre ſua Romæ & quocunquè illa profecta fuiſſet, permanſit: ſacra cum illa loca inuiſens etiam procùl in diuerſis & longinquis regionibus, Dominicumq; adiens ſepulcrum in Ieruſalem. Feruens Chriſti amor tantos labores facilè ſuperauit. Cùm eſſent Hieroſolymæ, ſancta mater eius febre correpta eſt, quę etiam illi inhæſit, donèc Romam reuerteretur: vbi Chriſtus obitùs eius diem & pleraq; alia ei reuelauit. Et illa quidẽ ſanctiſſima matrona Romæ defuncta eſt & humata: ſed poſt quinque ſeptimanas indè recedens filia eius, ſecum eius ſacras reliquias abſportauit in Suediam. Interìm multæ ad eam accedebant matronæ tum nobilés, tum etiam è plebe, ſacras illas reliquias deuotè exoſculantes: quas virgo ſancta hortabatur, vt poſthabitis mundi labentis illecebris ac pompis, cæleſtibus bonis ardenter inhiarent. Et multi ſanè vtriuſque ſexûs nobiles, eius ſermonibus permoti, ad meliorem ſeſe frugem recepêre. Venit tandèm cum ſacro pignore Dantiſcum in Pruſſiam, vbì ſanè ſeueriter reprehendit peccata Crucigerorum, propoſuitque eis minas terribiles, diuinitùs matri eius reuelatas. Poterat tum dicere cum propheta: Loquebar in teſtimonijs tuis in conſpectu principũ, & non confundebar. Stupebant verò illi cum diuina ſapientia coniunctam virginis eloquentiam, nec potuit quiſquam contradicere vera loquenti. Indè nauigant Suediam verſùs, & ſtella duce, quę Solis fertur ſuperâſſe ſplendorẽ, meridiè perueniunt ad quendã Suedię portum, de quo ne cogitârant quidẽ. Indè ſoluentes, appellunt ad Oſtrogothię portũ Sudher- *Annis 25. peregrè vixit cum matre.* *Obitus S. Bugittæ.* *Pſal. 118.*

Sudhercopensem. Vbì eorum aduentus innotuit, quem iam multi auidè expectauerant, innumera eis occurrit multitudo nobilium, plebeiorum, clericorũ & monachorum, qui illos & sacras reliquias S. Birgittæ, multorumq; aliorum sanctorum, quas matri & filiæ donauerant Cardinales, regina Neapolitana, barones & nobiles matronæ Romanæ, compluresque monasticæ vitæ professores, cum præcipua deuotione & gaudio vsque ad monasterium Vuatstenam deduxêre. Venerat cum S. Catharina Petrus de Aluastro ordinis Cistertiensis Prior admodùm venerabilis. Is à Sudhercopia Vuatstenam vsque in vrbibus & pagis crebrò sermonem habuit ad populum confluentem, exponens eis quàm mira Deus per illam fecisset, quantisque miraculis illustrâsset matrem eius sanctissimam Birgittam diuersis in regionibus.

Reuerentia Suedorum erga sacras reliquias.

CAP. XIIII.

CVM Lincopiã venisset S. Catharina cum sacris reliquijs, Nicolaus sanctæ memoriæ eius vrbis Episcopus obuiàm processit, idq; ritu solenni, cum clero & monachis, populo subsequente. Pulsabantur campanæ, resonabant organa, laudes canebantur Deo, qui est mirabilis in sanctis suis, & glorificat honorificantes se. Vbì ad maiorem ædem ventum est, concione absoluta, Episcopum & canonicos seorsìm cõuocat Catharina, sua negocia explicat, & ipsum antistitem cum multa reuerentia de quibusdam ieiunijs immoderatis admonuit. Multo enim tempore ille se incluserat, soli Deo vacans in ieiunijs, vigilijs & precibus, posthabita cura pastorali: non quòd laborem detrectaret, sed quòd mala vsqueadeò excreuissent in regno Suediæ, vt citra cleri & ecclesiarum dispendia non posset se murum opponere pro domo Domini. Zelus domûs Dei comederat eum, & opprobria exprobrantiũ priuilegijs ecclesiæ ceciderant super cor eius. Sed audito sapienti sanctæ virginis consilio, decreuit æquo ferre animo afflictiones: multumq; deincèps veneratus est eam. Tandèm quarta feria intra octauas Petri & Pauli ad Vuadstenense monasterium S. Catharina peruenit, & cum ingenti gaudio excepta est. Habita deindè collatione cũ fratribus, ad sorores siue sanctimoniales ingressa est, cum illis intùs permansura. Ab eo autem tempore cœpit illis preesse, & regulam Saluatoris, quam apud matrem tot annis didicerat, ipsis suo exemplo declarare: multumq; abhorrebat ab illis omnibus, quæ essent à sancta illarum professione aliena. Inprimìs autẽ detestabatur obtrectationes, quæ alienæ famæ morsus venenatos infigunt. Videbant in ea omnes tũ fratres tũ sorores exempla totius honestatis & sanctimoniç: feruorẽ in diuinis officijs, in rebus duris & aduersis patientiã. Post preces horarias solebat cũ vna è sororibus psalteriũ relegere. Euocabat aũt modò singulas, modò vniuersas sorores, & ad regulç obseruãtiam humanissimè eas incitabat.

1. Reg. 2.

Lincopensem antistitem ob ieiunia immoderata reuerẽter admonet.

Præest monasterio Vuatstenẽsi.

CAP. XV.

POsteaquàm reliquiæ beatissimæ Birgittæ in Vuatstenensi cœnobio repositæ fuêre, multis cœperunt coruscare miraculis, permultiq; ex diuersis regionibus eò confluxêre, laudantes Dominum in operibus admirandis, quæ per eius merita fiebant. Permouit ea res regẽ & regni proceres, miseruntq; Catharinam, vt Romæ ageret cum Pontifice de S. Birgittæ in diuos relatione. Fecit illa, vt iussa fuit, & Romam veniens, omnium in Romana curia animos negocio huic promouẽdo addictos comperit. Veniebant tum ad eam multi Romani nobiles, eius preces expetentes, memores pristinæ eius cõuersationis. Erat id temporis extra vrbem vidua quçdam nobilis, soror Latini baronis Romani. Ea viuebat parùm honestè: admonitaq; crebrò à fratre suo Latino & viris religiosis, vt castè viueret, non solùm nihil mutata fuit, sed multo etiam magìs voluptatibus dedit operam. Aegrè tandèm ab ea Latinus impetrauit, vt Romæ cum ipso moraretur. Et eò quidem venit cum multo fastu, sed in tantam incidit ægritudinẽ, vt eius salus à medicis desperaretur. Tum frater eius per seipsum & alios pios homines multùm admonebat illã, vt peccata sua purè confiteretur. Illa animo obdurato semper respondebat, se satis esse cõfessam. Rogauit igitur Latinus S. Catharinam, vt vellet miseram adire, & inuitare ad veram confessionem. plurimùm enim de eius sanctitate sibi pollicebatur. Illa vt erat ad consolandos ægros semper propensa, nihil detrectauit: venit ad languidam: hortabatur vt integrè cõfiteretur, sed nihil obtinuit. Cernens ergò eius obstinatum animum, orat circunstantes, vt Deo preces offerãt pro salute miseræ: moxq; in genua procumbit, Deum rogatura. Et eccè repentè è Tiberi perspicuè cernebatur emergere fumus quidam aterrimus, figura orbiculari, ingenti mole instàr plaustri fœno onusti. Is sursùm elatus in aëra, ferebatur pendulus supra ædes, vbì illa decumbebat: tantæq; illic extitêre tenebræ, vt alij ab alijs videri non possent.

Miracula ad reliquias S. Birgittæ.

Orat pro fœmina indurata, & illa resipiscit.

possent. Magno autem impetu è cælo ruens illa fuligine nigrior moles, solo tenus oppressit domum proximam cubiculo, in quo misera iacebat. Ad cuius terribilem horrisimumque fragorem ægra ingenti timore correpta, Catharinã ad se vocat, promittitque cum lachrymis se facturam, quicquid illi visum esset. Mox accersitur confessarius, ipsa id summoperè, quæ priùs tota abhorruerat, expetente: factaque diligenter confessione, altero manè sacramentis munita, spiritum efflauit. Quotquot verò illic aderant, fatebantur eam gratiam illi precibus S. Catharinæ obtigisse.

CAP. XVI.

ROmæ matrona quædam nobilis septem abortus ediderat. Cernens verò se marito ea causa minùs gratam, cùm iam iterùm grauida esset, supplex adijt S. Catharinam, de cuius sanctitate nihil hæsitabat, eique suam exposuit calamitatem. At illa quasdam ei sanctissimæ matris suæ reliquias dedit, admonens, vt vsque ad partum illas apud se deferret, promittens etiam se parturienti adfuturam. Vbi pariendi cœpit adesse tempus, matrona ad se illam aduocat. Illa celeriter accurrit, adest laboranti, nec cessat à precibus, donec viuam est enixa puellam, quam etiã Birgittam voluit nominari. Tota verò vrbe eius rei fama dispersa est, & omnes non vulgaris miraculi loco habuere. Accidit etiam quandoquè, vt, Catharina Romæ manente, Tiberis tanta existeret inundatio, vt Romani Vrbis excidium vererẽtur. Iam enim pontem Lateranensem & S. Iacobi monasteriũ, multaque adiacentia ædificia vnda excesserat. Itaque habito consilio, aduolant ad S. Catharinam, orant vt nè grauetur cum ipsis descendere ad insanientem fluuium, suas preces illi opposituга. Illa cum lachrymis negat, se indignam arbitrata. At Romani eam vel inuitam tollunt, & è domo exportatam, sæuientibus vndis obijciunt. Mox vt illa aquas pedibus attigit, eæ retrorsùm abiere, suum alueum repetentes. Stupent omnes, laudantque immensam creatoris potentiam, qui etiam in vndis mirabilia efficit per sanctos suos. Huic spectaculo aderat sanctæ memoriæ D. Petrus Prior ordinis Cistertiensis, cuius suprà mentio habita est, dixitque familiæ S. Catharinæ: Memoria retineatis ea, quæ vidistis hodiè. hæc namque & alia eius miracula & virtutes olìm requirentur. Cùm autem sancta virgo profecta esset Neapolim, illicque hæreret ob colligenda & conscribenda miracula, quæ per B. Birgittam tam in vita, quàm post obitum eius Dominus ibì operatus est, fama sanctitatis eius permota, quædam magna domina venit ad eam, & cum lachrymis explicauit ei, quemadmodùm filia eius, viro orbata, grauissimè infestaretur à dæmone nocturno, quod quidẽ ob communem verecundiam nõ esset ausa aperire propinquis, sed ex opinione sanctitatis eius sumpta fidutia, ipsi indicare non dubitâsset. His auditis, valdè illarum vicem dolebat Catharina, & tacitè secum legens semèl salutationem angelicam, vt semper erat solita, cùm de rebus spiritalibus consuleretur, saluberrimum eis consilium impertijt. Primò, vt purè sua peccata confiterentur. Aiebat enim, ob peccata in confessione celata, plerunquè id genus illusiones accidere. Deindè, vt nudis pedibus & absque lineis indusijs cum omni humilitate continuis octo diebus irent ad templum S. Crucis, & ob reuerentiam passionis Christi, coram imagine ipsius à cruce pendentis legerent septies Dominicam orationem & angelicam salutationem. Addebat verò, se quoquè, licèt indignam, ex commiseratione libenter pro ipsis Dominum rogaturam. Fecerunt illæ dominæ, vt iussæ erant, & ecce die octauo veniunt ad Catharinam, ingentes Domino gratias agentes, quòd iam liberatæ essent ab illo impuro dæmone, Catharinæ consilijs obtemperando. His & id genus alijs magna sanctitatis existimatio conciliata est S. Catharinæ non modò Romæ & Neapoli, sed etiam in multis alijs Italiæ & Germaniæ regionibus: compluresque afflicti ad eam confugiebant, vt eius precibus à Domino consolationem obtinerent. nec sunt spe frustrati sua.

Matronæ septiès abortienti viuam prolem impetrat.

Tiberis inundationẽ sistit.

Dæmonem muliere abutentem, saluberrimis datis consilijs, profligat.

CAP. XVII.

EXpeditis Neapoli, quæ illic exequenda susceperat, Catharina Romam redijt, & vrgebat quidem matris suæ in diuos relationẽ: sed Pontifice Gregorio XI. moriente, non potuit ità facilè rem ad effectum perducere. Itaque totum illud negocium ad Vrbanum VI. Romanum Pontificem deuolutũ est. Nouerat is Pontifex Birgittam, & cupiebat, eius sanctitatis conscius, eam sanctorum catalogo adscribere, sed schisma tum recens ortum, multaque alia eius conatus retardabãt. Iam quinquennium Catharina Romę egerat huius rei causa, nõ sine magnis impendijs: sed cùm videret ob schisma impendens spem nullam meliorem ostendi, quęcunq; ad impetrandam sanctæ matris suę canonizationem, vt vocant, facere videbantur, putà vitã & mira-

cula eius, cum fide dignis testimonijs conscripta, Romæ reliquit, diuinæ prouidētię rem totam committens: impetrataque à summo Pontifice Regula Saluatoris & priuilegijs quibusdam monasterij Vuastenensis, constituit redire ad suos. Erat tum Romę Cardinalis Elcazarus, qui à iuuentute sua multùm dilexerat S. Birgittam tam viuentem, quàm vita functam, quippe qui in vita rectè instituenda eius semper consilijs se accommodauerat. Is Catharinæ quęcunque potuit in eius promouendis negocijs beneficia & auxilia humanissimè pręstitit, illius vitę sanctitate permotus. Romanus quoque Pontifex Vrbanus V I. cum cæteris dominis Cardinalibus, singulari quadam beneuolētia eam prosequens, literas Apostolicas ei contulit ad loca omnia, ad quæ esset accessura: adiuncto etiam ei magnæ authoritatis viro, qui per Italiam ad Alpes vsque tuto eam deduceret. Eæ literæ effecerunt, vt ab Italiæ & etiam Germaniæ principibus & ciuitatum magistratibus admodùm honorificè exciperetur. Vbi in Prussiam tandèm peruentum est, labore & morbo valdè exhausta curru vehebatur. Quidam verò ex eius familia somno correptus, è curru décidit inter equorum pedes: porrò succedentes mox rotæ adeò eius costas attriuerunt, vt vix anhelitum ducere videretur. In currum autem subleuatus, animum Catharinæ multo dolore affecit. Itaque suo more dicebat angelicam salutationem, & leuiter hominis quassātum latus contrectabat. Mox adeò ille restitutus est, vt qui præ doloris acerbitate spirare vix poterat, eodem die lætus discurreret, Christum laudans & S. Catharinam, cuius meritis esset salutem tam celeriter adeptus. Porrò ab eo tempore, quo ab Vrbe discessit, corpore cœpit debilitari: & licet morbus quotidiana caperet incrementa, at nihil ei de animi pietate & deuotione discessit: nec medicorum voluit vti opera, quippe quæ toto pectore cuperet dissolui & esse cum Christo. Deindè in monasterium Vuastenense reuersa, ab octauis Apostolorum Petri & Pauli, vsq; ad Dominicæ annunciationis solennitatem, varijs continenter exercebatur corporis molestijs. Sed quanto erat corpore infirmior, tanto magìs animi virtus & robur augescebat. Accidit tum, vt quidam ex familia monasterij ab alto ædificio præceps in ligna & lapides decideret, fractisq; dextri lateris ossibus, vix spiritum trahere videretur. Id vbi illa resciuit, ad monasterij ostium descendit, oratione præmissa læsa membra tetigit, doloremque omnem ità repentè depulit, vt æger, membris consolidatis, statim ad laborem reuersus sit, magnificans Deum, qui talem potestatem dedit hominibus.

Vrbani Pōtificis erga eam beneuolentia.

Sanat cōtactu manus suæ hominē mire confractum.

Item alterum.

CAP. XVIII.

IN dies autem morbo inualescente, beata Catharina crebrò se sacramentorum vsu muniuit. Ab eo autem tempore, quo cum matre peregrinationes susceperat, quotidiè solita fuit peccata sua corde contrito confiteri: interdùm bis ter' ve id faciebat. Sciebat enim, Confessionem esse salutem animarum, vitiorum expultricem, virtutum instauratricem, oppugnatricem dæmonū, & quę tum os tartari obstruat, tum paradisi portas reseret. Euchariſtiam verò in hac extrema ægritudine ob stomachi passiones sumere non audebat: sed quibus poterat deuotionis signis sacrosanctum Christi corpus venerans, leuatis in cælum oculis, & quia lingua non poterat, spiritu Dominum deprecans, adstātibus sororibus, feliciter obdormiuit. Viderunt tum homines quidam religiosi supra domum, in qua corpus eius exanime iacebat, per dies & noctes stellam consistere, donèc esset tradita sepulturæ. Corpore autem ad monumentum allato, stella pariter suo visa est loco moueri, tanquàm obsequiū funeri præstitura. Inter Missarum autem solennia, corpore in templo reposito, stella mansit pendula supra feretrum: deniquè corpore humato, stella euanuit. Nec deerant, qui sanctè iurarent vidisse se luminaria mire radiantia in aëre, quæ ipsum feretrum antecederent, dum ad ecclesiam deportaretur. Ad eius obitum in Vuatstena plurimi conuenēre prælati, archiepiscopi, episcopi & abbates ex regnis Suediæ, Daniæ, Noruegiæ & Gotthiæ. Aderat etiam Ericus filius regis Suediæ cum multis principibus, magnatibus & baronibus: vt omittamus inferiorum ordinum clericos & laicos, quorum fuit ingens copia. Sacrum sanctæ virginis corpus exportabat Ericus iam dictus cum regni principibus & proceribus: sed turbis ad contingendùm illud certatìm irruentibus, ægrè potuit ad sepulcrum deferri. Sepulturæ officium non sine lachrymis expleuit sanctæ memorię Nicolaus Lincopensis antistes, adstantibus illi archiepiscopis, episcopis, abbatibus & multa cleri frequentia. Inter hos erat Tordo episcopus Strengenensis, magna tum eruditione, tum authoritate pręditus. Is pro singulari erga illam etiamnùm in corpore degentem familiaritate & deuotione, manum eius compræhendit, eius se precibus commendans. Et eccè sensit ille sibi

Confitetur quotidiè annis plurimis.

Reddit spiritum.

Apparet stella.

Ericus regis filius portat eius sacrum corpus.

Nota rem miram.

manum suam fortiter comprimi manu S. Catharinæ, vt solet fieri inter illos, qui mutuò sibi fidem dant. Et quidem non parùm apud Romanum pontificem eiusque Cardinales & eos, quos curiæ officiales vocant, iam olìm laborauerat Catharina pro obtinenda illi suæ electionis confirmatione, cùm ea causa is Romam venisset. Obijt multa veneratione dignissima Catharina in monasterio Vuatstenensi anno Christi 1381. XI. Calendas Aprilis, pridiè Annunciationis Dominicæ. Ad eius tumulum & sanctã memoriam multa piè petentibus præstantur beneficia, largiente illo, qui in sanctis suis & laudabilis & mirabilis est: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM SIMONIS INNOCENTISSIMI PVERI TRIDENTINI, A IVDAEIS CRVDELITER NECATI, *authore Iohanne Matthia Tiberino.*



IOhannes Matthias Tiberinus, liberalium artium & Medicinæ Doctor, magnificis Rectoribus, Senatui populoque Brixiano salutem. Rem maximam, qualem à passione Domini ad hæc vsque tempora, nulla vnquàm ætas audiuit, ad vos scribo magnifici Rectores, ciuesque præclarissimi: quam nupèr his diebus elapsis Dominus noster Iesus Christus, humano benignè misertus generi, tanto tamque horribili scelere stomachatus, tandèm produxit in lucem: vt catholica fides nostra, si qua in parte debilis est, fiat tanquàm turris fortitudinis, & antiqua Iudæorum rabies toto ex orbe Christiano deleatur, & de terra viuentium, eorum penitùs memoria pereat. Audite, qui regitis populos, inauditum scelus, & pastorum more fidelium vestris populis inuigilate. Expergiscantur habitantes terram, & videant quales in sinu proprio viperas nutriant. Crudeles Iudæi non solùm Christianorum res rabiosa vsurarum fame consumunt, sed in capita nostra perniciemque coniurati, filiorum nostrorum viuo sanguine pascuntur, quos atroci in synagogis suis affligunt supplicio, & instàr Christi crudeli funere iugulant.

24. Martij.

Iudæi quàm Christianis perniciosi.

Nupèr in ciuitate Tridentina, quæ versùs Aquilonem Italiam à Germania, Lauisio flumine interlabente, disterminat: ea in regione, quæ ab Athesis ponte recedens, versùs castellum à læua protenditur, tres Iudæorum familiæ consedebant, quorum capita fuêre Tobias, Angelus & Samuel: apud quem senex quidam * barbatus, Moyses nomine, quem venturi Messiæ tempus & horam prophetico spiritu scire decantabant. Hi ea in hebdomade, quam nos Christiani sanctam appellamus, die Martis, duodecimo Calendas Aprilis, anno incarnati Verbi septuagesimoquinto supra millenum quatercentenum, conuenerunt in domum Samuelis, vbi Synagoga & eorum templum, spectandi gratia viuentem vitulum, qui ad eos ea luce de Leuigi pago delatus erat. Et dum inter se plurima vario sermone conferrent, Angelus hanc rabido fudit de pectore vocem: In ista Parasceue & carnes & pisces abundè nobis sunt: vnum tantùm nobis deest. Respondit Samuel: Et quid tibi deficit? Tunc coniectis oculis adinuicèm taciti omnes intellexerunt, quòd de immolãdo Christiano infante loqueretur, quem in contemptum Domini nostri Iesu Christi mactant atrociter, & exhausto sanguine vescentes in azymis suis, à fœtore, quo grauiter olent, Christiano se cruore præseruant: huncque suum appellant Ioël, id est, Iubileum. Sed annuebant cautiùs eloqui oportere propter seruos, qui, ob instantem parasceuen, diuersis impediti ministerijs, nunc huc, nunc illuc discurrebant. Postero autem die, cùm omnes in Synagoga conuenissent, consultabant quonam in loco possent illum aptiùs occidere. Tobias & Angelus in domibus suis earum ob angustiam fieri recusabãt, propterеà quòd exiguo in loco difficile esset à pueris tam vastum facinus abscondere: sed propter rerum omnium commoditatem & amplitudinem loci, meliùs apud Samuelem fore asseuerabant. At vbì sic decreuissent, disputabant quo possent ingenio masculũ infantẽ surripere. Dumq; inter se diuersa opinione contenderẽt, Samuel ad se seruũ suum Lazarum iussit accedere. Corã quo statim cùm adstitisset, Lazare, inquit, si tibi pręstat animus Christianum puerũ furari, & nobis illum tradere, centum ilicò te donabimus Philippeis. Ad quæ responsum paucis ità reddidit ille: Res hæc, patres venerandi, maximi discriminis est: eam ego penitùs tẽtare recuso. Et confestim exiens de templo, collectis sarcinulis suis, ad alias terras commigrauit.

* legendum puto, morabatur,

Iudæi in parasceue mactant Christianos omnes.

Die autem Iouis omnes in Synagoga congregati, ad Tobiam dixerunt: Animaduertimus neminem plùs votis nostris posse satisfacere, quàm te. Versaris enim quotidiè cum Christicolis,& penè omnes tibi familiares sunt. Facilè potes vnum intercipere: quia nemo, cùm ciuitatem obambulas, in te aduertit. Dabimus operam profectò,vt tibi multa bona à nobis semper accedant. Negat Tobias,& periculum in negocio multis assignat rationibus. At illi suis hunc execrationibus adstringunt, & nisi pareat,minantur se illi perpetuò interdicturos Synagoga. Tobias ergò videns omnes in eum conspirâsse,& præmium sibi iam fore propositū,auri cæca cupidine captus: Aggrediar,inquit,patres libenter prouinciam hanc. Verùm,vt nôstis,pauper sum ego,& ad commodè viuendum ars mea non sufficit. Sunt & plures mihi filioli: eos & me vobis vnicè commēdo. Responderunt omnes: Adfer puerum huc, nulla enim vnquàm erga te nos arguet ingratitudo. Tunc ad Samuelem conuersus proditor,inquit: Nulla claue postes tui concludantur, vt si mihi quisquam opportunè cōtigerit, intrò possim illum leuiter impellere. Et transactis vesperis egressus, cœpit totam viciniam solus obambulare: transiensque per viam, quam Fossatum vulgus appellat, sese vsque ad plateam celeriter transtulit. At vbi commodè reperit neminem,flexit iter properè,simul & vestigia retrò obseruata legit.

Tobias se recipit puerū Christianum suffuraturum.

Posteaquàm locum illum attigit,quem Fossatum vocitant incolæ, insignem puerū ante fores patris super ligno sedentem conspexit, nomine Simonem, qui nondùm vigintinouem menses natus,adeò formosus erat in cunctis,vt in eo non compræhenderetur,quod iure repræhendi posset. Et accedens,lustrat neminem in puerum aduertere. Porrigit digitum Tobias blandus infanti. Speciosus puer, benignus vt erat & facilis, candida manu capit molliter indicem. Procedit, sequiturque puer non passibus æquis. Cumque genitoris sedem pertransisset proditor, rabida dextera pulcherrimā manum prænsat infantis, & nunc illū trahit, & nunc mollia terga pulsans genibus impellit. Tunc respiciens puer,cœpit cum lachrymis pios extollere vagitus, & dulce matris inuocare nomen. Exanimatus ilicò proditor,denarium extraxit argenteū,& porrigens infanti,illum blando sermone compescuit. Posteaquàm ad extremum viæ peruenit carnifex, omnia ritè collustrans, cerdonem à sinistris respicit consuentem. Ibì exanimatus,ilicò gressum continuit,donèc aliorsùm tandem lumina flecteret artifex. Tunc occasionem nactus, celeri gradu viam pertransiens, in domum Samuelis intrusit infantem. Hic Samuel, velutì tigris expectans ad sanguinem, corripiens puerum, ocyùs in suum thalamum sustulit. Prætereo hîc, quanta tunc dracones illi sunt affecti lætitia. Vlulabant siccis faucibus super Christianum sanguinem. Et nè puer, peregrino loco deterritus, clamorem effunderet, alij porrigebant vuas, alij poma, alij res alias, quibus vtplurimùm infantes delectantur, donèc silente puero, dies se cum nocte coniungeret. Intereà genitrix eius Maria puerum vt vidit abesse, nec solito more apud vicinos illum offenderet,percusso pectore,vnà cum coniuge Andrea, totam per ciuitatem explorabat infantem. Pueri & omnes,è quorum labris sæpè spiritus sanctus eloquitur,illum apud Iudæos inquirendum asserebant. Futurum enim, vt cum rapuissent Iudæi,& in Christianæ fidei opprobrium in cruce suspenderent. Et nisì de medio nox repentè viæ abstulisset, ad Iudæos vertissent iter. Vndè collapsis tenebris impulsi, flentes amarè,domum sese receperunt.

Simonē infantem Tobias abducit.

Tempus erat, quo prima quies humana reficit pectora, atque quiescebant voces hominumque canumque. Tunc crudelis Moyses vnà cum reliquis atrocissimis Iudæis benignum illum deportantes infantem, ingressi sunt vestibulum, quod cum primis Synagogæ foribus adiungitur: ibique in scamno iuxta caminum residens,puerum suis super genibus excepit. Porrò circunfusi omnes, vestem ei ad vmbilicum & cubitos vsque verso ordine detraxerunt,colligentesq; fluentem tuuicam succinxerunt lateri, ità vt à femore vsque ad talos detractis caligis nudaretur: & appræhendens sudarium Samuel,quod eius pendebat à cingulo,colloque circunuoluens comprimebat puerum, nè vagitus effunderet,alij verò manus pedesque continebant. Tunc euaginato Moyses cultro,summum virgæ perforauit infantis: correptaque forfice, cœpit maxillam dextram iuxta mentum dilaniare,& particula carnis abscissa,in parato ibì cratere reposuit. Colligebant adstantes sacrum sanguinem, & alterno ordine forfice porrecta, quilibet sibi frustulum viuæ carnis excindebat. Sic fecerunt omnes primi,donèc vulnus oui rotunditatem multùm excederet. Et si quandò cedente laqueo puer gutture perstrepebat,admotis crebrò manibus ad os,illum crudeliter suffocabant.

Atrocissima innocentis paruuli excarnificatio

Scindūt Iudæi particulas è maxilla.

Hoc

Hoc Moyses ità peracto, dexteram tibiam confestim eleuauit infantis, eamque suis super genibus statuens, aggreditur exteriorem partem, quæ inter cauillam & cruris musculum interiacet, similiter eodem ferro conuellere: & capta forfice, vicissim carnem viuam viuo cum sanguine lacerabant. Postmodùm seuissimus senex ille, tanti sceleris caput, semimortuum erigens infantem, petijt Samuelem à sinistris pueri secū considere: & vterque sanctissima illius brachia instàr crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos, vt sacrum illud corpus duris acubus infoderēt. Collecti ergò omnes circùm, incipientes à vertice vsque ad plantas, illum densis ictibus perforabant, dicentes: Tolle Iesse mina elle parichiefelle pasiusen pegmalen: quod est: Sicut Iesum Deum Christianorum, qui nihil est, trucidemus istum: sic inimici nostri confundantur in æternum. Iam plusquàm per horam miserandus puer terribili durauerat in supplicio, & interdicto spiritu collapsis viribus deficiebat, attollens graues oculos in cælum, superos aduocare videbatur in testes. & inclinato capite sanctum Domino reddidit spiritum, Purpureus veluti cùm flos succisus aratro, Languescit moriens, lapsoque papauera collo Demisêre caput, pluuia cùm fortè grauantur. Tunc Moyses & omnes reliqui oculos & palmas eleuantes in cælum, egére gratias Deo, quòd de Christianis vindictam simul & sacrificium obtulissent: relictoque illic corpore, cum plausu & clamore maximo summa per tecta discurrentes, ineffabilem lætitiam se percepisse demonstrârunt. Et descendentes ad cœnam, seruis præcepit Samuel, vt sub cadis vinarijs illud occulerent. Timebant enim proclamationes antistitis, & crebrescente in eos magìs magisque fama, nè furore populi capti & cæsi, ad torturam subitò traherentur.

Acubus totum pueri corpus perforatur.

Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.

Altero die, qui passionem Domini cunctis in Christum credentibus ad memoriam reuocat, restrictis labentibus in vrbem fluuijs, parentes infantis vnà cum cohorte prætoria vbicunquè quærentes, non inuenerunt eum. Die autem sabbati conuenientes Iudæi in Synagoga, cunctis cernentibus, cadauer super almomor extenderunt. Est enim almomor mensa quædam ante altare, vbì psalmos, antiphonas, hymnosque decantant. Perfectisque orationibus suis, rursùs eodem in loco reposuerunt corpus. Tertiò verò die, qui sanctum Pascha Christifidelibus attulerat, vt præsenserunt Iudæi omnium penè mentes in eos esse suspensas, inito consilio, libratisque plurimorum opinionibus, dixerunt: Proijciamus corpus istud vestitum in flumen, quod nostra domo subterfluit: & euntes ad pontificem, dicamus quoniam illud in domum nostram aqua deduxit, & crate ferrea retentum, non potuit vnà cum flumine delabi. Talibus enim visis, nemo credet Iudæos puerum extinxisse. Placuit omnibus sententia: & ascendens ad pontificē proditor, rerum seriem eo, quo fuerat institutū, ordine pandit. Tunc gauisus pontifex, Iohannem de Salis prætorem & Iacobum de Sporo præfectum suæ Tridentinæ ciuitatis illic, vbì iacebat puer, secum iussit accedere. Et descendentes statim, inuenerunt cadauer in aqua pannis inuolutum: quo protinùs extracto, illiusque vulneribus diligenter annotatis, illud in basilica S. Petri collocauerunt: vbì maxima populorum languentiumque confluente frequentia, multis maximisque in dies miraculis fulget.

S. Pueri corpus multis claret miraculis.

Eccè Christiane Iesum inter latrones rursùs crucifixum. Eccè quid facerent Iudęi, si inter Christifideles haberent imperium. Gloriosus Simon, virgo, martyr & innocēs vix ablactatus, & cuius lingua nondùm humanum sonabat eloquium, in cōtemptum nostræ fidei à Iudæis est extensus in cruce. Audi, qui tam crudele hominum genus tuis in vrbibus pateris. Iudæi æterno statuto decreuerunt, vt diuinæ Eucharistiæ, beatæq; Mariæ semper virgini quotidiè maledicatur: polluta omnia verba peccatum asserentes, præter illa, quæ in contemptum Romanæ Ecclesiæ vergere dinoscuntur. Item in tertio libro Thalmud (hunc enim codicem præferunt Iudæi libris Moysi & prophetarum: & vt magìs credatur Thalmud, fabulæ addunt fabulas, dicentes, quòd Deus studeat Thalmud) ibì, inquam, perpetua lege sancitur, vt ter singulis diebus in oratione, quam efficaciorem cunctis precibus existimant, omnes Christifideles deuoueantur. Hanc etiam orationem stantes iunctis manibus, ad nullam rem mundi intentionem agentes, euomunt, viri Hebraicè, mulieres ea lingua, quam à primis annis didicerunt. Solus Leuita eam alta voce decantat, alijs omnibus respondentibus, Amen. Verba orationis sic sonant: Conuersis non sit spes, & omnes repentè dispergantur: in matricibus minorentur paruuli, ac ampliùs non resurgant: & omnes inimici tuæ gentis Israël destruantur, & regnum nequitiæ Christianorum eradicetur & confundatur. Fac Domine fac, impleas, quod petimus, in diebus nostris velociter: quia tu es Deus benedictus, fugās ini-

Impijssima Iudæorum decreta.

Iudæi ter quotidiè Christianos execrantur.

micos & destruens impios. Et in secundo Thalmud affirmant, quòd Dominus noster Iesus Christus maxima in inferno tormenta patiatur. Non est mirum Christiani, si nos bello, fame, siti, grandine, pruina Christus affligat: si nos populum suum, precioso suo sanguine redemptum, semper ad deteriora labi sustineat. Cùm patiamur inter nos regnare inimicos eius, quid quæso hoc est aliud, quàm sacrosancta fide despecta, eius perpetuis hostibus adhærere? Natus est Simon, de quo agimus, die Veneris 6. Calend. Decembris, anno à partu virginis salutifero 72. supra millenum quater centenum, ex Andrea & Maria parentibus pauperrimis, D. Iohanne Hinderbach quarto pontifice & domino Tridentino imperante feliciter. Ob quam rem Iudæi omnes à maiore vsque ad minorem, in carceribus catenisque conclusi sunt, non indè recessuri priùs, quàm debitas pœnas luant. Valete. Tridenti 2. Non. Aprilis, 1475.

Iudæi oés in carceres coniecti.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREÆ ARCHIEPISCOPI CRETAE HIEROSOLYMITANI, IN ANnunciationem sanctißimæ Dominæ nostræ Dei genitricis Oratio.

Habetur in Metaphraste.

25. Martij.



ADuénit hodiè omnium gratia, quæ primam illam execrationem soluit. Passim aduénit, vt omnia gaudio repleret. Quomodò autem aduénit? Non satellitibus, non exercitu angelorum stipata, non ostentans aduentum suum, sed silentium & quietem adhibens, vt lateret principem tenebrarum, & arte sapientiæ serpentem irretiret, draconemq; decipiens, id est, mentem illam Assyriam, quę in seruitutem suam omnem nobilitatem humanam redegerat, spolia ipsi detraheret. Neque enim infinita eius erga nos misericordia tam præclarũ manuum suarum opus, nempe hominẽ, propter quem cęlos condiderat, terram firmauerat, aërem diffuderat, mare extenderat, & omnia, quæ sub adspectum cadunt, procreàrat, affici detrimento sustinuit. Idcircò Deus in terra, Deus è cælo, Deus in hominibus, Deus in Virginis vtero gestatur, qui nusquàm concluditur.

Hominis præstantia.

Hinc hominis natura lætitiæ ducit exordium, & diuinæ conditionis initium sumit. Hinc multiplices suas à peccato natura diuitias separans, creatori, tanquàm sponsa, exornatur. Hinc renouationem suscipit nostra formatio, & senex mundus contractam ex peccato vetustatem deponit. Lętetur cælum desupèr, & nubes pluant iustitiam. Stillent montes dulcedine, & colles exultent: quoniã misertus est Deus populi sui. Hodiè enim mysterium, quod ante secula absconditum fuerat, declaratur: & omnia in Christo perfectionem recipiunt. Hodiè rerum omnium potentia procreatrix, consilium, quod sibi in illis procreãdis proposuerat, ad exitum perducit, vt malitiæ principis dolos ab initio excogitatos destruat. Itaque lætantur homines, gaudent angeli, & recreatus in se redit orbis vniuersus. Quæ mens hæc concipere? Quæ lingua explicare? Quæ oratio assequi, aut auris percipere valeat? Meritò igitur diem hunc faustum lætumque dicimus, quo nostri generis massam à Deo assumptam celebramus. Ex quo lætitia gestit omnis creatura, & humana natura excitatur.

Materia gaudiorum huius diei.

Hodiè lætitiæ nuncius affertur: Dei erga nos benignitatis patẽt indicia, mundi totius salus ostenditur. Vndénam, & à quo, & cui afferrur hic nuncius? E cælo & à Deo, & Virgini viro desponsatæ. Quæ´nam hæc virgo? Ecquis iste vir? Et quibus nominibus appellantur? Illa quidem Maria, hic aũt Ioseph. Ambo ex genere Dauidis. Quo internuncio hæc gesta sunt? Et vndè is venit? Archangelo Gabriele, qui ab altissimo missus, rem admirabilem nunciauit. Oportebat enim, vt minister altissimi, ex altissimis in terram proficiscens, maximè omnium admirandum mysterium indicaret. Quod´nam mysterium? Dei submissionem, arcanam seruandi generis nostri rationem, absconditum à seculo Diuinæ voluntatis prouidentiæque consilium. Sed vbì hæc, & quandò, & cuius gratia? In Nazareth ciuitate Galilææ, sexto mense, ex quo Iohannes conceptus fuerat, vt venientem, dum adhuc in vtero gestaretur, nunciaret. Gabriel igitur ab æthereis sedibus ad terrestrem Dei thalamum deuolans, & ad Virginem accedens sine strepitu, virginei partus arcanum significauit.

Hoc inter Deum atque homines reconciliationis mysterium, Dei cum hominibus con-

coniunctionem, assumptæ carnis diuinitatem, imaginis nostræ instaurationem, & mutationem in melius, atque sublimem in cælos exaltationem hodiè celebramus. Quamobrèm omnia incredibili gaudio exultāt. Lætatur omnis cælestium Virtutum chorus, quibus gratum est, quòd Deo simus reconciliati, & meliorem in statum perducti. Benigni enim admodùm sunt, & hominum amātes ac studiosi, quippe qui in ministerium mittuntur eorum, qui salutis hæreditatem sunt accepturi. Angeli homines valde amant. Hebr. 1.

Res igitur omnes hodiè lætentur & gaudeant, triumphet ipsa natura. Aperitur enim cęlum, & terra ratione inuisibili suscipit orbis regem. Nazareth imitatur Eden, & ipsius Eden plantatorem in sinum suscipit. Pater misericordiarum abiectam naturam humanam vnigenito filio despondet suo. Et Gabriel mysterio inseruit, ac Virgini succinit illud, A V E: vt lætitiā, quam prima parens Eua perdidit, filia Adam, orta ex Dauidis stirpe, restituat. Hodiè gloriæ pater genus humanum cōmiseratus, naturam in Adam corruptam, benignis oculis intuetur. Hodiè clementiæ largitor, clementium viscerum suorum abyssum patefacit, & naturæ misericordiam effundit, vt aquæ copia maria contegat. Consentaneum enim erat, vt is, ex quo, & per quem, & in quo omnia cōsistunt, antiquæ contra nos execrationis sententiam misericordia commutaret, & gloria sua naturam, quæ in Adam fœdata fuerat, honestaret, & perniciosum patris mendacij consilium, quo primi parentes nostri ceciderant, excluderet. Ideò magnus inter reges, ac diuinus pater Dauid: Misericordia, inquit, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatę sunt. Psal. 84. Cur dixit hæc? An vt filij misericordiā ex bona patris voluntate, qua nostrî misertus ipse misericordiæ dator, factus est, excepto peccato, quales nos sumus, & veritatē aduentûs eius ad nos, significaret? Neque enim, vt aliquis fortè suspicatur, simulatam ex nobis humanitatem assumpsit, sed veram. Benignè enim & humano more, ex hominis essentia sumpsit essentiam, qui omni est essentia præstātior, & totam naturam nostram in seipso diuinam reddidit: neque dispensationem finxit, sed carnis veritatem suscepit, diuinitate ipsius aliena ab omni mutatione permanente. Humana natura in Christo q̄ exaltata.

Quoniam igitur misericordia & veritas (vt prophetia testatur) obuiauerunt sibi, meritò iustitia & pax osculatæ sunt. Iustitia quidem, quæ aduersùs eum, à quo primi parentes iniuria affecti fuerant, sententiam tulit. Quandò? Et apud quem? Hodiè, & apud altissimum patrem, qui natura benignus & hominū studiosus, dignum duxit, vt filius suus vnigenitus humanam formam indutus, aduersarium condemnaret. Pax autem, quam è cælo repentè chorus Angelorum in ortu pacifici filij secundùm carnem decantauit: Gloria, inquiens, in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Luc. 2. Gloria nimirùm, qua humana natura per Christum super cælos euecta est, & super omnē principatum, & potestatem, & virtutem, vt magnus inquit Apostolus. Ephes. 1. Pax autem, qua medius ipse conciliator intercessit, terrestribus cælestia coniungens, & nouam in cælum redeundi semitam mortalibus patefaciens. Bona porrò voluntas, qua Patri placuit dilectum filium ad nos damnatos mittere: qui salutē nostram patri in ipso approbatam, eiusdem cum patre volūtatis expleret. Hoc nos hodiè celebramus. Hoc Gabriel mandatum exequitur: & diuinitati atque humanitati nuncius est, recōciliationisque pignus affert ad Virginem.

Nam misericordiarum pater genus nostrum, peccati labe iam corruptū, miseratus, meminit operum manuum suarum: nec passus est, vt in perpetuū periremus. Primùm legem tabulis lapideis inscriptam Moysis manibus imposuit. Exod. 31. Quæ quidem lex cùm nihil admodùm proficeret, viros diuino spiritu afflatos, nempe Prophetas futura prospicientes ac denunciantes misit, qui rectas Dei semitas demonstrarent. Verùm cùm ij, ad quos missi fuerant, sensibus occlusis, nihilominùs in peccatis iacerent, nō despexit opifex opus à se conflatum: sed ex optimo sinu suo & perfectissimo, filium eiusdē potentiæ sapientiæque ac bonitatis genitum misit ad nos indignos, ad quos fines seculorū deuenerunt. 1. Cor. 10. Satiùs enim esse duxit, vt peccatorum salutē perageret, quàm vt opus à se confectum despiceret. Vni igitur ex præstātioribus Angelis mandat, vt mysteriū exequatur, & amplitudinis suæ nutu sic illi, vt arbitror, imperat: Agè Gabriel, abi in Nazareth ciuitatem Galilææ, in qua puella virgo habitat, nomine Maria, viro, qui vocatur Ioseph, desponsata. Abi, inquit, in Nazareth. Quid ità? Vt Deo gratissimū virginitatis decus, tanquàm suauissimā rosam, è spinosa regione decerpat Omnipotens. Et propter prophetiam, quæ Nazaræum vocatū iri prædixit. Quem? Eum, qui à Nathanaële posteà Dei filius, & rex Israël vocatus est. Iohan. 1. Solet vtiq; Gabriel in Dei mysterijs minister adhiberi, vt patet in Daniele. Dan. 8. & 9. Abi igitur in Nazareth ciuitatē Galilææ: cùmq; illuc perueneris, hūc pri-

mum Virgini lætitiæ nunciũ affer,quem Eua iam amisit. Caue perturbes animum eius. Gaudij enim,non mœroris,hoc est indicium:Solatij, non perturbationis, hæc est salutatio. Quod enim maius humano generi gaudium esse potest,quàm vt fiat diuinæ particeps naturæ, & vnum cum Deo propter coniunctionem in persona efficiatur? Quid porrò admirabilius, quàm Dei submissionẽ eiusmodi videre, vt in mulieris vtero gestetur? O rem maximè omnium admirandam. Deus,cui cælum sedes est, terra autem scabellum pedum eius,quem cęli non capiunt,qui idem,quod pater,solium habet æternitatis,in Virginis vtero concluditur. Quid maiore dignũ admiratione, quàm Deum sub hominis forma à propria diuinitate non deficiẽtem intueri? Et humanam cernere naturam,totam omninò cum suo creatore coniunctam, vt totus homo Deus euadat?

Esa. 66.

Gabriel igitur,cùm hæc audìsset,mandatumque diuino nutu confirmatum, sed viribus suis maius accepisset,inter metum atque lætitiam dubius hęrebat,cùm nec sibi ipse fideret, nec iubenti repugnare tutum existimaret. Quamobrem diuina iussa facessens, ad Virginem deuolauit. Cumque Nazareth peruenisset, ad domunculam constitit, & cogitabundus atque hæsitans, hæc secum ipse, vt arbitror, volutabat: Quomodò quæ mihi à Deo mandata sunt,perficere aggrediar? Celeriter in thalamũ introëam? At animum Virginis perturbabo. Tardiùs ingrediar? At puella introitum abscondere me voluisse iudicabit,Fores'ne pulsem? Quo pacto,cùm id non sit Angelorum proprium, nec quicquam eorum,quæ continent,aut continentur,impedire possit ea,quæ corporis sunt expertia? Ostium aperiam? At mihi, vel ostio clauso,licet ingredi. Vocem'ne Virginem nomine? At illi terrorem inijciam. Sic igitur faciam. Ex illius, à quo missus sum,voluntate gressum meum moderabor. Hoc enim illi propositum est,vt genus seruet humanum. Quod quidem reconciliationis consilium vt nouum est & admirabile, sic est benignitatis & clementiæ plenum. Quomodò igitur ad Virginẽ accedam? Gaudium illi nunciabo? An Dominum in ea dicam esse? An spiritûs aduentum,aut altissimi obumbrationẽ significabo? Gaudium igitur illi nũciabo, indicabo mysteriũ admirabile,accedam,salutabo,succinam vocem hanc,Aue, Gaude, Lætare. Aptum ad fiduciam principium est,salutatio. Hoc verbum mihi Virginem alloquendi aditum patefaciat. Nihil enim illi timoris potest inijcere: quinetiam animum eius leniet. Sic igitur exordiar,vt primùm illi gaudij & lætitiæ nuncium afferam. His enim verbis decet Reginam salutare. Nam hoc est gaudij negocium,tempus lætitię,trãquillitatis imperium, consilium salutis,initium consolationis. Hæc ipse secum Archangelus.

Indicãt hęc Gabrielis erga Virginem reuerentiam.

Maria regina.

Tum domum petit, & ad thalamum, in quo Virgo habitabat, accedens, sensìm ad fores appropinquauit. Cumque iam esset intùs, miti voce Virginem alloquens: Aue, inquit,gratia plena:Dominus tecũ. Qui est ante te,hodiè tecum est, & paulò pòst erit ex te. Illud quidem ab omni ęternitate,hoc autẽ in tempore. O immensam humanitatem,ó benignitatẽ incredibilem. Nõ fuit satis gaudium indicâsse, nisi ipsum gaudij authorem inesse Virgini significaret.Illud enim, Dominus tecũ,perspicuè Regis præsentiam declarat:qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. Aue gratia plena:Dominus tecum. Gaude letitię instrumẽtum,per quod tristis execrationis sententia in lætum gaudij iudiciũ commutatur. Gaude,verè benedicta. Gaude, Virgo præclarissima. Gaude,ornatissimum diuinæ gloriæ templum. Gaude,sacrosanctum regis palatium. Gaude thalame,in quo sibi Christus humanitatẽ spõsam adiũxit. Gaude,electa à Deo antè,quàm genita. Gaude diuinũ inter Deum atq; homines conciliationis perfugium. Gaude,thesaure vitæ immortalis. Gaude cęlum,in quo Sol glorię splendet: domicilium cælo præstantius. Gaude vnicum illius,qui nusquàm capitur, amplissimũ habitaculum. Gaude sancta terra virginea,ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet. Gaude fermentum sanctum ac Deo gratum,ex quo totius generis humani massa fermentatur,& in vnius corporis Christi panẽ euadit,& admirabili ratione coagmentatur. Aue,gratia plena: Dominus tecũ,qui dixit: Fiat lux,& facta est lux: Fiat firmamentũ,& factum est: cuius deniquè amplitudinis opera sunt omnia, quæ facta sunt. Gaude,gaudij mater sempiterni. Gaude,noua Dei arca,in qua Dei spiritus conquiescit. Arca,in qua noster Noë Christus humanitatem seruauit. Arca,in qua nouæ gloriæ sanctificatio, & qui natura sanctus est, in virginea naturæ officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est:non deponens id, quod erat (est enim immutabilis) sed assumens id, quod non erat (est enim benignus, & hominum amantissimus.) Gaude vrna aurea, quæ contines illũ, qui dulce manna & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude, Seraphica mystici carbonis ardentis forceps. Salue spiritale præcogni-

Angeli salutatio.

Epitheta insignia S. Mariæ.

Gen. 1.

Exod. 16. Deut. 32. Esa. 6.

cognitionis perspicuæ speculum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei submissionem mysticè vaticinati sunt. Gaude speculũ, per quod iustitiç Solem venientem è cælo suscipiẽtes ij, qui densis in tenebris peccati versabantur, illustrati sunt. Salue Prophetarũ & Patriarcharũ omniũ decus, & clarissima arcanç præcognitionis humanç tuba.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et meritò benedicta: benedixit enim te Deus tabernaculum suum, quoniam paternæ gloriæ plenum Christum Iesum, hominem eundem & Deum in ijs, ex quibus & in quibus naturis consistit, admirabili ratione in vtero tuo gessisti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cælestem thesaurum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi, in sacro virginitatis tuæ penu sine angustia compræhendisti. Tu verè benedicta es, cuius vterus areæ cumulus est: quia benedictionis fructũ, immortalitatis spicam Christum, sine semine, sine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium messem, nostræ salutis agricolæ produxisti. Tu verè benedicta, quæ sola ex omnibus matribus creatori tuo mater electa es, &, quod est matrum omnium proprium, ignoras: cuius quoquè excellentia virginitatis, maternis doloribus corrupta non est: virgineo germine tuo signa tuæ castitatis integra conseruante. Tu verè benedicta, quæ sola sine viri coniunctione filium genuisti, qui cælos condidit, & terram virginitate tua cælis exæquauit. Benedicta tu in mulieribus, quç sola benedictionẽ suscepisti, quam Deus per Abraham gentibus omnibus promisit. Tu verè benedicta, quæ sola benedicti filij Iesu Christi & Saluatoris nostri declarata es mater: per quam clamant gentes: Benedictus qui venit in nomine Domini: &: Benedictum nomen gloriæ eius in secula: &: Implebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat. Benedicta tu in mulieribus, quam beatã dicunt omnes generationes: quam reges honorant, principes venerantur, diuites populi obsecrant, virgines, quæ vel præcesserunt, vel sequuntur, in templum Regis comitantur. Benedicta tu in mulieribus, quam Esaias oculis propheticis adspiciens, prophetissam, & virginem, & laterem, & locum, & caput libri obsignatum arcana ratione nominauit. Benedicta tu verè, quam Ezechiel auroram, & portam conclusam, per quam solus Deus ingressus est, & rursùm conclusam appellauit. Tu sola verè benedicta, quam vir desideriorum Daniel montem vidit: & Abacuc admirabilis montem opacum. Montem quoquè Dei, montem pinguem, montem coagulatum, montem, in quo placitum est Deo inhabitare, te tuus ille progenitor atque rex propheticè decantauit. Benedicta tu in mulieribus, quam Zacharias rerum diuinarum inspector eximius, candelabrum aureum vidit, septem lucernis & septem infusorijs, id est, septem spiritùs sancti muneribus, exornatum. Tu verè benedicta, quæ, tanquàm paradisus, intra te contines ipsius Eden plantatorẽ Christum: qui infinita virtute ex almo vtero tuo prodiens, instàr fluuij, quatuor principijs per Euangelium rigat faciem vniuersæ terræ.

Maria benedicta. Colos. 2. Gen. 21. Psal. 117. Psal. 71. Psal. 44. Esa. 8. & 7. Ezech. 44. Dan. 2. Haba. 3. Psal. 67. Zach. 4.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus, ex quo protoplastus Adam vescens, euomet veterẽ illam potionem, per quam fraudis venenum hausit. Fructus, ex quo ligni amaritudo dulcescit: qui expurgat humanitatem: qui vero Israëli fontes vberrimos præbet in solitudine, qui aquas amaras efficit dulces, & nouum panis ac cibi imbrem emittit. Benedictus fructus, qui ex incorrupta virginei vteri plãta maturus racemos extulit. Benedictus fructus, ex quo fontes emanant aquæ salientis in vitam æternam. Fructus, ex quo vitalis panis Dominici corporis, & salutare immortalitatis poculum conficitur. Benedictus fructus, quem omnis lingua cælestium, terrestrium & infernorum celebrat triplici sanctitate, in vna diuinitate Trinitatẽ indicans personarum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Benedictus fructus Mariæ.

At illa turbata est, inquit, hoc sermone, & secum ipsa cogitabat, qualis esset ea salutatio: Non incredulitate, (absit) sed orationis potiùs nouitate cõmota. Mirabile enim vaticinium videbatur. Neque diffidentia substitit, vt anteà fecerat in adytis Zacharias. Quamobrèm pœna illi ex procreandi instrumentis ad ea, quæ ad loquendum pertinẽt, translata est: & qui priùs liberis caruerat, tum loquendi caruit facultate. Sed cùm esset ab omni repræhensione remotissima, & ab hominum coniunctione & consuetudine aliena: cumque assiduè in rerum cælestium contemplatione versaretur, ex ea salutatione non potuit non commoueri. Etenim cùm minimè esset audax, & ad loquendum velox, acri priùs rationis iudicio, quæ dicebantur, expendit, nè temerè & inconsideratè responderet. Quod sapiẽter admodùm indicauit Euangelista, Cogitabat, inquiens. Puræ mentis examine Angeli verba perpendebat, nè illa sine iudicio susciperet: Quæ nam, dicebat, hæc est salutatio? Consentaneum enim est eam, vtpotè nobilem & Dauidis

Luc. 1. Prudentia sacratissimæ virginis.

Dauidis filiam, diuinarũ ſcripturarum non fuiſſe ignaram, & animum ſtatìm ad primæ matris caſum conuertiſſe, cogitâſſeque quomodò decepta corruiſſet, & mente veteres alias eiuſdem generis hiſtorias comprahendiſſe. Non immeritò igitur eam Euangeliſta cogitabundam deſcripſit. Sed vt prudentiam ipſius declararet, ſtabilem etiam mentis conſtantiam adiunxit, quæ reſpondendo nondùm aſſentiretur, propterea quòd illi de rei æquitate conſideranti non conſtaret. Turbationem igitur Virgo ſedare ſtudens, orationem non adhibuit: ſed geſtu ſolo parumpèr dubitationem ſignificans, animi habitum & morum probitatem demonſtrauit, ſecum ipſa cogitans, qualis eſſet ea ſalutatio. Sola'ne ego, dicebat, inter mulieres naturæ ordinem immutabo? Ego'ne ſola ventris fructum feram ſine viri congreſſu? Qualis hæc eſt ſalutatio? Quis mihi nuncium hunc attulit? Vndè ingreſſus eſt? Homóne eſt iſte, qui loquitur? At corporis expers videtur. Angelúsne? At loquitur vt homo. Quid illud, quod vdieo, ſit, ignoro: & de eo, quod loquitur, dubito.

Gen. 3. (margin)

Angelus cõfirmat virginem. (margin)

Quid igitur Gabriel? Vt Virginis turbationem animaduerterit, ad nihil aliud attendens, ſtatìm vocẽ emiſit, &: Nè timeas, inquit, Maria: inueniſti enim gratiam apud Deũ, quam amiſit Eua. Gratiam dicens, animo dubitationem ademit: & quod fieri non poſſe videbatur, adijciens: Inueniſti gratiam apud Deum: fecit, vt credibile eſſet: & Virgini metum eripuit. Nè timeas, Maria: non ſunt hæc fallentis verba: non venio, vt te decipiam: non loquitur fallax ſerpens: è terra tibi non loquor: ſed bonum ex altiſſimis nuncium affero: nec bonum tantùm, ſed lætitiæ plenum. Non ludicra, nec triſtis hæc eſt ſalutatio. Dominus tecum, qui omnis lętitię largitor eſt, & mundi ſaluator vniuerſi. Tecum eſt, qui de ſinu patris non recedit, & in vtero tuo concipitur. Gratia plenam te appellaui, vt myſterij gratiam in te exiſtentis ſignificarem. Gratia plenam te eſſe dixi, quoniam totam gratiam ſuſcipis in vtero tuo, & ſtolam verè diuinarum gratiarũ ſplendore decoratam. Dominus tecum, adieci, vt potẽtiam in te præcurrentis declararem. Dominus enim eſt Deus potens, & princeps pacis, & pater futuri ſeculi, idemque tuus, ô Virgo, filius atque omnium Saluator. Dominus tecum: gratia, & veritas tecum: Dominus quidem legis, pater autem gratiæ, & veritatis fons. Nè timeas, Maria: Dominus tecum. Qui omnium dominationum eſt princeps, qui patris luminum filius eſt, qui ſine principio ab ipſo genitus eſt, is in tempore ex te naſcitur. Qui ſurſùm totus eſt in ſinu patris, is deorsùm totus eſt in vtero tuo. Ipſe tecum & in te eſt. Adueniens enim in te deſilijt, & in vterum tuum ingreſſus eſt, atq; in te comprahendi voluit, qui natura comprahendi non poteſt. Nè timeas, Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum. Gratiam, quam non ſuſcepit Sara, quã Rebecca nõ inuenit, quam Rachel ignorauit. Inueniſti talem gratiam, qualem Anna, licèt fuerit exaudita, non habuit. Tu ſola ità mater es futura, vt ſimul etiam virginitatis decus retineas. Nè timeas igitur: inueniſti enim gratiam apud Deum. Gratiam, quam nemo vnquàm accepit. Quæ'nam talis eſſe queat apud Deum gratiæ præſtantia? Inueniſti enim gratiam apud Deum. Eccè concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. O rem admirabilem. Primùm illi dubitationis cauſam ademit, deindè rem explicauit. Vide autem, quàm multa quàm paucis exequatur. Metum eripit, gratiam indicat, conceptûs rationem exponit, partũ prænunciat, filij nomen declarat.

Iſa. 9. (margin)

Neque verò hîc conſtitit: ſed vt amplitudinem eius maieſtatis oſtenderet, ſubiecit: Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur: & dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Cernis quomodò Virginis metum abſtulerit? Cernis quantoperè animum eius confirmârit? Cùm enim altiſsimi filium dixiſſet, patrem orituri Dauidem nominauit. Statìm igitur erectus eſt animus Virginis, vt indicant ea, quæ ſequuntur. Sed eius prudentiam conſidera, quæ cùm hæc audiſſet, & immutabilem diuinæ volũtatis potentiam cognoſceret, ad Angelum: Quomodò, inquit, fiet iſtud, quoniam virum nõ cognoſco? Noua, inquit, mihi & quæ naturam ſuperant, nuncias. Nuptiarum ſum expers. Deſponſata enim ſum, ſed non cum viro coniuncta. Ioſeph ſponſum tantùm, non autem maritum agnoſco. Domo, non lecto, mihi iunctus eſt. Fœcundus quidem eſt venter, ſed non cultus. Quomodò erit mihi hoc, quoniam virum non cognoſco? Méne ſolam natura ſine viri coniunctione matrem declarabit? Egóne præter naturam ſola nouum atque inauditum naturæ partum edam? Nuptiæ non præceſſerunt, virum experta non ſum: Ioſeph non maritum, ſed ſponſum & cuſtodem tantùm agnoſco. Et quomodò erit mihi hoc?

Prudentia S. Mariæ. (margin)

Reſpondit Gabriel, & reſponſionis ſublimitate Virginis diluit dubitationẽ: Cur hæc

dicis,

dicis, Virgo beatissima? Ego è cælo veniens, celestis affero nuncium conceptionis. Non de terra loquor tibi. Dixi, Dominus tecum: & tu dubitas, quomodò id tibi sit futurũ? Ego eum, qui aduẽtum meum antecedit, in vtero tuo nuncio: & tu mihi de viro, deque terrena loqueris generatione? Et dicis: Quomodò erit mihi hoc? Quomodò hoc erit tibi? Cogita, quomodò virga floruerit, quomodò petra copiam aquarum effuderit, Num 17. quomodò ignis in rubo ardens eum non combusserit. Quæ si credis, & id, quod nuncio, crede. Is enim hoc faciet, à quo & illa facta sunt. Noua, & præter naturam ratione mater es futura. Non vt Elisabeth, non vt Anna, ex qua tu orta es. Illæ enim ex virorum semine factæ sunt matres: tu autem sine viri coniunctione paries eum, qui sine semine in te inhabitat. Quòd si modum requiris, eum quoquè tibi declarabo: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Non enim ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis gignetur. Nulla carnis voluptas intercedet. Naturæ enim terminos superat. Quanuis enim naturalis conditionis omninò non sit expers futurus, quem paries: præstantiori tamen ratione concipitur, & sine vlla perturbatione, quemadmodùm & ab æterno sine perturbatione genitus est. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Considera, quomodò Trinitatis mysterium declaretur. Spiritum enim sanctum inquiens, non alium, quàm paracletum indicauit. Nam virtus apertè filium significat. Vox autem illa, Altissimi, Patris personam declarat. Illud verò, Obumbrabit tibi, mihi videtur innuere id, quod ante propheticis oculis Abacuc viderat, cùm montem vmbrosum Virginem appellauit, Haba. 3. quasi obumbrantem illi Patris virtutem describens, & arcanum sibi tabernaculum efficientem in carnis assumendæ ratione, qua sibi templum corporis nõ manu factum, in vtero Virginis, ab omnibus maculis alieno atque integerrimo ipse Dominus fabricauit. Id quod ex sequentibus patet. Ait enim: Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Qui enim ex sancto Spiritu per sanctum Patrem diuina ratione formatur Puer, meritò sanctus erit, & filius altissimi vocabitur, cùm altissimi sit Verbum sempiternum.

Exod. 17. Exod. 3.

Dilucidè igitur Virgini demonstratum est, quid, & vndè, & quale id, quod in ipsa conceptum est: Nempe sanctum, & ex ipsa, & filium Dei esse, quem pariet. Verùm vt clariùs adhuc & expressiùs ostendat Verbi virtutem, Elisabeth exemplum adducit. Quasi diceret: Qui ventrem in vetula præter spem fœcundum efficere potuit, virginem etiam poterit præter naturæ rationem matrem reddere. Atque ità subijcit: Quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum. His virgo auditis, & inhabitantis spiritùs splendore illustrata, & faustæ promissionis lætitia affecta, in tranquillitate versabatur, & animi gratiam cum pulchritudine oculorum præ se ferebat: quemadmodùm de Dauide scriptura cõmemorat. Re enim admirabili & salutatione gaudebat, in qua summa lætitia continebatur. Facilè igitur sapienterque Gabriel Virgini persuasit, vt miraculum crederet: Non erit, inquiens, apud Deum impossibile omne verbum. 1. Reg. 16.

Quid autem sequitur in Euangelio? Dixit autem Maria: Eccè ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Prudentiam Virginis animaduertis? Vides præclaræ cunctationis decus? Cùm enim fœtûs conceptionem & filij ortum intellexisset, & quis, & cuius esset filius, & quo foret nomine appellandus, & cuius sedis successor, & quibus imperaturus, & regni eius nullum finem futurum, statim lætissimam vocem emisit: Eccè, inquiens, ancilla Domini, illud apertè significans: Eccè parata sum, & nihil prohibet. Animus promptus est, vterus opportunus, vtpotè minimè inquinatus, & soli seruatus creatori. Eccè ancilla Domini, ad obediendum parata, ad seruiendum idonea, ad suscipiendum prompta. Fiat mihi secundùm verbum tuum. Quoniam, inquit, quoad fieri potuit, rectè nunciâsti, & quod faciendum est, diuina est gloria plenum: Eccè ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. O prouidentiam & gratiam admirabilem: ô consilium ab æternitate præcognitum atque institutum. Verè spiritus sanctus in Virgine inhabitabat, & virtus altissimi obumbrabat eam ex præfinito eius consilio & præcognitione.

Obedientia sanctissimæ Virginis.

Et discessit ab ea Angelus. Cùm ea nimirùm, quæ sibi mandata fuerant, perfecisset, discessit ab ea Angelus: sed Dominus non discessit. Angelus enim, licèt sit expers corporis, loco tamen includitur. Dominus autem, quanuis in Virginis corpore atque vtero capiatur, nullis tamen locorum terminis circunscribitur. Et ille quidem venientem ad salutem hominum nunciauit ex Virginis vtero oriturum: Hic autem essentiam nostram

nostram à se susceptam reformauit, naturæque imaginem ac dignitatem, quam contumacia primi parentes amiserant, restituit: eamque supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, atq; omne nomen, quod in hoc, aut futuro seculo nominatur, prouectam, in cælesti solio collocauit. Ipsi gloria, & imperiũ, & honor, & adoratio cum Patre & Spiritu sancto nunc & semper & in æterna secula, Amen.

Ephes. 1.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS, CANDIDO PIO'QVE *Lectori.*



PRiusquàm ad hunc, qui sequitur, Diui Iohannis Chrysostomi sermonem legendum accedas, benigne Lector, est quòd te aliquantulùm detineam, cautumque reddam. Videbis nanque magnum Chrysostomum eiusdem hîc esse sententiæ, cuius & in libro de excidio Hierosolymitano Egesippus, & Eusebius Cæsareensis libro 2. cap. 1. Ecclesiasticæ Historiæ, multique ex Græcis patribus fuisse leguntur: nempe beatissimum Ioseph sanctissimæ Deiparæ sponsum, filios ex alia vxore suscepisse, & inter cæteros Iacobum Apostolum, cognomento fratrem Domini: Ea verò deindè repudiata, seu, vt alij volunt, præmortua, in castitate vixisse, & liberos in disciplina & timore Domini educâsse. Huius etiam opinionis fuisse videmus Diuum Hilarium Pictauorum Episcopum, super Matthæum capite primo, & Diuum Ambrosium Mediolanensem Antistitem, super Epistolam ad Galatas capite primo. Chrysostomum quoquè secutus est compilator eius Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, qui eundem Iacobum, & reliquos fratres, filios asserit fuisse Ioseph: sed alio modo, quàm Chrysostomus autumet. Cuius verba, vt meliùs res percipiatur, subnectam. Ait enim is super Matthæum capite decimotertio: Fratres habuit Dominus, & sorores, Ioseph filios, quos genuit ex vxore fratris sui Clopæ. Mortuo enim absque liberis Clopa, Ioseph, iuxta legem, vxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas: Mariam, quæ dicebatur Clopæ filia secundùm legem, & Salomen. Et hæc quidem ille. Vides igitur, quid magni vtriusque Ecclesiæ viri de B. Ioseph sentiant.

Ego, vt verum fatear, & animum meum coram Deo, teque ac toto Christiano orbe testatum faciam, (pace sit dictum omnium horum præexcellentium virorum, quos in alijs sequor plurimùm, amplector, & tanquàm venerabilissimos patres vehementer obseruo: at in hoc mihi placere nequaquàm possunt) semper contrariã tenui sententiam, tenereque profitebor vsq; ad mortem: nisì sancta mater Ecclesia diuersum aliquid super hoc statuat: vel nisì quis me potentioribus & efficacioribus vrserit rationibus, vt à mea victus recedam opinione. Credoque & firmiter teneo, beatissimæ Virginis sponsum, virginem & ipsum fuisse, nec vnquàm pudicitiæ suæ florem amisisse. Talem enim matrem, talem sponsum, & talem tantumque filium, talem putatiuum patrem habere par erat. Et nè ex meo cerebro hæc eruta videatur sententia, tribus eam, si potero, enitar medijs confirmare: Sacræ primùm ipsius scripturæ fontibus, ijsque piè rectèque, & secundùm germanum sensum deductis: constanti etiam, vt credimus, & quæ vinci non possit, ratione: Tum demùm sanctorum aliquorum patrum authoritate. Quod nisì effecero, tum tu me imperitiæ stultitiæque arguito: atque ego liberam tibi concedam, quicquid volueris, credendi potestatem. Audi ergò diligenter & patienter ausculta, quæ pro hac sententia firmanda tibi affero.

S. Ioseph perpetuò virginem mansisse.

Ac primùm quidem id nobis explorãdum censeo, num ex scripturis, quisnam verus pater, & quæ vera mater fuerit Iacobi istius minoris, qui etiam dictus sit frater Domini, reperiri posit. Credoque non fore id difficile, immò ex propatulo loco satis constare. Sed assertio illa præmittenda, quam negare mihi nequaquàm possunt etiam ij, qui vel sacras literas eminùs salutauerint: Scripturam nempe sacrã quotiès ità loquitur, Isaac Abrahæ, vel Iacob Isaac, hunc in audientium aures sensum & intelligentiam immittere, & non aliam, Isaac esse filium Abrahæ, & Iacob filium esse Isaac. Hoc Lucę 3. capite maximè ostendere possumus, vbì genealogia Domini ex Ioseph ascendendo vsque ad Deum describitur. Dicitur nanque ibì: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorũ triginta vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, subauditur filius: qui fuit Matthat, nempe filus:

Luc. 3.

filius: & ſic de ſingulis vſque ad Adam, de quo vltimo loco dicitur: Qui fuit Dei:& ſubintelligitur filius. Hoc idē probatur Iohānis vltimo, cùm dicit Dominus Petro: Simon Iohannis, amas me? Hoc eſt, Simon fili Iohannis. Quod ità eſſe oſtendit Dominus ipſe Matthæi xvj. vbi dicit ad eundem: Beatus es Simon bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt. Bar enim Hebraicè, Latinè filium ſonat Iohan. 21.

Vnus eſt duntaxàt locus, in quo propoſitio iſta non currit, quandò videlicet aliter interpretari ſcriptura ipſa te neceſſariò compellit. Et vt me intelligas, opportunum tibi affero exemplum Lucæ ſexto, vbì duodecim Apoſtolorum nomina recenſentur: quo in loco inter cætera habetur: Et Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor. Quomodò hîc expones Iudam Iacobi? Filium'ne? Minimè quidem, quoniam te alia ſcriptura ità facere prohibet. Quomodò ergò? Iudam Iacobi fratrem interpretaberis, quoniam is in ſua Canonica Epiſtola, ità de ſeipſo loquitur: Iudas Ieſu Chriſti ſeruus, frater autem Iacobi. Vbi autem nulla nos adigit ſcriptura, ſemper prædicta regula propoſitioque tenenda eſt.

Venio nunc ad ipſum quæſtionis ſcopum, & patrem Iacobi minoris, dico non fuiſſe Ioſeph, ſed Alphæum. Hoc probamus ex Matthæi capite X. vbi ponens Euangeliſta duodecim Apoſtolorum nomina, ità inquit: Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomeus, Iacobus Zebedæi & Iohannes frater eius, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddeus, Simon Chananeus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eū. Marcus quoque capite 3. & Lucas capite 6. & ipſi duodecim Apoſtolorum catalogum recēſentes, ſicut primum Iacobum cum Iohāne fratre, Zebedæi, ità Iacobum alterum, Alphæi dicunt. Quòd ſi primum illum Zebedæi filium exponere cogeris, (Eius enim filius fuit, vt ex Matthæo eodem capite quarto, & Marco capite primo conſtat) ità etiam ſecundum Iacobum, hunc videlicet minorem, fratrem Domini nuncupatum, Alphæi filium exponere, velis nolis, compelleris. Cur enim Iacobum illum ex Zebedæo natum patre aſſeras, hunc autem ex Alphæo natum neges? Aut ergo vtroſque filios expone, aut vtroſque nega: vel ſcripturam adducito aliquam, propter quam Zebedæum Iacobi maioris patrem dicere cogaris, Iacobi autem minoris Alphæum patrem non ità. Quam certò ſcio haudquaquàm inuenire poteris. Crede ergò expoſitioni noſtræ. Et hoc quantùm ad patrem pertinet. Iacobi minoris pater Alphæus.

Quæ verò Iacobi huius Iuſti mater fuerit, & ipſa ſcriptura ſe conſulentibus aperit. Si enim legeris 27. Matthæi caput, inuenies profectò ità in eo ſcriptum: Erant autem ibi (nempe vbì crucifixus eſt Dominus) mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. Et nè qua detur tibi dubitandi occaſio, quis iſte ſit Iacobus, cuius mater Maria dicitur, ſcrupulum tibi omnem aufert Marcus, capite decimoquinto inquiens: Erant autē & mulieres de longè adſpicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater, & Salome: quæ, cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabāt ei. Et quia futuros eſſe hæreticos preuidebat Spiritus ſanctus, qui hanc Mariam, quæ Iacobi minoris & Ioſeph mater dicitur, eādem eſſe, quæ & Saluatorem noſtrum peperit, quæque ex Ioſeph marito Iacobum hunc fratrem Domini, & alios fratres eius genuiſſet, impudentiſſimè aſſerturi erant: Iohannes diſcipulus Domini dilectus, omnium Euangeliſtarum vltimus, hanc hæreticorum blaſphemiam omninò ſuſtulit, cùm dixit capite 19. Stabant autem iuxta Crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Mariam Cleophæ, id eſt, filiam accipe, ſecundùm propoſitionem noſtram primo loco poſitam. Eccè ergò quam alij Euangeliſtę Mariam Iacobi minoris & Ioſeph matrē nominant, Iohannes ſororem matris Ieſu dicit, & Cleophę filiam. Et quia ſoror erat ſanctę Dei genitricis, ideò Iacobus, Ioſeph, Iudas & Simon fratres Domini viſitato ſcripturæ more, quo filij duorū fratrum, ſeu duarū ſororum, hoc eſt, patrueles, vel conſobrini, fratres nuncupari ſolent, & ipſi fratres Domini dicti ſunt, Matthæi 13. in fine. Maria eius mater.

Ex his omnibus luce, vt arbitror, clariùs meridiana liquet, patrem Iacobi minoris, fratris Domini dicti, & fratrum illius fuiſſe Alphæum: eorum verò matrem Mariam ſororem ſanctiſſimę Deiparæ, filiamque Cleophę. Quæ autem Mariæ iſtius mater fuerit, ad præſens intactum relinquo. (fortè in fine huius epiſtolæ & de hoc aliquid dicetur) Non enim ad preſentem queſtionem multùm ſpectare videtur. Satis nanque nobis eſt ſcire,

sororem illam beatissimæ Virginis extitisse. Quòd si Iacobus, & cæteri eius fratres, Alphæi, & huius Mariæ Cleophæ filiæ, filij fuerunt, videant, obsecro, quomodò id fieri possit, vt Ioseph pater Domini putatiuus, ex alia vxore eos genuerit.

Ratio trimembris. Venio modò ad rationem vrgentissimam trimembrem, cui iudicio meo nullus aptè satis & idoneè respondere poterit: quæ est huiusmodi: Aut Ioseph aliam vxorem, ex qua Iacobum & alios fratres suscepit, ante beatam virginem habuit: quæ posteà mortua est, vel repudiata. Aut simul cum beata virgine & alteram illam habuit. Aut deniquè post mortem sanctæ Mariæ alteram vxorem superinduxit, ex qua filios illos suscepit. Nec enim quartum membrum mihi dare poteris.

Si primo modo dixeris, vt velle videtur Hilarius: videlicet ex priori coniugio filios illos susceptos, hoc profectò falsum est, & à veritate alienum. Nam ista coniunx, quam tu prætendis antè ductam, & posteà mortuam, non potuit esse altera à Maria ista, sorore matris Domini, quæ ab Euangelistis mater dicitur fuisse Iacobi minoris: quæ tamen tempore mortis Christi viua erat, & stabat iuxta crucem Iesu vnà cum sorore sua sancta Deipara, quæ dudùm antè, & iam annis 33. fuerat ipsi Ioseph desponsata, vt superiùs ex Euangelijs ostensum est. Quòd si dicas, Ea quidem viua potuit esse, sed repudiata, vt vult Chrysostomus: vide, obsecro, quomodò id asserere possis: tum Matth. 1. quia non conuenit viro iusto, cuiusmodi erat Ioseph, Euangelio teste, sanctam mulierem, quæ continuè Dominum sequebatur ministrans ei, repudiare: tum quia, ea adhuc viuēte, minimè beatam virginem sororem suam habere potuisset, vt in sequenti membro euidenter patebit.

Dices forsitan: Ambas Ioseph vno eodemque tempore vxores habuit, Mariam scilicet Domini matrem, & Mariam alteram sororem eius. Hoc simili modo mendacium esse conuincitur, sed & insulsius primo dicto. Nam licèt Iacob Patriarcha duas simul Gen. 29. vxores habuerit, Liam & Rachelem, hoc tunc ex diuina permissione, aut etiam significatione factum est. Præsignificabatur enim in duabus illis sororibus Iudæorum Synagoga & Ecclesia de gentibus congreganda, siue actiua vita & contemplatiua. Quòd si fortasse in alijs quoquè factum fuisse reperiatur, quod haud credo facilè ostendi posse: Leuit. 20. id vsque ad legis Mosaicæ promulgationem licuit: At ea lata, minimè: immò qui id faceret, mandatum est tolli de medio populi sui. Adduco autem tibi diuinam ipsam legem, factum hoc omninò inhibentem, quæ est huiusmodi, Leuitici 18. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente. vel vt alij legunt: vxorem cum sorore eius non accipies ad æmulationem, vel ad la- Gē. 30. &c. cessendum: Nempe sicut faciebant duæ vxores Iacob, quæ magna inter se ob virum ardebant zelotypia. Quam legem Hesychius, Radulphus, cæterique libri illius expositores, de eo intelligunt, qui vxori simul & eius sorori iungatur, ità vt duas sorores pariter vxores habeat, illęque in vnius viri contubernio simul habitent, aut quomodocunquè, vna viuente, quam cognouerit, alteram superinducat.

Superest ergo, vt tertium modum eligas, & dicas, post mortem sanctissimæ virginis Ioseph hanc Mariam in coniugem accepisse, ex qua Iacobum minorem, & alios filios & filias genuit. Hoc si dixeris, in eandem, & adhuc maiorē foueam te præcipitē dabis, à qua nunquàm exire poteris. Nam cùm beata virgo post mortem filij sui superuixerit, quomodò potuit Ioseph, ea mortua, sororem Mariam ducere, & Iacobum, & cæteros fratres eius ex ea generare, qui iam, adhuc viuente Saluatore nostro, grandæui erant, & in Apostolos eius assumpti: vt patet ex Euāgelistarum libris, in quibus etiam Maria hæc Iacobi minoris iam profectò nati, & non nasciturì, matris titulo prænotata, iuxta crucem Domini stetisse reperitur? Impossibilia hæc sunt, & eruditis auribus indigna. Vides iam, quocunq; te vertas, indissolubiles esse tricas, à quibus te explicare non possis? Non ergo verū, Ioseph ex alia vxore Iacobū minorem, cognomine fratrē Domini, genuisse.

Tertium erat medium, quo nostram hanc assertionem nos probaturos dixeramus, sanctorum nonnullorum patrum authoritas, qui virginem fuisse sanctum quoquè Domini patrem putatiuum manifestè adstruunt. Inter hos post Abdiam Babyloniæ Episcopum, in vita sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, quam is eorum discipulus longo sermone descripsit, primum obtinet locum Diuus Hieronymus, qui in libro de perpetua virginitate Mariæ contra Heluidium hæreticum ità ait: Tu dicis Mariam virginē non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur: Mariæ autem, quam putatus

est

eſt habuiſſe, cuſtos potiùs fuit, quàm maritus: relinquitur, virginem eum manſiſſe cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.

Huic proximè ſuccedit Diuus Auguſtinus, & ipſe Eccleſiæ Doctor inſignis, qui in fine Sermonis 14. de Natiuitate Domini ità dicit: Habe ergò, Ioſeph, cum Maria cõiuge tua cõmunem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti, in carne ſua virginitate ſeruata: ſis autem & tu pater Chriſti, cura caſtitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis ſeculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia. Et paulopòſt: Gaude itaque, Ioſeph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij: quia per meritum virginitatis ità ſeparatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.

Rupertus quoquè Abbas Tuitienſis ſuper Matthæum capite 1. relatis Diui Hieronymi verbis contra Heluidium, eius ſententiam amplectitur & approbat.

Sequitur hanc eandem & Hugo de Sancto Victore, in Annotationibus ſuper Epiſtolam ad Galatas, quæſtione 5.

Demùm Beda Venerabilis, quem de induſtria in vltimo loco reſeruari, in hãc ſententiam & ipſe accurrit, qui etiam ſuper Marci caput. 6. de fratribus Domini loquens, inter cætera ait: Fratres & ſorores Domini, Iudæi ſecũ eſſe teſtabantur: qui tamẽ non liberi Ioſeph, aut Mariæ, iuxta hæreticos, purãdi ſunt: ſed potiùs, iuxta morẽ ſacræ ſcripturæ, cognati ipſorum ſunt intelligẽdi: quomodò Abraham & Lot fratres appellantur, cùm eſſet Lot filius fratris Abrahæ. Cuiuſmodi inuenies multa. Vides ergò, ſi quis dixerit hos Domini fratres, vel ex beato Ioſeph natos, vel ex ſancta ortos Dei genitrice, nedùm inhoneſtam aſſertionem, ſed etiam hæreticam inuentionem eſſe. Gen. 13.

Quòd ſi adhuc clariùs, quomodò Iacobus & cæteri fuerint Domini fratres, cognoſcere deſideras, & per quẽ ſanguinis gradum, vel cognationis, ſiue affinitatis lineam, lege Hugonem ipſum in prædicto loco, qui abundè tibi in hoc ſatisfaciet, idipſum oſtendere ſatagẽs. Quòd ſi fortè nec, quæ ibì dicit, tibi placuerint, nempe Cleopham poſt mortem Ioachim accepiſſe Annam beatæ Virginis matrem in vxorem, ex qua Mariam hanc Iacobi & cæterorum fratrum matrem genuerit: quemadmodùm nec mihi placere poteſt, tãtam illam matronam poſt ſterilitatis diuina gratia ſolutum impedimentum, & poſt digniſſimæ illius plantulæ fœturam, nempe Reginæ Angelorum & Dominæ noſtræ ortum, mortuo Ioachim, vnũ atque alterum, vt vulgò dicunt, ſibi maritos ſuperinduxiſſe: & rursùs atque rursùs coniugales amplexus adamâſſe: dicito Cleopham, qui hanc Mariam Iacobi matrem genuit, fratrem germanũ ſancti Ioſeph fuiſſe, vt Theophylactus aſſerit, qui ex coniuge ſua, quæcunque ea fuerit, Mariam hanc genuerit, quæ poſteà Alphæo nupta, mater horum filiorum effecta ſit. Cùm ergò ſanctiſſima Maria ſponſa fuerit beati Ioſeph, Cleophæ glos fuit, illeque ei leuir, atque filia eius Maria beatæ Virginis neptis, quæ eius ſoror, more ſcripturarum, dicta fuerit, ſicut Lot frater Abrahæ. Hincque factum, vt Iacobus minor, & reliqui eius fratres, fratres etiam Domini dicti fuerint. Et hoc modo ſi dixeris, in nullam incides difficultatem. Quòd ſi nec hoc tibi placet, aliam tu excogita rationem meliorem, cui ego libens acquieſcam, modò nè dixeris, ſanctũ & iuſtum virum Ioſeph, à Deo ad cuſtodiam caſtiſſimi templi eius & Spiritûs ſancti tabernaculi, hoc eſt, beatiſſimæ Deiparæ, electum, & tãta dignitate decoratũ, vt pater filij ſui in terris dici mereretur, alterius ſe vxoris oſculis & amplexibus miſcuiſſe, ac ſuauiſſimum decoræ pudicitiæ florẽ amiſiſſe. Non quòd, ſi hoc feciſſet, aliquid iuſtitiæ eius, aut beatiſſimæ Virginis, vel admirabilis filij eius ſanctitati detraheret, cùm honorabiles vbiquè prædicẽtur nuptiæ, & torus immaculatus: Hebr. 13. ſed quia indecens quodammodò Dei filio videretur, ſi, dum virginitatis gloriam, meritum ac priuilegium in ſua, ſanctiſſimæque matris perſona, primùm dedicabat, eandẽ minimè in patre quoquè ſuo putatiuo, tanquàm non ſuauiter omnia diſponeret, cooptâſſet: Cùm ille maximè ad noui teſtamenti gratiam, in qua bibitur vinũ germinans virgines, pertinuiſſe videatur. Zach. 9.

Quòd ſi dixeris: Et quid ad dicta ſanctorum patrum, contrariam ſentẽtiam tenentium, reſpondebis? Quid, inquis, reſpondebo? De duobus alterum: vel (quod tangere viſus eſt Beda) ab hæreticis hæc in eorũ voluminibus fuiſſe interiecta, cuiuſmodi plurima etiam alijs in rebus immiſta quandoquè cognoſcere poſſumus: vel quę ab eis dicta ſunt, imprudentiuſculè ac minùs accuratè (prout humana fragilitas fert, quòd grauiſ-

ſimi etiam & eruditiſſimi viri quandoquè dormitent) fuiſſe enunciata. Nam ſi maiori cum diligentia Euangelicos codices perpēdiſſent, nequaquàm Iacobum minorem fratrem Domini, filiū Ioſeph, ſed Alphæi proculdubiò aſſeruiſſent: ſicut & Iacobum maiorem, Zebedæi filium, & Petrum Ionæ vel Iohannis, adſtruere compulſi ſunt.

Habes ergò meam, bone lector, hac de re ſententiā: quam & te quoquè, ſi pius es, ſi caſtitatis & ſanctimoniæ amator, ſi beati Ioſeph deuotus filius exiſtis, ſecuturū non ambigo. Plura autem, ſi Veronæ in Epiſcopatu meo fuiſſem, ſuper hoc forſitā collegiſſem, vbi & librorum mihi copia ſuppeditat, & adſunt nonnullarū Epiſtolarum ſchedæ vltrò citroque miſſarum, dum recolendæ memoriæ Iohannes Cochlæus vir doctiſſimus, & de Christiana republica optimè meritus, adhuc nobiſcū in humanis ageret. Nā memini hac de re inter nos multa & dicta & conſtituta fuiſſe. Hęc verò, quę per me nūc apud nobiliſſimū Poloniæ regnū Pontificium Legatum agentē, & libris ferè carentem, atq; aſsiduè huc illucque obequitantem, ac negocijs difficillimis implicatum, quaſi ex memoria dici potuerunt, tu & benignè ſuſcipito, & æqui bonique conſulito. Vale.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLItani, *in ſanctiſsimæ Dei genitricis Annunciationem Oratio. Eſt in Metaphraſte.*



Gen. 3. RVrsùs lætitiæ nūcij, rurſùs libertatis indicia, rursùm reuocatio, rurſùm reditus, rurſùm gaudia, rurſùm à ſeruitute liberatio. Angelus cum Virgine loquitur, quoniam ſerpēs cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, menſe miſſus eſt angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro. Miſſus eſt Gabriel, vt totius mundi ſalutem nunciaret. Miſſus eſt Gabriel, vt ſcriptum reuocationis Adam afferret. Miſſus eſt Gabriel ad Virginem, vt mulieris dedecus in honorē conuerteret. Miſſus eſt Gabriel, vt puro ſponſo thalamum pararet. Miſſus eſt Gabriel, vt inter creaturam & creatorem ſpōſalia celebraret. Miſſus eſt Gabriel ad animatum palatium regis angelorum. Miſſus eſt Gabriel ad Virginem deſponſatam quidem Ioſeph, ſed ſeruatam filio Dei. Miſſus eſt ſeruus incorporeus ad Virginem immaculatam. Miſſus eſt à peccato integer ad corruptionis expertem. Miſſus eſt lucernæ ſplendor, qui iuſtitiæ ſolem nunciaret. Miſſus eſt nitor auroræ, qui diei lumen præcurreret. Miſſus eſt Gabriel, vt oſtenderet eum, qui eſt in ſinu Patris, in matris etiam vlnis geſtari. Miſſus eſt Gabriel, vt indicaret, qui eſt in ſolio, in ſpelunca etiam iacere. Miſſus eſt miles, qui Imperatoris myſterium promulgaret. Myſterium, quod fide cognoſcitur, & curioſitate non inuenitur. Myſterium adorandum, non humana prudentia ponderandum. Myſterium diuinis, non humanis rationibus explicandum.

Gabriel cur miſſus ad Virginem.

Sextus mēſis. In menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad Virginem. Quem ſextum menſem dicit? Quem? Ex quo nimirùm Eliſabeth bonū accepit nuncium, ex quo Iohannem concepit. Vndè id planum fit? Ipſemet Angelus Virginem alloquens, ſic interpretatur: Eccè Eliſabeth, inquit, cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi, quę vocatur ſterilis. Menſe ſexto: ſcilicet, cōceptionis Iohannis. Oportebat enim, vt miles anteiret: conſentaneum erat, vt miniſter antecederet: æquum erat, vt index Domini præſentiam ſignificaret. Menſe ſexto miſſus eſt angelus ad Virginem deſpōſatam viro. Deſponſatam, non autem coniunctam. Deſponſatam quidem, ſed ſeruatam. Cur deſponſatam? Nè celeriùs latro myſterium intelligeret. Nam per virginem quidem regem eſſe venturū improbus non ignorabat, quippe qui Eſaię ipſe quoquè verba illa audierat: Eccè virgo in vtero habebit, & pariet filium. Itaque ſingulas virgines obſeruabat, vt vbi myſterium impleri animaduerteret, infamiam pararet. Idcircò Dominus per deſponſatam venit. Quæ enim deſponſata fuerat, deincèps in manū ſponſi tradenda erat. Menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad Virginem deſpōſatam viro, cui nomen erat Ioſeph. Audi quid de hoc viro & de Virgine dicat Propheta: Dabitur hic liber obſignatus viro ſcienti literas: Id eſt, Virgo planè immaculata. A quo dabitur? A ſacerdotibus vtiquè. Cuinā viro? Fabro Ioſeph. * Hic Ioſeph, fratres, claro priùs iunctus matrimonio ſuſceperat liberos: pòſt autem, vxore repudiata, in caſtitate vixit, & liberos in diſciplina & timore Domini

Luc. 1.

Eſa. 7.

Eſa. 29.

Cautè hoc lege. nam

Domini educauit. Cùm enim Paulus Apostolus ad Euangelij promulgationem profi- Iosephũ etiã
ciscceretur,& vnum ex filijs eius reperisset: Alium, inquit, Apostolorum vidi neminem, virginẽ fu-
nisi Iacobum fratrem Domini,non ex Maria,sed ex Ioseph genitum. isse credi-

Cùm igitur sacerdotes casto Ioseph Virginem despondissent,eam illi cõmendârunt, mus,quod
nuptiarum tempus expectantes. Verùm eam ipse suscipiens,integram erat conseruatu- superius eui
rus. Id quod multò antè Propheta pronunciârat: Dabitur, inquiens, liber obsignatus dentissimis
viro scienti literas,hoc est, matrimonio coniuncto, & dicet: Non possum legere. Cur medijs cõ-
non potes legere Ioseph? Non possum,inquit,legere,quia liber est obsignatus. Cui ser- uicimus.
uatur? Rerum omnium procreatori pro domicilio. Sed ad propositum reuertamur. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Qui profectò eiusmodi à Deo mãdata accepit: Ades huc, Angele, minister esto mysterij grauis & reconditi: miraculo inserui. Misericordia mea commotus, ad requirendum Adam, qui aberrauit, descendere festino. Peccatum prostrauit eum, qui ad imaginem meam factus est: corrupit opus manuum mearum: infecit decus à me confectum. Lupus deuorat alumnum meum. Exulat incola Paradisi. Vitæ lignum à flammeo gladio custoditur. Clausus est locus deliciarum: Gen. 3.
Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet, vt virtutes omnes, quæ in cælo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Vade ergò ad Mariam Virginem. Vade ad animatam ciuitatem, de qua loquitur Propheta: Gloriosa, inquiens, de te dicta sunt, Psal. 86.
ciuitas Dei. Vade ad Paradisum meam ratione præditam. Vade ad portã Orientalem. Vade ad habitaculum Verbo meo dignum. Vade ad alterum cælum, quod est in terra. Abi ad nebulam leuem,& præsentiæ meæ illi nuncia integritatem. Abi ad sanctuarium mihi paratum. Abi ad thalamum diuinæ humanitatis meæ. Abi ad purum cubiculum ortûs mei secundùm carnem. Loquere in auribus arcæ meæ ratione præditæ, vt paret mihi auditus ingressum. Caue offendas aut turbes animum Virginis. Templum illud diuinum modestè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat. Dic: Aue gratia plena: vt ego miserear afflictæ Euæ.

Audiuit hæc Angelus,& secum, vt par erat, hæc cogitabat: Noua res hæc est, cuius intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuunt Cherubin, quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes Virtutes Angelicæ compræhẽdere nequeunt, speciali quodam modo nunciatur cum puella Virgine conuersaturus,& propriæ eius personæ præsentia significatur, immò verò ingressus per auditũ ei promittitur. Qui Euam condemnauit, eius filiam glorificare tantoperè festinat? Ait enim: Vt paret mihi auditus ingressum. Nunquid potest Virginis vterus eum capere, qui compræhendi non potest? Verè mysterium magnum & venerandum. Sic Angelo cogitanti: Quid, inquit Dominus, turbaris, ô Gabriel, nouitate rei? Nónne paulò antè missus es à me ad Zachariam Luc. 1.
sacerdotem? Nónne illi Iohannis ortum nunciâsti? Nónne incredulo sacerdoti pœnam intulisti? Nónne senem taciturnitate mulctâsti? Nónne quæ tu pronũciâsti, ego rata habui & comprobaui? Nónne nuncium tuum res ipsa consecuta est? Nónne sterilis concepit? vterus paruit? sterilitatis morbus discessit? naturæ fugit inertia? Quid est, quod ego non possim efficere? Cur igitur dubitas? Tũc Angelus: Naturæ, inquit, errores, Domine, corrigere, morborum nebulam dissoluere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere, vt liberos gignat, à certis membris sterilitatẽ remouere, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuæ virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, pòst Gen. 21.
autem Anna: quæ cùm graui sterilitatis morbo laborarent, abs te liberatæ sunt. Virgi- & 25.
nem verò sine viri congressu parere, superat naturæ leges,& præsentiam tuam in puella 1. Reg. 1.
denunciat, vt quem cæli terræque termini non capiunt, Virginis vterus compræhendat. Quomodò, inquit Dominus, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniã, inquit Angelus, hospitalitatis pelagus habebat. Verùm illic, ô Domine, te conspicuum Abrahæ præbuisti in ostio tabernaculi,& pertransisti, qui omnia comples. Quo- Gen. 18.
modò autem feret Maria diuinitatis ignem? Solium tuum ardet splendore illustratum, & virgo te ferre poterit, vt non comburatur? Si læsit, inquit Dominus, rubum ignis in Exod. 3.
solitudine, lædet omninò Mariam quoquè præsentia mea: sin ignis ille, qui diuini ignis mei præsentiam significabat, rubum potiùs irrigauit, quàm combussit, quid de veritate dices, non in igne flammæ, sed in pluuiæ specie descendente?

Tunc Angelus Dei iussa facessens, Virginem adijt, & clara voce: Aue, inquit, gratia plena: Dominus tecum. Non est ampliùs diabolus contra te. Vbi enim priùs hostis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vndè mors ingressus princi-

 pium

pium habuit, indè vita sibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue, gratia plena. Nè te pudeat, quòd mulier causa damnationis extiterit. Tu enim Iudicis & redemptoris mater existes. Aue, gratia plena, quæ mundi paries Saluatorem. Aue, gratia plena, genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue, animatum Dei templum. Aue, cæli terræque pariter domicilium. Aue naturæ illius, quæ comprehendi non potest, amplissimum habitaculum. Per hanc adest, charissimi, ęgrotantibus medicus, in tenebris considentibus illuxit iustitiæ sol, tempestate iactatis factus ancora, portusque tutissimus, Deo inuisis & inimicis reconciliatio, captiuis redemptio, in bello versantibus munitissimum propugnaculum: ille nimirùm, qui est pax nostra. Qua quidem pace vtinàm detur nobis frui, per gratiam eiusdem Dei nostri Iesu Christi: Cui gloria & imperium cum Patre & sancto Spiritu, in secula seculorum, Amen.


Epitheta illustria S. Mariæ.

Ephes. 2.

VITA S. HERMELANDI NOVIOMAGENSIS, PRIMI ABBATIS ANTRENSIS, GRAVITER ET BONA

fide conscripta, licèt author suum nomen reticuerit. Sed quia sermone parùm grato vsus est, quisquis ille fuit, aliquanto Latiniùs, plerunquè etiam paraphrasticôs, interdùm adstrictiùs eam expressit F. Laurentius Surius.

PROLOGVS.



Acrosancta mater Ecclesia excellenthim Patrum, quos diuinæ gratiæ fretos auxilio, ex antiquo illo serpēte palmam retulisse lætatur, & post huius vitæ emensa curricula incircunscriptæ Diuinitatis luce incōparabili in omnem æternitatem fruituros nō ambigit, res præclarè gestas non verborum phaleris, comptæque dictionis lenocinijs, quæ non multùm ab adulatione abhorrere videntur, sed simplici narrationis serie ad posterorum notitiam transmittendas consultè quidem instituit atque decreuit. Nam cùm illi iam ad cęlos translati, sub hominum adspectū non cadant, lectione & recitatione eorum, quæ de illis conscripta sunt, quasi humanis obtutibus repræsentari videntur. idque vt fortia illorum facta & præclara facinora dum mortales imitanda pro viribus suscipiunt, virtutibus augeantur: aut certè dum se ad illorum excellentiam pertingere non posse conspiciunt, sibijpsis ex vera animi humilitate vilescant. Atque hinc sanè perspicuum fit omnibus, qui rectè sapiunt, eos, qui pia animi affectione ducti, sanctorum hominum vitas studiosè literis commendant, præmio dignos: contrà verò eos, qui cùm possint, siue socordia siue incuria id negligunt, à culpa abesse non posse. Quod cùm multùm diuque apud me cogitâssem, fratres quoquè me magnoperè obsecrarent, constitui quidem beati viri Hermelandi (qui ab Germaniæ oris ad nos accedens, tanquàm alter quidam Benedictus fulsit virtutibus) res gestas, quas partìm visu, partìm relatione fratrum didici, in scripta referre: sed duo se mihi obijciebant impedimenta: nè aut temeritatis arguerer, si rudi stylo id attentarē, & nulla ferè eruditione præditus, tanti patris actus incōdito sermone digererem: aut improbus etiam & impudens non immeritò viderer, si per deuia quæque erraticus viator incedens, viri sanctissimi, qui a recto itinere nusquàm deflexit, vitam alijs vellem imitandam proponere, quam ego minimè imitarer. Hoc ego gemino timore aliquandiù retardatus, tanquàm humi prostratus, propemodùm inerti me ocio dédere mihi visus sum: at tandèm fratrū precibus pulsus, opus, quod iamdiù subterfugere deliberaueram, sancta fretus obedientia & misericordia præpotentis Dei, aggressus sum, & quæ ipse donaret, stylo exaranda suscepi, obnixè rogans eos omnes, qui hanc lucubratiunculam legere non dedignabuntur, nè ex oratione impolita sanctissimi patris gesta metiantur: sed in suis precibus memores sint opusculi huius inepti authoris, vt à pio iudice peccatorum veniam & beatitudinis coronam consequatur, & ipsi pro precibus benignè fusis, à Christo vitam obtineant sempiternam.

Vtilitas historiarum sacrarum.

Hinc appàret fides huius historiæ.

VITAE

VITAE HISTORIA.



CVM iam toto orbe reges permulti Christo nomen dedissēt, & fides catholica atque veritatis Euangelicæ lux, pulsis errorum tenebris, in omni ditione Clotarij regis Francorum multa pace frueretur, Hermelandus apud Nouiomagenses nobilissimis parentibus ortus est: nobiliterq; educatus, cùm generoso, vt assolet, animo atq; ingenio polleret, literis imbuēdus, à parentibus scholis adhibitus est. Ibì tum ille cæteros coætaneos discendi celeritate facilè antecessit, nec tamen animo inflatus est, sed pueriles ætatis leuitatem morum grauitate compescēs, nullis voluptatum illecebris se passus est irretiri. Nam carnis petulantiam spiritûs ardore conterens, nobilitatem animi, carnis nobilitati anteferebat, ità vt in ipsis scholis, iam multa probitate conspicuus, puer admirabilis ab omnibus haberetur. Porrò eius parentes, vt viderunt eum iam literis non mediocriter instructum, aptumq; aulicis ministerijs, à scholis reuocatum, in aulam adduxerunt, Francorumq; regi multo cum honore militaturum commendârunt: vt hoc militiæ perfunctus munere, ad Maiorum suorū pertingeret honores & dignitatem. At vir Dei Hermelandus omnem vitæ huius splendorem, omneque culmen honoris caduci præ Christi amore fastidiens, longe màluit per vitæ momentaneæ labores semper mansura iustorum gaudia promereri, quàm per inanem & lubricam mundi gloriam, sempiterna impiorum supplicia in suas accersire ceruices. Itaque à voluntate parentum longè eius animi sanctum discrepabat desiderium. Quod enim illi ad conciliandam ei præsentis vitæ gloriā moliebantur, id ipse ad salutis suæ perniciem spectare arbitrabatur, non ignorans dictum ab Apostolo: Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus. Et ecce nisi veritus ille esset, nè in illam eiusdem Apostoli sententiam impingeret, qua is dicit: Filij, obedite parentibus: nulla ei ratione vnquàm persuasissent terrenam complecti militiam, qui adeò ad cælestia anhelaret.

25. Martij. — *Ingenij felicitas.* — *Cogitur esse aulicus.* — *2. Tim. 2.* — *Ephes. 6.*

Cauens igitur, nè vlla ex parte salutaribus monitis defuisse videretur, simul etiam considerans necdùm sibi licere suo viuere arbitratu, militarem habitum, quem animo respuebat, extrinsecùs quidem, sed sanè inuitus accepit. Domino verò illum mirificè adiuuante in aula regia, ex tyrone ità repentè in perfectum mutatus est militem, vt cum Regi & Optimatibus eius esset gratissimus, Regis effectus sit pocillator, immò & pocillatorum princeps: sed hoc quoquè munus in se nolens recepit. Porrò in ea functione cum summa omnium gratia & multa prudentia versantem parentes & amici hortantur, vt cuiusdam nobilissimi viri filiam accipiat vxorem. Ibì verò ille multùm quidem ab ea re abhorrens, at tamen eam sibi passus est desponderi, diesque nuptijs certus est præstitutus. Verùm sub hoc prætextu non modò à coniugio, sed etiam ab omni actione seculari sese expedire, collumque mentis non mundi vanitatibus, sed suaui Christi iugo subdere moliebatur. Non enim surda aure Dominum audierat dicentem, & humano generi saluberrimè consulentem: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, nō potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam, & venit post me, nō potest meus esse discipulus. sed fideli hæc animo complectens, in rem conferre voluit eximius præclaræ institutionis executor.

Fit regi Frācorum à cyathis. — *Puella ei despōdetur.* — *Luc. 14.*

Itaque Domino illius pijs conatibus adspirante, cuncta mundi huius oblectamenta reijcere, ipsam quoquè sponsam & nuptias missas facere, terrenas à se actiones omnes abijcere, atque ità nudus & ab omnibus expeditus, nudam Saluatoris crucem, contra spiritales nequitias dimicaturus, egregius Christi athleta amplecti, regiumque tenere iter, doctrinis munitus euangelicis, planè deliberauit. Veritus autem, nè eius propositum mundanorum strepitus negociorum interturbaret, si in hominum frequentia diutiùs moraretur, regem adijt, & valdè summissè ac deuotè ab illo petijt, vt cum maiestatis eius bona venia liceret ipsi, posthabita militia palatina, ad monasterium se conferre. Id vt rex audiuit, pro summa erga illum beneuolentia & amore, eius preces planè reiecit, nec illum à se passus est separari, multumque hortabatur, nè in illo ętatis flore ab ipso discederet. Et id genus persuasionibus diù quidem eius animum vexauit, at tamen sanctum eius propositum nulla potuit ratione immutare. Cumq; in precibus perseueraret, tandèm diuino timore pium principis animū impellente, id quod diù pernegauerat, benignè illi permisit. Itaq; vir beatus cū regis & optimatū eius fauore è palatio recedens, ad Fontanellense cœnobium, cui tum venerandus ille Lambertus pręfectus

Petit à rege missionem.

Monachus fit in cœnobio Fontanellensi.

erat, celeriter aduolauit, in illorum fratrum sodalitatem se admitti petijt, nec difficulter, Abbate & fratribus eius preces libenter admittentibus, impetrauit.

Vbi ex more instituti monastici in Cella, vt vocant, nouitiorum probatus, ità perfectus inuentus est, vt vitæ integritate non modò recentiores & iuniores, sed illos etiam, qui ad multam iam perducti ætatem, longa vitæ spatia sub perfectionis habitu transmiserant, & in vitæ contemplatiuæ studijs omnes corporis vires penè detriuerant, non solùm assequi, sed etiam certissimis indicijs excellere videretur. Expleto indè probationis tempore, vt habet Regulæ seu Canonis monastici consuetudo, monachum adhibita sacra promissione professus est: atque omnibus mundi pompis planè proculcatis, tot commilitonum fultus præsidio, bellator strenuus tam est viriliter virtutū omnium consectatus iter, vt non solùm nullis malorum dæmonum prauis suggestionibus cesserit vnquàm, sed mox à primo initio pestiferum antiqui serpentis contriuerit caput. Adhibebant illi nequam spiritus sua tentamenta, sed omnia viro sancto vertebantur in materiam triumphi. Erat ille nimirùm charitate feruidus, fide deuotus, obediētia præcipuus, in oratione assiduus, spe firmus, tranquillus patientia, abstinentia moderatus, strenuus in vigilijs, deniquè ità cunctis virtutibus instructus, vt inter cæteros sacræ professionis commilitones tanquàm quidam Lucifer illustrior appareret.

Profitetur monachū.

Quod vt haud obscuris indicijs venerabilis Abbas Lambertus animaduertit, quē regularibus instituendum disciplinis susceperat, haud secùs atquè magistrū pro virtutum splendore & venerabatur, & amabat: dignumq; eum censens, qui sacris aris admoueretur, ab eius loci episcopo sancto Audoëno presbyterū voluit consecrari. Ille verò sacerdotio initiatus, tanta erga illud sacrū ministeriū animi deuotione ferebatur, vt quotidianum Deo sacrificium studiosè offerens, seipsum pariter maceratione sui corporis hostiam viuā eidem præpotenti Domino exhiberet. Per id tempus piæ memoriæ * Pascharius episcopus Nannetensi ecclesiæ præerat. Is dum quodā die ad Clerum & populum, inter quos mutua eaq; haud vulgaris vigebat charitas, sermonē haberet, quidq; vtrisq; congrueret, celebri sanè facundia explicaret, in tertij ordinis, putà monachorū, incidit mentionē, qui hactenùs incognitus propè manserat illis, qui occidentale Oceani litus accolunt, atq; ex ipsius Christi sermonibus illū cæteris perfectiorem ostēdit, dicente Domino: Si vis perfectus esse, vade, & vēde omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me. Mox auditores omnes, sancti spiritùs incitati instinctu, orant pontificem, huius rei desiderio ante omnes incensum, vt monasticæ professionis viros vndequaquè dignaretur accire, qui apud ipsos, si posset idoneus haberi locus, vitam perfectionis obtinēdæ studiosam excolerent. Fatebantur enim, se de Domini pietate confidere, si eius instituti viri apud ipsos demorarētur, etsi fortassè ad imitationē excitādam paucis, tamen ad intercedendū omnibus eius regionis incolis posse sufficere. Sentiens aūt antistes seq; populumq; suum diuinitùs eodem affici desiderio, non est cunctatus diù, nec subditorū repulit preces, sed maturè ad venerabilem Abbatem Lambertum, qui tunc, vt diximus, Fontanellense cœnobium sub sacro vitæ monasticæ habitu moderabatur, strenuos misit nuncios, qui eius orarent sanctitatem, sua benignitate vt curaret, suum populiq; sui desiderium posset vt ad effectum perduci. Nuncij, sui antistitis benedictione muniti, ad Fontanellense cœnobium iter intendunt, eoq; celeriter perlati, à fratribus humaniter excipiuntur, & Abbati Lamberto offeruntur, apud quem ità ferè locuti sunt: Sanctitatis tuæ inprimìs studiosus Pascharius episcopus, sancta feruēs animi deuotione, totiusq; ipsi creditæ plebis precibus incitatus, summoperè id expetit, vt in eius diœcesi monachi, quibus ipse locū præparabit, ad ecclesiæ suæ profectum & perennem Dei laudem, vitam sectentur regularem atq; monasticam. Cùm comperisset autem, fama tuæ sanctitatis iam longè lateque diffusa, isthoc cœnobium sanctę religionis integritate cæteris antecellere, orat & obsecrat, vt tua sanctitas monachos spectata religione ad ipsum mittere nè grauetur, qui monasticam vitam exactè viuere, alijsque excolendam tradere nouerint: vt suo per eos possit voto potiri.

Fit presbyter. Audoënus episcopus. *Pasquarius

Matth. 19.

Nannetēsis episcopi ad S. Lambertū legatio.

His ità peroratis, vt venerabilis Abbas didicit Domini sacerdotē cum plebe sua tali feruere deuotione, primò gratias egit benigno Deo: deindè accito ad se Hermelādo, preces antistitis coram illo repeti iussit: atque tum demùm eiusmodi responsa reddidit: Vota Pascharij episcopi eiusque sancti gregis, dubium non est diuinitùs orta, eoq; sanctissimā redolere deuotionem: quorum vt ego quoquè particeps esse merear, tametsi non ignoro quanto destituar solatio, quod à nostra exiguitate postulārūt, per hunc mihi longè charissimum Hermelandum fratrem aliosque illi adiungendos exequi conarer,

naret, si certò mihi constaret eiusmodi apud vos cœnobium constructum iri, in quo futuris temporibus fratres, quantùm quidem caueri potest, nullius infestatione perturbentur. Nostra enim professio multam exigit quietem, nec potest non maxima sentire detrimenta, si diuinæ intenta contemplationi, improborum hominum querelis & vexationibus indè retrahatur. Et vester quidem antistes vbi cœnobium extruxerit in suæ ecclesię ditione, dum ipse superstes erit, non est fortasis passurus, vt fratrum illic degentium pax infestetur: at illo defuncto, si monasterium sub sui successoris dominio reliquerit, non deerunt importuni homines, qui praua cupiditate impulsi, multas fratribus excitent molestias, quæ illos etiam indè recedere tandèm compellant, atque huc illucque incertos vagari. Quod sanè, si, vt plerisque alijs, ità huic quoquè monasterio acciderit, mihi, qui fratres eò ablegârim, non parùm impendebit periculi, porrò vestro antistiti nihil accedet mercedis. Si igitur cælestis præmij contemplatione vult cœnobium construere, hortor vt illud regiæ authoritati tuendum permittat, efficiatque vt rex pro sua clementia edicto sanciat, nè quis alius, ius dominium've in illud sibi vendicans, malo instigante dæmone, fratribus infestus sit: vtì sic regiæ maiestatis muniti præsidio, pro eius totiusque regni pace perpetua liberis mentibus Christi misericordiam implorent. Ad hæc legati sic responderunt: Noli pater id genus retardari suspicionibus: sed certò tibi de pontificis nostri Pascharij humanitate persuadeas, cum diligēter curaturum ea, quæ dixisti. Monastica professio quid reposcat.

Hac Lambertus Abbas legatorum sponsione firmatus, ait ad Hermelandum: De tua ego, frater charissime, religione plurimùm confidens, tametsi scio absentiam tuam mihi iniucundam, immò & dispēdiosam fore, ad Pascharium episcopum cum duodecim fratribus te volo proficisci, meoque loco illis esse patrem, vt ad tuum præscriptum monasterium pro episcopi desiderio exædificetur. Verùm enimuerò nihil prҫter tuam sententiam hac in re tentaturus sum, sed totum isthuc tuæ prudentiæ permitto. Cui Hermelandus, Nè, quæso, inquit, Pater meam hîc requiras voluntatem, quam propter Christum in tuum transtuli arbitrium. Ego verò, modò Dei & tua voluntas fiat, libens proficiscar quocunquè me miseris, haud secùs àc si diuinitùs id imperetur. Tunc Lambertus pater perfusus gaudio, eius præclaræ congratulabatur obedientiæ, & ait: Agè fili mi, accingere vt miles Christi ad iter, egregiumque hoc opus suscipe, quod & tibi & alijs multis aditum paret ad regna cælorum. Cumque & illum & fratres cum eo abituros optimis instrueret admonitionibus, inprimìs hortans, vt accuratè & virili constantia monastico canoni sese accommodarent, post mutuos amplexus & lachrymas, impertitamque discessuris benedictionem, dimisit illos, rogans Deum cum fratribus, quos apud se retinebat, vt sua illis gratia & auxilio adesset. Promptissima S. Hermelādi obedientia.

Abeunt igitur cum Episcopi nuncijs, & Christo propitio ad Nannetensem vrbē celeriter perueniunt, vbì mox ad basilicam beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum precandi causa sese contulêre. Audiens autem reuerendus antistes eos adesse, incredibili affectus hilaritate, dixit: Recordatus est meî Dominus Deus, nec me voto frustratus est meo: occurrensque fratribus ad iam dictæ basilicæ fores, ait B. Hermelando: Benedictus Deus, qui te misit huc, ad ipsum introitum tuum: quique quod per prophetam suum testatus est esse bonum & iucundum, hodiè compleuit, faciens habitare fratres in vnum. Deindè cùm eos omnes haud aliter atquè angelos quosdam conuiuio excepisset, votumque suum omne eis exposuisset, B. Hermelandus ea, quæ Lambertus Abbas nuncijs eius proposuisset, quæque illi respondissent, coram illo retexuit, ac postremò ità subiunxit: Si tua sanctitas non vult deesse ijs, quæ Abbas noster expetijt, nos pro viribus, quicquid iusseris, exequemur: sin autem aliter visum est, nos, salua & integra charitate, ad Abbatem nostrum ità vt iussi sumus, reuertemur. Tum verò Episcopus: Non puto, inquit, esse quenquam frater charissime, qui perindè, atquè ego, cupiat hoc opus esse firmum atque perpetuum. Nam cùm ego eius author atque fundator esse videar, nolim cuiquam hac in re esse secundus. Atque hac de causa pro tuo atq; Abbatis tui consilio & hortatu, nunciorumque meorum sponsione, non modò cœnobium cum rebus omnibus, quas illi attribuero, ex Canonica authoritate regiæ dominationi committam, eiusq; vobis sanctionem impetrabo: verumetiam quicquid, quod ad eius quietem inconcussam faciat, tecum pariter excogitare potuero, libentissimè illi impertiam. Quibus ex verbis animaduertens Hermelandus liberalem antistitis animum, & ab auaritiæ sordibus alienum, demissè admodùm illi dixit: Dominus, qui hoc tibi adspirauit desiderium, ipse etiam ad effectum perducat, consiliumq; tuum confirmet. Psal. 132.

Ego

Ego interim in crastinum vsque spatiũ cogitandi mihi vt largiaris, obsecro, & quicquid, Domino donante, hac de re mecum pertractauero, cras tuæ reuerentiæ aperiam.

Altera luce, absoluto matutinæ laudis officio, venit ad Paschariũm Hermelandus, eique dixit: Iubeas nobis apparari nauiculam, qua per Ligerim ad mare vsque subuecti, omnia eius litora lustrare possimus: quòd si locus cœnobio construendo opportunus non apparuerit, per omnem ditionem tuam locum idoneum inquiremus. Cui sic antistes respondit: Non ego necessarium puto ad mare vsque vos fatigari. Sunt enim insulæ quædam, ab hac vrbe tribus disiunctæ milliaribus, quas hic fluuius circunfluit, atque insupèr mare exæstuans quotidiè ter ambiendo alluit. Quæ autem sit earum insularum fertilitas, vel quæ magnitudo, mihi hactenùs per curas ecclesiasticas explorare non licuit. Sed tu, quęso, eas lustra accuratè, & ad me, quæ videris, referto: maximè, num possit in aliqua ex ijs cœnobium cõstitui. His dictis, actutùm iussit præstò esse nauim: quam Hermelandus ingressus, rogauit Dominum, vt locum aptum ipsi indicare dignaretur. Nautæ verò celeritate vsi, ad insulam appulerunt, cæteras amplitudine superantẽ. Tum Hermelandus è naui exiens, comperit eam in longum obtinere stadia quatuor & viginti. Porrò in aliarum insularum medio sita, in sublime sustollit verticem, montosa in medio: atque idcircò immunis ab inundatione tum Ligeris fluuij, tum exæstuantis maris, tutam præbet incolis habitationem, nec desunt illi amplissima spatia, tum ponẽdis colendisque vitibus, tum hortis quoquè & pratis efficiendis opportuna. Nec patet ad eam accessus, nisi quis naui subuehatur. Habet verò etiam syluas densas.

Hermelandus lustrat insulã, eamque Antrum vocat.

Quæ sanè omnia, tum quoquè nonnulla abstrusa loca virum Dei permouerunt, vt eam Antrum vellet appellari: quemadmodùm insulam ad Austrum sitam, hac quidem spatijs minorem, sed habitudine vel specie illi simillimam, Antriginum vocauit. Reperit autem illic in quadam ædicula oratorium beatissimi confessoris Martini. Erant etiam illic armentarij non pauci, quòd eius vbertas alendis pecoribus esset valdè opportuna. Piscatoribus autem circuncircà tam ex Ligeri quàm ex mari tanta suppetebat piscium diuersorum generũ copia, vt illis, qui in alijs fluminibus capiendis piscibus nauant operam, res videatur incredibilis, nisi coràm inspexerint. Nec tamen vulgi perstrepentis illic audiuntur voces, sed varij generis auium iucundæ resonant melodiæ, & in ijs olores dulci fundunt modulamine cantus. Deniquè tantum illic silentium, tanta tranquillitas est, vt anachoreticam appetentibus vitam, mirificum eremi desiderium adferre videatur. Quæ quidem omnia posteaquàm vir Dei Hermelandus partìm suis oculis, partìm vicinorum relatione cognouit, exultans in Domino, ait: Benedictum sit in secula sanctissimum nomen tuum, ô summa Trinitas, quę mihi talem demonstrare locum dignata es, quo ego nullum adhuc viderim commodiorem in omnibus illis monasterijs, quę vnquàm adierim. Deindè ocyùs ad Paschariũm episcopũ regressus, Fateor, inquit, nunquàm me neque amœniorem, neque extruendo cœnobio aptiorem vidisse locum duabus illis insulis, quas hodiè perlustraui. Ijs auditis, lętabatur antistes, & gratijs actis prępotenti Deo, toto illo die egit cum Hermelando de cœnobij structura: cumq; diù mutuis sese colloquijs spiritalibus adhortati essent, tandèm cibum vnà sumpserunt. Indè diuinis absolutis laudibus, cubitum iêre: rursusque post breuem somnum ad preces reuersi, quicquid noctis supererat, in Dei laudibus transmisêre.

Eius insulæ vbertas.

Copia piscium.

Postera die Hermelandus dixit episcopo: Quandoquidem locum cumprimìs opportunum nobis Dominus ostendere dignatus est, nolim moras nectere: sed tua benedictione munitus, quamprimùm eò me conferam, vt tua aliorumque fretus ope, cœnobij structuram aggrediar. Benedictione igitur data ab episcopo, post mutuos amplexus, Hermelandus ad insulam reuersus, locum aptissimum designauit, iactisq; ædium fratribus necessariarum fundamentis, tam illas, quàm templa duo, alterum sancti Petri, alterũ sancti Pauli Apostolorum Christi cum vniuerso cœnobio, Domino opitulante, breuì exædificauit, non segnem ei nauantibus operam permultis eius regionis incolis. Deinde Episcopus ecclesias dedicaturus aduenit cum suis Canonicis, & cum bono omniũ fauore atq; cõsensu, sicut anteà promiserat, isthuc priuilegij beato Hermelãdo & fratribus impertijt, vt nulli successorũ eius ex illo monasterio vel rebus omnibus, quas tum ipse, tum alij Dei amore fratribus cõtulissent, quicquã sibi sub dominij prętextu vsurpare liceret. Posteà beatũ Hermelandum ad regis aulam secũ ducens, regi Childeberto eum, eiusq; cœnobiũ & fratres omnes deincèps tuendos commendauit. Scripsit verò idem rex sanctionẽ, eamq; beato Hermelando tradidit, de illo monasterio & rebus eius, putà nè quisquam omninò fratribus illic degẽtibus molestiã exci-

Antrense monasteriũ construitur.

Regis sanctio & priuilegium.

excitaret, sed vt regia illi freti protectione, absque alicuius infestatione, liberis animis pro rege tôtiusque regni pace Dominum precarentur. Ea regis beneuolentia & amicitia cohonestatus vir Dei, ad monasterium se recepit. Ex eo tempore multi, côtempto seculo, ad illud cœnobium conuersionis gratia confluxêre, monasticum complexi institutum: multi suas proles illic Christo militaturas obtulerunt. Porrò vir Domini Hermelandus omnes & verbo & exemplo ad vitæ contemplationi dedita studia incitauit. Et ingens sanè fratrum numerus illic excreuit, qui sub tanto patre tantos in virtutibus & vitæ sanctitate fecêre progressus, vt iam fama illorum longè lateque sese diffunderet, & in eorum sanctis studijs omnes, ad quorum notitiam perferebantur, magnificarent patrem eorum, qui in cælis est. Multi in Antrêsi cœnobio fiut monachi.

Nocte quadam vir sanctus pro sua consuetudine in basilica sancti Petri Apostoli diuinæ contemplationi intentus, Abbatis Maurenti, viri valdè venerabilis, animam e monasterio sancti Florentij, quod Glannam vocant, ab Antrensi cœnobio ad triginta distante milliaria, ducibus angelis, relicto corpore, migrare vidit ad cælos. Cumq; in eam diù oculos defixisset, signo dato fratres conuocauit, iussitque vt Maurenti Abbatis animam Domino commendarent. Fecerunt hoc illi quidem prompta & alacri obedientia: at mirabantur tamen, cùm inter vtrunque monasterium tam longa itineris spatia intercedant, quonam pacto vir Dei animam eius è corpore abeuntem videre potuerit. Vt igitur de tota re certiores redderentur, hominem ablegare statuère, qui de obitu Maurenti Abbatis inquireret. Eccè autem adsunt fratres e sancti Florentij monasterio, suamque plorantes orbitatem, Abbatis sui excessum nunciant. Adhibebant autem illis Antrenses monachi fraternę consolationis pia fomenta, simulque, qua hora defunctus esset Abbas, percontabantur. Quam sanè eandem omninò fuisse didicerunt, qua ab Abbate suo Hermelando eum migrâsse audierant. Visio S. Hermelandi.

Contigit quandoquè virum Dei cum aliquot fratribus iter habere per Nannetêsem pagum. Fortè tum illis obuiàm venit Arnoldus quidam, multa dignitate multisq; diuitijs insignis, magna obsequentium turba stipatus. Ad eum prolixè tum è scripturis diuinis sermonem habuit vir sanctus, optimis eum sermonibus instituens. Ijs iam finitis, dixit vni è fratribus: Hactenus quidem pro ingenioli nostri tenuitate huic illustri viro spiritalem ministrauimus potum: at nunc superest, vt hortante nos charitate, corporalem etiam pariter sumamus. Respondente fratre, perexiguum illic vini adesse, quodque vix heminæ mensuram excederet: hocipsum vir sanctus iussit adferri, in illius virtute confidens, qui quinque panibus, quinque hominû millia abundè refecit. Allato vino, signum crucis expressit, porrigique iussit Arnoldo, quem diximus, cunctisque qui illum comitabantur. Distribuitur mox omnibus, singuli singulos bibunt calices plenos, nec tamen vinum exhauritur. In cuius sanè præclari miraculi testimonium vasculum illud, vndè vinum fundebatur, in sancti patris asseruatur monasterio. Matth. 14. Iohan. 6. Vinum edita cruce augescit.

Sedebat aliquandò beatus Hermelandus sub quadam arbore apud oratoriû sancti Leodegarij martyris, legebatque libro attentiùs. Interim erucæ, illam arborem depascentes, in librum ipsius identidèm decidebant, legentemque interturbabant. At ille, vt erat mitissimus, patientissimè id perferebat. Porrò frater quidâ id animaduertens, cœpit eas conterere pedibus: sed vir Domini eum prohibebat, ne id faceret, ità dicês: Noli frater, quę diuino accidunt iudicio, velle auertere. Verùm omnipotens Deus, vt sancti viri patientiam præclarè remuneraretur, erucas omnes, quæ iamdiu arborem illam vastauerant, vsqueadeò nocte illa profligauit, vt ne vna quidem superesset. Erucarum excidium.

Consueuit vir Dei Quadragesimæ diebus ob vitandam hominum frequentiam, qui illum fratresque visitaturi, cum oblationibus ad monasteriû aduentabant, Antriginum petere, atque illic cum paucis fratribus multa abstinentia corpus suum macerare, vt in Paschali solennitate posset seipsum Deo hostiam gratissimam exhibere. Accidit autem quodam die, vt vigiliarum & precum instantia defatigatus, sub diuo animi causa nonnihil deambularet, & deindè in litore parumpèr fessum se reponeret. Aderat tum quispiam, qui diceret Nannetensem episcopum habuisse piscem, quem vulgò * naupradam vocant. Ad quem vir Dei, Et quid isthuc, inquit, frater ad rem pertinet? An vero putas imbecillam esse præpotentis Dei manum, vt non possit etiam nobis eiusmodi largiri piscem? Needum verba sua expleuerat vir sanctus, & ecce eius generis piscis ab ipso Ligeris fundo sese subrigens, celerrimè ad illum adnatauit, & ante eius pedes in arenas prosiliuit. Ille non ignorans diuinitùs hoc ipsi munus oblatum, cum gratiarum actione iussit leuari è terra, dixitque vni è fratribus: Tolle hunc piscem fili, & in tres partes seca: * fortè, lampetram. Piscis miraculum.

quarum

quarum vna apud nos permaneat, reliquæ duæ in monasterium ad fratres mittantur. Factum est, vt imperârat: & accidit res sanè admirabilis. Nam sancti viri meritis ità fratres omnes, tam qui cum illo erant, quàm qui in monasterio versabantur, quorum certè erat non exiguus numerus, tantillo pisce exatiati sunt, vt magna piscium copia vsi fuisse viderentur.

Exemplum optimi prælati.

Magna erat in sancto viro prudentia & moderatio, qua ità nouerat demandatum ipsi exercere ministerium, vt nec pro suî custodia fratrum curam negligeret: nec ità fratribus sustentandis, ijsque necessarijs procurandis esset addictus, vt sibijpsi negligenter inuigilaret. Quod vt accuratè præstare posset, interdiù res illas curabat, quæ essent fratribus necessariæ: Porrò nocturnis horis post somnum breuem, quem tamen humanę fragilitatis necessitate adactus potiùs, quàm vel modicæ quietis studio & amore captabat, totus in rerum cælestium contemplatione, atque in sanctis precibus & psalmodijs versabatur. Cùm autem nocte quadam precandi gratia sui monasterij basilicas lustraret, in vna ex ijs vidit extinctum lumen. Iussit ergò fratri, vt illud rursùs accenderet. Sed cùm ille frater manu gestaret lucernam, flante acriùs vento, extincta est. Illo properè abeunte, vt denuò accenderet, vir Domini iussit eum gradum sistere, & extenta manu signum edidit crucis, moxque lumen restitutum est: quod cùm frater ad basilicam deferret, lucernam extinctam accēsurus, tametsi importunior, quàm antè, ventorum procella sæuiret, non potuit tamen lumen diuinitùs datum extinguere.

Signo crucis expresso extinctū accendit lumen.

Non segniter in eam curam vir Dei incumbebat, vt continenter ad altiora proficeret, & quotidianis virtutum incrementis animi puritatem cumularet. Itaque quadam nocte in Antrigino insula (vbi, sicut antè dictum est, tempore Quadragesimę corpusculum suum rigida abstinentia conficiebat) in oratorio sancti Aniani illo ambulante, via, cui insistebat, reliquo pauimento candidior visa est: atque adeò locus ille, in quo fixus in oratione permanere consueuerat, tali est candore perspicuus, vt vsq; in pręsens quotquot ad eum accedunt, perspicuè intelligant, quanta eius pectus munditia & candore nituerit.

Iam partes occiduas fama sanctitatis eius longè lateque peruagata, etiam in Aquilonis regiones sese intulit. Nam cùm aliquandò in pago Constantino res monasterij necessariò perlustraret, quidam eius loci nobilis vir, Launus nomine, illum cum discipulis eius vocauit ad prandium. Non recusauit vir sanctus, vt erat comis, affabilis & iucundus. Ingressus igitur domum eius, benè illi precatus est. In ea autem regione humus non gignit botros. Indè accidit, vt Launus non nisi parùm haberet vini in vasculo quodam. Et quidem tanto ille hospite lætus, conuocauit amicos, ex eoque vino non illis duntaxàt, sed etiam pauperibus & peregrinis superuenientibus iussit liberaliter distribui. Biberunt omnes hilariter, & interim Domino benedicente, non modò nihil de vino decessit, sed vasculum propemodùm vino redundare visum est. Et illo quidem die ea de re silentium fuit: at luce altera intantùm per omnem illam regionem diuulgata est, vt incolæ omnes planè sibi persuaderent ea sanctitate esse virum Dei, vt si quid in eum à quoquam collatum esset beneficij, non solùm nihil eius facultatibus decessurum, sed multum etiam accessurum vltra illam, quæ illi in cælis esset reposita, mercedem. Peracto prandio, vir Domini ad ædes suas in villam Oglandam redijt. Porrò Launus postridiè ex vxore sciscitatus est, an'ne vel parùm aliquid vini superesset, quod ad virum Dei pro benedictione transmitteretur. Abijt vxor, & diligenter vase inspecto, plenum illud reperit: moxque viro indicauit. Ille exhilaratus, mittit indè ad virum sanctum, simulque certiorem eum reddit, quanto ipsum Dominus ob eius merita beneficio affecisset. At vir sanctus iussit eum rem tacitam habere, rogans nè ipsius meritis adscriberet, quod in pauperum subsidium diuinitùs eius liberalitati donatum esset. Launus verò pernegabat suæ liberalitatis causa id fecisse Dominum, sed ob sola ipsius sancti viri merita tale miraculum contigisse. Erat sanè inter eos pro humilitate amica contentio, sed nemo ambigit B. Hermelandi meritis adscribendum esse tam insigne diuinitatis miraculum.

Vinum mirificè augetur.

Humilitas sancti viri.

Cernens autem perniciosus dæmon eximijs virum Dei pollere virtutibus, nec posse se vllis tentationum machinamentis eum vel ad breue tempus in peccati consensum impellere, cœpit commouere quosdam ad infestandum illum, creandasque illi molestias: vt si nōposset domum eius, in firma petra fundatam, penitùs euertere, hoc saltem in lucro deputaret, si vel ad momentum eius perturbâsset animum. Excitat ergò rusticum quendam, isque improba cupiditate inflammatus, de ephippio sancti viri quippiā

præci-

præcidit. At mox illum diuina vltio persecuta est. Nam repentè cœpit tanquàm ignibus inflammatus conflagrare, magnosque eiulatus edere, simul etiam compellare virum Dei his vocibus: Succurre mihi sancte Hermelande. nam pro furto exiguo, quo rem tuam mihi ausus sum vendicare, pœnas luo inæstimabiles. Et hæc dicens, rem furto ablatam, è sinu protulit & abiecit, quæ hodieque in oratorio beati Petri Apostoli, quod est in Oglenda Cella, suspensa manet. At sanctus pater hominem scelere vinctum, precibus absoluit, & cibo potuque abundè refectum, admonitumque nè deinceps maligno hosti assensum præberet, incolumem à se dimisit. Alius quoq;, stimulante cupiditate, boues sancti viri, qui onusta lignis plaustra trahere solebant, furto abstulit. Sensit vir Dei magno se commodo destitutum: sed tamen æquo ferens animo, ad solita orationum præsidia se recepit, rogans Dominum, vt boues abacti restituerentur. Tanta verò fuit earum precum vis, vt miser ille, qui boues procùl abigere moliebatur, multo confectus labore, manè ad cœnobij fores eos adduxerit. Gauisus vir Dei, recepit boues suos: porrò furem blandè castigatum, admonuit, ne posthàc se ab inimico dæmone in flagitium impelli pateretur: nè & hic obnoxius crimini, pœnas daret, & posteà apud inferos æternùm cruciaretur.

Furtum rustici diuina vltio persequitur.

Fur diuinitùs cogitur restituere abactos boues.

Agatheus vir inclytus, Nannetensis atque Redonicæ vrbis comes, vtriusque loci episcopatum occupans, Antrensem insulam tum precandi, tum colloquendi cum viro Dei causa adijt. Acceptus est autem à sancto viro non inhumaniter. Facta oratione, vir Domini eius quædam facta repræhendit, hortabaturque vt resipisceret. Deindè in refectorium, vt vocant, cum perduxit, iussitque vini calicem illi præberi. Cuius cùm partem dimidiam exhausisset, velletque calicem reddere fratri, vir sanctus hortabatur vt ebiberet: attollensq; dexteram manum, denuò crucis signum supra calicem illum expressit. Necdùm manum retraxerat, & ecce subitò intantùm repletus est calix, vt vinum redundans in brachia comitis efflueret. Tum verò ille se tanti sacerdotis consessu indignum iudicans, celerrimè ad pedes eius tremebundus corruit, obsecrans vt pro ipsius peccatis Dominum deprecaretur. Ità ille externo compulsus est miraculo, eius, de qua infidus dubitabat, agnoscere sanctitatem. Nec dubium est, signum hoc, diuina dispensante prouidentia, idircò contigisse, vt bruta mens, quæ sanctæ exhortationis verbis nihil mouebatur, vel timore perculsa, ad meliorem se frugem recipere cogeretur. Et ex illo quidem tempore non parùm ille de pristina crudelitate remisit.

Calix propè exhaustus vino impletur.

Inuisebat quodam tempore sanctus pater vtilitatis gratia possessiones monasterij sui. Venit autem ad Pauliacum villam: vbì cùm cuncta, prout res poscere videbatur, expediuisset, iam nocte impendente, suo more peruigil in diuinarum rerum contemplatione permansit, noctemque duxit insomnem. Interìm sub ipsa cælestium speculatione vidit in Aquitaniæ partibus in Creæne Cella siue monasterio suo, quod ei scripto traditum fuerat, & ab eo loco, vbì tum ipse degebat, ad 80. aberat miliaria, cuiusdam venerabilis monachi animam, qui eius fuerat institutionibus imbutus, atque ea causa illic ab eo constitutus, vt tum illud, tum Colonense quoque curaret monasterium siue Cellam, è corpore migrantem, atque angelicis fultam præsidijs, rectà ad cælos tendentem. Mox edito signo, fratribus visum aperit. Non deerant tum in ijs ipsis quidam ætate iuniores, qui sanctum virum, iam multo confectum senio, delirare putarent. At ille Domino adhærens, eo spiritu, quo procùl viderat animam fratris è corpore decedentem, etiam horum non solùm dicta, sed etiam cogitationes cognouit. Illorum enim diffidentiam arguens; certissimè confirmabat iam dicti fratris animam, corpore solutam, sempiterna in cælis requie potiri. Vera autem illum dixisse, & quidem eadem, qua dixerat, hora illum fratrem obijsse, nunciorum ab illo monasterio venientium verba comprobârunt.

Videt animam fratris in cælos ferri.

Ità nimirùm vir sanctus, inter necessaria illa ministeria, quæ curæ fratrum ipsi commissorum impendenda erant, non neglexit ea studia, quæ ipsi quotidiana virtutum augmenta conciliarent. Non ille visus est, vt solent plerique veterani, sub ætatis grandæuæ prætextu remissiùs sese gerere: sed cum ætate accrescente, virtutum cumulandarum desiderio, aliquid potiùs ad conuersationis rigorem, quatenùs quidem ferre potuit, adijcere curauit: non minimam se iacturam fecisse arbitratus, si non quotidiè aliquid virtutum eius exercitijs accessisset. Itaque cùm prouecta iam esset ætate, paruum oratorium in honorem S. Leodegarij martyris ad fores monasterij orientales extruxit: vbì, abdicata pastorali administratione, quam non ambitione, sed necessitate diù gesserat, facta quoquè fratribus potestate alium eius loco sibi patrem deligendi, sese in-

Cum ætate accreuit illi feruor mentis.

Oratoriū S. Leodegarij.

Abdicat se Abbatis functione.

inclusit, vt curis omnibus expeditus, liberè soli diuinæ posset esse contemplationi intentus. Accessit eò etiam regis consensus & fratrum, tametsi ij non parùm diù tanto se patre destitutos luxêre. Adiunxit autem sibi quatuor fratres eiusdem propositi, quos vnà secum inclusit.

Porrò fratres cœnobij Antrensis subrogârunt ei Adalfredum Abbatem, rege id approbante. Verùm eius electioni B. Hermelandus interesse noluit. Et ille quidem oblitus se patrem esse, maligni dæmonis instinctu deprauatus paternam functionem mutauit in tyrannidem. Nam tum sui, tum fratrum necessariam curam abijciens, rebus superuacaneis sese dedidit, & ab interioris vitę studijs iusto Dei iudicio prolapsus, sola externa sectatus est. Extruxit verò etiam sibi aulam, non contentus structuris necessarijs, animi quodam fastu eum impellente. Quod vt resciuit B. Hermelandus, cùm ob multa eius non rectè facta illum obiurgaret, inter cætera ait: Quid est hoc frater, quòd posthabitis animorum lucris, fratrumque necessarijs negocijs, in res superuacuas te totum effundis? An non satis multa hîc tibi videntur constructa ædificia? Obtempera, quæso, dictis meis, & his contentus esto. Alioquìn hoc in loco nihil abs te exædificabitur. Hoc autem vir sanctus prophetico dixit spiritu, sciens diuinam ei impendére visionem, quæ illo anno tolleret eum è medio. At ille animo occæcatus, viri Dei æquissimas admonitiones contemnens, fratribus etiam necessaria subtraxit alimenta: atque illis etiam, qui cum S. Hermelando erant, statutam iussit annonam negari. Nec hoc contentus, fratres dirissimè voluit flagellari. Accidit autem, vt ea crudelitate etiam in vnum ex ijs, qui apud S. Hermelandum degebant, immaniter sæuiret: Qui nimio dolore compulsus, ità dixit: Pater Hermelande, cur nos viuus deserere voluisti? Quod audiens miser Adalfredus, præcepit atrociores illi admoueri cruciatus, dicens: Non tibi quicquam tuus opitulabitur Hermelandus. Tandèm euasit ille, & celeri cursu ad S. Hermelandi Cellam properans, humì se abiecit, multumque eiulans dixit: Ecqua in nobis, pater Hermelande, flagitia inuenisti, vt nos sub tanta crudelitate relinqueres? Vtinàm liceat excedere è vita, nè tam immanis tyranni iniurijs exagitemur. Porrò fratres, qui cum illo erant, indicârunt viro Dei, quàm dira fame afficerentur. Tum verò ingemiscens vir sanctus, Silete, inquit, fratres, silete. Videbitis repẽtinum eius interitum. Nec enim vel vnius mensis spatio licebit ei lucis huius vsura perfrui. Tertio abhinc die miser ille Adalfredus in visione se vidit pro sua inobedientia scipione beati Hermelandi verberari, atque eiulans cœpit velut ignibus inflammatus dirè torreri: sicque & æterna & temporaria affectus morte, vitam pariter cum Abbatis functione repentè amisit: licet autem sepultura indignus esset, at tamen, hortante viro Dei, fratres eum terra condiderunt.

Adalfredus Abbas inhumanus.

Diuina visio in Adalfredū.

Illo extincto, collecti in vnum fratres, S. Hermelandum valdè obnixè rogârunt, quandoquidem sua illos præsentia voluit esse destitutos, vti nè sineret eos rursùs in Abbate deligendo aberrare: sed ipse eis Deo dignum crearet Abbatem, qui eius vestigijs insistens, viam Domini ipsos edoceret. Flexus vir Dei fratrum precibus, iussit adesse vnum e fratribus, quem ipse diuinis imbutum disciplinis, in bonis actibus educauerat. Donatus is dicebatur. Hunc propensa omnium voluntate Abbatem constituit, simulque instituit, quemadmodùm & in temporarijs & in spiritalibus rebus administrandis sedulum atque solicitum sese exhiberet. Et ille quidem sancti viri optimis institutionibus sese accommodans, Christo iuuante, magistroque pro illo apud Deum intercedente, humilitate & charitate egregiè instructus, monasterium quoàd vixit, cum multa laude gubernauit. Hucusquè vitam & virtutes hominis Dei, quas per illum Dominus efficere dignatus est, vtcunquè digessimus: sed tamen non nisi paucis commemoratis, prætermissis verò plurimis: nunc ad eius obitum, qui fuit illi aditus in vitam sempiternam, veniendum est. Posteaquàm igitur permultos ab improba vita ad Dominum conuertit, & ad Christi fidem traduxit, postquàm in monasteriolo (cellam vocat author) dies non paucos inclusus, Deo soli vacans, precibus suis ægrotis multis, pro eius fama sanctitatis ad ipsum confluentibus, pristinas reformauit vires, cùm iam veneranda canities eius ad id vsque virtutis excreuisset, vt propemodùm nihil ei perfectionis accedere posse videretur, prophetico spiritu, quo multa iam antè præuiderat, sui etiam obitûs diem quibusdam fratribus non diù pòst futurum prædixit. Illi autem crebrò experti, habere illum donum prophetiæ, incunctanter verbis eius fidem commodârunt, & illo, quo se moriturum dixerat, die pariter congregati, eum valdè rogârunt, vt quemadmodùm in terris eis fuisset magister iustitiæ, ità in cælis perpetuus non dedignaretur esse patronus & intercessor. Quos ille omnes singulatìm, vt in sancto permanerẽt pro-

Donatus succedit Adalfredo

Prædicit obitum suum S. Hermelandus.

proposito, hortabatur: ac deindè corporis & sanguinis Domini sacramento sese præmuniens, longa iam fractus ætate, inter verba orationis feliciter spiritum in manus efflauit benignissimi creatoris: obdormienti similior, quàm morienti, tamque alienus à mortis acerbitate, quàm fuerat ab omni fœda carnis libidine. Conditus autem est in basilica Pauli Apostoli iuxta oratorium Vuandregisili, in abside, quæ vergit ad Austrum. Multi verò ad eius tumulum magna diuinitùs sanitatum beneficia sunt adepti. Feliciter obdormiit in Domino.

Cùm autem iam multi fluxissent anni, quadam nocte Sadreuertus, eius cœnobij venerabilis monachus, vocē audiuit eiusce modi: Cras, vbi surrexeris, dic Abbati tuo, vt corpus sancti Hermelandi in basilicam beati Petri Apostoli transferat, & honorificè admodùm condat apud altare. Abbas à Sadreuerto, quem pro eius sanctitate non mediocriter amabat, hæc audiens, magno afficitur gaudio, sacrumque sancti viri corpus cum sarcophago eleuans, cum hymnis, canticis & lampadibus thurisque suffitu, fratribus cum comitantibus, quo fuerat iussus, deportauit. Cùm autem ad refectorij ostium peruenissent, feretrum tanto cœpit pondere deorsùm premi, vt nulla posset ratione è terra leuari. Stupebant omnes rei repentina nouitate, simulque orabant Dominum, nè fineret distineri sacri corporis ad locum destinatum translationē. Ea prece absoluta, venerabilis Abbas Dauid ait: Cùm sit iam Missæ expletum ministerium, puto equidem beatissimum Patrem Hermelādum, pro solita humanitate sua, velle nos post tantos labores in refectorio sumere vini calicem. Obtemperatum est illi: sumpserunt singuli singulos calices, & ecce mira facilitate & celeritate leuant corpus, & ad S. Petri ædē deferunt, ibique reuerenter condunt in monumento accuratè fabrefacto. Die autem tertio tanta suauissimi odoris fragrantia ex eo monumento erupit, vt primùm basilica omnis, deindè vniuersum cœnobium illo compleretur, atque in octauum vsque diem perpetuò perduraret. Quotquot autem tum præsentes adfuêre, qui etiamnùm supersunt, palàm testantur, nunquàm se tanta fuisse odoris suauitate perfusos. Longum esset referre miracula omnia, quæ ad sancti viri sacras reliquias diuinitùs declarata sunt: nos ex ijs pauca duntaxàt commemorabimus. Trāsfertur eius sacrū corpus. Odor suauissimus ex eius sepulcro.

Eufredus quidam impia incensus cupiditate, in pago Oximensi villam, quam Crannam vocāt, sancti viri monasterio abstulit. Et ecce in somnis paulò pòst videt sanctum Albinum Confessorem omni edendi & bibendi facultate ipsum priuantem, donèc ad S. Hermelandi sepulcrum accederet, & cum digna satisfactione res ei ablatas restitueret. Expergefactus ille, cum multo timore pensitabat quid vidisset, ac illucescente die equo conscenso, properè abijt ad aliam eius monasterij villam Cludionem: vbi inuento monacho Edramno, quid sibi accidisset exposuit, rogauitq; vt cum ipse ad sancti cōfessoris sepulcrum proficisceretur. Ille quidem petenti annuit, hortabatur autem, vt aliquid cibi & potionis acciperet. Quod cùm ille temerè attentaret, panem sumptum nulla potuit ratione deglutire: immò verò etiam vnà cum sanguine coram omnibus euomuit. Itaq; maturauit susceptum iter, & ad sancti viri sepulcrum accedens, in preces incubuit, ablatam villam se redditurum promisit, atque insupèr de suis prædijs & facultatibus monasterio quędam elargitus est. Ità publicè suum facinus confessus, multaq; ductus pœnitentia, beati confessoris meritis sanus effectus est, atque illic cibo potuque recreatus, ad sua recessit. Pœna in vsurpantē villam monasterij.

Rusticus quidam, Sicbaldus nomine, sanctæ resurrectionis Dominico die flagellum arripuit, & ad excutienda frumenta accessit sanè quàm temerè. Nō dormitauit autem diuina vindicta. Subitò flagellum adhæret manui, & dissolutis membrorum iuncturis, caput & brachia cæterosque artus horrendum in modum agitabat. Non potuit vlla vi vel ad momentum se comprimere, quo minùs horribili membrorum tremore quateretur. Proficiscitur igitur Turones ad S. Martinum, cuius quidem intercessione id obtinuit à Domino, vt flagellū ex eius manu exiliret: verùm tremor ille corporis nihilo fuit remissior. Nocte proxima in somnis videt S. Martinum, auditq; admonentem, vt si velit ab illa membrorū agitatione absolui, Antrensem insulam, S. Hermelandi confessoris suffragia petiturus, accedat. Credit ille verbis beatissimi Martini, celeriterq; se confert ad Antrum insulam, prostratusq; coram tumulo S. Hermelandi, salutem quam expetijt, nō difficulter impetrauit. Cùm enim fratres vespertinas Domino laudes persoluerent, apparuit illi senex quidam, stola candida indutus, decora canitie venerabilis: isque dextra illi annuit, vt ad ipsum accederet. Vult ille properè ire ad vocantem se, Vindicta diuina in rusticum, in Pascha te laborare volentem.

sed mox in medio fratrum psallentium choro corruit, ibiq; diù iacens & orans, tādem manum ad fratres extendit, quorum opera è terra subleuatus, pristinæ se sensit incolumitati restitutum.

Multorum Antrensis cœnobij monachorum, qui hominem illum, de quo dicturus sum, nouerunt, relatione didici sequens miraculum: Aldefredus quidam, iam annos natus octoginta, ab ipso primo ortu cæcus & claudus fuit: Is sanitatis obtinendæ causa Romam profectus est, oraturus ad sacrum corpus beatissimi Apostolorum Principis Petri. Apparuit autem ei cum bona fiducia aliquandiù illic hærenti beatus Petrus, aitq; ad illum: Abi Turones, & precibus S. Martini pedum ac manuum accipies sanitatem. Indè proficiscere ad insulam Antrensem, & apud tumulum S. Hermelandi lumen consequeris. Abijt homo, orauit ad S. Martini sacras reliquias: soluuntur manus, quæ pectori, itemque pedes, qui natibus adhæserant. Mox properat ad S. Hermelandum, orantique se videndum offert vir sanctus, tenet manu mentum eius, sacros pollices eius imponit oculis, dicens: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis respice. Euigilat ille, respicit, & vt ipse asseruit, sanctum virum à tergo instàr fulguris micantem videt. Luce proxima abluit cruorem, qui ex palpebrarum diruptione fluxerat, & sanis oculis cum magno stupore coram omnibus præpotentis Dei, quas antè non viderat, miratur creaturas. Quòd autem beatissimus Apostolus, ad cuius vmbram olìm adhuc in terra degētis curabantur ægri, hunc hominem curandum ad alios remisit, idcirco fecisse putādus est, vt omnibus innotesceret, quàm illorum sit efficax apud Deum intercessio, si cum fide eorum poscantur suffragia. Porrò ille salutem tantam adeptus, in virginitate permanens, in B. Hermelandi monasterio precibus & vigilijs præclarè deditus fuit, & vsq; ad supremum vitę suæ diem vitam illic egit multa laude dignam. Hæc quidem & plura alia, quæ studio breuitatis prætermisi, multorum Antrensium fratrum, qui hodieque supersunt relatione cognoui, & certè permulti etiamnùm memoria retinent beatissimi viri sanctam conuersationem, quippe qui non ità pridèm ab hac vita decesserit. Obsecro autem summissè eos omnes, qui hæc lecturi sunt, vt inertissimi scriptoris in precibus suis velint esse memores: vt & ipsi, beato Hermelādo intercedente, cum illo mereantur vita frui sempiterna, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Curatur claudus & cæcus.

Acto. 5.

VITA S. LVDGERI, PRIMI EPISCOPI MONASTERIENSIS, SCRIPTA PER MONACHOS COENOBII *Vuerthinensis siue Vuerdenensis, à sancto Ludgero extructi, eius ferè contemporaneos.*

PROLOGVS.



Omnibus vbiquè in Christo fidelibus, Dei sanctorumq́ue eius non fictis amatoribus, fratres in cœnobio S. Saluatoris & sancti confessoris Ludgeri, eam, quæ in Christo est omnium saluatore, salutem. Quia, attestante scriptura, opera Dei reuelare magnificum est, operæprecium nobis videtur, si de virtutibus sancti ac beatissimi patris Ludgeri, & de cælesti eius in terris vita aliquid conscribamus. Dignum est enim, vt mortalibus vita eius declaretur, cuius nomen in libro vitæ asscriptum tenetur. Sic quippe illud Psalmistæ implebitur: In memoria æterna erit iustus: dum eius merita & virtutes nobis sine literis per transitoria & per succedentia sibi tempora scriptura repræsentat. Ad quod opus quanuìs nos, qui proprij eius alumni sumus, & debitum trahat & voluntas: scientiæ tamen tenuitas, & suspecta quorundam de narrandis virtutibus fides repellit. More nanq; humani ingenij, quo filij, si deformiores parentibus pulchris, & parentes fortè minùs laudabiles, filij laudabiliores videntur: plerosq; æstimaturos putamus, sancti huius patris & nostri specialiter patroni actus, vel supra meritum nobis placuisse, vel supra modum esse laudatos. Qua in re quanuìs liberè fateamur nos eum omninò non posse, quantùm volumus, laudare, huic tamen vel cogitationi, vel obiectioni, quadrifariè videmus posse occurri.

Tob. 12.

Psal. 111.

curri. Nam qualecunque sit quod scribimus, hoc aut sapientiores lecturi sunt, aut insipientiores. Si sapientiores, dummodò vera dicantur, iuxta Apostolicum dictum, libenter sufferent insipientes, cùm sint ipsi sapientes: si insipientiores, sui consideratione & aliorum non immeritò minorem sapientiam tolerabunt. Et certè si quibus aliqua de his, quæ dicturi sumus, dubietas interuenerit, fidē illis aut noua, quæ ad eius modò tumbam miracula fiunt, persuadere, aut sanctissimæ eius vitæ conscij, qui adhuc aliquanti in corpore supersunt, inculcare valebunt. Proindè quanuìs plura alia per eum Dominus fecisse feratur, nos ea solummodò in hoc opusculo ponemus, quæ aut ab illis cognouimus, qui eius iugiter conuersationi interfuerunt: aut in schedulis, quanuìs ordine cōfuso, posita inuenimus: aut certè quæ oculis nostris ad sacrosanctas sui corporis exuuias gesta esse perspeximus. Vndè & volumen duobus libellis distinximus: quorum prior eius vitam continet atq; obitum: posterior miracula describit, quæ post eius obitum ad eius memoriā facta esse probantur. In quo opere ea moderatione stylum pro ingenioli facultatula temperare curabimus, vt nec contractior breuitas intellectui obsistat, nec progressior copia fastidium gignat. Itaque Christo fauente, & sanctorum meritis nobis patrocinantibus, atque potissimùm nos adiuuante, de quo scribere disponimus, ad Dei laudem & ad serui sui glorificationem, ad audientium profectum, vitā sancti & beatissimi Confessoris Christi Ludgeri, quanta possumus veritate euoluamus.

2. Cor. 11.
Fides huius historiæ.
Partitio opusculi.

EPIGRAMMA.

Mellea Ludgeri reboat primordia sancti
Iste liber, nostro scriptus amore pio.
Frisia docticanis cuius condita loquelis
Omnis ouat illum stirpe sua genitum.
Haud minùs hic clarus alijs cluit vndiquè terris.

VITAE S. LVDGERI EPISCOPI, LIBER I.

Cap. I.

IGitur Ludgerus ex Frisia oriundus fuit. Parentes eius non solùm ad seculum nobiles, sed & in fide catholica Christianissimi erant. Auus eius, nomine Vurisingus, ex illa primùm familia Christo nomen dedit. Is Ado cognomento, à rege Radbodo, qui tunc Frisiæ imperitabat, ob iustitiæ defensionem à patria effugatus, & in Franciam pulsus est. Sed cùm post mortem Radbodi, Carolo regnante, Frisia Francorum accessisset imperio, ab ipso demùm ad patriam causa fidei roborandæ remissus est.

26. Martij.
Patria & parentes S. Ludgeri.

De matre eius, quæ pusilla, aquis necari iussa est. *Cap.* 2.

HVius filius iunior, vocabulo Thiadgrinus, sancti viri pater erat: mater Liafburga dicebatur. Hæc auiam ex paterno genere habebat gentilem. Quæ cùm doleret filio tantùm filias nasci, furore fœmineo succensa, matrem sancti viri eadem, qua nata fuerat, hora aquis necari præcepit. Vndè cùm iuxta crudele eius mandatum, situlæ aqua plenæ à mancipio, cui hoc erat iniunctum, immergeretur, puellula brachiolis extensis, vtraque manu marginem situlæ apprǽhendit, & quibus potuit viribus reniti, nè mergeretur, cœpit. Mirandum planè spectaculum, natam sub ea hora paruulam ætati perfectæ reluctari. Itaque in hac eorum colluctatione prorsùs mirabili, iuxta misericordissimam misericordis Dei dispositionem, vicina mulier superuénit, & misericordia mota, infantulam de manu mergentis eripuit. Et quia, iuxta superstitionem gentilium, semèl aliquid gustantes illicitum erat necari infantes, cum puella festina domum regressa, ori eius de melle aliquantulùm immisit: quod cùm statìm ipsa sorbuisset, ab imminentis mortis periculo liberata est. Nam cùm ipsi, quibus ad perimendum paruula fuerat commissa, neq; eam contra suæ religionis sectam perimere præsumerent, neque suæ tarditatis moras dominæ, quæ in tota filij domo dominabatur, profiteri auderent, ipsi eam, quæ eripuerat, mulierculæ furtìm nutriendam

Crudelitas auiæ S. Ludgeri.
Nota morem ethnicum erga infantes.

permiserunt: & ità demùm occultè in domo eius per nutricem aliquanto tempore educata, post auiæ mortem matri restituta est. Cuius hoc munere, cuius, nisi tua, Christe, gratia actum est? Quis tantillæ infantiæ intelligentiam, quis fortitudinem præbuit resistendi? Tua hoc pietas Deus, tua clementia fecit. Ipsa eam meritis sancti Ludgeri, qui ex ea posteà nasciturus erat, & ab imminenti discrimine liberauit, & futuræ eius generationi reseruauit. Felix planè & omni laude dignissima, tanta prole & talibus sui ortus auspicijs mater. Nam licèt Moyse, qui, sicut legitur, Deum facie ad faciem videbat, ista longè vel meritis vel dignitate inferior habeatur: quadam tamen vel mortis sententia, vel ereptionis similitudine, ei comparanda videtur. Sicut enim ipse olìm ab impio rege aquis necari præceptus est: sic nihilominùs ista ab impia & crudeli auia, eandem mortis sententiam excepit. Moysen natum, vtpotè puerum elegantem, mensibus tribus mater occultauit: hæc neque vna saltem morula, quo miserior eius esset occasus, enixæ & miseræ matri reseruata est. Ipsum regis filia adoptauit in filium: hanc paupercula loco filiæ educauit. Ipsa vagientem miserata est: hæc etiam renitentem liberauit. Postremò Moyses populum Hebræorum de Aegypto eduxit: illa, quod in se natura minùs habuit, per sobolem adimpleuit, qui tantam de errore gentilium multitudinem liberauit. His indicijs venerabilis fœminæ probitas iam in ipsa infantia commendabatur.

Exod.13. Num.12. Exod.2. Ibidem.

De lapsu & restauratione matris eius. Cap. 3.

VErùm cùm iam marito iuncta, virum Dei Ludgerum in vtero gestaret, casu prolapsa corruit. Cuius latus cùm palus, super quem ceciderat, penetrâsset, mortua penè & exanimis ablata est. Immanis omnes timor, ingens dolor inuasit, dum hincindè vel pro morte puerperæ vicina dolebant, vel puerperium iam partui vicinum interiturum esse timebant: sed Dei, qui adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione, non diù abfuit pietas. Nam mulier paulatim resumpto spiritu pristinæ sanitati restituta est, & in puero post paucos dies edito, nulla læsionis macula apparuit. Quomodò enim vel matrem tanto viro fœtam interire, vel ipsum aliquatenùs lædi, eius sanctitatis præscius Deus pateretur? Proindè non vt læderetur, (quod non absurdè credimus) sed vt magnificentiùs liberaretur, hunc lapsum venerabilis fœmina incurrit. Plus quippe fuit de ipsis mortis faucibus euasisse, quàm casum euitâsse. Quod sancti pueri ex ea nasciturì meritis actum fuisse quis dubitet? Sicut enim olìm sancta Dei genitrix, & sancta mater præconis, meritis & spiritu paruulorum prophetabant: ità & hæc pia mulier suî liberationem meritis sanctæ eius prolis attestabatur. Deniquè his suæ natiuitatis exordijs, quantus deincèps esset futurus, præmonstrabat.

Casus acerbus matris eius. Psal.9. Luc.2.

De eius scriptura. Cap. 4.

POST vbi iam baptizatus, sensìm puerulus ambulare & in verba balbutienti adhuc lingua prorumpere cœpit, canum statìm sensum & cor senile assumpsit. Moribus quidem non immaturis & vita immaculata teneram ætatulam transcendens, nullis animum illecebris, nulli dedit voluptati. Lusum, pueris admodùm familiarem, tanquàm pestem fugiebat: scripturas, quas necdùm per ætatem discere quiuit, iam se animi affectu præmeditari certis quibusdam indicijs præmonstrabat. Nam alijs pueris ludentibus, ipse arborum cortices colligere, quibus vti ad luminaria solemus, & indè quasi libellos componere consueuit. Quos, cùm fortè liquorem inuenisset, festuca vtiliter, vt sibi videbatur, inscriptos nutrici, acsi proficuos admodùm libros, tradidit custodiendos. Et hæc quidem ille iuxta hoc, quod Apostolus dicit, Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: sensu puerili, acsi infantulus, agebat: cæterùm Deus, cuius prouidentissima dispensatione nihil in terra fit sine causa, istis eum signis doctorē Ecclesiæ esse futurum, portendit. Deniquè cùm ab aliquo interrogaretur, quid per diem operatus fuisset, se per totum diem aut libros composuisse aut scripsisse, aut legisse respondit. Qui cùm vlteriùs inquireretur, quis eum docuisset: Deus, inquit, me docuit. O verè Apostolica, & perfecto viro digna, & in tantillo pectore miranda omninò doctrina. Nónne his verbis dixisse videtur: Cur me interrogatis, quis me docuerit, quasi quisquam alius singulos doceat, quàm Deus? Quis aperit ora mutorum, & linguas infantium facit disertas, nisì Deus? Nisi Deus mentem intùs docuerit, laborare forinse-

Ab infantia maturos præ se mores tulit. 1.Cor.13. Prouidentia Dei. Nota mirabile paruuli responsum. Sap.10.

secùs homo potest, proficere non potest. Ego, inquit Apostolus, plantaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit. Deus ergo me docuit, qui me creauit: non homo, qui seipsum non cognoscit. Talis erat prima viri ætas, tali eius infantia tyrocinio militabat. 1. Cor. 3.

Vt petierit se præceptori admoueri. Cap. 5.

VErùm vbi cum ætatis processu vir Dei Ludgerus scientia simul & meritis accreuit, literis demùm imbui ardenti admodùm voto cupiebat. Sciebat enim plerosque, iuxta Apostolicum dictum, zelum Dei habere, sed non secundùm scientiam. Vndè ne contra propositum & voluntatem suam ignorantia fortè in aliquo laberetur, parentes proprios adijt, obnixè postulans, vt eorum industria alicui erudito in scripturis viro commendaretur. Parentes piæ intentioni eius & voluntati congratulantes, dignas indè Deo gratias egérunt, & eius quantocyùs votis satisfacere curauerunt. Rom. 10.

Vt sit in disciplinam traditus Gregorio presbytero. Cap. 6.

ERat ea tempestate & literarum scientia, & morum probitate vir meritò non infimus, nomine Gregorius, qui discipulus simulque successor sancti Martyris Bonifacij, Traiectinæ sedi in gradu presbyter præsidebat. Huius curæ & solicitudini virum Dei parentes commendauerunt. Qui eius sagacitate simul & deuotione comperta, benignè susceptum & cum honore habitum studiosissimè enutrire studebat. Vbi non minimùm vel in timore Domini & seruitio diuino, vel in scripturarum documentis proficiens, & mundialibus negocijs abrenunciare cogitabat. Nouerat enim Apostolum dixisse, quòd nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus, vt placeat ei, cui se probauit. Proindè tonsura accepta, totum se in Traiectensi monasterio ad Dei seruitium & ad instrumenta artis spiritalis conuertit. Mira illi circa cōscholasticos suos caritas, mira circa ecclesiasticum officium deuotio erat. Semper aut legebat aliquid, aut psallebat, aut certè orationi instabat. Secularem literaturam non multoperè scire curabat, assiduus meditator diuinæ scripturæ, eam maximè menti recondebat, quæ aut laudem Dei sonare, aut ad fidem catholicam pertinere videbatur. Ipse beatus vir vno semper vultu, eodemque animo erat: læta quidem facie & admodùm iucunda, nec tamen facili & prompta ad risum. Ità in omnibus actibus suis prudentiam cum temperantia complectens, non solùm à magistro quasi vnicus filius diligebatur, sed etiam ab omnibus conscholasticis suis & notis in maximo habebatur affectu. Necesse enim erat, vt quem Deus tanta virtutum perfuderat gratia, ab omnibus amaretur.

Gregorius presbyter administrat ecclesiam Traiectensem.

2. Tim. 2.

S. Ludgerus accipit tonsurā.

Vt sit ordinatus Diaconus, & præceptore Alcuino vsus. Cap. 7.

HIS diebus quidam Alubertus de terra Anglorum ad Abbatem Gregorium venit: cuius vel scientia vel moribus delectatus, cum sibi * episcopum fieri postulauit. Quod cùm ille se non aliter facturum responderet, nisi à suo demùm episcopo ordinaretur, eum denuò ad ipsum remisit. Et quia idem Gregorius non erat ad gradum episcopalem ordinatus, sed presbyter pontificali cathedræ præsidebat, Ludgerum simul cum eo, vt Diaconij ibì perciperet gradum, direxit. Eo ibi tempore Acuinus scholam moderabatur, vir omni scientia celebrrimus. Huius confestim familiaritate vir Dei Ludgerus potitus, sedulò illi per annū iungebatur, & scripturas cū eo diuinas conferebat. Vndè cùm percepto diaconatùs ordine, cum eodem, cui comes præstitus erat, Aluberto post anni circulum reuerteretur, quadam die, iuxta vsum officij sui, contigit eum coram Gregorio Euangelium legere. Cui Domino, vt credimus volente, in quodam verbo offendenti, Gregorius corā populo emendauit. Ille publica correctione cōfusus, acceptam verecundiam ad suas vtilitates conuertit. Nam quia ex eo tempore, quo de Anglis venerat, magno Alcuini, quem ibì magistrū esse diximus, desiderio tenebatur, optabili occasione percepta, denuò ad eum redeundi licentiam postulauit, indignū se dicens percepto officio posse videri, qui illud ex more implere nesciret: se corā eo antè non lecturum, quàm illud, Domino adiuuante, pro viribus emēdare curaret. Quod audiens Gregorius, ægrè admodùm se ab eo deseri ferebat, noluit tamen aperta repulsione, nè eum contristaret, eius petitionem negare: sed blanda eum cœpit dissuasione à sua intentione reuocare. Qua in re cùm parùm ipse profecisset, patrē quo

Alubertus Anglus. * chorepiscopum

Ludgerus anno vno adhæret Alcuino.

Ludgerus redit in Angliam ad Alcuinum.

què eius sibi adiunxit: vt si vni resisteret, duobus cederet. Sed cùm pòst etiā eū omninò in eo, quod cœperat, fixū persistere videret, tandèm vel infatigabilitate eius vel ratione victus, eius annuit postulationi. Deniquè his, quæ necessaria itineri erant, paratis, cū Dei gratia & suæ permissionis licentia eum à se dimisit. Qui suæ sanctitatis exempla, quò accesserat, derelinquens, tandèm ad Eboracum ciuitatem peruenit. Ibi quippe vir Dei Alcuinus cunctis, qui ad eum hincindè cōfluxerant, scripturarum documenta tradebat: à quo cum ingenti vel honore, vel gaudio susceptus, tribus cum eo annis & sex mensibus mansit. Quo in loco quàm amabilis magistro, quàm desiderabilis condiscipulis, quàm honorabilis monachis ibidèm consistentibus, quàm charus omnibus, qui eum nôsse poterant, fuerit, nequaquàm dignè explicare valemus. Diligebat eum magister, morum eius probitate & literarum studio delectatus: desiderabant condiscipuli, sedulitate eius & obsequijs deuincti: Honorabant monachi, piam eius conuersationem & meritorum sanctitatem videntes: amabant postremò omnes eum cognoscentes, miro eius ad singulos vel amore, vel honore prouocati. Quis enim eum non amaret, quis nō honoraret, cùm ipse omnes & vnicè diligeret, & summoperè veneraretur? Itaque quamuis omnibus charus esset, à magistro tamen speciali dilectionis priuilegio colebatur. Quod in eo vel maximè appáret, quòd aliquotiès dicere solebat, se, si ei optio daretur, suam anteà vitam daturum, quàm dilecto filio suo (Sic enim eum appellare consueuit) aliquid mali aut aduersitatis eueniret. O verè dignum vel tali discipulo magistrum, vel tali magistro discipulum: qui euangelica illa vicissìm dilectione pleni, qua nemo maiorem habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis, pro se inuicèm impendi & mori desiderabant. Igitur Ludgerus apud magistrum tres continuos annos & sex menses manens, non solùm totum cum eo vetus & nouum testamentum perlegit, & nonnullos secularis literaturæ libros: sed & monachorum, qui in illo loco erant, perfectè didicit vitam. Posteà ad suos reuersus, patri Gregorio & cæteris omnibus tanto deincèps gratior & dignior erat, quanto tunc & literarum scientia instructior, & librorum copia plenior, & monachorum regulis eruditior fuit.

Est omnibus mirè gratus.

Alcuino in primis.

Iohan. 15.

De obitu Gregorij, & successione Albrici. Cap. 8.

Albricus succedit Gregorio.

DEsuncto autem Gregorio Albricus nepos successit. Is vnico Ludgerum affectu diligebat. Cuius prudentiæ & fidei non ignarus, ad quendam eum locum in sua parochia constitutum, qui Dauentre dicitur, prædicationis causa & fidei corroborandæ gratia pergere suasit. Ad hunc locum quidam olìm de terra Anglorum Dei seruus, nomine Liafuuinus, diuinæ visionis admonitione ad prædicandum missus, & plurimos ad fidem conuertit, & ecclesiam ibi ædificauit: in qua ipse vsque ad diem dormitionis suæ permanens, in eadem post suam de hoc seculo euocationem sepultus est. Sed quia isdem locus in confinio Francorum & Saxonum positus, ab eisdem Saxonibus, dum adhuc gentilitatis erroribus inuoluti tenerentur, frequenter depopulari consueuit, eadem ab eis ecclesia incensa est. Vndè quia memorato sacerdoti illicitum videbatur, aut cœptam ibi prædicationem deseri, aut locum confessoris Christi corpori dedicatum negligi, sanctum, vt diximus, Ludgerum illuc proficisci hortabatur. Cuius voluntati cùm promptissimè ipse paruisset, & ad locum veniens, memoratum corpus quæsisset, nec inuenisset, intra ambitum spatij, quo illud esse putauit, ædificare ecclesiam cœpit. Cumque iam positis fundamentis, parietes erigere pararet, in visione ei per noctem sanctus sacerdos Christi Liafuuinus apparuit, benè eum dicens fecisse, quòd à gentilibus dirutam denuò reædificaret ecclesiam, saluam sui laboris ei apud Deum mercedem manere, corpus verò suum sub australi ædificij parte esse humatum. Quod cùm manè, Domini laudibus expletis, in loco, quo dixerat, ipse inuenisset, in eadem illud ecclesia digno cum honore collocauit. Vbi per Dei gratiam ad ostendēdum vel suum vel sepulti meritum, plura vsque in hodiernum diem miracula fiunt, & eorum patrocinio ille deincèps locus à gentilium est incursione conseruatus.

Liafuuinus aliàs Lebuinus Dauentriæ Christum prædicat.

Ludgerus templum Dauentriæ restaurat.

Ludgerus Frisijs Christum annunciat. Cap. 9.

In Frisia demolitur fana & simulacra dæmonū.

EO serui Dei in loco vel industria, vel successu Albricus animatus, maiora adhuc per eum & facere cogitauit, & fecit. Siquidem in Frisiam eum ad destruenda fana deorum, & diuersa idolorum simulacra auferenda destinauit. Plures enim adhuc ibi gentilium dediti superstitionibus erant. Quò ille statìm, nihil cunctatus, quanquàm cum sui capitis periculo, perrexit. Mira Dei gratia, mira in viro

Dei constantia, cum sine aliqua contradictione coram cultoribus suis & delubra destruxisse, & idola abstulisse. Quis hoc fecit, nisi ille, qui, vt in Euangelio legitur, quasi flagellum fecit de funiculis, & solus omnes eiecit de templo? Quis tunc per virum Dei idolorum templa diruit, nisi qui olim per semetipsum cathedras vendentium columbas euertit? Quis immodicam tunc per illum pecuniam de spolijs deorum Ecclesiæ vsibus congregauit, nisi qui per semetipsum olim æs nũmulariorum effudit? Ipse seruo suo tantam virtutem, ipse aduersarijs tantam attulit virium dissolutionem, vt opera sua illum destruere, aurum & argentum, quæ etiam mortales petunt, abripere illi viderent, nec repugnarẽt. Eo Ludgerus tempore diaconij adhuc officio fungebatur. Verùm Albrico pontificatûs ordinem sortiente, ipsum quoque presbyterij secum fecit percipere gradum. Et quia Frisones adhuc rudes erant in fide, Ludgerum Albricus tam propter fidei puritatem & mentis constantiam, quàm propter suos parentes, qui apud eos potentissimi habebantur, doctorem ecclesiæ constituit in pago Ostrache, in loco, quo sanctus Bonifacius martyrio est coronatus. Dignus planè vel tali loco sacerdos, vel tanto locus sacerdote. Nam & talis sacerdos non iniuria illũ meruit locum, qui tãti martyris sanguine esset dedicatus: & locus talis tanto dignus erat sacerdote, qui ipsi, cuius martyrio locus ipse insignis habetur, non immeritò adæquandus videretur. Ità vicissim vel locus sacerdotem, vel locum commendat sacerdos. Cui etiam testimonium perhibuit quidam Alcuini discipulus, versibus Heroicis talia mandans:

Ioan. 2.

Matt. 21.

Fit presbyter.

Frater amore Dei, cognato dulcior omni,
Et consanguineis merito preciosior ipsis,
Ludger amate mihi, Christi te gratia saluet:
Viue tuæ gentis Fresonum clara columna,
Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris,
Doctus in eloquio, prudens & mente profundus:
Ipse gradum meritis ornas & moribus almis.
Vt puer en senibus humili de corde ministras,
Vt germanus agis cunctis æqualibus æuo,
Atque parens pueris vitæ documenta rependis.
In melius crescendo, meî memor esto sacerdos,
In precibusque tuis commendes, quæso, Tonanti
His breuibus, vatem, qui te laudauit in odis.
Si teretis baculi pro tali carmine donum
Munificus tribuas, fors hæc mercedula vati
Concordat modico. felix sine fine valeto.

Versus Ioseph, vt habet quidã MS. codex.

Igitur tribus per annum temporibus, hyemali, verno, æstiuo, quibus eum crebriores & celebriores festiuitates abesse non permittebant, in doctrinæ ibi custodia occupabatur: Autumno specialiter sedi Traiectensi sui antistitis iussu præsidebat. Siquidem Albricus, curans nè vnquàm principali sui episcopatûs cathedræ doctrina deesset, quadrifaria eam vel per tempora, vel per doctores distributione ordinauit, Vere, quandò sua potissimùm præsentia opùs erat, per se eam ipse administrabat: Aestate Adalgerum Presbyterum, Autumno sanctum, vt diximus, Ludgerum, Hyeme Thiadbertum præfecit.

Albricus episcopus vt Traiectensem curarit ecclesiam.

Vt sanctus Ludgerus in preces & lectionem incubuerit. Cap. 10.

SAnè Lugderus in ordine vicis suæ si quandò aliquas, quæ eum in doctrina & curis commissorum detinebant, occupationum est ferias adeptus, mox aut lectioni insudare, aut psalmodiæ insistere cœpit, præcipuè nocturnis temporibus, quandò secretiùs ei, quod semper amauerat, orationi vacare dabatur. Erat ibi oratorium, quod sanctus olim antistes Vuillebrordus in honore sancti Saluatoris & construxit & dedicauit. Ibi post psalmodiam & speciales, quas semper, vt diximus, amabat orationes, Ludgerus membra dare quieti consueuit.

Vt apparuerit ei Gregorius: & de tribus aceruis. Cap. 11.

NOcte igitur quadam cùm se ibi post peractam ex more psalmodiam sopori dedisset, nutritorem quondàm suum Gregorium sibi in somnis assistere vidit. Quem cum hilari vultu intuitus, & familiaritate, qua viuens solebat, collocutus: Frater, inquit, Ludgere, sequere me. Quem ipse, vt videbatur, secutus,

Visio S. Ludgeri.

cutus, in quendam eminentiorem cum eo locum peruenit. Ibì prolatis & coram eo iactatis quasi membranulis & vestibus diuersis, ea ipsum Gregorius in aceruos colligere præcepit. Cumque iuxta eius mandatum tres ex eis aceruos fecisset: Benè, inquit, ista egẽtibus distribue, & ego tibi horũ copiã præbebo. Post hæc ab eo, vt sibi videre, videbatur, signaculo crucis signatus, à somno expergefactus euigilauit. Eo erat tẽpore custos Traiectẽsis ecclesiæ, vir miræ sanctitatis, nomine Marchelmus. Hic Anglus natione, sancti quondàm Vuillebrordi discipulus fuerat. Cui cùm somnium manè Ludgerus retulisset, siue ex humanæ rationis coniectura, siue (quod magìs credibile est) ex diuinæ inspirationis ostensiõe, hoc ille ità interpretatus est, vt posteà rei euentus probauit. Eminens, inquit, locus, in quem perductus es, episcopatum, quem adhuc es adepturus, ostendit. Membranulæ & vestes, quas coaceruatim collectas, fideliter distribuendas accepisti, doctrinæ sunt & exempla maiorum, quibus commissos pro captu & necessitatibus singulorum instruere & munire debebis. Tres ex eis acerui, trium sunt gubernacula plebium, quibus te adhuc pastorali præesse solicitudine oportebit. Ad hæc Ludgerus, etsi somnium iuxta rationis consequentiam eum esse interpretatum non ignoraret, humiliora tamen de se, sicut semper facere solebat, & sciens & optans: Vtinàm, inquit, in loco mihi credito aliquem possem facere fructum. Hoc mihi necessarium, in hoc satìs esse probaretur. Denique ità deincèps illis in locis prædicationi insistere cœpit, acsi anteà nihil egisset. Timebat enim vir beatus, se priùs à commissa plebe aliqua occasione subtrahendum, quàm eam secundùm intentionis votum, vel in fide plenè instruere, vel Christianæ religionis moribus assuefacere posset. Ità per septem ferè annos ibi in doctrinæ studio permansit. Interea à Saxonibus, gente & agilitate & virtute non ignobili, Christianis, qui illis in locis erant, persecutione commota, Frisiæ pars maior à fide defecit.

Marchelmus discipulus S. Vuillebrordi.

Visionẽ is interpetatur.

Frisij deficiũt à fide.

Vt beatus Ludgerus Romam adierit. Cap. 12.

EA tempestate dux Saxonum Vuindekindus erat, vir, etsi paganus, & sapientiæ fama, & eloquentiæ splendore, & bellorum exercitijs non immeritò inter optimos duces numerandus. Eo duce, Frisiam aggressi Saxones, & ecclesias incenderunt, & Dei famulos expulerunt, & cuncta cædibus, incendijs, & rapinis complẽtes, Frisones vsque ad Flea fluuium fidem derelinquere, & secundùm morem erroris pristini idolis immolare fecerunt. In hac perturbatione, cùm S. Ludgerus neque Martyrium, quod optabat, mereretur, neq; vllum suæ prædicationi locum, cunctis vnanimiter resistentibus, dari videret, cedendum tempori ratus, & se tranquillioribus temporibus reseruandum putauit. Quocircà quia sub idem tempus suus antistes Albricus decessit, Romam Dei dilectus pergere cogitauit. Quod quidem iam olim votũ habebat, sed non priùs ei occasio & locus prouénit. Itaq; assumpto secum fratre Hildigrimo, qui natu iunior, doctrina & exemplis eius instituebatur, Romam, vt disposuerat, cõtendit. Quò cùm Christo viæ comite prosperè peruenisset, ibì cum Papa Leone, qui tunc Apostolicam sedem gubernabat, locutus, honorificè & benignè satìs habitus est. Nam siue præsentis eius sanctitatis intuitu, siue insita diuinitùs summis sacerdotibus gratia, tãtum eum Ecclesiæ doctorem futurum prænoscens, amicissimum & familiarissimum habuit. Sanè cognito, quòd in hæreditate paterna monasterium construere cogitaret, & piam eius voluntatem comprobauit, & suæ benedictionis, vt fieret, authoritatem indulsit. Datisque dignis admodùm reliquijs, sancti scilicet Saluatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ, & Apostolorum principis Petri, sed & aliorum quamplurimorum, in quorum honore locus ille construeretur, à se eum, Dei sanctorumque eius auctum benedictone, dimisit. Qui Roma digressus, Beneuentum ad monasterium S. Benedicti tetendit: quod ab eo institutum, regularem propensiùs vitam & nosse & obseruare credebatur. Et quia pater monasterij genere sibi propinquus erat, cum eo locutus, duobus inibì annis & sex mensibus mansit. Qua hospitalitatis prolixitate liquidò apparet, vel qualibus illic delectaretur exemplis, vel quantum eius cõuersatio fratribus placuerit. Quomodò enim non placeret, qui nulli se onerosum, cũctis amabilem præbens, vtilissimus eis factorum suorum exemplo doctor aduénit? Siquidem cũcta, quæ in S. Benedicti regula legebant, in huius viri factis videbant. Neque diù latitare potuit, quanuìs in angulo monasterij posita, tanta lucerna. Nam non solùm per Franciam, sed & per Italiam meritis eius diuulgatis, fama sanctitatis eius ad aures quoque Caroli Imperatoris, Deo volente, peruénit.

Vuindekindus, dux Saxonum.

Albrici mors.

S. Ludgerus venit Romam.

Reliquias accipit egregias à Pontifice.

Carolus Magnus.

Vt

Vt sit euocatus ad Carolum Magnum. Cap. 13.

SVB idem tempus Alcuinus, quem superiùs in Eboraica ciuitate literarum magistrum esse diximus, de terra Anglorum in Franciam venit. Qui cùm à rege fauorabiliter esset susceptus, antiquum amicum non negligendum putauit. Ex primo nanque aduentùs sui tempore de Ludgero solicitus, comperto vbì esset, quadam die inter familiaria cum rege colloquia, quendam se in eius regno clericum scire dixit, qui post Deum sanctosque eius nulli meliùs competeret, quàm sibi: eum aliquandiu secum legisse: esse illum & literis eruditum, & morum probitate sanctissimũ: ipsum Ludgerum vocari, & tunc in Beneuentano monasterio sancti Benedicti consistere talem virum, regijs vtilitatibus & reipublicæ maximè profuturum: quem & prudentia & morum probitas commendaret. Quem cùm missis nuncijs ad se rex Carolus venire mandaret, ille, quanuis omnem animam potestatibus sublimioribus subdendam, iuxta Apostoli præceptum, nôsset: tamen ad eum prima euocatione venire distulit. Semel quippe prægustata monasticæ conuersationis dulcedo, aliud eum desiderare non permittebat. Vndè intelligens Imperator hoc eum modo non facilè à monasterio auelli posse, literis eum magistri quõdàm sui Alcuini ad se euocari fecit. Quod cùm iuxta voluntatem suam processisset, & ab eo sibi esset præsentatus & commendatus: Duorum inquit, monasteriorum optionem do tibi: Vnius maioris, in quo sanctimoniales habentur: alterius minoris, in quo canonicorum congregatio Domino famulatur. At ille satis prudenter maiori maiora quoq; discrimina inhærere cõsiderans, quanuis neutro se habilem & dignum, minori tamen se conuenientiùs dixit præsessurum: plura ex fœminis tentamenta venire, plures ab alijs detractiones secuturas: virorum sibi magis, vtpote viro, gubernacula competere, quàm virginum. Quod eius responsum cùm rex libenter admodùm accepisset, quoddam ei in Bracbent monasterium, quod Lotusa vocatur, concessit. Ille hoc non tam ad suas vtilitates, quàm ad subiectorum obsequium putans datum, Dominicum illud sequi exemplum cupiebat, quo dicitur. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et item: Qui maior est, inquit, vestrûm, erit minister vester. Ità prodesse illis, non præesse studens, & diligi magis quàm timeri gaudens, nulli vnquàm commissorum arduum aliquid iussit, quod ipse priùs non implêsset. Verè felix & omni laude dignissimus, qui illud Apostolicum dicere poterat: Imitatores mei estóte, sicut & ego Christi.

Alcuinus venit in Gallias.

Carolus rex ad se euocat S. Ludgerũ.

Rom. 13.

Bracbẽt, id est, Brabãtia.

Matt. 20.

Philip. 3.

Vt rex Carolus præfecerit eum quinque pagis. Cap. 14.

HIS ferè diebus quinque in Frisia pagi, Huhmerki, Hunusga, Fiuilga, Emisga, Federitga, Francorum spontè ditioni accesserunt. Qui cùm aliquem sibi, cuius loquelam intelligerent, docendæ Christianitatis gratia, à rege concedi orarent, Ludgerum eis cum magno omnium gaudio præfecit, addita insupèr ad prædictos pagos insula vna, quæ Bant appellatur: Proindè vir Dei, iuxta euangelicum documentum, sciens cui plus committitur, plus etiam ab eo requiri: omni virium possibilitate circa commissæ plebis vtilitatem inuigilare cœpit. Nam & idolorum fana destruxit, & pro eis ecclesias construxit, & ipsos, quantùm fidei rudimenta patiebantur, perfectè in Christianitate instruxit: ità generaliter erga omnes, & ità specialiter erga singulos agens, acsi singulos ipse genuisset. Huius fidei vel industriæ vel charitatis testes sunt vsque hodiè populi regionis eiusdem, quos in Christo Iesu per euangeliũ & baptismatis gratiam generans, à prisco errore ad veritatis agnitionem reuocauit. Testes quoquè ecclesiæ, quas per loca singula construxit: testes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunauit in locis: testes etiam alij, quibus non necessitate, sed voluntate verbum Domini annũciauit. Quia enim nouerat scriptum, Verbum Domini non esse alligatum: sed sapiẽtiam Dei attingere à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter: prædicationis suæ documenta intra Frisiæ terminos noluit cohibere, sed vltrà quoque doctrinæ suæ fluenta deriuare.

Ludgerus præficitur Frisijs.

Luc. 12.

2. Tim. 2.

Sap. 8.

Vt diabolum ex insula depulerit. Cap. 15.

EST insula in ipso Frisonum atq; Danorum confinio constituta, quæ à quodam Fosete, quem deum errore gentili æstimauerunt, & à patria lingua Theodisca Fosetesslant est appellata. Ad hanc ex consilio & voluntate Domini, prædicationis causa S. Ludgerus profectus est. Quæ cùm iam in prospectu posita, non longè abesset, & vir Dei cruce in manibus sumpta dixisset: Exurgat Deus & dissipentur inimici

Theodisca pro Teutonica.

Psal. 67.

mici eius,& fugiant,qui oderunt eum,à facie eius:sicut deficit fumus,deficiant:omnes, qui in ipso cum illo erant nauigio,viderunt tenebrosissimam caliginem instàr fumi de ipsa exire, & ea paulatìm pertranseunte, serenitatem denuò redire. Vndè intelligens præuiam Dei gratiam de illo loco effugâsse diabolum: Gratias tibi, inquit, bonorũ omnium author Iesu Christe refero,qui nostrum iter præueniens,antiquum humani generis hostem de hac insula nobis videntibus effugâsti. Ità Domine,parum tibi fuit ad confortandos seruos tuos, vt hoc inuisibiliter ageres, nisi etiam visibiliter demonstrares. Iam securus, iam lætus ad euangelizandum verbum tuum accedo: quia hoc iam, aduersario perturbato,& laboriosum esse nequibit, & te corda insulanorũ ad fidem præparante,infructuosum non erit. Itaque magna alacritate insulam aggressus,cum maxima agilitate prædicare verbum Domini cœpit. Tantam autem Dei pietas eius prædicationi gratiam tribuit, vt ipse statìm inter primos princeps crederet, & filium suum nomine Landricum,ei de fonte leuandum offerret. Quem ipse posteà sacris literis imbutum,etiam presbyterum ordinauit. Denique omnibus insulanis ad fidem Christi conuersis,& iuxta Ecclesiasticum morem baptizatis,non solùm cuncta dęmonum delubra destruxit, sed & Christi ecclesiam pro eis fabricauit.

Multi credunt in Christum.

Vti voluerit Nortmannos adire, & de visione eius. Cap. 16.

IGitur cùm huiusmodi quotidiè operibus, & apud Deum suæ sanctitatis meritum augeretur,& apud homines fama eius magìs magisque diuulgaretur: etiam Nortmannos euangelizandi gratia adire cogitauit, illum vir beatus in hac volũtate imitatus,qui vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire: Et ea charitate nimirùm repletus, quæ iuxta Apostolum Paulum, non quærit quæ sua sunt, sed quæ alterius in dilectione. Verùm cùm rex ei suũ nullo modo ad hoc præberet cõsensum, satis contristabatur, vel propter dilatam illorum saluationem, vel propter mala,quæ ab illis populo Christiano irroganda diuinitùs præuidit. Siquidem cùm quodã tempore esset iocus mare in loco,qui vocatur Vuerina, vbi ipse sibi in hæreditate paterna ecclesiam construxit,monachorum ibidèm congregationi monasterium facere cogitauit. Sed hoc ibì esse non potuisse, ex diuina mox reuelatione cognouit. Nam cùm in his curis & in hac intentione permaneret,huiusmodi somnium vidit. Vidit enim ab Aquilonari maris parte densissimas & teterrimas nubes exurgere, quæ pulatìm excrescentes,ad ipsum vsque solem peruenerunt. Quas dum ille,quasi fugiens insequentes,à maritimis locis longiùs remoueretur, ab inspicientium oculis penitùs abductus est. Cuius abscessione dum nubium densitate tenebræ ingentes & immensa caligo maritima loca obduceret,immanis habitatores pauor inuasit,dum vel sibi singuli, vel rebus suis timere cœperunt. In qua trepidatione cùm diù permanerent,sensim iterùm radios sol suos emittere cœpit, donèc in suum rursùm orbem, & licèt minor, in pristinam lucem reuersus, exortas nubes detersa caligine trans mare effugauit. Quam visionem dum manè sanctus Ludgerus sorori suæ Heriburgæ,quæ tũc fortè secum erat,retulisset,altiùs ingemiscere & flere vbertìm cœpit. Vndè cum ipsa vel somnij significationem, vel causas lachrymarum ab eo requisisset: Cogitaui,inquit,in hoc loco monachorum monasterium construere: sed hoc nequaquàm iuxta voluntatem meam fieri potest, quia peccatis nostris exigentibus, hæc maritima loca deprædanda sunt & in solitudinem redigenda. Nam nubes,quas de mari exurgere vidi,ipsos prædatores significant. Sicut enim nubes ex maris humore concrescunt, sic & illi per mare ad nos vẽturi sunt. Quòd verò ab aquilonari eius parte exurrexerunt, Nortmannos innuit, qui in septentrione cõsistunt. Sicut autem nubes paulatìm excrescentes, ad ipsum nouissimè solem peruenerunt: sic & ipsi prædatores primò furtiuis incursionibus prædas acturi, postmodùm aperto bello hæc loca sunt inuasuri. Porrò quòd sole nubium accessione fugiente,& nostris visibus abducto, horror & caligo hæc maritima loca circũfudit, hoc designat,quòd inito bello cum piratis, & nostris terga vertentibus,omne retrò gaudium obliuiscetur, & rapinis,incendijs atque mortibus omnia implebuntur. Sed quia in sempiternum nõ repellit Dominus, iterùm ad seruos suos reuersurus, & pacem his locis daturus est. Sicut nanque sol, & si minor, in suum denuò orbem reuersus & luci pristinæ est restitutus: sic & horum locorum habitatores, quanuis mortibus vel abductionibus hominum, destructionibus ædificiorum, damnis substantiarum minorati, in pristinum tamen statum & priorum rerum abundantiam, Domino donante, reuersuri sunt. Quòd autem nubes & caligo, quæ hæc priùs loca possidebant, sole iterùm reuerso, trans mare effu-

1.Tim. 2.

1.Cor. 13.

Rex Nortmannorũ, quos hodiè Noruegos vocãt, nõ admittit sanctum Ludgerũ.

Visio sancti Ludgeri.

Heriburga, soror S. Ludgeri.

Exponit visum.

Thren. 3.

re effugata sunt, portēdit mala, quę Nortmanni priùs alijs irrogabant, alijs alta pace exultātibus, in semetipsos postremò esse retorquenda. Adhęc cùm sancti viri soror, audita genitalis soli desolatione, fleret, & se his malis nō reseruari, sed anteà de hac vita exire optaret: Non ità erit, inquit, beatus Ludgerus. Ego quidem ista non videbo: quia priùs vitæ cursum cōsummabo: tu verò & mihi superuictura, & superuenturæ tribulationis mala es visura. Cuius rei vaticinium nos iam non tam ex eius dictis credimus, quàm rebus ipsis cognoscimus. Siquidem, iuxta eius prophetiam, & soror ei superuixit, & mala, quæ prædixerat, vidit: & quandiù ipse in corpore fuit, nullam Frisia perturbationem passa, hæc vel vnquàm fieri posse, incredibile iudicabat.

De irruptione Nortmannorum. Cap. 17.

POst eius verò obitum sequēti statìm anno nauali classe illuc aduecti, plura per plures ibì annos mala & miseranda fecerunt. Nam substantia ablata, ecclesijs incensis, monasterijs destructis, hominibus partìm occisis, partìm captiuatis, loca illa maritima penè in solitudinem sunt redacta. Sed quia ipsos Nortmannos in sua iam viscera videmus conuersos, pacem quoquè, iuxta sancti promissum, locis, quæ vastauerunt, Dei credimus miseratione reddendam, piratis, qui hactenùs maria & vicina eis flumina clauserant, vel bello, vel naufragio, vel morbo, vel quocunque alio modo consumptis. Qua in re considerare diligentiùs libet, quantæ sanctitatis & meriti vir iste apud Deum fuerit, cui & superuentura mala ostendit, & tamē hæc in diebus suis noluit euenire. Quia enim propter inhabitantium peccata hæc euenire necessè erat, meritis tamen eius & precibus hæc, ipso viuente, non esse superuentura ostendit, sui nimirùm promissi memor Dominus, quo per prophetam repromittit, se pusillum aut grande non facturum, nisi priùs reuelaret seruis suis prophetis. Quocircà Dominus iustus & misericors, dum mala futura prædicit, quid aliud admonet, nisi vt eum precibus flectamus, aut morum emendatione auertamus? Verè, vt diximus, misericors & pius, verè, iuxta psalmographum, iustus in omnibus vijs suis. Pietatis nanque fuit, vt declinarentur, prædici: iustitiæ verò declinare nolentes feriri.

Nortmannorū populatiões & crudelitas.

Amos 3.

Psal. 144.

Vt diuinitùs illi ostensus sit locus fundandi monasterij. Cap. 18.

IGitur sanctus Ludgerus futuram maritimæ regionis desolationem recognoscens, animum quidem ab ædificando ibì monasterio reuocauit: sed vbì construere posset, sedulus tractauit. Itaq; accessibilia maris vicinitate prædonibus loca omninò deuitans, persuadebat religiosis & Deum timentibus personis, vt si quid de hæreditatis suæ proprietate Dei seruitio tradere vellent, hoc in illis facerent locis, quò impetus gentilium attingere nequiret. Vndè cùm ex huiusmodi locis vnus in Vuithmundi iuxta fluuium Isla, alter in loco, qui ad Cruces dicitur, iuxta fluuium Arnapa, ad reliquias, quas ab Apostolico acceperat, traderentur: in vno eorum monasterij ædificationem inchoare pensauit. Sed nè fortè iudicium suum in loci electione erraret, Dei super hoc voluntatem consulendam putauit. Proindè cùm huius rei gratia quadam nocte ad Cruces in niue maxima pernoctaret, Diuina reuelatione monasterium ibì etiam esse non posse cognouit: sed locum esse in saltu quodam iuxta fluuium Rura, qui Vuiduberg vocaretur: ipsum fundando monasterio diuinitùs iam esse dicatum: ibi monasticæ professionis iaciendū esse fundamētum. Quapropter cùm dignas indè Deo gratias ageret, qui se diutiùs hàc illacque fluctuare non pateretur, & suæ viæ comitibus, quæ diuinitùs cognouerat, retulisset, ad promissum à Deo locum cum summa festinatione properauit. Actum est hoc ante datum sibi episcopatum nouem fermè annis. Quapropter quanuis actutùm ordiri ædificationem vellet, locus tamen syluosissimus, & suorum necessariorum remotio, hoc ipsum, vtpotè inter externos positum, perficere non permiserunt.

Diuinitùs docetur, vbi struēdum sit cœnobiū.

Vt Saxones sint conuersi ad fidem, & S. Ludgerus creatus episcopus. Cap. 19.

EA ferè tempestate Saxones ab idolatria conuersi, fidem Christi & baptismatis gratiam perceperunt. Vndè Victoriosissimus Imperator Carolus, cuius partìm beneficijs, partìm districtione ad fidem sunt coacti, Ludgerum eis in parte Saxoniæ Occidentali præfecit. Ità somnium adimpletum est, quod olìm de illis tribus aceruis sanctus vir viderat, quod trium plebium gubernacula significare diximus. Siquidem duarum, vnius in Brabant, alterius in Frisia, iam anteà curam suscepit: tertiæ illi solicitudo, id est, episcopatûs * Mimigernefordensis ecclesiæ commissus

Saxones dant nomen Christo.

* Hodiè.

Monasteriensis dicitur. est: in qua tamen ecclesia sine ordine pontificali annis ferè duodecim mansit. Nam quia nouerat dixisse Apostolum: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: opus quidem episcopi pro viribus agere cœpit, gradum autem recipere renuit. Ità quod oneris erat, suscipiens, quod honoris declinans: quod inflare poterat, cauit: quod ædificare, subiuit. Proindè diœcesim sibi commissam sine episcopo esse nolens, & tamen ipse episcopus esse declinans, eorum aliquem, quos ipse enutrierat, pontificalem pro se suscipere gradum sedulus postulauit. Quod cùm Hildebaldus, qui tunc Coloniensem metropolim habebat, & sancto viro amicissimus erat, omninò fieri nollet: sed illum magìs, vt episcopus consecraretur, obsecraret, & esse dignum tantam dignitatem eum percipere: respondit, se suæ indignitatis conscium, illam Apostoli sententiam vereri, qua dicit, oportere episcopum irrepræhensibilem esse: se in multis esse repræhensibilem: & ideò contra Apostolicam authoritatem ad tam altum ordinem aspirare non audere. Cui cùm Hildebaldus diceret, hoc in se non fuisse completum, neque aliquem episcopatum iam percepturum, si illi soli, qui in nullo se repræhensibiles cognoscunt, sint percepturi: maximè cùm principem Apostolorum Petrum repræhensibilem videri isdem Paulus describat: tandèm vel authoritati eius cessit vel rationi, & pontificium suscipere consensit. Verè vtrobiquè mirandus, vtrobiquè laudandus: qui & humanam laudem siue gloriam fugiens, tandiù nè ordinaretur, restitit, & cogentibus alijs inuitus quodammodò postremò consensit. Sicut enim qui ad oblatos nimis ardenter inhiat honores, superbię pestem non effugit: ità & qui impositis pertinaciter resistit, diuersa licèt via, superbiæ nihilominùs malũ incurrit. Bonorum quippe proprium est, honores quidem non appetere, sed tamen impositos non recusare. Sic Moyses, sic innumerabiles alij sancti patres fecerunt: qui & mittenti Domino suæ infirmitatis causas humiliter obtenderunt, & iubenti non grauiter obtemperàrunt. Vndè vel sancti Moysis, vel huius in re non dissimili factum paulispèr comparandum videtur. Moyses olim ad duræ ceruicis Hebræorum populum missus, eorum incredulitatem questus est: sanctus Ludgerus ad duram nihilominùs & adhuc semichristianam Saxonum gẽtem pastor est destinatus. Ille cum virga pastorali, hic cum ferula episcopali. Ille se impeditioris & tardioris linguæ, ex quo ad eum Dominus locutus est, fuisse testatur: iste postquàm per Apostolum audiuit: Oportet episcopum irrepræhensibilem esse, indignum se episcopatu iudicauit. Ille dixit: Obsecro Domine, mitte quem missurus es: iste alium quoquè pro se ordinari sedulus postulauit. Postremò Moyses diuinis obtemperãs iussis, innumera in populo signa operatus est: sanctus Ludgerus commissam sibi plebem suscipiens, plura in ea & ipse miracula fecit. Quanti nanque perfidiæ cæcitate solem iustitiæ & veram lucem Christum non agnoscentes, per eum illuminati sunt? Quanti iustitiæ execratione obturatas aures habentes, auditum receperũt? Quantorum ipse ora, priùs in Dei laudibus muta, ad confitendum eum reserauit? Quantis ipse in bono opere torpentibus & aridis, vel errore aliquo claudicantibus, vel manuum officium, vel pedum restituit vsum? Quantos superbiæ hydrope inflatos mundialium rerum ambitione gibbosos, auaritiæ tenacitate recuruos, inuidiæ tabe languidos, tristitia seculi ægrotos, iræ furore insanos, ventris ingluuie turgidos, libidinis æstuatione febricitantes, virtutum antidoto sanauit? Quãtos postremò peccatorum iam enormitate defunctos quodammodò & sepultos, de ipsa morte & sepulcro resuscitauit? Proindè licèt ista signa, quę in mentium salute & animarum curis, prædicationis officio spiritaliter operantur, longè his, quæ in corporibus medendis fiunt, præferantur: quia tamen ea, quæ corporaliter aguntur, mentem plerunquè familiariùs tangunt, & visibiliter admota, quasi quadam manu pulsant, pauca de his quoquè perstringenda esse putamus.

1. Tim. 3. Hildebaldus Coloniensis episcopus. 1. Tim. 3. Gal. 2. Exod. 3. 1. Tim. 3. Exod. 3. Miracula spiritalia.

Vt cæcum illuminârit. Cap. 20.

QVodam tempore cùm Euangelizandi gratia vir Dei Ludgerus ad quandam in Frisia villam, nomine Heliguuerde, accessisset, inter alios, qui illuc ad audiendum eum confluxerãt, quidam etiam cæcus aduenit. Is Bernleef cognomento, vicinis suis admodùm charus erat: quia antiquorum actus regumque certamina more gentis suæ, non inurbanè cantare nouerat: sed per triennium ità erat continua cæcitate depressus, vt nullum sibi lumen vel extremæ visionis remaneret. Vndè qui aderant, cum sancto viro oblaturi, orabant, vt pro eius illuminatione Dominum precaretur. Quod ille facere distulit, non negauit. nam quia iam ad mensam positus, secretò facere nequiuit, propter humanam gloriam vitandam, in conspectu conuiuan-

Nota sancti viri modestiam.

uiuantium hoc facere noluit. Miraculorum quippe operationem, magnorum dixit esse virorum: se gratia curationum omninò indignum esse: illi quoque mentis salutem magis esse necessariam: de eius sorde, exteriores ei fortè tenebras euenisse: de interna illuminatione priùs studendum: sic exteriores consequenter tenebras fore pellendas. Proindè interrogauit, si peccata sua confiteri & pœnitentiam pro his accipere & agere vellet. Quod cùm ille se velle respondisset: Crastina, inquit, die ad me venire matura, sponsionem tuam factis adimpleturus. Quod si feceris, non infructuosum tibi fore nôueris. Potens est enim Deus & peccatis tuis veniam tribuere, & amissam tibi denuò lucem condonare. Qua ille spe animatus, lætus diem sequentem expectauit. Vix nox transierat, cùm ille primo diluculo surgens, ad sanctum virum properare cœpit. Verùm quia ipse de illo iam aliquantùm loco progressus erat, in itinere eum consecutus est. Quem vt vidit, accepto per frenum eius caballo, à turba, quæ eum sequebatur, seorsùm duxit: & ibi confitenti peccata sua pœnitentiam indixit. Deindè signum sanctæ crucis oculis eius imposuit, & tenens manum suam coram eo, interrogauit si aliquid videret. At ille cum magno gaudio se manum eius videre respondit. O vere euangelicum discipulum. O verè Christi in omnibus imitatorem. Nam sicut ipse olìm paralytico sibi oblato, peccata priùs indulsit, & sic corporalem salutem condonauit: ità & iste huic cæco pro peccatis suis priùs pœnitentiã indixit, & ità demùm exteriorem curam adhibendam esse putauit. Ità cæcus paulatìm visu resumpto, cum illo ad villam, quæ proxima erat, peruenit. Proindè vir beatus explorare volens, si visum integrè recepisset, interrogauit si villam, cui appropinquabant, cognoscere posset. At ille non solùm eam proprio statìm vocabulo nominauit, sed & arbores & singula quæque ædificia ei singulatìm ostendit. Vndè beatus Ludgerus factam virtutem ad diuinam gloriam referens: Saluatori, inquit, tuo gratias age, neque meæ in hoc facto aliquid virtuti asscribas. Caro non prodest quicquam: spiritus est, qui viuificat. Ipse quippe te illuminauit, qui illuminator est omnium Deus. Deindè cùm venissent ad villam, quæ Vuscuurd appellabatur, cum secum in ecclesia orare & Deo pro sua illuminatione gratias agere fecit. Qubus expletis, sacramento eum constrinxit, ne cui ante obitùs sui diem per se fuisse illuminatum indicaret. Paruit ille, licèt inuitus, viri Dei præceptis: & ipso quidem viuente nulli hoc publicauit, sed post eius demùm dormitionem, qualiter ab eo per diuinam virtutem esset illuminatus, confessus est. Deniq; vt admirationem subitaneæ illuminationis tolleret, cæcitate aliquandiù simulata, ductu aliorum vtebatur. Pòst, quasi sensim videret, inspiciẽs, pristinæ luci diuinitùs restitutum esse testatus est. In quo sancti Ludgeri facto conijcere possumus, quãta de his eius virtutibus lateant, quas vel solus teste Deo, fecit: vel ità in alijs perpetrauit, vt eas ante suam mortem publicari vetaret. Potuit enim cõtingere plerosq; ex illis, quos sanauerat, ante suum obitum transire. Itaque iste cæcus, vt comperimus, signorum, quæ per eum Dominus operatus est, fuit initium. De cuius testimonio minùs hæsitabit, qui vitæ eius probitatem & pium in Domino studiũ recognoscit. Nam quanuis coniugali esset vinculo alligatus, post suam tamen illuminationem eruditos quosque viros frequentare, & psalmos ab eis, vel si quid aliud ex scripturis poterat, discere consueuit. Cuius studio sanctus Ludgerus delectatus, eius industria in fidei quoquè causa vtendum putauit. Quia enim illis diebus Frisia à fide secundò defecit, & famulis Dei inde expulsis, ipse ad eos accessum habere nequiuit, per illum paruulæ saltem ætati consulere voluit, si perfectæ nequiret. Proindè quia à multis diligebatur, & de eo, vtpotè laico, nulla huiusmodi suspicio haberi poterat, per singulorum domos eum discurrere iussit, dato precepto, vt persuasis matronis, quarum ingenium naturali conditione ad credendum esse facilius nouerat, morituros earum infantulos benedicta simpliciter aqua in nomine Domini cum inuocatione sanctæ Trinitatis baptizaret. Cuius ille iussis libenter obtemperans, octodecim infantes baptizauit: qui omnes in albis defuncti sunt, exceptis duobus, quos sanctus sacerdos, pace reddita, sancti chrismatis inunctione & manuum impositione firmauit. Ità memoratus vir in percepta illuminatione vsq; ad decrepitam ætatem permansit. Cui cùm iam morituro vxor suæ solitudinis causas questa, se ei superuiuere non posse cùm lachrymis testaretur: Si ego, inquit, à Domino aliquid impetrare potuero, post meum obitum non longo tempore in hoc seculo es victura. Hanc eius vocem mors corporis subsecuta est, & eius nihilominùs mortem vxor, quæ tum sana & incolumis erat, die quintodecimo moriendo secuta est. Quod ideò, licèt extraordinariè positum alicui possit videri, narrauimus, vt factæ illuminationis testimonium ex merito atte-

Obserua hæc.

Audit cæci cõfessionẽ, & sic lumẽ restituit.

Luc. 5.

Iohan. 6.

En sancti viri humilitatem.

Primum S. Ludgeri miraculũ.

Laico vtitur ad baptizandum, quia sacerdote non potuit.

Confirmationis sacramentũ.

ſtantis probetur. Igitur libet conſiderare in Dei & proximi dilectione, vel ſancti Ludgeri feruorem, vel noſtrũ viciſsim teporem. Ille & apoſtatarũ incrementis baptiſmatis ſacramenta procurauit: nos Chriſtianorum ſoboli illud in ſumma mortis neceſſitate præbere recuſamus. Ille nolentibus & omnino repellentibus Dei gratiam vltroneus irrogauit: nos petentibus & quodammodò nos trahentibus eam retrahimus. Ille, quia per ſacerdotem non valuit, ſaltem per laicum protoplaſti reatui obnoxijs ſuccurrendum putauit: nos originali peccato obligatos, ante oculos ſacerdotum, vt ità dixerimus, mori videmus, nec dolemus. Proindè ille in pſecutione Eccleſiæ impleuit, quod nos in pace eius facere vel indignum vel laborioſum iudicamus. Quocircà pro diuerſitate meritorum diſpar quoquè præmium accipientes: ille in ſingulis, quos Dei gratia ſaluauit, coronabitur: nos ſine pœnitẽtia, niſi ſatisfecerimus, in ſingulis, qui noſtra negligentia periêrunt, pœnas luemus.

Perſtringitur quorundã tepidorum Chriſtianorum ſocordia.

De melle ei tranſmiſſo. Cap. 21.

ALio iridèm tempore dum diœceſim ipſe ſuam paſtorali officio circumiret, ad eccleſiam ſuam in loco qui Billerbeki vocatur, venit. Erat ibi vicina quædam mulier, genere quidem nobilis, ſed illicito matrimonio inceſtuoſa. Hæc beatum virum illuc aduenire cognoſcens, cum ab intentione, qua huiuſmodi copulam diſſoluere parabat, muneribus auertere, & animos eius flectere tentauit. Deniquè vas teſteum prægrande melle plenum ei quaſi pro benedictione miſit. Ille abſynthij amaritudinem ſub melle latére non ignorans, & ſciens munera excæcare etiam oculos ſapientium, omninò illud ſuſcipere recuſauit, dicens ei ſe participare non poſſe, quæ ſe illicito connubio alienam ab Eccleſia feciſſet: indignum quoquè ſibi videri, ſi poſtulata nõ facturus, eius eulogium ſuſcepiſſet; ſciret magis, ſe nũquàm, Domino volente, ceſſaturum, niſi illud non tam coniugium, quàm inceſtum facto diuortio diſſociaret. Ità illi qui miſſi fuerant, à ſacerdote ſimul cum munere repulſi, pleroſque ex diſcipulis eius conuenerunt, vt ipſi ſaltem tranſmiſſum eulogiũ ſuſciperent, orantes. Illi cupiditate ducti, mel ab eis, epiſcopo neſciente, ſuſceperunt, & ſe ei perſuaſuros repromiſerunt. Et quia repente alium, vbi reponerent, locum inuenire nequiuerunt, ſubtus altare linteis vndiquè coopertum illud locauerunt. Iamque aderat tempus, quo ſacerdos Miſſam celebrare debebat. Cùm iam coram altari ſtans, os ad orationem aperuiſſet, vas illud, quod ſub altari erat, crepuit, & melle effuſo, minutatìm diſciſſum eſt, acſi pro oratione lapidem in illud ieciſſet. Ità melle foràs elato, omnes in commune Dominum laudauerunt, & ſeruum ſuum Ludgerum, cuius meritum vel euangelici exempli imitatione commendatur, vel tanti miraculi indicio declaratur. Nam ſi præco Domini & baptiſta Iohãnes laudatur, quòd regem, qui fratris vxorem ipſo viuo habebat, increpauit, quomodò non ſanctus Ludgerus omni laude dignus habebitur, qui inceſtum non ſolùm corripuit, ſed & terrendis alijs de patria exturbauit? Ille perſecutioni Herodiadis non ceſſit: iſte nobilis adæquè mulieris muneribus à iuſtitiæ tramite deflecti nequiuit. Vtrique à mulieribus, vtrique ab inceſtis, quamuis diuerſo modo tentantur: ille minis, iſte blanditijs. Ille poſtremò pro veritate in carcerem truſus, ad vltimum gladio percuſſus eſt: iſte nihilominus, iuxta Apoſtolum, qui huiuſmodi homines tradere ſatanæ in interitum carnis præcepit, illos, qui inceſtum commiſerunt, pœnitentia mortificauit, vt ſpiritus viuificaret.

Deut. 16.

Reſpuit oblatum munus ab inceſta.

Nota inſigne miraculum.

Matth. 14.

1. Cor. 5.

De ſturione non ſine miraculo capto. Cap. 22.

EA ferè tempeſtate iſdem ſacerdos prædicationis gratia Friſiam adiuit. Cumque ad eccleſiam ſuam in loco, qui dicitur Heleri, iuxta fluuium Ladam veniſſet, propter hoſpites, qui eum frequentabant, petijt loci illius piſcatores, vt ſibi aliquem ſturionem compræhenſum offerrẽt. Illi iam tempus huius capturæ præteriſſe reſponderunt, & appropinquare hyemale iam tempus, quo huiuſmodi piſces capi non ſolerent. Sed Deus, inquit, filij, temporum conditor, cum tempore non tranſit. Ite ergò, facite quæ dixi: captura, Deo volente, proueniet. Potẽs eſt enim Deus deſiderata ſeruis ſuis omni tempore præſtare. Proinde cùm illi voluntati eius ſatisfacere & mandatis obtemperare pararent, eleuatis ſursùm oculis, viderunt in aëre quaſi alitem, qui volatu paulatim demiſſo, aquis appropinquãs, nõ longè ab eis in ipſas cecidit. Quod illi auſpicium diuinitùs euenire credentes, in illo loco quo auis primùm incidit, rete iactauerunt. Neque iſta ſpes, quam de virtute & meritis ſancti viri conceperant, fefellit. Siqui-

Siquidem miræ magnitudinis sturionem ilicò compræhenderunt: quem cum gaudio sancto viro allatum, capturæ ei prouentum per ordinem narrauerunt. Ille more solito cuncta ad Dei gloriam referēs, & sibi nihil tribuens: Agamus, inquit, omnipotenti Deo gratias, bonorum omnium authori, qui dat escam omni carni. Proindè nè meæ hoc virtuti asscribatis, neq; meis hoc factum meritis vel ipsi putetis, vel alijs referatis. Deus est enim, qui omnibus quorum oculi in eum sperāt, dat escam in tempore opportuno, aperiens manum suam, & implens omne animal benedictione: ipsi gloria in secula, Amen. Ità nimirùm tria in hoc sancti viri facto videmus vel miranda esse, vel laudanda, futurorum scilicet notitiam, miraculi operationem, miraculi non publicandi humilitatem. Nouerat enim scriptū: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Et ideò quantùm in se fuit, omnes suas latére cupiebat virtutes, & reticere pręcepit, non inuidus suarum virtutum, sed eius imitator, qui, vt in Euangelio legitur, miracula, quæ propter aliorum salutem reticenda non esse cognouit, vt nobis exemplum præberet, reticeri mandauit. Sed occultorum cognitor & arbiter Deus, & hanc eius voluntatem coronauit, qua se humiliter contra iactātiæ vitium custodire curauit: & tamen ad sui nominis gloriam & audientium ædificationem, eius merita signorum ostensionibus publicauit, & in notitiam hominum adduxit.

Capitur sturio ingens non absque miraculo. Psal. 135. Psal. 144. Eccl. 3. Matth. 8.

De cæco, quem non spontè sanauit. Cap. 23.

VErùm Ludgerus, quanuìs cuncta huiusmodi opera occultare vellet, non tamen hæc Deo reuelante vsquequaquè effecit. Villa est in Saxonia in pago Sudergo, quæ Alna nuncupatur. Ad hanc dum parochias suas circumiens veniret, die quadam sedente eo ad mensam, audiebatur pauper clamare foris, anxiè obsecrans, vt episcopus cęcum hominem respicere dignaretur. Festinauit diaconus, cuius id erat officij, putans vnum esse de pauperibus, qui stipem peteret: sumensque panem & cibum, porrexit illi. Renuit ille accipere, aliud sibi dicens esse necessarium. Deferebatur potus: ille nec hoc se velle respondit: nec propter stipem petendam venisse, sed vt ante episcopum intromitteretur, vt cæco homini subueniret. At diaconus non intellecto quid postularet, dimisso illo, in domum regressus est. Porrò cùm ille foris relictus, iterato diù clamore vociferaretur, tandèm circunspiciens Ludgerus: Quare, inquiens ad diaconum, tam diù vis dissimulare quod audis? Qui respondit: Detuli ei cibum potumque, sed ille nihil horum curat. Nummum, ait, da ei. Quod cùm fecisset, & hoc nihilominùs sperneretur, iussit eum episcopus ad se introduci. Dum introductus esset, ait ei: Quid frater habes, quid est, quod expetis? Ille respondit: Fac vt videam, obsecro te pater, per amorem Dei. Videas, inquit Ludgerus, per amorem Dei. Et mirum in modum, cùm hoc non imperando dixerit, sed tantùm miratus petitionem, similia verba responderit, statim ille vidit, iussusque accedere ad mensam, lætior comedit & bibit, abijtque in viam suam.

S. Ludgerus celare se vult, sed nō potest. Videre mi admirandam.

De suscitato Buddone. Cap. 24.

FErebant autem veracissimi viri de discipulis eius, quod quodam tempore, dum ad comitatum pergens, per Prouinciales, qui Hassi dicuntur, iter ageret, per orationes eius homo mortuus reuixerit. Qui scilicet propter furtū caballorum Vuidekindi Saxonum ducis huic morti adiudicatus sit, vt in campo ad stipitem ligatus, iactatis in eum sudibus acutis & lapidibus, necaretur. Quod dum factum esset, corpus exanime in campo relictum sit. Venit autem Ludgerus secus locum, & comperto, quòd Christianus fuerit, mittens ad Vuidekindum, impetrārit ad humandum corpus. Deindè discerpta totius corporis membra pallio colligi iusserit, & inferri in tentorium suum, donèc humando copori sepulcrum pararetur. Dum ad hoc ventum esset, vt elatum de tētorio, in fossam poneretur, iuxtà stans episcopus: Efferte eum, ait, è tumulo: nanque illi spiritus inest. Qui dum eleuatus esset, respirare cœpit. Et iterùm illatus in tentorium, oblato potu, refocillabatur: ligariq; iussit episcopus vulnera eius, & in tempore pauco conualuit. Stat adhuc in eo loco lapidea crux, in monumentum miraculi huius ab incolis erecta: & ex nomine eiusdē viri, qui Buddo vocatus est, campus ille Buddonfelt vsque hodiè vocatur.

Nota genus supplicij. Excitatur homo omnibus mēbris dilaceratus.

De homine suspenso in patibulo. Cap. 25.

OPpidum est in Saxonia notum plurimis, Meppea nominatum: in cuius vicinià dum antistes sanctus Frisiam pergens deueniret, adspexit haud longè à via vulgi concilium, die Dominica congregatum. Illuc itaque diuertit, volens cognoscere, quæ causa huiusmodi conuenticuli esset tali die. viditq; in colle, quē circunuallauerant, reo cuidam suspendium præparari. Accedensq; propiùs affatus est eos blandè, postulans sibi concedi hominem: aut si necesse esset eum interfici, hoc eo die non facerent: magìs ipsi ad ecclesiam, Missas audituri, conuenirent. Cumq; nil horum à rusticis impetrare posset, contumeliosis insupèr verbis clerico insultantibus: etenim ad suam parochiam locus ille non pertinebat: vix obtinere potuit, vt parumpèr cum homine loqui super eius pœnitentia permitterent. Factum est hoc: discessit episcopus, & homo in patibulum est suspensus. At verò vespere illius diei, cùm antistes itineris sex ab eo loco milliaria peregisset, manens in villa, quæ vocatur Aschentorp, enveniens homo ille, quem paulò antè suspenderant, ad pedes episcopi corruit. Mirantibus ac sciscitantibus, quomodò de eo gereretur, rem taliter pandit: Dum ego, inquiēs, episcopo indè digresso sursùm in patibulum traherer, videbam duos, incredibilis decoris viros à latere episcopi equitantes, & aliquandiù pariter cum eo loqui. Dehinc post paululùm alter festinè rediens, nescio quid mihi pendenti supposuit: super quod firmiter stans, cruciatū non sentiebam, donèc dispersis his, qui me suspenderant, & ad occasum vergente sole, me idem ipse deponeret. Depositum itaq; iussit ocyùs iter vestrum sequi, & pro cōcessa vita sacro antistiti gratias agere, quam ipse, dum à fatuis contemneretur, à Domino impetrârit. Adidditque nullo pacto se scire posse, qualiter post virum Dei tantum viæ spatium in momento percucurrerit. Ferunt & alia miranda venerabiles viri de discipulis eius, à B. Ludgero gesta vel dicta, quæ cuncta ponere, immoderatioris fortasse prolixitatis videbitur.

Homo suspensus admirabiliter liberatur.

Mira sunt hæc.

Quid erga contumaces rusticos actum sit. Cap. 26.

IGitur res quam narraturi sumus, viri veracissimi aduocati quondàm nostri, Botholdi nobis relatione innotuit. Oppidum nanque est haud longè à monasterio * Vbiti nuncupato, in quo vir Dei mansum, dato precio, à quodam viro comparauerat, quem posteà ipse, à malignis quibusdam amicis suis persuasus cœpit denegare. Inito nanque consilio inter se, statuerunt hoc, vt si iustè & rationabiliter nequirent, saltem iniustè ac violenter retinerent: quippe virum Dei contemnentes, eique inuidentes. Facto itaque hac de re concilio, aderat episcopus, sed ea hora nihil præualuit. Iterùm concilio collecto, similiter actum est. Tertio verò cōcilio nihilominùs facto, cùm episcopus præsens adesset, eique iam multa contumeliarum verba illata fuissent, quidam etiam rusticus admodùm contemptibilis atque omninò deformis, huiusmodi verbis circunstantes alloquitur: Nónne grandis est confusio, quòd peregrinus hic nostram hæreditatem sibimet vsurpare præsumit? Audiens ergò venerabilis pontifex, post tergum respexit, volens cognoscere, quisnam esset qui talia loqueretur. Is verò adspectum Episcopi nisus deuitare, caput post tergum vertit, quasi non hoc ab ipso, sed ab alio aliquo diceretur: statimque collum eius inflexibile factum, vsque ad finem vitæ permansit, & ob hanc causam Caco est appellatus. Præfati igitur rustici, huius facti viso miraculo, conlibenter reddiderunt, quod pertinaciter negauerant.

** Vberiti.*

Nota diuinam vltionem in hominem cōtumeliosum.

Quàm religiosè vir sanctus diuina officia peregerit. Cap. 27.

POrrò quia in superioribus sanctorum officiorum incidit mentio, prætereundum non æstimo & id, quod narrant: quia dum ad opus Dominicum vir Dei staret, ineffabiliter timorata intentione fixaque mente manserit. Aliquandò dum in itinere esset, lectus illi ad vicinum focum construebatur. Vndè dum noctù stans iuxta lectum, matutinales laudes cum clericis caneret, tectis cinere prunis, fumus euaporans in faciem illi exhalauit. Ille quasi nihil sentiens, immotus mente stabat & corpore. At vnus ex clericis auferre volens incommodum hoc, curuato genu carbones detexit, & insufflans sopitos suscitat ignes. Manè autem vocans clericum, districtè sciscitatus est, quarè huius mentis fuerit, vt sacris hymnis dimissis, se potiùs incuruauerit ad construendum focum: & pœnitentiam aliquot dierum illi indicens, clericos docuit, dum ad opus diuinum assistitur, omnes occurrentes cogitatio-

Inter precandum quàm fuerit Deo intentus.

Nota viri sancti zelum.

tiones amouendas, & quantùm humani cordis fugacitas patitur, & primitùs diuina clementia suppetit, nil aliud cogitandum, nil agendum.

Vt Vuerdinam adierit, & suis precibus nemus euerterit. Cap. 28.

EO adhuc tempore locus, quem sanctum Ludgerum in Vuerdina comparâsse diximus, incultus & inhabitabilis erat. Nam plurimæ eius occupationes, quibus in iugi prædicationis instantia, in solicitudine ecclesiarũ, in cura plebis commissæ iugiter occupatus tenebatur, ad hoc eum ad illud vsq; tempus vacare non permittebant. Itaq; informata Christianæ religionis moribus plebe, constructis pro locorũ sibi cõmissorũ diuersitate, vel monasterijs, vel ecclesijs, ad cõstruendũ in memorato loco monachorum cœnobium animum conuertit. Assumptisque secum, quos huic operi necessarios sciuit, ad ipsum profectus est. Erat ibi nemus quoddam, arborum opacitate & arbustorum densitate vndiquè conclusum. ibì fixis tentorijs, manè primo arbores diruere, & locum ponendis ædificijs expurgare, si qua facultas daretur, disponebant. Quod tamen fieri illis posse omninò impossibile videbatur. Vndè & beatum virum à sua intentione penitùs reuocare studẽtes, dixerunt incredibile prorsùs videri, illum vnquàm locum habitabilem fieri posse: quoniam arborum densitate & ramorum obductione, cælum quoquè ipsum absconderetur. At ille spem suam in Domino ponens: Quæ hominibus, inquit, impossibilia sunt, Deo possibilia sunt. Proindè in ipsum speremus, in ipsum credamus: qui non solùm ipse omnia potest, sed & credenti omnia possibilia esse promittit. Ità nocte ingruente, cùm tẽporiùs ad vigilias nocturnales surrexissent, post peractum officium, sese cubitum denuò receperunt. Cumque iam omnes dormire putaret, silenter exurrexit, & tentorium egressus, paululùm orationis gratia secessit. Sed quia quidam ex eius contubernio clericus, nomine Thiadbaldus, eadem hora vigilauit, ipsum confestìm foràs exeuntem secutus est. Quod mox vir Dei cognouit, & paulisper quasi pro horæ inspectione substitit: Deindè tabernaculum ingressus, eum rursùs obdormientem præstolari cœpit. Quod cùm fieri putaret, rursùm exijt: sed eundem iterùm clericus, quem diximus, pedetentìm subsecutus est. Ità secunda quoquè vice oratione eius intercepta, clericum stratum suum repetere, nec ante lucem exurgère præcepit. Ipse quoquè, vt eius curiositatem deluderet, sese cubitum recepit. Cumque aliquandiù expectaret, & iam neminem vigilare putaret, tertiò exurrexit, & egressus, sub quadam se arbore in orationem proiecit. Verùm cùm memoratus clericus eum contra authoritatis suæ præceptum sequi non auderet, & omninò, quid agere vellet, explorare intenderet, papilione iuxta lectum suum eleuato, in oratione positum vidit. Erat enim nox, luna & stellis lucentibus, admodùm clara. Cumque diutissimè orâsset, & se per spiritum à Deo auditum cognouisset, tentorium cunctis, vt putabat, ignorantibus repetiuit. Mutata ilicò, quæ tunc erat, serenitas, obscurata luna, obducta astra, & ventis hincindè exurgentibus, tempestas nimia subsecuta est. Cadebant annosa circunquaquè arbusta, & cum magno licèt omnium timore, ipsa mundi elementa famulo Dei militabant. Nam cùm diluculò exurrexissent, videbant syluam hincindè erutam, fundando monasterio locum satìs amplum dedisse, & arbores passìm iacentes, sufficientem lignorum ad ædificationem copiam præbuisse. Ità quod manu humana aut nequaquàm, aut vix per longa temporũ spatia effici poterat, Diuina potenter maiestas in momento effecit. Rari quique frutices & arbusculæ minores derelictæ sunt, quæ ab operarijs facilè vel extirpari, vel præcidi valerent. Vndè sanctus Ludgerus cùm die iam clara suos reliquo operi instare hortaretur, eos percontari gratulabundus cœpit, an'ne adhuc cælum se ex illo loco credèrent conspecturos. Proindè intueri libet, quanta in eo fuerit fides, cuius munere tanta pars syluæ in momento euersa, cuius beneficio locus ad monasterium satìs amplus datus est. Nam cùm montes transferri, iuxta euangelicam simul & apostolicam sententiam, clarissima fidei indicia habeantur, & ipse non minorem in eradicandis arboribus virtutem sit operatus: non absurdè credimus, hoc quoquè ipsum per diuinam potuisse gratiam, si vel necessitas exegisset, vel ipse postulare voluisset. Neque enim distare videmus, vtrùm quis montes & arbores oratione transferat, an euertat, cùm vtrunque humanis viribus impossibile esse apertissimum sit. Et Deum quidem hoc potuisse, non dubium est: sed per eum istud aliud potiùs fecisse credendus est: quia maius est tollere impedimenta, necessaria reseruare. Locum quippe fundando monasterio, euersis arboribus, dedit: ligna ædificationi necessaria non subtraxit. Ità olìm pueris

Magna sancti viri in Deũ fiducia.

Matth. 19. Mar. 9.

Vir sanctus precibus suis multas euertit arbores, vt sit locus construendo cœnobio.

Mat. 17. 1. Cor. 13.

Dan. 3. illis tribus, quos rex Babylonis in fornacem mitti præcepit, ligamenta, quæ impedimento erant, ignis absumpsit: vestimenta, quæ vsui erant, non attigit.

De arbore, quæ remansit non diruta. Cap. 29.

VErùm vt ad cœptam narrationem redeamus, ex arboribus, quas intra spatium fundandi monasterij corruisse diximus, vna solùm non diruta remansit, sub qua eadem nocte vir Dei orauit: sub hac, sellula iam luce clara posita, suos ad operandum hortabatur. Ibi quidam ad eum ex eius clericis, nomine Odilgrimus, ex itinere, quò directus fuerat, venit: quem inter mutua, quæ habuerunt, colloquia ipse interrogauit, quid sibi de illo loco videretur, vtrum ne eum monachorum collegio congruum arbitraretur? At ille vultum eius solito clariorem videns: In vestra, inquit, facie, video hoc opus sine Dei voluntate non esse inchoatum, & locum iam olim à Deo electum, opportunissimum diuino seruitio futurum. Qua eius responsione delectatus: Gratias, ait, habe, quòd secundùm voluntatem meam locutus, beneuolentiam, quod solùm homo potest, tuam ostendis: cæterùm effectus in Dei est potestate constitutus. Illud sanè te nôsse volo, quod tamen alijs, me viuo, te publicare interdico, in hoc loco me diem iudicij expectaturum, & corpore exutum me, hic, vbi nunc sedeo, monumentum habiturum. Ita clericus arborem, quandiù ibi stetit, diligenter obseruauit. Sed cùm posteà in vsum ecclesiæ, quæ ad Occidentalem eius partem construebatur, præcisa esset, lapidem in eodem loco, nullo alio sciente, pro signo infodit, qui ibidem, cùm posteà sepulcrum sancto viro foderetur, inuentus & effossus est.

Prædicit locũ sepulcri sui.

De discretione spirituum ei data diuinitùs. Cap. 30.

IGitur quanuis plura quoquè sanctus Ludgerus mirabiliter per diuinam gratiam vel fecisse dicatur, vel prophetâsse, hæc tamen pauca de multis nunc sufficere credimus. Ad ostendenda quippe eius merita, ad procuranda audientibus exempla, id ipsum pauca valent, quod plura: quanuis pauca non iurè dicantur, vbi cuncta penè, quæ Apostolus connumerat, gratiarum dona inueniuntur. Nã cùm diuersa charismatum dona dixisset: Alij quidem, inquiens, per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eundẽ spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutũ, alij prophetia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonum: quæ quidẽ alijs plerunquè singula singulis dantur, sed in sancto Ludgero cuncta simul fuerunt. Habuit quippe sermonem sapientiæ, qua non solùm ipse Deum intellectu compræhendit, & quodam dilectionis sapore percepit, sed etiam alijs, qualiter credendus esset, aperuit. Habuit sermonem scientiæ, qua, iuxta Apostolicum illud, plerosque zelum Dei habere, didicit, sed nõ secundùm sciẽtiam: qualiter Deus colendus, qualiter proximus diligendus, qualiter per omnia viuendum esset, & ipse sciuit, & alijs patefecit. Habuit fidem, qua tanta nonnunquã contra ius naturæ & rerum ordinem meruit. Habuit gratiam curationum, quia incommoditatibus & infirmitatibus corporum plerunquè medicatus est. Habuit operationẽ virtutum, qua mira frequenter vel inuisibiliter intùs, vel visibiliter foris operatus est. Habuit prophetiam, qua alijs abscondita, sæpiùs & longè pòst futura prædixit. Habuit discretionem spirituum, qua vel vtilium vel inutilium suasores & patratores iustæ lancis trutina discreuit. Habuit & genera linguarum: quas etsi omnes non nôsset, Thuidiscam tamen & Latinam, nè plures dicamus, id est, Barbaram & Romanam, non ignorauit. Habuit quoquè interpretationem sermonũ, qua populis incessanter scripturarũ sacramenta elucidauit. Huiusmodi virtutum prærogatiuis beatissimam illius conuersationem diuina largitio semper comitabatur.

1. Cor. 12.

Vt D. Ludgerus varia Dei charismata habuerit.

Rom. 10.

Thuidiscã, id est, Teutonicam.

De doctrina & ingenio eius. Cap. 31.

ERat enim isdem sanctus Ludgerus in scripturis sacris non mediocriter eruditus, quod in plerisque opusculis, quæ ipse fecit, liquidò apparet. Nam ea, quæ in passione sancti Martyris Bonifacij de eo prætermissa nouerat, primordia scilicet vitæ eius, aduentum atque ordinationem, pulchro sermone conscripsit. Composuit & libellum de vita suorum quondàm doctorum, venerabilium æquè sacerdotum, Gregorij & Albrici: in quo vel ingenij eius acumen, vel eloquij splendor elucet. Quodquè non minima admiratione eget, inter varias occupationes, quibus in dictando, prædicando, orando iugiter occupatus tenebatur, discipulis quotidiè suis diuinas scripturas semotìm tradere consueuit, & profundiora quæque eis explanare. Quic-

Scripta S. Ludgeri.

Quicquid in ipsis morale esse videbatur, auditoribus suis sedulò commendauit: quicquid alios docuit, ipse prius impleuit. Ità suis duplici consulebat modo: durioribus & simplicioribus, vita: intelligentioribus, lingua. Illos exemplis, istos verbis ad veritatis viam trahebat. Vndè non immeritò tale * præconium merebatur, talem eius esse doctrinam, qualem & vitam: talem vitam, qualem doctrinam: ità eum docere, vt facere: ità facere, vt docere. Cucullam ideò non portabat, quia regularem nunquam promissionem fecit: sub canonico habitu monachorum perfectè vitam impleuit. Ciliciũ, quod veste abscondi poterat, ità vsque ad finem vitæ tulit, vt hoc eum nemo præter familiarissimos suos ferre sciret. Carnem spiritui repugnantem vigilijs, ieiunijs, & omnibus, quibus poterat, modis domabat: moderatiorem tamen se aliorum oculis ostendere malebat, nè quis eum iuxta id, quòd Apostolus ait, existimaret supra id, quòd videbat illum, aut audiebat ab illo. Cuius rei gratia, vt probaret omnia munda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, carnium esum certis temporibus non renuit: saturatum tamen illum cibo aut potu nemo audiuit, nemo certè vnquàm vidit. Conuiuia, vtpotè episcopus, nonnunquàm exhibebat: ad hæc commixtìm vel diuites vel pauperes inuitãs, corpora eorum alimentis, animas reficiebat documentis. Inter summos & minimos ità medius incessit, vt illorum altitudinem humiliaret, istorũ deiectionem sublimaret. Ità se, iuxta Apostolum, pro singulorum meritis & vtilitatibus singulis conformans & coaptans, neque subiectos contra ius conditionis despexit, neque prælatos contra iustitiæ regulam honorauit.

*procemii. Cilicio vti tur, sed secretiùs. 2. Cor. 11. 1. Cor. 4. 1. Cor. 9.

De trina vocatione eius ad Carolum Imperatorem. *Cap.* 32.

Paruam dicturi sumus rem, sed tamen ad hoc, quod diximus, probandum necessariam: quanquàm huius raritas exempli, hoc iam inter maxima iure faciat deputari. Carolus Imperator eum ad se pro quadam reipublicæ vtilitate euocari fecit. Qui cùm secundùm præceptum eius venisset, & iuxta palatium mansionem accepisset, primo statìm manè, misso ad eum rex cubiculario, ipsum ad se venire præcepit. Ea ipse hora persoluendis ex more * Cursibus cum suis insistebat. Cumque his expletis se venturum nuncio respondisset, & hoc regi ille retulisset, secunda quoquè vice & tertia ad eum accersiendum misit: sed ille diuinum seruitium cunctis alijs rebus anteponendum esse non ignorans, omninò venire distulit, donèc cœptam psalmodiam consummaret. Qua finita, in conspectum regis cùm venisset, eum, cur ad imperium suum venire contempsisset, interrogauit. Ad hæc ille vultu intrepido, mente constantiori: Ego, Imperator, inquit, tuum semper præceptum ità in omnibus exequendum putaui, vt tamen Deum tibi vbiquè præferendum non dubitarem, quem omnibus anteponendum omnes nórunt, omnes fatentur. Hoc & ipse mihi præcepisti, quandò pastoralis curæ solicitudinem mihi commendabas: vt Deo primùm seruiendum scirem: post hæc tuis consequenter imperijs cognoscerem esse obtemperandum. Hanc tui mandati authoritatem, hanc iustissimæ discretionis regulam secutus, Deum tibi & cunctis in terra mortalibus præponendum non ambigo: neque tuum esse credidi, quod huic iussioni & perspicacissimæ rationi cõtrarium esset. Ideò non regiæ potestatis inhonorationem & contemptum, vt maleuoli criminãtur, sed potiùs propter tuam salutem, quæ Deo debebam, exoluere curaui: & ità consequenter ad tuũ expeditior seruitiũ veni. Hanc eius responsionem rex optimus amplexus: Gratias, inquit, habeto episcope: quia qualẽ te esse credidi semper, talem te nũc esse expertus sum. Nam aliqui quidem fuerũt, qui hoc tuum factum aliter interpretandũ, & ad meam iniuriam retorquendum putãrunt: sed hos, vtpotè tuæ sanctitatis inuidos minùs deinceps gratos habebo, & nullius decætero contra te accusationẽ auditurũ me, Deo volente, repromitto. Tu vt hactenùs fecisti, Dei semper operare voluntatẽ, & simul nobis deuotus & fidelis, pro nostri imperij statu orare memento. Ità inuidia, quam liuidi sancto viro apud regem facere parabant, ad eius magis apud eum gratiam & gloriã profecit. O quã imitabile vel in sacerdote sacerdotibus, vel in rege regibus exemplum. Discãt in sacerdote sacerdotes, regibus honorem deferre, nõ cedere: Discant illis ità obsequi, vt diuinum seruitiũ nõ negligant. Discant reges in rege, nemini suũ officium exequenti irasci: Discant sacerdotibus Dei præcepta seruantibus non contraire. Sciant sacerdotes sic regibus honorem exhibere, vt Deum semper præponant: sciant reges ita hominibus se in mũdialibus negocijs esse prælatos, vt modis omnibus Deo in Christiana religione subijciantur. Sacerdotes liberè de testimonijs Dei in conspectu regum loquantur, & nõ con-

*Cursus, dicit preces Horarias. Nota præclarum egregij episcopi responsum. Vox digna Carolo Magno.

confundantur: regibus in Dei causa libertas placeat sacerdotum. Cognoscant sacerdotes vicissim & reges, sese inuicem sibi pro suæ dignitatis officio esse subiectos: in diuina religione sacerdotibus reges, in humanarum legum iure regibus sacerdotes. Quam inter vtrosque discretionem cùm ratio ipsa doceat, tum in vno eodemque Deo & homine Iesu Christo apertè comprobatur: qui vtranque veram & sacerdotis & regis in se personam gestauit, & hæreditariam ad ipsos transmisit. Itaque vt dicere cœperamus, beatus Ludgerus tumidam superborum ceruicem Christi iugo premens, & laborantes & oneratos reficiens, illis se superiorem, istis præbebat æqualem: Illos ad bona operanda crebra admonitione hortabatur, istos varijs modis sustentabat. Diuites eleemosynis peccata sua redimere monebat: in pauperes tam largus erat, vt ipsos cum suorum plerunquè nuditate vestiret. Quicquid de substantia sua in pauperes non distribuit, monasteriorum & ecclesiarum constructionibus vel impendit, vel deputauit. Paternam hæreditatem, quam satis amplam habuit, ad reliquias tradidit, quas ab Apostolico accepit: ipsas loco, quem Vuerdena appellatum, eum comparâsse diximus, & fratribus in eo loco Domino seruituris, pro patrocinio delegauit. Ità tanquàm nihil habens & omnia possidens, quotidiè morum probitate & meritorum sanctitate proficiebat, quotidie de virtute in virtutem ibat, vt aliquandò videre Deum deorum in Sion mereretur.

Quòd dignitas sacerdotum præstet regiæ, vide Chrysost. homil. 4. & 5. in verba Esaiæ, Vidi Dominum. & Ambr. lib. de Dignitat. sacerdotali. c. 2.

Psal. 83.

De aduersa eius valetudine & obitu. Cap. 33.

CVmque iam omnipotens Deus perennem mercedem pijs eius studijs reddere decreuisset, aliquanto ante obitum suum tempore, infirmitate corporis laborare cœpit. Eo ipse tempore, dirigendæ Christianitatis gratia, diœcesim suam circumiens, ad locum, qui Billurbeki vocatur, vbi ecclesiam habebat, venit. Ibi ergò, vt diximus, corporali molestia præuentus, quanto mundialibus negocijs agendis inualidior, tanto in spiritali exercitio & virtutum exercitamentis validior erat, iuxta illud Apostoli: Quandò enim infirmor, tunc potens sum. Semper enim aut legebat aliquid, aut psallebat: semper ad Deum manibus expansis, nunquàm animum ab oratione feriatum esse permittebat, nunquàm cordis oculos à cælestium rerum contemplatione reflectebat. Et quia, morbo ingrauescente, per se ipse legere non poterat, coram se libros diuinos legere alios faciebat, Missam tamen incredibili mentis vigore quotidiè ferè in hac infirmitate celebrauit. Crescebat paulatìm morbus, & sensìm per membra diffundebatur: iam virtus omnis defecerat, iam dolor vitalia pulsârat, cùm tamen animo ipse inuictus duraret. Dominica siquidem, quæ dormitionis eius noctem præcessit, immensa deuotione in Deum, inæstimabili fidei feruore in duabus ecclesijs suis, sibi admodùm contiguis, publicè prædicauit. Manè primo in loco, qui Coesfeld appellatur, canēte Missam presbytero: Hora tertia in loco, vbi eum infirmatum iacere diximus, vbi etiam tunc ipse deuotè vltima Missarum solennia celebrauit. Quibus expletis, creditis sibi ouibus valefaciens, & ad bona semper opera cohortans, omnipotenti Domino eas commendauit. Post hæc seorsùm clericis, qui secum erant, conuocatis: Scitote, inquit, filioli, me nocte subsequenti de hoc esse mundo exiturum. Proinde nolite corpus meum in hoc loco sepelire, sed ad monasterium, quod in Vuerdena fundaui, deferte, & extra ecclesiam in parte eius Orientali humate. Ibì quippe me diem iudicij expectaturum iam olìm, Domino reuelante, cognoui. Scio tamen omninò populum, nè illuc deferatur, contradicturum. Vndè interim ad * Mimigernafordēsem ecclesiam deportatū, inhumatum relinquite, donèc ad fratrem meum, Catalaunēsis ecclesiæ episcopum Hildegrimū mittatur, & ipse cum rege agat, quatenùs eius imperio in memorato loco sepeliatur. Quod ex hoc signo regem permissurū noueritis, quia post mortem meam aliquantulum sanguinis ex naribus meis profluxisse inuenietis. Quantus tunc luctus omnium, quantus planctus erat, audita sui destitutione, audita tanti patris dissolutione? Ipse solus, quanuìs de eorum tristitia doleret, de suorum tamen actuum retributione securus, gaudebat, & illos, vt Dei in hoc voluntatem æquanimiter ferrent, admonuit. Ità quod reliquum erat diei, psalmis & orationibus cum his, qui secum erant, consummauit. Iamq; nocte ingruente, exitus eius hora aduenit, cùm inter orationes & psalmos, quæ hincindè ab adstantibus dicebantur, sancta illa & Deo dilecta anima carne soluta est. Quis tunc se à lachrymis prohibere, quis à fletibus temperare quiuit, cùm talem tantumq; sacerdotem de mundo exeuntem videret? Flebant qui aderant omnes, & sui potiùs destitutione, quàm eius morte ingemiscebāt. Nouerant enim eum tunc demùm laborum suorum præmia percepturū, & se iam nunquàm talem esse pasto-

2. Cor. 12.
Exercitia ægrotantis.

Nota in ægroto mentis robur.

* id est, Monasteriensem.

Reddit spiritū in manus creatoris felicissime.

se pastorem adepturos. Vndè quanuis de eius glorificatione certissimi essent, de suo tamen detrimento dolebant. Sed Deus omnipotens ad cosolandos seruos suos, ad declaranda sancti sui merita, in ipsa sui exitûs hora clementiæ suæ dignatus est ostendere signum. Nam Gerfridus presbyter, nepos simul eius & successor, cùm nocte eadem cum fratribus gratia visitandi ad illum festinus properâsset, & paululùm adhuc itineris remaneret, cum omnibus pariter, qui secum erant, vidit ante se lucem magnam quasi ignem in sublime conscendere, ac cunctas terræ noctis tenebras effugâsse. Et statim per hoc indicium intelligens sancti ac venerabilis patris obitum, quod reliquum erat viæ, cum summa velocitate peregit, ipsumque eodem quo lumen viderat, momento obisse comperit.

Vt eius mortem Carolus Imperator didicerit. Cap. 34.

EO tempore Carolus Imperator in Aquis palatio morabatur. Qui cùm eadẽ hora progressus foràs cum Alcuino, à quo Astrologiæ cognitionem percepit, stellarum inspectioni intentus maneret, hoc ipsum lumen cum omnibus, qui præsentes erant, vidit: sed quid significaret, omninò ignarus, ingenti admiratione perculsus est. Verùm aliquanto pòst tempore elapso, contigit Gerfridum, sancti viri nepotem, ad palatium venire. Quem cùm rex de eius transitu interrogâsset, & ille cuncta per ordinem retulisset, de lumine quoquè, quod viderat, narrabat. A quo cùm ipse vel diem Calendarum vel noctis horam diligenter requisisset, agnouit eodem momento veri luminis assiduum speculatorem & amatorem migrâsse ad Dominum, quo ipsi lumen fuit ostensum. Proindè intelligi datur, quàm clara sancta eius anima in conspectu Domini venerit, quæ tanta luce comitata iuit: quàm splendida, vbì lux indeficiens & dies est sempiternus, incedat, quæ mundi quoquè tenebras & noctis caliginem illuminauit. Quæ illud Psalmistæ inter angelorum tunc choros gratulabunda cantauit: Et nox illuminatio mea in delicijs meis. O verè gloriosum: O semper prædicandum per secula prædicatorem, & ipsa sui transitûs excellentia sancto prophetæ Eliæ comparandum. Ille enim, ad ostendendum diuinæ charitatis feruorem, igne circunfusus est: iste, ad declarandam suæ mentis puritatem, lumine illustratus est. Ille curru & equorum ministerio vsus est: iste angelorum fultus auxilio ascendit. Ille turbinis impetu raptus est: iste per Dei gratiam meritorum sanctitate subleuatus est. Illi ascendenti pallium décidit: iste defunctus corporales exuuias in terra dereliquit, & animam cælo inuexit. Ità sancti Ludgeri vel transitus sese habuit, vel meritorum diuinitùs declaratio prouénit.

Psal. 138.

4. Reg. 2.

Vt Vuerdenam sacrum eius corpus deportatum sit. Cap. 35.

IGitur discipuli non immemores eum præcepisse, vt in monasterio, quod Vuerdena vocitatum est, suum corpus sepeliretur, hoc populo, vt consentiret, persuadere cœperunt: sed hoc nequaquàm fieri potuit, quia multitudo, quæ aduenerat, illius recolens sanctitatem & merita, ægrè admodùm ferebat à sua diœcesi in aliam eum parochiam transportari. Proindè inter vtrasque partes conuenit, vt ad Mimigernafordensem ecclesiam deferretur, & ibì vsque a'd aduentum fratris eius Hildigrimi inhumatum relinqueretur, qui Catalaunensis ecclesiæ episcopus, tunc ibidèm morabatur. Factum est hoc, & in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ positum, & magno honore vsque ad memorati antistitis præsentiam custoditum est. Cui cùm primùm nuncius de sancti viri obitu venisset, statìm ad Aquis palatium, vbì tunc erat Imperator, festinus tetendit. A quo mandato accepto, vt vbì viuus desiderabat sanctus Ludgerus, ibì sepeliretur, die fermè post obitum eius tricesimosecundo, ad locum, in quo frater eius inhumatus seruabatur, peruénit. Miram rem dicturi sumus: cadauer tanto post mortem tempore needùm aliqua corruptione dissolutum fuisse, sed integrum prorsùs, mira fragrantia cunctos qui aderant, repleuisse: Cui miraculo illud accessit, quòd secundùm eius vaticinium, sanguinis aliquantulum ex naribus eius profluxisse inuentum est. Itaque dignè, vt debitum erat, corpore inuoluto, cum laudibus & hymnis eleuatum, & extra ecclesiam elatum est. Vix portam atrij exietant, cum siue casu, siue (quod magìs credibile est) Deo volente, quendam ex clericis, qui præcipuè huic translationi restitisse dicitur, feretrum tam validè percussit, vt ad terram penè prosterneretur. Mirati omnes, & beati viri meritis hoc factum esse intelligentes, in maiores Dei laudes exurrexerunt. Personabant hincindè responsoria,

Amor populi erga sanctum virum.

Corporis incorruptio & fragrantia.

pers

personabant antiphonæ & psalmi, & multitudo, quæ nimia ad exequias confluxerat, Kyrie eleison per omnem viam alternãs, cum summa alacritate ad locum, quem præmisimus, sancti corporis exuuias perduxêre. Verùm quia beatus sacerdos adhuc viuens præcepit, nè in ecclesia humaretur, ad Orientalem eius partem effosso sepulchro, lapidem, quem pro signo positum diximus, eruderauerunt. Ita ex vaticinij veritate meritum patuit prophetantis. Defunctus est autem sanctus Ludgerus anno Dominicæ incarnationis octingentesimonono, septimo Calendas Aprilis, & sexto Calendas Maij depositus. De cuius sacrosancto transitu nobis non tam dolendum, quàm gaudendum esse videmus. Gratias enim agere Deo debemus, quòd talem nostris temporibus virum concessit, qui & prioribus sanctis æquandus, & huius ætatis hominibus incomparabilis, & posteris imitãdus existit. Gratias agere debemus, quòd cum nos ex pastore patronum habere fecit. Nam quanuis omnes sanctos nobis patronos fore confidamus, ipsum tamen speciali nos, licèt indignos, patrocinio tueri non absurdè speramus, qui nostrum primus locum fundauit & rexit. Quantum autem eius apud Deum patrocinia valeant, testantur gaudia populorum, quos interpellatus exaudit: testantur sanitates morbidorum, quibus in varijs necessitatibus succurrit. Proindè non vt mortuum plangimus, sed vt vere viuentem nobis suarum precum subsidio, vt subueniat oramus. Neque enim ille nobis mortuus est, qui totiès nos & corporaliter sanat, & spiritaliter viuificat. Non est absens, quem quotidiè tot miracula nobis repræsentant. Non est ociosus, qui singulis nos momentis suorum morum probitate & sanctissimæ vitæ exemplis instruit & informat. O verè beatum, & omni laude dignissimum virum, Angelis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus atque Virginibus non immeritò comparandum: Angelis, cordis munditia & cælestium contemplatione: Prophetis, futurorũ notitia: Apostolis, & pastoralis curæ successione, & prædicationis imitatione: Martyribus, carnis castigatione & martyrij desiderio: Confessoribus, diuini nominis coram regibus & gentibus confessione: Virginibus, corporis simul & mentis castitate. Quis talem tantumque virum dignè cogitare, quis dignè possit laudare? Quis eius sanctitatem non veneretur? Quis miraculorum operationem non obstupescat? Quis in signis occultandis eius humilitatem non miretur? Maiora sunt ista, quàm vt dignè ea nostræ linguæ ariditas valeat explicare. Nec eget ille sermonis nostri præconio & nostra laudatione, qui tantum apud mortales prodigijs clarus, qui tantum inter angelos & omnium sanctorum choros in cælo est glorificatus, vbi nunc Christo coniunctus, pro nobis eius seruis, suisque seruitoribus apud ipsum intercedat, qui cum patre & spiritu sancto vnus viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Sancti nec mortui sunt, nec absentes.

LIBER SECVNDVS.

PROLOGVS.



LVdgeri merita multifariè suo Deus pandit testimonio, & gloriæ & honoris, quo cum Deo fruitur, plurima ex signis salutaribus indicia constant. Tot etenim salutes ad eius sacri corporis locum infirmi sæpè resumpserũt, necnon & absentes in suis necessitatibus eius opem ità frequenter experti sunt, vt hæc enumerari impossibile sit, & scribendi excedant modum. Sed quia superiori libello vitam atque miracula sanctissimi Ludgeri, Christi Confessoris, strictim percurrimus, nunc ea breuiter attingamus, quæ post sanctũ eius obitum diuina per eum gratia operari dignata est. Nam sacrosancta illius merita cunctis hincindè ad ipsum confluentibus pro singulorum fide suffragari non cessant: in quibusdam quidem longè manentibus, quibusdam ad eius venerabilem memoriam degentibus, quibusdam quoque ad eius sepulchrum meantibus, vel indè domum regressis. Vndè cursim, vt diximus, aliqua de his, quæ vel ipsi oculis nostris perspeximus, vel fidelium narratione comperimus, quanta possumus veritate perstringamus.

Vt Irmingerus sit sanatus. *Cap.* 1.

FVit quidã in pago, qui Nordgoa vocatur, nomine Irmingerus, qui sancto Ludgero iuuentutis suæ tempore seruiebat. Hic lumen oculorum amittens, tredecim annis continuis in cæcitate permansit. Sed tanti viri seruitorem diuina pietas diutiùs sine luce noluit esse. Quadam siquidẽ nocte beatus Ludgerus per visionem ei apparuit, & cum proprio nomine vocãs, interrogauit si vigilaret. Quod se facere cùm dixisset: Vade, inquit, dic domino tuo Dindoni, vt te ad ecclesiã faciat perduci, quam in Vuerdena Domino fabricaui, vbì corpus meum sepultum est. Quò cùm perueneris, & coram tumulo meo Dei misericordiam imploraueris, pristinũ ibi oculorum recipies lumen. Deindè manu sua, vt ipsi videbatur, faciem eius tangens: Nè, inquit, dubites me verè tibi apparuisse, cognosces in loco, quo te nunc teneo, colorẽ cuti reliquæ dissimilem esse. Ità expergefactus, domino suo visionem per ordinem narrauit, & signum, quod vultui eius imposuerat, ostendit. Mira res: colorem in eo loco cuti reliquæ, iuxta verbum viri Dei, dissimilem omnibus diebus vitæ eius permansisse. Tunc dominus eius ex signo, quod ostenderat, somniũ verum esse cognoscens, vnà cum coniuge sua ad memoratum monasterium perrexit, & ipsum secum adduxit. Et quia eo ibì tempore Gerfridus, sancti viri nepos simul & successor, cum fratribus & monachis fuit, ipsis cuncta, quæ mandata & gesta fuerant, narrauerunt. Vndè eundem Irmingerum in præfata ecclesia nocte sequenti manere fecerunt. In qua cùm vigilâsset & orâsset, continuò per Dei gratiam pristinum oculorum lumen ipsa nocte, secundùm verba viri Dei, plenè recepit.

S. Ludgerus appãret cæco, & iubet eũ ire ad ecclesiã suam.

Cæcus illuminatur.

De paralytica & alia quadam ægrota sanata. *Cap.* 2.

EAdem nocte quædam etiam paralytica, coram sepulcro sancti viri posita, eius opem supplici voto postulauit: nec mora, sanitati pristinæ restituta est. In pago, qui Sudergoa appellatur, matrona quædam, nomine Siburg, colonum habuit vocabulo Ricmoldum. Huius vxor lõga ægritudine depressa, sine aliqua spe recuperandæ salutis iacebat. Cùm igitur nocte quadã inter ægra suspiria paululùm membra defessa laberentur in somnum, vidit in somno quendam sibi præcipientem, vt cum Ludgero episcopo loqueretur. At illa, vt posteà narrare solebat, nec grauiter dormiẽs, nec perfectè vigilans, vidit illum stantem, ad Orientem conuersum. Cumq; illum reuerentiæ eius intuitu alloqui non præsumeret, ille ad eam conuersus: Probaui, inquit, patientiam tuam: proindè, vt cœpisti, patientiam habeto, & Dominus curabit te. Qua visione completa, tantum vigorem corpus eius accepit, vt penè ab ea memoria prioris molestiæ tolleretur. Ità facto manè læta surrexit, & suæ restaurationis modũ narrauit. Vndè vir eius & filij cum familiola, quam habebant, congratulantes & Dominũ benedicentes, deincèps cum gratiarum actione viri Dei consueuerunt visitare sepulcrum. Nec multopòst eidem mulieri reuelatum est, quòd sacro non esset baptismate abluta: & eiusdem reuelationis veritate comperta, sancti baptismi gratiam suscepit.

Paralytica curatur.

Aegra subito reualescit.

De puella sanata. *Cap.* 3.

IN eodem pago quidam Bertricus fuit, qui colonus quõdàm fuerat presbyteri nostri Igonis, quem sanctus Ludgerus nutrierat. Hic filiam habuit adolescentulam, paralysis doloribus affectam. Qui cùm famam signorum, quæ ad sancti viri tumulum fiebant, comperisset, spem restituendæ sanitatis puellæ beati confessoris virtute & meritis concepit. Itaque eam ad sacrum eius sepulcrum perducere intendit. Cumque iam in via positi essent, & candẽ puellam frater suus coram se in sagulo eques ferret, repentè dolore omni, quo priùs tenebatur, discedẽte, sanata est. Quod cùm fratri retulisset, deponi se orauit. Quo secundùm suggestionem eius facto, virtute Christi & meritis serui eius tam perfectè curata apparuit, vt non solùm ambulare, sed & currere posset. Ità quę ad illum vsque locum membris omnibus debilis aduecta est, ad memoratam beati Ludgeri memoriam sana & incolumis peruenit. Aderant salutis eius testes pater & frater, aderant nonnulli alij, quos suę vię comites & huius miraculi testes habuerunt. Itaque oratione ac gratiarum actione completa, domum cum gaudio reuersi sunt.

Paralytica repẽtè morbo absoluitur.

De Hilderado diacono curato. *Cap.* 4.

QVidam in nostro monasterio diaconus, Hilderadus vocabatur. Hic dum adhuc scholasticus esset, in morbum incidit. Quo cùm diù laboraret, ità neruis contractis poples est curuatus, vt tibia eius femori iungeretur. Cumque post

longiturnę ægritudinis fatigationem, fugatis doloribus, conualescere cœpisset, tibia eius curuata, vt fuerat, permansit. Vndè in ambulando sustentatione baculi per dies plurimos vtebatur. Proindè pater eius, nomine Sigebertus, qui in eodē iam tunc monasterio monachus erat, tractare cum fratribus cœpit, si aliqua medicorum curatione contracti poplitis nerui relaxari possent. In qua æstuatione cùm aliquandiù mansisset, quadam nocte sanctus Domini sacerdos Ludgerus eidem scholastico Hilderado per visionem apparuit, ac veste sacerdotali & cidari, quam in capite gestabat, coruscus: Vide, inquit, nè pro crure debilitato carnalem alicubì medicinam quærere præsumas. Quod si feceris, & meum mandatum contemnendum putaueris, non solùm medicaminis ipsius nullam curationem recipies, sed etiam præuaricatorum pœnam incurres. Deindè pro animi leuitate ac puerili mobilitate eum vehementer increpans, abscessit. Manè autem facto, quæ viderat, fratribus narrauit. Et cùm die eodem peractis vespertinis laudibus domum infirmorum, in qua ei priori nocte vir sanctus apparuit, intrâsset, cernentibus cunctis, qui aderant, non casu, sed nutu diuino extemplò ad terrā corruit: Cumque in ipso lapsu neruorum sonitus audiretur, àc si illic sicca sarmenta frangerentur, eius tibia sine aliquo dolore erecta est. Et surgens continuò sanus, non solùm suæ salutis recuperatione, sed emendatiori & maturiori deincèps vita, vt admonitus fuerat, verè sibi sanctum Ludgerum apparuisse probauit.

Contractus subitò fit sanus.

De cæca illuminata. *Cap. 5.*

PVella quædam, nomine Modsuuid, lumen oculorum amittens, anno integro tanta est cæcitate depressa, vt nec extrema quidem frui visione valeret. Cuius parentes cùm audîssent quanta Dominus per seruum suum Ludgerū in morbidis curandis fecisset, eam ad ecclesiam Vuerdenensem perduxerunt. In qua cùm accepta licentia vnà cum filia ante sepulcrum egregij confessoris noctem in oratione transegissent, puella illuminata est. Siquidem manè facto, cùm lux paulatìm per fenestras irradiare cœpisset, primùm quidem se proprias posse manus videre, deindè sensìm lumine crescente, clarè se omnia cernere & dixit & probauit. Atque ità gratiarum actione persoluta, domū cum suis reuersa est, & in illuminationis dono, quod acceperat, tota ætate permansit.

Cęca puella videt.

De quadam à dæmonio muto liberata. *Cap. 6.*

EOdem ferè tempore quædam puella ad memoratam ecclesiam perducta est, quæ à dæmonio inuasa, & sensum simul perdidit, & loquelā. Quæ vbì limen basilicæ tetigit, statìm ab ea spiritus immundus abscessit. Ità post eius discessionem linguæ quoquè officio reddito, muta locuta est. Et quia tempore vexationis vix aliquid cibi percepit, primò quidem famem se pati dixit: deindè qualiter illuc aduenerit, percontari cœpit. Cui cùm mater miserabilem vexationem ipsius ex ordine retulisset, prostrata ante sepulcrum sancti Ludgeri, Saluatori omnium Christo gratias egit, qui ipsam per serui sui meritum de tam crudeli peste liberare dignatus esset. Et accepta pro actis suis pœnitentia, domnm incolumis repedauit.

Dæmoniaca muta liberatur à dæmone, & loquitur.

De paralytico curato. *Cap. 7.*

IVuenis quidam, Heliduuini nomine, paralysin incurrit. Qui cùm multis diebus omnium membrorū officio destitutus, in lecto decubuisset, nō solùm brachium dextrum, morbo per momenta ingrauescente, incuruatum obriguit, sed & sinistra ei tibia contracta, femori adhæsit: cætera, vt diximus, mēbra omninò immobilia, ad doloris potiùs augmentum, quàm ad aliquē vsum, licèt non contracta, habebat. Vndè & cum ingenti dolore foràs, cùm opùs erat, efferri solebat. Linguam solam, cætero corpore præmortuo, vtcunquè adhuc mouere valebat. Proindè cùm diù hac molestia laboraret, quadam die sororē suam, quæ præ cæteris eius compatiebatur dolori, allocutus est, dicens: Audiui de sancto Ludgero, quantas per illū Dominus infirmantibus sanitates præstare dignatur in loco, vbi sancta eius membra tumulata quiescunt. Quocircà peto, vt me foràs efferri, & contra viam, quæ illuc ducit, facias poni, vt me voueam illi seruiturum, si fortè eius meritis mihi Dominus sanitatē donare dignatus fuerit. Quod cùm factum esset, in ipsa statìm nocte, præstante diuina clementia, & dolor, quem habebat, conquieuit, & præter tibiam sinistrā, quæ, vt erat, contracta permansit, omnia ei corporis officia restituta sunt. Vndè cùm peracta gratiarum actione indubitatam de perfecta sua saluatione spem concepisset, rogauit dominum suū corporalem, vt ad memoratum beati confessoris Christi sepulcrum se perduci iuberet.

Votū vouet paralyticus, & dolor abcedit.

Quod

Quod cùm ille fieri probauisset, & tamen ei aliquod adiumentum, vt fieret, facere distulisset, is, quem necessitas vrgebat, baculo debilem tibiam sustentante, ad locum prænominatum peruenit. Erat hoc quinque diebus ante annuā S. Ludgeri solennitatem. Cumque ipsam ibi expectâsset, & in ea porticu, quæ est ante basilicæ ianuam, & sancti sacerdotis ambit sepulcrum, ipsa nocte membra sopori dedisset, beatus ei Confessor, magno lumine atque clericorum obsequio comitatus, per visum apparuit, & membra illius tangens, abscessit, in sopore ipso relicto. Post cuius discessionem dum mox signa ad nocturnas vigilias sonarent, & his ipse expergefactus esset, sanus surrexit, & oblitus baculi priorisque molestiæ & debilitatis, vnà cum alijs lætus & incolumis templum intrauit. Oratione autē expleta, recensuit vniuersa, quæ erga se diuinitùs per sancti Confessoris meritū gesta fuerunt. Proindè peracta operis diuini celebratione egressus, baculum suum in ingressu eiusdē basilicæ, in loco, vbi sanatus fuerat, pro signo & memoria suæ saluationis infixit. Nec immemor suæ sponsionis, precio se à temporali suo domino redemit, & votum seruitutis impleuit. *Sanatur ex toto.*

De eius annua solennitate quid diuinitùs indicatum sit. *Cap.* 8.

VErùm quia ad hunc semel locum deuoluti sumus, & de annua eius festiuitate mentionē fecimus, quid de ea ferianda diuinitùs sit ostensum, breuiter euoluemus. Dindo, de quo suprà locuti sumus, magnum ad sanctum Ludgerum amorem, miram circa nostrum locum reuerentiā habebat. Vndè annis singulis ad nostrum monasterium venire, & beati viri memoriam frequentare, & aliquot diebus cum nostris manere consueuit. Sed nè crebrior eius accessus fratres grauaret, suos cum annona homines, qui suis suorumque vsibus necessaria pararent, præmittere solebat. Quod dum quodam etiam tempore secundùm suam fecisset consuetudinem, contigit natalitium sancti confessoris Christi diem superuenire. Et quia hoc in primis dormitionis eius annis erat, necdùm sacrosancta eius solennitas feriabatur. Proindè cùm die eodem illi, quos ad hæc præmissos esse diximus, ceruisiæ parandæ instarent, ligna, quæ in ignem missa fuerant, instàr stipularū in momento consumpta sunt. Deferebantur alia post alia, sed igni immissa, durare aliquandiù nequibant. Iam propè erat, vt se sine effectu laborare videntes, labori succumbere & opus intermittere cogerentur. Perstabant tamen, donèc ceruisiæ vtcunquè cocta confectio, in alia esset vasa transponenda. Cumque ad hoc ventū esset, vt in vase ad hoc parato aqua superspargi deberet, primò quidē omninò nihil decurrere quiuit. Deindè cùm iam nō manu, vt assolet, sed situlis aqua superfunderetur, raris stillis parùm aliquid stillare cœpit. Hoc quoquè ipsum, quod ità collectum est, gustu amarū & omninò ad nihil vtile foràs eiectum est. Ità euidenti indicio claruit, hunc decæterò à nostris diem esse feriandum. *Nota miri quiddam.*

Item de ferianda eius solennitate aliud miraculum. *Cap.* 9.

ALiud nihilominùs super eadem re miraculum diuinitùs factum est. Siquidem cùm annua reuolutione natalis eius celebritas superueniret, nec sine episcopi iussu, ad cuius diœcesim noster locus pertinebat, feriatio pręcipi posset, fratribus nostris visum est, vt cum nostris hominibus feriaretur, cæteris suo arbitrio, vtrùm facere an dimittere vellent, derelictis. Proindè cū plurimi ex vicinis, nostrorum exemplum secuti, feriandum putarent, nonnullis opus suū intermittere indignum videbatur. Et quia vernum tempus erat, & arandi opera instabant, iunctis bubus ad arandum processerunt. Cumque iam operi insisterent, ferrum, quo arari debuerat, singulis confractum est. Quod dum singuli alijs, quasi sibi solis accidisset, retulissent, non casu, sed diuina voluntate ob sancti diei violationem hoc gestum fuisse, generali omnium claruit damno. Erat tamen quidam Benno inter eos, qui mente obstinata adhuc operi insistendum putaret. Qui cùm, aratro vtcunquè emendato, crebris stimulis boues ad arandum impelleret, illi insania efferati, disruptis loris & iugis cum aratro abiectis, syluas petiêrunt. Nec omninò antè capi potuêre, quàm ipse cum reliquis ad sancti Ludgeri memoriam veniens, suæ temeritatis & contemptûs culpam coram fratribus confessus esset, & eorum pro se orationem supplex impetrâsset.

Multa alia liber hic secūdus sancti viri habet miracula, quæ, nè opus excrescat in immensum, omisimus. Tandèm ità concludunt historiæ huius authores:

Hæc sanctus & verè beatus Confessor Christi Ludgerus de inexhausto illo veræ salutis fonte percipiens, per corporum curam ad animarum nos salutē quærendam inuitat: quatenùs vtrobiquè eius patrocinio adiuti, vtrobiquè saluati, peruenire quando-

què ad æternæ beatitudinis emolumenta mereamur: præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est cum patre & sancto spiritu gloria coæqualis, essentia consubstantialis, virtus & honor, laus & iubilatio, nunc & perpetim per infinitas omnium seculorum æternitates, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ISAACII, QVI FVIT VIR DEI, VITA: AVTHORE SIMEONE *Metaphraste.*

27.Martij.



OST venerandæ & immaculatæ ac preciosæ Crucis Domini nostri Iesu Christi inuētionem, post imperium Constantini Magni Imperatoris, callidus & vafer ac versipellis serpens, qui semper piorum hominum generi inimicus & inuidus atque maleuolus aduersatur, & fidem Saluatoris nostri Iesu Christi semper impugnat, tale quiddam in Dei Ecclesias machinatus est. Regnante enim impio & iniquo Imperatore Valente, magnus aduersùs orthodoxam fidem impetus factus est. Nam ipse Arrianorum hæresis studiosus ac defensor, iussit vt sanctæ fidelium Ecclesiæ clauderentur: vetuitque, nè solita in ipsis sacrificia fierēt: quinetiam alias earum diruendas, alias in stabula redigendas curauit. Atque hæc quidem superbia diù viguit. Quo sanè tempore magnus erat luctus & dolor seruorū Dei. Precabantur autem nocte ac die, vt Dominus Deus ad misericordiam moueretur, & iustitiam exerceret. Sic igitur tunc agebatur, vt olim sub Herode rege pro Apostolorum principe actum est.

Persecutio Valentis.

Nota & cōfer cum nostra ætate.

Actor.12.

Deus ergò aliquot annis interiectis, cuiusdam serui sui monachi, qui Isaacius vocabatur, spiritum, vt pro Susanna quondàm Danielem, excitauit. Qui vt Elias propheta, cùm angelicam vitam instituisset, ab Oriente profectus est. Eius autem oratio lucernæ instàr ardebat. Diuinus enim spiritus & gratia cælestis in ipso quiescebat. Hic cùm Imperatorem iniquè se gerere perspiceret, vehementer dolebat & angebatur, orabatque Dominum, vt è sublimibus & sanctis sedibus suis despiceret, & misericordiam suam demonstraret. Audiuit eum Deus, quemadmodùm Mosem aduersùs Pharaonē, & contra Imperatorem hostium impetum concitauit. Eo enim tempore Barbari apud Danubium congregati, copias suas contraxerant, & bellum aduersùs Imperatorem mouebant, ac totis viribus in vrbem ingredi conabantur. Magnus igitur tumultus exortus est, & multa præda agebatur. Coëgit & Imperator exercitum suum, & in hostem expeditionem parabat. Verùm idem illi accidit, quod Sauli Dauidis inimico contigerat. Neque enim reuersus est. Nam Samuelis prophetia in ipso quoquè expleta est, quòd Deum ad iracundiam incitâsset.

Dan.13

1.Reg 31.
1.Reg.28.

Cùm igitur ad bellū proficisceretur Imperator, occurrit ei beatus Isaacius, & sic illum est allocutus: Imperator, orthodoxorum Ecclesias aperi, & Deus iter tuum fortunabit. At ille viro sancto ne respondere quidem dignatus est: sed eo, vt stulto, relicto, discessit. Alio die vir sanctus Imperatorem rursùm assecutus: Aperi, inquit, Imperator Ecclesias orthodoxorum, & bellum prosperè conficies, ac victor reuertéris in pace. Imperator seipsum colligens, & cogitans, quid sibi vellent ea verba, Reuertéris in pace, voluit ei Ecclesias liberas dimittere. Coactoque cōsilio, de patefaciendis orthodoxorum Ecclesijs consultabat. Verùm qui eo tempore Præfectus erat, cùm esset ex impio Arrianorum grege, persuasit Imperatori, nè beatum Isaacium audiret, sed contumelia affectum afflictumque dimitteret. Quibus verbis adductus Imperator, virū pium contempsit. Sed ille iustum Dei iudicium expectabat.

Paucis autem diebus interiectis, Imperatorem proficiscentem rursùm assequitur, arreptoque equi ipsius freno cœpit eum tum repræhēdere, tum adhortari, vt sibi concederet, quod postulabat. Sed ipse noluit. Erant autem prope viam spinæ cum paliuris adeò densis & asperis, vt quoduis animal introîsset, non posset sese indè viuum expedire. Hunc Imperator locum tanquàm laqueum conspicatus, iussit, vt virum sanctum illuc conijcerent, quò interiret. Verùm cùm in spinas coniectus esset, ità molliter iacebat, vt si in lectulo conquiesceret, nec vllo modo læsus est. Cumque Imperator cum exercitu discessisset, accesserunt tres viri candidis vestimentis induti, quos vir beatus

Valēs iubet Isaacium in spinas iactari.

non

non agnoscebat, & eum incolumem extraxerunt, seque ab eius oculis subduxerunt, vt non posset intelligere, quinam essent. Sed cùm in se reuersus fuisset, cognouit esse angelos Dei: & flexis genibus, gratias egit Domino, cui curæ sunt ij, qui timent eum. Cumque diù precationibus incubuisset, & Deum laudâsset, surrexit: & spiritu sancto corroboratus, per aliam viam occurrit Imperatori, & constitit in eius conspectu. At Imperator eum adspiciens, admiratus est, & viri sancti præsentia sic obstupuit, vt loqui non posset. Ipse verò cum fiducia: Tu quidem me, inquit, interiturum in spinis existimâsti, verùm me Deus per angelos suos viuum seruauit. Quamobrèm audi me, Imperator, & aperi Ecclesias orthodoxorum, & aduersarios superabis, & cum laude & gloria reuerteris. Imperator, etsi libertatem & vultum hominis admirabatur, non tamen paruit. Erat enim cor eius excæcatum & alienum à Deo. Sed duobus Senatoribus Saturnino & Victori virum sanctum tradidit: Hunc mihi, inquiens, custodiendum curate, donèc reuertar in pace: & tunc eius arrogantiam meritis pœnis afficiam. At sanctus Isaacius Spiritu sancto plenus, vt olim aduersùs Achab regem Israël Michæas Propheta, ità respondit: Si reuersus in pace fueris, scito in me non locutum esse Dominum Deum. Tu quidem manum conseres, sed non poteris hostibus resistere, & ab eorum conspectu fugies. Demùm capieris, & viuus igne conflagrabis. 3.Reg.22.

Tradito igitur viro sancto custodibus, discessit Imperator, verbis eius commotus ac perturbatus. Et cùm esset bellum initurus, in oppidum quoddam Danubio propinquum ingressus, exercitum lustrauit, diemque prælio dixit. Cumque paucis diebus quieuisset, signa contulit atque conflixit. Sed quemadmodùm vir sanctus prædixerat, hostium impetum sustinere non potuit. Itaque se fugæ commisit, & in agrum, in quo stabulum erat palearum plenum, peruenit, ibique cum Præfecto, per quem corruptus fuerat, se abscondit. Barbari verò, qui sequebantur, cùm illic eum latitare comperissent, igne circuniecto stabulum incenderunt. Atque ità miser combustus, spiritum reddidit. Totus autem eius exercitus Thessalonicam se contulit, & Gratianum Imperatorem Romanum expectauit. Qui cùm ad eum, Deo fauente, peruenisset, alterum eis Imperatorem, nomine Theodosium, virum fidelem gloriosumque, & orthodoxæ fidei studiosissimum constituit. Atque ità Romam Gratianus reuersus est. Milites autem, suscepto Imperatore Theodosio, læti cum ipso Constantinopolim profecti sunt. Saturninus verò & Victor, quibus sanctus Isaacius custodiendus traditus fuerat, ad Imperatorem salutandum accesserunt: petierûntq; à viro sancto, vt pro se Deum precaretur. Colebant enim eum, vtì prophetam, quoniam quæcunq; Imperatori futura prædixerat, euenissent. Valēs viuus ignibus cōcrematur.

Duxerunt autem eum in ciuitatem, & inter se contendebant, vter ipsorum viro sancto domum ædificaret. At ipse, cognita eorum contentione: Audite, inquit, me serui Christi, nolite contendere: mihi gratum est studium vestrum: Sed quia vobis cordi est, vt humilitati meæ perfugium paretis, quid vobis faciendum sit, dicam. Si quis anteuerterit, vt mihi domum ædificet, illic habitabo omnibus diebus vitæ meæ. Ipsi autem, audito sancto viro, certatìm domum cœperunt extruere. Ac Saturninus quidem, cùm locum extra portam, quæ Collarida dicitur, possideret, illic ædificabat. Victor autem, in palatij loco, qui Arenosus appellatur, domum construebat. Cùm igitur ambo, beati viri nomine ædificium molirentur, Saturninus adhibita diligentia, ità volente Deo, domicilium ex duplici constans contignatione perfecit: & virum beatum adiens: Eccè, inquit, serue Dei, habitaculum tibi construxi. Veni igitur, atque ibì habita. Accessit vir sanctus, atque illic in nomine Dei nostri permansit. Victor autem magno ambitu domiciliū cùm extruxisset, venit & vidit se à Saturnino fuisse superatum. Itaque magno affectus dolore, supplex ad sancti viri se pedes prostrauit: Oro te, inquiens, pater, vt meum quoquè locum accipias, & in eo commoreris, quandò cum nomine tuo ædificandum curaui. Cumque multis verbis obsecrâsset, respondit ei iustus Isaacius: Fili, inquiens, quo in loco voluit me Deus habitare, in eo quiescam, donèc vitæ meæ finis aduenerit. Et benedixit ei, atque dimisit. In domicilio igitur suo lætus commorabatur. En quanto in precio habetur vir sanctus.

Saturninus autem & Victor frequenter eum inuisebant, ducebantque secum & alios amicos, & ea, quæ subleuandis pauperibus sunt necessaria, subministrabāt. Domum etiam vterque suam illum vocabant, vt eis Dominus in eius ingressu & exitu benediceret. Quòd si contingebat, vt, eo seriùs egrediente, portæ ciuitatis essent clausæ, consistebat & orabat, factoque Crucis signo, sponte sua portæ aperiebantur, atque ità Signo Crucis portas aperit.

exibat, gratias agens Deo. Saturninus autem cùm eum vehementer diligeret, attulit ei tabulas totius loci, vt proprius esset ipsius mansionis. Noctes igitur & dies assiduas Deo preces offerebat: nec vnquàm cessabat pauperibus eleemosynas distribuere. Quòd si vsu veniret, vt aliquis ab eo pauper in via peteret eleemosynam, statim exuebat pallium suum, & pauperi dabat. Omni autem tempore vitæ suæ grauitatem seruauit, spiritu feruens, vt ait Apostolus, Domino seruiens, spe gaudens, in tribulatione patiens, orationi instans, necessitatibus sanctorum communicans, omnibus benedicens, maledicens nemini, angelorum imitans vitam, vestigia sequens Apostolica, tum zelo, tum sacrificio, tum desiderio Christi, omnem mansuetudinem erga omnes homines præ se ferens, Dei virtutibus ornatus, minimè pugnax, ab omni maleuolentia & malitia alienus, pacem & quietem quærens, aduersarios monens & cohortans, vt confiterentur & adorarent sanctissimam Trinitatem, in quo consistit hominum salus, vtque cælestem angelorum ordinem, & diuinam vitam imitarentur. Prouectus autem ad senectutem bonam, ad quam Abraham in terra promissionis, ad communem vitæ finem properauit.

Rom. 12. *Virtutes sancti viri.*

Quodam igitur die conuocatis omnibus fratribus, longo eos sermone instituit, & cohortatus est, vt stabiles ac firmi in fide permanerent, & procùl ab omni repræhensione Dei mandatis obtemperarent: atque ità illos Christo clementissimo commendauit, & virum fidelem atque constantem, ac disciplinæ suæ studiosum elegit, quem illis præficeret: & Deum precatus, eos dimisit. Cùm autem venisset hora, vt è corpore ad Deum migraret, in pace spiritum suum sanctis angelis tradidit. Magnus verò inter fratres clamor & luctus exortus est, qui cum lachrymis dicebant: Pater, sis memor nostrì. Et curantes eum, pro dignitate extulerunt. Ciues autem vniuersi ad obitum eius concurrerant, & ad tumulum vsque sunt eum comitati, & sanctas eius ac preciosas reliquias in æde sancti Stephani protomartyris, in sacro altari collocârunt. Ac cæteri quidem ad sua quisque loca reuersi sunt: fratres verò ad mansionem ipsius, Deum collaudantes, redièrunt. Migrauit ad Dominũ sanctus pater noster Isaacius VI. Calend. Aprilis, & assiduè pro nobis apud Saluatorem Christum intercedit, fiducia vtens apud Deum & Patrem: Cui gloria & imperium & adoratio & laus debetur, cum vnigenito eius filio, & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Animam efflat. *Sanctæ & preciosæ eius reliquiæ.*

DE NOVEM MARTYRIBVS, in Perside passis 27. Martij, vide infrà in SS. Ionæ & Barachisij martyrio die 29. Martij.

VITA S. RVPERTI PRIMO VANGIONVM DEINDE SALISBVRGENSIS EPISCOPI, FIDELITER

conscripta, sed in gratiam lectoris per F. Laurentium Surium reddita ferè paraphrasticôs.

27. Martij.



CVM rex Childebertus apud Francos regnaret, anno secundo regni eius, sanctissimus Christi Confessor Rupertus apud Vangiones episcopi fungebatur officio. Is genus suum ad reges Francorum referens, tantam carnis nobilitatem & præstantiam fide & pietate in Deum eximia mirificè illustrauit. Cuius si quis virtutes compendiò nôsse velit, erat multa animi mansuetudine, integra corporis pudicitia & castitate, cum columbina simplicitate serpentis obtinens prudentiam, in laudibus Dei deuotus, consilio prouidus, in ferendis sententijs iustus, plenus sancto spiritu, à dextris & à sinistris præclarè virtutum armis munitus, gregi suo optimè viuendi seipsum formam exhibens, quod sermone docuit, vita & factis declarans: corpus assiduis vigilijs perpetuisque ieiunijs macerans, operum misericordiæ valdè studiosus, adeoque largus & benignus in inopes, vt dum illos foueret beneficijs, seipsum ad inopiam redigeret, atque hoc solùm suum esse putaret, quod in miseros & egenos contulisset.

Catalogus virtutum S. Ruperti.

Fama

Fama autem sanctitatis eius non modò per vrbes, sed etiam per regiones vulgata, permulti ad eum illustres confluxêre viri, non solùm è vicinis, sed etiam longinquis populis, vt eius sanctissima doctrina imbuerentur, & catholicæ religionis ex illo puram cognoscerent veritatem, vel certè etiam ab eius sacro ore in rebus duris & asperis salutarem haurient consolationem. Et multi sanè illius opera ab hostis antiqui laqueis sunt extracti, & in viam salutis æternæ perducti: porrò homines impij & hæretici, qui tum non pauci apud Vangiones visebantur, virum sanctum non ferentes, multis eum supplicijs affectum & virgis ignominiosè cæsum, ab oppido cum magna iniuria expulerunt. Sunt qui scribant Beringerum regium comitem, quem alij Berchariùm vocant, viro Dei succensum, eum ità inhumaniter tractâsse, maximè quòd is Beringerus Arrianis faueret. Verùm hac occasione maiora pietatis lucra sancto viro accesserunt. Nam per id tempus Theodo, Bauarorum Dux inclytus, audiens famam hominis Dei, itemque sanctitatem & miracula, quæ per eum Dominus efficiebat, magno eius videndi desiderio accensus, misit quosdam ex viris primarijs, qui eum obnixè precarentur, vt Bauarorum regiones dignaretur inuisere, & eis sanctæ fidei viam explicare. Vt autem vir sanctus legatorum tum præstantiam tum preces didicit, non ignorans diuinæ prouidentiæ moderatione isthuc geri negocium, gratias egit præpotenti Deo, quòd sedentibus in tenebris & vmbra mortis verum vitæ lumen Christum Iesum filium suum impertire percuperet. Itaque cum legatis illis quosdam ex presbyteris suis ad Ducem præmisit, nec multo interiecto temporis spatio, ipse eos subsecutus est. Quod vbi ad Ducis notitiam perlatum est, ingenti ille perfusus gaudio, cum proceribus suis processit obuiàm sancto viro, & in oppido Ratisponensi eum summa alacritate excepit.

Multi ad eum confluunt.

Cæsus virgis, Vuormatia eijcitur.

Theodo Dux Bauariæ.

Porrò sanctus Rupertus indictis ieiunijs, de cælestibus mysterijs Ducem instituit, & in vera fide confirmauit, effecitque vt dæmonum cultui prorsùs renunciaret, & postremò in nomine sacrosanctæ Trinitatis baptizauit: neque illum duntaxàt, sed cum illo pariter viros primarios & non exiguam populi multitudinem, nobiles simul & ignobiles: qui omnes laudabant mundi redemptorem, qui ipsos de tenebris in admirabile lumen suum vocare dignatus esset. O verè beatum pontificem, per cuius sermones illuminata sunt peccatorum tenebris obnubilata pectora, & arentia infidelium corda, vitæ fontem sitiêrunt. Iam verò vndis salutaribus abluto Duce simul ac populo, eiusdem principis permotus precibus sanctus Rupertus, conscensa naui per Danubium descendens, vicis & castellis Euangelium Christi libera voce prædicauit, atque ità per Noricos proficiscens, in inferiorem vsque Pannoniam peruénit, lumen fidei, ipse lucerna illustris & super candelabrum posita, passìm omnibus inferens. Indè verò iam pedestri itinere reuertens, Laureacum venit, vbì multos à dæmonum cultu abstractos baptizauit, complures etiam, varijs oppressos morbos, in Christi nomine sanitati restituit.

Theodo Dux baptizatur cum multis.

Laureacum

Indè Laureaco digressus, vbicunquè ethnicismum magìs feruere cognouit, eò intrepidus accessit, dissipans idola, & accuratè omnibus exponens Christi Iesu Domini nostri diuinitatem pariter & humanitatem siue incarnationem, vt vnus idemque Deus verus & homo verus esse crederetur, ante Luciferum à patre Deo verus Deus genitus, in fine seculorum humanæ salutis causâ ex virgine matre verus homo natus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cùm autem ad preces Ducis Theodonis & populi, vir Dei locum deligere vellet, vbì sedes episcopi constitueretur, ad lacum Vuallersee, quem textus historiæ huius lacum Vualarij vocat, ædem pontificiam primò extruxit, atque in honorem beatissimi Apostolorum principis Petri templum ædificauit & dedicauit ad Iuuarium fluuium, vbì olìm Iuuauum vrbs fuit, quæ priscis temporibus extructa mirabiliter, inter Baioaricas vrbes clarissima eminebat, sed tum destructa, raro iam habitata ciue, penè collapsa & virgultis operta videbatur. Cernens autem vir Dei locum illum non importunum esse cathedræ pontificiæ, quippe inter montosa loca situm & ab vulgi strepitu remotum, eum sibi à Duce Theodone dari petijt, & summo studio instaurauit, & sancti Petri ecclesiam, quam ædificârat, clericorum ministerijs & rebus necessarijs, liberalitate fretus eiusdem principis, magnificè instruxit & auxit.

Psal. 109.

Iohan. 1.

Iuuauiū instaurat S. Rupertus.

Hac ferè tempestate quidam viri boni sancto antistiti non sine multa admiratione retulerunt, in ea eremo, quæ tunc quidem certum non habuit vocabulum, nunc autem Bonguoni dicitur, cælestia quædam ardentium lucernarum terque quaterque

se conspexisse prodigia, & odores eximiæ suauitatis hausisse. Cùm autem his auditis cuncti obstupescerent, sanctus episcopus Domingum, venerabilem presbyterum suum, eò misit, rei huius veritatem accuratè exploraturum: addiditque illi crucem ligneam quam sua manu benedixerat, iubens vt eam illo in loco statueret. Itaque Domingus vbi eò peruenit, in ipsis noctis initijs cum religiosis, qui ei aderant, viris cælitùs descendere vidit luculentas lucernas, totamque illam regionem instàr solaris radij illustrare. Hanc autem visionem, cum admirabili odoris suauitate coniūctam, tribus continuis vidit noctibus: moxque in eodem loco sacratam defixit crucem, extructoque super illam tuguriolo, ad sanctum Rupertum regressus est. Cui cùm rem totam exposuisset, ille, communicato cum principe Theodone consilio, ad eremum illam profectus est, cernensque locum posse humanæ habitationi accommodari, cœpit annosas extirpare quercus, & densam syluam in campi planitiem redigere, templumque cum seruorum Dei domicilijs siue habitaculis exædificare.

Crux lignea, à S. Ruperto benedicta.

Monasterium in eremo.

Per id tempus Theodo princeps aduersa correptus valetudine, cùm sibi propè adesse sentiret supremum vitæ tempus, vocauit ad se * Theodebertum filium suum, cumque Ducem Noricorum constituens, præcepit vt sancto Ruperto obsequentem & morigerum se præberet, atque ad propagandum Christianismum & opus diuinum sedulò illum adiutaret, sanctumque locum Iuuauensis ecclesiæ amaret, & honoribus ac dignitatibus perpetuò eueheret. Cumque hæc mandata dedisset filio, diem clausit extremum. Eo defuncto, Theodebertus cum proceribus suis abijt ad sanctum Rupertum, visendi eius gratia: Morabatur is tum in ea, quam diximus, eremo. Vbì autem ad eum peruénit Dux, & illum & locum, in quo degebat, pio venerabatur affectu, contulitque ecclesiæ, quam sanctus Rupertus illic construxerat, & præsente Duce in honorem S. Maximiliani dedicauit, syluæ illius tria in circumitu milliaria, atque insupèr villam Albinam cum cæteris, vt indè sustentarentur monachi, quos sanctus episcopus Deo seruituros illic congregauerat.

* Theopertum

Theodo moritur.

Post hæc videns vir Dei Bauaricam gentem Christianæ quidem religioni colla submisisse, at interim tamen superesse non paucos ethnicismi erroribus & tenebris implicatos, ad patriam profectus est: assumptisque indè duodecim egregijs socijs, qui ei in docendis populis suam nauarent operam, Iuuauium reuersus est. In ijs autem duodecim, eximij erant Cunibaldus & Gisilarius presbyteri, viri multa sanctitate conspicui. Adduxit verò secum etiam Erentrudam neptem suam, & cùm in superiori Iuuauiensis vrbis castello in honorem Domini nostri Iesu Christi & sanctissimæ matris eius Mariæ monasterium extruxisset, multas illic collegit sacras virgines, ijsque præfecit ipsam Erentrudam, vt cælesti regi & sponso Christo famularentur: porro ad preces * Theoperti principis, qui illi monasterio plurimas attribuit possessiones, illarum virginum conuersationem per omnia rectissimè instituit.

S. Erentruda neptis S. Ruperti.

* Theodeberti

His ità gestis, cogitabat vir beatus susceptum verbi & sanctæ prædicationis ministerium, diuinæ gratiæ subnixus ope, accuratè prosequi. Itaque Iuuauio egressus, Noricos populos, adiunctis sibi socijs, peragrauit, & quibus needùm fidei lumen ortum didicit, eis Christum diligenter annunciauit, profligatisque ab eorum pectoribus teterrimi dæmonis imposturis & fraudibus, ijs instillauit fidem, castitatem, humilitatem, misericordiam, quibus Christus, omnium bonorum largitor & fons, delectatus hospitibus, libenter earum mentium ingreditur domicilia, quas ijs præditas animaduertit. Cumque hunc in modum Baioariorum fines vir beatus circumiret, & omnes ad sacram Christi religionem traduxisset, hortabatur vt in fide constantes permanerent: relictisque apud eos presbyteris, qui populum ad diuina mysteria consuefacerent, Iuuauium se recepit, ex diuina reuelatione non ignorans propediem instare diem obitûs sui, quem etiam discipulis suis indicauit. Quorum sanè animos tam triste nuncium non immeritò consternauit, quòd non se duntaxàt, sed etiam tam multos, Christiana religione nupèr admodùm initiatos, tanto viderent pastore destitui. At ille multa in Christum fiducia erectus, Iuuauium & Noricos populos præpotenti Deo commisit, Vitalemque, virum sanctum atque omni plebi pergratum, sibi petijt fieri successorem. Deindè cùm dies Quadragesimalis obseruantiæ (sic enim loquitur author huius historiæ) agerentur, febrium ardoribus vir sanctus defatigari cœpit. Porrò illucescente Christi resurrectionis sacratissimo die, Missarū solennia celebrauit, & sumpto sacrosancto corporis & sanguinis Christi viatico, post dulces paternæ pietatis adhortationes, & extrema benignissimæ charitatis alloquia, quibus discipulorum ani-

Dies Quadragesimalis obseruātiæ.

animos confirmabat, inter sanctas illorum miserè plorantiū manus emisit spiritum. Eccè autem dum lugent discipuli, coetus angelici à quibusdam audiuntur religiosis viris, cum canticis cælestibus animam sancti viri ad illam beatam Hierusalem perferentes. Cumque eius sacratissimum corpus ad sepulcrum apportaretur, visi sunt viri splendidissimi, candidissimis amicti stolis: qui peractis ijs, quæ ad funeris curam pertinent, disparuerunt: quos quidem nemo dubitauit angelos fuisse, atque idcircò apparuisse, vt omnes intelligerent, qua ille beatitudine frueretur in cælis, ad cuius sepulturam etiam angeli non dedignarentur adesse. Obit S. Rupertus.

O felicem Iuuauiensem vrbem, tam insigni munitam patrono: quæ etsi murorum ruinis videatur despicabilis, at illius meritorum lumine egregiè clarescit. Deniquè tanti viri intercessione fulti gaudent Norici omnes, & præpotenti Deo perpetuas offerunt laudes, qui tam præclarum ipsis contulerit doctorem, cuius doctrina & prædicatione viam veritatis agnoscentes, erepti sint de tenebris, & perducti ad Christum lumen verum, viuentem & regnantem in infinita secula seculorum, Amen. S. Rupertus doctor Noricorum.

DE SS. MARTYRIBVS PRISCO, MALCHO ET ALEXANDRO, EX HISTOR. ECCLESIAST. EVSEbij lib. 7. cap. 11. *interprete Ioanne Christophorsono.*

IN hac persecutionis clade, quam regnante Valeriano passìm manâsse suprà demonstratum est, tres viri ob veram Christi confessionem insigniter prædicati, Cæsareæ Palæstinæ bestiarum rictibus velut præda obiectati, diuino & cælesti martyrio non sine maxima commendatione decorati fuerunt. Quorum vnus Priscus vocabatur, alter Malchus: tertio nomen erat Alexander. Fertur verò istos ruri degentes, primùm seipsos tãquàm inertes & desides probris affecisse, quòd cùm temporis opportunitas præmium vitæ æternæ his, qui cælesti eius desiderio gliscebant, dispertire videretur, ipsi præ negligentia quadam & segnitie, martyrij coronam non præripuissent. Deindè cùm inter se ità deliberâssent, absque mora Cæsaream versùs ire pergunt, extemplò proficiscuntur ad iudicem, & eius vitæ exitum, qui suprà demonstratus est, assequuntur. 28. Martij. Martyres bestijs obijciuntur.

DE GVNTRAMNO sancto rege Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum, cap. 76. sic scribit: Cùm autem Guntramnus rex ità se spiritualibus actionibus mancipâsset, vt relictis seculi pompis, thesauros suos ecclesijs & pauperibus erogaret, accidit vt misso presbytero munera fratribus, qui Sanctis Agaunensibus deseruiunt, ex voto transmitteret: præcipiens presbytero, vt ad eum rediens, Sanctorum sibi reliquias exhiberet. Eodem die.

MARCI ARETHVSII EPISCOPI ILLVSTRE MARTYRIVM, AVTHORE D. GREGORIO NAZIANZENO ORATIone *inuectiua prima in Iulianum Imperatorem: interprete verò doctissimo viro Iacobo Billio Prunæo, S. Michaëlis in Eremo Abbate. Habent autem pleraque etiam Theodoretus Histor. Eccles. lib. 3. cap. 6. & Sozomenus eiusdem historiæ lib. 5. cap. 19. in versione Iohannis Christophorsoni Angliæ Episcopi.*

IAM verò id, quod eximio viro Marco Arethusio accidit, quis tam ab orbe nostro remotus, vt ignoret, ac commemorantem narratione non anteuertat? Hic cùm, egregio illo Constantio Imperante, pro ea licentia quæ tum Christianis concessa fuerat, domicilium quoddam dæmonum euertisset, ac multos Christianos à gentili errore ad salutem non minùs vitæ splendore, quàm dicendi facultate traduxisset, iampridèm odio atque indignationi Arethusijs erat, vel potiùs Arethusiorum impijssimo cuique dæmonumq; amantissimo. Posteaquàm autem, mutatis Christianorum rebus, gentilium res tumere cœperunt, temporis poten- 29. Martij. De Iuliani Apostatæ Imperio dicit.

potentiam & tyrannidem non effugit. Multitudo quippe, etiamsi in præsens iras cupiditatesque suas coërceat, (quemadmodùm ignis in materia latitans, aut amnis violenter inhibitus) occasionem nacta, succendi atque erumpere consueuit. Quocircà cùm populum aduersùm se incitatum, nec moderati quicquam vel cogitantem vel comminantem cerneret, primùm consciscendæ fugæ consilium init, non tam ignauia fractus, Matth.10. quàm præcepto illo permotus, quo è ciuitate in ciuitatem fugere & persecutoribus cedere iubemur. Neque enim Christianos, quantunuis fortes ac singulari tolerantia præditos, suæ tantùm salutis rationem habere oportet: sed persecutoribus quoq; consulere, vt nè, quantùm in ipsis est, ad hostile periculum ex seipsis aliquid conferant. At postquàm multos propter se duci atque abstrahi, multos etiam propter persequentium crudelitatem in animæ periculo versari intellexisset, non sustinuit vir eximius alios ob suam fugam cautionemque periclitantes negligere: ac proindè præstantissimum Vltrò se offert ad supplicia vir sanctus. maximeque philosophicum consilium capit. Ex fuga enim redit, seseque vltrò plebis arbitrio tradit, atque aduersùs temporis difficultatem instruitur. Hîc verò quid acerbitatis aberat? quid non etiam atrocius excogitabatur? alijs aliud quippiam ad vnius mali concentum afferentibus, nec tortoribus, si nihil aliud, at illius certè patientiam veneratione prosequentibus, immò magìs etiam excandescentibus: quòd illius reditum ac præsentiam, non tam fortitudinem aduersùs pericula, quàm contemptum suî interpretabantur.

Ducebatur sacrosanctus senex, athleta spontaneus, per mediam ciuitatem, omnibus præter persecutores & carnifices, tum ætate venerandus, tum vitæ probitate venerabilior. Ducebatur porrò ab omnibus, cuiuslibet ætatis & conditionis ac fortunæ, omnibus æquè vrgentibus, viris & mulieribus, adolescentibus & senibus, ijsque etiam, qui vel publica vrbis negocia administrabant, vel dignitate aliqua insignes erant. Atque hoc vnum certamen cunctis propositum erat, vt furoris aduersùs senem immanitate sese mutuò superarent, omnibusque pietatis pars existimabatur, quamplurimis cum cruciatibus afficere, pugilemque senem vincere, aduersùs totam ciuitatem de- Immanissima clarissimi senis supplicia. certantem. Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloacas, crinibus & quauis corporis parte (admixta nempe tormentis contumelia) ab ijs trahebatur, qui in Mithræ sacris huiusmodi supplicijs iustè diuexantur. A pueris ad pueros pendulus remittebatur, cultris pennarijs generosum illud corpus suscipientes, atque hanc tragœdiam pro ludicro habentes. Quibusdam etiam tormentorum instrumentis tibiæ illius ad ipsa vsque ossa comprimebantur: lineis filis aures abscindebantur, & quidem tenuissimis & firmissimis, ipso interìm sporta in altum sublato. Melle & iusculo vndiquè perfusus, ab apibus & vespis meridie pungebatur, ardentissimo sole lucente: atque huic quidem carnes colliquante, illis autem beatarum illarum carnium (non enim dixerim mi- Fortitudo eximia in tormentis. serarum) esum acriorem efficiente. Hîc enimuerò, vt hoc quoquè literis mandem, senex ille, idemque ad certamina iuuenis, (nam ne in tormētis quidem frontis animique lætitiam reliquerat, verùm supplicia etiam ipsa irridebat) celebratum illud & memorabile dixisse fertur, Omen illud sibi placere, quòd sublimem se perspiceret, illos contrà abiectos humique depressos. Vsqueadeò superior ijs erat, à quibus tenebatur, adeoque à doloribus & molestijs remotus, non aliter acsi alienis periculis interesset, suppliciumque suum pompam, non calamitatem, existimaret. Et quidem cui non hæc virtutis præstantia religionem & reuerentiam iniecisset, etiam mediocri lenitate atque Iuliani in Christianos sæuitia. humanitate præditorum? Sed illis hoc non licuit per tyrannidis turbinem, Imperatorisque cupiditatem, tum à populis, tum ab vrbibus & præfectis crudelitatem exposcentis, etiamsi plerisque secùs videretur, malignitatis illius & peruersitatis arcanum ignorantibus.

Hæc firmus senex & constans pertulit. Si causam quæris, vt nè nummū vnum aureum tortoribus suis proijceret. Ex quo perspicuè intelligi potest, eū pietatis causa cruciatus toleràsse. Nam quandiù Arethusij, æstimato euersi fani precio, totā auri summā petebant, aut ipsum certè delubrum instaurare iubebāt, videri poterat idcircò potiùs obsistere atque in contrarium obniti, quòd iussa exequi atque explere non posset, quàm quòd pietatis studio flagraret. Postquàm autem tolerantia sua eos paulatìm vincens, atque ex æstimatione semper aliquid detrahens, eò tandèm rem adduxit, vt perquàm exiguum esset id, quod à se postulabatur, idque persoluere facilimè posset, parique certamine inter se contenderēt: illi vt vincerent, hic nè vinceretur: hoc est, illi vt vel tantillum pecuniæ acciperēt, hic nè quid omninò numeraret: (quanuis alioqui multi essent,

qui

qui partim pietate adducti, partim inuicta & inexpugnabili eius fortitudine moti, ampliorem etiam summam erogare pararent) tum verò liquidò declaratum est, cum non pro pecunijs, sed pro pietate certamen inijsse. An verò hæc lenitatis & clementiæ argumenta, an contrà furoris & crudelitatis argumenta sint, nobis exponant, qui philosophum Imperatorem suspiciunt atque admirantur. Ipse equidem neminem fore existimo, cui iusta & vera sit defutura sententia. Needùm illud adieci, hunc ex ijs vnum fuisse, qui impurum illum & nefarium, tum cùm genus ipsius totum periclitaretur, seruârant, furtimque subduxerant: quo etiam solo nomine meritò fortasse hæc perpetiebatur, ac plura perpeti merebatur, quòd tantum malum vniuerso terrarum orbi imprudens seruâsset. Quocircà is, qui tum Præfecti munere fungebatur, his rebus commotus (quanquàm enim religione gentilis, moribus tamen gentili sublimior erat, ac præclarissimis & laudatissimis tam veteris, quàm nostræ memoriæ viris comparandus) multiplicem hominis excruciationem tolerantiamque non ferens, illud ad Imperatorem magna cum animi libertate dixisse memoratur: An non pudet nos, Imperator, vsqueadeò Christianis omnibus inferiores esse, vt ne seniculum quidem vnum superare queamus, idque per omnia tormentorum genera grassatum? & quem vincere haud magnum & honorificũ, an non extremæ calamitatis est, ab eo victos discedere? Ità ijsdem rebus, vt appáret, hinc Præfecti erubescebant, hinc Imperatores gloriabantur. His porrò quidnam miserius, non tam patientibus, quàm facientibus, contingere potuit? Atque Arethusiorum quidem facinus ad hunc modum se habuit, vt iam parua sit Echeti & Phalaridis crudelitas, si cum illorum immani sæuitia conferatur, vel eius potiùs, quo authore & impulsore hæc committebatur: siquidem seminis sunt germina, & venti naufragia. Hactenùs ex Nazianzeno. Porrò Theodoretus lib.3.cap.6.Hist.Ecclesiasticæ, ait Arethusios tandem euictos, beatum virum dimisisse, cùm eius admiratos fortitudinem & constantiam, tum mutata sententia, ad rationem vitæ penitùs contrariam traductos: siquidem ex eius ore veram pietatem posteà didicisse.

Marcus Iulianum in periculis seruat.

DE CYRILLO DIACONO ET MARTYRE, EX HISTOR. ECCLESIAST. THEODORETI *lib.3. cap.6. interprete Ioanne Christophorsono.*



QVAE maleficia hi, qui falso simulacrorum cultu tenebantur obstricti, id temporis (sub Iuliano Apostata) admiserint, quanquàm permulta sunt, & opus separatum postulant, ego tamen ex multis pauca sumam mihi ad commemorandum. Ascaloni & Gazæ, quæ sunt vrbes Palæstinæ, primùm virorum sacerdotij dignitate exornatorum, & mulierum perpetuam virginitatem professarum ventres discindunt, deindè farciunt hordeo: ad extremum eos porcis deuorandos obijciunt. Sebastæ item, quæ est vrbs ditioni gentis, de qua suprà dixi, subiecta, Ioannis Baptistæ tumulum aperiunt, ossa tradunt igni absumenda, & eorum cineres passim dispergunt. Scelus autem ab illis in Phœnicia patratum, quis est quæso, qui sine lachrymis possit commemorare? Nam Heliopoli, quæ est vrbs Libano finitima, execrabiles isti gentiles, recordati facinoris Cyrilli Diaconi, qui regnante Constantino, diuino quodam zelo accensus, multa simulacra, quæ in ea vrbe colebantur, confregerat, non modò eum interfecerunt, verumetiam dissecto ventre, iecur eius degustare non sunt veriti. Verùm Deum omnia contemplantem hoc celare nõ poterant, sed debitas sui maleficij pœnas ei dederunt. Nam quotquot illius sceleris labe inquinati sunt, primùm amiserunt dentes, qui pariter omnes ad vnum excidebant: deindè linguas perdiderunt, quæ putredine tabefactæ, ex ore effluebant: postremò oculis orbati sunt: quorum calamitatibus veræ pietatis vis clarè prædicata est.

Martij 29.

Sub Iuliano vt sæuierint gentiles in Christianos

Cyrilli Diaconi horrẽda cædes.

Vltio cælestis.

DE

DE SS. ARMOGASTE, ARCHIMINO ET SATVRO, EGREGIIS CHRISTI CONFESSORIBVS, *ex libro 1 Victoris Episcopi Vticensis De persecutione Vandalica.*

29. Martij

Habes hic parentes hæreticorũ nostri temporis.

Armogastis Comitis diri cruciatus.



ALibì, ſicut Thunazudæ contigit, Galibus vico Ammoniæ, vel alijs in locis, tempore quo ſacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes (Arriani) maximo furore corpus Chriſti & ſanguinem pauimentis ſparſerunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt. Ipſe enim Geiſericus præceperat, ità perſuadentibus epiſcopis ſuis, vt intra aulam ſuam filiorumque ſuorum non niſi Arriani per diuerſa miniſteria ponerentur. Inter alios ventum eſt tunc ad Armogaſtem noſtrum: cuius cùm diù ac ſæpiùs tibias torquendo tumentibus confringerent chordis, & frontem, in qua Chriſtus vexillum ſuæ fixerat crucis, rugatam magiſque aratam deſcendentes atque mugientes oſtenderent nerui, vt fila aranearum ſancto cęlum reſpiciente crepabant. At vbì tortores neruicas chordas diſruptas eſſe viderunt, allatis crebrò fortioribus chordis atque canabinis, illo nihil aliud niſi Chriſti nomen inuocante, illa omnia vaneſcebant. Sed & capite deorsùm dum ad vnum penderet pedem, dormire quaſi ſuper lectum plumis ſtratum omnibus videbatur. Quem cum Theodoricus regis filius, qui eius dominus erat, pœnis non valentibus, capite truncari iuſſiſſet, à ſuo prohibetur Iocundo presbytero, dicente ſibi: Poteris eum diuerſis afflictionibus interficere. Nam ſi gladio peremeris, incipient Romani martyrem prædicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam prouinciam ad fodiendas eum condemnat ſcrobes. Poſteà quaſi ad maius opprobrium haud procul Carthagine, vbi ab omnibus videretur, paſtorem eum præcepit eſſe vaccarum.

Inter hæc, Domino reuelante, cùm dormitionis ſuæ proximum cerneret diem, aduocat quendam Felicem venerabilem Chriſtianum, procuratorẽ domûs filij regis, qui Armogaſtem vt Apoſtolum venerabatur, dicitq; illi: Tempus meæ reſolutionis aduenit: obſecro te per fidem, quam vtriq; tenemus, vt ſub hac ſiliquæ arbore me ſepelire digneris, redditurus Domino noſtro niſi feceris rationem. nõ quòd ille curaret, vbi aut qualiter ſuum ſepeliretur corpus, ſed vt illud demõſtraretur, quod ſeruo ſuo reuelauerat Deus. Reſpondit Felix, & dicit: Abſit à nobis, confeſſor venerabilis: ſed ſepeliã te in vna baſilicarum cum triumpho & gratia quam mereris. Cui beatus Armogas: Non, ſed quod dixi facturus es. Ille timens Dei hominem contriſtare, veraciter quòd iuſſerat promiſit eſſe facturum. Statim intra pauciſſimos dies Comes bonæ confeſſionis de hac vita migrauit. Feſtinauit Felix ſibi delegatum ſub arbore fodere ſepulcrum: cui cùm intertextæ radices & ſoliditas aridæ telluris moram facerent, & labore angeretur, quòd tardiùs ſancti membra corporis humarentur, tandèm abſciſſis radicibus, multò altiùs terram cauans, conſpicit ſarcophagum ſplendidiſſimi marmoris præparatum, qualem fortè nullus omninò habuit regum.

Armogaſtes decedit, & in marmoreo ſarcophago mirè reperto cõditur.

Archimini conſtantia.

Sed nec quendam Archiminum nomine, Maſculinũ debeo præterire: qui cùm multis inſidijs premeretur, vt catholicã omitteret fidẽ, ipſe eum rex poſteà blandiendo affatibus ſecularibus inuitabat, promittens multis eum diuitijs cumulandum, ſi voluntati eius auditum facilem commodâſſet. Qui cùm fortis atque inuictus maneret, iubet eum ſententiam ſubire capitalem: ità tamen callidus occultè præcipiens, vt ſi in illa hora vibrantis gladij pertimeſceret ictum, magìs eum occideret, nè martyrem glorioſum feciſſet. Si autem fortem in confeſſione conſpiceret, à gladio temperaret. Sed ille vt columna immobilis Chriſto ſolidante fortis effectus, confeſſor reuertitur glorioſus. etſi martyrem inuidus hoſtis noluit facere, cõfeſſorem tamen noſtrum non valuit violare.

Vide hominem malignum.

Satur9 egregius Chriſti confeſſor.

Nouimus & alium ea tempeſtate, nomine Saturum. Qui cùm lucidum eſſet membrum Eccleſiæ Chriſti, & prauitatem Arrianorum libertate catholica frequenter argueret, (Fuit hic procurator domûs Hunerici) conuenitur, accuſanteq; Mariuado quodam Diacono, quem Hunericus infauſtus ſingulariter honorabat, vt fieret Saturus Arrianus. Promittuntur honores & diuitiæ multæ, ſi faceret: præparantur ſupplicia dira, ſi nollet: Hac optione propoſita, vt ſi regalibus iuſſis non obediret, primò facta diſcuſſione, & antè amiſſa domo vel ſubſtantia, diſtractis omnibus mancipijs ac filijs, vxor eius ipſo præſente camelario in coniugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magìs vt velociter

lociter prouenisset impios prouocabat. Ob quam causam vxor eius inducias visa est ab his, qui exequebantur, nesciente marito petisse. Accedit ad maritum alia Eua, consilio magistrata serpentis. Sed ille Adam non fuit, qui illecebrosa vetitæ arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Saturus vocabatur, saturatus ab vbertate domûs Dei, & torrente deliciarum eius potatus. Aduenit mulier ad locum, vbi maritus singularis orabat, conscissis vestibus crineque soluto, secum comitantibus filijs, vnamque infantulam, quæ tunc lactabatur, manibus gestans, quæ nescientis proijcitur ad pedes mariti. Etiam ipsa suis genua complectitur vlnis, sibilans vociferatione draconis: Miserere meî dulcissime, simul & tuî, miserere communibus liberis, quos conspicis ipse. Non subiaceant conditioni seruili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Non subijciar ego indigno & turpi coniugio, viuente marito, quæ mihi semper inter coæuas plaudebam de Saturo meo. Cognoscit Deus, quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntariè aliquanti fecerunt. Cui ille Iob sancti voce respondit: Tanquàm vna ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo. Artificio coniunx diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquàm ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam: mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit vxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid vltrà? Discedente muliere cum filijs refutata, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus: totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt.

Vxor eum conatur euertere.

Grauis tentatio.

Iob 2.

Præclara vox.

Luc. 14.

SANCTORVM IONÆ ET BARACHISII MARTYRIVM, AVTHORE ESAIA ADAMI FILIO, EQVITE *regis Saborij, auditore & spectatore eorum quæ fiebant. Habetur in Simeone Metaphraste.*



SAborius Persarum Rex, XVIII. anno regni sui aduersùs Ecclesias Christi, & eos, à quibus Deus omnipotens colebatur, persecutionem exercuit. Iussit enim Magis, vt sancta Christi templa diruerent, & Christianorum monasteria incenderent. Prætereà imperauit, vt Christiani conquirerentur, inuentique cogerentur dijs sacrificare: & qui parérent, magnis afficerentur honoribus: qui verò parére recusarent, varijs tormentis & supplicijs grauissimis excruciarentur. Eo tempore erant in regione Persarum, in quodam vico, qui vocatur Iasa, duo fratres Ionas & Barachisius, viri iustitia fideque pleni, qui magna cum reuerentia mandata Domini obseruabant. Hi sancti, audita Christianorum persecutione, mansionem suam reliquerunt, & ad eum locum, vbì impij Magi Christianos omnes acerbissimè excruciabant, profecti sunt.

19. Martij.

Nota hoc Edictum regis Persarum.

Ionæ & Barachisij fortitudo.

Cùm autem essent in vico, qui dicitur Bardiaboch, & ad carcerem, in quo Christiani inclusi tenebantur, accessissent, orârunt carceris custodem, vt sibi ad Christianos damnatos ingredi permitteret. Cumq; ingressi essent, nouem inuenerunt viros condemnatos, qui impij Regis Saborij decretis aduersabantur. Cùm igitur sancti Ionas & Barachisius vidissent eos in cruciatibus, & salutâssent, cœperunt illos cohortari ac dicere: Fratres ac patres, nihil timeamus: sed in nomine Crucifixi certamen vnũ sustineamus, vt coronam assequamur sempiternam, quemadmodùm & fratres patresq; nostri martyrio ipsi quoquè sunt assecuti. Hac sanctorum Ionæ Barachisijque oratione illi magis adhuc confirmati, se mutuò cohortabantur, & gratiæ, vt ità dicam, oleo se vicissim ad patientiam & tormentorum atq; martyrij perfectionem vngebant & corroborabant. Sanctorum autem martyrum, qui in carcere vincti erant, nomina hæc sunt: Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Elias, Mares, Abibus, Sembeethes & Sabas. Hi pro Christi nomine cùm multos cruciatus pertulissent, & in ipso martyrij certamine vitæ cursum præclarè confecissent, firmam fidem seruantes, incorrupta atque immortali martyrij corona magna cum laude redimiti, in cælum ad angelorum choros aduolârunt.

Nomina 9. martyrum.

Pòst autem quidam Magi sanctum Ionam & Barachisium apud tres Magorum principes Masdrath, & Seroth, & Maarnesem, à quibus sancti damnati fuerant, accusârunt,

quòd neque immolarent, nec Regis mãdatis obedirent, nec Solem, & Ignẽ, & Aquam adorare vellent: quodque nouem illi martyres eorum sermonibus adducti, regijs decretis non obtemperâssent. Tunc Magorum principes indignatione pleni, eos ad se adduci iusserunt, atque ità allocuti sunt: Adiuramus vos per nostrum regem regum Saborium, vt verè nobis ad ea, de quibus fueritis interrogati, respondeatis: Paretis'ne Regis voluntati, & obeditis decretis eius, & adoratis Solem, & Ignem, & Aquam, vt iubet ipse Rex, an non? Responderunt sancti Ionas & Barachisius: Loquemur vobis: Vos autem ità nos audite, vt Principes, & Regis Persarum Iudices decet. Vos enim delegit Iudices, & omne iudicium suum in manibus vestris collocauit, vt iustè iudicetis. Nónne debetis, præclari Iudices, magìs quàm terrenum regem, timere eum, qui vobis sapientiam & intelligentiam dedit, & Deum, qui cæli & terræ atque omnium spirituum imperium habet, agnoscere: quique temporum distinguit varietates, atque omnia moderatur, & vobis prudentiam largitus est, vt iudicetis eos, qui in carne sunt similes vobis? Adiuramus igitur vos, vt verè synceréque dicatis nobis, quem Deum abnegare debeamus: cælestem'ne, an terrenum? æternum, an caducum? Nos enim credimus in Deum, qui fecit cælum & terram: non autem mortali homini credimus. Neque enim debemus homini credere, qui exiguo viuit temporis spatio, & moritur, ac sepelitur, quemadmodùm nos, & in aliorum hominum numero ponitur.

Præclara SS. Ionæ & Barachisij oratio.

His auditis, Magorum principes vehementer indignati, atque impio furore pleni, quòd Rex ipsorum contumelia esset affectus à sanctis, qui mortalem eum assererent, virgas asperas è malis punicis atque spinosas afferri iusserunt, vt cæderentur. Sed imperârunt priùs, vt separarentur, quò neuter posset, quid ab altero dictum esset, intelligere, atque ita in Christi certamine cõfirmari. Tum Masdrath, & Seroth, & Maarnesem, tres Magorum principes considentes, vt de sanctis quæstionem haberent, iracundè iusserunt, vt sanctus Ionas solus adduceretur. Quo quidem adducto: Quid tibi, inquiunt, faciendum sit, dispice. Si deos veneraris & adoras, Solique, & Igni, & Aquæ sacrificas, & quæ à rege regum Saborio iussa sunt, perficis, liber cum honore dimitteris: alioquì te acerbissimis tormentis & supplicijs grauissimis afficiemus. Neque verò putes nos tibi esse inimicos: ipsi enim tibi nihil mali faciemus, nisi tute saluti tuæ malè consulueris. Respondit sanctus Ionas: Istius, inquiens, ego salutis non egeo propter Iesu Christi vitam. Præterit enim, nec vnquàm permanet. Quamobrèm nunquàm negabo Dominum meum Iesum Christum viuentem in secula, quoniam ipse est spes omnium Christianorum: nec confunduntur, qui sperãt in eum. Sic enim nobis pollicitus est: Amen, amen, inquiens, dico vobis, quisquis me negauerit coram filijs hominum, & ego negabo eum coram patre meo, qui in cælis est, & coram sanctis angelis. Veniet enim in nubibus cæli, in gloria patris sui, & angelorum atque archangelorum. Iamque paratus est, vt vnicuique homini reddat secundùm opera ipsius. Quæ cùm ita sint, facite in me, quod vobis mandatum est: neque enim putetis, nos domum Dei relicturos, aut ab eo vllis terroribus defecturos, qui nobis concessit, vt sanctæ domui eius seruiremus, & nobis dixit: Vos estis lux mundi. & rursùm: Vos, inquit, estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salientur ea, quæ salienda sunt? Quarè si, vt suadetis, vestro regi regum obtemperemus, & iussa eius faciamus, non solùm negabimus Dominum nostrum, sed causa erimus, vt vos omnes illum negetis, & perniciem omnibus afferemus.

Constantissimè respondet S. Ionas. Matth. 10. Luc. 12. Apoc. 22. Matth. 5. Ibidem.

Hæc cùm audiuissent Magorum principes, ira concitati, iusserunt, vt lege Persica vinciretur. Traiecta igitur virga inter manus & crura, iners humì iacebat vir sanctus tanquàm lapis. Ministri autem eum virgis è malo punica spinosis verberabant, nec priùs destiterunt, quàm eius lacerata sunt latera. Ipse verò dum vapularet, non repugnabat, sed Deum laudans, dicebat: Gloria tibi, Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac & Iacob, qui eduxisti nos ex hoc mundo, & dignatus es nos ad amorem & fidem sanctam tuam adducere, (Nam per fidem Abraham iusti cognouimus fidem sanctã tuam, cùm tamen pauca pro multis patiamur. Et nũc, Domine, da nobis patientiã, vt perficiamus omnia, quæ nobis Spiritus sanctus tuus præcepit: qui & canticum nouum cecinit per os patris nostri Dauidis. Fac nos dignos, qui faciamus ea quæ dicit. Ait enim: Vnam petij à Domino, hanc requiram, id est, vt semper sim tecum, Domine. Hoc mihi, Deus, quod expecto quotidiè, per martyrium elargire. Hæc S. Ionas cùm dixisset, magna voce Magorum principibus: Ego, inquit, à rege vestro peccatore, & omnibus amicis eius, quicunq; sint (sunt enim omnes satanæ principes) discedo, & omnes ipsos abnego: & à sole, ac luna, & stellis, atq; igne, & aqua, quos esse deos asseritis, alienus sum, nec vllo modo illos ad-

Atrociter flagellatur. Psal. 26. Egregia vox martyris.

oro:

oro: sed credo in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, veram Trinitatem, quæ seruat mundum vniuersum, fecitq; deos etiam vestros, quos nobis per vim adorãdos censetis.

Hæc audientes Magorum principes, iusserunt vt pes eius funiculo vinciretur, atque ità in pruinam & glaciem extraheretur, ibique totam noctem iaceret, (erat enim hyems) obseruareturque, quid frigoris causa faceret. Ministri fecerunt imperata, & illic eum vsque ad sequentem diem reliquerunt, cùm iniqui Iudices rursùm considentes in tribunali, sanctum Barachisium adduci imperârunt. Quo adducto, & coram ipsis consistente: Quid agis, inquiunt, Barachisi? Immolásne, & Solem, atque Ignem, & Aquam adoras & veneraris: quemadmodùm & frater tuus Ionas, mutato consilio, fecit, an tormentorum certamen vis in corpore tuo suscipere? Respondit sanctus Barachisius: Quemadmodùm frater meus adorauit, sic ego adoro, & veneror, & colo. Vos de ipso falsum retulistis. Nam Veritas non permisit, vt id faceret. Quis enim mentem eius excæcare potuisset, vt relicto eo, à quo ipse creatus est, adoraret ea, quæ creata sunt, vt hominibus seruiant? Si adoranda essent, non seruirent hominibus, sed homines illis inseruirent. Dedecus enim esset igni, si nobis seruili ordine deseruiret. Nunc autem videmus homines non solùm diuites, verumetiam pauperes: non bonos tantùm, sed & malos, ignis vti seruitio. Cùm igitur ignis constitutus sit seruus noster ab eo, qui fecit illum, iniquum est, velle nos cogere, vt ignem adoremus, quem Deus ad humanos vsus creauit, & abnegemus ipsum Deum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Aequum est potiùs, vt gloria, & adoratio, atque omnis honor à Regibus & Principibus & Ducibus, & omni spiritu, tribuatur ei, à quo & sublimia & profunda facta sunt: cuius arcana consilia nemo potest compræhendere, neque valet ad sublimitatem gloriæ eius peruenire, cùm tamen auxilio ipsius egeãt omnes filij hominum. Ipse enim alit omnes, nullius indiget, omnia moderatur. Illud tãtùm à nobis requirit, vt nomen Domini cognoscamus, nec sinamus nos figmentis & erroribus decipi. Sic enim iubet: Nè feceritis vobis idola, nec adoraueritis opera manuum vestrarum, nec vllam aliam rem procreatam. Quoniam ego sum Dominus Deus vester, qui à principio sum, & sine fine permaneo. Et non est alius Deus præter me. Et gloriam meam alteri non dabo, neque virtutes meas sculptilibus, neque honorem meum idolis. Ego occido, & vitam præbeo: & non est, qui manus meas possit effugere.

Exponitur algoribus.

S. Barachisij responsio memorabilis.

Exod. 20. Deut. 5.

Esa. 42. Deut. 32.

Tunc irati Magorum principes, cœperunt eos admirari & ipsorum constantiam, ac dicere: Nè iudicemus illos hoc tempore, nè quis eorum, qui pij sunt, & solem, & ignem, & aquam adorant, auditis eorum sermonibus, à religione nostra deficiant, & immolare recusent: noctù potiùs illos audiamus, cùm omnes dormiunt & conquiescunt, nè quis cognoscat, quæ ab ipsis dicuntur, aut quæ fiunt à nobis. Tunc igitur iudicium intermiserunt. Nocte autem, cùm magna esset quies, considentes, iusserunt sanctum Barachisium adduci: & magno cum silentio eum audiebant. Cumque multa vltrò citroque dicerentur, & in ea disputatione sanctus Barachisius, diuina sapientia munitus, victor existeret: indignati, iusserunt duas glebas æneas ardentissimas sub axillas ipsius admoueri, & dixerunt ei: Per regis regum Saborij coronam, abijce alteram è glebis in terram, vt intelligamus, te Deum tuum abnegâsse. Respondit sanctus Barachisius: Ministri satanæ & principes scelerati, per salutem Dei mei, & interitum satanæ patris vestri, non timeo regem vestrùm, & neutram glebarum in terram abijciam, sed vtranque propter nomen Christi perferam. Quinetiam vos adiuro per viuentem Deum, vt ad hunc cruciatum maiores alios, si quos habetis, adiungatis. Quis enim ad bellum proficiscitur, & in prælium ingreditur, qui non promptus sit mortem oppetere, vt magnam gloriam, & præmia multa, & locum principis à Rege consequatur? Hæc cùm à sancto Barachisio dicerentur, ingenti dementia victi Magorum principes, iusserunt plumbum liquefieri, & in palpebras eius & nares conijci. Rursumque liquefieri plumbum iusserunt, & in fauces eius & aures infundi, nè audire loquive posset. Pòst autem ministris illum tradiderunt, dicentes: Abducite eum in carcerem, ibique vno pede suspensum includite.

Magorum versutia.

Cruciatur S. Barachisius.

Inuicta eius patientia.

Tunc imperârunt, vt beatus Ionas iterùm ad conspectum suum adduceretur. Quo quidem adducto: Quomodò, inquiunt, se habet corpus tuum: & quomodò noctem illam totam glaciei ac frigori expositus transegisti? Respondit beatus Ionas, &, Nullam, inquit, mihi credite, regij Principes, Deus meus, in quo animus meus conquiescit, noctem vnquàm mihi æquè tranquillam largitus est, ex quo me peperit mater mea: nec memini vnquàm, ex quo scire potui quid sensus sit, vllam omninò noctem ità mihi quiescenti suauem extitisse. Consolatio enim mihi præstò fuit ex sancto illo ligno, cui

Nota responsum admirabile.

S. Crucis sanctum lignum. affixus fuit Dominus meus Iesus Christus. His auditis, iniqui Magorum principes dixerunt: Atqui frater tuus Barachisius Deum tuum abnegauit: & tu adhuc in sententia permanes obstinatè? Respondit sanctus Ionas: Scio, inquiens, & ego, fratrem meum abnegâsse diabolum & omnes angelos eius, seque perfectè Christo Domino addixisse. Nonne, dixerunt Magorum principes, magis expedit tibi, vt à Deo tuo deficias, quàm vt vitam amittas? Respondit sanctus Ionas: O cæci & stulti, quomodò vos esse prudentes iactitatis? Expendite, quæso, pro vestra prudentia veritatem. Non potest homo, qui triticum habet in horreo reconditum, & seruat illud, quanuis & imbres, & niues, & fulmina, & reliquæ aëris iniuriæ vigeant, sibi temperare, quin ipsum triticum sumat, & manibus suis in terram iaciat, seminans in nomine Domini. Sperat enim ex semine exiguo se messis tempore, Christo fauente, aream repleturum. Quòd si triticum in horreo suo reliquerit, & non seminauerit, deficiet, & crescere non poterit. Idem in hominibus licet considerare. Si quis in hoc mundo pro nomine Domini nostri Iesu Christi animam suam perdiderit, in nouo mundo, cùm venerit ad eos hominum filios renouandos, qui in ipsum credunt, & voluntatem eius faciunt, renouabit illos in lumine suo, quod nunquàm præterit, neque dissoluitur. Eos verò, qui præcepta ipsius, mandataque negligunt, in ignem conijciet, qui nunquàm extinguitur: neque enim carbones habet ignis ipsorum, vt scriptum est, nec lucem habet eorum flamma.

Elegans similitudo.

Hæc ille cùm dixisset, diù Magorum principes obmutuerunt, sermonem ipsius admirati. Posteà verò dixerunt ei: Nè erres, Iona, neque scripturas sequaris: multos enim scripturæ decipiunt. Respondit beatus Ionas: &, Rectè, inquit, dixistis, scripturas decipere: decipiunt enim scripturæ Græcorum. Nec aliud magis homines decipit, quàm vita mundi huius. Quisquis autẽ Christi gustat afflictionem, is nunquàm fallitur. Quemadmodùm enim cùm diues aliquis amicos ad conuiuium vocat, illi, relictis proprijs ædibus, accedunt: sciunt enim se ad lætitiam inuitari: cùm autem discubuerint, ac vinum degustârint, si suaue sit, gaudent & largiùs bibunt, nec postquàm ebrij facti sunt, domum reuerti possunt: sed eorum domestici appræhendunt illos, domumque deducunt: postridiè autem manè, cùm iàm vinum edormierint, & crapulam exhalârint, valdè lætantur, quòd apud domesticos suos sint: Sic & Christi serui, cùm se à principibus in carcerem vocari sentiunt, se ad certamina & tormenta ire non ignorant. Cùm igitur accesserint, & biberint, & cruciatibus atque amore Christi ebrij euaserint, nec familiæ, nec liberorum ampliùs, nec famæ recordantur: nec aurum, aut argentum, aut quicquam aliud curant: sed reges & principes aspernantur, & Regem vnum expectant magnum Christum: cuius nos milites sumus, in secula seculorum permanentes, cuiusque regnum non præterit, sed manet in æternum.

Item alia.

Luc. 1.

His auditis, iusserunt Magorum principes, vt sancto Ionæ, tanquàm plura, quàm opùs esset, locuto, digiti manuum ac pedum præciderentur. Quod quidem ministri cùm effecissent, amputatos digitos in conspectu ipsius proijcientes, dixerũt: Eccè nunc quomodò digitos tuos in terra disseminauimus. Expecta igitur, & cùm messis tempus aduenerit, aderunt tibi multi digiti. Respondit sanctus Ionas: Ego digitorum & manuum non egeo multitudine. Deus, à quo factus sum, me in ea renouatione, quam in nobis est effecturus, ipse renouabit. Audientes hæc Magorum principes, iracundia pleni, iusserunt picem in magno vase liquefieri, & caput eius à ministris abradi, tum ipsum sanctum in saccum ità conijci, vt caput extaret. Fecerunt iniqui ministri quod fuerat imperatum, & sancti viri cutem capitis ac linguam in vas pice plenum immiserunt: deindè totum etiam ipsum sanctum, in picem in medio vasis vehementissimè æstuantis, coniecerunt. Verùm sancto Iona in vas coniecto, statim tota pix è vase defluxit, ità vt eum non attingeret, nec vlla in parte læderet. Rem mirabilem ac nouam admirati homines impij, & videntes virum sanctum nullum ex tanto tormento damnum accepisse, cochleam afferri iusserunt, & in ea sanctum poni, vehementerque comprimi ac dissecari. Fecerunt ministri imperata, ipsumque in cochlea compresserunt, & omnia illius ossa confregerunt, deindè ipsum medium dissecuerunt. Cùm autem dissectus esset, imperârunt impij Magorum principes, vt corpus eius in lacum profundissimum conijcerent, ac diligenter obseruarent. Atque ità factum est.

Præciduntur Ionæ digiti oẽs.

O crudelitatem.

Miraculum

Immanissima supplicia.

Sancto igitur Iona martyrij coronam assecuto, iusserunt rursùm ad quæstionem sanctum Barachisium adduci: atque ità eum allocuti sunt: Parce membris tuis, Barachisi, & noli intempestiuè teipsum perdere. Respondit eis vir sanctus: Neque ego, inquiens, meipsum formaui, neque perdam. Dominus, à quo factus sum, me virtute sua reno-

renouabit, eripietque me è manibus vestris, & è manibus Principis vestri nequissimi, qui opificem suum Deum non agnoscit, sed diaboli voluntatem defendit studetque perficere. Hæc cùm à sancto dicta essent, duo ex Magorum principibus Masdrath & Seroth, ad Maarnensem conuersi: Nos, inquiunt, regem regum Saborium afficimus ignominia. Isti enim errore suo confisi, neminem verentur. Ità locuti, ardentes ira vultus suos ad beatum Barachisium conuerterunt, iusseruntque ipsum in spinas conijci, deindè arundines afferri, findique medias, & sancti viri carni admoueri, tum funiculo tenui ipsum circunuinciri atque comprimi, donèc arundines in carnem penetrarent: pòst autem imperârunt, vt arundines extraherentur, vt eius carnes dilacerarent. Sic igitur fecerunt ministri, & carnes ipsius dilaniârunt. Tunc in cochleam, in qua sanctus Ionas sectus fuerat, inijci iusserunt impij, atque ibi omnia ossa eius perfringi. Quæ cùm essent confracta, Magorum principes ministris imperârunt, vt in fauces ipsius picem ardentem conijcerent. Atque ità beatus Barachisius animam reddidit, & ad sanctorum martyrum numerum asscriptus est. Nota plusquàm beluinam crudelitatem.

Cùm autem vir quidam pietate insignis, nomine Abdissotas, sanctos Ionam & Barachisium martyrio coronatos intellexisset, accessit, & sanctorum tabernacula quingentis miliarisijs Daricis, & tribus vestimentis Sericis emit ab ijs, à quibus seruabantur. Neque verò sola sanctorum Ionæ & Barachisij corpora mercatus est, sed illorum etiam, qui ante ipsos martyrium pertulerant. Iurauit autem emptor, neminem è principibus resciturum, custodes sanctorum corpora vendidisse: dixitque se illorum, qui martyrio essent affecti, veterem amicum esse. Custodes enim iusiurandum exegerant, veriti, nè, si res ad principum aures peruenisset, in aliquod periculum inciderent. Sanctorum, qui martyrij palmam tulerunt, nomina hæc sunt, vt superiùs diximus, Ionas & Barachisius, Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Elias, Mares, Abibus, Sembeethes & Sabas. vndecim hi pugiles, gloriosique Martyres, ad finem vsque pro Christo decertârunt, passique sunt se varijs cruciatuum generibus torqueri, vt in Christi fide constantes apparerent, & præclarum virtutis specimen & exemplum ac formam posteris relinquerent. Hi sancti beatissimi & Christi milites inuicti, strenuè pro Duce suo pugnantes, & victoriam de Christi hostibus reportantes, stolam lucis induti sunt, & incorruptam ab ipso gloriæ coronam obtinuerunt: & nos omnes eorum precibus & supplicationibus apud Deum adiuuamur. Abdissotas emit corpora sanctorũ admodùm carè.

Interfecti sunt nouem ex ijs Christi Martyribus VI. Cal. Aprilis, reliqui autem duo IIII. Calend. eiusdem mensis. Hanc autem sanctorum Martyrum historiam conscripsit Esaias Adami filius, qui cùm eques esset Regis Persarum Saborij, & cum Magorum principibus, vt auditor tantùm & spectator eorum, quæ fiebant, interesset, atque ita omnia quæ in hoc certamine contigerunt, ab initio ad finem vsque audîsset ac perspexisset, ea ad omnium ædificationem atque vtilitatem & salutem, literarum monumentis mandauit, vt talem pro Christo virtutem omnes studeant imitari: Cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Author huius historię.

VITA S. EVSTACHII ABBATIS LVXOVIENSIS, QVEM ALII EVSTASIVM VOCANT, AVTHORE IONA

Scoto, eius discipulo: sed stylus obscurior & asperior, plerisque locis in gratiam lectoris modicè mutatus est per F. Laur. Surium.

CAPVT I.



Enerabilis Eustachij Abbatis Luxouiensis monasterij scripturus vitam, habitatorem eius inuoco spiritum sanctum, vt qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrandas eas sermonem tribuat, vt facta dictis exæquentur. Sub Mauritio & Phoca Imperatoribus, quo tempore Romanæ Ecclesiæ pontifex Gregorius clarus habebatur, necnon & Clotarius Chilperici filius, strenuè Francos regebat, religiosissimi extitêre viri, discipuli almi patris Columbani, Attala & Eustachius. quorum prior in Bobiensi, alter in Luxouiensi cœnobio, eius successores fuêre, & magistri instituta suis alumnis seruanda tradiderunt. In principio autem narrationis nostræ, exemplum bonorum omnium sumamus Eustachium, qui sufficit religio- 29. Martij. Attala & Eustachius discipuli S. Columbani

ſas ac Deo deuotas mentes, ad appetenda virtutum culmina erigere, & ad perfectionis compræhendenda faſtigia incitare. Cùm ergò venerabilis pater Columbanus viceſimo ab eremi inhabitatione anno Luxouium reliquiſſet, in eo monaſterio venerandus pater Euſtachius illi ſuffectus eſt: cuius poſt magiſtrum virtutes clarè fulſêre. Et is quidem ex Burgundionum gente ortus, nobilis fuit genere, ſed nobilior ſanctitate, ſui magiſtri veſtigijs inſiſtens. Ad eius famam vndiquè confluebant non pauci, & ſe religionis cultui mancipabant, ità vt non parua monachorum congregatione adunata, cum ſexcentis ferè monachis illic degere videretur in Dei laudibus: qui vno regulæ ſiue canonis monaſtici ſpiritu ſuperna inſpiratione imbuti, laudes omnipotenti Deo pio exhibebant famulatu. Porrò ille pater venerabilis multæ erat abſtinentiæ & multarum vigiliarum, quotidiano ieiunio corpus macerans: orandi etiam erat ei aſſiduitas magna die ac nocte. Nec aberat ab eo ſolicitudo omnium eccleſiarum, interueniendi etiam magna aſſiduitas & conſtantia. In rebus quoquè diuinis implendis erat fortiſſimus, ſolicitus quoquè pro pauperibus & peregrinis. Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus. Nam quotiès illi aliquis ob recipiendam pœnitentiam lapſus ſuos eſſet confeſſus, ità flebat, vt & illum flere compelleret. Cauſas autem criminum, quas illi confitebatur, nulli, niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris ſacerdotibus, vt interceſſores apud Deum magìs ſint, quàm accuſatores apud homines. Nam & ſecundùm Apoſtolum, circa huiuſmodi hominem confirmanda charitas eſt: quia ipſe ſuî accuſator eſt, nec expectat accuſatorem, ſed præuenit, vt confitendo ſuum abluat delictum. Humiliat etiam animam ſuam, ſicut Dauid ſanctus: qui poſtquàm audiuit à Propheta, Dimiſſum eſt peccatum tuum, humilior factus eſt in emendatione peccati, ità vt cinerem ſicut panem manducaret, & potum ſuum cum fletu miſceret. Erat quoquè vir ſanctus temperatus in omnibus, diſcretione præcipuus: redundabat erga illum timor & amor in ſubditis, redolebat doctrina in diſcipulis, labentia cuncta eius animo ſubtererant. Nullus apud eum vel mœrore premebatur, vel immodica lætitia efferebatur. Nec operam declinabat ſcribendi propria manu libros, niſi cùm aliqua infirmitate corpus eius detineretur. Erat autem ei vſitata exhortatio ad diſcipulos ſuos, vt eſſent memores ſanctorum patrum, qui per mortificationem carnis & contemptum præſentis vitæ, regna cælorum adepti ſunt. Quapropter fratres mei, inquit, optimum inijſtis certamen: magìs verò ac magìs ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Monachorum autem opus illud eſt præcipuum, vt orationem puram offerant Deo, nihil habentes in conſcientia repræhenſibile, & memores illius, quod Dominus dicit in Euangelio: Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduersùs aliquem, vt & pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quòd ſi vos non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

Genus S. Euſtachij. — *600. monachis præeſt.* — *Confeſſio ſacramentalis.* — *2. Cor. 2.* — *2. Reg. 12. Pſal. 101.* — *Exhortatio ad monachos.* — *Mar. 11.*

CAP. II.

INtereà memoratus rex Clotarius viri Dei Columbani prophetiam ſuos in ſe effectus habuiſſe cernens, venerabilem patrem Euſtachium, qui eius loco Luxouienſe monaſterium regebat, ad ſe accerſiuit: cumque ad ſe venientem piè admodùm obſecrauit, vt ipſius nomine vellet ad beatum Columbanum legatione fungi, adiunctis ſibi, quos vellet, nobilibus viris, & quocunque eum reperiret loco, efficaci oratione ei perſuaderet, vt ad ipſum accedere dignaretur. Audito rege, venerabilis diſcipulus ad iter ſe accingit, magiſtri veſtigia perſecutus. Cumq; ad eum veniſſet, Clotarij regis mandata ei expoſuit. Viſo Euſtachio, lætatus beatus Columbanus, gratulatur ſibi redeundi oblatam facultatem, retinet aliquandiù apud ſe Euſtachium, hortatur eum memorem eſſe laborum ſuorum, cœtum fratrum diſciplinæ habenis moderari, multos in eorum ſodalitatem aſſciſcere, ſuiſque imbuere inſtitutis. Dimiſſum poſt hæc, ad Clotarium remeare iubet, taliaque ad regias aures perferre reſponſa, ſibi æquum non videri vt reuertatur: hoc ſolùm orare, vt ſodales ſuos, qui Luxouienſe inhabitarent monaſterium, regali adiutorio & præſidio foueret: addidit etiam literas ad regem caſtigationis plenas. Fuêre eæ regi munus gratiſſimum, eaſque ceu pignus quoddam fœderis viri Dei accepit lætus & ouans: nec obliuioni tradidit preces eius, ſed omni præſidio iam dictum monaſterium munire ſtuduit, annuis ditare cenſibus, fines eius vndiquè pro voluntate venerabilis Euſtachij dilatare: deniquè ob viri Dei amorem, eius incolas omni ope & beneuolentia proſequi.

Euſtachius it legatus ad S. Columbanum. — *Clotarius rex eius fouet monaſterium.*

CAP. III.

PORrò venerabilis pater Eustachius ex Italia à beato Columbano, vt iam diximus, reuersus, paterno affectu & æquo iure subditas monachorum regebat cateruas. Contigit autem eum pro communi necessitate ire ad Clotarium regem, qui eo tempore in extremis Galliæ finibus & in locis maritimis morabatur. Iter autem habuit Eustachius per saltum quendam pagumque Briegium, peruenitque ad villam Chagnerici, vbi dudùm eius magister aliquandiù moratus fuerat. Villa ea Pipimisicum dicebatur, distans ab vrbe Miledorensi duobus plùs minùs milliaribus. Ibi tum Chagnericus cum coniuge sua Landegunda, benè Christiana & sanæ mentis fœmina, degebat: cuius filium Magnoaldum apud se habebat. Viso autem Eustachio, Chagnericus cum ingenti gaudio eum excepit. Erat autem cum patre & matre filia Burgundofora, quam B. Columbanus Domino consecrauerat. Eam verò pater inuitam & planè recusantem cùm desponsâsset cuidam, & nuptijs tradere vellet, dolore oculorum correpta, & tanto febrium igne succensa est, vt vix iam superis reddi posse crederetur. Iam supremum illa trahente spiritum, beatus Eustachius patrem eius increpauit, dicens suæ noxæ esse, quòd ea tantis cruciaretur pœnis, quandoquidem Columbani viri Dei interdictum violare attentâsset. Tum ille dissimulans, Vtinàm, inquit, sospitati reddatur, & diuinis tradatur obsequijs: ego talibus votis obstare non debebo. Accedit indè Eustachius pater ad lectum puellæ, sciscitatur si suo assensu contra beati Columbani interdictum, post vota cælestia rursùs iteraret terrena. At puella testabatur se talibus votis nunquàm paruisse, vt terrenis cælestia commutaret, sed paratam fuisse & esse beati viri parére præconijs: seque ait præterita nocte vidisse simili figura virum, qua ipse esset, qui oculorum lumen ei redderet. vocemque simul audisse dicentem: Quodcunque tibi vir iste dixerit, fac, & sanaberis. Infer ergò auribus meis, quæ mihi sunt custodienda, & tuis orationibus pelle dolorem à Domino illatum. Prostratus itaque humi cum lachrymis venerandus pater, Dominum postulat, vt munus promissum largiatur: surgensque, crucem supra oculos exprimit, & manu oculos palpans, Domini auxilium implorat. Protinùs salus secuta est, lumen redditur, febrium ignis fugatur, redditamque sospitati matri commendat, donèc à Clotario reuersus, religiosis eam vestibus induat. Cernens autem pater sospitati filiam redditam, rursùs insistit vt sponso tradatur, pollicitationis pristinæ cæca obliuione immemor. Quo puella comperto, cum vna è sodalibus de fuga ineunda pertractat: eaque assensum præbente, felici fuga clàm elapsæ, ad beati Petri Apostolorum principis basilicam peruenerunt. Quod vt pater resciuit, post eas furibundus pueros dirigit, iubetque vt appræhensam filiam crudeliter perimant. Pergentes pueri, finibus ecclesiæ puellam receptam reperiunt. Paulispèr autem morati, dum parentis ira frangeretur, puellæ mortis periculum minantur. At illa: Si, inquit, mortem me formidare putatis, in hoc ecclesiæ pauimento probate. Ob talem etenim causam ouans mortem excipio propter illum, qui pro me non dedignatus est mori. Intereà peracta legatione sua Eustachius pater remeat, puellam custodia liberat, patrem terribiliter increpat, religionis vestem per pontificem vrbis illius Gundoaldum nomine, induit, sacratque salutaribus sacramentis, monasterium virginum Christi super paternum solum inter fluuios Mugram & Albam ædificat, fratres, qui structuræ curam habeant, deputat, germanum puellæ Chagnoaldum, & qui ei posteà successit, Vualdebertum, vt regulam eas doceant, decernit: in quo quidem Vualdeberto quantæ virtutes postmodùm extiterint, si vita comes fuerit, prosequi nitemur.

B. Burgũdofora virgo Deo sacrata

Signo Crucis restituit visum.

Burgundoforæ constantia.

Habitũ monasticũ accipit.

CAP. IIII.

REuersus indè venerabilis vir Eustachius ad Luxouium, magistri præceptum implere parat, vt gentes vicinæ pabulo fidei alerentur. Progressus ergò, Vuarascis prædicat, quorum alij idololatricis cultibus, alij Photini, alij Bononi errore contaminati erant. His ad fidem conuersis, ad Boios, qui nunc Baioarij vocantur, tendit: eisque multo labore imbutis, ac fidei lineamento correctis, plurimos eorum ad fidem conuertit. Vbi cùm aliquantispèr moratus fuisset, dimisit sagaces viros, qui in cœpti laboris studio desudarent: ipse verò ad Luxouium remeare studet. Cùm ergò iter carperet, venit ad quendam virum nomine Gundoinum, qui eo tempore ad villam, quam Mosam vocant ab amne eo in loco fluente, morabatur. Cumque is vidisset Eustachium, velut gratissimum munus ouans do-

S. Eustachius Christũ gentibus annunciat.

mi recepit. Ingressus autem Eustachius in domum, præmissa benedictione, poscit vt liberos, quos habeat, repræsentet. Ille obediens, duos bonæ indolis filios præsentat. At vir sanctus, Est'ne, inquit, tibi adhuc proles? Ille fatetur præter vnam filiam luminibus orbatam, nomine * Salebergam, se ampliùs non habere. Veniat, inquit, illa. Quã cùm vidisset, sciscitatus est ex ea, vtrùm iuuenilis animus ad cultum diuini timoris adspiraret. Tum illa affatìm vt tenera quiuit ætas, respondit se paratam esse sacris obtemperare præconijs. Suscepit ergò vir sanctus laborem, biduano corpus ieiunio affecit, mentem fide armauit, super oculos benedictionis oleum effudit, meruitq; tandèm per eius interuentum cæcitas obtinere lumen. Redintegrauit diuina pietas ad preces famuli sui, luminis damna, vt recepto lumine, post diuina munera vberiùs ad timoris Dei cultum adspiraret. Et ea quidem nuncusquè superest, & diuinis obsequijs dedita, non solùm suæ vtilitati, sed & alijs prouidet opportuna. Cumque vir Dei progressus indè, cœptum iter perageret, quendam fratrem Agilum nomine, qui modò Respacẽsis cœnobij præsul existit, quemque tum vehemens febrium ignis excoxit, manu tetigit, interuentuque orationum suarum pristinæ sospitati ilicò restituit. Deindè peruenit ad supradictum cœnobium, ibique tam fratres interiùs, quàm vicinos populos ad Christianum vigorem excitare studet, multosque eorum ad pœnitentiæ medicamenta pertraxit. Fuit autem hoc illi studio, vt multos sua facundia erudiret: & quidem complures ex eis posteà ecclesiarum præsules extiterunt: Chagnoaldus Lugduni, Acharius Viromandorum & Nouiomensis ac Tornacensis episcopus, Rachnacarius Augustoduni & Basileæ, Audemarus Bononiæ & Taraonensis oppidi.

* Adesbergam, * Sadalbergam, | Cæca lumẽ recipit. | Febris pellitur. | Ex monachis multi episcopi.

CAP. V.

CVmque iam haberetur omnibus gratus B. Eustachius, ità vt nullus se beatum Columbanum perdidisse gemeret, qui eius doctrinis imbutus fuisset, præsertim cùm cernerent in discipulo magistri instituta manere: cùm, inquam, ijs omnibus charus esset, & omnium quoquè Franciæ procerum studiò & honore fulciretur, atque Clotarij regis amore & veneratione clueret, exarsit more suo liuidus aduersùs sanctorum famam chelydrus, excitatque è finibus matris nouum Cain, qui fratrem velit zelo extinguere: vel etiam nouum proditorem, qui magistri dicta scinderet, & collidendo solida, ad fragiles turbarum auras fragilem mentem accommodaret. Excitat vnum è subditis, Agrestium nomine, qui quondàm Theodorici regis notarius fuerat, & quadam cordis compunctione tactus, omnia, quæ possederat, relinquens & ad Luxouium veniens, se & sua omnia supradicto patri tradiderat. Is ergò, vt cuncta replicem, religionis speciem in monasterio gestans, pòst licentiam postulat, vt gentium esse prædicator permitteretur. At vir sanctus illum diù obiurgans increpat, ait illum se nõ debere ad tale opus idoneum vel dignum, quippe rudem adhuc in religione, putare: omnibus ecclesiasticis ornamentis decoratum esse oportere, qui ad tantum opus satis aptus censeatur. Commemorat ei Ieremiam, qui licèt Domini electione missus, tamen se dignum negauerit, dicens: A, a, a, Domine Deus, eccè nescio loqui, quia puer ego sum. Moysen quoquè adducit electum à Domino, & tamen linguæ causantem tarditatẽ. Sed cùm his rationibus nihil proficeret, quem tenere non valet, abire sinit. Qui vbì ad Baioarios peruenit, ibì paululùm moratus, nullum fructum attulit: sed velut alta platanus, garrula verborum folia tremulas quatiens ad auras, fructûs copiam nesciuit. Deindè Aquileiam proficiscitur. Porrò Aquileienses tum desciuerant à communione sedis Apostolicæ, de qua Dominus in Euangelio ad beatum Petrum Apostolorum principem loquitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Desciuerant autem ob trium capitulorum dissensionem, vndè discordiæ incrementa diuturna manârunt, quod præsenti operi non necessè est inserere. Veniens igitur Agrestius Aquileiam, socius statìm schismatis effectus, à Romanæ sedis communione seiunctus ac separatus est, totius orbis communionem, quicunque Romanæ sedi iungerentur, damnans, in sola Aquileia orthodoxam fidem retineri contendens. Hoc ergò schismate imbutus, epistolam venenosam, increpationibus plenam, ad beatum Attalam per Aureum, Adalualdi regis Longobardorũ notarium, dirigit. Quam beatus Attala perlectam & ridiculò habitam, mihi tradidit seruandam: & ego quidem per multorum annorum spatia illam abditam habui, sed posteà mea negligentia perdidi: nec quiuis vtiq; alius illam, sed ipse proprio stylo scripserat. Missa autem ad beatum Attalam epistola, ipse ad Luxouium properat, deindè beatũ Eustachiũ schismaticis

Chelydrus, est genus serpentis, sed hic dæmonẽ significat. | Ierem. 1. | Exod. 3. | Matth. 16. | Nota stultitiam schismatici.

ticis tentat aculeis, si sanam eius mentem sua vesania corrumpere queat. Quod vt vir venerandus comperit, diù paternis alloquijs errantem monet: sed postquàm salutaribus monitis & salubri antidoto mentem peste corruptam curare nequiuit, à suo ac suorum contubernio eum segregauit. Refutatus ergò à B. Eustachio, huc illucque vagatur, vt nonnullos suæ sententiæ fautores possit efficere. Sed cùm præ imperitia nihil posset obtinere, beati Columbani regulam sibi carpendam sumpsit, multa aduersùs eam liuido dente garriens, ac velut cœnosa sus grunniens, per quoscunque potuit sui similes murmur excitauit, annuente illi Abeleno,* Genuensis vrbis episcopo, qui illi sanguinis coniunctione proximus erat. Et is quidem Abelenus vicinos episcopos in Agrestij subsidium omni studio sensim sibi iungere nitebatur, ità vt ipsum quoquè regem Clotarium tentarent, num ipsorum parti esset assensum præbiturus. At ille sciens & experimento cognitam habens beati Columbani sanctitatem, & discipulorum eius doctrinam, primò suis eos studuit responsis redarguere: sed cùm nihil proficeret, statuit vt synodali examine regula probaretur, nihil ambigens de beati Eustachij authoritate & doctrina, quin omnes aduersantes sanctæ regulæ prudentia & facundia sua, adminiculante ei spiritu sancto, facilè superaret. Emanante ergò regia iussione, multi Burgundionum episcopi in suburbio Matisconensis oppidi conueniunt: inter quos Maximus residebat * Trececus episcopus, propter quem præcipuè synodum fieri vrgebat Vuarnacharius beati Eustachij inimicus. Sed præualuit beati Eustachij deprecatio, vt qui fautor & patronus fieri voluit miseræ intentionis, is correptus à Domino, omnium vires frangeret. Nam præfixo & statuto die, quo aduersùs Eustachium altercatio futura erat, ipse morte præuentus interijt. Fractis ergò in illo Agrestianæ partis viribus, turbantur, sciscitantur omnes ex Agrestio, quænam aduersùs regulā beati Columbani vel venerabilem Eustachium obijceret. Tum ille trementibus labijs, nihil authoritatis aut elucubrati eloquij habens, ait, superflua quædam & à canonica constitutione aliena, ab eius regulæ professoribus pari studio obseruari. Cumque illi vrgerent, vt ea expromeret, tandem crimina recitat, nempe ipsos suæ regulæ habere cochleam, quam cùm lamberent, eam crebrò signo crucis signari, & in ingressu cuiuslibet domicilij intra cœnobium, tam ab introeunte quàm egrediente, benedictionem postulari. Sed cùm illi nihil dignum synodali discussione obijci cernerēt, Alia, inquiunt, si quæ habet, opponat. Prorumpit ille, aitque se scire Columbanum à cæterorum more discrepare, & ipsa Missarum solennia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare, & multa alia superflua: quæ cum authore tāquàm hæreticas traditiones voluit vt Synodus execraretur. Vt verò audiuit beatus Eustachius hæreticos dici se suosq; vnà cum magistro Columbano, dixit ad Synodum: Vos, ó decus sacerdotij, probare debetis, quinam in ecclesijs veritatis ac iustitię seminaria constituant, & qui à veritate & vera religione aliena tradant. Quicquid enim à norma veri tramitis dissentit, extra Ecclesiæ corpus haberi debet. Vestrum est discernere obiecta, an sint à scripturarum serie aliena. Aiunt illi: Ex tuo ore nôsse volumus, quod his responsum reddas. At ille: Nequaquàm, inquit, reor ego contrarium esse religioni, cochleam, quam Christianus lambit, vel quodcunque vas aut poculum, crucis signo muniri, cùm per aduētum signi Dominici pellatur pestis aduersantis inimici. Introeuntem verò monachum cellulam vel exeuntem benedictione Domini armari, ratum duco iuxta illam Psalmistæ vocem: Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in seculum: & licèt hoc ad vnumquenque Christianum possit referri, vt gratia baptismi per fidem in Ecclesiam intrans seruetur, & vsque ad finem perseuerantiæ vigore firmetur: tamen ad quotidianum motum siue in ingressu, siue egressu vel progressu vnumquenque nostrûm signo crucis muniri, vel benedictione sodalium roborari, fas duco. Multiplicationem verò orationum in sacris officijs, credo ego omnibus ecclesijs proficere. Quanto enim plùs Dominus quæritur, tanto plùs inuenitur: & cùm crebriùs oratione pulsatur, ad miserendum petentibus citiùs excitatur. Nihil enim magis desiderare debemus, quàm orationi incumbere. Sic enim ipse Dominus in Apostolis nos hortatur: Vigilate & orate, nè intretis in tentationem. Sic & Apostolus sine intermissione orare nos docet. Deniquè omnis sacra scriptura ad Deum clamare nos iubet. Qui enim clamare negligit, tanquàm à Christi membris neglectus & præcisus, abijcitur. Nihil enim tam vtile tamque salutare, quàm creatorem multiplicatione precum & orationū assiduitate pulsare. His & consimilibus responsis confusus Agrestius, addit garrulitatis noxā, calumniatur capitis

Agrestius carpit Regulam S. Columbani.

* for. Genevensis.

Clotarij regis prudentia.

Synodus Matisconensis.

Nota ridiculas Agrestij contra monachos obiectiones

Eustachij ad calumnias Agrestij responsa.

Psal. 120.

Matth. 26.

1 Thess. 5.

capitis comam aliter tonderi, aliter characterem exprimi, & ab omnium recepto more desciſci. Cùm ſic ille friuola garriret, ſagax Euſtachius, vt erat virtute patientię & ſcientię inſignis, reſpondit: In horum præſentia ſacerdotum te ego eius diſcipulus & ſucceſſor, cuius tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad diuinũ iudicium cum illo intra præſentis anni circulum diſceptaturũ inuito, vt iuſti iudicis examen ſentias, cuius famulum tuis obtrectationibus maculare conaris. His dictis, metus quoſdam partis Agreſtianæ perculit, hortanturque omnes, vt pacis nexu corda iungantur, & ille quidem à pręſumptæ temeritatis audacia deſiſteret, hic verò paterno affectu pijs correptionibus labentem foueret. Reſpondet B. Euſtachius: Veſtris ego precibus libens ſatisfacerem, ſi miſera mens duritiam vecordiæ abijceret, & correctis cauterio morbis, vel antidoto curatis viſceribus, redux ad ſana conſilia ſe recipere niteretur. Tum verò cogẽtibus cunctis, Agreſtius ſimulatam pacem poſtulat, vti poſteà factis declarauit. Euſtachius miti animo, & mente virtutum conſcia, ſuaſione poſcentiũ flexus, pacem tribuit, oſculum porrigit. Agreſtius interim manifeſtam veſaniam metu verecundiæ continuit, non tamen à malis penitùs receſſit.

Agreſtius ficte pacẽ petit ab Euſtachio.

CAP. VI.

COEpit nanque poſteà tentare monaſteria, & ſub ſpecie diſcipuli, precium proditionis taxare. Venit verò ad quẽdam virum venerabilem Romaricum, qui primæ nobilitatis fuerat apud Theodebertum regem, porrò beati Columbani exemplo & Euſtachij prædicatione permotus, in Luxouienſi cœnobio monaſticis inſtitutis ſe ſubdiderat. Cùm autem diù ſub regulari tenore vitam ageret, pòſt, Euſtachio annuente, puellarum monaſterium in fundo ſuo extruxit, in quo etiam regulam beati Columbani cuſtodiendam indidit. Cumque iam multa religione polleret, ad eum Agreſtius pergit, ſeſe ſubditum atque obedientem ſimulat, ſimulque Amatum, quem ibi Euſtachius ob imbuendam regulam præfecerat, mollibus ſuggeſtionibus tentat. Eo nanque tempore pro quibuſdam rebus neglectis tam Amatus quàm Romaricus, ab Euſtachio obiurgati fuerant. Læſos ergò vt ſenſit, vt faciliùs exaſperatas mentes ſuis aſſertionibus iungeret, quibuſdam adhibitis ſtimulis id paulatim nitebatur, vt venenata verba ſanæ mentes reciperent, & ſic in contemptum regulæ beati Columbani propriam veſaniam propagaret. Pròh dolor, exitiabili ſuaſione ac letifera ſuggeſtione inſanus ille ſana maculauit. Nam abiectis inſtitutis priſtinis, rudibus plebem doctrinis inſtruere illi conati ſunt: & educto iam antè, iuxta B. Iob, colubro tortuoſo manu obſtetricante diuina, rursùm zelum inuidiæ admittere non metuunt. Deindè ad Burgundoforam dirigit iter Agreſtius, vt eam quoquè ſuis ſtimulationibus, ſi poſſet, macularet. At Chriſti virgo cum non fœmineo more, ſed virili planè reſponſione confudit. Num tu, inquit, confutator veritatis & nouorum introductor argumentorum, ea cauſa huc veniſti, vt veneno tuo dulcia mella miſceres, & vitalia alimenta letali amaritudine commutares? Illis tu detrahis, quorum ego virtutes experta agnoui, quorum doctrinam ſalubrem recepi, ex quorum eruditione multos cæleſtia regna penetrâſſe comperi? Meminiſſe te velim illius Eſaiæ: Væ qui dicit malum bonum, & bonum malum. Accelera, & prorsùs ab hac veſania feſtinus recede. Confutatus ille his Chriſti famulæ reſponſis, rursùm ad Romaricum & Amatum repedat, vt cœptam deceptionis rugam foueat & cõtrahat. Sed non defuit vltio diuina. Cùm enim ad hoc iam omnes adſpirarent, vt contemptui priſtinorũ documentorum ſubſcriberent, & aſſenſores ſe præberent: primùm lupi rabie exagitati, duos ex huius aſſertionis fautoribus, per intempeſtam noctem intra ſepta irrumpentes, morſibus laniârunt, atque ipſos quoquè rabie compræhenſos, miſerabiliter morti tradiderũt. Alium quendam *Plareium, qui ad hunc diſcordiæ fomitem vehementer adſpirabat, dæmoniacus furor peruaſit, atq; ignobiliter neci dedit. nam propria manu ipſe ſe laqueo ſuſpendit. Sed cùm hæc vltio necdùm corrigeret delinquentes, protinùs maior ſecuta eſt. Nam ſubitò fulgur lapſum è cælo magno fragore percutit locum, eccleſiam pertragatur, tegumenta ſubuertit, plebem vrit & exanimat, ſcilicet vt præſens correctio illi, quæ nimia ſimplicitate præueniente, calliditate euerſa, ignauæ perſuaſioni aſſenſum præbuerat, monſtraret futuram debere iram fugere. Mortui ad præſens ſunt vſque ad viginti. Deindè metu perculſos paulatim mors rapuit, vt ex ea vltione, vt aiunt, ampliùs quàm quinquaginta extincti ſint: authore quidem criminis ad pœnitentiam reſeruato, vt ſi agnoſcat & redeat, proculdubiò ſanitatem recipiat. Nullum etenim Dominus perire deſiderat, ſed ſemper quanuis grauibus delictis obrutum, vt per pœnitentię

Nota inſidias Agreſtij ſchiſmatici.

Iob 26.

Burgundofora egregiè cõfutat Agreſtium.

Eſa. 5.

En vltionẽ terribilẽ in calumniatores regulæ S. Columbani.

*Plereum

nitentiæ fomenta resipiscat, expectat. Sed cùm ille sæpiùs sibi datum pœnitentiæ locum non agnosceret, vt B. Eustachij sententia, ad diuinum iudicium ipsum vocantis, præualeret, ante triginta dierum circulum, priusquàm vertentis anni meta compleretur, à seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus, interijt. Occasio criminis dicebatur, vxoris permixtio. Quod quanuìs multi dixerint, & pro vero asserere voluerint, nostrum tamen affirmare non est. Cuncta enim, iuxta Salomonem, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum: & secundùm Apostolum, Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Hoc tamen nobis dicendum est, iustam eum sententiam diuini iudicij ferire non distulisse, vt & assentatores siue asseclas eius cessare à lacerationibus famulorum Dei admoneret, & ille per contumaciam admissa scelera merita vltione lueret. Amatus verò & Romaricus venerabilis Eustachij indulgentiam postulantes, recepti sunt, & submota desidia, eius gratia fruuntur. Porrò Abelenus & cæteri Galliarum episcopi pòst ad roboranda Columbani instituta adspirant: & multi iam, amore beati Columbani & eius regulæ, monasteria construunt, fratres adunant, greges Christi congregant. Inter quos fuit illustris vir Eligius, qui modò Viromandensi ecclesiæ pontifex præest. Qui cùm adhuc supersit, non meo iudicio fulciendus est, nè adulationis insimuler. Is verò apud Lemonicensem vrbem monasterium nobile super fluuium Vincennam, Solenniacum nomine, extruxit, distans ab ea vrbe millibus quatuor, & alia multa ijsdem locis cœnobia. Sed & Parisijs puellarum monasterium, quod regio munere acceperat, ædificat, cui Christi virginem Auream præfecit. In Bituricensi verò vrbe puellarum monasterium secundùm beati Columbani regulam * Bertuara, nobilis genere & religione fœmina, construxit. In suburbio Bituricensi vir venerabilis Theodulphus, cognomento Babelenus, monasteria ex regula beati Columbani, religione omni pollentia extruxit: Primum in insula super fluuium Milmandram, vbì religiosorum virorum adunauit cateruam: Aliud Gaudiacum nomine, haud procùl à fluuiolo Albera: Tertium Christi virginum in loco, dicto Carantonio, super fluuium iam dictum Milmandram. Item aliud Christi virginum iuxta Niuernense oppidum sub eadem regula construxit. Iam verò beatus Eustachius, has adeptus victorias, corrigere delinquentes studet, ac suæ paci eos, qui remanserant, adunare constituit. Porrò monachorum, sub eius obedientia degentium in sæpedicto monasterio ingens creuerat multitudo, vt iam multa per vicina loca cœnobia construerentur, quæ eius successor B. Vualdebertus firmauit atque ædificauit.

Agrestij interitus.

Eccles. 12.

1. Cor. 3.

Amatus & Romaricus conciliatur S. Eustachio

Construuntur multa cœnobia S. Colùbani.

* Bertrada

CAP. VII.

DEniquè beatum ex hac vita præstolans exitum, omni intentione ad contemplanda scripturæ diuinæ mysteria, siue, vt author loquitur, mysticorum præconiorum documenta desudat, soliqùe Deo mente intenta preces fundens dirigit. Cumqùe iam per multorum circulum annorum hoc in opere intentus vacaret, aduenit tempus vocationis, ferturqùe sententia iusti iudicis, vt quod minùs annorum circuli, diuersis afflictionibus peracti, purgauerant, paucorum corporis infirmitas dierum sanaret: interrogatusqùe inter pœnæ incendia sub visione nocturna, si quadraginta dierum spatio leuiori pœna cruciari velit, aut triginta feruentiori incendio purgatus, vitam beatam functus, cælos penetrare, ille respondit: melius esse, quãuis duris breui tempore subiacere flagellis, quàm pœnis leuioribus prolixiùs consumi. Tulit ergò prouisam atque electam corporis pœnam, & die tricesimo omnibus valedicens, triste remanentibus nuncium depromit, suum exitum eadem die esse futurum. Deindè sumpto viatico, animam cælo reddidit, ardensqùe desiderium superis, & paternum regimen viuentibus religionisqùe exempla relinquens, ipse parta victoria, cælorum regna penetrauit, duce Christo, cui est virtus & honor per omnia secula seculorum, Amen,

Visio oblata sancto viro.

Eucharistia munitus obit.

DE S. QVIRINO tribuno & martyre habetur in Gestis Alexandri Papæ & martyris, Tomo 3. Maij die 3.

VITA

VITA BEATI IOHANNIS CLIMACI, A DANIELE MONACHO CONSCRIPTA.

Martij 30.



Vænam hunc virum diuinum ciuitas tulerit, atque ante cælestis militiæ gloriosam exercitationem educauerit, non facilè dixerim, cùm id mihi non satis diligẽter exploratum sit. Quænam verò modò ipsum ferat, æternisque & immortalibus delicijs pascat, longè ante nos Paulus expressit. Est enim & ipse penitùs cælestis illius Hierusalem effectus municeps, in qua ecclesia primitiuorum est: quorum, inquit, conuersatio in cælis est, vbi spiritu purgatissimo atque ab omni materia remoto diuina insatiabiliter hauriens, pulchritudines inuisibiles contemplans, digna sudorum præmia recipit, laborumque mercedem quietissimam refert. Nam cęlestis regni hæreditate potitus, cum illis iam in æternum tripudiat, iungitque lætitiam cum ijs, quorum pes stetit in directo. Quonam verò modo beatitudinem istam sibi comparauit, iam dicere instituam.

Heb. 12.

Anno ætatis 16. fit monachus.

Hic cùm per ætatem corpoream sexdecim fermè esset annorum, seipsum obtulit Christo sacrificium gratum atque acceptabile, monasticæ vitæ iugo colla subijciens in monte Sina, eo puto consilio, vt ipsa visibilis loci commoratione admonitus, ad inuisibilem Deum faciliùs dirigeretur, & aptiùs perduceretur. Atque peregrinationẽ, vt intellectualium adolescentularũ magistram, in primis adamauit, per quam turpi & noxia confidentia omni reiecta, humilitate honestissima assumpta, dæmonẽ illum, à quo nonnunquàm, vt nobisipsis placeamus, nobisque confidamus, inducimur, à se penitùs eliminans, ab ipso quoquè cordis aditu reiecit. Inclinans verò ceruicem, & confidens in Domino, ac ei, qui se susceperat, patri, velutì optimo cuidam gubernatori, se totum permittens, altissimos atque sæuissimos vitæ præsentis fluctus sine periculo traijciebat.

Summa ei' obedientia.

Adeò verò perfectè mundo proprijsque voluntatibus mortuus erat, vt inexpertem rationis ac voluntatis animam quandam habere videretur, atque proprietate naturali omninò liberatam. Idque, cùm ante hanc cælestem simplicitatem mundanæ sapientiæ non fuerit imperitus, sanè mirabilius est. Philosophiæ enim tumor à Christi humilitate, vt plurima alia, longè remotus est.

Decem igitur & nouem annis ità conuersatus est, ac beatæ subiectionis exemplar omnibus factus: cùm is, qui se exercuerat, senior sanctus migrâsset ad Christum, & ipse ad vitæ solitariæ studium egreditur, illius orationibus, vt armis potentissimis, fretus ad destructionem munitionum satanæ. Quinto autem ab ecclesia lapide palæstræ suę domicilium constituit, loco cui Tholas nomen est. Ibiq; quadraginta annos summa animi magnanimitate & alacritate transegit, ardẽtissimo amore ac diuinæ charitatis igne semper æstuans. Iam verò quis possit, quantos illic pertulit labores, dignè aut verbis, aut plausibus prosequi? Quomodò enim id efferri in lucem poterit, cùm omnis eius labor clàm & sine arbitro exactus sit? Veruntamẽ ex primitijs quibusdam & velut præuijs occasionibus, beatissimi viri sanctum vitæ institutum audiamus.

Fit anachoreta.

Cibi parsimonia.

Edebat quidem ex omnibus, quæ sibi per professionis suæ votum edere licebat, sed modicè omninò, vt & ex hoc fastum atq; elationis cornu sapientissimè deiecerit, breuitate quidem victûs insanam gulæ rabiem penitùs affligens, atque illi per inediam clamans: Tace, Obmutesce: & ex omnibus modicè gustando, tyrannidem inanis gloriæ sub iugum mittens. Solitudine prætereà & raro hominum congressu, fornacis huius flammam, luxuriã scilicet, adeò extinxit, vt omninò obstructa sedaretur, nullasq; molestias irrogaret. Cupiditatem verò (quam idolorum venerationem Apostolus esse diffiniuit) misericordia Dei, rerumque exiguitate fortissimè fortis iste superauit. Accediam verò animique desidiam, (quam meritò iugem animæ mortẽ dixerim) mortis memoria iugique pietatis exercitatione deuitauit. Cumque nullius mortalis rei affectione teneretur, æternorumque solùm sensu pasceretur, noxiæ tristitiæ liber euasit. Iracundiæ verò tyrannidem in seipso per obedientiæ gladium occiderat. Raro prætereà congressu corporis, rarioreque vsu sermonis, inanis gloriæ sanguisugam, araneæ similimam, mortificauit. Quid octaui vitij supremam diligentissimamque emundationem, superbiæ scilicet, prosequar, quam cœpit quidem per obedientiæ mansuetudinem nouus hic Beseleel, perfecit verò cælestis Hierusalem Dominus, præsentia sua adueniens,

Vitia vt in se extinxerit.

Galat. 5.

lteniens, humilitatemque aduersùs illam exaltans, qua sine diabolum eiusque conformem classem destrui possibile non est.

Gratia lachrymarũ.

Vbi verò in huius coronæ cõtextu ponam lachrymarum illius fontem, rem quidem raram, & quæ in multis non facilè inuenitur, quarum hodiè superest secreta officina, spelunca breuissima in extremitate quadam ad radicem montis posita, tantumque ab illius atque omni alia cellula remota, quantum ad obseruandas gloriæ inanis aures, satis esse videbatur? Ad cælum verò vsque gemitibus, suspirijs, singultibus, precibusque & eiusmodi reliquis, quæ ab his fieri solent, qui gladijs cauterijsq; punguntur, & quibus effodiuntur oculi, pertingens: somni tantum capiebat, quantum sufficere posse arbitrabatur ad seruandam animi intellectusque substantiam, nè per enormitatem vigiliarum contabesceret. Ante somnum verò vtplurimùm orationibus vacans, libellos etiã conscribere solitus erat, quo solo opere acediæ languorem ab se fugabat. Porrò cursus eius omnis, perpetua erat oratio, amorque incomparabilis ad Deum: hunc enim die noctuque mundissimo castitatis speculo intuens, satietatem vllam capere nolebat, immò verò (vt magis propriè eloquar) non poterat.

Somni parcitas.

Huius aliquandò diuini patris vitam imitari cupiens, eiusque disciplinis imbui, atque ab eo veræ philosophiæ elementa percipere, quidam ex his, qui vitam solitariam delegerãt, Moyses nomine, plerosq; sanctorum patrum precatores exhibuit, per quos, vt se in discipulum susciperet, summis precibus orauit. Igitur illorum precibus fretus, à sancto viro, vt optauerat, susceptus est. Huic aliquandò sanctus pater præceperat, vt quodam ex loco pinguis glebæ materiam conueheret, pro lætiori hortuli olerumque cultura.

Moyses discipulus sancti viri.

Perueniens igitur Moyses ad denotatum sibi locum, quod iussus fuerat, impigrè exequebatur. Sed cùm iam meridianũ tempus adesset, & solis incendio, fornacis in morem, locus ille ignesceret, (erat enim mensis Augustus) victus Moyses, & ex transuectione fatigatus, aliquantula requie opùs sibi esse decernit, atque sub immanis saxi vmbra seipsum dimittens, obdormire cœpit. Sed clementissimus Deus fideles seruos suos in nullo contristari permittens, cùm iam periclitaretur Moyses, consueta illum misericordia hoc modo præoccupat:

Magnus hic pater noster Iohannes cùm in cellula sua degeret, sibijpsi & Deo, vt consueuerat, vacans, in somnum quendam tenuissimum incidit, viditque per visum virum quendam augustiore facie & habitu se excitãtem, somnosq; sibi exprobrantẽ ac dicentem: Tu'ne Iohannes ità securè obdormis, & Moyses periculo proximus est? Citiùs itaque euigilans, oratione statim armatur, pro discipulo supplicans. Quem postmodùm ad vesperã reuertentem interrogat, num aliquid sibi aduersum atq; insperatũ contigisset. Tunc ille, Saxum, inquit, miræ magnitudinis parùm abfuit quin me demoliretur & penitùs contereret, cùm sub illo profundè obdormirem, nisì vocem tuam me audire existimans, ex loco, concito saltu, timore plenus desilissem. Quo facto, continuò saxũ illud è * ripa euulsum, ac terræ affixum conspexi. Quo audito, vir Dei verè mente humilis, nihilq; ex his, quæ viderat & audierat, discipulo annuncians, occultis clamoribus & intimæ charitatis vocibus hymnum dicens, gratias vberrimas retulit Deo.

Seruatur Moyses à præsentissimo periculo.

* for. rupe

Erat enim vir sanctus occultorum vulnerum medicus. Monachus enim quidã, Isaac nomine, quum aliquandò graui carnis æstuaret incendio, cursu ad illum peruenit, vndiquè mœrore circunfusus, intestinumq; bellũ singultibus & lachrymis patefecit. Eius itaque fidem & humilitatem vir Dei admiratus, blandè his vocibus consolatur, dicens: Stemus, inquit, ambo ad orationem fili, & omninò clemẽs & misericors Dominus preces non despiciet nostras. Quod quum factum fuisset, necdùm oratione completa, adhuc prono in faciem infirmo fratre prostrato, voluntatem serui sui Dominus fecit, vt ex hoc prophetam suum vera dixisse ostenderet: serpensque carnis effugit, flagellis intentissimæ orationis edomitus. Porrò is, qui hactenùs fuerat æger, liberatum se ægritudine conspiciens, omniq; iam huiusmodi perturbatiope curatum, obstupuit valdè, Deoque & inclyto eius famulo gratias retulit.

Esa. 65.

Cùm verò prætereà hic venerandus pater verbo gratiæ ad se venientes affatìm exatiaret, ac doctrinæ fluenta largissimè profunderet, maligni quidam homines, inuidię facibus inflammati, tantamq; frugem, quãta ex illius doctrina gignebatur, cohibere molientes, loquacem illum ac nugacem vocare cœperunt. Quod ille animaduertens, cunctaq; in eo, qui se confortabat, Christo posse edoctus, nec solùm per sermonis exhortationem eos qui ad se vtilitatis suæ causa veniebant, erudire volens, sed multo potiùs per

Obtrectatores patitur vir sanctus.

2. Cor. 12.

silentium, & per operum philosophiam, vt, sicut scriptum est, abscinderet quærentium occasiones, vsq; ad certum tempus tacere instituit, mellifluumq; doctrinæ fluuiũ compescere: satius esse & melius existimans, hoc interim detrimento affici studiosos bonorum amatores, quibus fortasse per silentium amplius profuturus erat, quam ingratos illos iudices amplius iritari, ne vlterius eorũ malitia & maleuolentia excresceret. Quocircà & illi reueriti humilitatem ac modestiam viri, conscijq; quòd sibi eiusmodi vtilitatis fontem obturauerant, quantiq; detrimenti omnibus extiterãt, ad virum supplices adueniunt, doctrineq; sermonem communi voto cum alijs exposcunt. Cessit igitur statim, vt qui contradicere non nôrat, & denuò prioris statûs arripuit normam.

Creatur Abbas. Cùm igitur ità bonis omnibus excelleret, vt similis inueniri non posset, vno simul oẽs voto, vnoq; affectu tanquam nouum quendam Moysem inuitũ illum ad fratrum magisterium & regimen assumpserunt, lucernam (vt ità dixerim) super principatûs candelabrum eleuantes, optimi sanè talium iudices: nec spe sua frustrati sunt. Ascendit enim & ipse ad montem, sacratamq; caliginẽ subiens, Dei manibus cõscriptam legem suscepit, Deiq; contemplatione fruens, & intellectualibus gradibus scandẽs, verbo Dei aperuit os suum, & spiritum attrahens, eructauit verbum bonum de bono thesauro cordis sui.

Sic igitur impleuit finem visibilis vitæ in principatu Israëlitarum monachorũ, in hoc solùm a Moyse differens, quòd supremam Hierusalem summa facilitate cõscendit. Ille enim, nescio quo modo, etiã terrena frustratus est. Attestantur autem his, quæ diximus, quotquot per eum spiritûs sancti eloquijs & gratia potiti sunt, plurimiq; ex his eius gratia saluati sunt, hodieq; saluantur. Testis optimus sapientis huius salutis simulq; sapientiæ nouus Dauid. Testis item & pastor noster optimus Iohannes, à quo magnus ille exoratus, de Sinai monte ad nos vsq; animæ cognitione descendens, veluti nouus aliquis Dei speculator, suas à Deo tabulas inscriptas ostendit nobis: extrinsecùs quidem actiuæ vitæ, intrinsecùs verò contemplatiuæ doctrinam continentes.

VITA S. GVIDONIS CONFESSORIS, CVIVS OSSA HODIE'QVE INTER SE COHAERENTIA CERNVNTur Spiræ, quò translata sunt ab Henrico III. Anno Christi 1047.

Habetur hæc Vita in vetusto exemplari MS. ab eius quodam æquali, vt apparet, scripta: sed in gratiam Lectoris stylum mutauit F. Laur. Surius, & nonnihil contraxit. Sub finem quædam desunt in exemplari. Addidimus paucula ex Breuiario Spirensi.

31. Martij. quo die decessit: sed festum celebratur 28. Aprilis.



PRæclaram beatissimi Guidonis cõscripturi vitã, primò eius parentes & patriam, pòst virtutes oratione qualicunq; explicare conabimur, eius freti adiutorio, in cuius laudem id suscipimus. Patrem igitur habuit Albertũ, matrẽ Martiam, patriam Rauennam, in cuius villa suburbana, quæ Casamariensis dicitur, natus est. Parẽtes eius fuêre genere nobiles, religione Christiani ac Deo deuoti. Rauennæ adhuc puer literarum studijs deditus fuit. Adolescens animo secularis, & vestibus comptus, nec à mundi pompis prorsùs alienus, iam videbatur abiturus præceps in vitiorum gurgites, mundo eum illiciente, & sua cupiditate inescare atque implicare nitente: sed benignissimi creatoris gratia ab hoc præcipitio potẽter ereptus est. Itaque sancti spiritûs accensus igne, & cælestibus ardens desiderijs, cœpit mundanis negocijs nuncium remittere, terrena desideria calcare, horrere quicquid blanditur carni, cælestis patriæ dulcedini inhiare.

S. Guido cupit mundo valefacere, & habitum monasticũ sumere. Etsi autem summoperè cupiebat ponere secularem habitum, quandò tamen non ignorabat parentes id nulla ratione laturos, animo id apud se celabat. Cumque parentes eum vellent inire coniugiũ, ille verò anxius cuperet suum explere votum, aliquandò patri suo ità dixit: Duas ego mihi conciliaui sponsas, quarum altera insigni est potentia & nobilitate: altera longè hac inferior & opibus & prosapia: sed me tamen impensè diligit, & ego iam totus in eius labor amorem, nisi tu pater aliam commodiorem indices. Prior illa generositate & potestate sublimis absque multo labore & difficultate obtineri non potest, ad eamque mihi valdè arduus atque difficilis patet accessus.

cessus. Vtram ergò vis, mi pater, vt sponsam mihi asciscam? Parens verò gratulabundus, Age, inquit, fili charissime, nulla te vel pericula vel fastigia segnem efficiant, nulli alterius amores eneruent vel degenerem prodant, nulla quantumuis ampla dos à nobilissimæ & potentis sponsæ thalamo retardet. Sume animum, & quanta maxima potes virtute contende, vt tam illustris sponsæ fruaris contubernio. Turpe est enim, ob labores non diuturni temporis tantam rebus tuis optimè consulendi, & ad tantam pertingendi felicitatem negligere occasionem.

His & id genus alijs sermonibus pater exhortabatur filium, putans eum adspirare ad nuptias sponsæ mortalis. Sed ô adorandam Christi virtutem, quæ cùm semper sit admirabilis, attamen in hoc nostri temporis beato viro eximiè prædicanda videtur. Nam tametsi ob singularem virginitatis aliarumque virtutum prærogatiuam non sit æquiparandus beatissimo Ioanni Euangelistæ: at tamen propter eius eximiam sanctitatem, alterum Ioannem, si fas est dici, quodammodò eum appellare possumus. Eximia eius sanctitas. Parentis enim sui sermones animo affixit suo, viresque sibi, vt is hortatus erat, assumens, ignobilem illam sponsam, cuius se amore penè abreptum fatebatur, & verbis & factis cœpit fastidire ac respuere, atque ad præclaram illustris illius ac præpotentis sponsæ copulam ardentissimo animi studio adspirare. Ignobilem atque vilem, caducam & imbecillam sponsam intelligi voluit, vt re vera est, mundi gloriam & fugaces voluptates: potentissimam verò atque nobilissimam, cælestem sapientiam & disciplinam, religionisque diuinæ exercitationem: cuius tanto flagrabat desiderio, vt extra illam nihil ei adlubesceret, præter eam nihil in hoc mundo sibi expetendum putaret. Itaque, vt pater admonuerat, breuis vitæ huius labores paruipendens, oblectamenta pro nihilo ducens, dura omnia pro mollibus, aspera pro læuibus, aduersa pro secundis habuit.

Sciens autem dixisse Dominum IESVM, Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: Luc. 14. quadam nocte celeberrimæ apud Rauennates beati Apollinaris martyris solennitatis, preciosis se vestibus exuens, & pauperibus eas elargiens, vilissima se veste induit, & inscijs parentibus è patria proficiscens, Romam iter intêdit. Vili habitu it Romã, & fit clericus. Vbi cùm in Clerum cooptatus esset, statuit ire Hierosolymam, nec vnquàm redire ad suos. Intereà verò diuina est reuelatione admonitus, vt Rauennam repetens, subdat se Martini eremitæ magisterio. Is Martinus tantæ fuit abstinentiæ & religionis, vt penè toti Italiæ non mediocri esset venerationi. Fecit ergò, vt erat iussus, venit ad Martinum venerabilem eremitam, aperit ei desiderium suum, accipitur ab illo sanè peramanter, & post suauia sanctæ exhortationis verba ait ad eum vir Dei alacri, vt semper erat, vultu: Vis'ne, fili charissime, monachi vestem accipere? Tum ille: Id verò semper mihi, inquit, in votis fuit: simulque orabat, vt ocyùs ea veste indueretur. timebat enim, nè parentes repertum ipsum abducerent, & mundi huius illecebris rursùs seruire compellerent. Sed vir sanctus voluit eam rem in crastinum differri, vt interìm plùs deliberaret.

Cernens ille retardari desiderium suum, cùm esset feruenti spiritu, ipsus sibi cucullum induit, & postridiè manè sic vestitum exhibet se viro Dei. Sciscitante illo, cur id fecisset, respondit se flammam pectoris sui ferre nullo pacto potuisse. In eo autem feruore semper permansit, & illi venerabili viro, quoàd vixit, totum se in omnibus subdidit: Fit monachus, & adhæret Martino eremitæ. vixitque cum illo tribus annis solitariè in insula, quam Padus fluuius à Pomposia separat. Pomposianum autem monasterium, tum quidem pauperrimum, volente sic Imperatore, curæ huius Martini erat demandatum, interim tamen regulariter ei domino Guilelmo præsidente: sed quo maior illic terrenarum facultatum erat inopia, tanto amplior religionis & diuini cultûs copia visebatur. Voluit autem vir Domini Martinus beatum Guidonem in illo commorari monasterio, vt pleniùs disceret monasticæ disciplinæ & religionis instituta & perfectionẽ. Quam verò accuratè & absolutè ea didicerit, si quis nôsse velit, poterit haud difficulter, si se ad illud conferat monasterium, cui posteà ipse præfectus fuit. Eius autem cœnobij fratres etsi eu simplicem & vili amictum veste eum irridebant, at conijciebant tamen fore, vt quandoquè apud ipsos Abbatis munere fungeretur. Vir enim reuerendus Guilelmus temporis successu omnia ei, sed alia post alia, monasterij officia vel ministeria demandauit: Varijs fungitur officijs in monasterio Pomposiano. Indè verò in S. Seueri monasterio præpositi munus obire eum voluit, illo se in omnibus ad monastici canonis seu instituti præscriptum rectè gerente.

Per id tempus dominus Guilelmus in eremum secessit, alium suo loco fratribus

Pompoſianis Abbatem præficiens. Ioannes Angelus is dicebatur, vir ſimplex & rectus, miræque abſtinentiæ. Sed eo defuncto, atque ad Angelorum tranſlato conſortium, quanuis multū renitens, & ſe indignum clamitans, Abbas Pompoſiæ inſtitutus eſt Guido beatiſſimus, cogente eum domino Martino, cui iamprìdem in omnibus parére conſtituerat: nec tamen vllo modo ſarcinam illam ſibi imponi paſſus eſt, donèc ab eodem viro Dei Martino id impetrâſſet, vt quandoquè liceret eam, relicta Abbatia, deponere. Porrò autē & parens eius, cuius ſuprà meminimus, & frater, Gerardus nomine, ad eum venerunt, & ſub eo, contempto ſeculo, religiosè & ſtrenuè Chriſto militârunt, atq; feliciter ſuas animas Domino reddiderunt. Cùm autem præclarè monaſterium illud ab eo gubernaretur, & monachorum increſceret numerus, aliud cœpit, quod hodieque permanet, condere cœnobium. In quo ſanè quæ per illum & ſub illo patrata ſint, atq; etiam perpetrentur miracula, orationis noſtræ tenuitas explicare ſatis non poteſt: ſed tamen diuina freti ope, ſimplici ſtylo pauca ex multis annotabimus.

Abbas conſtituitur.

Multa eius miracula.

Cùm iam ſtructura huius monaſterij fieret, fratribus aliquandò in muro laborantibus, crates ſupra modum grauatę petrarum congerie, accedente etiam mali dæmonis inuidia, abſente patre Guidone deciderunt. Simul autem lapſi fratres quidā, nihil mali paſſi ſunt, nonnulli verò penduli hæſerunt non ſine magno diſcrimine. Quod vbì reſciuit venerabilis pater, citò adfuit, & ſuis illos precibus depoſuit illæſos. Alio tēpore eidem muro impoſitum vas ligneum vino plenum, quo operarij vterētur, caſu in terram corruit, & tamen neque confractum fuit vas, neque vinum effuſum.

Inſigne miraculum.

Aliud.

Sub eadem ſtructura magna aliquandò victûs inopia premebat operarios: ſed beato Guidone Dominum obnixè deprecante, & ab eo opem & copiam illis promittente: cùm iam nihil eſſet, quo poſtero die refici poſſent, omnes aduersùs illum murmurare, eique plùs ſatìs moleſti eſſe cœperunt. Ferebat id ille patienter, & ſimul de ratione comparandæ alimoniæ cogitabat. Itaque Rauennam ea cauſa proficiſcens, non longè à monaſterio incidit in duas naues plenas vino & frumento, diuinitùs ei præparatas. Tum ille ſummæ Trinitati gratias agens, lætus redijt, & fratres diù ſuſtentauit, admonens nè deincèps diffiderent. Frater quidam idiota, Martinus nomine, apud quandam defunctus eſt eccleſiam, quæ intra illius inſulæ ſyluam ſita erat, à memorato cœnobio plus octo milliarijs diſtans. Adductus autem ad monaſterium, poſt perſoluta ex more defunctorum officia, poſt Miſſarum completa ſolennia, vitæ redditus, inſtanter petijt acciri ſanctum patrem Guidonem. Aduenit ille, accuratè perquirit, & non abſque tremore petit, vt exponat ſi quid viderit. At ille, Vidi, inquit, loca pœnarum ſanè terribilia, & in ijs multos propinquos meos, mihique notos. Cùm autem tremebundus aſpicerem, quidam mihi apparuit formoſiſſimus vir, ſtola candida indutus, miram in capite ferens tiaram, & altera manu virgam, altera ceu fauum mellis retinēs. Porrigens verò mihi fauum, iuſſit vt comederem. Renuente me præ timore, rursùs iubet vt comedam ſecurus, nihil reformidans. Percunctanti autem mihi, quis eſſet, ait ſe Michaëlem eſſe Archangelum, miſſúmque vt me cōſolaretur. Tum ego valere iuſſo timore, totum comedi fauum. Deindè iuſſit me redire ad corpus, & triduo duntaxàt hic permanere. Eo autem triduo dixit idem frater palatum ſuum illius faui guſtu affici. Poſt triduum, percepta beati Guidonis benedictione, iterùm obdormiuit in pace.

Defunctus reuiuiſcit.

Rursùs poſt triduum decedit.

Eodem tempore alius frater, qui Bertholdus dicebatur, cùm propinquus morti tardè admodùm animam efflaret, conſcientiæque ſtimulis pungeretur, benignitate Dei & precibus ſancti Guidonis ſibi redditus eſt. Rogantibus autem fratribus, quid ſub ijs tam diuturnis mortis angoribus vidiſſet: Vidi, ait, dæmones aduersùm me ſæuientes, & peccatum quoddam mihi obijcientes. Cùm enim in ſeculo degerem, non niſì vnam didici incantationem, qua vſus fui, ſed ea iam planè etiam ex animo exciderat. Hanc ſolam illi mihi procaces ſpiritus horrendum in modum obiecerunt: ſed virtute Chriſti, atque orationibus ſanctiſſimi patris Guidonis, veſtriſque profligati, triſtes abſceſſerunt. Deindè accepta pœnitentia, in pace perpetua ilicò quieuit.

Item alius frater.

Poſtquàm autem illud, quod diximus, monaſterium ſanctis ſtudijs & exercitijs florere cœpit, multiſque opibus abundare, monebat vir ſanctus ſubditos ſuos blandè ac comiter, ſuarumque eos virtutum informabat exemplis. Proponebat illud ex Propheta, Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: & illud Apoſtolicum: Curam carnis nè feceritis in deſiderijs: itemque ex Ieremia, vt diem hominis non con-

Pſal. 61. Rom. 13. Ierem. 17.

concupiscerent. Aiebat eum diem hominis concupiscere, cuius animus carnis oblectamentis inhiet: qui ventris ingluuiem immodico cibo ac potione perpetim expleat, atque æstu libidinis abreptus, fœdas sui corporis sectetur voluptates. Audiebant hæc eius monita fratres, & suis animis affigebant. Erant sanè apud illos ieiunia multa & mirabiles abstinentiæ, multa psalmodiarum & vigiliarum instantia, haud vulgaris humilitas & patientia, insignis charitas & mutua reuerentia atque obedientia, singularis aliorum erga alios beneuolentia, magnum silentij studium, magna in loquendo grauitas, eximia puritas cordis: atque vt re ipsa declararent, se non surda aure accepisse patris Guidonis adhortationem, nè cor diuitijs apponerēt, licèt illis esset summa diuersorum piscium copia, tum eius iussa, tum sua sponte atque voluntate non nisi tribus tantùm diebus hebdomadis singulis sibi piscium esum permissum esse debere statuerunt. Quod quidem absente patre Guidone cùm die quodam non obseruâssent, Prioris indulgentia conniuente, diuinitùs sic multati sunt. Erat tum illis magnus porcorum grex. is ad dies quindecim adeò perditus fuit, vt nulla cū ratione reperire possent. Sensit vir Deo plenus ob aliquam culpam id accidisse. Quam vbi facta inquisitione cognouit, non mediocri satisfactione eam voluit expiari. Ac deindè sine vllo duce totus ille grex confestim domum reuersus est.

Virtutes fratrū, sub Abbate Guidone degentium.

Frater quidam religiosus, Sergius, templi custos lampades purgans, stabat in alto tripode. Excidit autem lampas vna ex manibus eius in pauimentum, & fracta est penitùs. Territus ille, collegit fragmenta, & ante altaris crepidinem condens ea, festinus abijt ad patrem Guidonem, vt mulcta ab eo propter damnum illatum ipsi irrogaretur. Quod cùm factum esset, ilicò redijt ad altare, & lampadem sanam atque integram inuenit. Quadam Palmarum nocte lampas ab excelso loco, putà ab ipsis templi trabibus decidit, & tamen neque illa confracta fuit, neque oleum effusum. Neque id semèl tantùm accidit, sed tertiò eadem lampas idem passa, illæsa adhuc permanet.

Lāpas fracta diuinitus redintegratur.

Heribertus Rauennas Archiepiscopus tanto aliquandò furore in virum Dei commotus fuit, vt Pomposianum cœnobium armata manu destruere meditaretur. Id vbì perlatum est ad hominem Dei, cum omnibus monachis in preces feruenter incubuit: omnesque laneis positis vestibus, asperrimis & cilicinis induti sunt, imitati prophetam, qui ait: Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Tres autem dies & noctes continenter sic vestiti, calceis quoquè abiectis, solo pane hordeaceo & aqua contenti, quotidiè sua sponte acriter in domo capitulari virgis cædebantur, nec vlla vel in templo, vel in refectorio sede alia, quàm humo vtebantur. Non immemor autem Deus suauissimæ illius promissionis suæ, Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me: tali visione eos consolatus est. Apparuit cuidam ex eis beatissima mater Dei & virgo perpetua, virginum stipata agmine, blandoque vultu hortata est eum, nè timeret: monuitque vt in cœptis permanerent, certi se exauditum iri: addidit etiam, donèc triduanum eiusmodi seruarent ieiunium, à nullo neque visibili neque inuisibili hoste monasterium ipsorum superatum iri. Expergefactus ille, postquàm tempus adfuit, quo loqui liceret, omnia hæc Patri Guidoni & fratribus enarrauit. Veram autem fuisse visionem, pax reddita comprobauit. Cùm enim Archiepiscopus eo, quo diximus, animo venisset ad monasterium, fratresque omnes, licèt non ignari quid vellet, obuiàm ei cum timore procederent, atque suo more honorificentissimè illum in ecclesiam perduxissent, ille humì prostratus, vt Deo preces offerret, diuinitùs adeò compunctus est, vt surgens, perfusus ora lachrymis, animo placidum & vultu blandum atque affabilem se illis exhiberet, perpetuamque cum illis iungeret amicitiam, & beato Guidoni deincèps quoàd vixit humanissimum se præstaret.

Psal. 34.

Psal. 49.

Visio fratris cuiusdam.

Vide effectum precum, ieiuniorum &c.

Hic desunt reliqua in MS. codice: quæ sequuntur, ex Breuiario Spirensi adiecimus.

INter ea verò, quæ per ipsum Deus in vita operatus est miracula, quosdam in cœnobij sui renouatione, per cohærentiam lignorum ruinam minantium in periculo mortis constitutos liberauit. Alios quartanis febribus laborantes, per potatam manûs suæ lotionem curauit. Posteaquàm igitur annis duodequinquaginta Pomposium cum laude gubernâsset, iturus obuiàm Imperatoris legationi, in ipso itinere apud Parmam feliciter expirauit pridiè Calendas Aprilis, anno salutis millesimo quadragesimosexto. Cùm autem Parmenses venerabile corpus è manibus fratrū

Miracula S. Guidonis.

Obitus eius.

vi abstulissent, superueniens Imperator Henricus, eius nominis tertius, sacratissimas exuuias humiliter veneratus, primò fecit eas Veronam in sancti Zenonis ecclesiam reponi: deindè circa annum Domini millesimum quadragesimumseptimum de Verona Spiram transferri in ecclesiam collegiatam, quæ tunc à patrono suo primo, diuo Ioanne Apostolo & Euangelista nomen habuit: nunc verò ob sacratissimarum præsentiam reliquiarum sancti Guidonis appellationē obtinuit: vt quemadmodùm Conradus Imperator, eius nominis secundus, pro fundamēto iaciendo in primi lapidis collocatione felix eidem ecclesiæ dedit initium, ità per filium eius Henricum tertium, à venerandis eiusmodi reliquijs, manu sua præsentatis, non indignum sumeret post tantam immutationem cognomentum: Ad laudem Dei in secula benedictum, Amen.

Corpus eius transfertur Spiram.

FINIS MARTII MENSIS.

APRILIS.

MARTYRIVM SANCTARVM AGAPES, CHIONIAE, ET IRENES, QVAE APVD THESSALONICAM *passæ sunt, authore Simeone Metaphraste.*

1. Aprilis, vt hæc testatur historia, quātum ad Irenē attinet, Latina Martyrologia 3. & 5. Aprilis has martyres habent.



QVanto ex aduentu & pręsentia Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi maior gratia in humanum genus collata est, quàm olìm fuerat, tanto & sanctorum hominum victoria maior extitit. Pro his enim hostibus, qui corporeis oculis cernuntur, hostes illi superari iam cœpti sunt, qui oculorum sensu percipi non possunt. Nam dæmones ipsi, quorum naturæ spectabiles non sunt, vel à purissimis atque honestissimis fœminis, Spiritu sancto plenis, superati igni traduntur. Tales fuerunt tres illæ sanctæ mulieres, quæ ex vrbe Thessalonica originem ducebant: quam vrbem sapientissimus Paulus celebrauit, cùm eius fidem & charitatem laudans, sic ait: In omni loco fides vestra in Deum peruagata est. Atque alibì: De charitate, inquit, fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem.

1.Thessal.1. & 4.

Cùm igitur persecutio à Maximiano Imperatore aduersùs Christianos illata esset, mulieres illæ, quæ virtutibus seipsas ornauerant, Euangelicis legibus obedientes, propter summam in Deum charitatem & cælestium bonorum spem, patrisque Abraham factum imitantes, patriam, cognationem facultatesque omnes reliquerunt, ac persecutores fugiendo, quemadmodùm Christus præcepit, altum quendam montem petiērunt, ibique diuinis precibus operam dabant: & corpus quidem ipsum ad montis celsitatem contulerunt, eorum verò animus in cælo ipso versabatur. Cùm autem in eo loco fuissent compræhensæ, ad eum, qui persecutionis author erat, Magistratum ductæ sunt, vt reliqua diuina præcepta exequentes, & ad mortem vsque suam in Christum charitatem seruantes, immortalitatis coronam assequerentur. Vna quidem è tribus illis præcepti perfectionem possidens, & Deum ex toto animo diligens, & proximum sicut seipsam, sancto Apostolo dicente: Finis præcepti est charitas: meritò Agape vocabatur. Hoc enim nomine Græci charitatem appellant. Altera purum ac splendidum baptismatis nitorem seruans, ità vt de ipsa propheticum illud dici posset: Lauabis me, & super niuem dealbabor: à niue nomen accepit: Chionia enim dicebatur. Tertia Saluatoris & Dei nostri donum, hoc est, pacem in se habens, & in omnes exercens, quemadmodùm Dominus dixit: Pacem meā do vobis: Irene ab omnibus vocabatur, à pace nomē accipiens. Has tres fœminas cùm ad se ductas, & ità affectas Magistratus vidisset, vt dijs sacrificia offerre nollent, igne cremandas esse decreuit, vt per ignem exigui temporis, igni subiectos diabolum omnemque dæmonū cateruam, ipsius diaboli exercitum,

Gen.12. Matth.10. 1.Tit.1. Psal.50. Iohan.14.

citum, qui sub cælo est, superantes, incorruptam gloriæ coronam adipisci, ac Deum ipsum, à quo gratia eis collata est, cum Angelis perpetuò collaudare possent. Quæ verò ab illis gesta sunt, ea breuiter narrabimus.

Cùm præsideret Dulcetius, Artemensis scriba dixit: Cognitionem de his, qui præsentes sunt, à Stationario missam, si iubes, legam. Iubeo, inquit Dulcetius Præses, te legere. Tunc ait Scriba: Ordine tibi meo domino omnia, quæ scripta sunt, recitabo. Cassander beneficiarius hæc scripsit: Scito, mi domine, Agathonem, Agapen, Chioniam, Irenen, Casiam, Philippam, & Eutychiam nolle his vesci, quæ dijs sunt immolata. Eas igitur ad tuam amplitudinem adducendas esse curaui. Tunc Dulcetius Pręses illis dixit: Quænam est ista vestra tanta insania, vt nolitis religiosissimis nostrorum Imperatorum & Cæsarum iussis obedire? Agathoni autem: Quarè, inquit, tu ad sacra proficiscens, quemadmodùm consueuerunt, qui dijs consecrati sunt, non his sacris vsus es? Respondit Agatho: Quoniam Christianus ego sum. Tum Dulcetius: Num tu etiam hodierno die in eo proposito permanes? Maximè, inquit Agatho. At ille: Tu verò Agape, quid ais? Respondit: Ego Deo viuenti credo, neque volo rectè factorum cōscientiam meam perdere. Tunc Præses: Tu autem quid ad hæc dicis Chionia? Ait illa: Cùm Deo viuo credam, ob id nolui facere, quod dicis. Ad Irenen verò cōuersus Præses, ait: Quid'nam tu ad hæc? Cur non pijssimo nostrorum Imperatorum & Cæsarum iussui obtemperauisti? Diuini timoris causa, inquit Irene. Dein Præses: Tu verò Casia, quid ais? Animam meam, inquit Casia, seruare volo. Præses autem: Nunquid sacrorum vis esse particeps? Minimè, inquit illa. Tunc Præses: Tu verò Philippa, quid dicis? Respondit illa: Idem & ego dico. Quídnam, inquit Præses, hoc idem est, quod dicis? Illi autem Philippa: Mori mâlo, quàm vestris sacrificijs vesci. Tunc Præses: Sed tu Eutychia, quid ais? Idem, inquit illa, & ego dico: mâlo & ipsa mori, quàm facere quod iubes. Ait illi Præses: Num virum habes? Mortuus, inquit Eutychia, ille est. Præses verò: Quampridèm mortuus est? Ante menses ferè septem, inquit Eutychia. Tunc ille: Et vndénam igitur grauida facta es? Ex eo, inquit illa, viro, quem dedit mihi Deus. Præses autem: Hortor te Eutychia, vt ab ista insania desistere velis, & ad humanas cogitationes redeas. Quid ais? vis'ne regali edicto parére? Minimè, inquit Eutychia, ego parére volo: sum enim Christiana, Dei omnipotentis serua. Tum ille: Quoniam Eutychia grauida est, intereà seruetur in carcere. Atque hæc addidit: Tu verò Agape, quid ais? Vísne omnia illa facere, quæ nos dominis Imperatoribus ac Cęsaribus nostris deuoti facimus? Minimè, inquit Agape, decet satanę deuotam me esse. His verbis mens mea non abducitur: inexpugnabilis enim illa est. Tunc Præses ait: Et tu Chionia, quid ad hæc dicis? Mentem nostram, inquit Chionia, nemo potest peruertere. At Præses: Num aliqua apud vos sunt impiorum Christianorum commentaria, vel membranæ aliquæ, vel libri? Respondit Chionia, Nulla ô Præses, nobis sunt: omnia illa Imperatores, qui nunc sunt, à nobis abstulerunt. Præses autem: Quis'nam hanc mentem vobis dedit? Omnipotens Deus, inquit illa. Dixit autē Præses: Quínam sunt, qui vobis authores fuerunt, vt ad istam stultitiam veniretis? Deus, inquit Chionia, omnipotens, & vnigenitus eius filius, Dominus noster Iesus Christus. Dulcetius ait: Manifestum illud est, quòd omnes vos deuotioni nostrorum potentium Imperatorum ac Cæsarum subiectos esse oportet. Quoniam verò post tam multum tempus, post tot admonitiones, totque edicta proposita, & tales minas iniectas, vos temeritate quadam & audacia elatæ, ipsorum Imperatorum ac Cæsarum iussa contempsistis, in Christianorum impio nomine permanētes: cumque ad hodiernum diem iussæ à stationarijs ac primis militibus, Christi negationem scriptam profiteri, facere id recusetis, propterea pœnas vobis dignas accipite. Id cùm dixisset, sententiam scriptam legit: Agapen & Chioniam, quoniam iniquis mentibus & contrarijs sententijs elatæ, cōtra diuinum edictum dominorum Augustorum ac Cæsarum fecerunt, & nūc etiam temerariam, vanam & pijs omnibus execrabilem Christianorum religionē colunt, igni tradēdas iubeo. Hisque dictis, subiunxit: Agatho autem, Casia, Philippa & Irene, quoàd mihi placuerit, seruentur in carcere.

Agathonis constantia &c.

Eutychia grauida traditur custodiæ.

Libri Christianis ablati.

Sentētia in Agapen & Chioniam.

Posteà verò, quàm sanctissimæ mulieres igni consummatæ sunt, cùm rursùs sancta Irene ad Præsidem ducta fuisset, Dulcetius sic illam affatus est: Tuæ insaniæ propositum ex his, quæ facis, manifestò appáret, quæ tot membranas, libros, tabellas, codicillos & paginas scripturarum, quæ sunt impiorum Christianorum, qui vnquàm fuerunt, ad hodiernum vsque diem seruare voluisti: quæ cùm prolata essent, ea cognouisti, quamuis quotidiè negaueris, vos eiusmodi scripta possidere, non contēta neque sororū tuarum

pœna, neque mortis metum præ oculis habens. Quamobrèm tibi pœnam afferri necesse est. Sed alienum tamen non videtur, etiam nunc benignitatis partem aliquam tibi condonari, vt si volueris nunc saltem deos agnoscere, impunis & ab omni supplicio periculoque libera esse possis. Quid igitur dicis? Facisne quod Imperatores nostri & Cæsares iusserunt? Num parata es sacrificijs vesci, & dijs immolare? Minimè, inquit Irene, minimè per Deũ illum omnipotentẽ, qui creauit cęlum & terrã, mare & omnia, quę in eis sunt. Summa enim illius ignis sempiterni pœna proposita his est, qui Iesum Dei Verbum negauerint. Dulcetius verò: Quisnam tibi author fuit, vt membranas istas atque scripturas ad hodiernum vsque diem custodires? Ille, inquit Irene, Deus omnipotens, qui iussit nos ad mortẽ vsque ipsum diligere: qua de causa non ausæ sumus eum prodere: sed maluimus aut viuentes comburi, aut, quæcunque alia nobis acciderint, perpeti, quàm talia scripta prodere.

Irenes constantia.

Tum Præses: Quisnam, inquit, conscius erat hæc in domo illa esse, in qua habitabas? Respondit Irene: Hæc vidit Deus omnipotens, qui omnia scit: præterea nemo. Nostros enim homines inimicis peiores duximus, nè fortè nos deferrẽt. Itaque nulli hęc ostendimus. Superiore anno, inquit Præses, cùm edictũ illud tale, ac pium iussum Dominorũ Imperatorum ac Cæsarum primò fuit diuulgatum, vbinàm vos latuistis? Ad hęc Irene: Illic, vbi Deus voluit. In montibus (scit Deus) sub dio fuimus. Præses verò: Apud quem vixistis? Sub dio, inquit illa, aliâs in alijs montibus versantes. At Præses: Quinam erant, qui vobis panẽ suppeditabant? Deus, inquit Irene, qui omnibus escam suppeditat. Tum Præses: Erátne pater vester harum rerum conscius? At Irene: Minimè per Deum omnipotentem conscius erat ille, qui ne nouit quidem hæc omninò. Præses ait: Quis igitur vestrorum vicinorum id nouerat? Vicinos, inquit Irene, interroga, & loca inquire, vel eos qui nôrunt, vbi nos eramus. Præses dixit: Postquàm è monte reuersæ fuistis, vt tu dicis, legebatísne scripta ista, præsente aliquo? Domi nostræ erant, inquit Irene, neque audebamus illa efferre: quamobrèm magnoperè angebamur, quòd non poteramus nocte ac die illis operam dare, sicut à principio consueueramus vsque ad annum superiorem, quo & illa occultauimus. Dulcetius Præses dixit: Sorores quidẽ tuæ pœnas nostro iussu decretas exoluerunt: te verò, etsi anteaquàm aufugisses, propterea quòd scripta ac membranas istas occultaueras, mortis pœna tibi decreta fuerat: non tamen eodem modo iubeo è vita sic repentè discedere: verùm per satellites ipsos, & Zosimum publicum carnificem in lupanari nudam statui præcipio, è palatio singulis diebus panem vnum sumentem, satellitibus ipsis non permittentibus te illinc discedere.

Nota sanctorũ martyrum patientiam. Psal. 141.

Sententia in Irenen.

Cùm igitur satellites & Zosimus publicus minister pręstò essent: Illud, inquit Præses, vobis notum sit, quòd si mihi significatũ fuerit, vel horę alicuius momento istam ex eo loco motam fuisse, in quo esse iussimus, tunc vos supremę pœnæ subiecti eritis. Scripta verò ipsa à scrinijs & arculis Irenes proferantur. Cùm igitur quemadmodùm à Præside iussi fuerant, eam illi ad publicũ lupanar duxissent, & propter Spiritûs sancti gratiã, quæ ipsam protegebat, & vniuersorum Domino Deo puram atque intactam seruabat, ne vnus quidẽ ad eam accedere, vel turpe aliquid in eam facere aut dicere ausus fuisset, sanctissimam illam fœminam Dulcetius præses reuocauit, & ante tribunal sisti iussam, sic affatus est: Nunquid in eadem adhuc temeritate persistis? Minimè, inquit Irene, temeritas, sed Dei pietas est, in qua persisto. Cui respondit Dulcetius præses: Et ex priore tuo responso manifestè ostendisti te Imperatorum iussui nolle æquo animo parére, & nunc quoquè in eadem arrogantia persistentem te video: quarè dignam pœnam persolues. Cumque chartam petijsset, sententiam hanc cõtra ipsam scripsit: Quoniam Irene Imperatorum iussui parére, dijsque immolare noluit, quinimmò nunc quoquè in Christianorum ordine ac religione perseuerat: hac de causa, vt anteà duas eius sorores, ità & ipsam viuentem nunc comburi iubeo.

Ducitur ad publicũ lupanar, sed manet intacta.

Hæc sententia cùm à Pręside lata fuisset, milites Irenen compræhensam in quendam sublimem locũ duxerunt, vbi & eius sorores anteà martyrium passæ fuerant. Cùm autẽ magnum rogum accendissent, iusserunt ipsam in eum conscendere. Itaque sancta Irene psalmos canens, & Dei gloriã celebrans, in rogũ se coniecit: atque ità consummata est in consulatu Diocletiani Augusti nono, Maximiani autem Augusti octauo, Calendis Aprilis, regnãte in secula Christo Iesu Domino nostro: cum quo patri est gloria sanctoque Spiritui in secula seculorum, Amen.

Laudans Deum flammis exuritur.

DE S. THEODORA sorore illustrissimi martyris Hermetis, vide Tomo 3. Gesta Alexandri Papæ & martyris, 3. Maij.

VITA S. HVGONIS GRATIANOPOLITANI EPISCOPI, GRAVITER ET ERVDITE CONSCRIPTA

à reuerendo patre D. Guigone, V. Priore primæ Carthusiæ, eius æquali.



INnocentius episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Guigoni Priori Carthusien. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Diuinis respondentes beneficijs, cognita vita eius, & auditis, quæ per beati Hugonis merita fiunt, miraculis, supernæ maiestatis clementiam collaudauimus, & Archiepiscoporum, Episcoporum & Cardinalium, atque aliorum, qui nobiscum aderant, communicato consilio, ipsum inter sanctos & electos honorari præcepimus, & diem eius assumptionis cum gaudio solenniter celebrari. Quia igitur ipsius vita, quam piè duxit in corpore, & miraculorum coruscatio, qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maximè dilectioni non extant incognita: authoritate beati Petri & nostra tibi mandamus, quatenus ea, quę tibi super hoc nota fuerint, diligenter describendo posterorum memoriæ tradas: vt & Deus honoretur in sancto, & clerus legens ac populus audiens, gratias agant Domino, atque ipsius intercessione peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro nobis dilectos filios nostros Carthusienses fratres, per te in Domino salutamus ac benedicimus. Data Pisis x. Calend. Maij.

S. Hugo relatus in Sanctos.

PROLOGVS D. GVIGONIS IN VITAM S. HVGONIS EPISCOPI.

DOmino & patri charissimo, ac reuerendissimo sedis Apostolicæ pontifici Innocentio, & Carthusiensium pauperum seruus inutilis Guigo, perpetuam salutem & pacem in Domino, & si quid apud Deum tanti potest peccatoris oratio. Non pepercit nostræ vel verecundiæ, vel imperitiæ, Apostolatus vestri imperiosa dignatio. Sicut enim huic opusculo præfixæ vestræ serenitatis indicant literæ, beati Petri authoritate & vestra mandâstis, vt vitam beati Hugonis Gratianopolitani episcopi noscendam posteris scripto commendaremus. Rogauerant quidem idipsum iampridèm complures alij, sed maximè non spernendæ authoritatis Arialdus & Hugo, Mauriennensis & Gratianopolitanus episcopi: è quibus prior habitu & vita regularis, beati viri in tractandis ecclesiasticis rebus per triginta ferè comes extitit annos: posterior verò ex nobis monachus, ità ei in ecclesiastico regimine successit, vt propter diuturnam ac vehementem infirmitatem ipsius, in eius locum, ipso petente, vestraque pietate iubente, priusquàm obiret ipse, consecraretur. Et erga eos quidem, quos præ longa familiaritate vel conuictu latére non poterant, nostra nos imperitia seu verecundia, & quæ fortè non minùs impediebat, carnis infirmitas sufficienter poterant excusare: ad tantæ verò pondus authoritatis, ne mutire quidem præsumpsimus, nè, dum ei non obedimus, cui totus commissus est mundus, eum offenderemus, à quo factus est mundus: & dum apud homines vitamus imperitiæ confusionem, apud Deum incurreremus damnationem. Obsecramus autem eos, qui hæc legerint, nè tanti sanctitatem patris, nostra non solùm facundia, sed & cogitatione longè maiorem, ex ista scriptura metiantur: & maximè, nè putent nos vltrà, quàm sua postulant merita, nostris eum sermonibus efferre potuisse. Tantum enim abest, vt sanctitatis illius magnitudinem plùs æquo valuerimus quasi fauorabiliter extollere, vt nec illam ipsam sanctæ conuersationis eius prærogatiuam, quod sine fictione dicimus, tum propter imperitiam, tum propter sermonis inopiam, vt erat dignum, potuerimus explicare.

Ro. pōtifici totus cōmissus mūdus.

VITA

VITA S. HVGONIS EPISCOPI.



1. Aprilis.

CVm ergò præfati patris sanctissimi mores & opera Deo placētia, sufficientem sermoni adeò præstent materiam, vt non solùm nostram, sed & quorumlibet vincat facundiam, carnis eius tacendam ex toto duceremus originem, eô quòd indifferenter de bonis bonos, de malis malos, de bonis malos, & de malis bonos, per diuini iudicij inscrutabilē altitudinē nasci quotidiè nullus ignoret: nec referat aliquid, qualibus sit ortus quisque parentibus, sed qualibus vixerit moribus: nec augmēta conferat meritorum, potentia, diuitijs & nobilitate terrena claruisse, sed hæc omnia pro Christo comtempsisse: cùm videamus & Dominum pauperibus ortum parentibus, & in Apostolis insigniores, sumptos ex piscatoribus. Vndè & beatus ad Corinthios scribens Paulus: Videte, inquit, fratres vocationem vestram: quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mūdi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & quæ nō sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Verùm quoniam ij, qui de virtutibus tractauēre sanctorum, etiam carnales inueniuntur non tacuisse natales: dicamus & nos breuiter quòd beatus Hugo, natione Valentinēsis, loco iuxta Isaram fluuium sito, cui Castrum nouum nomen est, parentes habuit & secundùm seculi dignitatem non infimos, & quod excellit, sanctitatis prerogatiua conspicuos. E quibus pater Odilo nomine, præter alia quàm plurima, quæ militari licèt in habitu, laudabiliter gessit vel habuit, veritatis & castitatis amator extitit. Nam & mendacia, ingenua mentis affectione religiosis quàm plurimis ampliùs euitabat, & licèt duas, priore defuncta, citiùs fuerit sortitus vxores, nullos tamen, quod his temporibus & hac temporum labe, præsertim in potentibus, monstro simile ducitur, præter vxorios est expertus amplexus. Idemque ipse æuo iam grauis, sanctissimo monente filio, tanto feruore contempsit seculum, vt senectutis immemor & delicatæ cōsuetudinis, duras, quas Carthusia propter verba labiorum Dei custodit, vias aggredi non dubitauerit. Vbì annis ferè decē & octo in tanta sobrietate, tanta vixit humilitate, vt cunctis ibidem Deo famulantibus charus, cunctis haberetur veneratione dignissimus. Cui viam vniuersæ carnis ingressuro (erat quippe fermè iam centenarius) venerabilis affuit filius, eumque proprijs & inunxit & sacra communione repleuit manibus. Expletoque condigna veneratione tam sancto funere, obitûs diem, sicut & matris, eleemosynis, quoàd vixit, celebrem duxit & sacrificijs.

1. Cor. 1.

Patria & parentes S. Hugonis.

Pater eius senex fit Carthusianus.

Quæ videlicet venerabilis mater eius, cùm post abscessum viri, præter quem nullū penitùs nouerat, vellet & ipsa cuncta relinquere, quia fœminarū religiosa rara tunc erāt monasteria, pij filij salubribus instructa monitis, continentiæ & eleemosynis, orationibus atque ieiunijs ac reliquis sanctis operibus in domo propria, quod reliquum erat impendit tēporis, filios etiam suos, militaribus strenuos actibus, ab immoderatis, quantùm poterat, frenabat excessibus. Cui decumbenti ea, qua obijt, ægritudine, optata filij adest præsentia, adoranda tradit mysteria, extrema non multò pòst sepulturæ soluit obsequia, prompta soluens obedientia, quod imperat Deus lege Mosaica, dicens: Honora patrem tuum & matrem, vt sis longæuus super terram. De qua vtiquè terra Psalmista Domino dicere creditur: Tu es spes mea, portio mea in terra viuētium. Hæc autem dicere fuerat solita, quòd dum prægnans suis eum ferret visceribus, visum sibi per somnium fuerit elegantem creâsse paruulum, quem sistendum Dei cōspectibus, sancti, in quibus & beatus erat Petrus, deferebant in cælum. Hinc factum est, eadem adnitente, vt discendis applicaretur literis. Sperabatur enim, nec frustrà, singularis apud Deum gratiæ futurus & meriti. Amauit autem studia literarum nō mediocriter: propter quæ etiam in exteras profectus regiones, multa sustinuit. Inerat quippe illi, & vsque ad vltimam senectam inesse non destitit, verecunda sobrietas, quæ eum & inter suos etiam necessariorum sæpè cogebat ferre inopiam, dum nec amicis, si quid eum angebat, pudore victus poterat confiteri. Quo quasi freno à multis comprimebatur illicitis.

Exod. 20.

Psal. 141.

Somnium matris eius, cùm illum gestaret vtero.

Eius verecundia.

Cùm autem a scholis reuersus, Valentiæ, vbì maioris canonicus erat ecclesiæ, inter seculares & lubricos iuuenis licèt pudibūdus demoraretur & sobrius: (statuerat enim, sicut ipse dicebat, ab omni deincèps contaminatione immunē se, Deo iuuāte, seruare) contigit dominū Hugonem, Galliarum omniū ex pręcepto beatę memoriæ Gregorij septimi Legatum, ad eandem venire ciuitatem, virum scilicet in ecclesiasticis negocijs

strenuum

strenuum & famosum, ecclesiæ Diensis tunc præsulem, posteà Lugdunensem archiepiscopum. Qui cernens iuuenem elegantem vultu, statura procerum, eloquio temperatum, moribus verecundum, edoctusque ab eis, qui nouerant, cuius esset eruditionis & generis, &, vt erat tam in rebus humanis quàm diuinis ingenij perspicacis, agnoscens in eo magna quędam futurę probitatis & sanctitatis insignia, hilariter & affabiliter amplexatus est, rogans vt ad se veniret, suorum certaminũ comes futurus & particeps: quibus non solùm aduersùs laicos, qui ecclesias, decimas ac cœmeteria sacrilegè detinebant, sed & contra sacerdotes, quorum vitam inhonesta coniugia maculabant, Simoniacos etiam, qui cupiditate cæcati, sacra profanaque miscebant, paucis iuuãtibus, acerrimus insudabat. Quod ipse libenter amplexus est. Aliquanto dehinc temporis exacto spatio, idem Legatus apud Auinionem, nõ ignobilem Prouinciæ ciuitatem, grande celebrauit concilium, in quo multa ad Dei honorem & Ecclesiæ vtilitatem præconio digna patrauit. Ad hoc cõcilium episcopo carentes & episcopum quærentes Gratianopolitani venêre canonici, compertoque præfatum iuuenem conuentui interesse præsenti, petiêrunt suppliciter, suffragante cõcilio, ab eius venerabili patrono, cui gratæ officium societatis exhibebat, vt hunc sibi daret sine dilatione episcopum. Quibus ille protinùs gratulabundus assensit, tum dilecti comitis gaudens honoribus, tum ecclesiæ fauens profectibus, cuius etiam sacris officijs futurum non dubitabat opportunum. At verò ille, repentino timore concussis ab imo visceribus, toto reniti corpore magnisque clamare vocibus, & sese ætate, scientia & postremò moribus & vita tantis mysterijs imparem cœpit affirmare, nec vllatenùs pati in suæ salutis periculum, sua vilitate officia veneranda fœdari. Quam vtiquè de se sententiam, profundissima humilitate conceptam, vsque ad finem non exuit. Semper enim in quantiscunque sanctitatis & bonorum profectibus operum, inutilem se seruum & pontificatûs administratione indignum protestari non erubuit, semperque ad deponendum, sicut ex consequentibus liquebit, paratus fuit. Vir autem profundi consilij, qui prædictis cum concesserat clericis, etsi gaudebat, quòd in hac ętate & habitu (erat enim habitu secularis, & annorum fermè vigintiseptem) honores non modò non appeteret indebitos, sed & repudiaret oblatos, cœpit tamen rationabili, qua pollebat, facundia eius erigere trepidationem, solari verecundiam, frangere pertinaciam, asserens in talibus vel subeundis vel portandis oneribus non de sua quenquam virtute, sed de Dei potiùs debere benignitate præsumere, à quo deberet sperare bonum, quod deerat, & ad quem referre, quidquid acceperat. Huius itaque & cæterorum, qui aderant, virorum grauium consolationibus fractus atque hortatibus, tandèm aliquandò cessit electioni.

Synodus Auinionensis.

Petitur in episcopum, sed totis viribus conatur effugere.

O eximiã, sed raram virtutem.

Præerat autem eo tempore Viennẽsi Ecclesiæ archiepiscopus Garmundus nomine, quem propter Simoniam, cuius sustinebat infamiam, sibi manus imponere nõ admisit. Cunctis itaque, præter episcopi, à non sine reuerentia memorando Legato sumptis ordinibus, eodem comitante, profectus est, vt à sedis Apostolicæ summo consecraretur antistite. Vbi dum, consecrationis statutum opperiens diem, cõmoraretur, in ipsis quodammodò diuinę seruitutis initijs & in primis sacrę militię tyrocinijs, grauissimã hostis antiqui impugnationem rudis & talium inexpertus incurrit. Quæ sanctam ipsius animã vsque ad illam ægritudinem, qua & decubuit moriturus, die noctuque nũc acriùs, nũc mitiùs, non destitit excruciare. Quia enim sanctæ conuersationis & illustrium operum insignibus meritis magnam in populo Dei famam, magnam fuerat habiturus & gloriã, nè forsitã extolleretur, angelum satanæ, sicut & beatus Apostolus, qui se colaphizaret, accepit. Sic etiam apud prophetam Zachariam Iesu sacerdoti magno, veri Saluatoris mysterium præferenti, satan stabat à dextris, vt aduersaretur ei. Nec hoc mirandum, cùm conditorem & rectorem omnium Deum, humana carne vestitum, impijs ausibus tentare præsumpserit, & postremò, ostensis totius mũdi regnis cum sua gloria, Hęc, inquiens, omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me, idolatrię etiam scelus persuadere conatus fuerit. Sicut ergò ipsi Domino incredibili præsumptione idolatriam, sic & eius seruo suggerebat viperea machinatione blasphemiam, scilicet vt de Deo, vel de his, quæ ad Deum pertinent, aliquid cogitaret indignum. Sed sicut à Domino, sic, eodem iuuante, ab eius seruo victus & confusus abscessit. Cùm igitur impugnationem, vt diximus, insuspicabilem sensisset hostis antiqui, reputans nè fortè indignatus aduersùm se fuisset Dominus, quòd eligentibus se cesserat vel inuitus, electioni in se factæ abrenunciare modis omnibus deliberauit, & sacras administrationes, quibus indiès se magìs ac magìs deputabat indignum, nullo pacto contingere. Quam delibe-

Tentatio blasphemiæ sancto viro per omnem vitam infestissima.

2. Cor. 12.

Zach. 3.

Matth. 4.

deliberationem,vt putabat,saluberrimā simul cū ipsa tentatione,ab imo corde lachrymis profusis atque suspirijs,ei,qui se duxerat,festinauit ostendere. At ille defectu eius & nimio, quanquàm à religione profecto, timore ex parte interim rationabili responsione sedato, ad memoratum Papam pergere, & quidquid eius angebat animum, vtpotè Christi vicario,totum reuelare suasit.

Quod cùm humiliter deuoteque fecisset,tanta consolationis ab eius ore sagina profusus est, tantumque erga se dilectionis expertus affectum, vt de hac ipsa,quæ in desperationem eum penè compulerat,tentatione gaudere,& felicioris insupèr spei materiā sumere cogeretur. Docuit enim beatus Papa, vtpotè in rebus his nec rudis nec inexpertus,arguere Dominum & castigare, quos diligit, & omnem filium flagellare, quem recipit. Et ideò quanto durius cordi eius imposuerat flagellum, tanto euidētius paternæ in eum dedisse dilectionis indicium. Præsensisse etiam iamiamque diabolum,quanta per eum ipse damna passurus,quanta Dei foret populus virtutis incremēta sumpturus: & idcircò omnes inueteratæ malignitatis insumere conatus, vt à sacris eum quoquo modo deterrere possit officijs,permittente Deo,ad ipsius quidem ignominiam & pœnam, ad huius autem coronam & gloriam. Huiusmodi sermonibus & veritate plenis,& authoritate roboratis, non quidem tentatione penitùs extincta, sed tamen consolatione suscepta,animæquior effectus,consecrationem ab eodem post modicum suscepit episcopalem. Tantus autem & in ipsa consecratione,& toto illo,quo ibidèm demoratus est,tempore illius tanti viri amor in eum ostensus est,vt patenter ostenderetur, diuinæ in eo gratiæ magnū aliquod præsensisse præsagium. Sed & comitissa Mathildis, habitûs quidem fœminei, sed animi per cuncta virilis, quæ rerum humanarum tumultus atque pericula,instàr prophetissæ Deboræ,prudenter sedare & fortiter nouerat tolerare,in suo Deum venerans famulo,diei consecrationis eius necessaria cuncta subministrauit, pastoralem, quo diù vsus est, baculūm dedit, additis Psalmorum secundùm beatum Augustinum explanationibus, cum B. Ambrosij volumine, cuius est titulus, De officijs. Totoque, quo deincèps tempore vixit, tanquàm verum Dei famulum syncera deuotione specialiter honorauit & coluit, sitiens eius instanter & consilijs instrui & oratione defendi.

Rom. pontifex eum consolatur. *Itemq; cōsecrat episcopum.* *Iudic. 4.*

His ità non solùm prosperè, sed & religiosè peractis, ad susceptam reuersus ecclesiā, inuenit clerum & populum in diuinis nimìs rudem & incompositum,& sanctarum obseruationum intantùm inscium, vt non solùm gradûs inferioris clerici, sed & sacerdotes vxores ducerent, nuptias publicè celebrarent,emere ac vendere sancta non hæsitarēt,ecclesias,oblationes,decimas & cœmeteria laici,& eorum ditioni sacerdotes subditi possiderēt,vsurarij siue fœneratores iniusta ex alienis damnis lucra coaceruarent, nec ob hoc tamē minùs eorū aliqui vel ecclesias intrarēt, vel mysteria sacrosancta perciperent:adeò erant omnes disciplinæ totius expertes.Porrò substantia domûs episcopalis,dißipantibus non tam episcopis quàm tyrannis,qui præcesserant,penè fuerat tota consumpta. Vndèmultas ibidèm etiam necessarij victûs inopias per plures pertulit annos, eò quòd nec illicitis contractibus, sicut pluribus mos est, suas indigētias supplere volebat, & mutuare,vndè redderet non habere se cogitans, minimè præsumebat. Verùm tot & tanta suscepti populi vitia vel peccata, quāta vigilantia quibùsve prędicationis & disciplinæ flagellis persecutus fuerit,quos ibidèm labores, quos discursûs, quásve solicitudines insumpserit, quæ ieiunia, quas vigilias, quas psalmodias, quos gemitus, quas preces, quosque lachrymarum imbres ad propitiandum pro eis Dominum paterna pro eis compaßione profuderit, non est nostræ facultatis euoluere. Sed nec quis ex tātis laboribus prouenerit fructus,nostris exponi verbis aut potest aut opùs est, cùm rerum in melius manifesta mutatio idipsum cernentium euidenter ingerat oculis.

Nota deprauatos eius temporis mores. *Vide studia sancti viri & veri episcopi.*

Ipse verò interìm pennatorum in Ezechiele animalium, coram sua semper facie gradientiū,sedulus imitator,sese ante se ponere, & sua vel pericula vel profectus subtili examinatione discutere non cessabat. Contemplans itaque suam vel ætatem,vel morum imperfectionem, in quam præcipuè vsque ad mortem mentis oculos intentos & ipse habuit,& alios habere persuasit,& suscepti pondus officij,necdùm duobus post consecrationem expletis annis,contemptis omnibus, Casæ Dei ordinis Cluniacensis, factus est monachus. Ibì quippe maius tunc paupertatis & humilitatis studium visebatur. Vbì sanctorum, quorum ibidèm aderat copia, virorum succensus exemplis, eosque suis, quanquàm nouitius,non minùs ipse succendens,annum fecit, cùm cæteris bonis, tum præcipuè humilitate,cuius præ cunctis virtutibus sectator extitit indefessus,cūctis amabilis.

Ezech. 1. *Fit monachus Cluniacensis.*

bilis. Ità nanque sese gerebat, vt cunctorum imitatione pariter & veneratione dignus existeret. Post hoc cogente, qui se sacrauerat, memorato sedis Apostolicæ pręsule Gregorio septimo, ad episcopatum à monasterio, quò feruens intrauerat, feruentior est reuersus, ex vnius anni studijs tanta virtutis incrementa reportans, quanta de diuturnæ vitæ laboribus vix assolent multi: pro claustro circunspectionem habens peruigilem, qua non tantùm sui sensus corporis, sed & cogitationes comprimeret cordis: pro abbate iustitiam, à cuius mandatis nec prosperis vnquàm potuit, nec aduersis abduci: pro cōgregatione autem religiosos, quibus propter illud, Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, carere nunquàm voluit, socios, immò totam vniuersaliter Ecclesiam, quam tam synceræ dilectionis cōplectebatur affectu, vt eius nec aduersa, nec prospera inconcussis posset tolerare visceribus. Nam iuxta illud Apostoli, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? semper Ecclesiæ & lætabatur prosperis, & torquebatur aduersis. Psal. 17. 2. Cor. 11.

In his agebat, & ecce tribus needùm in episcopatu post monasterii reditum completis annis, adest magister Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis & grauitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum. Habebat autem socios magistrū Lauduinum, qui post eum Carthusię Prior extitit, duos Stephanos, Burgensem & Diensem. Hi sancti Rufi canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ ei, Abbate fauente, sese coniunxerant. Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eò quòd solus ex eis sacerdotis fungeretur officio. Duos laicos, quos appellamus Conuersos, Andream & Guarinum. Quærebant autem locum, eremiticæ vitæ congruū, needumque repererant. Hac ergò spe, simul & suaui sanctæ conuersationis eius odore trahente, ad virum sanctum venerunt. Quos ille non solùm gratanter, sed & reuerenter suscepit, tractauit & voti compotes fecit. Ipso nanque consulente, iuuante, comitante, Carthusiæ solitudinem intrauerūt atque extruxerunt. Viderat autem circa id tempus per somniū in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem, ducatum sibi præstantes itineris. Erant verò & hi septem. Quapropter nō istorum tantùm, sed & qui successerunt eis, consilia libenter amplexus est, & vsque ad mortem Carthusiæ habitatores consilijs fouit semper & beneficijs. S. Bruno cū socijs venit ad S. Hugonem. Visio sancti episcopi.

Licèt verò & priùs diuini amoris totus arderet incendijs, non aliter tamen ad disciplinæ cælestis exercitia eorum exemplis & familiaritate inferbuit, quàm si flammanti quis faci plures circumponat alias ardentes. Erat cū eis non vt dominus, aut Episcopus, sed vt socius & frater humilimus, & ad cunctorū, quantùm in ipso erat, obsequia paratissimus, adeò vt vir venerabilis Guilhelmus, Prior tunc sancti Laurentij, posteà sancti Theofredi Abbas, magistro Brunoni etiam ipse religiosa deuotione non mediocriter alligatus, beati Hugonis contubernalis, (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas) apud magistrum Brunonem non leuiter conquereretur, quòd penè omnia, ad humilitatem spectantia, intra cellam sibi præriperet officia, & Episcopus non secum saltem vt socius, sed potiùs conuersaretur vt famulus: non licere sibi tristis asserens ex seruilibus operibus quicquam attingere, quæ iuxta morem debebant per vices efficere, eo sibi cuncta præripiente. Intantùm autem eremum deuotus incolebat & sedulus, vt eum magister Bruno nonnunquàm exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oues vestras, eisque, quod debetis, exoluite. Eo tempore magnæ paupertatis & humilitatis ardore succensus, voluit equitaturas suas cūctas vendere, & diuiso pauperibus precio, proprijs pedibus in prædicatione discurrere. Sed homo profundi cordis magister Bruno scilicet, cuius consilijs non aliter quàm præceptis obtemperabat Abbatis, non consensit, timens nè apud se forsan extolleretur, aut à cęteris de singularitate iudicaretur episcopis, aut (quod dubium non erat) idipsum propter asperitatem & inæqualitatem consummare non posset itinerum. In Carthusia viuit humilime.

Factum est autem, vt dum, contemptis carnalibus, spiritualia zelo feruentiore sectaretur, præ nimijs vigilijs, ieiunijs & lectionibus, orationibus & meditationibus, & reliquis sacris exercitationibus, capitis & stomachi grauissimam decideret in ægritudinē, cuius molestijs & cruciatibus, omni fide frequentioribus & acrioribus, per quadraginta ad minùs annos, quoàd vixit, nequaquàm caruit. Atque ità ad illum, cuius suprà meminimus, satanæ angelum, quo multipliciùs colaphizatus, minùs extolleretur, alter est additus. Quantùm autem his duabus afflictionibus, tentatione videlicet & ęgritudinę, tanquàm aurum in fornace, decoctus atque purgatus, in spiritualem erga Deum deuotionem, & in omnium afflictorum veram compassionem excreuerit, nec ipse adhuc vi- Capitis & stomachi doloribus affligitur.

 uens

uens ad plenũ, si vellet etiam, posset exponere. Quo enim per hæc magis affligebatur, eo vehementiùs spretis, quę mundi sunt, in Deum refugium verum & vnicũ totus efferebatur, voluptatem indè, sicut aiebat, tanto pleniorem hauriẽs atque suauiorẽ, quanto fuerat angustiã passus acerbiorem, iuxta illud Psalmi: Secundùm multitudinem dolorum meorũ in corde meo, consolationes tuæ lętificauerunt animã meam. Huiusmodi alteritatũ in eo ad finem vsque non cessauere vicissitudines. Nunc enim in superna totis viribus spiritalibus erectis oculis, gustando & videndo, quoniam suauis est Dominus, ineffabilibus recreabatur gaudijs: nunc infirmitatis humanæ pondere relapsus ad solita, prioribus nõ vacabat angustijs. Vtrobiquè lachrymæ: ibì pro gaudio, hîc pro tædio. Quid plura? Factę sibi fuerant lachrymę suæ panes die ac nocte: non has illi prospera, non has siccabant aduersa. Vix legere, vix psallere, vix sine his diuina meditari. Adeò nanque harum in eo excreuerat gratia, vt frequenter nec edenti nisi frenatæ deessent. Multotiès enim per has sibi & socijs conuiuium, maximè aliquot ante finem annos, vel impediebatur, vel fuscabatur.

Psal. 93. · *Gratia lachrymarũ.*

Habebat quippe lectorem, à quo sanctos codices, quorum nõ paucos scribi fecerat, & alibì & præcipuè sibi ad mensam legi faciebat, vt duplicatis delicijs sese suosque saginaret. Cumque lectori de diuinis vel seueritatibus vel miserationibus aliquid occurrisset insigne, idipsum bis aut ter dicere compellebat. Nec mora, spiritali per scripturam voluptate gustata, concussis ab imo visceribus, tantis lachrymarum infundebatur irriguis, vt voluptatem ventris & gutturis & sibi funditùs tolleret, & in socijs temperaret. Edocti itaque per experientiam comites, cùm tales motus cernerent imminere, innuebant lectori cedere, & aliquantispèr à legendo cessare, vt taliter molestiam hãc possent ad tempus declinare. Hanc autẽ diuini muneris gratiam peccatores, ob confessionem ad eum venientes, vel maximè sentiebant. Clementer enim hos humiliterq; suscipiens, patientissimè audiebat, aliquandò flens ipse cum flentibus, aliquandò verò ad lachrymas suis eos excitans fletibus. Quod vno liquebit sufficienter exemplo. Vir Deo charus Gaulterius, cognomento Calnesius, qui apud nos in monachatu diù laudabiliter vixit & obijt, solebat referre, quòd cùm in seculo positus, suas ei confiteretur offensas (erat enim in Ecclesia Gratianopolitana literis & honore præclarus) incubuerit ipse super caput eius, & tantam vertici lachrymarum infuderit copiam, vt madefactis capillis, deorsum etiam riuuli per confitentis ora defluerent. Porrò mulierum confessiones non minùs caute, quam benignè suscipiebat. Non enim in angulis, aut obscuris aut secretis locis eas audire solitus erat, sed potiùs vbi à pluribus conspici posset. Et aurem quidem satis familiariter applicabat: oculorum autem in alteram partem vertebat adspectum, auditum solum, propter insidias diaboli, huiusmodi negocijs asserens applicandum.

Ad mensam sibi vult legi sacros codices. · *Erga confitentes vt se gesserit.*

Quam videlicet oculorum custodiam incredibili semper & vbiquè circunspectione seruabat, ità vt cùm potentes ac nobiles mulieres, iuxta illud Apostoli, Cui honorem, honorem: ad colloquium honorificè hilariterque frequenter susciperet, multa coram se diuque tractantium facies penitùs non videret. Dicebat enim, cogitationes illicitas difficilimè posse vitari, nisi quis corporis sensus vigilantia multa compresserit: intrare autem, secundùm prophetam, mortẽ per has quasi fenestras, & ingredi domos nostras. De qua etiam cohibentia sensuum dum vice quadam cum religiosis quibusdam colloqueretur, inter quos erat vir literis & puritate conspicuus, dominus scilicet Airaldus archipresbyter tunc ipsius, nunc Mauriennensis episcopus, respondit idem vir Domini Airaldus passim se mulieres adspicere, nec earum sibi nocere contuitũ: est enim castissimus. Ad quod ille, non à mulierũ tantùm, sed à virorũ quoquè vultibus religiosæ mentis auertendum respondit intuitũ, asserens quòd experiẽtia sua potest quisque conijcere, per communionem humanæ mutabilitatis atque compassionem fieri, vt affectiones conspecti frequenter ad conspicientẽ inæstimabili velocitate pertranseant, &, verbi gratia, de irato iratus, & de tristi tristis, & de lasciuiente fiat lasciuiens: quas passiones satis esse habere quenquã proprias, nõ in se transcribere taliter alienas: nullius se totius episcopatûs sui mulieris, preter vnius, ità faciẽ adspexisse, vt ex consideratione vultûs, si occurreret, quænam esset, posset agnoscere. Quid hac responsione castius? Quid circũspectius? Quid philosophia vera refertius? Talẽ vtiquè se mulieribus exhibuisse, castissimũ: talia in humanis affectionibus aduertisse, sapientissimum. Hinc fuit illud, quòd cùm de matre mea, quæ cũ eo, quæ voluit, quandiù voluit, locuta fuerat, ab eo quæsissem, vtrũ eam valdè senecta fregisset: paululùm secũ præmeditans, Nescio, inquit, vtrùm sit vetus, an non. Hinc & illud, quòd muliere quadam, potentia nobilitateque præclara, cuius nomen

Oculorũ custos tantus fuit, quãtus vix alius quisquam. · *Rom. 13.* · *Iere. 9.* · *Nota oculorum continentiam vera stupẽdam.*

nomen edicere nolumus, in eius conspectu, quàm morosè placuit, multa loquẽte, cùm & ipse, quod libuit, respondisset, illaque discessisset, dicerentq; socij eius, quos prudentes & religiosos semper habere curabat, cur nõ eam corripuisset, quòd se suamque faciem tam facetè tamque lasciuè poliret, respondit ille non sine horrore quodam & execratione, faciem eius se penitùs non vidisse. Et quid mirum, quòd faciem illius vnius non viderat, qui nullam nouerat? Vbi nunc sacerdotum, vbi plurimorum in sacro habitu constitutorum curiosa lasciuia, lasciuaque curiositas?

Attendant hæc & imitentur, si possunt: mirentur & reuereantur, si non possunt. Sed & qui sanctitatẽ sine miraculis nihili ducunt, quæ nos ideò nõ magnifacimus, quoniam ab electis hæc & reprobis haberi communiter scimus, & in maioribus patriarchis multisque alijs, qui Deo valdè placuêre, sanctis vel nulla, vel pauca reperimus: qui tamen, vt dicere cœperamus, miracula quærunt, etiam atque etiam considerent, vtrùm mirabilius ab homine, mortali carne circundato, quicquam debeat exigi, & vtrùm cuiquã possit non impossibile videri, per quinquaginta & ampliùs annos grandẽ episcopatum à quolibet homine regi, & præter vnius, nullius omninò fœminæ faciem sciri. Et certè hæc ipsa parùm quidem formosa, sed cõsilij eius satis indiga. Et tamen ad ipsius præsentiam, non solùm ex suo, sed etiam ex alijs episcopatibus seu pro cõfessione, seu alijs causis innumeris tanto deuotiùs frequentiusque veniebant, quanto sanctiorem cognouerant. Non autem hunc solùm, id est, oculorum sensum, sed & cæteros omnes simili diligentia cohibebat. Aures nanque & linguam cùm à cæteris illicitis, tamẽ quàm maximè ab obtrectationibus frenans, aiebat sufficere vnicuique propria peccata, nec esse necessè, vt alienis, suam vel audiendo conscientiam, vel loquendo contaminet linguam. Rumores nec interrogabat, nec facilè referebat. Aurium & linguæ continentia.

Veracem autem eum fuisse in suis sermonibus, quo certiùs, quàm inimici, testimonio probare poterimus? Guigo comes ad ea, quæ mundi sunt, homo satis idoneus, circa eundem etiam Dei famulum tranquillitatis tempore valdè deuotus, inuictissimè pro iustitia resistenti, molestias non paruas nec paucas intulit. Bis nanque, vt multa taceamus, ab eo pro suis excommunicatus excessibus, bis episcopalibus expulit domibus. Itaque cùm grande placitum inter eos haberetur in præsentia Guidonis Viennensis archiepiscopi, qui posteà Papa Calixtus effectus est, & vir Dei iuxta illud, quod scriptũ est: Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit: iustitiam aduersùs comitem aperta contradictione defenderet, indignatus ille atque iracundiæ facibus inflammatus, paratusque, sicut apparuit, quicquid potuisset obijcere, quasi pro graui crimine intulit, dicens: Audiui aliquandò à vobis ego, quod verum non erat, dici. Ad hæc sanctus episcopus coram cunctis, qui aderant, (aderant autem diuersi ordinis non pauci) interrogauit, vtrùm se scientem audisset mentitum. Tunc ille quanquàm iratus, quanquàm furore repletus, veritatis tamen pondere pressus, eum se respondit scienter nullatenùs audisse mentitum. De veriloquio igitur ipsius hoc vnũ hostis & irati sufficiat testimonium. Veritatis studiosissimus. Prouer. 28.

Et quanquàm digressionis forsitan arguamur, quia tamen per comitem beati viri patuit veritas, per eundem monstretur consequenter etiam charitas. Infestissimus, vt dictum est, erat ei, adeò vt non in suis domibus, sed aut nobiscum, aut Lugduni demoraretur. Eius quippe ciuitatis ecclesia magnam illi reuerentiam, magnumque in suis tribulationibus præsidium semper exhibuit, eiusque consilijs in grauioribus vti negocijs pergratum habuit. Cùm ergò die quadam de comite pariter loqueremur, ait ipse bonam se de salute illius spem gerere, nec assecuturum Dei misericordiam desperare, quia nunquàm delectabiliùs aut feruẽtiùs pro eo solitus fuisset orare. Miranda charitas, sed & stupenda non minùs humilitas. Quid enim charitate plenius, quidve apud homines singularius, quàm orare non segniùs pro persequente, quam obsequẽte? Quid autẽ humilius, quam hanc ipsam deuotionẽ non ad sua, sed ad ipsius referre merita, nõ quæ iam esse sciret, sed quæ futura speraret? Quia igitur certum est ab eo mandatũ esse impletũ, quo dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: dubitari non licet, assecutum etiã mercedem quę sequitur: Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Qua profectò mercede nihil beatius, vt & præcepto nullum sublimius. Accedant itaque, qui cordis non carent oculis, vt videant cujus sit meriti, qui talis executor præcepti, tanti compos est præmij. Orat feruẽter pro infestissimo persecutore. Matth. 5.

De tactu verò vel odoratu, superfluò facimus mentionem: quorum alterum, id est, odoratum ad hoc solùm curabat, vt putores propter passiones cerebri nõ admitteret: Continentia odora

tûs & tactûs. alteri verò, id est, tactui & antequàm ordinaretur, in totum valefecerat. Nec ideò se suosque sensus ab intuitu fœminarum tam disciplinatè frenabat, quòd circa libidinis vitium se sentiret infirmum: quippe quem & prefatæ tentationis atque infirmitatis angustiæ, & ecclesiasticæ dispensationis multiplices curæ, & maximè assiduum legendi, psallendi, orandi, meditandi, speculandique Diuina studium, ad huiusmodi delectationes penè fecerant insensibilem: sed vt sui habitûs & officij qualem decebat, maturitatem seueritatemque seruaret, & contra inueterati hostis insidias circunspectionis infirmioribus, quæ sequerentur, exempla monstraret, docens, non debere quenquam de quantalibet puritate vel firmitate præsumere, cùm & homo, testante Iob, in eodem statu nō perseueret, & aduersarius rugiendo sicut leo circumiens, quærat sine cessatione quem deuoret. Dauid & Salomonem præ oculis semper ponendos, quorū, quia se circa mulieres exhibuère licentiùs, alter ex summa innocentia in adulterium décidit & homicidium, alter de sapientia, qua mortales cunctos excesserat, in seruitutem vsque desipuit idolorum.

Iob 14. 1. Pet. 5. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11.

Desideria porrò ventris, & gutturis vir beatus instantia quanta represserit, res ipsa, tacentibus nobis, certioribus probat indicijs. Capitis nanque dolores & stomachi, his maximè creati studijs, satis & super satis eum ab huiuscemodi monstrant abstinuisse delicijs. Eleemosynæ sanè fuit & per se diligens executor, & in alijs etiam feruidus exhortator. Exceptis enim domûs suæ duntaxàt necessitatibus, cuncta penè, quæ consequi poterat, non in thesauros congerebat, posterorum vel dissipanda litibus, vel cōsumenda luxibus: sed sciens illud Apostoli, Hilarem datorē diligit Deus, distribuit lætus egentibus. Deniquè annulos aureos & gemmatos, calicem etiam similiter aureum tempore magnæ famis vendidit, horreis defectum minantibus, & alendis impendit pauperibus. Adiuuabant etiam non minimè hanc in eo gratiam potētes & nobiles, qui sanctæ conuersationis eius, longè lateque salubriter suauiterque fragrātis, odore percepto, de remotis etiam regionibus, quanuis eum non vidissent, ob diuinam tamen reuerentiam beneficia multa mittebāt. Procùl non à mensa tantùm eius, sed à totis etiam atrijs histriones, tāquàm vasa perditionis & organa falsitatis: procùl militares cliētes, tanquàm rapinarum & cædium & totius instrumenta crudelitatis: procùl etiam equites, nisi rari, & ipsi raro, respectuque quàm maximè * specialis vtilitatis. Non enim æquum putabat, ecclesiarum bona, quæ patrimonia sunt æstimanda pauperum, in aliorum expendi, præsertim malorum, vsibus hominum: immò magis semetipsum, tanquàm ex pauperibus vnum, grauiter accusabat, quòd sibi ac socijs de rebus sibi commissis competentē sumeret copiam, ac non potiùs sustineret cum pauperibus & ipse pauper inopiam. Eleemosynam igitur, vt diximus, libenter faciebat, sedulè suadebat, pro satisfactione etiam pœnitentibus iniungebat. Hæc nanque tria præcipuè culpas suas emendare cupientibus sectanda præcipiebat, orationem, ieiunium & eleemosynam, non humanam in hoc temeritatem, sed euangelicam sequens authoritatem. Dicit enim Dominus, pessimū dæmoniorum genus eijci non posse, nisi in oratione & ieiunio. Alibì quoquè pharisæis loquens: Date, inquit, eleemosynam, & eccè omnia munda sunt vobis.

Eleemosynarum studium. 2. Cor. 9. * spiritalis Marc. 9. Luc. 11.

Verùm si scribere velimus, quanta moderatione hæc ipsa pro personis, viribus, affectibus & facultatibus dispensare solitus erat, quamque sapienter & sobriè res suas in suorum & suos spiritales & corporales vsus, necnon & pauperum solatia distribuerit, erit quidem non solùm sanctitatis eius, sed & solertiæ documentum euidentissimum: sed lectoris debemus vitare fastidium. Illud sanè quo pacto præterire possumus, quin vel breuiter attingamus, quòd cùm frequentissimè suorum & alienorum causas mūdanas & ecclesiasticas audiret, ventilaret, terminaret, cumque in subditis sibi clericis per tam prolixum vitæ spatium totiès consecrationes, degradationes, reconciliationes pro personarum & ecclesiarum competentibus causis & necessitatibus celebraret, manus suas tamen ab omni, secundùm propheticum præconium, excussit munere? Eo iudice, nulli vnquàm personæ dignitas, nulli pecuniæ profuit quantitas. Nullum paupertas, nullum quantacūque officiorum siue natalium reum fecit extremitas. Non mitiorem amicus, non duriorem expertus est inimicus. Non deargentatā conuictis vel confitentibus imposuit pœnitentiam, non lucrosam in placitis defendit edidítve sententiā. Non considerabat personam pauperis, non honorabat vultùm potentis. Quod beati viri eo preclariùs illustrat meritum, quo rarius vel in præsentibus, vel in præteritis habet exemplum. Quanta nobis hoc loco, si laudare comparatione malorum bona velimus, offertur materia in præsentium temporum feces inuehendi, in quibus cum dedecore atque

Munera respuit vir sanctus. Esa. 33. Integritas in iudicijs. Leuit. 19.

euersione honestatis & æquitatis, pecunia templa penetrat, altaria maculat, sacerdotia venundat, innocentiam exterminat, omnia diuina profanaque contaminat? Excæcant nunc munera oculos sapientum, & subuertunt verba iustorum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. A minimo vsque ad maximum omnes auaritiæ studēt, à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Non deficit de plateis nostris vsura & dolus. Postremò in capite omnium auaritia, & pecuniæ obediunt omnia. Sed hæc hactenùs. Non enim ista suscepimus. Ad Dei igitur hominem verba vertamus, qui temporalium negociorum litigiosas causas æternorum amore non amare, sed tolerare, magistra pietate, didicerat. Dicebat enim omni febre molestiora sibi placita, modisque omnibus his abrenunciaturum, si non in hoc Deum se sciret offensurum. Intererat autem illis tantūmodò pacis obtentu, maximè pauperum atque ecclesiarum. His etenim nouerat grauiùs motus nocere * guerrarum. Vbi verò inexorabilia in aliquibus odia & inexpiabiles repererat iras, tunc demùm fortissimè de Dei filiis auxilio, totusque in charitatis atque humilitatis solutus affectum, instantissimè ac deuotissimè, offensis, pro his, qui offenderant, supplicabat. O quotiès salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cœnosa se pro talibus causis loca proiecit? quotiès ad pedes contemptibilium etiam personarum diù postratus iacuit? Nec facilè, immò penè nusquàm frustrabatur optatis. Nam etsi qui negâssent, non solùm gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes, offerebant posteà non roganti, quod negauerant supplicanti. Tantam quippe omne genus hominum ei reuerentiam deferebat, vt Deum grauiter offendisse se crederet, quisquis ei postulata negâsset.

Deut. 16. Isa. 1. Ierem. 6. Eccës 10.

* guerrarū, pro, litium.

Nota admirabilem tum charitatem, tum humilitatē.

Fuit etiam prædicator egregius: erat quippe non mediocriter literatus. Sed & ingenio & memoria benè præditus erat, inquantùm molestia capitis nō obtundebat. Nam & literas suas ipse dictabat, eas præsertim, quarum ei cura propensior erat. Ideò autem prædicans faciliùs suadebat, quia quod verbis dicebat, operibus ostendebat. Vt enim commissam efficaciùs instrueret plebem, faciendo præueniebat sermonem. Sicut & de Domino scriptum est, Quia cœpit Iesus facere & docere. Instruebat igitur ad confessionem, excitabat ad pœnitentiam, promptam ad ignoscendū diuinam monstrando clementiā. Nec quærebat in quo à literatis quasi sapiens laudaretur, sed quod ab auditoribus & meliùs intelligeretur, & vtiliùs retineretur. Deniquè in tantùm auditores eius interdùm predicatione eius mouebantur, vt capitalia etiam aliqui crimina, Deum magis verentes, quàm homines, publicè faterentur. Quod sequens declarabit exemplum. Apud * Vinnaicum castrum populo multo, ad dedicationem ecclesiæ congregato, verbum fecit, quo in multas lachrymas audientium corda resoluit. Ibì mulieres duæ, quæ, sicut apparuit, eius verba profundiùs aure cordis imbiberant, audiētibus pluribus scelera confessæ sunt, quæ commiserant. Et posterior quidem quid dixerit, non satìs habemus compertum: prior autem suum se prodidit occidisse maritum. Cumque vir Dei necis exquireret modum, retulit in escam illi se dedisse venenum. Post quæ iussit præsentes abscedere, vt ei cæteri, quod volebant, liberiùs possent ostendere. Tanta verò ad confitendum fuit reliquæ plebis instantia, vt ne dimidiam quidem partem eius, in tali opere valdè licèt deuota, auscultare quiuerit tolerantia. Hoc à viro ætate & sanctitate reuerendo Vuilhelmo, sancti Theofredi nunc abbate, tunc monacho, nos audiuimus, qui beati viri per annos plusquàm viginti comes extitit indiuiduus.

Prædicatio eius efficax.

Actor. 1.

* Iusnaicū

Nota remitam.

Sed quandò nos omnia bona eius vel breuiter tangendo memoriæ mandare poterimus? Congesserat nanque in illum vnum diuina gratia virtutum ornamenta plurima, quæ dispertita per singulos, plurimos illustres sufficiēter facere possent atque conspicuos. Si enim laudatur castitas, quis illo mūdior? Si sermonis veritas, quis in loquendo cautior? Si Dei charitas, quis feruentior? Si proximi, quis benignior? Si humilitas, quis deiectior? Si eleemosyna, quis largior? Si oratio, quis deuotior? Si lachrymarum gratia, in quo effusior? Si contemplatio, in quo sublimior? Si tolerantia, quis in tribulatione fortior? Si iustitia, quis districtior? Si prudentia, quis circunspectior? Si temperantia, quis moderatior? Verùm cùm talis esset ac tantus, ipse tamen, iuxta illud Euangelij, Cùm feceritis omnia, dicite, Serui inutiles sumus: se infructuosum, se semper accusare non cessabat inutilem, qui episcopi locum occuparet, episcopi honorificentiam susciperet, episcopalia bona consumeret, episcopi verò nec merita, nec fructus haberet. Et certè præstò erant, quæ possent menti eius non modò solamen afferre, sed & in superbiam, nisi tam solida esset, extollere. Vt enim taceamus, quæ clero pariter & plebi per

Virtutū eius catalogus.

Luc. 17.

 cum

Monasteria eius opera constructa. eum bona prouenerant, eremus Carthusiæ, Calesiensis Abbatia, Excubiarum eremus, Regularium canonicorum apud Miserenum & apud sanctum Georgium domus, ipso adnitente cœperant, ipso spiritaliter & corporaliter fouente profecerant. Sed ipse imperfectionē suam, qua nec Apostolus carebat, dicēs: Non quòd iam acceperim aut perfectus sim, tantummodò cogitans, & cum Psalmista dicente: Vt sciam, quid desit mihi: non quid sibi virtutis adesset, sed quid deesset, subtili admodùm discussione considerās, episcopalem sarcinam modis omnibus exuere desiderabat. Qua sententia vel desiderio, sicut in principio diximus, ab initio suæ promotionis ad mortem vsque non caruit. Hac igitur voluntate indiès augmenta sumēte, Romam legatos & literas in hoc ipsum ad venerandæ memoriæ Papam misit Honorium. Sed cùm legati postulata non impetrâssent, immò magis literas ad eum consolatorias & ad perseuerandum exhortatorias accepissent, ipsemet quanuis morbis ac senectute grauatus, spe tamen in posterum quiescendi roboratus, eundem Romanum Pontificem adire curauit, rogans suppliciter & obtestans dari senectuti suæ licentiam quiescendi, & ecclesiæ Gratianopolitanæ meliorē in suum locum pastorē substituendi. Sed nec ipse quanuìs multas, vt putabat, iustas & animi & corporis allegaret occasiones, impetrare valuit, vt sibi tantùm & Deo vacare permitteretur. Creditum est enim, quòd sola authoritate & sanctæ conuersationis exemplo plùs posset plebi prodesse subiectę debilis & ægrotus, quàm quiuis alius, robustus licèt & sanus. Concessis itaque cæteris, quæ petebat, honoratusque à summo pontifice & consolatus, vt potuit, ad propria remeauit, dimittendi tamen episcopatum olim conceptum non deposuit desiderium.

Phil. 3. Psal. 38. Petit obnixè absolui ab episcopi functione.

Defuncto autem Honorio, cùm per tyrannicam & schismaticam rabiem non suis meritis, sed cognatorum & fratrum fultus præsidijs, Petrus Leonis aduersùs vestram innocentiam, quæ beatæ memoriæ Honorio successerat, emersisset, atque hoc vir Dei certissimè comperisset, morbis licèt, vt diximus, & ætate consumptus, zelo tamen domûs Dei, cuius diligebat decorē, perrexit Aniciū, vt eundē cum alijs episcopis excommunicaret schismaticum. Quæ profectò excōmunicatio propter authoritatē tanti viri contulit multum & profectū catholicis, & detrimentū schismaticis. Et certè tam idem Petrus, quàm pater eius, sancto viro multas olim venerationes & obsequia præstiterāt. Sed beatus homo in tali negocio, id est, vbi periclitabatur iustitia, nec amicitia flectebatur, nec potentia terrebatur. Nam & ante aliquot annos, cùm Henricus Imperator Papam Paschalem cum clericis & parte ciuium in ecclesia beati Petri nefanda proditione cepisset, & eorum, qui secum erant capti, pietate victum, ad illicitia pacta coegisset, ipse prę cunctis, vt apud Viennam excommunicaretur, effecit. Qua excommunicatione, Ecclesiæ suæ Domino suo roborante sententiam, tyranni illius in contrariū est mutata prosperitas, & imperiali dignitate priuata posteritas. Declinante igitur persecutiones præfati schismatici serenitate vestra, & Gallias ingressa, occurrit ei Valentiam beatus Hugo, cum lahrymis rogans & obsecrans, quod & pridèm ab antecessore vestro petierat, vt scilicet cunctis sarcinis & honoribus ecclesiasticis absolueretur, & vtilior in ecclesia Gratianopolitana pastor eligeretur. Sed nec tunc quidem impetrare potuit, quod tam efficaciter humiliterque petiuit.

Schisma Petri Leonis.

Ab hoc tempore cœpit indiès magis magisque deficere, & morti, crebrescentibus molestijs, propinquare. E duobus nanque satanæ angelis, quos ei ad colaphizandum, nè extolleretur, datos suprà retulimus, tentatione videlicet atque infirmitate, alter, id est, tentatio, ità extinctus est, vt nec vestigium eius vllum relinqueretur: Alter verò, hoc est, infirmitas, excrescere quotidianis non cessauit augmentis, donèc illo obeunte, ipse quoquè pariter finiretur. Sed cùm & anteà semper verbis & operibus in eius beata anima Deū habitare claruerit, tum, præcipuè in hac infirmitatis afflictione postrema, quis vel quanti foret meriti, & quàm syncero Dominum veneraretur affectu, & quàm vera dilectione in tam diuturna vita sua iustitiam veritatemque defensâsset, latere non potuit. Nam per eiusdem infirmitatis nimiam violentiam deleta vel perturbata penè tota memoria, in ea duntaxàt parte, quæ bonis malisque communis est, & bonis ad bonos, malis ad malos indifferenter vsus, deseruit, localium & temporalium rerum continens formas: ea ergò memoriæ parte obliterata siue confusa, pars illa, quæ veritatis & iustitię totiusque diuini cultûs impressa lineis, in hominibus sanctis & angelis pietatis tantùm congruit actibus, non solùm æquè, vt priùs, verumetiam constantior interdùm feruentiorque innotuit: adeò vt litanijs & psalmis pectorisque contusionibus, diebus ac

Tentatio blasphemiæ prorsùs sopita. Nota hic sanè res stupendas.

ac noctibus diuinæ clementię aures interpellando, religiosis, qui sibi seruiebant, onerosus plerunque fieret fratribus.

Aderant nanque ad seruiendum ei tam ex socijs proprijs, quàm ex nostra & Calesiensi, necnon & Excubiensi domibus octo vel nouem, & interdùm etiam decem, partim literati, partim sine literis, omnes religiosi fratres, nec vlla prorsùs persona secularis ad ipsius admittebatur obsequium. Hi verò die noctuque corporalibus ac spiritualibus necessitatibus eius deuotissimè seruiebant. Erga quos, seruitores videlicet suos, quantùm in humilitate, quam inter cæteras virtutes præcipuè sectatum suprà retulimus, profecerat, quamque profundè puri cordis sacris eam impresserat recessibus, manifestis ostendit indicijs. Nam si quid opus habebat, non à quoquam eorum iubendo tanquàm dominus, sed rogando, nec humanam, sed diuinam potiùs remunerationem imprecando suppliciter exposcebat. Verbi gratia: Exhibe vel fac mihi hoc aut illud propter Deum, vt Deus hoc tibi retribuat in futuro. Mirabantur autem & vehementer stupebant, quòd qui subiectos omnes, & propriam præsertim familiam tanta authoritate tantaque seueritate regere consueuit, in ægritudine quandò solent alij, morbi stipulante molestia, ad irarum & indignationum motus esse procliuiores, tantam mansuetudinem, tantam induerat humilitatem. Nam etiamsi quis vel modicè repræhendisset eum, vel aliquam molestiam in eius famulatu se pertulisse dixisset, protinùs pugnis grauiter pectus verberans, se reum clamabat, virgarum disciplinam imponi sibi deuotissimè flagitabat. Quod quia cuncti propter multam circa eum reuerentiam recusabant, flebat vbertìm, confessionemque illam, qua mysteria celebraturus vti fuerat solitus, innumerabiliter repetebat, psalmos quoquè & diuinarum scripturarum sententias, litanias etiam & orationes Ecclesiasticas die noctuque incredibili instantia frequentabat, ità vt nocte vna, sicut nobis veraci narratione relatum est, Dominicas orationes trecentas expleuerit. Cumq; à seruientibus sibi corriperetur, quòd hęc agendo non solùm suo fatigationem corpori, sed etiam augmenta præberet infirmitati: respondebat ille, non solùm non hinc suis incrementa miserijs, sed insupèr magna prouenire remedia.

Reuerà eximia & admiranda humilitas.

300. Dominicas orationes vna nocte tam debilis recitat.

Ità quippe his assueuerat studijs, & ità dulcedinē Diuinæ laudis & obsecrationis medullitùs imbiberat, vt cùm cætera penè omnia per passionem, vt prædiximus, capitis de memoria diffugissent, hæc prorsùs de sanctissima eius mente nulla vel phrenesis vel alterius vi morbi potuerint aboleri: Immò tanto hæc instantiùs & delectabiliùs reuoluebat, quanto cætera, obliuione quoquè iuuante, rariùs incursabant. Et cùm plerunquè, hac ipsa obliuione cogente, vbi esset, vel cum quibus esset, nesciret: interrogatus tamen de his, quæ ad iustitiam religionemque pertinebant, sine cunctatione veracissimè sapientissimeque respondebat. Nam cùm falsus rumor exisset, quòd comiti Amedeo, qui comitis Vmberti, patris videlicet sui secutus exemplum, non exiguam beato seni reuerentiam exhibebat, filius natus fuisset, quærerentque qui assistebant ei, an eum vellet ipse baptizare: ilicò non sine aspernatione respondens, Non, inquit, à quo quis baptizetur, curandū est, cùm baptismus à quocunq; datus, sit semper idem. Item disceptantibus inter se, qui aderant, quis successorem eius, eo ipso petēte iam electum, in sacerdotem consecraret: similiter indignatus respondit, non eligendum intra Ecclesiam Catholicam ordinatorem, cùm licèt diuersis & à diuersis datum sacerdotium nō possit esse diuersum. Indignabatur autem in talibus faciliùs & vehementiùs, quia vel dubitare in his, blasphemiam deputabat.

Verùm extra necessitatem non debet baptizare nisi sacerdos. Vide S. Thom. 3. par. q. 67.

Accurrentibus etiam ad visitandū eum clericis & laicis satìs multùm venerabiliter ac deuotè, pro personis & officijs monitus saluberrimos infundebat. Inter quos Guigonem Desiderij, vnum de maioribus post comitem, erga se præ multis deuotum, cum flexis genibus (ità quippe omnes faciebant) ante lectum eius benedictionem flagitaret, seuera increpatione corripuit, dicēs eum iniustas in subditos exactiones faciendo, animæ suæ perpetua tormenta lucrari. Ad quæ ille stupefactus, ait non hæc sibi ab illo, qui iam penè inter mortuos deputari poterat, sed à Deo potiùs, qui ei reuelauerat, dici, asserens grauissimam reuerà recenter terræ suæ mulctam imposuisse, necdumque accepisse, nec post hæc eius monita accepturum deincèps esse. Carnotinus etiam episcopus, dominus Gaufridus, seruo Dei ex quo notus, singulariter etiā charus, post visitationem, quam ei tanto gratiorem, quanto magìs desideratam exhibuerat, ad vestrì Valentiam, vbì tunc eratis, præsentiam reuersurus, cùm quid ex sua vobis parte dici præciperet, quæreret: ait ille, vt pro se vestra benignitas Dei clementiam exoraret. Sed & hic

cùm quæreret, quid pro se vellet orari, Vt Deus, inquit, in me mundanum extinguat, & suum accendat amorem. Idipsum religiosos fratres, qui sedulum sibi exhibebant obsequium, sæpissimè precabatur, reum se & indignum diuinis beneficijs non sine pectoris contusione contestans. Quadam autem vice quidam ex socijs, tantis eius fletibus atq; suspirijs motus, quasi consolaturus, Quid, inquit, pater tantum plangis, cùm nec homicidium, nec periurium, nec aliud quid criminale commiseris? Protinùs ille, Quid hoc, inquit, refert, cùm sola cupiditas & vanitas, si diuina non assit clementia, perditioni possint humanæ sufficere? Quid prudentiùs aut compēdiosiùs ab incolumi & integræ memoriæ potuit responderi? Omnia, quæ vel boni pijs studijs auersantur, vel mali perniciosis nisibus consectantur, duobus verbis cupiditatis & vanitatis inclusit.

Cupiditas & vanitas.

Diensis etiam episcopus dominus Odolricus, vnus ex eius alumnis, & in ecclesia Gratianopolitana per omnes honores vsque ad Decanatum, qui post episcopatum maior ibidèm est dignitas, ab ipso prouectus, vitæ regularis habitum per reuerendas manus sanctissimi senis desiderans sumere, deuotus aduenit, ipso iam multa, morbis ingrauescentibus, debilitate grauato. Cuius aduentûs causa, ministris indicantibus, vir beatus audita, tanto exultauit gaudio, tantaque protinùs est repletus lætitia, vt oblitus infirmitatis, venienti occurrere gestiens, penè se de lectulo præcipitauerit. Accedente autem illo, osculatus est eum, & præ gaudio lachrymas fundens: Exuat, inquit, te Deus veterem hominem cum actibus suis, & induat te nouum, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis: memoria, vt iam dictum est, ad communia vltra fidem deficiente, ad diuina solito nonnunquàm ampliùs exuberante. Nam & post multa sanctissima & saluberrima monita cùm abiret, necdumque atria cuncta transîsset, id etiam mandare curauit, vt de caligis pedules abscinderet, quatenùs præter pedes totus iaceret vestitus. Dolebat enim nonnullos in religioso habitu, ad sanctitatis iniuriam, tibijs dormire nudatis. Post hæc, iuuantibus ministris, in planum descendit solum, prostratusq; in faciem, magnas Deo pro eo, quod factum fuerat, cum lachrymis gratias obtulit: his indicijs, quantùm salutem desideraret humanam, penè iam defunctus ostendens.

Sanè admirãda sunt hæc.

Ridere autem vel ociosis vacare verbis, aut rumores inutiles recitare, seruitores suos nequaquàm patienter habebat. Statìm enim hoc ipsum seuera increpatione frenabat, asserens tempora fletibus debita & pœnitentiæ occupanda lamētis, nec cachinnis, nec nugacibus relationibus, nec ociosis terenda sermonibus. Vndè, quæsumus, etiam etiamque considerent, qui mirari nisì insolita non nórunt, vtrùm vel in scripturis, vel in humanis relationibus tale quicquam nôsse potuerint, & vtrùm non omninò impossibile & contra naturam, & ideò incredibile etiam videatur, potuisse hominem corporalia & à puero consueta de memoria perdere, & diuina nō potuisse, cùm id potiùs naturæ vel consuetudinis exigat ratio, vt spiritualia & diuina, tanquàm subtiliora & minùs assueta, captuq; difficiliora, priùs abscedant: illa verò, vtpotè familiariora & humanæ infirmitati ad cogitandum faciliora, diutiùs maneāt. Quod si ea, quæ circa sanctos contingere solent, quo rariora, eo sunt etiam mirabiliora: quid eo mirabilius, cuius pro suî raritate, nec in scripturis vllum, nec in humanis rebus extat exemplum? Et sentiat quisque quod vult, nobis autem videtur, nec aliter peritiores, eos maximè, qui physicam nórunt, sensuros existimamus, non minùs singulare, minùsve, immò fortè ampliùs fuisse mirabile, inter tot, tamque diuturnas & acerbas cerebri passiones, Diuinam cognitionem atque inuocationem, & religiosam non perdidisse deuotionem, quàm inter eculeos ardentesq; laminas & succensas craticulas insuperabili constantia Christianā non negâsse fidem. Ibì enim quod infestat, exteriùs totum ingeritur: hìc ipsa rationis instrumenta, ipsaque diuinorum & humanorum sensuum memoria quasi cellarium intrinsecùs impugnantur, & qui eis præsidet animus, nō aliundè nec alibi, quàm ex eis & in eis, quibus iuuari debuerat, dignioribus scilicet & sublimioribus, sibique pro suî subtilitate coniunctioribus suî corporis partibus attentatur. Horum alterum in reuerendis martyribus, alterū miramur in beato Hugone. Veruntamen hoc illi nec nouum, nec recens fuerat. In suæ nanq; mentis excessibus, quos vtiquè crebros & sublimes habebat, relictis non solùm cæteris, sed & semet sub se, supernam dulcedinem delectabiliter gustare solitus fuerat. Vndè etiam ad id recurrebat afflictus, quod incolumi fuerat dulcius. Apparet igitur, beatum Hugonem, sicut & sanctum Iob, ideò tantis tribulationū procellis exagitatum, tantisq; dolorum fornacibus instàr auri decoctum, vt & ad societatem sanctorum purior & clarior hinc exiret, & quòd non superficietenùs, sed ex totis medullis

Non scit ociosos sermones.

Crebros patitur mētis excessus.

Deum

Deum dilexerat, mundus agnosceret, dum ab eius inuocatione, nec doloris nec phrenesis vis eum vlla compesceret. Quid plura? In his vsque ad vltimum perseuerauit spiritum, erga suam Carthusiam, eiusque Priorem indignum, quod sine lachrymis non scribimus, specialem dilectionem, eorum in tantis afflictionibus memoria non carendo, demonstrans.

Anno itaque ab incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimosecundo, ętatis porrò suæ ad minùs octogesimo, mense quarto, cõsecrationis autem itidem ad minùs quinquagesimosecundo, Calendis Aprilis, sexta ante Palmarum Dominicam feria, circa Gallicinium beatus Hugo, inter sui temporis episcopos operibus & fama singularis, pacata domo & cunctis referta bonis, commissâ etiam ecclesiâ ac plebe tranquilla pace fruente, migrauit ad Dominum, successorem substitutum iam sibi Carthusiensem, sicut diù multumque desiderauerat antè, relinquens. Seruatum est autem corpus eius insepultum vsq; ad tertiam sequentis hebdomadæ feriam serenis diebus & calidis, ità vt nemo desideraret æstatem, mirantibus plurimis, quòd nec clementia aëris, nec circunstantis constipatæ multitudinis æstu, nec cereorum calore tabesceret. Ad cuius venerandas exequias tres accurrunt episcopi, Diensis, Gratianopolitanus, Carnatinus, qui præcedenti die post secundam, quam ei in hac sua vltima debilitate visitationem exhibuerat, vix tandèm recesserat, rogans vt si breui deficeret, post eum, quod & factum est, protinùs mitteretur. Felicissimè migrat à corpore.

Statim verò, vt eius obitûs fama percrebuit, accurrerunt non ex suo tantùm episcopatu, sed ex remotis quoque regionibus innumerabiles populi, cereos ac diuersi generis oblationes afferentes. Omnis ætas, sexus, atque conditio deuotissimè osculabantur pedes eius, intantùm, vt sandalia ipsa tanquàm tincta pellis, saliua pariter & lachrymis obscurarentur. Nam & lactentes offerebantur paruuli, quò tam sancti corporis tactu aduersus omnia munirentur aduersa. Nonnulli etiam sandalia ipsa, ardẽtiori fide osculando, mordebant, aliquid indè ob sanctificationem secum ferre volentes. Annuli ac nummi & res alię sancto applicabantur corpori, vt eo sepulto, pro reliquijs haberentur. Aderant ex nostris & Calesiensibus atque Excubiensibus plures conuersi, sanctissimæ glebæ custodes assidui, monachorũ quoque & clericorum cum ecclesiasticis apparatibus greges quamplurimi. Tantus autem concursus vndiquè fuerat populi, & tam grata cunctis etiam defuncti præsentia, vt vix tandèm eum permiserint sepeliri. Deniquè quinta defunctionis die, tertia, vt diximus, post palmas feria, deceperunt turbas, promittentes quòd ipsum extra ecclesiam efferrent, vt eum liberiùs & intuerentur, & tangerent. Hac itaque spe exeuntibus, & ità ecclesia beatæ semper virginis Mariæ, vbì sepeliendus erat, ex parte vacuata, obseratis protinùs firmissimè ianuis, sacri corporis venerandę reliquiæ in præparato sarcophago cum multa reuerentia & ingenti lamentantiumq; pariter & psallentiũ clamore ponuntur. Frequentia porrò turbarum circa sepulcrum eius modò rarior, modò densior ob spem diuinæ in se miserationis, propter ingentia beati viri merita nunc vsque perseuerat. Deuotio populi erga sacrũ corpus.

VITA S. VVALERICI ABBATIS, SCRIPTA FIDELITER A QVODAM EIVS PROPE AEQVALI, SED *rudi stylo, atque ea causa mutato per F. Laur. Surium.*



VValericus vir venerabilis, mediocri quidem fuit genere, sed fide & religione illustrissimus: quippe qui ab ipsa penè infantia à Domino præuentus sit in benedictionibus dulcedinis. Apud Aruernos habuit natale solum: porro adhuc puerulus ætate, sed mente grandæuus, oues parentis sui ad pascua ducere solebat. Accidit interim, vt audiret à vicinis, nobilium pueros ad scholas literis instituendos adduci solere. Ibi tum ille magno incensus desiderio, tabellam sibi effecit, cum multa reuerentia à ludimagistro petijt in ea Alphabetum sibi exarari, & literarum significationem expromi. Quod vt haud difficulter obtinuit, ad suas pascendas oues alacer regressus est. Intereà res euenit memorabilis & admiranda. Cùm enim gregem paternum curaret in agris, assidua meditatione, licèt inuito parente, non alphabetum modò, sed etiã totum didicit Psalterium. Indè verò cœpit sacras adirę ędes, & in- 1. Aprilis, quo die translatio eius celebratur. Literas discit admirabiliter.

& intenta mente audiens quæ illic cantabantur, magìs ac magìs diuino compungebatur timore.

Crescente autem in eo calore fidei, vt audiuit non procùl abesse monasteriū quoddam, in quo suus degeret auunculus, eius insistens vestigijs, eò se contulit. Porrò parens eius iussit, vt domum se reciperet. Respondit sanctus puer, se deincèps ad paternas ędes nunquàm rediturum. Ea res & stuporem & mœrorem eius patri attulit, multaq; is animo cogitare cœpit, adhibitis etiam Abbatis & fratrum consilijs, quonam pacto eum à monasterio educeret. Et fratres quidem cœperunt hortari beatum puerum, vt ad parentes rediret, & deindè quandocunquè illi visum esset, ad cœnobiū reuerteretur. Addebant blandis verbis etiam minas, & aliquot dierum ieiunia indicebāt, vt sic animum eius terrerent. Sed ille meliori concepto consilio, tanquàm petra immobilis, in sua sententia persistebat, non immemor illius, quod Dominus Iesus ait: Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus. & illius sententiæ Apostolicæ: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames? Cernens verò Abbas pueri constantiam, & immotum animi desiderium, cessit pietati & timori diuino, aitque ad fratres: Non abijciamus hoc, quod nobis à Domino donatum esse videmus. Tum verò omnes propensa voluntate & cum gaudio spiritali eum intrò admittunt, promotumque in clericum, intra paucos dies, præsente patre eius, sub regulari ordine, vt author loquitur, eum constituunt. Cum ipsius verò ætatis incremento, crescebat pariter & gratia spiritûs sancti, & cunctorum erga illum amor & beneuolentia. Erat sanè corpore castus, mēte deuotus, sermone comis & affabilis, decorus & amabilis adspectu, prudentia conspicuus, clarus temperantia, animi fortitudine robustus, iustitiæ valdè tenax; longanimis & benignus, patientia inuictus, humilitate mansuetus, charitate seruens, deniquè bonis operibus & gratia Dei plenus. Magna in eo morum integritas & maturitas visebatur, ità vt confratribus suis tanquàm exemplar esset & norma viuendi.

Non potest extrahi ex monasterio. — *Matth. 10.* — *Rom. 8.* — *Virtutes eius.*

Inter hæc autem animo semper ad sublimiora virtutum exercitia adspirans, cœpit, relicta patria & posthabitis parentibus, peregrè velle proficisci, idq; non mentis leuitate, sed diuino eum amore perurgente. Abijt igitur ad monasteriū beati Macarij, quondàm Antissiodorensis episcopi, quod in eius vrbis viridario quodā suburbano constructum est, venientemq; idem antistes humaniter accepit. Ibì verò per multum tempus ieiunijs, vigilijs & precibus haud vulgariter incumbens, cælestem in terris vitā degebat: cumq; eius virtutum fama longè lateq; se diffunderet, quidam vir nobilis & opulentus, Bobo nomine, ad eum, salutaris ab eo hauriendæ institutionis causa, deuotus accessit, ab ipsoq; Dei famulo deuotiùs exceptus est. Tantum autem apud eius animū tum prolatis è diuina scriptura sententijs, tum fusis pro illo ad Dominum precibus effecit, vt omni mundi calcata gloria, voluntariam Dei amore paupertatem complexus sit: & nè missa semèl ad aratrum manu, retrò respicere videretur, noluit domum reuerti, sed cum magistro suo S. Vualerico pari religionis feruore Luxouium vsque profectus est, vbì venerandus & admodùm sanctus, insignisque sacræ religionis cultor B. Columbanus, ex Hybernia insula ortus, ducentorum & viginti plùs minùs monachorum pater morabatur: in cuius cœnobijs nemo sibi aliquid ceu proprium vendicabat: prçter diurnos labores nocturnasque vigilias, omnibus omnia erant communia, idem velle ac nolle, cor vnum & anima vna in Domino, atque tametsi nihil mundi huius apud se haberent præter parcissimum & tenuem victum, & corporis simplicia atque humilima indumenta, at nihilo minùs in Christo omnia possidebant: atque his delicijs & diuitijs contenti, vitam viuebant angelicam. Et de S. Columbani quidem virtutibus & factis admirandis si quis plura nôsse velit, cùm ea narratio à nostro instituto sit aliena, ad eruditi discipulorum eius discipuli Ionæ Abbatis, præclari sanè viri opusculum perlegendum se conferat, quod ille de tanti patris vita conscripsit. Nos ad S. Vualerici res gestas explicandas reuertimur. Cùm adhuc in Luxouiensi cœnobio ageret, humilitatis studio horti colendi curam suscepit, in quo sanè tanta olerum crescebat copia, vt fidem propè vincere videatur. Accidit autem, vt in aliorum hortis pleraque omnia olera limaces & alij vermes deuastarent: porrò S. Columbanus Vualerici curæ commissum hortum ingrediens, non solùm nihil ibì à vermibus adesum reperit, sed omnia potiùs virentia, amœna & inuiolata conspexit. Facilè autem vir Deo plenus animaduertit hoc non casu ità euenisse, sed humilitati, obedientiæ & fidei B. Vualerici tribuendum esse: licèt is è diuerso non suis, sed fratrum meritis hortum defensum assereret. Perspecta itaque

Petit monasterium Antissiodorense. — *Venit ad Luxouiense cœnobium.* — *Ionas Abbas scripsit vitam S. Columbani, quæ est Tomo 6.*

tanta eius gratia, beatus Pater Columbanus iussit eum inter probatos recipi monachos, quem alij tanquam nouitium inter pulsantes (qua voce author vsus est) statuendum censuerant.

Contigit indè, vt B. Columbano fratres sacris lectionibus instituente, & diuini verbi semina inter illos spargente, deimprouisò limen domûs illius S. Vualericus calcaret. Ad eius verò introitum B. Columbanus admirandæ suauitatis odorē persensit: cumq; didicisset quisnam tum eò fuisset ingressus, fertur ità dixisse: Tu iure es Abbas monasterij & senior mihi diligende. Cùm autē ab illo cœnobio sanctus Columbanus cum fratribus suis esset expulsus, persequente eum Theodorico rege, malè persuaso à Brunichilde auia sua, qui tum Burgundionum regnū obtinebat, quemadmodùm Austrasiorum Theobertus, pastores quidam eum locum sibi vendicârunt: sed B. Vualericus Domini virtute profanis siue secularibus hominibus indè expulsis, cœpit locum sacrū restituere: iamque B. Eustachius à S. Columbano missus erat, vt illi cœnobio præesset, licèt eius fines quosdam etiamnùm homines seculares occuparent: qui cùm litem intentarent, B. Eustachius & generis & morum nobilitate venerabilis, vnà cum famulo Dei Vualerico adeò illos efficacibus & mellitis sermonibus, Domino illi opem ferente, ab iam dictis cœnobij finibus amouit, vt nullum prorsùs inter illos cōtentionis scandalum extiterit. Erat tum frater quidam, qui animi leuitate permotus, eos impatienter subsequi conaretur: & licèt vir Domini blandis eum verbis coërceret, ille iussa eius magis etiam aspernatus est. Tum verò ait ad eum vir Dei: Fili, noli sequi eos, nè fortè cum ignominię nota ad nos reuertaris. At ille in sententia perseuerans, cum alijs quibusdam secutus est abeuntes: orta autem inter illos contentione, lapidis ictu in manu percussus est, tantoque ex eo ictu dolore affectus, vt quoàd viueret, in eius manu vestigium remaneret. Nam digitus auricularis adeò contractus est doloris acerbitate, vt tandèm radicitus exaruerit.

S. Eustachius è laicorū manibus recuperat cœnobium.

Prætereà verò quidam è fratribus, Vuandolenus nomine, quodā desiderio inflammatus, petiit a B. Columbano copiam apud gentiles Christum prædicandi, sociumque sibi eo in opere, fouendæ religionis causâ, venerabilem virum Vualericum adsciscendi. Cui beatus pater sic fertur respondisse: Tu quidem, fili, bono zelo duci videris: sed noueris Vualericum magnum esse apud omnipotentem Deum. Caue igitur, nè molestus ei sis, nè quam scandali materiam excites. Permisit verò illi, vt eum sibi adiungeret: sed posteà, vt vir sanctus prædixerat, euenit. Simul autem abeuntes, ad Clotarium regem peruenerunt, ab eoq; locum ab hominibus remotum, quem incolerent, petiêrunt. Vbi autem ad locum quendam Ambianen. ventum est, cui comes Sigobardus preerat, accidit hominem pro admisso facinore capite damnatum, iam in patibulo spiritum reddidisse. Eum vt procul adspexit B. Vualericus, permotus animo, vt erat pietatis visceribus plenus, celeri cursu ad supplicij locum contendit, & quamuis carnifices eum prohiberent, ne cadauer extincti hominis vllo modo contingeret, at ille intrepidus (perfecta enim charitas foràs mittit timorē) restim scidit, & corpus exanime suis manibus in terram deposuit, eiq; incumbens, cum profusis lachrymis cœpit rogare Dominum, vt hominem excitaret. Non distulit pius Dominus audire preces ab ardētissimo amore profectas. Nam confestim cunctis adstantibus & valdè admirantibus, tanquàm ex profundo somno euigilans homo, vitæ restitutus est incolumis. Tam verò ingens miraculum ad præsidem perlatum est: cœpitq; vir Domini suppliciter rogare eum, vt quem Dei benignitas vita donâsset, iudicis quoque clementia prosequeretur, & potestatem misero faceret, quocunquè abitum ei esset, discedendi. At ille sæuo furore inflammatus, denuò eum suspendi iubet. Cui vir Dei, Constat quidē, inquit, te iam semel de illo meritas maleficij pœnas repetijsse: itaque nisi me pariter cum illo suspenderis, quem Diuina potentia suscitauit, non illum patiar auelli ex manibus meis. Quòd si verò me exiguum Christi seruum tu fortasse exaudire noles, est mundi præpotēs creator & Dominus, qui neminem se inuocantem contemnit, nosque pro suis legibus certantes, pro sua solita benignitate modò exaudire non dedignabitur. His verbis fractus comes, iussit hominem solui & dimitti: qui posteà longo vixit tempore.

1. Ioh. 4.

S. Vualericus vita functū excitat.

Non putamus hoc loco prætermittendum, quemadmodùm illustris & Deo deuota matrona Bertila, quæ multis eos beneficijs affecit, cùm sagaci ingenio facilè perspexisset, Vualericum virū esse admodùm sanctū, obnixè valdè ab eo petierit, vt si cōtingeret ipsam illi esse superstitem, liceret ei corpus eius, tanquam pignus sacrū, sepulturæ mandare. Cui sanè ille respondisse memoratur: Hoc in Diuinæ positum est arbitrio voluntatis.

Clotarius rex ei pro cœnobio locũ aptum tribuit.

tatis. Fiat ergò, ficut & vbi illi vifum erit. Porrò Clotarius rex ex confenfu Ambianenfis antiftitis, ità vt petierant, locum eis fecretum largitus eft, remotiori ab hominũ confuetudine vitæ, & monaftico inftituto benè opportunũ, quem antiquitùs Leuconaum dicere confueuerant. In eo autem loco Ambianenfis pontifex beatus Bernardus diebus Quadragefimæ diuinæ folitus erat contemplationi vacare: ibidemque S. Vualericus à fratribus fegregatus, in quadam cellula fe inclufit, vt omnibus mundi huius curis pofthabitis, pro more fuo Diuina duntaxàt & cœleftia contẽplaretur. Fratres verò monafterium fibi conftruxerunt, & regis eleemofynis fuftentabantur: Situs eius loci commodiffimus eft. Nanq; ab vno latere ex propinquo mari multam habet amœnitatem: ab alio verò præterfluit pifcofus fluuius Somna, atq; illic fuper fcopulos & faxa ingentia ab imo vfq; in fublime vifuntur ftructa ædificia, quæ admirandum præbent vicinæ regionis hominibus fpectaculum. Porrò à parte tertia, quæ cæteris prçcellit, humus eft optima & valdè fertilis, & tam arboribus pomiferis quàm fylueftribus, ijsq; & denfis & fpeciofis, magno ambitu cingitur ad multam vtiq; iucunditatem. Eo igitur in loco extra hominum ftrepitus latere quidem voluit S. Vualericus, fed fama virtutum & bonorum operum exempla præclara apud omnes pafsìm eum celebrem & infignem reddebant, eueni tq; illi quod Dominus ait in Euangelio: Non poteft ciuitas abfcondi fupra montem pofita: neq; accendunt lucernam, & ponunt eam fub modio, fed fuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo funt. Quemadmodùm autem magnes lapis ferrum ad fe trahit, ità etiam gratia Dei, quæ in fancti viri vultu verbisq; & moribus relucebat, permultos ad vitæ eius piam quandam feruentemq; æmulationem inuitauit & adduxit. Vbi hoc obitèr dicendũ venit, virtutes, quas per illum Dominus effecit, quotidieq; efficit, tam multas effe, vt earum certus numerus iniri vix poffit. Quó fit, vt illas duntaxàt huic lucubratiunculæ intexuerimus, quas à viris fide dignis & earũ benè confcijs aut peritis, quippe ab ipfo fancto viro & enutritis & inftitutis, auditione accepimus. Et certè quofdam ex ijs, diuerfis vexatos morbis, fanitati reftituit: è quibus vnum nunc exempli caufa proferemus.

Situs eius cœnobij.

Matth. 5.

Hinc habetur huius hiftoriæ fides.

Blitmundus, qui etiam Gogus dicitur, apud Ifaram fluuium ortus, ab antiquo humani generis aduerfario percuffus fuit adeò, vt membrorum omnium compagibus luxatus, fe in pedes erigere non valeret. Is ad beatum Vualericum adductus eft: cumq; in eius confpectum veniffet, ait vir Dei: Hoc, inimice, facinus tuum eft. Duxit autem illum ad atrium fuum, & imponens ei manum, luminibus ad cœlum erectis, à Domino obtinuit, vt, quemadmodùm is ipfe Blitmundus poftea narrauit, vbicunq; ille manum fuam poneret, mox dolor immanis, tanquàm per meatus vel poros quofdam eiectus, ità penitùs à toto eius corpore profligaretur, vt eadem hora folutis neruis, qui iam aruerant, manum ei porrigens vir fanctus, in pedes eum fanum & incolumem erexerit. Tunc qui præ foribus aderant, nimio timore & ftupore confternati, in præpotentis Dei laudes & gratiarum actionem, & S. Vualerici præconia & venerationem eruperunt. Blitmundus verò à fancto viro poftea ità præclarè inftitutus & educatus eft, vt ad eum locum tum porrò exædificandum, tum etiam gubernandum, fecundus, & quidem dignus atque idoneus, Abbas creatus fit.

Curat Blitmundum.

Vualdolenus autem, cuius fuperiùs mentio habita eft, victûs & annonæ copiam à rege accipiebat. Interim quadam interueniente neceffitate, eius fratres à B. Vualerico nonnihil farinæ periêrunt. Ille more fuo alacriter iuber illis, quod volebãt, porrigi, conuenienter illi fententiæ Saluatoris, Omni petenti te tribue: at tamen cùm farinam abfportarent, ait eis: Quæ à nobis expetijftis fratres, ea quidem vobifcum hinc tolletis, fed credite mihi, nihil hinc cedet in vfus veftros. Abeunt illi, apportant farinam ad patrem fuum: fed, vt vir Dei prædixerat, eueftigiò iubentur referre eò, vndè attulerant. Multos verò fanctus vir ex obfeffis dæmones expulit. In ijs vnus erat tanto furore correptus, vt in corio infutus teneretur. Quem cùm ad pedes eius abieciffent, ieiunio & oratione hominem curauit. Quotiès autem tales ad eum deferebantur, in cellulam feorsùm eos perducebat, feque ieiunio & precibus affligens, Domino opitulante, miferis falutem obtinebat. Multis verò eulogias tranfmittebat. Qui autem ad eius confpectum adducebantur, terribili voce clamabant: Heu heu, iam nos ille nofter torquet aduerfarius, iam nos Vualericus inflammat.

Luc. 6.

Sanat dæmoniacum.

Inter alia fancti fpiritûs charifmata, etiam donum prophetiæ illi nõ defuit. Nam quæ ab alijs clàm gefta erant, culpasque abfentium fæpè publicè repræhendit, vt tanto illos cautiores & ob alia perperàm admiffa verecundiores efficeret, quãto certiores effent, nihil

Claret fpiritu prophetico.

nihil eorum ipsius notitiam effugere, quæ contra Dei voluntatem, licèt absentes, perpetrâssent. Quod cùm illi intellexissent, non ausi fuêre quicquam eum celare, si ab eo de culpis admissis interrogarentur, sed palàm eas illi edicebāt. Contigit verò duos germanos ad illum venire ferijs beatissimi pōtificis Martini, quos ille obiurgans, dixit: Miror, qua temeritate ausi fueritis ante Missarum solennia bibere. At illi culpam fatentes suam, veniam petebant, & emendationem pollicebantur. Alium quendam Dominico die ad ipsum venientem his verbis compellauit: Non te decebat fili facere, quod hodiè fecisti. Cùm enim intrà ædes tuas vestibus te indueres, adspexisti coniugem tuam, & illa non ignorans quid velles, heminam plenam porrexit tibi, & tu ante Missam potare non dubitâsti. Agnouit homo culpam suam, & se id fecisse doluit. Illustris quædam matrona sub horam prandij per puerum panem & lagenas vini illi misit. At puer edendi bibendique auiditate impulsus, partem sibi retinuit, reliqua attulit ad virum Dei: qui Deo reuelante pueri fraudem cognoscens: Nos quidem, inquit, fili pro apportato munere gratias agimus: sed tu vide nè sis ausus quicquā sumere de pane illo & lagena, quæ tibi in quodam loco abscondere voluisti. Iam enim in lagena serpēs delitescit, & panis venenum habet mortiferum. His auditis, intremuit puer: moxq; reuersus, inuenit vera dixisse virum Dei: itaque pudefactus, tremebundus redijt ad illum, multùm dolens ob facinus improbum. Venit quidam ad hominem Dei, fistulæ morbo prope oculum laborans. Impressit ei vir sanctus crucis signū, & eum ad sua exequenda negocia iussit abscedere. Illo hæsitante, ait vir Dei: Video te non satìs confidere de restituenda salute: verùm vbì domū redieris, iusculum tibi porriget vxor, quod caue nè sumas: nec vlla alia, præter hoc crucis signum, tibi adhibeas medicamenta. Si secùs egeris, vitio hoc liberaberis quidem, nec indè morieris, sed eius quoddam vestigium tibi inhærebit, quoàd vixeris. Quæ omnia sic, vt erat prædictum, euenerunt. Venit homo domum, vxor ei iusculum obtulit, ille oblatum sumpsit, insupèr quæcunque potuit extrahendi veneni adminicula captauit: & mortem quidem euasit, sed luscus deindè permansit. Longum est referre, quàm multos ille hoc morbo vexatos curauerit: hoc tamen silentio premendum non est, quotquot ad eum accessissent, non nisi crucis signo & saliua oris eius, absque alio quouis medicamine ab illo fuisse sanatos.

[Reprehēdit eos, qui ante Missā biberant.]

[Signo crucis solo voluit morbidum esse contētum.]

[Morbidos solo crucis signo & saliua sua sanat.]

Profectus aliquandò fuerat vir Dei ad principem quendam: indè rediens ad cellam suam pedes, vt solitus erat, peruēnit ad locum, quem Augustam vocant: (Vt autem hoc obitèr dicamus, solebat vir sanctus, dum iter ageret, asello sedere humilitatis studio: sed vt magìs etiā tum humilitati studeret, tum labore se afficeret, pedibus crebrò suis iter conficiebat.) Ad ripam autem fluminis truncus erat grandis, in quo diuersæ cernebantur imagines, terræ validissimè infixus, cumq; rustici superstitione gētili impensè venerabantur. Vbi id conspexit vir sanctus, mox incēsus zelo Dei, dixit ad puerum suum: Fili mi, impelle hunc truncum in ruinam. Ille nihil cunctatus, manu eum contigit, & ingentem molem, quam vix multa hominum turba magna vi euertere vel etiam securibus incīdere posset, tanquàm iam putrefactam, leui motu humì prostrauit. Cadens autem truncus cum ingenti fragore & strepitu, totus contritus & quassatus apparuit. Ea verò res rusticis eius loci magnum & stuporem & mœrorem attulit: qui arreptis fustibus & armis, vt iniuriam dei sui vindicarent, certatim accurrerunt, factoque vnanimiter impetu in hominem Dei, extensis brachijs ictus & verbera intentârunt. At ille, vt semper erat animo firmo & imperterrito, sic eis dixisse fertur: Si Dominus vult isthuc, quod minamini, permittere, nemo vobis resistere valebit. Quibus illi verbis fracti, nutuque diuino repressi, ab illo recesserunt. Tum verò sanctus Dei sacerdos cœpit eos instituere, vt relictis idolis, vnum Deum omnipotentem colerent, tantumq; suis sermonibus consecutus est, vt in eodem loco posteà basilicam in honorem S. Vualerici extruxerint, iuxta fontem quendam, vndè se vir sanctus lauisse dicitur: vbì multa beneficia fide recta poscentibus diuinitùs præstantur.

[Rusticos gentiles conuertit.]

Vrsinus puer, præclaris editus natalibus, germanus frater fuit Mauronti nobilissimi viri, præcipui inter aulicos proceres, sed eo nomine vel maximè illustris, quòd pro Christi amore sponsam forma egregia contempsit, omniq; huius mundi fastu & dignitate reiecta, Christi Domini vestigia sectatus est. Huius ergò frater Vrsinus puer ad posteriores corporis partes vlcus accepit valdè periculosū, vndè certa propemodū mors illi impendēre videretur. Porrò eius pater ad fidem amplectendam animo erat prædu‑ro & inflexibili. At tamen curatum est ab ijs, quorū mēs erat sanior & fides robustior, vt is puer ad sancti patris conspectū adduceretur. Qui cùm vlcus suis contrectâsset manibus, mox sanatum est.

[Vlcus periculosum sanat.]

Vir quidam nobilis venit ad virum Dei, rogans vt filium eius Andebertum dysenteria iamdiù laborantem curaret. Addidit autem non tam viuere eum, quàm doloribus confici, & extremam horam cupidè expectare. Quòd si id facere nollet, saltem nō dedignaretur eius corpus sepulturæ tradere. Cui vir beatus respondit: Qui Lazarum quatriduanum & iam fœtentem excitauit è tumulo, etiam hunc adhuc vitalem trahentem spiritum, licèt tenuiter admodùm, non difficulter poterit incolumem tibi restituere. Cumq; eum suis sacris tetigisset manibus, is, qui per multos dies nihil esculentum sumpserat, fertur exclamâsse, petijsseque à patre suo, vt quamprimùm cibus ipsi præberetur, pauloque pòst, qui parentum manibus ad Dei seruum allatus fuerat, iam lætus & alacer cum patre suo eques domum reuersus est.

Ioan. 11.

Penè exanimis curatur.

Illud hìc omittendum non est, quemadmodùm virum sanctum etiamnùm mortalem & in terris degentem præpotens Deus vltus sit: qua ex re perspicuè licebit animaduerti, qui Christi seruos offendit, non illos modò, sed etiam habitantem in eis Dominum ad indignationem prouocare. Vndè tanto magìs formidanda est ira iustorū, quanto certiùs constat in illorum pectoribus pręsentem adesse æquissimum iudicem Deum. Cùm enim vir sanctus ab eo loco, quem Caldem vocant, hyberno tempore ad suum monasterium rediret, in ipso itinere ob nimiam frigoris acerbitatem ad presbyteri cuiusdam domicilium, cum socijs sese calefacturus diuertit. At illi, qui tantum hospitem summoperè venerari & reuerenter excipere debebāt, vt eius sacris sermonibus instrui mererentur, ad turpia & obscœna iactanda verba, vna cum eius loci iudice, prorumpunt. Ille contrà, vti consueuerat, putridis & corruptis hominum vulneribus salubria cælestis verbi cataplasmata adhibebat, aitque ad illos: Non audiuistis, filij, illud ex Euāgelio, De omni verbo ocioso reddituros nos rationem in die iudicij? Ea oratione nihil illi permoti, contempto viro Dei, multo etiam fœdiores & impuriores vomebant sermones. Tum ille: Volui quidē, inquit, in tā acri frigore nonnihil corpusculū meum ad ignem refouere, sed vestræ id non sinunt linguæ impurissimæ, quæ me etiam frigore afflictum hinc abire compellunt. His dictis, excusso in eos pedum suorum puluere, abscessit. Eccè autem in procaces & spurcos illos mox vltio diuina grassatur: & presbyter quidem repentè vtroque orbatus est lumine, & iudicis membra genitalia cōputruerunt. Tum illi præsentem Dei vindictam malè experti, conantur verbis supplicibus ad se virum sanctum reuocare, sed frustrà. Et alter quidem cæcus permansit, alter verò cōtracto corpore & putrescente inguine, extinctus est. Ità nimirùm voluit Deus vlcisci læsum fidelem seruum suum, cuius omnis vita compunctione & diuina gratia plena fuit. Nanq; à primis ætatis initijs corporis seruauit integritatem: humilitate verò & benignitate tanta fuit, vt humanum modum excedere videatur. Quotiès ille vel ad discipulos instituendos sermonem habuit, vel spiritu psallens & mente ad cælum suspexit, vel humì prostratus Deo preces obtulit, toties per eius ora sanctæ compunctionis manabant lachrymæ.

Iusti non sunt offendendi.

Matth. 12.

Vltio diuina in obscœna loquentes.

Catalogus virtutum eius.

Quis verò enumerare sufficiat, quot ille noctes insomnes transmiserit, furtiuas easque prolixas preces inter densas vepres & in depressis vallibus fuderit? vt illas interim omittam peculiares & benè longas, quas in clauso cubiculo, soli Deo vacans, crebrò fecit. Lectus eius ex virgis contextus, vili operculo tegebatur. Vestes lineas respuebat. Preces horarias & cœnobitico & Gallicarum ecclesiarum ritu accuratè persoluebat. (hoc enim mihi significare videntur verba authoris, quibus ait, eum Cursum tam monastecialem quàm Gallicanum, magno studio indesinenter celebrâsse) ijs absolutis, imbecilla membra tandèm exiguo fouebat somno. Hoc autem illi propositum semper fuit, vt nė quod tempus ociosè transmitteret, sed semper aut lectioni, aut orationi, aut operi manuario esset intentus: cumque erga omnes liberalis, benignus & humanus esset, magìs tamen erga pauperes & egenos: idque adeò, vt etiam de suis humeris detractum vestimentum eis tribueret, alimenta quoquè & cæteras monasterij facultates, de crastino nihil cogitans, petētibus elargiretur. Quòd si fratres ea re contristatos vidisset, blandis & consolatorijs eos sermonibus animabat, ità dicens: Filij, isthuc sectemini, idque pro comperto habeatis, quicunque prōpro animo necessaria petentibus tribuerit, quicquid à Domino nēcessarium petierit, citiùs id illum impetraturum. Neque id verbis solis, sed etiam rebus ipsis confirmabat. Nanque & ipso orante & Domino subministrante, abundè fratribus eius omnia suppeditabant.

Ociū fugit

Benignitas in pauperes.

Tantæ autem lenitatis fuit, vt auiculæ indomitæ crebrò ex eius manibus cibum sumpserint absque vlla formidine, digitisque illius, quotiès libitum ei esset, se attrectari permiserint.

Auiculę ei familiares.

miſerint. Cùmq; aduentarent fratres & obſtupeſcerent, aueſque nonnihil auolarent, dixit ad fratres: Filij, non faciamus eis iniuriam, ſed ſinamus eas paululùm ſatiari ex his micis. Tum verò fratribus retrocedentibus, certatim illæ aduolabant, vt annonam de ſancti patris manibus caperent more ſuo. Erga fratres quoq; tanta erat humanitate & clementia, vt ſi quempiā ex iunioribus ob perpetratas culpas flagellari iuſſiſſet, crebro tamen id fieri vetârit, accitumque illum ad ſe blandè leniterque admonuerit, vt deinceps caueret ſibi, cogitaretque quas iam meritò luiſſet pœnas: in præſens autem hac affectus verecundia, illæſus abiret, & in poſterum nihil verberibus dignum admitteret. Atq; hac ſanè ratione plures ille retrahebat ab rebus illicitis, quàm multorum poſſent verbera, ab irato animo profecta.

Quod ad corporis formam attinet, vultus ei erat hilaris, ſermo compoſitus, ſtatura procera, gracile corpus, manus tenues, digiti oblongi, oculi venuſti, adſpectus amabilis, facies valdè placida, ſed pallens, confectaq; macie, quippe cū non rarò tota ſeptimana nihil cibi caperet, Dominicis exceptis diebus, & neq; vinum, neq; ſiceram, neq; quicquam, quod ebrietatem poſſet adferre, potaret: interim nihilo minùs ad hoſpitum aduentum, ſola eum perurgente charitate, de huiuſmodi potionibus deguſtans: atque ita etiam inedia corpus afficiens, vt tamen ſuæ functioni nunquàm deeſſe videretur. Porrò quandò per eum Dominus varijs affectos morbis curabat, vel res occultas & futuras prædicebat, videre licebat genas eius roſeo perfuſas colore, & fulgore micantes admirabili: vt eo argumento perſpicuè poſſet animaduerti, eius dicta & facta authorem habere ſpiritum ſanctum. Corporis forma. Ieiunia diuturna valdè.

Iam aduentabat tempus, quo poſt multos pro Deo ſuſceptos labores ad beatum & felicem huius vitæ terminum venturus erat. Itaque cùm die quodam Dominico ad ſuum monaſterium reuertiſſet, abijt ad verticem montis, vbì arbor erat vndiquè vepribus cincta, quo in loco furtiuas illas, de quibus antè diximus, Deo preces offerre conſueuerat. Aderant autem illi fratres quidam, in quorum præſentia certum deſignauit locum, vnius capacem hominis, aitque ad illos: Vbì de hac vita, Deo volente tandèm deceſſero, hoc in loco me ſepeliatis. Proximo indè Dominico die, carnis ſarcina depoſita, victor migrauit ad Chriſtum, atque iuxta illam arborem, vbì ipſe iuſſerat, ſummo cum honore ſacrum eius corpus humatum eſt. Ad illam autem arborem, vt ipſe retulit, Sanctus Bernardus epiſcopus ſanctorum reliquias ſuſpendere ſolebat: quod vir Domini non aliundè quàm ex diuina reuelatione didicerat. Satis autem ex his appáret, & diem obitûs & locum ſepulturæ ſuæ viro ſancto diuinitùs indicatum fuiſſe. Quæ verò poſt eius obitum diuina potentia miracula effecerit, breuiter annotabimus, ſed ex multis pauca duntaxàt referendo, neque ea fabuloſa, ſed quæ à veridicis teſtibus confirmata didicimus, maximè quæ vir reuerendus & eruditus * Ragimbertus Abbas pio ſtudio, multo labore & ſermone copioſo quidem, ſed admodùm ſimplici conſcripſit. Deſignat locū ſepulturę ſuę, & moritur. * Ragnebertus.

Puella quædam triennij fermè ſpatio oculis orbata fuit. Eam parentes ad locum vbì virum Dei humatum diximus, adduxêre. Ad cuius fines cùm appropinquaret, ait: Quid eſt hoc, quòd illic procùl luce clariùs ſplendere conſpicio? Reſponſum eſt ei, hoc eſſe domini Vualerici oratorium. Ità illa ſe ſentiens illuminatam, gratias egit Deo & ſancto Vualerico, domumque redijt. Iuxta eum locum, quem ſuprà diximus Auguſtam vocari, vbì truncum illum, quem ceu idolum ſuum colebant ruſtici, iuſſerat vir ſanctus euerti, pro quo templum in Dei nomine viro ſancto extructum fuit: iuxta illum ergò locum dum quodam die aliquot fœminæ iter haberent, vna ex eis alias antecedens, ibì preces fudit: ac deindè ad ſocias ait: In hoc ſacro loco deſcendite è curru, & orate pro peccatis veſtris: & paululùm reſumptis viribus, hauſto potu, cum gaudio ad deſtinatum pergamus locum. At illa, quæ inter eas primaria eſſe videbatur, contemnens eius monitionem, cum filia cœptum perſequebatur iter. Interìm dum mutuò inter ſe colloquuntur, filia non ſine ſtomacho dicit ad matrem: O mea chara parens, itáne habitatores loci huius eum hîc veneratione proſequuntur iam vita functum, quem nos ante paucos annos ſedentem aſello & habitu contemptibili cernebamus? Reſpondit mater: Huiuſipſius hoc loco celebrem volunt agi memoriam ruſtici, cuius nobis actus viles & deſpicabiles videbantur. Dumque id genus vltrò citroque iactantur ſtulti & temerarij ſermones, filia ſentit crura ſua, tanquàm paralyſi affecta, immani dolore torqueri? moxque cum mœrore indicat id matri. Stupent ambæ, tandemque ſtatuunt ea cauſa iſthuc accidiſſe, quòd noluiſſent preces fun- Cæca videt.

dere in loco memorato. Itaque magno timore correptæ, cum ingenti humilitate ad idem viri Dei oratorium reuertuntur, ibique omni fastu & elatione compressa, tandiù cum lachrymis prostratæ rogant veniam contemptùs sui, donèc miserante Domino, sanitas filiæ restituta est.

Accidit autem, vt ex sancti viri cœnobio monachi discedere compellerentur. Cumque id fratres deseruissent, S. Bernardus Episcopus B. Vualerici sacrum corpus ad suam Ambianensem ciuitatem transferre nitebatur. Verùm vbi facta oratione corpus effodi iussit, nihil potuit proficere. Tum ille, Oremus, inquit, Dominum. vereor enim, nè simus propositi nostri effectum habituri. Orant igitur attentiùs, & bis terq; admouent manus sacro corpori è terra leuando, sed illud prorsùs sentiunt immobile. Sicut enim viuens eam solitudinem sanctus Vualericus dilexerat, ità visus est & defunctus ab ea nolle auelli. Decreuerat enim præpotens Deus, vt Blitmundus, quem vir Dei, vt suprà dictum est, curauerat, qui tum in Bobiensi monasterio sub Attala Abbate regulariter viuebat, & ab eodem crebrò postulabat, vt ei faceret potestatem eundi ad eum locum, in quo B. Vualericus cõditus esset, opportuno tempore monasterium instauraret. Perseuerante enim Blitmundo in prece, B. Attala in morbum difficilem incidit: & cùm die quodam iret ad ecclesiam, imbecillia membra eius Blitmundus sustentabat: ad quem sic ait Abbas Attala: Fili mi, quod crebrò à me petijsti, id tibi modò permissum esto. Ille verò non satis intelligens, quid sibi vellet, ait ad eum: Quò me iubes ire pater? Sanctus Attala respondit: Ad locum S. Vualerici, vtì sæpè postulâsti, habeas proficiscendi licentiam: Video enim illum in immensa claritate. Paulò pòst S. Attala migrauit ad Dominum, & Blitmundus in Galliam veniens, locum S. Vualerici, fretus ope Clotarij regis & Ambianensis episcopi, egregiè instaurauit, eique aliquandiù Abbas cum multa laude præfuit: vbì Dominus vsque in præsens multa largiter beneficia meritis & intercessione fidelis serui sui Vualerici: qui viuit & regnat Deus trinus & vnus per infinita secula seculorum, Amen.

Corpus S. Vualerici immobile.

Blitmundus Abbas.

EGREGIVM MARTYRIVM S. AMPHIANI, QVEM ALII APPHIANVM VOCANT, ITEM'QVE AEDESIJ fratris eius, autore Eusebio Cæsareensi Eccles. Historiæ lib. 8. cap. 14. & 15. interprete doctiss. viro Ioanne Christophorsono, Angliæ Episcopo.



Aximinus Cæsar, qui suisipsius viribus ac manu imperium occupauerat, perspicua odij & impietatis erga Deũ animo suo tanquàm naturaliter insitæ & innatæ, indicia omnibus commõstrans, persecutionem magis generalem, quàm superiores Imperatores, contra nos instituit. Proindè cùm perturbatio & confusio non exigua illa quidem omnibus impendéret, & alij in alia loca essent dispersi, seduloque periculum euitare studerent, & grauis commotio vbiquè passìm peruaderet: quæ orationis & dicendi facultas, ad diuinum amorem & libertatem, in fidei in Deum confessione beati martyris Apphiani dignè explicandam satis idonea reperiatur? Qui quidem in festo, quo gentiles Hecatæ sacrificare solent, omnibus Cæsareæ ciuibus admirabile suæ in Deum solum pietatis exemplar proposuit contemplandum: neque tamen adhuc vigesimum ætatis suæ annum egit. Qui primùm Beryti, quò liberalibus humanioris literaturæ disciplinis erudiretur, (quippe fuit parentibus, qui mundi diuitijs affatìm circunfluebant, ortus) longo tempore commoratus, incredibile dictu est, quo pacto in tali tamque vitiosa & corrupta ciuitate, iuuenilium cupiditatum impetus penitùs deuicerit, & neque præ ætatis flore, quo iam corpus viguit, neque præ familiaritate & necessitudine adolescentulorum, quibuscum vixit, mores deprauatos combiberit: sed temperantiam amplexatus, modestè, sobriè, & piè secundùm eam religionem, quæ est Christianorum propria, vitam traduxerit instituerìtque. Quòd si patriæ illius mentionem facere oporteat, & illam ob istum generosum pietatis athletam ex ea editum ornare, hoc planè efficiemus, neç

2. Aprilis teste Eusebio: sed Latina Martyrologia habent 5. Aprilis.

Castissima S. Apphiani adolescentia.

nec immeritò. Si quis igitur Pagas Lyciæ non obscuram sanè ciuitatem nouit, indè hic adolescens ortus erat: qui post reditum à schola & institutione, qua fuisset apud Berytum educatus, patre illius iam principatum totius patriæ occupante, vitæ consuetudinem, qua cum patre & alijs cognatis vtebatur, propterea quòd illi animum neutiquàm inducerent, vt secundùm pietatis instituta vitam degerent, ferre non poterat: sed tanquàm diuino spiritu correptus, & naturali quodam, immò cælesti & vero sapientiæ amore inflammatus, altiora animo conplexus, quàm quæ falsa & vmbratilis mundi gloria fert, blandis corporis lenocinijs repudiatis, clam amicis & familiaribus suis aufugit: & nequaquàm sumptuum, qui ipsi ad vitam necessariò suppetere debe- rent, vllam curam habens, propter spem & fidē in Deum, fuit à diuino spiritu ad vrbē Cæsaream tanquàm manu deductus: in qua martyrij corona, quæ est merces pietatis, ei præparata fuit. Pagæ, patria Apphiani.

Dum erat nobiscum vnà, ex sacris literis, exiguo illo temporis spatio, quo vixit, tantum percepit fructùs, quantum à quoquam percipi poterat: & disciplina ad piè viuendum aptissima seipsum exercens, attentissimè viam ad mortem muniuit. Quinetiam qualem vitæ exitum declarârit, quis est, qui in eum intuendo non obstupesceret? Aut quotusquisque rursùs est, qui eius animi fidentiam, liberam mentis celsitatem, constantiam, & maximè omnium fiduciam & conatum ipsum, in quibus argumenta veræ in Deum pietatis & feruentis spiritûs, qui planè supra hominem putandus est, perspicuè apparuerunt, non fama & auditione assecutus, optimo iure admiraretur? Nam cùm tertio anno persecutionis nostræ, regnante Maximino, secundus in nos cieretur tumultus, & tyranni literæ tum primùm ad Vrbanum perlatæ essent, vt omnes cuiusq; generis & ætatis (magistratibus in quaque ciuitate omni cura ac studio in eā rem incumbentibus) dijs eorum immolarent, & præcones per totam vrbem Cæsaream viros cùm vxoribus & liberis ad idolorum delubra ex edicto præsidis conuocarent, & tribuni item quemque ex scripto nominatim appellarent (vndè omnia loca inexplicabilibus miseriarum fluctibus redundabant) iste, quem dixi, Apphianus, nemine, quid esset facturus ei, conscio, clam nobis qui in ædibus cum illo eramus, clam etiam vniuersa præsidis cohorte, fidenti animo ad Vrbanum iam sacrificantem accedit, atq; audacter & absq; formidine eius dextram præhendens, extemplò ab immolando coërcuit, prudenterq; admodùm & grauiter cum diuina quadam animi confessione & alacritate ab errore desistere hortatus est. nam parùm rectum esse, vt vno & solo vero Deo relicto, idolis & dæmonibus hostias offerret. Istud planè, vt videtur, adolescentulus aggressus est, diuina vi & potentia ipsum ad hanc rem impellente, & per facinus ab illo admissum penè in aures omnium inclamante: tantum abesse, vt Christiani, qui hoc nomen verè vsurpant, à pietate in Deum omnium authorem, qua semèl sunt imbuti, abducantur, vt non modò minas, terrores, & omnia suppliciorum genera, quæ eosdē sequi solent, strenuè superent: sed deinceps etiam magis fidenter loqui, & lingua ingenua, ac neutiquā metu hæsitante, fidem liberè confiteri, &, si fieri posset, etiam persecutores ipsos & carnifices ab ignorationis cæcitate auocare, & ad vnum solum Deum agnoscendum impellere audeant. Hac igitur de causa iste, de quo instituitur oratio, confestim (quod verisimile erat homini in tali facinore deprehenso euenturum) à præfecti stipatoribus, tanquam agrestibus belluis in eum furentibus, dilaniatus & infinitis plagis toto corpore, quas fortissimè sustinebat, excruciatus, ad tempus in carcerem concluditur. In quo vnum diem noctemque vtroque pede compedibus, ad cruciatū paratis, longè à se mutuò distēto diuexatus, postridie ad iudicem educitur. Ac simulatque compellebatur ad sacrificandum, restitit, & summam animi tolerantiam ad ærūnas horrendosq; dolores ferendos monstrauit: adeò, vt carnifices latera eius non semèl atque iterùm, sed sæpiùs ad ossa vsque & intima viscera dilacerare, plagas & verbera in os & ceruicem infligere pergerent, vti vultus eius verberum vibicibus intumescens, ab ijs, qui illum probè & accuratè antè de facie nouissent, ne agnosci quidem ampliùs posset. Fugit parētes, & venit Cæsareā, vbi à Pamphilo martyre sacris literis est eruditus. Apphiani fortitudo egregia. Germana Christianorū virtus. Apphianus dirè cruciatur.

Verùm cùm ne huic quidem dolorum cumulo vlla ex parte succūberet, tortores ex mandato præsidis, pedes lino tincto, oleo eoque incenso obuoluentes, afflictârunt. Vndè quantos & quàm graues dolores beatus ille exhauserit, mihi videtur non posse dicendo exprimi. Peruasit enim per carnes illius, easque absumpsit, & in ossiū penetrauit medullas vsque adeò, vt totius corporis humor, instàr ceræ tabefactus, liquesceret, destillaretque. Cæterū ne in his quidē cruciatibus demisit animum, sic vt iam aduersarij & carnifices incredibili eius tolerantia, quæ cōmunem hominis naturā longè superauit, Supplicium immane.

ferè defessi essent: vndè rursùs in vincula compingitur. Triduò pòst ad iudicem denuò productus,& eandem pietatis confessionem liberè exprimens,licèt iam deinceps propè mortuus esset, maris tamen fluctibus submergendus traditur. Miraculum autem quod statìm pòst est consecutum, si à nobis commemoretur, verisimile est nullam fidē habiturum, apud eos præsertim, qui eadem oculis minimè ipsi conspexerunt. At licèt homines vix fidem illi adhibituros satis intelligamus, ratio tamen non patitur, quin omninò rem, vt gesta est, scriptis prodamus: quippe cùm omnes (verè dixerim) qui Cæsaream incolunt, eiusdem testes habere videamur: nulla enim ætas Cæsareensium ab isto admirabili spectaculo abfuit. Simul atquè igitur sanctissimum illum & beatissimum Christi martyrem medio mari, vt illis videbatur, in profundissimos vortices coniecerant, eximprouisò tanta procella, non vsitata illa quidem, tanta etiam turbatio, nō per mare solùm, sed per vniuersam continentem se diffundebat, vt cùm terra, tum tota ciuitas eius impetu & violentia concuteretur: atq; vnà cum isto mirando & repentino terræmotu ipsum mare martyris cadauer, vtpotè tam sacrum pondus sustinere non valens, ante portas ciuitatis eijceret. Eiusmodi igitur sunt res gestæ sancti Apphiani, qui die Parasceues, hoc est, secundo die mensis Xanthici, id est, ad quartum Nonas Aprilis, martyrio occubuit.

Cap. 15. Vlpianus martyr. Eodem tempore, ijsdemque ferè diebus, in ciuitate Tyriorum adolescens, nomine Vlpianus, post acerbissimas plagas & verbera grauissima, in pellem bubulam, iam nupèr extractam, cum cane & aspide inuolutus, præceps in mare deijcitur. Quapropter videtur mihi meritò post res Apphiani, in martyrio gestas, in sermone nostro recensendus. Non longo tempore post Aedesius, non solùm Apphiani secundùm Deum, sed etiam secundùm sanguinis coniunctionem ex patre germanus frater, germana ferè & similia cum illo tormenta perpessus, post infinitas fidei confessiones, post diuturnas vinculorum afflictationes, post latam à præside sententiā, qua ad metalla in Palæstina erat damnatus, post vitæ rationem, quam pallio vestitus more philosophi (etenim plus politioris eruditionis, plusque cognitionis in philosophia fuerat, quàm frater, adeptus) sanctissimè traduxerat, tandem cùm iudicem in vrbe Alexandria sententiam de Christianis pronunciantem videret, & plùs æquo in eos furentem (quippe viros interdùm graues & modestos varijs ignominiæ notis affecit, interdùm & mulieres summæ continentiæ, & virgines, quæ sua sponte Dei cultui se consecrauerant, ad turpem ipsarum contumeliam lenonibus tradidit) idem cum fratre aggressus est. Et quoniam illa facinora intoleranda ei videbantur, fidenti & erecta animi magnitudine accedens ad iudicem, turpitudinis & ignominiæ, quam cùm verbis, tum rebus ipsis præstitisset, eum coràm coarguit. Vndè varijs tormentorum cruciatibus diuexatus (quæ quidem constanter & sedatè admodùm pertulit) ad extremum fuit in mare proiectus, & eundem cum fratre exitum consecutus.

Aedesius hic etiam Pamphili martyris fuit discipulus.

Is iudex Hierocles fuit totius Aegypti administrator.

VITA S. NICETII LVGDVNENSIS EPISCOPI, AVTHORE GREGORIO TVRONENSI, CAP. VIII. *in Vitis Patrum.*

Aprilis. 2.



Ræsentiæ diuinæ bonum, quòd plerunquè regno suo prouideat quos adsciscat, ipsa sæpiùs sacræ lectionis testantur oracula, sicut ad Ieremiam eximium vatem cælestis oris mystica deferuntur eloquia, dicentis: Priusquàm te formarem in vtero, noui te: & antè, quàm exires de vulua, sanctificaui te. Et ipse Dominus vtriusque conditor Testamenti, illis, quos largitio hilaris agnino decoratos vellere suis locat à dextris, quid ait? Venite benedicti patris mei, percipite præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Sed & illud vas electionis beatus Apostolus: Quos, inquit, præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Nam & de Isaac Ionanneque, qualiter nascerentur vel quid agerent, & nomen & opus prædixit & meritum. Sic & nunc de B. Nicetio ipsa illa prisca miseratio pietatis, quæ immerita ditat, non nata sanctificat, & omnia priùs, quàm gignantur, & disponit & ordinat, qualiter

Ierem. 1. Matth. 25. Rom. 8. Gen. 17. Luc. 1.

liter sacerdotalis gratiæ infulis floreat in terris, priùs genitrici voluit reuelare. De cuius vita retinetur quidem exindè libellus nobiscum, nescio à quo compositus: qui multas quidem virtutes eius pandit, non tamen vel exordium natiuitatis conuersionisque eius, vel seriem virtutum declarat ad liquidum. Et licèt nec nos omnes eius virtutes inuestigauerimus, quas per eum Dominus vel occultè operari est dignatus, vel publicè: tamen quæ ad priorem authorem non peruenerunt, etsi rusticiori stylo, pandere procurauimus.

Igitur Florentinus quidam ex senatoribus, accepta Arthemia coniuge, cùm duos iã haberet liberos, ad episcopatum Ianubensis vrbis expetebatur, & re iam obtenta, cum principe domum reuertitur, coniugiq;, quę egerat, nunciauit. Quod illa audiens, respondit viro: Desine, quæso, dulcissime coniunx ab hac causa, & nè quæsieris episcopatum vrbis: quia ego ex conceptu à te sumpto episcopum gero in vtero. Requieuit vir sapiens, audita vxore, rememorans illud, quod diuina quondàm vox principio fidei nostræ Abrahæ præcepto beato præceperat: Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Deniquè impletis pariendi diebus, mulier enixa est puerum: quem quasi victorem futurũ mundi, Nicetium in baptismo vocauit, eundemque summa nutritum diligentia, literis Ecclesiasticis mandauit institui. Defuncto autem patre, hic cum genitrice iam clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propria laborabat, intelligens cõmotiones corporeas non aliter nisi laboribus & ærumnis opprimi posse. Quodam verò tempore cùm adhuc in domo ipsa degeret, orta est ei pustula mala in facie. Quod virus inualescens ac excoquens, fecit puerum desperatum. Sed mater eius iugiter, inter sanctorum nomina, beati Martini nomen pro eius salute peculiariùs inuocabat. Cumque per biduum puer iacuisset in lectulo clausis oculis, & nullum verbum consolationis matri lamentanti proferret, sed potiùs ipsa genitrix inter spem metumque titubans, iuxta ritum exequiarũ necessaria funeris præpararet, secunda die ad vesperum aperiens oculos, ait: Quò iuit mater mea? Quæ statim adueniens, ait: Ecce adsum, quid vis fili? Et ille, Nè timeas, inquit, mater: beatus enim Martinus super me Crucem Christi faciens, surgere me iussit incolumem. Hæc effatus, statim surrexit à lectulo, geminauitque virtus diuina miraculi huius gratiam, & vt Martini panderetur meritum, & vt hic, quia futurus erat Põtifex, à contagio saluaretur. Testis enim fuit huius causæ visa cicatrix eius in facie.

Parentes S. Nicetij.

Gen. 21.

Mater eius S. Martinũ inuocat, et curatur.

Efficacia signi S. Crucis.

Aetate quoque iam tricenaria presbyterij honore præditus, nequaquàm se à labore operis, quod priùs gessit, abstinebat, sed semper manibus proprijs operabatur cum famulis, vt Apostoli cõpleret præcepta, dicentis: Laborate manibus, vt habeatis vndè tribuere possitis necessitatem patientibus. Illud omninò studebat, vt omnes pueros, qui in domo eius nascebãtur, vt primùm vagitum infantiæ relinquentes loqui cœpissent, statim literis doceret, ac psalmis imbueret, scilicet vt primo ingressui tale iungeretur psallentium, vt tam antiphonis, quàm meditationibus diuersis, prout deuotio flagitabat animi, Deo seruire possent. Castitatem autem non modò hic diligenter erat custodiens, verumetiam custodiendi gratiam alijs iugiter prædicabat, & à polluto tactu & verbis obscœnis, vt desisterent, edocebat. Nam recolo in adolescentia mea cùm primùm literarum elementa cœpissem agnoscere, & essem quasi octaui anni æuo, illeque indignum me lectulo locari iuberet, ac paterna dilectionis dulcedine vlna susciperet, oram indumenti sui articulis arripiens, ità se colobio concludebat, vt nunquàm artus meos beata eius membra contigerint. Intuemini, quæso, & aduertite cautelam viri Dei, qui si sic ab infantuli artubus, in quo nulli adhuc esse poterant stimuli cocupiscentiæ, nulla incitamenta luxuriæ, nè ab eis tangeretur, abstinuit: qualiter de loco, vbi suspicio luxuriæ esse potuit, ille refugit? Erat enim, vt diximus, castus corpore, mundus corde, nõ in scurrilitate verba proferens, sed semper quæ Dei sunt loquens. Et cùm omnes homines in illo cælestis charitatis vinculo diligeret, matri propriæ ità erat subditus, vt ei quasi vnus ex famulis obediret.

Ephe. 4.

Castitatis studium ingens.

Deniquè ægrotante grauiter Lugdunensi Antistite in vrbe Parisiaca, cùm à Childeberto seniore magno amore diligeretur, voluit Rex vsque ad eius lectulum proficisci ac visitare infirmum. Cui venienti ait Episcopus: Optimè nôsti, ô pijssime, quòd tibi in omnibus necessitatibus tuis fideliter seruierim, ac quæcunque iniunxisti, deuotè impleuerim. Nunc precor, vt quia tempus resolutionis meæ adest, nõ dimittas me ab hoc mundo cum dolore discedere, sed vnam petitionem, quam supplico, libenter indulgeas. Et ille, Pete, inquit, nam quod volueris obtinebis. Rogo, ait, vt Nicetius Presbyter

nepos meus, Ecclesiæ Lugdunensi substituatur episcopus. Est enim, vt mei testimonij verba proferunt, amator castimoniæ, dilectorq; Ecclesiarum, & in eleemosynis valdè deuotus, & quæcunq; seruos Dei decent, & operibus gerit, & moribus. Respondit Rex: Fiat voluntas Dei. Et sic pleno Regis & populi suffragio, episcopus Lugdunensis ordinatus fuit, præcipuus cōcordiæ ac pacis amator. Qui si læsus fuisset ab aliquo, statim aut remittebat per se, aut per alium insinuabat veniam deprecari. Nam vidi ego quodam tempore Basilium Presbyterum missum ab eo ad Armētarium comitem, qui Lugdunēsem vrbem his diebus potestate iudiciaria gubernabat, dixitq; ad eum: Pontifex noster causæ huic, quæ denuò mouetur, dato iudicio terminum fecit: ideoq; commonet, nè eam iterare præsumas. Qui furore succensus, respondit Presbytero: Vadè, & dic ei: Quia multæ sunt causæ in meo * arbitrio positæ, quæ alterius iudicio finiēdæ * erunt. Regressus Presbyter, quæ audiuit, simpliciter exposuit. Sanctus verò Nicetius commotus contra eum, ait: Verè, inquam, quia eulogias de manu mea non accipies, pro eoqu, òd verba, quæ furor exegit, meis auribus intulisti. Erat autē conuiuio recumbens, ad cuius & ego læuam, cùm adhuc diaconatûs fungerer officio propinquus accubueram. Dixitque mihi secretiùs: Loquere Presbyteris, vt deprecentur pro eo. Cumque locutus fuissem, non intelligentes voluntatem sancti, silebant. Quod ille cernens: Tu, inquit, surge, & deprecare pro eo. At ego cum trepidatione consurgens, osculatus sum sancta eius genua, orans eum pro Presbytero. Qui indulgens, atq; eulogias porrigens, ait: Rogo, dilectissimi fratres, vt verba inutilia, quæ ignauè mussitantur, aures meas non verberent: quia non est dignum, vt homines rationabiles irrationabilium hominum procacia verba suscipiant. Hoc tantùm vos studere oportet, vt illi, qui contra Ecclesiæ vtilitatem quædam machinari cupiunt, vestris propositionibus confundantur. Irrationabilia enim, non solùm non admirari, sed nec audire desidero. O beatum virum, qui omni intentione vitare cupiebat scandalum. Audiant autem hæc illi, qui si offensi fuerint, ignoscere nolunt: sed totam pro sua vltione conuocantes vrbem, etiam testes adhibere non metuunt, qui vocibus nefarijs dicant: Hæc & hæc audiuimus de te hunc loquentē. Et ità fit, vt pauperes Christi talibus accusationibus, misericordia postposita, opprimantur.

S. Nicetius creatur Lugdunensis episcopus.

* cōspectu f. nō erūt

Quodā autem manè cùm surrexisset ad matutinas sanctus Nicetius, expectatis duabus antiphonis, ingressus est sacrarium. Vbi dum resideret, Diaconus respōsorium psalmum canere cœpit, & ille commotus, ait: Sileat, sileat, nec præsumat canere iustitiæ inimicus. Et dicto citiùs oppilato ore siluit: quem iussit vocari ad se sanctus, & ait: Nónne præceperam tibi, nè ingredereris Ecclesiam Dei? Et cur ausu temerario ingredi præsumpsisti? Aut cur vocem in canticis Dominicis es ausus emittere? Stupentibus autem omnibus, qui aderant, & nihil mali de Diacono nouerāt, exclamauit dæmonium, & se torqueri à sancto immensis cruciatibus confitetur. Ipse enim præsumpserat, in Ecclesia canere, cuius vocem, ignorantibus populis, sanctus agnouit, & ipsum verbis acerrimis execratus est. Tunc impositis sanctus Diacono manibus, eiecto dæmone, personam restituit integræ menti.

Diaconum dæmoniacū liberat.

His, & alijs signis declaratus in populis, vicesimo secundo Episcopatûs sui anno, ætate sexagenaria, migrauit ad Christum. Qui dum ferretur ad sepeliendum, cæcus quidam se sub feretrum flagitauit adduci: statimq; eo ingresso, vultus diù lumine viduatus, reseratis oculis adornatur: nec distulit diuina pietas beatos artus glorificare signis, cuius beatam animā cum choris angelicis suscipiebat in astris. Post dies autem, quos lex Romana sanciuit, vt defuncti cuiuspiam voluntas publicè legatur, huius antistitis testamētum in foro delatum, turbis circunstantibus à Iudice reseratum recitatumque est. Presbyter verò basilicæ tumens felle, quòd nihil loco, in quo sepultus fuerat, reliquisset, ait: Aiebāt semper plerique, stolidum fuisse Nicetium: nunc ad liquidum verum esse patet, cùm nihil basilicæ, in qua tumulatus est, delegauit. Sequenti autem nocte sanctus apparuit Presbytero cum duobus episcopis, id est, Iusto atque Eucherio, in veste fulgenti, dicens ad eos: Hic presbyter, sanctissimi fratres, blasphemijs me obruit, quia nihil facultatis scripserim templo huic, quo requiesco, & nescit, quia quicquid preciosius habui, ibidèm reliqui, id est, glebam corporis mei. At illi dixerunt: Iniustè facit, detrahens seruo Dei. Conuersusq; sanctus ad Presbyterum, pugnis palmisque guttur eius illisit, dicens: Peccator conterende, desine stultè loqui. Expergefactus autem Presbyter, tumefactis faucibus, ità doloribus coarctatur, vt ipsas quoq; saliuas oris vix cum labore posset maximo deglutire. Vndè factum est, vt per dies quadraginta lectulo decubans, graui-

Migrat è vita.

Nota pœnam presbyteri, sanctum virū blasphemātis.

grauiter cruciaretur. Sed inuocato confessoris nomine, sanitati redditus, nunquàm ausus est ea verba, quæ priùs præsumpserat, garrulare.

Priscum autem Episcopum, huic sancto semper fuisse aduersum, nôrunt omnes. Hic Diacono cuidam huius casulam tribuit. Erat autem grauis, cô quòd & ipse vir Dei robusto fuisset corpore. Capsa autem huius indumenti ità dilatata erat atq; consuta, vt illa, quæ per paschalia festa sacerdotum humeris imponuntur. Ibatque Diaconus cũ hoc vestimento discurrens, ac paruipendens de cuius vsibus remansisset, hoc habens in lectulo, hoc vtens in foro, de cuius fimbrijs, si credulitas certa fuisset, reddi potuit salus infirmis. Cui ait quidam: O Diacone, si scires virtutem Dei, & quis fuit cuius vestimento vteris, cautiùs cum eo viueres. Cui ille: Verè, inquit, dico tibi, quia & hac casula tergo vtor, & de capsa eius, parte prolixiore decisa, tegumen pedum aptabo. Fecit ilicò miser, quæ pollicitus est, suscepturus protinùs diuini iudicij vltionem. Nanque vbi deciso cucullo, aptatis pedulis pedes operuit, extemplò arreptus à dæmone, ruit in pauimentum. Erat autem solus in domo, nec erat qui succurreret misero. Cumq; spumas cruentas ore proijceret, extensis ad focum pedibus, pedes cùm pedulis ignis pariter deuorauit. Hactenùs de vltionibus. *Nota vltionẽ in sacra veste abutentem.*

Aigulphus quoque Diaconus noster Roma veniens, beata nobis sanctorum pignora deferebat. Hic causa orationis tantùm, locum, quo sanctus quiescit, adiuit. Ingressusque ædem, dum diuersorũ miraculorum opus illustre perpendit, vidit immensum cateruatìm populum ad eius sepulcrum, velut felicium examina apum ad cõsuetum alueare cõfluere, & alios, Presbytero qui aderat ministrante, particulas ceræ pro benedictione sumere, alios parumpèr pulueris, nonnullos disruptas ab opertorio eius fimbrias capere, & abire, ferentes in disparibus causis vnam gratiam sanitatis. Hæc ille cernens, fide compunctus & lachrymans, ait: Si marinorum me moles fluctuum sulcare mei sacerdotis deuotio fecit, vt lustratis Romanorum martyrum sepulcris aliquid de eisdem pignoris deferre deberem: cur non Gallicani mei confessoris pignora capiam, per quæ mihi meisq; salus integra reparetur? Et statìm accedens, quasdam de herbulis, quas deuotio populi sacrum iecit in tumulum, manu linteo operta, Sacerdote porrigente, suscepit, repositasque diligenter domum detulit. Itaque statìm fidem hominis miraculorum actio comprobauit. Nam discerptis de his particulis, & frigoriticis cum aquæ potu porrectis, protinùs cũ haustu salutem inuexit: sed & multis deinceps. Quandò autem hæc nobis retulit, iam quatuor exindè sanos factos ab hac infirmitate narrauit. *Nota antiquã Christianorũ deuotionẽ* *Obserua miracula.*

Iohannes autem Presbyter noster, dum ab vrbe Massiliensi cum commercio negociationis suæ rediret, ad huius sancti sepulcrum in oratione prosternitur: de qua consurgens, adspicit confractas compedes, disruptasq; catenas, quæ culpabilium vel adstrinxerant colla, vel suras attriuerant: & admiratus est. Sed contemplatio non fuit miraculis vacua. Nam rediens ad nos Presbyter, asserebat cum sacramento, tres coram se ibì cæcos fuisse lumini redditos, ac domũ redijsse saluatos. Apud Genabensem quoq; Galliarũ vrbem, dũ eius reliquiæ cũ honore psallentij portarentur, tantã ibì Dominus gratiã præstare dignatus est, vt suppliciter adorantes & cæci visum, & claudi reciperent gressum. Nec dubitare poterat quispiam præsentem esse confessorem, cùm videbant talia infirmis remediorum munera ministrari. *Reliquiæ deportatę miraculis coruscant.*

Seditione etiam in quodam loco exorta, cùm vulgo sæuiente, volantibus saxis ac facibus, furor arma non mediocriter ministraret, vnus eleuato ensis acumine, cum assultu graui virum perculit. Post dies autẽ paucos inuẽtus iste ab interempti germano, simili exitu trucidatur. Quod cùm iudex loci illius cõperisset, vinctum virum in carcerem trudi præcipit, dicens: Dignus est morte hic scelestus occũbere, qui voluntatis propriæ arbitrio, nec expectato Iudice, ausus est temerè mortẽ fratris vlcisci. In qua dum teneretur custodia, & multorum sanctorum nominibus inuocatis, misericordiam precaretur, quasi ad sanctum Dei conuersus ait. Audiui de te, sancte Niceti, quòd sis potẽs in opere misericordiæ, ac pius in cõpeditorũ flentiũ absolutione: deprecor nũc, vt me illa supereminenti pietate visitare digneris, qua in reliquorum absolutione vinctorum sæpiùs claruisti. Post paululùm verò obdormienti apparuit illi vir beatus, dicens: Quis es tu, qui nomen Nicetij inuocas? Aut vndè nôsti quis fuerit, quòd eum obsecrare non desinis? At ille causam delicti ex ordine referans, adiecit: Miserere, quæso, mihi, si tu es vir Dei, quem inuoco. Cui sanctus ait: Surge in nomine Christi, & ambula liber: à nullo enim conpræhendéris. At ille in hac expergefactus voce, se absolutum catenis comminutis, confractaque trabe miratur: nec moratus, nemine retinente, vsque ad *S. Nicetius vinctũ absoluit.*

eius sepulcrum perrexit intrepidus. Tunc à iudice noxialis culpæ damnatione concessa, laxatus abscessit ad propria.

Nota de lectulo sancti viri.

Gratum est illud addi miraculis, quòd accensis ad lectum eius fecerit cicindulis, quia ingentia sunt, quæ in cælis habitans, operatur in terris. Igitur lectulus, quo sanctus quiescere erat solitus, sępiùs miraculis adornatur illustribus. Qui grandi studio ab Aetherio nunc episcopo fabricatus, deuotissimè adoratur: nec immeritò, cùm frigoritici sæpiùs sub eo siti, compresso vapore ac frigore saluentur, cæteriq; infirmi ibidem proiecti, protinùs subleuentur. Palla etenim speciosa tegitur, lychniq; in ea iugiter accenduntur. Vnus igitur ex his, per quadraginta dies totidemque noctes, vt ipse æditus asseruit, absque vllius fomenti adiutorio perdurauit splendens, in quo nec papyrus addita, nec gutta olei est stillantis adiecta: sed ipsa, qua primùm statutum est, compositione permãsit, cum luce præclara.

Huius sancti reliquias Gallomanus Tricassinorum Pontifex deuotus expetijt, quæ cùm psallentio deducerentur, & cæcorum oculi illuminati sunt earum virtute, & aliorum morborum genera meruerunt accipere medicinam. Ad nos quoquè facietergiũ, dependentibus villis intextum, quod sanctus super caput in die obitûs sui habuit, est perlatum. Quod nos tanquàm munus cæleste suscepimus. Factum est autem, vt post dies plurimos ad benedicendam ecclesiam in parochia Paternacensi vrbis Turonicæ inuitaremur. Accessi, fateor, sacraui altare, decerpsi fila de linteo, locaui in templo, dictisq; Missis, & facta oratione, discessi. Paucis deindè diebus interpositis, aduenit ad nos ille, qui inuitauerat, dicens: Gaude in nomine Domini, sacerdos Dei, de virtute beati Nicetij antistitis. nam noueris, quia ostendit miraculum in ecclesia, quã sacrâsti. Cæcus enim erat in pago nostro, diuturna cæcitatis & caliginis oculorum nocte detentus: cui apparuit vir quidam per visum noctis, dicens: Si vis sanus fieri, prosternere in orationem coram basilicæ sancti Nicetij altari, & recipies visum. Quod cùm fecisset, disruptis tenebris, lumen ei virtus diuina patefecit. Posui, fateor, de his pignoribus & in alijs basilicarum altaribus, in quibus & energumeni sanctum confitentur, & fidelis oratio sæpiùs promeretur effectum.

Nota lector.

Cæcus illuminatur.

Phronymius igitur, Agathensis Episcopi famulus, epileptici morbi accessu fatigabatur, ità vt plerunquè cadens ac spumans, linguam suis proprijs dentibus laceraret: & cũ ei à medicis plurima fierent, accidebat vt paucis mensibus interpositis, non tangeretur à morbo: sed iterùm in recidiuum cruciatum ruens, peiùs quàm priùs perferebat. Dominus verò eius, cùm vidisset tantas virtutes ad sepulcrum beati Nicetij fieri, dixit ad eum: Vade & prosternere coram sepulcro sancti, orans vt te adiuuare dignetur. Qui cùm iussa explêsset, sanus regressus est, nec vltrà eum attigit morbus. Septimus autem erat ab incolumitate pueri annus, quandò eum nobis Episcopus præsentauit.

Epilepticus ad sancti sepulcrum sanatur.

Quidam verò pauper, viuente sancto, literas ab eo elicuit, manu eius subscriptas, quibus sibi per deuotorum domos eleemosynam flagitaret. Post eius verò obitum adhuc cum ipsa circuiens epistola, non pauca ab eleemosynarijs pro sancti memoria capiebat: desiderium enim erat omnibus, vt quisque viderat subscriptionem sancti, aliquid præbere egenti. Quod videns quidam Burgundio, non honorans neque venerans sanctum, obseruare pauperem cœpit à longè: vidensque eum syluas ingressum, irruit, & abstulit ei sex aureos cum epistola: collisumque calcibus, reliquit exanimem. At ille inter calces & reliqua verbera, hanc vocem emisit: Adiuro te per Deum viuum, & virtutem sancti Nicetij, vt vel epistolam eius mihi reddas: quia mihi vltrà non erit vita, si eam perdidero. Ille verò, ea proiecta in terram, abijt: quam pauper colligens, venit ad ciuitatem. Erat autem ibi eodem tempore Phronymius Episcopus, cuius suprà meminimus. Ad quem accedens pauper, illi ait: Ecce homo, qui me grauiter cæsum expoliauit, abstulitque sex aureos, quos pro intuitu epistolæ sancti Nicetij acceperam. Episcopus autem narrauit hæc Comiti. Iudex verò vocato Burgundione, percontari cœpit ab eo, quid exindè diceret. Negauit autem coram omnibus, dicens: Quia nunquam vidi hominem istũ, neque res eius abstuli. Episcopus verò adspiciens epistolam, vidit subscriptionẽ sancti: & cõuersus ad Burgundionẽ, ait: Ecce in hac epistola subscriptio sancti Nicetij tenetur: si es innocens, accede propiùs, & iura tangens manu scripturã, quã ipse depinxit: credimus.n. de virtute illius, quia aut te hodiè ostendet hoc scelere contaminatũ, aut certè permittet abire innoxiũ. At ille nihil moratus, accedit ad manus episcopi, qui hanc epistolam extentã tenebat,

Nota pœnam periuri.

eleuansque manus suas vt iuraret, cecidit retrorsùm supinus, & clausis oculis spumas ab ore proijciens, quasi mortuus putabatur. Transeunte autem quasi duarum horarum spatio, aperuit oculos suos, dicens: Væ mihi, quia peccaui auferendo res pauperis huius. Et statim retulit per ordinem, qualiter iniuriam intulerat homini illi. Tūc episcopus cū iudice cognita culpa, ea tantùm, quæ abstulerat, inopi reddidit, & pro cæde duos insuper solidos addidit: & sic vterque à iudicis conspectu discessit.

Quot autem per hunc sanctū, carcerali ergastulo reuincti, absoluti sint, quótve compeditorum catenæ siue compedes sint confractæ, testis est hodiè moles illa ferri, quæ in basilica eius adspicitur, de supradictis supplicijs aggregata. Nuper autem in cōspectu Guntranni Principis Siagrium Augustudunensem Episcopum ipsi referentem audiui, in vna nocte in septē ciuitatibus carcerarijs apparuisse beatū virū, eosq; absoluisse ab ergastulo, & abire liberos permisisse. Sed nec iudices cōtra eos quicquam agere deinceps ausi sunt. De cuius sepulcro si febricitans, si frigorationes habens, ac diuersis morbis laborans, quid pulueris sumpserit, ac dilutum acceperit, mox recipit sanitatem. Quod nō est dubium præstare eum, qui ait sanctis suis: Omnia quæcunque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & venient vobis.

Puluis è sancti tumulo desumptus & haustus sanitatem confert.

Mar. 11.

Igitur apud vicum Prisciniacensem vrbis Turonicæ, ecclesia dudùm constructa absque sanctorum pignoribus habebatur: cumque incolæ loci plerunque peterent, vt eam quorumpiam sanctorū cineribus sacraremus, de supradictis reliquijs sancto altari collocauimus: in qua ecclesia sæpiùs virtus Domini per beatum manifestatur antistitem. Nuperrimo autem tempore mulieres quædam vexatæ à dæmonio, ex termino Biturigiæ venientes, tres numero, dum ad basilicam sancti Martini deducerentur, hanc ecclesiam sunt ingressæ. Igitur collisis in se palmis, dum sancti Nicetij faterentur se virtutibus cruciari, proijcientes ab ore nescio quid purulentum cum sanguine, ab obsessis spiritibus protinùs sunt mundatæ.

Tres dæmoniacæ liberantur.

Dado vnus ex his pagensibus cùm in hostilitate illa, quæ apud Conuenas est, accessisset, & plerunquè in periculis mortis irrueret, vouit, vt si domū reuerteretur incolumis, ad memoratam Ecclesiam exornandam in honore beati Nicetij aliqua ex his, quæ acquisierat, largiretur. Rediens igitur, duos calices argenteos deferebat, vouitque iterùm in itinere, quòd hos ecclesiæ conferret, si ad propria sospes accederet. Domum suam igitur accedens, vnum tantummodò dedit, alio sanctum fraudare procurauit, dans coopertorium Sarmaticum, quo altare Dominicum cum oblationibus tegeretur. Apparuit autem illi vir beatus per somnium, dicens: Quousquè dubitas, & votum implere dissimulas? Vade, inquit, & calicem alterum, quem vouisti, redde Ecclesiæ, ne pereas tu, & domus tua. Coopertorium verò quia ratum est, nō ponatur super munera altaris: quia non exindè plenè tegitur mysteriū corporis sanguinisque Dominici. At ille exterritus, nihilque moratus, votum, quod vouerat, velociter adimpleuit.

Huius hominis frater ad vigilias Dominici natalis aduénit, monuitque Presbyterū, dicens: Vigilemus vnanimiter ad ecclesiam Dei, atque exoremus deuotè beati Nicetij potentiam, vt eo obtinente, huius anni curriculum cum pace ducamus. Quod Presbyter audiens, gauisus iussit signum ad vigilias commoueri. Quo commoto, adueniente Presbytero cum clericis & reliquo populo, hic gulæ inhians, moras veniendi innectebat: cumque mitteret sæpiùs Presbyter ad eum accersendum, respondebat: Paulispèr sustinete, & venio. Quid plura? Transactis vigilijs ac data luce, hic, qui priùs commonuerat, ad vigilias non accessit. Presbyter verò, impleto officio, commotus contra hominem, ad habitaculum eius properat, vt quasi eum à communione suspenderet. At ille correptus febre, sicut vino, ità diuino exurebatur incendio. Nec mora, viso presbytero, datis vocibus cum lachrymis, supplicabat sibi pœnitentiam tradi. Cumq; cùm Presbyter increparet, dicens, Meritò à sancti Nicetij virtute exureris, ad cuius ecclesiam venire ad vigilias neglexisti: inter sermocinantium colloquia spiritum exhalauit. Facta quoquè hora tertia, cùm populus ad Missarum solennia conueniret, hic mortuus in ecclesiam est delatus. Quod virtute sancti antistitis actum nemo ambigere potest. Hæc autē nobis ipse exposuit Presbyter.

Vigiliç natalis Domini.

Nota terribile Dei iudicium in negligentē sacras vigilias.

Plurima verò de his vel nosipsi experti sumus, vel per fidelium relationem cognouimus, quæ indicare longum putauimus. Libello igitur clausuram dabimus, cùm vnum adhuc admirandum de libro vitæ eius, quem suprà à quodam scriptum præfati sumus, memorabo miraculum, de quo virtus diuina procedens, non reliquit inglorium, sed ad comprobandum virtutem dictorum, patefecit esse plurimis gloriosum.

Diaconus

Diaconus enim Augustudunensis, graui oculorum cæcitate turbatus, audiuit hæc, quæ glorificator sanctorum suorum Deus ad sancti tumulum exercebat, dixitque suis: Si eius adirem sepulcrum, aut aliquid de sanctis pignoribus sumerem, aut certè si pallium, quo sancti artus teguntur, mererer attingere, fierem sanus. Cumque hæc & huiusmodi cum suis verba conferret, adstitit repente clericus quidam, dicens: Benè, inquit, credis: sed si de eisdem firmare mentem cupis virtutibus, en volumen chartaceum, quod de his habetur scriptum, vt faciliùs credas ea, quæ ad auditum tuarum aurium peruenerunt: At ille priusquàm legi iuberet, inspirante diuinæ pietatis respectu, ait: Credo, quia potens est Deus egregia operari per famulos suos. Et statim posuit volumen super oculos suos. Extemplò autem fugato dolore, disruptaque caligine, vsum videndi recipere meruit à voluminis virtute. Et in tanta claritate positus est, vt ipse proprijs oculis legēs, virtutum gesta cognosceret. Operatur autem hæc vnus atque idem Dominus, qui glorificatur in sanctis suis, vt qui ipsos illustribus miraculis editis efficiat gloriosos. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Liber vitæ S. Niceti) cæcum illuminat.

DE S. TEODOSIA VIRGINE ET MARTYRE CONSTANTISSIMA, AVTHORE EVSEBIO CAESAREensi Eccles. Historiæ lib. 8. cap. 17. interprete D. Ioanne Christophorsono.

s. Aprilis.

Festum resurrectionis Christi.



Iam verò cùm persecutio esset ad quintum annum continuata, secundo die mensis Xanthici, id est, ad quartū Non. April. in ipso die Dominico, & in ipso festo Resurrectionis Saluatoris nostri, Theodosia rursus virgo, Tyri puella fidelis & modesta, nō annos decem & octo omnino adhuc nata, vinctis quibusdam Cæsareæ, qui regnum Christi constanter confitebantur, ante tribunal consistentibus accedit, cùm benignè salutatura, tum (sicut verisimile est) eos obsecratura, vt cùm essent apud Dominum, illius recordarentur. Quo factitato, eam tanquam nefas quoddā & impium facinus aggressam, satellites abripiunt, deducuntq; ad Præsidem. Extemplò verò iste quasi mente captus & animi furore maximè efferatus, grauibus & horrendis tormentis latera mammasq; ad interiora vsque ossa dilaniat: quam adhuc ægrè spirantem illam quidem, hilari tamen vultu & læto omnia cruciamenta perferentem, in rapidos maris fluctus proijci iubet. Deindè ab illa ad reliquos Christi cōfessores digressus, omnes ad æris metalla, quæ erant in Phæno Palæstinæ, condemnat.

Immanissimè sancta virgo dilaniatur.

BVLLA CANONIZATIONIS S. FRANCISCI DE PAVLA, ORDINIS FRATRVM MINORVM Institutoris: in qua etiam eius vita describitur.

Is est Leo X.

Aprilis 2.



Leo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Excelsus Dominus militantem Ecclesiam preciosorum lapidum viuorum, ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu vnitorum, ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit. Hinc processêre beati patriarchæ, qui fide præclari, sanctorum etiā angelorum susceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt. Hos secuti sunt sancti prophetæ, quibus ostendit Deus secreta sua, vt ventura, quasi præsentia, spiritusancto illuminati, agnoscere atque enunciare potuerint. Postquàm autem venit plenitudo temporis, & nos in assumpta sibi humanitate oriens ex alto visitare, nostræque salutis mysteria (iuxta quod prædixerant prophetæ) adimplere dignatus est, constituti fuêre beati apostoli, diuinæ legis promulgatores & prædicatores, qui per orbem vniuersum genus humanum (quod sub diabolicæ potestatis iugo tenebatur) ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ fini-

Patriarchę

Prophetæ.

Apostoli.

finibus prædicârunt. Hos subsecuti sunt martyres splendidi, qui fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis balteo succincti, stolas suas in sanguine innocentis agni lauantes candidato exercitu Christum Iesum imitati, supernæ ciuitati Hierusalem, hoc est, triũphanti Ecclesiæ cum gloriosa victoria palmas manibus gestantes, se dicto viuo lapidi Christo adiũxerunt, sempiternam suî memoriã & exemplum venerabile militanti Ecclesiæ relinquentes. Progressi sunt & doctores lucidi, qui suis doctrinis & exemplis catholicam & orthodoxam fidem defensantes, falsisque prophetis ac iniquis doctoribus, fidem ipsam subuertere satagentibus, se opponentes, dictam militãtem Ecclesiam multipliciter illustrârũt: quibus eadem Ecclesia coniuncta, progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Sequuntur postcà sancti cõfessores, qui virtutum gẽmis coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcẽti (vtpotè fideles & boni serui) multiplicatũ de suis laboribus fructũ attulerunt, & in arcem cælestem reposuerunt, omniaq; mũdi blandimẽta (vt venenum aspidum) fugientes, latibula in terris petiêrunt, antris abditi, rudi victu & scaturientis aquæ leui potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti, iunceo vel stramineo cubili fessa membra somno fouentes, nudis pedibus Dominũ quæsiêrunt, æternamque patriam inuenerũt. Adsunt & virgines nitidæ, mundo corpore, syncero corde, sanctaque mente cum oleo in lampadibus suis sponso (qui est præ filijs hominum speciosus) obuiã venientes. Deuotæ tandem continentesq; viduæ, & aliæ quàm plurimæ sexûs vtriusq; personæ, pijs ac sanctis operibus semper intentæ, cum plenis etiam manipulis eidem cælesti sponso se repræsentant, cum angelis gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirificè depromentes.

Doctores. Can. 6. Cõfessores. Matt. 25. Virgines. Matth. 25. Psal. 44. Viduæ. Luc. 2.

Hæc omnia vnus atque idem spiritus admirando plurimùm operatur ministerio. Et sicut altissimus ab initio vineam suam talibus pijs cultoribus (iuxta sanctam promissionem suam) visitauit, firmauit & auxit: sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impertitur. Nouissimè verò diebus nostris cælestis ille agricola vineam suam more solito visitans, virum fortem ad huiusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet confessorem, beatum Franciscum de Paula, superno cœtui meritò sociandum, immò veriùs sociatum, qui inter cæteros Christi athletas suis meritis & exemplis ipsam sanctam Ecclesiam (diuina cooperante gratia) multipliciter decorauit, præsentisq; temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabiliter illustrauit. Ipse enim aduersùs mũdum, carnem & dæmonem fortiter dimicauit, ac in odorem suauitatis altissimi currens, copiosam vtriusque sexûs fidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac (velut effusam super faciem terræ) religiosam professionis suæ generationem dereliquit, vt ad illuminationem gentium celebris suî memoria (tanquàm rutilum sidus) in Ecclesiæ firmamento seruaretur. De cuius quidem origine, vita, moribus, & fama, necnon mirabilibus (quæ in præmium sanctitatis eius Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, nè de tam celebri viro etiam posteritas ipsa remaneat ignara) pauca ex multis duximus recensenda.

Constat siquidem in regno Neapolitano inter Brutios & Lucanos Paulæ oppidum situm esse, quod itinere vnius diei à Cusentia, illius prouinciç metropoli, distat. Indè originem traxit Iacobus Martolilla. Illi proximum est castrum Folschaudi, vbi nata est Vienna, quondam ambo in fide Christi baptizati & confirmati, ac (vt veri catholici) educati. Qui inuicem secundùm ritum S. Romanæ Ecclesiæ matrimonium contrahentes, & (vt fideles decet coniuges) mutuam charitatem, vitæque honestatem seruantes, diù cohabitârunt. Ex hoc matrimonio B. Franciscus de Paula procreatur. Qui sacri baptismatis fonte lauatus, & chrismatis sacramento confirmatus, ab eisdemq; parentibus sub Dei timore & amore educatus, insigne specimen sanctitatis futuræ præ se ferens, solitudinem & religionem diligere, ac orationibus & ieiunijs assiduè vacare cœpit. Quç cùm eius parentes animaduertissent, ipsum annum circiter decimumtertium agentem (iuxta votum per eos emissum) domui S. Francisci ciuitatis S. Marci obtulerũt. In qua puer in sortẽ Domini electus, anno per eum exacto, nullaq; professione emissa, vocatis parentibus, eos, vt se ad ecclesiam S. Francisci de Assisio, & sanctæ Mariæ de Angelis, deuotionis causa ducere vellẽt) enixè rogauit. Qui pio eius desiderio annuentes, sese itineris comites præbuerũt. Quibus ecclesijs deuotè visitatis, in patriam reuersus idem beatus (sancto spiritu inspirante) ad ecclesiam construendam animũ addixit, ipseq; primus fundamẽta effodere cœpit. Quo inter vicinos diuulgato, vndiq; ad opus iuuandum concurritur: alij operi incumbebant: nonnulli calcẽ, lapides, cæmenta, & alia id genus, futu-

Paula oppidum, patria S. Frãcisci. Parentes. Traditur in cœnobium. Ecclesiam construit.

rò ædificio necessaria, deportabant. Fertur etiā tunc fratrem quendam, S. Francisci habitu indutum, ex improuiso beatum Franciscum de Paula increpâsse, quod tam angustam ædem facere incepisset: eandemq; demoliri sibi mandâsse, ac aliam maiorem designâsse, beatoque Francisco de Paula asserenti, sibi vires ad tam ingens opus perficiendum non sufficere, diuinitùs respondisse, Deum omnipotentem ei nullo pacto defuturum: euestigioque diruptis muris euanuisse. Vndè non immeritò plerique illum B. Frāciscum fuisse existimârunt. Postridiè verò nobilis quidam Cusentinus superuenit, qui eidem beato pro ædificanda ecclesia magnum auri atque argenti pondus obtulit. Vndè iuxta sitùs designationem, ecclesiam notabili forma non paruo sumptu costruere cœpit: neque vnquam à laboribus cessabat, nisi cùm orationi diuinisque rebus intendebat. Qui & si vigilijs, continuisq; ieiunijs maximè esset attritus: lapides tamen, calcem & ligna, aliaque ad fabricam necessaria proprijs etiam humeris deferre non desinebat.

Eius affabilitas & comitas verborū. Humilitas. Erat adeò in loquendo humanus atque affabilis, vt nullus vnquam ad eum accesserit, quin mellifluis eius verbis delectatus, & incredibili quadam sermonis dulcedine captus, & quasi diuino spiritu repletus ab eo recesserit. Humilitatem eius etiam instituti per eum Ordinis cognomentum ostendit. Quod vt is omnium minimus esse volebat, ità Minimorum dici censuit & instituit. Eiusdem etiam Ordinis institutor & generalis corrector existens, ominum se infimum (quoàd poterat) exhibebat, & ad omnia etiā seruilia opera (vt & cæteris humilitatis præberet exēplum) descendere non dedignabatur. Quippe discipulis suis discūbentibus ministrabat, sæpeque ecclesiam & altaria verrebat & mundabat, ac paramenta & alia ad diuinum cultum necessaria componebat, aliorumq; fratrum (etiam nouitiorum) indumenta proprijs manibus abluebat. Et cùm *Iuuenis ambulat nudis pedibus.* iuuenis adhuc esset, Calabriamque incoleret, nunquam nisi nudis pedibus etiam per glacies, niues, montes, & acuta saxa, vepres, spinasque incedebat: nullamque ex eo etiā *Ignis eum non lædit.* grauissimo sæpè pondere pressus, læsionem in pedibus patiebatur. Ipsum sæpiùs ignem nudis pedibus conculcâsse, ac ignitos candentesque lapides manibus portâsse, liquidò *Austeritas vitæ.* constat. Admirabilis erat vitæ eius austeritas, quæ propterea admirabilior censenda est, quia in pueritia, adolescentia, iuuentute, senecta & decrepita eius ætate inter labores, vigilias, ieiunia, abstinentias, innumerasq; corporis macerationes, eundem penè viuēdi modum seruauit.

Horum, & plurimorum aliorum sanctorum operum ratione habita, adeò sancti spiritùs gratia hominem complexa est, vt pijs eius meritis & precibus in Christi nomine dæmones à corporibus humanis sæpiùs eiecti, pluresque infirmi diuersis morborum generibus oppressi, & iam à medicis destituti, ac morti propinqui, pristinæ sanitati restituti fuerint: Idemq; beatus alijs compluribus, qui memoria & sensibus capti, seu intelli- *Eius miracula.* gentia debilitati erant, sanitatem præstiterit: ac multis claudis incessum, surdis auditum, mutis loquelam, cæcisq; lumen restituerit, & leprosos mundauerit: nonnullosq; mortuos, vel pro mortuis habitos, ad vitam pristinamq; lucem reduxerit. Quorum quidem miraculorum fama cū iam per totū ferè orbem vagaretur, & ad aures fe. re. Pauli II. praedecessoris nostri peruenisset, Cubicularium quendam suum, ad bo. me. Pyrrhum archiepiscopum Cusentinēsem misit, mandauitq;, vt ipse super miraculis huiusmodi se diligenter informaret, ac deindè ipsum de veritate certiorem efficeret. Qui quidem archiepiscopus pontificis mandato parere desiderans, ac neminem habens, qui talia meliùs quàm ipsemet Cubicularius, explorare, fideliusq; referre posset, eidem suasit, vt is cū socio, quem ei adiunxit, ad dictum beatum virū se conferret: ac de illius vita, miraculis & fama huiusmodi plenam informationem caperet. Cubicularius archiepiscopi fretus consilio, hominem adijt. Et cùm inter salutandum, dicti beati viri manum osculari vellet, ille omninò renuit, eumq; rogauit, vt sibi potiùs manum deosculandam porrigeret, asserens id multo iustiùs & conuenientiùs fore, eo quòd ipse Cubicularius xxxiij. annos iam presbyter esset. Quod Cubicularius memoria repetens, (vbi id verum esse cogno- *Spiritu prophetico claret.* uit, miratus est hominis spiritum, & cum eo ad colloquium in cameram concessit. Vbi cùm primus sermo de tam ardua, difficiliq; vita fuisset, vt eam nulli (nisi robusto ac valido) tolerabilem fore Cubicularius asseueraret: beatus pater (audito illius verbo) igni appropinquans, ardentes prunas absq; læsione manibus arripiēs, dixit. Qui perfectò cor *Ardentes prunas manu tenet.* de Domino seruiunt, omnia creata illis obtemperant. Exterritus ille eo miraculo, veniā petijt. Cumq; eius pedes humiliter osculari vellet, ipseque vir beatus id recusâsset, eius tunc vestem manu apprehensam deuotè osculans, & ab eo recedens, ad pontificem redijt: eiq; miracula, quæ viderat, enarrauit.

Olim

Olim etiam vir nobilis Iacobus de Tarsia, baro terræ Bellimontis Cusentinensis diœcesis, cum grauissimo & penè insanabili apostemate longo tempore in crure laborasset, insignesque medici & chirurgi in eo nihil proficerent, quin hulcus illud ingrauesceret, omnibusque remedijs adhibitis, iam in desperationem salutis res adducta esset, tandèm dictus Iacobus fama sanctitatis & miraculorũ beati viri (qui tunc Paulæ degebat) adductus, ad eum non sine magno labore accessit, illique plagam detexit, & se deuotissimè commendauit. Primùm siquidem ipsi beato & omnibus, qui adstabant, hulcus graue & miserabile, ac penè insanabile visum est. Illum tamen beatus admonuit, vt in Deo firmam fidem & certam spem haberet, quia sanitatis gratiam cõsequeretur. Ac statim vnum ex suis fratribus misit, qui aliqua folia herbæ, quæ vngula caballina dicitur, & inibì nascitur, colligeret, & cum ipsis folijs certos pulueres, quos in cella sua ipse beatus retinebat, sibi afferret. Dum frater ille mandata exequitur, beatus vir ad propinquã crucifixi imaginem cõuersus, orauit, vt baroni, in suæ diuinitatis gratia confidenti, misericordiam suam aperiret. Nec multò pòst folijs ac pulueribus huiusmodi sibi (vt iusserat) apportatis, facto signo crucis, aliquantulum de dictis pulueribus hulceri imposuit, illudque tribus ex folijs prædictis cooperuit, & omnia circunligauit, in Domino spem reponens, quòd sanitatem recuperaret. Illi ergò benedicens, iussit vt ilicò suã repeteret domum, ad quartumdecimũ fermè lapidẽ indè distantẽ. Qui cùm aliquandiù equitâsset, ad vxorem suam Iohannã, quæ illum semper in eo itinere comitata fuerat, conuersus, Mihi videtur, inquit, quòd sim sanus, quia acerbum illum dolorem & pessimũ fœtorẽ ampliùs nõ sentio. Et cùm iam certũ monticulũ superâssent, Iacobus auidè cupiẽs intelligere, an posset ambulare, ex equo descẽdẽs, proprijs pedibus ambulare cœpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris sentiens, se liberum & sanum intellexit. Deo igitur & B. Frãcisco de Paula, gratias agentes coniuges, voti cõpotes ad propria rediêre. *Vlcus desperatum sanat.*

Iisdem fermè diebus in ciuitate Cusentinensi fuit quidam Marcellus de Cardilla, pedibus & manibus contractus, ac totus leprosus, adeò vt iam vocem quasi omnem amisisset, eiusq; loquela vix audiretur. Qui cùm per consanguineos suos ad Paulæ monasterium adductus, & beato viro præsentatus fuisset, ille misericordia motus, parùm secretò orauit. Mox verò rediens, cũ manu subleuauit, & ab omni mẽbrorum contractu & lepra incolumem reddidit. Guidonem quoquè Lipantum nobilem Cusentinum, grauissima infectum lepra, in domo Paterni (quam vir beatus tunc ædificabat) ad se veniẽtem sanitati restituit. Cùm idem beatus vir fabricam domùs iuxta Paulæ oppidum incepisset, adductus est ei quidam à natiuitate mutus. Quem cum parentes eius iuxta ecclesiam posuissent, dixit eis vir beatus, vt altè secum ter Iesum acclamarent, & ità aperiretur illi sensus. Beato verò inchoante, dictisque parentibus prosequentibus, mutus similiter alta voce dixit, Iesus: & indè liber atque integer vsque ad eius obitum in loquela permansit. *Contractum eundemque leprosum, curat. Item aliũ. Mutus loquitur.*

Rursùs Iulia, Antonij Cathalani in dicto oppido Paulæ habitantis filia, ab ortu cæca & nihil prorsùs videns, cùm à parentibus suis ad beatum virum (qui fortè tunc in horto domùs erat) adducta fuisset, idem beatus vir herbam quandam euulsit: eamq; signo crucis facto super ipsius puellæ oculos apposuit. Quæ statim videre cœpit, ac sensu visùs tandiù, quandiù posteà vixit, freta est. In fabrica dictæ domùs Paterni, cùm duo laborãtes terram effodiendo obruti fuissent, ità vt iam pro mortuis haberentur, ad succurrendum inuocatus vir beatus, à duabus partibus terram effodi fecit. Quo facto, dicti laborãtes viui & illæsi sua (vt creditur) gratia sunt reperti. Dum quidã Antonius architectus ad dictæ domùs Paterni fabricam accessisset, & beatus vir, vt pro cibo illi ministrando nonnullæ fabæ coquerentur, cuidam fratri iuniori inibì existenti mandâsset, frater ille ollam, cum dictis fabis & aqua, frigidis in coquina cineribus superposuit: oblitusq; ignẽ, quo culina carebat, aliundè afferre, discessit. Sed cùm vir beatus dictas fabas iam coctas esse credens, vnà cum hospite in culinam venisset, nullusq; ibì ignis adesset, dictus Antonius subrisit de dicti beati præcepto, & eius ferculo, quod nondum coqui cœpisset. Cui vir beatus ferculum ipsùm paratum esse respondit, tetigitque manu ollam, quæ ilicò feruere visa est, statimq; fabæ coctæ fuêre, ità vt indè Antonius ipse prandium sumere potuerit. Qua de re dictus Antonius, & nonnulli alij tunc præsentes, maxima sunt admiratione affecti. *Cæca videt. Duo pro mortuis habiti, viui cernũtur. Olla sine igne feruescit.*

Idem etiam beatus vir die quadam (more solito) Missam audire cupiens, ecclesiam ingressus est. Cumq; tunc ecclesiæ lampas accensa non esset, & aliqui ex ijs qui ibi Missæ audiendæ causa aderant, ignem foràs quæsitum iuissent, illumq; iam afferrent: vir bea- *Lampas absq; igne accẽditur.*

tus chordam lampadis accepit, vt eam deduceret. Illa verò in medio descensu absque aliquo igne miraculosè accensa, effulsit: ex quo circunstantes candelas per Missa tunc celebranda necessarias, deuotissimè accenderunt. Cùm in terra Montisalti dictæ Cusentinensis diœcesis quidam Franciscus, ipsius terræ incola, febre adeò vexaretur, vt de eius salute nullam medici spem promitterent, laboraretque in extremis, ac (omnibus Ecclesiæ sacramentis deuotè susceptis, & candela benedicta more solito accensa, in eiusque manibus posita) à circūstantibus iam pro mortuo haberetur, tunc Iohanna mater eius, ad B. Franciscum de Paula specialem gerens deuotionis affectum, illum lachrymans deprecata est, vt filium suum sanare, ac vitæ restituere dignaretur: vt illius ope tribus suis (ex dicto eius filio) nepotibus prouideri posset. Prætereà si voti cōpos fieret, se statim huius seculi vanitatibus omninò renunciaturam, & in habitu tertiæ regulæ eiusdem beati, Deo perpetuò famulaturam, deuotè vouit ac promisit. Quo voto emisso, statim eius filius quasi à morte resurgens, circunstantes adspicere, seque meliùs habere incepit: nec multis posteà diebus, pristinæ fuit saluti restitutus, & per triginta ferè annos indè superuixit.

Iam penè mortuus reualescit.

Cùm in dicto oppido Paterni, idem beatus vir moram traheret, quidā oculi albuginem patiens, ad eum accessit, humiliterq; rogauit, vt sibi opem afferret. Cuius precibus motus vir beatus, bōbycem sacro latice adspersam super virginē calcem (quę fortè pro ecclesiæ fabrica ibì aderat) conuoluit, & ea oculum, macula huiusmodi infectum, abstersit, signoque crucis desuper facto, ab omni albugine & macula statim liberauit. Cū quidam dicti oppidi venatores hyemis tempore in montibus niuibus repletis hominem, nullum viuentis signum præ se ferentem, inuenissent, illū sepeliendum ad locum detulerunt, vbì tunc beatus vir morabatur. Qui in illum respiciens, Per charitatē (ait) viuit homo iste: & ad eum conuersus, Surge (inquit) & ambula. Ad cuius verba, homo in sepulcrū mittendus, ilicò surrexit, ac pedetentìm ambulare cœpit, moxque hospitij domum ingressus, ac cibo & potu refectus, pristinæq; valetudini restitutus, ad propria saluus & incolumis remeauit. Prætereà in dicto oppido Paulæ, dum sui ordinis domus ædificaretur, & calx in fornace coqueretur, accidit, quòd vel propter nimium ignē, vel aliam causam, fornax ipsa ruinam minaretur. Tunc illius magistri nullum penitùs remedium adhibere scientes, ad beatum virum pro auxilio recurrerunt, eique periculū exposuerunt. Qui illis, Per charitatem, inquit, ad collationem seu prandium eatis, mihique curam fornacis relinquatis. Quibus discedentibus, ipse statim signo crucis facto, intrepidè dictam fornacem ardentem intrauit, ac illā solus reparauit, indeq; absque læsione aliqua incolumis exiuit.

Item alius iam defunctus.

Intrat ille sus in fornacem ardentem.

Iulius Bartuchius, etiā de Paula, iuuenum multitudine adiutus, post beati viri obitum è Cusentinæ castro Paulam versus, eximiæ magnitudinis bombardam transportari curans, additis etiam ad laborem viginti boum iugis, apud quendam decliuem locum, nō longè à Paula distantem, Lamachia nuncupatū, funem maximum cuiusdā nauis onerarię, quo bombarda ipsa alligata erat cuidam arbori, vt paulatìm laberetur, inuoluit. Quā cùm nec Iulius ipse, neque tot socij propter impetum velocem, qui ex magnæ molis lapsu ferebatur, retinere valerent: ibì, dum idem Iulius vltrà, quàm eius vires ferebant, nititur, iuxta arborem, cui circunligatus erat funis, prostratus cecidit, pedesq; suos intra eiusdem funis orbes inuoluit. Vndè cùm nullo pacto, nisì munere diuino, quin eius crura frangerentur, euadere posset, arborem amplectens, summa cū deuotione clamauit. O beate Francisce de Paula, opē fer mihi misero. His dictis (mirabile dictu) currus cui bōbarda ipsa imposita erat, in loco pręcipiti statìm restitit: apparuitq; eidem Iulio quidā frater Ordinis beati Francisci de Paula, qui tunc funem ipsum manibus retinuit Idem verò Iulius tanto periculo ereptus, omnesq;, qui illuc quasi ad spectaculum conuenerant, miraculū acclamantes, omnipotenti Deo, beatoque Francisco de Paula, immensas illicò gratias egerunt. Ipseq; Iulius antè alios omnes nudis pedibus ad eiusdem beati viri monasterium profectus, imaginem suam ceream, fune pedibus implicito pro deuotione in tanti miraculi memoriam obtulit.

Insigne miraculum.

Cùm à quodam fratre Antonio, ordinis Minorum professore viro doctissimo, integerrimæq; vitæ, idem beatus vir etiā in publicis prædicationibus carperetur, quòd videlicet tam impudens esset, vt simplex laicus & literarum penitùs ignarus, quibusdā herbis ægrotis salutē promitteret: accidit, vt idem frater Antonius ab alijs dicti Ordinis Minorum fratribus, ad eundem beatum virum missus fuerit, quatenùs eū de præmissis redargueret. Qui cùm ad eum venisset, & magnis illum contumeliis affecisset, increpasset que

ſeq; eius ignauiam & craſſitudinem, vir Dei conſtantiſſimus patientiſſimusq; tot conuicijs & iniurijs nullatenùs fractus, ac ne cõmotus quidem fuit: ſed foco appropinquãs, ardentes titiones nudis manibus accepit, eosq; ſtrictè compreſſit, ac manifeſtè oſtendit, in Dei virtute omnia fieri poſſe. At ille prudentiſſimè proſpiciens hominis ſimplicitatem & fidem, omniaque ab eo diuina gratia & ardentiſſimo fidei ſpiritu fieri, eius pedibus aduolutus, illos arctè complectens, oſculariq; ſatagens, veniam ab ipſo humilimè poſtulauit: neq; indè ſurrexit, donec ab eodem beato patre benediceretur. Quo factum eſt, vt qui anteà in illum publicè maledicta plurima cõgeſſerat, proprium confeſſus errorem, beati viri ſanctitatẽ dignis veriſq; poſtea laudibus meritò efferret. Quæ omnia cùm mirabilem quandam & rarè auditam viri ſanctitatem arguerent, eorumq; celebris fama iam ad cla. me. Ludouicum X I. eius nominis Francorum regem Chriſtianiſſimum perlata eſſet, Rex viri beati ſanctitate motus, ac ipſum coram videre cupiens, à piæ me. Sixto papa I I I I. etiam prædeceſſore noſtro impetrauit, vt eidem beato viro in virtute ſanctæ obedientiæ mãdaret, vt ex Calabria in Franciam ſe conferret, dictumque Ludouicum regem viſitaret. Quibus iuſſis Dei famulus obediens, in Franciam iuit: vbi eum præfatus rex ſingulari deuotione ſuſcipiens, ſeq; ab eo benedici poſtulans, illi tanquàm viro Dei magnum honorem & reuerentiam exhibuit. Cognitâ deindè viri ſanctitate, ei eiusq; fratribus ſedem propè ciuitatem Turonenſem & regium palatium aſſignauit, amplamq; & magnificam domum cum eccleſia (quæ in hanc vſque diem extat) pro ipſius B. Franciſci de Paula, ſuorumq; fratrum vſu & habitatione conſtrui fecit.

Ardentes titiões nudis manibus fortiter cõplectitur.

A Franciæ rege euocatur, & reuerenter habetur.

Tantæ inſupèr continentiæ fuit idem beatus vir, vt non carne, ſed ſolo ſpiritu compactus eſſe videretur. Priùs enim quàm ab hac luce diſcederet, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, ſuæque religionis propagationem, diuina (vt piè creditur) inſpiratione inſtructus, tres regulas fratrum ſcilicet ac ſororum, & vtriuſque ſexûs fidelium, Tertiariorum nuncupatorum, inſtituit. Et vt humilitatis amator erat, illamq; à ſuis etiam coli deſiderabat: fratres ſui ordinis, Minimos: & ſorores, Minimas vocari debere ordinauit: iniunxitque illis, vt decem mandata diuina & Eccleſiæ pręcepta ſalutaria vigilanter obſeruantes, Romano Pontifici, pro tempore exiſtenti, fideliter obedirent, ac ſub obedientiæ, caſtitatis & paupertatis, quadrageſimaliſq; vitæ ſacris votis perſeueranter viuere profiterentur, nonnullis ad regularũ fratrum ac ſororum huiuſmodi, tam circa perſonarum ipſarum directionem & informationem, quàm diuini cultûs augmẽtum, debitam obſeruationem & inſtitutionem, opportunis adiectis capitulis. Ipſas verò fratrum ac ſororum, cum decem: dictorum autem vtriuſque ſexûs Tertiariorum regulas cum ſeptem capitulis per eum piè inſtitutas, re. me. Iulius Papa I I. ſimiliter prædeceſſor noſter, eodem beato viro tunc in humanis agente, matura præhabita deliberatione, tanquàm religioni conſonas (poſtquàm idem Sixtus prædeceſſor noſter, ac ſanctæ com. Innocentius V I I I. & Alexander V I. Rom. Pontificès etiam prædeceſſores noſtri, eidem beato viro, eiusq; ordini, ac eius perſonis, & domibus quàm plura priuilegia conceſſerant) per ſuas primò, & deindè nos per alias noſtras literas approbauimus, & confirmauimus, diuerſiſque priuilegijs, gratijs & indultis ordinem ipſum multipliciter communiuimus, prout in ipſorum prædeceſſorum & noſtris indè confectis literis pleniùs continetur.

Tres regulas inſtituit.

Regulæ illæ à ſummis Pontificib. approbãtur.

Cumq; vitæ ſuæ finem iam proximum Diuina inſpiratione proſpiceret, idem beatus vir pridiè, quàm decederet (qui fuit dies cœnæ Domini) pluribus è fratribus ſuis (qui ex varijs prouincijs & regnis tunc ad eum venerant) adſtantibus, in Miſſa conuentuali poſt pœnitentiæ ſacramentum deuotè ſuſceptum, cum profundiſſima humilitate, huberrimaque lachrymarum effuſione pectus ſuum percutiendo, ſacroſanctum Euchariſtiæ viaticum è manibus vnius ex ſui ordinis presbyteris magna cũ deuotione ſuſcepit. Poſteà Domino noſtro Ieſu Chriſto, beatæque Mariæ virgini, & ſanctis omnibus deuotè peractis gratiarum actionibus, Miſſaque huiuſmodi celebrata, ad cellam ſuam proprijs pedibus (licèt præ ſenectute debilis, & infirmus) baculo, quem more ſolito geſtabat, innixus redijt. Poſtero autem die, cùm idem beatus fideliſque Dei ſeruus tempus inſtare videret, quo ſibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat, dictos fratres ſuos ad ſe conuocari iuſſit, eosq; ad fraternam pacem, mutuamque charitatem dulciſſimis verbis ac ſalutaribus monitis charitatiuè exhortatus eſt, illiſque benenedictione more ſolito impertita, cùm iam nonageſimũprimum (vel circà) annum feliciter impleuiſſet, anno à partu virgineo milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Aprilis verò die ſecunda (quæ tunc fuit paraſceues, Veneris ſancta nuncupata) circa horam, qua pro nobis Chriſtus

Sub obitũ percipit Euchariſtiã.

Reddit ſpiritũ circa tot. vir ſanctiſsimus.

stus passus est, signo sanctæ crucis deuotè signatus, omnibusq; sacramentis Ecclesiasticis debitè communitus, perlecta coram eo Dominica passione, iunctis deuotè manibus, erectisque in cœlum oculis, sanctæ Crucis triumphum piè amplectens, reuerenterque osculans, ac sæpiùs, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, aliasque pias orationes deuotissimè repetens: dimissa huius carnis sarcina, quasi viuens absque aliquo doloris aut mortis notabili signo, migrauit ad Christum. Cumque tunc per vndecim dies eiusdem beati corpus insepultum remanserit, illucque maxima virorum & mulierum, ac religiosarum personarum multitudo accesserit, vt sanctum virum, quem viuentem summa fuerant veneratione prosecuti, etiam defunctum viderent, & illius apud Deum suffragia mererētur, mirū omnibus fuit, quòd eius caro per tot dies incorrupta permāserit, nec vllum prorsùs fœtorem emiserit: quin potiùs odor quidem suauiter fragrans ab ea manauerit.

Corpus exanime diū manet incorruptū.

Post ipsius etiam obitum, multis eius suffragia deuotè implorantibus, omnipotens Deus quàm plures gratias elargiri, magnaq; miracula palàm operari dignatus est. Propter quæ charissimus in Christo filius noster Franciscus, huius nominis primus Francorum rex Christianissimus, charissimaq; in Christo filia Claudia regina, eius cōsors (quæ aliâs coram dicti ordinis tunc generali, ac alijs nobilibus personis emisso voto, quòd si gratiam pro masculo assequeretur, in beati patris honorem Francisci nomen ei imponeret, fulgentissimum puerum in lucem edidit: illique, iuxta dictum eius votum, Francisci nomen imponi fecit) Nec nō dilecta etiam in Christo filia, nobilis mulier, Aloysia de Sabaudia, Andegauensis & Angolismensis, Ducissa, Cenomanensisq; Comitissa, eiusdem Francisci regis genitrix, nobis per venerabilem fratrem nostrum Dionysium episcopum Maclouiensem generalem, ac dilectos filios, Iacobum Lucam, decanū ecclesiæ Aurelianensis, & nobilem virum Antonium Raphin, aliâs de Poton, dominum temporalem loci de Podio Caluario Agenensis diœcesis, pro nonnullis particularibus ipsius Christianissimi regis negocijs nūcios & oratores ad nos destinatos, humiliter supplicari fecerunt, vt præmissis diligenter inquisitis & exploratis, ad eiusdē beati viri canonizationem procedere dignaremur. Quorum quidem precibus licèt libenter annuere vellemus, summopereq; gauderemus, huiusmodi canonizationē nostris temporibus diuino quodam mysterio contigisse, ac nobis æquum videretur, vt idem B. Franciscus de Paula (quem iam Deus in cælesti gloria sanctorum choro dignum fecisse, pluribus ac manifestis indicijs & miraculis ostēderat) in terris etiam sibi debito sanctorum honore, nō defraudaretur, ac super eo maximè nobis instaret venerabilis frater noster Bernardinus episcopus Sabinensis, Cardinalis sanctæ Crucis nuncupatus, in dicti Ordinis protectorem ab eodem beato viro, nondùm tunc ab humanis egresso, assumptus: cumulatissimæq; preces nobis ac venerabilibus fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, per dicti Ordinis tunc zelosum, totius Minimorum Ordinis nomine, super hoc sæpiùs porrectæ fuissent, non statim rem tanti ponderis ac momenti faciendam, sed iuxta veterem & laudabilem consuetudinem, cunctanter matureq; considerandam duximus.

Votum Claudiæ reginæ.

Post complures igitur commissiones aulæ palatij nostri aduocato cōsistoriali, & auditoribus causarum eiusdem Palatij super hoc debitæ factas, tandèm tribus etiam sanctę Romanæ Ecclesiæ cardinalibus ex tribus illorum ordinibus, videlicet venerabili fratri Nicolao episcopo Albanēsi de Flisco, & dilectis filijs nostris Dominico tituli sancti Bartholomæi in Insula presbytero de Iacobatijs, ac Iohanni sanctorum Cosmę & Damiani, nostro secundùm carnem nepoti, diacono de Saluiatis, respectiuè nuncupatis Cardinalibus, de fratrum nostrorum consilio & assensu commisimus, vt ipsi visis & examinatis processibus, editis super eiusdem beati viri vita, moribus, fama & miraculis, ante & post ipsius obitum eius intercessionibus à Deo factis, alijsq; cunctis ad sanctorum canonizationem huiusmodi necessarijs, se super omnibus ac singulis diligenter informarent, & per eos comperta, in nostro secreto consistorio (vt moris est) fideliter referrēt. Cumque ipsi cardinales, visis ac diligenter examinatis diuersis processibus, in partibus Calabriæ & Frāciæ de sedis Apostolicæ commisione habitis, & ad curam nostrā transmissis, testiumq; fide dignorum depositionibus, pro tantæ rei dignitate debitè ponderatis, de supradictis miraculis, ac vitæ sanctimonia, & alijs à iure requisitis, fidelem nobis relationem in pluribus etiā secretis cōsistorijs iam fecissent, nosq; ipsorum & omnium aliorum cardinalium vota, pro facienda dicta canonizatione conuenientia & conformia inuenissemus, & pro vlteriori executione dilectus filius Angelus de Cesis, vtriusq; iu-

Rom. Ecclesia in rebus grauibus cūctanter & maturè se gerit.

ris doctor, & dilectæ aulæ nostræ cōsistorialis aduocatus, in publico consistorio omnia de ipsius beati viri vita, moribus, fama & miraculis copiosè percēsuisset, nobisq; humiliter supplicâsset, vt ad eiusdem beati canonizationem matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur: Nos de relatis coram nobis in primis humiliter Deo gratias agentes rogauimus omnes, in eodem publico consistorio tunc adstantes, vt suis orationibus & ieiunijs Ecclesiam Dei iuuarent, ac nè eam altissimus modo aliquo in huiusmodi canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent.

Demùm, post aliquot dies conuocatis denuò in aula nostra consistoriali in palatio Apostolico vniuersis & singulis, qui tunc aderant in nostra Romana curia, ecclesiarum prælatis, patriachis videlicet, archiepiscopis, ac episcopis, in præsentia eorundem fratrū nostrorū præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, eosdem processus super ipsius beati vita, moribus, fama & miraculis editos, per eundem Angelū breuiter summarieq; repeti fecimus. Quæ cùm ex serie per Cardinales, ac alios, quibus id munus per nos iniunctum fuerat, enarrata & exposita fuissent, omnesq; adstantes prælati, quid sibi super huiusmodi negocio videretur, interrogati, vnanimi consensu, nullo penitùs discrepante, respondissent sibi videri, quòd idem beatus vir inter sanctos meritò adscriberetur & connumeraretur: Nos iterùm humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quòd ad beatum seruum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, ipsius canonizationis diem Dominicam in albis nuncupatam (qua in Ecclesia cantatur, Quasi modò geniti infantes, quæ tunc occurrebat prima die Maij, anni Domini millesimi quingentesimi deciminoni, qua etiam tunc beatorū Apostolorum Philippi & Iacobi festum contingebat) deputauimus, ac in basilica principis Apostolorum de vrbe amplum suggestū ligneū de more parari & exornari iussimus. Super quo quidem hodiè, adstante populo ac vniuerso clero, de vita, miraculis & fama eiusdem beati Francisci de Paula, humili deuotioneq; pleno sermone per nos, vt moris est, habito, deindeque litania & hymno, Veni creator spiritus, per omnia deuotè decantatis, nec non à procuratoribus causæ ipsius canonizationis, & à Christianissimi Francorū regis oratoribus huiusmodi, eiusdemque Ordinis Minimorum tunc Vicegenerali Correctore, à nobis magna cum instantia petito pronunciari adscribi inter sanctos eundem beatum Franciscum de Paula, cùm iam omnia consummata essent, omnesque consuetas Ecclesiæ cæremonias super ea re ritè seruauissemus, Deum præ oculis habentes ad canonizationem eiusdem beati sub his verbis procedendum duximus & processimus.

Ad honorem omnipotentis Dei, patris, & filij, & spiritussancti, ad exaltationem fidei catholicæ, Christianæq; religionis augmentum, ac ordinis Minimorum consolationē & incrementum, authoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorumq; Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostra, de fratrum nostrorum speciali consilio & assensu, decernimus & diffinimus, bonæ memoriæ Franciscum de Paula, eiusdem ordinis Minimorū institutorem, in cælesti Hierusalem inter beatorum choros iam receptum, æternæque gloriæ condonatum fuisse, ac sanctorum confessorum catalogo adscribendum fore, ipsumque huiusmodi catalogo in præsentiarùm adscribimus, & eum tanquam sanctum, publicè priuatimque colendum esse declaramus atque mandamus: statuentes eius festū die secunda mensis Aprilis ab vniuersali Ecclesia annuatim celebrandū fore, & ab eo suffragia à Christi fidelibus implorari & expectari posse, omnesq; ac singlos honores illi meritò præstandos & exhibendos esse, qui cæteris etiam sanctis confessoribus, in huiusmodi catalogo descriptis, conuenire noscuntur. Quibus debitè peractis, inchoatoq; per nos ac decantato, & ad finem vsque à cantoribus prosecuto hymno: Te Deum laudamus, in illius etiam fine cardinali diacono in cantu dicente, Ora pro nobis beate Frācisce de Paula, à choroque responso, vt digni efficiamur promissionibus Christi: Nos ilicò propriam orationem de eodem sancto alta voce decantauimus, dicentes: Seruitutis nostræ tibi Domine iura soluentes, quæsumus, vt beati Francisci de Paula confessoris tui patrocinio suffragante, in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduersis. Per Christum Dominum nostrum.

Forma canonizationis.

Oratio de hoc beato viro.

Deindè verò à dicto choro responso, Amen, solennem illic Missam nosipsi celebrauimus de dicta tunc currente Dominica in Albis, collectas singulas sub vna conclusione terminantes: Additis etiam prædicta, cæterisque specialibus eiusdem sancti Francisci de Paula collectis, immediatè sequentibus: Pro secreta videlicet, Hostias Domine

tuorum suscipe populorum, quas tibi in beati Francisci de Paula, festiuitate dicamus, vt nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Cum sua conclusione, videlicet, Per Dominum &c. Deindè verò post communionem subiunximus, dicentes: Cælesti Domine sacramento consolati, te supplices deprecamur, vt intercedente beato Francisco de Paula, ab omni nos mentis & corporis labe custodias, & per ipsum tuæ sentiamus indulgentiæ largitatem: Cum simili conclusione. Et ità Missam ipsam ad finem vsque cum solitis cæremonijs iuxta ordinarium Apostolicum illic debitè terminauimus, indulgentiamque plenariam omnibus, officio huiusmodi tunc assistentibus, deuotè concessimus, ac etiam in loco sepulturæ eiusdem sancti Francisci de Paula, in depositionis suæ die, videlicet secunda Aprilis, huiusmodi perpetuò duraturam quadraginta annorum, totidemq; quadragenarum indulgentiam annuatim condonauimus, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui in sanctis suis mirabilis & gloriosus, viuit & regnat benedictus in secula seculorum.

Cæterùm, quia difficile foret præsentes originales literas ad omnium notitiam deferri, volumus & decernimus, quòd earundem Transumptis, manu notarij publici subscriptis (sub sigillo venerabilis fratris nostri Paridis moderni, & pro tempore existentis episcopi Pisaurensis, ac cæremoniarum Magistri, vel alicuius alterius Prælati Ecclesiastici) fides adhibeatur indubia in omnibus, ac per omnia, & illis vbiquè stetur, ac si originales literæ huiusmodi essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorũ processûs, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimonono, Calendis Maij, Pontificatùs nostri anno septimo.

Ia. Sadoletus.

H. de Busseyo.

ORATIO FVNEBRIS IN SANCTVM PATREM ET CONFESSOREM NICETAM, QVAM SCRIPSIT *Theosterictus, illius beatissimi viri discipulus. Habetur in Simeone Metaphraste.*

3. Aprilis 
PRopositum nobis est maximæ cuiusdam vtilitatis argumentum, sanctissimi patris nostri Nicetæ commemoratio: quæ proposita nobis est, velut sacrum quoddam conuiuium ex omnigenis, non corporeis, sed spiritualibus epulis repentè instructum: quo conuiuio non corpora, sed animæ rationis participes aluntur & exhilarantur. Hoc ego artificij expers hodierno die vobis spiritualibus conuiuis ex rudi sermone apparatum suppeditabo: vobis, inquam, qui sanctis & animarum altricibus eius doctrinis nutriri semper optâstis. Verùm mihi, sacri auditores, quippe qui (vt quod in Actis Apostolorum scribendis de se Lucas dixit, & ipse dicam) indè vsque ab initio, vt scitis, patrem hunc secutus sum: visum est non omnia quidem continenter scribere, (neque enim possem) sed è multis illius præclarè factis pauca quædam in hac narratione inserere, ad eorum ædificationem atq; vtilitatem, qui hæc audiunt, & in posterum legere voluerint: nè honestissima illius facta, tempore ipso & alta obliuione obscurata euanescant. Multi quidem multorum, qui ante nos fuerunt, sanctorum hominum vitas, dictaq; & præclarè facta conscripserunt: qui & oratione sua illos ornârunt, & nobis ex ea re multum adiumenti attulerunt. Illorum igitur exemplo & nos id facere aggressi sumus. Non enim consentaneum est, tantam eius hominis virtutem silentio tegi aut occultari, neque talem lucernam conuenit sub modio, sed supra candelabrum poni, vt luceat omnibus, qui sunt in huius vitæ domo (quemadmodùm Euangelica voce nobis traditum est) in
Matt. 5. gloriam cælestis Dei, cui ex bonis operibus laus & gloria redditur.

Sed

Sed tractationem hanc illos aggredi inconueniens erat, quorum vita recta est, & ab omni repræhēsione libera, oratioq; grauis & composita cum illorum vita congruens. Quarum rerum priorem qui rectè præstiterit, illi, velut ex spiritualium donorum thesauro, & posterior abundè suggeritur. Cui verò ea defuerit, is dubiè & cum hæsitatione orationem proferet. Huius autem patris virtus tanta fuit, vt vix illi, quos suprà dixi, pro dignitate eam narrare possint: vel (vt verius dicam) ne illi quidem hoc possent: tantum abest, vt nos possimus, quibus vtrunque deest, vitæ, inquam, probitas, & oratio compositionis atque concinnationis elegantiam habens. Verùm sanctissimi patris desiderium, ad id conandum nos exuscitat atque impellit, qui ex illius narrationibus fortasse fructum aliquem & animæ adiumentum percipiemus. Qui enim vnguenta componunt, quanuis ab vnguentorum natura longè absint, tamen & ipsi odorum suauitatis participes fiunt, & alijs odorem per olfaciendi sensum impertiunt. Contra verò timor ipse sese opponens, ab hac tractatione me deterret, mihi ante oculos ponens imbecillitatem meam, quæ tanto oneri par non est: meque admonet, nè, dum eum virum laudare velim, inconcinnis atque inelegantibus verbis aliquo modo illum vituperem, & ad indignationem contra meipsum excitem, sitq; mihi ea res inutilis. Quod ne mihi accideret, silentium potiùs deligendum esset, quod est sine timore ac periculo. Neque enim aliquem pœnitet siluisse, quemadmodùm locutos esse pœnitere sæpe multos solet. Sanctorū res gestas celebrare quid debeāt.

Cùm in his duabus rebus ambigerem, tanquàm in trutina quadam positus, desiderium ipsum grauioris momenti visum est, timoris lancem leuiorem faciens, & orationis authorem Christum mihi adiutorem proponens, magniq́ue eius viri, de quo dicturi sumus, in condonandis erratis facilitatem. Nam cùm adhuc in terris esset vir ille, clemens erat, sciensque delictis nostris veniam dare: quam & nunc à beata ipsius anima multo magìs mihi dandam esse certò scio. Grata enim est patribus ipsis (vt quidam dixerunt) puerorum lingua, quanuis balbutiens, Deoque ipsi gratum est, quod pro viribus fit. Moneo autem illud, nè quis falsum aliquid vel fictum me scribere suspicetur. Eorum enim mos est, qui rebus fidem non adhibent, vtilitatem omnem abijcere. Nam quid ipse à mendacijs lucrifacerem, si alios quidem commendarem, meipsum verò sententiæ illi obnoxium redderem, quam contra mendaces prophetæ Dauidi spiritus sanctus suggessit? Non enim fabulæ sunt, quæ dicentur, vt externis hominibus videri solent. Sed hæc quidem satìs. Incipiam igitur, Deum ipsum omnis principij authorem propositum habens. Historiæ huius veritas. Psalm. 5.

Sed vndénam incipiam? An patriam, genus, & eius altricem terram priùs dicam? Sed quænam erit vtilitas, orationem in his rebus occupatam habere? Ciuitas, inquit scriptura, sanctorum, est ciuitas Dei, cuius artifex & creator Deus est: patria verò, superna Hierusalem, mater Pauli, & eorum, qui cum illo fuerunt, vt ait magnus Basilius. At si quis & inferioris patriæ appellationem scire cupit, Cæsarea Bythiniæ illum genuit: illa in vitam hanc eum protulit, aluit, & omnibus cognoscendum tradidit: illa primæ ipsius ætatis rectè factis fruens sese oblectauit. Quod pertinet ad parentum nomina, non possum pro certo dicere, quod fuerit matris nomen: sed pater Philaretus vocabatur: cuius filius cum virtutis amator fuisset, re ipsa cum patris appellatione conuenit. Fuit etiam hic eius pater diuinæ pietatis studiosus & Deo gratus, quippe qui monasticæ vitæ instituto dignus posteà factus, perfectior euasit. Ille cum legitimam vxorem duxisset, ex ea vnicum hunc filium suscepit, & octauo die, postquàm puer natus fuit, vxorem ipsam amisit. DEVS enim ille, qui eam formauerat, idem & eam recepit. Heb. 11. Patria S. Nicetæ. Pater.

Educatus igitur puer fuit apud patris matrem. Cumq́; parùm creuisset, ijs literis, quibus pueri solent erudiri, ediscendis parens ipse eum tradidit. Cùm autem puerulus discendi esset cupidus, & laboris valdè amans, paucis annis omnia edidicit: postea verò Psalterium memoriæ mandauit. Cumque illum in Ecclesia pater totundisset, vt Anna Samuelem, Deo ipsi eum dicauit & omninò addixit, vt æditui locum interea teneret. Quod munus ille, omnem reuerentiam & spiritualem prudentiam adhibens, ità exequebatur, vt omnes mirarentur, quanta cum virtute se gereret, & quàm composito animo esset. Quis enim hunc aliquandò vidit in ludis puerilibus versantem, vt pueris mos est, gestire, saltare, currere huc atque illuc, in terra se volutare, atque vlulare? Quis hunc prope illos, qui choreas exercent, tam viros, quàm mulieres, sedentem vidit, vel aliquo modo adhærentem, & inhonesta illorum verba aliquandò audientem? Adhibetur literis. 1. Reg. 1.

Quis

Quis illum symposijs eorum, qui diu in vino ebibēdo immorantur, quibusq; tragœdiæ, tumultus, & nugę amicæ sunt, vel paululùm adhærentem adspexit? Domi enim sedens, & librū in manu habens, legebat diligenter, &, vt id, quod in Euangelio est, dicam, proficiebat sapientia, ætate & prudentia: neque vnquàm à diuinis conuentibus aberat, sed diuinas literas cordis sensu percipiebat: modò id, quod dixit Deus ad Abraham: Exi de terra tua, de cogitatiōe tua, & de domo patris tui: modò illud Esaiæ prophetæ dictum: Exite de medio ipsorum, & segregemini, & impurum nè tetigeritis, dicit Dominus, & ego suscipiam vos: item illud, quod diuina voce prolatum est: Qui diligit patrem vel matrem plusquàm me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. & alio loco: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, &: Si quis veniens ad me, non renunciauerit omnibus, quæ possidet, adhuc autem & animæ suæ, non potest esse meus discipulus.

Luc. 2. Gen. 12. Esa. 52. Matth. 10. Luc. 9. Luc. 14.

Hęc cùm audiret, & his similia, non in via sementē spargebat, hoc est, in ipsius mentis superficie, ità vt conculcari posset, & à volucribus cæli, hoc est, à malignis spiritibus subripi ac deuorari, neq; supra petras, hoc est, supra cor sensu carens & aridum, ità, vt æstus, id est, tentationis tempore, tanquàm ea, quæ radicem non haberent, citò exarescerent, nō deniq; in medias spinas, hoc est, in huius vitæ solicitudines fundebat semina, quibus solicitudinibus suffocata mens fructum nullum ferret: sed in terram sui cordis valdè bonam ac pinguem semen ipsum reponebat: quamobrem fructum reddidit Deo ipsi trigecuplum, sexagecuplū & cētuplum: trigecuplum, eò quòd vitam cum virtute transegit: sexagecuplum, quoniam monasticæ vitæ exercitationem puram & innocentem seruauit: centuplum, quia pro fidei confessione multas persecutiones sustinuit: de quibus posteà loquemur. Nunc autem ad ea, quæ nobis proposita sunt, redeundum est.

Matt. 13. Fructus trigecuplus. Sexagecuplus. Centuplus

Cùm diuina eloquia, quę supradiximus, audiuisset, quidnam illum fecisse aut consultâsse aliquis cogitabit? Mentem atque animum ab his terrenis rebus abalienauit, & ad optimam quandam formam sese traduxit, de virtute (vt est in literis diuinis dictum) in virtutem progrediens, & ijs, quæ inferiora sunt, præferens meliora, secum cōgitabat, quomodò Deum sanctè coleret. Cumq; à ratione ipsa rectè ac ritè præsidēte didicisset, facilè fieri posse, vt vita cælibe ac perturbationibus vacua, sensus ipsos purgare, & mente pura ad id, quod purum est, accedere posset: à mundi voluptatibus se abrumpere, & ad Deum adiungere studuit. Cumque patri suo, amicis, consanguineis, æqualibus, ijs denique omnibus, qui ad eum pertinebant, salutem multam dixisset: ab ea regione, quæ ipsum aluerat, statim auolauit, & ad torrentem eiusdem vrbis, in meridiei parte fluentem, ad senem quendam, Srhephanum nomine, qui illic solitaria vita vtebatur, se contulit, eiusq; in rebus asperis perferendis socius erat: quin immò cum ipso certabat, dum monasticæ vitæ legibus ab illo erudiebatur.

Psalm. 83. Vitam amplectitur monasticam.

Postea verò quàm eius diligētiam & alacre studium senex ille animaduertit, author ei fuit, vt ad cœnobium iret, quippe quòd multùm ea res expediret, præsertim iuuenibus, eò quia ijs, qui ad summum virtutis fastigium peruenire cupiunt, plus exercitationis imponit. Bono senis consilio magnus ille vir vsus est, eiusque preces pro viatico sumens, viam ad mare ducentem tenebat, diuina prouidentia ipsum dirigente, quæ per eum virum populum sanctiorem factum, & bonorum operum æmulatorem adeptura erat. Venit igitur ad Meditij monasteriū, quod tunc à paucissimis colebatur, & à sanctissimo patre nostro Nicephoro, qui monasterium constituerat, regebatur. Supplex autem à pastore illo petebat, vt in monasterium acciperetur. Cumque perspicacissimus pastor eum vidisset, & ex habitu ac moribus virum optimum eum fore coniecisset, libenter ipsum accepit, & in suo grege collocauit. Quo facto, beatus Niceta Dei præceptis obseruandis operam dabat. Cumq; omnes vitæ huius fragilis atq; caducæ voluptates pro nihilo faceret, syncera, non adulterina, neque ficta terrenarum rerum abdicatione, seipsum mundo crucifixit, & mundus ipsi crucifixus est. Quamobrem non ampliùs sibijpsi viuebat, sed Christo & Præsidi, omnemque affectum corporeum illo affectu, qui ad res supernas ac cælestes pertinet, omninò extinxit.

Itemcœnobiticā.

Huius autem viri peregrinatio fuit immutabilis: nam ex quo tempore à patria euolauit, non ampliùs illam vidit vsq; ad eum diem, quo ad Deum profectus est. Idem omnem prauitatem & ad obediendum difficultatem, facili & ab omni curiositate ac simulatione aliena, obedientia superauit. Cogitatio autem eius assidua, & nullam intermissionem accipiens, erat mortis meditatio. Ventrem verò multis dominantem ità subiecit, vt vel res necessarias admodùm parcè ipsi suppeditaret, ijs tantùm vtens, quæ ad vitæ

Eius obedientia. 1. Cor. 9. Temperātia.

vitæ vsum pertinent. Continentiam non solùm à cibis abstinendo exercebat, sed ab omni terreno affectu seipsum remouendo, quemadmodùm ille dixit: Qui certat, ab omnibus se abstinet. Temperantiam & castitatem ità perfectam ostendebat, vt fragile hoc corpus ad eum statum traduceret, in quo esset corruptionis expers futurum, & in corpore hoc terrestri vitam incorpoream ageret, puram & angelorum institutioni similem. Non erat in eo viro furoris perturbatio, neque iracundiæ aut simultatis affectus: non odij, aut obtrectationis, vel alios condēnandi species: non loquacitatis, vel facetiarum, neque ociosi sermonis opinio: sed omne ipsius studium atque opus erat Diuinorum eloquiorum meditatio, & solertes ad Deum preces. Nulla in re inanis gloriæ vel superbiæ vestigium, nihil denique, quod ad humanam ostentationem pertineret, in eo viro cernebatur. Summissionis autem excellens donum tam abundè acceperat, vt vbique omnes seipso præstantiores existimaret, omnibus se subijciens. Itaque non solùm cum ijs, qui primi erant, sed vsq; ad infimos humilitatem & obedientiam exercens, charitatem in Deum & in proximum firmam atq; immutabilem retinebat. Nulla in eo fuit humanæ assentationis species, qua vel alijs, vel sibi ipse placere studeret, aut sui amans esset. Nihil denique perperàm aut simulatè agebat. Nulla in eo fuit vestis elegātia, ità vt ipsum corpus contempserit, neque omninò vllam eius curam habuerit: sed hoc tātùm curârit, vt castum ac purum Deo ipsi corpus suum offerret. Omnia igitur morum simplicitate & corde syncero sine hæsitatione aliqua faciebat. Quæ vero a Præside ipso dicebantur, tanquàm à Deo ipso dicta excipiens, omnem quidem curiositatem & hæsitationem abijciens, fidem autem ac certam persuasionem habens, omnia exequebatur.

Humilitas eius eximia.

Obediētia insignis.

Cùm igitur pastor ipse illum ità studiosum ac promptum vidisset, qui nondùm quinquennium in professione monastica perfecerat, ad presbyterij ordinationem eum promoueri curauit: quam per manus magni Tharasij assecutus est, qui Constantinopolitanæ sedis erat Patriarcha, eamque sedem multis virtutibus adornabat. Cùm igitur presbyter ordinatus fuisset, & monasterij curam illi, quanuis inuito, Præses tradidisset, sanctus ille vir onus illud sibi traditum, molestè quidem ferebat: sed qui nulla in re didicerat repugnare, neque tunc contradicere ausus est: sicq;, quanuis inuitus, nihilominus tamen onus illud accepit. Cùm igitur eam curam suscepisset, oēm diligentiam adhibens, studebat gregem ipsum copiosiorem efficere. Idque factum est. Eius enim fama in omnes partes peruagante, plurimi ad eum veniebant, & terrenis rebus renunciabant. Itaq; paucis annis factum est, vt fratrum societas ad centesimum numerum peruenerit: quos ille, adiuuante Christi gratia, vt peritus aliquis gubernator, ad salutis portum dirigebat, pro ipsis, vt probatissimus pastor, assiduè vigilans.

Ordinatur presbyter.

Præficitur monasterio.

Factum autem fuit, vt qualis erat vita & virtute sanctissimus pater noster Niceta, talem vniuersarum rerum Dominus Deus hominem illi miserit, qui secundas monasterij partes teneret: Athanasium, inquam, illum venerandum & admirabilē virum, cuius virtus non ea fuit, vt obitèr illam narrare possimus: cuius etiam in Deum charitatem, quam ostendit, cùm primùm mundo renunciauit, opinor etiam angelos ipsos fuisse admiratos. Erat ille patri suo charissimus, & literas apud ipsum summè doctus: qui & publicorum libellorū scriba creatus, magistratui, qui Logothesion dicitur, præfectus fuit: vndè nō vulgares mundi huius honores eius pater per filiū ad se vēturos sperabat. Cùm verò iuuenis ille omnia hæc contempsisset, & vni rei esset intentus, vt cœnobij habitu se indueret, idq; festinans perfecisset, eius pater, cùm hoc audiuisset, vi ad se illum traxit, & indumentis quibus ex cœnobio vestitus fuerat, proiectis, preciosis vestibus illum, quanuis inuitum, induit. At iuuenis ipse patrem sic affatus est: Putásne, ô pater, sericis istis vestibus me à proposito consilio impeditum iri? Totum mundum contempsi. Quid enim proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimētum patiatur? At pater illū in domo conclusit, existimans ità fieri posse, vt à bono proposito ipsum auerteret. Cùm autem iuuenis ipse opportunitatem inuenisset, serica illa indumēta in quatuor partes lacerauit. Quod cùm vidisset pater, alijs sericis ipsum induit. Ille verò & eas similiter lacerauit. Iratus igitur ea re pater, ità crudeliter filiū verberauit, vt eius terga intolerabilius illis plagis cōtabuerint, & medicorum manu atq; cura indiguerint. Posteà vero quàm ille iuuenis patrem certiorem fecit, nullo modo fieri posse, vt eius sententia mutaretur, quanuis membratim illum dissecaret, pater ipse ea re compūctus & lachrymis perfusus, filium sic allocutus est: Vade fili, & perfice iter illud bonū, quod elegisti, & Christus ipse tibi opem ferat, teque ab omnibus laqueis diaboli eripiat.

Athanasius monachus insignis.

Luc. 9.

Athanasius à patre dirè flagellatur, sed pmanet in proposito.

Ità

Ità igitur iuuenis ille venit ad monasterium, quòd suprà diximus, exercitationis certamina efficaciter illic suscepturus. Tãtam verò humilitatem exercuit, vt nihil secum attulerit ex ijs rebus, quæ in hoc mundo spectabiles sunt. Plerique nôstis eum virum, quem dico, & quem vos experti estis: scitis vilissimis vestibus indui solitum, immò neminem abiectiore veste vsum fuisse, quanuìs ex parentibus valdè terrena hac nobilitate insignibus, ortus fuisset. Hic, vt supradictum est, à sanctis patribus nostris in monasterium receptus fuit, & ab inclyto Nicephoro secundæ partes post patrē Nicetam illi concessæ fuerunt. Erant igitur ambo illi vna quædam anima & mens in diuersis corporibus, tranquillo statu omnia disponentes: & ipsi quidem à sancto Nicephoro regebantur, sed ijdem omnem fratrum societatem gubernabant, ità vt partìm ipsi regerēt, partìm verò regerentur, mutua inter se & Præsidis charitate copulati. Neque vnquàm inter ipsos offensio aliqua, vel dissidium exortum fuit, sed erant veri pastores, & animæ morbos, vt probati quidam medici, sanabant, curantes gregem omni studio ac scientia. Alter secabat: erat enim ad secandum idoneus: alter mitibus quibusdam verbis leniens, sectionem ipsam curabat: erat enim mitis. Alter in ijs, quæ ad curam corpoream pertinebant, occupatus erat: alter in ijs, quæ ad spiritum attinent, versabatur. Vterque autem vtrique rei studebat.

Nicetæ & Athanasij in gubernãdo monasterio prudentia, &c.

Itaque, vt peritissimi quidam medici, omnem, vt diximus, diligentiam adhibentes, oues Christi rationales pascebant. Duritiem atque acerbitatem ex increpatione & ignominia proficiscentem lenientes, segnitiemque & languorem, vel tentatione aliqua, vel mœroris ardore illatum, orationis comitate, & discretionis atque commiserationi medicina erigentes, tanquàm è somno fratres exuscitabant. Quod verò in eis ceciderat & confractum erat, futuri iudicij timore illud colligantes curabant. Tristes & segnes, & ipsa incuria dissolutiores ac lentos factos, laboriosæ doctrinæ stimulis erigebant. Eos verò, qui celeriter gradiebantur, & alios anteuertebant, maximè atque attentissimè obseruabant, ne illis ambitionis opinio, tanquàm fera quædam irrepens, insidias faceret. Denique (vt summatìm dicam) omnem gregem omni studio ac diligentia custodiebant, vigilantes pro illo, & feras, quæ non oculis corporeis, sed animo comprænhenduntur, ab ouium rapina profugantes, non vt mercenarij, sed vt optimi pastores Christi pastorum principis. Ità verò omnium fratrum societatem edocuerunt, & mutua charitate atque concordia deuinxerunt, vt verè de ipsis illud dici possset: In hoc cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si charitatem habueritis adinuicèm. Tunc quanuìs hæc fecissent, ab omni tamen audacia procùl aberant. Nugarum verò & facetiarum ne nomen quidem in illis viris audiebatur: sed in diuinorum eloquiorum meditatione vitam degentes, ità ministerium sibi cõmissum singuli exequebantur, totumq; Psalterium quotidiè pronunciabant: quo expleto, ad eorundem psalmorum vicissim canendorum ordinem se parabant: ità vt nunquàm omninò à Dei gloria celebranda ipsi vacarent. Ac si cuiusquam vitio factum esset, vt ociosus sermo irreperet, continuò alius quispiam admonitione sua eius sermonis continuationem abrumpebat. Erant & fratres aliqui clàm dispositi, qui vniuscuiusq; dicta & facta patribus nunciabant, vt ea re fieret, ne quis, absentibus ijs, qui præsidebant, ociosum aliquod verbum proferre auderet, idque vitarent omnes, dum exprobrationes dictorum ac factorum aufugerent.

Ioan. 13.

Totũ psalteriũ dicũt quotidiè.

Missæ sacrificium.

Illo autem tempore, quo Diuinarum rerum mysteria perficiebantur, stabat magnus pater noster Niceta ante sanctam & sacratam mensam, vt sancto Dei throno assistens, sacrificium & Diuina mysteria obeundo. Sanctus verò Athanasius assistebat, cogitatione & mente tota intentus, ministerij flabellum tenens: erat enim diaconus, qui & presbyter posteà fuit: stabat inquam, metuens ac tremens, suasque genas ac pectus lachrymis madefaciens. Sicque totum sanctum illud ac Diuinum ministerium complebant. Cùm verò ità purè atque innocenter sacra facerent, sancta, purissima atque immortalia mysteria impartientes alijs, vniuersum populum sanctum efficiebant, cumq; in pace multa dimittebant.

Nicetæ ad fratres exhortatio egregia.

Ad hæc sanctissimus pater noster ad Domini Dei templum crebrò fratres congregans, docebat, admonebat, & ità hortabatur: Fratres, quos Dei gratia coniunxit, quamobrèm congregati sumus, assiduè cogitemus, & quandiù tempus habemus, solertes simus & certemus, neq; segnitie nosipsos lentos fieri patiamur. Quandiù mercandi tempus nobis est, animæ nostræ lucrum abundè nobis comparemus. Cùm enim mercatus ampliùs non erit, tunc nemo poterit negociari. Non est, inquit, in morte qui memor sit

Psal. 6.

tuî:

tui: non est in inferno confessio. Consideremus quales pœnæ illos maneant, qui multa peccata commisere, neque pœnitentiam egerint. In hoc mundo Iudex ipse misericors est: in illo autem altero non item. Hîc miseretur, illic punit. Hîc septuagies septies peccata dimittit, illic in exteriores tenebras immittit. Quamobrem hîc laboremus, & studiosè contendamus, ne ignauia ipsa dissolutos nos faciat. Curramus feruenti & celeri gradu, (cursu enim opus est, & illo quidem vehementi) vt perueniamus ad perfectionis mensuram. Sobrij simus ac vigilemus, quoniam qua hora non putamus, Dominus noster veniet. Contemnamus mundum, & ea quæ sunt in mundo. Carnem & eius superbiam execremur: hæc enim omnia inimicitias inter nos & Deum pariunt. Fugiamus carnis voluptates, auersemur eius libidinem. Sint nobis deliciæ ipsæ inuisæ, nè & ipsi deliciæ simus inimicis nostris. Amplexemur continentiam, per quam anima nostra pura efficitur. Aduersariorum inuasiones repellamus, & animi summissionem possidere studeamus, quæ ad cælos nos prouehat. Confessionem teneamus, compendiosam illam salutis viam. Obedientiam ediscamus, vitæ impatibilis conciliatricem. Angustias in nos venientes patienter excipiamus, vt nostra, non vt aliena quædam existimantes. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt ait Apostolus. Studeamus ingredi in illam vnicam fidei copulam, neque huius mundi facultates futuris illis bonis anteponamus. Nihil eorum, quæ corrupta & caduca sunt, admiremur: neque rebus stabilibus id præferamus, quod stabile non est. Supernas res inquiramus: illas autem supernas esse arbitremur ac sentiamus, vbi Christus est. Turpitudo & sermo de rebus stultis absit à nobis: hæc enim odit spiritus sanctus, quoniam & de verbo omni otioso rationem reddemus in die iudicij. Mortificemus membra nostra, quæ sunt in terra, & studeamus illa offerre hostiã sanctam & Deo placentem. De nulla alia re, nisi de animæ nostræ salute, soliciti simus. Accipiamus armaturam spiritùs, vt possimus stare aduersùs insultationes diaboli: cum his enim inimicis nobis colluctatio est, qui corporeis oculis non cernuntur: non aduersùs sanguinem & carnem tantùm pugnamus. Seruiamus in timore illi, qui nos elegit. Agamus gratias ei, qui nos vocauit in vitam sempiternam. Ipsius mandata obseruemus: angusta est enim via & aspera, quæ ducit ad vitam: per illam autem viam ambulare studeamus, quàm maximè possimus. In oratione & precibus fortiter persistamus. Deponamus veterem hominem cum suis actibus & libidinibus, vt induamur nouo, qui creatus est secundùm Deum in sanctitate & iustitia. Subijciamur nobis vicissim in timore Dei. Castitatem & temperantiam, ac mentis synceritatem possideamus, vt angelorum contubernales efficiamur. Tunc (inquit Dominus) fulgebunt Sancti, vt sol. Quale igitur erit nostrum dedecus, illos quidem vt solem effulgentes videre, qui lucis opera fecerunt, nos verò ipsos obscuratos & tenebris inuolutos, quippe qui noctis opera effecerimus? Satis quidem ad pœnam, vel dedecus hoc futurum est. Quamobrem precor, inquit, vos, vt operum, quibus sancti viri studuerunt, imitatores esse contendamus, vt vnà cum ipsis in illa requie esse possimus, vndè aufugit dolor, tristitia & gemitus. Charitatem igitur in omnes habeamus, pacemque ac sanctitatem amplectamur, sine quibus nemo videbit Dominum: omnem verò solicitudinem nostram in Deum conijciamus, quoniam ipsi curæ nos sumus.

Luc. 12. Rom. 8. Matth. 12. Ephes. 6. Matth. 7. Ephes. 4. Matth. 13. Esa. 35. Apoc. 21. Heb. 12. 1. Pet. 5.

Hæc igitur & his plura tum ex Diuinis literis, tum à seipso cùm beatus ille vir nos edocuisset, & hortatus esset, cum pace omnes dimittens: Abite, inquit, fratres, Deus bonus est. itaque dabit nobis sermonem sapiẽtiæ ad os nostrum aperiendum, quo vobisipsis ea, quæ expediunt, & aliâs commemorare, & nosipsos ad Dei præcepta obseruanda excitare possimus. Hæc patris documenta apud omnes quidem ad animæ vtilitatem spectantia dicebantur: quæ verò priuatìm singulis idem pater dicebat, in sanctam suam cellam vnumquenque vocans, illa quidem neque numerari, neque narrari possunt. Sæpè enim totam noctem insomnem transigebat, admonens singulos fratres de rebus salutaribus, omnes misericordia prosequens, omnes curans, omnibus commiserationem impartiens, omnibus omnia factus, sicut beatus Paulus ait, vt omnes lucrifaceret. Quis enim ab aliquo dæmone, humanæ carnis insidiatore, impugnatus vnquàm fuit, & huic patri cum fide & cordis contritione id aperuit, ac non statìm à tali dæmone liberatus est? Quis à mœrore ac segnitie, atque anxietate, quæ mentem ipsam obscurant, vexatus fuit, & hunc adijt, ac non statìm ad tranquillitatem, solertiam & fortitudinem exuscitatus est? Quis ab alio quouis affectu perturbatus, & eam perturbationem huic confessus, non statìm ab ægritudine ipsa curatus est? Erat eius corpu-

Priuatìm singulos vt admonuerit. 1. Cor. 9.

Ieiunijs & vigilijs se affligit.

seculum vigilijs ac ieiunijs ità liquefactum, vt propter summam imbecillitatem vix loqui posset. Quis ità continentiam amplexus est, vt pater noster Niceta, qui vel res necessarias, panem dico & aquam, parcè sumebat? De vino autem & reliquis delicatis cibis, superuacaneum est aliquid dicere. Quis ità castum atque purum corpus, vt hic, habuit? Quis mansuetudinem & humilitatem, vt hic, perfectam exercuit? Quis perspicax, aut misericors, vt hic, fuit? quippe qui omnes beatitudines illas à Domino propositas, manifestè complexus est, cùm & pauper spiritu fuerit propter regnum cælorum, & lugendo vnà cum his laborârit, qui ex vtraque parte laborant, vt Paracleti consolationē assequantur. Idem mansuetus & humilis fuit præter cæteros, vt terræ illius, quæ à mansuetis possidebitur, hæreditatem acciperet. Idem esurijt & sitiuit iustitiam, neque vnquàm eius rei satietate affectus fuit. Ità verò misericors & pauperum amator extitit, vt neque illi satis essent ea, quæ possideret: tanta hilaritate facultates impartiebat. Fuit mundus corde, quo & Deum vidit, & cum eo versatus est: pacificus, & ab omni altercatione alienus, vt Dei filius vocari posset. Passus est & persecutionem propter iustitiam: exprobrationemque & verba pessima ab alienæ sectæ hominibus mentientibus audiuit propter Christum. Quamobrèm & exultans, copiosam pro his rebus mercedem in cælis recepit.

Matth. 5.

Cùm his rebus Niceta pater excelleret, & Spiritum sanctum in se habitantem haberet, diuinis muneribus dignus fuit effectus, & eijciendi prauos atque impuros spiritus facultatem à Deo ipse accepit, idque meritò: Glorificantes enim me, inquit Dominus, & ipse glorificabo: & quæ deinceps sequuntur. Id verò, quod dicturus sum, ipse quidē non vidi, sed quidam è numero fratrum, postquàm pater sanctissimus diem obijt, illud mihi narrauit. Aiebat enim, quòd cùm monasterij ianitor nescio qua in re occupatus esset, eius rei ministerium pastor ipse illi supplendum commisit. Quod munus cùm obiret, venit vir quidam ex eorum numero, qui versabantur in illa regione, ad monasterij vestibulum cum adolescentulo quodam, qui mutus ab ortu ipso fuerat. Vir autem ille fide impulsus eum fratrem precabatur, vt puerum sumeret, & ad magnū Nicetam duceret, qui pro ipso Deū precaretur. Cumque patri hoc ille significâsset, sedato animo pater ipse eum repræhendit ac remisit. Sed cùm ille persisteret, dicens eum virum fide ductum id petere, iussit puerum ad se duci. Quo facto, Niceta puerum accepit, & pro ipso Deum precatus, Crucis signo illum signauit, &, adiuuante Christi gratia, puerum, qui nondùm locutus fuerat, benè loquentem ad patrem remisit. Qua re eius pater admiratione affectus, cùm multas gratias Deo, viroque sancto egisset, cum puero ipso hilaris domum suam redijt. Quæ verò ipse cognoui, illa nequaquàm silebo.

1. Reg. 2.

Precibus & signo crucis sanat mutū.

Erat frater quidam in monasterio ex eorū numero, qui simpliciores sunt, & malitia omninò vacui, qui à patribus propter laudabilem suam innocentiā ac simplicitatem valdè diligebatur. Huic cùm malorum origo diabolus inuideret, pessimis suis artibus vsus, ad amentiam atque insaniam eum hominē impulit. Id beatus Niceta molestè ferebat, cùm fratrem sic affectum ac talia patientem videret. Deindè nos hortatus est, vt ad vesperam vsque ieiunaremus. Cumque sancta fratrum congregatio in vnū conuenisset, post perfectum diuinum ministerium, accepit vir sanctus fratrem illum, & super eum precatus est: cumque oleo sancto & vnguentis ipsum vnxisset, rursus in priorem statum restituit, cùm prudentem & mentis compotem, adiuuante Christi gratia, eum reddidisset. Ex illo igitur tēpore frater permansit incolumis, per sanctas preces sancti patris nostri impurorum spirituum machinatione ab ipso propulsata, neque amplius qualecunque damnum in ipsum inferente.

Ieiunio, oratione, & sancti olei vnctione amē-tē restituit.

Alius quidam ex ijs, qui nuper ad eum venerant, impuro spiritu laborabat: qui spiritus occultè illū vexabat, seipsum non aperiens. subterfugiebat enim dæmon ille, sancti hominis præsentiā metuens. Itaque illum latére studebat. Cùm verò tempus venisset, quo adolescens ille sanctū monasticæ vitæ habitū accipere deberet sub magni Nicetæ catechismo, & sanctarū ipsius manuū impositione, idque dolosus diabolus sensisset, cœpit fratrē posterâ nocte perturbare, & visa quædā ipsi obijcere, quibus terrorē ac fluctuationē in eius mentē conijciebat. Cùm igitur frater ille seipsum à diabolo vexari, & potentia illius se opprimi animaduerteret, media nocte surrexit, vt ad sanctum virum confugeret: cumque prope cellam venisset, in qua magnus Niceta dormiebat, vidit serpentē quendam valdè magnū, qui ante portam illius cellæ serpebat, & ingressum illi omninò præcludebat. Dæmon enim ipse in eam figuram se verterat, vt eius mos est, quò iuuenem perterrefaceret, nè ad eum virum introiret, qui ab eo ipsum expulsurus

Diabolus nititur quēdam absterrere à monachismo.

pulsurus

pulsurus erat. At frater ille sancti viri auxilio fretus, & dæmonem contemnens, in cellam magni patris insilijt,& impuri dæmonis insidias ipsi aperuit. Tunc sanctus vir eum Cruce signauit,& pro ipso Deum precatus, illum admonuit atque hortatus est, nè talem dæmonem metueret, iussitque in cubiculum, in quo dormiebat, reuerti. At insidiator ipse per paucos dies seipsum subtraxit. Cùm autem non ferret sancti viri gratiam, & ab eo in se illatum ardorem, cœpit rursùs fratrẽ perturbare, intolerabiles quosdam cordis dolores immittens. Postremò illum collidens, mutum atque immobilem reddidit: cuius viscera ità æstuabant ac dilacerabantur, vt illa dirũpi nos existimaremus. Cùm igitur sanctus Niceta venisset, pro illo Deũ precatus, signo salutaris Crucis eum signauit, & eadem illa hora opprimentem dæmonem ab ipso eiecit, & fratrem sanum erexit. Itaque ex illa hora frater incolumis permansit, nunquàm ampliùs à tali dæmone offensus. Oratione & signo Crucis dæmonẽ expellit.

Alius quispiam & ipse de ijs, qui paulò antè venerant, habebat immundũ spiritum, similiter & eum ipsum latentẽ. Cùm igitur frater ille aliquot dies in monasterio mansisset, cœpit à dæmone agitari & vehementer vexari. Cùm autem sanctus Niceta illuc venisset, pro fratre ipso Deum precatus fuit: cumque dæmonem ab eo expulisset, adiuuante Christi gratia, sanum illum reddidit. Dicebat autem vir ille, postquàm curatus fuit, à se visum illum diuinum hominẽ virgam tenentem, & Aethiopem quendam deformem ab eo eijcientem. Hic cùm insipienter se gessisset,& Dei gratiam reiecisset, antequàm tonsus fuisset, clàm discesserat à monasterio, cùm intereà nosipsi nesciremus, quid illi euenturum esset. Has & alias plurimas & diuersas ægrotationes eorum, qui febri, aut ex capite,& alijs morbis laborabant, ea gratia, qua donatus à Deo fuerat, beatus Niceta curauit.

Quàm verò in animi ægritudinibus curandis egregius medicus idem pater noster Niceta extiterit, nemo est qui nesciat. Etenim ex ipso motu atque habitu eos cognoscebat, qui cogitationibus vel affectibus premerentur. Ac si cui accidisset, vt in aliquod erratum incideret, (Angelorum enim est nunquàm cadere) illum etiam ex tristitia & vultùs mutatione cognoscebat, eumque ad propriam cellam seorsùm ductum, diuina sua doctrina atque consolatione eò adducebat, vt omnes res suas aperiret. Quẽ si valdè contritum & humiliatum vidisset, non ità, vt par erat, sed mediocriter reprehendebat, confirmans in ipsum charitatem, nè abundantiore tristitia eiusmodi homo absorberetur, hac etiam in re beatum Paulum imitatus, à quo in hominem illum Corinthiũ, qui contra legem fecerat, idem factum scimus. 2. Cor. 2.

Hæc sunt diuini patris nostri egregia facta: hæc beati viri fortia opera: hæc venerãdi hominis & generosi militis certamina,& victricia præmia. Quis eius doctrina, aut suauissimo ipsius sermone satiatus vnquàm fuit? Omnibus erat mitis, omnibus amabilis, omnibus iucundus & hilaris, comis & ad audiendum facilis, misericors, facilis ad communicandũ, totus charitate plenus, totus dijudicandi arte, totus humilitate refertus, totus mansuetudine & omnibus virtutibus syncerè abundans. Tota deniquè ipsius vita & contemplatio, omnibus fuit ædificationis & vtilitatis materies. Itaque ad virtutum omnium verticem, ad ipsarum, inquam, perturbationum vacuitatem peruénit, cùm omnes suos sensus purgâsset. Quamobrèm totus illustris ac splendidus factus est, totus suauis & adspectu & moribus, totus venustus ac decorus, ab æterna Trinitate semper illustratus. Mira eius erga omnes humanitas.

Magnus verò Athanasius, fidelis & prudens dispensator, qui cœnobij res multis annis benè administrauit, quique multos labores cum patre Niceta passus est, eorundem certaminum socius atque consors, cùm multa præclarè in cœnobio fecisset, in morbum incidit, quo & consumptus est. Quem cùm extremum spiritum agentem nos circundedissemus, eumque precati fuissemus, vt apud Deum ipsum, à quo assumebatur, nostrì esset memor, hunc sermonem postremum habuit: Si ego fiduciam apud Deum inuenero,& quod cupio assecutus fuero, omninò ipsi scietis. Cùm igitur honesto quodam modo sanctos pedes extendisset, in Dei manus vigesimosexto mensis Octobris die spiritum tradidit. Quamobrèm cùm eius exequias curauissemus, in proprio quodam monumento, vt mos est, ipsum condidimus. Non enim nostris patribus, vt alijs monasterijs, mos est in vnum monumentum omnes mortuos reponere, sed vnicuique aptum locum seruantes, illic proprium monumentũ effodiunt, & illud terra obruunt, seruantes id, quod ità dictum est: Terra es, & in terram reuerteris. Illic igitur & beati patris reliquias reposuimus. At nè eius sancti viri monumentum obscurum esset, sed Athanasius obdormit in Domino. Gen. 3.

 manife-

Ex eius pectore cupressus nascitur. manifestum omnibus fieret, omnium rerum Dominus Deus fecit, vt supra monumentum ex honorato illo sancti viri pectore arbor cupressus nasceretur. Quãobrêm multi fide ipsa impulsi, illuc euntes, arborem illam amplexantur, & frondes ex ea decerpentes, ad sanitatem afferendam adhibere solent.

Cùm verò pater noster Niceta Athanasij obitu non mediocriter tristis esset, & eius separationem ægrè ferret, vtriusque officij onus ipse suscipiens, vigilabat, & vt fratribus prouideret, omnem laborẽ adhibebat. Non multò autem posteà, & communis noster pater Nicephorus, qui monasterium diuina ope adiutus constituit, & omnia sua bona Deo consecrauit, ille, inquam, apud Deum & homines honoratus, & omnibus charus propter mentis suę modestiam, & ipse mortem obijt quarto die mensis Maij. Noster verò pater Niceta, vt legitimus ipsius discipulus, eius memoriã splendidam ac celebrem quotannis agi debere scripto tradidit. Tunc omnis fratrum societas illũ precabamur, vt principatûs ordinationem simul atque appellationẽ acciperet. Noluerat enim eam accipere, quoàd beatus Nicephorus superstes fuit. Ille verò dolebat, idque admodùm molestè ferens, omnes precabatur, vt ipsi eum dimitterent, neque cogerent talem appellationem suscipere, dicens: Assumite alium quemcunq; vultis, qui principatûs nomen habeat, & ego cum Deo ipso, quemadmodùm anteà faciebam, gregis curam habebo: tãtùm vos precor, nè hac in re mihi vim afferatis. Posteà verò quàm illi diximus, fieri non posse, vt hoc ei concederemus, quoniam cùm & superstite communi illo nostro patre, secundùm Deum ipse noster dux fuisset & magister, multo magìs post ipsius migrationem eum deceret onus ipsum re & nomine suscipere: Graue, inquit ille, mihi est, quod vos, fratres, vim afferentes, mihi imponitis: fiat tamen Dei volũtas. O immensam sanctissimi patris humilitatẽ. Quod enim quidam multis largitionibus ambire solent, & seditione ac bellis sibi comparant, id propter summam humilitatem viro illi oblatum fuit. Multùm igitur & nos, & amici, atque alij quidã patres ipsum precantes, vi adduximus, vt eius præfecturæ ordinationem & appellationem, sicut suprà diximus, acciperet. Hanc autem accepit per impositionem manuum sancti Nicephori, qui tunc erat Constantinopolitanæ sedis Patriarcha.

Aegrè in se recipit Abbatis vel præfecti nomen.

Iconoclastarum hęresis. Cùm verò nos Byzantij essemus, cœperunt rumores quidã spargi de impijs & Deo inuisis contra venerandas imagines dogmatibus. Malorum enim origo diabolus vltra modum se efferens, & aduersùs Deum arroganter se gerens, qui dixit: Ponam sedem meam in nubibus, & ero similis altissimo: quamobrèm & deiectus fuit, & indè vsque à principio humano generi insidiatus, primùm se in paradisum contulit, & primum formatum hominem eo ipso circunuénit ac decepit, quòd illum Deũ fore diceret. Itaque fecit, vt Dei præceptum violaret, & à paradiso exterminaretur. Posteà humano genere amplificato, idolorum superstitionibus illud oppressit, hominibusque ipsis persuasit, vt res creatas, derelicto eo, qui illas creauit, venerarentur. Cùm verò ab eiusmodi superstitione, tum à diuino Verbo, quod humana carne se induit, tum à sanctis Apostolis ac Martyribus, & alijs diuinis & sacratis Patribus, Christi discipulorum successoribus, homines liberati fuissent, & idolorũ superstitio deleta esset, neque sic dolosus ille diabolus ab insidijs destitit: sed rursùs diuersas quasdã hæreses excogitauit, & per illas ipsas in terris graues dissensiones & intolerabilia scandala latè disseminauit. Quibus etiam ipsis homines liberati sunt per sanctas synodos, & patres sanctos, qui constanter hæresibus restiterunt, easque oppugnârunt, singulas singulis ætatibus, quibus vnaquæque hæresis exorta fuit.

Esa. 14.

Impietas Iconomachorum. Quidnam tunc diabolus ipse fecit? Num quieuit, vel cessauit? Minimè, inquam, ille, sed rursùs aliam hæresim excogitauit, extremam, ac primam, quæ omnes alias præteritas summatìm compræhendit, ac ferè Saluatoris nostri Iesu Christi dispensationem euertit. Nam si honor imaginis ad exemplar ipsum pertransit, vt ait Magnus Basilius, omninò & è contrario, imagine ipsa contempta, necesse est & exemplar ipsum vnà contemni. Cùm verò imago ipsa honoratur, similiter & exẽplar ipsum honoretur necesse est. Dicam apertiùs, exemplo quodam apposito, quod sensu percipitur: Fac esse imaginem aliquã regalem aliquo in loco impressam (olìm enim regibus mos fuit hoc facere) deindè duos aliquos homines prætereuntes regalem imaginem vidisse, illorumque alterum, eò quòd in regem ipsum optimè affectus est, ad imaginem ipsam cucurrisse, eamque amplexatum fuisse: alterum verò, illi homini succensentem, qui hoc fecerit, in eam expuisse, & lutum ipsum vtraque manu tollentẽ, illam ipsam imaginem corrupisse ac deleuisse. Velim dicas, si Rex vtriusque factum cognouerit, vtrinam illorum

rum hominum succensebit, aut vtrum charum habebit? Nonne priorem illum honoribus & stipendijs prosequetur, posteriorem verò puniet? Quòd si terreni Regis imaginem aliquis euertens, id impunè non faciet, qui filij Dei hominis facti pro nobis, & in omnibus rebus, excepto peccato, nobis similis, imaginem contempserit, quam pœnam non habebit? Apagè, nè sis homo ità stolidus, sed reuerere imaginem Christi, si Christum desideras. Quòd si exemplum non veneraris, manifestè significas, neque exemplar ipsum à te honorari. Nota hæreticæ.

Sed agrestes quidam, dicet aliquis, imagines ipsas Dei loco habēt, & ob eam causam à quibusdam audiui, cùm temerè dicerent, non decere Christi imaginem effingi. O inscitiam hominum. Ità enim eorum causa, qui oculis sunt hebetioribus, & solem ipsum tibi, quicunque es, qui hæc dicis, liceret obscurare. Sed audi nostræ mentis sententiam de adorationum differentia. Scimus enim, ratione ità dictante, alium quidem cultum secundùm adorationem esse, quem primæ & diuinæ illi naturę adhibere docti fuimus: alium verò secundùm habitum quendam & anagogicè, vt & magnus Dionysius ait, quem secundùm proportionem nobis congruentem cum ipsa eorum signorum, quæ sensu compræhenduntur, varietate multiplicari videmus: quibus signis sacro quodam modo ad Diuinitatem, quæ mente compræhenditur, pro nostræ conditionis moderatione prouehimur. Itaque Deum ipsum & diuinam virtutem cælestes quidem mentes, vt ad intelligendum idoneæ, sicut ipsis fas est, compræhendunt: nos verò corporeis & sensu compræhensis imaginibus ad diuinas res contemplandas, ità vt possumus, perducimur. Quòd si mente ità excæcatus es, & ad ea, quæ dicũtur, hallucinaris, neque te corrigi permittis, sed in errore persistis, in illo ipso tempore, quo è vita excedes, frustrà te id secutum fuisse pœnitebit. Argumenta contra imagines, & eorum dilutiones.

Alij verò vt minoris momenti hæresim hanc habent, & pro nihilo ducunt, ob idque facilè capiuntur, & in eam deueniunt. Quidam neque hæresim hanc esse cogitant, sed contentionem quandam. Ego verò valdè grauem hæresim illam existimo. Opinor autem & vnumquenque eorum, qui rectè sentiunt, talem eam existimare, quippe quæ Christi dispensationi infensa est. Cogita verò & illud, quòd aliæ quidem hæreses ab episcopis, & illis inferioribus presbyteris, initium habuerunt: hæc autem ab ipsis Imperatoribus ortũ habuit. Scitis vos, quantũ inter presbyteros & Imperatores intersit. Et illæ quidem ab ijs conflatæ, qui noua & falsa dogmata construere, vetera verò & probata contemnere voluerunt, paulatìm vim adeptæ sunt: hæc à regali potentia illata est. Leo enim, cognomento Isauricus, cùm in Theodosium iuniorem tyrannidem exercuisset, Romanorum imperium arripuit: quo superbè admodùm elatus, non dedit gloriam Deo, (per ipsum enim Reges regnant, & potentes scribunt iustitiam, vt ait Salomon in Prouerbijs) sed extulit in altum cornu suum, & locutus est aduersùs Deũ iniquitatem, & posuit in cælum os suum, & lingua eius transiuit in terra: cœpitque historiam indè vsque à sanctis Apostolis Ecclesijs traditam delere, dicens, non oportere Christum depingi, neque in imagine illum adorari. Hæresis Iconoclastarũ origo. Prouer. 8.

Cùm hæc fierent, magnus ille Pontifex de throno suo migrauit, & veneranda illa hirundo è nido suo euolauit, quæ Ecclesiæ ver pulchris concentibus ornans, dies festos Domini decorauit. In eius autem locum inductus fuit deformis quidam coruus, hians & obscura quædam crocitans, procumbente ipsa Ecclesia, & mœsto quodam modo ingemiscente, quæ tam magno & diuino Pontifice priuata fuerat. Erat perturbatio nõ parua in orbis terrarum ecclesijs, malo ipso, tanquàm peste quadam, quocunquè percurrente, impietatis potentia corroborato. Post hæc successit Leonis imperio simul atque impietati Constantinus filius, malæ radicis malum germen, pestilentis feræ progenies, draco, animarumque corruptor, atque ex crudelissimo leone pardus natus est, varium habens ingenium, qui patrem ipsum multis partibus malitia superauit. Non enim sola imaginum iniuria contentus fuit, verùm etiam sanctos martyres, quantum in ipso fuit, honore priuauit, cùm præceperit non esse illos sanctos appellandos, sed simpliciter nominari apostolos. Quadraginta martyres, Theodorum, Georgium, & alios similiter. Illorum autem reliquias omninò contempsit, ac pro nihilo duxit. Atque, vt summatìm dicã, habitu erat Christianus, mente ipsa Iudæus. Quam enim Christus sibi in domicilium delegit, gloriosissimam, inquàm, suam matrem, omnibus alijs rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis suæ præstantiam prope Deũ versatur: huius, inquã, venerandum nomen multis modis ab Ecclesia expellere studuit: eius verò intercessiones, per quas mũ- Constantinus Copronymus habitu Christianus, animo Iudæus. Blasphemia eius in matrem Dei.

 dus

dus ipse consistit, illas ne nominare quidē voluit, cū diceret, nemini eā posse opitulari.

Conabatur autem, quod dicebat, hoc exemplo confirmare. Cùm enim aliquandò marsupium, aureis nummis plenum, in manū sumpsisset, & ijs, qui cum ipso versabantur, illud ostendisset, ab eis quærens: Quantinam, inquit, marsupium hoc valet? Multi, inquiunt illi. Cùm verò aurum eiecisset, rursùs quæsiuit, quantinam marsupium esset. Cumque illi respondissent, nihili valere: Ità, inquit miser ille, & Deiparēs Maria (neque enim sanctam eam nominare dignabatur indignus ille) quo tempore Christum in se habebat, valdè honorata illa erat: ex quo autem tempore illum peperit, nihil differt à reliquis. O blasphemiam, ô superbiam, ô immensam Dei tolerantiam, ô summam patientiam. Quomodò ipsius lingua non obmutuit, quæ aduersùs Christi matrem tam superbè iniquitatem locuta fuit? Quidnam à blasphemis Iudæis nouus hic Pharisæus, & Deo inuisus differebat? Nostros verò monachos indignos existimabat, de quibus cogitaret: quinimmò abiectos & nulla memoria dignos vocabat ille, qui nulla ex parte memorabilis fuit. Quicunque autē prauo ipsius consilio parére noluerunt, partim exilio cōdemnati sunt, partim in carceribus mortui: alij gladio interfecti, alij vectibus contusi: qui sic discerpebantur, vt eorum viscera in plateis dissiparentur. Testatur id Stephanus, nouus Christi martyr, qui prioris illius Stephani & nomine & moribus fuit socius. Ad hæc aliqui sunt in altū mare proiecti. Alij, vt tyrannis tormenta inferentibus peccandi occasionem auferrent, fugiebant, & in montibus ac speluncis versantes, in fame & siti, frigore & nuditate afflicti, angustias multas tolerabant. Alij cruciatus extimescentes, neque suæ carnis infirmitate confisi, in alienam regionem migrârunt, & illic, quòd ad conscientiam & propositum pertinet, martyrium compleuerunt. Alij tormentorū metui succumbebant. Alij assentationibus capiebantur. Quidam humanam magìs, quàm diuinam gloriam appetentes, se subijciebant. Alij corporeis voluptatibus addicti, suas etiam vxores circunducere non erubescebant. Itaque animarum salutis domicilia (proh scelus) facta sunt adulterij & incestorum diuersoria. Totum autē eius viri, quem diximus, propositum & studium erat omninò in ea re occupatū, vt ordinem monasticum deleret: idque ex eo tempore, quo regnare cœpit, propositum habebat. Tantoperè verò sordium & impurissimæ cuiusque rei odore malo delectabatur, vt & animalium brutorum stercoribus se illiniret, & eos, qui cum illo erant, idem facere iuberet: quos amabat, ob idque benignè accipiebat, quòd rebus malè olentibus semper delectarentur.

Monachos aspernatur. *Atrox persecutio.* *Monastico ordini est infestissim' Copronymus.* *Vide iustū Dei iudiciū.*

Sed tempus nō est, nefaria illius facta omnia deplorare, cùm & multa sint, & admodùm profana. De eodem & illud fertur, quòd cùm infans esset, & baptismate lauaretur, piscinā ipsam fœdauerit, ità vt sanctus Episcopus Germanus dixerit, turpem & graueolentem odorem ab illo puero Ecclesiæ immiscendum. Id quod re ipsa factum est. Imprudens & illud vobis dicere cū alijs omnibus oblitus sum. Ego ipse legi tresdecim orationes, quas per duas hebdomadas recitandas tradidit, in quibus nulla de sanctorū intercessione mentio facta erat. Cùm igitur & hic miserā animam efflauisset, Leo eius filius quinquennio Imperiū tenuit: qui cùm non esset ità improbus vt pater, nihil tale commisit, immò verò Ecclesiæ res paululùm eius tempore sunt instauratæ. Posteà cùm & hic mortuus fuisset, & Irene ipsa, verè pacis cognomen habens, regnare cœpisset, Ecclesiæ pacem vnà cum filio procurauit. Cùm enim muliebrē infirmitatem deposuisset, aduersùs impietatem ipsam se fortem ostendit, & pro veritate multum studij atque constantiæ adhibens, eos, qui contra veritatē aliquid dicebant, zonis atque honoribus priuatos, ab Vrbe profugauit. Cumque ità præcarè pro fide ipsa pugnâsset, magnum Tharasium adiutorem & secum sentientem, deniquè omnium rerum moderatorem Deum omnia perficientem, secum habens, veterem Christianę dispensationis pulchritudinem & decentem speciem Ecclesijs reddidit: summaque pax per totum orbē terrarum, Christi ope & Irenes Orthodoxæ Reginæ diligentia, constituta est. Sunt & alia eiusdem mulieris plurima rectè facta: domicilia, inquā, in quibus senes curantur, mendici nutriuntur, hospites accipiuntur: sunt & tributorum leuationes. Monasticus autem ordo ità eius tempore auctus est, vt multitudinem innumerabilem adeptus fuerit. Vbiquè enim erant exercitationis monasticæ loca, vbiquè animarū diuersoria, & monachorum ac laicorum pacifica constitutio, precesq; tam monachorum, quàm laicorum assiduæ, psalmorum cantus per totam noctem, atq; omnia pacato & quieto statu regebantur: Christianorumq; res in tranquillitate magna cōstitutæ tales erant, vt propter concordem & vnam eandemq; fidem, vnum esset ouile, & vnus pastor Christus.

Irene Imperatrix Iconomachos profligat.

Irenes,

Irenes, quam supradiximus, Imperio successit Nicephorus simul & rectæ fidei sententia valdè pius, & pauperum atque monachorum studiosissimus. Post illum Michaël, qui nunc etiam dignitate monastica excellit. In hunc tyrannidem exercuit Imperator, nomine & moribus fera quædam existens: qui cùm Romanum imperium iniuria occupâsset, neque gloriam Deo dedit, neque diuina permissione illud factum cognouit: sed insipiens factum est cor ipsius, & eius mens inanis erat: & quoniam impietatem inferre cœperat, propterea suum imperium diutiùs permansurum cogitabat. Hic etiam imitatus est sibi cognominem, & moribus concordem diuinæ pietatis desertorem Assyrium illum, & hostem malorumque inuentorem, Leonem, inquam, illum Isauricum. Cœpit igitur sancta sanctorum persequi, quemadmodùm & ille persecutus fuerat. Deinde suorum mysteriorum duces, prauarumq; rerum magistros quærebat. Inuenitque paucos quosdam è Senatu, Iohannem scilicet, cognomento Spectam, & Eutychianum. Ad hæc & ex sacerdotum numero aliquos inuenire cupiebat. Diabolus igitur, qui hæc in eius mentem coniecerat, Byzantium lustrans, inuenit Iohannem quendam cognomento Grammaticum, nouum Tertullum, quem manu appræhensum, ad Imperatorem duxit, & ait: Habeas hunc hominem tibi in eo, quod cupis, vtilem futurum. Vas enim electionis est mihi iste, vt portet nomen meum contra Orthodoxos. Leo Armenus, sectatur Leonis Isaurici impietatem.

Quemadmodùm igitur Paulus Christi vas, ità hic diaboli os factus est: & sicut torrens, ex diuersis imbribus constans, maleolentes & perturbatas aquas defert: ità & iste ex fœdo cordis sui thesauro graueolentia & cœnosa dogmata produxit, eos, quos prope se habebat, turbido quodam potu euertens. Habebat autem adiutores ex ijs, qui infra solium regale erant, Antonium Syleum, è monachis verò Leontium quendam, & Zosimum, qui illis ipsis diebus in adulterio depræhensus, truncis naribus, mortuus est. Posthæc omnem monachorum multitudinem cum Episcopis & metropolitis ad sanctissimum Nicephorum Patriarcham coëgit, qui per totam noctem in magna Ecclesia pernoctârunt. Manè verò ipsos ad se Imperator accersiuit. Habebat autem secum intra palatium occultos quosdam fallaces homines, & malorum magistros, quos velut gallina quædam in regia domo fouens & animans, eisque dona promittens, iubebat nihil metuere. Iussit autem & Patriarcham solum in primis ad se introire, ignorans, quę nam inter ipsos seorsùm dicta fuerant. Deindè omnes accersiuit. Itaque ante illum stetit patrum caterua, lectissimorum hominum ac sanctorum, qui angelis similes erant ac diuini. Aderant & Imperatoris optimates, & totus Senatus.

Sanctissimus igitur Nicephorus eos, qui gradûs dignitate præstantes erant, affatus: Agitè, inquit, dicite mihi: Potest'ne id cadere, quod non est? At illi cùm ad eius interrogationis obscuritatem ambigerent, ac nihil responderent, sed se vicissìm intuerentur, rursùs Patriarcha ab eis quæsiuit, num Leonis & Constantini Isaurorum tempore sanctæ imagines cecidissent. Illi verò cùm capita deorsùm inclinâssent, & nutu verum esse, quod Patriarcha quæsierat, significâssent, quod satis erat ad eorum, quæ priuatè inter se dixerant, propositum confirmandum, tunc Patriarcha: Quomodò, inquit, quod non stat, potest cadere? Ad hæc nihil respondit Imperator, sed ad patres conuersus, ait: Scitote, patres, me idem sentire, quod vos: simulque effigiem quandam, quam in sinu gestabat, extulit, & per simulationem illam adorans: Sentio, inquit, quod vos, vt videtis, neque à vobis dissideo. Verùm quidam surrexêre, qui aliter docentes, eam viam rectam esse dicunt, quam ipsi tenent. Prodeant igitur coram vobis, & materia hæc inter vos inquiratur. Et si quidem vobis persuaserint, quòd ipsi rectè dicant, neque vos quod bonum est impediatis. Si verò ipsi à vobis persuasi fuerint, quòd res nouas doceant, desistantà praua doctrina, & recti dogmatis sententia vigeat vt anteà. Nam si & de aliqua alia re minoris momenti ad me relatum fuisset, neque ità deceret me eam rem tacitam præterire: quomodò de Ecclesiastica quæstione tacuerim? Nicephori Constantinopolitani episcopi prudentia. Simulatio Leonis Armeni.

Illi verò cùm neque passi essent eos homines, de quibus Imperator dixerat, coram se prodire, neque dicendi facultatem dandam esse dicerent, sed velut execrabiles quosdam eos haberent: ad hæc cùm certò scirent Imperatoris voluntatem ad malum procliuem esse, neque vnquàm se illi persuasuros fore, quamuis totam scripturam testem ei afferrent: Aemilianus Cyzici Episcopus: Si quæstio, inquit, Ecclesiastica, Imperator, hæc est, vt dixisti, in Ecclesia inquiratur, vt mos est: altiùs enim & à principio ipso, Ecclesiasticæ quæstiones in Ecclesia, non in palatijs regijs, inquirũtur. Respondit Imperator: Sed & ego filius sum Ecclesiæ, &, vt vos conciliem, vtrosque vestrûm audiam, & vtraque vicissìm dijudicans, vera cognoscam. Ad hæc Michaël Synadorum Episcopus: Eius arrogantia & temeritas.

Si nos,inquit,conciliare vis,quarè non id facis,quod conciliantem decet facere?Quippe qui alios quidem in palatio occultos detines, & ad te congregas, quibus excitatis, impiorum dogmatum docendorum facultatem præbes : Alij verò neque in angulis aliquid loqui audent, vbiquè edictis tuis perterrefacti. Non est hoc conciliantis, sed tyrannidem inferentis,indicium.Non est ità,inquit Imperator,sed vt prædixi,ità sum ego, vt vos estis. Sed quoniam ad me de ea re prouocatum est, non decet silentio me illam præterire.Quæ nam causa est,quarè cum his hominibus nolitis loqui? An ipsi dubitatis,& testimonia non habetis,quibus vestra dicta confirmentur? Ad hæc Theophylactus Nicomediæ Episcopus dixit: Testis Christus est, cuius effigiem vides ante oculos in primis descriptam, infinitis testimonijs nos abundare, quibus id confirmare possimus: neque dubitamus, vt tu suspicaris: sed non habent isti aures audiendi, ob idque nihil illos iuuaremus: potentia enim & imperio nos oppugnamur.Post hunc & Petrus Niceæ Episcopus: Quomodò,inquit,cum illis nos loqui vis,quibus tu auxilium affers? An illud ignoras,eos,qui Manichæi dicuntur,si huc ducas, & eorum propugnator sis,à te adiutos potentiores,quàm nos,futuros? Non temerè sanctissimus Petrus hoc dixit: Vbì enim impietas ipsa cum potestate coniuncta est,illic veritas superari videtur,& iustitia tyrannide oppressa conculcatur.

Vide hic antiquitatem imaginum. Post hæc sacer Euthymius Sardensis Episcopus,liberiore vsus oratione, sic Imperatorem affatus est : Audias Imperator : ex quo tempore Christus in terram descendit, vsque ad hunc diem per octingentos annos & ampliùs, in Ecclesijs, quæ vbiquè gentium sunt,Christus ipse depingitur,& in imaginibus adoratur. Et quisnam tam arrogans est,qui audeat tot annorum traditionem,à sanctis Apostolis,martyribus ac pijs patribus profectam,dissoluere,vel paululùm mouere,Apostolo ipso dicente: *2.Thess.2.* State igitur,fratres,& tenete traditiones, quas edocti estis siue per sermonem, siue per epistolam nostram : Et alio loco: *Galat.1.* Quanuis Angelus de cælo euangelizet vobis præter id, quod accepistis, esto anathema? Quamobrèm aduersùs eos, qui ante nos hæresim hanc excogitârunt, Synodus apud Niceam vrbem iterùm collecta est sub Irene & Constantino pijs Imperatoribus. Hanc Synodum ipse Dei filius proprio digito signauit. Quicunque audebit aliquid ex ipsa mouere, vel expungere, anathema esto. Cùm hæc audîsset Imperator,& versutæ mentis esset, facilè se hæc pati simulauit. Respondit autem & Theodorus, vehemens Ecclesiæ magister, dux Studitarum : Nè tentes nunc, ô Imperator,Ecclesiasticum statum dissoluere. Ait enim Apostolus : *Ephes.4.* Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia,primùm Apostolos, deindè Prophetas, tertiò Pastores & Doctores ad perfectionem sanctorum : Non dixit,Reges.Tibi quidem, ô Imperator, ciuilis status & exercitus commissus est.Hęc igitur cura,Ecclesiam autem pastoribus ac doctoribus (vt ait Apostolus) derelinque. *Præclara Theodori episcopi sententia.* At si non vis hoc facere, si quis peruertendæ fidei nostræ causa de cælo nobis aliquid nunciauerit, ipsum non audiemus: tantum abest,vt te audituri simus.

Tunc Imperator furore admodùm exardescens,& quod rectè dictum fuerat, velut iniuriosum quiddam accipiens, omnes eiecit: *Leo Armenus Catholicos persequitur.* sanctum verò Theodorum in exilium misit,ac iussit,quandiù Imperator ipse viueret, in vrbem Byzantium non reuerti. Monasteriorum autem Præsides cùm præcepisset nusquàm progredi, neque Orthodoxæ fidei veritatem docere,expulit eos ex vrbe : magnarumque Ecclesiarum Præfectos, partìm ad Orientis, partìm ad Occidentis insulas relegauit, sanctissimoque viro Nicephoro Patriarchæ scribens: Descende,inquit,tu de sede ista, quoniam Ecclesia te non indiget.At ille honestissimis suis literulis ad eum rescripsit: Non ità, ô Imperator, ego temerè descendam: non enim causa aliqua in me est, cur deponi debeam. At si rectæ fidei gratia,& propter pietatem tyrannidem patior, siue per teipsum, siue per aliquem regium tuum hominem mihi significes,& descendam. *Nicephorus episcopus pellitur in exilium.* Tunc Imperator misit vnum ex optimatibus suis,qui tyrannico more ipsum deposuit. Ille verò cùm in magnam ecclesiam descendisset, & cereas faces accendisset, thuraque & preces adhibuisset, cùm populus ipse illius peregrinationem lamentaretur,hanc habuit orationem: Filij, Christianos vos inueni,Christianos vos relinquo. Cumque ad Acropolim descendisset, nauigium conscendit,& venit in eum locum,in quem exul ducebatur.Illic autem in ieiunijs ac precibus,silentio, tolerantia & multa patientia vsque ad eum diem permansit, quo ad Dominum suum migrauit.

Itaque acerbi veritatis persecutores cùm omnem impunitatem adepti essent, cœperunt sine timore aliquo dilatari, & impiorum dogmatum semen spargere. Fecerunt

runt & Patriarcham Theodotum quendam ex eorum numero, qui Spatharij dicuntur, adolescentium ludibrium, eligentes scilicet hominem ità rudem ac leuem, vt & theatri rem ludicram eum appellare soliti sint, qui aliquid ridiculum & salsum in eum dicere volebant. Hunc aiunt & seruam quandam secum habuisse eo nomine, quòd è renibus laboraret: re autem vera, vt voluptatem expleret. Posteà Iudaicum quoddam concilium ijdem in magna ecclesia coëgerunt, & sub anathemate sanctos patres eiecerunt. Heu quæ insania hæc fuit. Sed reuertetur dolor ipsorum in capita eorum, & in vertices illorum anathema ipsum descendet. Episcopos verò, qui ab ipso dissentiebant, partim in terram deiectos pedibus conculcârunt, partim per posticum eijciendos è consessu curàrunt.

Et Theodotus homo leuissimus substituitur.

Conciliabulum hæreticorum.

Quo facto, iussi sunt introire insignium monasteriorum duces. Itaque omnes introiuerunt: è quorum numero vnus fuit & diuinus pater noster Niceta, de quo nobis sermo est. Deindè illos primùm assentationibus versuto quodam modo decipere, posteà verò & minis eosdem perterrefacere conabantur. Cùm verò illos omnia contemnentes vidissent, in diuersos carceres coniecerunt, cogitantes quid'nam ipsis fieret. Tunc & sanctus pater noster Niceta in carcere malè olente & sordido clausus fuit, idque per multos dies, ità vt, & si non alia pœna ei accessisset, satis condemnatio hæc ad supplicium valeret: erat enim vir ille, vt quiuis alius, ad nauseam propensus. Ad hæc omnia veniebant ad ipsum per singulos dies insani & imperfecti quidam homunculi, abiecti & pro nihilo faciendi, & planè indigni, qui virum appellarent. Eiusmodi tamen homines nugaces maledicta & insana quædam verba in eum iactabant, vt molestiam viro sancto afferrent. Præter cæteros autem homo quidam, Nicolaus nomine, inani & temerario sermone illum sæpiùs affligebat, quoàd eius pater, qui mortuus fuerat, in somnis filio Nicolao apparuit, eique minatus: Abstine, inquit, à seruis Dei. Ex eo tempore vir ille immodestus resipuit, neque ampliùs iusto viro molestus fuit: quin etiam alios impediebat, quo minùs id facerent.

Præfecti monasteriorum in carceres mittuntur.

Cùm igitur sanctus ille pater in carcere multos dies vexatus fuisset, tunc Imperator in Orientis partibus illum exulem esse iussit, & in castello quodam seruari, quod Masaleon dicebatur. Erat autem medium hyemis tempus. Itaque licebat videre sanctum illud corpusculum frigore ac niuibus è superiore parte affligi: Ex inferiore verò, cùm terra ipsa humorem emitteret, & multam difficultatem afferret, multo magìs affligebatur. Ad hæc cùm is, qui virum sanctum ad exilium ducere iussus fuerat, natura esset immitis, diuinum illum patrem ità vrgebat, vt per septem dies, qui eo tempore breuissimi erant, totam viæ illius longitudinem transegerit. Hoc idem fera illa immitis & aduersùs alios patres effecit. Cùm verò Imperator cõsiderâsset exilio ipso nihil aliud perfectum iri, nisì patres illos alacriores reddi, quippe qui animos omnibus angustijs maiores haberent, versutus ille consilium mutauit. Cùm enim nondùm quinque dies illi viri in exilio mansissent, rursùs maiore quodam studio eosdem Byzantium reuerti iussit eadem itineris difficultate & molestia, eosque tandiù liberos esse, quoàd ipse cogitaret, qua ratione ad suam voluntatem illos attrahere posset. Cumque hyemis tempus & sanctorum ieiuniorum dies transijssent, post sanctum Pascha malorum inuentori Iohanni eos tradidit, vt qua vellet ratione, ipsos affligeret.

S. Niceta exulare iubetur.

Cùm igitur eos appræhendisset, in diuersos carceres immisit, & talibus tormentis subiecit atq; compressit, qualibus neq; Gentiles olìm Martyres ipsos afflixerant. Cùm enim in tristes & obscuros carceres eos coniecisset, neque stratum aliquod infra se, neque tegumenta super se habentes, eo modo, quo singuli erant induti, sic humì prostrati sunt, testis quibusdam pro puluinari vtentes. Quibus singulis per foramen quoddam angustissimum panis, eiusque putidi, vnciam, velut canibus, proijciebant: tantum videlicet, quantum satìs esse videbatur, nè fame perirent. Ijsdem & paululùm aquæ malè olentis dabatur. Erat enim Imperatori propositum, vel sanctos viros ad suam sententiam adducere, vel vita eos priuare. Quinetiam vt plus molestiæ atque ærumnarum celeberrimo patri nostro afferret, eum, qui illi ministrabat, fratrem nostrum, Theoctistum nomine, qui & Christi gratia eius successor fuit, adhuc iuuenem in custodia conclusit, & eadem ratione afflixit. Cùm autem aduersarij illos vidissent mâlle mori, quàm veritatem prodere, dederunt operam, vt ipsos eo nomine deciperent, quòd nihil aliud ab eis quærerent, nisì vt semèl cũ Theodoto cõmunicarent, neq; quicquã ampliùs facerent: deindè singuli ad sua monasteria regredi possent cum ea fide & sentẽtia, quã haberent. Hac conditione exierunt patres illi, si decet patres eos appellare, qui velut in palæstra quadam

Præfecti monasteriorum immaniter affliguntur.

Nota fraudem hæreticorum.

quadam supplantati sunt, quamuis eam rem in ardentem quendam feruorem posteriùs conuerterint, ob idque carcere detenti fuerint.

Venerunt igitur ad sanctum Nicetam, eum hortantes, vt exiret è carcere. Cùm autem ille remoraretur, & nullo pacto ijs, quæ ab ipsis dicerentur, parére vellet, pergebant ipsum excitare, quòd dicerent fieri non posse, vt illic ipse remaneret, alijs exeuntibus. Nihil, inquiebant, est, quod illi à nobis quærunt. Paululùm quippiam prudenter eis concedamus, nè ipsi totum perdamus. Ità cùm diutiùs vim inferrent, contra voluntatem suam pater cessit, non ærumnas fugiens, neque quòd calamitates pati recusaret, (nunquàm enim hoc dixerim) sed patrum hortatione impulsus se subiecit, non animo & proposito, sed senes ipsos reueritus. Nam si pro fidei ratione vita & mors propositæ illi fuissent, certò scio mortem futuram fuisse illi optabiliorem, neque omninò de recta fide ac doctrina aliquid eum remissurum fuisse, etiamsi pericula infinita proposita ei fuissent. Quamobrèm omnes ad ea, quæ Oratoria dicuntur, quæque, vt anteà, picturis exculta erant, ascenderunt, communicâruntque cum Theodoto, manum illi dantes. Tunc illis Theodotus: Qui non adorant, inquit, imaginem Christi, anathemati subijciantur. Itaque reliqui patres in suum quisque monasterium quod regebat, abièrunt: Ille verò beatus pater cùm secum animo cogitâsset, multæ ruinæ causam esse, cùm quis ab institutionis norma deflexerit, decreuit aufugere & in aliam regionem proficisci, & illic errorem, in quem lapsus fuerat, emendare.

S. Niceta cedit non rectè consulentibus.

Cùm igitur omnia sua in nauigium coniecisset, nauigauit vsque Proconesum. Sed illic sententiam mutans, secumque dicens, vbi erratum commissum fuit, illic opùs esse & emendationem fieri: redijt rursùs Byzantium, & in priore sua confessione ac fide permanebat, nihil omninò metuens. Quem cùm Imperator ad se vocâsset: Quid est, inquit, quòd cùm alij patres in sua monasteria profecti sint, tu solus hîc relictus es, propriam voluntatem secutus, non edicto meo párens? Sed, vt audiui, cogitâsti & Imperium nostrum aufugere, ac nos decipere. Quamobrèm nostro edicto cedens, in monasterium tuum redi: sin minùs, ærumnas tibi afferam, quas perferre non poteris. Ad hæc sanctus ille vir leni voce respondens: Ego, inquit, Imperator, neque in monasterium meum redibo, te iubente, neque à fide mea desciscam, sed in eadem confessione mea sum & ero, in qua & Patres mei seruati sunt, & propter quam olim periclitati sunt optimi Ecclesiæ propugnatores: in qua Ecclesia nos stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Benè illud scito, Imperator, quòd neque mortem extimescens, (ad tempus enim hæc est) neque vitam hanc appetens (Deus testis est) feci, quod non decebat: sed senum illorum reuerentia his me subieci, quibus non debui. Certò igitur scias, nullam me vobiscum habere communionem, sed in traditione permanere, quam ab initio accepi. Fac igitur mihi quicquid libet. Nihil ampliùs à me te auditurum speres.

Citò id corrigit.

Coram Imperatore cóstanter fidē profitetur.

Cùm igitur Imperator ea sententia illum esse vidisset, quæ mutari non posset, eum Zachariæ cuidam tradidit, regalium ædium curatori, quæ Mangana dicuntur, illicque intereà iussit ab illo viro custodiendum, quoàd, quid de ipso agendum esset, deliberaret. Cùm autem Zacharias ille pietatis esset studiosus, nihil mali sancto homini fecit: sed omninò aliter se gerens, beneficijs maximis eum afficiebat, neque in eius vultum præ reuerentia intueri audebat. Eum posteà Imperator exulem misit in vnam quandam insulam ex his, quæ sunt in sinu ipso positæ, Glyceria vocata. Eam verò insulam detinebat Anthimus quidam præstigijs deditus, sacrilegus, versutus, obliquus, dolosus, arrogans & crudelis. Hunc propter nimiam ipsius malitiam, monasteriorum, quæ illic erant, Præsidem impij homines fecerunt: talibus enim viris tunc imperia in manus tradebantur, vt eorum potentia totum peruerteretur. Illum propter multam ipsius insaniam, arrogantiam & temeritatem, eius loci homines Caiphan nominabant. Hic cum sanctum virum accepisset, & potestatem contra eum haberet, crudeliter eum affligebat. Cùm enim in angusto & arcto carcere ipsum conclusisset, perpetuò vexabat, neque paululùm è carcere illum prospicere sinebat, ipse carceris clauem secum ferens, & per foramen quoddam paululùm cibi ei dari iubens. Quippe homines impij ei promiserant, si Nicetæ persuasisset, vt cum ipsis conueniret, maiore honore donandum. Quocircà nefarius homo Nicetam affligebat, sperans se viro sancto persuasurum quod volebat.

Relegatur in exilium.

Crudeliter affligitur ab Anthimo viro scelesto.

Cùm verò venerandus Niceta illic esset, admirabilium rerum author Deus miraculum quoddam perfecit. Non enim decet sancti Spiritûs gratiam occultare, quæ in illo sancto viro multam se ostendit. Zacharias, quem supradiximus, diuini patris nostri

custos valdè beneficus, missus ab Imperatore ad Thracem pro rerum publicarum gubernatione, à barbaris eius regionis confinibus captus & captiuus ductus fuit. Hoc cùm sanctissimus Synadorum Episcopus ex eo loco, in quo ipse custodiebatur, audisset, sanctissimo Nicetæ significans: Communis, inquit, noster amicus Zacharias compræhensus & captiuus ductus est. Sed rogo te, vt eius causa Deum preceris: certò enim scio, quod eum exorare possis. Id cùm patri per ministrum fratrem nostrū Philippum nunciatum fuisset, ità ea re tristis fuit, vt ferè totum diem ieiunus permanserit. Zacharias vir bonus capitur.

Cùm autem vespera venisset, quam habebat candelam ad carceris lumen, eam dedit ministro, vt aqua maritima illam ablueret. Quod minister cùm studiosè fecisset, sancto viro candelam reddidit. Cùm eam igitur ille accendisset, vigilabat, Deo ipsi pro Zacharia tandiù supplicans, quoàd ab illo de Zachariæ liberatione certam fidem accepit. Cùm enim venisset hora nocturna, qua psalmi cani solent, ministrum suum vocauit: cumque psalmos cecinissent, & Diaconus Nicetam hilarem ac lætum vidisset, quæsiuit eius rei causam. Cui Niceta: Nè sis, inquit, Philippe, tristis: nostrum enim amicum Zachariam tuis oculis hìc visurus es. Non multò autem posteà visum fuit genti, quam supradiximus, cum Imperatore pacem facere: & reconciliatione facta, exijt Zacharias cum reliquis captiuis, Deo & viro sancto gratias agens. Prædicit Zachariæ liberationem.

Tres autem germani fratres proprio nauigio nauigantes, cùm fluctuatione magna opprimerentur, & iamiam submergendi essent, inuocato viri sancti nomine, seruati sunt, & Deo ipsi gratias egerunt, qui suis hominibus sanctis talem gratiam conferre solet. Ità S. Niceta fortitèr omnia tolerauit, per sex annos angustijs afflictus, & rerū inopia vexatus, vsque ad mortem Leonis illius, qui cum Deo bellum gerebat. Hic verò nefarius pœnas sua temeritate dignas, hoc est, mortem sæuissimam exoluit. Quidam enim ex ordine militari nouas res tentantes, & velut Angelum quendam ducem sequentes, nemine impediente, in regiam domum ingressi sunt, & intra locum, quod Oratorium dicitur, gladijs ipsum percusserunt. Visum enim illi fuit ad aram confugere. Itaque illic percussus est, qui perpetuò iniquus fuerat. Leo Armenus interficitur.

Erat apud hunc duabus catenis vinctus Michaël. Quem cùm hi, qui feram illam domuerunt, statìm à vinculis exoluissent, Imperatorem pronunciârunt. Cùm ille autem inter virtutem & vitia medio quodam modo se gereret, fidem quidem ipsam non in pristinum statum restituit: sed patres tamen nostros omnes ab exilio reuocauit, eosque liberauit, qui erant in carceribus. Itaque multa illa Ecclesiæ persecutio sedata est. Exijt igitur & beatus pater noster Niceta ex eo carcere, in quo erat, velut ex stadio quodam confessor illustris, & martyr sine sanguine, manifestè victricia præmia reportans. Abijt igitur magnus pater ad insulas Vrbi finitimas quietem appetens, in quarum vna sedit, Angelorum vitam degens. Eratque omnium dux ad salutem, omnium columen, omnium medicus, tam animarum, quàm corporum salutem procurans, indigentibus verò suppeditans, quæ necessaria illis erant, non solùm nostræ fidei hominibus, sed alienis etiam eleemosynam largiens. Post hæc beatus ille pater paruum quoddam prædium, ad Boream vergens, è regione Vrbis positum mercatus est, & illic reliquum vitæ tempus, quod quidem breuissimum fuit, transegit. Michaël ei subrogatur. Pax Ecclesiæ.

Cùm verò tempus venisset, quo dissolui haberet, vt cum Christo esse posset, morbo vehementiùs eum vrgente, & ipsius vires consumente, cùm dies Dominicus illuxisset, hora sexta sanctus illos pedes extendens, qui ad confessionem fidei benè cucurrerant, migrauit, & vnà cum Angelis profectus est in cælum, tertio die mensis Aprilis. Cùm igitur auditum fuisset, virum illum sanctum diem obijsse, conuenit multitudo magna ex vrbe & finitimis locis virorum ac mulierum, monachorum & virginum, qui omnes Nicetam, vt patronum suum, ad supernum Imperatorem precibus comitabantur. Venerunt & Archiepiscopi, sanctissimus Theophilus Ephesi, & sacer Ioseph Thessalonicæ. Cumque consuetas exequias viro sancto exoluissent, in loculis eum reposuerunt. Eius verò discipuli cùm ipsum nauigio imposuissent, ad sanctum monasterium nauigârunt, quod ille proprijs laboribus excoluerat. Nos autem in litore ipsum expectabamus cum religiosissimo Paulo Episcopo Plusiadis. Cumque ad nos peruenisset, & è nauigio eum extulissemus, sanctas illas reliquias lachrymantes venerari fuimus: quas in humeros accipientes, congruenti psalmorum cantu omnis fratrum societas ex vtrisque monasterijs, ad ipsius patris monasterium deduximus. Plurima verò miracula per ipsum Deus in via effecit. Nā & dæmones è multis, qui vexabantur, fugati sunt, & ægroti varijs morbis liberati. Inter quos & mulier sanguinis pro- S. Nicetæ obitus. Miracula fiūt ad eius sacrum corpus.

proluuiem patiens, cùm fide accessisset, & sanctas reliquias solùm tetigisset, sanitati restituta est.

Cùm igitur exequiarum ordinem ex more super ipsum compleuissemus, in communis patris nostri Nicephori monumento eum condidimus, quod monumentum adhuc viuens sibi ipse fecerat à sinistra parte suggesti. In quo per Christi gratiam curationes & signa vsque ad hodiernum diem efficiuntur. Omnes enim infirmi, qui ad sanctos illos loculos accedunt, sani domum reuertuntur, quocunque morbo detenti fuerint. Hęc fuit sancti hominis vita, hæc cælestis illius ciuis & diuini patris nostri Nicetæ institutio. Hic Deum insatiabiliter amauit, & ab ipso Deo iurè amatus est. Eius gloriam celebrauit, & ipse gloria donatus est: Glorificantes enim me glorificabo, dicit Dominus: Cui conuenit gloria, Patri videlicet, & Filio, & sancto Spiritui nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Itē ad monumentum

1.Reg.2.

VITA S. RICHARDI EPISCOPI CICESTRENSIS, INCERTO QVIDEM AVTHORE, SED FIDEter conscripta.

Arbitror autem epitomen esse illius prolixæ vitæ, quam duobus libris complexus est Radulphus Cicestrius circa annum salutis 1270. quam quidem in præsens ad manum non habui. Porrò stylum paulo latiniorem adhibui in gratiam Lectoris, plerisque redditis paraphrasticôs.



SAnctæ & nunquàm intermoriturę memoriæ Richardus natione Anglus, in Vuigorniensis diœcesis pago, quem à salis puteo Vuich vocant, parentes habuit non ignobiles, Richardum & Aliciam. In pueritia, præter illius ætatis ingenium, choreas & id genus vanitates atque perniciosa spectacula intantùm à se voluit esse aliena, vt coætaneorum suorum nullis neque blanditijs, neque suasionibus ad ea potuerit pertrahi: ipsos verò coæuos suos & condiscipulos breui tempore tam eruditione, quàm vitæ & morum integritate antecessit. Porrò frater eius captiuus abductus fuit in teneriori ætate: qui deindè maturiori æuo dimissus è custodia, ad patriam nudus & inops regressus est.

9.Aprilis.

S.Richardi parentes.

Felix ingenium.

Cuius extremam paupertatem ex animo miseratus Richardus, cùm nihil ipse quoquè haberet, vndè posset eius inopiam solari, in eius se tradidit seruitutem. Ibì verò tempus non exiguum in multa paupertate & abiectione, sed non minori cum patientia, modò ad aratrum, modò ad bigam, modò ad alios id genus duros labores adhibitus, humiliter & modestè seruiuit. Intantùm autem eiusmodi officijs fratris sibi beneuolentiam conciliauit, vt is accepta charta, totius terræ suæ illum scripserit hæredem. Deindè verò amici & cognati eius de quadam illi nobili puella desponsanda tractare cœperunt. Id vbì sensit frater eius, facilè intelligens Richardum cum illa sponsa multas opes habiturum, doluit se suum illi fundum transscripsisse. Quod cùm compérisset Richardus, ait ad illum: Non est, frater charissime, quòd te hoc nomine affligas. Qua enim tu in me vsus es liberalitate atque humanitate, eandem ego quoquè erga te declarabo. Itaque non solùm scripturam tuam & fundum tibi restituo, sed etiam sponsam ipsam libens tibi trado, si tamen illi & amicis eius id molestum non sit. Neque enim ego vnquàm illam exosculatus sum. Deindè omnibus abdicatis, fundoque & sponsa & amicis derelictis, primùm ad Oxoniensem Academiam, indè Lutetiam Parisiorum se contulit. Tanto autem ferebatur discendi desiderio & amore, vt de victu cultuque corporis non magnoperè cogitaret. Vt enim ipse posteà narrare consueuit, cùm haberet in suo cubiculo socios duos, non erat illis tribus nisi vnum capitium, & singulis tunicæ singulæ. Itaque vno ex ipsis ad audiendam lectionem abeunte cum capitio, reliqui duo manebant in cubiculo, sicque per vices illo capitio vsi, lectiones auscultabant. Cibus illis erat panis & vini parùm cum olusculo aut eius generis vili edulio. Carnibus enim aut piscibus vt vescerentur, illorum paupertas non sinebat, præterquàm Dominicis & solennibus diebus, & cùm illis vel amici vel commilitones adessent. Aiebat verò vir sanctus, se nunquàm toto vitæ suæ spatio iucundiores & suauiores duxisse dies.

Seruit fratri suo.

Posthabitis omnibus, confert se ad studia literarum.

Tantos

Tantos interim in bonis literis progressus habuit, vt ab omnibus acclamaretur, dignum eum esse, qui magisterij titulis ornaretur. Noluit autem Parisijs promoueri, sed in patriam reuertens, denuò ad Oxoniensem scholam accessit, nec diù pòst in artium magistrum illic promotus est: & quæ anteà conquisierat, alijs liberaliter impartiuit. Postcà verò in Italiam profectus, Bononiæ septennio ampliùs iurisprudentiæ operam dedit, idque tanto cum eruditionis incremento, vt præceptor eius morbo correptus, ex omnibus discipulis suis vnum Richardum delegerit, qui ipsius loco cœptam prælectionem continuaret. Et id quidem anno dimidio & eo ampliùs tanta cum modestia & dexteritate præstitit, vt ab vniuersa illa Academia haud vulgari tum laude tum honore sit affectus: apud præceptorem quoquè suum eum gratiæ & beneuolentiæ locum obtinuerit, vt vnicam filiam suam cum omnibus facultatibus suis propensissimo animo illi tradere peroptârit. Verùm beatus Richardus iam diuinitùs permotus, longè aliud animo volutabat, eique summissè admodùm gratias egit, quasdam interim rationes ciuiliter prætexens, addens etiam peregrè sibi esse abeundum: eo autem itinere confecto, vbi Deo volente redierit, se voluntati ipsius minimè defuturum pollicens. Atque ità illi atque filiæ eius cùm valedixisset, redijt in Britanniam ad Academiam Oxoniensem, multis illic sese laboribus, vigilijs, corporis afflictionibus afficiens. Adeò verò eius creuit existimatio, vt omnium vnanimi consensu Cãcellarius eius Academiæ creatus sit.

Fit artium magister. *Studet iurisprudentiæ.* *Fit Cancellarius Academiæ Oxoniensis.*

Per id tempus Cantuariensis ecclesiæ cathedram obtinebat beatus Edmundus, qui eius integritatem & prudentiam diù antè compertam habuit: Lincolniensi autem ecclesiæ præerat Robertus, quem cognominant, crasso capite; vir sanè eximia sanctitate. Hi ambo, altero alterius conatum & voluntatem prorsùs ignorante, vno eodemque tempore in id summoperè incumbebant, vt possent eum habere Cancellarium. Obtinuit tandèm Cantuariensis antistes, quòd is prior suam mentem & desiderium beato Richardo indicâsset, in eiusque famulitium ille se contulit, eius voluntati reuerenter obsecundans. Tum verò B. Edmundus suum illi sigillum tradidit, & præcipua quæque grauioraque totius diœcesis suæ negocia illi demandauit. Itaque B. Richardus non impiger, cœpit quotidiana bonis studijs augmenta adijcere, prouinciam sibi traditam absque animi fastu & superbia fideliter & accuratè administrare, manus suas excutere prorsùs ab omni munere, non ignorans illud Deuteronomij, quòd munera excæcent oculos sapientum, & mutent verba iustorum. Itaque videre in illo licebat ineffabilem quandam æquitatem, multam affabilitatem & comitatem, modestiam, simplicitatem cum prudentia & humilitate coniunctam, mores & actiones benè compositas atque sedatas. Porrò sancto Edmundo etiam in rebus duris & afflictis tam intra prouinciam, quàm in exilio degenti constãter adhæsit, non ignarus, eos qui socij fuerint passionum, fore etiam socios consolationum: & qui compatiuntur, etiam conregnaturos. Mortuo autem beato Edmundo, sanctus Richardus tam ab aula, quàm à curis & negocijs aulicis absolutus, Aureliam profectus, in cœnobio Dominicanorum sacræ theologiæ studuit, non vt plerique solent, auribus quidem audientes, sed animum ad intelligendum non accommodantes: sed quæ auribus hausit corporis, ijs etiam interiorem admouit auditum, vt posset efficaciùs audita in opus conferre. Ibidèm verò sacerdotio initiatus est, vt omnipotenti patri dilectum filium immolaret. Ab eo autem tempore, cùm se ad eum dignitatis gradum pertigisse cerneret, vestes habuit solito humiliores, minusq; cultas. Postquàm autem in diuinæ scripturæ studijs iam diù satis versatus erat, ad pascendas oues sibi creditas abscessit. Habebat enim vnicam parœciam, cui curam necessariam impendere voluit, & boni pastoris fungi officio.

Item Archiepiscopi Cãtuariensis. *Deut. 16.* *1. Cor. 1.* *2. Tim. 2.* *Dat operam Theologiæ.* *Fit presbyter.*

Successerat iam beato Edmundo in Cantuariensi ecclesia Bonifacius antistes venerabilis: optabat autem ille hominis adeò gratiosi, putà Richardi, frui consuetudine & conuictu. Itaque pristinam illi functionem, nempe Cancellarij, demandauit, sed id sanè inuito ac recusanti. Intereà diem suum obijt Radinus de Neuellis, Cicestrensis episcopus. Eius verò ecclesiæ, iam pastore orbatæ, canonici, impetrata pro consuetudine facultate ab rege Henrico, eius nominis tertio, quendam ex regis aula, eiusdem ecclesiæ Canonicum, episcopum elegerunt. Sed ea electio ex Canonum præscripto per Bonifacium Cantuariensem archiepiscopum & eius quosdam suffraganeos antistites, vitæ probitate & doctrina insignes, in quibus fuit etiam ille, quem diximus, venerabilis pater Robertus Lincolniensis episcopus, in irritum redacta est, quòd is, quem elegerant, scientia & moribus tantæ functioni parùm idoneus esset: communi autem omnium

Eligitur in episcopum Cicestren.

sententia Richardus antistes electus est. Sed cùm ea res ad aures regis perlata esset, valdè acerbè ille tulit priorem electionem ità planè rescissam, subrogatumque esse hostem suum, nempe Richardum, qui beato Edmundo ijs in controuersijs, quas cum ipso habuerat, adhæsisset. Itaque furore percitus, res ecclesiæ Cicestrensis iussit confiscari. Verùm beatus Richardus de consilio antistitum cum literis Cantuariensis episcopi ad regem proficiscitur, supplices illi preces offerens, vt patiatur ea, quæ sunt ecclesiæ Cicestrensis, sibi restitui. Sed nulla ratione flectere potuit regis animum: cumque diù multumque se fatigâsset, & multas iniurias atque contumelias esset perpessus, tandèm ad extremum illud post Deum in terris perfugium, Apostolicam sedem se contulit. Iam autem illum apud Romanum Pontificem regij legati anteuerterant, quos illic aduersùm se paratos & instructos offendit. Præsidebat tum illi sedi Innocentius, eius nominis quartus, qui illum humaniter excepit, & vtriusque partis rationibus auditis, beati Richardi electionem sua authoritate confirmauit, atque insupèr sacrarum manuum impositione illum solenniter episcopum consecrauit.

Sedes Apostolica afflictorum perfugium.

Fertur tum miri quiddam euenisse. Nam cùm alius quoquè illius regionis eximius prælatus esset à Pontifice consecratus, vbì ad sacram vnctionem ventum est, vix guttulam ex ampulla elicere potuit Pontifex: postquàm autem beatus Richardus sacra vnctione fuit imbuendus, tam copiosè liquor ex ampulla manauit, vt ministri linteis ægrè abstergere potuerint, nè in collum & corpus eius difflueret. Stupebant non immeritò Pontifex & Cardinales, alijque, qui illic aderant, dixitque vnus è Cardinalibus: Reuerà gratiæ plenitudinem adeptus est.

Res admiranda.

Deindè verò beatus vir cum literis Pontificis in patriam proficiscens, in itinere sepulcrum inuisit beati Edmundi, iam miraculis coruscantis: posteà in Britanniam peruénit, facultatesque omnes Cicestrensis ecclesiæ ab regijs ministris iam exhaustas atque absumptas reperit. Proposito quoquè publicè edicto, rex omnibus interdixerat, nè quis ei quippiam mutuò daret. Vbì autem regi & eius proceribus literas Pontificias & mandata exhibuit, non tam regem sibi conciliâsse, eiusque promeruisse gratiam, quàm iram potiùs & indignationem conciliâsse visus est. Quamobrèm pauper & inops à rege discedens in diœcesim suam, sub tecto alieno degit hospes, & mensa aliena vtitur. Interim crebrò perlustrat diœcesis suæ loca, visitans creditum sibi gregem, & sacramenta, vbì res poscere videbatur, ministrans. Nè quis autem eum ceu ignauum & inertem suique iuris desertorem ac proditorem insimulare posset, interdùm ad regiam sese contulit, & ablatorum bonorum restitutionem humiliter postulauit, licèt semper indè cum iniurijs & contumelijs repelleretur. Accidit quandoquè, vt aspero regis responso Decanus & Canonici Cicestrenses animis turbarentur ac mœrore afficerentur: sed illos vir Dei hilari vultu alloquitur, atque illud eis ex Actibus Apostolicis commemorat: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: additque: Ego vobis id confirmo, hanc vexationem & afflictionem nobis quandoquè Dei benignitate in gaudium mutatum iri. Cernens autem regis pertinaciam, summo Pontifici eius responsa indicauit: qui sanè mirum in modum sancti viri vicem miserans, seuerissimè mandauit duobus Angliæ episcopis, vt regem admonerent de restituendis intra certum tempus Ecclesiæ Cicestrensi ablatis rebus: quòd si nolit, sentẽtias in ipsius literis expressas toto regno inuulgarent. Iam biennium vir sanctus regias vexationes pertulerat, & tum demùm à rege illi ædes ruinosæ & vacuæ restitutæ sunt.

Eius in episcopatu afflictiones.

Actor. 5.

Postquàm autem episcopi functionem beatus Richardus suscepit, factus est in precibus solito feruentior, in præstandis eleemosynis benignior atque copiosior, in proprio castigando corpore seuerior. Pauperum deincèps attentior illi cura fuit, habitus vel cultus corporis neglectior, gestus atque ipsa etiam pronunciatio modestior. Ad mensam sedenti lectio adhibebatur, atque interdùm lectionem intermittente nonnihil lectore, de ijs, quæ lecta fuerant, aut de alijs rebus bonis & frugiferis sermones conferebantur. In pagos suæ diœcesis veniens, ægrotos & pauperes diligenter iussit inquiri, ijsque non modò eleemosynam præbuit, sed etiam humaniter & benignè eos inuisit, & verbi cælestis alimonia accuratè refecit. Cumque ob eleemosynas largiùs impensas reditus absumerentur, dominus Richardus Bachedensis, frater eius secundùm carnem, cui temporalium rerum curam commiserat, dixit ei, ad tam profusas eleemosynas in tanta pauperum multitudine reditus & prouentus ipsius non sufficere. At vir Dei illi respondit: Itáne rectæ rationi consentaneum tibi videtur, mi frater, vt nos ex vasis aureis &

Catalogus virtutũ eius in episcopatu.

reis & argenteis edamus & bibamus,& Christus in pauperibus suis fame crucietur? addiditque: Possum etiam ego,quēadmodùm pater meus,ex paropside & cratera escam sumere & potum haurire. Vendantur igitur vasa argentea & aurea: sed & equus, quo vehor,magni precij est: vendatur,obsecro,etiam ille,& illorum precio alantur pauperes Christi. Neque solùm nouerat vir sanctus pauperes cibo potuque fouere, sed etiam nudis præbere vestes,mortuos proprijs manibus sepelire. Non rarò autem stipem elargitus est etiam antè,quàm rogaretur: cumque non deessent qui sciscitarentur, cur pecuniam daret non petentibus, respondit: Scriptum est: Domine, præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. itemque: Carè satis emitur,quod precibus obtinetur. Instituit autem etiam domum hospitalem pro presbyteris egenis, senio confectis, cæcis atque alijs corpore debilitatis: & nè publicę mendicitati subijcerentur,quæ ad victum & vestitum pertinent,eis in eadem domo curauit nè deessent.

Benignitas in pauperes

Psal.20.

Illud quidem valdè est memorabile, quòd vnus panis eius benedictione adeò auctus est,vt cùm præter eorum,qui præsentes aderant, spem & expectationem, abundè refecta essent ad tria millia pauperum,solitas portiones recipientium, tot fragmenta superfuerint,quæ pro ratione illius distributionis,centum insupèr pauperibus cibandis suffecissent.Neque semèl duntaxàt aut bìs,eius accedente benedictione, tanta facta est rerum augmentatio, sed sæpiùs, illo id præstante, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione.Cilicio etiam vsus est vir Dei & lorica,quibus corpus suum maceraret. Porrò vestimenta eius & calceamenta nec admodùm nitida,nec plùs ęquo abiecta visebantur,sed moderata, & ipsi congruentia,in quibus sanè non est passus aliquid apparere curiosæ nouitatis. Sed neque phaleris,auro vel argento cōspicuis,equos suos ornari voluit, neque superfluas vestes mutatorias secum circunferre, non solùm pompam vitans,sed etiam timens,nè pauperes clamarent ac dicerent illud,quod apud Diuum Bernardum legitur: Pontificis in freno quid facit aurum,nobis fame & frigore miserabiliter laborantibus?

Vnius panis mira multiplicatio.

Psal.144.

Quendam dominum Iohannem,filium Alani,propter iniuriam ecclesiæ Cicestrensi irrogatam,vir sanctus excommunicauit. Sed cùm ille ad eius aulam veniret, familiariter eum admisit,& apud se in prandio retinuit, dicens,quandiù in ipsius aula esset, se eum excommunicationis sententia nolle teneri: at vbì recessisset, si nō satisfaceret ecclesiæ,omninò velle eum pro excommunicato haberi. Aiebat etiam,si inter partes sint lites & dissidia,dum suum quæque vult ius repetere ac tueri, nō debere charitatis signa inter Christianos omitti aut negari. Si enim,inquit, quod meum est, volo recuperare, non debeo id,quod Dei est,alteri subtrahere. Et ità quidem ipse se gessit erga Abbatem de Fiscanno,& virum illustrem Richardum, tunc Comitem Cornubiæ, itemque Canciæ comitissam, cùm essent ei controuersiæ cum illis ratione ecclesiæ suæ. Nam pro contumelijs honorem,pro inimicitijs beneuolentiam rependit.

Eius charitas erga aduersarios.

Quidam è clero virginem Deo sacratam ex monasterio illius extractam corrupit. Id vbì resciuit vir sanctus,eum beneficio siue sacerdotio ecclesiastico, quod in ipsius dioecesi habebat, cum multa illius ignominia priuauit. Rogantibus autem pro illo tum rege ipso,tum Cantuariensi archiepiscopo & multis alijs prælatis, proceribus atq; baronibus,vir Dei in diuina exequenda iustitia prorsùs inflexibilem se ostendit, percutiensque pectus suum,ità ait: Donèc spiritus hos reget artus,talis furcifer, qui virginem Deo sacratam temerare ausus est, atque etiamnùm apud sese instàr scorti cuiusdam detinet, me quidem consentiente nunquàm in mea dioecesi curandis animabus præficietur. Et quia prouocauit iste ad dominum archiepiscopum Cantuariensem,faciat ille sanè, sicut voluerit respondere apud æquissimum illud tribunal Christi. Hanc beati viri constantiam cùm illi vidissent,deincèps ea de re eum tentare noluêre. Non aliter se gessit erga tres vicarios, qui concubinas apud se palàm fouere conuicti fuerant. Cùm enim nollent eas à se dimittere, lata in eos sententia, ecclesiasticis beneficijs illos priuauit. Quosdam etiam,qui furem ad ecclesiam confugientem,violenter indè extraxerant atque suspenderant,illius iam putre cadauer per dies quindecim & eo ampliùs exhumare compulit,& ad ecclesiam,vndè illum extraxerant,proprijs humeris deportare.

Seueritas in stupratorē virginis Deo dicatæ.

Itē in tres concubinarios

Accidit quandoquè,vt domorum & rerum ipsius exustio & non minima iactura ei nunciaretur. Familia tum plangente & dolente, ipse sereno & iucundo vultu gratias egit Deo,illosque bono esse animo iussit,ità dicens: Nolite dolere charissimi: habemus etiamnùm,vndè nobis res necessarias parare possimus. Et hæc quidem ego nobis ea causa accidisse sentio,quòd ad præstandas eleemosynas non eam adhibuimus curam

Cōtemptus rerum præsentium.

& liberalitatem,quam debebamus.Itaq; volo & iubeo, vt posthàc de facultatibus nostris largiores præbeantur eleemosynæ. O virũ generoso pectore, qui etiam inter defectus deficere nesciens, ex ipsa rerum suarum iactura nouit sibi virtutum cumulare augmenta. Præfectis & præsidibus diœcesis suæ sub diuini nominis obtestatione & animarum periculo grauissimè interdicere solebat, nè quicquam à suæ diœcesis hominibus præter fas exigerent,nec eos indebitis exactionibus vexarent. Ipse verò etiam ea, quæ iure ei debebantur,petentibus clementer remisit. Consanguineos suos, etiam maturos & habiles, ad beneficia ecclesiastica admittere noluit vlla ratione,sciens pastorum principem Dominum nostrum Iesum Christum non B.Iohanni euangelistæ, ipsius cognato,sed B.Petro,sanguine illi minimè coniuncto,regni cælorum claues tradidisse.

Vetat exactiones indebitas.

Matth.16.

Tanta autem erga clerum suum moderatione & humanitate vsus est,vt cùm ad matutinas persoluendas preces Solis exortum præuenisset,clericosque suos etiamnùm somno,vt habet humana fragilitas,pressos cerneret,ad priuatas interim preces sese conferret,permittens eos quiete sua perfrui, & illud Domini Saluatoris quasi suauiter dicens: Dormite iam & requiescite. Alioquì sanè summoperè ille delectabatur precibus Deo religiosè atque deuotè oblatis: id quod vel hoc vno satis doceri potest,quòd cùm viros religiosos inuiseret, vel ad ipsum venientes cum osculo sancto susciperet, dicere solitus fuit: Bonum est ea deosculari labia,quæ thymiama sanctarum orationum,Deo cum deuotione oblatarum, suauiter redolent: quod quidem, vt ipse crebrò retulit, à beato Edmundo fuit mutuatus, qui sic dicere consueuerat.

Matth.26.

Quanto autem studio & diligentia etiam in alienis diœcesibus sacras vir beatus conciones habuerit,quàm clementer contritos corde refouerit,sua peccata confitentes audierit & instruxerit, pœnitentes absoluerit, consilia petentibus impertierit, desperantes ad benè sperandum reuocârit atque animauerit, alacres adhortatus sit vt perseuerarent,imbecillos atque nutantes confirmârit, & vt deniquè omnibus omnia factus sit, quis possit pro dignitate explicare? In subsidium terræ sanctæ crucis prædicationem suscepit,ab Romano Pontifice ipsi demandatam: & à Cicestrensi quidem ecclesia inchoando,per loca mari adiacentia progressus,ad Cantuariensem vsque ciuitatem peruenit. Porrò decimo die antè, quàm portum illum celebrem, quem Doueram vocant, attigisset, in morbum incidit, nec tamen laborare desijt in agro Dominico,sed quotidiè concionando, confessiones recipiendo, pueros confirmando,sacros etiam ordines conferendo, vires corporis exhausit. Vbi Doueram peruenit, in quadam domo hospitali,quam Dei domum appellabant, hospitio receptus est, rogatusque ab eius Xenodochij moderatore, ecclesiam quandam cum cœmeterio, vbi pauperes sepelirentur,in honorem S. Edmundi, quondàm domini sui consecrauit, dixitque eodem die palàm in concione,se ab eo tempore,quo fuisset consecratus episcopus,semper id in votis habuisse, vt antequàm diem clauderet extremum, vel vnam in honorem sancti domini sui Edmundi posset basilicam consecrare: egitque eodem in loco gratias Deo,qui ipsum desiderio non esset frustratus suo: addiditque se scire iam velocem fore depositionem tabernaculi sui,orans vt exitum ipsius suarum precum suffragijs communirent.

Prædicat crucem in subsidium terræ sanctæ.

Altero deindè die,qui fuit Dominicus,licèt ijs,quos diximus, laboribus atque insupèr morbo esset prægrauatus & confectus,vbi hora surgendi adfuit,nesciens moras nectere,manè in oratorium ingressus est, ibique cœpit psallere: cumque Missæ sacrificio interesset,morbo ingrauescente,membra imbecillia sustentare non valens, humì collapsus est.Aderant mox è suis,qui eum è terra sublatum, suis manibus in hospitium deportârunt, atque in lecto reposuerunt. Ibì tum Guilelmo capellano suo, qui magna sancti viri familiaritate fruebatur,indicauit, se ab illa ægritudine neutiquàm euasurum, iussitque vt funeri necessaria prepararet,sed cautè tamen,nè familia ipsius animaduertens perturbaretur: magistro quoquè Simone de Terringes,obitûs sui diem prædixit. Petijt verò ad se apportari imaginem crucifixi,eamque allatam deuotè complexus,locis vulnerum,perindè acsi iam morientem Dominum Iesum cerneret, pia oscula affixit,eaq; suauiter labijs demulcens,in hæc verba prorupit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe pro omnibus beneficijs,quæ mihi præstitisti,pro pœnis & opprobrijs, quæ mea causa pertulisti,quæ tanta fuêre,vt meritò illud ex Threnis prophetæ tui dicere potueris: Non est dolor,sicut dolor meus. Tu nôsti Domine,quòd si tibi placeret, omnia opprobria atque tormenta & ipsam deniquè mortem propter te paratus sim tolerare: & sicut tu nôsti vera me dicere, ità quæso miserearis meî, quia tibi commendo animam meam.

Supra vires rebus diuinis incũbit.

Crucifixi imaginem deosculatur

Thren.1.

meam. Illam autem Psalmistæ vocem, In manus tuas Domine commendo spiritũ meum, crebrò iterabat: ad beatissimam quoquè Christi matrem semperque virginem Mariam, subindè corde simul & voce se conuertens, aiebat: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe: mandauitque suis capellanis, vt ea verba ad eius aures pronunciare non cessarent. Atque ità inter suspiria piæ deuotionis & verba sacræ orationis, adstantibus religiosis presbyteris & clericis, laicis quoq; fidelibus, B. Richardus animam, deinceps in illa beatissima ciuium supernorum victuram societate, reddidit creatori, anno ætatis suæ plùs minùs quinquagesimosexto, pontificatûs verò anno nono, tertio Nonas Aprilis circa noctis medium, quo tempore sponsus ille cælestis ad nuptias venturus dicitur. Cùm autem iam obijsset, sacrum corpus eius, quod in vita multis fuerat delassatum vigilijs, humì sæpiùs cubando attritum, maceratum ieiunijs, castigationibus afflictum, præter humanum morem, nitidissimum apparuit, ità vt quoddam futuræ resurrectionis insigne præ se ferre videretur. Postquàm autem compositum & eum in modum, qui pontificem deceret, in feretro esset collocatum, atque in eam, quam paulò antè diximus ab eo consecratam, ecclesiam deportatum, vndequaquè ingens factus est hominum concursus ad tam venerabiles celebrandas exequias: & singuli beatos se putabant, si vel feretrum tangere, vel sacrarum vestium fimbriam attrectare licuisset. Annulos & monilia, eius corpori admota, pro sanctificatis habebant, & instàr reliquiarum asseruabant.

Psal. 30. — *Sanctus vir moritur.* — *Matth. 25.* — *Deuotio populi erga eius sacras reliquias.*

Deindè verò Cicestriam corpus sacrum deportatum est, vt illic, quemadmodùm ipse iusserat, humaretur. Sepultum autem est loco humili in Cicestrensi ecclesia ante aram S. Edmundi, quam ipse extruxerat in eius templi parte aquilonari, vbì magna diuinitùs eduntur miracula, adeò vt etiam tres mortui eius meritis ad vitam reuocati sint, abortiuus fœtus animam vitalem acceperit, & plura alia sanè admiranda contigerint, quæ breuitatis studio prætermittimus.

Miracula.

SANCTORVM THEODVLI LECTORIS, ET AGATHOPODIS DIACONI MARTYRIVM, *ex Simeone Metaphraste.*

4. Aprilis.



Lorentem erga Deum pietatem fraude sua diabolus semper conatur euertere. Neque tamen strenuos pietatis milites valet offendere: sed eos duntaxàt vincit, qui Christi gratiæ adhærent imbecilliùs. Quemadmodùm enim cùm regionem aliquam, in qua diù pax viguit, bellum inuadit, viri fortes corpora sua vulneribus mortique obijciunt, vt gloriæ coronam consequantur: ignaui autem ac timidi cedunt aduersarijs, maluntque corpora integra conseruare, quàm gloriam assequi: Sic, cùm draconis satellites aduersùs Christi seruos bellum mouent, si quis nondùm firmam in Deo fidem habet, fragilitate victus, à proposito recedit: qui autem Christi verbis animum armauit, is pietatem constanter tuetur ac seruat, nec vllo modo ab improbo inimico conuincitur. Verùm Theodulus in primis animum perturbationibus superiorem præ se tulit: qui cùm fiduciæ erga Deum haberet socium Agathopodem virum generosum, ingentem impietatis tempestatem idololatriæque bellum, quod, Maximiano Cæsare imperante, per totum orbem terrarum ardebat, immutabili mente discussit. Nam cùm equites passìm percurrẽtes, populos Imperio subiectos cogerent rerũ omnium Procreatorẽ abnegare, & Tyrannus ille omni studio atque vi ad pietatem euertendam incumberet: alius aliò fugiebat, cùm omnibus immolare recusantibus impiè mors esset proposita. Et qui vitam magnifaciebant, statìm exiguæ voluptatis gratia mortem sibi ac supplicium æternum comparabant. Qui autem parùm erant in fide salubri confirmati, cruciatibus victi, verum Deum negabant. Et intereà quidem diabolus eius scenæ author, cùm imbecillioribus esset superior, gaudebat: Theodulus verò & Agathopus omne tempus in domo Dei consumebant, ieiunijs & precationibus vacantes, orantesque Deum, vt impietas ipsa prosterneretur.

Diabolus quos euertat, quos non.

Milites igitur atque Præfectus hominum constantiam admirati, quòd, cùm cæteri latitarent, ipsi soli palàm Dei verbum prædicarent, eos post vincula adspectu multò gratiosiores in certamen adduxerunt. Theoduli enim genæ primo pubertatis flore

Theoduli ætas.

Parentes. Fratres.

vigebant, cùm esset adhuc incorrupta corporis modestia adolescentulus. Huic parentes erant Thessalonicenses, viri illustres: fratres autem, Capito, Metrodorus & Philostorgus: qui etsi adhuc essent ætate iuuenes, perfectam tamen erga Deum pietatem colebant, & natura atque moribus, martyris propositum amplectebantur. Antequàm autem pateretur, futuri certaminis à præstantiore pignus accepit. Cùm enim impium decretum nondùm esset promulgatum, intempesta nocte quiescens, manu illud

Annulus dormienti diuinitùs datur.

apprehendit, ex quo excitatus est. Quid autem illud erat? Annulus quidam ex materia noua conflatus, cuius in pala ea erant signa, ex quibus facilè constaret, munus ipsum à Deo, quatuor elementorum moderatore, venisse. Si enim eum homines grauissimis ac desperatis morbis laborantes solùm attigissent, ilicò liberabantur. Ac Theodulus quidem erat eiusmodi. Agathopus autem illi consentiens, vir erat senex, tum capitis canis honoratus, tum animi proposito, quod vitæ rectè transactæ congruens obtinebat. Ambo puri pietatis ministri. Omnes enim corporis voluptates reijcientes, ad vnum Deum, Deique Verbum Iesum Christum assiduè respiciebant. Alter enim Diaconus erat eorum, quæ ad credentium salutem peragebantur: Alter autem, cùm esset Lector, Apostolorum Prophetarumque lectionibus audientium fidem confirmabat. Is sæpè dæmones importunos, qui naturam hominum tum sermone, tum corpore peruertere conabantur, simplici verbo & signo Dei omnipotentis sic adiurabat, vt à Dei figmento recedere cogerentur, & potentiam illius, qui per Theodulum operabatur, confiteri.

Agathopodis ætas.

Hos in iudicium adductos Faustinus, qui tunc Thessalonicæ Præfectus erat, in sublimi sella sedens, vt vidit, vnam illam vtrunque vocem emittere: Christiani sumus: manibusque coniunctis vno ore atque vna mente idem dicere atque sentire, confestim veritus est, nè egregio animi proposito mortem contemneret. Itaque iussit, vt omnes secederent: seque amicum simulans, blanda oratione Theodulum in sententiam suam adducere aggressus est: Mihi, inquiens, obtempera adolescens, nè inani fraude deceptus, vitam amittas. At ille subridens: Ego, inquit, iampridèm dolos effugi: vereor autem, nè tu, dum fraudem dolosque sequeris, te primùm in mortem conijcias sempiternam. Præfectus autem his verbis nihil commotus, eum tum muneribus, tum honoribus ad sacrificandum adducere conabatur. Sed Hospes quidam, qui Iouis sacerdotio fungebatur: Si, inquit, honoribus adduci non potes, vt deis immoles, cruciatibus cogeris Imperatoris decretis obtemperare. Atquì, respondit Theodulus, nullus cruciatuum vestrorum terror tantum apud me valebit, vt minis vestris inferior esse deprehendar. Sed cùm rursùm Faustinus hortaretur, vt pareret, cogitaretque, quantum inter splendidam vitam & mortem acerbam interesset: Id, inquit, ipse quoque considerans, exiguum huiusce vitæ curriculum decreui contemnere, vt perpetuam in cælo vitam assequar. Quamobrèm vel igni corpus meum trade, vt intelligas, quanuis illud corrumpatur, animam tamen integram permanere: & quanto magis à rebus ex materia constantibus recedit, tanto esse validiorem. Ecquis, inquit Præfectus, tibi persuadere potuit, vt hodiè velles cruciatus mortemque despicere? Deus, inquit Theodulus, qui cuncta prouidentiæ lege moderatur, & filius eius Iesus Christus, Verbũ patris: cuius ego militiæ cùm à teneris vnguiculis adscriptus sim, eam nunquàm deseram: sed vitam potiùs, quàm signum eius derelinquam.

Præfecti fraus.

Theodulus eum contemnit.

Theoduli constantia.

Faustinus autem cùm vellet eius dicta confutare: Præclarè, inquit, tecum agitur, adolescens, qui & signa & claustra feras Dei tui. Sanè, inquit Theodulus. is enim pietatis minister sum, vt nec igne vnquàm, nec ferro claustra rationis, aut fidei meæ signum sis perfracturus, effecturus've, quo minùs Christum Deum prædicem. Faustinus adolescentis prudentiam admiratus, ministris, vt propiùs adducerent Agathopodem, imperauit: & summissè sic eum est allocutus: Immola, quandoquidem & Theodulus, qui anteà decipiebatur, nunc se immolaturum pollicetur. Cognito Agathopus dolo: Et ego igitur, inquit, prompto animo sacrificium faciam Deo, eiusque filio Iesu Christo: siquidem his floridum Theodulus sacrificium se facturum promisit. Non his, inquit Faustinus, sed duodecim dijs, à quibus orbis regitur vniuersus, se pollicitus est sacrificaturum. Deos, inquit Agathopus, caput paulispèr mouens, eos appellas, quos artis solertia ex materia corruptibili in hominũ formas conflauit? Quos homines, cùm paulò antè manibus suis confinxerint, tanquàm præstantiores venerantur? Qui cùm tollere manum velint, nõ possunt? Qui nec oculis vident, nec pedibus ambulãt, nec vllo sensuum munere fungũtur? Quos cùm animatos olim Græci laudàrint, fœminarũ & puerorum amori-

Malus dolus Præfecti

Agathopus egregiè cõfutat falsos deos.

amoribus contaminatos ostenderunt? Quos, qui tales nunc artes profitentur, argento & quaternis obolis vendunt? Omisso igitur Deo vero omnipotente, dijs indignis sacrificium faciam, vt illud fictis oculis adspiciant? Laudes decãtabo, quas auribus ex auro, argentóve confectis exaudientes, earum me rerum, quarum expertes sunt, dominum faciant? Hæc illo disserente, Præfectus veritus nè oratione sua cæteros, qui iudicandi erant, in Dei fide confirmaret, celeriter ipsum cum Theodulo in carcerem duci iussit. Ducuntur in carcerẽ.

Eos autem ad meliora tendentes, turba sequens varijs modis oppugnabat. Alij enim Theodulum adolescentem commiserati, eum à constanti animi proposito dimouere studebant. Alij Agathopodis tempora canîs exalbẽtia conspicati, vno omnes consensu clamabant: Tu'ne quoquè, Agathope, es adolescens, vt quod bonũ æquumque sit, dispicere nequeas? At ipsi in animi pio proposito constantes, quæ dicebantur, negligebant: & in carcerem ingressi, tacitè precabantur. Nocte autem media cùm eos Deus secundùm quietem opportunis visis confirmâsset, læti surrexerunt, & magna voce Christum omnium saluatorem collaudabant. Deindè cùm pura lachrymarum aqua manus lauissent, genibus flexis, Deo vna propè lingua supplicabant, dicentes: Diuinitùs confirmantur. Deus rerum omnium opifex & moderator, qui naturam constituisti, & chaos abolêsti, qui cæli polos fabricatus es, & Soli splendorem donâsti, vt cuncta per diem illustraret: & lunam fecisti, vt noctis tenebras discuteret: vterque autem cum cæteris sideribus mundi rebus omnibus augmentum præberet: qui terræ plantas & animalia, mari pisces, aëri volucres largitus es: vt mare quidem proprijs muneribus homini à te procreato deseruiret: aër congruentibus auium cantibus laudes tuas personaret: terra verò è sinu suo nobis varios fructus ederet, vt tibi soli rerum omnium Domino, quàm maximas possemus, gratias ageremus: tu genus nostrum, quod impietate obstrictum, nihil eorum, quæ sibi præcepta fuerant, volebat obseruare, sed ebrietatibus & crapulæ atque nequitiæ, relicta iustitia, incumbebat, in æternam ire perniciem non permisisti. Neque aduersario nostro dæmoni concessisti, vt tantum in nos debaccharetur, vt rationem nostram ad tartarum vsque deprimeret: sed crimina nostra obliuione delens voluntaria, è cælestibus sedibus Filium tuum vnigenitum ad homines demisisti, qui naturam assumens humanam, essentiæ mortali dignitatem adiungeret immortalem, vt homines in peccatis oberrantes, Verbo tuo, per quod procreati sunt, ad pietatem reuocares. Tu enim cum Filio tuo, & ipse Filius tecum, & cum sancto Spiritu, rebus maximè omnium admirandis homines impios ad pietatem adduxisti. Sic enim Lazarus, qui vitæ munere defunctus, quartum iam diem in sepulcro iacebat, propter te naturæ lege & mortis potestate superatis, voce tua ex inferis ad vitam redijt. Sic homo quidam, cùm videndi careret facultate, solo luto oculis eius per manum tuam imposito, videndi vsum obtinuit. Sic olim & mulier, quæ sanguinis fluxu laborabat, fimbriæ tuæ vestis contactu, spe celeriùs sanitatem recuperauit. Sic placuit tibi, Deus, vt verbo tuo solo is, qui in grabato gestabatur, statim grabatum humeris ipse suis gestaret. Ità nunc etiam placeat tibi, vt nos impiorum cruciatus superantes, ad cælestia regna perueniamus. Precatio eorum ad Deum. Iohan. 11. Iohan. 9. Matth. 9. Ibidem.

Hæc sanctis Theodulo & Agathopode precantibus, qui eodem in loco aut homicidij, aut adulterij rei detinebantur, confestim, deposita mortis formidine, ad beatorum pedes prostrati, supplices criminum suorum veniam poscebant. Turbæ verò, quæ foris erant, carceris claustris confractis, insiliêrunt, magna rerũ, quæ dicebantur, affectæ admiratione. At Vrbanus quidam, qui tunc Thessalonicæ quæstor erat, impiusque diaboli contubernalis, cursu ad Pręfectum contendit, magna voce clamans atque denuncians, multos recusaturos immolare, nisi serui Dei celeriter è medio tollerẽtur. Quamobrèm Faustinus vehementer perturbatus atque commotus propter illos, qui in carcerem irruerant, iussit, vt adolescens simul cum sene adduceretur. Mirabantur autem omnes, quomodò vterque rebus futuris gauderet. Non aliter enim lætabantur, quàm si non ad supplicium & mortem, sed ad triumphum & celebritatem aliquam iucundam ducerentur. Itaque vultus hilares habebant, & Dei Verbum prædicabant. Multi ad Christum conuertantur. Alacritas sanctorum martyrum.

Cùm igitur ad tribunal constitissent, Faustinus ad Theodulum: Quo, inquit, nomine appellaris? Respondit ille: Theodulus vocor. Nónne, inquit, didicisti, æquum esse, vt omnibus, quæ dominus omnium Maximianus imperat, obtemperetur? Respondit Theodulus, & ait: Quæ cæli terræq; Dominus imperat, ea planè obseruanda esse didici. Quæ autem pręcipit Maximianus, si ęqua sunt, obseruanda esse censeo: sin iniqua, nequaquàm. Ecquis, inquit Faustinus, cælum fabricatus est? Deus, respondit Theodulus,

omnipotens, Deique filius Iesus Christus, qui Verbum est Patris. Illéne, inquit Faustinus, quem grauissimis cruciatibus affectum Iudæi crucifixerunt? Illeipse, respondit Theodulus, quem crucifixerunt Iudæi, (Id enim propter nos pati voluit) & quem ijdem paulopòst à mortuis in vitam reuocatum, & columbæ instàr in cælum ascendentem adspexerunt. Hæc enim fecit, vt mortem expugnaret, & superborum rationem redargueret. Cur non potiùs, Faustinus inquit, deis nostris immolandū censes? Quoniam, respondit Theodulus, is potiùs colendus est, à quo simulacra confecta sunt, quàm ea ipsa, quę delectationis & fraudis effecta sunt gratia. Quod enim facit, eo, quod fit, præstantius est. Cùm igitur Faustinus adolescentem vestimentis spoliari iussisset, ministri eum acerbè discruciabant, clamante præcone: Sacrifica, & dimitteris. Theodulus autem: Vestimenta quidem, inquit, à corpore diuellere poteris: mentis autem fidem à Deo non auertes in æternum. Cumque liberiùs loqueretur, & proposita tormenta negligeret, Maximianūque sæpiùs tyrannum appellaret: iussit Faustinus quosdam alios tormentis, quæ ferre non poterant, coactos, coram illis sacrificare. At Theodulus: Isthæc, inquit, tormenta parua sunt atque ridicula. Maiora tibi aduersùm nos excogitanda sunt, vt perfectam in Deo coniunctionem nostram perspicias, quæ pro religione cruciatus omnes perferre potest. Necesse est, inquit Faustinus, vt hodiè eas, quas Christiani scripturas appellant, in medium proferas. Si resipiscis, inquit Theodulus, & idololatriam fraudem existimas, & idcircò Apostolorum & Prophetarum verba requiris, vt mentem tuam in vera pietate confirmes, libenter id faciam: sin minùs, nè putes me Dei gratiæ proditorem futurum. Atqui, Faustinus inquit, corpori nō parcam tuo: sed illud feris dilaniandū obijciam, nisi mandatis meis celerrimè voluēris obedire. In corpus meum, respondit Theodulus, tibi sæuire licet, vt libet. Quæ autem mihi iniusta videntur esse, ea vt faciam, ne grauioribus quidem propositis cruciatibus, adduci vnquàm potero.

Theodulus immaniter cruciatur.

Mira eius fortitudo.

Iudex vult sacras prodi scripturas.

Cùm igitur in his disputationibus multum esset temporis consumptum, nec Theodulus vellet scripturas prodere, alij aliundè accedebant, qui adolescentis animū tum muneribus allicere, tum minis terrere conabantur. At ille, tanquàm murus vndiquè ferro lapidibusque munitus, & munera & minas aduersariorum repellebat. Tunc Faustinus ministris tacito nutu, quid fieri vellet, indicauit: qui Theodulum, vt capite damnatum, eò duxerunt, vbi sontes damnatique puniri solent. Cumque carnifex gladium eduxisset, Theodulus, porrecta ceruice, hisce verbis ad Deum clamauit: Gloria tibi, Pater illius, qui pro nobis mortem subire voluit. Eccè ego quoquè moriar, quia te liberè confessus sum. Cùm igitur Faustinus accepisset, Theodulū ceruicem vltrò porrexisse, vt ea cæde coronaretur, eum ad se reduci iussit. Atque interim Agathopodem interrogabat: Tu, inquiens, quomodò vocaris? Respondit ille, Agathopus. Cuius es conditionis? Eiusdem, cuius & Theodulus. Quæ'nam, inquit Faustinus præfectus, tibi cum illo est necessitudo? Num genere tibi & natura coniunctus est? Respondit Agathopus: Genus quidē nobis diuersum est, sed ijdem mores. Et quantùm genere distamus, tantùm fide coniuncti sumus. Ergò, Præfectus inquit, ad idem ambo supplicium, vt verba tua indicant, properatis. Si eodem pacto, inquit Agathopus, ab istis ærumnis discesserimus, simul etiam à Deo remuneratione̅ capiemus. Nónne, inquit Faustinus, turpe est te, perindè atquè adolescentem, decipi, & in apertum periculum ruere? Minimè, inquit vir sanctus: sed quanto sum ætate prouectior, tanto æquius est, vt eò contendam, quò Theodulus in primo ætatis flore fortitudine sua peruénit. Faustinus autem: Caue, inquit, Theodule, nè tu adolescens istiusmodi verbis decipiaris, vt temerè in gladium ruas. Iste enim cùm iam canus sit, nihil noui facit, si ad finem festinat. Tua verò diuersa conditio est. Ad hæc promptissimè Theodulus: Haud ità me, inquit, ignauum aut imbecillum existimo, vt pro pietate senem esse, quàm me, fortiorem censeam. Sic eos dicentes, & Christum inuocantes corripuerunt ministri, vinctosque rursùm in carcerem duxerunt. Ipsi autem collaudabant Deum, cuius auxilio diabolum superâsse videbantur.

Vide fallaciā iudicis.

Agathopodis fortitudo.

Reducūtur in carcerē.

Porrò circunsteterunt nobiles quidā lachrymantes. Ad quos Theodulus: Quid sibi, inquit, vult iste concursus & lachrymæ? Vestram, inquiunt illi, calamitatem miseramur. Ipse verò vultu admodùm tranquillo subridens: Nihil est, inquit, cur, miserijs vestris omissis, nos rerum meliorum appetentes commiseratione prosequamini. Hæc Theodulo dicente, miles accessit, & vtrunque ferro vinxit, atque interiùs duxit, quô turbam irruentem excluderet. At illi cùm nox aduenisset, Deum collaudantes obsecrabant,

ſecrabant,vt ſe in religione conſtantes conſeruaret: atque ità tranquillè quieuerunt. Verùm piorum fautor adiutorque Ieſus Chriſtus, ipſis idem ſentientibus, idem etiam viſum,futurorum indicium,immiſit. Videbantur enim ſibi eodem tempore oram ſoluiſſe, cùm magna pelagus tempeſtas occuparet: itaque fractis remis & málo, & quicquid nauim ſeruare poſſet, cùm cæteri fluctibus obruti perijſſent, ſe piſcium in morem ad litus adnatâſſe: & gubernatoris ſolertia ſeruatos, ac ſplendidis veſtimentis indutos, amœnum in montem, cuius cacumen cælum attingeret, conſcendiſſe. Hoc vtiquè viſum nocte cùm adſpexiſſent, ſomno ſoluti, æquè enarrabant, àc ſi alter ignoraret. Sed cùm parem vtrique gratiam fuiſſe ſubminiſtratam cognoſcerent, bonam in futurum ſpem ſuſcipientes, laudes diuinas pro tanto munere decantabant atque dicebant: Quis vnquàm, benigniſſime Deus, tantum audeat optare, quantum ex filij tui clementia quieſcentes percepimus? Quis eſt adeò feris moribus præditus, vt tanta commotus beneficentia,non omnibus voluptatibus pietatem anteponat? Quis ad benemerendum tam promptus eſt, vt filius tuus Ieſus Chriſtus, qui per viſum nobis gratiam & coronam ante certamen oſtendens, nos in ſtadio pietatis fortiores reddidit & conſtantiores? Hæc illi dum precarentur,cuſtodes ingreſſi ſunt, dicentes Theodulum & Agathopodem à Præfecto requiri. At illi cùm Chriſti ſignum in frontibus ſuis feciſſent,miniſtros vincti ſequebantur.

Viſum vident in ſomnis.

Signũ Crucis ſibi imprimunt.

Magnus autem inter amicos & neceſſarios luctus exortus eſt. Cogitabant enim eos ad cædem rapi. Verùm Theodulus ad eos hilari vultu: Si pro amicitia, inquit, lachrymatis,lætari potiùs debetis, quòd tam honeſtis in rebus probemur: ſin inuidia commoti,ſucceſſibus noſtris doletis, commune pietatis ſtadium patet, & fidei promulgatio pariter omnes vocat: paucis tamen coronam præbet, illis nimirùm, qui nec diuitiarum,nec voluptatis ſtudio tenentur. Dum adhuc loquerentur, Fauſtinus præfectus in ſublimi tribunali ſedens, eos tertiùm interrogauit: & cùm nihil aliud reſponderēt, niſi: Chriſtiani ſumus, & pro Chriſti nomine omnia pati volumus: ipſe vultu triſti ſententiam tulit, vt Theodulus & Agathopus immolare recuſantes, in mare proijcerentur. Miniſtri igitur beatorum manus poſt terga reuincientes, ceruicibus eorum lapides ſuſpenderunt,quorum pondere in profundum deprimerentur. Nauigia igitur vndiquè propinquorum & amicorum plena concurrebant, qui partìm pro naturæ neceſſitudine lachrymabantur, partìm eos beatos prædicabant, quòd draconem in certamine ſuperâſſent. Sed cùm ad locum morti deſtinatũ ſcapha appropinquaret, quidam Fauſtinum deprecabantur,vt ſententiam mitigaret.Qui tandèm precibus eorum adductus,virum præclarum Fuluium ad eos miſit,qui peteret,vt thure duntaxàt vellēt Deum abnegare. At illi,vt iam in Dei gratia perfecti,Chriſtum Ieſum tantùm inclamabant. Verùm cùm iam ſpatij multum præterijſſet, & miniſtri vellent priùs Agathopodem in mare deijcere,ille,ore in cælũ ſublato,verba hæc voce ſolito clariore pronunciauit: Eccè hoc rurſùm lauacro hodiè omnem peccati contagionem abluere, & ad Chriſtum Ieſum animis puris contendere feſtinamus.

Fertur in eos ſentẽtia

His dictis,milites in fluctus etiam Theodulum, in certamine pietatis victoriæ corona redimitum, proiecerunt. Mare autem cùm eos ſuſcepiſſet,fractis lapidum vinculis, multo pulchriora propinquis corpora ipſorum reddidit. Et paulò pòſt Theodulus apparens cum ſtola & decoro habitu, præcepit vt facultates ſuæ viduis & orphanis ex æquo diſtribuerentur: vt poſt ſuum à nobis diſceſſum,videretur non ſolùm velle in calamitate conſtitutos conſolari,verumetiam propinquos ad idem pietatis ſtudium incitare. Horum igitur ſanctorum memoriam,ſingulis annis conuenientes,meritò celebramus. Aequum enim eſt,vt eos laudibus & votis annuis decoremus,qui pro veritate ſe fortiter geſſerunt, ſtudeamuſque fidem ipſorum pro viribus imitari. Chriſti gratia martyrio coronati ſunt ſancti Theodulus & Agathopus pridiè Nonas Aprilis, ad gloriam patris & filij & ſpiritûs ſancti, in ſecula ſeculorum, Amen.

Merguntur in mare.

Annua eorũ celebritas.

VITA

VITA S. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, CLARISSIMI ECCLESIAE DOCTORIS: *authore Paulino presbytero.*

4. Aprilis.



Ortaris, venerabilis pater Augustine, vt sicut beati viri Athanasius episcopus & Hieronymus presbyter stylo prosecuti sunt vitas sanctorũ Pauli & Antonij, in eremo positorum: sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis ecclesiæ Seuerus seruus Dei sermone contexuit: sic etiam ego beati Ambrosij, episcopi Mediolanensium ecclesiæ, meo prosequar stylo. Sed ego, vt meritis tantorum virorum, qui muri ecclesiarum sunt & eloquentiæ fontes, ità etiam sermone me imparem nóui. Tamen quia absurdum esse opinor, quod præcipis, declinare: ea, quæ à probatissimis viris, qui illi ante me adstiterunt, & maximè ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quæ ipse vidi, cùm illi adstarem, vel quæ ab ijs agnoui, qui illum in diuersis prouincijs post obitum ipsius se vidisse narrârunt, vel quæ ad illum scripta sunt, cùm adhuc obijsse nesciretur, adiutus orationibus tuis & meritis tanti viri, licet inculto sermone, breuiter strictimque describam: vt lectoris animum & si sermo offendit, tamen breuitas ad legendum prouocet. Nec verborum fucis veritatem obducam: nè, dum scriptor elegantiæ pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam: quem non magìs verborum phaleras pompasque sermonum, quàm virtutes rerum, gratiamque Spiritussancti spectare conuenit. Siquidem nouerimus viatores gratiorem habere aquam breui vena stillantem, fortè cùm sitiunt, quàm profluentis fontis riuos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeacus panis, dulcis solet esse etiam ijs, qui centenis vicibus ferculorum quotidiani conuiuij copias ructare consuêrunt. Sed & hortorum amœna mirantibus herbæ agrestes placere consuêrunt. Quamobrèm obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, vt credatis vera esse quæ dicimus. Nec putet me quisquam studio amoris aliquid, quod fide careat, posuisse: Quandoquidem melius sit penitùs nihil dicere, quàm aliquid falsi proferre: cùm sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem & si non ab omnibus omnia, tamen à diuersis diuersa sciri, & ea cognita nonnullis esse, quæ etiam minùs ipse aut audire, aut videre potui. Vndè ab die natiuitatis eius narrandi initium sumam, vt gratia viri ab incunabulis quæ fuerit, agnoscatur.

Marcellina, soror S. Ambrosij.

Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarum patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius: qui infans in area prætorij in cunabulis positus, cùm dormiret aperto ore, subitò examen apum adueniens, faciem eius atque ora compleuit ità, vt ingrediendi in os, egrediendique frequentarent vices. Quæ pater, qui propè cum matre vel filia deambulabat, nè abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibens, (solicita enim erat, nè infanti nocerent) expectabat patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ pòst aliquandiù euolantes, in tantam aëris altitudinem subleuatæ sunt, vt humanis oculis minimè viderentur. Quo facto territus pater, ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operabatur enim iam tunc Dominus in seruuli sui infantia, vt impleretur, quod dictũ est: Fauum mellis, sermones boni. Illud enim examen apum, scriptorum ipsius nobis generabat fauos, qui cælestia dona annunciarent, & mentes hominum de terrenis ad cælum erigerent. Posteà verò cùm adoleuisset, & esset in vrbe Roma constitutus cum matre vidua & sorore, quæ virginitatem iam fuerat professa, comite alia virgine, cuius virginis soror Candida, & ipsa eiusdẽ professionis, quæ nunc Carthagine degit iam anus, cùm videret sacerdotis à domestica sorore vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens, & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem episcopum se futurũ esse memorabat: Loquebatur enim in illo spiritussanctus, qui illum ad sacerdotium nutriebat. Illa verò, vt adolescentem & nescientem quid diceret, respuebat.

Ambrosius præfectus, pater S. Ambrosij.

Prouer. 16.

Soror eius virginitatẽ professa.

Sed postquàm edoctus est liberalibus disciplinis, Vrbe egressus est: professusque in auditorio præfecturæ prætorij, ità splendidè causas perorabat, vt eligeretur à viro illustri Probo, tunc præfecto prætorij, ad consilium tribuendum. Post hæc consularitatis

Causas agit.

ritatis ſuſcepit inſignia, vt regeret Liguriam Aemiliamque prouincias, venitque Mediolanum. Per idem tempus mortuo Auxentio, Arrianæ perfidiæ epiſcopo, (qui Dionyſio beatæ memoriæ confeſſore ad exilium deſtinato, incubabat eccleſiæ) cùm populus ad ſeditionem eſſet commotus, eſſetque illi cura ſedandæ ſeditionis, nè populus ciuitatis in periculum ſuî verteretur, perrexit ad eccleſiam. Ibique cùm alloqueretur plebem, ſubitò vox fertur infantis in populo ſonuiſſe, Ambroſium epiſcopum. Ad cuius vocis ſonum, totius populi ora conuerſa ſunt, acclamantis Ambroſium epiſcopum: ità vt qui anteà turbulentiſſimè diſſidebant, quia & Arriani ſibi, & Catholici ſibi epiſcopum cupiebant: ſuperatis alterutris, ordinari repentè hunc vnum mirabili & incredibili concordia conſenſerunt. Quo ille cognito, egreſſus eccleſiam, tribunal ſibi parari fecit: quippe mox futurus epiſcopus, altiora conſcendit. Tunc contra conſuetudinem ſuam tormenta iuſſit perſonis adhibere. Quod cùm faceret, populus nihilominùs acclamabat: Peccatum tuum ſuper nos. Sed non ſimiliter is populus tunc clamauit, ſicut populus Iudæorum. Illi enim vocibus ſuis ſanguinē Dominicum effuderunt, dicentes: Sanguis huius ſuper nos: Iſti verò catechumenum ſcientes, fideli voce remiſſionem illi peccatorum omnium per baptiſmatis gratiā promittebant. Tunc ille turbatus, reuertens domum, philoſophiam profiteri voluit, futurus ſcilicet verus philoſophus Chriſti: qui contemptis ſecularibus pompis, piſcatorū ſecuturus eſſet veſtigia: qui Chriſto populos congregârunt, non fucis verborū, ſed ſimplici ſermone & veræ fidei ratione: miſſi ſine pera, ſine virga, etiam ipſos philoſophos conuerterunt. Quod vbì nè faceret reuocatus eſt, publicas mulieres publicè ad ſe ingredi fecit, ad hoc tantùm, vt viſis his, populi intentio reuocaretur. At verò populus magis magisq; clamabat: Peccatum tuum ſuper nos. At ille cùm videret nihil intentionē ſuam proficere poſſe, fugam parauit. Egreſſusque noctis medio ciuitatem, cùm Ticinū ſe pergere putaret, manè ad portam ciuitatis Mediolanenſis, quæ Romana dicitur, inuenitur. Deus enim, qui Eccleſiæ ſuæ catholicæ murum parabat aduersùs inimicos ſuos, & turrem erigebat Dauid contra faciem Damaſci, hoc eſt, perfidiam hæreticorum, fugam illius impediuit. Qui inuentus cùm cuſtodiretur à populo, miſſa relatio eſt ad clementiſſimum Imperatorem Valentinianum, qui ſummo gaudio accepit, quòd iudices à ſe directi, ad ſacerdotium peterentur. Lætabatur etiam Probus præfectus, quòd verbum eius impleretur in Ambroſio. Dixerat enim proficiſcenti, cùm mandata ab eodem darentur, vt moris eſt: Vade, age non vt iudex, ſed vt epiſcopus. Pendente itaque relatione, iterùm fugam parauit, atque in poſſeſſione cuiuſdam Leontij clariſſimi viri aliquandiù delituit. Sed vbì relationi reſponſum eſt, ab eodem Leontio proditur. præceptum enim erat vicario, vt inſiſteret rebus perficiendis. Qui iniuncta ſibi cùm vellet implere, propoſito edicto conuenit omnes, vt ſi vellent ſibi conſulere rebusque ſuis, proderent virum. Productus itaque & adductus Mediolanū, cùm intelligeret circa ſe Dei voluntatem, nec ſe diutiùs poſſe reſiſtere, poſtulauit ſe non niſi à catholico epiſcopo baptizari. Solicitè enim cauebat perfidiam Arrianorum. Baptizatus itaque, fertur omnia Eccleſiaſtica officia impleſſe, atque octaua die epiſcopus ordinatus eſt ſumma cum gratia & lætitia cunctorum.

Præficitur Liguriæ & Aemiliæ.

Eligitur epiſcopus, ſed modus omnibus conatur ſubterfugere.

Matth. 27.

Luc. 9.

Can. 7.

Igitur poſt annos aliquot ordinationis ſuæ ad vrbem Romā, hoc eſt, ad proprium ſolum, perrexit, ibique ſanctam puellam, de qua ſuprà memorauimus, cui manum offerre ſolitus erat, in domo propria cum germana, ſicut reliquerat, inuenit, matre iam defuncta. Atque cùm illa dexteram illius oſcularetur, ſubridens ait illi: Eccè, vt dicebam tibi, ſacerdotis manū oſcularis. Per idem tempus cùm trans Tiberim apud quandam clariſſimam inuitatur, vt ſacrificium in domo offerret, quædam balneatrix, quæ paralytica in lecto iacebat, cùm cognouiſſet ibidèm eſſe Domini ſacerdotem, in ſellula ſe ad eandem domum, ad quam ille inuitatus venerat, portari fecit, atque oranti & imponenti manus, veſtimenta attigit. Quæ cùm exoſcularetur, ſtatìm ſanitate recepta, ambulare cœpit, vt impleretur illud Dominicum dictum ad Apoſtolos: Etiam maiora his facietis, credentes in nomine meo. Quod tamen ſignum ſanitatis vt mirabile fuit, ità etiam nec occultum. Nam ego hoc poſt annos plurimos, ſanctis viris referentibus, poſitus in Vrbe cognoui. Sirmium verò cùm ad ordinandum epiſcopum Anemmium perrexiſſet, ibique Iuſtinæ, tunc temporis Reginæ, potentia & multitudine coadunata, eccleſia pelleretur, vt non ab ipſo, ſed ab hæreticis Arrianis epiſcopus in eadem eccleſia ordinaretur, eſſetque conſtitutus in tribunali, nil curans eorum, quæ à muliere excitabātur, vna de virginibus Arrianorū impudentior cæteris, tribunal con-

Miſſæ priuatæ etiam antiquitùs celebratæ.

Ioan. 14.

conſcendens, appræhenſo veſtimento ſacerdotis, cùm illum attrahere vellet ad partem mulierum, vt ab ipſis cæſus de eccleſia pelleretur, ait ei (vt ipſe ſolitus erat referre:) Etſi ego indignus tanto ſacerdotio ſum, tamen te non conuenit vel profeſſionem tuam, in qualemcunque ſacerdotem manus injicere, vndè debes vereri Dei iudicium, nè tibi aliquid mali eueniat. Quod dictum exitus confirmauit. Nam alio die mortuam ad ſepulcrum vſque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non leuem aduerſarijs incuſſit metum, pacemque magnam Eccleſiæ catholicæ in ordinando epiſcopo tribuit.

Vltio diuina in temerariam puellam.

Ordinato itaque catholico ſacerdote, Mediolanum reuertitur, ibique ſupradictæ Iuſtinæ mulieris innumeras inſidias ſuſtinuit: quæ muneribus atque honoribus aduerſùs ſanctum virum oblatis, populum excitabat: ſed infirmorũ mentes talibus promiſſis decipiebãtur. Promittebat enim tribunatus & diuerſas alias dignitates ijs, qui illum de eccleſia raptum, ad exilium perduxiſſent. Quod cùm multi conarẽtur, ſed Deo præſule perficere non valerent: vnus infelicior cæteris, nomine Euthymius, tanto furore excitatus eſt, vt iuxta eccleſiam ſibi domum pararet, atque in eadem carrum conſtitueret, quo faciliùs raptum, ad exilium perduceret. Sed iniquitas eius in verticem ipſius deſcendit. Poſt annum enim eodem die, quo illum rapere ſe arbitrabatur, eodem carpento impoſitùs, de eadem domo ipſe ad exilium deſtinatus eſt, reputans ſibi iuſto iudicio Dei id in ſe eſſe conuerſum, vt in eodem carpento dirigeretur ad exilium, quod ipſe parauerat ſacerdoti. Cui non minimum ſolatij ſacerdos præbuit, dando ſumptus, vel alia quæ erant neceſſarja. Sed hæc confeſſio hominis nec mulieris furorem, nec veſanorum Arrianorum dementiam repreſſit. Maiore enim accenſi amentia, baſilicam Portianam inuadere nitebantur. Exercitus etiam armatus ad cuſtodiẽdas fores eccleſiæ eſt directus, vt nemo auderet catholicam eccleſiam ingredi. Sed Dominus, qui de aduerſarijs ſuis Eccleſiæ ſuæ triumphos donare cõſueuit, ad eccleſiæ ſuę munimentum militum corda conuertit, vt aduerſis ſcutis eccleſiæ fores ſeruarent, nec egredi dimitterent, ſed ingredi eccleſiam plebem catholicam minimè prohiberent. Sed nec hoc ſatìs erat miſſis militibus, niſi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primò antiphonæ, hymni ac vigiliæ in eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt: Cuius celebritatis deuotio vſq; in hodiernum diem, non ſolùm in eadem eccleſia, verùm per omnes penè Occidentis prouincias manet.

Iuſtina Imperatrix ei eſt infeſtiſſima.

Pſal. 7.

Antiphonæ, hymni, vigiliæ in eccleſia Mediolanenſi.

Per idem tempus ſancti martyres Protaſius & Geruaſius ſe ſacerdoti reuelauerunt. erant enim in baſilica poſiti, in qua ſunt hodiè corpora Naboris & Felicis martyrum. Sed ſancti martyres Nabor & Felix celeberrimè frequentabantur: Protaſij verò & Geruaſij martyrum vt nomina, ità etiam ſepulcra incognita erant, intantùm vt ſupra ipſorum ſepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos peruenire, quibus ſanctorum Naboris & Felicis martyrum ab iniuria ſepulcra defendebantur. Sed vbì ſanctorum martyrum ſunt corpora leuata & in lecticis poſita, multorum ibì ſanatæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam Seuerus nomine, qui nunc vſque in eadem baſilica, quæ dicitur Ambroſiana, in quam martyrum corpora ſunt tranſlata, religioſè ſeruit, vbì veſtem martyrum attigit, ſtatìm lumen recepit. Obſeſſa etiam corpora à ſpiritibus immundis, curata, ſumma cum gratia domum repetebant. Sed ijs beneficijs martyrum inquantùm creſcebat fides Eccleſiæ catholicæ, intantùm Arrianorum perfidia minuebatur. Deniquè ex hoc tempore ſedari cœpit perſecutio, quæ Iuſtinæ furore accendebatur, vt ſacerdos de eccleſia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo Arrianorum cum Iuſtina conſtituta, deridebat tantam Dei gratiam, quam Eccleſiæ ſuæ catholicæ Dominus Ieſus meritis martyrum ſuorum conferre dignatus eſt, venerabilemque virum Ambroſium narrabat pecunia comparâſſe homines, qui ſe vexari ab immundis ſpiritibus mentirentur, atque ità ab illo, ſicut & à martyribus, ſe torqueri dicerent. Sed hoc Iudaico ore loquebantur Arriani, ſuppares ſcilicet eorum. Illi enim de Domino dicebant: Quoniam in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: Iſti de martyribus vel de Domini ſacerdote loquebantur, quòd non Dei gratia, quæ per ipſos operabatur, immundi ſpiritus pellerentur, ſed accepta pecunia ſe torqueri mẽtirentur. Clamabant enim dęmones, Scimus vos martyres. Et Arriani dicebant: Neſcimus eſſe martyres. Iam hoc & in euangelio legimus, vbì dixerunt dæmones ad Dominum Ieſum: Scimus te, quia ſis Dei filius. Et Iudæi dixerũt: Hic autẽ vndè ſit, neſcimus. Sed non hìc teſtimonium accipitur dæmonum, ſed confeſſio. Vndè miſeriores Arriani vel Iudæi, vt quod confitentur dæmones, illi negant. Deus tamen,

Miracula ad corpora SS. Geruaſij & Protaſij.

Ea derident Arriani.

Matth. 12.

Luc. 4.
Iohan. 9.

tamen, qui gratiam Ecclesiæ suæ augere consueuit, non passus est diù insultari à perfidis, sanctis suis.

Vnus itaque ex ipsa multitudine subitò arreptus spiritu immundo, clamare cœpit, optare se ità torqueri eos, vt ipse torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis vnitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui conuerti debuerant, & dignam tali confessione agere pœnitentiam, in piscina demersum hominem necauerunt, perfidiæ homicidium iungentes. Deduxit enim illos ad hunc finem digna necessitas. Sanctus verò Ambrosius episcopus maioris humilitatis vir factus, donatam sibi à Domino gratiam reseruauit, crescebatque quotidiè fide & amore coram Deo & hominibus.

Per idem tempus erat quidam vir de hæresi Arrianorum, acerrimus nimiùm disputator, & durus atque inconuertibilis ad fidem catholicam. Is constitutus in ecclesia, tractante episcopo, vidit (vt ipse postmodùm loquebatur) angelum ad aures episcopi tractantis loquentem, vt verba angeli populo episcopus nunciare videretur. Quo viso conuersus, fidem quam expugnabat, cœpit ipse defendere. Fuerunt etiam duo cubicularij tunc temporis Gratiani Imperatoris, de hæresi Arrianorum, qui tractandam episcopo quæstionem proponerent: Ad quam audiendam altero die ad basilicam Portianam omnes se affuturos promiserant: Erat enim quæstio de incarnatione Domini. Sed alio die miserandi homines, superbiæ tumore completi, nec memores promissorum, contemnentes Deum in sacerdote ipsius, nec plebis expectantis considerantes iniuriã, immemores etiam dictorum Dominicorum: Quoniam qui scandalizauerit vnum ex minimis istis, oportet vt mola asinaria collo eius alligetur, & demergatur in profundum maris: conscendentes in equos quasi gratia gestandi, ciuitatem egressi sunt, expectante sacerdote, & plebe in ecclesia constituta. Sed huius contumaciæ qui finis fuerit, horresco referens. Subitò enim præcipitati, miseras animas emiserunt, atque corpora illorum sepulturæ sunt tradita. Sanctus verò Ambrosius, cùm ignoraret quid factum esset, nec diutiùs posset plebem tenere, ascendens pro tribunali, de eadem quæstione, quæ fuerat proposita, sermonem adorsus est, dicens: Debitum fratres curo soluẽdum, sed hesternos meos non inuenio creditores, & reliqua, quæ scripta sunt in libro, qui de Incarnatione Domini intitulatur.

Angelus ad aures S. Ambrosij.

Matth. 18.

Occiso itaque Gratiano Imperatore, recipiendi corporis eius causa, secundam ad Maximum suscepit legationem: Apud quem quàm constanter egerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolam, ad Valentinianum iuniorem datam, cùm legerit, approbabit. Nobis enim alienum à promissione visum est illa inserere, nè adiunctæ epistolæ prolixitas fastidium legenti afferret. Ipsum verò Maximum à communionis consortio segregauit, admonens vt effusi sanguinis domini sui, & (quod est grauius) innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cùm pœnitentiam declinat superbo spiritu, non solùm futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, regnumque quod malè arripuerat, fœmineo quodam timore deposuit, vt procuratorem se reipublicæ nomine præfuisse confiteretur. Mortua verò Iustina, quidam aruspex Innocentius nomine, non opere, cùm pro causa maleficiorũ à iudice torqueretur, aliud quàm interrogaretur, fateri cœpit: Clamabat enim, ab angelo maiora tormenta sibi adhiberi eo, qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus Iustinę ad excitanda odia populorum in Episcopum, cacumen tecti ecclesiæ conscendens, medio noctis sacrificauerit. Sed quanto instantiùs & solicitiùs opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem Catholicam & Domini sacerdotem conualescebat. Misisse etiam se dæmones, qui illum necarent, fatebatur: sed dæmones renunciâsse, se non solùm ad ipsum appropinquare minimè posse, verumetiam nec ad fores domûs, in qua manebat episcopus: quia ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret, vt etiam longè positi vrerentur: atque ità cessâsse artes suas, quibus aduersùs Domini sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur. Alius etiam gladiũ ferens ad cubiculũ vsque, vt interficeret sacerdotem, peruenit: sed cùm eleuâsset manum, districto gladio, dextera obrigente remansit. Tunc se missum à Iustina postquàm confessus est, brachiũ, quod iniquè cùm extenderetur, riguerat, sanatum est confessione.

It Legatus ad Maximũ Imper.

Maximum excommunicat.

Confessio Innocentij malefici.

Percussor sancto viro à Iustina immissus.

Per idem tempus cùm vir illustris Probus puerum suum notarium, qui spiritu immundo grauiter vexabatur, direxisset ad Episcopum, egressum vrbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum perduci. Atque ità puer quandiù Mediolani apud Episcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed vbi egressus Mediolano est, & prope vr-

bem peruenit, idem spiritus, qui illum anteà habuerat, vexare cœpit. Qui cùm interrogaretur ab exorcistis, cur quandiù Mediolani fuit, non in illo apparuisset, confessus est diabolus timuisse se Ambrosium, & ideò recessisse ad tempus, atque expectâsse in illo loco, vbì ab illo recesserat, donèc reuerteretur: quo reuertente, vas, quod deseruerat, repetisset.

Extincto itaque Maximo, posito Theodosio Imperatore Mediolani, Ambrosio verò episcopo constituto Aquileiæ, in partibus Orientis in quodam castello à Christianis viris synagoga Iudæorum & lucus Valentinianorũ incendio concremata sunt, propterea quòd Iudæi vel Valentiniani insultarent monachis Christianis. Valentinianorum enim hæresis triginta deos colit. Sed de huiusmodi facto Comes Orientis ad Imperatorem relationem direxit: Qua accepta, Imperator præceperat, vt synagoga ab episcopo loci reædificaretur. Sed huius præcepti tenor cùm ad aures peruenisset venerabilis viri Ambrosij episcopi, direxit ad Imperatorem epistolam, quia ipse in tempore excurrere non poterat: qua illum conuenit, vt id, quod ab eodem statutum fuerat, reuocaretur, seruarique sibi deberi ab eo audientiam: quoniam si dignus non esset, qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo à Domino audiretur, vel cui preces suas, aut cui sua vota committeret. Paratum etiam se esse pro tali negocio mortẽ subire, nè dissimulatione suì præuaricatorem faceret Imperatorem, qui tam iniusta contra ecclesiam præcepisset. Posteà verò cùm Mediolanum reuertitur, posito Imperatore in ecclesia, de eadem causa tractauit in populo. In quo tractatu introduxit Domini personam, loquentis Imperatori: Ego te ex vltimo Imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego tibi copias, quas ille aduersùm te exercitui suo præparauerat, dedi: ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi, ego de semine tuo supra solium regni constitui, ego te triumphare sine labore feci: & tu de me inimicis meis donas triumphos? Cui descendenti exedram, Imperator ait: Contra nos proposuisti hodiè episcope? At ille respondens, ait: Non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse loquutũ. Tunc Imperator: Reuerà (inquit) dura præceperam contra episcopum de synagoga reparanda. In monachos verò vindicandum esse, à comitibus qui in tempore aderãt, dicebatur. Quibus episcopus: Ego quidem cum Imperatore nunc ago, vobiscũ verò mihi aliter agendum est. Atq; ità obtinuit, vt illa, quæ statuta fuerant, reuocarentur. Nec priùs ad altare accedere voluit, nisì fide sua Imperator illũ agere debere testaretur. Cui episcopus: Ergò ago fide tua. Respondit Imperator: Age fide mea. Qua sponsione iterata, iam securus peregit sacerdos diuina mysteria. Hæc autem scripta sunt in epistola, quam ad germanam suam fecit: In qua tractatum inseruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui à Propheta Hieremia visus esse describitur.

Hæresis Valentinianorũ 30. deos colit.

Nota sancti viri mirabilem cõstantiam.

Ierem. 1. iuxta 70. interpretes.

Per idem tempus causa Thessalonicensis ciuitatis, non minima successit tribulatio sacerdoti, cùm penè comperisset ciuitatem deletam: Promiserat enim illi Imperator se veniam daturum ciuibus supradictæ ciuitatis, sed agentibus comitibus occultè cum Imperatore, ignorante sacerdote, vsq; in horam tertiam gladio ciuitas est donata, atq; plurimi interempti innocentes. Quod factum vbì comperisset sacerdos, copiam Imperatori ingrediendi ecclesiam denegauit: nec priùs dignum iudicauit cœtui ecclesiæ vel sacramentorum communioni, quàm publicam ageret pœnitentiam. Cui Imperator contrà asserebat, Dauid adulterium & homicidium perpetrâsse: sed responsum ilicò est: Qui secutus es errantem, sequere corrigentem. Quod vbì audiuit clemẽtissimus Imperator, ità suscepit animo, vt publicam pœnitentiam non abhorreret: Cuius correctionis profectus secundam illi parauit victoriam.

Imperatorẽ excommunicat, & cogit publicã agere pœnitentiam.

Per idem tempus duo potentissimi & sapientissimi viri Persarum ad famam sacerdotis venêre Mediolanum, deferentes secum plurimas quæstiones, vt ex illis probarent sapientiam viri. Cum quo ab hora diei prima vsque ad horam ferè tertiam noctis per interpretem disputauerunt, admirantesque discesserunt ab eo. Et vt se probarent non ob aliam causam venisse, nisì vt certo certiùs nôssent virum, quem fama compererant: alia die valefacientes Imperatori, profecti sunt ad vrbem Romam, illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi: qua cognita, ad propria reuerterunt. Sed egresso Theodosio de Italia, & Constantinopoli cõstituto, Valentiniano Augusto intra Gallias posito, directa relatio est sub nomine Senatûs à Symmacho, tunc præfecto Vrbis, de repetenda ara Victoriæ & sumptibus cæremoniarum. Sed vbì comperit sacerdos, misso libello ad Imperatorem, postulauit vt ad se relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Qua relatione accepta, præclarissimum libellum

bellum conscripsit, vt contrà nihil vnquàm auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere.

Sed postquàm augustæ memoriæ Valentinianus in Viennensi ciuitate (quæ est Galliarum ciuitas) vitam finiuit, Eugenius suscepit imperium: qui vbi imperare cœpit, non multò pòst, petentibus Flauiano tunc præfecto & Arbogaste comite, aram Victoriæ & sumptus cæremoniarum, (quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in minoribus annis constitutus, petentibus denegauerat) oblitus fidei suæ, concessit. Hoc vbi audiuit sacerdos, relicta ciuitate Mediolanensi, ad quam ille festinatò veniebat, ad Bononiensem ciuitatem emigrauit, atque indè Fabentiam vsque perrexit. Vbi cùm aliquantis degeret diebus, inuitatus à Florentinis, ad Tusciam vsque descendit, declinans adspectum sacrilegi viri, non formidans imperantis iniuriam. Nam epistolam ad eundem dedit, in qua conuenit conscientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi: Etsi imperatoria potestas magna sit, tamen considera Imperator, quantus sit, qui corda hominum videt, conscientiam interiorem interrogat. Nouit omnia, antequàm fiant, nouit & interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, & Deum vultis celare? Hoc non cecidit in animũ tuum. Quanuis enim illi agebant tam perseueranter, nonne tuum fuit Imperator, pro Dei summi & veri & viui veneratione perseuerantiùs obsistere, & negare, quod erat iniuria, sacrilegis? Et iterùm: Quomodò igitur meis vocibus & apud Deum & apud omnes homines teneor? Aliud mihi non licere intellexi, aliud nõ oportere, nisì consulerem mihi, quia non potui tibi. In supradicta itaque ciuitate Florentinorum, cùm in domo clarissimi quondàm viri Decentis, & quod est amplius, Christiani, maneret, filius ipsius Pansophius nomine, admodùm paruulus, cùm spiritu immundo laboraret, frequenti oratione & impositione manûs sacerdotis ipsius est sanatus. Sed post aliquantos dies subita infirmitate correptus infantulus, exhalauit spiritum: Cuius mater valdè religiosa, & plena fide ac timore Dei, ablato illo de superiore parte domûs, ad inferiora descendit, ac in lecto sacerdotis ipso absente composuit. Quem cùm reuertens sacerdos in lectulo inuenisset, (erat enim illo in tempore extra domum positus) miseratus matrem, & fidem ipsius contemplatus, Heliseo similis, supra corpus infantis se ipse composuit, atque orando meruit viuum reddere matri, quem mortuum inuenerat. Ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, vt quod ætatis infantia scire non poterat, legendo agnosceret. Veruntamen factum scriptis suis non commemorauit: sed quo affectu declinauerit cõmemorare, non est nostrùm iudicare. In eadem etiam ciuitate basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum corpora in Bononiensi ciuitate leuauerat. Posita enim erant corpora martyrum inter corpora Iudæorum. Nec erat cognitum populo Christiano, nisì se sancti martyres sacerdoti ipsi reuelarent. Quæ cùm deponerentur sub altari, quod in eadem basilica constitutum est, magna illic totius plebis sanctæ lætitia atque exultatio fuit, pœnæ dæmonum confitentium martyrum merita.

Valentiniani obitus.

S. Ambrosius obiurgat Eugenium Imperatorem.

4. Reg. 4.

Ambrosius infantulum mortuum suscitat.

Per idem tempus Arbogastes comes aduersùm gentem suam, hoc est, Francorum, bellum parauit, atq; pugnando non paruam multitudinem manu fudit: cum residuis verò pacem firmauit. Sed cùm in conuiuio à regibus gentis suæ interrogaretur, Vtrùm sciret Ambrosium, & respondisset, nôsse se virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo conuiuari solitum: audiuit, Ideò vincis omnes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli, Sta, & stat. Quod ego ideò posui, vt cuius famæ fuerit vir sanctus etiam apud Barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam & nos, referente iuuene quodam Arbogastis admodùm religioso, cognouimus, qui tunc interfuit. Erat enim in tẽpore, quo hęc loquebatur, vini minister. Profectus itaq; sacerdos de Tusciæ partibus, Mediolanum reuertitur, iam indè egresso Eugenio contra Theodosium Imperatorem, ibique Christiani Imperatoris præstolabatur aduentum, securus de Dei potentia, quòd non traderet credentem in se hominibus iniustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem iustorum, nè extenderent iusti ad iniquitatem manus suas. Promiserat enim Arbogastes tunc comes, & Fabianus præfectus Mediolano egredientes, cùm victores reuertissent, stabulum se esse facturos in ecclesia Mediolanensi, atque clericos sub armis probaturos. Sed miserandi homines, cùm dæmonibus malè creduli sunt, & aperiunt os suum in blasphemiam contra Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consueuit, de cælo iaculatus est iudicium, atque

Nota ethnicorum de S. Ambrosio sententiam.

Psal. 124.

omnem victoriam ad religiosum Imperatorem transtulit Theodosium.

Eugenij cędes. Extincto itaque Eugenio à satellitibus eius, cùm scripta acciperet Imperatoris, non illi alia maior cura fuit, quàm vt pro his interueniret, quos renatos inuenerat. Obsecrauit primò scriptis Imperatorem, misso diacono: posteà verò quàm directus est Iohannes, tunc tribunus & notarius, qui nunc præfectus est, ad tuitionem eorum, qui ad ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquileiam perrexit, precaturus pro eis: quibus facilè venia impetrata est, quia Christianissimus Imperator, prouolutus pedibus sacerdotis, testabatur meritis & orationibus eius se esse seruatum. Reuertens itaque de vrbe Aquileiensi, vno die præcessit Imperatorem. Nec diù clementissimæ memoriæ Theodosius Imperator, susceptis filijs in ecclesia & traditis sacerdoti, in hac luce fuit. Post cuius obitum ferè triennium superuixit. Quo in tempore sancti Nazarij martyris corpus, quod erat in horto positum extra ciuitatem, leuatum, ad basilicam Apostolorum, quæ est Romana, transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo iacebat corpus martyris, (qui quandò sit passus, vsque in hodiernum diem scire non possumus) sanguinem martyris ità recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ità integrum atq; incorruptum cum capillis capitis atque barba; vt nobis videretur eodem tempore, quo leuabatur, lotum atque compositum in sepulcro. Et quid mirum? quandoquidem Dominus hoc in Euangelio antè promisit, quòd capillus de capite eorũ non periret. Etiam odore tanto repleti sumus, vt omnium aromatum vinceret suauitatem. Leuato corpore martyris & in lectica composito, statim ad S. Celsum martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto sacerdote ad orationem perreximus. Nunquàm tamen illũ anteà oràsse in eodem loco, compertũ habemus. Sed hoc erat signum reuelati martyris, si sanctus sacerdos ad locum, ad quem nunquàm anteà fuerat oratũ, isset. Cognouimus tamen à custodibus loci ipsius, quòd à parentibus, illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem & progeniem suorũ, eò quòd thesauri magni in eodem loco positi essent. Et verè magni thesauri, quos non ærugo neq; tinea exterminat, neq; fures effodiunt & furantur: quia custos eorum Christus est, & locus eorum aula cælestis: quibus viuere Christus fuit, & mori lucrum. Translato itaq; corpore martyris ad basilicam Apostolorum, vbi pridèm sanctorũ Apostolorum reliquiæ summa omniũ deuotione positæ fuerant, cùm tractaret episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo, clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio. At ille conuersus ad eum, ait: Obmutesce diabole: quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum & inuidia tua: quoniam illò vides ascendere homines, vndè tu deiectus es. nam Ambrosius nescit inflari. Quo dicto, ille qui clamabat, obmutuit, prostratusque in terram est, nec ampliùs vocem, qua obstrepere posset, emisit.

Nota potẽtissimi Imperat. humilitatem. — *Mira de S. Nazarij martyris corpore.* — *Luc. 21.* — *Magni thesauri reliquiæ martyrum.*

Per idem tempus, cùm consulatũs sui tempore Imperator Honorius in vrbe Mediolanensi Libycarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia est, missis militibus ab Stilicone comite, hortatu Eusebij præfecti, vt Cresconius quidam de ecclesia raperetur. Quem confugientem ad altare Domini, sanctus episcopus cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circundedit: Sed multitudo militum, quæ duces suos habebat de perfidia Arrianorum, præualuit aduersùm paucos: atque ablato Cresconio, exultantes ad amphitheatrum reuerterunt, ecclesiæ luctũ non modicum relinquentes. Nam sacerdos prostratus ante altare Domini, factũ diù fleuit. Sed cùm reuertissent & renunciàssent his, à quibus fuerant destinati milites, dimissi leopardi, saltu celeri ad eundem locum, in quo sederant, qui de ecclesia triumphabant, ascendentes, grauiter laniatos reliquerunt. Quod vbi vidit Stilico comes, pœnitentia motus est, ità vt per multos dies satisfaceret sacerdoti: & illæsum quidem illum, qui ablatus fuerat, dimisit: sed quia grauissimorum criminum erat reus, & aliter emendari non poterat, ad exilium destinatur, non multò pòst indulgentia prosequente.

Vide miraculũ ob violatã ecclesię libertatem.

Per idem tempus cùm ad palatium pergeret, cumque pro loco officij nostri sequeremur, * Theodolo tunc notario, qui posteà summa cum gratia Mutinensem rexit ecclesiam, cùm casu quidam pede esset lapsus, atque prostratus iaceret in terra, ridente, conuersus sacerdos, ait: Et tu, qui stas, vide nè cadas. Quo dicto, statim is qui alienum lapsum riserat, suum doluit. Fritigildis verò regina Marcomannorum, cùm à quodam Christiano viro, qui ad illã fortè de Italiæ partibus venerat, referente sibi, audiret famã viri, Christo credidit, cuius illum seruulum recognouerat: missisque Mediolanum muneribus ad ecclesiam, per legatos postulauit, vt scriptis ipsius, qualiter credere deberet, infor-

**Theodulo* — *Fritigildis regina Marcomannorũ, credit in Christum.*

informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi, in qua etiam admonet, vt suaderet viro, Romanis pacem seruare. Qua accepta epistola, mulier suasit viro, & cum populo suo se Romanis tradidit. Quæ cùm venisset Mediolanum, plurimùm doluit, quòd sanctum sacerdotem, ad quam festinârat, minimè reperisset: Iam enim de hac luce migrauerat.

Temporibus verò Gratiani (vt retrò redeam) cùm ad prætorium Macedonij, tunc magistri officiorum, pro quodam intercedendo perrexisset, atque præcepto supradicti viri fores inuenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: Et tu quidem venies ad ecclesiam, quam nec tu ingrediére, ianuis licèt non clausis. Quod factũ est: Mortuo Gratiano, confugiens Macedonius ad ecclesiam, patentibus ianuis aditum reperire non poterat. Ipse autem vir venerabilis episcopus erat multæ abstinentiæ & vigiliarum multarum & laborum, quotidiano ieiunio macerans corpus. Cui prandendi nunquàm consuetudo fuit, nisi die sabbato & Dominico, vel cùm natalitia celeberrimorũ martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte. Nec operã declinabat scribendi propria manu libros, nisi cùm aliqua infirmitate corpus eius attenuaretur. Erat etiam in illo solicitudo omnium ecclesiarum, interueniendi etiam magna assiduitas & constantia. In rebus etiã diuinis implendis fortissimus, intantùm, vt quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque posteà episcopi à tempore quo decessit, vix implerent. Solicitus etiam nimiùm pro pauperibus & captiuis. Nam in tempore, quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum, quod habere poterat, ecclesiæ vel pauperibus contulit. Prædia etiam quæ habebat, reseruato vsufructu germanæ suæ, donauit ecclesiæ: nihil sibi, quod hîc suum diceret, derelinquens, vt nudus atque expeditus miles Christi, Dominum suum sequeretur: Qui cùm diues esset, propter nos pauper factus est, vt nos eius inopia ditaremur.

Abstinẽtia, vigiliæ, & oratio Ambrosij.

Liberalitas in pauperes & ecclesiã.

2.Cor.8.

Erat enim gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidem quotiescunquè illi aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapsus suos confessus esset, ità flebat, vt & illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis, quàm accusatores apud homines. Nam & secundùm Apostolũ, circa huiusmodi hominem confirmanda charitas est, quia ipse suî accusator est: nec expectat accusatorem, sed præuenit, vt confitendo suum alleuet ipse delictum, nec habeat, quod aduersarius criminetur. Ideoque scriptura dicit: Iustus in principio sermonis accusator est suî. Vocem enim eripit aduersario, & quasi dentes quosdam, paratos ad prædam criminationis infestæ, peccatorum suorũ confessione confringit, dans honorem Deo, cui nuda sunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris quàm mortem: Nam ipsi pœnitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur & emendatio facti, vt pœnitens non faciat pœnitenda. Humiliet etiam animam suam, sicut Dauid sanctus: qui postquàm audiuit à propheta, Dimissum est peccatum tuum, humilior factus est in emendatione peccati, ità vt cinerem sicut panem manducaret, & potũ suum cum fletu misceret. Flebat etiam amarissimè, quotiescunquè fortè nunciatum illi fuerat de cuiuscunque sancti obitu sacerdotis, intantùm vt nos illum consolari niteremur, ignorantes pium affectum viri, nec qua ratione ità fleret, intelligentes. Quibus ille huiusmodi responsum reddebat: Non se flere quia recesserat, qui fuerat mortuus nunciatus, sed quia se præcesserat: Vel quia difficile esset inuenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur.

Cõfessio sacramẽtalis.

2.Cor.2.

Prouer.18.

Ezech.18.

2.Reg.12.

Psal.101.

Ipse autem de sua morte antè prædixit, quòd vsque Pascha nobiscum futurus esset: quod quidem meruit Dominum obsecrando, quo maturiùs hinc liberaretur. Ingemiscebat enim vehementer, cùm videret radicem omnium malorum auaritiam pullulare, quæ neque copia, neque inopia minui potest, magis magisque crescere in hominibus, & maximè in ijs, qui in potestatibus erant constituti, ità vt interueniendi illi apud illos grauissimus labor esset, quia omnia precio distrahebantur. Quæ res primò omne malum inuexit Italiæ, & deindè omnia vergunt in peius. Et quid dicam, si in huiusmodi personis ità rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum, aut propinquorũ causas prætendere, ad excusandas excusationes in peccatis: quandoquidem plerosq; ceperit etiã cælibes sacerdotes vel Leuitas, quibus portio Dei est, vt etiam ipsi illam appetant? Et væ mihi misero, quia nec fine mundi prouocamur, vt tam graui iugo seruitutis liberari velimus, quo dimergimur ad profundum inferni, vt faciamus nobis amicos de mammona

Auaritiam deplorat, multorum malorum causam.

Luc.16.

mona iniquitatis, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Attamen beatus ille, qui quandoquè conuersus, diruptis vinculis atque proiecto iugo huiusmodi dominationis, tenebit & allidet paruulos eius ad petram, hoc est, omnes intentiones eius allidet ad Christum, qui secundùm Apostolum petra est, quę omnes ad se allisos interimit, ipsa inuiolabilis manens, nec reum faciens eum, qui ad se alliserit nequissimi vteri deteriores partus, sed innocentem: ità vt securus possit dicere, Portio mea Dominus: Quia cui nihil in seculo est, illi portio est Christus: & qui contempserit pauca, multa percipiet, insupèr & vitam æternam possidebit.

1.Cor.10.

Psal.141.

Visio Paulini, beato viro assistẽtis.

Ante paucos verò dies, quàm lectulo detineretur, cùm quadragesimumtertium psalmum dictaret, me excipiente & vidēte, subitò in modū scuti breuis, ignis caput eius cooperuit, atque paulatìm per os ipsius, tanquàm in domum habitator, ingressus est, & facta est facies eius velut nix, posteà verò reuersus est vultus eius ad speciē suam. Quod cùm fieret, stupore perculsus obrigui, nec potui scribere, quæ ab illo dicebantur, nisi posteaquàm visio ipsa transibat. Dicebat enim in eo tempore testimoniū scripturę diuinæ, quod ego optimè retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit. Sed quidem ipsum psalmū explere non potuit. Ego verò id, quod visum à me fuerat, honorabili viro Casto diacono (sub cuius cura degebam) statìm retuli. At ille repletus gratia Dei, spiritussancti aduentum me in illo vidisse edocuit ex lectione Actuum Apostolorū. Superioribus autem diebus, cùm Stiliconis tunc comitis seruus, qui dæmonio laborauerat, in Ambrosiana basilica iam sanus maneret, commendatus à domino suo, (ferebatur enim, quòd libenter ab eodem haberetur) facere falsas epistolas tribunatûs compertum est, intantùm vt tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant. Sed vbì ad personam serui sui peruenit comes Stilico, ipse in seruo suo noluit vindicare. Homines etiam, qui decepti fuerant, interuentu sacerdotis dimisit: de ipso verò seruo, sacerdoti questus est. Quem vir sanctus cùm de ecclesia Ambrosiana egrederetur, requiri fecit atque ad se perduci. Quem cùm interrogâsset, & depræhendisset authorem tanti flagitij, ait: Oportet illum tradi satanę in interitum carnis, nè talia in posterum audeat admittere. Quem eodem momento, cùm adhuc sermo esset in ore sacerdotis sancti, spiritus immundus arreptum discerpere cœpit. Quo viso, non minimo timore repleti sumus & admiratione. Multos etiam diebus ipsis, imponente illo manus & imperante, ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

Pellit ab obsessis dæmones.

Per idem tempus Nicentius quidam, ex tribuno & notario, quodam pedum dolore tenebatur, vt raro in publico videretur. Cùm ad altare accessisset, vt sacramenta perciperet, calcatusq; casu à sacerdote exclamaret, audiuimus; Vade, & amodò saluus eris. Nec se ampliùs doluisse pedes tempore, quo sanctus sacerdos de hac luce migrauit, lachrymis testabatur. Sed post dies hos, ordinato sacerdote ecclesiæ Ticinensi, incidit in infirmitatem: Qua cùm plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur, Quod tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ.

Vnde conuocatis ad se nobilibus viris illius ciuitatis, quos diligi à sancto sacerdote cognouerat, partìm interminatus est illis, partìm blando sermone persuasit, vt pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderentque illi, vt sibi viuendi peteret à Domino commeatum. Quod ille vbì ab illis audiuit, respondit: Non ità inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus. Per idem tempus cùm in extrema parte porticûs, in qua iacebat, in imo positi Castus, Polemius, Venerius & Felix tunc diaconi secum tractarent, voce ità repressa, vt vix inuicèm se audirent, quis post obitum illius episcopus ordinandus esset, atq; cùm de nomine sancti loquerentur Simpliciani, tanquàm interesset tractatui, cùm longè positus ab ipsis iaceret, approbās exclamauit tertiò: Senex, sed bonus. Erat enim Simplicianus æui maturior. Qua voce audita, expauescentes fugerunt. Defuncto tamen eo, non alius illi successit in sacerdotio, nisi is quem ille bonū senem trina voce signauerat. Cui Simpliciano Venerius, quē suprà memorauimus, successor fuit: Felix verò nunc vsque Bononiensem regit ecclesiam. Castus autem & Polemius nutriti ab Ambrosio, bonæ arboris boni fructus, in ecclesia Mediolanensi diaconij funguntur officio. In eodem tamen loco, in quo iacebat, (sicut referente beato Basiano episcopo Laudensis ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cum oraret vnà cum supradicto sacerdote, viderat Dominum Iesum aduenisse ad se, & arridentem sibi. Nec multos post dies ablatus est.

Præclara vox sanctissimi patris.

Videt Christum arridētem sibi.

Sed & eodem tempore, quo à nobis migrauit ad Dominum, ab hora circiter vndecima diei, vsque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis ora-

orauit. Nos verò labia illius moueri videbamus, vocē autem non audiebamus. Honoratus autē sacerdos ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertiò vocē vocantis se audiuit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus. Quo accepto, vbi glutiuit, emisit spiritum: bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ anima refectior, angelorum nunc consortio, quorum vitam vixit in terris, & Eliæ societate lætetur: Quia vt Elias nūquàm regibus vel vllis potestatibus, ità nec iste pro Dei timore loqui veritus est. Atque indè ad ecclesiam maiorem antelucana hora, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est: Ibique eadem fuit nocte, qua vigilamus in Pascha: quem plurimi infantes baptizati, cùm à fonte venirent, viderunt, ità vt aliqui sedentem in cathedra tribunali dicerent: alij verò ascendentem suis parentibus digito ostenderent: sed illi videntes, videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant. Plurimi autem stellam supra corpus eius se videre narrabant. Sed lucescente die Dominico, cùm corpus illius, peractis sacramentis diuinis, de ecclesia leuaretur, portandum ad basilicam Ambrosianam, in qua positus est, ità ibi dęmonum turba clamabat se ab illo torqueri, vt eiulatus eorum ferri non posset. Quæ gratia sacerdotis non solùm in illo loco, verumetiā in plurimis prouincijs vsque in hodiernum diem manet. Iactabant etiam turba virorum ac mulierum oraria vel semicinctia sua; vt corpus sancti aliquatenùs ab ipsis contingeretur. Erat enim exequiarū turba innumerabilis, totius dignitatis, totiusque sexûs, omniumque penè ętatum, non solùm Christianorum, sed etiam Iudęorum & paganorum: maiore tam gratia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati.

Habes hîc communionem vnius speciei.

Quanta deuotio populi erga corpus B. Ambrosij defuncti.

Eodem, quo obijt, die, sicut textus epistolę loquitur, quæ à successore eius venerabili viro Simpliciano suscepta est, de partibus Oriētis ad ipsum, tanquàm adhuc nobiscum viuentem, directa, quæ nunc vsque Mediolani habetur in monasterio, quibusdam viris sanctis apparuit, orans cum illis & imponēs illis manus. Habet enim diem epistola, quo directa est: Qua lecta, inuenimus diem esse, quo ille defunctus est. Intra Tusciam ciuitate Florentia, vbi nunc vir sanctus, Zenobius nomine, episcopus est, quia promiserat, petentibus illis, illos se sæpiùs visitaturū, frequenter ad altare, quod est in basilica Ambrosiana, quę ibidèm ab ipso cōstituta est, visum orare, ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadem etiam domo, in qua declinans Eugenium mansit, tempore, quo Radagaisus supradictam ciuitatem obsidebat, cùm iam de se penitùs desperâssent viri ciuitatis, per visum cuidam apparuit, & promisit alio die salutem illis affuturam. Quo referente, ciuium animi sunt erecti. Nam altero die, adueniente Stilicone tunc comite cum exercitu, facta est de hoste victoria. Hæc Pansophia, religiosa fœmina, matre pueri Pansophij, referente cognouimus. Mascezeli etiam desperanti de salute sua vel exercitûs, quem ducebat contra Gildonem, baculum tenēs manu, in visu noctis apparuit, atque cùm prouolueretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens in terram senex baculo, quo regebatur, tertiò (hac enim illi specie apparuerat) ait: Hîc hîc hîc, signans locum: deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, vt agnosceret se in ipso loco, in quo sanctū Domini viderat sacerdotem, die tertia victoriam adepturum, atque ità securus bellum & inchoauit, & consummauit. Nos tamen cà Mediolani positi, ipso Mascezele referente, cognouimus: Nam & in hac prouincia, in qua nūc positi hæc describimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus, securiùs antè nobis cognita, huic libro adiungere arbitrati sumus. Sisinni etiam & Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosij in Agaumæ partibus, persequentibus gentilibus, martyrij coronam adepti sunt, cùm reliquias Mediolani summa cum deuotione susciperemus, adueniente quodam cæco & referente cognouimus, qui eodem die tacto lectulo, in quo sanctorum reliquiæ portabantur, lumen recepit, quòd per visum noctis vidisset nauem appropinquare litori, in qua erat multitudo albatorum virorum: quibus descendentibus ad terram, cùm vnum de turba precaretur, vt sciret qui essent ij viri, audierit, Ambrosium eiusque consortes. Quo audito nomine, cùm deprecâretur vt lumen reciperet, audierit ab eo: Perge Mediolanum, & occurre fratribus meis, qui illò venturi sunt, (designans diem) & recipies lumen: erat enim vir (vt ipse asserebat) de litore Dalmateno, nec se antè venisse in ciuitatem asserebat, priusquàm recto itinere reliquijs sanctorum occurrisset nōdùm videns: sed tacto loculo, videre cœpisse.

Reliquiæ martyrū à Mediolanensibus summa cū deuotionē susceptæ.

His itaque decursis, non arbitror graue videri, si paululùm promissi nostri metas excesserimus, vt Domini dictum, quod per os sanctorum prophetarum locutus est,

Psal. 100. completum esse doceamus: Sedentem aduersùs fratrem suum & detrahentem occultè, persequebar. Et alibi: Noli diligere detrahere, nè eradiceris. Vt quicunque fortè huiusmodi captus est consuetudine, cùm legerit qualiter in his, qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in alijs emendetur. Igitur Donatus quidam, natione Apher, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanēsis, cùm in conuiuio positus, in quo erant nonnulli religiosi viri, detraheret memoriæ sacerdotis, aspernantibus illis & deferentibus linguam nequam, subitò vulnere percussus graui, de eodem loco, in quo iacebat, alienis manibus subleuatus, in lectulum positus est, atque indè ad sepulcrū vsque perductus. In vrbe etiam Carthaginensi, cùm apud Fortunatum diaconum, fratrem venerabilis viri Aurelij episcopi, ad conuiuium venissem, vnà cum Vincentio Colossitano episcopo, Murano etiam episcopo Bolitano, sed & alijs episcopis & diaconibus, Murano episcopo detrahenti sancto viro, retuli exitum presbyteri superiùs memorati: quod ille de alio dictum, de se oraculum, maturo suo exitu comprobauit. Nam de eodem loco, in quo iacebat, cùm subitò vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum portatus est: atque indè ad domum, in qua hospitabatur, reductus, diem clausit extremum. Is finis virorum detrahētium fuit, quem videntes, qui tunc aderant, admirati sunt. Vndè hortor & obsecro omnem hominem, qui hunc librum legerit, vt imitetur vitam viri, laudet Dei gratiam, declinet detrahentium linguas, si vult magìs consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitæ, quàm cum detrahentibus illi subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat. Tuam etiam precor beatitudinem, pater Augustine, vt pro me humilimo peccatore Paulino, cum omnibus sanctis, qui tecum inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in veritate, orare digneris: vt quia in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere cōsortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi præmium, fugisse supplicium.

Vltio diuina in obtrectatorē sancti viri.

Exemplum aliud consimile.

EPISTOLA S. BASILII MAGNI AD S. *Ambrosium Episcopum.*

Est Epistola 55.



Magna semper & multa quidem sunt Domini nostri dona, quorum neque magnitudo mensurabilis, neque multitudo numerabilis est. Vnum verò, quod inter maxima reputari potest ab ijs, qui non difficili beneficiorum Dei in se collatorum sensu tanguntur, & presens hoc est, quod quàm longissimè propter locorū distantiam seiunctis, per literarum alloquium mutuò coalescere dedit. Largitus est autem duplicem cognoscendi modum: Vnum per præsentem conuictum & congressum: alterum per consuetudinem literariam. Quoniam igitur te per ea, quæ locutus es, cognouimus: cognouimus verò non ex eo, quòd nota quædam corporis tui menti nostræ impressa sit: sed quòd interioris hominis tui pulchritudinem veluti ex variegata sermonum pictura cognouimus. nam quisque nostrûm ex abundantia cordis loquitur. Glorificamus autem Deum nostrum, qui ex quauis mortalium generatione eos, qui sibi placuerint, deligit. Qui olìm quidem ex pastoribus ouium populo suo principem excitauit, & Amos de grege caprarum sumptum, spiritu suo instruxit, & ad propheticam dignitatem extulit: nunc verò virum ex vrbe regia, cui totius gentis principatus concreditus erat, sapientia sublimem, generis claritate, vitæ splendore, orandi facultate & rebus secularibus illustrem, ad gregum Christi pasturam traxit: qui proiectis huius vitæ opibus vniuersis, proque damno habitis, vt Christum lucrifaceret, commissa sibi magni ac præclari nauigij, Ecclesiæ videlicet Dei, in fide Christi gubernacula accepit. Agè igitur ó homo Dei, quandoquidem non ab hominibus accepisti aut doctus es Euangelium Christi, sed ipse te Dominus è medio iudicum terræ desumptum ad præsidentiam Apostolicam transtulit: certa bonum certamen, corrige ac moderare infirmitatem populi, si qua Arianæ vesaniæ labe tactus est: renoua prisca patrum vestigia, & quod dilectionis erga nos fundamentum iecisti, in ipsam structuram assiduitate mutui nostri alloquij excitare ac prouehere stude. Nam hoc pacto spiritu poterimus coniuncti esse, licèt terrestri habitatione quàm longissimè alter ab altero dissiti simus.

Literarum siue Epistolarum opportunitas.

Matth. 12.

1. Reg. 16. Psal. 77. Amos 7.

ITEM

ITEM DE B. AMBROSIO, EX ECCLESIASTICA HIST. *Theodoreti lib. 5. cap. 16. & 17. interprete Ioanne Christophorsono Angliæ Episcopo.*

OMnes communis humani generis aduersarij tendiculas vitare, non adeò facile est. Nam qui morbum intemperantiæ effugerit, idem auaritiæ laqueo irretitus tenetur. Quòd si ab illo etiam vitio sit victoriam consecutus, ex altera parte patet inuidiæ vorago, ad eum absorbendum parata. Sin autem hanc quoquè transilierit, reperiet rete sibi obiectum iracundiæ. Alias deniquè pedicas tendit diabolus hominibus propè infinitas, quibus eos illaqueatos ad exitium perducat. Habet quoquè corporis perturbationes inseruientes machinis, quas contra animos hominum fabricatus est. Sola autem mens sua vigilantia reportat victoriam: & inclinatione, qua in rerum diuinarum amorem propendet, impetum machinarum diabolicarum frangit. Quapropter admirabilis iste Imperator (Theodosius senior) humanæ naturæ particeps, à perturbationibus minimè vacuus fuit: quippe immoderata animi concitatione, cum iusta iracundia coniuncta, impulsus facinus crudele & nefarium commisit. quod quidem ad legentium vtilitatem hoc loco commemorabo: nam eiusmodi profectò est, vt Imperator iste admirabilis ob id tum in crimen meritò vocari, tum contrà summa laude ac prędicatione efferri debeat.

Varijs homines impugnantur vitijs.

Vigilās animus ea vincit.

Thessalonica vrbs est amplissima illa quidem, & multis hominibus frequentata: quæ tametsi subiecta est ditioni Macedonum, præ cunctis tamen vrbibus Thessaliæ, Achaiæ & aliarum gentium plurimarum, quas præfectus Illyriæ moderatur, primas obtinet. In hac cùm fortè seditio concitata esset, magistratus aliquot obruti lapidibus suêre, & grauibus contumelijs vexati. Quibus rebus nunciatis, Imperator bile accensus, flammam neutiquàm repressit iracundiæ, neque freno rationis eius impetum cohibuit: sed illius arbitrio permisit pronunciandæ sententiæ de supplicio Thessalonicensibus irrogando potestatem. Iracundia igitur hanc authoritatem nacta, velut tyrannus omnia suo nutu gubernans, ruptis habenis, & iugo rationis excusso, gladios iniquè contra omnes distrinxit, & insontes pariter cum sontibus trucidauit. Nam septem hominum millia, vti ferunt, interfecta fuêre: in qua occisione non iudicium antecesserat, neque authores tam horrendi facinoris iusta & legitima sententia condemnati, sed omnes simul, veluti spicæ in messe desectæ, concisi fuerunt.

Cap. 17. Thessalonicę vrbis pręstantia & dignitas.

Cæduntur multi Thessalonicenses.

Hac miseranda & lugubri calamitate cognita, Ambrosius ille, de quo suprà diximus, Imperatori Mediolanum aduentanti, & in sacrum templum ingredi cupienti, extra sacra vestibula obuiàm procedit, vetatque in templum intrare, & his ferè verbis eum affatur: Est verisimile, ô Imperator, te ignorare cædis abs te perpetratæ magnitudinem, neque post sedatam iracundiam, ratione admissum facinus peruidere. Nam Imperatorius fortassè principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas offundit rationi caliginem. Verùm quæ sit natura nostra, & quàm fragilis ac fluxa, considerandum est, & in auitum puluerem, ex quo orti sumus, & in quem recasuri, acies mentis intendenda: neque ipse splendore purpuræ deceptus, corporis illa operti imbecillitatem ignorare debes. Quinetiam illis imperas, qui & eiusdem sunt naturæ participes, atque adeò conserui. Vnus enim Dominus omnium & rex, huius vniuersitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intuebere templum illius, qui est omnium Dominus? quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Quî, quæso, manus iniusta cæde & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini acipere? Aut quomodò venerandum eius sanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente tantum sanguinis tam iniquè effudisti? Recede igitur, & ne conare nouo scelere scelus antè editum augere: sed capesse vinculum, quo vt ligeris, Dominus omnium cælitùs sententiam dat. Quod quidem vinculum vim habet, & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi.

S. Ambrosius Theodosium Imper. priuat communione, siue excommunicat.

Huic orationi obsecutus Imperator (Nam diuinis educatus eloquijs, accuratè nôrat, tum quę essent officia sacerdotum, tum quę regum propria) cum gemitu & lachrymis ad palatium reuertitur. Atque longo tēporis spatio dilapso (octo enim menses iam præterierant) Seruatoris natalitia fuêre celebrata: Imperator autē considet in palatio, lamentis se dedens, & magnā vim profundēs lachrymarū. Quod cùm animaduertisset,

Ruffinus,

Magister aulæ, idem quod præfectus palatij. Ruffinus, qui tum magister aulæ fuit, magnaque apud Imperatorem authoritate, vtpotè familiaritate ei coniunctior, ad illum accedit, rogat causam fletûs. Tum Imperator lugens acerbiùs, & maiorem in modum flens, Tu, inquit, Ruffine ludis. nam quantis ipse in malis verser, non sentis. Ego verò gemo, & meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector, quàm facilis aditus ad sacrum templum seruis & mendicis pateat, liberque illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi autem nō modò ad illum locum, verùm etiam ad cælum ipsum accessus præclusus sit. Nam venit mihi in mentē sententiæ à Domino prolatę, quæ palàm dicit: Quencūque ligaueritis super terram, erit ligatus & in cęlis. Cui Ruffinus, Curram, inquit, si placet, ad Episcopum, ei supplicabo persuadeboque, vt tua soluat vincula. At non est, inquit Imperator, tibi morem gesturus. Noui enim adeò iustam æquamque Ambrosij esse sententiā, vt non metu potestatis Imperatoriæ sit legem diuinam violaturus. Verùm cùm instaret Ruffinus, polliceretur que se Ambrosio persuasurum, Imperator iubet properè abire: ipseq; falsa spe inductus, & Ruffini confisus promissis, paulò pòst sequitur. (Matth. 18.)

S. Ambrosij egregia libertas. Vt primùm autem Ruffinum diuus vidit Ambrosius, Videris mihi, inquit, Ruffine canum impudentiam imitari. nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ità perfricuisti os, vt nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insaniuisse. Vbì verò Ruffinus obnixè eum orauerat, dixeratq; Imperatorem breuì eo venturum, sanctus Ambrosius diuino zelo accensus, Ego, inquit, Ruffine prædico me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturum. Quòd si imperiū mutârit in tyrannidē, cædem lubens equidem excipiam. Quibus auditis, Ruffinus Imperatori per internunciū significat, hortaturque vt maneat in palatio. Quæ cùm Imperator in medio foro accepisset, Eo, inquit, illuc nihilominùs, quò iustas debitasque contumelias subeam. Vbì verò ad sacros templi parietes aduenit, non ingreditur in templum ille quidem, sed ad Episcopum, qui in ędicula salutatoria sedebat, accedēs, obsecrat vt vincula sibi soluat. At Ambrosius eius aduentum dixit esse tyrannicum, eumque ipsum contra Deum insanire, & illius leges proterere. Tum Imperator, Non obstinato animo, inquit, leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nefas introire cupio: sed oro, vt mihi soluas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui est Dominus omnium, & nè mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum suorum pœniteat, patefecit. Cui Ambrosius, Quam tu, inquit, pœnitentiam post tam graue scelus admissum ostendis? Quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu sananda adhibuisti? Tuum est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, eaque temperare, & vulnera, quæ ægriùs curantur, obligare: meum autem, quæ sunt adhibita, accipere. Tum diuus Ambrosius, Quoniam, inquit, iracundiæ permisisti iudicium, & non rectę rationi, sed animo irato obsecutus sententiam pronunciâsti, conscribe legem, qua deincèps sententiæ per iracundiam pronunciatæ irritæ sint & nullius momenti: cognitionesque causarum de cæde, & publicatione bonorum ad triginta dies scriptis proditæ maneant, vtì recta ratione de illis iudicium des. Atque diebus illis confectis, qui decreta illa scripserint, mandata tua tibi ostendant. Ac tum quidem compressa iracundia, ratione sola causam expendens, inquires in decreta, & ità perspicies iniqua'ne sint, an æqua. Quòd si iniqua depręhenderis, certum est ea decreta scriptis mandata te dilaceraturum: sin æqua, confirmaturum, sicque manifestò intellecturum, numero dierum interiectarum, nihil de authoritate decretorum rectè sancitorum omninò detractum esse. (Obserua tanti Imperatoris insignē humilitatem.)

Istud consilium Imperator, quoniam prudentissimum esse censebat, libenter amplexatus, iubet extemplò legem cōscribi, suaque subscriptione confirmat. Qua re confecta, diuus Ambrosius eius vincula soluit. Itaque Imperator fidelissimus in sanctum templum ingressus, non stans Dominum precatus est, neque genibus flexis: sed pronus humì abiectus, versum illum Dauidis recitauit: Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundùm verbum tuum. atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lachrymarum guttis solum rigare, veniamque supplex petere cœpit. Vbì autem tempus postulauit, vt dona sacræ mensæ offerret, surgit, atque non minorem lachrymarum vim, quàm anteà, effundens, in sanctuarium ingressus est. Cùm verò dona, vtì solebat, obtulisset, intùs prope cancellos mansit. At rursùs magnus ille Ambrosius non conticuit quidem, sed locorum differentiam eum docuit: ac primùm sciscitatur, ecqua re egeret. & cùm respondisset Imperator, se expectare diuinorum mysteriorum perceptionem, significauit illi per primarium diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdotibus aditum patere, eademque alijs omnibus (Item publicam pœnitentiam, & eximiā virtutem. Psal. 118.)

inac-

inaccessa esse, nec debere tangi. Iubet igitur, vt exeat, & cum reliquis laicis consistat. Nam purpura, inquit, Imperatores, non sacerdotes efficit. Quam admonitionem itidèm excepit lubens Imperator fidelissimus, respondítque se non animi confidentia inductum, mansisse intra cancellos, sed hanc consuetudinem Constantinopoli didicisse. Quarè habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiam. Tantis & tam eximijs virtutis ornamentis enituit, tum Episcopus, tum Imperator. Vtrunque enim admiror, alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum propter facilem obedientiam: & illum propter diuini zeli ardorem, hunc autem propter synceram fidem. Imperator autem pietatis præcepta, quæ ab illustri illo Episcopo didicerat, etiam cùm reuertisset Constantinopolim, obseruauit. Nam cùm diuino quodam festo ad tēplum denuò veniret, statim vt dona sacræ mensæ obtulerat, exiuit. Atque cùm Nectarius, qui id temporis illius ecclesiæ antistes fuit, rogaret cur non maneret intùs, gemens inquit: Aegrè tandem didici, quid inter Imperatorem intersit & Episcopum: ægrè tandem reperi veritatis magistrum. Nam solum Ambrosium noui Episcopum, dignum eo nomine. Tantum commodi repręhensio, à viro virtute præstanti adhibita, secum apportare solet. Purpura Imperatores fac t, non sacerdotes.

Idem Theodoretus lib. 4. cap. 6. Historiæ Ecclesiasticæ: Paucis pòst diebus, inquit, cùm D. Ambrosius valdè liberè apud Imperatorem (Valentinianum seniorem) verba faceret, resque nonnullas tanquàm minùs rectè à magistratibus administratas coargueret, respondit Imperator: Noui iampridèm tuam in loquendo libertatem: qua exploratè cognita, non modò non tuæ in Episcopum ordinationi restiti, verumetiam suffragatus sum. Quarè sicut diuina præscribit lex, nostrorum animorum erratis medicinam facito.

Ex Epistola 32. libri 5. ipsius beati Ambrosij, ad Valentinianum Imperatorem.

DAlmatius me tribunus & notarius mandato, vt allegauit, clementiæ conuenit tuæ, postulans vt & ipse iudices legerem, sicut elegisset Auxentius: nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati: sed id addidit, quòd in consistorio esset futura certatio, arbitro pietatis iudicio tuæ. Cui rei respondeo, vt arbitror, competenter: nec quisquam contumacē iudicare me debet, cùm hoc afferā, quod augustę memorię pater tuus nō solùm sermone respondit, sed etiā legibus suis sanxit, in causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quinetiam si aliàs quoquè argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clemētiæ tuæ? Ille qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi fortè vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia probata est, & sapientia melioratæ reipublicæ profectibus prædicatur. Quandò audîsti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicâsse? Ità ergò quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putē esse credendum? Si docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergò disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certè si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Eris, Deo fauente, etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo fauente, vir maturioris æui dicebat, Non est meum iudicare inter Episcopos: tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare? Item infrà eadem Epistola: Si conferendum est de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino, augustæ memoriæ principe, qui nullas leges antè pręmisit, sed liberū dedit iudicium sacerdotibus &c. Iudices in causa fidei qui sint. Vide sancti viri constantiam. In Concilio Niceno.

Item ex eiusdem Oratione ad Mediolanenses in Auxentium.

VIdeo vos præter solitum subitò esse turbatos, atque asseruantes meî. Miror quid hoc sit, nisî fortè quia per tribunos me vidîstis aut audîstis Imperiali mandato esse conuentum, vt quò vellem abirem hinc, & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergò nè ecclesiam desererem,

Non vult deserere ecclesiam suã, licèt iussus ab Imperatore.

desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipse mandauerim, potuistis aduertere: deserendæ ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plùs Dominum mundi, quàm seculi huius Imperatorem timerem. Sanè si me vis aliqua abduceret ab ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem. Paratum me esse, vt si ille faceret, quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consueuit. Quid ergò turbamini? Volens nunquàm vos deseram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersùs arma, milites, Gotthos quoquè, lachrymæ meæ arma sunt. talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo nec possum resistere. Fugere autem & relinquere ecclesiam non soleo, nè quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi, quòd Imperatoribus soleam deferre, non cedere: supplicijs me libenter offerre, nec metuere quæ parantur. Vtinàm essem securus, quòd ecclesia hæreticis minimè traderetur, ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, vt in palatio magis certarem, quàm in ecclesia. Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat? Circunfusi milites, armorum strepitus, quibus vallata est ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant, nè dum me tenetis, perniciosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Ego enim iam didici non timere, sed vobis timere plùs cœpi. Item infrà: Non metuit arma, non Barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. & post multa: Si Nabuthe vineam nõ tradidit suam, nos trademus ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dixi enim cõuentus: Absit à me, vt tradam Christi hæreditatem. Si ille patrum hæreditatẽ non tradidit, ego tradam Christi hęreditatem? Sed & hoc addidi: Absit, vt tradam hæreditatem patrum, hoc est, hæreditatem Dionysij, qui in exilio in causa fidei defunctus est: hęreditatem Eustorgij confessoris, hæreditatem Myroclis, atque omniũ retrò fidelium Episcoporum. Respondi ego quod sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est, vt animam mihi, quàm fidem auferat.

Non terretur vllis periculis.

3. Reg. 21.

Ex Epistola 33. eiusdem lib. 5. ad Marcellinam sororem suam.

Nõ vult Arrianis permittere basilicam.

CONuenior ipse à Comitibus & tribunis, vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti, eò quòd in potestate eius essent omnia. Respondi, si à me peteret quod meũ esset, id est, fundum meũ, argentum meũ, ius huiusmodi meum, me nõ refragaturum: quanquàm omnia quæ mea sunt, essent pauperum: verùm ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimoniũ petitur, inuadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Voluptati est mihi. Non ego me vallabo circunfusione populorum, nec altaria tenebo vitã obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor. Et infrà: Mandatur deniquè: Trade basilicam. respondeo: Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterùm dicitur mandâsse: Debeo & ego vnam basilicam habere. respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Et infrà: Deniquè etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me viuo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi, vt impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadonis. Atque vtinàm Dominus auertat eos ab Ecclesia, & in me omnia sua tela conuertant, meo sanguine sitim suam expleant.

Matth. 22.

Ecclesiæ hęreticorum, adulteræ.

VITA

VITA BEATI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, PER B. BRAVLIVM CAESARAVGVSTAnum antistitem descripta.

Habetur in fine operis eiusdẽ Isidori de Viris illustribus.



ISidorus vir egregius, Hispalensis ecclesiæ episcopus, Leandri episcopi successor & germanus, floruit à tempore Mauritij Imperatoris & Recaredi regis, in quo quicquam sibi antiquitas vendicauit: immò verò tempus antiquitatis in eo scientiam imaginauit: vir in omni genere locutionis famatus & peritus, doctusque qualitate sermonis existens & apertus. Congrua verò opportunitate loci, incomparabiliter eloquentia clarus. Iam verò quantus sapientia fuerit, ex eius diuersis studijs & elaboratis opusculis perfacilè prudens intelligere potest. Deniquè de his, quæ ad nostram notitiam peruenerunt, ista commemorabo: 4. Aprilis.

Edidit enim libros Differentiarum duos, quibus subtili discretione ea, quæ confusè vsu prę feruntur, sensu discreuit. Prooemiorum librum vnum, in quo quid quisque sanctæ scripturæ liber contineat, breui subnotatione distinxit. De ortu & obitu patrum, in quo gesta dignitatemque & mortem eorum atque sepulturam sententiali breuitate subnotauit. Ad germanum suum Fulgentium Astigitanum episcopum, Officiorum libros duos, in quibus originem officiorum, cùm vnumquodque in Ecclesia Dei agatur tempore suo, non sine maiorum authoritate elicuit. Synonymorum libros duos, in quibus ad consolationem animi, & ad spem percipiendæ veniæ, intercedente rationis exhortatione erexit. De natura rerum ad Sisebutum Regem, vnum, in quo tam de Ecclesiasticorum doctorum, quàm etiam de Philosophorum indagine, obscura quædam de electione absoluit. De Numeris librum vnum, in quo Arithmeticam, propter numeros ecclesiasticis scripturis insertos, & ex parte tetigit disciplinam. De nominibus Legis & Euangeliorum librum vnum, in quo ostendit quid memoratæ personæ mysterialiter significent. De hæresibus librũ vnum, in quo Maiorum secutus exempla, breuitate qua potuit, diffusa collegit. Sententiarum libros tres, quos floribus ex libris Papæ Gregorij Moralibus decorauit. Chronicorum à principio mundi vsque ad tempus suum, librum vnum, nimia breuitate collectum. Contra Iudęos, postulãte Florentia germana sua, proposito virgine, libros duos, in quibus omnia, quæ fides Catholica credit & legit, etiam prophetarum testimonijs approbauit. De viris illustribus librum vnum, cui nos ista subiungimus. Monasticę regulæ librum vnum, quam pro patriæ vsu & inualidorũ animis decentissimè temperauit. De origine Gotthorum, & regno Sueuorum, & etiam Vandalorum historiæ librum vnum. Quæstionum libros duos: quos qui legit, veterum tractatorum multam supellectilem recognoscit. Etymologiarum codicem nimiæ magnitudinis, distinctum ab eo titulis, non libris: quem quia rogatu meo fecit, ego in viginti libris diuisi: quos omnes omnimodæ philosophiæ repletos, quisquis crebra meditatione perlegerit, non ignorabit diuinarum humanarumque rerum scientiam. Et meritò: est enim ibì redundans diuersarum artium elegantia, vbi quæcunque fert scribi, restricta collegit.

Scripta S. Isidori.

Regulã monasticã scripsit.

Sunt autem alia huius viri opuscula multa in Ecclesia Dei cum ornamẽto inscripta. Quem Deus post tot defectus Hispaniæ nouissimis tẽporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorũ monumẽta, nè vsquequaquè rusticitate veterasceremus, quasi quandam lucem apposuit destinari, cui non immeritò illud philosophicum à nobis appropriatur: Nos, inquit, in nostra vrbe peregrinantes, errantesque quasi hospites, tui libri tanquàm domum reduxerunt, vt possimus aliquandò, qui & vbi essemus, agnoscere. Tu autem patrię in descriptione temporum & sacrorum vitis sacerdotum, tu domesticam publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti.

Quanto verò flumine eloquentiæ, & quot iaculis diuinarum scripturarũ seu patrum testimonijs, Acephalitarum hæresim confuderit, synodalia gesta, coram eo specialiter acta, declarant, quæ contra Gregorium, pręfatæ hæresis antistitem, eam asserunt veritatem. Obijt temporibus Heraclij Imperatoris, & Christianissimi Scintillani Regis, summa doctrina præstantior cunctis, & copiosior operibus charitatis.

Acephalorũ hæresin oppugnauit.

VITA SANCTAE VIRGINIS THEODORAE, ET DIDYMI MARTYRIS, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

Et Latina quidem Martyrologia habent hanc historiam 28. Aprilis, aiuntque Theodoram vnà cum Didymo percussam: sed cùm Metaphrastes habeat Didymum Nonis Aprilis cæsum, Theodoram autem euasisse, nos eam quinto Aprilis die cum Metaphraste collocauimus.

5. Aprilis.



Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Præside Alexandrinæ ciuitatis Eustrathio, edictum quoddam aduersùs Christianos missum fuit, vt vel dijs immolarent, vel supplicio afficerentur. Cùm verò Præses ille pro tribunali sederet in magna Alexandrinorum ciuitate, iussit cohortem accersire Theodoram virginem, quę nupèr capta fuerat, & in carcere seruabatur. Quam cùm duxisset: Præstò, inquit cohors, est Theodora. Iudex igitur: Cuiúsnam sortis es mulier? Christiana, inquit Theodora, ego sum. At ille: Liberáne, an serua? Dixi iam, inquit ipsa, Christianam me esse: Christus enim veniens, à peccato me liberauit. Quòd verò & ad vanam atque inanem mundi huius gloriam attinet, claris parentibus orta sum. Tunc Iudex Quæstorem accersiri iussit. Quem cùm cohors præstò esse dixisset: Dic, inquit, Luci: Nostine Theodoram virginem? Cui Lucius: Per tuam, Præses, valentem vitam ac splendorem, nobilissima est, multæque existimationis & primi generis mulier. Quarè, inquit Iudex, cùm sis ità nobilis, nuptias recusâsti? Theodora respondit: Christi causa nubere nolui. Cùm enim ille homo factus in mundo versaretur, ab ea, quæ semper virgo & Dei mater fuit, genitus, à corruptione nos remouit, & sempiternam vitam nobis promisit. Itaque fore mihi persuadeo, vt in eius fide permanens, ad finem vsque incorrupta & intacta sim.

Constans cōfessio S. Theodoræ.

Generis nobilitas.

Cur noluerit nubere.

Tunc Iudex dixit: Imperatores iusserunt, vos, quæ virginitatem semper seruatis, aut dijs immolare, aut iniuriosiùs tractari. Arbitror, inquit Theodora, te non ignorare, hominis propositum Deo ipsi inprimis gratum esse: is verò animum meum atque propositum castum esse cognouit. Quòd si me id pati, quod dicis, & violari coëgeris, non erit hæc impudicitia, sed vis & iniuria. Iudex autem: Cùm te ingenuam esse nouerim, & tuî rationem habere cupiam, admoneo, nè contumeliosiùs te geras: nihil enim proficies. Nam, per deos omnes, sententiam hanc Imperatores tulerunt. Tùnc illi Theodora: Et priùs, inquit, tibi dixi, hominis propositum atque animum Deo gratum esse. Cùm enim omnia ille pernoscat, cogitata etiam nostra scit, & mentes ipsas perspicit. Quamobrèm si coacta fuero facere quod dicis, impudicam me factam nunquàm existimabo. Siue enim caput meum, siue manus, siue pedes abscindere, siue totum corpus dilacerare volueris, hoc quidem per vim ac potestatem, quam habes, facere poteris. Similiter lupanari tradar, nécne, in arbitrij mei potestate non est, sed in manu tua, cui per imperium vim licet inferre. Quòd verò ad animi mei propositum attinet, certum est Deo ipsi castitatis meæ professionem seruare: illi enim virginitas mea dicata est: ille certus huius rei Dominus est: ille, si voluerit, virginitatem hanc meam, possessionem suam, incolumem atque intactam seruabit.

Virginitatē suā Deo dicauit.

Iudex verò ait: Noli, Theodora, ætatem tuam honestè actam, totam iniuriæ & probris obijcere: nam, vt Vrbis Quæstor testatus est, his parentibus orta es, qui nobilitate atque existimatione cumprimis excellunt. Ad hæc Theodora: Christum, inquit, primùm confiteri debeo, qui & Deus est, & omnis nobilitatis, honorisque author, qui scit & me columbam suam puram & incolumem ad finem vsque seruare. Tum Iudex dixit: Cúrnam erras, ó Theodora? Eúmne Deū credis, qui fuit in cruce suffixus? An qui talis est, te in lupanar cōiectam, intactam seruare poterit, ab his prēsertim viris, qui mulierum amoribus insanire soliti sunt? Fidem, inquit Theodora, & spem habeo in Christo, qui Crucem perpessus fuit sub Pontio Pilato, fore, vt me ab iniquis istis viris eripiat, & à labe omninò liberam seruet, in eius fide premanentem, neque vnquàm eum negantem. Iudex verò: Adhuc te nugantem patior, necdùm iubeo tormentis subijci.

At

At si contendere non destiteris, vt ancillam aliquam te prosternens, faciam quod domini atque Imperatores nostri iusserunt, vt & reliquis mulieribus exemplū fias. Ad hęc Theodora: Parata sum corpus meum, cuius potestatem habes, tibi tradere: anima verò ipsa in solius Dei manu est ac potestate. Tum Iudex: Excęcate illam statim, eique dicite, nè insanire ampliùs velit, sed cedere & dijs ipsis immolare. Minimè, inquit Theodora, per Deum ipsum dæmonibus sacrificium aut cultum afferre volo, cùm Deum adiutorem habeam. Ad hæc Iudex: Quid me cogis tibi honestissimæ fœminę iniuriam facere? Ausculta mihi, ô stulta, nè in tantam turbam incidas eorum, qui sententiā expectāt, quæ contra te feratur. Non sum amens, inquit Theodora, quæ Deū confiteor, & ipsum adiutorem habeo. Quam enim iniuriam mihi fore putas, ea res honorem & gloriam sempiternam mihi comparabit. Tum Iudex: Ego non ampliùs te feram, sed Imperatorum iussa exequar: futurum enim existimans, vt persuaderi posses, diutiùs te ferebam. Quòd si tibi parcens, id minùs curabo, quod iussus fui, Imperatores contemnere videbor. Illi autem Theodora ità respondit: Sicut ipse Imperatores metuis, quodque ab illis iussus es, id facere studes: ità & ego studeo non negare Deum meum: timeo enim & ipsa verum illum Imperatorem Deum contemnere. Contentiosè, inquit Iudex, mecū agis, & æternorum Imperatorum iussa negligis, & me, tanquàm imbellem aliquem, despicis. Adhuc trium dierum tempus tibi condono, ac per deos omnes, nisi animū mutes & sacrifices, in lupanar te tradam, vt mulieres omnes te ità tractari videntes, turpitudine tua castigentur. At Theodora: Et nunc idem Deus est, & semper, qui non permittet, vt eum derelinquam. Peto autem vt intactā ac puram me seruari iubeas, quoad sententiam tuleris. Tunc Iudex ait: Theodoram sub tuta custodia seruate vsque ad tres dies, si fortè resipiscens, sibi ipsa persuaserit, vt à tali contentione desistat. Quin & præcipio, nè permittatis aliquem ad eam ingredi, & cum ipsa versari, propterea quòd familia nobili & honesta nata est.

Non curat minas Iudicis.

Prudens S. Theodoræ responsum.

Seruatur triduo in custodia.

Post tres dies cùm Iudex in tribunali sederet: Adducatur, inquit, Theodora. Cohors ait: Domine, præstò est Theodora. Tum ille: Si resipuisti, & tibi iam persuasisti, nunc sacrifica, & esto libera: puto enim te nequaquàm sapere, in eodem proposito persistentem. Respondit Theodora: Et anteà dixi tibi, & nunc eadem dicere non recusò, castitatis meæ professionem, Christi causa susceptam esse, qui fuit incorruptę vitæ prędicator, meamque confessionē ipsius Dei gratia fieri. Eius igitur Domini & Dei confessio per me prædicetur, & ipse videat (scit enim) quomodò suam virginē puram conseruet. Per deos ipsos, inquit Iudex, dominorum iussa veritus, nè fortè illis nō obediens, periclitер, aduersùs te faciam, quod sum iussus. Quoniam verò in lupanar tradi maluisti, quàm dijs ipsis sacrificare, videamus, num te seruet Christus ille tuus, propter quem in contentione ista persistere voluisti. Id cùm Iudex dixisset, ad cohortem versus: Tradatur, inquit, ista in lupanar. Tūc ait Theodora: Tu, Deus, qui occultas res inspicis, qui nouisti omnia, priusquàm illa fiant, qui ad hodiernum vsque diem mihi affuisti, & intactam in ea re me seruâsti, quam tibi promisi, ipse & posthàc me custodias, & à profanis & iniquis eorum manibus, qui parati sunt ancillæ tuæ iniuriam inferre, incolumem & integram serues. Hæc cùm illa dixisset, ad lupanar ducta est: ad quod ingressa, oculos ad cælū erexit, & ait: Tu Pater Domini nostri Iesu Christi me adiuua, vt ab his canibus eripiar. Tu, qui Petrum in carcere adiuuisti, eumque ab iniuria liberum illinc eduxisti, & me hinc ab iniuria incolumem educas, vt omnes videant, meque seruam tuam esse cognoscant.

Virginitatem se dicit Christi causa professā.

Ducitur S. Theodora in lupanar.

Act. 12.

Turbæ autem illæ eam, vt lupi agnam, circundantes, certatim studebant pro se quisque ad eam ingredi, & vt canes in feram aliquam, & accipitres in columbam, ità in eam turbæ inhiantes ingredi festinabant. Cæterùm neq; tunc Christus ipso cessabat, sed cùm quendam ex fratribus præparâsset, ad eam illum misit. Quidam enim religiosissimus frater, qui Dei negocia tractare optimè didicerat, & quemadmodùm aliquē ex Dei voluntate diuitem fieri deceret, benè nouerat, ille cùm è rebus bonis semper aliquid ampliùs appeteret, & sibi comparare studeret, duplicem martyrij coronam sibi conciliauit, & regnum cælorum hoc modo rapuit. Cùm enim militari habitu se induisset, primus ad eam ingressus est, quasi vnus ex impudentium & intemperantium hominū numero esset. Eius igitur hominis nouam & peregrinam figuram sancta illa virgo Theodora cùm vidisset, fuit perterrita: ea enim res multum iniuriæ ac turpitudinis præ se ferebat. Quamobrèm ancipiti & dubio animo carceris angulos circumibat, secum cogitans, num à Christo ipso relicta esset.

Vir pius sub militari habitu eā liberat.

At

At sanctus Didymus (ità enim vocabatur) vt germanus frater, incipiens eam affari: Non sum, inquit, id, quod vides. extrinsecùs enim lupus videor, intùs verò sum ouis mansueta. Nè spectes exteriorem hanc vestem, sed interiorem & promptum animi affectũ consideres. Frater enim sum in aliena figura, contra diabolum sapiens, eorum quidem veste indutus, qui sunt illius ministri: vt ità huc ingrediens non agnoscerer, (erant enim, qui huc venientem speculabantur) & Domini mei preciosam possessionem, & Dei columbam eam seruare possem. Sed agè vestem mutemus: tibi Deus ipse victoriam largitur: me verò coronat sanctus, & qui sine maculata est, agnus ille, qui tollit peccata mũdi. Exi tu, & ad Dominum ito: ego propter Dominum hìc remanebo. Hac mea veste, quam timebas, induaris. Esto tu pro me, vt est ab Apostolo dictum: Estote, vt ego, quoniam & ego, vt vos. Ille quidem hæc dicebat: Theodora verò libenter ei obtẽperabat. Nouit enim ab illo ipso Deo, qui misit in lacum leonum prophetam Abacuc, vt Danieli, qui & ipse propheta erat, cibum impartiret, quique & leonũ ora obstruxit, militem illum tunc ad se missum, vt ipsius habitu occultata, & illinc erepta seruari posset.

Iohan. 1. Galat. 4. Dan. 14.

Illa igitur virgo militis habitum sumpsit, ocreisque, quibus anteà miles vti consueuerat, crura sua contexit: cùmque reliqua veste se induisset, capiti galeam imposuit, eiusq; armis acceptis, illo ipso, quẽ, qui ei adstiterat præcepit, ornatu induta egressa est. Admonita etiam fuit, nè quem adspiceret, propter eorum luporum impudentiam atque audaciam, néve aliquem alloquéretur: sed rectà ad portam tenderet, & Iesum ipsum viæ ducem sibi proponeret. Et illa quidem illinc egressa, vt columba quædam alas quatiens, atque in cælum tendens, ex accipitris ore, vel agna è leonum faucibus, euasit. Frater verò ille sedebat, de sorore non ampliùs solicitus, & spirituale prandium expectans. Cumque se capitis tegumento induisset, eo in loco sedebat. Erat autem ità coronatus, vt si aduersarium ipsum vicisset. Interuallo autem temporis, quidam ex insanientiũ numero intemperantiæ seruus, ità vt erat impudens, illuc tanquam ad virginem ingredi ausus, cùm virum pro virgine offendisset, mente perculsus secum ipse dicebat: Nunquid virgines in viros transfert Iesus iste? Miles ille, qui ante me huc ingressus est, exijt. Quis'nam igitur hic est, qui sedet? Vbinam virgo illa, quæ hìc inclusa erat? Audiui aliquandò à Iesu ipso aquam in vinum conuersam: nunc maius quiddam video: virginem enim in vinum mutauit. Timeo nè & me in mulierem cõuertat. Ille verò cùm opportunè sororẽ eripuisset, factum sum non occultauit: sed clara voce, Non mutauit, inquit, me Dominus, sed & mihi & illi coronam dedit. Quam igitur habebatis, eam non habetis: quique vobis non erat, cum nunc habetis. Virgo illa, virgo est, vt anteà: miles verò Christi Iesu athleta nunc est.

Theodora exit è lupanari, habitu militari induta.

Iohan. 2.

Egressus igitur, qui fuerat paulò antè ingressus, quod factum erat, nunciauit. Id autem Iudex audiens, iussit eum ante tribunal sisti. Quem præsentem cùm vidisset, eum interrogans ait: Quod'nam tibi nomen est? Didymus, inquit ille, ego appellor. Tunc Iudex: Et quisnam tibi suggessit, vt istud faceres, ac me contemneres? Cui Didymus: Deus me misit, vt hoc facerem. Confitere, inquit Iudex, antequàm tormentis subijciaris. Vbinam est Theodora illa virgo? Respondit illi: Per Christum Dei filium, vbì ea sit, nescio. Illud scio, ac persuasum habeo, quòd cùm Dei sit serua, & Deum ipsum satìs confessa fuerit, intactà permansit: quam Deus ipse incolumẽ & à labe purã seruauit. Itaque quod factum est, non mihi, sed Deo ipsi tribuo: quoniam secundùm fidẽ ipsius fecit illi Deus, quemadmodùm & ipse nôsti, si fateri velis. Tunc ait Iudex: Cuiúsnam sortis homo tu es? Christianus, inquit Didymus, ego sum, à Christo liber factus. At Iudex: Cruciate istum vehementer duobus modis, propter eius petulantiam. Peto, inquit Didymus, vt quod ab Imperatoribus tuis iussus es, celeriter expedias. Cui Iudex: Per deos duplicia tormenta tibi reposita sunt, nisì dijs ipsis sacrifices. Quod si feceris, prius illud facinus tuum audax condonabitur. Ego, inquit Didymus, re ipsa tibi ostendi, me Dei athletam esse: propter finem enim mihi repositum hoc facere aggressus fui, vt & virgo ipsa, virgo remaneret, & ego Dei confessionem manifestè profiterer: nam in Dei fide permanens, tormenta non sentiam. Itaque celeriter fac, quod videtur: non enim dæmonibus immolo. Nam & si in ignem me tradere volueris, illinc etiám Deus me potest eripere.

Ingenua S. Didymi confessio.

Tunc illi Iudex: Tantæ audaciæ causa caput tibi abscindetur: & quoniam dominorum atque Imperatorum nostrorum præceptum contempsisti, reliquiæ tuæ in ignem tradẽtur. Ad hæc Didymus: Benedictus, inquit, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consilium meum non despexit, sed & Theodoram ancillam suam integram seruauit,

S. Didymus capite plectitur.

nauit, & me per duo tormenta coronabit. Cumque ſententiam à Iudice latam accepiſſet, ſecuri percuſſus eſt. Quo facto, eius corpus in ignem fuit coniectum. Martyrio autem functus eſt ſanctus Didymus Nonis Aprilis, regnante in cælis Domino noſtro Ieſu Chriſto: Quoniam ipſi eſt gloria cum Patre & ſancto Spiritu nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

F. LAVREN. SVRIVS LECTORI PIO.

Hanc hiſtoriam aut certè conſimilem prolixè ſcribit S. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus lib. 2. de Virginibus: ſed eam quòd in quibuſdam nonnihil ab hac diſcrepare videatur, in viceſimumoctauum Aprilis diem transferemus, quo die Latina Martyrologia Theodoræ & Didymi martyrium habent, vt lector vtrobiquè, hoc eſt, & quinto iuxta Metaphraſten, & 28. Aprilis die iuxta Latinos, hanc egregiam habeat hiſtoriam.

S. AMPHIANI martyrium quære ſuprà 2. Aprilis.

MARTYRIVM S. THERMES ET PHERBVTAE EIVS SORORIS, EIVSQVE ANCILLAE, AVTHORE *Simeone Metaphraſte*.



TEmpore noſtræ perſecutionis, Regina repentè in morbum incidit: quæ cùm Iudæorum Crucis inimicorum, eſſet ſtudioſa, eosque libenter audiret, acceſſerunt ad eam atque dixerunt, Simeonis epiſcopi, cognomento Iombaphæi ſorores, vt fratris necem vlciſcerentur, venenum ipſi, quo interiret, miſcuiſſe. Quod cùm ad Regis aures perueniſſet, ſancta Therme ſtatim cum ſorore & ancilla comprehenſa eſt. Erat autem hæc virgo ſacris in rebus exercitata: immò verò omnes erant in Ieſu Chriſti fide optimè inſtitutæ. Habita de illis quæſtio fuit in palatio. Maupta enim Magorum princeps cum duobus alijs principibus Regis mandato Iudex fuerat conſtitutus. Cùm autem ſancta Therme cum duabus reliquis in iudicium eſſet adducta, perſpecta Iudices pulchritudine ipſius (erat enim forma admodùm venuſta) improbo ſinguli amore vehementer exarſerunt: nemo tamen alijs rem indicauit. Sic igitur illas ſunt allocuti: 5. Aprilis. Maupta princeps Magorum.

Cur orbis terrarum Reginæ ac dominæ veneficium paràſtis? Quo quidem crimine dignæ eſtis mortis ſupplicio. Hic ſancta Therme reſpondens: Cur nos, inquit, in crimen vocatis, quod à veritate abeſt quàm longiſſimè? Cur nobis calumnias ſtruitis? Si ſanguinem noſtrum ſititis, quid vobis impedimento eſt, quo minùs illum bibatis? Si mortem noſtram optatis, eccè manus veſtræ quotidiè cædibus coinquinantur: & nos propter Deum noſtrum mâlumus mori, quàm ipſum abnegare: eſt enim vita noſtra. Et quemadmodùm ſcriptum eſt, vt vnum Deum adoremus, & illi ſoli ſeruiamus, ſic etiam facimus. Et cùm alibì ſcriptum ſit: Maleficos non ſines viuere: quomodò nos maleficæ, quæ ſcelus id grauius propè Dei abnegatione iudicamus? Vtrique profectò crimini mors propoſita eſt. Audiebant Iudices virginem cum voluptate, & pulchritudinis atque ſapientiæ ipſius admiratione loqui non poterant. Sed quiſque ſecum ipſe ſic cogitabat: Regem hortabor, vt illas liberet, & hanc mihi vxorem ducam. Mauptas autem: Vix tandèm rectè, inquit, dixiſti, vobis non licere eſſe maleficis: Verùm fraternæ mortis vlciſcendæ cauſa id perpetràſtis. Ad hæc virgo ſancta reſpondit: Quid mali fratri noſtro accidit, vt nos propter ipſum à Deo viuente vitam noſtram ſeiungere debeamus? Quamuis enim vos illum improbitate veſtra & æmulatione interfeceritis, tamen viuit, & gaudet in regno cæleſti: quod quidem regnum, potentiam & imperium veſtrum euertet. Quæ illa cùm diceret, iuſſerunt eas in carcerem duci, & cuſtodiri. Thermes conſtantia. Deut. 6. & 10. Exod. 22.

Diluculo autem miſit ad eam Mauptas nuncium, qui diceret: Si vis, orabo Regem, vt liberet vos à morte, & eris mihi vxor. Quibus verbis auditis, ſtrenua virgo, & ſi non potuit non commoueri, tamen ità reſpondit: Os tuum obſtrue, canis immunde, inimice Dei, & omnis veritatis: nec audeas ampliùs verbum impurum effundere in aures meas. Neque enim iſta cogitatio cadit in mentem meam. Abſit. Semèl enim dicata ſum Chriſto Domino, cui virginitatem meam ſeruo, & fidem ac veritatem tueri ſtudeo. ſolus enim eſt ſine peccato, & liberare me poteſt ab immundis manibus, & impuris En quantū abominatur coniugium virgo Deo dicata.

 cogi-

cogitationibus vestris. Mori non timeo, nec vllum cædis genus reformido. Hæc enim via, quam mihi adornatis, me ducet ad charissimum fratrē meum Simeonem, vt dolorum & gemituum, quos post necem ipsius pertulit anima mea, solatium & consolationem accipiam. Miserunt itidèm ad eam reliqui duo Principes nūcios: quos illa pariter cum indignatione reiecit. Quamobrèm cùm se victos ab illa perspicerent, & cupiditatem suam inanem esse animaduerterent, consilium inierunt, & falsum atque iniquum ad Regem testimonium detulerunt, eas esse maleficas, asserentes.

Quo Rex audito, decreuit, vt nisi Soli immolarent, occiderentur. Quod quidem decretum cùm ad eas perlatum esset, responderunt, se Deum, cæli ac terræ effectorem adorare: nolle autem honorem Deo debitum, Soli ab ipso procreato tribuere: nec vllis minis posse à charitate Saluatoris & Domini sui Iesu Christi reuocari. Quæ cùm dixissent sanctæ Virgines, vno Magi consensu magnaque voce è terra tollendas pronunciârunt, quòd Reginæ pharmaca præparâssent, quibus interiret. Statìm igitur Rex hanc in eas sententiam tulit, vt quo mortis genere Magi vellent, afficerētur. Negabant enim homines impij atque impuri, fieri posse, vt Regina conualesceret, nisi virginum corpora duas in partes ità dissecarētur, vt Regina per medium illarū incederet. Sed Mauptas rursùs, cùm ad supplicium ducerentur, ad sanctam misit, qui diceret, si vellet sibi obsequi, curaturum, vt nec ipsa, nec reliquæ puellæ interficerentur. At virgo sancta, clara voce: Canis, inquit, immunde, cur hæc loqueris, quæ ego audire non possum? Ad finem enim huius vitæ peruenire cupio, vt perpetuò viuam. Absit, vt caducam hanc mihi vitam parem, qua morte peream sempiterna.

Nec audire sustinet coniugij mētionem, sciēs id sibi non licere.

Eduxerunt igitur illas extra ciuitatem, & pro vnaquaque ipsarum binos palos ità defixerunt, vt vni eorum collum, alteri pedes earū alligarent: Et cùm eas sic extendissent, assumpta serra fabrili, singulas in binas partes dissecuerunt. Et terna ligna procera in vna parte viæ, terna in altera cōstituerunt, illisque sanctarum virginum corpora suspenderunt. O spectaculum horrendum ac miserabile, spectaculum lachrymis, luctu, stupore & gemitu prosequendum. Si quis lachrymas non habet, accedat, & erumpent ex oculis eius fontes lachrymarum. Eccè corpora candida & sancta tropheum in via constituunt, in quibus illæ omni vitæ suæ tempore grauitatem & virginitatem coluerunt. Libertas in ignominiam versa est earum, quæ modestiam & æquitatem in proprio thalamo exercebant. Eccè gloria mutata est in contumeliam. Quandiù quiescet & expectabit Diuina iustitia? Sed cùm ad iudicandum exurget, non parcet ampliùs, nec miserebitur. Quàm multa audet superbia: quæ tamen cùm ceciderit, non consurget, nec habebit vbi consistat. Hæc profectò Sanctarum ligna fructus iustitiæ ferunt. Verè isti sunt Arabiæ lupi crudeles, bibentesq; sanguinem, qui virgines has secuerunt ac suspenderunt. De ipsis cogitabat beatus Propheta cùm diceret: Viuentes vtiquè absorbuissent nos. Cùm irasceretur furor eorum in nos, viuentes ad inferos deduxisset nos. Quis tam horribili facinore lætari potuit? Quis tam immane spectaculum sine lachrymis intueri? Nemo profectò. Aut si quis potuit, is ab hominis natura est alienus, nec ex genere Adam profectus est.

Horrendū supplicium.

Psal. 123.

Tulerunt igitur infelicem Reginam, quæ in ea via per sanctarum corpora transijt, magna illam caterua prosequente. Rex enim diem illū celebrabat. Martyrio coronata est sancta Therme, cū sorore & ancilla, Nonis Aprilis, in Christo Iesu Domino nostro: cui gloria cum sanctissimo Patre, & benignissimo ipsius Spiritu vitæ largitore, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA B. VINCENTII VALENTNII, COGNOMENTO FERRARII, PROFESSIONE DOMINICANI, sanctitate, doctrina, miraculisque clarissimi.

PROLOGVS EPISTOLARIS FRATRIS PETRI RAVZANI *Panormitani, ad Reuerendum Magistrum ordinis Prædicatorū Martialem Auribelli, in sequentem historiam S. Vincentij confessoris.*



SI Maiorum nostrorum, qui post nostrum inclytum ducem Dominicum, Ordinis Prædicatorum gubernationem habuerunt, facta, dicta, gesta, instituta diligēter repetere, & cum eis ea, quæ à te gesta sunt, ex eo tempore, quo Dei prouidentia eiusdem Ordinis summus magister creatus es, conferre voluerimus, pater reuerendissime, certè satis compertum habe-

habebimus, quòd nullo eorum inferior, multis æqualis, plurimis verò præstantior habearis. Nam si laudari solent illi, qui Prædicatorum Ordinem fundauerunt: laudandus quoquè es tu, quandoquidem ea, quæ ipsi fundauerunt, & quæ tu reperisti vetustate collapsa, & penè interitura, diligenter erexisti, prudenter auxisti, sapientissimè conseruâsti. Solent illi laudari, quòd studiosos bonarum artium amauerunt: sed non minùs & tu laudari dignus es, qui omnia Italiæ loca, & multa extra Italiam, in quibus olìm nostrorum fratrum publica studia literarum esse consueuerant, quæ tu ob iacturas, quas noster Ordo multis annis anteà passus fuerat, diruta inuenisti, pro singulari animi tui virtute in splendidiorem cultũ restituisti. Omitto eas virtutes, quibus præditos esse oportet eos, qui alios gubernant, præsertìm iustitiam, clementiam, mansuetudinem, liberalitatem: in quibus certè nemine inferior, omnium prudentium virorum iudicio, existimaris. Ad vniuersas verò has & alias virtutes tuas, quas prætermissas hoc loco facio, illud vnum accedit, quod est omnium præstantissimum. Nam cùm annis centum & triginta, ante quos floruit illud singulare Christianæ Ecclesiæ lumen, Thomas Aquinas, vsque ad hanc ętatem ferè innumerabiles vtriusque sexûs homines in diuersis mundi partibus habuerimus, qui tam doctrinarum multarum vbertate, quàm vitæ sanctitate & crebra miraculorum coruscatione claruerunt: tamen tanta fuit nostrorum patrum seu negligẽtia, seu pusillanimitas, vt eorum mirifica vita paucis nota, & ferè in obscuro sit: cùm tamen nonnulli ex eis in sanctorum Martyrum, multi in Confessorũ, alij in Virginum catalogo asscribi ac collocari dignissimè mererentur. Inter quos ille vir præcipuus fuit, vir, inquam, Apostolicus, beatus Vincentius Valentinus: qui veluti sol cæteras stellas claritate, sic ipse vitæ sanctimonia, verbi Diuini præconio, ac variorum miraculorum coruscantia cæteros superauit. Et tamen cùm quinque & triginta anni vsque ad presentem annum fluxerint, quòd ex nostra luce discessit, neminem ex nostris habuimus, cui tanta diligẽtia aut tantus animus esset, vt à summis Pontificibus cum catalogo sanctorum asscribi postulâsset. Quæ res facilè fieri potuisset, quandoquidem viri sanctitas erat ferè toti mundo notissima, & nominis eius erat fama celeberrima. Supererant pręterea illi Romani Pontifices, quibus erant cognita mirabilia opera eius, & vtilitas, quam ex fructu doctrinæ eius (quam longè lateque diffudit) fuit Christiana respublica consecuta. Tu verò, pater sapientissime, sicut doctrina multos ex his, qui te in nostri Ordinis maximo magisterio præcessêre, sic & animi magnitudine superare contendis. Nam dimittens tui regiminis gubernaculum, elegisti pio illi sanctoque negocio dare operam, quod ab alijs neglectum est: vt videlicet industria, vigilantia, prudentia tua Nicolao pontifici maximo, qui ipsum Vincentium nusquàm, sed solùm de eius operibus pauca quædam audierat, suggereretur, vt inuestigata tanti viri mirabili vita, cum cæteris sanctis, more Romanæ Ecclesiæ eum connumeraret. Qua in re noui ego ac cæteri, quibus tu pro humanitate tua plurimùm familiariter eo tempore vtebaris, quot, quantos, qualesque labores susceperis: sed eos prætermissos facio, quoniam eos enumerare nec hic locus est congruus, nec breuibus perstringi posset. Et quoniam negocio, quod magnanimiter aggredi voluisti, quanquàm non à Nicolao pontifice, sed à Calixto tertio, qui ei in summo pontificio successit, finis impositus est, volens nostri Vincentij gesta mandare memoriæ posteritatis, mihi iussisti, vt ea, quæ de eius mirabilibus factis apud maximum Pontificem vniuersamque Romanam Ecclesiam claris veridicisque testimonijs comprobata sunt, deberem ipse conscribere. Quam rem, etiamsi arduam & præter ingenij mei vires ac ferè infiniti operis esse, manifestè perspicio: tamen quia nefas est tua diffugere iussa, quod ipse iussisti, facere nupèr institui. Fuit verò mihi id iucundissimum, cùm obedientiæ merito, cuius præmium me spero in cælis habiturum: tum quia scio ipsum Vincentium pro me Iesum Christum continuè precaturum, vt mihi detur posse hanc nostram mortalem fragilemque vitam sine errore transigere. Nec minùs spero tanta admiratione digna esse huius Diuini viri opera, quòd quicunque legerint, quæ sum ipse scripturus, facilè promoueri poterunt, vt eius exemplo præsentem vitam cum omnibus eius voluptatibus aspernentur. Igitur antequàm narrationis meæ principium faciam, inuoco gratiam spiritussancti, quo duce, eorum copia, stylus & ordo dicendi mihi ministretur, sitque mei operis fortunatum initium & felicissimus finis: vt illud nec vetustas abolere, nec vlla delere possit obliuio. Ipsum autem opus quinque libris, & singulos libros suis capitulis distinguam: quibus, de quo erit narratio, patebit illustriùs. Stylo vtar admodũ plano, vt videlicet sicut hoc opus est ad diuersos populos diuulgandum,

Thomas Aquinas.

Calixt. III. in Sanctorũ catalogo S. Vincentium adscripsit.

dum, sic à diuersis hominibus doctis atque indoctis ea, quæ narrabuntur, facilè intelligi possint.

VITÆ EIVS LIBER PRIMVS.

De eius nominis interpretatione. *Cap.* I.

Aprilis 5.



Incentius à vincendo, quodam Diuino præsagio, nomen sortitus est. Vicit enim illa tria, de quibus sic ait Augustinus in libro de Agone Christiano: Quòd cum cunctis eius erroribus, amoribus, terroribus mundus iste vincatur, sanctum docuit martyriũ. Beatus autem Vincentius licèt pro Christi confessione necatus non fuerit, vt martyr dici potuisset: tamẽ dum viueret magnanimis, cum hostibus importunissimis dimicauit, eosque animi sui quadam insuperabili virtute deuicit. Nam vicit mundi errores, mirifica sapientia: amores, integra mentis & corporis castimonia: terrores, incredibili animi fortitudine ac patientia. Quomodò verò ea vicerit, docebunt ea, quæ de eius integerrima vita, deque operibus, omni admiratione dignissimis, infrà memorabuntur. Sed non ineptè de eo illud intelligi potest, quod apud Euangelistam Iohannem in Apocalypsi describitur: Vidi, & eccè equus albus: & qui sedebat super eum, habebat arcum: & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Primi enim illius sigilli apertio, quæ hoc loco à Ioanne describitur, quanuìs literali sensu primum statum Ecclesiæ Christi significet, vt concorditer ab omnibus illustribus scriptoribus exponitur: ac per equum album, primũ statum Apostolorum intelligendum esse dicant, quorum tempore, ob nouitatẽ sacri baptismatis, & Ecclesia ipsa nitens & candida dicebatur: tamen non alienum erit, si sermonẽ istum de hoc inclyto confessore Vincentio intelligamus. Equus quidem dici potest, tam ob magnanimitatem, quam habuit cum hostibus, quos paulò antè nominauimus, dimicando, quàm ob prædicationis ministerium, quod exercuit, dum discurrit per vniuersas occiduas regiones, Euangeliũ Christi longè lateque diffundendo. Nec tamen equus solùm dictus est, sed pulchrum fuit, vt adderetur albus. ob nitorem videlicet pudicitiæ, qua emicuit: ob splendorem eruditionis, qua claruit: & tandèm ob fulgorem doctrinæ, quam miris operibus ac varia miraculorum coruscatione diffudit. Super hunc equum albũ Christus sedit. Teste nempe Augustino, Christi gratia est in sancti hominis anima, sicut sessor in equo. Christus etiam in hoc equo sedens, habuit arcum, qui est veteris nouique testamenti scriptura, qua defenditur Christiana religio, vulneratur ac premitur hostis, deijcitur & confunditur Iudæorum perfidia, & hæreticorum peruersitas. Et data est eidem huic equo albo corona triplex: Vna ex sideribus: & hoc propter mirabilium virtutum multitudinem: De qua corona ait Iohannes in Apocalypsi: Et in capite eius corona stellarum duodecim: Altera ex auro, propter eruditionem magnamq; doctrinæ claritatem: De qua in Ecclesiastico dicitur: Corona aurea super caput eius. Tertia ex lapide precioso, de qua dicitur in Psalmo: Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. Hic equus, tam gloriosa corona insignis, exiuit vincens carnis voluptates, mundi delicias, dæmonisque versutias. Exiuit, inquam, in campum mundanarum tribulationum, vt vinceret carnem castitate, mundum paupertate, dęmonem humilitate, vitia perfecta charitate. Quæ omnia eum fecisse, ex gestis eius clarissimis manifestè demonstrabitur. Sed & huic tam strenuè decertanti, tamque gloriosè ex prostratis hostibus triumphanti, multiplex & preciosissimum præmium promisit ille, pro cuius amore pugnauit, in Apocalypsi dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et paulò pòst: Vincenti dabo manna absconditum &c. Quæ autem sint ista tam magnifica præmia, quæ figuratè vincenti à Iesu Christo promittuntur, in præsenti missa faciamus. Nimiùm enim longa sumeretur oratio, si singula hæc verba, quorum sensus est profundissimus, vellemus exponere.

Vincentius vt mundum vicerit.

Apoc 6.

Primum sigillum.

Equus alb'.

Scriptura sacra est arcus.

Apoc. 12.

Eccli 45.

Psal. 20.

Apoc. 2.

Ibidem.

De ortu & progenie eius, & quòd fuit parentibus, aliquibus indicijs, qualis quantusque esset futurus, antequàm nasceretur, ostensum.

Cap. 2.

Beatus

Beatus Vincentius ex Valentia clarissima Hispaniæ ciuitate,& ex antiqua honestaque Ferrariorum familia natiuitatis duxit originem. Parentes eius, post peractam in multis corporis delicijs iuuentutem, maturiorem ætatem cum tanta morum elegantia & tam honestè,tamque religiosè transegerunt,quòd non immeritò tam insignem filium habere meruerunt. Inter cætera vero, quibus eorum vita laudabilis reddebatur,illud seruare præcipuè studuerunt,quòd singulis annis, facto diligenti calculo rerum,quæ erant eis eorumque familiæ necessaria, id quod tandem superfluum erat,pauperibus erogabant. Itaque ambo piè viuentes, hunc filium genuerunt: qui non solùm eis,sed & vniuersæ patriæ eius perpetuam gloriam comparauit. Fuerunt eis & alij duo filij, quorum alter Petrus,alter Bonifacius nominatus est. Hic autem Bonifacius fuit vir vtriusque iuris consultus, omnium sui temporis eruditissimus. Qui mortua vxore,adhortatus à beato Vincentio,Carthusiensem Ordinem elegit,eiusque habitum suscepit in quodam monasterio extra vrbem Valentiam, quod vocatur Porta cæli. Inter illius autem Ordinis fratres adeò religiosè conuersatus est, quòd post quatuor annos eum in eorum generalem rectorem elegerunt. Satis de hoc: ad beati Vincentij parentes redeamus. Quantus autem aut qualis esset Vincentius nasciturus, patri vno, matri verò duobus indicijs ostensum est, antequàm ex vtero nasceretur. Patri nanque quadam nocte visum est dormienti, quòd cùm in ecclesia fratrũ Prædicatorum esset, quendam in ipsorum fratrum habitu virum pulcherrimum, venerabilem prædicantem audiebat. Cumque ea,quæ ab illo dicebantur, magna cum auiditate hauriret, memoriæque commendare conaretur, hæc verba à viro ei dici videbantur: Congratulor tibi,ô fili charissime: post paululum vxor tua pariet tibi filium, cui erit tanta vitæ integritas, tanta doctrinæ vtilitas, tanta famæ ac mirabilium operum claritas,quòd omnes Galliarum Hispaniarumque populi eum,tanquàm vnum ex veteribus Apostolis,venerabuntur: eritque frater Ordinis cuius me vides. Post quæ dicta, multitudo, quæ ibi adesse videbatur, magnis vocibus Deo gratias referebat. Itaque dum & ipse in huiusmodi gratiarum actione sese multitudini conformem reddere conaretur, statim somno solutus est, conatuque vocis dormientem vxorem excitauit. Illa expergefacta, cœpit virum curiosè interrogare, quid nam sic vellet, quòd tam magnam vocem dormiens emiserit. Nec multùm vir moratus, sciscitanti vxori somnium, quod viderat, iucundissimè indicauit. Igitur super ea re multa collocuti sunt. Verùm quia à multis Theologis sæpè didicerant, huiuscemodi somnijs raram adhibendam esse fidẽ, non multùm de tali visione gauisi sunt: sed tamen non penitùs fuit eis ablata spes, quo minùs crederent aliqua ex parte futurum esse id, quod per somnium promittebatur. Vndè rem ipsam Diuinæ prouidentiæ commiserunt. Verùm ipsi mulieri duobus indicijs satis persuadebatur,non omninò vanum viri somnium esse existimandum. Vnum fuit,quòd cùm anteà singulos filios, quos genuerat, in vtero maxima cum molestia gestâsset: tamen quandiù fuit Vincentio grauida, nihil molestiæ sentiebat. Quinimmò tanta erat ei agilitas, tantumque corporis robur, vt penè nihil in vtero portare videretur. Alterum fuit,quòd eodem existens filio grauida,ex vtero suo sæpè audiuit tanquàm canis latrantis voces emitti. Cumque ex eadem re vehementer obstupefacta,à nonnullis,qui singulares serui Dei esse dicebantur, præsertim à viro clarissimo Iacobo, Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & Valentinæ vrbis episcopo, qui erat ei consanguinitate propinquus,perquireret,quid sibi significare vellet huiusmodi latratus: ei responsum est, nihil aliud fore, nisi quòd paritura esset infantem, qui esset futurus Euangelij Christi feruentissimus ac eruditissimus sanctissimusque prædicator. Hi nanque,qui in Ecclesia Christiana prædicandi exercent officium,non absurdè canibus comparari consueuerunt. Adueniente deindè tempore pariendi,quoniam multis huiusmodi portenta diuulgauerant,magna vtriusque sexûs turba ad domum eorum conuenit, non solùm vt eis congratularentur,sed etiam vt quisque videre posset infantem, de quô talia promissa Diuina facta dicebantur.

Patria.

Parentum integritas.

Fratres eius

Bonifacius frater eius fit Carthusianus.

Visio patris eius.

Mater eius illo grauida quid audierit.

De baptismo & nominis præsaga impositione. Cap. 3.

Peractis deindè aliquot diebus,constituto die baptismi, amici & cognati ad ecclesiam conuenêre. Cùm igitur deuentum est ad ea, quæ in pueris baptizandis fieri solent,inter eos,qui aderant,longa fuit disceptatio de nominis impositione. Vnusquisq; ex eis,qui ad baptismũ fuerant vocati, suũ nomẽ infanti imponi cupiebat. At sacerdos,videns inter eos tantã discrepantiã,tædio affectus,posteà inquit:

Quan-

Quantùm vos expectaui, nec vos video esse posse concordes: ego volo huic infanti nomen imponere. Sit igitur nomen eius Vincentius. Quod illi audientes, conticuerunt, laudauerunque prudentis sacerdotis consilium, ac simul dixerunt: Vocetur Vincentius. Fuit tamen post factum magna omnibus admiratio, illudque non nisi Dei prouidentia euenisse arbitrati sunt. Nam nec ex cognatis quidem, nec ex amicis, qui adstabant, aliquis erat, qui Vincentius vocaretur. Multi autem ex eis, qui affuerunt, ea, quæ gesta sunt in istiusmodi nominis impositione, memoriæ condiderunt: vt videlicet videre possent, si illi nomini futura opera Vincentij conuenirent. Demùm vbi Vincentius adoleuit, manifestè viderunt tam mirifica esse eius opera, vt rei & nominis nulla discrepantia penitùs appareret.

Sacerdos ei nomen in baptismo imponit.

De ætate puerili & bona eius indole. Cap. 4.

Matri prætereà, Vincentium infantem educanti, plures causæ oblatæ sunt, vt eum vltrà, quàm credi posset, tenerrimè diligeret. Quemadmodùm enim parùm molestiæ dederat tempore, quo eo grauida fuerat: sic & dum eum paruulum nutriebat, rarus erat in eo vagitus, & vbicunque à matre collocabatur, tacitus quiescebat. Si quandò in cunabulis positus vigilabat, apertos tenēs oculos, secum totus iucundus esse videbatur. Erat adspectu decorus, vt non modò matri, verumetiam singulis, qui eum adspiciebant, amabilis redderetur. Mox verò vt sextum annum attigit, parentes primis eum literis imbuendum tradiderunt. Itaque puer in talibus exercitijs primos annos agens, incredibile dictu est, quàm breui tempore quantùm profecerit. Nondùm nanque decimum annum attigerat, & non solùm pueros coætaneos, sed & multos alios, eo natù maiores, qui sub eodem præceptore proficiebant, iam longè superauerat. Pueris rarissimè colludebat: & si interdùm eum cum pueris esse contingeret, post breuem honestumque ludum eos silere & sedere cogebat, & aliquem eminentem locum conscendens, sic dicebat: Audite ô pueri, quæ loquor, & diiudicate, aptus'ne an ineptus prędicator sim ipse futurus. Itaque sedentibus silentibusque illis, se primo loco cruce signabat, & incipiens quædam dicebat, quæ didicerat ab eis, qui Valentiæ prædicabant. Nullum eruditum theologum viderat prædicantem, quem in gestibus, dictis ac sententijs quibusdam non sciuisset effingere. Hęc omnia parentes ac cæteri, qui videbant, non solùm considerabant, sed etiam mirabantur, & tacitè pectore conseruabant. In Grammatica autem non mediocriter instructus, dum ageret duodecimum annum, ad Dialecticam studium transtulit. In qua quoquè facultate duorum annorum spatio tantum profecit, quòd inter adolescentes, qui secum illi facultati incumbebant, summus omnium habebatur.

Mater eum infantem tenerrimè diligit.

Adhibetur discendis literis.

Puer pueris cócionatur.

De laudabili eius conuersatione tempore iuuentutis. Cap. 5.

Vitam suam sicut in pueritia, sic & in adolescentia cum omni innocentia studuit ducere. Faciebat hoc non solùm gratia, quam Deus, ipsum præueniens, in mentem eius à teneris annis infuderat, verùm etiam quædam animi sui natura fortunatissima, qua summoperè ad virtutes promptus reddebatur. Iuuit quoquè & parentum diligentia, qui pueri innocentiam pronumque in virtutes animum aduertentes, multis blanditijs eum frequenter incitabant & exhortabantur, vt in cœpta virtute perseueraret, ac quotidiè niteretur esse melior. Itaque quemadmodùm ab optimis parentibus didicerat, sic debito tempore ecclesias frequentabat, Missarum solennijs intererat, prædicatorum doctrinas hauriebat, religiosè ieiunabat, piè Dei laudibus vacabat. Singulis hebdomadis bis, id est, quarta & sexta feria, ieiunare didicerat. Quod documentum adeò tenaciter menti adolescentis impressum est, vt vsque ad felicem vitæ suæ terminum, huiuscemodi ieiunium frequenter seruauerit. Quoscunque prædicatores, qui Valentiæ Dei verbum prædicabant, siue docti siue indocti essent, quadam pia curiositate audire cupiebat. Quandò ipsi prædicatores aliquid in beatæ virginis Mariæ præconium dicebant, lætus efficiebatur, & ex ipsa mentis lætitia lachrymas continere non poterat. Semper autem flebat vberrimè, quandò de mysterio passionis Christi aut ipse legebat, aut ab alijs legi vel dici audiebat. Tantaque inerat ei in lachrymando dulcedo, vt à lachrymis desistere molestum, in eis verò perdurare iucundissimum esse videretur. Pro singulari quoquè deuotione, quam habebat ad Crucem Iesu Christi & ad beatam virginem Mariam, officium, quod in vtriusque laudem clerici dicere solent, singulis statutis horis quotidiè dicebat. Erga pauperes, præsertim

Studia ipsi' in adolescentia.

præsertìm religiosos, liberalissimū se semper exhibuit. Eos enim in domum parentum introductos, rebus, quibus poterat, lætissima fronte refici faciebat. Et quanuis huiusce-modi pietatis officijs tantum esset assiduus, parentes tamen ei congratulabantur, nec vnquàm ea, quæ sanctus adolescens in eleemosynas erogabat, contracta facie eum facere prohibuerunt. Quinimmò tertiam partem substantiæ, quæ eum contingebat, ei concesserunt: quam ille quatriduo totam pauperibus erogabat. Benignitas eius in pauperes.

De magno profectu eius in studio artium liberalium, & de causis, ob quas à conciuibus plurimùm amabatur. Cap. 6.

HIS tot tantisque præclaris adolescentis virtutibus accedebat illud, quod cùm rarò in homine adolescente possit reperiri, solet quoquè esse & maxima admiratione dignum. Nanque anteà, quàm secundum & vicesimum annum attingeret, tam pertinaci studio literis incubuit, vt inter eos, qui Valentiæ philosophiam Theologiamque profitebantur, summus omnium haberetur. Inerat ei grande & acutum ingenium, tenax indelebilisque memoria, & continua in studijs perseuerantia. Tantæ verò modestiæ fuit, vt nunquàm visus sit cum aliquo, siue loquendo siue etiam disputando, contendere: parentibus tantum obedire, tantumque honorare eos studuit, vt nunquàm ab aliquo notari potuerit, quòd eis vel minimam dederit offensionem. Hæ tam mirificæ virtutes fecerunt, vt à cunctis Valentinis ciuibus vehementissimè amaretur. Anno ætatis 21 iam summ' habetur & philosophus & theologus.

Vt S. Dominici institutum complexus sit. Cap. 7.

MEmor sancti huius pater eorum, quæ de filio eius nascituro ei fuerant diuinitùs indicata, atque ex alia parte considerans in adulto filio tantam rerum peritiam, tantamque morum elegantiam, quadam die cum ad se accersitū his verbis allocutus est: Tria sunt, optime fili, quæ me plurimùm agitant, redduntque animo suspensum: & si mihi daretur optio, planè ex meipso intelligerem, quid illorum potiùs esset eligendum. Volui tamen tuam audire sententiā, & polliceor me penitùs prosecuturum id, quod ipse facere proposueris. Memoria retineo, quemadmodùm tibi frequenter narraui, ea, quæ de te mihi Deus per quietem reuelauit, antequàm ex matris vtero nascereris. Et variæ virtutes, quibus te à primis annis præditum vidi, mihi spondere videntur, omninò debere impleri, vt habitum religionis Prædicatorum accipias, atque in ipso habitu fidei Christianæ efficiaris prædicator præcipuus. Me deindè inducunt diuitiæ, quibus pro summa Dei liberalitate abundamus, florida quoquè adolescentia tua formæque præstantia, vt vxorem tibi aliquam perquiram, quę his omnibus conueniat. Postremò, quoniam considero in te multarum rerum esse peritiam, quæ profectò tanta est, vt omnes existimēt te futurum esse vnum ex viris doctissimis, quos orbis terrarū habeat: idcircò mihijpsi frequentissimè persuasi, vt te vel Romam vel Parisios mitterem, vbi virtus & eruditio tua his, qui eruditissimi sunt, offerri possit, quò nostræ familiæ perpetua gloria comparetur. Hæc sunt, charissime fili, quibus meus animus quotidianis fluctibus agitatur. Verùm ego nunquàm ad aliquid horum faciendum te adhortabor, nisi ad id, quod tibi potiùs videatur. Tu tamen manifesta mihi consilium animi tui, vt dum optimum tempus nobis est, tibi, antequàm moriar, de eo, in quod declinare volueris, prouideamus. Ad hæc Vincentius ità paucis respondit: Decreueram, pater optime, iamdudùm te alloqui super his, quæ de meipso facere proposueram: sed quoniam Dei voluntate factum est, vt tu me præuenires, pro his omnibus, quæ dixisti, breuissimè respondebo, tibique omnia, quæ in animo mihi sunt, manifestabo. A diuitijs, corporis voluptatibus & seculi huius honoribus scito me esse plurimùm alienum. Omnem amorē, curam, propositumque, & omne consiliū meum in Iesum Christum sine aliqua hæsitatione defixi: & ob hanc rem constitui habitū beati Dominici suscipere, & in eius religione me Dei seruitio dedicare. Suppliciter igitur te oro, pater mi suauissime, vt si me amas, facias me tua benedictione dignum. Et hoc idem à matre mea humiliter postulabo, vt videlicet pace amborum, ad Dei seruitium valeam peruenire. Hæc Vincentij verba patris animū tantùm commouerunt, quòd lachrymas continere nō potuit. Igitur filiū cōplectens ac deosculās, multis cū lachrymis benedixit. Filius quoquè à collo patris pendens, ac paternis lachrymis plurimùm commotus, Aperit patri suum de complectenda vita religiosa propositum.

motus, cœpit & ipse vberrimè flere. Igitur spirituali lætitia ac mutua pietate collachrymantes, Deo gratias retulêre. Moxque pater filium ad matrem duxit, eique sanctum propositum eius indicauit. Qua ex re vehementer gauisa, ac videns filium ante se prostratum, vt maternam benedictionem acciperet, non minùs & ipsa cœpit collachrymari. Tandèm, charissime fili, inquit, hoc est, quod semper optaui, & quod à Domino mihi concedi frequentissimè postulaui. Tibi & nobis congratulor. Tibi quidem, quia effugies huius caducæ vitæ miserias: nobis autem, quia à Iesu Christo nobis concedi meruimus, vt nostri voti compotes nos esse videremus. Igitur Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum. Det tibi Deus cælestem benedictionem: meam autem, quandiù vixero, semper habebis. In his atque alijs huiuscemodi sermonibus, illius diei maximam partem consumpserunt. Postero autem die pater cum filio ad fratrum Prædicatorum conuentum sese contulerunt, & Priori cæterisque fratribus causam, ob quam venerant, exposuerunt. Quanto gaudio affecti sint fratres, breuibus certè aperiri non posset verbis. Considerabant nanque, quòd adolescens, qui in prima ætate erat scientia & moribus præstantissimus, meritò in matura ætate maximus futurus esset: ac propterea arbitrabantur, quòd Prædicatorum ordini multum splendoris & gloriæ esset accessurum. Quas ob res eum libentissimè susceperunt: Et post triduum die Dominica, quæ fuit Nonis Februarij, eo agente octauum & decimum annum, ei habitum tribuerunt.

Induit habitũ S. Dominici.

De optima conuersatione eius in religione, itemque forma & eruditione. Cap. 8.

POST habitûs susceptionem cœpit ingeniosus puer ea inter cætera legere, quę de vita diui patris Dominici scripta sunt. Mira profectò adolescentis sapientia. Dignũ enim esse censuit, vt inprimis illa ipsi essent intellecta & cognita, in quibus suum inclytum ducem Dominicum imitari deberet. Itaque vltra plurimas virtutes, quibus beatum Dominicũ præditum fuisse legit, & in quibus eius æmulator esse studuit, sacræ Theologiæ ac lectioni sanctarum scripturarum, exemplo ipsius Dominici, se totum dedit, vt videlicet talibus Diuinis armis munitus, posset opportuno tempore Euangelij doctrinam longè lateq; diffundere. Nunquàm ociosè stare vel loqui visus est: Vniuersum verò tempus aut orationibus, aut scholasticis exercitijs, aut officijs ei commissis occupabat. Erat in eo in cunctis, quæ faciebat & dicebat, multa & admirabilis humilitas. In conuersatione autem vltrà, quàm dici potest, se omnibus humanũ exhibebat. Deindè quia, vt suprà scripsimus, non solùm morum elegantia, sed etiam doctrinæ claritate excellens habebatur, ab eo, qui in ipso fratrum conuentu præerat, ei iniunctum est, vt pro fratrum adolescentium profectu de Dialectica & de Philosophia quippiam legeret. Quod quidem humiliter & iucundè sese facturum recepit. Tanta autem erat in eo, quandò legebat, facundia & eruditio, quòd ex secularibus quoquè iuuenibus ad eum audiendum, ac sub eius disciplina proficiendum, supra septuaginta conuenerunt. In quo exercitio tres continuos annos consumpsit. Deindè Prior cæterique fratres, grande eius ingenium considerantes, indignumque esse existimantes, vt tantus iuuenis Valentiæ teneretur, vno animo decreuerunt eum mittere Barcinonam, vnam ex claris celebratisque vrbibus, quas orbis terrarum habet. In qua erant nonnulli Theologi ex ipso Ordine Prædicatorum, qui illa ætate omnium doctissimi habebantur. Deindè Ilerdam antiquam celebremque Cataloniæ ciuitatem, in qua per ea tempora florebant publica studia liberalium disciplinarum. Ipse igitur cœpit Theologiæ facultati tam pertinaciter incumbere, quòd pro singulari eruditione sua, octauum annum agens in ea facultate, fuit Theologorum adnumeratus collegio à Benedicto summo pontifice, cuius paulò pòst mentionem faciemus. Inter studiorum verò eius tempora, cùm esset xxiiij. annorum, edidit insigne illud opus de dialecticis suppositionibus: in quo quisque manifestè videre potest, quanta fuerit authoris peritia, si consideretur in ipso opusculo multa esse præclarissima, non solùm ex media Philosophia, verum etiam ex profundissima Theologia delecta. Posteà autem quàm insigni illa corona donatus est, qua donari solent hi, qui Theologis connumerãtur, à fratribus & amicis fuit Valentiam reuocatus. Et quia, vt suprà memoratum est, ob doctrinam virtutesque eius celeberrimi nominis erat: idcircò ea hora, qua Valentiam ingressus est, à multis nobilibus clarisque viris, ei obuiàm extra vrbẽ euntibus, fuit magno cum honore susceptus. Paucis verò pòst diebus Episcopus & Capitulum Valentinæ ecclesiæ, & hi, qui in ipsa vrbe ma-

Sacræ lectioni incumbit.

Prælegit Dialecticã & Philosophiam.

Edit librum de Dialecticis suppositionibus.

be magiſtratum gerebant, eum obſecrauerunt, vt aliquid de ſcripturis ſacris, deque facultate Theologica legeret. Quod libenti animo facturum ſeſe ſpopondit. Itaque impetrata facultate ab eo, qui Aragoniæ prouinciam gubernabat, in ipſa Valentina vrbe & eccleſia ſex annos, cum incredibili omniū attentione, nō ſolùm legit eis, qui in ſcholis vacabant ſtudijs liberalium artium, verùm etiam viris plebeijs publicè prædicauit, à quibus mira auiditate audiebatur: tantæque venerationis erat apud eos, vt in ipſa ciuitate ſolus doctus, ſolus religioſus, ac ſolus ſanctus, & ſolus Chriſti ſeruus haberetur. Tam autem longè latéque nomen eruditionis & ſanctitatis eius diffuſum eſt, vt ex proximis quoq; viciniſq; ciuitatibus multi concurrerent, vt eum & prædicantem audirēt, & ſub tam inſigni literarum ac morum præceptore proficerent. Inter hæc ipſa venit Valentiam vir, illa ætate nominatiſſimus, Petrus de Luna, vnus ex Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, miſſus legatus ad Carolum Francorum regem à Clemente Papa, quem in Fundenſi vrbe in ſummum antiſtitem elegerat illa pars Cardinalium, quæ ab Vrbano Papa ſexto, tanquam à Pontifice non ritè creato, diſceſſerat. Is igitur auditis his, quę de Vincentij doctrina & miris virtutibus ferebantur, eum ſecum duxit, ac tandiù tenuit, donèc peracto legationis tempore, ad ipſum Pōtificem redijt. Tam grata autem fuit Cardinali Vincentij conuerſatio, vt vix multis precibus impetrare potuerit, ne eius curiam ſequeretur. Tandèm impetrato, quod voluit, Valentiam reuerſus, retulit ſe ad conſueta legendi ac prædicandi exercitia. *Eius prælectiones & cōciones.*

De diabolo, quomodo ei apparuit in ſpecie venerabilis ſenis. Cap. 9.

IN ipſa autem ciuitate Valentia, licèt multum fructum fecerit animarum, tamen quandiù ibì commoratus eſt, & dæmonum & hominum varias pertulit inſidias. Sed vt de inuiſibilibus inſidijs omittamus, quibus omnes à dæmonibus tentari fideles ſolēt, de viſibilibus hoc loco pauca ſubijciamus. Quadam nocte, cùm finito matutinali officio ante beatæ Mariæ virginis oraret imaginē, & inter cætera virtutem perſeuerantiæ à Domino Ieſu Chriſto ſibi concedi peteret: viſus eſt ei adſtare ante oculos diabolus in ſpecie ſenis valdè venerabilis, cuius erat barba vſq; ad genua prolixa & nigerrima. Qui ei dixit: Ego ſum vnus ex illis veteribus patribus, qui multis annis magna cum corporis continentia ac incredibili potûs cibique parcitate Aegypti ſolitudinem incolui. Et cùm eſſem iuuenis, omnem corporis voluptatem experiri volui. Poſtquàm verò tempora iuuentutis meæ in varijs delicijs conſumpſi, in me reuerſus, pœnitentiam egi: & ſic clementiſſimus Deus dedit mihi veniam peccatorum. Nunc igitur, ſi mihi ſeni credendum eſt, qui habeo multarum rerum vſum, tibi ſuadeo, vt floridæ ætati tuæ compatiaris, & hanc corporis macerationem nunc omittas, & vſq; ad ſenectam reſerues. Nec dubites: paratus eſt enim Deus ſemper ſuſcipere pœnitentiam. Sanctus autem Vincentius, vbì primò rem huiuſcemodi vidit, fuit vehementi timore commotus. Sed poſtquàm verba loquentis aduertit eſſe venenifera, diabolum eſſe ſuſpicatus eſt. Vnde ſeſe Deo & beatę Virgini commendans, nihil ad verba diaboli reſpondit: ſed ſe ſigno crucis muniens, Abi, inquit, peſtifer ſerpens. Nanque ex ſubdolis verbis & dictis tuis, non vnus ex Aegypti patribus, ſed ex inferni dæmonibus vnus eſſe conuinceris. Credidiſti nouum militem Chriſti tuis inſidijs poſſe ſuperari. Sed licèt nouus ſim in hac militia, tamen gratia Chriſti, cuius amore laboribus me tentationibuſque expono, me ſic vndique armatum reddet, vt contra te dimicare non metuam. Dæmon ſe cognitum videns, emiſſo eiulatu magno ac tetro fœtore relicto, protinùs euanuit. Viſionem verò iſtam vir Dei nonnullis fratribus reuelauit, eos obſecrans ac ſtrictiſſimis præceptis eis inhibens, nè cui rem geſtam reuelarent. At illi indignum eſſe arbitrati, vt tam memorabile factum ſilentio premeretur, rem, prout geſta fuerat, per vniuerſam ciuitatem diuulgauerunt.

Valētię & dæmones & homines ſentit infeſtos.

Dæmon ei apparet.

Conſiliū tali impoſtore dignum.

Crucis ſigno fugat dæmonē.

Dæmon pudefactus diſcedit.

Quomodò in ſpecie Aethiopis, dæmon ei apparuit, eum retrahere cupiens. Cap. 10.

ALia quoque nocte eidem oranti ante altare quoddam, in quo erat imago Ieſu Chriſti crucifixi depicta, apparuit diabolus in ſpecie vaſti Aethiopis, huiuſcemodi verba depromens: Orationibus ac cæteris operibus tuis, quibus te cælum credis poſſe contingere, tantùm inſidiabor, donèc faciam te turpiter victum ſuccumbere. Ad quem ſanctus Chriſti miles: Nullas tuas, ait, qualeſcunque inſidias formidabo. Et diabolus: Nihil eſt, inquit, difficilius, quàm vt vſque in finem poſſis

in gratia, de qua loqueris, persuerare. Respondit Vincentius: ille qui dedit vt inciperem, dabit quoque vt perseuerem. Itaque frontem armauit crucis signaculo, & ilicò dæmon discessit.

Vt diabolum audierit ipsum deterrentem, vtque virgo Maria eum confortárit. Cap. 11.

Aduersùs Heluidiū.

ALio tempore, dum circa quartam noctis horam in cella legeret librum illum, quem edidit diuus Hieronymus de virginitate beatæ Mariæ, & inter suauitatem lectionis ipsam Virginem obsecraret, vt eius virginitatem custodiret, facta est ad eum vox huiuscemodi: Non omnes possumus esse virgines, Nanque tametsi vsque nunc te virginem appellare potuisti, non tamen vltrà patiar, vt tam honorato nomine gaudeas. Vir Dei ad hæc verba plurimùm attendens, intrà se tacitus voluebat, quid sibi vellet sermo, quem audierat. Non enim induci poterat, vt verba illa ore beatæ Mariæ emanâsse crederet, quippe quæ virginitatis custodes virgo ipsa semper amauit, confortauit, adiuuit, magnificauit. Genua igitur flectens, ab ipsa Virgine petijt, vt quid significare vellent verba illa terrifica, dignaretur ostendere. Nec multò pòst ei beata Virgo multa cum luce visibiliter apparuit. Et postquàm sui eum ostensione confortauit, lætumque reddidit, hoc pacto locuta est: Verba illa ad te paulò antè facta, diaboli fuerunt, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, vt territus, ab incepta virtute desistas. Tu autem cautus esto, & constanti animo perseueres. Et quāquam tibi crebras parabit insidias, ac frequenter conabitur, vt periclitetur virginitas tua, vtque cæteræ virtutes, quæ in te sunt, corruant, tamen nè diffidas: spera semper in Domino, quoniam ipse erit clypeus tuus, quo non solùm arma diaboli poteris facilè contemnere, sed & ipsum cunctasque artes & versutias eius magnanimiter superabis. Hæc vbi à Virgine gloriosa dicta sunt, ei à Vincentio gratiæ referuntur: & illa disparuit. Ex eo autem tempore Christi militi tantum feruoris accessit, vt non terrestris homo, sed cælestis angelus esse videretur. Nunc subijcienda quoque sunt exempla quædam, quibus patebit, quanta calliditate antiquus hostis nisus est eius animum frangere, & ad libidinem inclinare.

B. Maria illi apparet.

De muliere eius amore cæcata, quomodò à dæmone vexata, & eius meritis curata fuit. Cap. 12.

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

ERat beatus Vincentius non solùm virtutibus præditus, sed etiam corpore pulcher & adspectu venustus: quo fiebat, vt eius virtutes essent gratiores, facerentque vt ab omnibus vehementer amaretur: Fuit igitur Valentiæ mulier quædam tam nobilitate generis clara, quàm forma corporis præstans. Quæ, suggerente diabolo, capta est amore ipsius Vincentij tam ardenter, quòd nullam aut animi aut corporis quietem habere potuit: sed singulis diebus frequentabat loca, in quibus eum videre aut alloqui posset. Vincentius licet eam aduenire frequentiùs videret, tamen nihil tale suspicabatur: sed arbitrabatur eam aliqua deuotione moueri, vt & mulieribus consuetum est, quæ seruos Dei quadam naturali pietate affectuosiùs, quàm faciant mares, pijs obsequijs venerantur. Illa autem in dies vehementissimo feruore amoris agitabatur, ac tandèm quid faceret, nesciens, deliberauit grauem ægritudinem fingere, vt sic haberet opportunitatem alloquendi eum, & eidem manifestandi flammas ardentis amoris, quibus intrinsecùs vrebatur. Itaque lecto ægrotantium more decubuit, cœpitque multo cum clamore magnos ostendere cruciatus: ac demùm in lecto illo frequenter huc & illuc tam miserabiliter versabatur, quòd cunctos, qui adstabant, ad sui commiserationem mirum in modum prouocabat. Aduocantur medici, qui nullum in ea ægritudinis signum esse cognoscentes, varia iudicia proferebant: si qua tamen in ea ęgritudo esset, intrinsecùs esse arbitrabantur. Tandèm vidētes, quod nimio dolore torquebatur, consulunt accersiri sacerdotem, cui illa confiteretur, nè videlicet inter tanti doloris vehementiam sine sacra confessione discederet. Eligitur itaque ab ea vir Dei Vincentius: qui celeriter veniens, cameramque in qua illa decumbebat, ingressus, ac cunctis, qui aderant, ex more exclusis, cœpit puellam exhortari ad pœnitentiam. Mulier in initio non audet manifestare furorem amoris, quo occupata tenebatur, sed dicit facitque ea, quæ consuetudine Christianæ religionis ad ritum pertinent confessionis. Veruntamen intereà sæpè proposuit amorem, quo vrebatur, verbis exprimere: sed quandò dicere incipiebat, pudor verba labijs inhærentia detinebat.

En quid facit insania turpis amoris.

Et sic protrahebat vlteriùs verba, respondebatque ad ea, de quibus sanctus confessor eā interrogabat. Et post multa verba, vltrò citroque habita, tandem occultum ignem mulier celare non potuit, sed omni formidine pudoreque deposito, Scito, inquit, ô frater Vincenti, me non quidem corpore, sed mente languere. Et nisi tu mihi pro tua miseratione succurras, scito me ilicò morituram. Iam enim annus est, quòd tuo amore adeò ardenter capta sum, vt non solùm ignis ardentis flammis cor meum exuri sentiam, sed & ad tanti furoris agitationem deueni, quòd frequentissimè meipsam proprijs manibus enecare decreueram. Volui tibi sæpissimè cordis mei furorem manifestare, sed me partim tenuit pudor fœmineus, partim nomen sanctitatis & innocentiæ tuæ, quæ me formidare fecerunt, nè tam execrabile facinus tibi aperirem. Itaque tanquam desperans, nemini meum ignem indicare volui, tacitumque vsque ad hoc tempus reseruaui. Mihi verò super hac re iterùm atque iterùm cogitanti, visum est potiùs, vt hanc corporis ægritudinem fingerem, quo locum tempusque opportunum haberem, quibus huius ignis flammas possem extinguere, & optata voluptate potiri. Quamobrèm meum corpus, quod cernis esse pulcherrimum, expono potestati tuæ. Sume igitur nunc de me voluptatē, & principium faciamus, vt deinceps simus ambo indissolubili ac perpetuo amore coniuncti. Hæc dicens, linteum, quo tegebatur, amouit, & sese totam nudam exhibuit. Sanctus verò Confessor admiratus impudentis fœminæ audaciam, ac scelus abominabile execrans, inprimìs eam commonere cœpit, vt nudum corpus tegeret. Deindè à tam nefario opere abducere cum seueritate multa conatus est. Postremò & dixit, quòd Iesu Christo à teneris annis suum corpus animumque deuouerit, quodq; se perpetuam castitatem seruaturum promiserit, & ob id omnem terrenum amorem abdicauerit, omnemque libidinem execratus fuerit. Quibus dictis, ab ea protinùs discessit. Illa tali respōso indignata, mox cogitauit in virum innocentem obiectare infamiam, & tanquàm altera Phutipharis vxor, voluit clamare ac dicere contra sanctum Dei, quòd eam violenter opprimere voluisset, Sed summa Dei prouidentia nequaquàm passa est, vt innocenti tam infame facinus opponeretur. Ecce enim quum primùm impudēs fœmina voluit vocem emittere, ille idem diabolus, qui ei nefandum amorem ingesserat, eius corpus grauissimè vexare cœpit. Accurrunt igitur cuncti, qui extra cameram expectabant, & tanti clamoris causam diligenter inquirunt. Tandèm visis multis signis, mulierem à dæmonio vexari sentiunt. Aduocantur itaque multi, qui dæmonem nouerant adiurare. Adhibentur prætereà remedia, quæ huiusmodi adhiberi consueuerant: sed nihil cuncta valebant. Verùm diabolus exorcistis ità respondebat: Ex hoc corpore nunquàm me pellere poteritis, nisi huc venerit vir ille, qui in medio ignis positus, vri non potuit. Quærunt igitur omnes, quid sibi velint verba, quæ diabolus proferebat. Post longam autem rei sciscitationem, quidam ex his, qui aderant, in medium surgens: Aduocetur, inquit, frater Vincentius. nam ipse mulieris huius confessionem audiuit. Est etiam vir & scientia & sanctitate insignis, propter quæ certum nobis esse debet, quòd nemo sit, qui possit nobis illorum verborum significantiam aperire veriùs. Assensêre omnes, & mox ad beatum Vincentium sese contulerunt, vt ei rem, quæ acciderat, exponerent: precanturque, vt dignetur visitare fœminam, quæ, dum valebat, magnam erga eum beneuolentiam sese habere demonstràrit. Ipse autem etsi se plurimùm difficilem præbuerit, tamen nè rem insuetam facere videretur, quandoquidem anteà infirmos semper visitare consueuerat, fecit quod illi voluerunt. Attamen secum multa cogitans, sese Iesu Christo commendauit, cumque precatus est, vt pro immensa clementia sua dignaretur misereri mulieris, quæ à dæmone non solùm corpore, sed & anima vexabatur. Postquàm igitur ventum est in locum, vbi misera vexata tenebatur, dæmon vlulatum teterrimum emittens, En adest, inquit, vir ille, qui in medio ignis non est æstuatus. Nunc igitur hinc discedendum. Hæc dicens, muliere semiuiua relicta, discessit. Qui aderant, videntes tam grande miraculum, obstupuerunt, eiusque sanctitatem maiori in veneratione habuerunt.

Fœmina prouocat S. Vincentium ad libidinem.

Contemnitur à sancto viro.

Obsidetur à diabolo.

Ad præsentiā S. Vincentij fugit dæmō.

De scorto in eius Cellam introducto. Cap. 13.

ALium quoquè modum diabolus machinatus est, quo fortem castumque animum eius frangeret, & ad libidinem inclinaret. Suggessit enim nonnullis (religiosi fuerint, an seculares, incertum est nobis) vt pro experiendo sancti viri animo, mulierem quandam meretricem speciosissimam, precio conductam in cellam eius introducerent. Captato igitur opportuno tempore, quo videlicet Vin-

Meretrix in eius Cellam adducitur.

centius ipse ex more in ecclesia orationi vacabat, memorata fœmina in cellam eius introducta est. Vincentius ergò ab oratione regrediens, clauso ostio, & in locum, vbi dormire solebat, veniens, reperit mulierem sedentem: & in primo adspectu vehementer obstupuit, & antequàm alloqueretur, multa cogitabat. Tandèm verò existimauit illam non esse mulierem, sed dæmonem, in specie mulieris eum decipere parantem. Vndè hoc pacto locutus est: Quæ tibi causa fuit, vt huc venires in tali forma, maledicte diabole, qui seruis Dei nouis semper dolis insidiaris? Meretrix autem, vt erat ab eis, qui eã introduxerant, instructa, ità respondit: Noli, ô frater Vincenti, me diabolum appellare: fœmina sum, non diabolus. Sed obsecro te, vt me patienter audias, & exponam tibi causam & modum, quo huc ingressa sum. Ferè quatuor menses sunt, quòd tuo amore capta sum. Frequenter tentaui, vt vel diei noctis tempore secretò ad te venire possem: sed nunquam mihi miseræ sese obtulit opportunitas. Nũc autẽ à nemine hominũ visa, huc ingressa sum, & necessarium est, vt in hoc lectulo simul hac nocte dormiamus: & ex hoc nunc tibi promitto, quòd quotiès de meo corpore voluptatẽ capere voles, præstò ero, & simili modo quo nunc feci, ad te me conferã. Non dubites. Nemini notũ erit id, quod simul faciemus. Scio quidem famam tuæ honestatis esse integerrimam, & quãuis nomen habeas sanctitatis, tamen quia scio te fragilem esse hominem, ausa sum ad te confidenter venire, certa quod tu quoquè de me poteris sine dubitatione confidere. Hæc dicens, in oscula & in obscœnos amplexus ruere voluit. At Vincentius eam prohibuit, neque fœminæ specie, neque vestiũ eius preciositate, aut comptis blandisque sermonibus vel parùm commotus aut captus: & dixit: Abi pestifera, & vnde venisti, protinùs reuertaris. Quòd si secùs feceris, caue nè subita morte moriaris. Tentâsti enim fœdare animũ corpusque meum, qui à primis annis Christi seruitio me mancipaui. Illa verbis eius sic statim compuncta fuit, quòd aduentûs sui causam modumque patefecit, & eos prætereà nominauit, qui eam mercede in hoc opus detestabile conduxerant. Deniquè post multa salutis hortamẽta, mulieris cor ità immutatum est, vt vberrimè flens ac veniam petens super præsumptione, pœnitens vitam suam emendare polliceretur. Beatus autem Vincentius eam rogauit, nè cui id, quod gestum fuerat, reuelaret, nisi illis, qui eam introduxerant, nè videlicet illi, qui tantum flagitium perpetrauerant, infames haberentur. At illa non destitit, quin rem gestam multis ex ordine reuelaret. Paucos verò post dies prostibulum deseruit, & marito accepto, reliquum vitæ in vera corporis & animi continentia duxit.

Detestabilis mulier sanctũ virum ad scelus inuitat.

Mulier cõtempta resipiscit.

De eius constantia, & vt placidè tulerit inuidorum insidias. Cap. 4.

NVnc vnum subijciendum, quo perspicuè pateat, quàm patienter tulerit flagitiosorum contumelias, qui ei plurimùm inuidebant. Frater quidam Valentiæ fuit ex ordine Prædicatorum, qui omnem ætatem vsque in senectam in lasciuia turpiter duxerat, & ob hoc beatum Vincentium exosum habebat, quia videlicet eum sæpiùs increpabat, & à mala vita abducere, & ad benè viuendum inducere conabatur. Itaque non ferens æquo animo viri Dei increpatiões & salutifera monita, ei malignè detrahebat, & in eũ multa scelera conferebat, disseminabatq; multa, quibus celebris fama eius obscurari fœdariq; potuisset. Igitur exercens corporis sui assuetã obscœnã libidinẽ, quadam nocte meretricẽ, quæ illis diebus Valentiã venerat, ad dormiendũ secum introduxit. Manè verò persoluto meretrici precio, nõ tamen tãto, quãtum illa se habiturã sperabat, eã vt potuit, secretò emisit. Meretrix verò faciẽ fratris diligenter intuita est, vt videlicet quis esset, per effigiem posset cognoscere. Et antequàm illa egrederetur, dixit se nunquàm discessurã, nisi priùs sciret, quo nomine frater vocaretur. Ille mox respondens, Vocor, inquit, frater Vincẽtius Ferrarij. Et caueas, obsecro, nè cui dicas, quod fecimus. His ab eo dictis, abijt meretrix, & lenoni, cũ quo morabatur, ac multis alijs dixit, quòd in cõuentu fratrũ Prædicatorũ cum fratre Vincentio per integræ spatium noctis dormîsset: & cùm idem frater Vincentius multam de ea voluptatẽ sumpsisset, nõ tamen dignam ei pro labore mercedem reddidisset. Et ad hæc multa alia turpia adiecit, quæ honestatis causa missa facimus. Leno autem & plerique alij scelerati homines, qui beatum Vincentium summo odio habebant, quia tanquàm vitiorũ repræhensor seuerus, eorum detestãda flagitia denudabat & terribiliter arguebat, statìm per vniuersam ciuitatẽ rem diuulgauerunt. Per idẽ tẽpus erat Valentiæ Bonifacius, ipsius beati Vincentij germanus, cuius suprà mentionem fecimus, qui & illo tempore erat in vrbe ipsa vnus ex patribus iuratis, quod est quoddã magistratûs genus, quo non solùm

Obtrectatorem patitur.

Turpissimè infamatur.

solùm Valentina ciuitas, sed & vniuersæ penè Cataloniæ ciuitates vti consueuerunt. Huic multi ciuium retulerunt ex ordine rem omnem, quæ de fratre eius Vincentio ferebatur. Qui tantum scelus credere non potuit, quandoquidem conscius erat virtutũ, quibus præditus erat germanus eius: propter quod arbitratus est, proût res sese habebat, ab inuidis in innocentem hæc fuisse conficta. Itaq; ex eius consulto hi, qui vnà cum eo magistratum gerebant, constituerunt, vt fieret per vrbem quædam generalis processio, cui singuli clerici ex singulis ordinibus interessent. Constituta autem die Bonifacius ipse & collegæ sui ac cætera Valentina nobilitas constituerunt locum, in quo sese collocare tempore huiusmodi solennitatum solebant, vbì & meretricem illam, quæ se cũ magistro Vincentio dormîsse iactabat, posuêre. Iusseruntquè ei, vt singulos fratres ordinis Prædicatorum incedentes inspiceret, & eum, cum quo dormierat, fideliter indicaret. Procedentibus igitur singulis fratribus, cùm transiret magister Vincentius, iurati eum meretrici ostendentes, interrogauerunt an ille esset, quem nôsse cupiebant. Illa respondens, Non, inquit, iste est ille, quem quæritis, Scio enim hunc esse illum Dei seruum, ad cuius doctrinam audiendam omnes concurrunt: quem & ego, ex quo Valentiã veni, quatuor vicibus vidi prædicantem. Ille verò frater, quem nôsse petitis, senex est. Deindè vbì ipse Vincentius & post eum tres alij fratres ex more prætcriêrunt, mox aduenit frater ille, qui scelus admiserat, & meretrix eum sine vllo indice agnoscens, digito demonstrans, En, inquit, hic est ille, quem quæritis. Finita tandem processione, Bonifacius cæterique nobiles, qui ciuitati præsidebãt, fratrem diffamatorem ad se accersiri fecerunt, eique multam pœnam ac etiam mortem, si opùs esset, comminati sunt, nisi coram eis peccatum suum confiteretur, & aboleret infamiam, qua virum Dei Vincentium contaminârat. Ille terrefactus, statim fecit quod illi voluerunt. Rem namque, vt erat gesta, narrauit. Deindè ab eis confusus abscessit, pergensque ad Christi seruum Vincentium, qui hæc omnia ignorabat, multùm lachrymans ab eo veniam petijt, & facilimè impetrauit.

Patres iurati, magistratus in Catalonia.

S. Vincentio sua fama restituitur.

LIBER II.

Præfatio breuis ad magistrum ordinis Prædicatorum. Cap. 1.

POsteaquàm de diui Vincentij vita, narrata sunt ea, quæ à puerili vsq; ad iuuenilem ætatem ab eo gesta, describenda videbantur, pater præstantißime, in quarum rerum narratione erat huius operis primus liber consummandus: reliquum nobis est, vt ad alia eius gesta & mirifica opera, quæ in matura ætate per eum Deus fecit, transeamus vsq; ad felicem illum diẽ, quo ex hac luce discessit. Et quãquàm huiuscemodi gesta & opera tot & tanta sint, vt pro eorum clariore narratione longissima volumina non immeritò postulent: tamen conabor ea, quanta poterobreuitate perstringere, atque ità stylum temperare, vt nec longitudo operis tædio afficiat eos, qui legerint, nec ea, quæ sunt memoria digna, prætermittantur. Nec dubito certè, quin mihi scripturo tam præclara facinora, illud dicere vel maximè liceat, quod ab eloquentissimo ac beatissimo patre Hieronymo dictum est, quandò scripturus gesta beati Hilarionis: Porrò, inquit, mihi tanta ac talis viri conuersatio vitaque dicenda est, vt Homerus quoquè, si adesset, vel inuideret materiæ, vel succũberet. Quamobrèm verendum mihi est, nè cùm tam mirabilis viri virtutibus impar & ingenium & eloquentia nostra sit, ab hominibus sapientibus mea arguar audacia. Sed quia obedientiæ onus, à te mihi impositum, reijcere indignum est, gratiam inuoco spiritussancti, qui sicut illi cælestes virtutes largitus est, sic & mihi, si non gestis eius parem, saltem meo ingenio non imparem sermonem tribuat, quô ea possim fideliter enarrare. Verùm quandò vno libro velle singula eius gesta complecti, nimis longum esset, eorũ narrationem in duos libros distinguam.

Benedictus Papa Auinionem accersitum, suum confessorem eum constituit ac Magistrum Palatij. Cap. 2.

IGitur vt eorum, quæ deincèps scripturi sumus, cum eis, quæ suprà narrauimus, sit continuata narratio, quædam pro rerum notitia sunt altiùs repetenda. Per illud tempus apud Auinionem, Galliæ nobilissimam ciuitatem, commorabatur Benedictus tertius decimus, summus Romanæ Ecclesiæ pontifex, quem superiori libro diximus fuisse missum legatum ad Carolum Gallorum regem à Clemente Papa, quẽ in eodem libro diximus apud Fundos fuisse creatum summum antistitem, ab ea parte

Petrus de Luna fit Rom. Pontifex, & dicitur Benedictus.13.

Cardinalium, quæ ab Vrbano Papa sexto discesserat. Mortuo enim ipso Clemēte apud Auinionem, vno consensu omnium Cardinalium, qui in ipsa vrbe consistebant, ipse Benedictus pontifex creatus est, quanuis duæ aliæ partes Cardinalium, duos alios pontifices sibi elegissent. Quo factum est, vt schisma sit subsecutum inter populos Christianos: quandoquidem tres summi pontifices vno eodemque tempore Romanę Ecclesię præsidebant, quorum tamen quilibet sese legitimè creatum fuisse arbitrabatur. Quo verò modo id factum fuerit, non est à nobis hoc loco dicendum. Eorum enim est ista dicere, qui conscripserunt catalogum summorum pontificum. Illud verò omittendum non est, quòd singuli ferè Galliarum Hispaniarumque principes & ciuitates ipsi Benedicto obediebant. Igitur Benedictus quàm primùm ad summum sacerdotium electus est, missis nuncijs & literis, virum Dei Vincentium ad se accersiri iussit: quia eruditio & sanctitas viri, ei notissima erat, & secum eum habere voluit, ac in suum confessorem elegit, & magistrum palatij Apostolici instituit. Itaque Vincentius, nè iussis pontificis non obtemperare videretur, quanuis molestum ei esset sequi curiam terreni principis, tamen singula, quæ ei imposita sunt, diligenter executus est. Cōsistens aūt in Auinione vrbe, nunquam ociosus fuit: sed omne tempus dabat aut lectioni sacrarum scripturarū, aut doctrinæ verbi Dei, aut ædificationi proximorū, aut vigilijs crebrisque ieiunijs, hymnis & orationibus. Ob quas res non modò ab ipso pontifice & vniuersis prælatis, qui in ipsa vrbe commorabantur, verumetiam à cunctis Auinionensibus ciuibus, tanquàm Dei singularis fidelisque seruus, ac Christianæ veritatis eximius doctor, amabatur, obseruabatur, venerabatur, & egregijs laudibus extollebatur. Fuerunt quamplurimi eo tempore, qui salutaribus suasionibus exemplisque eius flexi, corruptos mores ac sceleratam anteactam vitam in sanctam conuersationem commutauerunt.

Fit Cōfessarius Papæ & magister palatij.

De schismate & labore viri Dei pro vnione Ecclesiæ.

Cap. 3.

ET quoniam, vt paulò antè memorauimus, tres summi sacerdotes præsidebant Ecclesiæ Christianæ, & quisque eorum se ritè creatum asseuerabat, ob quod maximum schisma erat inter populos Christianos: fuerunt sanè ea tempestate multi, qui in eam curam summoperè incubuerunt, vt Ecclesiam ad vnionem reducerent. Sed quia non ità, vt decuit, rem aggressi sunt, quod volebant, perficere nequiuerunt. Ob quod à multis tam ecclesiarum prælatis, quàm terrarū principibus res omnis: fidei beati Vincentij commissa est, tanquàm hominis, qui verax prudensque & esset & haberetur, nec quæreret gloriam terrenæ dignitatis: propter quæ vnusquisque arbitrabatur, neminem inter mortales reperiri posse, qui tantum negocium vel diligētiùs, vel prudentiùs, vel meliùs perficeret. Itaque inprimis vir Dei Benedictum pontificem adiit, eique suasit, vt vniuersos prælatos & cum eis cunctos theologos ac vtriusque iuris cōsultos, quorum Auinione magna multitudo erat, ad se accersiri iuberet, & in consultatione poni faceret, quid ei esset in tanta Ecclesiæ fluctuatione faciendum. Et præterea consuluit, vt potiùs in summa inopia ageret vitam, quàm quod propter terrenam dignitatem suam inter populos Christianos discordia foueretur. Propter hæc & multa alia, quæ omissa facimus, tandèm eidem Benedicto suasit, si opùs esset, pro pace Ecclesię summo pontificio renunciaret. Pontifex non multùm moratus, cedere quidem noluit, sed statìm vocatis singulis prælatis cæterisque eruditis viris, qui eius curiam sequebantur, rem in consultatione poni fecit, quemadmodùm ei B. Vincentius antè persuaserat. Verùm quia res, de qua erat consultatio, & ardua & plurimum periculosa esse videbatur, ideò in eius agitatione ipsi pręlati plurimis mensibus institerunt. At Vincentius interea nihil omisit, quo minùs sua opera vnio Ecclesiæ fieret. Nanque multas Galliæ & Hispaniæ vrbes peragrauit, se videlicet conferens modò ad Sigismundum Imperatorem, qui per ea tempora in Cataloniam venerat: modò ad Carolum Francorum, modò ad Martinum Aragoniæ regem: sæpè ad ipsum Benedictum, vt tam periculoso negocio aliquis felix finis tandem imponeretur. Itaq; horum quos modò nominauimus, atque aliorum Christianorum principum, & quamplurimorum ecclesiarum prælatorum vna voce vnoq; consilio tandèm deliberatum est, vt Constantiæ, præclara Germaniæ vrbe, generale Concilium fieret, quô tantis nauiculæ Christi fluctibus meliùs consuleretur.

Negociū tollendi schismatis S. Vincentio cōmittitur.

Multū laborat pro Ecclesiæ vnione.

Conciliū Constantiense.

Vt ad

Vt ad prædicandum missus sit à Christo, vtque & Cardinalatum respuerit, & à curia cum licentia recesserit. Cap. 4.

CVm hæc Auinione & Constantiæ gererentur, & quadã die B. Vincentius mẽte plurimùm agitaretur, & inter se quæreret, quid sibi agendum esset in tanta rerum angustia, repentè magna vi febrium corripi se sentit. Post duodecim verò dies, quibus adeò grauiter decubuit, vt multi eum crederẽt moriturum, ei visus est Iesus Christus, mirabili claritate coruscans: quem inter multitudinem angelorum comitabantur beati patres Dominicus & Franciscus, qui & eum confortauit, & lætissimum ex suî visione reddidit. Deindè post multa his verbis eum allocutus est: Cõstans esto, & omnem mentis angorem penitùs abijce. Sicut enim te in multis tentationibus fortem feci, atque ab hominum & dæmonum insidijs varijs eripui, sic & deincèps faciam, & vsque in finem te mea gratia comitabitur, ac nunc ex hac corporis ægritudine & mentis angustia te liberabo. Citò enim erit pax Ecclesiæ reddita. Tu ergò cùm primum conualueris, ex curia Benedicti discede. Elegi nanque te in singularem euangelij mei præconem, & volo quòd per vniuersas Galliarum Hispaniarumque regiones euangelizans, in humilitate ac paupertate discurras. Et tandèm post vberrimum verborum operumque tuorum fructum, in finibus terræ feliciter morieris. Inter cætera autẽ, quæ euangelizabis, volo vt populis extremum iudicij diem citò affuturum denuncies, populorum scelera repræhendens sine formidine. Et quanquàm multas improborum calumnias patieris, nè timeas, quoniam tecum semper ero: & cùm, me duce, euaseris cuncta pericula, aduersariorumque insidias facilè despexeris, vatem te adhuc expectabo, antequàm mundi terminus adueniat. Hæc dicens, genas beati Vincẽtij leniter tetigit, tanquàm videlicet ei signum singularis familiaritatis ostenderet. Moxque adiectis multis, quæ ad ædificationem & instruendum militem suum erant necessaria, Christus ipse disparuit. At Vincẽtius statìm reuocatis viribus, & ex strato, quo decũbebat, surgit: volensq; exequi, quæ Christus iusserat, inprimis decreuit adire pontificem maximũ, cui aperiret sanctum propositũ, & cuius licẽtia res ipsa facta, maiorẽ videretur habere authoritatem. Igitur dum ad pontificem sese conferre vellet, ecce ipse pontifex, magna Prælatorum multitudine comitatus, conuentum fratrum Prædicatorum ingressus est, Christi seruum Vincentium inuisurus. Itaque vbì primùm vidit virum sese obuiàm offerentem, quem audierat grauissima ægritudine occupatum, & de cuius vita non multùm sperabatur, plurimùm & admiratus & gauisus est. Post multos autẽ sermones inter eos habitos, Vincentius suum animum Benedicto Papæ manifestauit. Ille id ægrè ferens, multas vias inuenit, quibus Vincentius secum detineretur. Denique videns eum à proposito dimoueri non posse, excogitauit singularem aliam viam, qua vel à proposito eum desistere faceret, vel animus eius faciliùs frangeretur. Vacantibus nanque tũ Valentino, tum Ilerdensi, tum aliarum quarundam ecclesiarum episcopatibus, eum episcopum creare constituit. Cumque nec oblatis huiuscemodi dignitatibus ipse Vincẽtius flecteretur, quadam die conuocatis Cardinalibus, qui Auinione commorabantur, paratoque ex more pileo, eum ad se accersitum, collegiò eorum vna omnium voce voluit adnumerare. Vincentius hanc quoquè dignitatem non quidem dispexit, sed certè iustis de causis admittere noluit: Primùm, quia sese indignũ tam excellẽti dignitate existimabat: Deindè, quia lõgè vtiliora fructuosiora animo cogitabat: Postremò (quod & præcipuè eum mouebat) quia si in tali dignitatis gradu constitutus esset, ab ipsius pontificis curia discedere nequiuisset, atque ità nec Christi legationem exequi potuisset. Veruntamen nè ingratus pontifici maximo ipsisque Cardinalibus videretur, eis maximas gratias egit, ac manifestato animi sui proposito, ab eis licentiam authoritatemque euangelizandi postulauit. Summus autem sacerdos ac Cardinales audiẽtes causas, quas vir Dei exposuit, indignum esse censuerunt, vt aliquo modo sanctum eius propositum impediretur. Quas ob res eum, quocunquè voluisset, abire permiserunt. Insuper vt efficaciùs & salubrius populis Dei euangelium per mundum discurrens euangelizare posset, idem pontifex sponte sua magnam ligandi absoluendique potestatem ei contulit, mittens eum tanquàm specialem Apostolicæ sedis legatum, qui peccatores à vitijs abduceret, & ad pœnitentiam reuocaret.

Videt Christum.

Dies iudicij citò adfuturus.

Recusat episcopatũ & Cardinalatum.

De propinquitate iudicij prædicante eo, vt pontifex summus rationem petierit, vtque libellum de propinquitate iudicij scripserit. Cap. 5.

POst hæc ex Auinione primùm, deindè paulatìm progrediendo, per vrbes & villas euangelizans, in Cataloniam reuersus est: vbì potens opere & sermone: duos continuos annos docens institit. Populi autem eum, tanquàm vnum ex veteribus apostolis, sequebantur, atque incredibili quadam attentione audiebant, & multis obsequijs venerabantur. Et quia inter cætera, quæ docebat, generale iudicium multis rationibus citò futurum esse confirmabat, non defuerunt multi, qui memorato pontifici dicerent, magistrum Vincentium plurimas nouitates seminare in populis: inter quas vna præcipuè esset, quòd diem extremi iudicij nostris diebus proximum esse affirmaret: vndè expedire dicebant, vt ipse, qui esset maximus pastor Ecclesiæ, quid sibi talia velint, diligenter perquireret. Itaque datæ sunt ad B. Vincentium à sede Apostolica literæ, vt summum pontificem certiorem faceret, quænam essent ea, quæ de ipsius iudicij tempore fateri dicebatur. Ipse acceptis lectisque literis, iussis Apostolicis mox obtemperauit. Composuit enim libellum quendam egregium, in quo paucissimis complexus est singulas rationes, quibus moueri solebat, vt probabiliter ostenderet ipsum iudicium nostris temporibus esse propinquum. Libellũ verò ad summum pontificem misit, qui eum examinaret, corrigeret, probaret, vel etiam improbaret, si fortè ea, quæ in ipso scripserat, improbanda viderentur. Sed nec Papa, qui huiusmodi libellum componi voluit, nec illi, qui doctrinam viri Dei criminabãtur, aliquid in eo compererunt, quod vel minima repræhensione dignum esse existimaretur.

Mirũ populi erga eũ studiũ.

Libellus eius de propinquitate extremi iudicij.

Vt hortatus sit Benedictum Papam, vt pontificio renunciaret post Martini electionem. Cap. 6.

POst paucos verò menses Patres, qui in concilio Costantiensi vniendæ Ecclesiæ gratia conuenerant, post multam longamque rerum plurimarum discussionem, adiudicauerunt neminem ex illis tribus, qui se maximos pontifices arbitrabantur, ritè fuisse creatum: ob quod nullam alicui eorum obedientiam, tanquàm summo sacerdoti, à populis Christianis præstandam censuerunt. Nomina autem eorum non sunt silentio prætereunda: non quidem, quòd eis, qui nostri Vincentij vitam lecturi sunt, necessarium sit illa scire, sed nè nobis memoria excidisse videantur. Vnus eorum fuit Benedictus, cuius à nobis suprà mentio facta est: Alius, Gregorius duodecimus: Tertius, Iohannes vicesimus tertius. Itaque singulis his summo pontificio priuatis, in eodem Concilio vna omnium patrum voce Martinus quintus creatus est. Quod vt factum est, ex illis tribus, quos modò nominauimus, Iohannes & Gregorius, licèt non libenter, tamen necessitate coacti, summo sacerdotio renunciauerunt, ipsique Martino cesserunt. At Benedictus, quoniam electio, qua creatus est, nulla ex parte repræhendi posse videbatur, nunquàm induci potuit, vt renunciaret. Hæc quamprimùm ad aures Vincentij peruenêre, non modò crebris literis eum ad huiuscemodi renunciationem adhortatus est, verùm ipse sese ad eum contulit, ac multis varijsque rationibus ei suasit, vt decretis ac deliberationi Constantiensis Concilij penitùs obtemperaret. Deniquè videns, quòd verbis suis flecti non posset, ab eo discessit, & ad consueta exercitia redijt.

Martinus V. creatus Pontifex.

De verborum eius & doctrinæ fructu & efficacia. Cap. 7.

QVanuis iuuentutis suæ tempore multis in locis verbum Dei euangelizauerit, tamen dum ageret quadragesimum annum, cœpit peregrinationis eius tempus ac doctrinæ continuum illud ac mirabile exercitium, quod vsque ad vitæ suæ terminum sine intermissione continuauit. Regiones autem, quas docens peragrauit, hæ fuerunt: Catalonia, Regnum Valentiæ, Aragonia & Nauarra, quæ sunt in citeriore Hispania. Ex Hispania verò vlteriore, excepta Gallitia & Portugallia, singulas alias ferè regiones, vrbes & oppida ac villas circuiuit. Ex Gallia autem inprimìs illa regio, quam nostro tempore vocant linguam Occitanam, Delphinatus, Prouincia, Sabaudia, Francia, Burgundia, Normãnia, Biturnia, Aluernia, Flandria, Albia, Octauia, Picardia, Vasconia, Britannia, vbì & feliciter, vt post dicemus, migrauit. Descendit quoquè in Italiam, & vniuersas regiones & vrbes Pedemontij lustrans,

Anno ætatis 40. totũ se confert' ad prædicandũ verbum Dei.

strans,atq; multas Lombardiæ terras & ciuitates peragrãs, demùm venit Genuam, vbi vno nõ ferè mense commoratus est. Discurrit prætereà omnem illam maritimam regionem, quam vulgò Genuæ ripariam vocant. Decreuerat sic paulatim progrediendo ac docendo venire in Tusciam, & in singulas Italiæ regiones. Sed diuino consilio factum est, quòd dum ipse in portu Veneris consisteret, affuit nuncius à rege Hispaniæ Iohanne missus, qui tradidit ei literas, quibus multis precibus & magna instantia idem rex eum in Hispanias reuocabat. Itaque in Hispanias rediit, & post factum ibidèm animarum vberrimum fructum, profectus est in Gallias, & sic in Italiam vlteriùs proficisci non potuit. Maris certè pericula nunquàm formidauit. Nauigauit enim ad insulas Baleares, quas nostro tempore Maioricam Minoricamq; nominamus. Dum verò per Gallias euangelizando discurreret, Henricus rex Angliæ, permotus fama mirabiliũ operum eius, parata quadam naui, & in ea missis nuncijs & literis, eum ad se venire, & in eam insulã nauigare obsecrauit. Facto itaque, quod religiosus rex petierat, & eidem reuelatis multis futuris, ad eius regnum pertinẽtibus, quæ succedenti tempore fuerunt penitùs subsecuta, atq; in ipsa insula seminato verbo Dei, acquisitoq; maximo ex eius doctrina fructu, indè discessit, & in Scotiam, quæ est Angliæ insula proxima, nauigauit. Iuit & in Hyberniam, quæ est alia Oceani maris insula, & in ea non multùm commoratus, tandèm in Gallias reuersus est. In huiuscemodi verò peregrinatione siue discursu, vitæ suæ talis ordo fuit. Nocte solùm quinque horas quieti tribuit, rèliquas noctis partes vel orationibus aut lectionibus sacrarum scripturarum transigebat. Manè autem in locum, quo eum prædicaturum expectabant, se conferebat. Primum ipse Missam cantu ex more celebrabat: Deindè verba salutis, prout spiritus sanctus menti eius infundebat, pronunciabat. Posteà sermone finito, volens populorum ad se concurrentiũ satisfacere deuotioni, eis manus osculandas præbebat, oblatosq; sibi infirmos cruce signabat. Sicque plurimi, quorum numerus nobis incertus, soli Deo cognitus est, diuerso infirmitatum genere laborantes, post factum in eis à viro Dei salutiferæ crucis signaculum, perfectæ sanitatis beneficium reportabant. Pro quarũ rerum narratione alium locum excogitauimus. Verba tamen, quibus in huiusmodi languentium sanationibus vtebatur, hoc in loco subijciemus: Signa, inquit, eos, qui crediderint, hæc sequentur: Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Hæc primò dicebat. Deindè statim adijciebat: Iesus, Mariæ filius, mundi salus & Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te conseruet in ea & beatum faciat, & ab hac infirmitate te liberare dignetur, Amen. Deniquè cibo satis pauco corpus pro necessitate naturæ reficiebat. Cibus eius ex piscibus frequentiùs erat: quos tamen non multo studio coctos paratosque volebat, sed quomodò religiosi viri statui conueniens videbatur. Ab eo anno, quo religionem Prædicatorum professus est, vsque ad diem, quo migrauit è vita, ab esu carnium abstinuit, nisi aliqua euidens necessitas eum aliter facere compulisset. Nunquàm voluit, nisi vno ferculo vti. Vinum, multa aqua dilutum, semper sumebat, illudque aut semèl, aut bìs, & rarò ter, & nunquàm post tertiam vicem bibere visus fuit. Et vt paucissimis verbis multa complectamur, constitutiones fratrum Prædicatorum, quo ad singulas ceremonias, & ipsam regulam, vbicunquè eum esse contigerat, non minùs seruabat, quàm si in ipsorum claustro moraretur. Quadraginta annis, exceptis diebus Dominicis, vtplurimùm ieiunauit. Nec vnquàm talia ieiunia aliquo casu prætermisit, nisi per corporis ægritudinem ea prætermittere cogeretur. Iter verò discursûs eius non equitando, sed proprijs pedibus peregit, solo baculo, cui inniteretur, contentus: idque quindecim annis continuis fecit. Verùm posteà ex quadam ægritudine, quæ ei superuenit, in tibia grauior tardiorque effectus, necessitate compulsus, habuit quendam asinum, quo vehebatur, quotiès de ciuitate in ciuitatem proficiscebatur. Sæpè etiam operam dedit, præsertim in locis, vbì erat ei opportunitas, vt posset de rebus suo vsui necessarijs pro suà voluntate disponere, vt super sarmentorum aut palearum aut istiusmodi rerum straminibus, vel paupere sacculo, modica lana repleto, dormiret. Nudam carnem eius nemo vidit vnquàm, nec etiam fratres illi, quibus ipse familiariùs vtebatur. Illud prætereà pro edomanda carne & in memoria passionis Christi à prima adolescentia obseruauit, quòd singulis noctibus quibusdam flagellis è funibus confectis, corpus suum multis cum lachrymis cædebat. Et si fortè alicuius ægritudinis impedimento id facere nequiuisset, hoc à fidis socijs suis fieri volebat, eos per Iesum Christum obtestans, nè quid dubitarent, sed cum validis ictibus cæderent. Elegit autem in socios quosdam fratres ex ipso Prædicatorum ordine, quorum quinque fuerunt

Reuocatur in Hispanias.

Nauigatio Britanniã.

Iter in Scotiã & Hyberniam.

Eius nocturna & diurna exercitia.

Signo crucis innumeros sanat.

Marc. 16.

Cibus eius.

Ieiunia eius.

Nota sancti viri admirandam pudicitiã.

fuerunt Petrus Muya, Iohannes de Pulchroprato, quem Tolosæ studijs literarum vacantem, ad Prædicatorum ordinem traxerat, Raphaël Cardona. Ioffredus Blaues, & Petrus Cerdam: qui omnes licèt fuerint vita & fama clari, duo tamen illi, quos vltimò nominauimus, tantæ perfectionis tantæque eruditionis fuerunt, vt eorum doctrina multis populis profuerit, ijdemq; in vita & post mortem multis miraculis claruerunt. Et quoniam magna populorum multitudo eum de loco ad locum euntem sequebatur, quorum pars publicam pro commissis pœnitentiam agebat, pars sola deuotione mouebatur, vt videlicet à viro Dei verba ædificationis spiritualis audirent, & vt benè viuendi exemplum sumerent: excogitatus est ab eo quidam ordo rerum, quo deuotio sequentium magis augeretur, vt vitæ doctrinæque eius fructus esset copiosior. Ducebat nanque secum multos sacerdotes, quos ex diuersis religionibus elegerat: quorum officium erat, vel audire confessiones pœnitentium, vel epistolas, euangelia sacrosque hymnos ex more decantare, quandò & quotiès Missarum solennia agebantur. Organa quoquè portari faciebat, vt videlicet cantùs suauitate populorum affectus incenderetur vehementiùs, & Dei laudationi vacaret diligentiùs. Insupèr quosdam notarios elegit, qui, quotiès à viro Dei de pace discordes tractaretur, præstò adessent, ac remissiones inter eos factas literis mandarent, nè fortè eos, vt à multis fieri solet, facti pòst pœniteret. Eos prætereà, qui eum pro agenda pœnitentia sequebantur, singulis diebus post Solis occasum per vrbes & quæcunque alia loca, ad quæ declinabant, quasdam processiones facere volebat, eisq; quosdam hymnos, quos eo modo procedentes cantarent, ipse composuit, ac iubebat, vt quisque eorum nudatis humeris seipsum flagellis cæderet, & alta voce diceret: Hoc sit in memoriam passionis Iesu Christi, & in remissionem peccatorum meorum. Inter quæ flagella tanta cordium deuotio, tantus erat omnium luctus, tanta contritio, tanta religio, vt ipsi quoquè incolæ locorum, vbì hæc agebantur, non solùm in lachrymas soluerentur, sed etiam complures ex eis, flexi talibus exemplis, virum Dei sanctamque societatem eius per multa terrarum spatia religiosè sequerentur. Ex quo factum est, vt aliquandò supra numerum decem millium hominum peruenerit religiosa illa societas. Quinetiam tanta multitudo confluebat, tam ad videndum istiusmodi spectaculum, quàm ad audiendam tam mirabilis prædicatoris doctrinam. vt non solùm in populosissimis vrbibus, sed etiam in campestribus locis vsque ad octoginta millia hominum frequenter conuenirent. Et quanuìs talis corporis flagellatio in frigorum, ventorum, pluuiarumque sæpenumerò fieret tempore, nemo tamen ex eis vnquàm incurrit vel minimam ægritudinem. Quam rem multi miraculo dignam existimauêre. Verùm nè qua posset esse confusio propter concurrentem turbam, elegit nonnullos, quorum neque fama, neque conuersatio poterat aut haberi aut esse suspecta: quibus curam dedit, quæ erant victui necessaria, parare, stationes diuersoriaque singulis distribuere: vt videlicet mares à fœminis, clerici à secularibus separarentur: & tandèm omnia alia disponere, prout temporis, loci, rerumque opportunitas postulasset. Quidquid eleemosynarum ei tribuebatur, socijs suis, prout cuique opùs erat, distribui faciebat. Si quid verò superfluum erat, pauperibus erogare solebat. Pecunia quotiès afferebatur, à socijs suis accipi vetabat: iubebatque, vt nihil, nisi quæ essent quotidiano vsui necessaria, acciperent.

Comites itinerum eius.

Nota de publicè pœnitentiam agentibus.

Miri hominum concursus.

Nota.

Pecuniam non vult recipere.

Cùm quadam die consules cuiusdam oppidi Galliæ, quod Biterris dicitur, triginta ei aureos in eleemosynam obtulissent, & vir Dei eos nunquàm voluisset accipere, atque illi eum in nomine Iesu Christi & B. Mariæ Virginis adiurâssent, vt eos omnes acciperet: ipse, nè nomina tam veneranda spernere videretur, aureos quidem ilicò accepit, sed mox eos cuidam ex socijs dedit, iussitque vt non priùs ex oppido discederet, quã pauperibus, orphanis, viduisque distribueret. Omnium hominum, non solùm populariũ, sed etiam principum & ecclesiarum prælatorum vitia arguebat. Non enim respiciebat personas hominũ: vndè nemini parcebat, & quæ ei repræhensione digna videbantur, ardentissimè repræhendebat. Cum clericis tamen prudentiùs agebat. Nam quotiès ad aures eius aliquod magnum & nefarium facinus clericorum perueniebat, eos aliquo in loco secreto congregabat, ac si quomodò, quantum aut quibus de rebus opùs erat, commonebat. Nec solùm viris id faciebat, verumetiam fœminis, quę in monasterijs degebant. Quàm seuerus autem in homines flagitiosos fuerit, vno exemplo satis erit ostendere. Tempore, quo erat Ianuæ, nobilissima vrbe Italiæ, vir quidã Valentiæ oriundus, ob quædam admissa scelera fuerat vltimo supplicio condẽnatus. Cumq;

Omnium vitia acriter castigat verbis.

virum

virum Dei complures obsecrâssent, vt Ianuensiũ Ducem adiret, cum oraret, vt homini conterraneo impunitatem concederet, respõdit: Absit, vt opera mea iustitiæ locus impediatur, & sceleratis hominibus impunitas concedatur. Illud verò libenti animo faciam, vt genus mortis permutetur. Itaq; Ducem adijt, & quicquid petijt, facilè impetrauit. Quotiès verò Missam celebrabat, ante Dominici corporis & sanguinis sumptionem tot lachrymas fundebat, vt pauci intuentium se à lachrymis continere possent. Ex quo frequenter euenit, vt tantus luctus omnium audiretur, quantus esset, si in cuiuspiam morte à consanguineis plangeretur. Et nè cui harum rerum vana superstitio fuisse videatur, deincèps nobis dicendum est, quanta vtilitas fuerit ex mirabilibus eius operibus subsecuta. Quæ res magìs conspicua erit, si de efficacia sermonis eius primò narrauerimus.

Nota sancti viri iustitiam.

Lachrymę eius in Missa.

Qualis fuerit ordo vitæ eius, dum prædicando per multas occiduas regiones discurreret. Cap. 8.

Efficaciam sermonis eius ostendit, tum Christianorum hominum vtriusq; sexûs diuersorumq; statuum pœnitẽtia, tum maximè multorum millium Iudæorum Saracenorumq; conuersio. Nam ex Christianis hominibus, qui perditi atq; obstinati in manifestis ab omnibus habebantur, supra centũ millia ad salutiferam pœnitentiam reduxit. Erat enim in vitiorum repræhensione terribilis, ità vt frequentissimè accideret, vt multi scelerati adeò compungerẽtur verbis eius, vt humì prostrati, coram vniuersa multitudine, omni pudore postposito, magna peccata confiterentur, & veniam lachrymabiliter peterent. Et quanuis ipsis peccatoribus sic terribilis esset, tamen suas repræhẽsiones cum tanta moderatione mitigabat, quòd quicunq; eum semèl prædicantem audiebant, mirum in modum alliciebantur, vt ad eum iterùm, atque iterùm audiendum proficiscerentur. Rarum omninò erat, vt ipso prædicante, auditores ad lachrymandum non prouocarentur. Cùm verò de futuro iudicio, aut de Christi passione, vel de pœnis inferorũ loqueretur, tam ipse quàm populi adstantes, semper in tantum fletum prorumpebãt, quòd necessarium erat, vt per multùm temporis sileret, donèc à lachrymis cessaretur. In explanatione sacrarũ scripturarum erat tum luculẽtus, tum copiosus. Quæcunq; vel docebat, vel suadebat, vel pro scelerum correptione dicebat, semper scripturarũ aut sanctorũ virorum testimonijs, confirmabat, & auditorum animis mirabili quodam modo imprimebat. Tanta erat in eo sententiarum exemplorumq; vbertas, quandò prædicabat, vt singulos scripturarum sacrarũ libros, ac quæcunq; in earum viri sancti expositionem conscripserũt, quasi memoria habere videretur. Nè aũt perirent ea, quæ de tanti viri ore emanabant, mouit Deus animos nonnullorum ex auditoribus eius, vt quæ ipse prædicabat, vtcunq; possent, conscriberent. Itaque composuerunt ex eis complura volumina, quorum aliqua sunt multis in locis diuulgata, ex quibus nostri temporis cõcionatores multũ vtilitatis accipiunt. Sunt tamen non pauci, qui eum prædicantem audièrunt, & nunc legunt sermones, quos suo tempore habuit, in scriptura redactos, asseruntq; quòd vix consequuntur* eorum, quæ ipse suo ore resonabat. Quàm verò acutus, acer, copiosusq; disputator contra Iudæorum perfidiam fuerit, ac quàm clarè scripturarum ænigmata eis aperire consueuerit, illud vel maximè demonstrant, quòd in diuersis vtriusq; Hispaniæ vrbibus, supra vigintiquinque millia ex eis ad suscipiendã Christianam adduxerit religionem, & eorũ templa in Christi ecclesias dedicari fecerit. Nec minùs multi Saraceni, quorũ in Hispania magña copia est, eius ignitis eloquijs incitati, sacrilegã Mahometis sectam detestantes, sacrum baptisma perceperũt. Quorum numerus ferè octo millium fuit. Multa præterèà monasteria, multa hospitalia, multæ sacræ ædes, multi pontes pro fluuiorum transitu, multis in locis fuerunt eius hortatu constructa. Ad iniuriarum odiorumque remissionem quàm efficax fuerit sermo eius, testes sunt vniuersę vrbes, vniuersi populi, apud quos verbum Dei seminauit. Nulla ciuitas fuit, in qua ciues multiplicibus odijs discordes comperit, à qua priùs discesserit, quàm eam magna ex parte pacatam concordemque relinqueret. Fuerunt ferè innumerabiles, inter quos multis annis capitalia odia ob necem aut amicorum, aut affinium, aut consanguineorum exarserant, qui sermonibus eius permoti, adeò corde compuncti sunt, vt nequaquàm veriti sint coram maxima hominum multitudine collachrymantes surgere ac clamare, sese velle indulgere homicidis. Inter quæ illud fuit memorabile, quòd composuit magnam illam discordiam, quæ erat inter duas nobilissimas Valentinorum familias, Solenorum videlicet & Centella.

Nota fructum mirabilẽ concionũ eius.

* for. ea

Locus medosus.

Supra 25000 Iudęorum ad Christũ conuertit.

Saracenorum 8000.

tellarum: quorum animi ità erant dissidentes ac hostili odio incensi, vt multis annis variæ cædes fuerint vtrinquè perpetratæ. Meretrices, lenones, homicidas, piratas, vsurarios, Dei sanctorumque blasphematores, & huiusmodi generis homines, in sceleribus perditos, ferè quadraginta millia reduxit ad propriorum flagitiorum agnitionem, & ad agendam publicam pœnitentiam eo ordine, quem suprà expressimus. Nec mirum, si tam vehementer homines ad benè viuendum incitabat. Nempe cum sanctitate vitæ erat quædam in eo summa eloquentia, quam exornabat incredibilis sententiarum grauitas, splendor nitorque sermonis. Quæ omnia reddebant eloquia eius ignita, ità vt cuncta, quæ loquebatur, non ex ore terrestris hominis, sed potiùs cœlestis angeli manare viderentur. Fuerunt multi, quibus diuinitùs concessum est, vt dum ipse prædicaret, angelos Dei viderent, super eum in humana specie frequenter descendentes. Ad omnia hæc accedebat, quòd vox eius sic erat à natura disposita, quòd eam pro libito voluntatis, prout visum esset, facilè expromeret. Nam pro rei necessitate acutã, grauem, gracilem ac sonoram vocem edebat. Multi insupèr quasi miraculi instar id in illo suspiciebant, quòd cùm numerus eorum, qui eum prædicantem audiebant, frequentissimè tantus esset, vt plures ab eo longissimo interuallo distare cogerentur, non tamen minùs ab eis, qui plurimùm aberant, quàm illis, qui erant proximi, distinctè audiebatur sermo eius. Illud autem omnium præstantissimum erat in eo, quòd ea, quæ docebat, multis signis clarissimisque miraculis confirmabat, de quibus infrà narrabimus. Maxima etiam admiratione dignum illud est, quòd donum linguarum, sicut & veteribus apostolis, ei concessum est. Cùm enim per illas singulas regiones, quas suprà memorauimus, suas prædicationes diffunderet, & sua Valentina ac materna lingua fuerit semper locutus: tamen singuli tam pueri, quàm ætate prouecti vtriusque sexûs, eius sermonem per singula verba percipiebant, perindè acsi in singulorum patria fuisset natus, & eorum idiomate fuisset locutus. Multi quoquè Græci, Teutonici, Sardi, Hungari, & alij in alijs locis nati, qui cùm non nisi materna lingua loqui scirent, nec aliam intelligerent, ad loca, in quibus prædicabat Vincentius, cum alijs ad audiendum concurrentes, tandèm concione peracta, fassi sunt se singula viri Dei verba percepisse non minùs, quàm si eorum lingua eum loquentem audissent. In illa Galliæ regione, quæ nostro tempore Britannia dicitur, sunt quidam populi, quos Galli vocãt Britones Britonizantes, quorum lingua solis ipsis cognita est. Et quamuis plurimi eorum, Gallorum lingua loqui sciant, multi tamen nõ solùm non nisi sua lingua loquuntur, sed & nullam aliam intelligunt. Qui tamen virum Dei, suo materno idiomate loquentem, distinctè intelligebant, ità vt singuli quoquè pueri & fœminæ maximum fructum ex salutifera eius doctrina perceperint.

Cap. 7. huius secundi libri.

Donum linguarũ diuinitùs accepit.

Britones Britonizantes.

Quanta eius apud nobiles, itemque principes etiam infideles veneratio fuerit. Cap. 9.

Dicendum deincèps est, quantum non solùm apud populares, sed etiam apud clarissimos principes atq; ecclesiarum prælatos & ipsos summos Pontifices valuerit eius authoritas. Et in primis illud dicamus, quòd erat communis omnium consuetudo, vt ex singulis vrbibus, ad quas proficiscebatur, omnis populi multitudo, omnisque nobilitas, & omnis clericorum ordo ipsi quoquè episcopi & ecclesiarum prælati egredientes, ei obuiàm procederent, hymnosque decantantes, cum tanquàm vnum ex Christi Apostolis intra ipsas vrbes exciperent. Sæpè verò id nè fieret, ipse prohibuit. Sed vbi animaduertit ex ea re populorum animos in Dei deuotionem incendi, nec etiam posse prohiberi, quo minùs talis reuerentia sibi exhiberetur, quod illi faciebant, permittebat quidem, sed propterea haudquaquàm in superbiam animus eius efferebatur. Omnia enim propter Deum faciebat, & in ipsius laudem & honorem referebat. Et cùm multi ex eis, qui ei obuiàm pergebant, phaleratis equis veherentur, ipse tamen vili asino vectus, medius eorum humilimè incedebat, vel in cælum erectos tenens oculos, vel humi defixos. Horis, quibus prædicabat, artifices nihil penitùs operabantur. Ipsi quoquè doctores, qui prælegebant in locis, vbi florebant publica studia liberalium artium, tandiù à lectionibus vacabant, donèc concio eius absolueretur. Tanta enim erat omnium cupiditas audiendæ doctrinæ eius, quòd vix infirmi domi retineri poterant, quin ad audiendum eum & ipsi concurrerent. Locis verò, in quibus prædicauit, quandiù præsens fuit, tandiù & etiam per multa tempora posteà à periurijs, à Dei sanctorumque blasphemijs, ab aleæ ludis, atque à multis

Honorificentissimè vbiquè excipitur.

Nota quãtum eius concionibus ab omnibus delatum fuit.

multis alijs flagitijs cessatum est. Tanta erat omnium contritio, tanta religio, tāta in vestitu honestas & in victu parcitas, vt à cunctis, qui talia videbant ac diligenter considerabant, tempora priscorum apostolorum redisse æstimarentur. Fuerunt per ea tempora quamplurimi viri, certè non indocti, nec imprudentes, qui considerantes sancti Vincentij singulas animi corporisque virtutes, & maximum fructum, quem sua illustri doctrina, exemplis & operibus adferebat, animaduertentes insuper, quā laudabilis fuerit ordo vitæ eius, quantus fuerit ad eum populorum concursus, & quanta deuotio, & demùm quàm varia ac magna fuerint miracula, quibus claruit vita eius, dicere auderent, quòd post Christi Apostolos nemo fuit, qui eum nedùm superauerit, sed nec etiam coæquauerit. Paupertatem euangelicam adeò efficaciter commendabat, vt complures viri nobiles ac opibus ditissimi, eius suasionibus incitati totam substantiam suam pauperibus distribuerent, & pauperem Christi Vincentium in paupertate sequerētur. Nec minùs permoti sunt multi clerici, qui locupletissima beneficia relinquētes, aut arctiorem eligerent religionem, aut eum sequerentur, quocunque ire decreuisset. Fœminæ prætereà clarissimarum familiarum, sanctis verbis eius commotæ, sese arctis monasterijs intruserunt ad seruādam perpetuam pudicitiam. Tam autem venerabilis omnibus reddebatur, quòd beatum se arbitrabatur, quicunque eum vel tangere, vel alloqui potuisset. Tanta quoque erat multitudo eorum, qui sacras manus eius certatim osculari conabantur, quod in populosis ciuitatibus frequentissimè necessarium erat, vt quidam lignei cācelli fierent, inter quos ipse & socij eius consisterent, quibus prohiberetur ad eum concurrentium accessus importunus. Martinus prætereà & Ferdinandus Aragoniæ, & Iohannes Hispaniæ reges, consueuerunt ei sese obuiā offerre, quotiès eorum vrbes, vbi ipsi præsentes erant, beatus Vincentius ingrediebatur. Idem faciebant cuncti Galliarum ac Hispaniarum principes, cùm in vrbes, quæ eorum ditioni suberant, adueniret. Machoma quoq, rex Granatæ, quanuìs infidelis esset, tamen audita fama mirabilium operum, quæ de B. Vincentio ferebatur, præsertim quòd multa Saracenorum Iudæorumque millia ad religionem conuertisset Christianam, missis literis & legatis, eum vt in suum regnum iret, obsecrauit, vt videlicet eum videre & prædicātem audire posset: fide publica promittens, vt in eius regno posset legem Christi liberè prædicare, nihil eo obstante, quòd Maurorum seu Mahometis lege id prohibeatur. Et Vincentius quidem impetrata à summo pōtifice eundi ad ipsum regem facultate, lætus se eò contulit, ac coram illo ter prædicauit, cum incredibili tum regis, tum aliorum Saracenorum attentione. Cumq; eius doctrina tanta voluptate audiretur, vt iam magna populi multitudo, despecta Mahometis sacrilega secta, esset sacrum baptisma susceptura, nōnulli ex eorum satrapis id ægrè ferentes, regi comminati sunt regni amissionem, nisi Christianus prædicator à regno eius depelleretur. Ea re compulsus est Vincētius ad docendos Christianos populos reuerti. Subortis etiam frequenter quibusdā dubijs de maximè arduis fidei catholicæ & Romanæ Ecclesiæ negocijs, maximi Pontificis & Cardinalium senatus eius sententiam, tanquàm viri & doctissimi & sanctissimi, non solùm audire voluerunt, sed etiam tanquàm firmissimum tutissimumq; portum tenuerunt. Et licèt sæpiùs id factum sit, tamen ne nimìs longam texamus historiam, vnum solùm hoc loco memorabimus.

Machoma rex Saracenus eū ad se accersit.

Cùm in Constantiensi Concilio inter omnes illos doctissimos patres, qui in eo conuenerant, diù fuisset magna quædam quæstio agitata, nec vnquàm tātæ rei veritas inueniri posset, tandèm constituerunt, vt ad beatum Vincentium mitteretur, qui de ea re eos faceret certiores. Itaque vna omnium voce missus est ad eum Iohannes, tunc Cardinalis sancti Angeli. Cuius fuerunt comites quatuor, duo theologi & duo vtriusque iuris consulti, omnium illius ætatis eruditissimi. Venienti igitur ad se Cardinali, & sui aduentûs ei causam exponenti, Vincentius lachrymans, Vndè, inquit, mihi, vt tantus talisque vir ad me veniat? Benè vestræ breues literæ Constantiam vsque me venire facilè fecissent, etiamsi in extremis partibus fuissem orbis. Illud verò vehementer admiror, quòd tanta virorum doctissimorum copia, quantam scimus ad Constantiæ Concilium venisse, nequiuerit veritatem rei comperire, quam ego tam facilem tamque manifestam considero. Sed hanc ignorantiam non ob aliud euenisse puto, nisi ob superbiam nonnullorum ex eis, qui sunt in ipso Concilio, qui omnia non propter Deum faciunt, sed vt humanam glòriam consequantur. Hæc postquàm ab eo dicta sunt, statìm Cardinali & eis, qui eum comitati sunt, explanauit, quæ illi voluerunt. Nec solùm spiritualia, sed & secularia & quædam maximarum rerum negocia eius fidei commissa sunt.

Constantiensis Cōcilij patres quātum ei tribuerint.

eleuatum, oculos ad cælum ac manus iunctas tenentem, & deuotione vehementissima orantem.

De conuersione hominum Putæ vallis. Cap. 10.

IN ea Galliæ regione, quam nostri temporis vulgus Delphinatum vocat, est inter duos montes vallis quædam, quam sub illud tempus, quo B. Vincentius clarebat, habitabat gens quædam fere barbara, quæ erat tot malorum labe infecta, quòd quicunque ex eis non vacâsset lasciuiæ, aut non vixisset ex rapto, vel non fuisset humani sanguinis effusione delectatus, aut non fuisset magicarum artium vsus præstigijs, eis nequaquam cohabitare posset. Propter quæ & plura alia gentis illius obscœna facinora, Gallorum lingua locus iste Vallis Puta dicebatur, quod Latino sermone diceretur vallis fœtida. Ferunt autem multi pontifices Romani, qui ad eos frequenter prædicatores & hæreticæ prauitatis inquisitores miserunt, vt vel salutaribus doctrinis, vel pœnarum formidine à suis obscœnitatibus reuocarentur: sed hæc nihil profuerunt. Nam ferocissima gens illa eos, qui mittebantur, ferro irruens vel eijciebat, vel trucidabat: ex quo ad eos ire omnes prædicatores formidabant. Hæc audiens fortis Christi miles, non quidem terrenis, sed cælestibus armis munitus, in vallem ipsam proficiscitur. Duxit verò secum illam religiosam cateruam, quæ eum sequebatur agens pœnitentiam, modo quo suprà diximus: vt videlicèt eorum exemplo gens illa faciliùs ad contritionem prouocaretur. Itaque vbi incolæ vallis tantum virum, cuius celeberrimam famam frequenter audierant, ad se venisse viderunt, ad eius doctrinam audiendam certatim concurrerunt. Post paucos autem dies, omni ferocitate deposita, fuit gens illa ab omni errore reuocata, & ad veræ religionis cultum sic reducta, vt non solùm à sceleribus desisterent, sed etiam, quamdiu apud eos fuit B. Vincentius, ac per multa tempora pòst, veræ conuersionis signa multiplicibus inditijs demonstrarent. Quamobrèm fuit à viro Dei constitutum, vt non ampliùs Vallis Puta, sed mutato nomine Vallis Pura vocaretur. Quæ nominis appellatio vsque ad hæc nostra tempora perseuerat.

Vallis putæ habitatores barbari, & valdè flagitiosi.

Redeunt ad sanitatem.

Quomodo B. Dominicus eidem apparens, dedit testimonium virtutum eius præcipuè virginitatis. Cap. 11.

VLtimo huius libri loco illud vnum dicendum est, quod est tam virginitatis, quàm multarum aliarum virtutum eius testimonium mirabile, ac manifestum indicium, quòd non solùm à seculi huius hominibus, sed etiam à cælestibus ciuibus venerabatur. Quadam enim vice dormienti B. Vincentio media nocte adfuit B. Dominicus, ex cuius corpore tanta lux emittebatur, quòd totus locus mira claritate resplenduit. Ex quo expergefactus B. Vincentius, ac videns virum in fratrum Prædicatorum habitu, Quis, inquit, es tu, qui hac hora huc te contulisti? Respondit ille: Ego sum Dominicus pater tuus, ad te à Christo Iesu missus, vt à me multa docearis, quæ te cognoscere omninò oportet, vt Dei legationem, ad quam electus es, feruentiùs exequaris. Da mihi igitur locum, & simul in hoc tuo lectulo quiescamus. Moxque ad eum ait Vincentius: Et vndè mihi ô pater sanctissime tantum honoris aduenit, vt tantus vir, cælestis ciuis, ad me veniret, & mecum, qui mortalis sum, velit in vilissimo lecto meo quiescere? Nunquàm id permittam: pedum verò tuorum vestigia humi prostratus adorabo. Quod vbi Vincentius facere voluit, Dominicus prohibuit, & ait: Agè Vincenti, per inceptam virtutum semitam constanti animo gradiaris. Scito enim apud Deum magna esse merita tua. Et vt iucundiùs vitam agere possis, volo te scire, quòd multa sunt, quæ te mihi similem efficiunt, propter quæ non immeritò dignus es, vt mecum vno in loco quiescas. Primùm es eiusdem religionis vinculo adstrictus, quo & ipse fui, quandò mortalis eram & vestra vita fruebar; Deindè es Euangelicæ doctrinæ prædicator & doctor, à Christo, sicut & ego, missus ad euangelizandum. Es præterea virginitatis virtute insignis, qua me quoque constat præstantissimè claruisse. Postremò sunt in te aliæ multæ magnæque virtutes, in quibus tu optimus filius me patrem feliciter imitaris: In illo tamen tibi sum anteponendus, quòd fui dux Ordinis Prædicatorum. Tu igitur stude, vt quæ cœpisti, diligenter persequaris, vt tandèm peracto mortalis vitæ cursu, mecum inter cælestium ciuium ordines colloceris. Post hæc dicta B. Vincentius ei gratias egit, cumque obsecrauit, vt pro eo Dominum continuè precaretur, quò ei largiretur benè viuendi perseueran-

S. Dominicus ei apparet.

In quibus Dominico similis sit.

seuerantiam. Itaque colloquentes, multam noctis partem deduxerunt. Socij autem eius, qui in loco contiguo ei, vbi hæc agebantur, dormiebant, talium verborũ sono excitati sunt: audientesque huiuscemodi colloquiorum vicissitudinem, per rimas quasdam tabularum, quæ ipsos separabant, inspicientes, viderunt B. Vincentium & secum quendam alium fratrem, qui videbatur multùm venerabilis, cum eo multa loquentem, ex cuius facie lux illa emanabat, qua luce locus multùm replebatur. Qui cõticuerunt quidem, sed rem gestam considerantes, menti condiderunt. Et quamprimùm illuxit, Vincentium adiêrunt, eumq; per Iesum Christum & omnes sanctos eius obtestantur, vt eis manifesta faciat singula illa, quorum partem proxima nocte viderant & audierant. Ille, quanuis primò plurimùm restiterit, postquàm tamen sese adeò strictè obtestatum vidit, eis omnem rem ilicò ex ordine manifestauit, orans nè cui reuelarent.

LIBER III.
PRAEFATIO AVTHORIS.



PEr ea, quæ secundo libro narrata sunt, pater religiosissime, perspicuè videri potuit, quàm mirabilis fuerit ordo vitæ nostri Vincẽtij, quàm magna ignitorum eloquiorum eius efficacia, quanta in castigando proprio corpore seueritas, quanta cibi & potus parcitas, ac tandem quãta veneratione non modò nostri seculi homines, sed & cælestes ciues eum prosecuti sint. Et nè tanti talisque viri conuersatio videatur minùs claruisse miraculis, statui in hoc tertio mei operis volumine scribere miracula illa speciosissima, quibus claruit in vita, & quæ apud maximum Romanæ ecclesiæ Pontificem, qui eum cæteris sanctis connumerauit, fuerunt clarissimis testimonijs comprobata. Verùm cùm ipsorũ numerus fuerit supra octingenta & sexaginta, habitis ex illis solùm quatuor processibus, qui confecti sunt Auinione, Tolosæ, Venetijs & Neapoli, nè tanti operis longitudo fastidio sit eis, qui legerint, ex multis paucissima recensebo, ea videlicet, quæ posteritati sint maximã admirationem allatura. Non possum tamen non vehementer dolere, cùm mecum ipse considero, quòd cùm ferè vniuersæ vitæ suæ cursum in Hispanijs peregerit, mirabilia tamen opera, quæ ibidem fecit, omissa sunt, nec fuerunt inuestigata aut literis mãdata, vt meritò fieri debuisset. Ex quo factum est, quòd multa à me scribi nequiuerunt, quibus vita eius profectò longè maiori admiratiõe digna haberetur. Verùm quidquid omissum est, non certè tua aut negligentia aut culpa id factũ dixerim. Tu enim singula, quæ ad rem spectabant, diligentissimè prouidisti. Quem igitur incusabo? Quantùm quidem sciam, neminem: illud tamen mihi notissimum est, quòd tanta fuit diligentia tua, & tam clara & mirifica ea fuerunt, quæ in quatuor illis processibus de ipsius B. Vincentij conuersatione ac vita comperta sunt, vt in Calixto maximo Pontifice nulla fuerit mora, quo minùs post duos menses, quàm fuerat ad summum sacerdotium adscitus, Catalogo Sanctorum eum adscripserit. Quòd si processus illi, qui ex Nicolai V. qui ante Calixtum Christianæ ecclesiæ præfuit, omniumque Cardinalium consulto Barcinonæ, Valentiæ, & in pluribus alijs vtriusq; Hispaniæ, Galliæ & Italiæ locis confecti sunt, opportuno tempore ad Romanam curiam delati fuissent, existimo ego, quòd tanta fuisset operum ac miraculorum eius copia, vt vix triginta dies suffecissent pro narratione, & ferè infiniti operis laborem, pro suî descriptione nõ immeritò postulâssent. Igitur vt meæ narrationis principium faciam, ea primo loco dicere decreui, quæ demonstrabunt eum mirabiliter prophetiæ spiritu claruisse.

Nota multitudinẽ miraculorum.

F. LAVRENTIVS SVRIVS PIO ET AEQVO Lectori.

EX tertij huius libri præfatione animaduerti potest, authorem, vitandæ nimiæ prolixitatis causa, ex innumeris propè B. Vincentij miraculis tantùm paucissima, vt ipse ait, descripsisse, quæ tamen sunt ampliùs quadraginta & septem, nisi quòd ea, quæ sanctus vir propheticè prædixit, ille inter miracula numerat, paulò largiùs miraculi vocabulo vsus, cùm alioqui Apostolus donum prophetiæ distinguat ab operatione virtutum, id est, signorum & miraculorum, vt docti viri interpretantur. Itaque nè opus hoc nostrum in immensum excrescat, maximè quandò author plerunque multis agit ver-

1. Cor. 12.

verbis, vbì pauca sufficerent, crebrò etiam parùm commoda in describendis miraculis oratione vtitur, coacti sumus, quæ ab illo fusiùs commemorantur, & compræhensiùs & paulò Latiniùs referre: qua tamē in re dedimus operam, vt etsi possint multa ex eius verbis desiderari, parùm tamen aut potiùs nihil rerum memorabiliū prætermissum esse videatur: demptis aliquot miraculis, quæ breuitatis studio omisimus.

CVm aliquandò apud Valentiam Hispaniæ vrbem, B. Vincentius concionaretur, & à concione permulti ad eum accurrerent, vt ipsis benè precaretur, inter alios adfuit etiam Alphonsus quidam, præter alias, quibus præditus erat, virtutes, etiam Iuris sanè quàm peritus. Eum intuitus S. Vincentius, Gratulor inquit, tibi, optime fili. Noueris fore, vt & patriæ & familiæ tuæ maximo sis ornamento. Summam enim inter mortales dignitatem obtinebis, meq; vita functum maximo honore afficies, & præcipua veneratione prosequéris. Tantùm vide, vt in virtutum studio perseueres. Alphonsus hæc viri Dei verba mandat memoriç, dat operam vt in dies seipso melior euadat. Post aliquot annos creatur Valentinus episcopus, indè Cardinalis, postremò iam grandæuus, præter omnem mortalium expectationem, fit Pontifex Romanus, dictus Calixtus 3. Tum verò non immemor, quæ ante annos quinquaginta ipsi prædixisset B. Vincentius, tertio Pontificatùs sui mense cum sanctorum catalogo adscripsit. Prædicit Alphonso, eum futurū Rom. Pon.

Propter raram eruditionem, cùm adhuc esset admodùm iuuenis, ex decreto Patrū sui instituti missus est Barcinonem philosophiæ magister: qui quidam est honoris titulus, quo ornari solent iuuenes Ordinis S. Dominici. Vbi Barcinonem venit, non modò philosophiam prælegit in schola, sed etiam conciones habuit ad populum. nanque ab ipsa adolescentia mirificè instructus fuit ad concionandum. Erat tum fames ingens ijs in locis, & magna annonæ caritas. Ea causa indictæ sunt publicæ preces, factæque solennes processiones à clero, & à populo vniuerso. Intereà quodam die Dominico sermonem habuit Vincentius: aderant autem supra triginta hominum millia. Ibì tum ille diuinitùs permotus, Volo, inquit, ô Barcinonenses, gratos vos esse Deo pro beneficio vobis ab ipso collato. Hodiè enim ante solis occubitum duæ magnæ naues tritico onustæ, in portum vrbis vestræ appellentur. Ijs verbis multi è populo lætabantur, sed viri grauiores, cùm eis needùm esset sancti viri perspecta virtus, parùm eis tribuebant: nec deerāt certæ rationes, quæ non admitterent, vt eis sermonibus fides haberetur. Itaque plus indè scandali & offensionis, quàm lætitiæ extitit in populo. Et Prior quoque illius & fratres eum temeritatis arguebant: quibus ille placidissimè respondebat ità fore, quemadmodùm dixisset. Et certè vera eum dixisse rei docuit euentus, nauibus ante solis occasum ad vrbem feliciter appulsis. Prædicit naues adfuturas præter omnem spē.

Perpiniani vir sanctus ardentissima laborabat febri, ità vt vita eius à multis pro deplorata haberetur. Adducebantur à fratribus medici, quibus ille ait: Non ego vestris opus habeo pharmacis: neque enim aut hoc tempore, aut hoc in loco, aut ex hac ægritudine decessurus sum è vita. Longa mihi adhuc supersunt vitæ emetienda spatia. Post dies quatuor incolumem me videbitis. Abscedunt medici, & die quinto Vincentius sanus apparet. Alia eius prophetia.

Frater quidam Augustinianus, idemque Prior cœnobij cuiusdam in Catalonia, multa nefanda cum alijs quibusdam maledicis obtrectatoribus in sanctum virum eiusque doctrinam iactauerat. Cernens autem eius mansuetudinem & in perferendis iniurijs constantiam, vitæ quoque sanctitatem, se falsò eum criminatum doluit, captansque opportunitatem, eum adijt, veniam petijt, se vnum ex illis esse confessus est viris sceleratis, qui contra ipsum eiusque sanctam doctrinam conspirâssent. Sed de tua humilitate & mãsuetudine certò mihi, inquit, id polliceor, licèt multa in te impiè commiserim, non me repulsam apud te passurum. Cui sic vir sanctus respondit: Ego iampridèm tibi socijsque tuis ignoui: sed multo etiam magìs tibi pepercit Deus, qui hanc tibi adspirauit mentem, vt hodiè ad me venires. Festina igitur & consule animæ tuæ, certus te breuì moriturū. Quamprimùm adito sacerdotē, eiq; peccata omnia, quorū potes meminisse, confitearis. Ille valdè perterritus, fecit vt iussus erat: deindè accepta benedictione & pacis osculo, à viro Dei recessit. Needùm peruenerat ad locum, quò ire constituerat, & eccè subitò corruens, expirauit, non sine maximo sociorum eius terrore & admiratione. Porrò S. Vincentius eodem momento ait ad illos qui ipsum comitabantur: Oremus pro anima fratris illius, quem paulò antè hortatus sum, vt sua peccata confiteretur. iā enim mortuus est. Itaque eodem in loco eius exequiæ sunt celebratæ: quibus peractis, Subitaneam mortem suo obtrectatori prædicit.

nuncius adfuit, repentinum eius obitum indicans.

Gilabertus monachus & præfectus cœnobij S. Mariæ de Podio, quod est Valentiæ, abdicata cœnobij sui cura, constituerat cum cæteris sequi virum Dei. Eius animi pietatem animaduertens vir sanctus, libenter eum recepit. Paucissimis indè elapsis diebus illi ad se accito ait: Hortor fili, vt protinùs coram me confitearis, ac deindè ad tuum reuertaris monasterium. Illic enim tibi sepulcri locus erit. Porrò dum iter facis, nũquàm cesses à laudibus Dei: & si quid vnquàm veræ contritionis habuisti, id iam in te excitare coneris. Ad fores monasterij fratres omnes te cupidissimè præstolantur. Ille tametsi non satis viri sancti dicta assequeretur, tamen fecit libens omnia: factaque confessione & percepta sancti viri benedictione, ad suum properauit cœnobium. Mox verò vt eius limen attigit, spiritum exhalauit, eodemque momento illi quoque iussit B. Vincentius exequias fieri.

Item cuidã ex comitibus suis.

Alexandria Longobardiæ ciuitas est. Ibi concionante B. Vincentio, adfuit etiã Bernardinus ille, nunc toto orbe nominatissimus, professione Franciscanus. Id quidem tẽporis, licèt multis esset ornatus virtutibus, tamen etiamnùm iuuenis erat, & necdùm apud Italos nomen eius celebre habebatur. Porrò B. Vincentius iam toto orbe celebrabatur. Vbi autem concionem eius Bernardinus audiuit, admirans doctrinam, eloquentiam & feruorem sancti viri, ad illum se contulit, cupiens in illius se amicitiam insinuare, vt posset eius & verbis & exemplis institui. Eius autem egregiam indolem facilè animaduertens B. Vincentius, humanissimè acceptum apud se illum cibum sumere voluit. Post multos vltrò citroque collatos sermones, accepta benedictione Bernardinus abijt. Postridiè manè concionante B. Vincentio, adest rursùs Bernardinus. Ibi tum palàm edixit B. Vincentius: Noueritis charissimi inter vos adstare fratrem quendã Franciscanum, qui paucis ab hinc annis erit insignis tota Italia, atque ex eius tum vita, tum doctrina fructus vberrimi existent: & licèt ego illum ætate antecedam, at tamen in Romana Ecclesia ille me honore anteibit. Et vos quidem decet hoc nomine gratos esse Deo: ego verò relicta illi Italia, me ad Gallias & Hispanias recipiam. His dictis, eò redijt, vndè parumpèr digressus erat. Post annos decem, Bernardini nomen Italiam omnẽ compleuit, & quanuis triginta annis ante illum ex vita decessisset B. Vincentius, sex annis ante Vincentium Bernardinus in Sanctos relatus est.

S. Bernardini sanctitatem & famam prædicit.

Apud Cæsaraugustam, nobilem Aragoniæ vrbem dum vir sanctus in agro concionẽ haberet, sermonem interrupit, & in multas lachrymas prorupit. Deindè tersit oculos, cælumq; suspiciens, paulispèr siluit. Mox ad populum, rei nouitate attonitum, conuersus hilari vultu. Non miremini, inquit, filij mei. Didici enim à Domino, hac hora Valẽtiæ è vita abijsse matrem meam, & ea causa lachrymabam: at nunc illi gratulor, postquàm itidèm cognoui eam piè ac religiosè hinc emigrâsse, & viuere cum Christo in cælis. Annotarunt eius verba plerique omnes, fuisseque verissima paucis pòst diebus, cùm literæ de matris eius obitu allatæ essent, compererunt.

Matris suę obitum didicit diuinitùs.

Eodem modo sororis quoque suæ mortem, cùm esset Toleti, diuina reuelatione cognouit. Fuit illa virgo vsque ad obitum suum, multisque annis reuerenter admodùm quandam fratris sui Vincentij lineam tunicam apud se conseruârat, quam morti iam propinqua, suo corpusculo imponi voluit, sicque iacẽs, inter alia crebrò hæc verba repetijt: Ora Deum pro me charissime frater Vincenti. Tandèm post horas duas hæc illius suprema verba fuêre: En frater meus Vincentius me deducit ad tribunal Iesu Christi: quibus dictis, mox animam reddidit: Hæc autem omnia B. Vincentio inter sacrificandum reuelata fuêre. Itaque peracto sacrificio ascendit, & è suggestu omnibus palàm indicauit. Post dies non paucos ex literis cognitum est, eadem hora migrâsse illã, qua B. Vincentius dixerat.

Item sororis.

Biennij eius spatio, quo fuit in Britannijs, quendam ex eius socijs vexauit febris. Petijt is benedici & cruce consignari à sancto viro, vt posset eo morbo liberari. Et manus quidem suas illi B. Vincentius imposuit, sed mox eum intuens, Noueris, inquit, fili, frustrà te expetere sanitatem: nanque post dies octo hora prima Dominicæ diei morieris. Consule igitur saluti animæ tuæ. Ille paruit viro beato, & eadem hora, qua prædictum erat, vita functus est. Ad eius exequias multi cõuenêre sacerdotes, à quibus vir sanctus petijt, vt singuli pro illius anima ter Missas celebrarent, dicens reuelatione Diuina se didicisse, triduo illum Purgatorij pœnas luiturum. Offeruntur ab illis Missarum sacrificia, & à Vincentio gratiæ eis aguntur, indicaturque Missarum & precum suffragijs animam à pœnis ereptam ad cælos euolâsse.

Prædicit socio obitum

Tolo-

Tolosæ vir Dei in tanta populi frequentia sermonem habuit, vt cùm multis locus deesset, in muros plerique conscendere cogerentur. Inter eos iuuenis quidam in muro positus somno corripitur, & ab ipso muro sic pendet medius, vt nisi Deus ferat opem, de eius salute actū esse videatur. Sensit id in spiritu vir Dei, (nam corporis oculis illum cernere non poterat) sermonemque interrumpens. Quidam, inquit, adolescens à tergo meo somno oppressus hæret muro, qui nisi excitetur, animo & corpore periturus est. Ijs auditis, mox accurrère quidam, & hominem conseruarunt. Sensit per spiritum periculum adolescentis.

Apud Ilerdam sacerdos quidam sub externo habitu cultioribus vtebatur indumentis & rebus, quibus homines lasciui delectari solent: sed ea tamen non sinebat ab alijs videri, priuata delectatione contentus. Concionante autem ea in vrbe viro Dei, & inter alia vitia etiam seuerè castigante eorum petulantiam, qui in corporis cultu essent immoderati & superflui, eius, quem diximus, sacerdotis vitam omnem & conuersationem, studium omne, quod in corporis cultum conferret, singularum quoque vestium, quas sub exteriori habitu ferebat, formas & colores luculenter explicauit. Vbi id sacerdos ille audiuit, obstupuit, cogitansque secum non nisi Diuina reuelatione ea illum scire potuisse, valdè compunctus, omnē vitæ & vestium lasciuiam propudiauit, sanctumque virum mensibus vigintiduobus per multa Hispaniarum loca cupidè & religiosè comitatus est. Occulta producit in lucem.

Valentiæ multi, relictis rebus temporarijs, virum Dei assectabantur. In ijs quidā, Gaynam nomine, res suas pro aureis quadringentis distraxit, veniensq; ad B. Vincentium, ait se illum sequi velle, cupereque aureos illos omnes non aliter, quàm ipse vellet, expendere. Hortante B. Vincentio, vt in Christi pauperes illos conferret, abijt ille, & ducentos quidem aureos elargitus est, reliquos in vsus necessarios reseruauit. Indè ad virum Dei reuersus. Feci, inquit, pater, vt voluisti. At ille Spiritu sancto reuelante, sciens eum mentiri: Non es, inquit, dignus meo contubernio. Cùm enim aureos ducentos tibi retinueris, certum est te necdùm spem omnem in Deo constituisse: itaque me libero animo sequi non poteris. Ego verò in meo contubernio illos habere volo, qui fide & virtutibus, non qui nummis & opibus abundent. Ille hæc audiens, coram multis humì prostratus, cum multis lachrymis & culpam suam fassus est, & veniam petijt, facileque impetrauit, cùm etiam reliquam pecuniam erogare constituisset. Fraudem cuiusdam Deo reuelante cognoscit.

Apud Dertusense Cataloniæ oppidum quodam die pro facienda concione in suggestum ascendit, sed præter morem diù tacitus permansit. Expectabat populus admirabundus, ille verò causam silentij eam esse dixit, quòd sustineret aduētum quorundam, quos ipsis sciret fore gratissimos: hortabaturque vt venientibus locum præberent. Vix verba finierat, & ecce tota Iudæorum Synagoga illuc accedēs, ait se velle Vincentium concionantem audire. Accipiuntur iucundissimè ab omnibus, & locus eis opportunus attribuitur. Porrò vir sanctus antequàm sermonem inchoaret, sciscitabatur ex illis, cuius hortatu eò aduenissent. Illi se respondent nullius suasione, sed tanquàm Diuino quodam instinctu permotos, simul omnes ad ipsum audiendum accedere deliberasse. Orditur inde sermonem præco Dei, & tanta gratia prosequitur, vt magna Iudæorum pars in Christum crediderit. Iudæos multos cōuertit.

Barcinone mulier quædam infantulum in genitalibus ruptum, ad B. Vincētium adduxit, orans, vt crucis ei signum imprimeret. Cui vir sanctus. Gaude, inquit, filia. Infantulus hic breuì curabitur, & vbì adoleuerit, allegetur in clerum, eritque theologus præstantissimus. Ijs dictis, manum imponit infanti, & is e vestigiò sanatur. Deindè temporis successu euenerunt ea omnia, quæ vir sanctus prædixerat. Nomen viri, si quis nôsse velit, est Iohannes Solerius, hodieque superest, & ob raram eruditionem apud Alphonsum Aragonum regem in multo precio est. Iohannes Solerius.

In villa, quam Morellam vocant, non multùm distante à Valentia, vir fuit & genere & virtutibus nobilis, habuitq; vxorem iuuenem, & quidem speciosissimam & multis virtutibus ornatissimam: sed eadem ipsa per interualla quasi furore corripiebatur, non sine magno & suo & aliorum periculo, cùm alioquì sibi reddita singulari prudentia & mansuetudine polleret. Ad ædes eius, inuitante marito, venit beatus Vincentius, moxque oblatæ ipsi mulieri benè precatus est, imposuitque illi manum. Et quandiù quidem illic moratus est, nullam mulier furoris molestiam passa est, ità vt ab omnibus iam planè curata putaretur. Abeunte autem marito cum familia ad concionem S. Vincentij, illa sola cum alia familiari fœmina remansit, cibos necessarios præparatura. Sed cùm illa fœmina alijs intenderet, hanc rursùs amentia corripuit, & ecce in-

fantem suum in frusta secat, partemq; coquit ad ignem, reliquam in cœna reseruat. Absoluta concione, maritus domum lætus redit, ab occurrente coniuge perquirit, num sit apparatum prandium. Illa respondet parata esse omnia. Rursùs sciscitante marito, an pisces commodè cocti sint, ait cum piscibus etiam egregias se coxisse carnes. Id verò ille molestè ferens, obiurgauit eam, sciens B. Vincentium à carnibus abstinere. Tandem aduertit illam more solito furijs agitatam, proprium mactâsse filium. Tum verò ingens omnium existit luctus & clamor, mariti inprimis, qui eam calamitatem ferebat acerbissimè. Res gesta ad beatum Vincentium perfertur, ille mox accurrit, extenta manu iubet omnes cessare à clamore & eiulatu, porrò infantis membra dissecta sibi offerri: quibus allatis, flectit genua, paucis obsecrat Deum, indè crucem exprimit in cadauer infantis, ità dicens: IESVS Mariæ filius, mundi salus & Dominus, qui huius infantis animam ex nihilo fecit, eam in hoc corpus restituat, ad laudem & gloriam nominis sui. Hæc vbì dixit, cunctis adspectantibus membra inter se coniungebantur, & infans reuixit. Ex tanto verò tamq; reuerà stupendo miraculo, quanta illic omnium admiratio, quantum gaudium, quanta ad priorem erga sanctum virum venerationem accessio extiterit, facilè per se quiuis potest intelligere.

Immane facinus.

Restituit vitę infantem in frusta sectum.

Alius quoque illi infans mortuus oblatus est: cui post breuissimam precem manus imponens, mulieri cum offerenti dixit: Abi domum, & iugiter lauda Deum. Infans hic dormit, sed priusquàm domum reuertaris, excitabitur. Credidit mulier, & abijt, cumq; limen domus calcaret, infans se commouet, edit vagitus, matris sugit vbera, ac posteà ad maturam vsque peruenit ætatem.

Item aliū.

Valentiæ sub sacra concione adducta fuit ad beatum virum mulier ab ipso ortu muta. Ille paululum intermissa concione, suspiciens in cælum, moxq; ad fœminam conuersus, Quid vis, inquit, filia? Illa respondit: Panem volo & loquendi facultatem. Tum ille, Panem quidem, inquit, donèc eris in vita, habebis: sed cum ob multam animæ tuæ salutem linguæ officio careas, noli frustrà illud petere, quod nunquàm sis impetratura. Si enim loqui potuisses, immodica mordacitate & corporis & animæ vitam perdidisses. Abi igitur, & mente Deum laudare nè cesses. Respondit illa: Faciam sancte pater, quod hortaris: statimque obmutuit, & post annos septem mortua est.

Muta loquitur.

Rursùs obmutescit.

In quodam hospitio quindecim panibus supra duo hominum millia vir sanctus refecit, parumque vini, quodq; iam penè coacuerat, in optimum vinum mutauit, ijsdemque apponi iussit. Cernēs autem hospes tam insigne miraculum, humì se abijcit, & cum magnis clamoribus omnibus qui aderant, remque ignorabant, quod gestum erat indicauit, nec potuit eum compescere vir sanctus, quin omnes ad gratias Deo agendas hortaretur. Post cibum sumptum iussit beatus Vincentius, vt hospiti iustum precium solueretur. at ille nihil prorsùs recipere voluit, id solùm rogans, vt domui suæ & cunctis in ea habitantibus vir sanctus benè precaretur. Factum est ità: cumq; luce proxima hospes cum coniuge ad oppidum proficisci instituisset, farinam vinumque empturus, cistam farina, doliumque vino suauissimo abundè plenum conspicit. Nimis prolixi futuri sumus, si singulatìm annotare velimus, quotiès vir beatus suis præcibus id genus res auxerit, cùm id fecerit sæpissimè. Vnum hoc præterire non possumus, quòd vinum, vndè ad sex hominum millia, qui virum sanctum sequebantur, biberant, non solùm nihil imminutum est, sed etiam in decem annos seruatum (licèt tam multum indè distribueretur, vt vni anno vix posset sufficere) morbos curauit eorum omnium, qui indè biberent.

XV. panibus supra 2000 hominū pascit.

Sex millia hominum bibunt vinū, & nihil imminuitur, &c

Puella quædam à sæuissimo dæmone obsessa, tametsi funibus esset vincta, vix ab octo viris ad beatum Vincentium adduci potuit: in cuius conspectum vt venit, clamores edidit sanè quàm horrendos, itaque se comparauit, vt omnibus terrorem incuteret. Primò igitur præcepit dæmoni vir sanctus, vt eam vim remitteret, nec puellam exagitaret. Mox ille obmutuit, & puella stetit immota, obliquis oculis intuens in virum Dei. Deindè rursus in Christi nomine præcepit dæmoni, vt quandò & quam ob causam in puellam esset ingressus, ediceret. Tum ille fassus est se ante septennium matrem puellæ incitare conatum, vt maritum occideret. Illam verò, cùm multos audiret strepitus in ædibus suis, quos dæmones excitârant, euigilâsse, seque crucis signo munijsse, Christique & beatæ Mariæ virginis nomina appellâsse: Tum verò nihil se potuisse contra illam, quandoquidem nomina illa plurimùm dæmones formidarent: sed puellam, filiam eius, eò quòd cruce se minimè consignasset, se inuasisse: reliquis nihil potuisse nocere, quòd crucis essent signo armati. Iubente autem viro sancto, vt,

Puellam cruce se nō signantem occupat dæmon.

cto,vt,puella illæsa,exiret: respondit dæmon: Multi antehàc me conati sunt eijcere,sed frustrà. Tu verò rectè dictus es Vincentius, & ecce à te victus discedo. His dictis, cum horribili vlulatu, & teterrimo fœtore exijt, puella humi prostrata & penè exanimi relicta: cui Vincentius iussit domum reductæ cibum porrigi,ac deindè acciri sacerdotem, cui sua peccata confiteretur. Factum est, vt ille imperauit, & puella intantùm deincèps virtutibus aucta est, vt non multò pòst tempore inter matronas Valentinas omnium prudentissima & honestissima sit habita.

Liberauit etiam vir sanctus dæmoniacum quendam, qui multas illi iniurias multasque contumelias irrogârat, quem dæmon in concione inuasit, ad quam ille eo animo accesserat, vt audiret aliquid, quod posset criminari. Licèt autem dæmon rogaret sanctum virum, vt se nõ expelleret à tam nefario homine, donèc esset vltus iniurias eius, tamen audiuit ab illo: Seruus sum Iesu Christi, qui etiam pro illis rogauit, qui eum cruci affixerunt. Eius igitur nomine tibi præcipio, vt ab hoc peccatore recedas. Ad quæ verba exijt dæmon cum voce terribili & sulphureo fœtore: porrò homo visus est planè extinctus. Sed vir Dei negauit esse mortuum, voluitque vnum ex sacerdotibus illic hærere, donèc ad se rediens, illi confessionem faceret. Id genus dæmoniacos suprà sexaginta diuersis & locis & temporibus vir sanctus curauit. *Dæmon pellitur.*

Sub quadam concione, quam vir Beatus Murciæ habuit in Hispanijs, ipsa Dominica Palmarum, tres equi terribiles in populum, qui concioni intererat, toto impetu incurrerunt. Iam fugiebant homines, sed eos hortabatur sanctus Vincentius, vt cruce se signarent, ità fore inquiens, vt facilè illi in fugam verterentur. Cumque hoc illi fecissent, vir sanctus in Christi nomine præcepit dæmonibus, qui in forma equorum visebantur, vt nullo læso ab vrbe abscederent. Abiêrunt illi, & vir Dei sic ad populum locutus est: Constanti animo estote charissimi, nec vos à dæmonibus sinatis in fraudem impelli. Dæmones quidem illi, quos modò sub equorum horrida specie vidistis, diù hanc vrbem occupârunt: at nunc multa me cernentes à vobis vitia profligâsse, multumque bonæ frugis apud vos extitisse, conati sunt quibusdam ex vobis perniciem adferre: sed Christo propitio illorum conatus irriti fuêre: nec tamen sine aliquo maleficio abiêrunt. Est enim inter vos fœmina quædam, quæ filiam suam virginem, non ausa huc secum adducere, domi reliquit: sed ea si nunc domum rediret, cerneret rem nefariam. His dictis, sermonem prosequutus est. Porrò mulier, auditis eius verbis, domum se cõtulit, & cum filia in lecto adolescentem cubantem offendit: rei autẽ indignitate commota, festina abijt ad virum Dei, & coram omni multitudine quid ipsi accidisset, mœsta enarrauit. Id genus flagitia non semèl ille sanctus vir per spiritum cognouit. *Stuprum puellæ palàm edicit, Deo reuelante.*

Haud procùl Valentia pagus est sancti Matthæi. In eo paucis diebus commorante sancto Vincentio, dæmon accessit sub habitu & forma admodùm venerabilis eremitæ, vltroque se obtulit ad assectandum beatum Vincentium cum alijs. Eum verò tota illa religiosa caterua humanissimè recepit: cumq; mira versutia iam omnium sibi beneuolentiam conciliâsset, sensìm sparsit virulentos quosdam sermones, qui nõ modò B. Vincentij doctrinam, sed etiam catholicam fidem læderent. Itaque catenis vinctus, in tetrum carcerem conijcitur, vltimò supplicio tanquam hæreticus afficiendus, nisi caneret palinodiam. Sequenti die mittuntur qui explorent, num mutârit sententiam, & nemo inuenitur. Referuntur hæc ad S. Vincentium, & ille subridens, ait: Nihil vos ista hæc res habeat solicitos: non enim homo, sed satan fuit, qui fructum, quem multi vestrûm ex mea doctrina percepêre, corrumpere voluit. *Diabolus se simulat eremitam.*

In quodam Cataloniæ pago ipsis ferijs Apostolorũ Petri & Pauli, semonem habiturus erat vir Dei. Ecce aũt Missæ sacrificio peracto, priusquàm sacras vestes exueret, tam immanis & horrenda subitò tempestas orta est, vt cælũ ipsum ruinã minari videretur, & omnes se perituros formidarent. At vir sanctus ad populum conuersus, eum iubet spem suam collocare in Domino Iesu: moxq; contra illam tempestatem sparsit aquã sacratam, ac deindè crucis expressit signũ. Ilico tempestas dissipatur, & mira redit aëris serenitas. Tum ille pulpitum ascendens, ità locutus est: Nisi pro vobis hodiè dominum deprecati fuissent sancti Apostoli, tanta his in locis, charissimi, extitisset tẽpestas, quòd nec in arboribus frondes, nec in agris vlla germina vel quicquam virens remansisset. Nec tamen velitis nimium esse securi: nam intra annum similem estis experturi tempestatem, sed crebris apud Deum precibus agite, vt pro sua immensa clementia & vobis & rebus vestris parcat. Hæc cùm dixisset, in beatissimorum Apostolorũ laudibus ab- *Tempestatem arcet aqua sacrata & crucis signo.*

soluit

soluit concionem,& post dies paucos discessit. Iam fluxerant vndecim menses, & venit horrida tempestas, quam ille prædixerat futuram. Eodem verò modo non semel, sed sæpissimè, cùm diuersis in locis concionaretur, ortas tempestates crucis signo compescuit.

In Galliæ oppido Carcasona & locis adiacentibus, à mense Iunio vsque in Ianuarium tanta fuit siccitas, vt nullæ fruges eo anno sperarentur. Id temporis B. Vicentius Tolosæ erat. Eum igitur afflicti ciues adeunt, orant vt sicut cęteris populis, ità ipsis quoquè suas conciones impartire dignetur. Venit ad illos sanctus pater, & quinto die ab ingressu in oppidum, facta concione, iussit vt vniuersus populus genua flecteret. & omnes misericordem Dominũ pro pluuia precarentur. Ipse pariter in genua se submisit, orans. Deindè surgens crucem expressit in aëre, iussit omnes abire domum, & Deo gratias agere, quòd ipsorum preces admisisset. Vix verba expleuerat, & eccè densantur nubes, atque paulò pòst tam largi fundũtur è nubibus imbres, quales eius loci homines se nunquàm vidisse meminerant: nec priùs cessârunt, donèc sancti viri precibus repressi sunt.

Pluuiam facilè impetrat.

Apud * Murisiam ciuitatem Hispaniæ citerioris, quadam æstate locustæ & bruchi innumerabiles intrà dies quatuordecim omnia, quæ in agris erant, deuastârunt. Per id tempus venerat eò B. Vincentius, cum ciues vrbis dolentes adeunt, precum eius suffragia implorant. Ille iubet confestìm adferri aquam benedictam, deindè cum clericis, qui eum assectari solebant, hymnos canentibus ad singulas vrbis portas accessit, stansque in illarum medio, contra ea loca, in quibus dicta animantia grassari dicebantur, aquam sacratam adspersit, & ecce postridiè omnia extincta reperta sunt, & intrà paucos dies agri & vineæ adeò restitutæ sunt, vt illo anno nulla fuerit penuria subsecuta.

* Nursiam

Locustas & bruchos perdit.

Tanta fuit beati Vincentij & vitæ & doctrinæ authoritas, vt ea ætate qua claruit, in toto orbe terrarum ipse propemodùm solus & vera dicere, & sanctè viuere putaretur: nec tamen defuêre etiam multi, qui eius & vitam & doctrinam criminari non dubitarent: sed id mirùm videri non debet, quandò ità ab ipso mundi exordio comparatum esse videmus, vt quæ bona & præclara sunt, alienæ inuidentiæ obnoxia sint. Interìm tamẽ homines improbi machinas obtrectationùm suarum sancto viro frustrà adhibuêre, quemadmodùm patebit ex ijs, quæ iam dicturi sumus. Apud Perpinianum homines quidam impijssimi atque flagitijs omnibus cooperti, permultos Iudæos incitârunt, vt in magna populi frequentia, Vincentio quippiam contra Iudæos pro concione dicente, ipsi sermonem eius interrumperent, affirmarentque eum scripturæ verba deprauare, & ad peruersos sensus detorquere. Sperabant illi, hac ratione beatum virum pudefactum, & eius famam obscuratum iri. Itaque cùm iussu Ferdinandi regis decretũ esset, vt Iudæi omnes, qui Perpiniani degerent, Dominica die B. Vincentij concioni interessent, (cui sanè interfuêre etiam Benedictus Pontifex, cuius est libro 2. mentio habita, & Sigismundus Imperator, & Ferdinandus rex, & plerique ecclesiarum prælati & principes, qui Ecclesiæ ad concordiam redigendæ studio per id tempus Perpiniani conuenerant, atq; etiã populus vniuersus) sub ipsa hac concione in tanta hominũ frequentia Iudæi surrexêre in medium, & quemadmodùm persuasi erant, B. Vincentium carpere non dubitârunt. At ille nihil perturbatus: Silete, inquit, non enim patitur mos populi Christiani, vt dum concio habetur, verbi Dei fiat interpellatio. Sed hora vespertina omnes ad me veniatis, & videbimus num prauam ego scripturarum sententiam depromam. Fecerunt illi, quod dixerat, horaq; statuta cum accedunt, tamq; perspicuè & luculenter ab eo discunt eorum omnium, quæ pro concione docuerat, veritatem, vt se planè victos faterentur, idque posterò die coram Pontifice, Imperatore, rege, cæterisq; principibus & populo vniuerso palàm testarentur, seque de viro Dei mentitos assererent. Porrò illi, qui Iudæis harum rerum authores fuerant, intrà paucos dies malè perierunt. Quidam etiam alterius instituti monachus Tolosæ degens, malè in beatum Vincentium animatus, in publica concione confutare ea voluit, quæ superioribus diebus ille palàm docuerat. Sed vixdùm iniquæ obtrectationis verba expleuerat, cùm eccè subitò corruit, totusq; obmutuit, donèc resipiscens, mente à Deo veniam petijt, & à beato quoquè Vincentio se veniam petiturum, & quæ contra illum dixisset, retractaturum promisit. Eo voto nuncupato, redijt sanitas, & lingua laxata est: mox ad S. Vincentium se conferens, veniam & petijt, & sine vlla mora impetrauit.

Iudæos egregiè cõfutat.

Hacte

Hactenùs quæ Author libro 3. fusiùs conscripsit, nos contractiùs aliquanto retulimus: omissis quibusdam miraculis, non quòd lectu digna non sint, sed nè nimia prolixitate opus nostrum in nimiam vastitatem excresceret: Iam verò quartum librum subiungemus de felici eius obitu & miraculis, quibus tam viuus quàm defunctus in Britannia minori claruit: simul etiam explicabimus, quemadmodùm in sanctos relatus sit: sed hæc quoquè partìm Authoris, partìm nostro stylo cōscribemus in gratiam Lectoris & studio breuitatis.

LIBER IIII.

PRAEFATIVNCVLA AVTHORIS AD ORDINIS *Magistrum.*



QVoniam duce Christo tam amplum campum non sine labore percurri, vt gesta nostri Vincentij licèt non omnia, tamen ex omnibus multa conscripserim, pater humanissime: nunc nihil mihi reliquum est, nisì vt vitæ quoquè ipsius felicem finem describam: protinùs & multorum etiam miraculorum, quibus & in vita & post mortem in Britannia claruit, narratione hunc quartum librum non sine rationabili consilio distinxi. Maximo enim tædio affecissem eos, qui legerint, si in superiori libro & ea, quæ narrata sunt, & quæ deincèps memorabuntur, complecti voluissem. Erit quoq; in hoc libro mei incepti operis finis, vt videlicet vnus idemq; esset & narrationis meæ & vitæ eius terminus, quo ex nostra luce migrauit ad cælum, à Iesu Christo gloria sempiterna & honore coronandus.

Itaque post lustratas regiones illas, quas suprà expressimus, eam demùm Galliæ partem ingressus est, quæ nostro æuo Britannia dicitur, ibique toto biennio continenter doctrinam salutis longè latèque diffudit: Quantum verò eo tempore fructum fecerit, breuibus explicari nequaquàm potest: licebit autem eius rei vel ex vno hoc argumento coniecturam capere. Si enim loca propè innumera, in quibus paucos commoratus dies conciones habuit, in quædam propemodùm templa mutâsse visus est, omnibus indè vitijs eliminatis, & sanctis virtutum studijs & operibus introductis: quanto vberiores ille fructus attulit in Britannia doctrina sua, vbì totum moratus biennium, continenter eius populos instituit? Agebat autem tunc ætatis annum septuagesimum, corpusque eius tum ob senectutem, tum ob labores & cibi potusq; parsimoniam vitæque seueritatem adeò confectum & extenuatum erat, vt absq; adminiculo ægrè posset ambulare. Nec tamen quicquam de labore suo & solitis exercitijs remittebat senex venerabilis, sed pro salute animarum gnauiter sudabat. Vnum hoc in eo singulare cernebatur, idq; à multis non alio quàm miraculi loco habitum est, quòd cùm ante pulpiti, vndè erat concionaturus, conscensum adeò imbecillus esset, vt vix sese commouere aut loqui posse videretur, posteaquàm dicendi fecit initium, non minùs ardenter, eruditè, distinctè ac luculenter sermonem pertexuit, quàm consueuêsset ætate florente. Nulli hominum ordini vel statui, nulli ætati, nulli sexui negatus est fructus doctrinæ & sanctitatis eius. Neque enim duntaxàt ætate prouectos, & sublimium rerum atque disciplinarum capaces erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis euocatos instituebat, docens eos quemadmodùm cruce se signarent, orationem Dominicam & angelicam salutationem atque fidei symbolum enunciarent, Deum colerent, amarent, parentibus & proximis quibusq; honorem haberent, & debita officia persoluerent. In dandis consilijs, nec diuites pauperibus, nec ignobilibus nobiles anteponebat, sed erat charus omnibus, vtilis omnibus, pius, benignus, amabilis, denique & venerabilis omnibus. Maximè verò orphanorum, pupillorum ac viduarum se præbebat defensorem, consultorē ac moderatorem: & vt multa in pauca conferamus, omnibus se & doctorē & parentem exhibuit: nèc solùm animos eorum verbo salutaris doctrinæ instruxit, sed etiam sanctis precibus suis ab corporibus morbos & ægritudines depulit. Et si autē propè innumerabiles sanctarum manuum eius impositione integræ sanitatis beneficium sint adepti in Britannia, nos tamen ex plurimis non nisì pauca huc adscribemus.

Venit in Britanniā Britonantem.

Pueros instituerit.

Vxor Iohannis Britanniæ Ducis, Caroli Francorum regis filia, multis annis perman-

Fœcunditatem impetrat coniugi Ducis Britanniæ.

sit infœcunda. Et cùm vir sanctus benè precatus esset, & manu sua ad eius ventrem crucis signum expressisset, mox concepit, & multos peperit filios, atque in ijs Petrum multis virtutibus illustrem, qui etiamnùm superest Dux clarissimus Britanniæ, quique ob summam erga B. Vincentium deuotionem & reuerentiam, multam operam impendit, vt in sanctorum albo eius nomen describeretur. Multæ prætereà aliæ fœminæ eius manuum impositione fœcunditatem impetrârunt.

Sanat paralyticum.

In Nannetensi oppido venienti ad ipsum homini paralytico, qui eo morbo decem & octo annis laborauerat, vt cum cæteris ab illo benedici mereretur, ità locutus est: Argentum & aurum non est mihi, sed precor Dominum Iesum Christum, vt pro immensa benignitate sua, corporis, quam expetis, tibi largiatur sospitatem. Mox multa eius membra cruce consignat, & ille se sentit incolumem, surgensque magnificat Deum, & viro sancto gratias agit, domumque se recipiens, eam molestiam deinceps minimè perpessus est: Duobus verò expletis annis, quibus per vniuersam Britanniam minorem, quam alij Britanniam Britonantem vocant, ità vitæ verbum disseminauit, vt eius sermonem Dominus confirmaret sequentibus signis. Venetiæ, quæ est huius Britanniæ vrbs, positus, à fratribus, qui eũ sequebãtur, admonitus est, vt in Hispanias reuerteretur, & iam ætate grauis, in patrio potiùs, quàm peregrino solo moreretur. Verùm ille memor verborum Christi, quæ Auinione decumbenti dixerat, vt suprà libro secundo annotatum est, nempe vt Occidentem euangelizando peragraret, eorum consilijs nulla se ratione obsequi velle respondit. Cùm enim hæc Britannia ad Oceanum in extremis Occidentis finibus sita sit, existimabat eam esse regionem, in qua Christus eum prædixerat è corpore migraturum. Tandèm verò importunis illorum precibus flexus, decreuit abire Venetia, & in Hispanias proficisci. Cùm sit enim Hispania quoque in orbis terrarum finibus posita, poterat non absurdè accipi, de ea Christum esse locutum. Itaque Venetiæ ciuibus primò generatìm admonitis, vt doctrinæ suæ memores essent, suoque discessu incredibili mœrore affectis, media nocte iter ingressus est, sedens asino. Cumque se iam aliquot passuũ millia confecisse arbitraretur, die illucescente ad ipsius vrbis portas se cernit constitutum. Tum verò ad socios conuersus, Redeamus, inquit, fratres mei in vrbem: Nihil enim isthuc sibi vult aliud, nisi sic visum esse DEO, vt in hac regione defungar. Ingreditur igitur oppidum, & simulatque res ciuibus innotuit, confestìm cum ingenti gaudio ei occurrerunt. Mulieres quoquè & pueri certatìm iêre obuiàm, vt eius manus oscularentur, dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Tantus quoquè in ea vrbe fuit campanarum strepitus, quantus esse solet, cùm insignis aliqua solennitas celebratur. Postquàm autem ad suum peruenit hospitium, ciues & eos, qui ipsum comitabantur, ita affatus est: Sic placet Deo, charissimi, vt reuertar ad vos, non quidem concionandi gratia, vt hactenùs feci, sed vt apud vos claudam extremum vitæ diem. Vos igitur singuli ad vestras abite ædes: Porrò clemens & bonus Dominus digna vobis reddat præmia pro honore, quo me hodierna die affecistis. Hæc & pleraque alia locutus, multam ab illorum oculis vim lachrymarum expressit. Altera luce acerrimis corripitur febribus, & acerbo per mẽbra omnia dolore cruciatur, ità vt penè totus defecisse videretur. Nec tamen his potuit retardari, quó minùs sancti viri officio fungeretur.

Abit Venetia, sed diuinitùs retinetur.

Ecclesiasticis sacramentis sub mortẽ se munit.

Conuocauit igitur inprimìs fratres suos, & eis sui obitûs diem indicauit: moxque accito sacerdote, cui confessionem facere solebat, illi confessus est, petijtque sibi impendi plenam peccatorum omnium remissionem, quemadmodùm Martinus Pontifex maximus illi anteà concesserat. Deindè alia Ecclesiæ salutifera sacramenta tanta cum religione & pietate percepit, vt sanctis verbis, crebris lachrymis, hymnis & precibus omnes ità commouerit, vt nemo esset, qui non profusè lachrymaretur. Posteà triduo toto admonuit eos, qui visitandi causa ipsum adibant, vti nè doctrinæ ab ipso perceptæ obliuiscerentur.

Multa ijs diebus, quibus ægrotabat, locutus est & admiratione & annotatione digna: quæ cùm omnia in scripta referri non possint, ex ijs pauca selegimus. Eo die, quo rumor sparsus est, virum sanctum decumbere, & sacramentis Ecclesiasticis esse munitum, Episcopus & magistratus atque vniuersa Venetiæ nobilitas ad eum inuisendum pariter profecti sunt. Post multos autem sermones, vltrò citroque habitos, sic eis locutus est: Viri Britones, si meminisse volueritis eorum, quæ toto hoc biennio continenter vobis pro concione dixi, certè comperietis ea esse eiusmodi, quæ à veritate non discrepent, sed sint vestrarum saluti animarum profutura. Nôstis omnes, quot & quibus vi-

tijs deditam inueni regionem vestram, & nihil in me fuit, quo vestrę possem saluti consulere, quod non promptissimè & libentissimè impenderim. Vnà igitur mecum Deo gratias agatis, quòd & mihi gratiam sermonis contulerit, & vestros animos capaces meæ doctrinæ effecerit, vt ea ad vitam rectè instituendam permouerentur. Vobis hoc iam superest, vt in ijs, quæ benè cœpistis, perseueretis, & quæ à me didicistis, eorum nequaquàm obliuione capiamini. Ego verò, posteaquàm Deo visum est, vt in hac vrbe decedam, apud eius tribunal vobis me patronum & perpetuum pro vobis deprecatorem fore polliceor, si tamen à mea disciplina non recesseritis. Valete omnes: ego post dies decem migrabo ad Dominum.

Deindè verò prohibuit, nè tam frequentes ad eum inuisendum admitterentur, vt posset maiori frui quiete, & rerum diuinarum contemplationi liberiùs vacare. Tametsi autem ægritudines omnes, quibus antehàc creberrimè afflictus fuerat, patienter tulit, at tamen in hac extrema, quæ omnium fuit molestissima atque grauissima, tantam declarauit patientiam, vt multi prudentes viri & ipsi quoquè medici, morbi genus & ægroti animũ considerantes, sæpenumerò dicerent ipsis videri impossibile, vt mortalis homo maiori possit esse tolerantia præditus. Cùm quippiã facerent medici, quòd corpus eius lædere & dolore posset afficere, nullus ab eius ore neque clamor neq; vox edebatur, nisi tantùm aut nomen Iesu, aut beatissimæ Mariæ virginis, aut alicuius è sanctis. Dempto illo tempore, quo vel cibum, vel somnũ capiebat, vel pro re necessaria quippiam loquebatur, semper Deo laudes offerebat.

Eius incredibilis & eximia patientia.

Magistratus autem Venetiæ, cùm nõ ignorarent in ea vrbe nullum esse cœnobium Dominicanorum, vt lites anteuerterent, quas de eius humando sacro corpore orituras verebantur, ex illo sciscitati sunt, quem vellet habere locum sepulturæ. Quibus ità ait: Ego sum professione monachus pauper & seruus Iesu Christi: itaque non ego de meo sepeliendo corpore, sed de animæ potiùs salute cogito. Interìm tamen, vt quemadmodum in vita, sic etiam post obitum ex me pacem habeatis, obsecro vos, vt Priori cœnobij N. quòd præ cæteris meæ professionis cœnobijs vestræ vrbi viciniùs est, curam sepeliendi corporis huius relinquatis. Cùm iam autem dies nouem abijssent, petijt sibi legi passionem Christi, quemadmodùm à singulis est Euangelistis conscripta. Deindè recitari voluit septem illos Psalmos, quos Pœnitentiales vocant: quos quidem psalmos atque etiam totum Psalterium tandiù dixit, donèc & corporis viribus & linguæ officio esset destitutus. Ad extremum lecta est Litania: qua absoluta, mox totus quadam iucunditate & hilaritate perfusus, iunctis sublatisque manibus & oculis in cælum, migrauit ad Dominum.

Felicem animã reddit optimo creatori.

Sub hoc tempus, visa est per fenestram eius loci, in quo decumbebat, inuolare ingens multitudo papilionum miri candoris: qui paßìm circunuolitantes tum demùm recesserunt, cùm ille spiritum exhalauit, nec ampliùs vspiàm apparuerunt. Putantur sine dubio fuisse spiritus angelici, qui felicem illam animam secum ad beatissimam cælestis Hierusalem patriam abduxerunt. Eadem hora ex eius corpore odor manauit longè suauißimus. Per id tempus Venetiæ erat religiosißima Ducis Britanniæ coniunx, cuius suprà mentionem habuimus: quæ, pro singulari in beatum virum deuotione, proprijs manibus voluit abluere corpus defuncti: quemadmodùm habet multarum gentium consuetudo, vt corpora vita functorum lauent. Aquam verò ipsam, qua illud abluit, diù accurateque conseruauit, nec ea vnquàm corrumpi potuit, nec indè aut vermes, aut aliquid fœditatis enatum est: immò verò tandiù gratissimi fuit odoris, donèc in eo vase, in quo asseruabatur, penitùs cõsumpta est: multi etiam, cùm ex ea bibissent, varijs sunt morbis liberati. Porrò Britanniæ Dux exequias celebrandas curauit, quæ & ipsius dignitati, & beati viri meritis congruerent. Ad eas autem vniuersa penè Britannia aduolauit, plerisque à Duce euocatis, alijs sacrum corpus videre cupientibus, atque alijs corporũ sospitatem obtinere volentibus. Tanta autem erat multitudo sacrum illud venerandumque corpus certatìm aut videre aut tangere nitentium, vt triduo illud asseruari oportuerit inhumatum, multisque armatis custodibus vallatum. Interìm tamen nec tenuissimus indè exhalauit fœtor, nec vlla vel in vultu vel in cæteris membris visa est immutatio, sed idem semper permansit corporis color, donèc est sepulturæ mandatum. Obijt sexta feria Nonis Aprilis, conditusque est in summa æde vrbis Venetiæ anno Christi M.CCCC.XVIII. Sicut autem in vita multis claruit miraculis, ità etiam post obitum homines innumeri aut sacrarum reliquiarum corporis eius, aut vestium, quibus in vita fuerat indutus, aut sepulcri eius contactu vsq; in præsentem diem

Nota de aqua, qua eius corpus exanime ablutũ est.

sanitatis beneficia impetrârunt, ex quibus volumus pauca huc adscribere.

Peste correptus sanatur. Apud Cæsaraugustam vir quidam, nomine Iohannes Sanicus, peste exitialiter correptus, ità vt salus eius desperaretur, hortatu illustris viri Iohannis Grassiæ, qui nunc est Maioricensis episcopus, & Alphonsi regis Aragoniæ confessarius, multis cum lachrymis B. Vincentio votum nuncupauit, & ilicò curatus est.

In eadem vrbe vir quidam zelotypus vxorem suam tribus in locis letaliter vulnerauit: & licèt eius vita iam prorsùs à medicis desperata esset, illa ad B. Vincentium deprecandum se contulit, & intra paucos dies conualuit.

Nota miracula de culcitra. Venetiæ habetur culcitra, in qua B. Vincentius decubuit, cùm è corpore migraret: compertumque est supra quadringentos homines, cùm ex deuotione in ea aliquantispèr iacuissent, tum ab ardentissimis febribus, tum alijs diuersis languoribus ilicò fuisse liberatos.

In Maiorica ferunt haberi cucullum, quo fuit indutus, cùm in eam insulam nauigaret: eius attactu iamindè ab eo tempore, quo ex ea discessit, vsque in præsens non modò febricitantes, sed etiam dæmoniaci, & fœminæ in partu periculosè laborantes, curantur.

Frater quidam Dominicani instituti Guilelmus Portas, cùm in eadem insula beatus Vincentius esset, pilos quosdam rasæ barbæ illius, ex deuotione multo tempore asseruauit. Is vt audiuit fœminam quandam à dæmone occupatam, quæ multa etiam secreta indicaret, pilos illos panno inuolutos, ad eius collum alligauit. Tum verò malus dæmon acriùs cœpit vexare fœminam. Interrogatus cur esset solito atrocior, respondit se vim magnam sentire capillorum fratris Vincentij Ferrarij, & tandem à fœmina abscessit, ea penè exanimi relicta. Multi alij solo vestium sancti viri contactu, à diuersis & quidem exitialibus morbis erepti sunt. sed ijs commemorandis nolumus esse prolixiores.

Pilis eius pellitur dæmon.

Superest nunc, vt paucis exponamus, quemadmodùm B. Vincentius sanctorum catalogo adscriptus sit. Et quidem eo tempore, quo ex vita abijt, Martinus V. Romanæ Ecclesiæ pontifex fuit, à quo sanè multi Galliarum Hispaniarumque principes, multæ florentissimæ ciuitates & Academiæ, multi ecclesiarum prælati, tum per literas, tum per legatos petierunt, vt tam insignem virum in sanctos referret. Et ille quidem eorum preces non dubitauit esse æquissimas, voluitque eas in opus conferre: sed quibusdam asperis casibus interim incidentibus, res dilata est, non solùm ab hoc Martino V. sed etiam eius successoribus Eugenio IIII. & Nicolao V. & tandem à Calixto III. feliciter confecta est, quemadmodùm ipse vir sanctus longè antè prædixerat.

Hic quædam deerant in exemplari MS. quod vnicum habuimus.

VITA ET MIRACVLA MAGNI ET BEATI PATRIS NOSTRI EVTYCHII, PATRIARCHAE CONSTANtinopolitani, *ab Eustathio humili Presbytero eius cōtemporaneo conscripta. Habetur in Simeone Metaphraste.*

6. Aprilis.



MAGNVM nobis argumentum propositum, sed tenuis facultas suppetit ad explicandum. Animus ardet, sed friget lingua, nec viri magni res admirandas, & vitam optimè institutam potest enarrare. Cogitatio ampla, sed angusta dictio. Materiæ multum ad Dauidis turrim ædificandam: sed architectus insipiens & imperitus. Verùm Dominus Deus omnipotens insipientibus sapientiam præbet, verbumque suggerit euangelizantibus virtute multa: ac digito suo, id est, Spiritu sancto aperit aures surdorum: & linguam, quæ vix, aut ne vix quidem ad dicendum moueri potest, disertam reddit: qui ex lapidibus etiam potest suscitare filios Abrahæ. Non ignoro eum, cum diues sit, duos obolos ità suscipere, vt eos auro & topazio præferat, quippe qui ne calicem quidem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli datum vnquàm aspernetur.

Psal. 67. Sap. 10. Matt. 3. Matt. 10.

Quid igitur ab hoc munere suscipiendo deterrere nos debet? An quòd ea nobis non

nō adest orationis copia, vt pro dignitate possimus virum diuinum laudare? Minimè verò. Neque enim (vt Magnus inquit Basilius) quòd totum inter cælum ac terram interiectum spatium oculis pertransire nequeamus, propterea nolumus intueri, quantùm possumus. Itaque nec ego, quanuis orationis laborem inopia, & argumentum difficile propositum sit, iners atque ignauum ocium amplectar, neque eorum similis ero, qui cùm timidi sint, nec vllum habeant vsum nauigandi, solo maris adspectu deterriti, ne experiendi quidem causa litori propinquas vndas audent attingere. Sed beatissimi viri fretus auxilio, populorum studio conabor pro viribus satisfacere. Scio enim illos eo fore contentos, non quantum viro huic magno diuinoque debetur, sed quantulum apud me pauperem reperietur. Neque enim illi soli erant Deo grati, qui vitulos ipsi preciosos & oues ad sacrificium afferebant: sed similam item, & turturem, & columbam, parua quidem & vilia, sed pura tamen munera offerentes laudabantur. Ex eo enim, quod quisque habet, non ex eo, quod non habet, censetur. Eo igitur, qui dixit: Qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur, confisus, licèt imperitiam meam non ignorem, tamen quæ à magno hoc viro præclarè gesta sunt, explicabo: vel potiùs occasionem peritioribus dabo laudandi eum, qui omni superior est laude, quique sibi ipse magna est laus: Siquidem (vt Sapiens ait) argentum ignitum est lingua iusti, & labia iustorum stillant gratias. Ingens enim ex veris eius sermonibus splendor fulget. Nec Sol aliena, sed propria luce illustratur. Magnum orbis lumen doctor Eutychius, aliorū non eget laudibus, vt perfectus ostendatur. Nec illi gloriæ coronam aliundè sumptam imponimus: sed quemadmodùm inquit Propheta Dauid: Omnis gloria filiæ regis ab intus circundata varietate: sic & diuinum illud sacrumque caput omnibus virtutum generibus est exornatum, & tanquàm sublimis quædam fax perpetuò splendet omnibus in hoc vitæ pelago nauigantibus, vt ad eam respicientes, in portum tutissimum & quietissimum cursum dirigant.

Luc. 11. Prou. 10. Psal. 44.

Hic igitur magnus vir Deique seruus, Pontifex sanctus, non ab hominibus, nec per homines, sed per Iesum Christum constitutus, alter quidam Iob in patientia iustus, ab omni repræhensione alienus, pius, verus rectè demonstratus est. Verùm quoniam de Iob facta est mentio, non alienum erit, vt ex eiusdem historia memorandi huius Pontificis præconia recenseamus, tum propter multa, quæ illi aduersa contigerūt, tum propter fortitudinem, qua illa pertulit. Ac primùm quidem Iob vir fuit in regione Vsitide, diues gregibus & armentis atque pecunia. Huius autem diuitiæ & copiæ in eo sitæ erant, quòd nihil possideret, nihil haberet. Ille pro septem filijs ex vitulis & hircis Deo sacrificium offerebat: hic non pro septem, sed pro deciès mille, immò verò pro innumerabilibus populis sacrificium sine sanguine & sine diuisione diuisum semper faciebat. Cæterùm quia & regionis, & loci, & generis dignitatem Iob historia commemorat, huius nos item admirandi viri regionem, & locum, & parentes consideremus. Videbimus enim eum ex Christianis & Orthodoxis parentibus & auis genitum & educatum fuisse. Radicem inuestigemus, cuius est ramus, & ex fructu arborem agnoscamus. Nam ex arbore iustitiæ, vitæ fructus oritur. Qua igitur è regione & loco, & qua ex radice magnus hic fructus ortus sit, si tamen fructus est dicendus, ac non potiùs vitis florida, & abundans perennis vitæ ramis, & charitatis erga suos pampinis circunuoluta, & loco filiorum exuberans morum pulchritudine, suauesque & maturos virtutis racemos abundè ferens, ex quibus vinum lætitia cor efficiens emanauit: quandoquidem est terra, quæ semen suscipiens fructum profert vel trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimum: quem quidem fructum edidit fruendum ijs, qui habitu sunt perfectiores, quique sensus ad discernendum bonum à malo habent exercitatos: si qui sunt, qui id nesciant, intelligere necessarium est.

Iob 1. Sacrificiū incruentū, Missa. Matt. 13.

Magnus igitur hic vir è regione Phrygum oriundus est, & in oppido, quod diuinus Pagus dicitur, natus. Fausto sanè ac præclaro nomine appellatum est hoc oppidum. Quid enim præclariùs, quàm vel à Deo fuisse habitatum, vel diuinum hunc hominem edidisse: vt propheticè quodammodò propter illum sortitum sit hoc nomen? Hic enim vir admirabilis tam gratus in patriam extitit, vt eam muro inexpugnabili circundederit. Templum enim in ea sanctorum Quadraginta martyrum exædificandum curauit, vt locus ipse multis de causis diuinus vocari debeat, cùm refugium & salus sit multarum animarum, eorumque in primis, qui angelicam & solitariam vitam complectuntur. Cùm igitur multa in ea regione zizania, id est, homines nouarum rerum studiosi atque hæretici exorti essent, magni huius viri parentes illis obstiterunt. Erant

Patria S. Eutychij.

enim veluti clara quædam lumina, & vitæ verba tenebant, venenatásque ferás conculcabant: quippe qui virtutem acceperant calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem potestatem inimici. Quis eius patriæ ciuis auum huius præstantis viri, eodemque nomine Eutychium ignorat, qui inter sacerdotes excelluit, & gratiam habuit à Deo dæmonas eijciendi, morbosque curandi? Ante quem à spiritibus immundis vexati, cùm in eius vultu præfulgentem gratiam ferre non possent, statim concidebant. Quod malum accidere illis consueuit, qui arcano Dei consilio spiritibus immundis traditi sunt ad carnis interitum, vt spiritus saluus fiat in horrendo iudicij die. Verùm clemens & misericors Deus, qui non patitur eos, qui in tentatione versantur, supra vires tentari, cum tentationis prouentu remedium laborantibus per viri sancti manuum impositionem afferebat.

Auus eius.

1. Cor. 10.

Ex hac sacra radice filia, nomine Synesia pullulauit, quæ nomini suo facilè respondit: fuit enim verè prudentiæ mater. Cùm igitur rectè educata esset & adoleuisset, opportuno tempore à Domino, viro moribus sensuque simili matrimonio coniuncta, vt paulò pôst ostendemus, concepit ac genuit filium primogenitum Eutychium, magnū Patriarcham. Antequam enim fingeret seruum suum Deus in vtero, nouit eum: & antequàm exiret è vulua, sanctificauit, & hoc illi nomen imposuit. Quos enim præsciuit Deus, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & sanctificauit. Beata, quę illum gestauit, quoniam talis patris mater extitit, Anna non minor, quia & Samuele maior hic. Illa enim promisit, se Domino consecraturam filium, quem peperisset. Nam Deo supplicans: *Si dederis, inquit, semen viri, consecrabo ipsum in conspectu tuo omnibus diebus vitæ eius.* At hæc maius quiddam fecit. Cùm enim nihil esset pollicita, Deo fructum suum obtulit. Illa, quem precibus impetrârat, in lucem edidit vnius gentis sacerdotem & Prophetam Samuelem. Hęc illius, quem laudamus, mater, spontè datum totius Oriētis Pōtificem, & patrem patrum sanctè peperit: & visione, quam viderat, dignum educauit. Cùm enim illum adhuc in vtero gereret, lux eam circumfulsit, & lectulum, in quo iacebat, adeò vt eo spectaculo non mediocriter territa, secum ipsa sæpè cogitaret, quidnam sibi vellet res tam admirabilis. Portendebat autem, vt ego arbitror, lucidam ex ea stellam, immò verò iustum virum sole septiès lucidiorem oriturum, qui multos in tenebris & inertia sedentes, vt exitus docuit, illustraret.

Synesia mater eius.

Ierem. 1.
Rom. 8.

1. Reg. 1.

Visio matris eius.

Sed quid de marito eius, & patre magni huius patrum patris dicemus? Præclaráne ipsius facta præteribimus, an de ipso quoquè pauca quædam breuiter attingemus? Quis vt Alexander (nam illi id erat nomen) æquè generosus? Quis Imperatori & Principibus æquè charus? (Nam quantoperè æterno Imperatori Deo gratus fuerit, filij ab eo geniti honores declarant) Inuicta erat in bellis dextera Belisarij, qui summus tunc erat dux. Hunc ille plurimi faciebat, & magno in honore habebat, vt inter strenuos fortesq; viros maximè præstantem. Cùm igitur & apud Imperatorem, & apud Principes magnam gloriam obtineret hic etiam Christi miles, nulla tamen re magis erat colendus, quàm quòd talis filij pater extitisset. His ergò maioribus & parentibus, viris Christianis & orthodoxis & admirandis, genus duxit magnus hic atque admirabilis vir Eutychius: & apud ipsos enutritus & educatus, primam ætatulam transegit. Neque verò ipse educationis locus prætermittendus videtur. Est enim magna & felix Augustorum ciuitas. Reperimus autem & D. Paulum Apostolum ortus educationisque suæ mentionem facere, cùm ortum se esse dicit in Tarso Ciliciæ oppido, & ad pedes Gamalielis educatum, atque institutum.

Alexander pater eius.

Act. 22.

Quæ igitur magnum Eutychium ciuitas enutrierit, videamus. Augustopolis dicta est: In qua sanctum etiam ac salutiferum baptisma suscepit, qui multos filios ipse regenerauit, & superiori mundo peperit. Illud item admirandum est, quòd eum auus edocuit. Narrabat enim vir optimus, cùm ab auo ad sacrum lauacrum ductus esset, ab illo didicisse, vt cùm baptizatus genua esset flexurus, ità precaretur: Bonam mihi mentem, Domine, elargire, & fac vt literas discam, & aduersarios meos superem. Quæ quidem institutio à Spiritu sancto profecta est, quo ipse repletus fuit, posteaquàm sanctum catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ baptisma suscepit. Enutritus igitur apud magnum auum in sanctissima eius Ecclesia iuxta Augustopolim, in qua ille erat presbyter & rerum sacrarum custos, in prima sua ætatula literas didicit, mores composuit, incessum et habitum, atque hilarem vultûs modestiam, & omnia denique, quæ ad perfectionē pertinent, percepit. Nec absurdum fore puto, quandò ipse quoque puer fuit, si ludicra quædam eius ætatis exposuero.

Augustopoli est educatus.

Discit literas & bonos mores.

Domum

Domum in qua cum auo suo commoratus est, in hodiernum vsque diem Clona, id est, ramum appellant. Sic autem appellata est, quoniam in ea duodecim erant aui eius fratres, tanquàm eiusdem arboris rami: quamobrèm & Clonades dicebantur: magnarum enim arborum rami quoquè ipsi sunt magni. Hic cùm multi pueri quadā die essent congregati, is institutus est ludus, vt principum & sacerdotum nomina sibi quisque mutuò daret & sumeret. Quidā etiā manu propria nomē suū cum aliqua dignitate in pariete describebat. Quarè magnus hic vir diuinitùs motus, cùm suum nomen scripsisset, adiecit Patriarchæ dignitatem. Sic enim adhuc in eo pariete manu eius ludicris literis inscriptum legitur: Eutychius Patriarcha. Quis id non admiretur? Lusit quidem & Isaac cum Ismaële, sed Patriarchatûs dignitatem tacuit, quanuis Patriarchæ filius esset vnigenitus, & ex ipso tribus profectura multitudo, & multarum gentium patrem fore Deus Abraham promisisset. Constat & magnum Alexandriæ ciuitatis Episcopum Athanasium, ludum eiusmodi cum æqualibus suis constituisse, vt memoriæ proditum est ab ijs, qui vitam ipsius conscripserunt. Verùm nè Athanasius quidem de se tale quiddam scripsit, aut dixit. Sed magnus Eutychius solus ab incunabulis, veluti alter Samuel, futura prospiciens, diuino spiritu impulsus, Patriarchalem dignitatem et gratiam sibi à patre luminum datum iri pronunciauit. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est, vt ait D. Iacobus.

Ludus puerilis. *Gen. 21.* *Gen. 17.* *Iacob. 1.*

Cùm igitur duodecim iam esset annorum, & eum tempus aliò extra aui domum vocaret, vt implerentur in eo, quæ à Domino fuerant præfinita, non audiuit, quemadmodùm Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua (Neque enim Deo parentes & propinqui eius aduersabantur) Sed, quēadmodùm Iacob ab Isaac & Rebecca, ad vrbium reginam missus est à parentibus & auo, quem diximus, eo quidem consilio, vt in disciplinis grauioribus erudiretur. Sed maius tamen opus, vt ostendetur, eum vocabat. Nam vt Iacob in Mesopotamiam profectus, filias Laban Liam & Rachelem accepit vxores: qui sanè Laban mundi figuram gerit, & eius filiæ Ecclesiam ex Iudæis gentibusque conflatam significant: sic & nouum Iacob magnumque Patriarcham Eutychium Deus, Ecclesia ex vtroque populo coniuncta, paulò pòst nouæ Romæ Pontificem cōstituit. Verùm cùm disciplinas, quarum singulas & vulgus & sapientes admirantur, omnes ipse percurrisset, & in vnam quodammodò coëgisset, æqualesque suos superâsset, ad eam, quæ vera & sola sapientia est, se totum contulit, nihil mali ex vetere illa & spinosa atque inquinata doctrina trahens: sed, iuxta prouerbium, omissis spinis, ex insipientibus Philosophis, si quid in eis boni & religioni consentaneum erat, tanquàm rosas decerpens. Didicerat enim sibique planè persuaserat, sapientiam huius mundi, vt Diuus Apostolus ait, non sursùm descendere: sed esse terrenam, animalem ac dæmoniacam, nec vllum spiritûs fructum ipsam complectentibus afferre: cælestem verò sapientiam, primùm quidem esse castam, deindè pacificam, modestam, suasibilem, plenā misericordia & fructibus bonis, quibus illi, qui eam colunt, perfruantur. Hanc summo complexus studio magnus hic Dei vir, bonum consilium cepit, quod non auferretur ab eo, sed quo ipse seruaretur. Sic enim ait Sapiens: Bonum consilium custodiet te, & pia cogitatio seruabit te. Quod quidem consilium re ipsa statim executus est per sancti Spiritûs perfectionem. Gratiam non distulit, nec dixit: Cràs veniam atque perficiam: sed cùm dixisset, Volo, res ipsa confestìm subsecuta est. Quandoquidem Deus est admirabilis consiliarius. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum desursùm est, descendens à patre luminum. Verùm ecquod illud consilium fuit? Vt terræ terrena relinqueret, & omnem Aegyptiacam voluntatem sub sabulo sepeliret: curasuq; ad montem virtutum, hoc est, ad monachorum angelicum chorum contenderet. Qua de re mox latiùs loquemur.

Gen. 12. *Gen. 28.* *Gene. 29.* *In literis mirè proficit.* *Iacob 3.* *Cælestis sapientia.* *Prou. 2.* *Iacob. 1.*

Cùm igitur hoc consilium cepisset, ac super petram, quæ Christus est, rectè ædificatus esset, & firmum ac stabile maneret hoc fundamentum, occasio quædam illi à Deo oblata est, quæ propositum eius paulispèr impediret. Quemadmodùm enim, qui iter faciunt, atque in ipso itinere inter se colloquuntur, repentino aliquo tonitru territi, per modicum tempus iter simul atque sermonem intermittunt: eo autem cessante, institutum iter sermonemque repetunt. Sic viro huic admirabili contigit. Dum enim vitæ solitariæ rationem iniret, Pontificatûs illi dignitas oblata est. Summa enim contentione petijt ab eo ciuitatis Amaseorum Episcopus, & quidam alij, vt Lazichenorum Episcopatum susciperet. Horum ille studijs precibusque coactus, cùm eam esse Dei voluntatem existimaret, cessit necessitati, seque illi muneri, vt agnum inno-

Petitur ab eo, vt fit Episcopus Lazichenorum.

Luc. 4. innocentem, obtulit. Verùm cùm adhuc in regia ciuitate commoraretur, primùm spiritalem Lectoris gratiam accepit, quam Dominus sanctificauit. Accepto enim libro, legit: & cum illum plicuisset, ministro reddidit. Neque illud prætermittendum est, quòd primùm capillos non obscuro, nec quouis in loco, sed in sancta æde cum quadam venerationis occasione deposuit. Quis autem hic locus sanctus fuerit, audire operæprecium est. Gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis & semper virginis Mariæ templum in Vrbitui regione, in Imperatoris campo situm, omnibus est notum. In hoc ex parua ætate magnus hic vir die noctuque diuinis precationibus vacabat, & sancti corporis preciosique sanguinis Christi Dei nostri communionem sumebat. Hic ille, tempore iam id requirente, spiritales sacerdotij gratias accipere concupiuit. Verè altera Sion declarata es sancta Christi matris Ecclesia, quoniam in te missus est Spiritus sanctus super diuinum hunc & Apostolicum virum. Et tu vir Dei desiderio desiderâsti gratiam, cuius iam diù amator eras, quamque in ipso sanctuario accipere expetebas.

Tondetur pili capitis eius. Quid igitur actum est? Paratus erat, qui preciosum illius caput tonderet. Priuatum quærebant locum: & dignus repertus est. Ecquis iste locus? Sanctum baptisterium. Illuc concesserunt. Cumque non inuenirent, vbi considerent, Dei prouidentia factum est, vt in almi lauacri crepidine is sederet, & contra ipsius atq; tondentis voluntatem, diuino tamen consilio, contigit, vt omnes eius capilli in lauacrum deciderent. Admiratione digna sunt, quæ magno viro acciderunt. Sacer enim fons, qui iam ipsum regenerauerat tanquàm mater, rursùm capillos eius suscepit: quod quidem mea sententia, significabat, innumerabilem hominũ multitudinem per ipsum in eo sacro huius augustæ ciuitatis fonte regenerãdam. Sicut enim nemo potest cæli stellas, aut arenam maris, capitisve capillos enumerare: ità nemo poterit numero comprehendere regale sacerdotium, gentemque sanctam, quam per aquam & spiritum regeneratam, Deo vir sanctus obtulit. Eo igitur capillorum in sacrum fontem lapsu, id fuisse præsignificatum existimo, & propterea silentio prætereundum esse non censui. Et ipse cuncta, quæ sibi contingebant, tanquàm à Deo missa, suscipiebat, & diligenter obseruabat. Id cùm euenisset, decreuit se nũquàm abluere, nec aqua communi caput irrigare. Quod

Nunquàm lauit caput. Psal. 75. Thren. 3. quidem re ipsa præstitit, illotus manens vsque ad finem vitæ suæ. Paruit enim illi Dei mandato: Vouete, & reddite Domino Deo vestro: Et: Bonum est viro, cùm tulerit iugum ab adolescentia sua. Et hæc quidem ante primum gradum acta sunt.

Fit diaconus. Quid posteà? Paulò pòst & alter Stephanus apparuit, cùm Diaconi iugum subijsset, factis & verbis potens, vita & moribus multos componens ac docens, quomodò diuinum ministerium perficere oporteat, & in domo Domini versari, quę est Ecclesia Dei viuentis. Sed cùm paruo tempore in gradu Diaconatûs ex diuinorum Canonum præscripto mansisset, vt de pluribus benè mereretur, ad Presbyterorum cathedrã prouectus est. Considerate autem, quo modo, ordine & ratione illi cuncta cesserint. Nihil

Item presbyter. præter ætatem, omnia perfecta, omnia diuina gratia plena. Ordinis autem ratio cùm omnibus in rebus, tum in gradibus pietatis optima est. Cùm triginta esset annorũ, Presbyter creatus est, ætate corporis cõgruente ad perfectionem accedens. Hanc ætatem

Luc. 3. Christus super omnia Deus videtur honorâsse, qui cùm triginta esset annorum, baptizatus est, me, & quæ mea sunt, omnia sumens, vt ego, quæ illius sunt, per personæ coniunctionem acciperem. Cùm igitur in Presbyterorum sede consideret, eumque, vt in-

Psal. 106. quit Dauid, exaltarent in Ecclesia populorum, & in cathedra Presbyterorum laudarent, gradum illum quoquè exemplo suo decorauit: cùm non simul satus esset atque

Psal. 22. editus, vt fabulæ Gigantes fingunt, neque vt repentini quidam, & die vno, tanquàm è luto formati populorum Præsides. Non enim repentè ad eum gradum venit. Nam is non erat, qui gradum persequeretur: sed gradus ipse illum secutus est, vt ait scriptura: Misericordia tua, Domine, subsequetur me. Cùm igitur omnia ex diuino præscripto & lege perfecisset, iamque speraretur Lazichenorum futurus Episcopus, ab ea remotus est cura ab ipso Deo, qui meliora semper ac præstantiora prospicit seruis suis. Ne-

Esa. 55. 1. Reg. 16. que enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, inquit Dominus per Prophetam. Homo quippe in faciem respicit, Deus autem intuetur cor.

Matt. 13. Cùm igitur consilium illud mutatum esset, & Lazichenæ vrbis Episcopatus ad alium deuenisset, pristinum propositum complexus, incorruptas diuitias tractare decreuit, & prudentem patremfamiliâs imitari, qui promens ex thesauris suis omnia noua & vetera, preciosam emit margaritam, & superlucratus est. Sic & vir admirabilis blandas vi-

das vitæ voluptates & sensus pulchrè commutauit: dansque temporaria, vt acciperet sempiterna, propter excellentem cognitionis magnitudinem, imitatus est Apostolos, qui, relictis omnibus, secuti sunt Christum. Se totum solitariæ vitæ tradidit, monachi vestem induens, & re atque habitu & sermone philosophiã illam amplectens, quam ex vtero matris adamauerat. Imitatus est Eliam Thesbitem & Iohannem Baptistam, qui exercitationis viam imitari volentibus ostendentes, solitudinem primi coluerunt. Quanquàm magnus Eutychius non solitudinem, non Carmelum, sed Amaseorum metropolim elegit, vbi desiderio suo satisfaceret. In hac enim ciuitate sanctum est monasterium, quod sanctissimi quondàm Episcopi Meletius, & Vranius, & Seleucus exædificandum curârunt. Ac Meletius quidem & Seleucus, cùm sanctissimam Amaseorum Ecclesiam rexissent, in ea sanctè dormierunt, & in hodiernum vsq; diem miracula & curationes operantur. Nam de magno quidem Seleuco miraculum celebratur, quod per illum Deus, cùm adhuc viueret, operatus est. Matt. 10. Fit Monachus.

Cùm enim fames grauissima regionem occupâsset, non mediocre periculum erat. Etenim cùm ex horreo, quod adhuc manet, totum esset frumentum exportatũ, custos non ferens flagitantium impetum, ad sanctum Seleucum accessit, horreique claues reddidit: Non est, inquiens, frumentum in horreo, & efflagitantis populi multitudinem ferre non possum. Acceptas claues vir sanctus in lectulo suo posuit, & per totã noctẽ, vt solitus erat, precari Deum non destitit, vt admirabilem potentiam suam ostenderet, quò populum suum alere posset ac sustentare. Postridiè igitur manè, cùm ad sanctum Episcopum de more religiosissimi clerici venissent, ipse ad custodem: Accipe, inquit, claues, frater, & subueni pauperum necessitati. At ille rursùs iureiurando affirmauit, nihil in horreo esse frumenti. Cumque obstinatus in incredulitate perstaret, ad clericos conuersus vir magnus: Benedictus, inquit, Dominus: Abite cum illo, & cognoscite, vtrùm vera dicat, néc ne. Cùm autem abijssent, & vellent ostium aperire, vix potuerunt introire præ frumenti multitudine. Manet autem ad hunc vsque diem inscriptum testimonium, Centiès mille frumenti modios ex horreo sancti Seleuci precibus expor tatos. Hactenùs de beato Seleuco. Vranij verò, qui in Ibéris sedem obtinuit, & illic defunctus est, tumulus adhuc curationes elargitur: idque patet ex ægrotantibus, qui in æde, in qua sanctus hic requiescit, ad eius tumulum passim appropinquantes, morbis liberantur, & sani cursitant collaudantes Deum. Seleuci episcopi miraculum insigne.

In hoc igitur magno monasterio, quod ipse posteà tum ædificijs, tum cultu diuino, tum prouentibus amplificauit, monachi magnus Eutychius habitum induit. Cumque succinctos haberet lumbos in veritate, & sancti Spiritùs armaturam suscepisset, totius monachorum cœtùs in ea metropoli gubernandi prouinciam cepit: ex quo Catholicus, seu Generalis appellatus est. Qua quidem dignitate nihil elatus est, nec eam in animo suo magnificiebat, Omnem enim caducæ ac miseræ, huius vitæ splendorem, vt inanem, aspernabatur: quippe qui hominis gloriam, vt florem fœni esse non ignoraret. Itaque cùm maximus esset omnium ac primus, ità se gerebat, vt si vnus è multis extitisset. Sic enim Dominus præcipit: Qui vult inter vos esse primus, sit omnium vltimus & minister. Dictum enim illud: Dux aliorum es constitutus, ità te gere, vt si vnus esses ex illis: planè meminerat & obseruabat. Iam cùm omnia non exiguo tempore, nempe decem annorum spatio in eadem mansione degens, eique præsidens, fecisset & docuisset, multosque Deo cohortationibus & doctrina sua lucratus esset, illud Euangelicum obseruans: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. & illud: Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. meruit illa verba audire: Eugè serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Et sic illustris effectus est, vt cùm instar ardentis & absconditæ lampadis sub modio esset, electus sit, vt super candelabrum positus, fideles omnes illustraret, & omnibus, vt ciuitas super montem posita, clarus fieret. Sed quomodò hæc gesta sunt? Dei prouidentia factum est, vt in negocio quodam, ad omnes Christianos pertinente, magni huius viri opera requireretur. Negocium autem fuit eiusmodi: Habitum monachi induit Eutychius. Esa. 40. Mar. 10. Eccl 32. Matt. 5. Prou. 22. Matt. 25.

Scitis vos omnes, viri studiosi, sanctum Concilium quintum in hac regia ciuitate fuisse celebratum, regnante Diuo Iustiniano Imperatore, qui Christianæ religionis studiosissimus fuit, & diligentissimus in congregandis sanctissimis Episcopis, qui tria illa capita dijudicarent, id est, Theodoreti scripta contra duodecim capita sancti Cyrilli: & epistolam Ibæ, ad Marim Persam conscriptam: & Theodori Mopsuestiæ Episcopi Iudaicas nugas & maledicta. Quæ quidem diligenter explorata, & iustè impro- Conciliũ V. œcumenicum.

bata, meritoque damnata fuerunt ab ipso sancto œcumenico Concilio. Cùm igitur & omnes Episcopi sanctissimi conuocarentur, Amaseorum item Metropolita accersebatur, vt ad hanc vrbium reginam, harum quæstionum gratia se conferret. Verùm cùm infirma corporis valetudine ille impediretur, Deo ità prospiciente, vt latentis huius sancti viri Eutychij thesaurus manifestus fieret, primùm Metropolitanus per alios probos venerandosque viros, qui erant persuasuri, vt regnantem hanc ciuitatem acciperet: deindè ipsemet illum hortatur, vt sibi velit obsequi, & pro se ad Concilium prompto animo, vt qui sit dogmatum diuinorum peritissimus, proficisci. Cessit vir sanctus cohortationibus. Erat enim ità promptus ad obtemperandum, vbì salutis lucrum sperabatur, vt tardus ad obsequendum, vbì animæ detrimentum & damnum erat propositum. Verùm cùm initiò rem ægrè ferret, vt Moses olìm, cùm in Aegyptum ad liberandos filios Israël mitteretur, vidit & nouus hic Moses, si non rubum ardentem, at clibanum, vt Abraham, conflagrantem. Audiuit & vocem, non quæ diceret: Nè appropinques huc: aut, Solue calceamentum è pedibus tuis: quibus verbis præcipitur, vt terrenæ carnalesque cogitationes deponantur: sed verba similia: Abraham, Abraham, Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te: & erit semen tuum sicut astra cæli. Tot enim talesque sunt, qui nõ ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex aqua & spiritu, & alijs spiritalibus gratijs illi nati sunt filij. Quæ autem visio illa fuerit, quam vidit, & quæ illa vox, quam audiuit, commemorare est operæprecium. Rursùm nouus Ioseph, rursùm nouus Daniel fit magnus hic vir.

Exo. 3. & 4 Gen. 15. Exod. 3. Gene. 22. Iohan. 1.

Visio S. Eutychij.

Videbam, inquit, in visione noctis digitum manûs Domini in firmamento cæli, & montem sancto monasterio imminentẽ, (Est enim mons ille valdè sublimis & excelsus, in quo sancti martyris Thalæi ædem constructam videmus) cuius vertex mihi à digito illo ostendebatur: & vox audiebatur, dicens: Illic eris Episcopus. Quis per montem illum aliud, quàm vrbium reginam, vt exitus docuit, significari existimasset? Est enim verè montium reliquorum ac ciuitatum vertex atque fastigium, de quibus ait Dauid: Rigans montes de superioribus suis. Siue enim virtutes angelicas, siue montes ipsos & ciuitates intelligas, vtroque modo veritas apparet. Cùm igitur visionem hanc vidisset, Deum, qui illam ostenderat, deprecabatur, vt sacrum illud munus & periculum, quod ex eo immineret, à se transferret: vtque sibi potiùs concederet, in futura vita bonis illis, quæ iustis promissa sunt, perfrui, atq; audire verba illa: Esto super decem ciuitates. Sed Deus, qui nubes ducit ab extremis terræ, quique à gregibus ouium vocauit Dauid, vnxitque illum prophetam & Regem, elegit & mitem hũc virum, & occasione illa, quam dixi, in vrbium amplissimam duxit. Mansit autem apud Patriarcham, qui tũc erat. Menas appellabatur, eratque vir sanctissimus & diuinus. Cumque angelicam ageret vitam, futuraque prospiceret, magnum Eutychium hortatus est, nè à se discederet: ostendensque illum sancto clero, dixit: Hic monachus erit successor meus. Confestim autem illũ misit ad Imperatorem, apud quem cùm de rebus propositis disputaretur, apparuit omni diuina humanaque disciplina instructissimus. Cumq; congressus esset cum hæreticis, qui soliti sunt verbis digladiari, non ad vtilitatem, sed ad simpliciorum euersionem: illi non potuerunt resistere sapientiæ & spiritui, quo loquebatur. Cùm enim quidam negarent eos anathemate feriendos, qui post mortem depræhensi essent hæretici, ipse diuinarum scripturarum testimonijs anathemate puniendos esse demonstrauit. Rex enim Iosias, inquit, cùm id prophetia antè significâsset, ossa eorum, qui vitulis immolârant, post mortem effodit atque combussit. Idem ergò in hæreticos seruandum est, vt post mortem anathemate damnentur.

Psal. 103. Luc. 19. Constantinopoli degit apud Menam. Nota morem hæreticorum. 3 Reg. 13. 4. Reg 23.

Hunc igitur Imperator & qui adstabant, admirati, magnoperè coluerunt & obseruârunt. Itaque maiore cum libertate deinceps in regia versabatur, & maiores cognitionis eius diuitiæ apud Deum atque homines declaratæ sunt. Amabat autem eum Imperator, immò verò Imperatorum ac regum omnium Dominus: cui cùm ante ortum nostrum nota sint omnia, (quos enim præsciuit & prædestinauit, hos & vocauit & glorificauit) magnum etiam Eutychium summa cum gloria vocauit ad Pontificatus dignitatem. Paucis enim pòst diebus sanctus Dei seruus Menas, regiæ vrbis Patriarcha, de quo mentionem fecimus, in senectute bona & dierum plenus, quos cum Dei gratia transegerat, hinc ad angelorum & sanctorum Patrum vitam migrauit. Cuius quidem obitûs nuncio ad Christianissimum Imperatorem perlato, multi certatìm incredibili studio conabantur amicos Imperatoris promissis & muneribus corrumpere,

Rom. 8.

pere, vt hominibus indignis Pontificatum deferret. Sed qui omnia facit & mutat, quique corda scrutatur & renes, Deus, in manuque sua cor regis continet cum finibus terræ, quietissimi Imperatoris cor ad virum dignum inclinauit. Qui celeriter vni è referendarijs (Petrus hic appellabatur) mandauit, vt quæreret & teneret, & congruenti honore custodiret magnum Eutychium. Quod sane factum est. Sed audite visionem, quam is, dum seruaretur, vidit. Videbar, inquit magnus ille vir, magnam quandam & præclaram domum videre, & lectum splendidè stratum, in quo mulier, nomine Sophia iacebat: quæ cùm vocâsset me, ornamentaque demonstrâsset, vidi mox domui adiacens solarium niue repletum, & puerum in solario stantem, nomine Sotericum, qui è solario casurus videbatur, nisi ego præueniens, è niue eductum à lapsu conseruâssem. Hoc viso quid aliud significabatur, nisi pulcherrima ecclesiæ sanctissimæ opera? Hæc enim erant illa ornamenta. Per puerum autem in niue periclitantem, dogmatica disciplina laborare indicabatur. Quæ quidem omnia, sancti viri præsidentis operam & diligentiam requirebant.

Prou. 21.

Visio alia S. Eutychij

Cùm igitur hæc ità processissent, sancto Clero sacroque Senatui liberè consilium suum exposuit Christi studiosissimus Imperator, affirmans, se de illo Diuinam visionem vidisse. Cùm enim, inquit, in æde sancti Petri principis Apostolorum, in qua Senatus habebatur, me somnus complexus esset, in quiete vidi Principem Apostolorum mihi magnum Eutychium ostendentem, dicentemque, Fac, vt hic sit Episcopus. Hæc cùm ità se habere iureiurando affirmaret Imperator, omnes ipsius contentionem ac studium, quod diuino quodam splendore vultûs declarabat, conspicientes, vno animo, eademque mente, & cunctis suffragijs, atq; vna voce ante tempus conclamârunt: Dignus est, dignus est. Cùm igitur illi omnia ordine & ex Diuinorum Canonum præscripto contigissent, & tempus esset, vt sacrarum manuum impositione & initiatione consecraretur pater & magister ipsorum, adducitur ad sanctum altare, qui multos ad illud sacerdotes atque pontifices erat adducturus: precibus ac manu, & diuinis ac venerandis oraculis consecratur, sancto Spiritu inungitur: vel potius sanctificatus ipse, vicissim præsentes omnes Pontifices sanctificat: ouis errantis typum super humeros tollit: in sedem sublimem ascendit, in solio sedet: atque pastorum principem Christum in cælum reuertentem imitatur. Dicit enim ipse quoque populo vniuerso verbũ illud, quòd coniunctionem conciliationemque & conseruationem significat: nempe, Pax omnibus: & ab omnibus illud vicissim accipit. Præclarè diuinus Dauid antè de ipso pronunciauit? Quàm magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti. Quæcunque enim in hunc acta sunt, diuina sunt plena sapientia, lætitiaque fideles omnes afficiunt.

Visio Imperatoris.

S. Eutychius creatur Episcopus Constantinop.

Luc. 15.

Psal. 103.

Aequum autem est, vt annorum ipsius numerum cognoscatis, vt quàm perfectus plenusque concurrerit, intelligi possit. Quadragesimo ætatis suæ anno creatus est Patriarcha. Par enim erat, vt omnia perfecto viro essent perfecta. Hunc quippe numerum in diuina scriptura, tanquàm mysticum perfectumque reperimus. Nam & Isaac, ex Sara Abrahæ filius vnigenitus, cùm quadraginta esset annorum, Rebeccam duxit vxorem, cùm ad illud vsq; tempus in virginitate permansisset: qui profectò Isaac Christi mysterij, & Ecclesiæ ex gentibus congregandæ figuram expressit. Quid Moses ille magnus, seruusque Dei? Nonne cùm quadragesimum ageret ætatis annum, fratres suos inuisit in Aegypto: & cùm vidisset Aegyptium quendam iniuriam Iudæo afferentem, illi, qui afficiebatur iniuria, Aegyptio interfecto, auxilium tulit? Expletis rursùm quadraginta annis, in Madian diuina illa visione, quam in monte Sina vidit, factus est dignus, quòd rubus, cùm arderet igni, non comburebatur: Audiuit & vocem dicentem sibi: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi, vt eruerem ipsos. Veni, & mittam te in Aegyptum. Quid hoc significat, nisi ipsum eligi præfectum & liberatorem filiorum Israelis? Iam quomodò leges diuinas, digito Dei in tabulis inscriptas, accepit? Nónne posteaquàm ieiunâsset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, in quibus & noui Testamenti mysteria didicit? Ac meritò quidem Moses duplicem hunc numerum adhibuit, cum esset lex, & sub ipsa lege. Imperfecta enim est lex. Quid omnium saluator ac liberator Christus Iesus, qui legem impleuit? Nónne ipse quoque numerum hunc obseruauit, cum dies quadraginta & totidem noctes ieiunauit, omnemq; mox tentationem atque omnem impetum inimici sustinuit, deditq; potestatem hominibus calcandi super scorpiones & ser-

Numerus quadragenarius mysticus.

Genes. 24.

Exod. 2.

Exod. 3.

Exod. 24. & 34.

Matth. 4.

& serpentes, & omnem potestatem inimici? Et post resurrectionem non'ne varijs mo-
Luc. 24. Acto. 1. dis versatus cum sanctis Apostolis ac discipulis suis, quadragesimo die benedicens illis, discessit ab eis, & ferebatur in cælum, relicta illis & per ipsos Ecclesiæ suæ pace, quam ac quisiuerat sanguine suo? Ex multis hæc pauca volui commemorare, vt ostenderem omnia, quæ in sanctum hūc virum collata sunt, Diuina quadam gratia cōtemplatione digna processisse.

Verùm quis deinceps fuit, cùm esset consecratus, & sublimē illam dignitatē accepisset? Sanctitas ei similis, quæ per linguas ignitas super singulos Apostolos descendit, su-
Acto. 2. per ipsum item requieuit: & Spiritu sancto plenus, loqui cœpit, quemadmodùm ipse Spiritus dabat eloqui. Meritò posset hìc aliquis totum illum scripturæ locum accommodare: Erant aūt in Hierusalem viri religiosi ex omni gente, quæ sub cælo est. Verè enim ex omni gente erant religiosissimi episcopi in noua Hierusalem Constantinopoli cōgregati, triū illorū capitum gratia, quæ antè recensui. Cùm igitur cōuenisset multitudo & confusa esset, audiuerunt ipsum loquentem alia lingua aduersùs diuersas linguas hæreticorum. Alia enim est rectè loquentium, & in recta fidei confessione manentium lingua: alia eorum, qui in superbia sua loquuntur iniquitatem aduersùs Deum altissimum. Itaque ignita sancti viri lingua sustulit eos in finem, Spiritùs sancti ope, & san-
Exod. 3. ctissimis episcopis adiuuantibus: vt Moses Israëlitæ ferens opem, Aegyptiumq; percutiens. Dogmata enim hæreticorum, à veris Israëlitis tenebrosa execrandaque existimantur: quamobrèm & damnata, sub sabulo sepeliuntur. Iam quæ in magno illo quinto Concilio acta fuerint, scitis vos omnes viri doctissimi. Quarè non est necessè, vt aliquid de illis dicamus. Quòd si qui sunt, qui ea ignorent, facilè poterunt intelligere. Sed
Psal. 131. hoc loco congruit id, quod à Dauide dictum est: Sacerdotes tui induantur iustitia, &
Ephe. 6. sancti tui exultent, Itemque illud, quod ab Apostolo dictum est. Induite armaturam spiritùs sancti, quò possitis omnia tela inimici ignita extinguere. Indutus igitur lorica iustitiæ, & calceatis pedibus in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumens scutum fidei, & galeam salutis, & gladium Spiritùs, quod est Verbum Dei, spinas amputauit, & vias asperas, planas reddidit, eiectis lapidibus, id est, maledicis & detestandis hæreticorum sermonibus, ex vera fidei via, & medium maceriæ parietem soluens, per sanctorum dogmatum expositionem & comprobationem, sanctissimis Dei Ecclesijs pacem reddidit.

4. Patriarchæ in v. Synodo. Res autem accidit admirabilis, & illius animo digna: quæ, vt arbitror, vel potiùs scio, nunquam accidet, nec est euentura. Cùm enim multa diuersis locis atque temporibus sancta Concilia celebrata sint, ex quo religio Christiana constituta est, nemo vnquam nisì magni huius atque diuini viri tempore, quatuor simul Patriarchas conuenisse meminit. Itaque cunctis dubitationibus & controuersijs, non violentia, nec necessitate, aut partium studio atque affectione, sed demonstrationum & cohortationum vi dissolutis, summa pax & magna tranquillitas in Dei ecclesia est consecuta. Quatuor autem Patriarchæ sunt hi: Vigilius veteris Romæ, Eutychius hìc nouæ Romæ, Apollinarius magnæ Alexandriæ, Dominus Antiochiæ: qui tanquam vnum in corpus ex quatuor elementis conflati, vnanimes, idemque sentientes, manus inter se coniunxerunt,
Psal. 97. vt oraculum illud Psalmi testatur: Flumina plaudent manibus in idipsum: Montes ex-
Zach. 14. ultabunt. Et quod à Zacharia dictum est: Erit in die illa commotio Domini super eos magna, & capiet vnusquisque manum proximi sui, & manus eius cum manu proximi sui coniungetur: & Iudas pugnabit in Hierusalem, & congregabit robur omnium populorum per circuitum. Quadruplicem igitur & auream quodammodò quandam magnam catenam conficientes, in templum Dei, hoc est, in magnam Ecclesiam ingressi sunt, & Diuinum incruentumque sacrificium obtulerunt, semèl & solum Christum Dominum, pastorumque principem imitati, qui vnica oblatione san ctificauit vniuersos, semèl passus in fine seculorum. Omitto, quòd sacerdos semèl in anno in Sancta san-
Psal. 92. ctorum ingrediens, latriæ figuram & vmbram exprimebat. Quatuor hi fluuij tollentes contritiones montium, iuxta illud: Eleuabunt flumina fluctus suos: opiniones hæreticorum, quæ apud fideles sunt maculæ quædam & sordes, eiecerunt à vocibus aquarum multarum, id est, scripturarum & Patrum testimonijs: lætitiamque & gaudium sanctis montibus, hoc est, Christi ecclesijs pepererunt. Quis vidit, quis audiuit res eiusmodi? Pulchri sanè, & admodùm pulchri sunt fluuij, qui egrediuntur è paradiso: multo tamen magìs laudandi sunt quatuor hi, qui in paradisum ingressi sunt.
Ecclesia, paradisus. Paradisus enim est Ecclesia Dei, in qua plantati sunt, in montem hæreditatis, in habita-

bitaculum paratum, quod Dominus sanctificauit, quod parauerunt manus eius, qui regnat in seculum & vltrà: Horum igitur consensu & coniunctione Dominus Deus noster fortis & potens in bello, currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, delectos hæreseum fautores, triumque capitum impietatem demergens, nouo nimirùm Mose manum tollente, & virga, id est, cruce filios contumaciæ in aqua maris suffocante. Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio maris. Exod. 15.

Cùm igitur ex quatuor Pastorum concordia rectoque sensu, factum esset veluti vnum ouile, atque vnus pastor, & omnis disciplinæ moderatio super sacerdotes & sacerdotum præsules conquieuisset, discesserunt ad suas singuli ciuitates & populos magno cum gaudio. Ac diù quidem tunc omnes vbique Ecclesiæ Dei in pace versatæ sunt. Ambulabant enim & ædificabantur in timore Dei, & sancti spiritûs consolatione replebantur. Relictus autem est solus, nouus hic omnibus in rebus Iacob & magnus Patriarcha Eutychius. Nam vt ille quòdam luctatus est non cum homine (neque enim is homo fuit, qui benedixit Iacob, & mutauit nomen eius in Israelem: Quoniam si fortis, inquiens, fuisti luctando cum Deo: & quæ sequuntur) ità hic aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores tam visibiles, quàm inuisibiles, solus pro Christo Deo nostro bellum suscepit, solus subijt Ecclesiarum solicitudinem, restititque vsque ad sanguinem, nocte & die pugnans aduersùs hostes veritatis. Graues enim & Arabici lupi non desinebant Dei gregem oppugnare, mala excogitantes, & loquentes peruersa, captiuasque ducentes animas simpliciorum. Non exiguo tempore hic Dei seruus creditum sibi gregem à Pastorum principe Christo, super aquam refectionis & in loco pascuæ collocauit, quod firmum erat, conseruans: quod fractum, alligans: quod debile, confirmans: quod aberrabat reducens sermonibus & rationibus opportunis, vt peritus pastor. Ardore diei & glacie noctis vrebatur, vt Iacob Patriarcha; qui pro Lia & Rachele seruiuit, Laban pecora pascens annis quatuordecim. Verùm ille pro ouibus rationis expertibus labores perferebat: quorum quidem laborum merces erat manifesta. Nam quæ sublimioris speculationis sunt, coniugium scilicet illud Iacob cum duabus sororibus, casiguram quandam præ se ferebant Ecclesiæ, ex Iudæis & Gentibus congregatæ, quam Christus omnium Deus sibi despondit. Aliam autem orationem hæc requirerent. At magnus hic vir Dei Eutychius pari annorum numero, quot sunt Apostoli, Christi gregem pauit, quem ipse Pastorum princeps Apostolorum principi Petro commendauit: Si diligis & amas me, inquiens, pasce oues meas, & pasce agnos meos. Nanque oues has cruce obsignatas, & virtutibus varias in vnum ouile, id est, in sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam congregatas, alieno non seruientes nec audientes, conseruauit. Oues enim propriæ semper audiunt vocem veri pastoris. Neque enim fuit mercenarius pastor, neque vt fur, aut latro, aut peregrinus, aut alienus, in ouile ingressus est: sed diuina lege & optimo ordine cum disciplina & gratia congruente, commendata est illi Ecclesia Dei, quam virginem castamque Domino conseruauit.

Gen. 32. — Hæretici nō cessant insidiari ouibus Christi. — Gen. 31. — Iohan. 21.

Cæterùm hoc ferre diù non potuit inuidus atque honestatis inimicus diabolus, qui insolens ac superbus dicit: Fortitudine mea capiam orbem vniuersum, tanquàm nidum: & tanquàm oua derelicta tollam, & auferā manu mea fines gentium. Cùm enim florentem ac plenam Christi aream cerneret, & frumentum maturum ac multiplex, & ad cælum vsque pertingens, quid fecerit zizaniorum sator, & generis nostri hostis, quid machinatus sit sapiens ille ad faciendum malum, quomodò zizania in frumentum coniecerit, videamus. Specie pietatis & honoris ignominiosi (vt ait Apostolus: Zelum habent, sed non habent scientiam) tanquàm aper de sylua & singularis ferus per simpliciores pulchram Ecclesiæ vineam deuastare aggressus est: & ventos immisit, atque procellam in domum benè super petram ædificatam, immò verò in ipsam petram. Quæ tamen firma permansit, illaq; vt puluis paulo pòst dissoluta sunt. Verùm quinam zelus iste fuerit, seu gloria, aut pietatis species, paucis explicemus. Scitis vos omnes, qui pij Imperatoris Iustiniani diuinorum dogmatum studium meministis, quomodò is in eam potissimùm curam incumberet, vt omnes hæreticorum rationes vnà cum ipsis hæreticis improbaret & euerteret: quod quidem & fecit tum argumentis & demonstrationibus, tum testimonijs scripturarum. Hic nescio quo authore & magistro cœpit execrabilem ac detestandam & perniciosam opinionem illam sub specie religionis probare, quæ Domini nostri Iesu Christi corpus ex ipsa diuinitatis coniunctione incorruptum asserebat. Quæ quidem, vt cancer, serpens atque depascens, totum

Esa. 10. — Torquetur diabolus inuidia. — Rom. 10. — Iustiniani Imp. pium studium. — Labitur in errorem Aphthartodocitarū.

Vide Nicephoro. Eccle. Hist. li. 17. cap. 29.

totum propè orbem perdidisset, nisi noster Phinees anteuertens restitisset. Sed quod huic morbo remedium adhibitum est? Sanctorum Apostolorum & Prophetarum atq; Doctorum testimonia, & demonstrationes sunt multæ, quibus vsus est ille ad pestiferũ illum morbum opprimendum. Perniciosa enim omninò pestis est, affirmare, incorruptum fuisse Domini nostri Iesu Christi corpus ante resurrectionem. Quis enim adeò stultus est, vt Domini corpus ex eo, quòd cum diuina natura copulatum fuit, incorruptum asserat, cùm, hoc concesso, colligendum sit necessariò, fictam & simulatam humanæ carnis susceptionem extitisse? Quomodò enim incorruptum corpus pati potuit, aut circuncidi, aut pannis inuolui, aut lacte nutriri? Quæ si illam vitæ largitricem carnem subijsse credimus, Crucem item, & clauorum foramina, & lanceæ vulnus cõfiteri oportet. Incorruptum igitur de illo dici non potest, nisi per hoc verbum intelligamus, corpus illius nulla vnquàm fuisse peccati macula contaminatum, aut in sepulcro non esse dissolutum. Verùm hæc à magno diuinoque doctore Eutychio scriptis studiosè sunt & acriter disputata. Ex quibus, si quis veritatem ignorat, facilè eam poterit intelligere. Longiores enim essemus, si ea vellemus persequi. Videamus igitur, quid, posteaquàm patrum attulit testimonia, consecutum sit.

Caro Christi viuifica.

Cùm magnus hic vir lõga oratione Imperatori, non esse id Ecclesiæ Catholicæ dogma, comprobâsset, animam suam, (vt ait Ezechiel Propheta) quæ ad propositum pertinerent explicans, seruauit. Illi verò malorum inuentores, in peccatis suis periêrunt. Instàr enim sæpè cadentis guttæ & petram excauantis, Imperatori persuaserunt. Atq; huius quidem improbæ opinionis magistri, execranda nugacis Origenis & Euagrij & Didymi dogmata defendebant. Quorum nomina libens prætereo, nè malo malum rependere videar, & contumelia calumniam persequi, & contra propositum & mores sancti Eutychij facere: qui ex beato Saluatoris nostri mandato, non esse malũ pro malo reddendum, sed contrà potiùs maledicentibus benedicendum, & pro persequentibus precandum, tum factis, tum verbis docuit. Quanquàm silenda potiùs videntur, quàm prædicanda, quæ tunc gesta sunt. Quãobrèm vt ipse vir sanctus edocuit, quæ silẽtio sunt digna, prætereamus. Vigil igitur iustitiæ oculus malitiam impunitam abire non permisit: sed calumniam omninò retexit & patefecit, adeò vt illi ipsi ore proprio coniurationem confessi sint, & vltionis æquitatem collaudârint. Erant autem, qui hæc machinati sunt, non solùm ex eorum numero, qui plurimùm valebant apud Imperatorem, verùm etiam ex sacerdotibus, qui erant insignes, quique magnas Ecclesias gubernabant: (si tamen sacerdotis nomine digni sunt, homines improbi & calumniatores) quos tamen omnes iustitia puniuit, obstruens labia aduersùs iustum loquentia iniquitatem in superbia & despectione. Isti igitur, vt dictum est, execrabilium & impiorum dogmatum studio simplicitatem Imperatoris peruerterunt, & sub incorrupti occasione iniquè, vt demonstrabitur, & præter diuinos Canones atque Ecclesiastica instituta beatum ac piũ virum oppugnârunt. Sed eos iustus iudex & in hac vita puniuit, & mox ad inferorum supplicia detrusit sempiterna.

Ezech. 3.

Matt. 5.

Iustinianus Imp. à quibus malè persuasus.

Cùm igitur studijs istorum diuturna vis morbi esset adaucta, & vulnus iam intractabile, atque adeò immedicabile euasisset, cumque imperator, assumpta charta, in qua detestanda illa opinio, quòd Domini corpus ex diuinæ naturæ copulatione incorruptibile fuerit, continebatur, eam diuino magnoque pugili Eutychio perlegisset, flagitabat, vt sententia & suffragio suo illam comprobaret. At ille, vt æquum erat, primùm cohortationibus vtens, negabat eam esse doctrinam Apostolorum: quamobrèm se illi nec animo posse, nec verbis assentiri. Deindè cùm nec cohortationibus, nec admonitionibus posset Imperatori persuadere, nè quid contra catholicam Ecclesiam & recta dogmata faceret, omnem curam & solicitudinem suam in Deum reijciens, Apostoli verbis testatus est, se nihil vtilium omisisse, quod non nunciârit: atque in posterum ità se confirmauit, vt pro Christi fide vellet omnia perpeti: Certò, inquiens, scio, nec mortem, nec vitam, nec præsentia, nec futura, nec afflictionem, nec angustiam, nec famem, nec nuditatem, nec gladium, nec exilium posse me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc vir sanctus verbis, primùm, mox autem factis comprobauit. Constat enim, facta esse subsecuta. Cùm enim nollet dogmatis errorem suscipere, & Aphthardocitas comprobare, statim malorum inuentores, qui omnia facilè audent, principes illi & sacerdotes annui, congregati in auditorium & conuenientes, meditati sunt inania & stulta aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius: & Imperatori persuaserunt, vt virum, omnibus ornatum virtutibus,

S. Eutychius nõ vult subscribere errori. Acto. 20.

tibus, è sede exturbaret, in eaque alium constitueret, qui studijs & opinionibus suis consentiret. Quod quidem & factum est. Nam cùm festus dies sancti Timothei apud Hormisdæ regionem in nouo palatio celebraretur, ac sanctus Eutychius rem diuinam faceret, Tribunus militum & satellites, immanis feræ ministri, Episcopatum inuaserunt, compræhensis & distractis viri sancti familiaribus, qui contra illum testificarentur, vt quoquo modo illum non sine causa ex Episcopatu eiectum fuisse ostenderent. At vir magnus, cùm eorum inuasionem in Episcopatum, & quosdam è suorum numero illinc violenter abstractos & in carcerem coniectos fuisse cognouisset, peracto sacrificio, distributaque sancta Communione, in sacrario mansit. Dicebant enim quidam graues viri, si è sacro templo exiret, fore, vt interficeretur: quosdam enim armatos, atque in Antiochi prædio collocatos, eo consilio foris eum expectare.

Festum S. Timothei.

Vis infertur ædibus eius

Hæc vir beatus cùm accepisset, constitit ante altare, solitisque vestibus & superhumerali indutus, quod semper secum habebat, vsque ad vesperam precationibus incubuit, Deum obsecrans, vt Ecclesiam suam tranquillam & recta dogmata conseruaret. Cùm autem fecisset obsecrandi finem, sacerdotes & monachi, qui aderant, hortati sunt eum, vt cibum caperet: quod & fecit. Cumque paululùm quieuisset, affuit cum gladijs & fustibus, multoque cum præsidio militari magna illa fera, qui Aethereus appellabatur: correptumque sanctum virum, nudum, & nihil habentem, in monasterium, quod Choracudim appellant, absportauit. Quo in loco cùm vno die commoratus esset, & propter monasterij paupertatem malè tractaretur, misericordia commoti, (nam viri sancti virtutem aduersarij quoque admirabantur) eum in Osiæ, id est, Sanctæ, sic appellato monasterio prope Chalcedonem collocàrunt. Nec ampliùs quærentes, vtrùm iure, an iniuria è sede fuisset eiectus, coacto post diem octauum conuentu Episcoporum & principum, virum sanctum, quem indicta causa eiecerant, in ius, vt se defenderet, vocàrunt, quòd libellus aduersùs eum Consessui esset oblatus. Quid autem libellus contineret, non sine risu potest audiri: Quòd vnctus esset, quòd auiculas comedisset, quòd multas horas genibus flexis oràsset, & alia his magìs adhuc ridicula. Ab eiusmodi igitur criminibus, vt sese purgaret, eum accersiuerunt. Sed vir sanctus Episcopis & principibus, qui Consessûs mandato nuncium attulerant: Ad quem, inquit, acceditis, & quem me vocatis? Illi veritate coacti responderunt: Ad dominum nostrum & patrem. Quibus ipse rursùm: Quis est, inquit, iste dominus & pater vester? Venimus, inquiunt, (tanquàm occultis quibusdam verberibus vapularent) ad Patriarcham nostrum dominum Eutychium. Patriarcha ego, inquit ille, Patriarcha Dei gratia sum, nec à me quisquam hominum tollet hanc dignitatem. Quis est ille, quem meo in loco collocàstis? Quibus verbis cùm illi respondere non possent, victi reuerterunt ad eos, à quibus missi fuerant. Verùm idem conuentus iterùm & tertiò contra Canones eum vocauit. Sed ille semper congruenter respondit: Si canonicum, inquiens, iudicium constitutum est, detur mihi Clerus meus, & ordo Patriarchatûs, & veniam, defendamque me, & accusatorum meorum vtar testimonio. Hæc illi responsa cùm accepissent, nihil consentaneum facientes, sententiam contra ipsum tulerunt, ipsis iudicibus dignam. Quam tamen beatus vir anteuertens, subiecit omnes pœnis Canonicis, donèc resipiscerent.

Expellitur vir sanctus è sede sua.

Nota crimina.

Excommunicat aduersarios suos.

Verùm cùm finem accepissent consessûs illius ludi, is, qui consilium Achitophelis disiecerat, axesque curruum Pharaonis confregerat, dissipauit etiam illorum consilium, implicans eos inter se: qui cùm occasionem honestam non reperirent aduersùs iustum, vt quæ iniustè egerant, iustè viderentur egisse, (erant enim ijdem iudices & accusatores) eum ex loco, vbi erat, in insulam, quæ Princepo dicitur, transtulerunt. Ad hanc appulit insulam beatus vir cum tempestate die sabbati, noctà profunda. Cùm autem illuxisset, antequàm quicquam aliud ageret, vidit Crucem in pariete pictã cum hoc elogio: Christus vobiscum est, state. Qua quidem re vehementer lætus, gratias egit Deo, qui hanc sibi consolationem attulisset. Sed cùm in illa insula tres hebdomadas sub magna militum custodia transegisset, rursùm ab eisdem iudicibus decretum est, vt Amaseorum metropolim peteret, maneretque in monasterio, quod ipse constituerat. Quod & factum est. Quæ autem illic aduersùs eum acta scriptaque sint, dicere, nè longior sim, supersedebo. Satis enim est, quod ad hoc propositum dixit Ezechiel ex persona Dei: Eo tempore auertam faciem meam ab eis, & inquinabunt Episcopatum

2.Reg.17.

Deportatur in exilium.

Iubetur Amaseam proficisci.

Ddd meum,

meum, & ingredientur in sancta mea sine reuerentia, & facient inquinationẽ magnam. Sed quæ deindè euenerint, videamus.

Fidelis Dei seruus Eutychius Paulo similis declaratus est, & ad eum quoquè Pauli
Actor. 27. historia referri potest. Sic enim de Paulo scriptum est: Vt autem iudicatum est, vt in Italiam nauigaremus, tradiderunt Paulum & quosdam vinctos Centurioni, nomine Iulio. Sic & de sancto viro factum est. Nam posteaquàm multa temerè consulta essent, tandèm, vt diximus, decretum fuit, vt ad Amasceorum metropolim sese conferret, & in suo ipsius monasterio viueret. Hoc ille nuncio doluit fortassè? Aduersatus'ne est?
Luc. 4. Vel succurrit illi, quod Dominus prædixerat: Nemo Propheta acceptus est in patria sua? Minimè verò: sed prompto animo omnia subijt. Gaudebat enim, quòd dignus habitus esset, qui pro nomine Dei contumelia afficeretur. Studebat enim non solùm
Iacob. 2. vt in illum crederet, verùm etiam vt pateretur. Quoniam fides sine operibus mortua
Esa. 50. est. Imitatus est hac item in re super omnia Deum, qui dorsum suum tradidit flagellis, & genas alapis, & faciem suam non auertit à fœditate sputorum. Cuius liuore sanati
Matth. 10. omnes sumus. Qui etiam dixit: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si patremfamiliàs Beelzebub vocauerunt, quanto magìs domesticos eius? Hoc egit & seruus Dei. Decreuerat enim omnes potiùs perpeti acerbitates, quàm fidem prodere, vt exemplo suo multi confirmarentur, stabilesque & immobiles in recta fidei confessione permanerent. Quod quidem & factum est. Omnes enim patriarchæ, multique Episcopi, præcipueque Orientales recusârunt Imperatoris opinioni subscribere, & ei tum
Anastasius episco. Antiochenus persecutiones patitur. Synodo, tum scriptis restiterunt, in primisque sanctissimus Theopolis patriarcha Anastasius, qui easdem, quas magnus Eutychius (ærumnas'ne dicam, an coronas?) pertulit. Cùm igitur indicta causa damnatus esset exilio, parataque essent iam omnia, nos item cum illo persecutionem pro Christo & exilium ferre decreuimus. Quo quidem con-
Actor. 20. stituto, ille omnes, qui aderant in insula, ore osculatus, vt Ephesios Paulus in litore, animo autem totam ecclesiam, sibi à Deo creditam, in osculo sancto, eam Domino, à quo ipsam acceperat, commendauit.

Eorum igitur, qui nos ducebant & qui miserant, arbitrio in monasterio ipsius constitimus, tanquàm in exilio, vt ipsi arbitrabantur: quod tamen vir sanctus salutiferum sibi, & multorum bonorum causam existimabat. Quæ autem tunc in via publica gesta sunt, vtrùm molesta acerbaque fuerint, an miraculis & ægrotantium curationibus plena, vt orationis longitudo vitetur, prætereo. Quanquàm eadem, maioraque publicè perspecta sunt, cùm viri sancti reuocatio celebrata est. Descendit igitur in Amaseam
Gen. 12. & 46 magnus pugnator Eutychius, vt Abraham olìm, & eius nepos Iacob in Aegyptum, ambo Patriarchæ, propter famẽ. Nam quòd Saluator noster Iesus Christus in eandem Aegyptum descenderit, vt rem excellentiorem cum honore præterimus, & propter
Esa. 19. leuem nubem, & propter casum manufactorum simulacrorũ. Nam descensus quidem ille multis miraculis claruit. Dei enim carnem humanam induti præsentia, quid non admirabile efficeret? Nec magnorum Patriarcharum descensus miraculo caruit: vt facilè declarant nobis omnibus plagæ illæ, quas à Deo Pharao accepit propter Abraham & Saram, quamobrèm eos cum honore dimisit: & Ioseph declaratio, & Iacob atque filiorum eius ad ipsum profectio. Hæc quidem illis admirabilia contigerunt. Sed magno Eutychio non minora concessit rerum omnium effector Deus. Quæ autẽ hæc, quantaque fuerint, multis omissis, videamus. Hæc quidem nos perspeximus, & audiui-
Iohan. 14. mus, & manus nostræ contrectauerunt, & quæ vidimus, testamur. Qui enim dixit: Qui
Matth. 17. credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet: &, Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, & transfer te in mare: & fiet ità: ipse dedit seruo suo gratiam sanitatum, vt morbos curaret, & dæmonas eijceret. Curationibus quidem efficiendis necessarium est, vt & curandorum fides adsit, & curantium virtus. Quorum vnum si defuerit, alterum nihil proderit. Vtrunque enim si-
Matth. 13. mul operatur. Non potuit, inquit Euangelista de Domino loquens, illic signa facere propter illorum incredulitatem. Quamobrèm qui cum fide ad virum hunc sanctum
Marc. 9. accurrebant, plus gratiæ accipiebant, cùm omnia sint credenti possibilia, viro sancto nimirùm traditam sibi à patre luminum gratiam impartiente. Hinc autem exordiar: Vos, qui eiusmodi narrationibus delectamini, attendite.

Sed vndè, aut à qua gratia exordiendum est? Quanuìs alia sint miracula præstantiora, ab hoc tamen initium sumendum existimo: Erat in vrbe Amasea quidam Androgynus,

gynus, legitima vxore copulatus, qui cùm filijs procreandis operam darent, ità frustrabantur, vt infantes, antequàm ex ventre exirent, immaturi præriperentur. Ex quo parentes ipsi magno mœrore afficiebantur. Quid igitur faciunt? Vtile consilium capiunt. Confugiunt ad Deum, qui mortuos etiam potest per seruos suos in vitam reuocare. Imitantur viduam illam Sareptanam, cuius filium Elias suscitauit. Sunamitidem imitantur, quæ cucurrit ad Elisæum, cùm filius eius in cœnaculo mortuus iaceret. Confugiunt & ipsi ad beatum virum: supplicant, vt precibus suis impetret, nè infantes sibi in lucem editi, statìm moriantur. Qui cùm pro illis precatus esset, ambos vnxit oleo sancto, tum eo, quod è preciósa Cruce, tum illo, quod ex sanctæ puræque Dei genitricis & perpetuò virginis Mariæ nostræ Dominæ veneranda imagine scaturire solet Sozopoli, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi. Hæc enim verba cunctis ægrotantibus, qui ad se accedebant, solitus erat adhibere, quemadmodùm & diuus Iacobus præcepit: Infirmatur, inquiens, aliquis è vobis? vocet Ecclesiæ presbyteros, & orent super eum, vngentes ipsum oleo: & oratio fidei saluabit infirmum: &, si peccata commiserit, remittentur ei. Cùm igitur precandi finem fecisset, & tanquàm gratia quadam afflatus taceret, mox: Nomen, inquit, illi Petrum imponetis, & viuet. Erat enim mulier grauida. Cùm autem ego adessem, & respondissem: At si fœminam, inquiens, pariet, ecquod illi nomen imponent? Minimè, inquit ille, sed Petrum vocabunt, & saluus erit. Quibus verbis gaudentes, tanquàm puerum nondùm natum in vlnis gestarent, domũ reuersi sunt. Tempore iam impleto, peperit filium, quemadmodùm antè viderat & prædixerat famulus Dei. Quem cùm baptizandũ curâssent parentes, & nominâssent Petrum, posteà vnà cum ipso ad virum sanctum accedentes, complexi sunt pedes eius, & confessi sunt, quæ sibi fecisset Deus, & quòd sui misertus esset. Impositis autem puero manibus, vir sanctus benedixit ei. Sed cùm creuisset ille, qui ex præcognitione & precibus genitus fuerat, alter natus est illis. Itaque venientes rursùs, ambos filios ad sanctum virum attulerunt, laudantesque Deum, rogabant, quo nomine postremus deberet appellari. Qui geminos filios intuitus, illud Salomonis venustè vsurpauit: Frater, inquiens, fratris fultus auxilio, est tanquàm ciuitas munita. Parentibus autem ipsorum dixit: Iohannem hunc appellabitis, quoniam in æde sancti Iohannis preces vestras Dominus Deus audiuit. Creuerunt autẽ pueri: & vulgatum est hoc in tota illa ciuitate: & omnes collaudabant Deum. Sed rem aliam admirabilem, Dei auxilio à viro sancto factam, videamus.

3.Reg.17. 4.Reg.5. Oleum ex Cruce Christi & imagine S. Mariæ manat. Iacob.5. Prouer.18.

Senex quidam è villa, quæ ad sanctissimam Ecclesiam pertinebat, filium habebat surdum & mutum, annorum circitèr quatuordecim. Quem cùm ad sanctum virum perduxisset, supplicabat, vt ipsi à Deo opem impetraret. Itaque cùm pro illo preces fudisset, omnes eius sensus inunxit oleo sancto, terque Nunechem (nam illi id erat nomen) vocauit. Ac primo quidem die obscurè respondit: cùm autem tres ibi dies mansisset, & oleo sancto inungeretur, solutũ est vinculum linguæ eius, & planè audiebat ac loquebatur. Sed cùm vellet eum pater in monasterio relinquere, noluit Dei seruus. Senex igitur, assumpto filio, domũ magno cum gaudio reuersus est. Audiamus & aliud insigne miraculum.

Surdus & mutus curatur.

Quidam alius eiusdem loci, qui inter ipsius sanctissimæ Dei Ecclesiæ clericos electus erat, (Cyrillus ille appellabatur) filium habebat, qui cùm quinque esset annorũ, & eo ampliùs, nec loqui poterat, nec alimentum accipere: nec vitæ propè, nec mortis erat particeps. Hunc cùm ad virum sanctum perduxissent, ille solitas preces adhibuit, & sanctam communionem impertiuit, & cùm panem communem benedixisset, dedit ei; atque dimisit. Ex illa autem die solutum est vinculum linguæ ipsius, & loquebatur, edebatque & bibebat, cùm Dei gratia sanitatem recepisset. Videamus & aliud huic simile, immò verò admirabilius.

Item alius mutus.

Est oppidulum quoddam, nomine Zala, ipsi metropoli Amaseæ propinquum. Quidam indè profecti, quadrimulum puerum ad sanctum virum adduxerunt. Hic nihil aliud, nisì ex matris vbere nutrimenti paululùm capiebat. Erat autem propè carnis & corporis expers, neque colorem vllum habebat. Sed tanquàm spica vento corrupta, quæ cùm nondùm creuerit, exilem quandam atque inanem granorum & aristarum speciem habet: sic & ille puer videbatur. Potuisses omnes illius costas, & neruos, & ossa numerare. Hunc vir Dei magnus cùm adspexisset sic exiccatum, & parentes ipsius dolore tabescentes, Dei, qui ea, quæ non sunt, facit vt sint, implorans auxilium, totum pu-

eri corpus inunxit oleo precioso, & sanctam communionem impertiuit: cumque panem communem benedixisset, parentibus dedit, præcepitque, vt mero panem illum intingerent, puero que præberent. Quod illi cùm fecissent, voti compotes facti sunt. Dicebant enim se postridiè magnum in eo carnis discrimen adspexisse. Accepisse enim mediocre nutrimentū: idemque tertio die, & alijs deincèps consecutis fecisse. Tenebat autem panem in manu sua, & coram parentibus edebat, mouebatque oculos suos, qui anteà reconditi vix cerni poterant, & singulos adstantium intuebatur. Dicebant prætereà parentes eius, puerū, ex qua hora pro illo vir sanctus oràsset, vbera matris attingere noluisse, sed oblato cibo fuisse nutritum. Læti igitur parentes, cum filio sano in oppidulum suum reuerterunt. Hîc si quærat aliquis, cur integram statìm puer non receperit sanitatem, is sciat Dei iudicia abyssum esse multam. Videmus autē Dominum quidem ac Deum nostrum arcano consilio infirmos quosdā statìm non curâsse. Cùm enim luto cæci oculos inunxisset: Abi, inquit, in Siloam, & laua. Et lotus vidit. Et cùm alij manus imposuisset, rogauit, ecquid cerneret. Respondit ille: Video, inquiens, homines, vt arbores, ambulantes. Ex quo patet, eum quibusdam sanitatem paulatìm tribuisse, eas ob causas, quas nouit is, qui, quid cuique sit vtile, non ignorat. Sed hæc hactenùs. Aliud miraculum explicemus.

Item paruulus propè exanimis. Psal.35. Iohan.9. Marc.8.

Filius cuiusdam opificis Amaseæ, repentino morbo correptus, ad portas mortis appropinquauerat. Hunc pater vlnis impositum ad monasterium gestauit, vt viro illum sancto offerret, quò eius precibus sanitatem recuperaret. Eo tempore vir sanctus alijs negocijs distinebatur. Quamobrèm cùm satìs diū pater expectâsset, volebat discedere: Quid adhuc, inquiens, vexem beatum virum, cùm puer moriatur? Sed qui aderamus, considerantes Deum posse mortuos etiam in vitam reuocare, hominē paulispèr morati sumus. Videbamus autem puerum omninò maxima corporis parte defecisse. Eius igitur moti periculo, sanctum virum accersiuimus: qui nulla interiecta mora venit, & precibus adhibitis, puero manus suas imposuit, vnxitque oleo sancto, ac domū dimisit. Postridiè pater reuertit, cum lachrymis gratias agens Deo pro salute filij sui. Interrogatus autem quomodò se haberet puer, respondit, Dei gratia, & sancti viri precibus omninò conualuisse. Tota enim, inquit, nocte lusit, vigilque lætatus est. Haud multò pòst nos item puerum vidimus, & collaudauimus Deum, qui mortuis etiam vitā reddit. De hoc quoquè satìs dictum est. Ad aliud miraculum transeamus.

Item alius puer.

Agrestis quædam mulier cum filio septenni quibusdam de causis in vrbem venerat. Sed dæmonis incursu repentè pueri pedes obstupuerūt, adeò vt stare nullo modo posset. Mater autem tristis & lugens, filium ad sanctum virum portauit: qui cum precibus oleum sanctum pueri pedibus adhibuit. Finita autem precatione, mater volens experiri, vtrùm puer stare posset, deposuit ipsum: qui primò quidē tremens, videbatur esse casurus: verùm vbì paulatìm fiduciā sumpsit, (blandis enim sermonibus, qui aderant, animos illi faciebant) stetit intrepidus, & nihil est commotus. Cùm igitur repentè firmatæ essent plantæ ipsius & tali, cum matre reuersus est domum, saliens & laudans Deum. Nos quoquè, qui miraculū videramus, quomodò is scilicet alienis pedibus in templum ingressus, proprijs pedibus egrediebatur, collaudauimus Deū, qui talem gratiam seruo suo nostris etiam temporibus largitus esset. Audiamus & aliud miraculum magìs venerandum, siquidem morbus magìs miserandus ac nouus fuit.

Puer claudus sanatur.

Hæret ciuitati Amaseæ monasterium fœminarum, à Flauia nuncupatum. Quædam igitur illius monasterij mulieres puellam ad optimum virum perduxerunt, dicentes, eam omninò non admittere sanctam cōmunionem: sed cùm illam sit acceptura, magno timore ac tremore corripi & clamare, & cū tristitia sanctū Domini corpus auersari, licèt dies Dominica celebretur, & sanctum Christi corpus & sanguis distribuatur. Quibus verbis nos fidem non habentes, diximus virum sanctum ad puellam accessurum, & preces solitas adhibiturum cum communione. Verùm cùm puella ad sacram cōmunionem appropinquaret, depræhendimus esse vera, quæ dicebantur. Cùm enim illam magno cum labore in os accepisset, eam cum vomitu agrestique voce proiecit. Sed adstantium quidam manu porrecta illam excepit, atque in ignem coniecit. Nos autem territi ac mœsti, domum puellam dimisimus, hortantes, vt postridiè reuerteretur. Quæ cùm reuersa esset, vir sanctus, solitis precibus adhibitis, omnes puellæ sensus vnxit oleo sancto: sed cùm ad os peruenisset, illa vocem agrestem emittens, magnam euomuit fœditatem, immò verò spiritum immundum, qui miseram affligebat. Pòst autem

Dæmon excluditur à puella.

autem permisit vir sanctus, vt discederet, & sanctam susciperet communionem: quam illa, Dei gratia, sine vlla formidine aut concussione percepit. Suspirans autẽ vehementer puella, posteaquàm sanctum corpus & preciosum sanguinem suscepisset: Eccè, inquit, deincèps colothim (sic enim illius regionis pueri panem nondùm sanctificatum appellant) percipiam. Et omnes collaudauerunt Deum, qui res admirandas & nouas atque incredibiles facit, quarum non est numerus, etiam per seruos suos. Mirabilis enim est Deus in sanctis suis. Iuuenis quidam in arte pingendi peritus, eam in domo Chrysaphij piæ memoriæ, in ipsa ciuitate Amaseorum exercebat. Hic aliquandò veterem ex pariete Veneris picturam delebat, vt historias pias reponeret. Volebat enim vir ille ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratorium sanctæ immaculatæque Dominæ nostræ, Dei genitricis & semper virginis Mariæ. Cùm igitur pictor fœdam impudicæ Veneris historiam euertisset, dæmon, qui illi inhærebat, artificis manum sic inuasit, vt inflammata tumesceret, & graui vlcere affecta, necessariò amputanda videretur. Quarè cùm periculũ adspiceret, vtile capit consilium, & ad virum sanctum confugit, vt per ipsum à Deo auxilium impetret. At ille, cùm pro ipso Deum orâsset, vnxit oleo sancto dexteram ipsius manũ, quæ inflammatione atque vlcere laborabat: idque fecit tribus diebus. & manus eius diuino auxilio cõualuit atq; alteri similis reddita est. Et quo in loco pictor vulnus acceperat, in eo, memoriæ & grati animi declarandi causa, sancti viri depinxit imaginem: vt manus, quæ curationis beneficium acceperat, medicum suum secundùm Deum testaretur. Huic simile & aliud factum est.

Iob 9. Psal. 67.

Oleo curat manũ à dæmone inflãmatam.

Puerum ab impuro dæmone vexatum sculptor quidam ad beatũ virum duxit. Qui cùm magno viro precanti adstitisset, propterea quòd paruulus puer erat, adstantium quidam ad sculptorem: Gesta, inquit, vir puerum, vt sanctificationẽ assequatur. Quod ille fecit. Absoluta autem precatione, ambo discesserunt. Postridiè verò sculptor venit lugens ac dolens, quòd manûs dolorem ferre non posset. Cumque ex eo quæreretur: Quid luges? Quid habes? Posteaquàm, inquit, puerum gestaui, manus mea incredibili dolore torquetur. Dæmon enim, relicto puero, inhæsit mihi: atq; ille quidẽ curatus est, ego autẽ versor in discrimine. His vir beatus auditis, subridens, dæmonem, quòd talia fecisset, contempsit: & pro misero illo precans, liberauit eum, nihil aliud ei præcipiens, vt faceret, nisi vt precationibus incumberet. At ille, neglecto viri sancti mandato, tumoremque & ardorem manûs timens, ad medicos confugit, vt impleret id, quod dictum est: Qui peccat in eum, à quo factus est, incidet in manus medici. Erat enim manum suam perditurus. Itaque cùm omnia in medicos & balnea consumpsisset, & nihil adiumenti perciperet, sed magis laboraret, rursùs ad medicũ, qui argentum non exigebat, sed gratis operam suam egentibus impertiebat, accessit. Qui nihil moratus aut veritus, Deum misericordem obsecrauit, vt liberaretur: quod & factum est. Ille enim precibus posteà incumbens, vt sanctus iusserat, à doloribus & inflãmatione liberatus est, adeò vt Deũ laudans, artem suam solitam exerceret. Verùm quandò in eorum, qui à spiritibus immundis vexati curatique sunt, mentionem incidimus, de apostata quodam verba faciamus, eò quòd non vulgarem vtilitatẽ ea res afferre potest his, qui monasticum habitum paruifaciunt, & reprobant.

Eccl 38.

Itẽ alterius manum inflammatam

Iunior quidam ab improbo & graui dæmone ità vexabatur, vt quotiès illum affligebat, à nemine posset contineri. Omnes enim superabat, omnes conterebat. Hunc miserum ad virum sanctum, qui impuros eiusmodi spiritus expellendi gratiam à Deo habebat, adduxerunt. Qui preciosæ Crucis telum dæmonibus formidabile, & oleum eius, vexati fronti cùm adhibuisset, ille signo Crucis, tanquàm clauo ignito, transfixus, clamare cœpit, & spumas effundere, & furere, & dentibus frendere, vt non ab vno, sed à multis dæmonibus vexari videretur. Cùm enim multi eum monachi tenerent, omnes superauit & afflixit. Et cùm diù sic esset vexatus, tandèm vt mortuus iacuit. Quamobrèm illũ omninò à dæmone liberatũ arbitrabamur. Sed cùm postridiè reuertisset, peiora patiebatur. Cùm igitur diù fuisset afflictus & vexatus à dæmone, admirabatur Dei seruus, & secum ipse cogitabat, cur ab eo dæmon non recederet: dixitque mihi, vt miserum hominem interrogarem, quis esset, & vndè ipsi tam improbi dæmonis incursus contigisset. Cùm igitur ille mente constitisset, diligenter quæsiui de statu eius, & quomodò pueritiam transegisset. At ille: Cùm, inquit, ingressus essem puer in monasterium sancti Iohannis in arce, (sic enim Amaseæ locus quidam appellatur)

Nota vim signi sanctæ Crucis.

latur) ibique non paruo tempore mansissem, piæ tandem exercitationis pertæsus, & habitu monachi spreto, exiui è monasterio, & simul cum habitu vitam mutaui: nam & mulierem cognoui, & alia multa peccata commisi. Itaque nunc, vt videtis, sum in hoc statu, & ab immundo spiritu miserè detineor & affligor. Mihi, si quid potestis, opitulamini. Hæc cùm ex nobis vir sanctus didicisset, immò verò nos ab illo didicissemus, (Nisi enim ipse cognouisset, non præcepisset nobis, vt hominem vexatum de statu ipsius interrogaremus. Quod quidem eo consilio fecit, vt exemplo illius nos confirmaret, eosque, qui vitam monasticā & angelicam negligunt & aspernantur, moneret, vt resipiscerent) suggessit illa verba Iob: Qui vulnus meum cernitis, timete: Et, Nè dederis in commotionem pedem tuum: Et, Nemo mittens manum suam ad aratrum, & vertens se retrò, aptus est ad regnum cælorum. Hæc ille & multa alia his similia cùm dixisset ad vtilitatem & confirmationem præsentium monachorum: vexatum hominem ob ea, quæ dixerat, commiseratus, valdè suspirans & continenter orans, ea Dauidis verba ex persona miseri illius hominis pronunciauit: Dixi, confitebor aduersùm me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Ac sanctus quidem vir ad hunc vsque versum psalmum pronunciauit. Non alienū autem est, vt versum, qui sequitur, adijciamus: Pro hac orabit ad te (non quilibet: sed quis?) omnis sanctus in tempore opportuno. Illud autem tempus est opportunum, cùm petuntur à Deo, quæ illi placent. Petite enim, inquit, & dabitur vobis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur vobis. Cùm igitur homo vexatus confessus esset, pro ipso rursùm solitas preces vir sanctus obtulit Deo: hortatusque est, vt in monasterium, in quo erat, reuerteretur, habitumque reciperet, quem abiecerat & affecerat contumelia. Quod ille cùm studiosè fecisset, non est ampliùs à dæmone vexatus: sed in monasterio mansit, prudenterque ac modestè se gessit. Quamobrèm laudabant Deū, qui ibi erant, atq; dicebant: Hodiè salus domui huic facta est. Quoniam frater hic noster mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Impletum & illud est: Multùm valet oratio iusti assidua. Audiuit etiam ab illo is, qui curatus fuerat: Eccè sanus factus es, noli ampliùs peccare. Sed iam reliqua miracula persequamur.

Vides ex hoc loco, nō debere monachum institutum suum deserere. — *Iob 6.* — *Psal. 120.* — *Luc. 9.* — *Psal. 31.* — *Luc. 11.* — *Apostata resipiscens, liberatur à dæmone.* — *Iacob. 5.*

Homo quidam eo laborans morbo, qui totum corpus depascitur, ad sanctū virum confugit, supplicans, vt sibi à Deo misericordiam impetraret. Qui miserū morbo propè consumptum adspiciens, non mediocriter cōmotus est. Adhibita igitur oratione, vnxit oculos eius & manus oleo sancto: præcipiensque, nè vinum omninò gustaret, dimisit. Ille verò libenter paruit, sciens, quæ ab hominibus effici nequeunt, Deo esse facilia: & exemplo Naaman Syri, domum suam reuersus est. Sed cùm anni spatiū præterijsset, rursùm idem vir redijt, gratias agens Deo, & laudans illum, quòd morbus ampliùs non serperet, sed cohiberetur atque deficeret.

4. Reg. 5.

Alius quidam ad virum sanctum accessit, dicens, se ab vrbe Cumano esse, & annum iam esse integrum, ex quo lumen non vidisset. Et causa hæc erat: Cùm illi controuersia cum quodam in iudicio intercederet, iurare coactus est: & tanquàm periurij nullum esset crimen, peierauit. Deus autem consulens saluti eius, excæcauit eum. Quo quidem affectus supplicio, cùm lucem non cerneret, & manu duceretur, venit ad virum Dei, & peccatum confessus est, & oculorum cæcitatem indicauit, rectè colligens, Deum sacerdotibus maximam potestatem per sanctos Apostolos tribuisse. Illis enim dixit: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Proindè cùm vir admirabilis soluendi munus (suorum enim quisque peccatorum catenis obstringitur) atque curandi haberet, Deum orauit omnipotentem, vt ipsi tum periurij veniam, tum oculorum sanitatem concederet. Et absoluta super eum precatione, vnxit illum oleo sancto tribus diebus, & liberauit. Ità factum est, vt qui alienis manibus & alienis oculis ductus venerat, proprijs oculis in suam ciuitatem reuersus sit, Deum laudans. At hos quidem paucos è multis commemorauimus, quos de facie nouimus, qui curati sunt. Magna enim quotidiè virorum, & fœminarum, & puerorum multitudo ad eum confugiebat, qui cùm varijs morbis, & manifestis, & occultis laborarent, misericordiam Dei omnes assequebantur. Fœminæ pueros adhuc lactentes gestabant, qui lugebant & querebantur, quòd nutrimento carerent suo. Et matres ipsæ dolebant, quòd lactis fontes essent exiccati. Miserandum igitur erat spectaculum, & suspiria ac gemitus clamoresque varij. Quid ageret vir Dei magnus, cùm matres simul ac filios lugentes vocife-

Periurus fit cæcus. — *Matth. 18.* — *Sacro oleo sanatur.* — *Multi curantur.*

vociferantesque cerneret, hos quidem propter famem, illas autem, quòd se filijs orbari animaduerterent, præsertim cùm tam esset mitis, tam erga omnes clemens, tam misericors? Nónne animus eius vehementer commouebatur? Commouebatur planè, ex quo etiam impetrabat postulata. Cùm enim precaretur, dicebat ea, quæ Moses ille magnus: Domine, si dimittis eis peccata, dimitte: sin minùs, dele me de libro, quem scripsisti. Quibus verbis obsecrans Deum, efficiebat, vt misereretur eorum, qui misericordiæ ipsius indigebant. Exod.32.

Operæprecium est igitur, vt ex multis mulieribus, quæ, cùm id paterentur, ad eum confugerunt, & curatæ sunt, vnam memoremus, quæ cùm esset curata, rediјt ad monasterium, & gratiam Dei prædicauit: Cùm me, inquiens, lac defecisset, ad sanctum virum accessi cum filio meo: cumque ille pro me precatus esset, & oleum dedisset, è monasterij foribus egredienti vbera lac suggesserunt, diuque tantam copiam effuderunt, vt & alios pueros lactare possem. Quamobrèm qui eam antè viderant domos alienas frequentare, vt filio lac inueniret: videntes illam sic abundare, vt alijs etiam lac copiosè præberet, Deum collaudabant, cuius ità ampla sunt beneficia, vt vbì afflictio abundauit, ibì magìs abundet lætitia. Qui paruum hoc miraculum putet, arbitror esse neminem. Quinetiam eos, qui rectè sentiunt, illi simile & par existimaturos censeo, quod sterili contigit. Nam quemadmodùm illa pariendi quidem naturam habebat, sed tamen parere non poterat: sic & huius vbera natura quidem lactis fluxum habere debebant, sed is exaruerat, vt per seruum Dei exuberaret. Veritatem enim dico in Christo. Multæ mulieres tum hoc morbo, tum alijs multis occultis & grauibus laborantes, veniebant & Dei opem exorabant. Ac de curationibus quidem huiusmodi, licèt plurima dici possint, satìs hæc sint. Precibus & oleo curat fœminam.

Nunc videamus & aliam gratiam, huic sancto viro concessam à Deo. Quæ quidem, vt ego sentio, non multùm differt ab ea, quam habuit Elias propheta, & quæ in Sareptis fuit declarata. Quanquàm Thesbites quidem famis, quam ore ipse suo populo intulerat, particeps fuit, & à vidua, quæ se filiumque neglexit, benignè susceptus est hospitio. Cui ille gratiam hanc retulit, vt neque in hydria deesset farina, neque in vase oleum. Hic autem, quasi secundus quidam Elias, famem ipse non intulit, sed multos fame laborantes precibus aluit. Causam autem exponam. Impiorum Persarum in Rempublicam nostram impetum omnes scimus, cùm nouus Nabuchodonosor Chosroës Sebasten venit & Melitenen. Cùm igitur in magnas tunc angustias atque discrimen adductæ res essent, vicini omnes ferè tum Nicopoli, tum Cæsarea, tum Comanis, tum Zala, ex alijsque finitimis ciuitatibus Amaseam, tanquàm in locum munitissimum, se conferebant, non tam vrbis præsidio, quàm viri sancti precibus confisi. Omnes enim & ciues & inquilini, qui magna ex parte erant Ibéri, & hospites reliqui suas secundùm Deum in hoc sancto viro spes collocârant. Ex eius enim ore pendentes, & verba ipsius audientes, seruati sunt. Meritò igitur in tali tumultu innumerabilis hominum multitudo in vrbem concurrit. Sed cùm ibì diù esset commorata, magna cibariorum penuria consecuta est. Itaque omnes ad sanctum ipsius monasterium, tanquàm tutissimum in portum, confugiebant, vt simul cum corporibus animos pascerent. Quarè cùm magnus quotidiè sumptus fieret, & fames in dies cresceret, tum propter nostros exercitus, tum propter Dei & Reipublicæ nostræ aduersarios, magna omnes in mœstitia & angustijs versabamur. Cùm enim multitudini panis subministraretur, sic exinanitæ sunt arcæ monasterij, in quibus farinæ conseruabantur, vt ne vnius quidem hebdomadæ cibus in eis reliquus esset. Cùm igitur horrei custodes monachi religiosissimi farinam imminui, & flagitantium cernerent crescere multitudinem, ad virum magnum accesserunt, illum scripturæ locum vsurpantes: Transiens in Macedoniam, adiuua nos: quoniam farina iam in arcìs deficit, & spes victûs nobis adimitur. At ille, nulla interposita mora, nihil dubitans, sed opulentæ Dei misericordiæ fidens, in eum ingressus est locum, in quo arcæ erant farina propè iam vacuæ. Et cùm Deum obsecrâsset, ministros hortatus est: Bono, inquiens, animo estote: quantũ enim egentibus impertitis, duplũ Dominus Deus noster elargietur. Spero enim quẽadmodum olìm ex hydria farina non defecit, ità nunc minimè defuturam. Nam licèt inclinaueritis ex hoc in illud, (vt est in psalmo dictum) hoc est, à pleno ad id, quod est inane, tamen fæx eius non erit exinanita. Sed edent omnes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum Deum nostrum. His verbis gaudio repleti religiosissimi monachi, alacri- 3.Reg.17. Irruptio Persarum in Ro. Imperij ditiones. Actor.16. Psal 74.

Illustri miraculo multorum fami medetur. ter mandata exequebantur, panem omnibus accedentibus distribuentes. Atque hoc quidem modo magnam populi turbam fame laborantem diù nutriuerunt. Et eo sanè maius miraculum apparuit, quòd cùm farinæ in annum paratæ nihil adderetur, & tantum quotidiè insumeretur, tamen non solùm non defecit, verùm etiam, posteaquàm noua farina esset illata, farina vetus diù, immò semper satis fuit, sicut scriptum est: Comedetis vetera supra vetera, & vetera à conspectu recentium efferetis. Sine pœnitentia enim sunt dona Dei.

Leuit.26. Rom.11.

Ac de miraculis quidem, quæ à sancto viro gesta sunt, satis sit hæc pauca commemorâsse: reliqua alijs conquirenda & commemoranda relinquemus. Non tamen erit alienum, vt miraculum, quod in eum factum est, recenseamus. Ecquod istud est? Illud nimirùm, quod ad eius pertinet reditum ad propriam sedem, quam tamen nunquàm omninò reliquit. Cùm igitur duodecim annorum spatio, atque eo ampliùs in monasterio à se constituto mansisset, & res admirabiles, quas commemorauimus, atque alias multas Dei auxilio perfecisset, summa miraculorum, quæ ab illo gesta sunt, ea fuit, quam circa ipsum Deus ostendit. Non enim legatus, non angelus, sed ipse Deus, qui per turbinem & nebulas Iob fuerat allocutus: qui tardus est ad vindictam, & celer ad remunerationem: qui non relinquit omninò virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non discant malitiam iusti: in fine certaminum claro præconio pugilem alloquitur: Accinge, inquiens, sicut vir, lumbos tuos: Interrogabo te, tu autem mihi respondebis. Opinarisne me aliter tecum loqui, quàm vt iustus appareas? Hoc est vulnerum medicamentum, hæc certaminis corona, hæc patientiæ remuneratio, hoc futuræ mercedis pignus: idem, qui dolere facit, rursùm recreat. Nemo putet, eum sine tentationibus & afflictionibus, aut grauibus periculis totum tempus in monasterio suo transegisse. Non enim deerant hostes tum visibiles, tum inuisibiles, qui conijcerent eum in caminum tentationum, perturbationumque flammam incenderent, & doloribus eius adderent incrementum: vt illum psalmi versum posset dicere: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Qui omnes multis modis sanctum monasterium ità vexabant, vt tæderet nos etiam viuere, nisi angelus Domini descendisset, & flammam ignis discussisset, fecissetque medium caminum ignis, vt spiritum roris refrigerantem. Quoniam igitur oportebat aurum probatum è fornace eximi, vt splendidius videretur, (tales enim sunt Sancti, qui transeunt per tentationes: quorum sub persona, Transiuimus, inquit Dauid, per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium) eduxit & egregium pugnatorem in refrigerium Deus, qui tentationes dissoluit: Non te, inquiens, deseram, nec derelinquam: quemadmodùm & Apostolus ait: Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis sustinere: sed faciet cum tentatione & prouentum tentationis. Verùm quinam huius exitus aut liberatio, breuiter audiamus.

Iob 38. Psal.124. Iob 40. Multa patitur in monasterio. Psal.68. Dan.3. Psal.65. Iosu.1. 1.Cor.10.

Cùm ex hac vita discessisset is, quem Deus arcanis quibusdam de causis, quas ipse nouit, in sedem huius ærumnosi magnique viri irrepere permiserat, cumque pius populus pastorem doctoremque suum flagitaret, & ad piæ memoriæ Imperatores Iustinum & Tiberium, in primisque ad imperatorum & regum omnium verum Imperatorem ac Regem Deum nostrum exclamaret, vt fidei custos, Trinitatis buccinator, rectæque religionis defensor, qui omnia omnibus fiebat, vt plures lucrifaceret, sibi redderetur: suscipientes illi diuinum populi fidelissimi studium, & charitatis ardorem, quo ipsi quoquè iampridèm erga sanctum virum flagrabant, pio populo id, quod petebat, concesserunt. Illud enim semper optauerant, cùm multis alijs de causis, tum ob eam præcipuè, quòd eos Imperatores futuros prædixerat. De quibus, quanuis ad orationis exitum properemus, tamen cùm tempus hoc exigat, pauca dicenda sunt, nè in illius, qui talentum defoderat, periculum nos item incidamus. Quæ igitur illis prænunciata fuerint, commemorabo.

Matth.25.

Tribus circiter annis ante Imperium Iustini, futura prospicienti & magno Pontifici patefactum fuit, ipsum imperaturum. Qui, nulla interposita mora, vt eum in Dei timore confirmaret, tutiusque vitam eius ad pietatem incenderet, cùm in Iucundianis quodam die Senatus haberetur, in remotum quendam locum Dei seruus Eutychius Iustinum seduxit, quo quidem in loco fenestra erat, (hoc enim erit signum, vt lapidum cumulus olìm inter Iacob & Laban testimonium fuit) &: Audi, inquit, amplissime vir, quanuis humilis ego sim seruus & sacerdos Dei. Significauit mihi Deus, te post

Gen.31.

te post auunculum tuum fore Imperatorem: quarè vide, nè huc illuc occupationibus distraharis: sed attende tibi & operam da, vt dignus euadas, qui Dei perficias voluntatem. His auditis, Iustinus gratias egit Deo, & viro magno respondit ad hunc modum: Deus me dignum faciat, vt voluntati eius obtemperem, meque gubernem & regam arbitrio tuo. Atque hæc quidem sic acta sunt. Cùm autem vir magnus esset in insula, quæ Princepo appellatur, quodam die narrabat nobis: In visione, inquiens, noctis quidam mihi gladium dedit, duorum imagines continentem, Iustini & coniugis eius, qui & mihi arridebant. Sed quidnam id significaret, ab eo quæsiuit vnus ex ijs, qui illic præstò erant, num illius gladij visione sectionem aliquam, vel rei finem portendi sciret. Minimè, inquit ille, sed hi ipsi regnabunt, & me liberabunt: imperatorio enim habitu indutos adspexi. Quòd imperauerint, perspicuũ est. Quòd autem fuerit liberatus, quodque exilij eius multæ vltiones extiterint, omnes nouimus. Atque hæc quidem ab illo prænunciata perfectaque sunt. Iustinum Imperatorem fore prædicit. Visio eius.

Quid porrò de piæ memoriæ Tiberio prædixerit, videamus. Primùm quidem ipsum Tiberium notarium apud Iustinum, antequàm esset Imperator, collocauit. Deindè cùm apud Sirmium Abarici belli causa ageret, scripsit ad eum vir admirabilis. Scribendi autem hæc fuit occasio. Tribunus quidam militum Amaseæ commorantium, cupiens apud Tiberium gratiam inire, acceptis à sancto viro literis commendatitijs, ad eum alacri animo Sirmium profectus est. Atque illius quidem epistolæ argumentum erat eiusmodi. Sed tamen Imperij quoquè prænunciationem continebat. Post proœmium enim epistolæ sequebantur hæc verba: Nunc quidem in parte Reipublicæ gubernacula tibi commisit Deus, mox autem & finem concedet. Hoc nemo nostrûm tunc animaduertit. Sed vbì Cæsar creatus est, tunc intelleximus. Epistolam enim ille, vt posteà audiuimus, seruauit. Ac de duorum quidem Imperatorum prædictione satis dictum est. Quid autem & de præsenti Imperatore Mauritio Christi studiosissimo, iam duodeviginti annis prænunciârit, explicemus. Item Tiberium imperaturũ prædicit.

Cùm ageret vir sanctus in monasterio in ea rerum perturbatione, contigit, vt omnes, qui Ponti prouinciam incolebant, venirent ad sanctum hunc virum, magnam ex illius sermone vtilitatem percepturi. Cumque, vt in colloquijs fit, alij alias prouincias laudarent, magnus Dei vir, cùm de Arabisenorum ciuitate mentiò fieret, venustè dicebat ad principes, qui indè venerant: Magna est ciuitas vestra, & de illa meritò dici potest: E Nazareth potest aliquid boni esse? Id autem ità pronunciabat, vt non diceret, se id affirmare, nè se sublimem, sed humilem ostenderet. Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Et hæc quidem Amaseæ prædicta sunt. Iohan. 1. Luc 14.

Cùm autem Deo placuisset, vt suam in sedem restitueretur, biennio ante obitum Tiberij Imperatoris contigit, vt ipse Tiberius in morbum incideret. Et inuisit eum Dei seruus, atque conualuit. Per visum enim intellexerat, tunc eum non esse moriturum. Cùm igitur multa dicerentur de successore, si quid humanitùs ei contigisset: Non morietur, dicebat vir magnus. Et cùm diuersi nominarentur, beatus nihil respondebat. Sed cùm pijssimus hic Imperator Mauritius nominatus esset, se colligens, ea, quæ antè cognouerat atque prædixerat, aperuit: Verè non est alius, inquiens, idque iureiurando asseruit. Tunc igitur & quæ Amaseæ dicta fuerant, meminimus. Quamobrèm de his nemo dubitet. Idcircò enim & personas, & tempora, & loca, & occasiones expressimus, nè quis nos putaret hæc in eius gratiam confinxisse. Qui enim capit, capiat: & qui non vult credere, nè credat. Quid enim mihi de his, qui sunt foris, iudicare? Sed eò reuertamur, vndè digressi sumus, cùm de viri sancti reuocatione loqueremur. Item Mauritium.

Cùm igitur Christi amantissimi populi clamores exaudiuissent Iustinus & Tiberius Imperatores, statim magna cum celeritate ingentique gaudio scribas generosissimos miserunt ad sanctum virum, vt eum vel inuitum & recusantem ad regiam ciuitatem reducerent. Hi cùm ad eum peruenissent, reddiderunt ei literas Imperatorum. Quas ille cùm perlegisset, suspiciens in cælum & lachrymans, egit gratias Deo: Eccè, inquiens, Domine, labia mea non prohibebo. Quoniam tu cognouisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigâsti: & omnes vias meas præuidisti. Mirabilis facta est etiam ex me scientia tua: confirmata est, & non potero ad eam. Quis nouit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quis ea, quæ Deus altissimus Reuocatus ab Imperat. ad sedem suam. Psal. 138.

simus decreuit, dissipabit? Num dicet figmentum ei, qui se finxit: Cur me fecisti sic? Audiui auditionem tuam, Domine, & timui. Cogitaui opera tua, & obstupui. His & alijs multis verbis cùm gratias egisset, & in sancto monasterio diuinum sacrificium obtulisset, in sede constitutus (dies tunc erat Dominica) postquàm salutiferæ etiam Crucis memoriam die quartadecima mensis Septembris splendidè celebrauimus: monasterio & omnibus habitantibus in eo benedixit, vniuersæque ciuitati: omnesque Deo commendans, iter suscepit. Comitatus est autem eum vsque ad regiam ciuitatem Archiepiscopus. Videre licuit nouum planè spectaculum, & diuina illius anima dignum, mixta inter se contraria, dolorem & gaudium, luctum & lætitiam, cùm alij quidem ob eius discessum dolerent, alij propter ipsius reuocationem lætarentur. Diuersas eorum oculi lachrymas effundebant, partim mœroris, partim gaudij plenas: immò verò ob nimiam exultationem, lachrymæ ex omnium oculis effluebant. Lachrymæ enim (vt omnes sciunt) etiam cùm ingens gaudium præcesserit, oboriuntur, quæ nec cor affligunt, nec animos eorum, quorum viscera commouentur, excruciant. Vbi enim peccatum non antecessit, nec dolores consequuntur. Princeps Apostolorum peccauerat, ideò amarè dicitur fleuisse. Quòd si peccata non adsint, obortæ lachrymæ, non lachrymæ, sed lætitiæ latices sunt appellandæ. Vtrunque in ipsa vite fieri videmus. Cùm amputatur & circunfoditur, tanquàm dolens lachrymat: Contrà cùm luxuriat & racemos pendentes vndiquè habet, lætitiam atque hilaritatem his præbet, qui eam coluerunt. Hoc igitur modo Dei seruus omnes, qui ciuitatem incolebant, lætitia afficiens & gaudio, cùm eos Domino commendâsset, vix tandèm ab illis diuelli potuit & proficisci.

Festum exaltationis S Crucis.

Matth. 26.

Quis ea, quæ tunc admirabilia contigerunt, pro dignitate valeat explicare? Quæ lingua narrare queat assiduos & varios concursus & congressus, faustas acclamationes, cùm vna omnes & clara voce dicerent: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Et, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax? Sciebant enim, qui ità clamabant, à Domino dictum esse: Qui vos accipit, me accipit: Et qui accipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Infirmos autem iuxta viam afferebant, vt vel vmbra fortis viri eos attingeret. Qui pro ratione fidei à Deo auxilium accipiebant. Accidit & res admirabilis: nam cùm ab Euchaitis vir sanctus discederet, mulier quædam cum filio ægrotante progrediens, sic est à multitudine conculcata, vt de ipsius, deque filij eius salute omnes desperarent. Quæ tamen euasit incolumis, morbusque discessit. Atque ità totum iter nostrum perfecimus. Cùm autem ad Nicomediensium metropolim peruenissemus, videbamur nobis alium in mundum venisse. Quarè, tanquàm è somno excitati, vtrùm ea essent vera, cogitabamus. Et quemadmodùm narrat historia de Principe Apostolorum, quòd, cùm Angelus Petri latus attigisset, dixit ei: Cingere, & calcea te caligas tuas, & sequere me. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ vltrò aperta est eis. Post hæc autem existimabat Petrus, se visum videre. Sic & magno contigit Eutychio. Cùm enim Nicomediam peruenissemus, verè cognouimus, Deum misisse angelum suum, & Petri imitatorem eripuisse de manu omnium, qui ei struxissent insidias. Non solùm enim fidelis & Christi studiosus populus, regale sacerdotium, gens sancta, congruentes acclamationes edebat, & gratias agebat Deo, sed incredulus etiam & à grege nostro alienus populus Hebræorum, propemodùm pueros illos imitans, clamabat: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et, Crescet fides Christianorum.

Psal. 117. Luc. 2. Matth. 10. Multa fiunt miracula peritet.

Actor. 12.

Matth. 21.

Cum hoc igitur honore ex honesta peregrinatione in vrbium reginam ingressus est propugnator, vt fortis olìm ac magnus Athanasius Alexandriam. Talia enim de ipso diuus Gregorius conscripsit: Neque aliquis arrogantiam ei tribuat. Pullus enim asinæ virum illum portabat: & rami ac stragulæ vestes variæ illum excipiebant: & alij præcinebant ac præsultabant. Neque verò solùm multitudo puerorum, sed omnium linguæ certatìm faustis acclamationibus vtebantur. Prætereo varios plausus & thura, quæ incendebantur, atque ignes, qui ità vbiquè fiebant, vt tota vrbs ardere videretur. Omitto conuiuia publica, & noua ædificia, & quæcunque solent ciuitates efficere, vt gaudium lætitiamque significent: quæ quidem omnia abundè fuerunt exhibita. Tanta profectò vir admirandus & magnus Eutychius exceptus est celebritate, vt cùm honorificæ multæ iam fuerint, nulla post hominum memoriam splendidior extiterit. Illud igitur Esaiæ prophetæ eximij meritò huic congruere dixeris: Adducent fratres ipso-

Redit Constantinopolim ad sedē suam, & excipitur honorificentissimè.

Esa. 66.

ipsorum (id est, viri fideles & pij) Leuitas & Sacerdotes in splendidis mulis cum vehiculis in sanctam ciuitatem munus Domino. An non ità fuit? Immò verò patrem pastoremque ac magistrum suum fidelis populus duxit in sanctam ciuitatem, nouam Hierusalem atque reginam vrbium.

Quis dicendo assequi possit res admirandas, quæ tunc terra marique gestæ sunt? Quomodò mare constratum sit, tergaque sua nauibus subijciens, terræ factum fuerit simile, adeò vt sine impedimento possent omnes super ipsum incedere? Nemo enim præ hominum multitudine poterat aquam à terra discernere. Et erat terra omnis atque mare labium vnum, voxque vna diuina & cælestis omnium, simul Domini & creatoris sui Dei gloriam celebrantium. Hæc dicta sunt, vt qui sciunt, recordentur, & vt qui nesciunt, discant. Quid porrò? Prætermittemúsne reliqua? Minimè verò. Quæ'nam ista sunt? Diuino consilio factum est, vt vndè discessûs principium fuit, indè reditus etiam initium habuerit. Cùm enim dies festus sancti Timothei in Hormisda, vt antè diximus, celebraretur, illinc vir pius sacrificium faciens sublatus est, & ea pertulit, quæ passus est. Cùm autem cursum explêsset, tanquàm sol, exultauit vt gigas currens viam à summo cæli, & occursus eius vsque ad summum eius. Rursùm enim in Hormisda restitutus est, tanquàm sponsus ingrediens in thalamum suum. Et non fuit, qui se abscondere, aut calore eius non frueretur. Omnes enim fideles, sanctitatis & gratiæ eius participes extiterunt, vel per visum, vel per tactum. Multi etiam per salutationem & dulcem congressum delectabantur. Alij per auditum vehementer gaudebant. Fama enim eius paulò pòst per omnem terram est peruagata. Cùm igitur noctem ibi transegisset, manè sumpto superhumerali, quod secum ipse semper gestabat, cum sancto clero suo in augustam ædem sanctæ & immaculatæ Dominæ nostræ, Dei genitricis & semper virginis Mariæ, quæ in Blachernis sita est, concessit. Illic enim erant pij Imperatores Iustinus & Tiberius: qui hilari vultu & magno cum honore sanctum virum suscipientes, quæ tempori conueniebant, collocuti sunt. Et quia dies erat Dominica, & diuinum ipse sacrificium erat facturus, eum dimiserunt.

Dies festus S. Timothei. *Psal. 18.* *Accipitur honorifice ab Imperatoribus.*

Quis non commemoret hîc opportunè verba illa Psalmi: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam? Si quis enim illam tempestatis & tentationis seu persecutionis diem ac noctem cum hac reuocationis & reditûs eius, summæque pacis ac tranquillitatis die nocteque comparet, magnam sapientiam & scientiam in vtroque tempore negocioque reperiet. Nam in persecutionis tempore sabbatum & hyems erat. Vigesimo enim secundo mensis Ianuarij die vir sanctus tentatus & eiectus fuit. Reuocatus autem est die tertia mensis Octobris, quæ erat Dominica. Qua quidem die & illi, qui viro sancto insidias struxerant, atque eum in exilium eiecerant, Aetherius & Addæus, quorum hic quidem Vrbis Præfectus erat, ille autem Antiochiæ curator, mortui sunt. Et quemadmodùm ambo virum sanctum eijciendũ curauerant, ità meritam ambo mercedem perceperunt. In hac igitur die & vir optimus sedem recepit atque Ecclesiam suam, & ipsi priuati sunt vita multis annis antè, quàm ipse reuocaretur. Prophetica item illa verba huc possunt accommodari: Et erit, quo in loco dictum fuit: Hic populus meus non est, (vt quibusdam tunc videbatur) vos illic filij Dei viuentis vocabimini. In Hormisda enim, vt dictum est, facta fuit reuocatio. Qui verò stadia, equitatus & huiusmodi res cogitant, ignorant illud: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

Ibidem. *Osee 1.* *Matth. 5.*

Iam & de superhumerali pauca dicenda sunt. Neque enim illi in ea expulsione fuit ereptum, sed apud eum mansit. Cùm enim quidam è clericis suaderent Aetherio, vt ipsum adimeret sancto viro, ille, neglectis eorum verbis, recusauit. Itaque cùm ipse in indignatione versaretur, eis, qui ad se inuisendum venerant, confessus est: Quæ, inquiens, feci domino Eutychio, ea in me cumulatè reciderunt. Per homines eius oppugnaui eum, per homines meos oppugnatus sum. Vestimenta illius diripui, omnia mihi direpta sunt. Vnum tantùm non ademi, id mihi quoquè relictum est. Cùm enim me clerici cohortarentur, vt illi adimerem superhumerale, id non feci. Et eccè cùm in hac sim calamitate, zona tantùm & dignitatis meæ insignia non sunt à me sublata. Lugens ille quidem hæc narrabat, pœnitentiæ tamen tempus non inuenit, quanuis

Confessio Aetherij persecutoris eius.

multis

multis lachrymis eam quæsiuisset. Ac de his quidem satis. Ad rem institutam redeamus.

Cùm vir sanctus, vt dictum est, cum Imperatoribus congressus esset, & vix tandèm ab illis diuelli potuisset, videns populum, Christi pastorisque sui studiosum, sine interpellatione gratias agentem Deo, precatus est eum, vt bonus ipsius esset remunerator. Atque ità cum vniuerso populo fideli in sanctam Dei magnam Ecclesiam ingressus est, non sine labore tamen, tanquàm in regnum Dei, cùm magna premeret multitudo, quæ diuinum templum occupârat. Cumque in locum editum, vt Moses olìm in montem Sinai, ascendisset, sublatis ad Deum manibus, populi preces & supplicationes cælesti Deo & patri offerre, Deique misericordiam ad populum deducere videbatur. Neque enim aliud propter populi multitudinem fieri poterat. Tonitrus autem, & buccinæ progredientes, id est, aptæ diuinorum oraculorum lectiones, clariùs & vehementiùs pronunciatæ, cum timore & magna compunctione peragebantur. Quid tum? Diuina caligo sanctum operuit altare, super quo cùm incruentum sacrificium obtulisset, fideli populo distribuit: quæ quidem distributio ab hora tertia ad nonam vsque perducta est, cùm omnes ab ipso vellent accipere communionem. Quotiès enim distribuebat, omnes ad eum sine cessatione concurrebant. Nam qui rectè sentire soliti erant, nulla videndi eum satietate afficiebantur. Sed quanto quis illi magìs hærebat, tanto magìs attrahebatur, eodem erga illum affectus modo, quo erga magnetem lapidem ferrum, quod arcana quadam illius vi naturali pertrahitur. Ità vir admirabilis omnes, qui videndi ipsum studio tenebantur, amanter attrahebat. Erat enim totus gratiosus in habitu, speciosus tum animi, tum corporis pulchritudine, sublimis operibus, sensu humilis, virtute venerandus, necnon congressu valdè benignus & affabilis, mansuetus, misericors, sermone dulcis, sed dulcior moribus, adspectu angelicus, animo multo magìs. Nequeo omnes illius tum animi, tum corporis dotes explicare, gestus, aptam omnium membrorum conformationem, vndè plerunquè interior homo dignoscitur: vultûs hilaritatem & gratiam, de quo Salomon: Cor, inquit, gaudens (in Deo nimirùm) exhilarat faciem: oculos lætos, & pupillas eorum integras: (tales sunt enim, qui adspiciunt recta, & qui annuunt iusta) dentes candidos, (purus enim est & cælestis iustorum cibus) ignita labra, ardentia verba & pura, & gratias ab illis stillantes: contractas & rectas aures, ad omnem diuinam vocem suscipiendam idoneas: collum, vt Dauidis turrem, ædificatum, atque ad ferendum Christi & spiritale diuinæ charitatis iugum, & Ecclesiarum solicitudinem accommodatum: albam sacri capitis comam, & Aaron barbam similem, qua vitæ splendor & perfectio significabatur: ad hæc corporis fragrantiam, tanquàm vnguentum, quod descendit in oram vestimenti sacerdotalis: ætatis moderationem, quæ ætatem secundùm Christum perfectam ostendebat: latas manus, quæ liberalitatis amplitudinem indicabant: congruentes digitos & aptos ad diuinos sermones & dogmata conscribenda: rectos omninò pedes ac firmos, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes: sed per tritam & regiam semitam, quam bos & asinus, id est, populus Christianus, ex Iudæis Gentibusque collectus, calcat incedentes.

Incruentū sacrificium, Missam dicit.

Dotes corporis.

Prouer. 17.

Cant. 4.

Psal. 132.

Quis compositum eius incessum, & pulchros totius corporis motus describat? Sic enim incedunt modesti speciosique pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem. Ex quo quidem incessu, diuinus & perpetuus ipsorum animi motus agnoscitur. Quis pro dignitate laudabit pallorem ità in eius facie florescentem, vt mali Punici corticem, aut cuiuspiam alterius pallentis pomi colorem suaui odore coniunctum? Talis profectò est verè temperantium vita, durior illa quidem, sed quæ variorum atque optimorum fructuum dulcedinem continet in cellis spiritalibus: & spirat, vt scriptum est, alijs quidem odorem mortis in mortem, alijs autem odorem vitæ in vitam. Quis non admiretur firmum & stabilem & constantem doctrinæ eius sermonem, quem nocte & die facere non desinebat, vt, quemadmodùm de magno Basilio diuus Gregorius ait, & tranquillè repræhenderet, & docendo laudaret: & vtrunque ità moderaretur, vt neutra ratione offenderet: sed & in repræhendendo patris dulcedinem, & in laudando grauitatem seruaret: vt nec lenitas dissoluta, nec grauitas aspera: sed illa prudens, hæc modesta, vtraque sapiens videretur. Quid vobis describam virum, quem anteà Paulus expressit, cùm magnum illum Pontificem cælos penetrantem laudaret? Illuc enim vsque audet oratio peruenire: si quidem Chri-

Esa. 52. Sanctorum incessus.

Vita temperata. 2. Cor. 2.

stos

ſtos eſſe didici eos, qui ſecundùm Christi præcepta viuunt. Hic totus erat dulcis, totus amabilis: qui cùm adhuc eſſet in terra, à ſpiritu ſublatus, terram reliquerat, & extra carnem & mundum ſemper erat: vitamque his, quæ cernuntur, agebat ſublimiorem, diuinas illas formas ſuſcipiens, quæ cum inferioribus & mutabilibus iſtis non commiſcentur. Verè purum Dei ſpeculum ſemper fuit, lumini lumen adiungens, & ſplendidius obſcuriori. Cum Angelis verſabatur, cum Archangelis Deum collaudabat, Deo homines conſecrabat, & ſuperiori mundo per ſanctum baptiſma, atque alia ſpiritalia munera procreabat. Quis hæc & his ſimilia de viro diuino pro dignitate recenſebit? Quis orator, quis diuinarum narrationum ſcriptor hæc, vt decet, perſequetur? Vtinàm adeſſet diuus Gregorius, vt nunc etiam magnum Baſilium laudaret. Nam huius ſancti viri ſunt multæ magnæque virtutes, & ad ſancti Baſilij menſuram accedētes. Sufficit autem diſcipulo (ait Dominus) ſi ſit ſicut magiſter eius. Vtinàm, inquam, beatus ille adeſſet, qui virtutes has dignè pronunciaret. Neque enim ego, qui nec dicendi facultate, nec ſcientia valeo, ſum ad illas idoneus explicandas. Itaque veritus, nè ſimilis ei deprehenderer, qui talentum vnum accepit atque defodit, & in periculum inciderem: illis argumentum materiamque ſuggeſſi, qui res ab illo geſtas valent conſcribere. Sed adhuc quidem ad radicem montis verſamur. Neceſſe eſt autem, vt quæ vir optimus poſt reditum geſſit, paucis exponamus.

Christi qui ſunt.

Matth. 10.

Matth. 25.

Vixit'ne (vt rursùm vtar illis verbis, quæ de magno Athanaſio diuus Gregorius ſcripſit) vt tanti populi præfectum oportebat? Non docuit autem, quemadmodùm vixit? In adeundis periculis pro veritate cuipiam ceſſit? An ex certaminibus minus honoris, quàm alij, reportauit? An poſt reditum aliquid de priſtina virtute conſtantiaque remiſit? Nequaquàm: ſed iſdem ſemper in eius vita, tanquàm in lyra, concentus fuit. Facta, verba, certamina, pericula, quæ ante reditum, quæ poſt reditum ab illo geſta ſunt, perpetuam viri conſtantiam probitatemque teſtantur. Nam poſteaquàm recepit eccleſiam, itá ſe comiter benigneque geſſit, vt ne inimicis quidem reditus eius fuerit iniucundus. Verùm hæc alij admirentur & laudent, quibus ocium eſt paruas etiam illius res geſtas admirari. Cùm paruas dico, eum cum ſeipſo, & res illius inter ipſas comparo. Paucæ enim ex rebus ab illo geſtis ſatis eſſent ad alium illuſtrandum. Quæ igitur per nouum hunc Athanaſium poſt eius reditum Deus geſſerit, videamus. Nemo putet, eum ex rerum perturbatione vllam ſpiritalium munerum iacturam feciſſe, aut ea vllo pacto fuiſſe imminuta. Quinetiam aucta cumulataque ſunt, vt ex ijs, quæ pauca de multis commemorabimus, intelligetis.

Vt ſe geſſerit S. Eutychius, reſtitutus ſedi ſuæ.

Vos, qui reditum eius memoria tenetis, non ignoratis magnam ac diuturnam, antequàm reuerteretur, peſtem extitiſſe: quæ quidem itá ſæuiebat, vt, niſi hic à Deo electus, tanquàm alter Phinees, obſtitiſſet, omne genus hominum atque omnis ætas interijſſet. Quomodò autem placatus eſt Deus? Supplicationibus, quas ipſe cum Christi ſtudioſo populo adhibuit, à ſanctiſſima magna Eccleſia incipiens, vſque ad ædem ſanctæ & immaculatæ Dominæ noſtræ, Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, quæ in Blachernis colitur. Dum igitur ſupplicationes ad Christum Deum noſtrum, quem ipſa Virgo de Spiritu ſancto concepit, fierent, pepercit ille populo, angelumque cohibuit, qui ciuitatem ſine intermiſſione percutiebat. Imitatus eſt in hac re vir admirabilis Dauid Prophetam, qui, cùm propter populi enumerationem peſtis debaccharetur, dicebat ad Deum: Ego peccaui, dem ego pœnas. Iſti quid peccauerunt? Et poſtquàm vidit angelum in area Ornan Iebuſæi, orauitque eum, immò verò Dominum, nè extenderet manum in Hieruſalem, exauditus eſt. Quamobrèm & altare conſtituit in ipſa area, & Domino boues immolauit, & placatus eſt, & mors ſæuire deſijt. Nónne magnus ac manſuetus Eutychius, offerens rationabile & incruentum ſacrificium Deo, idem effecit? Neque enim aliter extentas manus demiſiſſet, niſi populi ſalutem impetrâſſet. Ab eo igitur die, vſque ad beati viri vitæ finem, Christus Deus noſter à populo prouocatus iram cohibuit. Ac reditûs quidem ipſius primum opus hoc fuit, quo ſalutem omnibus communem impetrauit. Aliud, quod per eum Deus omnipotens fecit, videamus.

Sæuiſsima peſtis graſſatur.

Num. 25.

Supplicationibus ab Eccleſia ad Eccleſiam factis, pellitur.

2 Reg. 24.

Nobilis quidam puer, qui apud Calopodium Auguſtæ primicerium manebat, immò verò ab eo nutritus fuerat, aduerſo quodam caſu in oculo iniuriam acceperat, & magno in diſcrimine verſabatur. Nam medici, qui eum curabant, adiumenti nihil attulerant: ſed contrà potiùs morbum auxerāt. Quamobrèm ad optimum medicum con-

fugit, qui solis precibus valebat morbum expellere. Quod & factum est. Nam solita precatione adhibita, precioso oleo laborantem oculum inunxit: & Dei gratia restitutus est sanitati. Sed aliud admirabilius videamus.

Oculus læsus sanatur.

Cum Cyrillo Catulo multis annis vxor vixerat. Quæ cùm in aquam intercutem incidisset, & multum in medicos impendisset, nihil opis inuenit, sed de salute desperabat. Hanc maritus in varia loca ducendam curauit, fore sperans, vt aëris mutatione conualesceret. Fortè tunc vir sanctus in Paleatico morabatur. Quod cùm ille Christi vxorisque suæ amans intellexisset, & viro sancto notus esset, nulla interpositâ mora, mulierem ad eum duxit, supplicans, vt pro illa Deum obsecraret, vt à morbo liberaretur. Sic autem intumuerat, vt molem ventris eius spectantes omnes admiraremur. Verùm cùm ille precatus esset, & oleo sancto vnxisset, dimisit eam. Post aliquot autem dies cùm vir sanctus eodem in loco esset, vir duxit vxorem suam, gratias agens Deo, & omnibus ostendens eam ab illo morbo & calamitate liberatam. Sic enim tumor ventris euanuerat, vt eo morbo nunquàm laboràsse videretur. Quo quidem miraculo perspecto, multi collaudabant Deum. Erat autem mulier illa annorum ampliùs quadraginta. Verùm nè quibusdam narrare videar incredibilia, finem faciam. Neque enim vltra Gades, vt diuus ait Gregorius, transeundum. Et magnus ille Nyssensium Pontifex Gregorius, docens orationem non esse longiùs protrahendam, quàm gratiarum mensura patiatur, de sorore sua sic loquitur: Hæc ab illa gesta sunt omnia: quæ licèt incredibilia videantur, vera tamen sunt, & credibilia apud eos, quibus ea planè nota fuit. Sin aliqui carni nimis addicti, fieri non potuisse putant: hi nesciunt, pro ratione fidei munerum fieri distributionem: vt fide pusillis parua tribuantur, magna autem illis, qui fidei sunt amplitudine præditi. Verùm nè Dei muneribus detrahendi occasio detur incredulis, sublimiora miracula prætermittemus, hæc, quæ recensuimus, satis esse ad historiam absoluendam existimantes. Quæ quidem verba de magno item Eutychio dicta scriptaque intelligantur.

Hydropicā sanitati restituit.

Cùm igitur Dei seruus cursum confecisset, fidemque seruàsset, deincèps repositam sibi iustitiæ coronam expectabat. Vixit, posteaquàm reuocatus est & in sublimem sedem restitutus, annos quatuor & menses sex: vt omnes vitæ ipsius anni fuerint septuaginta. In eo autem ocio quos aduersùs omnem hæresim, spiritu sancto adiuuante, sermones conscripserat, omnibus fidelibus & Orthodoxæ atque Apostolicæ Ecclesiæ filijs promulgauit, cùm eos exemplo priùs & vita planissimè & apertissimè comprobâsset. Docuit non esse fimo & luto, hoc est, vitæ caducæ & rebus istis instabilibus inhærendum. Hanc enim vitam esse veluti figuli rotam, quæ assiduè impletur & circumuoluitur: aut Lunæ similem, quæ perpetuis mutationibus obnoxia, nũquàm in eodem statu permanet. Cùm igitur ità vixisset, vt viuendi norma posset esse Pontificibus: sic autem docuisset, vt rectæ disciplinæ regulam dogmata eius continerent: cupiebat iam dissolui & esse cum Christo, licèt propter multorum salutem in carne manere magis esse necessarium iudicaret. Sed ipsum quoquè, cùm homo esset, animi à corpore seiunctionem subire oportebat. Qua quidem de re quotidiè philosophabatur, & eadem, quæ Basilius & Gregorius, sentiebat & loquebatur. Quorum vnus: Carnem, inquit, despice, quæ præterit: animum cura, qui est immortalis. Alter autem: Vtinàm, inquit, grauem hanc exuar tunicam, vt accipiam leuiorem.

Vita hæc quibus cōparanda.

In his ille versatus, & semper hæc meditans, & cum magnis patribus ità viuens, vt non minùs Basilij, & Gregoriorum, & magni Dionysij, & reliquorum sanctorum Patrum, Apostolorum & Prophetarum sermones & dogmata, quàm aërem hunc spiraret, tamen quibusdam mente imperfectis suspectus erat, quasi ab eis in resurrectionis ratione dissentiret: cùm tamen homines stulti non intelligerent, nec de quibus loqueretur, nec quæ affirmaret. Quid mirum est, si puerili mente præditi, sic de ipso sentirent, cùm Dominus ac Deus noster in digito Dei dæmonia eijciens, in principe dæmonorum ea eijcere putaretur? Quid de diuo Paulo? Cùm in Areopago de Iesu deque resurrectione loqueretur, nónne dictum est: Quid vult nugator hic dicere? Quid quòd Basilius virtutum fundamentum, & sancti Spiritûs propugnator, ab imperfectis existimatus est, Deũ esse Spiritum sanctũ, non confiteri? Quæ cùm ità sint, non est mirum, si & de hoc sacro capite, magno diuinoque viro Eutychio, qui fuit Ecclesiæ columna & lumen, & venerandis Patribus omninò similis, tale quiddam suspicati sunt isti, qui resurrectionis rationem non capiunt. Absit enim, vt rectis Ecclesiæ sanctæ & Apostolicæ dogma-

Luc. 11.
Actor. 19.

dogmatibus contraria vnquàm ſenſerit. Plenæ ſunt eius orationes ſententijs hac de re
ſanctorum Patrum. Qualis eſt illa diui Gregorij. Inquit enim: Si quis dicit, Chriſtum
ità nunc depoſuiſſe carnem, vt ab ea nudam diuinitatem & eſſe & venturam aſſerat, is
aduentûs eius gloriam nè videat. Quî igitur fieri poteſt, vt cùm hanc ſuis in ſermonibus
ſententiam poſuerit, ab illis diſcrepârit? Neque enim aliter loquebatur, ac ſentiebat.
Abſit. Cor illi prauum nunquàm fuit, nunquàm animus duplex. Non ignorabat ille,
cùm ex animo & corpore ità conſtemus, vt corporis miniſterio & opera animus vta-
tur, fore, vt ſi rectè ſimul ſe geſſerint, ſimul etiam bonis immortalibus perfruantur: &
corpus ſi afflictum fuerit, & in ſeruitutem redactum, ſupplicia ſimul cum anima vi-
tet ſempiterna. Vtrunque enim ſimul aut coronatur, aut condemnatur. Opórtet 1. Cor. 5.
enim omnes ſiſti ante tribunal Chriſti, vt quiſque recipiat, quæ per corpus geſſit, ſiue
bonum, ſiue malum. Nam vtrunque in hac vita ſimul operatur: & vtrunque ante Chri-
ſti tribunal ſiſtendum eſt. Iuſtum autem erit tribunal illud. Ibi non erit acceptio perſo-
narum, nec dimidia ex parte iudicium fiet: ſed (vt Eccleſiaſtes ait) cuncta, quæ fiunt, Eccl. 12.
adducet Deus in iudicium pro omni abſcondito, ſiue bonum, ſiue malum ſit. Quod
quidem iudicium ideò iuſtum erit, quia poſt reſurrectionem nec corpus ſine anima,
nec anima ſine corpore, cum quo ſemper vixit, vnquàm reperietur: ſed immortalita-
tis pulchritudine corpus ſimul cum anima decorabitur.

Aduerte, Lector, quòd is eſt ille Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha, quo cum quæſtio- Annotatiuncula Aloyſij Lipomani.
nem de reſurrectione habuit diuus Gregorius Papa, dum in ea ciuitate is ſedis Apoſtolicæ Apocriſa-
rium ageret, quemadmodùm habes in libro Moralium 14. cap. 31. et 32. Et licèt hic author illum ab erro-
re excuſare contendat, præfatus tamen vir ſanctus apertè teſtatur, eum in hoc articulo cecidiſſe: licèt
ante mortē ſeſe correxerit. Quod ipſum multis ſanctis viris accidiſſe cōperimus. Lege prædictū cap. 32.

Hæc ille, & his ſublimiora conſiderans, cupiebat à corpore diſcedere, & ad Domi-
num proficiſci, & illis Dauidis verbis vtebatur: Quemadmodùm deſiderat ceruus ad Pſal. 41.
fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus: Et, Quandò veniam, & apparebo
ante faciem Dei? Videbat & calamitates, quæ huic magnæ ciuitati erant euenturæ: &
inſtituta ſtudiaque noſtra non bona, & die ac nocte Deum clementem precabatur, vt
vel minas remitteret, & ciuitati nihil inferret mali: vel ſibi vitam adimeret, nè afflictio-
nem eius intueretur. Et, quæ precatus eſt, impetrauit. Voluntatem enim timentium ſe Pſal. 144.
facit Dominus Deus, & preces eorum exaudit, & ſeruat eos.

Hæc illo precante ac ſupplicante, exauditus eſt ſtatìm, vt indicant illa Prophetæ
verba: Adhuc loquente te, dicam, Eccè adſum. Inſtabat tempus, plenitudo tem- Eſa. 65.
poris, corona anni, immò verò annorum bonitas, celebritas celebritatum, vniuerſæ
reſurrectionis primitiæ, Chriſti Dei noſtri Reſurrectio, in qua lętatur cælum & terra: de
qua dicit diuinus ille Dauid: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur Pſal. 117.
in ea: & conſtitui iubet diem ſolennem in condenſis vſque ad cornu altaris, id eſt, ad
angelicas vſque virtutes: quemadmodùm & ſciſſum velum declarat, cæleſtia terreſtri-
bus aperiri, & res procreatas vna omnes voce procreatorem ac Deum ſuum collauda-
re, iuxta illud: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Cùm igitur hanc diem hilari
animo is celebrâſſet, qui de illa ità diſſeruerat, vt nemo alius, cumque ſanctiſſimam ma-
gnam Eccleſiam luſtrâſſet, & ſacra lauacra conſtituiſſet, omnes Pontifices & ſacerdo-
tes & Imperatorem & Senatum atque vniuerſum Dei populum ſalutauit: cùm tamen
multi id, quod fiebat, ignorarent, ac ea de more fieri arbitrarentur. Ipſe autem ſolus
rem nouerat.

Quomodò hæc ego nunc ſine lachrymis poſſum commemorare, qui miſer eo die Obſeruabile
amplius, quàm ſolebam, angelicam ipſius faciem oſculatus ſum? Cùm enim id bis ter- Authoris
que feciſſem, ſatiari non poteram. Et cùm ex me quęreret, cur ità ſępè id facerem: Quia, ſingularem cum beato
inquam, hodiè tantùm mihi licet. Atque ità contra me prophetaui. Quod vtinàm non viro familiaritatem.
fuiſſet: priùs enim, quàm ille, mortuus ſum: ſolus relictus ſum orphanus, ſolus marga-
ritam amiſi, ſolus theſaurum in agro condidi, ſolus aberro, tanquàm ouis non habens
paſtorem, ſolus lugens & mœrens obambulo totum diem. Paulò pòſt autem omnes,
qui bonorum ipſius participes extiterunt, verba illa mecum, vt arbitror, pronuncia-
bunt: Extinctum eſt lumen oculorum noſtrorum. Erepta nobis eſt lux animarum. Vi-
tæ noſtræ præſidium eſt diſſolutum. Concordiæ ſignaculum ereptum eſt, & charitatis
vinculum ſublatum. Imbecillum firmamentum confractum eſt. Propter te, pater, nox
etiam pro die in vita pura ſplendebat: nunc dies etiam in tenebras conuertetur. Sed

lamentationibus, præsertim ante tempus, non est indulgendum, nè illud ab eo audiamus: Nolite flere super me. Luc. 23.

Cùm igitur sacrificium totum explêsset bonus pastor, & vniuerso populo fideli sacrosanctum & salutiferum Domini nostri Iesu Christi corpus distribuisset, in sanctum Episcopium reuersus, modicum cibum cum solitis familiaribus hilari vultu cepit. Post cibum autem cùm paulispèr quieuisset, & tempus, quo lampades accendebantur, exigeret, vt ad officium vespertinum accederet, contractio quædam totum eius corpus inuasit. Quamobrèm quidam è clericis religiosissimis eum obsecrabant, vt conquiesceret: sed precibus efficere non potuerunt, quominùs iret ad officium vespertinum. Sancto igitur spiritu confirmatus, in sanctam Dei Ecclesiam se contulit. Populus autem illum expectabat. Omnes enim illum semper quidem, sed tunc potissimùm, cùm Apostolica erat stola indutus, adspicere cupiebant. Cumque varias preces vespertinas cum illa persoluisset, sacrum altare osculatus est, fidelemq; gregem Deo commendauit. Et ex altari visibili quodammodò ad inuisibile, de virtute in virtutem pro grediens, preces peregit, clausis omnibus sensibus, & à populo totus separatus. Reuersus igitur in Episcopium, in lectulo suo decubuit, vehementiq; febre circa mediam noctem correptus est. Atque ità mansit septem dies, assiduè precibus incumbens, seque signo crucis muniens. Acri febre corripitur.

Cùm igitur morbi vis intenderetur, idque ad religiosi Imperatoris Tiberij aures peruenisset, ea re valdè perturbatus, ciuilibus omnibus curis intermissis, de illo solicitus erat, medicosque præstantissimos misit, qui eum curarent, à quo multi varijque morbi curati fuerant. Qui sanè medici plus ex eius doctrina opis perceperunt, quàm illius corpori contulerunt. Nullum enim medicamentum sibi passus est adhiberi: Præceptum, inquiens, posuit, & non præteribit. Medicum habeo, qui mihi pro arbitratu suo medebitur. His auditis, Imperator magno cum desiderio & fide beatum virum inuisit, primùm quidem, vt ab illo benedictionem acciperet, deindè vt intelligeret, quis post illum pastor esset populum gubernaturus. Benedixit ille quidem Imperatori, sed alterum reticuit, non quòd ignoraret, sed propter quasdam causas, quas, Deo sibi aperiente, ipse nouerat. Quarè cùm ea, quæ res & tempus postulabat, cum Imperatore locutus esset, hilari, lætoque vultu ille discessit. Ego autem à quibusdam Imperatoris familiaribus accepi, ei fuisse à sancto viro prænunciatum, celerem ipsi mortem instare. Idque verum fuisse, euentus docuit. Nam quatuor pòst mensibus è vita decessit Christi amantissimus Imperator. Psal. 148. Nullam sibi patitur fieri medicinam.

Cùm totam igitur hebdomadam ægrotâsset vir ille simplex moribus, & gubernandi scientia multiplex, sapiens oratione, & mēte sapientior, magnus Patriarcha, pro omnibus Deum orans mente firma, vsque ad septimam horam Dominicæ primæ post Pascha, (decebat enim septimam quietis propriam perficere) cumque omnibus benedixisset, vt olim Iacob filijs suis, colligens & ipse nouus Iacob pedes suos, circa nonam aut decimam noctis horam, in Dei manus spiritum suum commendauit: & ex hac vita discedens in senectute bona, ab angelis ad cælestes choros sublatus est. Quod quidem ex duobus miraculis, quæ tunc acciderunt, facilè intelligi potuit. Cùm enim anima eius à corpore seiungeretur, vniuersus populus in Ecclesia clara voce exclamauit; Kyrie, eleison: postquàm chori præfectus lucernæ precationem absoluisset, ac diceret: Miserere nostrî, Domine, miserere nostrî secundùm magnam misericordiam tuam: Domine exaudi & miserere. Conuersus igitur populus fidelis à ministro, magno cum clamore ad Deum remisit pastoris & doctoris animam sanctam, ità gubernatore Deo rem moderante. Quis hoc non admiretur? Quis non item illud, quòd nec eius oculi, nec reliquæ corporis partes vllius opera, vt componerentur, indiguerunt? Quandoquidem & oculi ità decorè sub palpebris conditi sunt, vt dormientibus solent naturaliter. Labra autem aptè conclusa sunt, & manus ante ipsum pectus complicatæ: totum deniquè corpus tam decorum sponte sua situm habitumque retinuit, vt nullius opera aut manus requireretur: mirumque esset, quòd diuina illa anima suum ipsius corpus tam benè composuisset. Gen. 49. Obdormit in Domino. Totum corpus moriētis optimè componit sese.

Sed quid deindè sit consecutum, videamus. Rursùm Basilius alter declaratus est, de quo magnus hæc dicit Gregorius: Cùm iacturam ciuitas sensisset, se vt pupillam derelictam conquesta est: peregrinationem, tanquàm tyrannidem, incusauit: & animam comprehendere, quasi manibus aut precibus retineri posset, concupiuit. Cùm igitur omnia

omnia funeri necessaria parata essent, sanctus ipse sanctorum manibus sublatus gestabatur. Certatim autem singuli vel oram vestimenti, vel sacrum feretrum attingere studebant. Quid enim corpore illo sacratius aut purius? Alius ad eos, à quibus gestabatur, appropinquare: alius adspectu tantùm, tanquàm ex illo quoquè prouenirct vtilitas, frui cupiebat. Plenæ erant plateæ, plenæ porticus: omnes ædium fenestræ, omnia tecta & fastigia & culmina referta erant. Premebant se mutuò, qui præibant, qui sequebantur, qui propè erant, qui aduentabant, innumerabilis hominum, ætatum omnium multitudo, omnes, qui apud Imperatorem in honore erant, inprimisque Præfectus vrbis, qui omnes in viri sancti funere honestando superauit. Interfuisset etiam Imperator, nisi ea cura eum detinuisset, nè aliquis tumultus in populo nasceretur. Omne militum genus interfuit, omnes sacerdotum ordines, monachorū innumerabilis multitudo. Psalmorum cantus cum lamentationibus contendebant. Cedebat perturbationibus philosophia. Nostri cum externis, externi cum nostris contendebant, vtri magìs lugentes plus perciperent consolationis. Illud admirabile fuit atque incredibile, quòd ex tot hominum millibus nemo vllum in periculum incidit, præsertim cùm multæ etiam fœminæ, onus in vtero gestantes, videndi diuini corporis gratia accederēt. Atque, vt aliquem epitaphium adiungam, externis honoribus interior cumulatur. Multorum quidem lachrymas excitauit, sed ea maior gloria fuit, quòd omnium animis defixus inhærebat. Corpus, vix rapientium manibus euitatis, in sanctorum Apostolorum templum illatum est, & in sanctorum Patrum tumulo conditum. Appositus est Patriarchis Patriarcha, Præconibus magnus Præco, Martyribus Martyr, Apostolis, qui per eorum vestigia semper incesserat, vbi sanctorum etiam Apostolorum, Andreæ, Lucæ & Timothei, corpora conquiescunt, ante ipsum altare, ad basim eius, (quem quidem locum sibi ipse viuens elegerat) vt ne post obitum quidem ab altari sancto corpus eius recederet: cùm anima eius altari in cælis assisteret, atque ibì cum sanctis angelis & apostolis pro vniuerso populo preces effunderet. Aequum erat, vt corpus, quod cum illa anima coniunctum fuerat, quod cum illa simul incesserat & certamina pertulerat, in terra nūquàm ab almo altari seiungeretur, sed cum populi sacerdote supplicante, & munera Domino Deo offerente, pro populo suo & ciuitate quodammodò supplicaret. Nam corpora sanctorum, parem cum animis ipsorum vim habent. Preciosa enim in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Et, Protegam ciuitatem hanc, inquit Dominus, propter me & propter Dauid seruum meum. Magnæ nobis consolationi sunt Sancti, qui per fidem expugnauerunt regna, adepti sunt repromissiones, & plùs valent post vitæ commutationem.

Eccè magnifica sancti viri sepultura. *Psal. 115.* *4. Reg. 19.* *Heb. 11.*

Agitè nunc etiam Magni Basilij laudatores, mihi orationis paupertate laboranti opitulamini. Ego plura quidem cupio præterire: sed aliud me post aliud trahit, & tanquàm in corpore, omnibus partibus æquè pulchro, quicquid occurrit, pulchrius videtur, & orationem ad se conuertit. Agitè igitur egregias illius dotes persequimini, vos, qui illarum & laudatores, & testes existitis. Præclarum inter vos certamen suscipite viri simul ac fœminæ, adolescentuli & virgines, senes & iuuenes, sacerdotes & populus, monachi & qui cum alijs viuitis, qui in contemplatione, & qui in actione versamini. Alius assiduum eius in ieiunijs & precibus, tanquàm corporis & materiæ esset expers, studium laudet. Alius in vigilijs & psalmis decantandis constantiam. Alius asperam atque incredibilem in victu duritiem, aut animi demissionem. Alius obliuionem iniuriarum, qua quidem inprimìs excellebat, ex Apostoli præcepto ità dicentis: Sol non occidat super iracundiam vestram. Omnis igitur illius chorus, vos, qui circunstatis, qui suggestum attingitis, qui estis inferiùs, qui ex nostris aut externis adestis, mecum laudationem conficite. Alius alias huius noui Basilij virtutes celebrate. Qui in iudicijs præsidetis, legislatorem laudate. Qui ciuitatem regitis, ciuē. Qui ex populo estis, popularem. Qui eruditione delectamini, magistrum. Virgines, virginem. Coniuges, castum. Qui solitudine gaudetis, amantem solitudinis. Qui frequentia, iudicem. Qui simplicitate, ducem. Qui contemplatione, theologum. Qui in rebus secundis versamini, moderatorem. Qui in aduersis, consolatorem. Senectus, baculum: Iuuentus, disciplinam: Paupertas, largitorem: Opulentia, custodem. Videntur mihi & viduæ defensorem, & pupilli patrem, & inopes pauperum studiosum, & hospites hospitalem, & fratres fratrum amantem, & ægroti medicum cuiusque morbi ac medicinam, & sani sanitatis conseruatorem, & omnes deniquè cum laudibus efferre, qui omnia factus est omnibus, vt

Catalogus virtutum eius & sanctorum exercitiorum. *Ephes. 4.*

omnes aut plurimos lucraretur. Ego quidem sic amborum patrum virtutes laudibus immiscui, vt lautiore apparatu conuiuas eiusmodi epulis gaudentes acciperem. Vobis autem, qui tanto studio iusta magno Eutychio persoluistis, nihil aliud consuluerim, nisi vt ad illum semper respiciatis: atque semper vos eum cernere, & ab ipso vos cerni existimetis. Hæc est laudum ipsius summa. Hic diuini viri virtutum thesaurus.

Vos autem, qui me benignè audiuistis, tuque inprimis diuinum sacrumque caput, meæ orationis paupertati veniam date. Mosaicum illud de agni esu mandatum expendite: quod ità se habet: Decima die mensis primi tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus, quàm vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ. Si ad vnius agni esum multos conuocandos præcepit, quid ad vnius pastoris, & talis pastoris laudationem fieri præcepisset? Ego, sancte pater, cùm tuis laudibus celebrandis par esse non possem, legi obtemperans, non pauperes vicinos, sed æquales tuos ac pares, viros eximios conuocaui, non vt agnum vnum edi conspicerent, sed vt pastorem & peregrinationis socium collaudarent. Aequum est enim, vt homines priuati, & qui argentum non habent, id est, qui orationis diuitijs carent, eant ad aquam viuam, & ex proprijs puteis & fontibus hauriant. Neque enim fas est ad alienos fontes, hoc est, ad externam disciplinam & scientiam proficisci. Quæ igitur, pater sancte, ex tuis rectè factis assequi potui, ea prompto animo sitientibus propinaui. Quæ autem vires meas superabant, ea sapientibus reliqui persequenda: quorum verba, sicut scriptum est, sunt tanquàm stimuli & claui igniti. Da enim sapienti occasionem, & sapientior erit. Innotesce iusto, & adijciet, vt suscipiat te. Et diuus Apostolus: Vestra, inquit, abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum inopia vestræ sit abundantiæ supplementum, vt fiat æqualitas: Et, Quæ desunt Christi afflictiones, eas impleo in carne mea. Et rursùm: Quæ enim mihi deerant, ea venientes fratres impleuerunt. Et vos igitur, viri perfecti, qui viri huius sancti, diuinique patris ac magistri laudatores ac veri filij estis, animi mei studium & propensionem boni consulite: & quod laudationi deest, implete: immò verò totum hoc onus suscipite: vt impleatur id, quod scriptum est: Frater fratris fultus auxilio, ciuitas firma atque munita.

(Exod.12. — Eccle.12. — Prouer.9. — 2.Cor.8. — Coloss.1. — Prouer.18.)

Tu verò beatissime ac sanctissime pater, è cælo nos adspice, & vitæ nostræ cursum ad salutem dirige, vt cùm hinc decesserimus, recipias nos in sinum Abrahæ, & in æterna iustorum tabernacula, vbi puriùs atque perfectiùs, quæ abs te de sancta & eiusdem essentiæ & sempiterna Trinitate didicimus, videamus. Eam, pater, pro nobis famulis tuis, & pro grege tuo, & fidelissimo hoc Christique amantissimo populo deprecare, vt æterna bona consequamur, in Christo Iesu Domino nostro: Cum quo, Deo & Patri gloria & adoratio, simul cum sancto & bono & vitæ largitore Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA S. VVILHELMI ABBATIS ROSCHILDENSIS IN DANIA, AB EIVS QVIDEM DISCIPVLO *conscripta, sed per F. Laurentium Surium aliquot locis in compendium redacta, plerunquè etiam phrasi mutata.*

Aprilis 6.

Dat operã literis.



Beatus Vuilhelmus ex nobili ortus prosapia, venerabili viro Hugoni Abbati S. Germani de Pratis apud Lutetiam Parisiorum, à parentibus traditus est, rectè ac piè instituendus. Acceptus est ab illo perbenignè, siquidem nepos illius erat, curatumque vt liberalibus literis accuratè imbueretur. Et in ipsa quidem adhuc tenera ætate, cùm prima etiamnùm literarum rudimenta poneret, diligenter considerabat, vti monachi intra cœnobium residerent, lectitarent, cantarent, in preces incumberent. Itaque instàr solertis apiculæ ex illorum bonis studijs, tanquàm flosculis quibusdam, mella sibi colligens, in pectoris sui alueario congessit, puerulusque meditari cœpit, quod posteà ætate maturiori exerceret. Porrò in studio literarum, felici

felici ingenio diuina gratia accedente, multos coæuos adeò superauit, vt etiam inter egregios humanioris literaturæ magistros celebris haberetur. Lætabatur Abbas Hugo profectu & probitate nepotis sui, & gratias agebat Deo, curauitque vt subdiaconus ordinaretur, & Præbendam, vt vocant, obtineret Parisijs in ecclesia beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum & S. Genouefæ, vbi tunc Canonici seculares erant. Factus autem Canonicus, quæ sui erant muneris, prudenter exequebatur, memorque eorum, quæ puer in monasterio viderat, sæpè solus sedebat in libro lectitans, & in diuina se lectione exercitans. Ea res molesta erat cæteris Canonicis, quorum erant mores deprauati: & quadam cæcati illi inuidentia, vndè debebant corrigi, indè facti sunt deteriores. Itaque non benè in eum animati, stridebant dentibus, & sermones iactabant virulentos. Timebant enim, nè breui cogerentur etiam ipsi ad meliorem se frugē recipere, & arctioris vitæ legibus frenarentur, aut certè ipsis eiectis, alij in eorum collegium introducerentur, quorum & habitus & vita esset religiosior.

Ingenij felicitas.

Patet quorundam inuidiæ.

Valdè igitur in eam curam & cogitationem incumbebant, quomodò eum possent à suo contubernio excludere. Erat inter illos quidam, qui beato viro præ cæteris familiarior esse videbatur. Is subdolè & fraudulenter cœpit cum illo colloqui, sed dictorum exigere silentium, simulare propositū petendi monasterium, vitam illorum Canonicorum detestari, sed fictè: petere, vt tam sancti propositi ipse se velit sociū prebere. Placuit Vuilhelmo tam pius animus, ait se non defuturum, si ille prior suo exemplo ipsum confirmaret: multa interim & quidem crebra inter se miscent colloquia de contemptu mundi, tandemque statuunt pariter se conferre ad monasterium, quod Charitatis dicitur. Quò cùm venissent, à præfecto monasterij humanissimè recipiuntur, & in hospitio iubentur eis necessaria ministrari. Ibi tum homo versutus, socius Vuilhelmi, hortatur eum ad constantiam, ait sibi restare quædam necessaria expedienda negocia, quibus expeditis, ilicò se spondet rediturum. Tunc demùm sentiens Vuilhelmus hominis fraudem, neque geri hoc negocium è spiritu Dei, sed machinari illum quippiam non syncerè, ait, meritò illum, qui esset ætate maior, priorem etiam debere in suscepto proposito declarare constantiam. Videns autem ille frustrà se niti, longa trahens ab imo pectore suspiria: Differamus ergò, inquit, in aliud tempus: sicque pariter domum reuersi sunt.

Fraudulēta cuiusdā machinatio.

Porrò Abbas Hugo voluit Vuilhelmum etiam Diaconum ordinari. Ibi rursùs accenditur inuidentia æmulorum, timentium nè ad eum prouectus gradum, etiam maiorem obtineat dignitatem. Adeunt igitur Parisiensem antistitem, orant nè eum promoueat, persuadentque fraudulenter circumuento. Cùm enim multis eum nominibus accusâssent, episcopus nimiùm credulus, collationem sacrorum ordinum in aliud tempus reiecit. Non latebat ea improborum hominum versutia Abbatem Hugonem. Itaque cum suis literis misit Vuilhelmum ad Syluanectensem episcopum, qui eum Diaconum ordinauit. Redit indè domum Vuilhelmus, nescientibus alijs Canonicis, quid actum esset: atque sabbato proximo designatur Homiliæ lector futurus, nec potuit ea in re propter illorum importunitatem obtinere aliquem, qui eius muneri vicarius succederet. Id autem illi ea causa faciebant, vt hac re offensus, scandalo pateret, & ipsi contra eum, tanquàm non satisfacientem institutioni Canonicæ, suæ maleuolentiæ exercendæ ansam haberent. Sed nocte Dominicæ diei, cùm septima esset recitanda lectio, ipse ad eam pronunciandam accessit. Erat tum Euangelium de dæmonio muto, à Christo eiecto. Cùm autem dixisset, Iube domine benedicere: illi magno stupore attoniti, nihil responderunt loco benedictionis, immò verò omnes è templo abiêrunt, solo Vuilhelmo relicto & magistro Alberico, viro bono & iusto, qui illorum conatibus non fuerat assensus. Manè rursùs illis in vnum conuenientibus, & de ijs, quæ nocte designârant, inter se conferentibus, superuenit etiam magister Albericus, atque ità loqui exorsus est: Id quidē pro certo affirmare possumus, hac nocte vidisse nos mirabilia. Mirum illud sanè fuit, quòd Christus dæmonium mutum eiecit, & homini linguæ officium restituit: sed hoc multo mirabilius ego puto, quòd D. Vuilhelmo illud Euangelium pronunciante, eiecti sunt confratres eius ex ecclesia, eoque loquente, illi obmutuerunt, & tanquàm alieni ab eo recesserunt. Hæc cùm ille dixisset, apud auditores ignominiæ notam reportârunt æmuli illi: porrò B. Vuilhelmus iugi meditatione scripturarū sese confirmans, in omnibus prudenter se gerebat, diuinoq; protectus adiutorio & patientiæ clypeo munitus, aduersarios suos, de sua malitia

Aemuli eius permouent Episcopum, ne illum ordinet.

Fit Diaconus.

Luc. 11.

Pudefiunt æmuli.

nihil remittentes, facilè superauit, atque etiã honoribus creuit, auctus cuiusdam Præpositurae dignitate.

Eugenius 3. Rom. Pontifex venit Lutetiam.

Accidit deindè, vt Eugenius Pontifex sese in Gallias conferret: cumque Lutetiæ appropinquaret, Ludouicus rex & Parisiensis episcopus cum multa cleri populique frequentia ei obuiàm procedentes, illum honorificè exceperunt, atque ad beatissimæ Mariæ virginis ecclesiam cum ingenti gaudio deduxerunt. Paucis indè elapsis diebus, voluit idem Pontifex in ecclesia B. Genouefæ mysteria Diuina peragere, quia Apostolica dicebatur. Vbì eò ventum est, orta est contentio inter summi Pontificis & huius ecclesiæ Canonicorũ ministros, adeò vt ad pugnos res processerit, & non solùm Pontificis ministri, sed etiam ipse rex Ludouicus, qui illos compescere voluit, à canonicorum illorum famulis verberatus sit. Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum Ludouico rege tractauit de improborum hominum insolentia dignè castiganda. Visum est autem, in eorum locum alios subrogare, homines religiosos, nempe monachos illos, quos nigros vocant: neque tamen Canonicos illos per vim suis Præbendis siue sacerdotijs priuare volebant, (erant enim inter eos non pauci nobiles & literati) sed permittere, vt illis, quoàd viuerent, fruerentur. Verùm vbì isthuc Pontificis & regis propositum ad aures Abbatis S. Victoris perlatum est, Pontifici & regi valdè supplices preces ille obtulit, vt Ordinis S. Augustini professores in eam ecclesiam introducerentur, multisque ostendit rationibus, contumaces illos faciliùs ad horum vitam regularem, quàm ad monachorum habitum & consuetudinem, traductum iri. Pontifex & rex his auditis, cùm iam exploratam haberent bonam famam illius Abbatis & fratrum eius, eorumque institutum præ multis alijs prædicari non nescirent, domum quoquè S. Victoris suauem eximiæ charitatis de se odorem spargere, Abbatis precibus assensêre: atque die sequenti electus est in Abbatem Odo Prior, homo sanctæ conuersationis, atque totius religionis amator indefatigabilis: adiunctique sunt ei duodecim Canonici, viri probi ac bonæ existimationis, qui in Ecclesia S. Genouefæ cõmorarentur: atque ex eo tempore vsq; in præsens isthuc Canonicorum S. Augustini institutum ea in ecclesia conseruatur, ex priuilegio Pontificis Eugenij & regis Christianissimi Ludouici.

Abbas constituitur in ecclesia S. Genouefæ.

Cùm hæc ità gererentur, Vuilhelmus ad suam Præposituram secesserat, de rebus domûs suæ cum amicis pertractans. Sedenti autem ad mensam diuersis ferculis instructam, quidam deimprouisò adueniens, ità locutus est: Dominus Odo, Abbas ad S. Genouefam, has ad te literas iussit perferri. Ille audito nomine Abbatis, valdè admirans, ait: Quis est hic Abbas? quandò verò Abbas aliquis fuit ad S. Genouefam? Respondit nuncius: Odo Prior S. Victoris hesterno die institutus est Abbas ad S. Genouefam à summo Pontifice & rege Ludouico. Tũ Vuilhelmus, Somniare'ne mihi videor, inquit, an res veras tu mihi narras? Vera equidem refero, ait nuncius. Resignatis mox literis, didicit ab Abbate Odone mandari, vt quamprimùm ad suam ecclesiam accedat. Surgit igitur posthabito conuiuio, cunctisque valedicens, ait: Ibo visum, quæ sit hæc mutatio dexteræ excelsi. Postquàm ad S. Genouefæ collegium venit, vidit ibì homines religioso habitu indutos, nec dubitauit vera se ex nuncio audiuisse. Interìm admirabatur plurimùm, qua de causa tam repentina facta esset mutatio. Nunciatur autem Abbati aduenisse dominum Vuilhelmum: moxque illi Abbas hilariter occurrit & amanter eum amplectitur: deindè omnia, quæ gesta fuerant, illi ordine exponit, cœpitque eum adhortari ad contemptum mundi, proponere multa è scripturis diuinis, quæ possent acres illi stimulos admouere, de mundi vanitate, de fallaci amicitia huius seculi, aliaque id genus non pauca: quibus absolutis, appræhensa manu eius, duxit illum ad vitream fenestram, in qua picta erat effigies crucifixi Saluatoris: atque ibì repetitis sermonibus, animum eius inflammare voluit, vt cuperet ipse quoquè crucifixum Dominum suum ferenda cruce sua imitari. Eccè autem adest gratia spiritûs sancti, tantaque lachrymarum vis ab oculis Vuilhelmi prorumpit, vt vix sermonẽ proferre posset. Ait autem ad Abbatem: Vtinàm scire possem, quòd me non dedignetur habere seruum Dominus meus Iesus Christus, & superioris ætatis iniquitatibus & erratis veniam dare. Cui Abbas: Ego, inquit, pro illo fideiussorem me offero, si dictis meis parere volueris, fore, vt non modò remittat errata tua, sed etiam post hanc vitam cum sanctis suis immensa te donet beatitudine. Tum verò repentè ad eius pedes collapsus Vuilhelmus, se & sua tum Deo, tum illi commendauit, sicque de mundi

S. Vuilhelmus ab Abbate Odone accersitur.

mundi huius naufragio nudus euasit. Lætatur verò Christi familia de tam præclari iuuenis conuersione, tum etiam de oblato ipsis diuinitùs, & quidem præter spem, auxilio tam opportuno. O quàm magnificata sunt opera tua bone IESV. Ad vnius fidelis serui tui admonitionē relinquit Vuilhelmus noster prædia, possessiones, domos, familiam, opes & honorem, atque vltra hæc omnia, quod est omnium præstantissimū, etiam semetipsum. S. Vuilhelmus fit Canonicus Regularis.

Accepto deindè habitu regulari, Vuilhelmus illorum duodecim fratrum collegio accessit, atque vnà cum habitùs mutatione, ipse quoquè in virum alterū mutatus est, iamque ibat de virtute in virtutem, charitate feruens, humilitate præcipuus, patientia fortis, obedientia tractabilis, & ad virtutum cæterarum studia promptus. Vacabat instanter lectioni, orationi, diuinæ contemplationi, vigilijs & ieiunijs, vt corpus in seruitutē redigeret: & qui anteà sericis nitebat vestibus, iam in habitu abiecto pauper pauperibus inseruit: oblitusque diuitiarum vitæ superioris, instàr aliorum vescitur pane furfureo & herbis agrestibus. Neque id mirū debet lectori videri. Non enim habebant tum nisì duas, vt vocant, Præbendas, quibus initio & ipsos fratres & familiam oportebat esse contentā, donèc alijs Canonicis paulatìm è vita abeuntibus, reditus eorum augerentur. Et quidem fortis athleta Christi Vuilhelmus, in proposito firmus, religionis & instituti sui tam erat æmulator vehemens, vt cùm iam Supprioris, vt vocant, officio fungeretur, nulla fineret sacræ religionis instituta violari. Intereà apparuit illi nocte quiescenti Dominus IESVS sub forma speciosissimi adolescentis, vocansque eum proprio nomine, Noueris, inquit, Vuilhelme, te ad quandam insulam mecum profecturū, multasque illic tentationes & molestias perpessurū: sed ijs mea ope superatis, ad me venies in cælestem paradisum. Eam visionē non priùs intellexit, quàm esset in Daniæ insulam * Selandiam, vbì modò quiescit, accitus. Præteriere inde anni non multi, & Abbate Odone è vita decedente, Garinus, eius monasterij Prior, Abbas creatur: erat enim vir doctus & probus, & in rebus agendis prouidus ac circunspectus. Ille modis omnibus Priorem volebat instituere quendam è fratribus, nec alij fratres abhorrebant. At ille iam eligendus, reclamabat, dicens in regali Abbatia meritò per regem debere constitui Officiales: sic enim vocant eos, qui eiusmodi functionibus præditi sunt. Ea res malè habuit fratres, dixeruntque illi: Si vis ex nostri instituti præscripto Prioratum suscipere, nos non refragabimur: sin autem transgredi vis terminos, quos posuerunt patres nostri, nunquam eo pertinges. Ille in sententia mansit pertinax, estque in regis palatio ab ipso rege, Ordinis constitutiones ignorante, factus Prior. Cum autem vellet pulsata campana conuocare fratres ad mensam, valdè id molestè tulère fratres, nec ferre potuit eam insolentiam vir Dei Vuilhelmus, sed zelo Ordinis & iustitiæ accensus, illum à campana pulsanda remouit, Suppriorem que adhibuit. Eo nomine accusatus apud Abbatem, tanquàm qui manum violentam iniecisset in Priorem, publicam iussus est agere pœnitentiam: nec id facere recusauit, licèt palàm testaretur, se nulla eum affecisse iniuria, atque ab officio Prioris non Priorē abegisse, sed instituti præuaricatorem. Displicuit autem fratribus ea Abbatis in Vuilhelmum prolata sententia, remque totā summo Pontifici, qui apud Senones tunc erat, indicârunt. Pontifex verò tum instituti præuaricatione, tum Vuilhelmi iniusta damnatione non leuiter commotus, Abbati S. Genouefæ mandauit, vt citra moram vnà cùm Vuilhelmo ad ipsum accederet. Paruit ille, veniensque ad Pontificem, temeritatis & immoderationis arguitur: porrò Vuilhelmus ab eius sententia absoluitur: mandatque Pontifex seuerissimè, nè deincèps Officiales contra Ordinis instituta eligantur.

Virtutes S. Vuilhelmi.

Visio eius.

Dicitur etiã Sialandia.

S. Vuilhelmus à mol[illegible] [illegible] declaratus

Ortus est posteà rumor in vulgo, ablatum esse caput S. Genouefæ è loco suo. Perfertur etiam vsque ad aures Ludouici regis, qui valdè indignatus, iurauit, si res ità foret, se Canonicos eius Ecclesiæ omnes indè expulsurum. Adhibentur autem custodes reliquijs Ecclesiæ illius, mittitque rex literas ad Archiepiscopum Senonensem eiusque suffraganeos episcopos, Abbates quoque & Priores eius diœcesis, vt ad certum diem omnes adsint Parisijs, rei huius veritatem exploraturi. Vbì ad fratres ecclesiæ S. Genouefæ regis minæ peruenêre, non immeritò animis consternati sunt: sed longè tamen dolebant magis tam precioso sacrarum reliquiarum thesauro se, vt verebantur, orbatos esse. Ante omnes dolebat hoc nomine Vuilhelmus, qui reliquias omnes & thesaurum ecclesiæ asseruanda iampridèm receperat. Iam aderat præstitutus dies, aduenit

Eccè quantus zelus erga sacras reliquias.

aduenit rex cum suis, aduenerunt Pontifices & Abbates, aduenit etiam populi multitudo non exigua, exitum rei nôsse percupiens. Designantur, qui cum Episcopis asscendant ad eum locum, vbì S. Genouefæ reliquiæ seruabātur. Voluit autem cum eis pariter asscendere Vuilhelmus, tanquàm sacri custos thesauri, sed nō permittitur. Arripuit tum ille, haud scio an candelabrum vel thuribulū, secum ità dicens: Si non licet aliter, saltem vt minister asscendam. Aperitur deindè theca, & eccè caput sanctæ virginis, quæ est Galliarum decus & ornamentum, cum cæteris eius artubus reperitur. Non potuit tunc animi sui lætitiam intra se cohibere Vuilhelmus, sed non habita ratione tot longè maiori dignitate præstantium virorum, fidenter cantat, Te Deum laudamus: eius vocem excipit tota illa hominum frequentia, & ad finem vsque illud canticum depromit. Eo absoluto, Archiepiscopus Orationem de S. Genouefa subiungit: qua dicta, Aurelianensis episcopus furibundus in has prorupit voces: Quis est petulans ille, qui præter Archiepiscopi & aliorum antistitum authoritatem, propter vetulæ cuiusdam caput, hîc fraudulenter ab istis impositum, ausus est inchoare, Te Deum laudamus? Respondit autem illi Vuilhelmus: Si nôsse vis, quis ego sim, non abnego esse me famulum S. Genouefæ. Nec me temeritas impulit, sed syncera erga sanctam virginem dilectio. Caput autē, quod vidistis, non dubito vetulæ fuisse, sed virginitatem integram perpetuò retinentis. Septuaginta enim & eo ampliùs annis virgo permansit incorrupta S. Genouefa, donèc spiritum cælo, corpus terræ redderet. Sed nè qua sit de hoc capite ambiguitas, iubeatis clibanum vehementer accendi, & ego ad sanctissimæ virginis huius merita declaranda, cum eodē capite in illum intrepidus ingrediar. Tum episcopus ille deridens beatum virum, Tu'ne, inquit, in ardentem clibanum cum hoc capite intrabis, cum quo ego nollem in cupam aqua calida plenam ingredi? At verò Archiepiscopus vltrà non ferens illius episcopi dicacitatem, silentium ei indixit: porrò religiosi viri fidem & erga sanctam virginem deuotionem approbauit. Sed non impunè abijt stultiloquium, ore polluto prolatum. Nam posteà ille multis obstrictus facinoribus, à sua sede eiectus, vitam indignam digna morte miserabiliter finiuit.

Calumnia cuiusdam antistitis.

Vltio diuina in antistitem.

Anno à nato Saluatore 1161. regnum Daniæ obtinuit Vualdemarus, Canuti regis & martyris filius, vir sapiens & strenuus, qui Vuandalos à regni sui finibus propulsauit: nam sæpè infestos illos patiebatur, vtriusque sexûs homines & prædā multam secum abducentes. Tandèm verò etiam Christianæ religioni eos coëgit colla submittere. Per id tempus Roschildensi Ecclesiæ cum multa laude præsidebat Absalon episcopus, vir magni consilij, cleri decus, mœrentium & afflictorum consolator, religiosorum pius amator, totius populi rector modestus, aduenarum & pauperum benignus sustentator, Vuandalorum strenuus debellator, religionis Christianæ ornamentum, exemplar sobrietatis, forma pudicitiæ, veræ nobilitatis & probitatis insigne speculum, lucerna fulgens in templo Dei, eiusque columna fortis & immobilis. In eius diœcesi erat cœnobium Canonicorum, in insula, quam Eschyl vocant, non longè distante ab oppido Roschildensi, mari vndiquè cincta. Et ipse quidem locus peramœnus erat, pratis virentibus & diuersis nemorū arboribus oblectans oculos animosque illic degentium: at tamen id temporis pauci illic morabantur fratres, & ij ipsi frustrà Regulares dicti, cùm à regulari disciplina multùm deflexissent. Cernens autem venerabilis episcopus Absalon illorum mores ab omni religione prorsùs abhorrere, mœrebat animo, ferebatque indignè diabolica fraude deceptos, vitā prorsùs mundanam viuere.

Absalonis episcopi Roschildensis virtutes.

Cœpit itaque crebrò secum pertractare, qua ratione posset illi ecclesiæ consulere, atque illic degentium mores in melius reformare. Redit tandèm in memoriam familiaritatis & amicitiæ, quæ illi olìm intercesserat cum Vuilhelmo viro religioso, cùm Parisijs literis operam daret: sciensque illum virtutibus & sanctis moribus ornatum, deliberauit illi ad se accito tradere locum memoratum. Mittit itaque in Gallias Saxonem Præpositum Roschildensem,* virum honestum, qui ab S. Genouefæ collegio petat dominum Vuilhelmum cum alijs tribus fratribus mitti in Daniam, quibus etiam locum opportunum se episcopus daturum pollicebatur. Abbas verò ecclesiæ S. Genouefæ, animaduertens tanti præsulis æquas & bonas esse preces, de fratrum suorum consensu ablegauit Vuilhelmum cum tribus alijs in Daniam, deducente eos Saxone Præposito. Et ij quidem cursu prospero post assumptionem beatissimæ Mariæ matris

*Is est Saxo Grammaticus, insignis Danorũ historiographus.

matris Dei peruenêre in Selandiam, & triduo post Ringstaditum, quod B. Canuti martyris meritis illustratur. Ibi verò tum præsens aderat Vualdumarus rex & Absalon episcopus, qui illorum aduentu lætati, eos amplexi sunt, promiseruntque se eos fouturos haud aliter atquè filios, dilecturos vt fratres, & tanquàm amicis consulturos. Post triduum indè profecti sunt Roschildiam, adiunctis eis quibusdam ex episcopi familia, qui illorum curam gererent, quemadmodùm habet gentis illius consuetudo laudabilis. Danorum hospitalitas.

Paucis in vrbe diebus exactis, ad insulam Eschylli appulerunt. Erant autem sex illic solo nomine Canonici, qui illorum aduentu non mediocriter turbati, quòd vererentur deprauatos suos mores propediem castigatum iri, communicato inter se consilio, statuerunt adire episcopum, eique tanquàm nescienti quid accidisset, indicare. Venitur indè ad episcopum, ille dissimulat, nè ecclesiæ res ipso absente magis magisque dilapidarentur: præfigit verò illis certum diem, ad quem sit præsens futurus, & de fratrum illorum peregrinorum aduentu perquisiturus. Altero deindè post S. Bartholomæi ferias die aduenit, & collato cum eis sermone de pastore constituendo, Vuilhelmus Abbas creatur, & in Abbatis sede collocatur, tametsi anteà non Abbatem, sed Præpositum atque Priorem illic habuissent. Eodem die duo ex illis Canonicis copiam discedendi & petiêrunt & impetrârunt, nè tumultus illo in loco ciêrent: quatuor remanserunt ætate exacta, iam inutiles ferè ad omnia. in ijs fuit Prior, vir bonus & iustus, qui se Vuilhelmo & eius socijs adiunxit, vitamque priorem piè transactam, meliori fine conclusit. Posteà autem, rogante domino Vuilhelmo Abbate, voluit episcopus Absalon scire domùs illius facultates & annonam. Ferè autem nihil inuentum est, omnibus absumptis. Ea res Episcopo & admirationi & pudori fuit: at nihilo minùs iussit Abbatem & fratres bono esse animo, & tum quidem denariorum libras quinque eis dedit, quibus alimenta coëmerent, impensas necessarias promittens in posterum. Vuilhelmus creatur Abbas.

Intereà labuntur aliquot dies, & peregrini fratres tantam penuriam tum etiam frigoris nimiam acerbitatem non satis commodè ferentes, ab Episcopo redeundi in Gallias petunt facultatem. Etsi autem id non mediocriter Episcopi animũ commoueret, at tamen noluit cuiquam vim inferre, passùsque est illos discedere. Illis abeuntibus, Abbas Vuilhelmus absterritus eius regionis moribus & ignoto gentis idiomate, itidem ab Episcopo ad suos se recipiendi veniã poposcit, asserens vires suas imposito oneri longè impares esse. Tum verò Episcopi & vultus & animus concidit: sed tandèm ità ferè locutus est: Valdè quidem optauimus aduentum ad nos vestrum, vt huic ecclesiæ consuleretur: sed vt videmus, prosperis eius successibus inuidet vetus ille inimicus, veritus nè ab antiqua possessione sua excludatur. Si tamen benignissimus Deus animum hunc tibi adspirare dignetur, magno pietatis affectu rogatum te velim, nè susceptum semel munus & prouinciam deseras. Non frangat animum tuum, quòd solus videris tantum moliri opus: quia non humanis viribus, sed cælesti gratia nitendum est. His & id genus alijs optimi Episcopi sermonibus confirmatus Abbas, mutata sententia, decreuit illic permanere, reique euentum sustinere. Eodem autem anno fames ingens regionẽ illam occupauit, mortuisque pecoribus propè vniuersis, fratres, qui reliqui erant, neque butyrum, neque caseos, sed nec panes habere potuerunt. Illi autem culpam omnem in Abbatem Vuilhelmum conferentes, dicebant per calumniam: Proh dolor, cur huc ad nos accessit homo pannosus, vilis homuncio, nihil ferè neque manducans, neque bibens, sed præstantiores quasque domùs huius res auro argentoque permutans, eoque in suos recondito loculos, nos inedia confici sinens. Sparsus est indè hic falsus rumor, multorumque aures occupauit, & apud maleuolos veritas obscurata est. At vir Dei hisce calumnijs nihil motus, æquo eas ferebat animo, factus tanquàm homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Eius socij redeunt in Gallias. Absalon confirmat Vuilhelmum abire volentem.

Quadam nocte fratribus dormientibus malignus satan lucernam dormitorij euertit, eamque iuxta lectum Abbatis, vbi multa erat straminum congeries, deposuit, Abbatem exusturus. Sed non neglexit famulum suum Christus: & stramina quidem in circuitu lecti eius ardebant, asserque ijs suppositus adurebatur, sed lectũ Abbatis ignis prorsùs non attigit. Eius rei fama ad Episcopum perlata, post dies paucos ille ad locum peruenit, comperitque vera se audijsse. Alio tempore, Vuilhelmo Abbate cum Dæmonis malignitas in virum sanctum.

Thru-

Thrumone sacerdote, viro docto & prudente, in pago, quem vulgò Torstantop appellant, nocte quiescente, antiquus hostis fremens in sanctum virum, sumpta effigie decrepiti eiusdemque turpissimi monachi, ad eius lectum accessit, signoque salutaris crucis munitum, conabatur spurca inflammare libidine. At ille, licèt oculis dormiens, mente vigil erat, dixitque dæmoni: Abi hinc omniū spurcissime: in me, propitio Christo, tuæ machinæ nihil obtinebunt. Ille his auditis, acriùs sæuit, accedensque propiùs, in os Abbatis putentem nebulam ingerit, peccataque iam olim per confessionem & lachrymarum largos imbres expiata, illi procaciter improperat. Tum ille, sublato pede, valido impulsu dæmonem à se reiecit. Dæmon se dolens elisum, instàr sæuissimi leonis ad Thrumonis lectum accessit, in eiusque vigilantis latus ictum grauissimum impegit, ità vt is putaret aliquot costas sibi comminutas. Manè laudibus Deo persolutis, Abbas & Thrumo in hypocaustum abeunt: cumque illic pariter consedissent, Thrumo ait: Seruet & adiuuet te Deus domine Abba. Ille respondit, Amen. Eundē autem sermonem Thrumonę bis terque repetente, Abbas, quid id sibi vellet, inquisiuit. Tum ille, Scio, inquit, multas te tentationes perpessum, pluresque perpessurum: sed ex his omnibus liberet te Deus. Vidi quàm hac nocte infestus tibi fuerit satan: sed cùm tu illum cum ignominia abegisses, in me furibundus incurrit, adeoque cæcidit latus meū, vt verear aliquam è costis confractā. Itaque sentio improbo illi fortiter tibi obluctandum esse, nè ex te victoriam reportet.

Item alia.

Verùm cùm sentiret hostis tartareus machinationes suas aduersùs Christi seruum frustrà adhiberi, conatus est per suos efficere administros, quod per se non potuit. Itaque instigauit quosdam, qui eum varijs afficerent contumelijs & multis iniurijs irritarent, atque ità cum dedecore cogerent in Gallias remeare. Sed ille fundatus supra firmam Petram, verbis eorum nihil perturbatus est, sæpè illud Apostolicum versans in pectore: Tribulatio patientiam operatur; patientia probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit. Cùm igitur filij degeneres in his processum non haberent, de molienda ei nece tractare cœperunt: iam sacco inclusum in mare demergere, modò cultellis confodere, aliâs Vuandalis eum vendere, crebrò verò etiam securibus in eius cerebrum impactis eum perdere cogitabant. Sed præpotens Deus, cuius prouidentia in suî dispositione non fallitur, dissipauit consilia eorum, & fideli seruo suo fecit etiam cum tentatione prouentum. Cur autem in eum tam malè animati essent, ea causa fuit, quòd instituta Ordinis volebat exactè obseruari, nec patiebatur eos per abrupta vitiorum ire præcipites. Erat enim sanctæ religionis cultor indefessus, Ordinis sui sacræque institutionis conseruator admirabilis, vitiorum rigidus profligator, virtutis amator egregius, honestatis & sanctimoniæ totius diligens inuestigator & doctor: in castigando seuerus, in corrigendo sedulus, in exhortando suauis & placidus, in reddenda ratione modestus, in sermone verax, in iudicio iustus, in rebus eius fidei commissis integer & fidelis. Consolabatur ægros, pauperes & peregrinos benignissimè curabat, insistebat vigilijs, ieiunijs, crebris precibus, curam sui gregis gerebat perpetuam, assiduis precibus eum Domino cōmendans. Fratribus noctù quiescentibus, preces nocturnas ipse anteuertebat, multisque gemitibus pro illorum salute Christi clementiam implorabat. In sermonibus, quibus fratres solebat ad pietatis studia incitare, facilè soluebatur in lachrymas, adeò vt sæpenumerò auditores ad cordis cōpunctionem & pœnitentiam permouerentur. Zelo autem Ordinis siue instituti sui inflammatus, interdùm superbis & tumidis rigidū se præbebat, transgressoribusque mulctam irrogabat. Nouerat enim pro ijs omnibus se Deo rationem exactam redditurum, qui eius vel exemplo vel silentio à recto itinere ad deuios vitiorū calles aberrarent. Si qui verò fuissent mente præfracta, & ad petendam pro suis culpis veniam obstinata, vt illos suo exemplo emolliret, ab eis veniam petebat, licèt id pro sui muneris dignitate minimè deberet.

Multis calumnijs & iniurijs infestatur.

Rom. 5.

Catalogus virtutū eius

In persecutionibus, quæ ei tum à discipulis, tum ab alijs inferebantur, constans erat & patiens, omnesque sua tolerantia vincebat. Clemens inprimìs & misericors fuit in peccantes in ipsum & deindè veniam petentes, eosque hilariter & comiter excipiens, pro illorum erratis fleuit largiter, & pro resipiscentia Domino gratias vberes egit. Charitatis fuit sectator indefatigabilis, obtrectationum & inuidiæ hostis capitalis. Verba inania & indecora siue ab honestate aliena minimè proferebat, risum ineptum respuebat, neque ab alijs eiusmodi verba audire sustinuit. Sermo eius omnis erat de pace, de concordia, de humilitate, de mansuetudine, de honore quoquè, quem sibi mutuò

tuò fratres impendere deberent, ſicut dicit Apoſtolus, honore inuicèm præuenientes. Rom.12.
Lectioni aſſiduus vacabat, præcipuaque in Deum & res diuinas deuotione ferebatur, nec vnquàm ſine magna neceſſitate à nocturnis diurniſque precibus in eccleſia perſoluendis voluit abeſſe. Circa deuotionem in templo pſallentium & ſacri altaris miniſterium ſedula animi cogitatione verſabatur, & quos erga hæc maiori feruore & pietate præditos nouerat, eos tenerrimè diligebat. Cilicio ad mortem vſque carnem macerauit. Menſa frugali vſus eſt, nec tam ſui corporis refectionem, cùm eſſet miræ abſtinentiæ, quàm pauperum & infirmorum, quos paterno fouebat affectu, refocillationem ſpectauit. In lectulo ſuo nihil præter laneum pannum (Author laneotum vocat) ſtraminibus impoſitum, aut, ſi eſſet acre gelu, pelles vrſorum habebat, niſi morbi grauis moleſtia eum mollioribus rebus vti compuliſſet. Sicut autem modico erat victu contentus, ità etiam corporis indumentis. Monaſterium ſancti Thomæ Apoſtoli in loco, qui Paracletus vocatur, primus ipſe conſtruxit, inſtitutumque S. Auguſtini eius habitatores ſectari voluit, accedente etiam priuilegio Pontificis maximi Alexandri.

Eius menſa. Lectus. Veſtes. Monaſteriū conſtruit. Miracula.

Multis verò miraculis ſeruum ſuum Chriſtus cohoneſtauit & fecit admirabilem. Quidam dyſenteria vexatus in pago, qui ab incolis Medellis dicitur, in viſu audiuit, vt de cibo Abbatis Vuilhelmi ederet, nec ſe dubitaret ab illo morbo liberatum iri. Credidit homo, miſit qui Abbatis cibos adferret, comedit, ſeque ſenſit ſanitati reſtitutum.

Eſt pagus monaſterio illi vicinus, Naduuet vocabulo. In eo puella tanto cruciabatur dolore morbi cuiuſdam, vt per triduum quaſi exanimis iacere videretur, niſi quòd calor vitalis in eius mēbris ſentiebatur. Adſtabant cognati, & haud ſecùs atquè mortuam lugebant. Mater puellæ Brigida, quæ iam aliquot dies & noctes apud eam peruigil manſerat, die quarto leuiter obdormit, videt in ſomnis adſtantem matronam niueo habitu indutam, ipſique dicentem: Multùm affligeris incommodis filiæ tuæ: ſed ſi iuſſeris ei afferri reliquias ciborum Abbatis Vuilhelmi de Paracleto, videbis breuì incolumem. His dictis, illa diſparet, mulier euigilat, refert viſa & audita omnia ijs, qui aderant: illi monent obtemperandum, quandoquidem ille Abbas à multis pro ſancto haberetur. Abit mulier properè, indicat fratribus quibuſdam eius monaſterij viſionem, illi narrant Abbati: Abbas, vt erga afflictos ſemper erat pietatis viſceribus affluens, piſciculos & ſorbitiunculam ſibi præparatam iubet tradi mulieri: illa hilariter accipit, feſtina redit domum, ſorbitiunculam in os filiæ infundit, cumque tertiò id faceret, reuixit puella & attraxit ſpiritum, atque poſt paululum reſedit, quæ iam inter mortuos computabatur: accedentibuſque ad eam amicis, ait: Confido in Domino, me precibus & meritis Vuilhelmi Abbatis reualuiſſe. Et hæc quidem nos habemus ab ijs, qui præſentes interfuêre, & ſcimus veraces illos eſſe.

Penè exanimis puella ſanatur.

Monachus quidam Ciſtertienſis Ordinis, Haquinus nomine, incola monaſterij, quod Eſrom vocant, multis annis ex pectoris obſtructione & anguſtia, tanta laborauit raucedine, vt vix etiam ab adſtantibus poſſet internoſci quid diceret. Multa quidem illi malo remedia adhibuerat, multas medicorum potiones hauſerat, ſed fruſtrà. Incidit tandèm illius animo, vt Abbatem Vuilhelmum adiret. Non cunctatur ille, venit ad virum Dei, rauco murmure explicat pectoris vitiū, precatur obnixè, velit manu ſua contingere guttur languidum. Ille exprimens ſignum Crucis, tangit guttur & ait: Sanet te filius Dei: monachus verò ſentit cæleſte remedium. Nam ſenſim dilatata arteria anheli pectoris, organum vocis magìs magiſque reformatur. Profectus quandoquè Romam fuerat vir Dei, cumque rediret, inter Alpiū rupes equus famuli eius adeò attriuit pedem, vt ingredi non poſſet. Doluit id ſummoperè viro ſancto: Itaque rogat Deum, vt ob merita ſanctorum, quorum ſacras reliquias ſecum detulerat, equum ſanet. Deindè tangit equi pedem, & ille redditur expeditus ad iter.

Incidit quodam tempore vir ſanctus in morbum grauem, qui ei quoquè viuendi ſpem auferret: Nocte autem Dominicæ diei, morbo acriùs ſæuiente, B. Genoueſam virginem, quam impensè amabat, ſedulò rogauit, vt apud Dominum pro ipſo intercederet. Deindè ſomno correptus, videt ſanctam virginem ad lectuli ſui pedes adſtantem, facieque iucunda & blando ſermone ità ipſum conſolantem: Noli timere, quoniam bonum Dominū habemus. Ille eam agnoſcens, gratias egit, quòd ad ipſum venire dignata eſſet, rogauitque quiſnam ille eſſet Dominus. Reſpondit S. Genoueſa: Ieſus filius Dei. Ille audito hoc mellitiſſimo nomine, valdè exhilaratur, atque poſt paululum euigilans, ſentit ſe incolumem. Multa alia per ſeruum ſuum Chriſtus fecit mira-

S. Genoueſa liberat eū à graui morbo.

cula: sed tempus est, vt ad felicem eius describendum obitum quandoquè nos conferamus.

Visio eius.

Ante annos septem, priusquàm migraret à vita, nocte quadam in visione adstitit ei vir quidam eleganti vultu, veneranda canitie, dixitque illi: Septē dies viues. Illo disparente, vir sanctus mansit solicitus, nesciens quînam accipienda essent, quæ audierat. Iam septem dies exegerat sospes: itaque putat septem hebdomadas, aut menses septē, aut certè totidem annos significari. Castigans igitur corpus suum, licèt etiam anteà Dominum tota mentis intentione dilexisset, illiusque mandatis accuratè paruisset, ab eo tamen tempore vsque ad supremum vitæ suæ diem, adeò carnem suam crucifixit cum vitijs & concupiscentijs, vt anteacta vita, huius extremæ comparatione, delicata videri posset. Nemo eum tunc sine lachrymis orantem vidit: & cùm Missæ sacrificium offerret, ità inflammabatur, àc si Dominum in carne præsentem pati & excruciari cerneret. Longum est hîc referre, quibus sese vigilijs, ieiunijs, precibus afflixerit, & Domino holocaustum præparârit. Atque vt hinc probatior & purgatior exiret, immisit Dominus in totum corpus eius vlcera, quæ ille patienter tolerauit. Iam septimus voluebatur annus, & sacrum agebatur Quadragesimæ tempus, à cunctis fidelibus sancta deuotione obseruandum: eratque vir Domini sedulò occupatus commemorandis nouissimis suis, & quotidiè cum summa cordis contritione & lachrymarum profusione atque multa cum reuerentia sacrificiū Missæ Domino offerebat, & corporis & sanguinis eius sacrosancta communione sese præmuniebat. Ea autem die, quæ Cœnam Domini proximè antecedit, cùm esset in cubiculo cum quibusdam fratribus, conquestus est Prior se illam noctem habuisse longè omnium molestissimam: ille contrà affirmabat, se nunquàm potitum esse nocte lætiori atque iucundiori. Vidi enim, inquit, Dominum Iesum: cui duo alij aderant, & ego tertius accessi, & ineffabili sum delectatione affectus. Respondit Prior: Forsitan, pater sancte, Dominus Iesus te accitum venit ad regnum suum, sicut pollicitus est, priusquàm in hoc regnum te conferres. Tum Abbas suspirans & fletibus ora perfundens, Fiat mihi, inquit, secundùm verbū tuum.

Quadragesimę tempus.

Vidit Christum.

Postero die, qui erat Cœnæ Dominicæ, ad sacram aram sacrificaturus accessit, & omnibus fratribus Eucharistiam suis manibus porrexit. Peracto sacrificio, cùm circa pauperes suscipiendos mandatum Domini implêsset, vltimam cum fratribus cœnam facturus ingreditur. Quis hîc verbis possit dignè exprimere, in ea cœna quàm serenum & iucundū omnibus vultum exhibuerit? Qui tum interfuêre, videre sibi visi sunt quædam futuræ beatitudinis in eius vultu haud obscura indicia: tanta in illo præter solitū lætitia relucebat. Neque id mirum, quandò totum eius pectus iam spiritus sanctus sua præsentia compleuerat, in eoque suauiter quiescebat, spesque certa propedièm adfuturæ felicitatis & gloriæ ineffabile eius cordi gaudium adferebat. Iam ante annos duodecim cuidam ex eius discipulis, Gerardo viro religioso Dominus eius futuram gloriam reuelauerat. Cùm enim ille suo in lecto quiesceret, per visum quidam illi dixit maturæ ætatis vir: Surge, sequere me. Ille surgit, & sequitur præcedentē ad loca ignota. Tandèm ad quandam planitiem amplissimam & floribus amœnissimam perueniunt, in qua erat domus miræ amplitudinis, ex marmore constructa. In eam ingressi, tantam luminis claritatem, tantam odoris suauitatem, tam miram & incompræhensam iucunditatem hauriunt, vt verbis explicari non possit. Erat verò illic sedes posita, gemmis & auro mirificè ornata: in eaque visebatur corona aurea, lapidibus preciosissimis intexta, sed needùm absoluta. In circuitu sedis quatuor erant viri albis induti, qui laminas aureas & gemmas ad coronæ absoluendū decorem compingebant. Stupente fratre ad harum rerum conspectum, is, qui eum eò adduxerat, ait illi: Scis, cuius hæc sit sedes & corona? Illo se nescire affirmante, ait: Hanc sedem tum vester Abbas promeruit, quandò conuersus ad Dominū, pro eius amore opes & copias & omnem mundi gloriam contempsit, & seipsum abnegans, eius crucem sustulit in humeros suos, eius vestigijs insistens. Porrò hac corona, vbi ea multis afflictionibus & diris insectationibus, quas pro Ordinis obseruantia pertulit & adhuc perpessurus est, perfecta fuerit, coronabitur.

Visio Gerardi, eius discipuli.

Corripitur lateris acri dolore.

Peracta cœna, surrexit vir sanctus, vt lauaret fratrum pedes: sed grauissimo lateris dolore impeditus est. Itaque recessit. Morbo autem magis magisque ingrauescente, in lecto reponitur, vbì quod supererat eius diei & noctem dimidiam cum magno cruciatu exegit. Deindè dolor ille abscessit, & febricula successit. Deficientibus sensìm [illegible] corporis

Indè febricula.

corporis viribus, in sabbato sancto fratres eum hortabantur, vt sacram vnctionem perciperet. At ille libenter se illius sacratissimæ noctis vigilijs interesse velle aiebat, mirabili feruore incensus erga cultum diuinum: sed neque virium imbecillitas, neque fratres, id vt faceret, permittebant. Designati autem sunt certi fratres, qui apud illum ea nocte permanerent: ex quibus vnum ad se accersiens, Scis, inquit, fili, quia noua adest solennitas, Christianis omnibus veneranda. Itaque & nos debemus nouis vestibus indui: affer, quæso, ad me vestem, quam habes, vt illa induar. Intellexit ille facilè, quam diceret vestem, attulitque ei nouum cilicium, eoque, priùs ablato veteri, eum induit. Rursùs autem admonetur ab adstantibus vir sanctus, vt sacram vnctionē admitteret. Respondit ille: Præstante Domino meo Iesu Christo, lucem expectabo. Iam aurora rutilante, cùm canerent in ecclesia fratres, Vt venientes vngerent Iesum, Prior accitis aliquot fratribus, chorum exijt, sacrum oleum secum ferens. Vir sanctus illo veniente, tendebat ad extrema, atque hoc solùm crebrò repetebat, Citò, citò. Peracta indè sancta vnctione, depositus est super cinerem & cilicium: sic enim decere mori Christianū, iam olìm dixerat beatissimus Martinus Turonum episcopus. Ibì tum feliciter emisit spiritum octauo Idus Aprilis, anno Christi 1202. ætatis verò suæ nonagesimooctauo, à suscepto verò Abbatis officio quadragesimo. Eius religiosi filij sacrum corpus illius cum hymnis & canticis, quibus permixtæ erāt lachrymæ & gemitus, in ecclesiam detulerūt: cumque ad sedes suas se recepissent, Te Deum laudamus, inchoatum est, & matutinæ laudes Dominicæ resurrectionis, non quidem absque luctu & lachrymis, sed tamen debita cum veneratione, absolutæ sunt. Vide hîc lector, quàm sit verè mirabilis Deus in sanctis suis. Nam neque sine gloria fuit patris huius vita, neque mors sine gratia, immò verò in conspectu Domini multùm preciosa: quippe qui illo die receptus sit à Christo in paradisum, quo ipse victor ab inferis resurrexerat. Die secundo Paschæ humatum est corpus eius ante altare S. Thomæ apostoli, quod ipse ædificârat, domino Abbate Turkillo ecclesiæ B. Mariæ de Esrom cum suis monachis funeri eius officia debita exhibente, multisque tum è Clero, tum è populo cum magna deuotione accurrētibus, vt eius exequijs interessent. In eo autem loco Dominus noster Iesus Christus ad laudem & gloriam nominis sui per beati viri suffragia vsque in præsens innumera præstat beneficia ijs, qui toto corde ipsum quærunt: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Sub mortē induit nouū cilicium.

Accipit extremam vnctionem.

Obit.

Psal. 67.

Sed ô quantus erat hîc luctus omnium, maximè verò discipulorum eius: qui licèt de tanti patris gloria cælesti nihil ambigeremus, eius tamen orbati præsentia, humano ducti affectu, mœrebamus. Dies festi nostri conuersi sunt in luctū, & sabbata nostra in lamentationem: tametsi gaudere potiùs nos oportuit, quòd quem magistrum habueramus in terris, deincèps intercessorem habituri essemus in cælis, si doloris acerbitas rationem admisisset. Sed benedictus Deus, qui mœrorem nostrum vertit in gaudium. Nam post transitum patris nostri, iuuenes nostri visiones videbant, & seniores nostri somnia somniabant: vndè coniecimus quòd propediem esset Dominus mirificaturus sanctum suum.

Habes hîc authorem fide dignū, licet se non nominet.

Erant duo iuuenes ex beati patris familia, diuersis per id tempus in regionibus constituti, quibus hora mortis eius oblata est visio, nonnihil quidem diuersa, sed vtraque plena fide & digna memoratu. Alter ex his, Nicolaus nomine, à monasterio aufugerat, & dabat operam literis Hildesij, quod est Saxoniæ oppidum. Is vidit personā quandam sibi ignotam, in stola candida cælū scandere, & intra albicantes nubes ità recipi, vt tantùm pedes & extremæ vestes cernerentur. Stetit igitur affixis cælo oculis admirabundus: sed mox adest quidā sciscitans, quid ità miraretur. ac deindè subiungens: Hic homo, quem vidisti in cælum recipi, Abbas tuus est, qui multa patientia vicit seculi persecutiones: nunc autem coronatur, quia fideliter permansit in mandatis Domini sui. Expergefactus Nicolaus, ducitur pœnitentia, reditque ad suum monasterium, & emendationi se offerens, hanc visionem omnibus enarrauit. Alter, Godmundus nomine, in monasterio Sora degens, sub auroram eius diei, qua Christi resurrectio celebrabatur, adspiciebat in visione, penè tamen vigilans, multitudinem angelorum dulcissimè canentium. Ex ijs duo angeli, ineffabili splendore conspicui, quendam ætate maturum, vestimentis sacerdotalibus ornatum, dextra læuaque sustentabant, eius brachia suis humeris retinentes innixa, sicque ad cælum vsque procedentes. Hos autem sequebatur diabolus cum multa furentium atque stridentium dæmonum turba: sed angelis cęlos

Visio 1. de eius beatitudine.

II. Visio.

penetrantibus, ille tristis via qua venerat, retrocessit. Ex socijs autem eius quidā instar claudicantium lento sequebantur gradu, quorū vni dixit Godmundus: Adiuro te per filium Dei, vt dicas mihi, quid sibi velint ea, quæ vidi. Ille toruo vultu & obliquis luminibus eum intuens, ait: Abbas tuus Vuilhelmus angelorum obsequijs in cælum est deportatus: nos autem venimus aliquid iuris nostri in eo inquisituri, sed vim passi ab angelis, discessimus inanes. Manè surgens adolescens, omnia suo magistro cunctisque, qui illic aderant, exposuit, & tandèm ad domum nostram reuersus, eadem nobis quoquè retulit, acceptoque religionis habitu, Deo militare cœpit.

Miracula post obitū eius.

Post obitum autem suum vir sanctus multis claruit miraculis, factusque est omni ex parte ingens hominum concursus, videre cupientium ea, quæ fiebant apud eius sacras reliquias mirabilia. Dæmoniaci purgabantur, paralytici reddebantur incolumes, cæci videbant, claudi gradiebantur, audiebant surdi, muti loquebantur: contracti & genibus humì reptantes, erigebantur: leprosi sanabantur, mortui reuiuiscebant: & penè exanimes, ab ipso mortis aditu ad lucē reuocabantur: nec homines modò, sed etiam pecora curabantur: aëris tēpestas sopiebatur, & sæuiens maris vnda comprimebatur. Possent hic multa commemorari sanè admiranda, quæ vel audiuimus, vel vidimus in Paracleto, vbi sacrum eius corpus conditum est: sed ipsa multitudo nos, nè id fiat, dehortatur.

SANCTI CALLIOPII VITA ET MARTYRIVM, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

7. Aprilis. S. Calliopij parentes.



Theoclia mulier quædam pia, ac timens Deum cum tota familia sua, multas faciebat eleemosynas, & sanctè viuebat. Hæc viro nupsit senatorio, qui nullos ex ea, quoniā erat sterilis, liberos suscipiebat: Dei tamen munere tandèm concepit. Sed cùm adhuc vterum gereret, maritus eius defunctus est. Quamobrèm in magna opulentia filium peperit, & Calliopium appellauit, qui in omni diuinarum literarum sapientia educatus est. Erat autem Pergæ Pamphyliæ patricius. Verùm cùm eo tempore contigisset, vt idololatriæ error vigeret, & veritas conderetur, & multi sacrificarent idolis, sanctus Calliopius assiduè ieiunijs & precationibus incumbebat. Quod cùm ad Iudices delatum esset, beata mater eius Theoclia consuluit filio, vt vitandi iudicij causa, aurum, vestimenta, seruosque sumeret, & illinc nauigaret. Pompeiopolim igitur Ciliciæ se contulit. Vbi cùm impius præfectus Maximus Bacchanalia, & ludos, & choreas, & conuiuia idolis celebraret, admirabatur pius adolescens, quænam illa essent. Ipse enim ieiunijs perpetuò vacabat. Ab illis igitur, qui aderāt, percontatus est, quid illud esset. Qui cùm respondissent, deorum esse celebritatem: Veni, inquiunt, & tu, vt conuiuij particeps fias. At ille: Christianus, inquit, sum, & Christum ieiunijs celebro, nec quæ sunt flagitiosis atque impuris idolis immolata, licet in os eorū, qui Christum colunt, ingredi.

Armat se precibus & ieiunijs assiduis.

Hæc cùm ad aures Præfecti peruenissent, iracundia plenus, iussit eum in iudicio sisti. Quod cùm esset factum: Ecquod, inquit Maximus, nomen est tibi? Christianus sum, inquit, & Calliopius vocor. Cur, ait Maximus Præfectus, cùm per orbem vniuersum deorum celebritas peragatur, tu in isto errore persistis? Vos, inquit Calliopius, in errore tenebrisque versamini, qui, relicto Deo viuente, qui cælum & terram, & quæ in eis sunt, omnia Verbo procreauit, saxa sensûs expertia, & ligna putrida, quæ sunt manuum impiarum opera, colitis & adoratis. Adolescentia, inquit Præfectus, te petulantem reddit, & magnos tibi cruciatus parat. Dic igitur, è qua gente sis, & ex quo genere. E Pamphylia sum, inquit Calliopius, & patricius genere, &, quod nobilissimū est, Christianus. Dic mihi, Præfectus inquit: Parētes habes? Mater, respondit Calliopius, superest: nam pater iamdiù defunctus est. Per solem ac deos omnes, Præfectus inquit, si vis esse pius & dijs immolare, filiam, quam vnicam habeo, tibi vxorem dabo. Si vxorem, inquit Calliopius, ducere decreuissem, non priùs filiam tuam acciperem, quàm mater mea id sciret & approbaret. Verùm sic habeto, me Christo meo credidisse, & puluerem

Constāts responsum sancti adolescentis.

hunc, quem Deus conflauit, & ad similitudinem suam fecit, purum & sine macula ante Christi tribunal sistendum esse. Quamobrèm fac, quæ tibi videntur: ego enim Christianus sum.

Scelestissime, inquit Maximus Præfectus, istiusmodi verbis futurum putas, vt ira commotus, te celeri supplicio necandum curem? Falleris. Neque enim id faciam: sed corpus tuum omni cruciatuum genere confectum, in ignem conijciam. Quanto, inquit Calliopius, pluribus me tormentis excruciabis, tanto mihi ea perferenti corona splendidior contexetur. Nemo enim, vt scriptum est, coronabitur, nisi legitimè certauerit. Tunc Maximus iussit, vt ei vincto, plumbatis virgis omnia ossa confringerentur. Beatus autem Calliopius, dum vapularet: Gratias, inquit, ago tibi Christe, quia dignus effectus sum, qui propter nomen tuum verbera sustinerem. Mihi, inquit Maximus Præfectus, obtempera, & dijs immola, vt patriam videas, & matrem tuam, & nè spolieris diuitijs ac fortunis tuis. Tormentorum enim sentis acerbitatem. Dulcedinem, inquit Calliopius, promissæ à Christô quietis degusto, & tormenta non sentio. Nec in aliena regione me esse puto, cùm Domini sit terra, & plenitudo eius. Hic quoquè patriam cerno, matremque meam. Nam mater mea, est Christi ecclesia sacrosancta: & patria mea, est cælestis illa Hierusalem. Nostra enim conuersatio in cælis est. Quòd si mihi corpoream matrem obijcias, audi quid Christus Deus meus dicat: Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus. Nam quòd ad diuitias pertinet, eas negligo, & malo Christi Cruce affligi, quàm caducis stulti mundi delicijs frui.

2.Tim.2.

Gratias agit inter tormenta.

Psal.23.

Matth.10.

Maximus præfectus: Quàm est, inquit, excors. Crudis neruis ventrem eius cædite, dicentes: Noli vnum pro alio stultè respondere, sed aptè ad interrogata. Insane, inquit Calliopius, & quauis fera crudelior, & à Christi pietate, qui in cælis est, aliene, tibi veritatis rationem expono, quam tu animi oculis non cernis, aures occludens, nè Domini sermonem exaudias, & contra legum præscripta iubes me, tanquàm homicidam, verberari? Rotam, inquit Præfectus, collocate, & magnum ignem succendite. Rotæ tanta vi alligatus est adolescens, vt totus discerperetur. Quo quidem cruciatu cùm acerbissimè angeretur: Christe, inquit, præstò sis seruo tuo, vt ad finem vsque laudetur in me nomen tuum, quanuìs indignus sim seruus tuus: Et cognoscent omnes, eos, qui in te sperant, non confundi in æternum. Statim igitur accedens angelus Dei, flammam carbonum extinxit: & ministri, cùm vellent rotam voluere, non poterant. Delicata autem ipsius membra totam rotam sanguine consperserunt. Erat enim acutis gladijs circummunita. Iussit autem Præfectus eum solui, & à rota dimoueri. Spectatores dicebant, iudicium illud iniquum esse: & dolebant, quòd talis adolescēs tam acerbè torqueretur. Sed Maximus: Nónne, inquit, dixi tibi, te adolescentia esse petulantem, & propterea grauioribus cruciatibus affectum iri? Canis, inquit Calliopius, impudentissime, tu me sic alloqueris, quasi crudelissima recusem aut deprecer tormenta tua. Infelix, inquit Præfectus, credis te contumelijs effecturum, vt te celeriùs occidendum curem. Verùm haud ità erit. Deis igitur immola, vt quæ reliqua sunt, tormenta lucrifacias. Non permittet, inquit Calliopius, Christus meus, vt puram meam in Deum fidem peruertas. Arbitratu tuo corpus excrucia, recepturus à Deo in diei iudicij merita præmia. Qua enim mensura metiris, eadem remetietur tibi. Ferreis, inquit Maximus, catenis vinctum in interiorem carcerem conijcite: nemo curam illius gerat: nemo impiorum amicorum ad eum accedat: beatum se putet ob ea tormenta, quibus propter ipsius impietatem aduersùs deos affectus est. Statim igitur vinctus in carcerem interiorem coniectus est, vbi sine intermissione Deum laudabat.

Immaniter cruciatur.

Diuinitùs adiuuatur.

Ducitur in carcerem.

His auditis, mater, facto testamento, ducentos quinquaginta seruos libertate peculioque donauit: & quidquid auri, aut argenti, aut vestimentorum habebat, pauperibus reliquit: possessiones autem Ecclesiæ sanctæ largita est. Tum celeriter in Ciliciam ad sanctissimum filium suum Calliopium contendit: & in carcerem ingressa, procidit ante pedes eius, & vulnerum cruorem abstersit. Sanctus autem Caliopius catenis, & corporis tumore ex verberibus contracto, cohibebatur, quominùs posset assurgere, & ad matrem accedere. Sed ità locutus est: Opportunè venisti, mater, vt testis esses Christi cruciatuum. Mater autem filij corpus adspiciens dilaniatum: Beata ego, inquit ad sanctissimum filium suum Calliopium, & beatus

Mater eius possessiones suas ecclesiæ largitur.

Gratulatur sibi de filij perpessione.

fructus ventris mei, quoniam, vt Anna, dicaui te sacrum munus Domino Iesu Christo: vt Sara, obtuli te Deo holocaustum gratum, & acceptum Domino sacrificium. Mansit autem totam noctem illam in carcere ad ipsius pedes prostrata. Simul autem ambo precabantur, & laudabant Deum. Et circa mediam noctem magna lux carcerem illustrauit, & vox eos sic allocuta est: Vos estis sancti Dei & Christi confessores, euersoresque idolorum, qui patriam & pecunias reliquistis, vt cum Christo patere-mini.

Calliopij egregia cõstantia.

Cùm autem illuxisset, Præfectus, Voca, inquit, Christianorum sectæ studiosum Calliopium. Demetrius autem centurio ad Calliopium: Nunc saltem, inquit, ab insania discede, & Imperatorum decretis obtemperans, dijs sacrifica, vt viuas: alioquìn vt magister tuus suffigeris in crucem. Admiror, inquit Calliopius, impudentiam tuam, qui cùm sæpè ex me audieris Christianum me esse; & Christianum esse moriturum, & in Christo victurum, tam impudenter pergas veritatem oppugnare. Festino eandem, quam magister meus pertulit, mortem oppetere. Hæc cùm ille dixisset, Præfectus ex responsis martyris animaduertens eum à proposito deduci non posse, sententiam tulit, vt quinta sabbatorum Paschæ in crucem ageretur. Quod mater eius intelligens, quinque nummos ministris dedit, vt eum contraria ratione, quàm Christus Dominus crucifixus fuit, affigerent cruci. Quinto igitur sabbatorum pronus in caput crucifixus est, & die parasceues animam egit. Et vox de cælo audita est, ità sonans: Veni ciuis Christi, & cohæres sanctorum angelorum.

Crucifigitur deorsùm verso capite.

Mater verò sanctissimi ac beatissimi filij corpus complexa, & Christum laudans, in eius complexu spiritum reddidit. Et accedentes fratres, eorum corpora in loco sacro sepeliérunt, collaudantes patrem & filium & spiritum sanctum: cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

VITA S. AIBERTI MONACHI ET PRESBYTERI CRISPINIENSIS MONASTERII, BONA FIDE CON-

scripta à Roberto archidiacono Austromandiæ, vel Ostronandensi eius æquali. Plerunquè stylus mutatus est in gratiam lectoris per F. Laurentium Surium.

PRAEFATIO.



Sicut olìm statuæ triumphantium & agonistarum, vel arcus triumphales, in quibus triumphi & simulacra egregiorum virorum ob recordationem eorum, quæ ab illis fortiter & præclarè gesta essent, expressa cernebantur, erigi solebant, vt ea inspicientes, ad illorum imitationem accenderentur: ità facta & dicta illustria sanctorum Patrum, literis mandari solent, vt ea vel legentes vel audientes, animis inflammentur ad earum rerum sectanda studia, quæ sint digna tum relatione, tum scripto ad posteritatis notitiam transmitti. Qua ego ratione permotus, vitam sancti Confessoris Christi Aiberti, quemadmodùm à religiosis & veridicis viris, maximè autẽ à domino Alulpho religioso monacho, qui eius secreta præ cæteris meliùs nouerat, accepi, pro mei ingenij mediocritate diligenter enarrare constitui, vt qui eam vel lectione vel auditione cognouerint, sanctum virum, si non omni, altem aliqua ex parte imitari nitantur, aut certè deuotis ab illo precibus obtineant vt apud Dominum fiat ipsis pius intercessor & promptus adiutor. Valdè enim indecorũ & turpe nobis est, si tanti viri res gestas silentio tegi patiamur. Immò verò, quandò Dominus sanctum suum mirificauit, præstando illi vires tum agendi tum patiendi mirabiliter, nos quoquè pro fraternæ charitatis debito, cultiori sermone eum celebrare deberemus, si facultas disertè & eleganter scribendi suppeteret: vt dictionis splendore & suauitate, lectoris vel auditoris animum ad suscipiendam eorum, quæ relaturi sumus, imit-

Habes hinc huius historiæ fidem.

imitationem efficaciùs permoueremus. At si facultas deficit, non tamen deest prompta voluntas. Itaque precemur spiritum sanctum, qui in sanctis suis mirabilis & gloriosus est, vt ad laudem & gloriam nominis sui & fidelis serui sui, ad nostram quoquè & aliorum vtilitatem ea, quæ de sancto viro commemorare decreui, ità, vt par est, mihi donet explicare.

SEQVITVR HISTORIA.



Eatus Aibertus, sacerdos Christi egregius, in territorij Tornacensis pago, quem Espeen vocant, originem duxit, magìs tamen suis virtutibus & sanctis operibus, quàm prosapia insignis: tametsi alioquì parentes habuit religiosos & honestos. Pater eius, miles fuisse creditur, Albaldus nomine: mater, Heluidis dicta fuit. Vterque liberæ conditionis & probus, Deumque & timens & amans. Et quia, scriptura teste, Generatio rectorum benedicetur: credimus eos pro suæ merito bonitatis procreâsse filium, cælesti benedictione dignum, vt sequentia luce clariùs edocebunt. Vt autem recto & naturali ordine sancti viri res gestas scribendo prosequamur, primò omnium dicendum est, quæ futuræ sanctitatis adhuc puer de se indicia præbuerit, non litera docente, sed sancto spiritu: qui vbì vult, spirat: & cui vult, adspirat. Cùm enim etiamnum paruulus esset, sæpissimè consueuit clàm noctibus è lecto surgere, flexisque genibus & membris humì prostratis, terram innumeris exosculando vicibus, tenerum corpusculum fatigare. Optabat verò, nè quis omninò id resciret, sed tandèm latere non potuit. A famulis nanque domûs depræhensus est. Quod vbì cognouit, nolens habere sui laboris testem, nisì Christum, cui se displiciturum verebatur, si hominibus placeret: in ouile secessit, existimans illic secretiùs se eiusmodi exercitijs vacaturum. Sed hîc quoquè tandèm inuentus est, cùm nimia genuum curuatione defessus, humì prostratus iaceret. Nec tamen cessare voluit, sed quoàd licuit ab hominum conspectu se subducens, alia captabat suis studijs apta diuerticula, opportunosque regessus. Nolebat sapiens puer fauore populari mercedem in cælis repositam corrumpere. Et certè quisquis pro rectè factis humanas aucupatur laudes, non est sanæ mentis, immò planè desipit, non attendens illud Apostoli: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

7. Aprilis. — *Parentes S. Aiberti.* — *Psal. m.* — *Iohan. 3.* — *Exercitia in puerili ætate.* — *Declinat hominum laudes.* — *Gal. 1.*

Nec solùm hac ratione pro Christi amore suum affligebat corpusculum, sed etiam crebris ieiunijs illud valdè macerabat. Solebat autem illis diebus, quibus ieiunium ipse sibi indicebat, parùm aliquid pomi aut alterius rei degustare, vt si fortassis à patre, nolente vt paruulus ieiunaret, interrogatus esset, num comedisset, posset citra mendacium respondere, se sumpsisse cibum. Forsitan enim audierat: Os, quod mentitur, occidit animam. Longè verò ille aberat à mendacio & iuramentis, qui nec ludicra quidem aut ociosa soleret verba proferre, in die iudicij de verbis ociosis nequaquàm rationem redditurus. Non est autem silentio premendum, quòd cùm in agro seruaret patris pecora, audito campanæ sono, illis relictis, ad ecclesiam confugit, laudes cum precibus diuinæ maiestati pro suo captu oblaturus. Poterat in illum quadrare, quod in Psalmo legitur: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. His virtutum & piarum actionum quasi primitijs quibusdam religiosus puer imbutus, maiori accedente ætate, duce sancto spiritu, ad maiora contendit. Frequenter enim ecclesiarum limina terens, verba vitæ cum multa animi deuotione auscultauit. sciebat enim dictum à Domino Saluatore: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Porrò verò lasciuiam & oblectamenta mundi sensìm magìs ac magìs abominans atque fastidiens, constituebat vni omnipotenti vacare Deo. Timebat enim, nè si mundi fieret amicus, inimicus Dei efficeretur. Itaque arctius vitæ genus complecti desiderans, mundanis illecebris paulopòst omninò nuncium remisit.

Eius ieiunia. — *Sap. 1.* — *Psal. 8.* — *Luc. 11.*

Qua autem ratione ad eam conuersionis gratiam peruenerit, vitam mutârit, mundo valefecerit, quo etiam ordine & labore per angustam & arctam viam ad Deum

um feliciter commigrârit, operæprecium est referre, dulce ac pium audire. Cùm adhuc in ædibus paternis iuuenis degeret & laicus, sed sanctitatis, vt dictum est, studiosus, fortè quodam die mimum audiuit cantionem quandam depromentem, qua conuersio sancti Theobaldi & vitæ eius asperitas felixque obitus continebantur. His non corporis duntaxàt, sed etiam cordis auribus accuratè perceptis, tanta repentè est gratia diuinitùs compunctus, vt secum statuerit neque carne, neque sanguine, neque lineis deincèps vti pannis, sed laneis & cilicinis, atque in frigore & nuditate omnipotenti Deo hilariter seruire. Cœpitque studiosè expetere consortium religiosorum virorum, cum quibus fame, siti, ieiunijs, vigilijs, crebrisque precibus corpus castigaret, & in spiritûs ac rationis seruitutem redigeret. Cumque in hoc totus esset, quodam peregrino, quem pater eius hospitio receperat, duce & indice, inuenit virum magnæ sanctitatis & miræ abstinentiæ, sacerdotem egregium Iohannem in quadam solitudine commorantem, ab hominum strepitu & conuersatione semota, in qua etiam ferebatur sanctus Domitianus fuisse. Erat autem is presbyter monachus Crispiniensis, sed permissu domini Raineri Abbatis Crispiniensis, desertum illum incolebat locum. Huic igitur vir venerabilis Aibertus charitatis fœdere iungitur, vt vno spiritu & pari voluntate Domino famulentur. Quantas autem miserias & calamitates, quantamque inopiam pro spe vitæ æternæ illo in loco patienter tolerârint, non facilè possit singulatim explicari: nec tamen à precibus & Dei laudibus cessauêre. Premebantur frigore & nuditate, premebantur magna annonæ penuria. Multi abscedebant dies, quibus nec cernerent quidem panem: erantque contenti herbis & radicibus herbarũm, quarum tamen ijs in locis copia non suppetebat. Et quid ego multis persequar horum virorum afflictiones, pro Christi amore vltrò susceptas? Ex illis ieiunijs, vigilijs, precibus, illa frigoris tolerantia & nuditate adeò & macie & pallore confecti videbantur, vt humanam speciem propemodùm non referrent. Vt enim ipse pater Aibertus retulit, cùm aliquandò vrgente necessitate extra illum habitationis suæ locum esset egressus, videntes eum pastores hirsutum & vilibus pannis deformem, aufugerunt, monstrum se vidisse arbitrati. Ait etiam se plerunquè tantos à frigore angores sustinuisse, vt vestem, quam monachus exuerat, Missam celebraturus indueret, timens nè interim vi algoris extingueretur.

Ex cantione mimi admirabiliter corde compungitur.

Ioânes eremita insignis.

Magna vitæ asperitas.

Sæpè per hyemem vsu illis venit, vt pane deficiente, glacie cõfracta, herbas ab aquis manibus extraherent, quibus ægrè vitam sustentabant, omni alia re esculenta destituti. Cogitabant, opinor, cum Apostolo, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: nec ignorabant serui Dei, quo se quisque in hac vita duriùs & asperiùs habet, eo arctiùs cum superno amori copulari: sicut ediuersò quanto quis inferiùs magìs delectatur, tanto ampliùs ab amore superno disiungitur. Quòd cùm illi subtiliter attenderent, fortassis apud se dicebant, se seruos inutiles esse, iure facere quicquid boni facerent, nec vltra debitum quicquam facere posse. Nam tametsi, vt S. Iacobus ait, ex operibus suis iustificatur homo, tamen quantacunque sint, sine auxilio diuinæ gratiæ & pietatis saluus fieri non potest, dicente Apostolo: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Ideoque quicquid faciebant boni, non id sibi, sed patri luminum adscribebant, à quo omne donum perfectum descendit. Intereà autem, dum ità se gererent, vir Dei Aibertus paulatìm Psalterium memoriæ commendabat.

Mira inedia.

Rom. 8.

Iacob. 2.

Rom. 9.

Iacob. 1.

Per id tempus voluit dominus Rainerus Abbas Crispiniensis, ob confirmandam sui monasterij libertatem, Apostolorum limina visitare, hosque duos viros, multa charitate ipsi deuinctos, illi visum est sui itineris comites assumere. Quo in itinere hi tres sancti viri quos labores & angores pertulerint, solus Deus nouit. Ingrediebantur enim nudis pedibus, vestiti cilicio, parùm pecuniæ habentes, ipsa inopia locupletes. Et mulum quidem secum ducebant, sed vix aut nunquàm eo vtebantur, peregrinis debilibus & infirmis illius vsum præbentes. Cumque venissent Romam, audiunt sanctæ memoriæ Romanum Pontificem Vrbanum esse Beneuenti. Tum verò Aibertus & Iohannes non fuêre ausi tam longũ arripere iter, partìm quòd viribus corporis diffiderent, partìm quòd Iohannes aduersa valetudine laboraret. Abbas aũt Rainerus, pro sua erga illos beneuolentia, hortatus est eos, vt in monasterium Vallis vmbrosæ se reciperent, atque illic eius reditum sustinerent. Vbi sanè monachos inuenerunt,

Nota iter difficilimũ.

nerunt miræ continentiæ & exquisitæ vitæ, qui multa erga illos vsi humanitate, amanter eos exceperunt, perpetuò etiam eos apud se retinere cupientes. In illo enim monasterio strictè & inuiolabiter obseruatur institutum & Canon S. Benedicti, vt multi viri boni testantur, viuuntque laboribus manuum suarum, spe cælestis vitæ corpora sua multiuario labore indesinenter afficientes. Disciplinæ monasticæ rigorem strenua charitate feruenter custodiunt, erga pauperes & peregrinos suscipiendos benignè se exhibent, in sepultura impertienda fratribus pios, & in quouis deniquè religionis genere præclaros se ostendunt: adeò vt duo isti viri, de quibus iam diximus, omnibus monachis, quos adhuc vidissent, illos sanctiores affirmârint. Cumque apud illos aliquanto temporis spatio hæsissent, multas rectè viuendi institutiones, vt ipsi testabantur, ab illis percepêre. Abbas autem Rainerus cum paucis comitibus susceptum est iter prosecutus, veniensque Beneuentum, ab Vrbano pontifice honorificè acceptus est, monasterijque sui munimentum, quod deuotè petijt, non difficulter impetrauit. Confecto verò negocio, Apostolica benedictione firmatus, lætus ad socios redijt, atque ab illis pariter & à cœnobij fratribus hilariter susceptus est. Etsi autem, dum cœnobitas Vmbrosæ vallis eorumque vitam prædicauimus, à proposito deflexisse videamur, tamen quicquid de ijs laude dignum commemoratum est, sapienti sanè aptè & congruenter poterit nostro proposito cohærere videri. Dum enim illorum egregia studia scribendo efferimus, illum pariter celebramus, cuius causa hoc opus cudendum suscepimus: quippe qui, vt ipse asserebat, non pauca ab eis Deo seruiendi exempla & incitamenta perceperit, conuenienter illi Propheticæ sententiæ, Cum sancto sanctus eris. *Psal. 17.*

Laus cœnobij Vallis Vmbrosæ.

Postquàm autem apud fratres illos satis fuêre recreati serui Dei, illis valefacientes & pro collatis beneficijs multas gratias agentes, ad propria sunt reuersi, multis in eo reditu molestijs toleratis. Et Abbas quidem ad monasterium redijt, alij autem duo sancti viri ad suam eremum. Vbi cùm nocte quadam Aibertus membra sopori dedisset, in somnis visus est sibi altissimam arborem, inter Hainonium & S. Amandum sitam, conscendisse, albumque videre accipitrem siue aquilam ad se aduolantem, vestemque monasticam adferentem, ipsumq; ea induentem. Expergefactus autem, summoperè apud se perquirere cœpit, quidnam visio illa portenderet. Tandem placuit ei, vt iuxta illam visionem monachus fieret. Facilè autem id impetrauit à Rainero Crispiniensi Abbate, sanctæ memoriæ viro, monachis quidem primò recusantibus, posteà verò assensum præbentibus. Videbant enim abiectum & contemptibilem hominem, si sola externa respicias, nec putabant talem eum fore, qualem posteà experti sunt. Ità plerunquè fit, vt quæ priùs vilescebant, Deo volente, pòst in sublime tollantur, quemadmodùm de Dauide legimus. Fit itaque monachus cum benedictione cælesti. Deindè etiam eius cœnobij factus est Præpositus, & communibus fratrum suffragijs Cellarius. Aduertebant enim idoneum esse, cui ea officia mandarentur. Et certè tam in externis, quàm internis rebus adeò accuratè tum Deo, tum fratribus inseruiuit, vt ab omnibus amaretur. Semper enim solicitè curabat commune bonum, in omnibus prudenter & moderatè se gerens. In opere & manibus eius, vt dici solet, bonum omne exuberabat. Promptum se exhibebat ad externa expedienda negocia, cùm fratrum vel vtilitas, vel necessitas poscere videretur.

Visio S. Aiberti.

1. Reg. 16.

Fit monachus Crispiniensis

Item Præpositus.

Curam monasterij haud aliter, atquè pia parens filiorum, gerebat: hospitalitati deditus, in pauperes largus, sibi ipsi parcus, alijs impartiens quod sibi subtrahebat. Pacem verò & mutuam inter fratres concordiam præcipuè amabat: murmura, obtrectationes, & id genus vitia, quæ in cœnobijs solent existere, detestabatur & profligabat. Aliquid sibi monachum ceu proprium vsurpare, id planè mortiferum & modis omnibus execrabile asserebat.

Quod autem ad ipsius viuēdi in monasterio rationem attinet, pane & aqua, herbis, leguminibus & arborum fructibus semèl interdiù modicè vtens, corpus suum sustentabat. Lac & caseus & pisces in os eius nō admittebantur. Cilicio asperrimo domabat carnem. Lectum nullum habuisse creditur, præter scamnū vel alium asserem, in quo cubans, mediocrem capiebat somnum. Ante nocturnas preces, quas matutinas vocant, semper Psalterium absoluit. In flectendis genibus erat celerrimus, lachrymarum copia valdè affluens, vt posset cum Propheta dicere ex sentētia: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectū meū, lachrymis meis stratū meum rigabo. Cumq; annis vigin-

Cibus eius.

Vestis.

Lectus.

Psal. 6.

vigintiquinque in monasterio ea viueret seueritate, nunquàm ab eius ore Christi laus aberat: fames, sitis, algor, omniuaria carnis castigatio & afflictio, iã sancto viro pro delicijs computabantur: adeò semper iucũdus & hilaris & esse videbatur, & reuera erat. Viri nanq; sancti dum animis reputant futura supplicia impiorum, & immensam felicitatem beatorum, quicquid Dei causa perferunt, leuiùs ferunt, dum hinc quidẽ spe illius sempiternæ beatitudinis animãtur, indè verò intolerabilibus gehennæ cruciatibus soliciti redduntur: sicq; dum pœnas tolerant temporarias, vitant æternas, & coronas sibi parant sempiternas: fitq; hac ratione, vt dum effugere nituntur, quod grauius est, faciliùs tolerent, quod minùs graue est, etsi sit alioquì valdè onerosum. Ità ergò etiam huic religioso viro iugum Christi suaue, & onus eius leue fuit: & cùm multis floreret virtutibus, etiam integer corpore & virgo ab ipso ortu vsque ad supremum vitæ diem creditur permansisse: quod quidem est angelicum decus, & virtutum insigne præcipuum.

Mansit virgo.

Etsi autem ea, quæ dicta sunt, magna & stupenda esse videãtur, at tamẽ quicquid gessisset, pro nihilo ducens, optabat in eremo habere cellulam, in qua inclusus degeret, vt illic laudibus diuinis & precibus liberiùs vacaret, & corpus seueriùs edomaret. Curauit igitur construi cellulam in loco deserto, antequàm è monasterio egrederetur: eaq; exædificata, vix ab Abbate Lamberto impetrare potuit copiam, relicto monasterio, ad illam sese conferendi. Valdè enim fratribus monasterij videbatur esse necessarius. Tandèm autem ea obtenta, in eam se abdidit, sed ità tamen, vt quoàd vixit, in Crispiniensis Abbatis potestate semper esse voluerit. Quàm verò corpus suum in ea Cellula malè acceperit, duriterq; habuerit, audire quidem pium est, sed imitari gloriosum. Viginti sanè & quinq; annis in ea permansit inclusus: è quibus duobus & viginti pane protsùs abstinuit, & omni potu annis viginti. Nec tamen aliquo obstrictus voto, sed sponte sua tot annis pane & potu atq; alijs quibusdam corporis necessarijs alimentis sibi interdixit. Qua autem occasione pane abstinuerit, si quis nôsse velit, ex ijs, quæ dicturi sumus, potest cognoscere. Quadam hyeme accidit, vt locus, in quo morabatur, adeò aquarum inundatione obsideretur vndiquè, vt neque accedere ad eum quisquam, neque indè egredi posset. Cùm igitur & panis ei deesset, & Missam auscultare non posset, animo permoueri cœpit. (necdùm enim sacerdotio initiatus erat.) Itaque nocte quadam cum multo dolore & pijs querimonijs beatissimam semperque virginem Mariam compellauit, orans vt ipsius miserias subleuaret, his vel similibus vtens verbis: O sancta virgo virginum Maria, quæ pariendo Dei filium, mundo gaudia contulisti, quæ es fons pietatis & misericordiæ copia, subueni mihi misero, corporali pane indigenti, & Missarum solennia non audienti. Quibus dictis, somno correptus obdormiuit. Eccè autem mox in visu adest sanctissima mater & virgo in forma matronę pulcherrimę, cum puellis plurimis inferioris staturæ. Quas vt vidit vir Dei, ità dixisse visus est: Equidem si pridèm in monasterio fœminas vidissem, profectò illas expulissem. Cur igitur vos huc intrare ausæ estis? Cui virgo sacratissima respondit: Tace frater. ego sum virgo Maria, quam tam dulciter inuocâsti. Sed quid à me vis præstari tibi? Tum ille: Succurre, inquit, mihi peccatori in ijs, quibus egeo, & quibus tu quoquè non ignoras me carere. Respondit virgo mater: Putas´ne omnipotentem Deum te etiam sine pane posse sustentare? Ego verò, inquit ille, credo Deum id posse. Et virgo beata: Cur autem, ait, conquereris te Missas non auscultare, cùm tota vita tua & omnis actio tua, quædam Missarum sint solennia? Deindè visa est sanctissima virgo buccellam panis immittere in os sancti viri. Qua quidem visione ille adeò permotus fuit, vt deincèps neque panem appetierit, neque panem edere curârit, contentus herbis, radicibus, & vilibus illis cibis, quibus vesci consueuerat.

Degit solitarius & inclusus.

Nota abstinẽtiam admirandam.

Alia eius visio.

Fortasśis autem nôsse te iuuat Lector, qua se purpura vel bysso Christi miles induerit. Nimirùm à planta pedis vsque ad verticem asperrimo cilicio tegebatur. Lectum quoquè si scire velis, in scamno vel alio assere se reponebat, cilicino sacculo vtens pro ceruicali. Et quid me necesśè est multa persequi? Quicquid boni gessit vir Dei, antequàm se in hanc cellulam contulisset, id in ea iam inclusus, non solùm non minuit, sed auxit etiam, duriùs asperiusque sese affligendo. Si priùs fleuit amarè, iam multo acerbiùs. Si priùs in eo ferbuit charitas, iam longè fuit feruentior. Anteà pane & aqua vixit contentus, at nunc tot annis, quot diximus, vtroque abstinuit: atque eum in modum etiam cætera bona superioris vitæ, in hoc ergastulo, arctiori viuendi ratione, in melius prouexit. Sed his de sancti viri exterioris hominis cultu

Totum corpus induit cilicio.

cultu absolutis, congruum est ad lectoris notitiam perferre, quàm præclarè etiam hominem interiorem ornauerit. Patientia itaque & charitate gemina, Dei & proximi, tanquàm cocco bis tincto, itemque cæteris lucis armis ità eum communiuit, vt possit securus & intrepidus prodire in conspectum tremendi & districti iudicis etiam in illa die, quandò iustus vix saluabitur: de qua dicit Malachias: Quis poterit cogitare diem aduentûs eius? aut quis stabit ad videndum illum? Idemipse his iustitiæ armis intùs & exteriùs instructus, constanti animo potuit procedere ad debellandum fortem armatum, tortuosum illum colubrum & Leuiathan: qui pro minimo ducens, quòd fluuium absorbuerit, etiam fiduciam habet, quòd influat Iordanis in os eius: id est, non infideles modò, sed etiam Christiana religione initiatos deuorare molitur.

Virtutes eius. 1 Pet. 4. Malach. 3. Iob 40.

Inter hæc autem fama sanctitatis eius bono odore orbem terrarum complente, cœperunt ad eum homines confluere. Cùm autem anteà non nisi acolytus fuisset, de sapientum virorum consilio à Burchardo Cameracensi episcopo subdiaconus & diaconus est ordinatus. Deindè etiam ad sacerdotium promotus est, vt populis ad ipsum venientibus meliùs posset consulere, & familiariùs secretas confessiones recipere. Factus autem presbyter, duas in die celebrauit Missas, pro viuis alteram, alteram pro defunctis. Vigilias, vt vocant, defunctorum cum nouem lectionibus hoc pacto legere solebat. In prima Vigiliarum parte dicebat psalmos quinquaginta cum tribus lectionibus: in secunda & tertia itidèm faciebat: sicque in illis Vigilijs, interiectis nouem lectionibus, totum psalterium depromebat. Quod quidem graue & onerosum videri possit, nisi quis libenti animo faciat. Centiès per diem flectebat genua, & quinquagiès prostrato quidem corpore, sed articulis & digitis subleuato, ad vnamquanque genuum curuationem dicebat salutationem angelicam. Psalmi & preces ab ore eius nunquàm recedebant, nisi esset aduentantibus aliquid præbendum consilij: quod tamen, si quis penitiùs intueri velit, non possit dici precum intermissio. Pecuniam aut accipere, aut etiam manu contingere, haud aliter atquè serpentinum virus abhorrebat. Quòd si quispiam omninò largiri ei aliquid vellet, iubebat id donari Crispiniensi monasterio, rerum necessariarum valdè indigo. Quid ego hoc loco aliud possim dicere, quàm hunc virum, etiamsi flagitijs omnibus fuisset coopertus, eaque agendo pœnitentiam seque macerando expiare voluisset, haudquaquàm plùs, atquè fecerit, facere potuisse? Quis nostra ætate intantùm odiuit animam suam, vt eam posset seruare in vitam æternam? Quis adeò inexorabilis fuit sui ipsius persecutor? quem si tyrannus aliquis catenis aut compedibus constrinxisset, & panem atque potum saltem triduo aut quatriduo ei subtraxisset, multa commiseratione multisque lamentis id nos prosequendum arbitraremur. Ille verò cùm non modò nullorum esset scelerum reus, sed etiam multis ornatus virtutibus, suapte sponte, vt diximus, pane & aqua non paucis annis sibi interdixit.

Fit subdiaconus & diaconus. Itemque presbyter. Preces quotidianæ.

Atque his exercitijs, alijsque perferendis angustijs vir sanctus, ceu lapis viuus, expolitus atque omni ex parte teres & rotundus effectus, meruit collocari in structura cælestis illius Ierusalem, vbì preciosi lapides, pressuris & tunsionibus perpoliti, cum coruscantibus gemmis & margaritis nitentibus, pro qualitate meritorum, sempiterno & admirabili fulgore relucent, quemadmodùm scriptum est: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Quemnam igitur eum potiùs dicemus? Martyrémne an confessorem? Sed rectiùs proculdubiò & martyrem, & confessorem. Quanuis enim persecutor sanguinem eius non fuderit, at tamen ea, qua diximus, ratione ferendo crucem suam & Christum sequendo, & voluntate & actione martyr fuit, gloria & honore à Deo coronandus. Martyr fuit, carnem crucifigens cum vitijs & concupiscentijs. Martyr fuit, omnes carnis & mundi voluptates proculcans & propudians: quanquàm visus obtinuit eos speciatìm martyres dicere, qui suum profudère sanguinem, à tyrannis vel persecutoribus morte violenta extincti. Quod quidem martyrij genus noster Aibertus sola voluntate pertulit. Nihil autem bona voluntate ditius Deo offerri potest. Quòd si verò occasio se obtulisset, & extitisset persecutionis tempus, vt pro certo a multis creditur, lætus & imperterritus persecutoribus occurrisset, ceruicem percussori vltrò præbiturus. Sed quia eius non fuit obeundi martyrij opportunitas, aliud martyrij genus expetijt, seipsum omnipotenti Deo hostiam viuentem in odorem suauitatis quotidiè immolans, propriæ carnis crudelis per-

Matth. 13. S. Aibertus vt fuerit martyr.

persecutor effectus: quod non multùm differt à perpessione martyrij, in tyrannica persecutione suscepti. Legitur nanque etiam B. Iohannes Apostolus calicem Domini bibisse, quem tamen non legimus pro Christo sudisse sanguinem, cùm propria morte vitam finierit.

Matth.20.

Itemque confessor.

Confessor autem fuit noster Aibertus, quandoquidem corde, ore, & tota viuendi ratione Deum confessus est & laudauit, permultosque sua humanitate & mansuetudine ad confitenda peccata & turpitudines suas induxit. Est enim confessio aliquandò peccati, interdùm verò laus & gratiarum actio. Dicit Christus ad patrem : Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ : sed nulla hic peccati confessio est, à quo longissimè aberat filius Dei : sed laus & gratiarum actio. Equidem sæpè & legi & relegi vitas sanctorum Patrum, inuenique sanè in eis viros miræ abstinentiæ : nec tamen vllum reperi, quo in affligenda carne sua hunc Dei seruum auderem dicere inferiorem. Vitauit escam, qua solent vesci homines, contentus cibo vermium & brutorum animantium. Hucusquè diximus, vt erga seipsum se gesserit vir sanctus : nunc porrò dicendum est, vt ex debito fraternæ charitatis etiam alijs sese impenderit : quibus nimirùm dum optima suggerendo consilia pro viribus prodesse studuit, magnum suæ beatitudini cumulum adiunxit.

Matth.11.

Fuit ille lucerna, diuini amoris igne accensa & ardens, virtutumque plena lumine & splendore, non ponenda sub modio, sed super candelabrum. Cumque lucis suæ radios per orbem terrarum diffudisset, ingentiaque beneficia, quæ per illum diuinitùs præstabantur, fama longè lateque diuulgaret, diuersarum nationum populi excitati, cateruatim ad sancti viri conspiciendam faciem sermonesque audiendos, suaque ei flagitia confitenda aduolabant. Quos ille omnes iucundo animo & alacri vultu excipiebat & suauiter consolabatur. Erat enim hoc illi velut ab ipsa natura insitum, vt cuperet esse omnia omnibus ad se venientibus, pro cuiusque conditione vel qualitate, totumque se illis impenderet, efficeretque eos populum acceptabilem Domino, bonorum operum sectatorem. Itaque mœstis & afflictis atque calamitosis condolebat : cum gaudentibus & iucundis ipse pariter lætabatur : vtrisque verò, prout res eorum poscere videbantur, paterno affectu subueniebat atque consulebat, illorum tum aduersa tum prospera in se transferens, rebus illorum afflictis dolens, secundis congratulans : quod vtiquè germanæ est dilectionis argumentum. Operis enim exhibitio, vt ait S. Gregorius, probatio est dilectionis. Illos autem, qui confessionis faciendæ causa eum accedebant, priùs quasi iuramento obstringebat, vt ipsius audito consilio, ad episcopos suos irent, eadem flagitia illis quoquè confessuri. Si quos tamen vidisset obstinato animo, etiam interposito iureiurando, decreuisse nulli nisi ipsi sua crimina detegere, illorum sanè tandem improbitati cedens, veritus nè in desperationis barathrum irent præcipites, si eos nollet audire, confessionem eorum recipiebat quidem, pro ratione facinorum etiam pœnitentiæ mulctam eis irrogans, nec tamen cessabat persuadere fortiter, & vehementer etiam adiurare, vt turpia, quæ ei dixissent, suos episcopos minimè celarent. Quod si omninò recusarent, grauem & propè intolerabilem eis pœnitentiæ mulctam imponebat : quod tamen quidam æmuli, virum sanctum falsè irridentes, & dente canino eius facta rodentes, illum minimè facere mentiebantur. Mandauerat autem ei Paschalis Papa per Oduinum Abbatem S. Gisleri, vt omnes confessionis gratia ad ipsum venientes, alacriter audiret, & pro criminum quantitate pœnitentiæ eis onus iniungeret. Idem verò etiam Innocentius Papa illi mandauit. Et possumus sanè ex ijs, quæ paulò suprà diximus, haud obscurè colligere, multos ei suas spurcitias aperuisse, quas nulli alij vnquàm explicuissent, perituri potiùs cum suis sceleribus, quàm in cuiusquam alterius notitiam ea deducturi.

Multus fit ad eum hominum concursus.

Ro. Pontifices quid illi mandârint.

Tantus aūt plerunq; fuit ad eum hominum cōcursus vndequaq; confluentiū, vt locus habitationis eius omni ex parte haud aliter circūdatus videretur, q̄ solent castella vel vrbes ab hostibus obsessæ : adeoq; sanctum virum defatigabāt, vt vix parùm cibi aut somni capere liceret, humanæ naturæ imbecillitate id flagitante. Vndè etiam non rarò accidit, vt plures cū eo secretò colloqui volētes, cùm præ hominū frequētia locus non daretur, horrēda flagitia & nefandas turpitudines suas cūctis audientibus palàm enunciarent : ipse verò pro loco & tempore respondens, salutaria eis cōsilia impertiret. Plerique etiam ex ijs, quibus dabatur ad eum propiùs accedere, eius vestem vi lacerabant,

Multi palàm sua crimina confitentur.

par-

partesque auulsas secum absportabant, pro reliquijs eas habituri, illo quidē valdè dolente & renitente, seque miserum peccatorem vocitante, palamque testante, non se esse talem, qualem ipsi putarent. Quòd si dicta factaque sancti viri propiùs intueri velimus, facilè nobis persuadebimus, animum illius elationis peste neutiquàm infectū fuisse, præsertìm cùm etiam in pueritia & iuuentute superbiæ virus cautissimè semper deuitârit. Nec tamen negamus potuisse eum tentari superbia, sed Deo benè propitio, credimus tentationi minimè succubuisse. Quo tamen vitio non pauci ex illis, qui sapiētes putantur, crebrò euertuntur. Atque alijs quidem vitijs omnibus profligatis & sub iugū missis, pestiferum hoc elationis venenum nunquàm desinit pestilēs draco adspergere hominum rectè factis, vt eo corrumpat omnia: non ignorans, quibuscunque rebus admixta sit superbia, ijs certam adferre perniciē atque perditionem. Illa nanq; iam olìm in cælo angelos, in paradiso primos homines impulit in ruinam. Vndè non immeritò sapiens quidam etiam in rectè factis monet esse cauendum. Et certè quisquis hac pestifera lue delectatur, teste S. Hieronymo, scriba est & pharisæus, magìs cupiens videri & dici bonus, quàm esse. Tentatio vanæ gloriæ.

Non est autem, quòd putet quisquam, cùm ad eum, vt diximus, omni ex parte tam multi concurrerent, solùm homines illiteratos & vulgares ad eum venisse: immò verò adibant eum Archidiaconi, Abbates, eremitæ, monachi, & omnis generis religiosi & docti viri, nobiles quoquè sexùs vtriusque, eius se precibus gratulabundi commendantes, nec confessionis immemores, ipsumque instàr prodigij cuiusdam suspiciētes & admirantes. Et quis non obstupesceret, audiens hominem nihil omninò tot annis bibentem, nulloque pane vescentem? Et equidem sic sentio, si tam potuisset omni prorsùs carere cibo, quàm potuit pane & potu, nihil penitùs eum alimenti fuisse sumpturum. Sed quia id naturæ humanæ conditio non sinebat, illa præclara sibi delegit edulia, quorum suprà fecimus mentionem, quibus tamen vix vitam tueri potuit. Etsi autem non ignoro Christum mirabilem esse in sanctis suis, tamen non possum, quin præ admiratione & stupore exclamem: O incompræhensibilis altitudo sapientiæ & scientiæ Dei: quàm multas animas, diabolica fraude euersas, ex satanæ laqueis hic vir simplex & vix mediocriter literarum peritia imbutus, confessionis & pœnitentiæ adhibendis remedijs eripuit, immò per illum Deus? Non fuit ille fortassìs in Ecclesiæ tabernaculo phialæ loco habendus, quæ vberes sapientiæ haustus suppeditaret: certè vel cyathum fuisse nemo negare ausus erit, modica doctrina multos inebriantem, eorumque mētibus obliuionem pessima quæque perpetrandi, Deo largiēte, suauiter adducentem. Itaque cùm ad Christi erit venturus tribunal, nō vacua manu aderit, sed multos secum ferens manipulos, auditurus à Christo: Eugè serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Inter quos erit etiam ioculator ille, quem ad viam veritatis reuocauit, cuius ipse olìm cantilena, Deo adspirante, fuerat mirabiliter commotus, & ad arduam viuendi rationem amplectendam inflammatus. Psal. 67. Roma. 11. Matth. 25.

Et vt paucis multa complectar, tota vita sancti viri martyrium fuit, immò & miraculi instàr, fuit consolatio miserorum, solamen peccatorum, fuit perpetuus labor & pœnitentia, amor & timor illius, qui dicit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: alioquì non est me dignus. Quod ille non surda aure accipiens, crucem eius mansuetissimis accepit humeris, eumque accuratè sectatus est, diligens eum vt patrem, & timens vt Dominum. Nec ambigi debet, præpotentem Deum per hunc famulum suum & in vita & post obitum eius etiam alia miracula fecisse, quæ quidē suo tempore, Christo iuuante, in scripta redigentur: quanquàm præclarius est virtutem charitatis eximiam in illo fuisse, quippe qua soli boni præditi sunt: quàm claruisse miraculis, quæ possunt fieri etiam à malis. Quanuis autem non habuit alimenta corporea, quibus reficeret pauperes & alios ad ipsum accedentes: nō tamen deerat ei panis verbi Dei, quo pro modulo doctrinæ suæ omnes illius indigos recrearet: qui panis tantum præstat alimento corporeo, quantum anima corpori. Interim nihilominùs cum multa animi iucunditate apponebat omnibus sua illa egregia fercula, quibus ipse sustentabatur. Quòd si olìm inter antiquos illos patres hoc aureum sidus rutilâsset, quantis hodiè laudibus, quanta prædicatione efferretur? Sunt enim pleraque tanto maiori in precio apud mortales, quanto plùs habent vetustatis: tametsi vetustatis in multis exiguum pondus est. Si tamen tanta est temporum vis, vt etiā hac in parte antiqua præsentibus præstent: potest satis dici probabiliter, laudes & præconia sancti viri, quæ à præsentibus modò reticentur, posteros nostros egregiè quandoquè Eius tota vita, martyriū. Luc. 9. Cibos quales aduētantibus apposuerit.

VITA SANCTÆ MEMORIÆ HERMANNI, QVI ETIAM IOSEPH DICTVS EST, CANONICI STEINVELDENSIS,

ab eius quodam familiari amico, &, nisi fallor, Abbate vel superiori conscripta. De eius in Sanctos relatione nihil certi habeo. Aliquot locis quædam vel contraximus in historia, vel omisimus parerga, ob vitandam prolixitatem. Nonnunquàm etiam stylum mutauimus.

PROLOGVS.



IESV Christe, qui cum patre & spiritu sancto facis mirabilia magna solus, siue hæc per Angelorum siue hominum ministeria operari digneris: vitam mirabilem beati Ioseph fratris nostri, & mortem in conspectu tuo preciosam, & miracula speciosa, quæ propter eius merita operari dignatus es, scripto cupiens commendare, ad pedes misericordiæ tuæ supplex & deuotus accedo, per eius te Domine obsecrans charitatem, vt eius laudi, quæ verè tua est, benignus adspires, inspires veritatem scribēti, qui ficta laude non indiges, mendacium execraris, & diligis veritatem. Coram tuis enim oculis hoc non timeo protestari, qui es testis in cælo fidelis, me ex proposito nihil fictum describere: sed ea, quæ à suis familiarissimis, vel ab eius ore cognoui, vel quæ apud fratres ità celebri opinione vulgata sunt, vt ijs nulla tergiuersatione debeat contradici. Sunt tamen paucissima, quæ non à certis relatoribus fide dignis, vel ab eius ore fideli mihi facta fuerint manifesta. Ob quam etiam causam me oportet quædam mirifica silentio præterire, quæ licèt firmiter credam vera esse, tamen quia radicem veritatis non habeo, id est, testes de visu & auditu, scripturæ veritatis nolui pro certis dubia commendare. Ex ijs extat vnum, nostris temporibus valdè mirabile, scilicet quòd infans quidam, à matre dormiente oppressus, post compassionem matri lachrymanti exhibitam à nostro Ioseph, & orationem ab eo in ecclesia fusam ad Dominum IESVM, & ad beatam matrem eius, beati adhuc pueri meritis fuerit suscitatus. Quod factum licèt fidem difficilem mereatur, non esse tamen incredibile poterit confiteri, qui sequentibus non dubiè veris fidem voluerit adhibere. Hoc autem dubium ideò præsenti paginæ decreui non committere, vt cætera non dubia, fide tanto firmiori credantur, quanto plùs claruerit, quòd nullum dubium, quantumcunquè ad laudem fratris nostri posset operari, pro certo scribere dignum duxi. Mira quippe scripturus sum, & quæ apud propriæ laudis amatores, & apud inuidos detractores, qui non Dei, sed suam gloriam quærunt, quantacunque sint veritate subnixa, vix fidem debeant inuenire. Propter quod etiam credo Dominum Deum ipsum tantis post mortem clarificâsse miraculis, vt vita mirabilis commendetur per miracula facta post mortem: nihilominùs quoquè, vt per vitam mirabilem miraculorum factorum post mortem veritas confirmetur. Difficiliùs enim illis miraculis, post decessum cuiuscunque patratis, fides poterit adhiberi, quæ non firmum à vita mirabili præcedente testimonium sortiuntur. Vita etiam sanctorum mirabilis non omninò sine periculo prædicatur, quæ post mortem nullis miraculorum testimonijs roboratur. Sunt tamen quidam & apud Deum & apud homines gloriosi, quorum vel vitæ vel morti miracula defuerunt. Ille autem dignè omnes detractores interimit, cuius tam vita quàm mors miraculis commendata, sibi inuicèm suffragantur. Si enim vitæ mirabili non credatur, vel etiam detrahatur, clamat mors miraculosa pro vita: si verò derogetur miraculis mortis preciosæ, ipsis miraculis vita mirabilis attestatur. Iamnunc igitur, Domine IESV, via, veritas & vita, tuo scriptori larga benignitate serenus adesto, & per vitam mirabilem serui tui mihi via & dux aduenire dignare: vt intellectu deficientis in me scientiæ serenato, omni veritate subnixus, & mortem preciosam, & vitam laudabilem serui tui dignè valeam explicare: tui dicamus, Domine, an nostri? Si verum fatebimur, & tuum illum dicemus, & nostrum. Nam & si tui solius est seruus, (Tu enim solus es Dominus, cui flectitur omne

Apoc. 1.

Fides huius historiæ.

Infans defunctus ad vitam reuocatus ab Hermanno puero.

Philip. 2.

genu, & omnis lingua confitetur) noster tamen conseruus est, cum quo communem Dominum te habemus. Tuus est Domine IESV Ioseph noster, quem è cunctis fratribus præelectum, polymita omnium virtutum tunica & talari singulariter vestiuisti, & in exemplum omnibus posuisti, vniuersis quidem mirabilem, imitabilem verò paucis. Noster quoquè est, Domine IESV, tuus Ioseph, quem, vt de tua Domine bonitate speramus, non solùm ob salutem fratrum suorum & vnius familiæ, verùm etiam totius Ecclesiæ de carcere corporis mortis huius ad regnum non iam Aegypti, sed cælestis illius Hierusalem, quam totis totiès votis optauerat, transtulisti. Tuus est, Domine IESV, tuus Ioseph, quem à primis infantiæ rudimentis tibi benedictione speciali singulariter vendicare, & vsque in finem fortiter conseruare dignatus es. Noster etiam est, Domine IESV, noster Ioseph, quem in terris habuisse confratrem, cùm inter nos viueret quasi vnus ex nobis, nunc autem in facie maiestatis tuæ pro nobis propitium gaudemus habere patronum. Per huius, Domine IESV, intercessionem & merita ad hoc opus manuum mearum respicere, ipsùmque dirigere & tibi sanctificare dignare: vt sicut ille laudes suas, cùm nobiscum mortalis adhuc viueret, modis omnibus subterfugit, vt paucis pauca de secretis suis faceret manifesta, semper dicens factis, & etiam verbis aliquandò, Secretum meum mihi, secretum meum mihi: nè si reuelaretur indignis, perderet quod habebat, sicut etiam mihi aliquandò referebat: ità nunc eiusdem serui tui, in tuta omninò statione locati, laudes & merita tuipse tuis reuelare dignare, vt ille magnificetur per te, & tu Domine IESV magnificeris in illo, qui nunquàm in se, sed in te magnificari curauit.

A puero diuina fuit gratia cumulatus Hermānus.

Esa.24.

HISTORIA.

Aprilis 7. Cap. 1.

Patria Hermanni vel Ioseph.



Abuit igitur beatus Ioseph locum natiuitatis suæ illam inclytam ciuitatem Coloniam, in qua parentes illius inter suos conciues admodùm honesti & diuites, quantùm ad seculum, commanebant. Post ortum verò illius, orta est simul & rei familiaris necessitas, vt iam necessè foret ipsum infantem, sicut ipso postmodùm referente cognouimus, non in delicijs, sed in paupertate nutriri. Genitus autem, cùm in baptismi lauacro regenerationis sacramentum acciperet, nomen Hermannus accepit, quod in lingua nostra vir honoris, siue vir exercitûs dici potest. quæ vtraque expositio nominis ipsi nominato valdè conuenienter aptatur. Vir enim honoris meritò dictus fuit, quem Dominus tanquàm diademate gloriæ & honoris, tam in gratuitis, quàm in naturalibus, coronauit in terris: nunc verò illa inæstimabili gloria & honore beatam illius animam coronat in cælis. Nec caret corpusculum sacrum, licèt corruptioni subiectum, priuilegio honoris sui, ad cuius sepulcrum tot miraculorum beneficia sunt patrata, tanta remedia infirmantibus sunt collata. Dignè etiam vir exercitûs dictus fuit, cuius anima etiam cùm adhuc esset fragilitate circundata corporali, tanta omnium virtutum vallabatur exercitu, vt ei à sponso suo meritò diceretur, Pulchra es & decora filia Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. & illud: Eccè lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Ipse enim puerulus à tempore regenerationis suæ veri fuit lectulus Salomonis, in quo ipsi sponso, sacri baptismi veste candida conseruata, sine intermissione placuit desiderabiliter habitare. Ambierunt hunc sponsi lectulum incessanter sexaginta fortissimi, id est, perfectio operum Decalogi, siue perfecta sanctorum custodia Angelorum, quibus Dominus sanctum suum in omnibus vijs suis custodire mandauit.

Ad sepulcrū eius multa edita miracula.

Cant.6.
Cant.3.

Cap.2.

Electus itaque Dei puer, quem elegit, & super quem posuit spiritum suum, in infantia teneriore sub paupertate nutritur. Didicit iamtunc nulli animum subdere voluptati, sed subdi parentibus & quibusque maioribus cum metu & reuerentia, & cum coæuulis suis societate benigna, & sociali benignitate connecti. Nulla illi proteruia vultûs & verborum blasphemia, & inordinata omnium membrorum deiectio, quæ plerosque pueros nostri temporis maculare consuêrunt: sed vultus omninò serenus, oculique blandissimi, & qui, quid intùs contineretur in corde, lætificis quibusdam scintillulis emicantibus demonstrarent. Habuit sanè hanc gratiam vsque ad finem vitæ mortalis, vt si quandò sine inuidia videretur, tam vultus illius quàm oculi omninò columbini, & spiritualis lætitiæ plenitudinem in se ostenderent, & in ipsum intendentibus ministrarent. Oris custodiam ità ab ineuntis ætatis tempore studuit conseruare, vt neque

Mirus candor in oculis eius & vultu.

Oris custodia.

que nos, qui cum ipso vna in domo pariter habitare consueuimus, verbum iactantiæ aut contumeliæ, aut opprobrij vel maledictionis in quenquã, aut turpiloquij, aut scurrilitatis alicuius, multo minùs detractionis aut mendacij audiuerimus aliquãdò. Nonnunquàm tamen, nè esse supra hominem videretur omninò, ad dissimulandum quod erat, cunctis se socialem exhibuit, & iocis blandissimis, quibus seipsum deprimeret, & alios in lætitiam erigeret, vtebatur. Sed quia in hæc quadam præoccupatione dilapsi sumus, iamnunc ad illius infantiæ rudimenta manum simul & animum aduertamus.

Septennij tempus cùm puer Domini attigisset, studijs est applicitus literarum, ad quas pro facultate puerilis ingenij capiendas, Dei docibilis satis habilitatus est. Mox mirum in modum diuino spiritu inspiratus, totus ad Dei seruitium puerulus est conuersus: & cæteris condiscipulis eius, vt moris est, festiuis diebus ludentibus, ab eorum consortio se subducebat, & monasterium beatæ MARIAE virginis & Dei genitricis ingressus, ante illius imaginem, formam pueri IESV in sinu gerentem constare consueuit, & modò cum imagine matris, modò cum filij, tanquàm cum viuis, columbinæ simplicitatis puerulus loquebatur, & si quid fortè manu gerebat panis aut fructuum, vt pueri assolent, nunc matri, nunc filio porrigebat. Celebris valdè est, & à suis familiaribus nobis tradita res miranda, quam loquar. Stetit aliquandò more suo coram imagine beatæ Virginis puer sanctus, & pomum, quod tulit, illi cum magna instantia & deuotione præbebat. Et ecce benigna mater, vt deuotionem pueri commendaret, & nè sibi deuotum contristaret infantem, imaginis manum extendit, & porrectum sibi munusculum de manu pueri gratè & comiter accepit. O verè beata pueri innocentis infantia, quæ tam tempestiuis reuelationibus meruit consolari. Quid torqueris ó inuidia? Expecta paululùm, & rumperis: magìs verò conuertere, & sanare, vt cum charitate hunc puerum nostrum possis inspicere, & dicere cum ijs, qui tantum principiũ admirantur, Quis putas pueriste erit, in quo non dubiè manus Domini operatur?

Cap. 3. *Discit literas.* *Pietas rara adhuc pueri* *Res admiratione digna*

Vberiori gaudio mater gaudij tantum gaudium multiplicare dignata est, crebrioribus deceterò & manifestioribus reuelationibus suo se puero manifestans. Cùm igitur die quadam, sicut consueuerat, cum ludentibus se non commiscens, puerulus monasterium introîsset, vidit iuxta pulpitum, quod in medio ecclesiæ situm est, in eminenti quadam via, in specie viuentis virginis, beatam Virginem virginum reginam, & cum ea custodem ipsius Virginis Ioannem Euangelistam, & coram matre puerum IESVM secum Ioanne quasi quibusdã puerilibus lusibus exercitantẽ. Et dum staret puer noster, mentem & oculos in eos cum delectabili admiratione, & admirabili delectatione defigens, vocauit eum nutu manûs & voce mater benigna, puerũ proprio nomine familiariter sic appellans: Hermanne ascende ad nos. At puer, Quomodò, inquit, ascendere potero, cùm chorus sit clausus, & scalam, per quam ascendam, non habeam? Cui beata mater, Tenta, ait, si quo modo possis, quia te iuuabo, porrigens tibi manum. Paruit puer, & cùm non præualeret, benigna matre manum sibi porrigente, ascendit ad illos. Solebat autem familiaribus hoc narrare, quòd cùm niteretur ascendere, claui vnius ferrei, qui ad munimentũ chori affixus erat, sensibilẽ quidem, sed non visibilem iuxta locum cordis fixurã accepit, quam etiam multis posteà temporibus cum dolore portauit: dixitque fixuram illã fuisse præsagium multarũ tribulationum & dolorum, quos posteà tanquàm crucem suam quotidiè vsque in finem vitæ suæ pertulit. Semper enim, sicut posteà referam Domino adiuuante, cùm profecisset in virum, tribulationibus corporis, vel doloribus cordis, vir miræ innocentiæ vexabatur. Cùm verò in pulpitum adiutorio beatæ matris superiùs ascendisset, ipsa monente, puero nostro cum puero IESV data est ludendi facultas, beata matre sedente, & ludos pueriles familiariter inspectante. Et cùm in tam mirabili delectatione aliqua pars diei transacta fuisset, appropinquante officio vespertino, puer ea, qua iuuante & iubente ascenderat, etiam tunc ministrante descendit, eandem consolationem eodem in loco sæpiùs accepturus.

Cap. 4 *Testantur hæc sancti pueri miram puritatem & innocentiam.*

Hoc loco sequebatur caput 5. in quo quæstiones mouet Author de apparitione Christi & matris eius atque sanctorum: sed quia non soluit eas, illud omisi studio breuitatis. *Cap. 5.*

Cùm die quadã secundùm consuetudinẽ suam ecclesiã beatæ Virginis puer Domini introîsset, & in asperitate brumali nudis incederet pedibus, videns puerũ mater misericordiæ in tanto frigore corporali, à cordis feruidi deuotione minimè tepuisse, consueta sibi misericordia mota est: & aduocans paruulum, statuto corã facie sua ait: *Cap. 6.*

Quarè in tanto frigore nudis incedis pedibus? Respondit puer: Non habeo calceos. Sciens autē beata mater parentes pueri rei familiaris inopia laborare, dixit illi: Vade ad lapidē illum (lapidem digito cōmonstrans) & sub eo quatuor denarios inuenies: quos tolles & eis tibi calceos cōparabis. Credidit puer fidelis, & paruit iussis: & sicut fuerat demonstratū inueniens, ad altricem suam beatā matrē rediјt cum denarijs lætabundus. at illa subiecit: Quotiescunquè aliquo indigueris, calceis, tabulis aut stylis, aut alijs necessarijs, ad locū accedes eundem, & inuenies denarios, quibus tua necessitas subleuetur. Quis hæc referre, scribere crederéve præsumeret, si non paucis diebus ante mortē suam, pia calliditate inductus à nobis, hæc nobis confessione propria prodidisset? Gratias tibi, Domine IESV Christe, quòd hæc ex confessione beati oris illius me noscere voluisti. Hac inaudita & tam mirabili veritate constante, quid erit quod de te credi non possit, ô beatissime paruulorum? Sed non minùs mirandum puto, quod subijcio. Nō diù latuit alios pueros, vbi puer purissimus totiès sibi necessaria reperiret: & ad locum accedentes eundem, diuque quærentes, nihil talium poterant inuenire, haud dubium quòd eos à tali solatio magna meritorum distantia, & prærogatiua specialis gratiæ separaret.

Miro modo eius inopiā subleuat mater Dei.

Cap. 7. Reuelauit se post hæc puero suo, nostro Samueli, ipse Dominus IESVS, non in forma pueri, sed in specie crucifixi: reuelauit autē sic. Accidit Coloniæ aliquot ædes incēdio conflagrare, vbi puer Domini vicinus tūc habitabat. Ruentibus multis, vt si possent sedarent incendium, vel vt moris est, saltē inspicerent, beatus puer etiam inter alios festinus accurrit: & eccè mirum in modum in medio incendij basilica quædam stabat, quæ licèt ignibus vndiquè premeretur, protectione diuina permansit illæsa. Admirantibus cunctis, & miraculū sibi inuicèm demonstrantibus, puer admirabilis cœpit cum cæteris admirari. Cumq; basilicam admirabundus diligētiùs respiceret, eccè apparuit illi Dominus IESVS in specie crucifixi, stans in summitate basilicæ non ardentis. Sensit & intellexit puer sensatus illam partē basilicæ propter crucifixi præsentiā non ardere. Sed rursùs pueriliter dubitare est permissus, vt mirabilibus mirabiliora succederēt, quarè in alijs ecclesiæ partibus, in quibus formā crucifixi non vidit, non posset flamma dominari. Et cùm omnes templi partes curiosiùs circuiret, quocūquè se vertebat, eandem crucifixi effigiem in cunctis partibus contra se stare prospexit, domum propriā ab ignibus defensantem. Mirabatur sanè tunc corporaliter fieri, quod etiam spiritualiter multo potiùs fieri postmodùm est expertus: videlicet fidem & memoriam, & maximè imitationem vitæ Domini crucifixi contra omnia vitiorū incentiua valere, vt verè posset dicere cū Psalmista: Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine, & super inimicos meos extendes manum tuam, & saluabit me dextera tua.

Videt Christum in forma crucifixi

Psal. 137.

Cap. 6. In tantis reuelationum consolationibus pueritia teneriore decursa, quæ ex plurima multitudine ad nostram notitiam peruenerūt paucissimæ, statìm vt potuit persentire, quid esset, benedictionē dulcedinis, qua prǽuentus erat à Domino, indicijs euidētibus puer Domini declarare studebat. Et cùm iam circiter duodecimū ætatis annū ageret, relicta lata & spatiosa via sinistri lateris, quę multitudinē hominum per eam gradientē, deducit ad mortē, arctam & angustam viam dexteræ, per quā graditur paucitas saluandorum, fortiter concupiuit. Iam enim totum mundum pessimarum cupiditatum incendio conflagrare conspexit, & solos illos à mortiferis æstibus posse saluari, qui sub salutares alas confugerent crucifixi: sicut sibi per seruatā protegente crucifixo basilicā, corporaliter fuerat demonstratum. Sapiēter ergò breuiterq; decreuit, mundus adhuc immundum mundū relinquere, & inconfusus recedere de medio Babylonis. Apposuit igitur gratiam concomitantē Dominus, qui gratìs dederat gratiam præuenientem, & gratiam perficientē daturus erat, & per quosdam notos suos illum itinere prospero in ecclesiam Steinueldensem, Coloniensis diœcesis, Ordinis Præmonstratensis perduxit. Benedictus Dominus Deus salutarium nostrorū die quotidiè, qui tanto puero prosperum fecit iter, vt ad domū nostrā in nomine Domini perueniret. Cumq; ibidèm aliquo tempore moraretur, antequàm habitu monastico vestiretur, contigit dedicationē sacelli S. Michaëlis Archangeli aduentare. (Habet autē is Archangelus sacellum in ecclesia Steinueldensi, in eminenti loco super testudinē ad occidētem situm, cuius occidentalis murus per id tempus pro quadā necessitate instàr ostij patefactus erat) Stante igitur puero Angelico corā sacello, vidit per illud muri ostium ingentē irrumpere flammam, tanta vi & impetu, vt totū monasterium intrinsecùs iam comburi vereretur. Iam iamq; clamaturus erat, vt ferrēt suppetias ardenti monasterio, sed repressus puerili pudore,

Lata via.
Arcta via.

Adhuc puer cōfert se ad monasteriū Steinueldēse.

Visio eius.

dore,& humili verecundia (quæ vsq; ad finem vitæ etiam plusquàm sexui fœmineo ei moderabatur) vel potiùs gratia interiore illum docente,intra silentium se continuit, donèc rei exitum cerneret, quam omnes circunstantes vel non videre, vel dissimulare nimiùm mirabatur. Tandèm ignis mirabiliter conspecti non alium vidit effectum, nisi quod ad accipiendum religionis habitum nouo incendebatur desiderio, eoque tam valido, vt ab illo suscipiendo præ dulcedine flammæ & flamma dulcedinis, quam intùs medullitùs conceperat,ægerrimè se cõtineret.Iam enim & ipse totus in quendã ignem diuinum conuersus erat, vt illi in habitu Angelico ministraret,qui facit Angelos suos spiritus,& ministros suos ignem vrentem. Quorum ministerio in sua festiuitate, in ignis visione apparentium, angelum nostrum credo tam validè fuisse succensum, vt agnosceret illum ignem spiritualem fuisse,qui non corpora,sed spiritum succendisset. Psal.103.

Suscepto tandèm secundùm desiderium suum niueo sacræ religionis amictu, cœpit puer religiosus tam apud Deum,quàm apud homines proficere sapientia & ætate.Sed quia nondùm annos discretionis attigerat,ante quos in monasterio illo pueri ad religionis habitum recipi non solebant,missus est in Frisiam cum alijs coæuulis suis,vt & ętatis scandalum tolleretur,&in scholis proficeret in doctrina.Profecit itaq; super omnes coætaneos suos tam in scientia, quàm in moribus,ità vt se doctorem minoribus, & angelum socijs exhiberet.Nihil vitiorum in illo,quo illud genus hominum (scholares dico) implicari videtur, putà,insolentia,mendacium, inobedientia, simulationes, rixæ, contumeliæ, lacerationes & verbera, verborũ scurrilitas,& animi nausea & torpor ad doctrinam capessendã: magis autẽ quadam spirituali ille alacritate perfusus,ad discendum erat prõptus,ad quælibet imperata obediens,ità mirandũ in modũ coætaneis suis obsecundans,vt & illorum singulari fauore, & Dei gratia potiretur.At verò in nomine Domini IESV miro succenso affectu,nihil libebat in quouis doctrinæ genere audire, quod non salutare eius nomen cõtineret. Quotiès more puerorum fabulas poëtarum vel discere iubebatur,vel legere,non tulit patienter: immò & ipsos se docentes, super quos iam intùs spirituali vnctione docente profecerat, repręhendit, asserens quòd Deo vero contumeliam irrogarent, falsorum deorum nomina in poëtarum libris etiam recitando. Solebatque nobis postmodùm de quibusdam magistris suis, qui cæteros religione anteire videbantur, narrare, se non sufficere admirari, quòd viri religiosi in scriptis possent poëticis delectari, cùm tanta sint scripta veritate subnixa, per quæ ad Dei possit notitiam perueniri. Quis enim nisi stultus quærat lilium inter spinas, vnde sine punctionibus non possit abstrahi, quod faciliùs & vtiliùs sine læsione possit acquiri? Nominare Iouem omnipotentem, Iunoni nomen diuinitatis attribuere, iurare per Herculem & Castorem, quibùscunque falsitatibus delectari, spinæ sunt, & lacerant animam, quibus puer Domini animæ suæ temerari noluit puritatem, qui iam in solo & vero Deo didicerat delectari. Cap.9. Induit habitum monasticum.

Tango rem breuiter,non perfunctoriè transeundam, sed magna animi consideratione pensandam.Quantam enim curam de pueri sui puritate pater misericordiarum gesserit,in hac re liquidò apparebit. Cõtraxerat aliquãdò puer beatus,à patre & matre derelictus, sed à Domino assumptus,tantã capitis scabiem, vt inter condiscipulos suos non posset sine verecundia cõparere. Erant enim ei molesti, & deridebant eum, sicut esse solet illud hominum genus inquietum: & puer, licèt patiens & quietus, ad quotidianas subsannationes animo tabescebat,& rubore verecundiæ vrebatur. Vidit itaque Dominus continuam afflictionem tam mentis, quàm corporis sibi derelicti pauperis, & mirabiliter in adiutorium pupilli,fidelis adiutor intendit. Nàm nocte quadam, cùm corpusculum sopori dedisset,sensit leniter quoddam animal, nescio reptile seu volatile,aduenire,& rostro suo adeò totam illam purulentam scabiem auellere,vt nihil de ea residui remaneret, & puer Domini in illa auulsione nihil molestiæ sentiret. Secuta est euestigiò totius capitis integritas & puritas, ità vt cùm sequenti die ad condiscipulos veniret,omnibus inopinata eius sanitas appareret. Et quia res tam manifesta celari non poterat, irruunt ad puerum singulatìm, & causam tam subitæ curationis inquirunt. Aperuit ille quantùm potuit,quod factum fuerat, simplicitate consueta, sed corde exhibitam sibi Domini misericordiam collaudabat. Cap.10. Sanatur mirabiliter scabies capitis eius.

Verùm vbì post profectum scientiæ & morum puer Domini à Frisia ad propriã ecclesiã est reuersus,ad seruiendũ fratribus in refectorio cũ fratre alio se maiore est aliquãdò deputatus.Quod officiũ licèt deuotus impleret, tristabatur tamen non modicùm, ꝙ præ corporali labore continuo, non potuit consuetis & debitis orationibus, lectioni ac Cap.11.

ni ac contemplationi vacare. Doluit enim à se auferri partem optimam, quam iamdudùm elegerat, videlicet aut ſedere ad pedes humanitatis tuæ, Domine IESV, aut audire verbum tuum, quod & ore & exemplis nobis miniſtrare dignatus es, aut aſſumptis alis columbæ, cum illis quatuor animalibus ad diuinitatis tuæ faciem ſubuolare, guſtareque & videre tuam Domine ſuauitatem: quam illi profectò perfectiùs percipere conſueuerunt, qui actu fuerint minorati. Senſit hoc puer, qui iam in adoleſcentiæ proceſſerat pubertatem, & ægrè à ſpecioſæ Rachelis auellebatur amplexu. Videns igitur mater miſericordiæ adoptatum ſibi filium pro cauſis huiuſmodi grauiter animo tabeſcentem, ſuam illi præſentiam exhibere curauit, & ſolita illi ſuauitate blandiens, quomodò ſe haberet ſciſcitata eſt. At ille competenter ſe habere reſpondens, hoc vno ſe aſſeruit valdè grauari, quòd propter labores quotidianos conſuetis precibus vacare non poſſet, illis præſertim, quas ex Ordinis præſcripto dici oporteret. Sentiens pia mater adoleſcentem zelum quidem bonum habere, ſed non ſecundùm ſcientiam, breui quidem, ſed eximia illum ſententia ſic inſtruxit: Scias, inquit, nihil perindè ex debito faciendum tibi incumbere, quàm vt ex charitate ſeruias fratribus tuis. Dixit & fecit intelligere docilem adoleſcentem quod dixerat, vt depoſita timoris ſarcina, fratribus decæterò cum ſecuritate ſeruiret. Neceſſariũ reor murmuratores hoc loco moneri, qui ad omne munus ipſis demandatum obmurmurant & calcitrant, & cùm congruas ſuæ pigritiæ, immò, quod periculoſius eſt, inobedientiæ excuſationes inuenire non poſſunt, per iniuncta ſibi officia aiunt ſe ſua deuotione fraudari. Cuncta penè monaſteria id genus querimonijs plena ſunt, adeò vt plerunquè vita prælatorum, qui debent eiuſmodi ſuis monachis demandare functiones, his ipſis ad amaritudinem perducatur. Audiant iſti matris Domini plenum authoritate reſponſum, nullo ſe maiori teneri debito, quàm vt fratribus ex charitate inſeruiant. Timeas ô frater, quicunque talis es, pigri ſerui, talentum ſibi creditum nolentis expendere, ſententia te cōdemnandum, ſi cor ad meditandum, linguam ad corrigendum, vocem ad cantandum alacriter, & legendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, in iniunctis tibi officijs nolueris exercere, ſemper habens in mente, talentum eſſe Domini tibi creditum, quicquid in cunctis animæ viribus, quicquid in omnibus membris corporis tibi à Domino diſtricto iudice eſt collatum.

Dei mater eum conſolatur & inſtituit. *Matth. 25.*

Cap. 12. Sacræ igitur matris colloquijs & monitis adoleſcens docilis confortatus, cœpit ſecum altiori tractare conſilio, cuius in hoc miniſterio formam referre videretur. Et occurrit animo eius, ſicut ipſe nobis cum gaudio ſpiritali narrare ſolebat, ille ſummus & humilimus ſeruorum ſuorum ſeruus Dominus IESVS: qui vt ſe ſeruum exhiberet, ſeruitium ſuum & verbis & exemplis declarauit. Verbis quidem, cùm ait: Ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. &: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Exemplis verò, quandò intantùm ſe humiliauit Dominus maieſtatis, vt ſeruorum ſuorum lauaret pedes, & extergeret linteo, quo erat præcinctus. Tanti ergò Domini, ſeruientis ſeruis ſuis, formam ſe gerere humilis frater noſter, ſeruiens fratribus ſuis, ſemper in corde gerebat, vndè tāta ſe ſenſit alacritate affici, vt quotieſcunquè tale fratribus miniſterium exhiberet, non ſe ire aut currere, ſed potiùs volitare putaret, animi alacritate in corpus ſeſe effundente. Magna diſtantia beati fratris huius à pleriſque fratribus, qui vel ſuperbia tumidi, vel acedia preſſi, nec ſpiritali eriguntur lætitia, nec humilitate inclinantur, vt Deo miniſtrent in fratribus, & fratribus propter Deum. Diſcant hoc exemplo, non ſolùm ſine murmure, verùm etiam humiliter & alacriter fratribus inſeruire: diſcant glorificare Deum & Dominum IESVM, cuius miniſtrantis formam corpore & animo repræſentant: videant etiam, quantam miniſter noſter ex miniſterio ſuo ſit gratiam conſecutus. Nam Domini IESV gratia inebriatus, & ſpiritali ſatietate refectus, multo tempore famis & ſitis corporalis detrimenta non ſenſit: ità vt vltrà, quàm credi poſſit, abſtinentiam protraheret, pia fraude circunueniens fratrem illum, cum quo in refectorio pariter ſeruiebat. Inueniens quippe cauſas, propter quas vel ante, vel poſt illum comederet, illo ignorante, ſimplicis panis & aquæ quaſi in conſuetudinem verſa refectione contentus fuit. Mira gratia, vt propter diuturnam abſtinentiam nec in corporali labore deficeret, nec tanto tempore acceptæ diuinitùs perderet gratiæ ſuauitatem.

Luc. 22. *Matth. 20.* *Ioan. 13.* *Obſeruent hæc, quibus ex officio incumbit ſeruire fratribus.* *Vide abſtinentiam.*

Cap. 13. Multis itaque Dei electus in officijs, ad actiuam vitam pertinentibus, beneficijs ſubleuatus (Per hanc enim ad contemplatiuam eſt iter ordinatum, vt per laborē Liæ ad Rachelis pertingatur amplexus) tunc demùm iuuenis ſpecioſus ad ſacriſtæ vel cuſtodis templi

Fit templi cuſtos.

templi officium est vocatus, in quo pleniùs & securiùs posset contemplationi vacare. Sic enim Dominus, qui omnia ordinatè disponit, electi sui vitam voluit moderari & dirigere, vt vtraq; disceret pugnare manu, nè sicut plerique, in actione esset dissolutus, & in contemplatione remissus. Multi enim sic ingrediũtur ad contemplandũ, vt ad necessariæ actionis exercitia nunquàm exire velint, & omnem corporalem laborẽ subterfugiant obstinatè, intantùm vt in acediæ tandèm torporẽ prolapsi, etiam in contemplatione deficiant, nec ad illam reuocare se sciant, ad quam aliquandò animus, vt est humana infirmitas, tepefactus, per actiuæ vitæ exercitia reuocatur. Alij verò, cùm foràs necessitate poscente ad actionem egrediuntur, ità se totos effundunt in illam, vt contemplationis præteritæ nec saltem meminerint, nec ab illa se doleant auulsos, neque ad eam se recipere conentur. Non sic frater noster à Domino & magistro optimo noscitur institutus: sed sic officia actionis exercuit, vt labores corporis alacritate spiritûs temperaret, nè dissolutio sequeretur: ità ad contemplationem pertinentibus inhæreret studijs & exercitijs, vt tamen ad actionem non esset tepidus aut remissus: sicque instàr fortissimi Aod vtraque manu vteretur pro dextera, & actioni & contemplationi non minùs sapienter, quàm fortiter intendens. Iudic.3.

Hoc loco, antequàm pergam ad cætera, necessariò mihi admonendus est lector, nè cuncta, quæ de fratre nostro narranda suscepimus, sibi imitanda proponat: potiùs meminerit, quædam sic esse scripta, vt ea tantùm miremur, & Dominum, qui per eum illa effecit, collaudemus: quędam verò ea causa conscripta, vt ea imitanda suscipiamus. Si enim ea, quæ supra naturam sunt, sanctorum exemplis incitati, nos quoquè facere velimus, non ædificationem, quam quærimus, sed potiùs ruinam inueniemus. Quòd si in sanctis omnia tantùm admirari velimus, in nostra ignauia & desidia permanebimus, & sine fructu nostro sanctorum & scribentur & legentur exempla. Proindè lectorem admoneo diligenter attendere, & discernere sapienter, quid admirandum, quid imitandum sit: vt in admirandis, Deo mirabili in sanctis suis digna gratiarum actio referatur: in imitandis verò, per exempla virtutum vita legentium emendetur. Non enim hæc me solùm mouet intentio, vt fratrem prædicem, & magnificem Dominum: sed etiam vt legentes per meæ ministerium paupertatis aliquid vtilitatis acquirant. Sed iam ad narrationis ordinem redeamus. Accepto officio, quod contemplationi valdè erat accommodatum, mirum in modum, tanquàm tunc primùm ad seruitium diuinum accederet, qui priùs alios superauerat, in omnibus exercitijs spiritalibus, feruore spiritûs excitatus, cœpit etiã seipsum superare. Nequaquàm enim communibus vigilijs, orationibusq; contentus, nouas sibi, suæ deuotionis dulcedini respondentes, & ipsam quoquè deuotionem mirabiliter excitantes preces cõposuit, permultasq; gratiarum actiones, quibus sibi ad memoriam reuocauit omnia diuinitùs humano generi collata beneficia. Præcipuè verò erga matrem Domini, susceptricem suam, feruore mirabilis deuotionis exarsit, quam etiam nouorum verborum gaudijs, sua gaudia ipsi referentibus, & angelica salutatione crebrò repetita salutauit, addens singulis gaudijs & salutationibus genuflexiones singulas. atque in id genus tum corporalibus, tum spiritalibus exercitijs maximam noctis partem duxit insomnem. Adeò verò eiusmodi vigilijs & orationibus operam dedit, vt modũ humanæ naturæ excederet, & nullus fratrum, eius vigilias aliquandiù explorantium, perindè vt ille, vigilare posset. Tanta autem orationum, contemplationum, reuelationum dulcedine fruebatur, vt corporalium necessitatum oblitus, solo spiritûs pabulo se victitare putaret. Et iam in consuetudinem sibi verterat, quandoquidem custodia monasterij penès ipsum erat, talibus studijs vsque ad tempus nocturni officij, quod matutinas vocant, immorari. Cumque primo campanæ signo fratres excitâsset, ipse in lectulo se composuit, donèc ad tertium signum (in dormitorio fratribus tintinnabulo admonitis, vt ad templum se conferrent) ipse quoquè cum cæteris eò properaret, & nocturno officio interesset. Monebatur quidem interdùm à patre domûs & fratribus, nè tam immodicis se laboribus conficeret, sed non potuit in illo desiderabilis dulcedinis, & dulcis desiderij vehementia cohiberi. Habuit etiam corpus satìs habile ad laborem, & aptis compositum lineamentis, rectèque constitutũ, ità vt vllis laboribus id exhauriri posse minimè putaret. Addidit autem his laboribus strati duritiam, capite ad lapidem, corpore ad lignum incumbens. Totum enim præsentis vitæ tempus agendæ pœnitentiæ deputatum reputãs, superfluum censebat & vanum, quippiam misero indulgere corpusculo. O quàm dissimilis nobis miseris, qui modis omnibus labores subterfugimus & auersamur.

Cap.14.

Sanctorum quædam miranda, non temerè imitanda.

Longæ eius preces & vigiliæ.

Durum eius stratum.

Raptum

Cap.15. Raptum porrò tanto spiritûs impetu, corpus prementem, spiritum eleuantem, & in cunctis se virtutibus exercentem beatum iuuenem amplior est gratia consecuta, seruo cum Domino, discipulo cum magistro quasi concertante. Studebat Dominus & magister seruum & discipulum in cunctis præuenire benedictionibus dulcedinis, multisque eum augere charismatibus: ille ediuersò quoàd potuit nitebatur sequi Dominum, quacunque eius diuina benedictione esset præuentus. Nec gratia Dei in illo vacua fuit, quam alacritate mentis & bonorum operum exercitijs in se suscitare contendebat. Sequentem itaque, quò vocabatur, & amplioris gratiæ capacem se exhibentem Dominus crebris, immò quotidianis consolationibus affecit. Quotiès enim post sumptum cibum à refectorio exiret ad monasterium, psalmum interim, Miserere meî Deus, pro gratiarum actione dicens, tantæ suauitatis eum excepit odor, vt in paradisum Domini se crederet introire. Et reuerà ecclesia est Domini paradisus, in qua sunt viui flores rosarum & lilia conuallium, humilitatis violæ, cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, myrrha & balsamum, cum vniuersis optimis & primis vnguentis: quæ omnia in viris spiritualibus, qui in ecclesia sunt, est spiritualiter inuenire. Non homo, sed immundum pecus est, & indignus etiam corpore ecclesiam Domini introire, qui horum non delectatur odore. Est & in monasterio haud dubiè sanctorum præsentia Angelorum, coniunctorum psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum. Est & corporaliter Dominus Angelorum, flos virgulæ, virgunculæ sacratissimæ: ad cuius odorem reuiuiscunt mortui. An non mortuus, qui tantorum florum & aromatum, & maximè illius floris præcipui, floris omnium florum, non delectatur præsentia? O si videamus, in cuius præsentia stamus in choro: ô si intueamur, quorum nobis coniuncta sit societas: ô si intelligamus, cui psallamus, & quantus sit, qui nostris studijs delectatur, haud dubium quin delectaremur & nos, & quotiès in hymnis & canticis spiritualibus in conspectu Domini intraremus, cælestem, immò diuinum cum charissimo fratre nostro sentiremus odorem. Quantum verò putamus odoris & delectationis persensit in corde, qui etiam corporaliter tantam naribus hausit suauitatem? Nihil dubium, quin ab omni delectatione & carnis & mundi fuerit alienus, & totis animi desiderijs in conspectum tuum Domine introierit, qui etiam corporaliter ad te intrans, corporalis odoris fragrantia est refectus. Ignorans autem principiò gratiam esse diuinam, quod sentiebat, vel potiùs sibi specialem, (Tam enim vilis apud se semper fuit, vt nihil sibi specialium meritorum vendicaret) innuit socijs fratribus secum intrantibus, num quam sentirent odoris suauitatem. Sed proditam gratiam, vni sibi debitam, statìm perdidit, donèc tandèm sępiùs eam prodendo & perdendo, iterumque recipiendo, eam, nè perderetur, non esse prodendam, cautior redditus intellexit. Solebat ipse cum ingenti cordis contritione fratribus quibusdam referre, se inexplicabiles incauta manifestatione perdidisse gratias.

Cumulatur in eo gratia Dei.

Suauissimos percipit odores.

Psal. 67.

Sibiipsi semper vilis fuit.

Gratia celanda.

Cap.16. Ipsa quoquè mater omnis suauitatis odore consimili sæpè illum recreauit. Quod quidem ex eius relatione nos didicimus, sed nihil indè molestiæ eum comperimus pertulisse. Vndè licet conijci, quasdam reuelationes nec vlli, nec vnquàm: quasdam certis personis, sed opportuno tempore: quasdam omnibus indicari debere. Paulus reuelationes suas nulli aperuit: beata mater & virgo conceptûs & partûs sui reuelationes certis personis congruo tempore exposuit: prophetæ diuinitùs ipsis reuelata in totius populi aures effuderunt. Atque hæc eadem in fratre nostro haud difficulter licebit inuenire, si diligenter animum aduertamus. sed redeamus ad rem. Moris est vsitati in Ordine nostro, puto quòd & in alijs, vt quotiescunquè nomen venerabile Virginis venerandæ in Collectis, in Symbolo, in Præfatione & in salutatione Angelica, quæ dicitur pro Inuitatorio, pronunciatur, conuentus veniam capiat, id est, diebus non festis procumbens in genua osculetur id, cui orans incumbit: festis diebus osculetur manum. Sed noster Hermannus quotiescunquè festis diebus conuentui fratrum non interfuit, ad nomen illud amabile & amatũ velocissimè se humì prostrauit, & quoàd potuit sine scandalo, terræ sic prostratus adhæsit. Cumque crebrò id faceret contra morẽ Ordinis, quidam ei familiaris obnixè petijt eius rei causam sibi explicari. Sentiens ille sibi obtigisse hominẽ, cui hoc secretũ posset impunè & cum vtilitate cõmitti, Eccè, inquit, quotiès ad nomẽ sacræ Virginis humì me abijcio, odor omniũ florũ & aromatum tanta suauitatis copia è terra influit in nares meas, vt semper illic hærere vellem, si liceret. Spe ergò recreationis huius ad prosternendum festinus sum; sed quia ægrè tanta priuor

Reuerentia eius erga nomen sanctissimæ matris Dei.

uor oblectatione, tardus sum ad surgendum. Colligamus hinc, quanta suauitate cor fratris huius affecerit memoria matris Domini, ad cuius auditum nomen tantus è terra in eius nares inuasit odor. Verè dixerim memoriam MARIAE in compositione odoris factam opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini: redolens quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus in odorem suauitatis. Studeamus & nos nares animæ nostræ (quas puto posse dici vim concupiscendi) purgare ab omni delectatione peccati, vt in memoria abundantiæ suauitatis Domini & charissimæ matris eius nos quoquè delectari possimus.

A laude Dei, & commendatione fratris nostri, & ab ædificatione morum non vacat & illud, quod eodem fratre nostro referente cognouimus: puta, quòd in laudibus matutinis sub cantico illo, Benedictus Dominus Deus Israël, Dominus ipsum suauitate mirifica visitare consueuit. In nostro quidem Ordine in præcipuis duntaxàt solennitatibus quatuor, Natiuitatis Christi, Resurrectionis, Pentecostes & Dedicationis templi, ad matutinas laudes adhibetur incensum. Sed beatus iste, qui in animo quotidianam, immò continuam agebat solennitatem, omni tempore Dominum benedicens, sub hoc cantico solennem nòn immeritò quotidiè persensit odorem. Spero etiam, quòd ea causa in cantico, quo benedicitur Dominus, quòd visitauerit plebem suam, tam crebrò gratiam spiritalē persenserit Domini benedictus, vt ei primùm, postmodùm & nobis daretur aduertere, quòd ipse specialem à Domino perceperit gratiam, vt per eum Dominus plebem suam, & speciatìm ecclesiam, in qua gratiam illam sensit, visitare redimereque deberet, ipsumque in cornu salutis erigere in domo, in qua fuerat à puero nutritus. Hoc autem valdè notandum est, quod nobis ipse de seipso tanquàm de alio commemorare solebat, eodem tempore, quo mirificum hunc ipse sentiebat odorem, quendam è fratribus vidisse duos Angelos ab vtraque templi parte fratribus incensum ministrantes, & quibusdam quidem hilariter id facere, & reuerenter coram illis sese inclinare, quosdam verò præterire negligenter, à nonnullis etiam cum quodam horrore penitùs resilire. E quibus primi, vt potuit intelligi ex moribus illorum, quorum nomina frater noster exprimebat, illos significabant, qui Deum & animo & voce laudarent: secundi illos, qui vel non canerent, vel minùs aduerterent id, quod canebant: tertij eos, quorū vita mors erat. Simul autem aduerti hinc potest, quàm nostris bonis studijs & actibus, maximè in laudibus Dei, Angeli sancti delectentur, & quàm detestentur peruersos mores & accediam nostram.

Cap. 17.

Sub cantico Benedictus, quid senserit.

Visio eius.

Beatissima Dei genitrix volens magnificarè deuotum sibi iuuenem, & suis laudibus iugiter inhærentem, innumeris ei vicibus dulcissimam præsentiam suam exhibuit, creberrimisque reuelationibus adeò sibi familiarem effecit, vt etiam inter homines coniunctissimos vix vnquàm tanta familiaritas extitisse videatur, cunctique, qui eum nôssent, planè sibi persuasum haberent, nostrum fidelem Samuelem (Sic enim propter reuelationes à pueritia ei exhibitas non immeritò appellatur) à beatissima Virgine non solùm in seruum fidelem, sed etiam familiarem amicum singulariter electum. & verè sic erat. Sæpè enim contigisse audiuimus, vt ille in aliquo monasterij loco orans ac meditans, vocem amantissimæ Dominæ ex parte aduersa stantis audiret, nec dubius à qua vocaretur (quippe qui vocem eius ex consuetudine cognitam haberet) ad illam se conferret: tum verò in aliquo secretiori loco pariter assiderent, & ille quidem beatæ matri de ipsius statu singulatìm perquirenti responderet, & ab ea rursùs quicquid vellet sciscitaretur. Talibus ille solatijs nocturnas transmittebat vigilias, tali fretus consolatrice, quælibet perferebat aduersa, tantæ matris consolatorijs fouebatur vberibus, tam illustri magistra ipsum docente, multa dubia & incerta cognouit. Mirari hęc & possumus & debemus: nam imitari non possumus. Legitur beatissima MARIA etiam S. Martino Turonensi Episcopo cum alijs virginibus aliquotiès apparuisse, & cum eo collocuta esse: leguntur & alij sancti hominibus se visendos præbuisse. Miranda sunt hæc, sed in nostro Hermanno tanto plus admirationis habent, quòd non aliquotiès, sed sępissimè ei contigisse constat.

Cap. 18.

Sæpissimè ei apparet S. Maria.

Venturus erat aliquandò, necessitate cogente, ad quādam sororum ecclesiam, quæ ecclesiæ Steinueldensis regimini suberat. Volens autem beata mater etiam in alijs ecclesijs familiaris sui merita declarare, venientem illum anteuertit, & cuidam admodùm religiosæ sorori apparens, ità locutā est: Veniet huc hodiè fidelis capellanus meus: videte vt comiter & honorificè accipiatur à vobis. Credidit virgo fidelis re-

Cap. 19.

S. Maria vocat eum capellanum suum.

uelationi fideli, & vt eius testes haberet, quibusdam eam indicauit. Puto ego matrem dulcissimam verecundiæ pudibundi iuuenis consuluisse, qui locis, præsertim insolitis, vbi nulla cerneret erga se familiaritatis indicia, peregrinum se arbitraretur, nec, sicut plerique solent iuuenes fratres, ob conciliandum sororum fauorem, alicuius ignotæ familiaritatem expeteret.

Cap. 20. Aliquandò iuuenis speciosus post sanguinis è vena missionem parùm cautè se ad dormiendum in lectulo composuit, in magnum salutis, quam sanguinis minutione quæsierat, discrimen venturus, nisi beata mater illum communijsset. Cùm enim iam dormitaret ille, aduenit illa, eumque compellans, Caueas, inquit, tibi. non enim sine periculo in brachium, cuius incisa vena est, incubuisti. deindè brachium eius beatis manibus apprehendens, docuit dormiturum, quemadmodùm & illud, & totum corpus, nè periculo se exponeret, collocaret. Quidnam quæso est isthuc? Auditáne sunt quandoquè eiusmodi, aut literis commendata? Sed planè ficta putentur, si non ab eius ore, ad fratrum præmonitionem iucundissimè ea referentis, accepta sunt. Neque enim talia quouis modo reuelare solebat, nisi ad cuiusquam animæ vel corporis salutem pertinerent, vel nisi reuelatum ei esset, cui & quam ob causam detegenda essent.

Obserua quàm fuerit charus matri Dei.

Cap. 21. Erunt fortassis, qui mirentur, quam ob rem & quò pacto mutatum sit nomen charissimi fratris nostri, quod in baptismo acceperat. Equidem causam ignoro, nisi quòd videtur diuina factum voluntate, vt homo niueæ puritatis & castitatis à quibusdam inciperet Ioseph appellari. Quod quidem ipse ægrè tulit, sicut nobis fatebatur, duorum valdè insignium virorum sibi imponi nomen, illius patriarchæ eximij, qui erat optimus inter fratres: & illius sanctissimi, qui ad hoc electus erat ex omnibus, vt ei mater Domini desponderetur. Cur autem id molestè ferret, hæc ratio fuit, quòd in nulla virtute se illis similem comperiret. Adeò verò, vt ipse asseruit, molestum id ei fuit, vt die sequenti fratres ipsum sic appellantes in Capitulo corrigendos proclamare statueret. Nocte verò media sub solitis precibus suis stans apud Abbatis locum, vidit in medio chori ad gradus presbyterij virginem inenarrabilis pulchritudinis, regali schemate insignitam: eiq; duo assistebant dextra læuaque formosissimi iuuenes, quos Angelos esse didicit, tantæ dominæ seruire paratos. Admirans autem visionis nouitatem, vnum Angelorum audiuit alteri sic dicentem: Cuínam desponsabimus hanc virginem? Respondit alter: Cui tandem, nisi fratri hîc præsenti? Tum alter, Veniat ergò, inquit. Vocatus, accessit sanè pudibundus. Postquàm autem vsque ad reginam peruenit, alter Angelus sic ei locutus est: Oportet hanc tibi illustrissimam puellam desponderi. Territus frater humilis & pudicus, indignitatem suam cœpit allegare, tantaque sponsa & sponsi quoquè nomine se omninò proclamauit indignum. Cumque reluctando moras necteret, Angelus dexteram eius apprehendit manum, & manui sacratissimæ Virginis copulauit, & his verbis eam illi despondit: Hanc ego Virginem tibi trado sponsam, sicut fuit olìm desponsata Ioseph, vt nomen sponsi pariter cum sponsa accipias, & deinceps Ioseph vociteris. Quis verò hîc vllas velit struere calumnias, si factum est, quod promisit Angelus, veri Dei verax nuncius? In omnem terram iam exiuit sonus nominis huius, & in fines orbis terræ nomen Ioseph, quod ab Angelo vocatum est. Et hæc quidem nos ab eius ore accepimus, confirmatumque est illi hoc nomen etiam in alia quadam visione, quæ fuit eiusmodi: Nocte quadam post preces longas ad lectulum rediens, iamque dormitans, ad eum locum, in quo orauerat, sibi reuersus videbatur: respiciensque ad summam aram, vidit beatissimam Virginem, infantem speciosissimum inter vlnas gestantem. Cumque ab ea familiariter vocaretur, accessit ad eam, tactusque & tractus desiderio desiderabilis paruuli, & solita fiducia animatus, Da mihi, inquit, charissima filium tuum. Illa petentem nonnihil differens (puto, vt magis eius inflammaret desiderium) tandem ei summè optatum porrexit infantem, aitque: Porta filium meum, sicut à sponso meo Ioseph portatus est in Aegyptum: vt sicut idem onus, ità etiam consimilem eius nominis honorem obtineas. Confirmatum est itaque nomen Ioseph in nostro Ioseph, & vocabitur ei nomen nouum, quod os vniuersalis Dominæ nominauit. Monitus etiam à Domina & sponsa sua, nè deinceps ægrè ferret se Ioseph appellari, nomen honorificum sine onere pertulit: sicque iam in consuetudinem abijt, vt ità nuncupetur.

Vndè cœperit Ioseph nominari.

Visio eius.

Angelus ei nomen Iosephi imponit.

Alia visio.

Cap. 22. Redit in memoriam factum memorabile, quod lectoris moribus conformandis valdè conducat. Accidit iuuenem tanti profectûs, cuius conuersatio iam in cælis erat, & supra hominem, ex humana fragilitate aliquot diebus remissiori deuotione debi-

rum,

tum officium beatissimæ Virgini persoluere. Erat autem tepor ille tam exiguus, vt illum minimè sentiret, nec eum in se reprehenderet. Fuit eo tempore magna quorundam importunitas, qui monasteria & templa effringerent, & res preciosas auferrent. Solicitus igitur beatus Ioseph, nè in monasterio ipsius curæ commisso sinistri aliquid eueniret, à precibus & laudibus Dominæ suæ se nonnihil subduxit, & monasterij aditus obseruauit. Non ferens autem beatissima Virgo deuotionem erga se fidelis serui sui quacunque causa imminui, occurrit iuueni, non iam sibi, sed custodiæ monasterij vigilanti, formam præ se ferens vetulæ cuiusdam, fronte rugis deformata. Videns illam Ioseph, & non agnoscens, vehementer expauit propter timores nocturnos, & exclamans, ait: Quid est hoc? At illa: Ego sum custos huius monasterij, sicut multo iam tempore fui. Cognoscens ille vocem eius, cuius faciem non nouerat, Túne es, inquit, ô rosa? Sic enim ex multa familiaritate, suppresso eius nomine, eam appellare solebat. Illa respondente, Ego sum: stupefactus Ioseph, Quid, inquit, sibi vult, quòd rugosæ anûs vultum sumpsisti? Respondit illa: Talis ego oculis appareo tuis, qualem me finxisti in animo tuo. Iam enim tibi vetula sum. Vbi est illa repræsentatio gaudiorum meorum? vbi salutationis angelicæ iucunda commemoratio? vbi ille deuotionis feruor? vbi cætera spiritalia exercitia, quæ mihi hactenùs obtulisti, quibus & ego tibi, & tu mihi iuuenis reddebaris? Nolo equidem, vt prætextu custodiendi monasterij intermittas seruitium meum, quandoquidem ego multò meliùs illud custodiam. Correctus iuuenis castigatione seuera, tantæ custodi curam monasterij deincèps decreuit committere, & tam se quàm Dominam suam ad pristinam reuocare iuuentutem, eius commemorandis gaudijs, & angelicis salutationibus recitandis. Quibus illam certum est non mediocriter delectari, sicut ipsa indicauit Ioseph nostro, valdè ei commendans libellum quendam, à quodam admodùm religioso viro, primo Abbate Steinueldensi (Nam ante illum Prælati dicebantur Præpositi) compositum, in quo gaudia eius multis modis scripta habebantur.

B. Virgo ei in forma vetulæ apparet.

Reprehendit eum ob prætermissas solitas preces.

Inter cætera charitatis insignia, quæ erga Ioseph suum mater beneficentissima multipliciter exhibere consueuit, hoc mirificum sanè refertur. Accidit aliquandò, vt minùs cautè ingrediens, in faciem caderet, & duobus dentibus orbaretur. Quos quidem manu ferens, omni spe illos recuperandi amissa, ibat fortassis vt ablueret sanguinem ab ore manantem. At mater misericordiæ dolorem, pudorem & tantum detrimentum sui fidelissimi miserata, venit ei obuiàm, aitque perquàm familiariter, dolenter tamen: Quid habes? At ille, Dentes, inquit, perdidi, cruciorque multo dolore. Tum illa, Da mihi, ait, dentes illos. Quos vt accepit ex manibus eius, reposuit in gingiuas cruentas, moxque fugit omnis dolor, nec vllum vulneris permansit in ore vestigium, dentesque suis locis fixi hæsêre.

Cap. 23.

Vide rem admirandã.

Multis id genus beatissimus iuuenis beneficijs affectus, & reuelationibus erectus, iam in virum spiritalem profecerat, ità vt cibis solidioribus, & pane filiorum, & ipsis Dominicæ mensæ ferculis nutriendus esset. Illos ergò panes hordeaceos, quos ipse noster paterfamiliâs in manus accipere (Tribulationem enim & dolorem inuenit propter nos, & infirmitates nostras ipse portauit, & pro nobis doluit) atque etiam benedicere dignatus est, nostro Ioseph vt filio dilecto copiosè impertijt, flagellis durioribus cædens illum, intùs quidem doloribus cordis, foris autem afflictionibus corporis. Cùm enim apposuisset ei scientiam cum charitate & zelo erga omnes quos nôsse poterat, & erga propriam atque etiam vniuersam Ecclesiam, apposuit & dolorem, charitati & zelo ex æquo respondentem. Porrò ex nimijs laboribus & vigilijs, supra humanarum virium facultatem susceptis, adeò elanguit corpore, vt stomacho lassescente & deiecto, nullos posset cibos concoquere. Indè verò existentes vapores crudi, cerebrum iamdudùm vigilijs exhaustum valdè tentârunt, ità vt penè perpetuis capitis doloribus cruciaretur. Quo factum est, vt ab omnibus absolutus functionibus, curandæ valetudini operam dare coactus sit. Etsi autem corporis infirmitate laboraret vsque ad omnimodum defectum, magìs tamen torquebatur animo, quòd solita officia præstare non posset: maximè cùm ipse sibi huius imbecillitatis author fuisse diceretur, qui à multis sæpè admonitus, noluisset immoderatis laboribus abstinere. Et posteà sanè ipse coram nobis immodicos reprehendit labores suos, monuitque vt nos laboribus nostris modum adhiberemus, seipsum nobis exemplum proponens. Et hæc quidem secundùm hominem ego dixerim. nam quòd ad diuinam prouidentiam attinet, puto equidem

Cap. 24.

Esa. 53.

Incidit in magnos capitis dolores.

sum auderet componere melodias, quod etiam artis musicæ peritissimi admodùm difficile iudicarent. Tum ille coactus offendiculum à me remouere, Non ego, inquit, solus sum huius melodiæ author, sed sacræ columbellæ auxilio mihi fuêre. cumque admirandæ visionis modum inquirerem, Post scripta, inquit, historiæ verba, solicitus de melodia, in lectulum incubui, & eccè chorus virginũ supra me in aëre collectus, ipsam mihi præcinuit melodiam, & ego eam calamo expressi. Dicenti autem mihi, friuolum id & commentitium videri, posse quenquam quantumuis magno ingenio sic auditam melodiam tam facilè & memoriæ & scripto commendare, ille volens prorsùs satisfacere, admirationem meam maiori admiratione dissoluit. ait enim: Quotiès me obliuisci contigit cantús illarũ, vel aliter scribere, quàm audiuissem, illæ redibant iterùm atque iterùm, totiesque ea, quæ exciderant mihi, repetebant, donèc penitùs animo meo affigerentur. Solebat autem quædam eius historiæ verba cum melodia sua nobis crebrò referre, quæ sacræ virgines summa alacritate & iucunditate identidèm concinendo repetijssent, ità vt & ipse nobis ea referens, mira & oris & animi hilaritate perfusus cerneretur.

Addo his duo miracula, quæ itidèm ab eius ore accepi. Accidit Dei nutu, vt aliquandò adesset, cùm preciosissimæ margaritæ, puto reliquiæ beatarum virginum inuenirentur. Repertum autem tunc fuit inter cætera, sed præ cæteris amabile corpusculum paruulæ virginis, cuius caput summo desiderio sibi vendicare cupiebat. Itaque ad Abbatissam eius loci se contulit, orans instantissimè caput illud sibi donari, sed repulsam passus est. Cumque sæpè suas repeteret preces, responsum est ei, si vellet alias eius sodalitatis reliquias, se multas impetraturum: illud verò corpusculum, atque caput eius nulla ratione sibi donatum iri. At molestè ferens se sic repelli, ad Dominum deprecandum se contulit. Petijt ergò, vt liceret sibi more suo in illo templo sacrosancta mysteria celebrare. Quod cùm permissum est, tanta apud Deum & sacras virgines deuotione institit, vt certior fieret se quod petierat adepturum. Ab altari indè recedens, Abbatissam adijt, quæ illud caput sacello proprio inferri iusserat, pro specialibus illud reliquijs habitura: iteratisque precibus suis coram illa, mirabiliter eam mutatam inuenit, ità vt vltrò iam offerret, quod anteà obstinatè negauerat. Accepto igitur tam optato thesauro, nitidissimam ad nos margaritam attulit, nobisque gratulantibus eam Gertrudem, vt erat reuelatione edoctus, appellari indicauit. Cap. 27. Sanctarum virginum reperiuntur reliquiæ.

Sub idem tempus ad quandam bonæ deuotionis matronam salutandam venit Ioseph noster, in castello commorantem. Valdè enim amabat eam tum propter animi pietatem, tum propter humanitatis officia, quæ religiosis exhibebat. Allata autem eò fuerant duo capita beatarum virginum, quæ apud eam in scrinio seruabantur. Quod cùm, nescio quo casu, fuisset in terra positum, quidam præsente Ioseph, nullam exhibens sacris reliquijs reuerentiam, super illud non timuit residere. Cernens id amator sacratissimarum virginum, zelo incitatus, & vt ipse nobis iucundo spiritu commemorare solebat, totus indignationis igne incensus, orabat vt talis vltio virginum sanctarum contemptorem persequeretur, qualis olìm inuasit eum, qui beatissimo Martino Episcopo noluit assurgere. Et eccè mox secutus est effectus beati viri desiderium. Cœpit enim ardere contumax ille à posteriori corporis parte, qua sedebat. Itaque confestim exiliens, nesciuit vndè repentinus ille accidisset ardor: cognouit autem, cùm ei vir beatus causam exposuit, non tamen sibi, sed sacratissimarum virginum meritis eam adscribens vindictam. Sed qualem, oro, nos ardorem sentiemus, qui nec sanctorum reliquijs, nec locis sacratis, immò nec ipsi Sancto sanctorum in templis reuerentiam præstamus, indignantibus nobis sanctis Angelis, qui illic adsunt? qui proculdubiò indignè ferunt, si nos videant sacras aras vana cogitando, negligenter caput submittendo, Dominum non orando & honorando præterire. Cap. 28. Vltio diuina in sacrarũ reliquiarum contemptorem.

Porrò Dominus seruum suum Ioseph quotidianis laborantem afflictionibus, tum per seipsum, tum per creaturas multis voluit consolari modis. Interim sic ei loquebatur intùs: Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur. Ille verò crebrò cogitabat de præmio, & quid suauitatis haberent cælestia, cupiebatque introire in sanctuarium Dei. Cõtigit tum ista cogitantem aliquandò stare ad sacrarij fenestram, & ad Orientem respicere, vbi ortum lunæ & aliquot siderum, cælumque serenum potuit contueri. Cumque his contemplandis tota animi & corporis intentione vacaret, magna creaturarum delectatione, & eas integrè cognoscendi ardore correptus, ait ad Dominum: Da mihi Domine Deus tuarum notionem creaturarum, vt per eam ad te Cap. 29. 2. Cor. 12.

cognoscendum animus perfectiùs subleuetur. Sub his precibus miro quodam modo, & quem ipse explicare non potuit, extra se factus, acie valdè dilatata vidit pulchritudinem & magnitudinem cæli stellati & siderum. Indè ad se reuersus, nihil aliud nobis retulit, nisi quòd ex hac perfecta creaturarum cognitione tam inæstimabilem percepisset delectationem, vt nullis possit verbis explicari.

Mira eius visio.

Cap. 30.

Præuidet cædem Engelberti Archiepiscopi Coloniensis.

Operæprecium fuerit etiam illud literis commendare, quemadmodùm cædes eximij præsulis Coloniensis Engelberti adeò luculenter ei reuelata fuit, vt etiam corporeis oculis eam intueretur, antequàm fieret. Nocte quadam, hebdomadibus plùs minùs quatuor ante hanc cædem, cæli, vt puto, serenitate ob eam, quam diximus, causam delectatus, sub dio stans in creaturarum specie contemplabatur creatorem. Ab eo enim tempore, quo eas per excessum mentis cognouerat, maiori animi pietate & delectatione creaturas intueri solebat. Cùm ergo ad Meridiem aspiceret lunarem globum pleno & inoffenso lumine fulgentem, ad Aquilonem se vertens, vidit aliam exoriri lunam, eamque adeò luculentam, vt alterius lunæ quanuìs plenum lumen propemodùm totum obscuraret. Eius igitur rei nouitate stans attonitus, vidit cælum stellatum à dextris aperiri, & inter hiatum illum & lunam recèns ortam, quæ iam ad cæli aditum sustolli videbatur, vidit effigiem gladij breuis, sed lati, quales sunt * Bauarorum enses. Quem cùm luna illa attigisset, in cælum pariter cum illo se recepit. At verò Ioseph non intelligens, quid hæc sibi vellent, nec tamen dubitans, quin aliquid magni portenderent, anxius ad lectulum redijt. Vbi cùm dormitare cœpisset, turbam quandam ædes, in quibus erat, prætereuntē sibi audire visus est, sępiusq; alios alijs dicentes: Heu heu, Episcopus Engelbertus occisus est. (Alio loco sic habetur: Audiuit vocem apertè dicentem: Quod vidisti, mortem significat Engelberti Coloniensis Archiepiscopi, cuius anima è corpore egrediens, cum tanta luce, vt vidisti lunam illam, in cælum recipietur, & sic fulgebit coram Domino.) Tum ille coniecit quidem, quid sibi vellet visio sua, sed non ausus fuit ei fidem adhibere. dixit enim apud se: Quo nam modo vir tantæ gloriæ, tantæ potentiæ, tam multo semper fultus comitatu occidetur? Quòd si id fiat, quis credet virum totum mundo deditum, in tot prosperis successibus & delicijs viuentem, subitò coronari? Sed tamen paulò pòst vir tantus propinquorum gladijs peremptus est, pro quo nè caderet, alienos illi gladios potiùs in se excipere debuissent. Atque hac quidem visionis parte completa, vt semper sibi suspectus erat vir beatus, de martyris adhuc gloria dubitabat. Itaque audiuit vocem dicentem sibi: Quandoquidem visioni verissimæ fidei oculos aduertere noluisti, dolebis oculos, nec sanaberis, donèc oculos cereos ad sepulcrum martyris offeras, & sic in teipso experiaris eius rei, de qua ambigis, veritatem. Mox Ioseph corripitur dolore oculorum non mediocri, & oblatis oculis cereis, ilicò curatur. Posteà comperit eo loco peremptum Episcopum, vbi visio hæc ei oblata fuit.

Oculi eius curantur, oblatis oculis cereis ad sepulcrum Engelberti.

Cap. 31.

Libet hîc subnectere de gratia singulari, quam ei Deus annis aliquot ante decessum eius contulit in sacrosanctis Missarum mysterijs, omnibus anteactis temporibus inauditam, nec tamen ista scribimus, vt quis ea imitari velit, nisi sit talis, qualis hic vir fuit. Igitur Deo & hominibus dilectus Ioseph noster, licèt à principio ordinationis suæ singulari fuerit gratia in diuinis, maximè cùm cælesti patri vnicum immolaret filium: at tamen extremis vitæ suæ temporibus, annis non paucis, inaudito quodam modo illum visitauit Deus, ità vt sub secretis diuini mysterij singulis penè diebus mentis excessum pateretur, & stans planè immotus per horas plurimas, cunctis de se mirabile spectaculum exhiberet. Ea autem res multis magnam attulit offensionem, non solùm extraneis, sed etiam fratribus, adeò vt vix quisquam ei sacrificanti inseruire vellet. Rogatus autem à quibusdam fratribus, vel desineret esse tam prolixus, vel causam tam inauditæ prolixitatis explicaret, non acquieuit. Rogabam & ego eum supplex, vt tantæ moræ causas, non mihi, qui me scirem tanto mysterio prorsùs indignum, sed alicui ex fratribus, quos innocentia vitæ & animi puritas commendat, exponeret: sed non obtinui. Cumque animo commotus instarem, diceremque rem esse plenam periculi, si nullus esset tantorum secretorum conscius, illud tandèm ab illo responsum extorsi: Reuerà, inquit, non sum ausus hoc cuiquam reuelare secretum, vt qui & gratiam deuotionis sim amissurus, & grauissimas daturus pœnas. His auditis, statui ego deincèps ab homine admirando abstinere, nè forsan mea importunitate spiritum extinguerem. At alij quidam, ei magìs familiares, explorare volentes quid in tanta mora faceret, stabant contra illum versis vultibus, cernebantque eum nec ore

Sub Missa mirabiles patitur mētis excessus.

quicquam dicere, nec oculis videre. Nam tametsi apertis ſtabat oculis, non tamen cernebat illos. Poſt longum autem interuallum tanquàm à ſomno euigilans, ſpiritum vehementer attraxit, & ſic ſacroſancta peregit myſteria. Puto autem viros religioſos facilè poſſe animaduertere, ad multa ardua & ſuauia contemplanda ſpiritum eius fuiſſe raptum, cùm omnes ſenſus corporis ità deſereret, vt nullus ſuo officio fungeretur. Cogor hìc lugere miſeriam animæ meæ, meique ſimilium, qui ad illa terrifica ſacramenta adeò toti carnales accedimus, nihil ſpiritale, nihil cæleſte, nihil diuinum meditantes, ſapientes, intuentes, immò vix ſolam fidem, eamque heu nimìs infirmam de diuinis ſacramentis retinentes: creatoris, redemptoris & iudicis præſentiam non ſentientes, nec præſentium angelorum officioſiſſima miniſteria attendentes. In eos, qui negligenter accedunt ad diuina ſacramenta.

Cap. 32. Fuit aliquandò per annos aliquot in monaſterio virginum, cumque illic etiam tam eſſet ſub ſacrificio prolixus, non exiguum contra illum exortum eſt murmur, alijs dicentibus ſe laboris tempus amittere, alijs cereos abſumi conquerentibus. Dolebat id ſeruo cuidam, qui beatum virum amabat ſatìs familiariter. Itaque volens experiri is, num cerei abſumerentur, die quodam milliarij vnius, quod duo vel tria Gallica continet milliaria, iter ingreſſurus, alterum ex cereis, qui ardere ſolebant in altari beato viro ſacrificante, erantque pari longitudine, alicubì abſcondit: cumque inchoaret Miſſam vir beatus, ille egreſſus eſt, & confecto itinere, expeditiſque negocijs, domum reuerſus inuenit contemplatorem noſtrum etiamnùm ſacro altari aſſiſtentem. Deindè perfecto officio cereum abſconditum cum illo, qui in Miſſa arſerat, contulit, reperitque non tantum ex illo conſumptum, quantum ſolet in aliorum ſacrificijs. Ea re lætatus, vtrunque cereum oſtendit virginibus, indicans quid feciſſet, & diligenter eas admonens, nè decæterò contra Dei famulum murmurarent. Præclarum ſanè miraculum, vt ignis oblitus vim virtutis ſuæ, eam in tam molli materia exercere non poſſet. Obſerua rem miram.

Cap. 33. Puto hoc quoquè lectoris ædificationi aliquid profuturum, ſi dicamus, quantam præſtiterit reuerentiam ſacramentis, quanto ſtudio illa confecerit, tractârit, ſumpſerit, quo timore & tremore vaſa omnia & alia ad ſacrum miniſterium pertinentia contrectârit. Verebatur ille modò ſe nimiùm miſcuiſſe aquæ cum vino, modò guttulas quaſdam ſeparatìm calici inhæſiſſe: nunc vel tangenda ſacra hoſtia, vel etiam frangenda aliquas minutiſſimas particulas digitis adhæſiſſe: nunc ſe ſumendo Euchariſtiam illas particulas anhelitu ſuo à patena eieciſſe: nunc ſumendo ſanguine quippiam diſtillâſſe, aut in calice remanſiſſe non ſatìs accuratè deterſum: modò verò illam corporalis partem, cui hoſtia imponitur, vel digitis, vel alia parte corporalis ſe attigiſſe: modò illis articulis digitorum, quibus ſacram contrectârat hoſtiam, ante ablutionem ſe aliquid tetigiſſe, & ſuper omnia, ſe ea, qua par erat, deuotione præditum non fuiſſe, vt ex ſententia poſſet dicere cum beato Iob: Verebar omnia opera mea. Ea ergò reuerentia, quam ſummam adhibuit ſacramentis, in cauſa fuit, vt omnia tractìm perageret, corpus Dominicum, perindè acſi pati adhuc poſſet, & eleuaret & deponeret, & omnes corporis geſtus admodùm reuerenter componeret. Vngues digitorum, quibus ſacra hoſtia contrectatur, & ſuperioris labij pilos ori proximos, forfice ſolebat præcidere, & ob ſacramenti reuerentiam conſeruare apud ſe, indignum cenſens illa pedibus conculcari, quæ ex frequenti Dominici corporis contactu nobilitata eſſent. Nec tamen hoc ſcribimus, vt trahi debeat in exemplum, quod tota Eccleſia non obſeruat: ſed vt beati viri erga ſacramenta eximiam reuerentiam declaremus. Piarû mentium eſt, ibi etiam culpâ timere, vbi non eſt culpa. Iob 9.

Cap. 34. Hoc etiam, quod in ſeruo Dei naturæ metas exceſſiſſe videtur, ſilentio præterire non poſſum, quòd cùm adeò imbecillis eſſet viribus, vt neque ſtare diù, neque ieiunare poſſet, quin extremè deficeret, tamen altaris miniſterio occupatus, & ſtare diutiſſimè, & ieiunus permanere potuit. Contigit aliquandò, cùm apud tales eſſet, quorum deuotione lætabatur, vt per aliquot dies ex alacritate ſpiritûs tantum corporis ſentiret robur, vt nec ieiunium ei moleſtiam afferret, nec ſine miraculo etiam corporaliter laboraret. Nouerat enim parare horologia, qua cauſa etiam nonnunquàm ad alia monaſteria vocabatur, vt vel noua horologia conficeret, vbi non erant, vel vitiata corrigeret. Id quod ille tanta iucunditate faciebat, vt eius præſentia non ſolùm nulli oneroſa, ſed omnibus gratiſſima foret. Adeò enim omnium ſe moribus & conſuetudini accommodare ſciebat, vt quanuìs inter perfectos ſapientiam loqueretur, tamen cùm eſſet cum pueris, quaſi vnus ex illis exiſtimaretur ab eis. Has corporis vires nouimus ei datas interdùm, cùm ad meditandum vel ſcribendum aliquid ſpirituale, cui ſingulari deuotio- Res ſtupenda ſanè. Vires dantur ei diuinitùs.

ne & gratia affectus esset, studium applicaret, itá vt nonnunquàm vsque ad meridiem, crebrò vsque ad vesperam & crepusculum ieiunium protraheret. Atque tum etiam, fratribus eum compellentibus, vt fragili corpusculo indulgeret, sæpè vno pulmento, maximè autem pultibus contentus erat.

Cap. 35. Venio nunc ad visiones & reuelationes Domini, quæ alijs nobis notis hominibus, vitæ sanctitate probatis, de beato viro factæ sunt, vt etiam aliundè habeat testimonium veritatis. Fuit in monasterio nobis vicino virgo sancta ordinis Cistertiēsis, lumen & decus nostri temporis, cuius testimonium tanto plus apud me ponderis habet, quanto ego eam familiariùs noui: nec de illo quisquam ambiget, qui legerit vitam eius virginis, primò quidem à nostro Ioseph conscriptam, sed posteà à me redactam in compendium, nè quis eius prolixitatem forsitan fastidiret. Obijt autem aliquandò apud nos, ecclesiæ nostræ simplex frater, sacerdotio initiatus, bonum habens à fratribus testimonium. Pro cuius anima hæc virgo Domino multas obtulit preces, petijtque sibi certò reuelari, quo statu res eius essent. Post aliquot dies apparuit oranti illi defunctus, & de sua salute certiorem eam reddidit. Ait autem virgo ad illum: Oro, dicas mihi, cuius apud Deum meriti est Ioseph? Respondit ille: Ob virtutes eximias magni Ioseph est meriti. Scire enim debes, illum humilitate, patientia, charitate & obedientia omnes antecellere. Id cùm posteà indicatum esset Ioseph, vt ego ab eius ore accepi, itá ait: Hactenùs quidem reuelationibus Elizabeth (sic enim vocabatur virgo) fidem adhibui: at nunc timere compellor eam esse deceptam, cui talia de omnium mortaliū nouissimo, prorsusque inutili, & qui pane, quo vescitur, dignus non sit, reuelata sint. Huiusmodi verbis seipsum despicere, & apud nos quod erat dissimulare solebat, nè præclarè de illo sentiretur, hominum laudes deuitare volens.

Testimonium de excellentia beati viri.

Nota eius modestiam

Cap. 36. Aliam quoquè visionem eadem virgo de Ioseph habuit, quam illa suo mihi ore narrauit. Cùm appropinquaret tempus resolutionis eius, mihi sanè lamentabile, vt quem illa precibus & lachrymis suis ab omni aduersitate protegere, & in rebus dubijs certum efficere consueuerat, Angelus Domini ait ad eam: Præpara te, breuì enim itura es. Sciens illa, quid diceret, quippe quæ ea causa Dominum multo tempore summa instantia esset deprecata, Et quandò, inquit, itura sum? Illo respondente, quòd admodùm breuì, subiecit virgo: Itáne prior ego decessura sum, quàm Ioseph? Respondit Angelus: Tu quidem illum antecedes, sed ille non multò pòst te sequetur. Tum illa, Dic mihi, inquit, quis vir est iste Ioseph? Respondit Angelus: Magnus planè est, & cui in ecclesia Steinueldensi nullus par sit. Illa commemorante fratres bonæ existimationis, qui tum erant apud Steinueldenses, sciscitanteque num illos omnes excelleret Ioseph, dixit Angelus: Hi quidem admodùm boni sunt, sed nihil ad Ioseph. & quadam vocis contentione & seueritate vtens, subiecit: Nemo par est Ioseph. Scias enim certissimè, Ioseph castitate & puritate animi & corporis, humilitate perfecta, charitate summa, & patientiæ longanimitate præcellere vniuersos. multaque alia de eius virtutibus adiecit. Cùm autem extremam vnctionem famulæ Dei, præsente Ioseph, mœstissimus adhibuissem, omnibus semotis, mihi soli dixit: Iam non multa deincèps tecum loquar: scio enim certissimè impletum iri, quod à Domino per Angelum didici, & ardenter concupiui. Itaque sub his extremis colloquijs nostris Ioseph tuæ charitati commendo, teque commoneo diligenter, vt modis omnibus caueas illum vnquàm vel verbo vel facto perturbare. Infirmitati corporis eius humaniter subueni, & quibus potes modis ei opitulare, id pro compertissimo habens, quòd nemo illum impunè exacerbauit etiam in hac vita, vt nihil dicam de futura, vbi pœnas dabit sempiternas, nisì egerit pœnitentiam. Nam & meipsam sentio hîc diutiùs torqueri, quòd aliquotiès turbauerim eum.

Aliud testimoniū sanctitatis eius

Cap. 37. Eius eximia virginitas. Sed quia virtutum beati viri mentio facta est, in quibus totius sanctitatis vis & summa consistit, operæprecium fuerit singulatìm virtutum signa, quæ ipsi & vidimus & audiuimus, explicare. Castitas quidem post acceptam à baptismo vestem albam & immaculatam, tam in illo perfecta fuit, vt gemma virginum, castitatis lilium, pudicitiæ titulus, vas electum continentiæ, agnus innocens, & virgo virginum nostri temporis iure potuerit appellari. Virgo fuit cunctis sensibus suis, & quantùm perpendere licuit, in hac virtute nostram vltra modum fragilitatem excessit. Si enim fuisset opùs, etiam in diuinis deuotarum fœminarum, vtì virorum, ministerio vtebatur. Non ego hîc ministerium fœminarum, quantumcunquè sanctarum, sacerdoti ministrantium commendo, sed oculos sacerdotis lacte lotos, itá repletos & absorptos à spiritu, vt non discernerent

mulie-

mulierē à viro, aut si discernerent, nihil per aspectū in cor purissimum humanæ fragilitatis irrepsisse, quid ni commendem? Addam maius aliquid. Volens aliquandò meridie somnum in lectulo capere vir castissimus, in eo lecto cubauit, in quo iam fœmina dormiens iacebat. Quæ cùm illo dormiente esset expergefacta, viso viro, expauit, erubuit, aufugit. Nec hîc ego commendo virum in eodem lecto cum muliere cubantem, sed virum spiritalem, mulieris præsentiam non sentientem.

Humilitatem autem illius quomodò pro dignitate prædicabimus? Cuius ille præ cunctis virtutibus studiosissimus fuit, audiensq; Christum dicentem, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: tanquàm verus veri magistri discipulus, corde, voce, gestu, habitu, agendo, patiendo eā expressit, adeoq; hæc in illo virtus eminuit, vt cùm omnes cunctis virtutibus superaret, humilitate cæteras in seipso virtutes & humanū modum excederet. Facilè hoc persuaderi illi posset, qui vocem modumque loquentis audisset, & quàm promptus ille fuerit accusator suî, aliorum excusator, quàm verecūdus reprehensor, vbì posceret necessitas. Nunquàm iactabat ille bona sua, aliorum semper prędicabat. Si quandò in faciē laudatus esset, illam laudem miris modis ità nouerat eludere, vt nonnunquàm etiā id, quod vidissemus & audiuissemus, adeò nobis excuteret, vt illi virtutē inesse vix crederemus. Quotiès autem apud nos suî faciebat mentionem, se opprobriū hominum, & abiectionem plebis, se numerū tantùm & fruges consumere natum, pomum syluestre putridum, omniumq; onus appellabat. Gestus omnium membrorum eius simplicissimi erant, vt nihil in eis insolens, aut quod singularitatem præ se ferret, conspiceretur. Compungor, frater charissime, dum te cōtemplor oculis cordis mei, lugeoq; tam me tuî dissimilē. Caput tuū humiliter submissum erat, oculi tui planè columbarum, nihil noxiū afferer ē tes in domiciliū cordis tui. Genæ tuæ, instàr turturis, humilitate depressæ, virginei pudoris verecūdia rubicundæ. Incessus pedum tuorū moderatus & simplex, nihil omninò vel superbiæ, vel leuitatis admittens. Si quē sibi offensum putaret, sine personarum acceptione facilimè se ad petendā veniam in genua submittebat, voce humilima sibi ignosci petens. Vestes eius nec delicatæ, nec sordidæ, tametsi ad sordes propensior videbatur. Multis annis non vidimus eum nouo vtentē cucullo, quod tamen ille non humilitati, sed imbecillitati corporis tribuere solebat, asserens se noua vestimenta propter pondus ferre nō posse. Quod etsi verum erat, maximè tamē humilitate id illum fecisse nouimus. Nouis tunicis aliquādò vsus fuit, sed sæpiùs & libentiùs vetustis, quæ sartas haberent manicas. Vestem pelliceam, qua solebat vti diutissimè, suis interdùm manibus panno laneo ęquè vetusto sarcire solebat: cumq; frater ei familiaris id repręhenderet, aiebat: Ego meliori dignus non sum. Calcei eius nulla erāt arte cōfecti, plerunq; veteres, & quibus alij iam vsi essent: in quibus si quid superbū in anteriori parte inesset, ad lignum vel lapidē eos allidebat. In cūctis eius actibus nihil erat, quod cuiusquam boni hominis oculos offenderet, quippe è quibus sanctitas reluceret. Totus ille sibi ex animo viluerat, & quod apud se intùs erat iudicio suo, foris etiā alijs ostendebat. Qua igitur ratione laudem ab alijs expeteret, cùm eā ipse sibi negaret? Immò verò non solùm non laudari ille volebat, sed etiā vilipendi cupiebat, quod equidem certo declarabo exemplo. Eunti illi aliquādò rusticus occurrit: quem ille salutās, flexis genibus sic orauit: Quæso vt facias id, quod petiturus sum abs te. Illo respondēte se id libenter facturum, adiecit: Cæde obsecro maxillam meam. Territus rusticus re insolente, quæsiuit cur id peteret. Respōdit ille: Dignus planè sum, qui cędar in facie, cùm sim putre cadauer. Hoc quidem ille rusticus narrauit vni ex sacerdotibus nostris. Quod vbì nos resciuimus, factum viri stulti propter Christū, sed prudentis in Christo, ægrè tulimus, non id humilitati, sicuti oportuit, sed stultitiæ eius adscribentes. Igitur repręhensus est à nobis, at ille vt in viam nos reduceret, Et quo alio, inquit, dignus sum impurum cadauer, quàm vt cædar in faciē? Docuit ea nos, doceat & lectorem plena humilitatis responsio, quid de seipso vir beatus sentiret, nec ausi simus dicere stultitiam, vbì tantæ humilitatis sapientia apparet, maximè quādò perfecta humilitas absq; stultitiæ nota in eorum oculis, qui humanam venantur gloriā, aut vix, aut ne vix quidem seruari potest. Huiusmodi autem factis penè apud omnes, qui illum nouerant, adeò viluerat, vt nulla eum laude dignum putarent. Multò enim magìs ille optabat stultus quàm sanctus haberi, cùm esset humilimus omnium, quorum nos notitiam habemus, nō solùm coram hominibus, qui falli possunt, sed etiā corā facie tua Domine IESV, qui falli non potes.

Laudemus porrò charitatem eius, quæ omnium radix est virtutū, sine qua non potest virtus vlla meritò appellari. In hac virtutum radice omnes virtutes suas plantauerat

Cap. 38. Humilitas eius insignis. Matth. 11. Gestus eius. Vestes eius. Calcei. Actus. Cupit vilis haberi. Vilescit apud multos, licèt sanctissimus. Cap. 39. Sublimis charitas eius.

rat Ioseph noster. Dilexit ille re vera Deum, dilectus Deo, propter quem corporis voluptatem castitate, mundi gloriam humilitate calcauit: propter cuius verba labiorũ vias durissimas custodiuit, ingrediens per angustam portam humilitatis, paupertatis, laborum & dolorum: nec tamen vel ob contemptam voluptatem, vel ob quamlibet toleratam afflictionem aliud expetiuit præmium, nisi vt faciem videret tuam Domine IESV. Tibi, tibi soli dixit cor eius, charitate tua vulneratum, Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. O quotiès & quàm ab imo ductis pectore gemitibus etiam nobis præsentibus te suspirabat bone IESV? quàm dolebat miseria miserabilis Babylonis huius, & absentia vultûs tui? Adeò verò etiam proximi charitate feruebat, vt probè nôsset & gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Intantùm ille tum corpore tum animo afflictis condolebat, vt mitissimum & benignissimũ cor eius, omnium mœstorum, infirmorum, & qualibet miseria laborantium cõmunis quædam domus hospitalis videretur. Vidi ego aliquandò, cùm fratres quidam suas ei tentationes & molestias exponerent, tanta illum cõmiseratione affici, vt & vultus concideret, & manifesta eum cordis defectio occuparet. Quibuscunque potuit modis, condolendo, consolando, orando afflictorum portauit onera, vt legem Christi, quæ charitas est, adimpleret. Dederat illi Dominus gratiam bonam, & linguam eruditam, vt sciret sustentare verbo eos, qui lapsi fuerant, & quorum vestigia nutabant: atqu eex his, quæ passus erat & quotidiè patiebatur, afflictis omnibus omnia se facere nouerat, tum à sancto spiritu, tum ab experientia in omnibus institutus: nec quenquam, charitate impellente, à se alienum aut extraneum reputabat.

Psal. 26.

Commiseratio erga afflictos.

Cap. 40. Excellens patientia.

Vt verò ad eius quoquè patientiam veniamus, crucem suam tanquàm ex duabus compactam lignis, externa afflictione & interno dolore, quotidiè ferebat, insistens in vestigijs Domini sui. Videbatur flagellis & verberibus vndiquè cinctus vir miræ innocentiæ, vt omni ex parte eius patientia exerceretur. Multigena ei Dominus flagella adhibuit, vt omnigenis posteà in cælo gaudijs afficeretur. Multis, & quotidianis, ac penè continuis vexabatur morbis, debilitate stomachi, doloribus capitis, defectione cordis creberrima: demptis alijs sæpè superuenientibus ægritudinibus. Afflixit etiam eum Dominus, non permittendo, vt corporis cõmodis, cibo, potu, equo aliquò profecturus, molli strato vteretur: ità vt sæpè esuriret & sitiret, nec tamen liceret ei sumere cibum illum & potum, quem expetebat. Erat sanè omnibus non mediocri admirationi, quòd viderent eum fame & siti laborare, nec tamen capere cibum & potum, quem ordo siue institutum permittebat. Interdùm fatigatum illum ex labore, extra monasterium agentem, amici eius molliori lectulo fouere volebant, sed ille reiecto lectulo benè composito, in solis straminibus debilis cubabat. Rogatus quandoquè, quid causæ esset, quòd cibos lautiores & lectos molles tam imbecillus corpore non admitteret, paucis respondebat: Iesus prohibuit. vel: Iesus non permittit. Equo vel curru annis propè duodecim vsus non fuit, neque in niue, neque in pluuia, non in æstu aut frigore, sed quanuìs difficilia itinera pedes conficiebat, exiguo scipione imbecillia membra sustentans. Fecisse autem id eum voluntate diuina, eiusmodi exemplo didicimus. Ibat aliquandò ad chortes ecclesiæ nostræ, assumpto fratre, ei valdè familiari. Habebant autem duo vnum duntaxàt equum, quem manibus ducebant. Cumque paululùm progressi essent, ait Ioseph: Vix possum vltrà progredi, adeò lassus sum. Hortante eum fratre, vt equum ascenderet, respondit: Non possum. At tamen fratre importunè vrgente, tandèm equum ascendit: sed paulò pòst tam grauiter equus offendit, vt ægrè posset à casu se tueri. Itaque ait fratri: Nónne dixi tibi, non posse me equo subuehi? Tum frater, Quæso, inquit, denuò tentemus. Assensit Ioseph, sed equus multò etiam grauiùs impegit, ità vt fratri diceret Ioseph: Sine me ab equo descendere, nè deteriùs corruam. Admirans frater, & tamen quid ageretur ignorans, Etiam tertiò, ait, in nomine Domini periculum faciamus. Ego sustentabo te, nè possis ex casu detrimentũ accipere. Vix ille verba finierat, & cùm equus vellet procedere, totus corruit, & sessor, licèt fratre sustentante, vix illæsus euasit. Tum frater cernẽs se totiès voto frustrari suo, obnixè rogauit eum, vt quid sibi hoc vellet, explicaret. Et Ioseph, Crede mihi, inquit: Dominus Iesus prohibuit. Alioquì putas me non perindè vt alios, vsurum cibo, potu, equo, nisi Dominus vetuisset? Illo ergò iubẽte, hos ego peculiariter sustineo labores. Sic ille ad mortem vsque Domini IESV fuit constrictus legibus, vt eius exemplo nec equis, nec curribus veheretur. Interim verò non deerant præter alios, etiam quidam in fratribus, qui per contumeliã ei obijcerent, ꝙ sępè posset comedere, nec tamen laborare:

Morbi varij affligunt eum.

Cur nihil sibi indulgere voluerit etiam valdè imbecillus.

rare: non attendentes stolidi, omni labore molestius id ei accidere, quòd non posset laborare: & quauis inedia acerbius, quòd ieiunare nequiret, Domino illi etiam in Quadragesima non parcente, vt vel tunc posset cum pueris alternis diebus ieiunare. Porrò etiam teterrimus satan quantum potuit molestus ei fuit, modò in corui, modò in felis specie ei oranti apparens, nunc cucullo à tergo eum trahens, vt à precibus eum impediret, aut certè improuiso metu concuteret, quem aliter ad assentiendum suæ malitiæ permouere nequiuit. Exercebatur quotidiè in his alijsque multis fortissimi athletæ patientia, & vtroque homine dimicans, cælestis præmij coronas sibi texebat. Infestus ei est malignus dæmon.

Libet iam aliam suprà dictæ Christi ancillæ de nostro Ioseph exhibitam reuelationem subiungere, summam sanctitatis eius laudem hauddubiè continentem. Cùm ecclesia Steinueldensis magnis quateretur aduersitatibus, & à solo Deo esset expectandum remedium, virgo hæc Elizabeth (quæ propter spiritales amicos, quos in ea habebat, non minùs quàm propriam ecclesiam eam diligebat) cœpit eius perturbatæ causam in se recipere, & neque nocte neque die à precibus & lachrymis cessare. Expertus loquor. Fuit ea virginis Christi consuetudo, vt quotiès pro causa aliqua Dominum deprecari cœpisset, non desineret, donèc certam ab eo consolationē obtineret. Instanti itaque precibus & lachrymis multis, apparuit ipse mœrentium consolator, aitque ad eam: Quid ità pro ecclesia Steinueldensi clamas ad me? Putas'ne illius me oblitum? Certissimè noueris, in ea iam germinate lilium, quod te quoque dignitate præcellet: quod quandiù fuerit in ea ecclesia, illa perire non poterit. Hoc lilio quem Dominus significare voluerit, satis declarant crebra miracula, quibus Ioseph nostrū extulit non solùm vltra omnes fratres eius, sed etiam supra ancillā hanc suam, virginem egregiam, ità vt in omnes fines terræ huius lilij odor sese diffuderit. Cap.41. Laudatur à Deo.

Adiungimus huic aliud alterius Elizabeth, virginis non minùs sanctæ testimonium. Celebrabat aliquandò sacerdos eximius Ioseph noster sacrosancta mysteria, asperrima quidem hyeme, sed solita prolixitate & suauitate. Sub Canone stabat manibus eleuatis, nec tamen sentiebat acerrimum frigus, quod alijs locis & temporibus magnam ei molestiam afferre solebat. Adeò erat extra se raptus, vt sensus corporei suis destituti essent officijs, oculi nil cernerent, aures nihil audirent, manus insensiles essent. Adfuit tunc hæc virgo optimæ existimationis, purissimæ simplicitatis & castitatis eximiæ, maximeque admirabatur sacerdotem Domini tam longo temporis spatio illo immani frigore nihil affici. Tum verò Dominus aperuit oculos admirantis, & maiori miraculo admirationem eius absoluit. Vidit enim Dominum IESVM ex vna parte, & beatissimam matrem eius ab altera adstare sacerdoti nostro, eique ceu charissimo ministro sua exhibere ministeria, Domino IESV tenente manum eius dextram, sinistram sanctissima matre eius, eoque contactu vtranque manum calefaciente, frigusque temperante. Ità factum est, vt tot horis homo debilis in tanto duraret frigore, (quod alioquì ferre non potuisset) nec igni manus admoueret, nec vel contrahendis digitis, vel aliquo signo se frigere indicaret, immò nec peractis mysterijs in manibus algoris extaret signum aliquod. Itaque etiamsi reuelatione id patefactum non esset, satis hinc constaret Dominum IESVM, itemque sanctissimam matrem eius, illi adfuisse, eiusque digitos calefecisse. Perfectis indè sacris Missarum solennijs in feruore cordis & corporis refrigerio, ad angelicum sacerdotem virgo illa sancta accessit, eique quid vidisset indicauit. At ille, vt semper humanæ laudis auram prudentissimè declinare solebat, Ego hoc, inquit, non vidi: sed cùm non sentirem frigus, cogitaui posse id fieri. Adijciā aliud isto non inferius, quod à teste fide digno & celebris famæ accepimus. Visa fuit aliquādo beatissima Virgo & mater Domini suo ministro cum aureo calice, in cuius medio erat crux aurea, adstare, cùm eius vnicum filium in matris honorem Deo patri offerret, & tandèm diducto sacerdotis pectore vnà cum cruce & calice in illud se recipere. Nec sanè apud me magnam habet admirationem, eam in illud pectus visam fuisse introire, in quo dilectionis affectu & iugi commemoratione perpetuò retinebatur. Cap.42. Visio cuiusdam sanctæ virginis. Visio cuiusdam.

Volo iam aliud dictæ virgini & nostro Ioseph cōmune referre miraculum, nobis vtriusque testimonio compertū. Percusserat Dominus seruum suū, immò prædilectū filium, morbo & graui & diuturno, ità vt omnibus omninò ad mortē tendere videretur. Venit igitur virgo Christi, vt suum visitaret infirmum, quem fortiter amabat, vt extremum vale diceret morituro. Decumbebat ille tunc, Deo sic disponente, in quodam castello, vbi Dei famulis vtriusque sexûs liceret ad illum accedere. Veniens autem Christi virgo, amicum quidem languentem humanitùs miserata est, sed multò plùs Cap.43.

tò plùs doluit & ingemuit non sibi licere præcedere, aut saltem comitari ad dilectum Dominum proficiscentem. Collecto igitur spiritu, credens Domini misericordia etiam eum, cuius iam desperata vita esset, posse ab ipso mortis aditu reuocari, orauit Dominum IESVM instantissimè, vt seruaret vitam iam à vita abeunti. Tandèm illi sic oranti, & in precibus vigilanti Dominus apparuit, dicens: Audiui preces tuas, & propter te vitæ eius quinque adieci annos. At illa: Si exaudisti, inquit, preces meas, quæso Domine, vt non quinque, sed duodecim annos addas vitæ illius. Quantulum enim sunt quinque anni? Equidem his contenta non sum. Dominus verò, nolens contristare delicatæ filiæ spiritum, Eccè, ait, do illi annos nouem. nam duodecim annis haudquaquàm volo illum hîc permanere. Illa nihil dubitans de visionis veritate, infirmo Ioseph eam exposuit, alijsque planè diuersum sentientibus, dixit non iam moriturum Ioseph. & sic etiam re ipsa euenit, conualescente illo contra omnium expectationem, & tot annis, quot dixerat Dominus, nobiscum in hac vita durante.

Diuinitùs adduntur grauiter decùbenti nouem anni vitæ.

Cap. 44. Et quia in virginis huius mentionem incidi, quo fine hinc exierit, paucis annotabo. id enim pertinet ad commendationem nostri Ioseph. Beata hæc virgo sponsi sui præsentiam ardenter suspirans, sine intermissione summoperè rogabat eum, vt ante Ioseph emigrare ipsi liceret ex hac vita. Non despexit Dominus preces ancillæ suæ, præstititque ei quod volebat. Qua autem hora illa spiritum reddidit, beatus Ioseph Missarum solennia agebat, nihil comperti habens de obitu illius. Et eccè inter ipsa sacrosancta mysteria adsunt angeli, eique sanctæ virginis animam exhibent, aiuntque eam à corpore discessisse. Et ille quidem contristatus eius decessu, sed præsentia exhibita exhilaratus, completo Missæ ministerio, omnibus qui aderant virginis obitum denunciauit, familiaribus secretè exponens, vndè eum ipse comperisset.

Sub Missa videt animã sanctæ virginis.

Cap. 45. Stetit aliquandò Ioseph noster iuxta altare, habens in manu sua librum altari impositum, quem meditabundus legebat. Eadem hora quidam nostræ ecclesiæ frater conuersus, quem diligebat Ioseph, superuenit, respiciensque Ioseph stantem, vidit vultum eius instàr Angeli luculentum, & verticem capitis eius similem carbonibus ignitis & ardentibus lampadibus. Testimonium hoc omni exceptione maius est propter viri simplicitatem & innocentiam, & nos scimus illud verum esse. Interim cogitemus nos quoàd possumus, quale Domino holocaustum per id tempus fuerit spiritus Ioseph, quanto eum igne intùs inflammârit spiritus sanctus, quandò foris etiam in corpore tantus ardor apparuit. Habemus & alterius fratris testimonium: sed mihi priùs dicendum est, quod ipsius Ioseph relatione mihi compertum est. Cœperat exponere Cantica canticorum, mirantibus nobis, & tum intra, tum inter nos aut temeritatem aut simplicitatem eius valdè reprehendentibus. Permulti enim necdùm noueramus, vitam & actus eius aut ipsius Domini IESV, aut beatissimæ matris eius institutione in omnibus dirigi. Cùm autem aliquandò oblata occasione de hac re familiariter cum eo conferrem, ille non habens quo se excusaret, coactus est dicere id quod erat. Ait igitur: Non ego vel temeritate vel simplicitate deceptus, quasi ignorem quantam ingenij vim hoc opus reposcat, illud suscepi, sed matre Domini me adhortante. At ego sermone tam breui, licèt vero, minimè contentus, modum reuelationis accuratiùs inquisiui. Tum ille: Videbam, inquit, matrem Domini ferentem manibus elegantem & amplam scutellam, in cuius fundo parum erat olei. Arridens autem illa mihi blandissimè, sic ait: Exiguum hoc oleum tibi exhauriendum relictum est: mox id clariùs exponens, adiecit: Quandoquidem Cantici canticorum liber multorum expositionibus penè exhaustus est, hoc parum, quod instàr olei huius superest, tu ad meî commendationem exhaurire debebis. Tantæ ergò Virginis adhortatione & authoritate fretus, laborem mihi intolerabilem suscepi, malens hominum ignorantiæ, quàm matri Domini displicere.

Visio cuiusdam fratris.

In visione iubetur exponere Cantica canticorum.

Cap. 46. Subijciendum hîc est testimonium aliud, quod difficilè quidem credi possit, sed non vnius est duntaxàt. Aggressus Ioseph exponere Cantica canticorum in persona matris Dei, in locum solitarium secessit, vbi nec clamantiũ strepitu impediretur, nec facilè ab alijs inuiseretur. Ibi ille sæpissimè, quotidianæ infirmitatis suæ oblitus, tanta spiritûs vehementia rapiebatur, tanta contemplationis dulcedine fruebatur, vsqueadeò scripturæ, quam tractabat, nectare inebriabatur, vt miseri corpusculi prorsùs immemor, cœnæ vel prandij horam, quam anxius cum puerulis præuenire solebat, aut non cogitaret, aut ignoraret omninò. Tædio nonnunquàm affecti fratres, qui refectorio ministrabant, cùm etiam ad secundam inseruientium mensam non veniret, ibant ad locum

Vide lector admiratione digna.

cum solitudinis, vbi illum manere cognouerant, & eum non inuenientes, vel potiùs præsentem non videntes, nimia expectatione perturbati, verbis durioribus inculpabant eum, putantes eum ibi non esse, recedebantque indignabundi. Quos ille suo tempore subsecutus, cùm venisset ad eos, ordine eis commemorauit ea quæ dixerant, monuitque blanditer animi commotiones comprimere, & à verbis incompositis abstinere, si irã Domini IESV & matris eius euitare vellent. At illi nimia admiratione affecti, Vndè, inquiunt, sermones nostros & animi commotionem scire potuisti, cùm te illic præsentem non viderimus? Ille verò, vt eos certiores efficeret, respondit: Ego verba vestra non ab alio didici, sed hisce meis auribus accepi, à quibus oro, vt deincèps abstineatis.

Nec id semèl contigit, vt præsens à præsentibus non cerneretur. Deuotione fratris, Cap. 47. qui refectorio seruiebat, & familiaritate fretus, in ipso refectorio locum sibi delegerat, vbi à prandio æstate, & à cœna hyeme toto penè die potuit contemplationi & lectioni vacare. Ibi nonnunquàm ab illo fratre & intrante, & exeunte, & ianuam claudente visus non fuit, ità vt intrans ille summoperè miraretur, se non inuenire quem illic reliquerat: rursùsque reuertens non minùs stuperet se eum ibi cernere, quem se putabat illic neutiquàm reliquisse. (Licèt præsens, tamen nõ videtur.) Ostium enim illud sic claudebatur, vt ab eo, qui intùs esset, aperiri non posset, nè quis putet eum fratre ignorante & egredi & ingredi potuisse. Vndè etiam aliquandò exiturus frater, & ianuam clausurus, cùm eum non videret, & tamen fieri posse existimaret, vt esset illic, sicut herì & nudiustertiùs, aperta voce dicebat: Si hic ades, ô Ioseph, manifestum te exhibe, nè clauso ostio exire non possis. Tacente Ioseph, frater iam clauem seræ inserebat. Tum Ioseph exclamans, Noli, inquit, claudere, iam enim tecum egrediar. At ille vehementer admirans, Si te, ait, me egrediente posthàc non prodideris, toto die oportebit te intùs inclusum permanere. Ioseph autem more suo dissimulare volens, quod negari non poterat, Et quarè, inquit, me non vidisti, sedentem in conspectu tuo? Hæc ego ex fratrum Steinueldensium ore accepi, nè minùs fide digna putentur, si in tertiam vel quartam personam transierint, priusquàm scripta fuère. Nec rarum, immò propè quotidianum fuit, vt per omnes monasterij latebras quæreretur, nec tamen reperiretur, atq; tandèm mirantibus illis, qui eum quæsierant, quandò ei visum fuit, eis se præsentem exhiberet. Potest hinc animaduerti, quàm subtilis eius spiritus fuerit, & quàm sublimiter ad illud incircunscriptum lumen accesserit, atque in secretissimum Domini sanctuarium introierit, quandò etiam adhuc corruptibile corpusculum eius ad eam pertigit subtilitatem, vt à præsentibus videri non posset. Adiurat sponsus in Canticis filias Hierusalem, nè suscitent, neq; euigilare faciant dilectam, donèc ipsa velit. Cant 2. & 8. Quid verò aliud etiam hìc videtur dixisse sponsus, dilectum suum etiam corporaliter abscondendo, quàm nè suscitaretur ab inquietis, neque euigilare nisi volens cogeretur? Quid autem mirum, si is horam prandij non sentiat, qui gustat & videt quàm suauis sit Dominus?

Disponente Domino, morabatur aliquandò Ioseph in monasterio quodam, multis ijsque diuturnis molestijs & vexationibus exagitato, crebrisque virgæ Dominicæ Cap. 48. ictibus ad extrema perducto. Nomen monasterij idcircò reticemus, nè quem infamare velle videamur. Motus ergò misericordia Ioseph ob eius monasterij contritionẽ, in quo conterebatur & ipse, inualidam causam orator validus, & non in legibus hominũ, sed in lege Domini, quæ charitas est, peritissimus aduocatus agendã suscepit: sumptoq; thuribulo orationis incensæ, & hausto igne charitatis ardentis, inter Deum viuentẽ & homines peccatis mortuos medium se obiecit, seueri iudicis sentẽtiam flectere connitens. Cumq; in hoc totus esset, tandèm Dominus Iesus venit ad eũ, sed valdè terribilis, Dominus & vindex acerrimus, ferens manu securim acutam, tanquàm illam ecclesiam radicitùs excisurus. (Dominus Iesus apparet ei.) Territus ille suprà quàm dici queat, ad tam horrendum Domini aspectum, pius intercessor pauens & tremens ad eius genua se aduoluit, & quibus potuit lachrymis & precibus, comminantis manum retinere tentauit. Dominus autem voce seuerissima, Surge, ait, & vide pro quibus intercedas. Aspice quàm totus hic locus nihil viriditatis habeat, nisi quantum occupant pedes tui, & vide cui causæ patronus accesseris. Surgens Ioseph, & cognoscẽs vera Dominum dicere, iterùm humì se abiecit, nec cessauit orare Dominum, donèc illo nonnihil placato, vocẽ eiusmodi ab eius ore accepit: Ista quidem ecclesia indignam se misericordia reddidit, sed propter te manus iustissimæ vltionis meæ suspenditur ad tempus. (Flectit iratũ illũ precibus suis.) Hæc nos ab ipso Ioseph audiuimus, cuius testimonia credibilia facta sunt nimis.

Iam

seph, aitque illi: Ego tibi aperiam rei huius significationem. Eo loco, quo extitit strepitus ille, quidam suo tempore sepelietur, ad cuius monumentum magnus erit hominũ concursus, & frequens strepitus. & cum scias eo sono, quem audisti, præsignificatũ. Impleta verissimè est hæc prophetia. Ipse illic tumulatus est, & certatim ruunt populi, sanitatis remedia expetentes, aut cernere cupientes mirabilia, quę per eum Dominus velit operari. Multis etiam annis antè prædixit, ecclesiam Steinueldensem multis afflictionibus fatigandam: quod re ipsa plùs satis iam comprobatum est. Promisit etiam post has tempestates eidem ecclesiæ tranquillitatem & felicia tempora, quę spe & desiderio sustinemus & præstolamur, nihil de prophetæ veritate ambigentes. Prædicit cuentura post obitũ suum.

Felicis etiam resolutionis suæ tempus ipsi non fuisse incognitum, quibusdam indicijs declarauit. Circa idem tempus, quo sepulturæ suæ locum prædixit, ad quosdam fratres accessit, qui magis ei familiares erant, quibusq; ille pro singulari erga Deum deuotione fidentiùs quædam sua secreta communicabat. Nihil enim dubito sciuisse illum, quæ vel fuisset vel esset singulorum fratrum vita. Venit enim ad quendam fratrem, qui mihi nõ minùs notus est, atquè ego ipse: qui in mundo primæ iuuentutis dies exegerat, priusquàm religionis acciperet habitum, dixitq; ad eum: Quoties hunc psalmi versum profers, Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine, meritò debes magnam cordis deuotionem adhibere. At ille non intelligens, respondit non solùm illum versum, sed etiã preces omnes cum magna deuotione dicendas. Tum Ioseph volens ei melius explicare mentem suam, & eum tum ad suî cognitionẽ, tum ad agendas Deo gratias incitare, ità subiecit: Est & alius alterius psalmi versus, quem itidèm debes singulari semper attentione & deuotione proferre. est autẽ hic: Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. tanquàm diceret Ioseph fratri illi: Intellige hãc esse Dei bonitatem, quam fecit tecum, quòd eruit animam tuam ex inferno inferiori, in quo iam eras per malam vitam tuam. Stupebat his auditis frater, vitam suam reuelatam beato viro, cùm sciret eum ab homine illam minimè didicisse. Verùm non ad hunc, aut eius similes, sed ad alios maioris innocentiæ & deuotionis fratres accessit Ioseph, imminente obitûs sui tempore, eisque supplices preces offerens, Ecce, inquit, cuiusdam sacerdotis amici nostri finis appropinquat: rogo vos propter Deum, vt illũ precibus vestris Domino commendetis. Illis quærentibus quis esset, non aperuit, sed tantùm ait: Breui re ipsa comperietis, quis sit.

Cap. 52. Psal. 118. Psal. 85. Prædicit obitũ suũ.

Libet iam ad infirmorum & tentatorum consolationem quædam etiam commemorare de beati viri tentationibus & infirmitatibus, quibus virtutes perficiuntur. Appropinquante tempore decessûs sui, inusitatis eum Dominus tentationibus affligi permisit, quas anteà expertus non erat. Nec reor alia causa permisisse, nisi vt humilis humiliaretur adhuc, & iustus iustificaretur adhuc. In alijs alia ratio fuit, putà vt scirent etiam in tentatione sperare, & manum Domini nos non ad consumptionem sed ad consummationem ferire. Fuit autẽ hæc carnalis tentatio, si cum nostris conferatur, parua quidem & propè nulla: sed comparatione angelicæ puritatis eius maxima videbatur. Permisit etiam Dominus alijs intolerabilibus sub diuinis mysterijs cum tentationibus cruciari, malo dæmone ei muscas & grandes araneas, quarum nobis est incognita magnitudo, exhibente, eiusq; pijssimum animum affligente. Adeò verò hęc ei molesta fuère, vt propter ea nonnunquàm ab altaris ministerio abstineret. Posteà verò apud quendã ex sacerdotibus nostris eas vexationes miserandũ in modum conquestus est, aitque se missum ad eum, vt ab ipso curaretur. Territus ille frater, vt qui se eius meritis longè imparem sciret, Quisnam ego sum, inquit, vt liberem te à tentationibus tuis? Respondit Ioseph: Equidem ad te missus sum, vt diabolum mihi insidiantem coërceas. Videns frater instantiam deprecantis, beati viri infestatorẽ dæmonem, non suis fidens meritis, sed Domino, adiurauit, nec eum posteà talia passum cognouimus. Gratias tibi Domine, qui infestantis inimici iacula probationem fidelium tuorum esse voluisti, & non vulnera: qui talem tuis tribuis pro labore mercedem, vt nullum tuorũ gaudeat hostis fuisse imbellem: immò perpetuum eis das triumphum, vt sint exemplo fidelibus tuis, dum tentati in humilitate, liberati in tua charitate firmantur.

Cap. 53. Sub mortẽ insolitas fert tentationes. Dæmonum iacula vertit Deus suis in triumphum.

Habuit Ioseph noster iuuenem quendam admodùm sibi charũ, professione canonicum regularẽ, in monasterio virginũ Cistertiensis ordinis Domino seruientẽ. Is venienti Ioseph ad illud monasteriũ, in diuinis ministrare solebat: præceperat autem ei Ioseph, nè post peracta Missarum solennia loqueretur ipsi, aut quippiam ab eo sciscitaretur, donèc ipse prior ei locutus esset. Quadam igitur die cùm post perceptã solitam gratiam Cap. 54.

recederet ab altari, eam gratiam præter spem amisit. Ea re insolita perterritus, vt erat semper sibiipsi suspectus, in gratiæ collatorem se quippiam deliquisse timebat. Sed cùm nihil sibi conscius esset de culpa aliqua, incidit illi, velle fortasis Deum, vt secretũ suum illi familiari suo aperiret, conuersusque ad Dominum, Domine, inquit, si tu vis, vt hoc secretum reuelem seruo tuo, iam per eius merita redde mihi consolationem gratiæ tuæ, quam perdidi. Vix verba finierat, & eccè redit cum multa vehementia odor mirificus, qui ei subtractus erat, quo eum credimus quotidiè fuisse refectum & detentum, cùm in altari tam prolixè hæreret. Deindè accedens ad iuuenem, quid accidisset sibi exposuit, sed seuerè prohibuit, nè dum ipse esset in humanis, cuiquam hoc reuelaret.

Odor mirificus eũ afficit.

Cap. 55.

Venio nunc ad tempus illud, quod votis omnibus totiès optauerat adesse, quo illum Dominus ad se euocare voluit. Illo igitur tempore propinquante, tota Quadragesima nihil ferè comedit præter panem simplicem, & calefactam ceruisiam, paucaque pira assa, cùm tamen esset vel maximè debilis, & à nobis id mirantibus reprehenderetur. At interim nihilo minùs contemplationi, lectioni, scriptioni animo indefesso vacabat. Porrò tertia Quadragesimæ Dominica, Domino illum oculis misericordiæ suæ respiciente, vt euelleret de laqueo pedes vnici & pauperis sui, venit ad Abbatem nostrum nuncius monasterij virginum Cistertiensis Ordinis, apud quas quandoquè vixerat Ioseph, petentium vt permitteretur per Quadragesimam apud ipsas diuina celebrare. Abbate verò & fratribus id renuentibus, quòd viderentur Ordinis statuta non permittere, ille spiritu futura præuidens, venit ad Abbatem, aitque illi Dei esse voluntatem, vt ad illas virgines mitteretur. Assensit igitur Abbas, fratribus de eius recessu conquerentibus, nec mediocriter dolentibus. Quibus Ioseph ait: Noueritis me post Pascha sine dubio reuersurum ad vos. Deindè pedibus suis iter ingrediens, celeriter venit ad illud monasterium, & cùm in eius interiora esset ingressus, scipione, quo se sustentabat, terram consignauit, sepulcri formam exprimens, dixitque sororibus, quæ illic aderant: Hoc loco sepelietis me. Indè Palmarum die tam fuit robustis viribus præter morem suum, vt totum officium indefessus perageret, tantaque repleretur consolatione, vt ad agendas Deo gratias etiam sorores hilariter inuitaret. Tertio pòst die correptus febri, lectulo decubuit, in diesque acriùs cruciari cœpit. Passus autem stuporem mentis siue ecstasim, cùm ad se rediisset, se nihil ait proficere, Iesum se ad suas preces inexorabilem præbere. Quid id sibi voluerit, nos hactenùs latet. Hora verò obitús eius impendẽte, circunsedentibus valedicens, & in manus sui IESV spiritum commendans, erecto corde & vultu, migrauit ad Christum. Corpusculum eius loco illo, quem ipse designârat, humatum est, superiore nostro præsente, & frustrà rogante sorores, vt fratris nostri corpus nobis dimitterent, quem nos eis viuentem accommodâssemus. Vbì autem id nobis renunciatum fuit, post fusas lachrymas, cùm ad nos reuersi essemus, statuimus repetere corpus eius, nullis neque laboribus neque sumptibus parcentes. Adfuit autem nobis Deus noster, & iubente Coloniensi Archiepiscopo, corpus eius è sepulcro eduximus feria tertia Pentecostes, cùm iam in illo iacuisset à quinta feria Paschatis, loco palustri & naturaliter humido. Adeò autem corpus illud incorruptum inuenimus, vt non solùm nullus in eo appareret vermiculus, sed etiam ipsa cutis superficies illæsa cerneretur. Tanto igitur accepto thesauro, facti sicut consolati, cùm rediremus ad nostra, magnum vidimus concursum hominum circuncircà habitantium: qui cereos & cruces ferentes manibus, laudabant Deum in sancto suo, dicentes, Benedictus, qui venit in nomine Domini: moxque Dominus cœpit mirificare sanctum suum edendis miraculis, & exaltando mirabiliter eum, qui suo iudicio se infra mortales omnes supra humanum modum abiecerat, omnique creaturæ subiecerat propter Deum. Occurrebant quidam ciues Colonienses cum puero valdè dentium dolore vexato: cuius cùm tumentem genam sacri corpusculi feretro applicuissent, ilicò dolor euanuit, & maxillæ tumor abscessit. Simili morbo liberatus est Henricus seruus noster in Bessenich, fratris Ioseph nomine inuocato.

Parcissimè edit, licèt admodum debilis.

Designat locum sepulturæ suæ.

Abit feliciter è vita.

Corpus eius è sepulcro incorruptũ transfertur.

Miracula.

Cap. 56.

Agnes puella, virgo Deo deuota, triennio ægrotans, anno vno & sex mensibus lecto decubuit, membris omnibus in corporis parte inferiori præmortuis. Illi per visum apparuit frater Ioseph, & manum suam illi imponens, promisit ei sanitatem. Repentè illa adeò conualuit, vt quæ statuerat vesperi ad monasterium nostrum vehiculo proficisci, manè suis pedibus iter sanè difficile conficeret, & veniens ad nos, cum multis aliis, cunctis mirantibus, ad sacrificium accederet. Quidam ex nostris, magno deuotionis feruo-

Illustre miraculum.

feruore accensi, noctu thecam sacri corpusculi aperuerũt, nec vllum sensêre putorem; quascunque autem potuère, vestium particulas sibi pro benedictione sumpserunt, sanguinem recentem, ab innocentis viri ore stillantem diligenter absterserunt, non parùm admirantes, in corpore iam septem hebdomadibus sepulto tam recentem potuisse sanguinem inueniri. Lauerunt etiam sacrum corpusculum aqua, quæ posteà permultis sanitatem attulit. Totum autem corpus perindè acsi viueret, tractari & flecti potuit. Nota lector.

Cùm sacrum corpus ad nos perductum esset, quidã apud nos fuit è parœcia nostrà, Cap. 57. adeò phreneticus, vt à dæmone obsessus crederetur, multisque ea causa vinciretur funibus, vt qui nec ab vxore, nec à filijs manus abstineret, cædens & lacerans, quoscunque posset apprehendere. Porrò in sacrosanctæ Trinitatis solenni die nonnihil sibi restitutus, sedebat ad sepulcrum beati viri. Ait autẽ ad illum custos templi nostri: Credis'ne posse te curari à Domino ob merita fratris Ioseph hîc sepulti? Respondente illo, se credere, custos adiecit: Inuoca ergò Deum, vt per merita eius tibi opitùletur. Quod cùm ille fecisset, custos iterùm ait ad eum: Abi in domum tuam, certus te à Domino per merita sancti huius propediem liberatum iri. Abijt ille, & ab ea hora vsque in præsens incolumis perseuerat. Phreneticus curatur. Eodem die venit ad nos mulier quædam à Dollendorp, ferens infantem, qui ea nocte dormiente ipsa, in cunis præfocatus obierat. Flens igitur miserandum in modum horis non paucis, tandèm recordata beneficiorum, quæ præstaret Deus per beatum Ioseph fratrem nostrum, accepta fiducia, ità exclamauit: Tibi voueo, sancte Ioseph, si infantem hunc mihi viuum restitueris, me illum ad sepulcrum tuum cum oblationibus adducturum. Dixit illa, & infans, redeunte anima, paulatìm moueri cœpit & oscitare. Id cernens mater, correpto infante, ad sepulcrum sancti Ioseph cum viro quodam, huius miraculi teste, per duo Germanica milliaria properauit: cumque infantem sepulcro eius imposuisset, is tum primùm aperuit oculos, coloremque vitalem & pristinum vigorem recepit. Infans mortuus reuiuiscit.

Post dies octo venerunt parentes cuiusdam pueri, octauum ætatis annum agentis. Cap. 58. Is ab equo decidens, in lignum durum humì iacens capite impegit, ità vt cranium non quidem frangeretur, sed cum integra cute compressum, concauum appareret. Parentes accurrerunt stupidi, puerum exanimem vltrò citroque obuersantes, & modis omnibus explorantes, num quod in eo vitæ signum extaret. Sed cùm nullum deprehendi posset, mortem filij multis lachrymis prosecuti sunt. Tandèm memores eorum, quæ faceret Deus per fratrem Ioseph, inuocatione facta & voto nuncupato, filium viuum receperunt. Item puer quidam. Id ità se habere, coram conuentu fratrum nostrorum iureiurando confirmârunt. Vir quidam sex annorum puerum adduxit ad sepulcrum fratris Ioseph, aitque: Ecce filius beati Ioseph. Fuerat ille puer valdè oppressus rota currùs, & diebus quinque iacens sine sensu, horis singulis moriturus putabatur. Vouerunt autem parentes se adducturum eum ad monumentum fratris Ioseph, & puer contra omnium spem sanitati est restitutus. Quædam hydropica, cùm corpus eius à matre fuisset vndiquè contactum particula pellium, quibus adhuc viuens Ioseph vestitus fuerat, quam illa pro benedictione apud se seruabat, ilicò curata est. Nota miraculum. Multa alia leguntur beati viri miracula, quæ & temporis & operis angustia scribi non patiebatur.

MARTYRIVM S. BADEMI ARCHIMANDRITAE, EX SIMEONE METAPHRASTE.



VO tempore Quadraginta illi sancti martyres interfecti sunt, compræhensus fuit Bademus sanctus Archimandrita vnà cum septem quibusdam suis discipulis, & regis Saporij iussu in carcere conclusus. 8. Aprilis. Bademus autem ille ortum ducebat ab vrbe Betlapat, ex familia admodùm diuite. Bademi patria. Cùm verò monachorum institutionem sequi cœpisset, omnia sua pauperibus distribuit. Cumque monasterium extra vrbem ædificâsset, illic residebat, studens in omnibus Deo placere, & quæ diuinæ voluntati grata sunt, ea perficere. Extruit monasterium. Erat enim vir ille gratiæ & veritatis plenus, & diuinæ electionis vas.

Hic igitur vir sanctus, diuina quadam & perfecta prudentia ductus, ascendit in mon-

tem Domini, & habitauit in loco sancto eius, benedictionemque accepit à Deo Saluatore suo, & adspexit faciem Dei Iacob. Hic, qui nostris temporibus fermenti loco relictus fuit ex perfecto illo sanctorum martyrum fermento, qui ab initio perfecti fuerunt. Eius autem sancti viri cæde ac sanguine nostrorum temporum imbecillitas firmata est. Hic verè lapis fidelis, sectus est à monte illorum, qui à principio fideles extiterunt: raptus enim fuit mysterij causa, vt nobis omnibus esset salutis via. Ità verò generosum & constans propositum in martyrio subeundo præstitit, ac talem animi ardorem in Deum ostendit, sicque ab omni sorde, labe ac macula purum se præbuit, vt praua facinora aduersùs illum nihil loci habere possent. Rapina ipsa statìm procùl ab eo fuit: cupiditates omninò extinctæ, nihil contra illum poterant: mammonas eius virtutem cognoscens, obstupuit: aurum se ab eo abscondidit: diuitiæ statìm ab eodem spretæ sunt: arrogantia confestìm apud illum fracta est: superbia in eius conspectu subitò humiliata: tumor, & animi elatio, vt puluis, in eius oculis conculcata est. Paupertas verò ad eius pedes omninò fixa & corroborata est: mansuetudo latera ipsius fuit amplexa: veritas in eo exorta, & iustitia erecta: charitas illum amplexata, & pax osculata, eoque gauisa est: concordia in ipsius ouili posita: omnibusque iustitiæ fructibus vir ille plenus fuit. Omnes hæ virtutes in eo viro habitabant, quoniam odor suauis ipsius animæ mirum in modum singulis virtutibus iucundus erat, & ex illius candore animi tanquàm fructum quendam libenter percipiebant.

Vitia vt in se extirpârit.

Virtutes eius.

Cùm igitur quatuor menses in carcere confecisset vnà cum septem illis discipulis vinctus, afflictus, & assiduis flagellis verberatus, omnia prompto animo perpessus est propter suam in Deum spem, & veritatis fidutiam. Erat autem tempore illo quidam, nomine Nersan, princeps vrbis, quæ Aria dicebatur. Eius verò vrbis fines Bergeme appellabantur. Hic Nersan, cum esset Christianus, à rege ipso cogebatur solem adorare. Sed cùm nollet contra Christi fidem facere, in vinculis detinebatur. Posteà verò animo remissiore factus, & corde perculsus, martyrijque formidine detentus propter tormenta, quæ violenter in illum inferenda erant, non ità, vt cœperat, ad extremum vsque perseuerauit: sed mortalis & breuis huius mundi amore captus, tormentorum angustijs succubuit. Sicque miser ille, cùm vtrunque appeteret, ab vtroque excidit. Nam diuinam vitam perdidit martyrium aufugiens, & huius mundi voluptatibus frui non potuit, terrenam gloriam appetens. Cùm enim caduci & terreni regis magìs, quàm æterni & cælestis Dei honorem amaret, se à Deo ipso velle deficere professus est, & omnibus, quæ rex vellet, se obtemperare.

Dirè cruciatur in carcere cum 7. discipulis.

Nersan princeps deficit à fide metu suppliciorũ.

Rex igitur, vt audiuit Nersan eo animo esse, valdè gauisus est, & statìm de sancto Bademo cogitauit, iussitque illum vinculis exolutum, in atrium palatij per obliquam ianuam duci. Bademo autem eò ingresso, vbì Nersan vinctus detentus fuerat, rex duobus quibusdam principibus viris hæc dicit: Si Nersan Bademum interficit, à vinculis soluatur, & accipiat eius bona. Iusserat enim rex ipse omnia ipsius bona in fiscum conferri. Confestim igitur sanctum Bademum in medium constituerunt. Ille autem miser Nersan, vt audiuit quod à rege dictum fuerat, & caduca mundi bona appeteret, stricto ense ad Christi martyrem interficiendum profectus est. Sed tremore quodam correptus, cum plagam in virum sanctum infligere vellet, tanquàm lapis statìm immotus permansit. At Christi seruus ad eum oculos erigens: Vsque eò, inquit, ô Nersan, malitia tua progressa est, vt non solùm tibi satis sit, quòd Deum tuum negaueris, sed & seruos ipsius interficere contendas? Væ tibi, væ tibi, infelix. Quid facies in die illo, aut quò fugies à terribili iudicio, cùm steteris ante horrendum illud tribunal, magno & æterno Deo rationem redditurus? Ego quidem, ô miserrimè, martyrio Christi mei prompto animo conficiar: at nollem tamen manu tua confici, sed ab alio quopiam mortem sustinere voluissem.

Bademus obiurgat Nersan.

Ille verò neque his sermonibus erubescens, neque quod iussus fuerat, valens perficere, faciem suam, vt lapidem, firmauit, & cor ferreum ac durum habens, sanctum virum sæpiùs ense illo percussit. Sed nec semel opportunam plagam infligere, neque eum interficere potuit: eius enim manus valdè tremebat. At beatus Bademus, cùm eiusmodi angustijs affligeretur, spiritum suum emisit, ensis ictibus tot tantisque confectus, vt omnes gentiles firmam sancti martyris patientiam admirarentur, quòd velut columna quædam immobilis persistens, violentos plagarum impetus exciperet, & corde stabilis maneret: regem verò illum propter imbecillitatem & lentitudinem irriderent & execra-

Bademus reddit spiritum.

execrarentur. Sed & hic Nersan non multò posteà mercedem recepit his dignã, quæ in martyrem Christi cõmiserat, multis & diuersis malis oppressus, & ense malè perditus. Vltio diuina in Nersan.

Sanctus autem Bademus martyrio consummatus est mense Aprili, die octauo, in Christo Iesu Domino nostro. Eius verò reliquias extra vrbem eiectas sustulerunt clàm viri religiosi, & omnem diligentiam adhibentes, illas reposuerunt. Eius autem septem discipuli, in carcere conclusi quatuor annos manserunt, & post mortem Saborij regis in pace dimissi sunt, permissumque fuit, vt in sua ipsorum fide permanerent, gratia Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria est in secula seculorum, Amen.

DE S. DIONYSIO EPISCOPO ALEXANDRINO, EX ECCLESIASTICA HISTORIA EVSEBII, *interprete Ioanne Christophorsono Angliæ Episcopo.*



IAM tertius annus eo (Philippo) regnãte præterierat, cùm Heraclas ministerium ecclesiæ Alexandrinæ vndecim annis executus, è vita decessit, & eiusdem ecclesiæ Episcopatum obtinuit Dionysius. Quæ autem & quàm turbulentæ procellæ Dionysium persecutionis tempore exagitârint, testimonio Epistolæ ipsius, ad Germanum perscriptæ, hoc loco ostendã: in qua ipse de se narrat hoc modo: Ego corã Deo loquor, & ipse nouit quòd verè loquor. Neq; certè de fuga in præsentia mecũ cogitaui, neq; quasi Deo inuito vllam feci. Quinetiam aliâs, regnante Decio, antequàm persecutio palàm contra Christianos ediceretur, cùm Sabinus id temporis frumentarium ad me perquirendum misisset, ego quatriduò in ædibus commoratus, eius aduentum assiduè expectaui. Ille autem vndiquè circumit, vias, fluuios, agros, passìm vbi me latitare, aut quò me profectum esse suspicaretur, sedulò peruestigat: sed cæcitate & quasi caligine, nè ædes quæreret, circunfusus tenebatur. Sibi nanque persuaserat, me persecutione appetitum, domì nolle moram facere. Vix tandèm post dies quatuor, Deo mihi, vt indè demigrarem, præcipiente, & se mirandum in modum quasi ducem itineris præbente, ipse, liberi & alij multi fratres simul domo egressi sumus. Quod planè diuinæ prouidentiæ opus fuisse, rerum euenta, quę deincèps sequebantur, vndè non parum commodi fortasè quibusdam & vtilitatis obtigit, satis perspicuè declarârunt.

Aprilis 8. Lib. 6. ca. 28.
Cap. 33.
Dionysius non fugit persecutionem.
Iubetur diuinitùs aliò se conferre.

Deindè paucis interpositis, ea quæ in fuga sibi contingebãt, euidenter explanat, istaque subnectit: Ego vnà cum his, qui mecum erant, fortè sole occidente in satellitũ manus incidens, ab illis ad Taposirim deducebar: sed tamen, sicut erat Dei prouidentia prospectum, Timotheus, quia non vnà aderat, neutiquàm pręhensus est. Profectus igitur pòst, offendit, cùm ædes nostras, præterquàm quòd ministri eas custodirent, omninò desertas esse, tum nos instàr mancipiorum abductos. deindè subiungit: Quam admirabilis (dicam enim quod verum est) & diuinæ prouisionis ratio fuit ista quidem? Indigena quidam fortè fortuna Timotheo properè fugienti & conturbato fit obuiàm, rogat festinationis causam: iste verũ narrat. Ille cùm audiuisset (abierat enim ad nuptias lautè epulatum: quippe mos est, in huiusmodi hominum conuentibus totam noctem in hilaritate & lætitia consumere) ingressus in domum conuiuij, accumbentibus nunciat: qui quidem omnes vno impetu, tanquàm signo dato, consurrexerunt, & maturo gradu properantes, cœperunt quàm celerrimè ad nos contendere: qui cùm in nos inciderent, summo gaudio exultare, atque satellitibus, qui nos obseruabant, fugam facientibus, nos, vt eramus, grabatis valdè malè stratis conquiescentes, de improuiso occupare. Ego certè (Deus testis est) eos vt fures primùm reputans, qui ad spolia & rapinam venerant, mansi in lecto nudus planè, vt eram, solo indusio coopertus: reliquum autem vestitum prope me positum porrexi. At hi surgere iubent, & quammox abire. Tandèm animaduertens quamobrèm aduentâssent, cœpi vociferari, supplex illos precatus, vt abirent, nosq; illic manere paterentur. Quinetiã petebam ab eis, vt si quo me beneficio afficere cuperent, ipsi caput meũ ceruicibus abscindere dignarentur, sicq; satellitibus, qui me essent cruciatũ abducturi, anteuerterent. Illi, dum hæc clamore efferebam, (sicut consortes mei, & omnium calamitatum mearũ participes, pro certo nôrunt) me inuitum è lecto excitârunt. Tum ego humì me supinum prosternere: isti igitur

Incidit in manus satellitum.
Eripitur vi è manibus illorum.

tur manibus pedibusque me abreptum (Gaius quidem, Faustus, Petrus & Paulus, qui me sequebantur, istarum rerum omnium testes esse poterunt) educere, ac prehensum propè inuito animo ab oppidulo exportare, & nudo asino impositum, secum indè auehere. Ista de se narrat Dionysius.

Cap. 34. Alexandrini persequútur Christianos. Idem etiā Dionysius in Epistola ad Fabium episcopū Antiochię, certamina & decertationes eorū, qui sub Decij imperio martyriū pertulerūt, isto modo prosequitur: Non ex Imperatoris edicto persecutio apud nos incepta fuit, sed integro anno præuerterat. Nam vates (quisquis ille fuerit) malorum omniū, quæ huic ciuitati acciderunt, architectus, infinitam gentiliū turbam contra nos incitauerat impuleratque, atq; adeò ad patriam suam & antiquā superstitionem defendendam magnoperè instigârat. Qui ab illo ad maleuolentiā irritati, omnemq; aucupati licentiā ad scelus patrandum, solam pietatem & verum cultum dæmonum suorū istum censuerunt, vt Christianorū cæde & sanguine suas crudeles manus respergerent. Primùm igitur senem quendā, * Metram nomine, arreptum impia verba contra Deum loqui mandant: cuius corpus, propterea quòd eorum voluntati repugnabat, fustibus cędunt, vultum oculosque pręacutis arundinibus pungunt, ipsumque adeò ad suburbia abductum lapidibus obruunt. Deindè fidelem mulierem quæ vocabatur Quinta, ad idolorum delubrum ducere, & ad falsos deos venerandos impellere cœperunt: eamque, cùm se auerteret, & talem cultum detestaretur, pedibus constrictis, per vniuersæ vrbis plateas, asperis saxis constratas raptare, & simul àc corpus eius ad saxa molaria allisissent, & flagris pariter lacerâssent, ad suburbia trahere, ibique crebro saxorum coniectu obterere.

Quidā hunc Methranū vocant.

Martyrium Quintæ.

Tum verò vno quasi animorum impetu omnes in piorum ædes irruere, & singuli quos sibi vicinos esse cognouerant, properè educere, expoliare, diripere: & diuitias ac supellectilem, si quæ erat preciosior, sibi seponere: si quæ vilior, sordidior, & ex ligno confecta, in vijs dissipare, deindè exurere: adeò vt ciuitas illa verā speciem vrbis ab hostibus captæ despoliatæque probè repræsentaret. Fratres ergò deflectere è via, & in loca separata ac solitaria se subducere: rapinam bonorū suorum similiter cum illis, quibus Paulus illustre perhibet testimonium, cum gaudio suscipere. Atq; haud scio, vtrùm quisquam pręter aliquem vnum alicubì fortasè, hucusquè Dominum denegauerit. Serapionem item proprio lare abstractum, diris concidunt tormentis, & omnibus membrorum articulis confractis, ex loco edito pręcipitem deijciunt. Nullus itineris flexus, nulla via publica, nullus angiportus erat, in quo tutò vel noctù, vel interdiù liceret incedere: quippe omnes vbiquè vno ore conclamabant, Si quis è Christianorum numero impia & profana verba effari recusauerit, rapiatur extemplò, & in ignem conijciatur.

Heb. 10.

Omissa hic de S. Apollonia, quęre 9. Februarij.

Atque ista mala hoc modo non ad exiguum temporis spatium grassata sunt, verùm tandèm seditio & bellum intestinum, quod in illos miseros posteà inuasit, crudelitatem contra nos exercitam, in ipsorum capita conuertit. Vndè nos quidem, dum illorum furor in nos incensus, alijs rebus implicatus tenebatur, paulispèr respirauimus: verùm confestim animum Imperatoris, qui clementiùs aliquanto & humaniùs videbatur erga nos anteà affectus, omninò commutatum esse nobis nunciatum est. Quapropter minarum formido in nos iactatarum vehementer accrescebat. nam Decij edictum erat iam diuulgatum, illudque tale profectò videbatur, quale Dominus prædixerat futurum: in quo terribilissima illa eius propemodùm explebatur sententia, nimirùm electos, si possibile esset, in errorem inductos fore. Qui omnes certè metu perculsi obstupuerunt: atque ex illis qui cùm dignitate, tum diuitiarum affluentia præstare videbantur (qui quidem non pauci erant numero) nonnulli timore perterriti, dijs illorum colendis se vltrò offerunt: alij ex priuatis ædibus in publicum raptati, ad delubra ducuntur à magistratibus: multi vicinorum suasu eò pelliciuntur: qui quidem nominatìm euocati, ad impura & profana eorum sacrificia se conferunt.

Decij edictum crudele in Christianos.

Matth. 24.

Multi deficiunt.

Horum aūt non pauci, quasi minimè essent sacrificaturi, sed illi ipsi potiùs victimæ & sacrificia idolis futuri, pallore exalbescunt, & formidine attoniti stupent: adeò vt frequenti populi turba, quæ circunsistebat, dum se omnibus perspicuè patefaciebant, cùm ad moriendū, tum ad sacrificandū tandèm timiditate esse affectos, risui & ludibrio haberētur. Alij paratiùs ad altaria procurrūt, duro ore & impudēti constāter asseuerātes, se nunquàm fuisse Christianos: de quibus Domini sentētia verissimè dici potest, diuitē difficulter posse seruari. Ex reliquis, qui tenuiores erāt & magìs obscuri, plèriq; vtrunq; istud hominū genus, quod postremò posuimus, imitantur, alij capessunt fugam, nōnulli pręhendūtur. Atq; ex pręhēsis multi ad vincula & carcerē pergunt, & multis diebus ibi tenen-

Matth. 19.

tenentur conclusi, posteà tamen antequàm ad tribunal accedunt, Christũ eiurant: quidam tormenta diù fortiter sustinẽt, sed ad extremũ succumbentes, fidẽ pernegant. Cæterùm qui Domini erãt, tanquàm firmæ & beatæ columnæ, eius ope & gratia roboratæ, fidei firmitati, quę in eorum animis penitùs insidebat, vires ac tolerantiam aptè & appositè respondẽtem adepti, admirabiles & insignes eius regni martyres ac testes facti sunt. Probè Christianorum inuicta virtus.

Quorum primus erat Iulianus, homo podagræ doloribus adeò oppressus, vt neque incedere, neque pedibus consistere posset. Hic cum alijs duobus, qui eum gestabant, ad iudicem adducitur: alter nomine Cronion, cognomento Eunus, & senex ipse Iulianus, Dominum ingenuè confitentur: qui per totã vrbem, quę certè, vt nôstis, amplissima est, camelis insedentes deducti, & ità sublimes verberibus cæsi, tandèm immenso quodam rogo & supra modum exardescente, hominũ multitudine vndiquè circunfusa, comburuntur. Ac dum abducebantur ad locum supplicij, miles quidam, nomine Besas, illis inter eundum opẽ ferre, & his, qui eos contumelia afficiebant, ex aduerso resistere laborat. Qui, cùm populus contra eum propterea vociferaretur, indè ilicò abripitur ad iudicem, & in præclaro illo prælio pro pietate suscepto, tanquàm fortissimus Dei bellator, strenuè & viriliter se gerẽs, securi demùm percutitur. Alius quidam genere Afer, qui & appelatione Macar, & ob vitam beatam, quam diuinę gratiæ subsidio degisset, verè Macar, id est, beatus fuit, cùm ad fidei negationem, iudice eum ad eam rem magnoperè cohortante, adduci non posset, viuus crematus est. Martyrium Iuliani 27. Februarij. Item Besæ. Item Macarij 8. Decembris.

Epimachus etiam & Alexander non longo pòst tempore, quàm vincti tenebantur, post horũ martyrium multos dolores perpessi, dilaniati nouaculis, & flagellis lacerati, ad extremũ ardentissimis flammis circuniectis absumpti fuerunt. Quibus quatuor mulieres martyres adiungebantur: quarum prima fuit Ammonarium, sancta virgo: quæ, cùm iudex diù admodùm illam torsisset, vtpotè constanter asserentem se nihil aliquandò eorũ dicturam, quę ille iussisset, eaque in sententia firmè perstaret, ad suppliciũ abducitur. Mercuria secunda erat. Anus in primis veneranda, tertia Dionysia, quæ quanuis erat multorũ liberorum parens, illos tamen Domino in amore minimè prætulit: quarta Ammonariũ altera: quæ tres, cùm præses vereretur, nè incassùm tormenta illis infligeret, & quodã modo euinceretur à mulieribus, nullũ tormentorũ genus ampliùs subire cogebãtur, sed statim capite obtruncato, mortẽ oppetũt. Pro omnibus enim prior Ammonariũ, tanquàm in prima dimicationis acie locata, satis tormentorũ exceperat. Epimachus & Alexãder martyres 12. Decembris.

Heron prætereà, Ater, & Isidorus Aegyptij, & Dioscorus vnà cũ illis, adolescẽs quindecim annos, natus iudici traduntur. Et primùm iudex adolescentẽ, tanquàm facilẽ ad persuadendum, blandis verbis in fraudem inducere, tum velut remissum & flexibilem ad fidẽ negandam tormentis impellere tentat. Sed Dioscorus neque persuasione quicquam cõmotus est, neque iudicis omninò cessit sententiæ. Cæteros acerbissimè crudelissimeque verberibus dilacerat: quos cùm tormenta magno & fidenti animo pro fide tolerare cerneret, rogo cremandos tradit. Dioscorum autem, cùm propter singularẽ animi magnitudinẽ, quam palàm ostenderat, tum propter prudentissima responsa, quę ad singula rogata dederat, iudex magnoperè admiratus, dimisit, affirmans se propter ætatem certos dies illi velle concedere, quibus resipiscendi haberet facultatem. Iam ergò Dioscorus, summa pietate eximius, nobiscum est, expectans cùm certamen prolixius, grauiusque, tum amplius præmium & diuturnius. Passi sunt 14. Decemb.

Porrò Nemesis quidam, & ille etiam Aegyptius, falsò in crimẽ vocabatur, quòd cum latronibus societatẽ coiuerat: sed istam calumniæ notam, ab eo alienissimam quidem, cùm coram Centurione diluisset, iterùm per iudicem fuit delatus, quòd Christianus esset, vinculisque constrictus ad præsidem venit. Iste iniustissimus præses beatum martyrem tormentis & verberibus duplo grauioribus, quàm latrones ipsos, affligens, exemplo Christi inter latrones interiectum, (vndè non parum honoris adeptus est) feruido ignis exurit incendio. Quædam porrò militum turma derepentè accedit, nimirũ Ammon, Zeno, Ptolemæus, Ingenes, & pariter cum illis senex Theophilus: qui pro tribunali se ipsi stiterunt. Cùm igitur quidam, quòd Christianus esset, in quæstione versaretur, & iam ad fidei negationẽ propẽderet, isti assistentes, præ rei indignitate dentibus frendere, vultu nutare, manus extendere, toto deniquè corpore gestus quosdam agere cœperunt. In quos cùm omniũ ora essent conuersa, priùs, quàm vlli alij in eos iniecerunt manus, illi ipsi ad subsellia accurrere, se Christianos profiteri: sic vt cùm pręfectus & assessores, qui aderant ei in concilio, timore obstupescerent: tum Christiani, in quos iam inquirebatur, ad ea tormenta, quę pòst essent perpessuri, tolerãter sufferenda Martyriũ Nemesij 19. Decembris. Militũ quorundam insignis virtus

maximè confirmarentur: tum deniquè iudices, qui essent contra eos sententiam pronunciaturi, maximo metu exhorrescerent. Isti verò è foro gloriantes abscedere, & præ testimonio, quod Christo perhibuerant, summo gaudio exultare, Deo per illos gloriosos triumphos agente.

Alij prætereà complures in vrbibus & pagis à gentibus distracti erant, & quasi membratim discerpti: ex quibus vnum exempli gratia commemorabo. Ischyrion cuiusdam magistratûs negocia, mercede conductus, procurat. Is, qui eum conduxerat, iubet idolis sacrificare: quem, cùm mandato minimè obsequeretur, cœpit conuicijs lacerare: ac cùm constanter fidei adhæresceret, grauibus affecit contumelijs: atque vbi vidit eum pacatè & tranquillè omnia sufferentem, arrepto fuste præacuto, intestina ac viscera eius transfodit, crudeliterque interemit. Quid attinet percensere multitudinem eorum, qui in solitudine & montibus vagi errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestijs fuerunt extincti? Quorum electionis beatæ & eximiæ victoriæ quanquàm testes sunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat, tamen vnum aliquod facinus proferã, quô res istæ sint exploratiùs cognitæ perspectæque. Chæremon episcopus ciuitatis, quæ Nilus dicitur, cùm iam planè grandis esset, & ætate propè exacta, vnà cum vxore sua ad montem Arabiæ confugiens, neque pòst reuersus est, neque vsquàm eos quispiam videre potuit. Et licèt fratres iam aliquotiès eum cum vxore quærerent, tamen neque ipsos, neque corpora eorum vspiam reperire potuerunt. permulti certè in eo Arabico monte erant, à barbaris Saracenis facti captiui: quorum alij ægrè quidem & vix ingenti pecuniæ summa redimi poterant, alij hactenùs nullo modo. Atque ista mi frater, non frustrà equidem dicendo persecutus sum, sed vt cognoscas quantæ & quàm acerbæ calamitates apud nos obtigerint: quas qui fuerint magìs experti, plura de illis & sciunt, & dicere possunt.

Ischyrion crudeliter necatur 12. Decembris.

Chæremon Episcopus.

His etiam alia paulò pòst attexit: Illi igitur diuini martyres (qui iam Christi tanquàm assessores sunt, & regni eius consortes, participes iudicij, & illius in hominibus iudicandis sententiam approbantes ferunt) dum erant apud nos, nonnullos è fratribus, in quibus crimen sacrificandi idolis hærebat, quique à fide excidissent, cùm conuersionem ac pœnitentiam eorum perspicerent, eamque posse acceptam fore ei, qui omninò non vult mortem peccatoris, satis exploratum haberent, ad se denuò admittunt, recipiunt in ecclesiam, conuentus cum illis celebrant, ineunt societatem, precum & epularum communione vnà vtuntur. Quid igitur consilij nobis, fratres, datis? quid censetis nobis agendum esse? illis'ne suffragabimur? eiusdem cum illis erimus sententiæ? iudicium eorum sequemur? modum tenebimus benignitatis? his quorum illi miserti sunt, benefici & clementes erimus? An contrà, eorum iudicium inane & irritum faciemus? eorum sententiæ nosipsos constituemus animaduersores? clementiæ inhumanitùs resistemus? refringemus institutum? Deum deniquè ad ad iram prouocabimus?

Lapsi quidã Ecclesię cõciliantur.

Nouatus hæreticus perstringitur.

Li. 6. ca. 10.

De persecutione autem, quæ vehementissimè, regnante Valeriano, exardescebat, quas & afflictationes & incommoda idem Dionysius cum alijs propter verum cultum Dei, vniuersarum rerum opificis, subiuerit, verba eius, quibus in Germanum suæ ætatis Episcopum, qui illius famam maledictis lædere tentâsset, inuehitur, satis perspicuè declarant, quæ ità se habent: Videbor equidem nonnullis fortasè, dum admirabilem Dei prouidentiam erga nos ostentatam cogor necessariò explicare, in magnam amentiam inscitiamque esse prolapsus. Verùm quoniam secretum regis occultare est, vt inquit scriptura, præclarum, & Dei opera prædicare cum primis eximium, ego cum Germano manus conserere aggrediar. Veni ad Aemilianum, nõ quidem solus, sed me comitati sunt compresbyter meus Maximus, & Diaconi Faustus, Eusebius, & Chæremon: & quidam è fratribus, qui Roma ad nos venerant, nobiscum vnà profectus est. Aemilianus autem non dixit mihi conceptis verbis, Nè conuentus agito: Hoc enim illi fuisset ferè superuacaneum, & in eo, quod ille moliebatur, postremas sanè tulisset: præsertim cùm ad id, quod caput est nostræ religionis, omnem suam curam & cogitationem conuertisset. Nam non de hoc, nimirùm nè conuentus agerem, ab eo sermo erat institutus, sed de eo, nè meipsum deincèps Christianum esse profiterer: atque ab hoc quidem me desistere mandauit, ratus id quidem, si ego fidem commutarem, alios eandem mecum sententiam secuturos. Non absurdè equidem, neque circuitione vlla vsus, respondi, Deo obtemperandum magìs, quàm hominibus: quin palàm etiam

Tob. 12.

Dionysius iubetur negare Christum.

etiam contestatus sum, me illum, qui solus Deus est, & nullum alium venerari: neque sententiam velle mutare, neque aliquandò desistere esse Christianum. Deincèps iussit, vt in pagum nomine Cephro, prope locum quendam desertum situm, rectà abscederemus. Verùm verba, quæ ab vtrisque vltrò citroque habita sunt, vti fuerunt à quibusdam in commentarios relata, accipitote. Dionysij cõstantia.

Dionysio, & Fausto, & Maximo, & Marcello, & Chæremoni in concilium introductis, Aemilianus qui præfecturam gerebat, sic locutus est: Vobiscum iam coràm absque scripto lubet disserere de Imperatorum dominorum nostrorum humanitate atque clementia, quam erga vos declarant. Nam salutis vestræ ac vitæ potestatem vobis fecerunt, modò ad id, quod est secundùm naturam, velitis vosipsos conuertere, & deos, qui illorum regnum seruant incolume, sanctè adorare: eorum autem penitùs obliuisci deorum, qui naturæ repugnare videantur. Quid igitur ad ista respondetis? neque enim vos ingratos fore arbitror, cùm tanta benignitas ab illis sit vobis ostentata: quandoquidem ad res meliores vos amicè & beneuolè cohortantur. Dionysius respondit: Non omnes colunt omnes deos, sed singuli singulos pro arbitratu. Nos proindè vnum Deum, omnium rerum fabricatorem, qui Valeriano & Galieno Cæsaribus, Augustis, viris sanctissimis imperium largitus est, & colimus & veneramur. Huic etiam sine intermissione pro eorum regno, vt stabile & firmum maneat, preces adhibemus. Tum præfectus Aemilianus: Quis vos, inquit, prohibet, quo minùs hunc, si Deus sit, cum alijs dijs, qui sunt secundùm naturam, cultu & reuerentia obseruetis? Vobis enim præceptum est, vt deos adoretis, quos omnes nôrunt. Ad quæ Dionysius: Nos, inquit, nullum præter vnum Deum honore & obseruantia prosequimur. Aemilianus præfectus iterùm: Video, inquit, vos non modò ingratos esse, sed singularis Augustorum mansuetudinis propè immemores. Quapropter in hac ciuitate non liberum erit vobis versari, sed eritis in partes Libyæ relegati, in locum videlicet, qui Cephro nuncupatur: quem ex Augustorum nostrorum iussu vobis assignaui. Neque vsquàm omninò vel vobis, vel alijs quibusque potestas erit, aut celebrandi conuentus, aut in ea, quæ cœmeteria appellantur, ingrediendi. Quòd si quis vestrûm in eum locum, ad quem vos ire præceperim, minimè proficiscatur, aut in aliquo reperiatur conuentu, suoipsius capiti creabit periculum. non deerit nanque accurata ad vos obseruandos industria. Abite igitur, quò iussi estis. Iubetur cũ suis exulare.

Sic Aemilianus me etiam morbo laborantem abire compulit, & ne ad vnum quidem diem meam profectionem differre voluit. Quódnam ergò mihi supererat ocium, vel ad conuentus agendos, vel secùs? Deindè addit: At tamen nos, iuuante Deo, non à conuentu palàm inter nos celebrando abstinuimus: quin ipse equidem quosdam in ciuitate fratres, perindè acsi simul cum illis versatus fuissem, ad conuentus perstudiosè agendos impuli: & quanuis ab illis corpore abessem, vt inquit Apostolus, spiritu tamen semper aderam. Ad Cephro autem non exiguus cœtus nobiscum vnà migrauit, tum fratrum qui ab vrbe nos sequebantur, tum aliorum, qui ex reliqua Aegypto conuenerant. Atque ibi Deus quasi ianuam ad verbum suum prædicandum nobis patefecit. Ac primùm quanquàm persecutione eramus diuexati, & lapidibus obruti, posteà tamen non parua gentilium multitudo, idolis relictis, ad Deum colendum se conuertebat. Nam tunc primùm verbum Dei, quod nunquàm anteà accepissent, per nos inter eos disseminatum fuit. Et Deus, perindè atquè huius rei causa solùm illò nos deduxerat, eo completo ministerio, iterùm indè abduxit. Quippe Aemilianus, vt videbatur, habuit in animo nos in asperiora interioraque Libyæ & magìs deserta loca transferre. Omninò enim in Mariotam commigrare mandauit, & singulis nostrûm per regiones varias pagos præscripsit singulos: me autem propiùs ad regiam viam, vt primus prehenderer, collocauit. Sic enim res ab illo dispensata, sicque comparata fuit, vt quandò vitum foret, nos comprehendere, omnesque facilè occupare posset. Iudicis ergà eum inhumanitas. Colos. 2. Multos cõuertit gentiles.

Ego verò cùm in Cephro abire iussus essem, tametsi locum vbinam esset situs, ignorabam, & nomen nunquàm anteà ferè audiueram, tamen libenter & absque animi perturbatione eò abscessi. At vt primùm nunciatum erat mihi, vt in Colluthionis agros demigrarem, qui mihi aderant, nôrunt quo pacto (Hoc enim mihi ipse vitio vertendum puto) animo affectus essem. Primùm rem valdè acerbè tuli, admodumque succensui. nam quanuis loca illius regionis magìs mihi cognita essent, ac magis familiaria quàm Cephro, tamen ipsum Colluthionem desertum Colluthionem petere iubetur.

desertum à fratribus, desertum à probis viris esse dicebam, & non solùm molestijs, à crebro viatorum transitu exhibitis, sed periculosis etiam latronum incursionibus obiectum. Cæterùm cùm fratres mihi significâssent, Colluthionem non tam longè ab Alexandria distare, & licèt Cephro magnam fratrum societatem ex Aegypto profectorum nobis attulisset, adeò vt maiores conuentus celebrare potuissemus: ibi tamen, quia propiùs indè aberat Alexandria, crebriùs hominum summo amore, familiaritate & amicitia, nobiscum coniunctorum aspectu (Ad nos enim velle accedere, nostrosque animos recreare, & ità tanquàm in suburbijs paulò remotioribus nos aliquotiès conuentus agere posse dixerunt) reuerà frui licere, permagnam animo cepi consolationem. Ac sic planè contigit. Post ista de alijs rebus aduersis, quæ sibi acciderant, ità scribit.

Fortiter ab illo gesta & tolerata.

At multis fidei confessionibus gloriatur Germanus, ac multa mala contra se patrata habet dicere ille quidem: sed quot quæso iudicum sententias contra nos pronunciatas potest enumerare? quot publicationes proscriptionesque bonorum, quot fortunarum direptiones, quot abdicationes dignitatum, quantas inanis & popularis gloriæ contemptiones, quantas laudum à præfectis & à senatoribus nobis tributarum despicationes, quantam minarum nobis obiectarum, aduersarum vociferationum, periculorum, persecutionum, exilij, angustiæ & variæ cuiusque modi afflictionis tolerantiam, vt illa quæ sub Decio, & Sabino, & quæ hactenùs sub Aemiliano mihi obtigerunt. Vbi Germanus comparuit? quis sermo de eò peruagatus? Verùm magnam istam inscitiam, in quam ob Germanum modò prolapsus sum, missam facio. Quocircà rerum singularum explicationẽ fratribus, qui eas tenent, sigillatìm persequendam permitto.

Omnis generis & ætatis martyres Alexandriæ.

Idem etiam in Epistola ad Domitium & Didymum conscripta, eorum qui istius persecutionis procellis agitati fuissent, hoc modo mentionem facit: Christianos autem, qui & permulti sunt, & vobis minimè cogniti, nominatìm citare superuacaneum arbitror. Sed hoc sciatis velim, viros & mulieres, iuuenes & senes, puellas & vetulas, milites & priuatos, cuiusque generis, cuiusque ætatis extitisse: quorum alij flagris cæsi, alij ignis incendio cremati, alij ferro percussi, parta victoria, coronas martyrij adepti sunt. Nonnullis autem longinquum hoc persecutionis tempus non satìs fuit, vt Domino viderentur accepti, ipseque illos ad se reciperet. In quorum numero, vt verisimile est, egoipse sum, cui adhuc vita suppetit. Ac propterea ipse qui dicit, Tempore accepto audiui te, & in die salutis adiuui te, me in illud tempus distulit, quod mihi idoneum opportunumque fore nôrit. Quoniam autem de me meisque socijs rogatis, & quo loco sit vita nostra constituta, certiores fieri cupitis, accepistis, credo, qua ratione quidam ex Mariotide me, Gaium, Petrum & Paulum, à centurione, duce, militibus & seruis captiuos abductos de improuiso adorti, inuitos & minimè spontè sequentes vi abstraxerint, & à militibus auulsos secum abripuerint. Iam verò ego cum Gaio & Petro, soli à cæteris fratribus separati, in desertum & squalentẽ Libyę locum conclusi sumus, tridui viam à Paratonio distantes. quinetiam paulò longiùs progressus dicit: In vrbem clàm & ex occulto ingressi sunt, alios fratres inuisuri: presbyteri quidem Maximus, Dioscorus, Demetrius, Lucius: (Faustinus enim & Aquila, qui hominum sermone celebriores sunt, in Aegypto vagi oberrant) Diaconi autem post illos, qui pestis contagione infecti interierunt, relicti Faustus, Eusebius, Chæremon: Eusebium dico, quem ab initio persecutionis Deus sua gratia roborauerat, & non modò ad ministeria confessorum, qui carceribus tenebantur, summo studio & omni animi contentione explenda, sed etiam ad lintea, quibus corpora beatorum martyrum iam vita defunctorum inuoluerentur, neglecto vitæ periculo conficienda præparauit. Præfectus verò nihil adhuc de sua in sanctos remittit acerbitate, sed alios, qui ad eum adducuntur, è medio, vt dixi, tollit: quosdam tormentis dilaniat, nonnullos arcta custodia & vinculis contabefacit: & quanquàm præcipit, nè quisquam illos adeat, atque adeò curiosè inquirit, ecquis reperiatur, qui eos velit adire, Deus tamen propenso fratrum studio, & assiduo eorum curatione, illos istis rerum angustijs oppressos reficit subleuatque.

Esa. 49.

Eusebij diaconi erga martyres studium.

Li. 7. ca. 16.

Dionysius redit Alexandriam.

Vbi iam pax, sedata propè persecutione, constituta fuit, Dionysius redijt Alexandriam. In qua vrbe tam grauis seditio & bellum intestinum deintegrò ciebatur, vt fratres in ciuitate, propterea quòd omnes in alterutram seditionis partem diuisi erant, Dionysius nullo modo posset inuisere. Vndè in ipso Paschatis festo ab ipsa Alexandria, velut exul ab extera regione, per literas cum illis colloqui coactus fuit. Quinetiam aliam posteà Epistolam ad Hieracem ecclesiarum Aegypti Episcopum

de

de festorum celebratione conscripsit, in qua seditionis, quæ eodem tempore fuit Alexandriæ concitata, his verbis mentionem facit: Quid mirum, si arduum & difficile sit mihi apud eos, qui longinquiore locorum intercapedine distant, per epistolas tanquàm coràm sermones conferre, cùm & mihijpsi mecum colloqui, & proprio animo in varias partes distracto consilium dare anceps & periculosum videatur? Nam ad viscera mea, meos charissimos fratres, contubernales, vno animi consensu mecum cōcordes, ecclesiæ eiusdem ciues, cogor equidem necessariò literas scriptas dare: eas tamen ad illos mittere videor mihi nullo modo posse. Faciliùs enim, non dicam in exteras regiones, sed ab oriente ad occasum vsque iter facere quisquam poterit, quàm ab vna Alexandriæ parte ad alteram pergere. Media nanque ciuitatis platea plus habet periculi, plusque difficultatis ad transeundum, quàm solitudo illa deserta longa, ac nullis hominum vestigijs trita, quam Israelitæ vix duabus hominum ætatibus peragrârunt: & quàm ipsum etiam mare rubrum, quod quidem in duas partes disruptum, & instàr duplicis muri vtrinquè erectum, prætergrediuntibus Israëlitis transitum dedit perfacilem. Seditio Alexandriæ. Exod. 14.

Porrò autem cùm pestifer ac letalis morbus bellum continuò insequeretur, cumq; festi Paschatis celebratio modò appropinquaret, deincèps rursùs fratribus scripsit Dionysius, & graues calamitatis perturbationes illis significauit his ferè verbis: In hac miseriarum turba alijs fortassè neque hoc tempus, neque aliud, immò neque illud ipsum tempus, quod homines putarent omnium lætissimum, nedùm alia tempora, ad festum celebrandum satis idoneum videretur. Etenim iam lamentationum plena sunt omnia, iam lugent omnes, iam mœrores, iam querelæ vniuersam vrbem propter multitudinem cùm illorum qui modò mortui sunt, tum horum qui quotidiè moriuntur, occupant. Nam sicut de primogenitis Aegyptiorum scriptum est, sic & nunc ingens clamor editus: non enim est domus, in qua non sit mortuus. idquè planè meritò. Multa nanque & grauia incommoda, perdito eorum conatu, Christianis etiam ante hoc tempus importata fuissent. Primùm omnium nos ex vrbe expulerunt: quo quidem tempore nos soli, cùm ab omnibus persecutione exagitati essemus, & mulctari morte, festum lætis animis celebrauimus, & singula loca, ad singula afflictionum genera nobis præstituta, vt ager sylucstris, solitudo deserta, nauis fluctibus iactata, diuersorium publicum, & horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conuentus maximo cum studio ageremus. Quin beati martyres, qui è vita cesserant, & à Deo in cælum ad epulas erant inuitati, festum omnium certè splendidissimum peregerunt. Cap. 17. Sæuissima pestis Alexandriæ. Exod. 12. Christianorum alacritas.

His de rebus deincèps bellum & fames eos de improuiso oppressêre: quæ quanquàm nos vnà cum gentilibus perferebamus, soli tamen inter omnes, quæcunque vrgebant, æquo animo sustinuimus: & tametsi illarum rerum, quas illi cùm conscijssent ipsi inter se, tum prætereà perpeßi essent, eramus ex æquo participes, pace tamen Christi, quam nobis solùm clemens largitus est, rursùm mirè nosipsos oblectauimus. Cæterùm vix tum nos, tum illi breuissima ad respirandum sumus intercapedine potiri, cùm pestis ista subitò grassari cœpit: res planè illis ad terrendum omni metu formidolosior, ad excruciandum quauis calamitate miserior acerbiorque, & vt proprius illorum scriptor memorat, ad cogitandum solùm omnium opinione maior. Verùm nobis non eius generis putabatur, sed à Deo cùm ad fidem nostram exercendam, tum ad tolerantiam animi probandam, nihilo minùs, quàm alia rerum incommodarum genera, quæ aliquandò obtigissent, cælitùs inflictam. Et sicut alicubì à nobis minimè abstinuit, sic in gentiles longè latequè oberrauit. paulò pòst adiungit ista. In rebus duris pax & trãquillitas animorum.

Quamplurimi è fratribus nostris adeò immenso quodam charitatis & fraternæ beneuolentiæ ardore erant inflammati, vt minimè suæ parcentes vitæ, sed ipsi sibi inter se firmè adhærescentes, eos qui morbo opprimebantur, nulla suî cura aut cautione adhibita, sedulò inuiserent, illis inseruirent assiduè, pro viribus ob Christi amorem curarent, vnà cum illis decederent è vita, lubentissimè contagione aliorum infecti, etiam morbum à proximis quodammodò ad se attraherent, suaque sponte aliorum mœrores beneuolè mitigarent. Multi item dum alijs ægrotantibus curam adhibent, illisque vires restituunt, ipsi aliorum mortem in se deriuantes, vitam amittunt. Et verbum illud, quod vulgò semper dicitur, quodque veræ beneuolentię solùm videtur conuenire, nimirùm vt singuli pro amicis abeant è vita, seque eorum causa, In peste summa erga infectos charitas.

causa, vt ità dicam, reiectamentum efficiant, re ipsa expleuerunt. Ex fratribus igitur, qui virtute facilè erant præstantissimi, ad hunc modum mortem oppetiuerunt: quorum nonnulli erant presbyteri, alij diaconi, quidam è populo virtutis ergò multùm laudati: adeò vt istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robustam fidem suscipiebatur, nihil à martyrij splendore abesse videretur. Quinetiam sanctorum corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadauera, decēter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere non grauati sunt: ipsique, qui supererant, paulò pòst similia officia in se collata propterea adepti, quòd eandem mortis viam instarent, quam qui præiuerant instituissent. Gentiles autem his omnibus fecére contraria. eos enim, qui ægrotare incipiebant, ab ædibus extrudere, deserere amicissimos, in plateis semiuiuos proijcere, cadauera insepulta canibus exponere dilanianda, mortis participationem & quasi communionem auertere, quam planè vel infinita diuerticula quærentes, nullo modò poterant euitare.

Sic mundus amat suos.

Cap. 18. *Scripta Dionysij.*

Post istam Epistolam, cùm ciuitatis status denuò pacatus esset & tranquillus, Dionysius fratribus, qui Aegyptum incoluerunt, aliam de festis celebrandis misit, & præter illam, alias etiam varias exarauit. Extat item eius Epistola de sabbato, alia item de gymnasio. Hermānoni porrò & alijs in Aegypto fratribus literas conscribens, vbi alia tum de Decij sceleribus & improbè factis, tum de facinorosis moribus illorum, qui Decium subsequebantur disseruerit, pacis & concordiæ, quæ in Ecclesia Galieno regnante vigebat, meminit.

Cap. 19. *Nepos Chiliasta.*

Præter ista omnia Dionysij opera, alij duo libri de Promissis erant ab eo elaborati. Causa cur hos scripserit, erat Episcopus Aegypti, nomine Nepos: qui promissa in sacris scripturis sanctis viris facta, in hoc seculo, sicut Iudæi somniant, præstanda fore docuit: hominibusque persuadere laborauit, eos certo quodam millenario annorum numero in delicijs corporeis & voluptate in terra victuros. Qui cùm putaret se ex Ioannis Apocalypsi suam opinionem posse obtinere, librum, quem ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν, id est, Reprehensionem eorum, qui allegorias componunt, inscribebat, de hoc argumento edidit. Cui Dionysius in duobus illis libris, quos de Promissis contexuit, acriter contradicit. In horum posteriore inter alia sic scribit: Cùm essem in loco quodam, qui Arsenoites dicitur, vbi, vt nôsti, iampridèm hoc dogma (Nepotis) prodijt in lucem, sic vt non modò schismata nascerentur, sed integræ ecclesiæ à fide deficerent, presbyteros eius sectæ, qui fratribus in singulis pagis vndiquè prædicabant verbum Dei, conuocaui, eosque magnoperè cohortatus sum, vt palàm præsentibus fratribus, audireque cupientibus, illorum doctrina exquisitè discuteretur. Atque cùm librum, qui illis erat tanquàm quoddam propugnaculum & murus inexpugnabilis, ad me attulissent, considens in vno loco cum illis, toto triduo à primo manè vsque ad vesperam, quæ in eo scripta erant, studiosè refutare conabar. Ibi tum quidem certè fratrum constantiam, studium veritatis, facile obsequium & prudentiam ideò supra modum admirabar, quòd tam præclaro ordine, & tanta cum modestia rogabant, disceptabant, nobisque assentiebantur, atque etiam tam diligenter præcauebant, nè illis, quæ fuerant antè ab ipsis decreta, si quicquam in eis veritati repugnare videretur, mordicùs adhærerent: quinetiam contrarias rationes minimè omittebant nobis opponere, sed quoàd eorum fieri poterat, ea quæ erant ab ipsis proposita, munire & defendere tentabant: & contrà, vbi poscebat ratio sententiam mutare, & nostro assentire iudicio, eos neutiquàm omninò pudebat: deniquè conscientia integra, syncera cogitatione, & puris erga Deum ac simplicibus animis, ea quæ erant firmis rationibus & testimonijs, à sacris literis depromptis, confirmata, admodùm approbabant. Ad extremum huius doctrinæ princeps & dux Coracion, omnibus fratribus qui aderant audientibus, palàm confessus est, nobisque attestatus, neque se velle deincèps, quandoquidem aduersarijs rationibus se putabat satis abundè conuictum, illi dogmati animum adhibere, neque de eo disserere, neque mentionem facere, neque aliquandò illud vsquàm docere. Vndè alij fratres, qui aderant, pro ista disceptatione in publico ecclesiæ conuentu habita, proque omnium conciliatione & concordia maximam lætitiam animis perceperunt.

Confutatur à Dionysio.

Is est liber Nepotis, quo eius sectatores ad modùm nitebantur.

Cap. 21.

Præter Epistolas Dionysij suprà commemoratas, aliæ complures eius extant Epistolæ: vt illæ, quæ sunt contra Sabellium ad Ammonem ecclesiæ Berniceensis Episcopum missæ: & ea, quæ ad Telesphorum, & quæ ad Euphranorem data fuit: alia

iterùm

iterùm ad Ammonem & Euporum. Quatuor item libros de eodem argumento, nempe contra Sabellij hæresim composuit, quos gentili suo Dionysio, qui Romanus erat Episcopus, dedicauit. Non paucæ præter has sunt illius apud nos Epistolæ. Quinetiam libri illius sunt, epistolæ forma, pluribus verbis compositi: vt hi de Natura, Timotheo filio dicati: Alius de Tentationibus, quem Euphranori obtulit. Ad Basilidem porrò ecclesiarum Pentapolis episcopum scribens, ait se commentarios in principium libri, qui Ecclesiastes dicitur, confecisse. Adde huc diuersas & varias eius Epistolas, ad eundem Basilidem scriptas, quas nobis reliquit.

Athanasius testatur, eũ falsò fuisse apud Dionysium Ro. Pontificem delatum.

Intereà temporis Dionysius, cùm iam decem & septem annis Episcopatum Alexandriæ administrâsset, duodecimo anno Imperij Galieni moritur. Hactenùs ex Ecclesiastica Historia Eusebij Episcopi Cæsareensis. De eodem Dionysio etiam Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum inter cætera sic habet: Dionysius, Alexandrinæ vrbis Episcopus, sub Heracla scholam κατηχήσεων presbyter tenuit, & Origenis valdè insignis auditor fuit. & tandèm sic concludit ibi Hieronymus: Sed aduersùs Paulum Samosatenum ante paucos dies, quàm moreretur, insignis eius fertur Epistola. Moritur duodecimo Galieni anno. Cætera lector videat loco citato. nam ferè nihil nisì eius scripta commemorat, quæ iam ex Eusebio didicimus. Athanasius Episcopus Alexandrinus Epistolam scripsit aduersùs Arrianos, qua egregiè confutat impios illos hæreticos, falsò hunc Dionysium suæ hæreseos adstipulatorem fingentes. In ea Epistola vocat eum beatæ memoriæ Episcopum: dicit eum hæresim propugnando nequaquàm ab Ecclesia recessisse, sed in ea cum pietate obdormiuisse, atque eius memoriam hactenùs cum patribus hucusquè celebratam esse, & in catalogum relatam. Vocat etiam eum beatum Dionysium, & catholicæ Ecclesiæ magistrum &c.

Cap. 21.

Athanasij de Dionysio testimonia.

VITA S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ, AVTHORE QVIDEM APVD GRAECOS SOPHRONIO HIEROSOLYMORUM Episcopo, interprete verò Paulo Diacono ecclesiæ Neapolitanæ, vt testatur etiam Sigebertus cap. 69. de Viris illustribus.

Habetur in peruetusto MS. Codice.

PRAEFATIO PAVLI DIACONI.

Domino gloriosissimo ac præstantissimo regi Carolo.



SCiens gloriosissimam maiestatem vestram tam diuinis eloquijs, quamquè sanctorum præcedentium exemplis valdè delectari, cùm iamdudùm libellum conuersionis Mariæ Aegyptiacæ, cum Tomulo de cuiusdam Vicedomini pœnitentia, domino meo obtulerim: quia ille ipse casu quodam deperijt, nunc interìm iussui vestro in eodem restaurando deuotus obediui. Obsequij quoquè & deuotionis meæ fuit, vt non simplicem tantùm memoratæ rei textum exhiberem, sed & alia quæsitu digna superadijcerem, de venerandis scilicet Constitutis & Gestis Præsulum Romanæ Ecclesiæ: quorum sanctionibus quàm reuerenter Ecclesia vtatur, maiestas vestra optimè nouit. Hoc autẽ breuitatis Compendium seruus vester ideò sumpsit, vt serenitas vestra, quam Reipub. fascibus valdè oneratam attendo, cui sparsìm diuersa non vacat percurrere scriptorum volumina, quasdam consuetudines Ecclesiasticas in breuì, quasi in quodam Enchridio inclusas tenere possit: Et quia secundùm regalem industriam, studium domini mei in hoc feruere didici, vt facta dicta've vestra iuxta authoritatem irrefragabilem dirigere, & quid erga cultum diuinum tenendum, quid've reijciendum sit, solicitè disquirere & perscrutari, elucubrationis sit assiduæ: qualiter eius diuinitatis ope muniti, prosperis successibus ad omnia currere mereamini.

Theophilus is est: habeturque Tomo 1. Februarij 4. die, sed alio interprete.

PROLOGVS AVTHORIS, INTERPRETE PAVLO VENERABILI DIACONO SANCTAE NEAPOLIS Ecclesiæ.



Tob. 12. SEcretum regis celare, bonum est: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Ità enim legitur, angelum dixisse Tobiæ post oculorum amissionem, gloriosamque illuminationem, & post illa transacta pericula, è quibus liberatus, consequutus est Dei pietatem. Etenim regis secretũ manifestare, nociuum & valdè periculosum est: & Dei gloriosa silere opera, magnum est animæ detrimentum. Propter quod ego diuina tegere silentio dubitans, & pigro imminens seruo, metuens condemnationis iudicium, qui à Domino talentum accipiens, fodiens in terram abscondit, & datum ad operationẽ celauit extra negociationem, sacram ad me prolatã narrationẽ nequaquàm silebo. Sed nullus mihi sit incredulus scribenti de eis, quæ audiui, nec quisquam me mentiri ęstimet, de rei magnitudine dubitãs. Mihi enim absit sacris mẽtiri rebus, & adulterare verbũ, vbi Deus memoratur. Ei autẽ, qui minimè intelligit, & indignus est Dei magnitudine, qui carnẽ assumpsit, & incredulus est ista dicenti, non mihi pertinebit periculum. Si qui autem illi sunt, qui cùm huius scripturæ legerint textum, gloriosam rei admirationem sanè credere renuerint, & illis Dominus misereatur, faciatque capaces sancti verbi, nè rei existant Dei miraculorum, quæ plura in suis fieri prædestinauit electis: quoniam & ipsi humanæ naturæ infirma considerantes, impossibilia decernunt ea, quę de hominibus sanctis gloriosa dicuntur. Assumam decæterò narrationem, ipsam rem referens, quæ in hac nostra generatione facta dinoscitur, quam sacer vir, diuina & agere & docere edoctus, narrauit. Sed vt suprà dictum est, nullus hæc ad incredulitatem trahat, considerans impossibile fieri in hac nostra generatione tam grande miraculum: quia gratia Dei per omnes generationes in sanctas pertransiens animas, amicos Dei facit & prophetas: quemadmodùm Salomon secundùm Deum docuit. Tempus nunc est sacræ prodere narrationis initium, magnum virileque certamen venerabilis Mariæ Aegyptiacæ, videlicet qualiter expleuerit tempora vitæ suæ.

Matth. 25.

Sap. 7.

VITA S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ, ALIO STYLO, ET QVIDEM, NISI FALLOR, MELIORI E GRAECIS

conuersa, quàm sit ea, quæ vulgò circumfertur. Hæc autem versio, quam nunc edimus, in perantiquo manuscripto exemplari attribuitur Paulo Diacono, cuius etiam potiùs eam esse crediderim, quàm alteram illam vulgò vsurpatam, quæ tamen multis locis cum hac ad verbum concordat.



2. Aprilis. IN monasterio Palæstinorum fuit vir vitæ moribus & verbo ornatus, qui ab ipsis cunabulis, monachicis est actibus diligenter instructus, & conuersationibus veraciter educatus, nomine Zosimas. Et nullus nos æstimet dicere Zosimam illum, in prędicationis erroneæ dogmatibus accusatum sectæ alterius. Alius enim hic, & alius ille, & multa inter vtrosque distantia, licèt vnum vterque sortiti sint vocabuli nomen. Hic itaque Zosimas ab initio in vno Palæstinorum conuersatus est monasterio, & omnem pertransiens monachicam disciplinam, in abstinentiæ opere omnium factus est probatissimus. Omne enim præceptũ sibi traditum canonis ab his, qui ab infantia educati sunt in lucta perfectæ disciplinæ monachicæ, irrepræhensibiliter conseruabat. Multa etiam & ipse sibi adijciens superaddidit, cupiens carnem spiritui subiugare. Nec enim in aliquo offendisse comprobatur. ità enim fuit in cunctis perfectus monachicis actibus, vt multo-

Zosimę monachi perfectio.

multotiès multi monachi de prædicti loci monasterijs & de longinquis patribus ad eũ confluentes, eius exemplis atque doctrinis se constringerent, & ad illius imitationem abstinentiæ, se multo magis subiugarent.

Hæc itaque omnia in se habens, à meditatione sacri eloquij nunquàm discessit, sed siue in strato suo quiescens, siue surgẽs, aut operam tenens manibus, vel cibum, si conueniebat vt sumeret, capiens: bono, quo ille vti consueuerat, spiritualiter vtebatur, vnumque opus habebat perpetuum, nunquàm deficiens psallere, frequenter & meditationem facere sacri eloquij. Multotiés enim, vt asserunt, & diuina illustratione dignus effectus est à Deo sibi visionis ostensæ: & mirum nõ est nec incredibile. Si enim, vt ait Dominus, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: quanto magìs qui suam purificauerint carnem, sobrij semper animoque peruigiles, oculis diuinæ prospiciunt illustrationis visionem, indicium hinc præparatæ futuræ * bonitatis accipientes? Dicebat autem ipse Zosimas, ab ipsis, vt ità dicam, maternis vlnis in hoc se esse monasterio traditum, & vsque ad quinquagesimumtertium annum in eo cursum monachicum peregisse. Post hæc autem pulsatus est à quibusdam cogitationibus, quasi iam in omnibus esset perfectus, alterius non indigens in vllo doctrina. Hæc autem, vt dicebat, intra se cogitabat: Nunquid est in terris monachus, qui nouum aliquid possit tradere mihi, aut iuuare me valens in aliquo, quod ignorem, aut quod ego in monachico non expleuerim opere? Nunquid inuenitur eorum, qui solitudinem dilexerunt, vir, qui prior me in actibus sit? Hæc & his similia eo cogitante, adstitit quidam & dixit ei: O Zosima, benè quidem, & sicut possibile fuit homini, decertâsti: benè cursum monachicũ consummâsti. Tamen nullus est, in omnibus qui se perfectum demonstret. Maior enim lucta præsens, quàm illa quæ præterijt, licèt tu nescias. Vt autem cognoscas, quantæ sint & aliæ viæ salutis, egredere de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui, vt Abraham ille patriarcharum eximius, & veni ad monasterium, quod iuxta Iordanem adiacet flumen.

Matth. 5.
for. * beatitudinis
Tentatio Zosimæ.
Gen. 12.

Mox igitur secutus dicentem, egressus de monasterio, in quo ab infantia conuersatus est, & perueniens ad Iordanem, omnibus fluminibus sanctiorem, dirigitur ab eo, qui vocauit eum, in monasterium, in quod illum Deus venire pręcepit: pulsansque manu ianuam, loquitur priùs monacho, qui ianuam obseruabat, & ille nunciauit eum Abbati. Qui suscipiens eum, habituque & specie religiosum conspiciens, postquàm flexit genua, vt mos est monachis, accepta oratione, hoc eum interrogauit: Vndè frater aduenisti? & quam ob rem apud humiles te coniunxisti monachos? Zosimas autem respondit: Vndè quidem veni, non puto necessarium dicere: ędificationis autem gratia Pater aduenì. Audiui de vobis magnalia & laude digna, & posse Deo per vos animam sociari. Dixit autẽ ei Abbas: Deus, frater, qui solus sanat animæ infirmitatẽ, ipse te & nos doceat diuina mandata, & dirigat omnes ad ea facienda, quæ opportuna sunt. Homo enim hominem ædificare non valet, nisi vnusquisque attendat semetipsum frequenter, & sobrio intellectu, quod expediens est, operetur, Deum habens cooperatorem. Tamen quoniam, vt dixisti, charitas Christi te videre nos humiles monachos perduxit, mane nobiscum, si ob hoc venisti, & omnes nos nutriet pastor bonus sancti spiritûs sui gratia, qui animam suam dedit liberationem pro nobis, & proprias oues vocat ex nomine. Hæc dicente Abbate, flectens iterùm Zosimas genua, accepta oratione, respondit, Amen. & mansit in eodem monasterio.

Matth. 10.
Iohan. 10.

Vidit autem ibì seniores, actibus & visione splendentes, spiritu feruentes & Domino seruientes. Psallentia enim ibì erat incessabilis, totius noctis habens stabilitatem, & in manibus semper operatio, & in ore Psalmi diuini absque diminutione. Sermo ibì ociosus non proficiebat: cogitatio auri argentique, aut rei alicuius apud illos non erat, nec nomen apud eos cognoscebatur: sed vnum erat primum solummodò, quòd festinabatur ab omnibus, vt vnusquisque mortuus esset corpore, sicut semèl eis, quæ in seculo sunt, mortificatur non viuens. Cibum autem habebant indeficientem, diuinitatis eloquia: nutriebant verò corpus necessarijs pane & aqua, vt multo magìs apud diuinam charitatem apparerent efficaces.

Nota insigne monasterium & monachorũ sanctissimã vitam.

Hæc Zosimas, vt dicebat, perspiciens, ædificabatur valdè, extendens se ad perfectionem, & crescere faciens proprium cursum, cooperatores inueniens, optimè diuinum innouantes paradisum. Transactis autem aliquot diebus, appropinquauit tẽpus, quandò sacra ieiunia Christianis traditum est celebrare, & purificare seipsos ob diuinæ passionis resurrectionisque Dei salutationem. Ianua autem monasterij nunquàm aperie-

Quadragesimã vt obseruârint.

batur, sed semper erat clausa,& absque vlla perturbatione monachi cursum suum explebant: nec enim erat licitum aperire aliquandò,nisi fortasśis monachus propter aliquod opus necessarium adueniebat. Solitarius enim erat locus ille,& plurimis vicinorum non solùm inusitatus,sed & incognitus. Canon autē talis à priscis seruabatur temporibus:propter quod,vt considero,Deus Zosimam perduxit in idem monasterium.

Dehinc ergò referam,qualiter ipsius monasterij seruabatur traditio. Dominica, quā primam ieiuniorum hebdomadam nominari mos est,agebantur pro consuetudine diuina sacramenta, & vnusquisque particeps efficiebatur viuifici ac intemerati corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Et solitò modicum cibi sumentes, congregabantur omnes in oratorium,& curuatis genibus, factaque suppliciter oratione, salutabant se inuicèm monachi, & publicitùs genu flexo amplectebantur Abbatem, postulantes orationem, vt haberent ad inchoatum certamen cooperatricem & comitem. His ità se habentibus,fores monasterij patefiebant, & psallentes consona voce, Domi-
Psal. 26.
nus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? &c. exibant omnes,multotiès aut duos aut tres monasterij custodes relinquentes, non vt custodirent ea, quæ intùs erant reposita, (Non enim erant apud illos aliqua furibus congrua) sed nè oratorium absque diuinis relinquerent solennijs. Vnusquisque autem secum annonam ferebat,prout poterat aut volebat. Nam alius porta-
* paruum panem,
bat * aquam, corpori ad mensuram sufficientem,alius carycas,alius palmarum fructus dactylos,alius verò legumina aquis infusa,alius nihil præter corpus proprium & vestimentum,quo vtebatur. Nutriebantur autem, quandò necessitas exigebat naturæ, herbis quæ nascebantur per solitudinem. Canon autem erat vnusquisque sibijpsi & lex absque præuaricatione,vt non cognosceret aliquis consocium,qualiter abstinebat,aut quomodò agebat. Iordanem enim mox transmeantes, longè abinuicèm se sequestrabant,& nullus se iungebat ad socium,ciuitatem æstimantes solitudinem.Sed & si vnus ex ipsis à longè venientem ad se aliquem videbat, mox declinabat de itinere, & ad aliam partem pergebat. Viuebat autem sibi & Deo, psallens frequenter & constituto gustans tempore cibum. Ità omnia ieiunia celebrantes, reuertebantur ad monasteriū antè viuificum diē resurrectionis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, cùm festam Domi-
Dominica palmarum.
nicam cum ramis palmarum celebrare sancta accepit Ecclesia. Reuertebantur autem, vnusquisque habens proprij laboris testem agricolam,propriam conscientiam,cognoscentem qualiter operatus est,& qualia laborum semina seminauit. Et nullus vllo modo interrogabat alium,quomodò aut qualiter laboris certamina consummâsset.

Hic est itaque huius monasterij Canon,& ità perfectè & optimè custodiebatur. Vnusquisque enim,vt dictum est, per solitudinem Deo iungebatur, & in semetipso decerta-
Vanægloriæ pnicies.
bat,nè hominibus placeret, sed soli Deo. Illa enim, quæ propter homines fiunt, vt hominibus placeant, aguntur: & non solùm non proderunt facientibus, sed multo damno talia agentibus efficiuntur obnoxia. Tunc itaq; Zosimas cōsueta monasterij lege transmeauit Iordanem,modicum,quid pro corporis necessitate deportās congruum, & vestem qua vtebatur: & Canonem quidem celebrabat,solitudinem pertransiens, & tempore escæ necessitatem faciebat naturæ. Sedebat autem nocte in terra, modicum quiescens, & somnum ad modicum gustans, vbicunquè eum vespertinum reperiebat tempus. Diluculo autem properare incipiebat, semper incessabile eundi habens propositum. in desiderio enim habens,vt dicebat,introire in solitudinem, & sperans inuenire aliquem patrē in ea habitantem, qui eum posset aliquid ædificare, sicut desiderabat,sine cessatione iter agebat,quasi ad aliquem iam manifestū festinans. Viginti autem dierū exigens iter,cùm sextæ horæ tempus aduenit, stetit modicum ab itinere: & con-
Statutum diei tempus dicit Tertiā, Sextā, Nonā &c.
uersus ad Orientem,agebat solitā orationē. Consueuerat enim in constituto diei tempore figere itineris cursum,& stans psallere,& genu flexo orare. Dum autē psalleret, & in cælum inspiceret intentis obtutibus, vidit à parte dextra, vbì stans sexta orabat, vmbram quasi humani corporis apparentem: & priùs quidem turbatus est, phantasiam alicuius spiritùs existimans se vidisse,& contremuit: signo autem crucis se muniens,& à se timorem proijciens, (Iam enim & orationis eius finis instabat) conuertens oculos, vidit aliquem in veritate properantem ad partem Occidentis. Mulier autē erat, quod videbatur,corpore nigerrimo, præ solis ardore denigrata, & capillos capitis habens vt lana albos,& ipsos modicos,non ampliùs quàm vsque ad ceruicem descendentes.

Hæc itaque Zosimas videns, & desideratæ dulcedinis gauisus effectu gloriosæ visionis, cœpit festinanter currere in eam partem, quò & illud, quod apparuit, festinabat.

Gau-

Gaudebat enim gaudio magno. Non enim viderat in ſpatio dierum illorum ſpeciem hominis, aut animalium vel volucrum beſtiarumque formam. Deſiderabat igitur cognoſcere, quæ vel qualis beſtia eſſet, quæ videbatur, ſperãs quoniam alicuius maiorum efficeretur proſpectus. Illa autem vt vidit econtrà Zoſimam venientem, cœpit fugiens currere ad interiorẽ ſolitudinem. Zoſimas autem ętatis ſenectam obliuiſcens, & laborem non reputans itineris, tetendit rapidiſſimo curſu, deſiderans cõiungi fugienti. Hic ergò ſequebatur, illa autem fugiebat. Erat autem curſus Zoſimæ velocior, & paulo efficiebatur propinquior. Vbì autem appropinquauit, vt iam etiam poſſet vox audiri, cœpit, has voces emittens, clamare Zoſimas cum lachrymis: Cur me fugis decrepitum peccatorem, ſerue Dei? Verè ſuſtine me, quicunque es, per Deum te coniuro, pro cuius nomine hanc inhabitas ſolitudinem. Suſtine me infirmum & indignum ſenem. Suſtine me pro ſpe, quam habes pro tanti laboris remuneratione. Sta, & tribue orationẽ & benedictionem ſeni per Deum, qui neminẽ aliquandò proijcit. Hæc cum lachrymis Zoſima poſtulante, venerunt currentes in quendam locum, in quo quaſi aridus torrens deſignabatur, in quo fuiſſe torrentem conſiderauit: ſed locũ illum talem conuenit habere ſimilitudinem, quomodò & in terra illa apparebat. Vt venerunt itaque in prædictum locum, illud, quod fugiebat, deſcendit, & item aſſcendit in partẽ aliam. Zoſimas autem clamãs & nuſquàm progredi valens, ſtetit in alia parte loci, qui ſpeciem videbatur habere torrentis, & addit lachrymas lachrymis, & ſuſpiria cumulauit ſuſpirijs, vt multo magìs ex propinquo ſtridorem luctûs audiret. Mariam fugientem Zoſimas inſequitur.

Tunc illud corpus, quod fugiebat, vocem talem emiſit: Abba Zoſima, ignoſce mihi propter Dominum, quoniam manifeſtare me tibi conuerſa non poſſum. Mulier enim ſum, & omni corporeo tegmine nuda, vt ipſe vides, & corporis turpitudinem habens intectam. Sed ſi vis peccatrici mulieri orationem verè tribuere, proijce mihi indumentum, quo circundatus es, vt poſſim muliebrem infirmitatem operiens, conuerti ad te, & tuas accipere orationes. Tunc tremor nimiusque metus & mentis exceſſus accepit Zoſimam, audientem ſcilicet, quia eum ex nomine vocaret Zoſimam. Strenuus enim erat vir ille valdè, & diuinitatis dono prudentiſſimus, & cognouit, quia ex nomine non vocâſſet eum, quẽ nunquàm viderat, de quo nec vnquàm audierat, niſì manifeſtiſſimè prouidentiæ gratia fuiſſet illuſtrata. Fecit autem cum feſtinatione, quod iuſſum eſt ei: & exuens ſe pallio, quo erat indutus, terga versùs proiecit ei. Illa accipiens, inquantùm potuit tegens partem corporis, quam oportet plùs tegere cæteris, præcinxit ſe, & conuerſa ad Zoſimam, ait ei: Quid tibi viſum fuit Abba peccatricem videre mulierculam? Quid quærens à me videre aut diſcere, tantum non recusâſti tolerare laborem? Ille autem in terram proſtratus, poſcebat benedictionem ſecundùm morem accipere. Proſtrauit autem ſe & ipſa, & vtrique iacebãt in terra, alius ab alio poſcẽs benedictionem: & non erat aliud ab alterutro audire, niſì tantùm, Benedic. Suo nomine appellat Maria Zoſimã, hactenùs inuiſũ.

Poſt multarum autem ſpatium horarum dixit mulier ad Zoſimam: Abba Zoſima, tibi competit benedicere & orare. Tu enim presbyterij honore ſuffultus es, & plurimis iam annis ſancto aſſiſtis altari, & donis diuinitatis Chriſti ſecreta rimaris. Hæc verò verba Zoſimam in magnũ timorem & certamen magìs inducebant, & tremens ſenex, ſudoris guttis infundebatur. Dicit autem ei deficiens viribus & quaſi halitu iam intercluſo: Manifeſta iam quidem es ex ipſa viſione, ô ſpiritualis mater, quoniam tu ad Dominum profecta es, & fortiori parte ſeculo mortua es. Manifeſtè autem plùs omnibus tributa eſt tibi gratia, vt me vocares ex nomine, quem nunquàm vidiſti. Sed quia gratia nõ ex dignitate cognoſcitur, ſed ex animarum actibus ſignificari conſueuit, ipſa benedic propter Dominum, & orationẽ tuæ perfectionis tribue indigentiæ meæ. Perſeuerantię autem ſenis compaſſa, dixit: Benedictus Deus, qui ſalutem procurat animarum: & Zoſima reſpondente, Amen, ſurrexerunt vtrique de terra, & ait mulier ſeni: Homo, quam ob rem ad me peccatricem veniſti? Tamen quoniam quidem te gratia ſpiritûs ſancti direxit, vt aliquod miniſterium exhibeas, meæ exiguitatis corpori congruum, dic mihi, quomodò hodiè Chriſtianiſſima regitur tribus, quomodò Imperatores, quomodò ſanctæ Eccleſiæ paſcitur grex. Zoſimas autẽ reſpondit: Mater, tuis orationibus ſanctis pacem ſtabilẽ Deus largitus eſt: ſed ſuſcipe indigni meî conſolationem, & propter Deum ora pro omni mundo, & pro me peccatore, vt non huius curſûs & itineris labor ſine fructu mihi efficiatur, & tantæ ſolitudinis via. Et illa reſpondit ad eum: Te quidem oportet Abba Zoſima ſacerdotij, vt dixi, habentem honorem, pro omnibus & pro me orare. in hoc enim & vocatus es. Sed quia obedientiæ præceptũ habemus, Diuinitùs docta nouit eũ eſſe presbyterum.

 quod

itaque aliquem, & interrogaui: Quò putas festinant viri isti, qui currunt? Dixit autem mihi: Hierosolymam omnes ascendunt ob sanctæ Crucis exaltationem, quæ post aliquot dies solitò celebratur. Dixi ad eum: Putas suscipiet me, si voluero abire cum ipsis? Et ille dixit: Si habes naulum, nullus te prohibebit. Dixi ei: Verè frater naulum vel sumptum non habeo. Vadam autem & ascendam in vnam nauim, quam conduxerunt, & licèt noluerint, enutrient me: memetipsam eis tradā. Corporis enim mei potestatem habentes, pro naulo accipiant. Proptereà autem cum eis volui ambulare, (Abba meus ignosce) vt multos haberem cooperatores in meæ libidinis passione. Exaltatio S. Crucis.

Dixi tibi, mi domine senex, ignosce mihi: nè compellas me meā dicere confusionē. Contremisco enim, nouit Dominus. Maculāt enim & te & ipsum aërem isti sermones mei. Zosimas autem terram lachrymis infundens, dixit ei: Dic propter Dominum, ô mater mea, dic, & nè prætermittas sequentia tam salutiferæ narrationis. Illa autem adiungens priori narrationi, addidit hæc: Adolescens ille, audiens sermonum meorum scurrilitatem, ridens discessit. Ego autem fusum, quem manu tenebā, proijciens, (hunc enim, etsi post tempus, conueniebat me tenere) cucurri ad mare, quò illos perspexi currentes, & vidi iuuenes aliquot in litore stantes, numero quasi decem, corpore motuque acerrimos, & ad id, quod mihi erat pergratum, optimos visos. Erant autem & alij, qui iam naues ascenderant. Impudenter autem, vt mihi consuetudo erat, & irreuerenter in medio eorum me dedi, dicens: Accipite & me vobiscum, quò pergitis: non enim ero ingrata vobis. Sed & alios sordidiores proferens sermones, omnes ad ridendum commoui. Illi autem inuerecundum motum meum videntes, accipientes me, in nauiculam duxerunt. Exindè autem nauigationē cœpimus. Quæ autem post hæc acta sunt, quomodò tibi enarrare potero, ô homo Dei? Quæ lingua dicere vel auris valet audire ea, quæ in nauigio vel itinere facta sunt? quomodò & nolentes ad peccandum miseros ego compellebam. Non est narrabilis vel inenarrabilis nequissima species, cuius non sim infelicibus magistra sceleris effecta. Ergò nunc satisfactus esto, quia stupesco, quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias, quomodò terra non aperuit os suum, & in infernum viuentem me demersit, quæ tantas in laqueū induxi animas. Sed, vt arbitror, meam Deus, qui neminē vult perire, sed omnes fieri saluos, requirebat pœnitentiam. Non enim vult mortem peccatoris, sed longanimiter expectat, sustinens conuersionem. Sic itaque cum magna festinatione ascendimus Hierosolymam: & quantos quidem dies ante festiuitatem in ciuitate commorata sum, similibus nequissimis vacaui operibus, magisque peioribus. Non enim contenta fui iuuenibus, mecum in mari luxuriantibus & in itinere, sed & alios multos peregrinos & ciues in mei sceleris actus congregans, coinquinaui seducens. 1. Tim. 2. Ezech. 18.

Quando autem venit sanctæ Exaltationis festiuitas preciosæ Crucis, ego quidem, sicut & priùs, præibam, iuuenum illaqueans & capiens animas. Vidi autem primo diluculo omnes ad ecclesiā vnanimiter concurrentes. Abij & ego, currens cum currentibus, & veni cum illis in atrium templi: & cùm venisset hora exaltationis diuinæ Crucis, impingebam & impingebar, repellebarque quodammodò, festinans ingredi cum populo magno conatu: & quidem vsque ad ianuam templi cum his, qui ingrediebantur, cum magna laboris tribulatione appropinquabam & ego infelix: quandò autem ianuā ingredi debebam, illi quidem omnes sine impedimento ingrediebantur: me autem diuina aliqua virtus prohibebat, non indulgens introitum. Mox igitur repulsa, eijciebar forās: & eiecta, inueniebar sola in atrio stans. Considerans autem per muliebrem impotentiam hoc mihi euenire, iterùm alijs me immiscebam, vim mihi quodammodò faciens introëundi, sed enim laborabam in vacuum. Non admittitur intra templū diuinitùs repulsa.

Vt enim limina vestigio contingebam, omnes interiùs recipiebantur, nullum habentes impedimentum, me autem solam non recipiebat: sed quasi multitudinis militaris manibus modò hinc, modò indè repulsa & eiecta, vt mihi ingredienti aditū clauderet, ità me repentina aliqua prohibebat virtus, & iterùm inueniebar in atrio. Hoc tèr & quatèr passa & facere conans, nihilque proficiens, desperans deceterò & ampliùs nusquàm progredi valens, (fuerat quippe corpus meum à vi comprimentium valdè contractum) recedens discessi, & steti in quodam angulo atrij templi, & vix aliquandò, ob quam causam prohiberer videre viuificum lignum, in cogitationem reduxi. Tetigit enim mentem & cordis mei oculos intellectus salutis, recogitabamque quia squalida actuum meorum scelera mihi introëundi aditum obserabant. Cœpi itaq; flens nimiùm conturbari & pectus tundere, atque suspiria de profundis cordis proferens, & gemens

eiulansque prospexi in loco, in quo stabam, sursùm imaginem sanctę Dei genitricis stantem, & aio, ad eam intentè & indeclinanter attendens: Domina virgo, quæ Deum verum genuisti secundùm carnem: scio enim scio, quia non est condecens nec opportunum, me sic horridam adorare imaginem tuam vel contemplari oculis, tantis sordibus pollutis, quæ semper esse virgo dinosceris & casta, quæ corpus & animam habes mundã & immaculatam: iustum autem est, me luxuriosam à tua purissima castitatis munditia abominari & proijci. Tamen quoniam, vt audiui, ob hoc effectus est Deus homo, quem ipsa digna genuisti, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam: adiuua me solitariam & nullum habentem adiutorium. Præcipe, & mihi licentiam tribue ingrediendi in ecclesiæ patefactum aditum. Non efficiar aliena à visione preciosissimi ligni, in quo adfixus Deus homo, quem concipiens ipsa virgo genuisti, proprium sanguinem dedit pro mea liberatione. Iube, ô Domina, & mihi indignæ ob diuinæ Crucis exaltationem ianuam patefieri, & te ex te genito Christo dignissimam do fideiussorem, quia nunquàm vltrà meam carnem coinquinabo per horrida commixtionum ludibria: sed mox vt filij tui, Virgo, me lignum adorare concesseris, renunciabo seculo & omnibus, quæ sunt seculi, & vadam vbì præceperis ac demonstraueris salutis viam, quia tu pro me fidem dixisti.

Implorat suffragia beatissimę virginis Marię.

Proponit corrigere vitam.

Hæc dum dicerem, satisfeci menti meæ, quòd sancta Dei genitrix posset pro me hæc omnia obtinere. Derelinquens itaque locum, in quo orabam, miscui me inter hos, qui templum ingrediebantur, nullusque repertus est, qui me foràs repelleret: sed magìs vt vnda maris, ità me turba intrò impellebat appropinquare sancto loco, quem priùs nec pedibus calcare poteram. Tunc ex nimio gaudio appræhendit me pauor, dum me viderem locis adstare sanctis, vbì priùs iniquitas mea me ingredi prohibebat. Nam absque vllo labore adoraui lignum sanctæ Crucis, & sensi ibì odorem suauitatis, & merui videre omnia Dei mysteria. Et egrediens ad illam, quæ me fide duxerat, adiungensque me in illum locum, in quo promissiones fidei dictionis sanctæ Dei genitrici feceram, flectens genua, his cœpi loqui sermonibus: Tu mihi Domina misera es, measque preces non repulisti: per te merui gloriam Dei, quam peccatores percipere non possunt. Per te glorificabo Deum, peccatorum recipientem pœnitentiam. Quid ampliùs quæram, quàm quòd merui videre diuina mysteria? Appropinquauit ô Domina tempus, in quo mea debeat impleri promissio. Nunc vbì tibi placuerit, dirige me, & demonstra mihi pœnitentiæ & salutis viam. Dum hæc dicerem, audita est vox dicentis: Si Iordanem transieris, illic bonam inuenies requiem. Ergò dum talem audiuissem vocem, credens eam propter me fuisse dictam, cum lachrymis meas leuaui manus, & ità dixi Dei genitrici: Domina mi, Domina nè derelinquas neque deseras me: sed iugiter custodias, vbì tu me vis ire. Et hæc dicens, egressa sum atrium templi: & videns me quidam pius vir, obtulit mihi pro eleemosyna nummos tres, dicens: Suscipe mater. Ex quibus minutos tres comparaui panes, quos mecum pro benedictione tuli in via. Interrogauique virum illum, à quo panes emeram, vbì vel quæ esset via, volentibus ad Iordanem ambulare flumen: qui ostendit mihi portam ciuitatis, per quam iter ad Iordanem facerem.

Obserua, quid prosit Sanctorum inuocatio.

Gratias agit matri Dei.

Exindè egrediens, initium viæ cum lachrymis faciebam. Erat autem quasi tertia hora, quandò lignum adoraui, & ante solis occasum attigi oratorium sancti Iohannis Baptistæ, super ripam Iordanis positum. Mox faciem & pedes ex ipsius aqua fluminis laui, & sacrosancta mysteria merui in eodem sancti Iohannis Baptistæ percipere monasterio. Ibique vnius panis dimidium edens, bibensque aquam Iordanis, in terra me collocaui. Alio verò die ascendens nauiculam, transfretaui Iordanem, enixiùs deprecans sanctam & immaculatam Virginem, vt ipsa mihi viam ostenderet salutis, sicut ei placeret. Perueniique in eremum, & ex illo tempore vsque nunc semper elongaui fugiendo, habitans in deserto, & expectans Deum meum, qui saluos facit conuertentes ad se. Zosimas autem ait ad eam: Quot anni sunt, domina mi, ex quo hanc habitas eremum? Responditque ad eum mulier: Quadraginta & septem anni sunt, vt existimo, ex quo de sancta egressa sum ciuitate. Dicit ei Zosimas: Quem inueneras aut inuenis cibũ, ex quo hoc habitas desertum? Mulier respondit: Duos quidem & dimidium ferebam panem, quandò Iordanem transierã, qui per tempora quasi lapides duri facti fuerant. Ex his modicum comedendo, aliquantos transegi annos. Dicit ei Zosimas: Et absque labore tot annos patiens euasisti, vel subita conuersationis mutatio non tibi incussit labores? Respondit illa: Rem nunc me interrogâsti, Abba Zosima, multum habentem

Percipit Eucharistiam.

Psal. 54.

47. annis degit in solitudine.

Mira victûs parsimonia.

tem timorem. Nam si voluero nunc recordari pericula, quæ sustinui, atque insidias cogitationum, timeo nè mihi rursùm renouentur. Zosimas dixit: Nihil derelinquas domina mi, quod non mihi patefacias. Semèl tibi suppliciter supplicaui, vt omnia minutatìm dicas.

Tum illa respondit: Crede mihi, Abba Zosima, quòd decem & septem annos in hoc deserto feris & indomitis cogitationum bestijs transegi, carnalibus reluctans cogitationibus. Dum recordabar affluentiam præteritorum ciborum, desiderabam carnes vel pisces, quos in Aegypto anteà comederam. Delectabar vini potu insatiabiliter. multo enim vino vtebar, dum fuissem in seculo. Delectabant me nefanda cantica dæmonum, quæ antea didiceram. Sed mox lachrymas fundebam, & manibus pectus vulnerabam. Reducebam ad memoriam, illam quam mihi fideiussorem fecerã, dum in hanc ingrederer eremum; & quasi Dei genitricis adstarem imagini, ità eam lamentabiliter rogabam, vt amoueret pessimas ac sordidissimas mẽtis meæ cogitationes. Et dum plurimas funderem lachrymas, vndiquè mihi refulgens videbam lumen, atque claritate corusca circundabar. Rursùs autem insidiabantur mihi fornicationum mearum cogitationes, quæ quasi ignis vehemens deuastabant viscera cordis mei, impellentes me ad perniciosa desideria. Dum verò talia tentationum certamina indesinenter mihi insisterent, ad consueta orationum recurrebam arma. in terram me proijciens, eamq́ue lachrymis inundans, meam, mihi vt succurreret, orabam fideiussorem, nè postmodùm, vt præuaricatrix, damnationis extremæ luerem pœnas. Non autem eleuabam à terra faciem, nisi totius diei noctisq́ue consummatum fuisset spatium, & dulcissimi illius splendoris fuissem lumine circundata, qui totam illam tentationum cogitationem fugaret. Sicq́ue sanctæ fideiussoris meæ protecta solatio, transegi decem & septem annorum spatia, innumera euadens pericula. Et ex illo tempore vsque hactenùs, auxiliatrix mea præstò mihi inuenitur vbiquè, & vndiquè vigilans custodit me. Dixit ad eam Zosimas: Nunquid eguisti vlteriùs victu ac vestimento? Respondit: Illis, vt dixi, expensis panibus per decem & septem annos, comedebam herbas, quę in deserto inueniebantur. Vestimenta autem mea, cum quibus Iordanem transgressa sum, dirupta atque putrefacta sunt. Valdè autem à pruinis hyemalibus & æstiuis ardoribus tribulata sum. Ab illo verò tempore vsque nunc, diuina misericordia eripuit corpus & animam meam à cunctis periculis: fitq́ue mihi recordanti, quanta mala, quantaq́ue pericula per diuinam euaserim gratiam, magna lætitia, & spes crescit salutis. Cibus potusq́ue ac vestimentum mihi est verbum Domini: quoniam non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Nam dicit scriptura: Non habentes vestimenta, induuntur petra, qui se vestimento expoliauerint iniquitatis.

Grauissimæ tentationũ infestationes.

Egregiè illis resistit.

Mirabilis Deus in sanctis suis.

Deut. 8. Iob 24. iuxta 70. interpretes.

Hæc audiens Zosimas, quòd ex testimonijs diuinarum scripturarum loqueretur, ait ad eam: Psalmos, ó domina mi, vel alios scripturæ libros legebas? Ait ad eum: Crede mihi, homo Dei, quia non vidi alium hominem ex eo, quandò transfretaui Iordanem, nisi tantùm nunc tuam præsentiam: sed neque bestiam aliam vel aliud animal. Literas verò nunquàm didici, neque aliquem legentẽ aut psallentem audiui: sed verbum Dei semper viuens, omnem hominem docet scientiam. Eccè explanaui tibi mea opera pater: sed sicut ante rogaui, & nunc rogo te atque coniuro per Deum verbum incarnatum, incessabiliter dignare orare pro me peccatrice apud Dominum. Dum hæc diceret mulier, compleuit vniuersos sermones suos. Flectens verò senex in terra genua, vocem cum lachrymis eleuauit, dicens: Benedictus Deus, qui facit magna, mirabilia, gloriosa atque terribilia, quorum non est numerus. Benedictus es Domine Deus omnipotens, qui mihi peccatori reuelâsti omnia bona, quæ donare dignatus es timentibus te, nec vnquàm derelinquis quærentes te. Illa vero eleuans senẽ de terra, dicebat: Hæc omnia quæ audîsti à me, ô homo Dei, per Saluatorem te coniuro Christum Dominum nostrum, nullis ea loquaris, quousquè me Deus de terra assumi iusserit. Nunc igitur vade cum pace, & iterùm venturo anno videbis me, & videberis à me, Dei tecum gratia comitante. Rogo autẽ te per Deum, vt in sanctis ieiunijs futuro anno minimè transeas Iordanem iuxta consuetudinem monasterij. Audiens autem Zosimas, quòd & solennem regulam monasterij ei nunciaret, admirabatur, nihil aliud dicens, nisì, Gloria tibi Deus, qui præstas diligentibus te. Illa autem ait ad eum: Habita, vt dixi, in monasterio, & non egrediaris iuxta regulam: quia nec permittetur tibi. Et vespere sanctæ Cœnæ Dominicæ sume sacrosanctum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in vas mundissimum, adferensq́ue mihi, expecta me in illa parte Iordanis iuxta seculũ, vt eò

Iob 9.

vt eò veniens, suscipiam viuificationis ac redemptionis mysteria: quia à die illa, qua in oratorio sancti Iohannis, priusquàm transissem Iordanem, communicaui, vsque nunc minimè sacri corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi percepi mysteria. Sed me peccatricem deprecantem te, ô pater, nè despicias, mihique sacrosancta mysteria afferas ea hora, qua Dominus suos discipulos illius sacratissimæ Cœnæ participes fecit. Iohanni autem Abbati monasterij, in quo habitas, edicito: Attende tibijpsi & gregi tuo. Aliqua enim fiunt ibì meritò emendanda. Sed nolo te hæc ei nunc dicere, sed quandò præceperit tibi Deus. Hæc dicens, & orationem à sene postulans, ad interiorem solitudinem velociùs festinauit.

Nouit monasterij secreta.

Zosimas autem prosternens se, osculabatur solum, vbì eius vestigia steterunt, dans gloriam Deo: immensásque gratias agens, reuersus est, laudans & benedicens Dominum nostrum Iesum Christum. Iterùm autem remeans eodem solitudinis itinere, quo venerat, ingressus est monasterium eo tempore, quo consueuerant ij, qui in eo morabantur. Et totum quidem annum illum tacuit, minimè audens quippiam dicere ex his, quæ viderat: in seipso autem deprecabatur Dominum, vt iterùm ei ostenderet desiderabilem vultum. Suspirabat autem, annui cursûs considerans tarditatem. Quandò autem aduenit sacra ieiuniorum prima Dominica, mox post solitam orationem alij quidem psallentes exiêrunt: ipse autem modica febris infirmitate detentus, mansit intùs in monasterio. Recordatus est autē à sancta illa sibi predictum, quia neque volens egredi valebis. Aliquantis autem elapsis diebus, ab infirmitate subleuatus, in monasterio conuersabatur. Quandò autem monachi sunt reuersi & coniuncti, vespere sacratę Dominicæ cœnæ fecit quod ei iussum est, mittens in modicum calicem intemerati corporis & preciosi sanguinis Domini nostri Iesu Christi portionem. Posuit quoquè in canistro caricas paucas & palmarum fructus, id est, dactylos, & parùm lenticulæ aquis infusæ: & veniens tardè hora iam vespertina, ad labium Iordanis sedebat, aduentum sanctę præstolans. Beatissima autem illa tardante muliere, Zosimas non dormitauit, sed, solicitè attendebat solitudinem, sustinens quod videre desiderabat. Dicebat autem senex in semetipso: Nunquid veniens non me inuenit, & reuersa est? Hæc dicens, lachrymis perfusus fleuit: & eleuans in cælum oculos, suppliciter Deum deprecabatur, dicens: Non me alienes Domine iterùm videre, quam mihi videre tribuisti. Non vadam vacuus, peccata mea portans in increpatione.

Zosimas redit ad monasterium.

Hæc orante eo cum lachrymis, alia in eum cogitatio incidit. Quid itaque, & si venerit, faciet? Quomodò transibit Iordanem? Quia nauicula non est, quo pacto ad me indignum perueniet? Heu me infelicem. Heu quis me tam iustæ speciei alienauit? Hæc sene cogitante, eccè sancta illa aduenit, & in parte alia fluminis stetit, vndè venerat. Zosimas autem videns eam, surrexit gaudens & exultans nimis, & glorificans Deum. Lucta autem certaminis in eius fluctuabat cogitationis intentione, quòd non posset illa transire Iordanis fluenta. Et respiciens senex, vidit eam vexillo Crucis aquas Iordanis signantem. Totius tunc noctis tenebras splendor illuminabat lunæ, quia tempus recursûs illius erat. Statìm autem vt signum Crucis impressit, ascendit super aquas: & ambulans super liquidum æquoris fluctum, veniebat quasi per solidum iter. Zosima autem stupente, & genu flectere nitente, illa super aquas clamans, prohibuit, dicens: Quid facis Abba, qui & sacerdos Dei es, & diuina portas mysteria? Qui statìm obediuit dicenti. Illa autem descendens de aquis, dixit seni: Benedic pater, benedic. Ille autem cum magna festinatione respondit (Stupor enim nimius inuaserat eum in tam glorioso miraculo) & dixit: Verè non mentitur Deus, qui pollicitus est sibi similes esse eos qui semetipsos purificant. Gloria tibi Christe Deus noster, qui ostendisti mihi per ancillam tuam hanc, quantùm mea consideratione inferior sum vera perfectione. Hæc eo dicente, postulauit mulier sanctum dicere symbolum, & sic Dominicam inchoare orationem. Expleto, Pater noster qui es in cælis, sicut mos est, pacis osculum obtulit seniori: & sic viuifica mysteriorum suscipiens dona, in cælum extensis manibus ingemiscens cum lachrymis, ità clamauit: Nunc dimittis Domine ancillam tuam secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. & seniori dixit: Ignosce Abba, & aliud meæ petitionis imple mandatum. Vade nunc ad monasterium cum pace Dei: recursu autem aduenientis anni iterùm veni in illum torrentem, in quo tecum sum priùs locuta. Prorsùs non omittas, sed propter Dominum veni: & videbis me iterùm, qualiter Deus voluerit. Ille autem respondit ad eam: Vtinàm esset possibile nunc tua sequi vestigia, & tui preciosissimi vultûs

Iterùm videt Mariam ad Iordané venientem.

Nota mirabilē energiā signi sanctæ Crucis.

Sub obitum sumit sacro sanctam Eucharistiam.

tûs

tûs visione frui. Oro mater, vt vnam senis petitiunculam facias, & modicum cibi ex eo, quod huc attuli, digneris accipere. Et hæc dicens, ostendit ei quod secum detulerat canistrum. Illa autem extremis digitis lenticulam contigit, & tria tollens grana proprio intulit ori, sufficere dicens gratiam spiritûs, vt custodiret animam immaculatam. Tunc dicit seni: Ora pro me Dominum, & meæ memor esto semper infelicitatis. Ille pedes eius contigens, cum lachrymis deprecabatur, vt oraret pro Ecclesia & pro Imperio & pro se, & dimisit eam abire flens & eiulans. Non enim audebat eam multùm detinere, quæ nec, si vellet, poterat detineri.

Illa autem Crucis iterùm impressione Iordanem signans, ascendit ambulans super liquidum Iordanis elementum, & transiuit sicut antè veniens fecerat. Senex autem reuersus est, gaudio & timore nimio repletus. Semetipsum autem repræhendebat, pœnitens quia nomen sanctę vt cognosceret, non inquisiuit: sperabat tamen venturo hoc se anno consecuturum. *Crucis edito signo, ambulat super aquas.*

Transacto autem eiusdem anni cursu, venit iterùm in vastam solitudinem, expletis omnibus secundùm consuetudinem, festinans ad gloriosam visionem intuendam. Perambulans autem solitudinis iter, & inueniens aliqua cupitum locum indicantia signa, dextra læuaque adspiciens, intuitumque oculorum deducens, lustrabat vbiquè sicut scientissimus venator, sicubì suauissimam repertam compræhenderet feram. Vt autem nihil vllo modo vidit quoquàm se mouens, cœpit seipsum lugens infundere lachrymis. Tunc eleuans oculos, orans dicebat: Ostende mihi Domine absconditum thesaurum, quem mihi peccatori manifestare dignatus es. Ostende mihi, obsecro Domine, in corpore angelum, cui totus comparari indignus est mundus.

Hæc orando, peruenit ad locum, qui in torrentis similitudine fuerat designatus, & in extrema eius parte stans, vidit in parte superiori splendentem solem: & adspiciens, vidit sanctæ mortuum iacens corpus, & manus sic, vt oportet, compositas, & corpus ad Orientem respiciens. Currens autem, lachrymis lauit beatissimæ pedes. non enim aliud corporis eius membrum audebat contingere. Lachrymans autem aliquandiù, & psalmos dicens tempori & rei congruentes, fecit sepulturæ orationem, & dicebat sibijpsi: Forsitan non complacet sanctæ hæc fieri. Hæc eo cogitante, designata scriptura erat in terra, vbì hæc legebantur: Sepeli Abba Zosima miseræ Mariæ corpusculũ. Redde terræ, quod suum est, & pulueri adijce puluerem. Ora tamen Dominum pro me, transeunte mẽsis * Parmathi secundùm Aegyptios, quod est secundùm Romanos Aprilis die nona, id est, V. Idus Aprilis nocte salutiferæ passionis, post diuinæ & sacræ Cœnæ communionem. *Zosimas inuenit eius corpus exanime.* *Parmenothi*

Has senex cùm legisset literas, cogitabat quidem priùs, quisnam esset, qui scripsit. Illa enim, vt ipsa dixerat, literas ignorabat. In hoc tamen valdè exultans gaudebat, quia eius sanctum didicit nomen. Cognouit verò, quia mox vt diuina in Iordane mysteria participauit, eadem hora in locum illum venit, vbi mox de hoc mũdo transiuit, & idem iter, quod Zosimas per dies viginti ambulans vix consummauit laborans, vnius horæ cursu Maria confecit, & statim migrauit ad Dominum. Glorificans autẽ Zosimas Dominum, & lachrymis corpus eius infundens: Tempus est, inquit, miser Zosima: quod iussum est, perfice. Sed quid faciam infelix, quia vndè fodere valeam, non habeo? Deest sarculum, non est rastrum, nihilque ex omnibus est præ manibus. Hæc illo in corde suo secretè dicente, vidit lignum permodicum iacens: quod assumens, cœpit fodere. Valdè autem dura erat terra & valdè fortissima, & nequaquàm valebat senex fodere: quia & ieiunio confectus, & longa itineris fatigatione nimìs erat exhaustus. Laborabat enim, & suspirijs nimijs vrgebatur, & sudoribus madefactus, ingemuit grauiter ex ipso fundo cordis sui. Et respiciens, vidit ingentis formæ leonem iuxta corpus sanctæ stantem, & eius plantas lambentem. Videns autem, contremuit præ pauore grandissimæ feræ illius, præcipuè quia audierat sanctam fœminam illam dicentem, quòd nunquàm aliquam vidisset feram. Signo autem se Crucis confirmauit vndiquè, credens quia illæsum eum custodire valet virtus iacentis. Leo autem cœpit annuere seni, blandis eum motibus salutans. Zosimas autem dixit leoni: Quoniam à Deo missus venisti maxime ferarum, vt huius Dei famulæ corpus terræ commendetur, exple opus officij, iussusque eius corpusculum sepeli. Ego enim senectute confectus non valeo fodere, sed nec congruum quid habeo ad hoc opus exercendum: rursùs autem tanti itineris spatia emetiri non valeo, vt aliquid adferam. Tu diuino iussu hoc opus cum vngulis facito, vt commendemus terræ hoc sanctum corpusculum. *Signo Crucis vndiquè se munit Zosimas.*

Con-

Leo suis vnguibus parat sepulcrũ. Continuò autem, iuxta senis sermonem leo cum brachijs & vngulis fecit foueam, quanta ad sepeliendum sanctæ corpusculum sufficere posset. Senex verò lachrymis pedes sanctæ abluens, & multipliciter effusa prece exorans eam, vt nunc pro omnibus ampliùs oret, operuit terra corpusculum nudum adstante leone, sicut eam priùs repererat, & nihil aliud habens, nisi illud scissum vestimentum, quod ei iam antè proiecerat Zosimas, ex quo Maria quædam sui corporis membra texerat. Deindè recedunt pariter: & leo quidem in interiora solitudinis quasi ouis mansueta abscessit: Zosimas autẽ reuersus est, benedicens & glorificans Deum, & hymnum laudis decantans Domino nostro. Veniens autem in cœnobium, omnia fratribus ab initio retulit, nihilque abscondit ex ijs omnibus, quæ vidit & audiuit, vt omnes audientes magnalia Dei, nimio stupore admirarentur, & cum timore & amore magnaque fide celebrarent beatissimæ Mariæ huius transitûs diem. Iohannes autem Abbas inuenit quosdam corripiendos & emendandos, iuxta sanctæ illius sermonem, & hos miserante Deo conuertit. Zosimas cẽtenarius moritur. Zosimas autem in eodem degens monasterio, impleuit annos centum, & tunc migrauit ad Dominum in pace, gratia Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria & honor & imperium vna cum sancto & viuificatore & adorando spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

SANCTORVM TERENTII, APHRICANI ET SOCIORVM MARTYRIVM, AVTHORE *Simeone Metaphraste.*

10. Aprilis.



DEcius Romanorum Imperator, idolorum studio cupiens omnes in exitij barathrum pertrahere (erat enim filius diaboli) in vniuersas Imperio subiectas prouincias edictum misit, vt omnes Christiani ad immolandum & comedendum ea, quæ idolis essent immolata, pertraherentur. Quòd si qui recusarent, in iudicium vocati plecterentur. Decretum hoc cùm in Aphricam ad Præfectum Fortunatianum esset perlatum, ipse sedens in tribunali, populum conuocauit, & sic est allocutus: Dijs immolate, alioquì supplicijs afficiemini. Et, his dictis, tormenta in medium proferri iussit. Quibus conspectis, multi perterriti Præfecto obtemperârunt, & à Christi religione defecerunt. Multi deficiũt à Christo. Quidam tamen ex ipsis, numero quadraginta, in Christi fide fortiter mori decreuerant, seque mutuò ità cohortabantur: Videte, fratres, nè Dominum nostrum Iesum Christum abnegemus, nè ipse quoquè abneget nos. Matth. 10. Mementote Dominum olim dixisse: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: Timete potiùs eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.

Fortunatianus ad hos: Video, inquit, vos viros & ætate perfectos, & sapientia præditos: quamobrèm miror, cur vos eiusmodi dementiæ tradideritis, vt vnum Deum & regem dicatis, quem Iudæi, vt hominem sceleratum, crucifixerunt. Respondit omniũ nomine sanctus martyr Terentius: Terentius respondet Præfecto. Si nôsses, Præfecte, Crucifixi virtutem, relictis idolorum erroribus, ipsum coleres & adorares. Est enim filius Dei, benignus, diues, clemẽs & misericors, qui Patris nutu & voluntate in terram descendit, diuinitatemque suam humanæ naturæ coniunxit, & pro salute nostra Crucem subire voluit. Fortunatianus, his auditis, dixit ad eos: Immolate: alioquì membra vestra comburens, delebo vos. Putas, inquit Terentius, nos terrore commotos sententiam mutaturos? Non adeò sumus ignaui, vt, relicto vitæ largitore, deos alienos adoremus. Fac igitur celeriter, quod tibi lubet, aduersùm nos, quoniam strenui & constantes Christi cultores sumus. Indignatus Præfectus, iussit eos, vestimentis detractis, in idolorum templum trahi. Idola autem auro argentoque & preciosis erant vestibus exornata. Ingressus Fortunatianus, dixit eis: Magno deo Herculi sacrificate. Gloriam enim & potestatem eius conspicitis. Erras, inquit Terentius, & ignoras id, quod tibi vtile est. Dei enim isti tui, lapides sunt, & ligna, & æs, & ferrum. Ornati autem sunt auro, vt homines decipiant, & abducant ab æterna vita. Nam ipsi quidem non vident, nec loquuntur, nec audiunt, nec ambulant: quippe qui ab hominibus sculpti conflatique sunt, & in hominum speciem conformati, Psal. 113. vt ad hanc impiam cogitationem eos, qui sibi parent, conuertant. Similes enim eorum

rum sunt, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Dicite, quæso: Isti, quos deos asseritis, possunt ne sibijpsis opitulari, & eos, à quibus læduntur, vlcisci? Quòd si ipsi sibi auxilio esse non possunt, quomodò nobis opitulabuntur? Psal. 114.

Hæc audiens Præfectus, iussit Terentium, & Aphricanũ, & Maximum, & Pompeium in carcerem interiorem detrudi, & omni diligentia custodiri: Cràs, inquiens, audiam illos. Beatum autem Zenonem, & Alexandrum, & Theodorum cum reliquis socijs, qui erant omnes numero trigintasex, ad tribunal adductos sic alloquitur: Cùm ex priori vestra contentione nihil vtilitatis perceperitis, parete mihi & magno deo Herculi immolate. At illi: Sæpiùs iam, inquiunt, diximus, nos esse Christianos, id quod ex superioribus quæstionibus intelligere potuisti: nec tu nobis vnquàm persuadebis, vt idola impura colamus & adoremus. Facilè enim possumus, quicquid in hanc sententiam dixeris, confutare. Nõ vultis, inquit Præfectus, cohortationes meas audire? Atquì inuictorum Imperatorum iussa facere cogemini. Et iussit eos asperis virgis & neruis vapulare. At illi, sublatis in cælum manibus, vnà omnes & clara voce dixerunt: Aspice, Domine, & adiuua seruos tuos, & libera nos ab aduersario. Quibus auditis, magis adhuc eos virgis cædi imperauit, donèc multi satellites vnus post alium cum verberando defessi sunt, & lora ac virgæ defecerunt. Rursùm autẽ iussit eos fustibus cędi. Verùm licèt omnia ipsorum viscera contererentur, adeò tamen hilares ac læti erant fortium martyrum vultus, vt omnes sanctorum patientiam atque constantiam admirarentur.

Truduntur in carcerẽ martyres.

Eorũ socij flagellantur.

Postquàm igitur cæsi fuerunt, dixit ad eos Præfectus: Immolate, & liberabo vos. Sancti autem tacebant. Sed Præfectus iratus, pyras incendi iussit, & terga eorum aduri, cùm ea priùs aceto & sale conspersa essent. Tunc sancti Dei martyres suspicientes in cælum, dixerunt: Domine Deus noster, qui tres pueros, Ananiam, Azariam & Misaelem de camino ignis liberâsti, nec eos lædi permisisti: qui Danielem ex ore leonum eripuisti, & de manu Pharaonis Mosem seruâsti: & sanctam Teclam ab igne, & theatro, & feris ac bestijs marinis defendisti: qui amicis tuis perfectum regnum largitus es: qui filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum à mortuis excitâsti: qui multa variaq; dona nobis dedisti: qui lucem procreâsti, & cælum sicut pellem extendisti: qui stellas dinumeras, & suis eas nominibus vocas: qui in fines terræ misisti veritatem: exaudi nos supplices, & ex calamitatibus libera: quoniam tua est gloria in secula seculorum, Amen. Cùm precandi finem fecissent, Præfectus ira desæuiens, iussit eos suspensos dilacerari. Quod quidem dum fieret, sanguinis riui ex eorum corporibus defluebant. Neque tamen cruciatum acerbitate commouebantur. Deus enim confirmabat eos, & robur ac fortitudinẽ subministrabat. Præfectus autem ad eos: Persuaserunt ne vobis tormenta, vt ab insania recedatis? an adhuc in impietate vestra permanetis? Illi nihil responderũt. Ad vos, inquit rursùm Præfectus, hæc loquor. At sancti Dei Martyres suspicientes in cælum, ita locuti sunt: Deus omnipotens, qui Sodomorum vrbem propter ipsorum nequitiam igne succendisti, & in solitudinem redegisti, hoc etiam impiorum domicilium nunc propter iustitiam tuam euerte. Cumq; Christi signum frõtibus suis impressissent, insufflârunt aduersùs idola, & ea statim confracta in puluerẽ redegerunt. Tunc sancti Martyres ad Præfectum: Cernis, inquiunt, deos tuos? Vbi est robur ipsorum? Potuerunt ne sibijpsis opitulari? Haud multò pòst autem & templum corruit. Cuius euersione indignatus Præfectus, iussit, vt sancti Martyres capite plecterentur. Qua illi sententia læti, collaudabant Deum, & gaudentes ad locũ præfinitum peruenerunt: & genibus flexis, oblatisque ceruicibus, confestim interfecti sunt. Accesserunt autem viri religiosi, & sublata eorum corpora in loco sacro condiderunt.

Aduruntur.

Daniel. 4.
Daniel. 6.

Psal. 101.
Psal. 146.

Dirè dilacerantur.

Gene. 19.

Dæmonũ idola confringũtur.

Templum corruit.

Martyres decollantur.

Tum beatum Terentium, & Aphricanum, & Maximum, & Pompeium adduci iubet, & dicit ad eos: Dijs immolate, alioquì malè estis perituri. Et nemo poterit eripere vos è manibus nostris. Christiani sumus, vt sæpissimè iam diximus, responderũt Martyres, & in Christo spes positas & collocatas habemus. Dæmones non adoramus, neq; deos tuos colimus, & tormẽta tua negligimus. Proindè, quos vis, adhibe cruciatus. Deo enim adiuuante, te à nobis victum iri confidimus, quemadmodùm & diabolus superatus est à Christo, qui nos ad cupiditates tuas vincendas corroborat. His auditis, iussit eos in custodiam abduci, & catenis eorum colla & manus pedesque compedibus vinciri. Eos igitur ministri, vt iussi fuerant, in carcerem coniecerunt. Imperauit prætereà, vt tribulos ferreos in terram proijcerent, quibus configerentur: & nemini Christianorum ad eos accedere permitterẽt, nè cibum afferrent. Verùm circa mediam noctem lux fulsit in carcere, & angelus Dei stetit in conspectu ipsorum, & dixit ad eos:

Martyrum constãtia.

 Terenti,

Terenti, & Aphricane, & Pompei, & Maxime, serui Dei altissimi, consurgite, & corpora vestra curate. Et accedens angelus, tetigit catenas eorum, & ceciderunt. Et ecce mensa coram ipsis benè instructa. Et dixit ad illos angelus: Quiescite, & cibum capite, quem vobis Christus misit. Sancti autem, Christo collaudato, comederunt. At custodes, splendore perspecto, ingressi sunt, vt viderent, quid illud esset: & inuenerunt eos gaudentes: & præfecto rem nunciârunt. Qui postridiè eos ad tribunal adduci iussit: &, Nondùm, inquit, supplicijs edocti estis, vt ab amentia vestra discedatis, & dijs immoletis? Respōdit Terentius: Stultitia hæc nobis erit & omnibus qui diligunt Deum. Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus: nam hominum sapientia, apud Deum stultitia est. Stulti amentes essemus, si, relicto Deo, dæmones, quemadmodùm tu facis, adoraremus. Quibus verbis Præfectus iratus, iussit eos vngulis lacerari. Dum autem id fieret, illi precabantur Deum, dicentes: Iesu Christe fili Dei viuentis in secula, lumen Christianorum, spes nostra certissima, præstò sis nobis, & fer auxilium: & nè confundas nos propter sanctum nomen tuum. Christi igitur ope subleuati, cruciatus non sentiebant.

Ab angelo confirmātur. 1. Cor. 1. Vngulis lacerantur.

Itaque iussit eos Præfectus in carcerem retrudi. Et conuocatis omnibus ferarum incantatoribus, imperauit, vt sæuas omnes feras & crudeles, quas haberent, aspides & viperas afferrent, & eum ipsis includerent. Quæ quidem feræ ad pedes eorum accedentes, eos nihil omninò lædebant. Sancti verò confidentes, psallebant, & Deum collaudabant. Cumque tribus diebus & tribus noctibus cum sanctis inclusæ mansissent, quarto die sub noctem misit Præfectus, qui viderent, vtrùm à feris consumpti essent. Sed qui missi fuerant, ad carceris fores appropinquantes, audiebant eos psallentes & collaudantes Deum. Cumq; diligentiùs vellent intueri, quid ageretur, carceris tectum conscendentes, sanctos viderunt, qui considebant, & angelum Dei stantem ante faciem ferarum, &, nè ad eos appropinquarent, prohibentem. Et Præfecto celeriter, quæ viderant, nunciârunt. Summo igitur manè sedit in tribunali, & iussit, vt incantatores feras suas sumerent: & sancti ad tribunal adducerentur. Incantatores igitur cum ad carceris ostium incantationibus suis feras aduocarent, illæ non audiebant. Sed cùm ostium carceris apertum ab illis esset, vno omnes impetu egredientes, quoscunque nactæ sunt homines, occiderunt, & in solitudinem profectæ sunt. Tum custodes ad Præfectum sanctos adduxerunt. Qui cùm eos nulla in parte læsos adspiceret, furore concitatus, eos capite damnauit. Sancti autem egressi sunt læti, canentesque dicebant: Liberâsti nos, Domine, ab ijs, qui nos affligebant, & qui oderant nos, confudisti. Ministri verò, eductis gladijs, fecerunt imperata. Atque ità sancti in Christi confessione, martyrij palmam acceperunt.

Nihil læduntur à feris & serpentibus. Psal. 43. Plectuntur capite.

Eorum autem corpora rectè componentes viri religiosi, in loco, qui duobus passuum millibus ab vrbe distabat, sepelierunt, ad gloriam Saluatoris nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

VITA S. MACARII PATRIARCHÆ ANTIOCHENI, IVSSV SIGERI ABBATIS SCRIPTA ANNO SAlutis 1067.

sed author nomen suum suppressit. Plerisque autem locis & stylus mutatus est, & quæ redundare visa sunt, redacta in compendium per F. Laurentium Surium, sed ità tamen, vt nihil desit de historiæ integritate.

10. Aprilis. Patria S. Macarij. Parentes.



Gemma regalis, quam non artificis manus, sed omnium artifex Deus in suo reposuit diademate, Armeniæ decus, parentum gloria, beatus puer Macarius, nobilissimo apud Armenos stemmate ortus est: quippe cuius maiores omnes ab omni hominum memoria præcipua fuêre nobilitate, nec inter eos facilè quispiam degener repertus est. Parentes habuit Michaëlem & Mariam, multa quidē generis claritudine insignes, sed quibus non minùs splendoris & ornamenti accesserit ab optimis moribus nati ex ipsis filij clarissimi. Ea autem tempestate ille in lucem editus est, quandò Macarius maior, magnæ sanctitatis vir, Antiochenam

chenam ecclesiam gubernabat, stabilis columna regni, & firmamentum totius Ecclesiæ. Qui cùm Macarij huius, de quo nobis sermo texitur, esset consanguineus, cum è baptismatis fonte suscepit, suumque illi nomen imponẽs, Macarium voluit appellari: & quia grandæuus erat, fractusq; iam senio, parentis loco eum apud se retinuit nutriendum atque instituendum, vt posset ipse iam propemodùm deficiens, in hoc aliqua ratione instaurari atque renouari, neq; eum spes fefellit. Traditus quippe Macarius puer artium liberalium studijs, suo profectu voto sui antistitis abundè respondit. Impleuit quoque eum Dominus spiritu sapientiæ, & peracre illi contulit ingenium, quo facilè consecutus est disciplinas liberales omnes, quibus Græcia Armeniaq; pollebant. Matutinas horas accuratè expendit, pigritia & segnitie omni prorsùs profligata. Cumq; iam adoleuisset, solito studiosiùs visus est se componere ad imitationem beati antistitis Macarij, animo cælestia meditari, mundi illecebras fugere, æterna appetere, studiumq; omne, quod antea in literarum studia contulerat, in religionis actibus ponere, rumores vulgi pro nihilo putare, totumq; se diuino cultui mancipare. Progressus in literis. Adolescẽs vt se gessetit.

Lætabatur his Macarius senior, cernensque eius in pietate, sapientia & bonis moribus profectum, toto cœpit pectore in id incumbere, vt eum posset habere successorem. Itaque conuocat Clerum & proceres, itemq; plebem, exponit eis ætatis suæ plurimos annos, orat vt prospiciant ecclesiæ de idoneo successore, ait se lætiori animo mortem oppetiturum, si ecclesiæ Antiochenæ de bono pastore sit prouisum. Commendat illis à se nutritum atque eruditum Macarium, ait si ipsis non displiceat, sibi gratum esse, vt is eligatur: nec tamen se illis quicquam velle præiudicare, quò minus sua in eligendo pastore libertate vtantur.

Hæc & id genus alia cùm ille dixisset, quia res diuinitùs gerebatur, omnes illi vnanimiter assentiunt, cupiuntque Macarium iuuenem in beati senis throno collocari. Obit deindè sanctus pater, & ei succedit Macarius, moribus honestus, & in iuuenili ætate iam permaturus. Non illum mutauit tantus honor, sed incredibilem præ se tulit mansuetudinem & humilitatem. Induxit enim in animum, vt omnibus omnia fieret, quô plures faceret saluos. Ante omnia verò dilexit decorem domûs Dei & locum habitationis gloriæ Dei. Comitas ei inerat cum grauitate coniuncta, in hominum frequentia hilaritas non absq; decoro, deniquè in cunctis actionibus memorabilis honestas. Præcipua autem illi cura & intentio erat, vt Ecclesiæ suæ & munimento & ornamento foret. Sermo illi erat sale conditus, populoque gratissimus. Nec poterat de illo dici, quod de quibusdam Dominus ait, Dicunt, & non faciunt. nam seipsum subditis suis viuendi exemplum præbebat. Caduca omnia duxit pro nihilo: cumque animo omnia prospiceret, nihil potuit ei subitum aut improuisum accidere. Conciones eius non erant inanes, sed aut suadebat, aut admonebat, aut consolabatur, aut præcipiebat. Iram animo non retinebat, sciens magnum & honestum vindictæ genus esse ignoscere, magnamq; vindictam esse, vindicari potuisse. Didicerat iam seipso contentus esse. Qui autem sibijpsi satis est, vt dici solet, is cum diuitijs natus est. Fit Patriarcha Antiochenus. Sermo eius. Matt. 23. Cõciones.

Victus ei erat parabilis, non qui voluptati esset, sed qui corpus tenuiter sustentaret. Vitia detestabatur ipse quidem, neque tamen aliorum esse voluit aut curiosus scrutator, aut acerbus repræhensor, sed sine exprobratione castigator, & erroris veniæ facilis dator. In iudicando maiorem quàm in sermone præ se ferebat seueritatem, vltor clemens, sæuitiæ hostis. Tardus ad iram, pronus ad misericordiã: in aduersis firmus, in prosperis humilis & cautus. Virtutes haud minori studio occultabat suas, quàm solent alij sua vitia. Vanam gloriam planè contempsit. Omnibus prodesse, nulli nocere, nocentes verò etiam arcere studuit. Inter lætissimos conuiuas lætior ipse, frequenter abstinuit. Molles & delicatas vestes, quibus quandoquè vsus fuerat, asperrimis camelorum pilis permutauit, vilemque se tunicam induit. Lectuli mollitiem vehementer aspernatus, balneis vix vnquàm vsus est. Sed nimium prolixi futuri sumus, si eius virtutes omnes accuratè describere velimus. Quandò precibus clàm vacabat, pro consuetudine sudarium secum ferebat, quo largiter manantes tergeret lachrymarum vndas: eratque illud solum earum lachrymarum & precum conscium, quas vir sanctus fundebat pro peccatis & salute totius mundi: nec potuit esse virtutis expers, quòd tot fuerat infusum lachrymis. Fuit in beati viri domo Theodorus quidam leprosus. (Nam tales ei & familiares, & non mediocri curæ erant) Qui cum præ cęteris & lepræ morbo & inopia premeretur, diuque de ratione sanitatis recuperandæ secum cogitâsset, tandèm in mentem ei incidit salubre consilium, quod ei fides non dubia suggessit. Nec tamen Victꝰ eius. Vestes. Lectus. Gratia lachrymarũ. Leprosi ei familiares.

men ausus fuit indicare episcopo desiderium suum, sed tacitus abijt ad Ecclesiam, in qua ille orare consueuerat, & sudarium eius admouit lepræ suæ. Non tulit illa vim sudarij, sed probatæ fidei perhibens testimonium, cessit pulsa meritis lachrymarum. Tum verò ille iam ceu nouus homo audet adstare viro Dei, Deoque & illi gratias agere. Cernere licebat in sancti Pontificis domo, quasi nitentes quasdam gemmas, pauperes Christi, varijsque oppressos morbis, cæcos, surdos, claudos: quos quotidiè eò properantes, vt ab eo stipem acciperent, vir pius duplici beneficio prosequebatur. Quicunque enim ab eius sanctis manibus accipiebant cibum vel potum, ilicò reualescebant: & quotquot obtinere poterant aquam, qua manus suas abluisset, integram reportabant sospitatem.

Leprosus curatur eius sudario.

Multos curat.

His autem & eius generis alijs rebus admirandis quanto vir beatus magis pollebat, tanto se in omnibus & indigniorem arbitrabatur, & humiliorem exhibebat, non aliter se gerens, quàm si horum esset planè ignarus. Crescebat interim fama sanctitatis eius: Deoque ab omnibus offerebantur gratiarum actiones, viro Dei laus & gloria accedebat cumulatior in dies, maiorque ad ipsum existebat hominum concursus. Quem ille modis omnibus declinare volens, nè sancti spiritus charismata, humilitate parta, per superbiam & arrogantiam amitteret, seipsum ad perfectiora maioraque sanctitatis studia cœpit incitare. Vilescebat ei, quicquid hic mundus chariùs amplectitur, honores, dignitates, opes & copiæ. Non radiabant in domo eius gemmæ & margaritæ nitentes, sed versabantur ex cæcis videntes, ex claudis ambulantes, è famelicis satiati panibus. Non anteibant illum scutati & sericati, sed inopes & miseri, eius benignitate recreati. Illis enim omnia sua distribuit, eosque in hac vita voluit habere hæredes facultatum suarum, ne perderet vitæ futuræ hæreditatem. Cumque nihil iam ei reliquum esset, præter pontificiam dignitatem, eam quoque transtulit in Eleutherium venerabilis memoriæ virum, episcopali duntaxat benedictione sibi retenta. Atque ità nudatus terrenis omnibus, & inter cæteros pauperes ipse quoquè pauper Christi effectus, exit è finibus patriæ suæ, relictisque omnibus sequitur Christum. Nec retinetur charissimorum affectu parentum, quos summo affecit dolore eius inopinatus recessus: non illorum cognatorumque diuitiæ & gloria, non sedes insignis Antiochenæ Ecclesiæ, ad quam vt erat diuina vocatione electus: ità in ipso flore iuuentutis causa amoris eius, qui ipsum elegerat, illa se abdicauit. Adiunxit autem sibi quatuor eiusdem deuotionis fideles viros, Iohannem, Petrum, Dauidem & Constantinum, qui ab infantia sub iugo religionis CHRISTO militauerant.

Humilitas eius.

Pauperib. omnia elargitur.

Abdicat se pôtificatu.

Cum his igitur iter ingressus, ante omnia terram promissionis petijt, vndè humani generis est orta redemptio: non inuitus ipsam quoquè pro redemptore subiturus mortem, si res poscere videatur. Ibat vltrò in exilium spontè susceptum, vt expeditior posset proficisci in patriam cælestem: sed, vt dixi, primò adijt terram, Domini Saluatoris præsentia quondàm insignitam, voluitque videre Capharnaum, miraculorum Domini familiarem, & omnem lustrare Galilæam, Hermonijm quoquè & torrentem Cisson, vbi superatus est Sisara, itemque Naim, in cuius portis suscitatus est filius viduæ. Tum etiam desertum intueri, vbì de quinq; & septem panibus quinque & quatuor hominum millia saturata sunt: in Cana; vbì aquæ sunt mutatæ in vinum, veram degustare vitem, videreque Nazareth, iuxta nominis sui interpretationem totius florem Galilææ: in Samaria Iohannis Baptistæ, Helisæique & Abdiæ venerari cineres, Amos quoquè prophetam, buccina pastorali in sua rupe clangentem, conspicere. Indè pastorum caulas pergere, in spelæo Dauid orantem, fluenta Iordanis ex lauacro Domini puriora attendere, videre Lazarum fascijs colligatum de monumento prodire, in monte Olіueti cum Domino ascendente votis & animo subleuari, locum ligni sanctæ Crucis exosculari & lambere, speluncam Saluatoris intrare, & in sepulcro Domini tandiù desiderato, peccata tum sua tum totius orbis plangere. Anteuertit autem fama venientem, & iam vsque ad aures sancti Patriarchæ Iohannis peruenerat. Vbì autem aduenit, Hierosolymitani eum officiosè exceperunt, & à sancto patriarcha honorificè retentus, aliquandiù illic moratus est. Delectabat enim eum dormitorium Saluatoris, & locus Caluariæ, vbì Dominus noster crucifixus, salutaris occubuit victima pro omnium redemptione: delectabat etiam eum cum Iudæis de illorum perfidia verba miscere, & cum Saracenis congredi, si quem illorum posset ab errore reuocare.

Adit terrã sanctam.

Iudic. 4.
Luc. 7.
Matth. 14. & 15.
Iohan. 2.
Iohan. 11.

Et qui-

Et quidem haud difficulter confutare eos potuit inuictus veritatis assertor, facileque vicit iustus impios, doctus indoctos, & quia mortem contempsit, sua instantia illorum errores perspicuè prodidit: attamen resistebant illi, & cùm verbis eum superare non possent, intentabant minas & verbera, vt eum in suam sententiam pertraherent. Ille verò neque cæsus cedit, affectus suppliciis, insistit sanis admonitionibus. Et valdè quidem atrociter toto corpore ab illis nefariis hominibus laniatus, ità vt etiam propè nuda ossa apparerent, non tamen quicquam de sanctæ prædicationis studio remisit. Auellitur indè à sociis suis, duciturque in medium impiæ multitudinis, nolensque illis cedere, mittitur in custodiam, ibique instàr crucis, cuius gloriam prædicabat, in terra extenditur, clauis configitur, sed reiiciente terra clauos, vinculis adstringitur, saxum ignitum nudo eius pectori imponitur, custodibusque adhibitis, illic relinquitur. Ille carceris tenebris mirificè lætatur, spe cælestium præmiorum animatus: nec deest Christus militi suo, sed ergastuli atram noctem cæleste lumen illustrat, humì iacentem diuina erigit miseratio, pœnisque absolutum angelica fouet consolatio, inter cætera etiam prædicens hostium eius breuì futuram conuersionem.

Verberatur ab infidelibus.

Mittitur in carcerem.

Diuinitùs eripitur.

Procedit ille deindè ex carcere in publicum, stupent Iudæi, mirantur Saraceni, & tum illum, tum sese mutuò respectantes, tanta rei nouitate stant attoniti. Iubent autem acciri custodes carceris, à quibus dũ audiunt lucem cælitùs emissam, visitationem angelicam & beati viri curationem & absolutionem diuinam, compunguntur corde, & tandèm assentiunt veritati, verbique Dei ministrum venerantur, idque adeò, vt ad eius vestigia aduoluti, & eorum, quæ in illum impiè designârant, veniam petierint, & Christianę religionis doctrina imbui optârint. Nihil ille cunctatus, prædicat Christum, & quæ sunt fidei Christianæ, inter cætera docens, nõ patere aditum in regna cælorum, nisì iis, qui renascantur ex aqua & spiritu sancto. Amplectuntur illi fidem, & regenerantur in Christo, quotquot erant prædestinati ad vitam æternam.

Eius hostes conuertuntur.

Iohan. 3. Act. 16.

Isthuc verò vbi per regionem illam rumor sparsit, multi ad eum concurrunt: cupiunt alii talem videre doctorem, alii eius salutarem haurire doctrinam. Offerunt autem ei Eutychianum quendam, inter Saracenos nobilem, ab anno ætatis eius nono, vt ipsi quidem asserebant, vsque ad senectutem surdum pariter & mutum. Ex huius curatione volebant capere doctrinæ eius experimentum. Erant verò etiam eius dexteræ manûs digiti arefacti. Itaque rogabant pro illo sanctum virum, ille porrò rogabat Deum, nec est passus repulsam. Audit Saracenus seipsum absolutè loquentem, arida manus suum facit officium, idemq; ipse cum permultis aliis salutari expiatus lauacro, Dominum benedicit. Hoc miraculum paucis posteà fuit occasio in Christum credendi, & eius præsulem magnificè celebrandi. Non hîc opus est multis ostendere, quàm in disputãdo subtilis, in scripturis explanandis syncerus & perspicax fuerit, cùm id quiuis possit animaduertere, tam ex Iudæorum & gentilium conuersione, quàm conuersorum in suscepta fide confirmatione.

Surdus & mutus curantur.

Postquàm autem vir sanctus Dominicæ passionis, resurrectionis & ascensionis, aliaque loca sacra benè perlustrauerat, Iohanni Patriarchæ cæterisque fidelibus valedixit, & cum sociis suis iter susceptum prosecutus est. In tanta autem terrarum vastitate nullus ei placuit ad manendum locus, nisì vbì posset ignotus & obscurus degere. Sed eius clarissimi parentes molestissimè ferebant talis tantique filii solatiis se destitui. Mittunt itaque nuncios, qui itinera obseruent, adduntq; mandata, quæ perferant ad virum beatum, quibus & preces iunctæ erant, quæ ad manendum inuitarent, & minę, quæ compellerent. Iubebant, si blandis verbis reduci non posset, vim adhiberent, & cum iniuria vel inuitum reuocarent ad suos. Abeunt nuncii, incidunt in sanctum virum eiusque comites, gradiunturq; cum illis, & mutuos inter se sermones conferunt: deindè exponunt nuncii mandata, amicorum vota, parentum suspiria: aiunt admirari Armenios, cur ita fugere voluerit, indicant Syrorum erga ipsum studium & beneuolentiam, Antiochenæ sedis dignitatem, multaque alia, quibus se illum flectere posse sperabant. Ille verò nihil his permotus, comiter & iucundè respondebat, ambiguis eos sermonibus suspensos tenens. Sed cùm cernerent illi, nihil eum de cœpto remittere itinere, violentas admouent manus, retrahuntque nolentem. erant enim numero & viribus superiores. Sed eccè adest virtus diuina, quæ alios cæcitate percutit, aliorum extensa in Episcopum brachia in aëre detinet, omnium equos in fugam compellit. Non deerat illic ridendi materia, si adfuissent derisores. Stant illi stupefacti, nec quicquam

Vim ei inferunt parentũ nuncii, sed excæcantur.

 quam

quam vident, deponere non possunt temerè erecta brachia, audiunt loquentes, & interpellare non audent. Pœnitet iniuria affecisse virum beatum, procidunt coram illo, & cum multo eiulatu petunt se sibi restitui. Ille verò iniuriæ iam immemor, apud CHRISTVM pro eis intercedit. Scipioni, quem manu gestabat, paruam crucem imposuerat: quæ illi & iter agenti, & vigilanti & dormienti, & quidlibet agenti semper præstò erat. Eam cum erexisset contra illos, laxabantur brachia rigida, & ab oculis caligo omnis abscessit. Tum verò iussit eos quamprimùm abire, renunciareque suis, vt desinant lugere ad cælestis patriæ gaudia irreuocabiliter properantem. Repetunt illi mox Armeniam, Macarius cum suis tendit ad Occidentem, miraculis in itinere coruscans.

Cruce perpetuò vtitur. Miraculũ.

Fortè autem obuiàm habuit quosdam Ierusalem petentes, & in ijs cæcum vnum: qui cùm esset pauper & mendicus, comitum suorum magnam in se experiebatur humanitatem, qui per vices ei manum præbentes, secum illum ducebant. Videns autem eum sanctus Patriarcha, ait illi: Quonam tendis? Respondit: Hierosolymam cum his vellem adire Domine, si Dominus permiserit. Tum episcopus lachrymans, & intra se Dominum orans, crucem, quam gestabat, oculis cæci applicuit. Flebant verò pariter omnes, qui illum flentem cernebant: quibus ait: Fratres, inuocate Dominum mecum, non enim ambigere debemus, cùm in nomine eius congregati simus, quin ille sit in medio nostrûm. Vbì verò adest Christus verum lumen, nemo potest remanere obscurus. Eius ergò gratia illuminare dignetur etiam hũc cæcum. Vix ille verba compleuerat, & cæcus adspicit cæli lumen, ducemque deinceps non requirens, proficiscitur lætus Hierosolymam, comites suos antecedens. Peruenit deindè beatus Patriarcha ad locum quendam, vbì nulla erat aquæ copia. Tentabant socij eius locis permultis, si possent fodiendo humum aquam elicere, sed frustrà. Humus natiua sterilitate damnata, quod non habuit, de se præbere alijs non potuit. Tandèm conferunt se ad deprecandum sanctissimum Patriarcham, audiuntque ab eo: Nihil deest, filioli, Deum timentibus, nobisque de eius misericordia præsumentibus, nec deerit aqua ad potandum, nec fons vitæ credentibus. Hæc dicens, scipione suo crucigero Crucis signum pingebat in terra, moxque copiosa indè aqua prorupit, perpetuò scaturire non desitura pro tanti viri memoria sempiterna.

Cæcus cœpit lumen.

Aquã Crucis ligno elicit è terra.

Post multa terrarum emẽsa itinera, cum suis comitibus beatus Patriarcha in Baioariam peruenit: vbì commodum hospitem inquirens, diuina agente prouidentia in ædes Adalberti viri magnæ dignitatis & prædiuitis delatus est, ad cuius dignitatem non parùm addidit tantus pontifex hospitio receptus. Retinuit autem is apud se virũ Dei cum socijs eius anno integro perquàm humaniter, officiosè illi semper inseruiens & præbens benignè necessaria. Non est autem tantæ charitatis fraudatus præmio. Vxor eius, Aua nomine, multo tempore iam vexata morbo grauissimo, vsqueadeò viribus deficiebat, vt eius vita planè pro desperata haberetur. Nihil vltrà potuit eloqui, sed continenter eius obitus expectabatur, non absque multa familiæ & propinquorum defatigatione. Doluit eius vicem beatus Macarius, ad solitas recurrit preces, aquam benedicit, crucem suam ea intingit, tres guttulas ab ea cruce in eius os instillat. Crucis signum exprimẽs, & ab ipso mortis aditu illam retrahit ad vitam. Vix intercedit horæ spatium, mulier reualescit, residet, accersit maritum, loquitur expeditissimè: Vndè, inquit, domine mi hic homo venit ad nos, qui tam præclaris meritis nos longè antecellit? O nos felices, qui eius meruimus frui contubernio. Illi sanè post Deum debeo vitam meam. Quæratur in opibus nostris quo tanto beneficio aliquam vicem rependamus. His dictis, surgit sana, lætatur familia, laudes Deo, grates viro sancto aguntur, offeruntur ei munera, sed hospitalitate contentus, quod gratis acceperat, non nisi gratis dare voluit, admonuitque eos, vt ea in pauperes conferrent. Crescit indè erga eum veneratio, quòd manus suas videretur excutere ab omni munere: sed quia vix vlla domus est, in qua non sit aliquis, qui & fallere possit & in fraudem impelli, non defuit etiam hoc in loco fallacia inimici.

Venit in Bauariam.

Nota vim Crucis & aquæ sacratæ.

Erant duo ex Adalberti familia, qui vt per scelus possent sibi opes parare, clàm furantur linteum, quo sacrificans vir sanctus manus solebat abluere. Planè enim sibi persuaserant, propter tanti viri sanctitatem, efficax illud fore ad quosuis curandos morbos: cogitabantque, si res succederet, ex eiusmodi curationibus grandem sibi conflarent pecuniam. Ne posset autem furtum depræhendi, aliud linteum in ablati loco reponebant. Non planè culpanda fuisset ea fides, si abfuissent sordes & praua

Nota genus furti & eius scopum.

cupiditas. Interìm res tota viro Dei diuinitùs reuelatur: & ille quidem pro sua mansuetudine voluit eam tegere, nè paterent ignominiæ, sed præpotens Deus non est passus latere. Ambos illos flagellat febri acerrima. Adest vir sanctus, præ commiseratione lachrymatur, admonet vt si quid peccâssent, cõfiterentur. Illi pertinaciter negant, plùs reformidantes vltionem heri sui, quàm iram Dei. Admouet illis vir Dei crucem suam, & iam propè deficientes febri liberat. Tum verò compuncti corde, confitentur facinus suum. Cœpit autem vir sanctus celebris haberi in Baioaria, sed non ferens hominum laudes & fauores, lachrymante hospite & eius coniuge, indè recessit, cùm priùs & illis & domui illorum benè precatus esset, & salutaribus eos adhortationibus imbuisset.

Indè Moguntiacum perlatus, obuium habet homicidam quendam, fuga se seruare cupientem. Pallebat miser, vultu non multùm dissimilis morti, quam fugere nitebatur. Insequebantur enim illum hostes, certissimam illi necem allaturi. Vbi is ad beatum Macarium peruenit, vltrà nec ausus nec valens progredi, ad eius pedes corruit, petens vt tam præsens periculum à suis ceruicibus auertat, cùm nesciret quis esset. Aduolant mox hostes, ipsi quoquè beato viro necem intentantes, si sit ausus eius patrocinium suscipere. Ille verò intrepidus, medium se interponit inter miserum hominem & persecutores, armisque, quibus pugnare solebat, probè communitus, inter reum & tela hostilia stat imperterritus: obijcit illis furentibus scutum inexpugnabile, crucem illam suam, in cunctis actionibus suis familiare ipsi perfugium. Ore quidem illis, mente verò DEO supplices offert preces pro misero. Vidisses illic pium sanè spectaculum: hostes arma vibrare, iustum pugnare precibus & meritis, Deum autem stare à iusto, illi resistentes expugnare cælitùs. Tandèm enim flexi ad misericordiam, etsi verba sancti episcopi non intelligerent, animum tamen eius facilè colligentes, humiliter admittunt preces pro reo: atque de equis desilientes, eius amplexantur vestigia, petunt veniam & accipiunt benedictionem, aiunt se in illo vidisse speciem angelicam, & lucem cælitùs radiantem, paratos se offerunt ad omnia, quæ velit de reo fieri: idque adeò, vt ad osculum quoquè illum admittere non recusârint, cuius paulò antè sanguinem sitiebant.

Venit Moguntiam.

Crucem opponit telis hostium.

Post aliquot dies Moguntia digressus, Coloniam accessit, sanctorum cultura nobilem, vbì à quodam Tizone admodùm reuerenter & officiosè hospitio acceptus est. Erat is & morum honestate inter suos clarissimus, & rerum opulentia nulli secundus, at tamen nihil sibi habere visus est, cùm salute corporis careret. Quid enim habet, qui seipso caret? Infestabat eum morbus regius ex multo iam tempore, omnisque cibi & potùs appetentia prostrata erat, medicis frustrà operam suam impendentibus. Itaque ille salutis inops, charitate locuples, hospitem suum voluit quotidiè sibi assidere, & ex eodem vase secum & edere & bibere. Quicquid autem cibi capiebat æger, vir sanctus priùs benedixit siue sacrauit: nec inanis fuit eius benedictio. Nam post aliquot dies cœpit habere meliusculè, indè magis magisque viribus confirmari, & non edere tantùm, sed vorare etiam. Lætatur ille tam insperata salute, gratias vberes agit hospiti suo: at is nihil tale suis tribuens meritis, hortatur eum, vt Deum agnoscat eiusmodi munerum largitorem. Deindè relicta Colonia, circumibat loca meritis insignita sanctorum, & vbiquè præclara relinquens vestigia meritorum, Machliniam tandèm ingressus est. Ibi quoquè benigna fidelium veneratione exceptus, apud beati Rumoldi martyris Ecclesiam commodum cum suis hospitium & beneuolum obsequium adeptus est. Eccè autem intempesta nocte tumultus & clamor ingens existit, & vir sanctus repentè excitatur. Incendium enim iam quasdam ædes peruaserat, & res erat plena periculi, flammis obuia quæque corripientibus, ità vt nulla vi humana extingui posse viderentur. Curritur itaque ad beatum Macarium, rogatur vt flamma fidei suæ extinguat flammas omnia vastantes. Non nectit ille moras, aduolat ad ædes incendio proximas, de tecto extrahit quippiam, & mox Crucis signo consignatum, loco suo restituit. Id vbi sensit ignis furibundus, tanquàm valido repulsus vento, non potest vltrà progredi, sed in seipso tabefactus, incredibili celeritate deficit. Tollitur in sublime clamor populi, celebratur omnipotentia Christi, beati Patriarchæ merita prædicantur.

Sanctam Vbiorum Coloniam ingreditur.

Adit Machliniam.

Ignem Machliniæ Crucis signo compescit.

Post hæc vir Dei proficiscitur Malbodium, quod est sacrarum virginum monasterium, vbi S. Aldegundis virgo quiescit: pro cuius veneratione cùm illic hospitio recipi peteret, eum Durandus quidam, vir bonus & humanus, comiter suscepit, &

Venit Malbodium.

pro viribus alacriter ei ministrauit. Hærens autem aliquandiù eo in loco, voluit venæ sectione aliquid de sanguine sibi detrahi. Eum sanguinem in vasculum hospes excipiens, vni è seruis suis summo studio asseruandum tradidit. At nequam ille seruus instigante diabolo & inuidia stimulante, sacrum illum cruorem in latrinam effudit, se latere posse confidens. Sed iustus Dominus lepra percussit malignum, quæ eum, donèc vixit, depasta est. Porrò beatus patriarcha, sæpiùs corde & ore commemorandus, necdùm peregrinationi suæ finem imponens, à Malbodio abijt Cameracum, vbi paucos moratus dies, quis, qualis & quantus esset, diuinitùs innotuit. Nam quodam die, sole occumbente, sanctissimæ matris & virginis basilicam, suo more in ea in diuinis laudibus & precibus pernoctaturus, intrauit: sed cum custos templi non sine iniuria eiecit, bileque percitus ostium obserauit. Ille tranquillo animo ante fores Ecclesiæ in preces se prostrauit. Deus autem volens ostendere, quanti apud ipsum esset meriti, qui abiectus & obscurus videbatur, ostium basilicæ ei patefecit: quam tamen ea hora vir sanctus ingredi noluit, nè infirmum hominem magis perturbaret. Custos ad nocturnas preces templi fores reseraturus, vt eas patere vidit, & peregrinum humì postratum, timore penè exanimatus est. Manè res omnibus innotuit, Deo à fidelibus gratiæ aguntur, hospes exclusus cœpit haberi clarissimus. Sed ille nihil tale appetens, Tornacum se contulit.

Vltio diuina in seruum malignum. *It Cameracum.* *Tornacũ se confert.*

Ea vrbs & diuitijs & ciuibus abundat, sed populus est leuis & pronus in tumultus. Non autem casu, sed nutu diuino eò peruenit vir sanctus, vbi etiam insigni miraculo illum Dominus cohonestauit. Cùm enim orta esset in vulgo seditio exitiosa, & iam ad arma concurreretur, passimque volitarent tela, à ciuibus vibrata in ciues: (quo genere certaminis quid potest esse insolentiùs, cum nec victoriam vllus sequatur triumphus, idemque luctus sit & victis & victoribus, ciuitatique immineat excidium, quandò nec pietati parcitur, nec pudori, in ipsos etiam cognatos sæuiente ferro, & crudelitate nesciente modum?) in hoc, inquam, rerũ discrimine erat Tornaci princeps patriæ senior Balduinus, qui suos milites iubet arma capessere, non vt pugnent, sed vt furentem populum ab armis ad pacem & tranquillitatem reuocent. Sed illius principis conatus perindè successit, àc si quis in magna tempestate concitatos Oceani velit fluctus compescere. Prorupit verò etiam beatus Patriarcha cum suis armis, putà, Cruce, precibus & socijs peregrinationis, celeriterque accurrit ad locum diri certaminis, fundensq; cum lachrymis preces ad Dominum, confidenter erigit scipionem suum, cui crucem iusixerat, & nõ sine Dei præsenti ope, furentibus pacem exoptat. Mox languescit procellosa seditio, & redditur tranquillitas: plusque potuit hospitis admonitio, quàm Comitis comminatio: tantumque vir sanctus illo suo scipione crucigero & fusis ad Dominum precibus effecit, vt sese inuicèm oscularentur, & tanto tumultu sine sanguinis fusione sopito, ciuitas tota restitutæ pacis beneficio lætaretur.

Seditionẽ compescit erecta Cruce.

Iam multo tempore beatus Patriarcha non paruos longinquæ peregrinationis tulerat labores, quibus cùm tandèm vellet Dominus finem imponere, Gandauum peruenit, vbì ante omnia sancti Petri cœnobium, quod Blandinium vocant, inuisere voluit, sed visitantis virtus illic ignota fuit. O miseram hominis cõditionem, illic plerunque errare mortales in iudicio, vbì tamen nulla est erroris intentio. Non modò non inuitatur ab illis ad hospitium, sed nec admittitur quidem. Peruenit tandèm ad monasterium, quod sanctus confessor Bauo suis meritis illustrabat. O felicem illam ciuitatem, eiusque populum, licèt id ipsi nescirent, quibus tanta concessa est salus. O diem illam iucundam & memorabilem, diem dignam nunquàm carere memoria iucunditatis. Regnabat per id tempus in Gallijs Robertus rex, Flandriæ Marchionatum obtinebat Comes Balduinus, cœnobio sancti Petri ad sanctum Bauonem præerat Abbas Erembolđus: qui eum & comites eius hospitio recepit, & peramanter curauit.

Gandauũ peruenit. *In Abbatia S. Bauonis comiter accipitur.*

Abbatis verò & fratrum eximia charitate permotus, sensìm cœpit in animum inducere, vt apud illos permaneat. Apparet hic iudiciorum DEI abyssus multa. Quem enim neque Armenia, neque Antiochena sedes, neque indè à sepulcro DOMINI vsque ad sancti Bauonis monumentum, tam vasta terrarum spatia retinere potuêre, Gandensis Ecclesia retinuit. Exhibetur indè tanto hospiti communis Ecclesia, commune monasterium, communis quoquè mensa, sed cubiculum priuatum, vbì cum suis quiesceret. Placet omnibus, nec vlli est onerosa eius san-

Eius cõuersatio in monasterio.

tis sancta conuersatio: inuitat omnes ad meliora eius pia animi deuotio: nec fratres duntaxàt, sed etiam alios eius regionis homines quotidiè confirmat eius sacra benedictio. Crebrò nanque visitabat Ecclesias Gandauensis ditionis, celebrabat Missæ sacrificia in singulis, solitis vacabat precibus, populos vbiquè Deo pijs commendabat votis. Quibus etsi ob idiomatis imperitiam loqui nesciret, non tamen cessabat pro eis loqui apud Dominum. Quicquid autem ei à fidelibus oblatum esset, mox in pauperes conferebatur, quorum ille ab infantia curam gesserat. Vndiquè ad eum populus frequens confluebat, & permulti à varijs liberabantur incommodis. Nam etiam aqua, qua manus eius fuissent ablutæ, nequaquàm erat virtutis expers, & leuis manuum eius attactus ad depellendos morbos erat efficax: qui verò sublimiori fidei deuotione præditi erant, ijs ad promerendam salutem sola sufficiebat episcopalis benedictio. Inuitabatur plerunque à diuitibus & ægrotis, apud quos confecto negocio, cuius erat causa accitus, mox recurrebat ad cœnobium, fratrum egregia erga se beneuolentia allectus. Etij quidem non rarò instabant apud illum, vt perpetuò cum ipsis maneret, sed surdo canebant, quippe qui planè constituerat in patriam reuerti. Qua tamen in re minimè illi consentiebant eius comites: quibus ille relictis, vno tantùm socio itineris contento, Abbati & fratribus valefaciens, recessit. Sed paulò pòst inflantur pedes, morboque correptus decumbit, & iam de vita eius spes propè nulla superest. Vbì id audiunt Blandinienses, etsi serò, dolent tamen se talem virum initiò non recepisse: itaque vt possint tandem vel inuitum ad se adducere, precibus agunt apud Lambertum id temporis Castellanum. Cùm autem pariter irent ad virum Dei, adueniunt etiam S. Bauonis fratres: cumque simul omnes consedissent, Castellanus per interpretem rogabat eum, vt ad Blandiniense monasterium se conferret. Ille verò oculis in S. Bauonis fratres blanditer coniectis, indicat se cupere ad illos reduci. Tum verò Castellanus cum Blandinensibus abijt, nullam vim ausus admouere tali viro: nec minori cum gaudio ad S. Bauonis monasterium reuocatur, quàm fuerat dolore indè digressus, tractaturque ab eis humanissimè.

Multis claret miraculis.

Dum vult redire in patriã, diuinitùs impeditur.

Sed cùm humana subsidia parùm illi prodessent: erat enim exanimi similimus: sanctorũ in ea ecclesia quiescentium est visitatione recreatus. Cùm enim nimia inualetudo non fineret eum vlla potiri somni quiete, quadam nocte nec planè dormiens, nec prorsùs vigilans, quasi in ecstasi positus, videt S. Bauonem sibi adstare, & vt in monasterium ingrediatur, attentè præcipere. Ille verò, vt sibi videbatur, surgit, intrat in cœnobium, ante sacram aram videt multæ dignitatis personas sexûs vtriusque cum S. Bauone residere: atque in ijs visus est sibi S. Landoaldum cognoscere, quem solum asserebat præ cæteris infulatum Missas celebrâsse, atque ipsi cum cæteris absoluto sacrificio benedixisse: ac deindè sanctum Bauonem ex illorum medio surrexisse, extensa manu amãter ipsum tenuisse, atque vt iuxta altare sancti Petri staret, iussisse. Ipso ità stante, eosdem sanctos cum cereis propiùs ad ipsum accessisse, tanta luce micantes, vt eorum splendorem vix ferret humanus adspectus: atque ità illorum præsentia se confirmatũ, redditamque sibi sensisse salutem. Post hanc visionem manè surrexit incolumis, fratribus visa exposuit, & nè quid possent de veritate ambigere, sanum se ostendit.

Visitatione cælesti recreatur mirificè.

Mansit posteà ad quinque menses in cœnobio, & rursùs cogitat de repetenda patria: sed dum ille statuit repetere Armeniam, à Christo euocatur ad patriam claritatis æternæ. Aduentabat Paschatis sacra solennitas, & sparso iam in vulgus eius recedendi in Armeniam proposito, captata ex temporis opportunitate & ocio deuotione, in sacra Parasceue totius prouinciæ multitudo ad eum confluxit. Inuitabat enim illos dies indulgentiæ & remissionis, dies exultationis & liberationis, dies videlicet dierum, id est, Dominicæ Resurrectionis, idque pro magno ducebant, si possent illo die Paschalia sacramenta de tanti pontificis manu percipere, eius benedictionibus interesse, non incerti de patrocinio, si se & sua discedenti commendâssent.

Rursus meditatur abitum.

Verùm dum illi præstolantur abiturum, Deus illum eis prouidet patronum sempiternum, cuius etiam in impendente ipsis calamitate essent patrocinijs fruituri. Sæuiebat enim tum pestis horrendum in modum, adeò vt penè tota prouincia hominibus orbari videretur. Excrescebãt repentè in palatis hominum pustulæ, quæ si non chirurgi ferro ilicò essent apertæ, vt noxius efflueret humor, actum erat de vita. Fuit sanè inaudita quædã illius immanissimæ pestis rabies, vincebatq; superstites multitudo morientium, vixque tot reliqui esse videbãtur, quot possent cadaueribus humãdis sufficere. Iã omnis humani auxilij spes ablata erat, tandemq; cõmuni omnium sententia decernitur,

Immanissima pestis in Flãdria.

nitur, vt triduanum non modò hominibus, sed etiam pecoribus & iumentis indicatur ieiunium, ad Dei implorandam opem omnes confugiant, & suffragia sanctorum Gandaui quiescentium humiliter expetant, tantosque patronos, qui Dei misericordiam in eiusmodi periculis conciliare valdè assueuerint, in vnum locum conferant. Sed dum hac illi religione Deum placare instituunt, Deus suam non differt misericordiam, vnũque ex omnibus eligit, in quem sæuissima lues postremum irrueret. Is beatus fuit Macarius, qui quàm feruenter & obnixè, quàm multis cum lachrymis & suspirijs diuinam rogauerit clementiam, vt hanc cladem à populo suo auerteret, dici vix queat. Sed dum ille pro alijs intercedit, commune benigna Dei prouidentia periculum cum alijs incurrit, sæuaq; illa pestilentia infectus, primò amisit omnem loquendi facultatem, sed mox prophetica donatus gratia, nutibus & signis, quibus poterat, prædixit præter se & alios duos neminem deinceps ea peste occubiturum: quod posteà rei euentus approbauit. Deindè autem reddita ei voce, iubet acciri reuerendum Abbatem Erembolduum cum fratribus: qui cùm venissent, orauit quamprimùm tonderi sibi caput & barbam. Testamentum autem nullum condidit, quandoquidem peregrinus & pauper, vndè conderet, non habebat. Soli matri suæ remisit partem barbæ suæ, ne diù suspensam torqueret longa filij nunquàm redituri memoria. Indè cùm fratribus ingressus cryptam beatissimæ semperque virginis Mariæ, ante altare S. Pauli baculo designauit locum sepulturæ suæ.

Triduanũ ieiunium hominũ & brutorum animantium.

S. Macarius peste inficitur.

Iam tertius instabat dies indicti ieiunij, etiam paruulis & vitulis materna negantur vbera, & modis omnibus propè vis infertur regno cælorum. Efferuntur corpora sanctorum ex vtroque monasterio, & fit hominum ingens concursus: vbique luctus, vbiq; lachrymarum magna vis, tollitur ad cælum clamor virorum, mulierum, infantium, pecudes quoque & iumenta ad vacuea præsepia edunt mugitus intolerabiles. Flectitur interim benignus Deus: seueritatem lenitate temperat, & vt flagellando iustum iudicẽ, ità consolando pium patrem, vtrobiquè fidelem, nusquàm crudelem se declarat. Restituuntur suis locis corpora sanctorum, post lachrymas pro peccatis fusas redeunt singuli ad suas ædes: porrò Patriacha Macarius abit cum fratribus ad cœnobiũ, ingressusq; cum illis virtute qua poterat in refectorium, vt vidit illos nõ nisi parùm panis & aquæ sumere, obsecrando & imperando iubet, vt mutent ieiunium. Assidet etiam ipse mensæ, & hilarem se omnibus exhibens, charitate potiùs quàm necessitate adductus, ex cibis appositis pauxillum edit, sicque eis vltimum vale dicẽs, episcopalem impendit benedictionem. Vix ad cellulam redeunti præ imbecillitate virium, fratrum peruigil custodia adhibetur. Vbi emigrandi aduenit hora, in lectulo residens, expassis manibus & sursùm erectis luminibus, Domino cum lachrymis se commendat, suffragia sanctorum & protectionem angelicorum spirituum multimodis precibus ambiens. Tantus autem eos, qui illi aderant, inuasit horror, ex præsentia, vt creditur, beatorum spirituum, vt quẽadmodùm de S. Paulino Nolano episcopo annotauit beatus Papa Gregorius, omnes absque mora fugere voluerint, nisi eorum animos erexisset fratrum conuentus, ad exequias surgentium. Quibus congregatis caput in terram reclinans, inter psallentes & orantes spiritum feliciter exhalauit: impletaque est eius prophetia, ipso postremo ex ea peste occumbente.

Corpora sanctorũ exportantur.

Dialog. li. 3. cap. 1.

Moritur S. Macarius.

Corpus eius feretro impositum, tanta contentione ferebatur ad ecclesiam, vt ad singulos propè passus noui portitores sanctissimo oneri succedere niterentur. Certatim singuli se ingerebant, vt vel extremas feretri partes tenerent. Si cui id negatum esset, illi vel vestes sacrum corpus deferentium attigisse palma suprema fuit. Postquàm ad cryptam ventum est, vbì sepulcri locum ipse designârat, honorârunt eum muneribus, & lachrymis infuderunt, vixque locus capere poterat irruentes turbas. Neque sanè maiorem Armenia luctum ciui & propinquo impendisset, quàm impendit Flandria peregrino. Fleuisset illa fortassis pro cognatione, hæc fleuit pro pietate. Nec verò potuit vulgi deuotioni satisfieri, donèc facie sancti viri detecta, simul totum funeris operimentum tolleretur. Quo ablato, tum demùm videre erat manibus ac pedibus impressa oscula, manantes ab oculis in sacrum corpus lachrymas irruentium, oblata profusè munera, certatim viros ac fœminas offerentes, alios annulos, inaures, monilia & torques à suo corpore auellentes, & eius pectori imponentes. Nam quo quisque maiori erat deuotione præditus, eo liberalius in defunctum dona conferebat, eius apud Deum sibi patrocinia promittens. Obijt verò beatus Macarius 4. Idus Aprilis. Anno salutis 1012. S. Henrico Romanorum Imperatore,

ratore, rege autem Gallorum Roberto. Sacrum autem corpus eius sub Sigero Abbate, qui quartus ab Eremboldo S. Bauonis cœnobio præfuit, eleuatum est, & in ipsa eleuatione integrum repertum. Visi tum sunt in aëre duo circuli instàr coronarum, quorum alter in medio habebat crucis signum aureo fulgore cõspicuum. Interfuêre huic eleuationi rex Gallorum Philippus, Comes Balduinus cum proceribus suis & Adela coniuge, filioq; Balduino Hannoniæ Comite, Balduinus quoque Nouiomensis & Lietbertus Cameracensis episcopi. Multis verò miraculis etiam post obitum suum claruit vir beatus, quæ breuitatis causa prætermimus. Sub hac autem eleuatione antiquior ecclesia eius loci, quam S. Amandus episcopus in honorem S. Petri Apostolorum principis dedicauerat, ob vetustatem præcipuis locis à fundamento instaurata, denuò consecrata fuit in honorem Domini nostri & omnium sanctorum. Corpus eius eleuatur, & integrũ inuenitur, anno Christi 1067.

SANCTI ANTIPAE, PERGAMI ASIAE EPISCOPI MARTYRIVM, EX SIMEONE *Metaphraste.*



CVm aduersùs Christianos persecutionem excitâsset Domitianus, qui Apostolorum tempore Romanum Imperium obtinuit, per orbem vniuersum ad omnes magistratus missæ sunt literæ, vt homines Christiani decretis Imperatoris parérent, & sine vlla excusatione stultam idolorum religionem colerent, eorumque templa omni honore venerarentur. Tunc fidelis verum Deum confitentium multitudo patefacta est, & magna Martyrum, pro Christi Saluatoris fide vbique decertantium, virtus apparuit. Tunc & Ecclesiæ fideique basis, & Christianæ veritatis fundamentum, atque æternæ diuinitatis vnigeniti præco Ioannes Apostolus præstantissimus in Patmum insulam relegatus est. Vbì dum magnum Christi Martyrum cœtum ijs, quæ de septem Ecclesijs scripsit, confirmaret, Antipas testis meus fidelis, inquit, qui occisus est apud vos, vbì satanas habitat. Ex ijs Apostoli verbis intelligi potest, quibus essent moribus præditi homines illi, qui Pergamum incolebant, vbì erat satanæ domicilium. Ibì nec naturæ lex seruabatur, nec vlla erant iudicia. Tantum sibi quisque iuris vindicabat, quantum viribus & robore valebat. Sibique satis iusti videbantur, & fortes ac boni, qui Christianum aliquem detulissent. 11. April. Iohannes Apostolus Apocalypsin scripsit.

Cùm igitur Christianorum cœtus magno in discrimine versaretur, Antipas vir strenuus & constans nihil turbabatur: sed tanquàm in angeli naturam esset ex homine conuersus, fortiter resistebat, nec vlla prorsus in re formidabat, quinimmò sæpiùs prodibat in publicum: & tortorum minas negligens, in medio ipsorum fulgebat: & puræ syncerǽque fidei splendore tenebricosos idololatriæ errores discutiebat. Quamobrem omnes, qui putarentur dij, fugiebant, & ne vnus quidem eorum audebat in ea vrbe manere, in qua sanctus ipse commorabatur. In somnis igitur sacrificulis suis dæmones apparebant, dicentes, se nec sacrificiorum esse participes, nec nidorem suscipere, proptereà quòd à Christianorum principe Antipa fugarentur. Qua re indignata multitudo, in Antipam impetum facit, eumque comprehendit, & in locum, vbì fieri sacrificia solebant, trahit. Et Præfectus sic eum alloquitur: Tune es Antipas ille, qui nec ipse decretis Imperatorum obtemperas, & alios, nè obtemperent, adhortaris: & sacrificia, quæ fieri à nobis solent, ità perturbas, vt deorum neminem pinguedine, aut nidore frui permittas? ex quo factum est, vt dij omnes recesserint: & periculum imminet, nè tueri ciuitatem ampliùs velint. Satis sit tibi ad hunc vsque diem Christianæ superstitioni vacâsse. Resipisce iam, & legibus nostris pare, vt dij, qui pulcherrimæ huic vrbi præsunt, curare nos ac tueri queant. Quod si facere recusàris, & partium tuarum studio, deorum neglexeris religionem, ex Romanarum legum præscripto meritis supplicijs afficieris. Respondit beatus Antipas: Vnum hoc scito, me Christianum esse, & impio Imperatoris decreto ab omni ratione alieno parére omninò nolle. Et quoniam quæstionibus tuis respondendum est, id faciã libenter. Si enim dij, quos adoratis, & quos totius orbis dominos asseritis, sic ab homine mortali fugari se dicunt, vt cùm vestri defensores ac vindices esse debeant, opem vestrã implorent, facilè potestis errorẽ vestrũ agnoscere. Antipæ constãtia. Dæmones fugiunt eum. Sistitur vinctus coram Præfecto. Antipas egregie ostendit falsorum deorum vanitatem.

agnoſcere. Qui enim ſeipſos vlciſci non poſſunt, & ab homine vno vinci ſe confitentur, quomodò gentem vniuerſam in aliquo periculo conſtitutam, aut ciuitatem aliquā poterunt liberare? Hoc conſiderantes, debetis nunc ſaltem à pernicioſo errore veſtro diſcedere, & in Chriſtum credere, qui deſcendit de cælis, vt hominum genus conſeruaret. Qui ſanè Chriſtus in fine ſeculorum venturus eſt iudex omnium, daturusq́; ſingulis congruentia factis eorum vel præmia, vel ſupplicia.

Reſpondit Præfectus: Vos nouis à vobis inuentis legibus & inſtitutis vultis obtemperare, neglecta deorum religione, quam iam indè ab initio nobis à maioribus per manus traditā accepimus, à quibus & hæreditas ad nos peruenit. Idcircò enim nos illorū veſtigijs inhærentes, ab eis diſcedere tutum non arbitramur: cùm vetera recentibus præſtent: & quæ tēporis longitudine ſunt confirmata, nouis ſint laudabiliora. Quamobrèm ipſe quoque mutare ſententiam debes, nec eum hominem in viuēdi ratione ſequi, qui paulò antè cognitus eſt, & præſtigijs quibuſdam vitam mortaliū perturbauit, præſertim cùm in crucem ſuffixus ſit ſub Pontio Pilato præſide. Imperatorum igitur decretis pare, vt nobiſcum ſine periculo vitam tranſigas: habebis enim nos omnibus in rebus propitios & amantes, vt filios: quandoquidem ætas id poſtulat tua, vt te perinde ac patrem diligamus. Ad hæc vir ſanctus: Licèt, inquit, innumerabilibus argumentis aures meas obruas, non tamem ero tam ſtultus & imprudens, vt cùm iam ad extremam ſenectutem peruenerim, nec à morte procùl abeſſe poſſim, ſententiam mutem, & vitę miſerabilis ignominioſæque gratia, à confirmata fidei confeſſione diſcedam. Noli igitur mentem meam circunuenire, in rerum diuinarum aſſidua lectione verſatam. Neque ab initio fuit vllus deorum veſtrorum, nec quicquam ab illis vtile ad vos vnquàm profectū eſt. Sed ipſi turpibus & obſcœnis hominibus, prauè viuendi materiam afferentibus, & turpium voluptatum occaſionem demonſtrantibus vos addixiſtis. Quòd ſi vetuſtiſſima quæquè ſunt obſeruanda, cur non & Cain fratricidij inuentorem imitamini? Cur non eos vobis proponitis imitandos, qui cælum conſcendere conati ſunt: aut qui ſe cū proprijs ſororibus commiſcere non ſunt veriti: vndè diluuium genus eorum deleuit, quia piam ac rectam viuendi ſemitam ingredi neglexerunt? Quamobrèm ſi vos item iſtos propter antiquitatem & eorum flagitia imitari volueritis, non per aquam ampliùs, ſed per ignem æternum, & vermem, qui nunquàm dormit, conſumemini, niſi reſipueritis.

Deorū turpitudo. *Gen. 4.* *Gen. 6.* *Eſa. 66.*

Hæc atque alia multa loquentem virum iſtum corripiunt homines impij, & ad Dianæ templum trahunt, vbì erat ſtatua bouis ænei, quem igne ſuccenſo multè antè inflammârant. In hunc beatum martyrem coniecerunt. At ille cùm ſe Chriſti ſigno muniuiſſet, dum eiuſmodi cruciatu diù torqueretur, ad hunc modum precabatur: Deus, qui myſterium in arcanis bonorum theſauris reconditum nobis aperuiſti, Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, per quē & arcana conſilij tui patefeciſti: gratias ago tibi pro vniuerſis beneficijs tuis, qui nos in te ſperantes ſeruas, & me hac hora dignum feciſti, vt ad eorum adſcriberer numerum, qui pro nomine ſancto tuo martyrium pertulerunt. Spiritum meum ab hac hodiè vita diſcedentem ſuſcipe: & concede, vt apud te atque vnigenitum filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum gratiam inueniat: vt & qui poſteà futuri ſunt benignitatis participes tuæ, nomen ſanctum tuum collaudent in Chriſto, per quem honor habetur tibi in ſecula ſeculorum, Amen. Facto precandi fine, tanquàm graui ſomno captus, ſpiritum reddidit, & glorioſa Martyrij corona redimitus, in cælum euectus eſt.

Signo crucis ſe munit, dum torquetur. *Reddit ſpiritum.*

Tunc viri quidam pij reliquias ipſius magno ſtudio collectas, in hoc loco Pergami collocârunt, vbì nos congregati gratias agimus Deo pro ijs, quæ in nos benignè egit. Hunc enim martyrem nobis largitus eſt: qui tanta præſtitit virtute, vt locus hic, vbi martyrium pertulit, in hodiernum vſque diem miraculis excellat: & magnæ in eo fiāt curationes, quibus & Deus, qui præſtat omnibus, & vnigenitus filius eius Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum ſancto ſpiritu laudatur: & pia ſanctorum in Chriſto Martyrum memoria celebratur, quæ animos noſtros quadam voce quotidiè incitat ad eum in ſanctis ipſius imitandum: Cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum Amen.

Reliquiæ eius magno ſtudio colliguntur.

VITA

VITA ISAAC SERVI DEI, PER D. GREGORIVM PAPAM SCRIPTA LIBRO III. *Dialogor. cap. 14.*



Rioribus Gotthorum temporibus fuit iuxta Spoletanam vrbem vir vitæ venerabilis, Isaac nomine, qui vsque ad extrema Gotthorum tempora peruenit, quem nostrorum multi nouerunt, & maximè sacra virgo Gregoria, quę nunc in hac Romana vrbe iuxta ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis habitat. Quæ dum adolescentiæ suæ tempore, constitutis iam nuptijs, in ecclesiam fugisset, & sanctimonialis vitæ conuersationem quæreret, ab eodem viro defensa, atque ad eum, quem desiderabat, habitum Domino protegente perducta est. Quæ quia sponsum fugit in terra, habere sponsum meruit in cælo. Multa autem de eodem viro, narrante venerabili patre Eleutherio, agnoui, qui & hunc familiariter nouerat, & eius verbis vita fidem præbebat. 11. Aprilis. Gregoria fugit nuptias, & fit sanctimonialis.

Hic itaque venerabilis Isaac ortus ex Italia non fuit, sed ea illius narro miracula, quæ conuersatus in Italia fecit. Cùm primùm de Syriæ partibus ad Spoletanam vrbem venisset, ingressus ecclesiam, à custodibus petijt, vt sibi quantum vellet licentia concederetur orandi, cumque horis secretioribus egredi non vrgerent. Qui mox ad orandum stetit, diemque totum peregit in oratione, cui sequentem continuauit & noctem. Secundo etiam die cum nocte subsequenti indefessus in precibus perstitit: diem quoquè tertium in oratione coniunxit. Cumque hoc vnus ex custodibus, superbiæ spiritu inflatus, cerneret, vndè proficere debuit, indè ad defectûs damna peruenit. Nam hunc simulatorem dicere, & verbo rustico cœpit impostorem clamare, qui se tribus diebus & noctibus orare ante oculos hominum demonstraret. Qui protinùs currens, virum Dei alapa percussit, vt, quasi religiosæ vitæ simulator esset, de ecclesia cum contumelia exiret. Sed hunc repentè vltor spiritus inuasit, & ad viri Dei vestigia strauit, ac per os illius clamare cœpit: Isaac me eijcit, Isaac me eijcit. Vir quippe peregrinus quo censeretur nomine, nesciebatur: sed eius nomen ille spiritus prodidit, qui se ab illo posse eijci clamauit. Mox autem super vexati corpus vir Dei incubuit: & malignus spiritus, qui eum inuaserat, abscessit. In tota vrbe tunc statim, quid in ecclesia factum fuisset, innotuit. Currere viri & fœminæ nobiles atque ignobiles pariter cœperunt, certatimque eum in suis rapere domibus conabantur. Alij ad construendum monasterium prædia, alij pecunias, alij subsidia quæque poterant offerre viro Dei suppliciter volebant. Sed seruus omnipotentis Domini horum nihil accipiens, egressus vrbem, non longè desertum locum reperit, ibique sibi humile habitaculum construxit. Ad quem dum multi pergunt, exemplo illius æternæ vitæ accendi desiderio cœperunt, atque sub eius magisterio in omnipotentis se Domini seruitium dederunt. Cumque eum crebrò discipuli humiliter admonerent, vt pro vsu monasterij possessiones, quæ offerebantur, acciperet, ille solicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut auari diuites solent perituras diuitias custodire. S. Isaac prolixæ preces. Vide priscorum hominum feruorem ad extruenda monasteria. Summũ studiũ paupertatis.

Ibi itaque prophetiæ spiritu magnisque miraculis, cunctis longè lateque habitantibus vita eius inclaruit. Nam die quadam ad vesperum in horto monasterij fecit iactari ferramenta, quæ vsitato nos nomine vangas vocamus. Dixit itaque discipulis suis: Tot vangas in horto proijcite, & citiùs redite. Nocte verò eadem, dum ex more cum fratribus ad exhibendas laudes Domino surrexisset, præcepit, dicens: Ite, & operarijs nostris pulmentum coquite, vt manè primo paratum sit. Facto autem manè, fecit deferri pulmentum, quod parari iusserat, atque hortum cum fratribus ingressus, quot vangas iactari præceperat, tot in ea laborantes operarios inuenit. Ingressi quippe fures fuerant, sed mutata mente per spiritum, appræhenderunt vangas, quas inuenerunt, & ab ea hora, qua ingressi sunt, quousquè vir Domini ad eos veniret, cuncta horti illius spatia, quæ inculta fuerant, coluerunt. Quibus vir Domini mox vt ingressus est, ait: Gaudete fratres, multùm laborâstis: iam quiescite. Quibus ilicò alimenta, quæ detulerat, Nocturnæ laudes. Fures deprehensos vt tractârit.

 præbuit,

præbuit, eosque post tanti laboris fatigationem refecit. Sufficienter autem refectis ait: Nolite malum facere: quotiès de horto aliquid vultis, ad horti aditum venite, tranquillè petite, cum benedictione percipite, & à furti prauitate cessate. Quos statìm collectis oleribus onustari fecit. Actumque est, vt qui ad hortum nocituri venerant, cum laboris sui præmio, & repleti ab eo, & innocui redirent.

Alio quoquè tempore accesserunt ad eum peregrini quidam, misericordiam postulantes: scissis pannis obsiti, ità vt penè nudi viderentur. Cumque ab eo vestimenta peterent, eorum verba vir Domini tacitus audiuit: qui vnum ex discipulis suis protinùs silenter vocauit, eique præcepit, dicens: Vade, atque in illa sylua in loco tali cauam arborem require, & vestimenta, quæ in ea inueneris, defer. Cumque discipulus abijsset, arborem, sicut iussus fuerat, requisiuit: vestimēta reperit, & latenter detulit magistro. Quæ vir Dei suscipiens, peregrinis nudis atque petentibus ostendit & præbuit, dicens: Venite, quia nudi estis: eccè tollite, & vestite vos. Hæc illi intuentes, recognouerunt quæ posuerant: magnoque pudore consternati sunt: & qui fraudulenter vestimenta quærebant aliena, confusi receperunt sua.

Facinus improbū proditur.

Alio quoquè tempore quidam se eius orationibus commendans, sportas duas plenas alimentis, ei per puerum transmisit: quarum vnam idem puer surripuit: atque in itinere abscondit: vnam verò ad Dei hominem detulit, & petitionem illius, qui se ei per xenium commendauerat, enarrauit. Quam vir Domini benignè suscipiens, eundem puerum admonuit, dicens: Gratias agimus: sed vide sportam, quam in itinere posuisti, nè incautus tangere præsumas: quia in eam serpens ingressus est. Esto ergò solicitus, nè si tollere incautus volueris, à serpente feriaris. Quibus verbis puer valdè confusus, exultauit quidem, quòd euasit mortem: sed tristis ad modicum factus est: quia quanuìs salubrem pœnam euaserit, tamen pertulit verecūdiam suam. Qui reuersus ad sportam, cautè ac solicitè attēdit: sed eam iam, sicut vir Dei prædixerat, serpens tenebat.

Item aliud.

Hic itaque cùm virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter prȩditus, vnum erat, quod in eo repræhensibile esse videbatur: quia nonnunquàm tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutibus nisì sciretur esse plenus, nullo modo crederetur.

Petrus: Quæso te, quidnam hoc esse dicimus? Spontè sibi lætitiæ frena laxabat: an tot virtutibus pollens, aliquandò ad præsens gaudium etiam renitens eius animus trahebatur?

Gregorius: Magna est, Petre, omnipotentis Dei dispensatio: & plerunquè contingit, vt quibus maiora bona præstat, quædā minora non tribuat: vt semper eorum animus habeat, vndè se ipse repræhendat: quatenùs dum appetunt perfecti esse, nec possunt: & laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamē elaborando prȩualent, in his, quæ accepta habent, se minimè extollant: sed discant, quia ex semetipsis maiora bona non habent, qui in semetipsis vincere parua vitia atque extrema non possunt. Hinc est enim, quòd perducto Dominus ad terram repromissionis populo, cunctos fortes atque præpotentes aduersarios eius extinguens, Philistæos atque Chananæos diutiùs reseruauit: vt, sicut scriptum est, in eis experiretur Israël: quia nonnunquàm, vt dictum est, eis etiam, quibus magna dona tribuit, parua quædam repræhensibilia relinquit, vt semper habeant, contra quod bellum gerant, & deuictis magnis hostibus, mentē non erigant, quandò eos adhuc aduersarij etiam minimi fatigant. Fit itaque, vt miro modo vna eademque mens, & virtute polleat, & ex infirmitate lassescat: quatenùs & ex parte constructa sit, & ex parte se conspiciat esse destructam: vt per bonum, quod quærit & habere nō valet, illud seruet humiliter, quod habet. Sed quid mirum quòd hoc de homine dicimus, quandò illa superna regio in ciuibus suis ex parte damna pertulit, & ex parte fortiter stetit: vt electi angelorū spiritus, dum alios per superbiam cecidisse conspicerent, ipsi tanto robustiùs, quanto humiliùs starent? Illi ergò regionis suæ etiam detrimenta profecerunt, quæ ad æternitatis statum ex partȩ suæ destructionis est solidiùs instructa. Sic ergò & in vnaquaq; anima agitur, vt in humilitatis custodiam aliquandò ad lucra maxima ex minimo damno seruetur.

Cur in sanctis viris interdùm parua quædam vitia hæreant.

Iudic. 2.

Petrus: Placet quod dicis.

VITA

VITA S. GVTHLACI ANACHORETÆ ET CONFESSORIS, SCRIPTA FIDELITER, TAMETSI AVTHORIS

nomen manuscriptus codex non habuit. Scripsit autem vitam sancti viri, Guilielmus Ramesey Anglus Benedictinus, item Felix Crolandiensis Benedictinus: sed puto non nisi epitomen esse quam nos edimus. Nam & MS. codex testatur esse abbreuiatam, sed veram.



IN diebus Ethelredi regis Merciorum, nobilis quidam, nomine Penuualdus, regali progenie ortus, ex vxore sua, nomine Tecta, sanctum Guthlacum seruum Dei progenuit. Ea autem hora, qua eum Dominus vocauit & segregauit ex vtero matris suæ, cælesti prognostico designatus est. Manus enim quasi hominis, rubri nitoris, cælitùs missa, & ad ostium domûs extensa, ineffabili fulgore coruscare visa est. Quæ signaculo crucis ostium muniens, felici præfigurauit auspicio, quòd ille ad ortum procederet, qui cõstanti perseuerantia Christi crucem in suo corpore circunferret. Hominum autem multitudo, nouitate miraculi stupefacta, accurrens, inauditæ visionis prodigium, magnum diuinæ dispensationis fore mysterium asserebat. Cumque stupore magno, secundùm varios animi motus, opinionibus ambiguis fluctuarent, vna obstetricum de domo egrediens, infantem iam natum proclamat. Nato itaque puero & baptizato, Guthlacus vocatur, quod sonat bellidonum, vel bonum donum iuxta idioma Anglorum. A Deo donatus est parentibus suis, vt contra oppressores eorum bella gereret, ac de illis cum victoria titulos triumphales reportaret. Vel potiùs iuxta datum optimum donumque perfectum, descendẽs à patre luminum, contra spiritales nequitias pugnaret, & fortiter eas vinceret. Erat puer facie serenus, omnibus gratus & acceptus, vt animos hominum etiam solo adspectu sibi conciliaret ad gratiam & fauorem.

Aprilis 11.

Parentes S. Guthlaci.

Visio admiranda, dum nascitur.

Iacob. 1.

Cùm autem vigesimum & quartum ætatis attigisset annum, & sui generis inimicos inualuisse conspiceret, cœpit ad militares actus feruenter adspirare: decoratusque cingulo militari, & adiunctis sibi copijs militaribus, cœpit in hostiles populos immaniter sæuire, vrbes oppugnare, castella subuertere, ac de bellicis actibus inæstimabilis famæ titulos obtinere. Interìm in ipsa crudelitate armorũ hostibus suis misericors erat, eisque de rapinis & prædis tertiam partem refundebat. Tandèm diuino instinctu ad memoriam reuocabat exitus tristes & horrendos regum magnorumque principum, de quorum stirpe descenderat, & quòd pompa secularis fumus est, & vapor ad modicum parens. Cogitabat breues esse dies hominis, finem dubium, excessum è vita horribilẽ, iudicem terribilem, pœnam sine fine sempiternam. Vocatis itaque commilitonibus suis, ait: Hactenùs charissimi mei vanitatibus huius seculi ego militaui: deinceps Saluatori meo militare decreui. Eligite vos vobis ducem, cuius signa sequamini: ego enim sequor Dominicæ Crucis signum. Et cùm nullis precibus à sententia deduci posset, abiectis armis suis, Rependoniam venit, vbì erat monasterium insigne: & accepto clericalis tonsuræ charactere, monasticis disciplinis se mancipauit, & nihil omninò bibit, quod ebrietatis occasio esse posset. Psalmos autem & hymnos didicit, atque in scientia sanctarum scripturarum intra biennium mira facilitate profecit. Erat vultu iucundus, humilis gestu & incessu, opere religiosus & Deum timens, fide firmus, spe longanimis, charitate profusus, mansuetus & mitis, consilio prouidus, in verbis circunspectus.

Dat se militiæ in iuuẽtute.

Monasteriũ petit, posthabita militia.

Est verò in Britannia palus vasta & diffusa, quæ à Gronte flumine incipiens, diuersis nemoribus, stagnis, insulis, carectis, varijsque fluuialium viarum flexuosis anfractibus distincta, ab Austro sese porrigit vsque in Aquilonem tractu longissimo, vbi circa maris confinia suos habet limites. Eò, à fratribus impetrata venia, peruenit, didicitque ab incolis loci, insulam esse nomine Croulande, vbi quidam olìm habitare tentauerant, sed eos monstra eremi & laruales formæ dæmonum territos, in fugam compulerant. Scapha piscatoria in insulam vectus, terram horroris & vastæ solitudinis ingreditur in die S. Bartholomæi Apostoli: de cuius meritis specialiter confidens, solus habitare cœpit cum duobus iuuenibus, quos secum adduxerat: & ædificato modico tuguriolo, pellibus solùm crudis & rudibus pro indumentis vtebatur: pane hordeaceo & aqua lutu-

Insulã horridam ingreditur victurus solitarius.

lenta post solis semper occasum, cum maxima moderatione parsimoniæ, vescebatur. Inuidens igitur humani generis aduersarius humilitati viri Dei, adeò vehementem spiritum tentationis in eum immisit, quòd eum in desperationis foueam deuoluisset, nisi illum Dominus per B. Bartholomæi merita misericordiæ oculo respexisset. Animo itaque consternatus, & suprà, quàm credi potest, turbatus, fugere & desertum deserere disponebat. Sed B. apostolus Dei Bartholomæus visibiliter ei apparens, dixit: Confortare fili, & esto robustus: manum tuam misisti ad fortia: nō decet tanti propositi professorem modico tentationis turbine subuerti. Viriliter ergò age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum: qui etsi te tentari permittit, faciet tamen etiam cum tentatione prouentum. Impulsus euersus es vt caderes, sed ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua: & adiutus es. Etenim Dominus supponit manū suam. Vult Dominus tentari, quem diligit: ideò visitat eum diluculo, & subitò probat illū? Operatur equidem tentatio probationē, probatio verò spem: spes autem non confundit. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius & brachium ipsius in tempore tribulationis. Exhibe te fili, sicut Dei ministrum, in multa patientia. Si abundat pro Christo tribulatio tua, abundabit & per ipsum consolatio tua. Noli ergò de infirmitate tua timere: spiritus Dei est, qui adiuuat infirmitatem tuam. Si exurgat aduersùs te prælium, si castra dæmonum, iacta in eum cogitatū tuum: confide in eo, ipse enim est salus populi sui: ipse erit tibi turris fortitudinis à facie inimici. His & similibus dictis, apostolus ab oculis eius euanuit. Ipse verò cōfortatus est in Domino, & ab illo die spiritus desperationis nunquàm eum tentare ausus fuit.

In tentatione confirmatur per S. Bartholomæum. *Iob 7.* *Rom. 5.* *Ierem. 17.* *Rom. 8.*

Die quadam duo filij tenebrarum, transfigurantes se in angelos lucis, ei multa persuasionis instantia cœperunt consulere, vt continuè per hebdomadam ieiunaret, & hac via gradum summæ perfectionis attingeret. Biduana enim & triduana ieiunia reprobantes, proponebant ei ieiunium Moysi & Eliæ, atque intolerabiles abstinētias venerabilium Patrum, qui olìm conuersati fuère in Sceti. Erat verò is diabolicæ persuasionis scopus, vt ille prorsùs ab esu cessaret, sibiq; certum exitium diuturnitate ieiunij ascisceret. Cùm enim ieiunium regulam moderationis & discretionis excedit, subitò languet corpus, deficit spiritus, torpescit orationis affectus, tollitur operationis effectus, caligat contemplationis oculus. Intelligens autem Guthlacus diabolicę tentationis versutiàm, inuocata Christi virtute, psallebat: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. Itaque illis flebili vlulatu & mœstissimo planctu aërem implentibus, Guthlacus deincèps omnia diaboli tentamenta contempsit, eiusque suggestiones omnes conculcauit.

Fallax dæmonum cōsilium. *Ieiunij immoderati effectus.* *Psal. 67.*

Elapsis deindè paucis diebus, noctis intempestæ silentio irruit in eum infinita dęmonum multitudo. A terra vsque ad cælum totum aëris elementum implebatur præstigijs & larualibus dæmonum formis. Rapiunt autem eum monstrosi dæmones, extra cellam educunt, membra eius colligant, eumque in paludes cœnosas & profundas demergunt. Deindè indè absportantes, per loca asperrima & inextricabiles vepriuṁ densitates trahunt. Cumque pars noctis maxima adhuc superesset, vrgent verberibus & tormentis, vt insulam quamprimùm deserat, mortis supplicium ei terribiliter intentantes, si ab ipsorum ditione maturè non recedat. Ille autem minas eorum ducens pro nihilo, Christumque inuocans, cum Psalmista dicebat: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, nè commouear. Videntes autem spiritus maligni, se nihil proficere aduersùs constantiam eius, flagellis ferreis & horrendis alarum stridoribus illum torquent & cruciant, deniquè vsque ad nubes subuectum, in septentrionali cæli plaga constituunt. Cœpit autem tota cæli facies densa caligine obscurari, innumeraque dæmonum confluxit turba, qui arreptum, ad fauces inferorum mirum in modum excruciando, perducunt. Sanctus verò Guthlacus sentiens fœtorem gehennæ, & æstuantes ignis sulphurei globos, omnia, quæ passus fuerat, comparatione illius angustiæ, leuia putabat. Cernebat enim hinc gurgites igneos, indè torrentes grandine glaciali teterrimos, cælum terramque occupare: videbat non sine dolore & gemitu, inter sulphureos ignium vapores, inter fauillarum voragines, inauditos hominum cruciatus, ineffabilium facies tormentorum. Dæmones verò his, qui cruciabantur, horribiliter insultantes, quasi de viro Dei pro suo libitu triumphâssent, superbè & procaciter intonabant: Eccè, inquiunt, nobis traditus es ad cruciatus sempiternos: eccè his supplicijs & doloribus sine fine torqueberis, quia sedes nostras inuadere præsumpsisti. Ille autem patienter cuncta tolerans, dicebat: Domine

Infestatio dæmonum. *Psal. 15.* *Videt cruciatus inferorum.*

mine Deus meus, in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Cumque eum in illa tormenta se detrusuros sperarent, mox adfuit B. Bartholomæus apostolus, & cum eo lumen splendens admirabiliter. Cuius splendorē nequam spiritus ferre non valentes, fugam capessunt, & ab eius oculis penitùs euanescunt. Sed illis iussu Apostoli reuocatis, ab eodem apostolo seuerè iniungitur, vt nulla corpori eius molestia irrogata, reducant eum ad locum, vndè eum abduxerant. Quod cùm suauissimè facerent & sine eius molestia, auditus est chorus psallentium in excelso: Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Ità hostibus triumphatis, in loco habitationis suæ repositus, ex ipsa vexatione factus est humilior, feruentior, solicitior, fortior & cautior. Psal.7. Psal.83.

Dum circa matutinas laudes solicitus vice quadam excubaret, vidit à sinistris duos dæmones, ipsi cæteris notiores. Qui cùm miserabiliter flerent, & ille causam fletûs inquireret, responderunt: Quia præuales in omnibus cōtra nos, teq; attrectare aut contingere non audemus. Facto autem signo crucis, ab oculis eius euanuerunt. Quadam vice viro Dei contemplationi & orationi vacanti, vndiquè turbarum strepitus, & clamor quasi exercitûs irruentis auditur, (Illis enim diebus Britones Anglorum gentem hostili crudelitate vastabant) & cellam vir Dei egrediens & aures arrigens, audit quasi populum innumerabilē lingua Britannica, quam olìm iuuenis in exilio didicerat, loquentē. Demùm certatìm irruunt populi, & habitaculo eius ignem subijciunt, illumq; rapiunt, & acutis hastarum spiculis in aëra leuant, eiq; nunc igne, nunc ferro mortē intentant. Ipse verò dæmonum has esse illusiones intelligens, dixit: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: cumq; subiungeret: Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: tota illa horrenda multitudo cum suis illusionibus quasi fumus euanuit. Præstigiæ dæmonum. Psal.67.

Clericus quidam, nomine Bertelinus, sub institutione B. Guthlaci diuinis mancipatus obsequijs, Deo in spiritalibus exercitijs militabat. Videns ergò spiritus nequam, quòd virum Dei nulla posset tentatione subuertere, in hoc Bertelino prauæ cupiditatis tantū excitauit ardorē, vt domini & magistri sui ferro perimendi cogitationē susceperit: vt scilicet illo clàm è medio sublato, ipse sibi eius res atq; domicilium quasi iure quodā hæreditario vendicaret. At pius Christi seruus, quicquid Bertelini aduersùs eum moliretur iniquitas, spiritu sancto reuelante cognouit: illiq; ad se accersito, animi eius consilium & propositum perspicuè explicauit, nempe quandò, & vbi, & quarè, & qualiter facinus illud perpetrare decreuisset. Ille autem depræhensum se sentiens, pœnitentia ductus, pedibus viri Dei humiliter se prostrauit, veniā petijt & obtinuit: idemq; posteà B. Guthlaco fidelis admodùm fuit, & cum illo vsque ad finem vitæ eius permansit, illumque sepulturæ tradere meruit. Videt Bertelini cōtra se machinationes.

Nocte quadam cùm vir sanctus vigilijs & precibus deuotus insisteret, tota insula intremuit, infinita dæmonum multitudo, assumptis brutorū animantium formis, locum intrauit, & intrando circunquaq; concussit. Ingrediebantur domum innumeræ species bestiarum, leo rugiens, taurus mugiens, vrsus frendens, aper grunniens, lupus vlulans, equus hinniens, aries balans, asinus rudens, coluber sibilans: vnumquodque animal pro naturæ suæ facultate, dentibus, vel pedibus aut cornibus, minas & terrores intentans. Vir autem Dei, signo Crucis se muniens, dixit: Cur me tentas satana? Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos. Hæccíne est similitudo altissimi, quam tibi olìm vsurpare voluisti in delicijs paradisi? Qui tunc ad formam & similitudinem Dei per superbiam adspirabas, nunc viliter & turpiter in brutorum & immundorum animantium effigies te transformas. Certè pauperes Christi magno tuo malo persequeris: quia quanto grauiùs supra dorsum eorum fabricaueris, tanto splendidiores gloriæ coronas eis in tuam perniciē fabricabis. In quancunque autem speciem te transformes, certus sum, quia neque mors, neque vita, neque gladius, neque angelus, neque potestates, neque principatus, neque creatura aliqua poterit me separare à charitate Dei. His dictis, tota illa phantasia disparuit. Aliæ dæmonum vexationes & præstigiæ. Psa.54. Rom.8.

Ad sancti viri iussum hirundines & cæteræ aues eremi, pisces etiā stagni alacriter ad eum accesserunt: & quæ in ea solitudine erant feræ & syluestres animātes, mansuescebant. In primo hirundinum aduentu, cùm velutì blandè eum primò salutâssent, certa nidificandi loca singulis assignauit. Illæ verò eius scapulis familiariter insidentes, quodam gratulationis applausu sancti viri humanitatem prædicare videbantur. Cumque ab illo sciscitaretur vir quidam, vndè esset tanta illarum auium confidentia & intrepi- Aues & feræ mansuescūt

da apud ipsum habitatio, respondit: Qui toto corde fugit consortia hominum, ei non solùm feræ & volucres, sed cætera quoquè omnia solatio sunt, atque insupèr nunquàm ei blanda deerit consolatio angelorum.

Ethelbaldus rex. Ethelbaldus quidam de genere Merciorum, spectata nobilitate fuit. Aduersùs hunc cùm inualesceret rex Conredus, cumque à regni sui finibus prorsùs exturbaret, omni humano solatio destitutus, virum Dei Guthlacum crebrò visitauit, sperans eius meritis à Deo suæ calamitatis se impetraturum leuamẽtum. Eius autem angores per commiserationis affectum vir sanctus non solùm cum illo cõmunes habere voluit, sed quasi proprias sibi fecit. Euenit interìm, vt idem Ethelbaldus cum venerabili viro Vuilfrido nauigio veniret in insulam: cumq; de scapha exirent, Vuilfridus duas manicas in scapha reliquit. Porrò B. Guthlacus, dum in oratorio contemplationi vacaret, spiritu sancto docente, cognouit eas manicas à coruis absportari. Quod cùm viris illis indicâsset, vident coruum in fastigio cuiusdam domûs vnam ex ijs manicis tenentẽ, pedibusq; & rostro vellentem. Præcipiente autem viro Dei, relicta manica, coruus citiùs auolauit. Qua recepta, Guthlacus alteram quoquè sine dilatione restitutum iri pollicetur. Nec mora, tribus viris aduentantibus sanctus Guthlacus occurrit, qui manicam repertam ei obtulerunt: eamque ille receptam Vuilfrido non parùm admiranti tradidit.

Dæmoniacus valdè sæuus curatur. In orientalium Anglorum finibus iuuenis quidam obsessus, intantùm à dæmone vexabatur, vt lignis & lapidibus ferroque homines appeteret, suaque membra dẽtibus & vnguibus laniaret, atque etiam tres homines, cùm illi eum ligare tentâssent, interfecerit. Circunductus ille fuit ab amicis ad multa sanctorũ loca, sed casso labore. Tandèm ad B. Guthlacum eum adducunt, isque triduo in ieiunio & precibus perseuerans, atq; aqua hominem adspergens, omnem maligni dæmonis potestatem ab eo exclusit, & parentibus sanum atque incolumem restituit.

Item alius. Nobilis quidam, Ethelbaldi exulis, cuius paulò antè meminimus, comes, à dæmone vexatus & viro Dei oblatus, postquàm illius zona accinctus fuit, omni maligni spiritus vexatione ilicò est absolutus. Cùm Abbas quidam virum Dei visitare vellet, duo eius clerici copiam sibi ab eo fieri petièrunt ob certa quædam negocia, quibus expediẽdis fingebant se necessariò coràm interesse oportere. Abeunt igitur ad domũ cuiusdam viduæ, & crapulæ, ebrietati atque impudicitiæ sceleratè indulgent. Guthlacus interìm Abbati, spiritu sancto reuelante, illorum flagitia, dictaque & facta tam luculẽter exponit, acsi illis præsens adesset. Reuersus indè Abbas ad monasterium, nomen viduæ clericis expressit, locum, tempus, dicta, facta, omnesque circunstantias ità distinctè explicauit, vt illi pudefacti, veniam ab eo humiliter postulârint.

Videt in spiritu absentiũ flagitia.

De quodam monasterio duo fratres ad visitandum virum Dei & verba salutis audienda venientes, detulerunt secum duas lagunculas potu plenas: eas verò in itinere in arena deposuerunt, cespitibus eas operientes, vt in reditu ab illis laboris aliquod solatium captarent. Cùm autem B. Guthlacus cælestis verbi pabulum illis ministrâsset, quadam materia sese offerente, subridendo dixit: Quarè filioli mei non adduxistis vobiscum lagunculas, quas sabulo infossas, cespite operuistis? His illi auditis, obstupefacti pariter & pudore suffusi, culpam suam fatentur, veniamque petũt. Omnes sanè morbis affecti, à maligno spiritu vexati, angoribus correpti, vel peccatorum sarcinis pressi, si ad virum Dei venissent: de afflictione solatium, in ambiguis consilium, de doloribus gaudium, de peccatis remedia reportabant.

Quidam supradicti Ethelbaldi comes, cùm pedem haberet spina transfixum, à planta pedis vsque ad renes tanto tumore cœpit inflari, vt vitam eius, quotquot eius miseriam essent intuiti, desperare possent. Porrò B. Guthlacus exuens cilicium, in quo solebat orare, ipsum illo circundedit, dictoque citiùs spina è pede resiliente, tumor in momento subsedit, & dolor omnis sopitus est.

Nota vim cilicij sancti viri.

Quidam episcopus, Hedda nomine, cùm iret ad Guthlacum videndum, eiusque clerici austeritatem vitæ viri Dei & humilitatem commendârent, Vuilfridus quidam breuì se cogniturum dixit, num talis esset, qualem eum fama prædicaret: Ego, inquit, diù vixi apud Scotos, vidique illic pseudoanachoretas, simulatè sanctitatis speciem præ se ferentes: nôui etiam alios sanctæ religionis verissimos professores. Vsu ergò & experientia sciam discernere, postquàm Guthlacum videro, num in veritate ambulet, num sit talis opere, qualem eum fama commendat. Cùm ergò episcopus ad virum Dei venisset, & se mutuò salutâssent, multaq; de sacro eloquio contulissent: respiciens Guthlacus clericum illum, Frater, inquit, Vuilfride, quid tibi nunc videtur de homine isto, quem

Prodit absentis verba.

quem te hodiè iudicaturum herì promisisti? Ille rubore suffusus & admiratione, in terram humiliter se prostrauit, veniam petijt & obtinuit. Episcopus verò Guthlacum ad sacerdotij gradum promouit, effecitque vt Guthlacus, quod à suæ conuersionis initio propter nullum hominem facere vnquàm voluit, inuitus & compulsus cum ipso in mensa discumberet. *Fit presbyter.*

Per id tempus virgo quædam Edburga, filia regis Adulphi, virginum Deo sacratarum venerabilis Abbatissa, plumbeum sarcophagum linteumque delicatum intùs inuolutum B. Guthlaco deuotè transmisit, humiliter & obnixè rogans, vt in die obitûs sui se in illo permitteret sepeliri: simul etiam cum ingenti affectu eum deprecans, vt quis ei esset in illa solitudine successurus, ipsi prædicere dignaretur. At vir sanctus tandem oblatū munus ægrè suscipiens, sanctæ virgini renunciauit, illum etiamnùm ethnicum esse, qui ei esset successor futurus, breui autem baptizatum iri. quod quidem ità factum est. Quidam enim, Cissa nomine, post B. Guthlaci decessum è vita, fidem Christi suscepit, & eius meruit esse successor. *Prædicit, quem sit habiturus successorem.*

Videns autem B. Guthlacus Ethelbaldum diuturnitate exilij fractum, & prorsùs animo consternatum, salutaribus monitis studuit eum à desperationis lapsu erigere, ità dicens: Noli fili charissime de Christi benignitate diffidere. Si tibi Dominus ad tempus abstulit res & facultates tuas, ad salutem tuam id ille tibi cedere faciet. Cælestis nanque medicus non semper dulces, sed interdùm etiam amaras porrigit potiones. Si te castigauit Dominus, feras id patienter. Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum: bonus est Dominus sperantibus in se. Scito quia oraui pro te, & in proximo est, vt faciat Dominus de persequentibus te iudicium, non in arcu nec in gladio, sed in Dei virtute: non in sudoribus bellicis, sed in lachrymis & orationibus meis, quas tibi condolens, in conspectu præpotentis Dei effudi. Obtinebis regni tui solium & gloriam. Morietur propedièm is, qui te persequitur, & superbia eorum, qui te oderunt, ad nihilum deueniet tanquàm aqua decurrens. Tu verò, cùm benefecerit tibi Deus, noli esse ingratus. *Eius alia prophetia.*

Appropinquante verò die obitûs sui, vocauit ad se Bertelinum, cuius suprà est mentio habita, dixitque ei: Ad laborum meorum, fili, stipendia vado: bonum est mihi dissolui & esse cum Christo. Deindè post multos sermones iniunxit ei, vt sororem ipsius Pegam officiosè salutaret, rogaretque eam, vt corpus eius sepeliret. Idcircò enim, inquit, vitaui adspectum eius in hac vita, vt in æterna nos inuicèm videamus. Ait autem ad eum discipulus eius: Adiuro te pater per misericordiam Christi, vt mihi apertiùs reuelare digneris, quid sit, quòd ab ea die, qua primùm tibi cohabitare cœpi, quotidiè manè & vesperè te cum alio loquentem, mutuosque sermones audiui, nec tamen scire potui, cum quo verba misceres. Respondit vir sanctus: Instat fili charissime ille nouissimus mihi dies, nec mentiri expedit, cùm etiam à prima conuersione mea semper omne mendacium deuitârim. Noueris igitur, posteaquàm ad hanc me eremum contuli, semper manè & vesperè angelum me meæ consolationis habuisse, qui labores & tentationes meas cælesti solatio releuabat, prædicebat futura, indicabat absentia: arcana cælestia, quæ nec licet nec expedit mihi loqui, reuelabat. Hæc autem fili silentio tego, nec attentes ea cuiquam mortalium, nisi sorori meæ Pegæ & Egberto anachoretæ, vllo vnquàm tempore aperire. Cumque hæc & plura alia dixisset, tanta de ore eius suauitas prorupit, vt viderentur ibi sparsi rosarum flores, aut effusus balsami liquor. *Angelus quotidiè ei locutus est, in eremo degenti.*

A media quoquè nocte vsque ad auroram, totam domum candor lucis inæstimabilis circumfulsit. Oriente verò luce, dixit ad discipulum suum Bertelinum: Tempus est fili, vt ad Christum transeam. & extensis ad cælum oculis & manibus, tertio Idus Aprilis obdormiuit in Domino. Vidit autem frater ille Bertelinus quasi turrem igneam, à terra vsque ad cælum erectam, cuius tanta erat claritas, vt eius comparatione solaris splendor pallescere videretur. Veniens deindè ad insulam B. Pega virgo, soror viri Dei, sentit totam habitationem suprà omnem fragrantiam incomparabili odoris suauitate completam: humatoque S. Guthlaco in eius oratorio, ad propria remeauit. *Migrat ad Dominum.*

Vicesimo & quarto ætatis suæ anno, vt suprà dictum est, vir sanctus militiæ se dedit, & octo annis in ea ferocitate & vanitate permansit: porrò quindecim annis in solitudine vitam Deo placentē duxit. Elapso verò post obitum eius anni circulo, cùm soror eius vnà cum religiosis presbyteris corpus sacrum decentiùs collocare vellet, idem

Corpus eius post obitũ integrũ inuentum.

corpus omninò integrum & incorruptum, dormienti quàm mortuo similius, inuentum est. Brachia enim & digiti ità flecti & duci poterant, quasi humores agente spiritu per venas excurrerent, neruique eius ex morte nihil pristini vigoris & viuacitatis amisissent. Vestes quoquè omnes, quibus fuerat inuolutus, prorsùs inuiolatæ, pristino candore nitebant. Corpus autem super terram in tumulo cum magna exultatione repositum est. Audito verò obitu sancti viri, Ethelbaldus exul nimio dolore correptus, cum multis lachrymis venit ad sepulcrum viri Dei, dicens: O mi pater, ego infelix exul quò ibo? quid faciam? quò me vertam? Nunc demùm me verè exulem & miserum agnosco. Nè deseras pater Guthlace hunc desertum, hunc exulem & abiectum, filium doloris, vagum & profugum, expositum periculis & tormentis. His & multis alijs cum gemitu & planctu dictis, cùm iam bona pars noctis abscessisset, vidit oratorium circunfusi luminis splendore mirabiliter irradiatum, beatumque Guthlacum cælesti claritate fulgentem, & hæc verba ipsi dicentem: Fili charissime, Dominus te respexit: confide & confortare, quia intra biennium labores tui finem habebunt, recuperabisque cum honore & gloria regnum tuum. Cumque vir sanctus longitudinẽ dierum, vitæ extremum terminum & alia euentura illi quasi digito indicâsset, illeque signum expeteret, addidit sanctus: Signum hoc & indicium tibi sit, quòd die crastino ante horam tertiam habitatores huius loci præter spem magna alimentorum copia gaudebunt. Id cùm Ethelbaldus impletum videret, animum priùs vacillantem, spe & fiducia confirmauit. Nec mora: Deus persecutorem eius tulit è medio, hostes illius profligauit, & ante biennij finem regia illi dignitas & potestas integrè est restituta.

S Guthlacus apparet Ethelbaldo

Miracula ad sepulcrũ eius.

Cœpit autem locus, vbi conditus est B. Guthlacus, innumeris coruscare miraculis. Quotquot enim in fide Christi & erga sanctum confessorem reuerentia in suis necessitatibus remedia popoſcerunt, non sunt voto fraudati suo. Concessit autem Ethelbaldus rex, sicut viuenti Guthlaco promiserat, vt eius insulæ absoluta, libera & tranquilla possessione sancti viri successores fruerentur. Adiecit verò etiam regia munificentia, vt iure perpetuo & inconcussa possessione obtinerent quinque milliaria regionis illius ad Orientem, id est, vsque ad fossam, quæ vocatur Asendyck, & tria ad Occidentem, itemque quinque ad Austrum, & ad Aquilonem totidem. Atque loca hæc omnia ab omni exactione & consuetudine seculari prorsùs exemit, plenamque in omnibus libertatem sigillo regali in episcoporum & procerum pręsentia confirmauit. Et quia locus erat palustris & minimè solida humus, nec lateritiarum structurarum molem sustinere posset, ingentes palos quernos in humum adigi iussit, terramque solidam à nouem milliaribus nauigio aduehendam curauit: atque ità fundamento vsus materiato, ecclesiam inchoauit, & monachorum conuentum instituit, locumque augens beneficijs, ædificijs & ornamentis, vsque ad diem obitûs sui ab illius cœnobij veneratione, defensione & promotione non cessauit. Floruit S. Guthlacus circa annum salutis septingentesimum & sextum.

Ethelbaldus rex construit monasterium.

VITA S. GODEBERTÆ VIRGINIS, PER F. LAVR. SVRIVM EX MS. CODICE STYLO *suo descripta. Authoris nomen nescitur, sed est fide dignus.*

PRAEFATIVNCVLA.



Honor sanctorum redundat in Deum.

Diem hunc insignem egregiæ virginis Godebertæ, fratres charissimi, solenniter celebraturi, eam cui sacrata est, ità vt par est, obnixè deprecemur, vt quicquid in eius laudem dixerimus, id ipsa impetrante, cedat in gloriam Dei. Pro certo enim habendum est, eos qui sanctos Dei quoquo modo venerantur, hoc ipso Dei maiestatem, cuius gratia tam sunt veneratione digni, non mediocri honore afficere. Ad eius gloriam paucis explicemus, insignis hæc virgo vbi nata sit, quemadmodùm Deo in hac vita seruierit, quæ per eam Deus effecerit miracula, & quo fine decesserit ex hoc mundo.

VITAE

VITAE HISTORIA.



Ata est virgo Godeberta ex parentibus Christianis in pago Ambianensi. Cumque baptizata esset & creuisset, sanctæ fidei institutiones vndecunquè poterat libenter excipiebat, & reuerenter exequebatur. Sentiens autem se mortis conditioni obnoxiam, etiam in tenera ætate sanctæ crucis signo se communiebat, sanctorumque precibus noctu diuque sese humilimè commendabat: lasciuarum adolescentularum vitabat conuentus, probis & honestis libenter se adiungebat, easque studiosè imitabatur. Audierat enim corrumpi bonos mores colloquijs prauis, & cum sanctis fieri nos sanctos, cum peruersis peruerti. Aprilis 11. Cap. 1. Patria S. Godebertę. 1. Cor. 15. Psal. 17.

Porrò à parentibus accuratè educata, cùm ad nubiles peruenisset annos, permulti nobiles eam ex nobilibus nobiliter natam sibi sponsam expetebant. Parentes autem eius cùm essent regis beneficiarij, non audebant inconsulto rege cuiquam eam in matrimonium collocare. Cùm autem apud regem Clotarium hęc res ageretur, omnesq; ad regis voluntatem animis intenderent, in medium illorum non sine nutu Dei beatus Eligius se ingessit, & virginem illam aureo suo annulo tanquàm arrhabone Christo sponsam coram rege & parentibus eius fidentissimè despondit & dedicauit. Eccè autem ineffabilem sanctispiritus gratiam. Confestim puella, diuino iam, vt pòst patuit, amore grauida, spreta omni carnis voluptate, posthabita sobolis propagatione, calcatis vitæ puellaris illecebris, regi & parentibus constanter valefecit, seque beatissimo præsuli Eligio Christo consecrandam grato animo commendauit. Regebat tum ille vir sanctissimus Nouiomensem ecclesiam, eiusque doctrina & exemplis multi ab errore conuersi, abiecto dæmonum cultu, fidem catholicam gratulabundi complectebantur. Eum igitur Godeberta spiritalem sibi patrem eligens, coram rege & principibus parentum persuasiones liberrimè reiecit, & eum absque vlla mora secuta est. Ea autem res tam inopinata omnibus stuporem attulit: porrò eius pater illachrymans, amanter eam contemplabatur: rex Clotarius videns tam subitam nuptiarum mutationem, non parùm admirabatur diuinæ potentiæ virtutem. Vt autem virginis illius precibus apud Dominum adiuuaretur, promptam animi eius deuotionem primus ipse regia munificentia confirmare volens, assentientibus illis, qui aderant, cum oratorio S. Georgij, quod Nouiomi habebat, suum ei dedit palatium, addens duas villas ex fisco regali, cum duodecim fœminis, quæ illius regimine continerentur. Cap. 2. Christo desponderur. S. Eligij encomion. Clotarius rex plurima largitur S. Godebertę.

Itaque conuenientes in eo oratorio, quod erat in Nouiomensis oppidi suburbijs, die ac nocte Deo indefessis animis seruiebant: & ipsa quidem Godeberta virgo, à sancto Eligio edocta, cum ipsa commorantes non verbis tantùm, sed etiam multiuarijs virtutum exemplis instituebat. Hominum enim secularium consortia deuitans, biduana & triduana continuabat ieiunia, esurientibus cibum, sitientibus potum, nudis vestimenta, cùm ipsa interim his omnibus indigeret, studiosè ministrabat: pernox in precibus, pro omnium salute assiduè Dominum deprecabatur, his & id genus alijs exercitijs gratum se Domino holocaustum quotidiè immolans. Tantam verò eius constantiam pius Dominus considerans, virtutem eius & animi deuotionem omnibus palàm declarare voluit. Crebra nanque propter eius preces efficiebat miracula, cæcis visum, claudis gressum, paralyticis sanitatem restituens: quodque his maius est, eius adhortationibus non rarò infideles ad fidem traducens. Cap. 3. Virtutes S. Godebertę. Miracula.

Accidit aliquandò, vt propter populi peccata apud Nouiomenses pestis sæuissima grassaretur. Fugiebant autem, quicunque poterant. Porrò maxima parte subtractis habitatoribus, vacuæ in vrbe domus non paucæ relictæ erant, & quod est miserabilius, cunctis eam luem formidantibus, inhumata mortuorum corpora proijciebantur. Si quis enim aliquem sepeliret, mox ipse sepeliendus efferebatur. In tanta ergò vrbis eius vastitate & calamitate, beata Godeberta ciuium miserata dolores, triduanum eos suscipere ieiunium admonuit, in preces quoquè cum lachrymis incumbere, præstare eleemosynas, vt Domini indignatio ab eis auerteretur. Proponebat eis salutarem Niniuitarum pœnitentiam, quòd cinere & cilicio, precibus & ieiunijs se affligentes, diuinæ maledictionis iam ceruicibus illorum impendentem sententiam amouissent. Proponebat item exempla Dauidis, Cap. 4. Ionæ 3.

Petri Apostoli, Mariæ peccatricis, & latronis in cruce, vt lachrymis pœnitentiæ Deum sibi conciliârint. His sermonibus virginis animati ciues, cum ingenti deuotione triduanum illud suscepêre ieiunium, moxque meritis & intercessionibus eius pestem illam à se depulerunt.

Sæuissima pestis sopitur.

Cap.5. Paucis pòst diebus sancta virgo ob nimiam teneri corpusculi macerationem in molestissimum morbum incidit. Solet non rarò accidere, vt qui solitam victûs rationem mutant, vel lenta tabe consumantur, vel subitò corrumpantur. Iacebat ergò virgo in lectulo, sed toto mentis desiderio Dominum suspirabat: graui quidem corpore, at mente alacris, in Dei laudibus iugiter perseuerabat. Accidit tum, vt apud summam beatissimæ Mariæ virginis ædem inopinatum erumperet incendium, & eius repentino discursu totius ecclesiæ ornamenta omnia absumerentur, flammaque longè latèque peruagata, omnia voraret. Cumque vim eius ferre nemo posset, omnes fuga sibi consulebant, beatissimæ Mariæ principalem ædem Deo committentes. Perturbata hoc nuncio virgo Godeberta, tametsi decumbebat grauissimè, at tamen iussit se in sede efferri, & sæuientibus flammis fidenter opponi. Deposita igitur in ipsa penè flammarum voragine, cùm multi iam eius vitam desperarent, sanctę Crucis signum, quod cunctis in periculis saluberrimum nouerat, fidentissimè opposuit, & statim ignis extinctus est.

S.Crucis signo profligat incendium.

Cap.6. Cæca quædam, Transirica nomine, ad sanctam virginem accessit, orans, vt pia eius intercessione amissum ab infantia lumen ipsi restitueretur. Ea igitur flente & orante Godebertam, virgo sancta, cùm priùs rogâsset Dominum, oculis eius imposuit manum suam, crucisq; signo leniter expresso, obtinuit ei id quod petebat. Illa verò non solùm corporis sed etiam animi lumine recuperato, toto vitæ suæ tempore permansit apud Godebertam. Sed quemadmodùm hæc pro deuotione recepit lumen, itá Vulgudis quædam pro inobedientia à beata Godeberta perpetua cæcitate mulctata est. Cùm enim Deo se in sanctæ Godebertæ monasterio Vulgudis hæc deuouisset, valdè erat impatiens, contentiosè & irreuerenter se gerens erga alias. Sæpiùs autem castigata à sancta virgine, etiam aduersùs ipsam tumultuare & rixari non verebatur, turpia nimìs & maledica coram ipsa verba euomens. Cernens ergò Godeberta corrigi illam non posse, sed semper obstrepere atque calcitare, die quodam in eius turpia vomentis faciem admodùm commota expuit, & confestim illa oculorum orbata luce, quoàd vixit, cæca permansit.

Cęcæ visum impetrat.

Cap.7. His atque alijs miraculis virgo iam vbiquè celeberrima habebatur, atque etiam ex longinquis regionibus multi ad eam ægri confluebant, quibus ipsa suis precibus à Domino sanitatem impetrabat. Potest autem intelligi ex ijs, quæ comperta sunt, sanctæ virginis miraculis, multa alia eam perpetrâsse, quæ in obliuionem abierunt. Tandèm videns Dominus animum eius in sanctæ religionis proposito firmum & immotum, nè qua malitia mutaret cor eius, de terrestribus ad cælestia eam euocauit, & de labore transtulit ad requiem sempiternam, vbi iam cum sanctis virginibus fruitur cælestis paradisi amœnitate, & pro nostris peccatis, coniuncta Deo, absque intermissione Dominum deprecatur. Humatum est corpus eius tertio Idus Aprilis in beati Georgij oratorio, in æde, quæ nunc sanctorum Apostolorum dicitur, vbi etiam corpus sancti Mommoleni, eiusdem vrbis Episcopi, honorificè conditum est. Multa illic eius intercessione malè valentibus & egenis præstantur beneficia ad laudem & gloriam nominis DEI, cuius honor & imperium durat per infinita secula, Amen.

Eius multa miracula.

Abit in cælos.

Cap.8. Nè quis verò dubitet virginem sanctissimam cælesti remuneratione affectam, quædam ad eius monumentum declarata miracula huc adscribemus. Agildrudis quædam ab infantia cæca, vbi audiuit celeberrimam Godebertæ famam, non sine multa difficultate Nouiomum venit: cumq; ingressa esset oratorium, vbi virgo quiescebat, petijt se ad eius sepulcrum perduci. Ibi tum cum multis lachrymis & gemitibus orans humì prostrata, sanctæ virginis precibus lumen recepit, atque eodem loco cum alijs monasticam duxit vitam, hoc ipso declarans, se etiam mentis oculis cæleste hausisse lumen. Audemia paralysi dissoluta, ex pago Rangia eò deportata, suis pedibus domum redijt incolumis. Gislegardis item cæca à primis ætatis initijs, Godebertæ precibus solis huius lucem aspexit, destillante ab eius oculis albugine, quæ ab incunabulis eos obsederat. Imperia quoquè (sic enim fœmina vocabatur) toto ferè corpore præmortua, in lectulo tanquàm abortus iacebat. Vbì fama vulgante didicit miracula, quæ à Gode-

Miracula ad sepulcrũ eius.

Cæca recipit lumen.

à Godeberta fiebant, petijt se ad eius tumulum adduci. Eò perlata, & iuxta sepulcrum deposita, instanter petijt à Domino per eam sibi subueniri. Erumpebant à pectore suspiria, ab oculis lachrymæ, ab ore non tam verba, quæ formare perfectè non poterat, quàm vlulatus. Et ecce repentè euanescit paralysis, vident oculi, patescunt aures, lingua laxatur in voces, abit domum incolumis Imperia, gratias agens Deo & sanctæ virgini Godebertæ.

Iam verò redibat anniuersarius migrationis eius dies: nec dici satis potest, qua exultatione à fidelibus exceptus, qua deuotione celebratus sit. Videre licebat vndiquè concurrentem turbam promiscui sexûs, clericos, monachos, virgines vno animi parique consensu sanctæ virginis concelebrare memoriam. Peracto autē solenni Missarum officio, post multiplices Deo & sanctæ Godebertæ redditas gratiarum actiones, omnes abscedunt, custodes quoquè templi, omnibus ferè extinctis luminaribus, clausisque ostijs, cibum sumpturi domum se conferunt. A prandio complures, vt gratias agant, redeunt ad templum, aperiunt fores, & eccè lampades & cereos, quos extinxerant, diuinitùs accensos conspiciunt. Erumpunt omnes in laudem Dei, concurrunt ad sanctæ virginis oratorium, vna cernitur omnium deuotio & ingens gaudium pro tam stupendo miraculo. Adiungitur aliud præclarius. Lampades enim & cerei sic accensi, absque aliqua olei vel ceræ diminutione septem indè sequentibus diebus, teste omni populo illo, mirabiliter arserunt. Curatus est ab eadem virgine etiam Gregorius paralyticus, penè iam exanimis: curatus est Harneus cæcus: facta sunt alia permulta miracula. Nos iam, dilectissimi, in vera confessione & minimè simulata pœnitentia, multisque precibus faciem Domini præueniamus, vt virginis huius sanctissimæ meritis perueniamus ad vitam sempiternam: præstante Domino nostro IESV Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Cap. 9.
Celebratur anniuersarius dies eius.
Insigne miraculum.
Item aliud.

SANCTI SABÆ GOTTHI VITA ET MARTYRIVM, CONSCRIPTA AB ECCLESIA GOTTHIÆ. *Habetur autem in Simeone Metaphraste.*



Cclesia Dei, quæ est in Gotthia, Ecclesiæ Dei, quæ est in Cappadocia, & omnibus Ecclesiæ Catholicæ Christianis, vbiquè gentium habitantibus, misericordia, pax & charitas Dei patris & Domini nostri Iesu Christi impleatur. Quod à beato Petro dictum est: In omni gēte, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est ei: nunc etiam verum esse declaratur. Hoc enim in beato Saba confirmatum est, qui est martyr Dei & Domini nostri Iesu Christi. Cùm enim genere Gotthus esset, & in Gotthia in medio generationis prauæ atque peruersæ vitam ageret, ità viros imitatus est sanctos, & cum ipsis omni genere virtutum Christum coluit, vt in mundo tanquàm stella fulgeret. Iam indè enim ab ipsa infantia Domini nostri Iesu Christi religionem complexus, eam virtutem perfectam existimauit, vt in filij Dei cognitione in virum perfectum euaderet. Verùm quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, strenuè aduersùs hostem pugnans, & huius vitæ malis superior existens, atque pacem cum omnibus habens, ad supernæ vocationis brauium peruenit.

Memoriæ igitur & ædificationis piorum gratia, nos, posteaquàm is in Domino conquieuit, tacere & quiescere nequaquàm permittimur: sed ad præclara ipsius facta conscribenda impellimur. Fuit enim fide rectus, religiosus, ad obediendum in omni iustitia promptus, mitis, imperitus sermone, non autem scientia, cum omnibus pacificus, pro veritate loquens, os idololatris obstruens: non superbus, sed (quod humiles decet) subiectus: quietus, non autem petulans in loquendo: ad omne opus bonum propensissimus: psallens in Ecclesia, eiusque magnam curam gerens: pecuniam possessionesque despiciens, nisi quatenùs necessitas exigebat: sobrius, omnibus in rebus continens, à fœminarum abhorrens consuetudine, precationibus & ieiunijs quotidiè incumbens, ab inani gloria alienus, omnes ad rectè viuendum incitans, quæ ex virtute atque officio sunt, exequens, fugiensque contraria: integram deniquè fidem, quæ per dilectionem operatur, obseruans, ac nunquàm desinens in Domino cum libertate loqui. Neque enim semel, sed sæpè, antequàm pro fide martyrio coronaretur, re ipsa seipsum veræ pietatis acerrimum defensorem ostendit.

12. Aprilis.
Act. 10.
Genus S. Sabæ.
Rom. 8.
Viri sancti virtutes & exercitia.
Gal. 5.

Cùm

Cùm enim Gotthiæ principes & magistratus cœpissent Christianos homines insectari, & cogere vt ederent ea, quæ essent idolis immolata, & Gentiles quidam consiliū illud iniissent, vt Christianis propinquis suis prò immolatis, quę immolata nō essent, proponerent, quô propinquos suos seruarent, persecutoresq; deciperent: re cognita, beatus Sabas non solùm ipse comedere cibos vetitos recusauit, sed in medium prodiens, protestatus est omnibus: Si quis, inquiens, ex carnibus illis comederit, Christianus esse non potest. Atque ità cauit, nè omnes in diaboli laqueum inciderent. Hac de causa, qui fraudem hanc moliebantur, eum ex illo vico expulerunt: sed posteà reuocârunt. Cæterùm cùm rursùs mota esset persecutio, quidam ex eiusdem vici gentilibus victimas dæmonibus offerentes, iureiurando volebant affirmare, neminem in vico suo Christianum hominem reperiri. Verùm Sabas cum fiducia iterùm in medium prodiens, & ad consessum illorum accedens: Nemo, inquit, pro me iuret: ego enim Christianus sum. Deniquè, instante persecutore, prædicti Gentiles, celatis propinquis suis, iurârunt, non esse in vico suo, nisi vnum Christianum. Quo audito, Princeps iniquitatis iussit, vnum illum (hic autem erat beatus Sabas) adduci. Et cùm esset adductus, ex ijs, qui circunstabant, quæsiuit, quid ille haberet in bonis. Cumque respondissent, nihil ampliùs, quàm id, quo erat indutus, contempsit eum vir iniquus: Neque prodesse, qui eiusmodi est, inquiens, nec obesse potest. Atque ita locutus, iussit eum extrudi.

Syncerітas sancti viri.

Mortis & pœnarum contēptus.

Contemnitur à iudice propter paupertatem.

Pòst autem cùm ingens rursùm in Gotthia à peccatoribus persecutio moueretur, & sanctus Paschæ dies appropinquaret, ad aliud oppidum voluit proficisci, vt cum Guttica presbytero sanctum illum diem celebraret. Sed iter facienti vir illi magnus, adspectuque splendido apparuit, & dixit ei: Reuertere, & vade ad Sansalam presbyterum. Sabas autem respondit: Abest, inquiens, Sansalas. Fugerat enim propter persecutionem, & in Romania commorabatur: sed tunc propter diem Paschæ domū redierat. Quamobrèm Sabas, cùm eius reditum ignoraret, ità responderat, & ad Gutticam presbyterum ire contendebat. Verùm cùm mandato illius magni viri à se conspecti parere nollet, repentè cùm serenum tunc esset, magna niuis copia terræ faciem sic occupauit, vt iter intercluderetur, & Sabas progredi non posset. Intellexit igitur se Dei voluntate ab itinere prohiberi, iubentis, vt ad Sansalam presbyterum se conferret. Quarè Deo gratias agens, reuersus est: & cum gaudio Sansalam conueniens, narrauit ei & alijs compluribus id, quod in via perspexerat. Simul igitur Paschæ diem celebrârunt. Cæterùm tertia post celebrationem nocte eccè ex impiorum decreto Atharidus, Rhotesti reguli filius, cum magna impiorum latronum manu in pagum irruit: & cùm domi suæ Presbyterum dormientem offendisset, eum vinciri iussit simul cum Saba, quem è lectulo nudum sustulerant. Ac Presbyterum quidem in curru collocârunt: Sabam autem nudum, vt erat genitus, per spinas, quas repentè inciderant, pertraxerunt comprimentes eum, & fustibus ac flagellis verberantes: adeò erant aduersùs Dei seruos immites ac sæui.

Rapitur nudus è lectulo, & dirè affligitur.

Sed hostium crudelitas viri iusti patientiam ac fidem exercuit. Cùm enim dies aduenisset, in Domino glorians, persecutores suos allocutus est ad hunc modum: Nónne me per loca aspera & spinosa nudum & sine calceis pertraxistis? Cernite, an pedes mei læsi sint: vtrùm in corpore meo appareant verberum signa, quæ mihi inflixistis. Videntes illi nullum in eius carne vestigium extare crudelitatis suæ, sublatum axem super humeros eius imposuerunt, & ad extremas axis partes manus ipsius extenderunt, pedesque similiter ad alterum axem alligârunt: & deniquè super axes ipsum proijcientes, vt humì supinus iaceret, effecerunt: nec priùs eum torquere destiterunt, quàm maxima noctis pars præterijsset. Verùm, ministris dormientibus, mulier accessit, & soluit eum. Nocte enim excitata fuerat, vt domesticis cibum pararet. Ille verò solutus, eodem in loco mansit intrepidus cum muliere, & eam adiuuabat. Sed posteaquàm illuxit, re cognita, crudelis Atharidus manus eius vinciri iussit, eumque ad trabem domûs suspendi. Nec multò pòst venerunt quidam ab Atharido missi, & cibos idolis immolatos attulerunt, sic Presbyterum & Sabam alloquentes: Hæc vobis magnus Atharidus mittit, vt comedatis, & animas vestras à morte liberetis. Hæc nos, respondit Presbyter, non edimus. neque enim nobis licet. Quamobrèm Atharidum cohortamini, vt nos potiùs iubeat crucifigi, aut alio genere mortis interfici. Beatus autem Sabas: Quis, inquit, hæc misit? Responderunt: Dominus Atharidus. Vnus, inquit Sabas, est Dominus Deus, qui in cælis est. Impuri & profani sunt isti perditionis cibi, quemadmodùm & Atharidus ipse, à quo missi sunt. Ità loquente Saba, vnus è seruis Atharidi ira inflammatus, vas in sancti viri pectus coniecit tanto cum impetu, vt omnes, qui aderant, crederent eum

Crudele supplicium.

Item aliud.

statim

ſtatìm interiturum. Verùm ille pietatis ſtudio vulneris dolorem ſuperans: Nunc, inquit, miniſter, arbitraris ictu me tuo ſuſtuliſſe? Sed ità habeto, me adeò non doluiſſe, vt mihi videaris lanæ vellus in me conieciſſe. Cuius rei perſpicuum illud indicium fuit, quòd nec exclamauit, neque, vt in dolore fieri ſolet, ingemuit, neque vllum in eius corpore plagæ veſtigium apparuit. Non ſentit dolorem.

Tunc, his omnibus cognitis, Atharidus eum iuſſit interfici: & iniquitatis miniſtri, dimiſſo Sanſala presbytero, Sabam ad fluuium, qui vocatur Muſæus, & eum ſuffocarent, traxerunt. At beatus vir præcepti Domini memor, & proximum diligens ſicut ſeipſum: Quid, inquit, peccauit Preſbyter, quia mecum non moritur? Non eſt tuum, reſponderunt miniſtri, iſtud præcipere. Tunc ille in exultatione Spiritûs ſancti exclamauit, ac dixit: Benedictus es, Domine, & laudabile nomen filij tui in ſecula, Amen: quoniam Atharidus quidem ſe ipſe morte damnauit, atque interitu ſempiterno, me autem ad vitam mittit perpetuam. Sic enim tibi complacuit in ſeruis tuis, Domine Deus noſter. Et cùm duceretur, nunquàm ceſſauit Deum collaudare, dignas non putans afflictiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ in Sanctis reuelabitur. Cùm autem ad fluminis ripam ductus eſſet, miniſtri inter ſe: Cur non, inquiunt, dimittimus hominem hunc innocentem? Nunquàm enim Atharidus hoc eſt reſciturus. Sed beatus Sabas dixit ad eos: Quid nugamini, ac non potiùs facitis id, quod vobis eſt imperatum? Ego video id, quod vos non poteſtis intueri. Eccè ſtant eregionè, qui me ſuſcepturi ſunt in gloria. Tunc eum ad aquam perduxerunt gratias agentem Deo, atque eum collaudantem, (Spiritus enim eius ad finem vſq; non deſtitit id facere) & in flumen proiectum, ligno, quod eius collo alligauerant, in profundo ſuffocârunt. Atque ità per lignum & aquam defunctus, in ſe verum ſalutis Symbolum expreſſit. Erat autem annorum octo & triginta. Martyrio coronatus eſt quinta die ſabbati poſt Paſcha, id eſt, pridiè idus Aprilis. Valentiniano & Valente Imperatoribus, Conſulatum gerentibus Modeſto & Arintheo. It lætus ad mortem. Rom.8. In aquis ſuffocatur, laudans Deū. Is fuit annus Christi 372. iuxta Onuphriū.

Deindè extraxerunt illum ex aqua homicidæ, & inſepultum reliquerunt. Verùm nec feræ, nec volucres eius reliquias attigêre, ſed à pijs fratribus ſeruatæ ſunt, eaſque clariſſimus Dux Ioſſoranus Deum colens, miſſis viris fide dignis, è loco barbaro in Romaniam transtulit, & precioſum patriæ ſuæ munus, & fructum fide glorioſum miſit in Cappadociam ad veſtram religionem, Domino gratiam ſuam ijs, qui ſuſtinēt & timent ipſum, largiente. Quamobrèm, qua die Martyr coronatus eſt, ſacrificantes, hoc reliquis fratribus nunciate, vt in omni Catholica atque Apoſtolica Eccleſia exultantes, collaudent Dominum, qui proprios ſeruos ſuos elegit. Salutate omnes Sanctos. Salutant vos hi, qui nobiſcum perſecutionem patiuntur. Ei autem, qui poteſt nos omnes gratia & benignitate ſua in cæleſte regnum perducere, gloria, honor, imperium, maieſtas cum vnigenito Filio, & ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

VITA ALFERII, PRIMI ABBATIS CAVENSIS PROPE NEAPOLIM, A' QVODAM EIVS FERÈ *æquali docto viro, &, vt videtur, Abbate edita. Vtrùm ſit in ſanctos relatus, ignoro.*

PROLOGVS AVTHORIS NON SOLVM IN ALFERII, *ſed etiam Leonis, Petri atque Conſtabilis (quorum hiſtorias ſuis locis Lector reperiet) eiuſdem cœnobij venerabilium Abbatum, Vitas.*



SI iuxta diuinæ ſententiam Veritatis, lucerna ad hoc accenditur, vt ſuper candelabrum poſita, lumen domum intrantibus præbeat, benè prolatæ ſententiæ virtutem exequimur, ſi ſanctorum virorum exempla ad minorum formam altiùs ſubleuemus. Ex alto quidem ſuæ reuelationis ad inſtàr ignis, quò longiùs lumen proferunt, inuitare eos, quos illuſtrant, meliùs poſſunt. Magna quidem cùm fuerint, & neſciuntur, magnum, quod habent, lumen non proferunt: quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortaſsè idcircò abſcondi ſub modio lucerna dicitur, quia ij, qui ſanctorum lucidam conuerſationem ſciunt, pro perfecta menſura illorum, quam continet, modij nomine deſignantur. Ex inferiori verò parte exprimentur, quandò ſcita abſcondunt, quia per meritum in imo & abiecto loco ſe cōſtituunt. Hinc Matth.5.

Prouer. 11. Frumenta, exempla Sanctorũ. etiam scriptura sacra denunciat, dicens: Qui abscondit frumenta, maledictus erit in populis. Quid enim frumentorum nomine, nisi Sanctorum exempla figurantur? Ex omnibus quidem granis excellẽtior cibus est. Excellentia ergò facta perfectorum, frumenti nomine designantur: quia quo dulciùs hæc fidelium mentes percipiunt, eo pleniùs velut de electiori cibo satiantur. Si ergò maledicitur, qui frumentum abscondit, cautè vigilandum est, vt ad quencunque fidelem mira Sanctorum facta peruenerint, hæc prædicando proferat, nè maledictum incurrat, & occultando in imo sit, qui exponendo fieri luminis candelabrum sublime potest. Vndè etiam in Euangelio Dominus dicit: Si in alieno fideles non fuistis, quæ vestra sunt quis dabit vobis? Luc. 16.

Ego igitur tam his & huiusmodi territus, quàm etiã audientium profectibus inuitatus, venerabiliũ Patrum, Alferij videlicet, Leonis, Petri atq; Constabilis Abbatũ Cauensium vitas atq; miracula scribere proposui: vt quia, authore Deo, idẽ Cauense cœnobium magnæ religionis est, iamq; eiusdẽ religionis Ordo longè latequè diffunditur, ij, qui eorum sequuntur institutionẽ, exẽplis atq; miraculis accendãtur. Cauensis cœnobij religio. Quod profectò vobis huius modi fratres specialiter conuenit, quos imposito pio religionis onere, ad ordinis eorũ normã redegimus. Valdè enim deuotiùs post illorũ vestigia curritis, si apertè cernitis, quia qui vos laborãdo præcesserant, de labore suo iam ad æterna gaudia peruenerũt. Me quoq; quia hoc deceat, nulli vestrûm dubiũ est: vt qui de claustro illo, velut terra promissionis egressus, in lõginqua regione pascẽdos atq; multiplicandos suscepi greges, virgas exemplorũ vario cortice instituendis proponã: quatenùs ij, qui ex vobis per diuinam gratiã fœcundantur in spirituali sobole, nõ solùm perpetua carnis incorruptione sint virides, sed omnimoda virtutum varietate fulgentes. Sed quia in vniuersalibus scriptis nostris, verborũ quibusdam obstaculis æmulorum accessus obstruere solemus, opusculi huius tenerũ situm nullis reprehensionũ spinis obducimus, quia cum domesticis nostris de rebus notis fraternis affectibus fabulamur. Ad quod nimirùm opus priorum nostrorũ non modico rubore succendimur, qui de suis agere, quod alij fecerant, noluerunt. Liber Victoris Papæ de Sanctorum miraculis. Victor nanq; Romanæ Ecclesiæ summus Pontifex, cùm adhuc illi monasterio, quod à sanctissimo patre nostro Benedicto in Cassino monte constructum est, in venerando habitu præesset, in libro, quem de Sanctorum miraculis scripsit, viri venerabilis Alferij mentionem fecit, eiusdem se familiarem fuisse asseruit, & ipsius quędam miracula, ità vt ab eo fuerant gesta, narrauit. Vir quidem sanctus, dum subiectorum animas ad cælestem patriam succendere per exempla meliorum satageret, ea quæ ad eorũ formam producere voluit, & propè, & longiùs quæsiuit. Quid ergò nobis de nostris agendum est, si ab alijs iam & miris extolluntur laudibus, & scriptorũ memoria celebrantur? Quia verò præfatus Pontifex quædam, non omnia, huius viri venerabilis miracula scripsit, & pro eius reuerentia scripturæ ipsius authoritatem operi nostro præmittimus, & pro ædificatione audientiũ plura, quæ eum vel tunc latere potuerunt, vel post eiusdem obitũ sunt gesta, supplemus. Quia item noua scribendi tempora cõtemni solent, fidem dictorum relatoribus, non scriptis lector adscribat: quia etsi isto tempore scribimus, ea, quæ ab antiquis monasterij senibus sunt nobis dicta, narramus.

HISTORIA ALFERII.

Aprilis 12. Cap. 1. Alferij patria. Dignitas.



VIR ergò Domini Alferius ex Salernitana ciuitate oriundus fuit: in qua cùm bonis polleret moribus, & literarũ scientia apprimè eruditus enitesceret, principi eiusdem ciuitatis magna familiaritate cõiunctus est, & inter primos palatij sui ingenti cum honore susceptus. Quodã verò tempore, cùm res exigeret, vt à præfato principe ad regem Germaniæ nuncij mitterentur, probitatis suæ merito vir venerandus eligitur, & in Gallias pro perficiendis principalibus negocijs apocrisiarius destinatur. Quod tamen non tam humano iudicio decerni cœperat, quàm diuino: vt is videlicet, qui iam magnus in cælorum regno censebatur, ad alia tenderet, & ad alia perueniret: aliud appeteret, sed aliud obtineret: dum qui terrenis innititur, spiritualibus atque cælestibus sublimatur.

Cap. 2. Nam vbi ad ecclesiam beati Michaëlis de Clusa venit, granẽ corporis valetudinem incurrit: qua impellente, legationẽ mutare placuit, & negocia hominũ imperfecta relinquere, vt ad diuina seruitia perfectus & integer pertingere meruisset. Mortis ergò, vt

putabat,

putabat,festinatione perterritus,seculo renunciare proposuit,& ei quod restabat vitæ, in omnipotentis Dei seruitio cōsummare. Vir autem vitæ valdè venerabilis Odilo Cluniacensis Abbas,fortè tunc ad idem cœnobium venerat: quem cùm plurimùm rogaret,vt habitum sibi sanctæ religionis imponeret,Cluniacum deductus est,ibique,quod piè postulauit,obtinere promeruit. Vir ergò sanctus, postquàm religionis habitū sumpsit,omnem illā strenuitatem seculi ad diuina studia conuertit. Cœpit enim magnis desiderijs superna quærere,qui solebat ingēti studio strenuus pro tēporalibus apparere. Seculum igitur tota intētione fugiens,in breui tēpore adeò profecit,vt ad sanctę cōuersationis arcē pertingeret, & culmen perfectionis magnis laborum meritis obtineret. Ab Odilone Abbate accipit habitum monasticum.

Qui cùm plurimum temporis in secretiori claustri conuersatione perageret, licèt valdè esset acceptus fratribus,quanquàm patri monasterij satis charus, tamen memorato Salerni principe obtinente remittitur,& eiusdē ciuitatis ferè omnia monasteria ei regenda committuntur. Sed vir sanctus internæ quietis splendoribus assuetus, exteriorum negociorum tenebris diù præpediri noluit. Dimissa quippe ciuitate, longè in excelsi montis latere,cui Fenestra vocabulum est,quietis suæ locum subijt, primusq; præ omnibus Metelliani cauam,monachorum mansionem fecit,& vt apertè iam cernitur, omnis nostræ multitudinis seminarium fuit. Velut enim granum ex grano illo frumenti Euangelij, dum perfecta contemplatione terræ viuentiū mundi omnibus strepitibus obijt,multum imitantium se fructum dedit. Ibi itaq; ingentis & terribilis speluncæ secretis repositus,solus soli Deo vacans,solique placere desiderans, dum mundi gloriam fugit,ad laudis suæ præconium,vicinarum vrbium ferè omnium linguas mouit. Cœpit itaq; nomē sanctitatis eius haberi celebre,& tantæ opinionis fama longè lateque dilatari. Et quia sanctorum perfectio maior est meritis, quàm ore hominum referri possit, pater sanctus non solùm fortia exercuit, sed etiam miraculis coruscauit: vt quos fama alliceret,miracula solidarent. Cap.3. Præficitur monasterijs Salerni. Ioan.12. Degit in spelunca.

Cœperunt ergò nonnulli seculum relinquere,& eiusdē se magisterio subiugare. Inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneuenti nobilis, adæmulandum pię virtutis eiusdem studium,se eius magisterio subdiderunt. Quorū nimirùm alter post eum Cauensi monasterio præfuit,alter sancti Benedicti mōtis Casini Abbas constitutus,dehinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatum sublimatus est. Sed humani generis inimicus sancti viri successibus inuidens,cùm quadam die Salernum euntem cerneret,super excelsæ rupis verticem se obuium præbuit,& iumentum,cui insidebat,exterrens, per immensum montis præruptum in præcipitium dedit. Deiectus itaq; tantæ rupis vertice cum iumento, cui præsidebat,ad litus maris, quod eidem monti suberat, non sicut ruens cecidit, sed scandens quasi deambulando perueniēs stetit,quia integer & illæsus apparuit. Qui autē comitabantur eū,à multo fletu ad orā maris veniūt,sed incolumē læti conspiciūt,quē lugentes inuenire mortuū crediderunt. Sicq; factum est,vt antiquus hostis se tanta viri venerabilis virtute superatum erubesceret: quia eiusdem gloriam auxit, quam extinguere moliendo cogitauit. Cap.4. Præclarum sanè miraculum.

Alio quoq; tempore, dum quidam Salernitanæ ciuitatis viri irruentium latronum impetum fugerent,ad vicina cellæ viri Dei loca peruenerunt: vbi cùm pausare sub rupe quadam voluissent, ingens saxum de eadem rupe dissiluit,& quendam ex eis, Burellum nomine,conterens extinxit. Quem vt socij mortuum atq; contritum cernerent,ad viri Dei monasterium iam inclinato vespere sepeliendum detulerunt: quibus pater venerabilis præcepit,vt nocte illa discederēt,atq; sequēti die ad sepeliendū,quē detulerāt, redirēt. In eodē verò specu pater sanctus iam oratoriū cōstruxerat,in quo poni feretrū iussit: & assūpto Leone discipulo suo, cuius superiùs mentionē feci,in oratione eadem nocte vigilauit. Manè igitur facto, defuncti illius comites redeunt, sed mirabili stupore & gaudio,quē mortuū dimiserant,non solùm viuentē, sed etiā incolumem receperunt. Cap.5. Precibus suis excitat vita functū.

Quadam item die septem viri ad monasteriū venerunt, quos post ædificationis verba refici præcepit. Quod dū cellararius perfici deuotè voluisset,sola quinq; oua in omni cella reperit, ex quibus æqualem refectionem septem viris distribui non posse,viro Dei nunciauit. Hæc autem pater sanctus ad se deferri instanter iussit, allata benedixit, &, quod valdè stupendum est,nisi à Deo per tanti viri ministerium fieret,ex quinque ouis septem viris singulis singula præbuit. Quo nimirùm viri Dei opere quanta sit etiam virtus charitatis agnoscitur,qua à perfecto in charitate velut condi incondita, & quæ non erant,esse potuerunt. Cap.6. Miraculum

Cœpit etiam vir Domini spiritu prophetiæ pollere,ventura cognoscere,& cognita, Cap.7.

vt rerum poscebat vtilitas, nunciare. Quidã nanq; de vicinioribus locis quendã ad eum energumenum vinctum ferro duxerunt, suppliciter deprecantes, vt ei manus imponeret, atq; immundum ab eo spiritum fugaret. Quibus vir venerabilis respondit, dicens: Hic non me viuente, sed moriente sanabitur. Quod profectò ità impletum testati sunt, qui nouerunt. Nam vbi pater sanctus obijt, ab eodem obsesso, ad sepulcrum eiusdem delato, immundum spiritum eiecit: quod ab omnipotente Deo dispositũ, vt obsessum longiori pœna purgaret, & vt in eius salute, qualis fuerat serui sui vita, claresceret. Vir quoq; duplici fulgore miraculi decorus apparuit: quia & futura prædixit, & curationẽ quam promisit, exercuit. Venerando etiam viro Leoni discipulo suo, atq; alijs condiscipulis præceperat, vt post eiusdem mortem in eodem monasterio plus quàm duodecim fratres simul esse nunquàm debuissent: nè si numerum prædictum excederent, sustentari de rebus monasterij nequaquàm possent. nam facultates eiusdem monasterij tunc tantis solũmodò fratribus vix sufficere videbantur. Sed cùm iam ferè de hoc seculo esset profecturus ad Dominum, eisdem discipulis vocatis ad se ait: Ego quod de numero fratrum constitui, secundùm hominem dixi. Nam (quod mihi Dominus reuelare dignatus est) in hoc monasterio innumerabilis multitudo ad eiusdem seruitium colligenda est. Qua de re & futura fratrũ receptio non ex præsenti inopia, sed ex copia futura pensanda est: quia ille, qui eos ad regnum suũ congregat, temporales etiã sumptus largiter ministrat. Hoc autẽ vir Dei voce protulit, nos stupemus in opere: quia omnipotens Dominus in eodem monasterio & multos constituit, & semper largiter procurauit.

Prædicit futura.

Diuinitùs ei reuelatur status futurus monasterij sui.

Cap. 8.

Eis quoq; discipulis dum læta futura protulit, quæ etiam eos manerent aduersa nunciauit. Post obitum meum, inquit, quidam in hoc ouile Dominicum lupus ingredietur, pacem communẽ turbare nitetur: sed turbari refugite, quia citiùs extinguetur. Quod profectò ità factum, antiqui monasterij senes referre soliti sunt. Nam quidam turbine secularium fultus, postquàm vir sanctus obijt, monasterium irrupit, eiusdem successorem expulit: sed pastoralem locum, quem impunè sibi vsurpare se credidit, diuina vltione percussus, ei, quem expulerat, liberum citò dereliquit. Hæc ad nos de tanti patris vita atque miraculis peruenerunt, non quòd ista sola fuerint, sed quia sanctus plura exercuit, quæ humiliter occultauit. Sancti etenim viri cùm magna faciunt, inquantùm possunt latere cupiunt: quia in cælo, non in terra honorari concupiscunt. Sic fortasè vir sanctus & ista occultaret, si talia essent, quæ latere qualitercunquè potuissent. Nam quòd de excelsæ rupis vertice cadens lædi non potuit, quòd viuentem socijs reddidit, quem sepeliendum recepit, quòd eo benedicente numerus ouorum creuit, rerum quidem immensitas erat, quæ occultari non poterat. Et fortasè energumenum curare ideò viuens noluit, vt tunc magnus in eiusdem curatione clarescerct, cùm illic iam receptus esset, vbi fauor ei minuere operis meritum nequaquàm posset.

Sancti cupiunt latere.

Cap. 9.

Cæterùm in quo latere potuit, ad futurorum notitiam non peruenit. Nam quo abstinentiæ rigore corpus attriuerit, quibus vigilijs mentem extenuauerit, quibus lachrymis quotidiè cælestia flagitauerit, quàm fortis fuerit in aduersis, quàm mitis in prosperis, quo vigore mundum despexerit, ad regnum cæleste quo desideriorum feruore flagrauerit: horum & his similium magnitudinis eiusdem mensura, ad aliorum notitiam non peruenit. Sed si modum vitæ & continentiæ eiusdem scire non possumus, colligere ex ostensis euidentibus miraculis eiusdem possumus, quia in vsu quotidianæ conuersationis sibi valdè improbus & austerus fuit. Nam pondus carnis quis in illo tanto præcipitio illæsum seruaret, si quotidianis feruentibus atque igneis desiderijs se non quotidiè in cælestis vitæ amore suspenderet? & volare, vt ità dicam, desiderijs totus igneus quandò posset, si non carnis grauedinem per vim magnæ abstinentiæ leuiaret? Rerum numerum quomodò augeret, si * se ipse rerum vsus non potenter subtraheret? Postremò de expulsione dæmonum ab ipsa veritate dicitur, Hoc genus dæmonum non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio? Liquet ergò, qua ieiuniorum se austeritate contriuerit, qua orationum instantia Deo importunus fuerit, qui quandò vellet, eijcere dæmonia potestatem accepit. Item si vigiliarum, orationum, lectionum & spiritualium meditationum instantia cordis puritatem consequimur, vir Domini, qui non solùm præsentia, sed etiam futura nouerat, horum donorum omnium mensuram non solùm bonam, confertam & coagitatam, sed & supereffluentem habebat. Sed quid in præscientia rerum tantùm puritatem cordis eiusdem asserimus, qui ab his, à quibus optimè notus est, tantus asseritur, vt ipsum etiam humani generis redemptorem in carne adhuc positus, videre mereretur?

** sibi*
Mar. 9.

Dicunt

Dicunt enim, quòd ante sextum sui exitûs diem ei Dominus Iesus Christus apparuit, eique dixit: Die cœnæ meæ venies ad me. Tunc pater venerandus quanta lætitia & gaudio exultauerit, quibus desiderijs diem tantæ promissionis expectauerit, cogitando colligat qui potest, quia dici non præualet. Quo nimirùm die veniente impleuisse fertur omnia, quæ ad tantæ solennitatis ministerium debebantur. Nam Missarum solennia celebrauit, fratrum pedes abluit, pauperibus donatiua distribuit, & constituto discipulis patre, Leone videlicet venerabili viro, cuius superiùs mentionem feci, solam diei cœnam præterijt, cui suæ visionis epulas redemptor promisit: vel fortasis idcircò ieiunus voluit de hoc mundo transire, vt regulari mandato se & moriendo subijceret. Quia enim directi in via de monasterio fratres ieiuni redire præcipiuntur, qui inclinato iam diei vespere ieiunus ad Dominum transijt, ab istius vitæ decursu ad domum cælestem, quasi de via ad cellam venit. Tunc quidem fratribus cum statuto eis patre ad refectorium dimissis, cellulam speluncæ, in qua manere consueuerat, intrauit, se in orationem dedit, atque inter orationum verba in redemptoris manus vltimum spiritum tradidit.

Cap. 10. Christus ei apparet.

Leonem sibi designat successorem

Feliciter obit.

Dubium quippe non est, quòd ad eum deducendum accesserit, qui ante sextum diem hunc inuitare dignatus est. Quandò enim illi beatæ animæ egredienti deesset, qui nuncius paulò antè fuerat, vt exiret? Obijt autem vir vitæ valdè venerabilis senex & plenus dierum, cùm ferè centum viginti esset annorum, quod sanè omnibus mirabile est. Ità sanus & fortis vsque ad extremam horam mortis extitit, vt nec præ tam decrepita ætate caligaret, nec aliqua debilitate deficeret. Nam vsque ad extremum vitæ suæ tempus clarissimè & legit & scripsit, Missas celebrauit, & omne pastoralis sui ordinis ministerium valenter exhibuit: sicque, vt videre est, tam viuendo quàm moriendo humanæ naturæ molestias vicit: senescens vtiquè, vigoris sui defectum nesciens: moriens, mortis ægritudinem non incurrens. His ergò tantis donatus mentis, talis aspicitur, vt illud ei, quod de dilecto Ioanne ab eodem redemptore nostro dicitur, quomodolibèt competere videatur: Sic eum, inquit, volo manere, donèc veniam. Reuerà talis erat, vt haberet vndè mercedis summæ bona reciperet, sed quod corrigendum esset, nō haberet. Habuit siquidem, quod ad æternitatem staret: sed non habuit, quod cum humani lapsûs fragilitate deficeret. Sic ergò eum Dominus manere voluit, donèc venit: quia nimirùm à suæ inceptionis initio talis fuit, qui egressionis suæ tempore ipsius redemptoris præsentiam meruit. Cùm autem fratres à refectione surgerent, cellulam eiusdem intrantes, defunctum inuenerunt, ità membris dispositum, vt orans, non mortuus credi posset, nisi tactus quid de eo iam factum esset indicaret. Tunc quis mœror & luctus fuerit simul omnium, quis & quantus dolor & tristitia singulorum, dici lingua nequaquàm potest. Pater quidem sanctus absentes discipulos habere moriens voluit, vt eis mœrorem suæ mortis auferre debuisset. Verùm vndè eis mitigare dolorem credidit, duplicauit: mœrentibus siquidem omnibus, non solùm quia tantus pater obijt, sed etiam quia præsentes quos nutrierat habere recusauit. Sed fortasè eorum strepitus rectiùs vitasse cognoscitur, vt secretæ orationis quiete, venientis IESV maiestate liberiùs frueretur. Tollentes autem discipuli corpus eius, in eodem spelæo circa oratorium, quod idem vir Dei construxerat, condiderunt.

Cap. 11.

Grandis eius ætas.

Res stupendæ.

Ioan. 21.

Fratres eius obitu dolēt plurimùm.

Hæc autem de vita & obitu viri valdè venerabilis Alferij Abbatis, tam de scriptis Desiderij Abbatis montis Cassinensis, quàm de assertionibus senum monasterij in paruum libellum contulimus. Nunc ad ea, quæ post eiusdem obitum in eodem monasterio sunt gesta, veniamus. Suprà retulisse me memini, quia dæmoniacus ad sepulcrum eius delatus, vt venit, à maligno spiritu liberatus est, quem optimum pictorem fuisse asserunt: & nè tantis beneficijs ingratus existeret, ecclesiam sanctæ Trinitatis, quam suffraganeam vocant, in signum liberationis suæ proprijs manibus depinxit. Quidam prætereà frater erat in monasterio, Nicolaus nomine, vir quidem valdè religiosus, sed tamen malignis adhuc antiqui hostis bellis expositus. nam quotiès communicare disponebat, illud ei diabolica illusione contingebat, quod qui patiuntur, ad sacramenta Dominica accedere non præsumunt: multis quoquè ieiunijs & orationibus, fletibus quoquè & confessionibus probationis suæ causas abscindere tentabat, & tamen liberari non poterat. Tandèm salubri reperto consilio, ad tumulum sancti viri sibi orandi consuetudinem fecit. Quadam verò die, dum illic tristis oraret, atque à Domino carnis suæ munditiam solitis mœroribus peteret, vt solet mœrentibus accidere, præ tristitia obdormiuit: cui in venerando habitu pater idem sanctus apparuit, &

Cap. 12. Is est Victor 3. Rom. Pontifex.

Alferius apparet fratri afflicto.

ab eo causas tanti doloris inquisiuit. Cumque ille quid pateretur exponeret, fons viuus ante eiusdem oratorij altare visus est surgere: in quo cum senex venerandus deposuit, lauit & dixit ei: Vade, quia amodò iam mundus eris. quod & ità factum est: nam ex illo iam die immundi spiritûs solita impedimenta non pertulit.

Cap.13. Anniuersaria depositionis eius solennitas in monasterio agebatur, cùm vir vitæ valdè venerabilis Abbas Petrus, de fratrum refectione solicitus, per omnia ferè maris litora regioni proxima pisces quæsiuit, & inuenire non potuit. Reuersi itaque sunt, qui missi fuerant, ab omnibus illis maritimis nusquàm pisces inuenire se potuisse referentes. Tunc admodùm contristari vir valdè venerabilis cœpit, quia diem prædecessoris sui qua cupierat charitate prosequi non valebat. Sed quod defuerat in angustia temporis posito, ei cui iam Deus erat omnia in omnibus, deesse non potuit. Die etenim illa fratrum cœnam pater sanctus Alferius affluentem parauit. Egressus siquidem Petrus venerabilis Abbas de Capitulo, ante claustri ianuam cophinum plenum magnis piscibus vidit: quem cùm instanter quis deposuisset inquireret, & inuenire portitorem illius nullum potuisset, miraculo quo se vir sanctus ostenderat, stupuit, & piscationem illam patris Alferij fuisse cognouit.

Miraculum haud vulgare.

Cap.14. Et vt iam temporum nostrorum ad acta veniamus, Lucas monachus adhuc superest, qui nobis in monasterio referre solitus erat, quia quodam die minutus, ex more monasterij extra chorum residendi licentiam habuit. Ibi itaque sedens, cùm non his, quæ in choro canebantur, intenderet, sed oppressus somno grauiter dormiret, senex quidam veneranda canicie fulgidus, hunc per ora cucullæ tenuit, & violenter trahere ad chorum cœpit. Tunc motus Lucas monachus, cùm quis esset, qui trahere monachos violenter auderet, inquireret, audiuit quia Abbas Alferius esset, cui omnia tanquàm in proprio monasterio licerent. Cumque ille trahendo festinaret, hic autem tardiùs sequeretur, quòd ante altare eiusdem suffraganeæ ecclesiæ veniret, ei visum est. Euigilans autem, illic se inuenit, vbi se attrahi per somnium viderat, vestimenta etiam, quæ homo Dei tenuit, exuta iam, & super humerum sibi posita reperit. Quod vir sanctus fecisse cognoscitur, vt loco illi, quem * incolit, se præsentem ostenderet, & negligentium torporem ad diuinæ laudis studium excitaret.

Fratri cuidam apparet.

* for. incoluit

Cap.15. Neque illud silendum puto, quòd candela vitrea, quæ super beati viri tumulum lucere consueuerat, plerunquè lapsa, in eiusdem tumuli saxa venit, & non solùm frangi non potuit, sed quandoquè, vt erat, plena permansit. Coffus etiam monachus de semetipso referre solitus est, quia discursione mali humoris maxilla ejusdem vehementer intumuit, & intolerabili dolore dentium cœpit cruciari. Sed cùm quotidiè languor ingrauesceret, & arte medicorum sentire remedia nulla potuisset, ante sepulcrum sancti viri se proiecit in oratione. Quò cùm prostratus leuamen tanti doloris deuotis precibus impetrâsset, ab oratione surrexit, & statim gingiuæ dolentis cutis crepuit, atque per illius vulnus crepidinis emissa putredine, & faciei tumorem perdidit, & dentium dolorem.

Candelam, pro lampadem.

Miraculum

Cap.16. Adest etiam Petrus de Guardia monachus, qui efficaci assertione, quod in se etiam gestum est, testari solet. Ea nanque pestilentia, quæ ante annos ferè viginti in illis partibus vehementer populum vastauit, præfatus monachus magnis febribus tentus est: cumque ardor nimiùs febrium vires eius excederet, hora accensionis ad tumulum iam sæpè memorati patris confugit, firmiter credens, quòd tanto patri commendatum febris inuadere nequaquàm posset. In quo nimirùm tutelæ & confugij sui loco fructum fidei suæ ità consecutus est, vt ardentissima febris eum relinqueret, nec vltrà sancto viro commendatum fatigare potuisset.

Curatur febricitans.

BEATI

BEATI IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS VITA, EX EIVS LIBRIS A IOACHIMO PERIONIO Benedictino collecta.



Vstinus in vrbe Palæstinæ, cui nomen Neapolis Flauia fuit, Prisco Bacchio patre natus est. Is primùm, posteaquàm studijs humanitatis eruditus est, philosophiæ studuit: deindè Christianorum disciplinæ se addixit: postremò pro Christo mortem pertulit: de quibus ordine institui dicere, vt qualis vir fuerit, id est, quem in ijs se præstiterit, intelligatur. Cùm ab initio ferè ætatis cuperet conferre, sicuti ipse ait, inter se disciplinas philosophorum, vt ego interpretor, primò Stoico cuidam se erudiendum tradidit, vt Stoicorum decreta cognosceret. Deindè cùm aliquantum temporis cum eo versatus esset, posteaquàm nihil ampliùs sibi vidit de Deo, cuius scientiam habere cuperet, suppetere, quòd neque Stoicus ille Dei scientiam haberet ipse, neque necessariam hanc disciplinam esse censeret: illo relicto, se ad alium contulit, qui Peripateticus erat, acutum hominem, vt sibi videbatur. Is cùm Iustinum primis diebus retinuisset secum, deindè mercedem ab eo exigere cœpit, quòd illa ipsius consuetudo, vt dicebat, ei non futura esset inutilis. Iustinus autem illum ob eam causam paulò pòst reliquit, cùm eum ne philosophum quidem iudicâsset.

Extat in eius operibus. *13. Aprilis.* *Eius patria & parens.* *Studet philosophiæ Stoicæ.* *Peripateticæ.*

Stoicorum atque Peripateticorum his de causis repudiatis contemptisque disciplinis, cùm etiam tum eius animus præcipuum ac proprium philosophiæ munus quodnam esset, audire cuperet, accessit ad Pythagoreum quendam clarissimum hominem, magna sapientiæ cognitione præditum: habitoque sermone cum illo, quo se & illum audire velle, & cum ipso consuetudine implicari dixit, Pythagoricus ex eo quærere cœpit, num Musicæ Astrologiæque & Geometriæ operam dedisset, aut cogniturum'ne se esse speraret aliquid eorum, quæ ad beatam vitam pertinerent, nisì ijs antè eruditus esset, quæ eius animum à rebus sub sensum cadentibus disiungerent atque abducerent, eumque rebus ijs, quæ animo atque ratione cernuntur, aptum præpararent, vt honestum ipsum, ipsumque bonum videret. Cumque Iustinus eas se disciplinas ignorare professus esset, eũ Pythagoricus ille dimisit, cùm illas & laudaret multis verbis, & necessarias esse dixisset. Quod Iustinus primùm acerbè, vt par erat, tulit, cùm ità se de spe deijci intelligeret: eoque magis, quòd illum aliquid scire sibi persuaderet. deindè considerans tempus, quod illis in disciplinis consumpturus esset, non passus est se in longum tempus reijci.

Pythagoricæ.

Itaque in hac animi distractione & dubitatione ei visum est ad Platonicos venire, quòd & illi tum in magno erant nomine ac gloria, & plurimùm versatus esset paulò antè in vrbe sua cum docto homine, qui Platonicis decretis antecelleret, magnumque fructum ex eius vsu consuetudineqę cepisset, maioremque in dies progressum tum facere solitus esset. Is autem vehementer illum rerum corporis expertium intelligentia excitabat, formarumque, quas illi ideas vocant, cognitio animum illi erigebat, sic vt ad breue tempus, & sapientem fore se, & inani spe ductum, Deum statim visurum esse speraret. hic enim Platonicæ philosophiæ propositus est finis. Cùm ità animo constitutus, tandèm aliquandò magna tranquillitate ocioque abundare statuisset, hominumque viam declinare, se in locum mari vicinum ac propinquũ recepit. Ibì hominem quempiam necopinatò offendit, qui illum disputando eò tandèm adduxit, vt contemptis philosophis omnibus, quòd veram de animorum immortalitate ac de Deo sententiam non pronunciâssent, prophetarum libros legere vellet. Longa illa eorum fuit de animorum immortalitate, de bonorum præmijs malorumque supplicijs disputatio: in qua, illo quærente, Iustinus ex Platonis sententia quæ tum ipsi viderentur (neque enim vera sunt decreta illa, sed ex Christianorum finibus exterminanda) respondit. Summa autem illa fuit, cogente illo siue minutis interrogationibus, siue rationibus ac similitudinibus, verum non esse visum à philosophis.

Platonicæ. *Scopus disciplinæ Platonicæ.* *Philosophi à veri notione alieni.*

Itaque cùm Iustinus assentiretur, quæreretque quonam præceptore iam quispiam vteretur, aut vndè adiuuari posset, si ne in philosophis quidem verum inueniretur: extitisse respondit quosdam olìm ijs omnibus, qui philosophi haberentur, antiquiores, beatos homines, iustos ac Deo charos, qui diuino instinctu locuti essent, resque eas

Prophetæ. vaticinati essent, quæ tum euenirent, quos eosdẽ prophetas vocarent: eos solos & verum intellexisse, & hominibus enunciâsse nullius metu deterritos, nec victos opinione aut ductos gloria, sed ea sola prædixisse, quæ spiritûs sancti pleni audiuissent atq; vidissent. Libros etiam eorum extare, eique, qui eos euoluisset, maximũ fructum esse propositum & principiorum & finis, & eorum, quæ philosophus tenere deberet, cùm eis credidisset. Neque enim eos demonstratione, aut necessaria conclusione vsos esse tum in suis sermonibus: quippe qui testes veritatis essent, digni, quibus maior, quàm omni demonstrationi, haberetur authoritas. Eorum autem orationi cogere assentiri primùm ac maximè ea, quæ prædicta ab illis euenissent & euenirent: deindè mirabilia inusitataque opera, quæ efficerent, quæ eadem, spiritûs erroris & impuri pleni, falsi prophetæ & vates nec perfecissent, nec perficerent, sed tantùm falsa quædam ad stuporem hominum & admirationem. Quocircà illum ità animo constitutum monebat, vt inprimìs Deum precaretur, vt sibi fores luminis aperirentur. Neque enim ea cerni intelligive posse à quouis, sed ab eo tantùm, cui datum sit Dei eiusque Christi concessu ac munere. Quæ cùm dixisset, aliaque prætereà multa, eaque Iustinum sequi iussisset, abijt, nec ab eo posteà visus est.

Eorum authoritas & veritas.

Admirabilis S. Iustini mutatio. Tum verò illo eius sermone Iustinus repentè in animo suo ignem (tantũ sanctæ cohortationes præclarique sermones valent) excitari sensit tantũ, eum vt iam tum prophetarum virorumque illorum, quos Christus charos haberet, desiderium teneret. Cumque eius verba secum ipse in animo repeteret, hanc vnã philosophiã tutam & vtilem reperiebat. Sic ergò, vt ipse ait, ex his philosophus extitit. Idem quàm mox posteà salutari vitalique aqua expiatus fuerit, non potui inuenire. Hoc etiam, quod dicturus sum, vtrùm ante superiorẽ disputationem, an ne post eandem euenerit, consideremus. Scribit enim in priore Apologia, se, qui Platonis decretis delectaretur, cùm in crimen vocari Christianos audiret, & tamen nullo mortis metu, eorumque omnium, quæ terribilia habentur, affici eos cerneret, hoc cogitare solitum, fieri non posse, vt ipsi in vitio & voluptatum cupiditate versarentur. Mihi quidẽ videtur id euenisse ante illam disputationem, quòd ex illa non solùm cæteros philosophos, sed Platonẽ quoquè contempsisse videatur. Vtcunquè res habeat, cum intelligimus ex scriptis suis, posteaquàm in Christi disciplinam se semèl tradidit, Christianæ religionis ac disciplinæ acerrimum defensorem extitisse, atque ab ea defendenda nec minis, nec supplicijs vllis, nec deniquè morte deterreri abducique potuisse.

Christianæ religiõis est acerrimus propugnator.

Hoc declarant eius libri, quorum in alijs Iudæos atque gentes, id est, disciplinæ nostræ hostes, illos veteris legis, quam vnam probabant, testimonijs: has philosophorum atque poëtarum & Sibyllarum, quibus plurimùm tribuebant, sententijs refellit & coarguit: in alijs Christianos eorumque religionem apud Antoninum Pium Imperatorem, eiusque liberos Verum atque Lucium, & Senatum Romanum defendit magna dicendi & libertate & copia. Nec verò in hoc tam repræhendendi defendendive studium sequebatur, quàm illos ab ingrata Deo vita & disciplina ad gratam deducendi voluntatem: quorum superius illud ità perfecit, vt non alius pleniùs & aptiùs perfecisse videatur: posterius autẽ num suos exitus in multis aut nonnullis habuerit, id est, num aliquos ad Christi religionẽ deduxerit, ignoro. Hoc quidem certè possum dicere, quod ipse ait, Tryphonem Iudęum ab ipso post eum sermonem, quem cum illo aduersùs Iudæos habuerit, maxima ex illo percepta voluptate, ità animo constitutum discessisse, vt se ac sodales, si sæpiùs vnà disputare liceret, maiorẽ vtilitatem fructumque percepturos fateretur. Hoc etiam verisimile est, Antoninum Pium eiusdem orationibus, quas pro nostris dixit & scripsit, adductũ, scripsisse ad Asianos epistolam pro Christianis, cùm id petebat, vt de Christianis ità quæreretur, vt si qui maleficij conuincerentur, pœnas luerent: si non conuincerentur, non punirentur hoc vno, quòd appellarentur Christiani, ab eo, quasi Iustinus persuasisset, illa epistola scriptum esse videamus.

In Trypho. pag. vlt.

Scripta S. Iustini. Scripsit autem libros multos, quorum conuertimus hos, qui ad nos peruenerunt, Sermonem, quem aduersùs Iudæos cum Tryphone habuit: Apologias duas pro Christianis apud Antoninum Pium, eiusq; successores & Senatum Romanum: Orationem paræneticam siue Monitionem ad Gentes: Libellum de Monarchia: Expositionem fidei de recta confessione, siue de sancta eiusdemque essentiæ Trinitate: Epistolam ad Zenam & Serenum: Quæstiones quinque à Christianis Gentibus positas, Gentiumq; ad eas responsiones, & earum refutationes: Quæstiones Gentium Christianis positas de eo, quod incorporeum est, de Deo & resurrectione, Christianorumque ad eas respon-

responsiones: Explicationes siue responsiones ad Christianos de quibusdam necessarijs quæstionibus (quanquàm hic liber alterius videtur esse, quoniam Irenæi & Origenis mentionem facit) & refutationes quorundam Aristotelis decretorum. Alios eius libros Eusebius, & post eum Hieronymus, Photius atq; Suidas enumerant, qui ad nos non venerunt: veluti Elenchum, quem librum Eusebius & Photius quartum eorum, quos in Gentes scripsit, nominant: tertium verò eum, qui non extat, in quo de dæmonum natura disputat: alium etiam de Monarchia Dei, qui non videtur is esse, qui extat, quemadmodùm alio loco docui: Alium quoquè, quem Psalten inscripsit: Alium prætereà, quem scripsit de Animo, vt illi dicunt. Ipse autem in secunda Apologia pro Christianis librum in omnes hæreses se scripsisse dicit, qui etiam ad nos non venit. Vsus est vehementi genere dicendi, quod ad Philosophorum, quàm oratorum, stylum propiùs accedit: sed interdùm obscura est illius oratio. Nunc de eius morte aliquid dicendum est. Iustini libri qui nõdùm extent.

Cùm in omne genus hominum, qui à nostra & vita & disciplina abhorrẽt, acerbum se præstitit, tum in philosophos maximè, quòd, vt mihi videtur, non solùm ipsi religionis nostræ hostes & vita & professione essent: sed etiam quòd & alios exemplo suo ac doctrina in contraria confirmarent, & ad eam nostros, quantùm in ipsis esset, deducerent. In ijs Crescentem quendam, & vita & disciplina Cynicum, qui in nostros falsum pro testimonio diceret, delegisse videtur, in quẽ acerbitatis suæ aculeos maximè emitteret. Nam & sæpè cum eo de rebus decretisque religionis nostræ disputauit, & cùm imperitum eum in rebus, quæ philosophorum sunt propriæ, in disputationibus comperisset, nec tamen desineret, eius vitam atque mores apud Antoninum Pium publicè culpauit, eumque imperitum se disputando ostẽdisse dixit. quod verum esse ex eo credere debemus, quia se paratum esse tum confirmauit de ijsdem rebus in conspectu illorum disputare, nisi & ipsius interrogationes, & Crescentis responsiones ad eos perlatæ essent. Auxit hoc veterem Crescentis inuidiam, qua Iustini æmulus flagrabat. Itaque ex eo die nunquàm eius animus antè conquiescere potuit, quàm eius sanguine & morte ira satiaretur: quemadmodùm Tatianus Iustini discipulus in libro, quem in Gentes scripsit, testatur. Is quidem liber extat, nondùm editus. Eum enim habet amicus quidam, à quo vtendum, sicutì pollicitus erat, accepissem, nisi tum, cùm hæc scriberem, ab vrbe abfuisset. nec verò mors Iustinum fefellit. In ea enim Apologia, quam dixi, quasi eam diuinaret, se expectare professus est, dum ab aliquo eorum, qui erant in nomine ac gloria, aut etiam à Crescente, ipse dedita opera in crucem ageretur. Est vehemens in Philosophos. Crescens author cædis S. Iustini.

MARTYRIVM SANCTORVM ET GLORIOSORVM CHRISTI MARTYRVM, CARPI, PAPYLI, ET SOciorum, *authore Simeone Metaphraste: qui licèt affirmet passos esse 13. Octobris, nos tamen hoc loco eos reponere maluimus, quòd perantiquum Romanum, itemque Bedæ & Vsuardi Martyrologia eos habeant 13. Aprilis die.*



MEminisse eorum, qui pro Christo sunt passi, est plurimùm vtile & conducibile. Sufficit enim vel sola memoria, vt ad Dei amorem excitet animum, & sit velutì quædam ala ad virtutem, & efficiat, vt eadẽ certamina, quæ corpore martyres, mente ille sustineat pro fruendis ijs, quæ sunt illic, remunerationibus. Ex ijs ergò, qui hæc martyrij peregêre certamina, validæ quoquè ecclesiæ columnæ & fundamenta, Carpus & Papylus noscuntur: quorũ vterque in clara quidem patria, nempe ciuitate Pergamena, ex valdè autem pijs natus parentibus, eis quoquè cõuenientem vitæ ostendit rationem, velutì generosæ cuiusdam radicis generosum germen: adeò vt ex fructu arbor euaderet manifesta, & ex fluento censeretur fons beatus. Nam ambo quidem corpus faciebant esse solis contentum necessarijs, repellentes quicquid erat varium & curiosum: necessarijs autem tam modicè vtentes, vt corpore 13. Aprilis. Patria Carpi & Papyli.

Nota insignem abstinentiã Sanctorum. pore quidem multùm abessent ab angelis, insigni autem abstinentia, incorporei propemodùm viderentur. Hinc cùm prouecti essent ad summum virtutis, iudicati sunt digni, quorum fidei committeretur populi præfectura. Et Carpus quidem, cùm peruenisset ad pontificatum, pietatis mysteria annunciabat ijs, qui erant Thyatiris: Papylus autem honoratus gradu Diaconatús, suo muneri respondens, adhibebat studium in paribus laboribus.

Virtutis natura. Cùm ergò eorum fama peruasisset in omnes partes, vtpotè quòd ea sit natura virtutis, vt non possit latere, sed seipsam semper prædicet, magna multitudo ideò cōfluebat, & eorum fruens doctrina, lubenter accedebat ad pietatem. Sed fieri omninò non poterat, vt qui fuit ab initio bonorum aduersarius, cùm hæc sic fierent, quietem ageret. Non quieuit itaque, sed cùm inuenisset egregios administros suæ malitiæ, eis persuadet, vt Sanctos accusent apud Decium, quòd sint & in deos impij, eos abominantes, & sequantur vanam Christianorum opinionem. Ille autem hac re grauissimè affectus, Valerium quendam assessorem, cum quo res omnes suas communicabat, (Erat autem amans dæmonum, & vir agrestis) emittit in Asiam, quæ sibi de sanctis nunciata fuerant, ei significans, & ei in illos potestatem permittēs. Statim ergò Valerius viam conficit quamcelerrimè: & postquàm fuit in loco, vbi ij degebant, ille quidem statim deis vanis consueta voluit offerre sacrificia, eiusque iussus mox peruasit omnes terminos regionis Thyatirorum, vt quicunque in ea erant, nihil cunctantes venirent in eum locum, vbi fieret sacrificium, gratiarum actiones ipsi quoquè dijs illius reddituri, vt qui nollet solùm ægrotare, sed alios quoquè vellet frui eodem morbo. Hoc autem ducebat esse sufficiens argumentum sententiæ martyrum. Dicebat enim intra se, quòd si ipsos quidem viderit communiter conuenientes cum multitudine ad sacrificandum, falsa apparebunt omninò, quæ dixerunt Decio. Sin minùs, nō est alia maior expectanda probatio.

Cùm ergò omnes quidem in locum conuenissent, vt peragerēt sacrificia, soli autem abessent admirabiles duo martyres, (alibì enim stabant, Deo preces, nempe verum reddentes sacrificium) ijs sisti iussis, ille superbiùs ac elatiùs eos rogauit causam, cur ipsi abfuissent: deindè etiam adiecit: At saltem ante meos oculos pulchrè corrigatur delictum, vt accusatoribus inuidia in caput eorum conuertatur, & vobis clarior, quàm priùs, gloria oriatur. Ad hæc sancti, qui & metu & omni claritate humana erant superiores: Esset dedecus, ô Iudex, dixerunt, apertū, inquam, dedecus, habere bouem & asinum, (vt cum magno dicam Esaia) qui nos arguerent magni criminis ingrati animi. Siquidem illi quidem cognouerunt possessorem, & eum, qui ipsos alebat: nos autē, quòd alamur ab ipso, ignorare videremur, si vero relicto Domino, qui falsò vocantur, deos coleremus. Hæc dixerunt: & Deus simul ijs, quæ dicta sunt, est assensus. Nam magnus irruens terræmotus, conuertit in puluerem ea, quæ ab insipientibus colebantur, simulacra. Et inanima quidem sic se habebant, & ità fuêre dissoluta.

Martyres Valerius superbè compellat. — *Esa. 1.* — *Præclarè ei respondent.* — *Terræmotus ingens.*

Valerio autē firma erat ac stabilis malitia, & quæ non poterat amoueri. Nam cùm admirari oporteret potentiam Dei ineffabilem, & deorum suorum magnam irridere imbecillitatem, (quod quidem fecisset vir prudens & intelligens) ille euasit magis temerarius, & suam planè ostendit insaniam. Sed cùm virorum nobilitatē & modestiam reueritus, tunc à grauiore cruciatu abstinuisset, iubet eos, ferreis collaribus collis eorū impositis, per medium forum nudos circumagi. Nudi itaque ducebantur athletæ, colli vinculo grauati: & forum obibant cum infamia, qui verè erant honesti: irrisi & ludibrio habiti, qui innumerabilibus digni erant laudibus. Iudex ergò, qui turpem hanc & infamem traductionem putabat sanctos affecturam dedecore, & sic eorum constantiam esse emollituram, statuit mollibus eos verbis aggredi, & sic cuniculos agere in generosum eorum propositum: &, Si vos quidem, inquit, viderem non ferre aperta indicia generosi spiritûs, nequaquàm vobis darem consilium. Licet enim, si velim, vos per tormenta expugnare, inuitosq; & nolentes ad nostram cōuertere religionem. Sed cùm & vultus, & morum moderatio significent vestri animi libertatem, statui fungi apud vos officio boni consiliarij. Neque enim arbitror vos latere, quòd longo ab hinc tempore incepta, quæ dijs immortalibus exhibetur, gloria & honor, manet vsque in hodiernum diem, non apud nos solos, qui Græcam linguam nouimus, sed etiam apud ipsos barbaros. Per hanc ergò religionem videre licet ciuitates bonis regi legibus, hostium deprimi supercilium, pacemque vigere. Vndenàm autem reges, & principes, multi quidem etiam priùs, nunc autē Romanorum, ad tantam gloriam peruenêre, vt

Nudi circūaguntur sancti martyres. — *Iudex eis blanditur.*

gentes

gentes quidem & ciuitates euerterent, in potestatem autem omnes redigerent aduersarios? Si ergò indoctorum sermonibus inducti estis ad hanc à ratione alienam, & quę nuper apparuit, Christianorum opinionem, non valdè reprehendo. Hoc tantùm dico esse simplicitatis. At vos nunc tandem resipiscentes, & ad vos redeuntes, conuertimini ad id, quod est melius, vt & dij sint vobis propitij, & pluribus bonis, quæ sunt apud nos, fruamini, & Imperatoris in benefaciendo munificentiam sic vobis concilietis. Sin autem in prioribus omninò perstiteritis, à tot bonis excidetis: sed & nos quoquè asperiores (quod absit) vobis necessè erit omninò experiri.

Hæc postquàm audiuerunt martyres, oculis in cælum sublatis, cùm se Christi signaculo munijssent: Videris, dixerunt, nos, tanquàm aliquos simpliciores, non tardè, sed facilè putare posse conuertere ad discendam impietatem. Sed scias te non incidisse in viros pusilli & abiecti animi: non per hoc, quod pro Christo suscipitur certamen, & nostram ab ineunte ætate in pietate exercitationem. Non enim propter temporis antiquitatem, honore dignam dixerim vestram religionem. Neque enim si quid est antiquum, est id etiam honore dignum: quandoquidem vetus quidem est omninò etiam vitium, sed non etiam propter tempus dignum est quod honoretur. Nō est ergò considerandum, an antiqua sit vestra religio: sed hoc ipsum, an eam oporteat admittere: quam nos quidem consuluerimus declinare, & de medio tollere pro viribus, quæ tam horribilem ignis gehennam recondit & reseruat ijs, qui ipsam diligunt. In summa autem, si velis accuratè attendere, inuenies omninò tu quoquè eos, qui apud vos coluntur, deos, nihil aliud esse, quàm opera manuum hominum inanima & surda, quæ nihil omninò, non modò alijs, sed ne sibi quidem ipsis, possint opis afferre. Si ergò homo quidem est Dei opus, vt qui ab eo sit effectus: quæ vos autem simulacra adoratis, sunt opera manûs humanæ: quomodò quis, nisi fuerit planè nullo sensu præditus, & planè bos & asinus, ijs, quæ ipse est fabricatus, honorem tribuerit? cùm oporteret illa magis suos honorare opifices, si quis inesset eis sensus? Quoniam ergò confessus es, nos esse intelligentes, & scis, quòd homo, qui est sanæ mentis, nunquàm veritati id, quod est falsum, prætulerit, aduerte animum, & de eo, qui verè est opifex vniuersorum, disce à veridicis labris.

Muniunt se signo crucis, & egregiè respondent.

In falsos deos.

Deus suapte natura non potest circunscribi: est enim eiusmodi, vt in eum non cadat omninò circunscriptio, & superat omnem, quæ in tempore suscipitur, cogitationem. Nanque temporum non subijcitur tempori. Quamobrèm nec cœpit quidem esse. Omnia autem, tam quæ sub adspectum cadunt, quàm quæ mente percipiūtur, ad hoc, quòd sint, produxit. Homo ergò cùm esset à Deo effictus, & ei esset tributum, vt habitaret paradisum, & ad maioris profectûs exercitationē accepisset mandatum, inuidia diaboli affectus morbo inobedientiæ, non posse interire, permutauit interitu: & cùm carnis subijsset voluntatem, fuit subiectus morti. Cæterùm pater inuidiæ non fuit contentus hoc solo lapsu eius, cui inuidebat: sed etiam ad Dei, proh dolor, obliuionē eos deduxit, qui posteà nati sunt ex eodem genere, vt nō solùm corporibus, sed etiam animis mors dominaretur. Relicto itaque vero Deo, & ad lucem veritatis sua sponte claudentes oculos, cultûs simulacrorum subiêre tenebras. Propterea ergò idem nostri generis opifex, qui benignis visceribus nos produxit ex nihilo, non ferens videre hominē opprimi maligni tyrannide, & à paterno sinu non excessit, & omnia factus, sicut nos, præter solum peccatum, cruci affigitur, & moritur, à lapsu peccati nos volens liberare. Cùm ergò sua morte nostri lapsûs authorem deiecisset, ipse & in cælos ascendit, è quibus descenderat: & nos illuc vocat, vt qui nobis ad se ascensum ostenderit. Potésne tu quoquè tale quid ostendere, quod à tuis dijs factum sit, an te iam eos deos vocare pœnitet? Possessionum autē, & pecuniarum, & honoris apud Imperatores, quæ sunt vestra, vt dicitis, bona, nos paruam curam gerimus, vt qui ea nō tanquàm stantia iudicare, sed tanquàm fugiētia, rectè didicerimus à Propheta, & maximè cùm in Deum ipsum spem collocauerimus, & ab illius gloria toti pendeamus, propter quē etiam magno ac forti animo pati statuimus.

Præclara martyrum oratio.

Charitas Christi erga homines.

Hæc cùm audijsset Valerius, & ægritudine animi fuit affectus, & igne insaniæ incensus. Et protinùs exuens fictam personam mansuetudinis, internam aperuit feritatē. Et sanctorum quidē facultates dedit diripiendas ijs, qui accusauerant, rem, quę valdè quidem ab illis despiciebatur, plurimi autē fiebat ab ijs, qui id magnum existimabāt: ipsos verò agrestibus quibusdā equis alligatos, iussit quàm primùm agi Sardas. Atq; equos quidē, cùm incepissent currere Thyatiris, aduentante vespere, Sardis vix tandē faciunt

Supplicium martyrum.

à cursu

à cursu desistere. Cæterùm martyribus, qui in hoc acerbo cruciatu totum diem transegerant, nec nox tamen bonis actibus vacua remansit: sed in diuinis hymnis plurima pars eius fuit consumpta. Si quādò autem parùm somni caperent, eis assistentes angeli, defessos recreabant: & ad tormenta mox futura faciebant animo alacriores. Postridiè autem partìm quidem inter se, partìm autem ijs, qui aderant, narrabant sancti diuinam illam apparitionem, & venturum Valerium ad eorum examinationem expectabant, perindè àc quidam strenui milites certamina cupientes, & ad mortem cum gloria suscipiendam, generosè & audacter intuentes. Ille autem cùm peruenisset Sardas, tunc existimabat, & si non priùs, se obedientiores & faciliores inuenturum martyres. Solùm enim sciebat cruciatus: Consolationem autem vndè sciret terrena illa anima, & aliena à diuina apparitione & bonitate? Cùm eos autem vidisset vultu, quàm priùs, lætiores, spirituque constantiores, & animo minùs deiectos, desperans se posse eos tormentis expugnare, assentationibus rursùs & maiorum donorum promissionibus aggrediebatur emollire virorum fortium constantiam. Cùm autem magìs tentâsset, & adhuc maiorem animaduertisset roboris firmitatem, processit rursùs ad acerbitatem, continua mutatione, & varia collocutione, moliens improbus venari eam, quæ in Christo fundata erat, sanctorum simplicitatem.

Angeli eos cōfirmant.

Modò blāditur, modò sæuit iudex.

Cùm autem sic quoquè vinceretur, & ne parùm quidem cedentes videret martyres, sed tanquàm vulpes quædam visus est pugnare contra leones, animi planè dubius & perplexus, alia arte eos superare aggreditur: & Carpum quidem & Papylum viros fortes ac præclaros dimittit, iubens eos tutò seruari: admirabilem autem Agathodorum, qui ministrabat martyribus, & famulorū munere fungebatur, qui ipse quoquè iam erat perfectus martyr, & suo in eos amore erat socius eorundem suppliciorum: eum, inquā, iussit extensum, boum neruis cædi immisericorditer, simul quidem sanctos molestia afficere propter cruciatum eius, qui erat eiusdem fidei, & terrefacere volens. Vtriq; ergò inter se contendebant, nempe & iudex, qui puniebat, & martyr. Iudex quidem, vt multitudine plagarum eum expugnaret: martyr autem plagas tam lubenter accipiens, vt euidens esset, eum hoc habere in votis, vt duraret suppliciū, & non defatigarentur tortores ferientes. Cùm ergò martyricum illud corpus iam longo tempore cæderetur flagellis, emittebantur quidem riui sanguinis, tanquàm ex quodam fonte: suo autem integumento nudabantur viscera, diuellebantur musculi à compagibus, & sensus doloris re vera magnus & acer inuadebat virum fortem. Ille autē, perindè àc si nullam pateretur molestiam, in malis ità erat affectus, silentio ferens crebros ictus flagellorum, & pati propter Christum, habens satis magnum dolorum solatium.

Agathodorus cruciatur.

Mira eius tolerantia.

Cùm autem iam defessus quidem esset Valerius, defatigati autem essent lictores feriendo, eum verò tormenta magìs lætificarēt, Christus eum in cælos accersit, athletam dignè coronaturus. Is autem & statìm spiritum in manus eius, qui vocauit, & corpus mortuum tradidit flagellantibus. Quod insepultum quidem fuit proiectum, vt deuoraretur à feris & alitibus, cùm ità iussisset Valerius. Vesperè autem quidam ex ijs, qui illic propè habitabant, id abscondunt in quadam propinqua spelunca, ducētes hoc esse opus benigni & clementis animi, aut sic etiā diuina dispensante prouidentia. Quidnam autem est posteà consecutum? Valerius Præses, qui erat re vera versuta & fraudulenta vulpes, lenioribus verbis sanctos aggreditur, timens fortè, nè ipsos quoquè, sicut iam etiam Agathodorum, amitteret. Dicebat enim: Ille quidem inuenit mortem dignam tali arrogantia & amentia, cùm non paruisset, vt sacrificaret dijs immortalibus. Vos autem cùm sitis sapientes, cur non adspicitis ad id, quod est vobis conducibile, sed vultis esse similes homini verè infelici, qui pro vita & gaudio stultè violentam mortem elegit? Et hæc quidem Valerius. Cùm autem audiuisset sanctos eum magnæ accusare stultitiæ propter hoc à ratione alienum consilium, se autem tunc conspiciendos planè felices ac beatos arbitrari, quandò violentam, quæ apud eum videtur, Agathodori mortem imitati fuerint: relicta rursùs ementita clementia, ad ei consuetam & gratam reuersus est feritatem: & ea facit, quæ ipsam decent. Longè enim profecturus, à ciuitate Sardanorum Pergamum vsque iubet ipsum sequi sanctos: & cogit eos pari passū pedibus currere cum equis pernicibus: vt labore cursûs defatigati, quid aliud, quàm inuiti mutarētur & persuaderentur adorare simulacra? Sancti autem, quòd non esset maior cursus, eam rem existimabant detrahere de voluptate. Sic quidquid propter Christum inferebatur, non molestiam, sed magnam potiùs afferebat lætitiam, vt quod esset eis magna demonstratio sui in Christum desiderij.

Reddit spiritum.

Iterùm blāditur præses

Redit ad crudelitatē.

Martyrum alacritas.

Cùm

Cùm ergò in tanti cursûs labore diem transegissent, atque ad dolorem vulnerũ suorum (vt cum diuino Dauid dicam) hoc quoquè esset eis additum, simulque consecuta fuisset custodia, & nox iam aduentâsset, angelica quędam & diuina virtus eis apparens, curauit eorum vulnera, & ad certamina suscipienda eis maiorem indidit animi alacritatem. Cùm ergò manè surrexisset Valerius, iubebat eos ingredi, ad laborē solummodò & hesternæ diei adspiciens afflictionem, & existimans eos vix tandèm portatos iter posse conficere. Cùm autem vidisset illos adeò valentes & robustos, & vultus eorũ non minùs lætos & alacres, quàm eorũ, qui vtuntur assiduè lauacris, & vitam agunt vmbratilem, eam rem vocabat præstigias, qui verè erat plenus dæmonibus: & ideò ampliorē eis adiunxit dolorem: nam eorum membris ferro omni ex parte grauatis, iussit eos rursùs viam inire. Postquàm autem & ipse, & illi in loco fuère præstituto, cùm dæmonibus sacrificâsset Valerius, in tribunali præsidet iudiciali. Et cùm beatum Carpum sisti curâsset, & fidelis alicuius amici personam induisset, & qui de ipso erat admodùm solicitus: Oportebat quidem, dixit, te nostrã reuerentem lenitatē, tua sponte venire ad id, quod est bonum & honestum, & dijs sacrificare maximis. Nunc autem, cùm & ad id suasionibus inciteris, & beneficio afficiaris, vt video, ne minimas quidem eis agis gratias: sed negligis id, quod est tibi conducibile. Ecce enim hi tuę miserentes senectutis, effecerũt, vt iter perageres absque afflictione. Ipse autem, nescio quomodò, & ingratus esse conuinceris in tuos benefactores, & nos nihili faciens, illorum cultum despicis. Velis ergò nunc saltem annuere, & mihi credere consulenti ea, quæ sunt vtilia. Tuam enim reuereor canitiem, & magno dolore afficior, & tanquàm non alienam, sed meam, tuam defleo calamitatem. Sed quid agam? Scis enim, quòd cùm adeò despiciar, non feram, si non propter meipsum, at propter deorum contumeliam.

Psal. 67.

Martyres diuinitùs curantur.

Rursùs blanditur iudex.

Ad hæc diuinus Carpus: Consilium, inquit, quod à luce ad tenebras, & à vita ducit ad mortē, nemo, qui fuerit compos mentis, consilium, sed idipsum, quod est, nominârit insidias. Quòd si meam reuereris canitiem, quid impedit, quò minùs tu mihi magis credas paternè consulenti? Quòd autem tu ex me dolorem accipis, ego magis tui misereor interitûs, & aperte tuam (hoc sciat amica veritas) ægrè fero calamitatem, qui tales deos colas, & spem posueris mendacium: vt dicam cum diuina scriptura. Qui quidē quemadmodùm possunt dij iurè reputari, cùm sint ex inanima materia, & ad hoc, quòd sunt, productionem habeant ex manu humana? Valerius ergò non ferens deos suos à Carpo, & si verum diceret, ea affectos contumelia, bona verba malè est remuneratus. Odio enim habuit in portis reprehendentem, (vt diuinus dicit Amos) & sanctũ sermonem est abominatus. Statimq; ex iussu eius lictorum manus tenebant sanctum: & virgæ spineæ eum cædebant immaniter: carnesque assiduè laceratę ac discerptæ, dispergebantur in aërem. Nec his satiabatur ira: sed alij rursùs lictores, partim quidem admouebant lampades eius lateribus, partim autem inhumanè adspergebant sale eius vibices. Hinc riui quidem sanguinis per solum ferebantur: Fibræ autem, quę diuellebantur, martyri grauem dolorem afferebant. His defessum fuisset, etiam si quid inanimum ità fuisset cæsum: doluistis autem vos quoquè omninò vel solùm audientes. Sed martyr, quo magis augebatur multitudo suppliciorum, eo magis erat ipse captus Dei amore, & tanquàm ex re aliqua suauissima se voluptate explebat ex doloribus: donèc eius virtute defessus Valerius, eum transmisit in carcerem.

Carpi constantia.

Esa. 28.

Amos 5.

S. Carpus dirè cæditur.

Stupenda eius patientia.

Cùm autem diuinum sisti curâsset Papylum, perindè ac si nunc eum primùm adspexisset, rogauit, quinam essent parentes, quęnam patria, & quęnam esset martyri scientia. Sanctus autem: Iam, inquit, discere potuisti, me esse natum ex ingenuis parentibus. Sum enim natus Thyatiris: Exerceo autem medicinam, non quæ fuerit ex herbis è terra nascentibus, sed quæ alicui à Deo data fuerit. Non enim vsque ad corpora circunscribimus eius vtilitatem: sed etiam morbos animæ corrigimus. Tunc iudex: Non hæc, inquit, fieri potuerint sine exercitatione eorum, quę scripta sunt à Galeno & Hippocrate, qui acceperunt à dijs summam illius scientię. Papylus autem: Galenus quidē, inquit, & Hippocrates, & qui illorum artem exercent, tunc aliquem curauerint, quandò gratiã suæ benignitatis meus quoquè Christus præbuerit. Sin minùs, perit eis studium, nihil commodi consequens ex sua in arte exercitatione. Quos autē deos nominas, cùm nec sibi quidem possint aliquid prodesse, quomodò ij curam gesserint aliorum sanitatis? Quòd si etiã velis rem ipsam verè intelligere, eum, qui propter te sedet, altero, vt vides, oculo orbum, faciant visum recuperare: & posteà nihil dicam. Fuerit autem quispiam, ait Valerius, qui eum possit sanare? Non hoc solùm, inquit sanctus, sed omnes etiã alios

Papylus sistitur.

morbos & affectiones insanabiles facilè curauerit, qui Christum omni morbo medentem inuocauerit. Dixit autem Valerius: Videamus in præsentia id, quod dicis. Non ego, inquit Papylus, aggrediar primus. Vereor enim, nè cùm ipse omnia adulteres, miraculum adscribas dæmonibus. Sed tui primùm inuocent quem velint tuorum deorum, & tunc ego quoque ostendam Christi mei virtutem.

Frustrà inuocantur falsi dij.

Tunc cùm quosdam deorum cultores & sacrificos adduxisset Valerius, iussit suos inuocare deos, nullam, quæ ad hoc faciat, omittentes artem, nec industriam, nec rationem. Illi autem, alius aliò accedentes, hic quidem Apollinem, ille autẽ Aesculapium, alius deindè alium inuocabat ex dijs adulterinis, impotentes in re, quæ fieri non poterat, quòd ad homines attinet, inuocantes. Eratque res valdè ridicula, & plena dedecore. Quid enim de viuentibus, magnus inquit Esaias, sciscitabuntur mortuos? Totus ergò dies præterijt, & illi quidem rogabant, supplicabant, sacrificabant, rebus illis vanis perpetuò assidebant. Surda autem, surda erant: & ei, qui ex parte cæcutiebat, nullum erat auxilium ab ijs, qui erant cæci penitùs. Quid ergò Christi seruus? Simul cum carnis oculis animæ quoque oculos ad cælum tollens, ad misericordiam suum inuocabat Dominum. Deindè quid? Crucis signum immittit oculis, manu tangit, & tactum lux est consecuta, & extinctus oculus faciliùs est apertus, quàm si somno fuisset opertus: &, quod maius est, eius, qui beneficio affectus fuerat, animę quoque ablata est cęcitas, eratque credens, & veram lucem intuebatur, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & simul etiam magna hominũ multitudo deducta est miraculo ad agnitionem veritatis. Quem non hæc mutâssent, & effecissent quærere & discere, quisnam is sit, qui tanta est virtute præditus? Sed & si omnes, nequaquam quidẽ certè Valerium, immò eum etiam seipso fecerunt longè sæuiorem, perinde ac si delectaretur errore, & nequaquàm sustineret aperiri veritatem. Vndè etiam cum eius martyrem sublimem supra lignum sustulisset, verberat acerbissimè, tales ei reddens remunerationes pro beneficio, quo eius affecerat assessorem.

Est Sap. 13.

Crucis signo cæcum illuminat.

Multi credunt in Christum.

Papylus acerbissimè flagellatur.

Et flagellis quidem cædebatur pulchrũ illud corpus: Papylum autem non hoc malè habebat, sed quod non grauiora infligerentur tormẽta, ęgrè ferebat: quomodò contrà Valerius, victa videns sua tormenta à martyris animi magnitudine, dolebat & acerbè tolerabat. Adiecit itaque etiam alia: & ignem accendit eius lateribus: & iubet eum appeti lapidibus. Sed nec aduersùs ignem se gessit martyr ignauè: & lapides veluti reueriti corpus, quod sic prò Christo torquebatur, aliò quidem iaciebantur, nequaquàm autẽ in ipsum ferebantur. Cùm ergò iam defessus esset Valerius, nec iam haberet, quod sanctis inferret ad suppliciũ, dabat tempus vibicibus, reputans fortassè, quod si parùm dimissi sic fuerint martyres, inflammati iam vibices eos grauioribus afficerent doloribus, & sic redderent molliores ad futurã quæstionem. Sed ij cùm propè haberent medicum, propter quem plagas lubenter accipiebant, non solùm à doloribus, sed etiam à vulneribus liberati sunt simul cum cicatricibus, ne vllum quidem in se eorum ferentes vestigium. Quarè seipsum imprudens feriebat Valerius, non martyres. Quo enim illi magis leuabantur laboribus, eo magis cor eius cædebatur: itaque, perindè ac ignis, cum accendebat.

Iterùm diuinitùs sanãtur martyres.

Breue tempus intercessit, & rursùs ille quidem præsidet in excelso tribunali, toruo & cædem spirante adspectu intuens, & per animæ speculum, oculos, internã ostendens acerbitatem, & nec pluribus quidem sui præbens adeundi copiam: illum autẽ tantùm circunsistunt, quicunque erant ministri eius arrogantiæ. Introducuntur autem viri pręclari, vel potiùs ingrediuntur prompto & alacri animo. Diceres eos vocari ad conuiuium, non autem ad certamen. Et ille quidem videbatur, vel ante minas, eos esse territurus ipso solo adspectu: & interrogabat, sententiæ martyrum faciens periculum: & visione appræhendebat eorum mutationem. Tantum verò aberat, vt illi ità essent affecti, vt etiam ei exprobrarent tarditatem in ferenda sententia, & quòd non citò morerentur, valdè ægrè ferrent: Cur, dicentes, & tibi, & famulis exhibes molestiam, nos quidem sæpè adducens, postremæ autem semper parcens sententiæ, sperans fortassè fore, vt nos pœniteat, & persuadeas, vt à Christo deficiamus & veritate? Quod quidem tunc adspexeris, cùm videris nos ęquè àc deos tuos, nullo sensu prę̀ditos & surdos. Hęc cùm primùm dixissent, murices quidem ferrei dispergebantur in terra: præclari autem viri in eos nudi iaciebantur, & supini super eos trahebantur crudeliter: res ad cruciatum acerbissima, cùm vel solùm subijcitur oculis. Sed nec in hoc quidem Deus suos neglexit famulos: sed statim (oportet enim rursus aliquid dicere ex diuina scriptura) ascendit

Mira eorũ alacritas.

Immaniter cruciantur.

dit inſpirans in faciem eorum, & eos liberans ex afflictione Et protinùs euanuerunt murices: & conſeruati ſunt ipſi illæſi à malis. Hoc planè iudicem accendit ad furorem: & nouaculæ adeò crudeliter martyrum latera laniabant, vt vtraque pars rursùs egrederetur naturales limites, nempe & lictores in puniendo immiſericorditer, & ſancti in forti animo tolerandis moleſtijs.

Diuinitùs liberantur. Vide ſupplicia.

Poſt hæc rursùs congregat beſtias crudeliſſimas, & ſanctis theatrum conſtituit, & ipſe ſedet ſpectator. Et cùm in medium adduxiſſet martyres, in eos immittit vrſam: & cùm putâſſet, ſimul atquè fuiſſent immiſſi, fore, vt virorũ præclarorum corpora diſcerperet, vidit potiùs naturam animalium ratione carentium, admirabiliter docentem intelligentiam eos, qui ſunt participes rationis. Vrſa enim, velutì reuerita ſpecioſos eorũ pedes, & pacem verè annunciantes, non ſolùm nihil noxium, nec agreſte fecit, nec, vt ſemel dicam, belluinum: ſed ad eorum pedes procidit, & amicè eſt amplexa. Nec hoc quidem ſuffecit inſipienti ad dandam ei intelligentiam. Sed leo quoquè protinùs immittitur: qui ipſe ſimiliter, atquè vrſa, diuinis obediebat nutibus, ijs, qui pro communi Domino grauia patiebantur, nihil omninò volens mali facere. Valerius autẽ, tanquàm ipſe ſeipſum conans ſuperare in ſcelere, in lacum quendam noua calce & recèns extincta, vel, vt meliùs dicam, accenſa refertum, iubet ſanctos immitti, & in eo degere tres totos dies, tali modo inuictos moliens vincere impius. Sed fruſtrà laborabat, aduersùs verum Deum depugnans. Nam diuina quædam gratia, & virtus Chriſti aderat martyribus, qui propter ipſum erant in lacu, hebetans quidem calcis operationem, à malo autem illæſos ſeruans athletas.

Vrſa manſueſcit. Item leo. Mittuntur in calcem martyres.

Valerius autem quò maiorem gratiam videbat apparere in ſanctis, eò magìs iracundia feruebat ipſe iuueniliter, contendens ſtultus vel Deo eſſe fortior. Crepidis itaque ferreis, longis fibulis confixis, iubet calceari pedes martyrũ, & calceatos illos ſic currere, vt ſaltem viderentur victi in hoc certamine. Sed rursùs quoquè laborauit temerè. Quò enim magìs noua excogitabat, eò magìs diuina virtus adumbrabat ſanctos, & ijs, quæ inferebantur, reddebat ſuperiores, & aduersùs aſpera & grauia efficiebat robuſtiores. Ille autem adhuc eos tentabat à ſua traducere ſententia, quibus ſic apertè diuina opem ferebat gratia: & volebat eos ſacrificare rebus abominandis: adeò emotæ mentis erat impius. Cùm ergò neſciret quid ageret, pudore iam affectus, & apertè ſuperatus, accendit fornacem, quæ multa alebatur materia: & in medium eius inijcit martyres. Illa autem protinùs fuit extincta, & refrigerabat ſanctos. Quo quidem tempore honeſtiſſima quoquè Agathonica, quæ erat verè ſoror martyris, diuini, inquam, Papyli, & flammam cum eis intrauit, & certaminum, ſicut etiam coronarum, fuit particeps. Rursùs ergò rediêrunt in cuſtodiam: & rursùs vacabant hymnis ad Deum & precibus.

Aliud genus cruciatûs. Agathonica ſoror Papyli.

Cùm autem dubius eſſet animi iudex, nec vllum inueniret exitum, vix tandèm eos condemnat, vt vitam finirent gladio. Ducebantur ergò martyres gaudio pleni ad locum conſummationis, cùm nec præclara quidem Agathonica ab eis abſcedere ſuſtinuiſſet. Deindè cùm ſanctas manus ad Deum ſuſtuliſſent, non pro ſe ſolùm preces fundebant, ſed etiam orabant, vt ſui occiſores ab errore liberarentur, & conuerterentur ad pietatem. Sic gratiam ſuis referebant inimicis, eius, qui bonus eſt, diſcipuli, occiſoribus ſuis precantes veniam eius, quod erant admiſſuri, facinoris: quibus alioquì ipſi magnam habebant gratiam, quòd per eos migrarent ad eum, quem deſiderabant. Cùm precati quoquè eſſent ea, quæ erant omnibus vtilia, eis capita fuerunt amputata tertiodecimo menſis Octobris. Precioſas autem eorũ reliquias, quę abiectè & contemptìm iacebant, Chriſtianorum manus cùm ſuſtuliſſent, cum lampadibus ſimul & hymnis in loco inſigni præclarè depoſuerunt, opes Chriſtianis inuiolabiles, malignis ſpiritibus flagellum terribile, & rorem omnibus ægrotantibus & certam medelam: ad gloriam Dei patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti: quem decet honor & potentia, cum ſanctiſſimo & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.

Plectuntur capite. Nota de reliquijs.

VITA S. MARTII ABBATIS, AVTHORE S. GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO, DE *Vita Patrum. cap.* 14.

13. Aprilis.



Agnum nobis diuina pietas largita est beneficium, cùm delictis nostris fieri præcepit de remissione refugiū, si negligentibus ignoscamus, si indulgeamus lædentibus, si odientibus nos econtrariò commodū benedictionis impertiamus, dicente Domino Iesu Christo: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus & persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Ecce quàm magnū thesaurum congregat contemptus iræ, recōciliatio damnati, remissio iudicati. Filium te Dei patris facit, cohæredē Christi adscribit, cęlestibus regnis habitatorē statuit. Vndè manifestum est oblita delicta eius in cęlo, qui delinquenti beneficium veniæ impertitur in seculo. Sic enim Dominici oris sentētia prolata testatur: Si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & pater vester cælestis peccata vestra. Cùm verò supplices famulos docet orare, ait: Sic enim dicetis ad patrem: Dimitte nobis debita nostra, quemadmodùm & nos dimittimus debitoribus nostris.

Matth. 5. Ignoscere in se peccātibus quàm vtile. Matth. 6. Ibidèm.

Igitur S. Martius, beatus Abbas, sanctitate præclarus, diuinis eruditus studijs, huius sententiæ bonū retinuit corde, vt libenter dimitteret delinquenti: & non solùm ignouit noxam, verumetiam munere præbuit gratiam, nè in aliquo vilem redderet culpati personam. Sed antè de conuersatione eius pauca locuturi sumus, priusquàm ad huius beneficium accedamus.

Beatissimus hic Martius, Aruernę vrbis Abbas, eiusdem territorij fuisse incola fertur: & à pueritia sua religiosam agens vitam, totum se Dei operibus dedicauit. Erat enim parcus in cibis, largus in eleemosynis, promptus in vigilijs, in orationibus valdè deuotus, totis viribus luxuriam abstinentiæ freno ac parcitatis agone coërcēs, nè sibi aliquid subrepere posset. Non immeritò Martius vocitatus, qui fortiter ac strenuè pullulantes actionum mortalium cogitationes, gladio spiritûs sancti in ipso dimicationis exordio succidebat, non surdus auditor exhortationis: Accingite vos armatura Dei, & gladio spiritûs sancti, vt possitis ignita diaboli tela contemnere. Cumq; ad ætatis legitimæ perfectionem venisset, & tanquàm sidus egregium in illa vrbe fulgeret, adhuc aliquid sibi deesse putans, haud procùl ab ea secessit: acceptoq; sarculo, montem lapideum cædere cœpit: in quo cellulas sculpens, habitacula sibi paruula fecit, scilicet vt arctiùs sobrietatis catena constrictus, faciliùs Deo omnipotenti precum thura, laudationumq; holocaustomata super cordis mundi altare proferret, recolens Dominū dixisse per Euangelium: Intra in cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Sciebat enim angelicæ sibi visitationis consolationem adfore, si se ab humanis adspectibus longiùs amouisset.

Virtutes S. Martij. Ephes. 6. Cellam sibi in monte saxeo condit. Matth. 6.

In hac ergò rupe cauati montis, habitationi res necessarias præparabat, formans in antro ex ipso lapide scamnum & cellulam siue lectulum, in quo post laborem multum fesso corpusculo requiem indulgeret. Sed erant hæc immobilia, quia ex ipso lapide incisæ massæ ipsi petræ inhærebant. Nihil autem super eam, cùm quiesceret, sternebat, sed tantùm cum vestimento, quo indutus erat, decumbebat, non alios habens tapetes, plumellas aut stragula, quo hæc operirentur: nihil enim habebat proprium, nisi Dei cultum, in quo indeficiens permanebat. Victum ei interdùm deuotorum largitio ministrabat. Deniquè æternus Dominus, qui iugiter glorificat sanctos suos, cœpit cæleste famuli meritum terrigenis declarare, vel qualis esset cultor suæ diuinitatis ostendere, dum ei curationum gratiam dignatus est impertire. Nam dæmones de obsessis corporibus in nomine Iesu Christi verbo fugabat: venenum malæ pustulæ Crucis signaculo opprimebat, quartanis, tertianisve febribus infuso benedicti olei liquore medebatur: & multa alia beneficia populis, annuente largitore bonorum omnium, tribuebat.

Durum stratum S. viri. Efficacia Crucis & olei benedicti.

Ad tanti viri famam cœperunt quidam ad eum confluere, gaudentes eius instrui disciplinis. Quid plura? Colligit viros, format monachos, efficit ad opus Dei perfectos: erat enim ei magna patientia, tantamque aduersùs sustinendarum iniuriarum tela sumpserat

Monachos colligit.

pſerat bonitatem, vt putares eum lorica dulcedinis eſſe vallatum. Erat autem monachis hortus diuerſorum olerum copia ingenti refertus, arborumq́; & fructuum, amœnus viſui, & fertilitate iucundus: ſub quarum arborum vmbraculo, ſuſurrantibus auræ ſibilo folijs, beatus ſenex plerunquè ſedebat. Quidam autem imprudens, & ſine timore Dei, gulæ circunſcriptus deſiderio, effracta ſepe horti, furtiuo eſt ingreſſus aſſcenſu, ſicut Dominus exprobrat in Euangelio: Quia qui non intrat per ianuam, hic fur eſt & latro. Porrò autem erat noctis tempus: (nec enim poterant hæc niſi in nocte perpetrari: quia omnis, qui malè agit, odit lucē) Hic igitur collectis oleribus, cepisq́; & allijs, atque pomis, oneratus faſce fraudis iniquæ, ad aditum, quo ingreſſus fuerat, pergit, ſed nequaquàm reperit exitum. Grauata onere conſcientia terretur, & inter labores ponderum alta ſuſpiria ducit, ſuſtentatur interdùm ſuper columnas arborum. Circuit iterùm iterumq́; omnem ambitum horti, & non modò oſtium non reperit, verumetiam nec ipſum, quem inter nocturnas tenebras patefecit, aduertit ingreſſum. Torquetur verò, duplici cruciatus dolore, nè aut teneatur à monachis, aut à iudice capiatur. Inter has cogitationum faces nox ei elongatur, iubarq́; lucis deſideratæ non redditur. Abbas verò in pſallentio noctem ducit, &, vt credo, reuelante Deo, quę gerebantur, agnoſcit. Etenim albeſcente iam polo, vocat Præpoſitum, dicens: Accurre velociùs ad hortū: bos enim petulcus ingreſſus eſt in eum, ſed nihil læſit ex eo. Accede nunc, & impoſitis neceſſarijs, dimitte eum: ſic enim legitur: Boui triturãti os non colligabis. Præpoſitus verò non intelligens quæ narrauit, abijt vt impleret iuſſionem. Quem cùm vidiſſet homo appropinquantem, proiectis in terram, quæ ſumpſerat, fugere cœpit, ac inter ſpinas & rubos caput immergit, & in modum porcorum aditum, vndè egrederetur, conatur aperire. Quem monachus appræhendens, ait: Nè timeas, fili, quia ſenior noſter miſit me, vt ducam te ab hoc loco. Tunc collecta monachus, quæ ille proiecerat, tam poma quàm olera, impoſuit humeris eius, & aperto oſtio, dimiſit eum, dicens: Vade in pace, & nè vltrà repetas, quæ ignauia comitante geſſiſti.

Iohan. 10.
Iohan. 3.
Fur diuinitùs punitur
Deut. 25.
Obſerua humanitatem erga furem.

Ipſe quoquè Sacerdos, velut iubar veri luminis in orbe reſplendens, infirmitatum morbida, virtutū efficacia pellebat aſſiduè. Niuardus quidam diuturna febre deтētus, dum aquas æſtuans ab ardore haurit aſſiduè, ab hydrope intumuit,ità vt tam venter, quàm ſtomachus, in modum veſicæ cerneretur extenſus. In deſperatione ergò pro tali infirmitate poſitus, deferri ſe ad ſanctum beneficio plauſtri depoſcit. Deniquè eleuatur à lectulo, imponitur ſuper vehiculum, atque ad cellulam ſancti perducitur, deprecans humiliter, vt ſibi Sacerdos Dei manus imponeret. At ille proſtratus in oratione coram Domino, conuerſus eſt ad infirmum, tactuque blandiſſimo eius membra contrectans, eum in contemplatione adſtantium reddidit ſanum. Nam ità fertur tumor omnis ante digitos eius aufugiſſe de corpore obſeſſo, vt nullum in eo vlteriùs ægritudinis remaneret indicium. Hæc autem à mei genitoris relatione cognoui, eò quòd ei fuerat hic Niuardus in amicitiæ coniunctione deuinctus. Aſſerebat autem idem, vidiſſe ſe quoquè ſanctum, atque eius miracula expertum. Nam cùm eſſet adhuc puer quaſi annorū vndecim, ab illo tertianarum ardore febrium occupatur. Tunc amici appræhenſum puerum duxerunt ad virum Dei: erat enim iam ſenex, & proximus reſolutionis diei, caligabantque oculi eius. Poſita verò manu ſuper puerum, ait: Quis eſt hic, vel cuius eſt filius? Reſponderunt: Famulus tuus eſt, nomine Florentius, Georgij quondàm filius ſenatoris. Et ille: Benedicat, inquit, tibi Dominus Deus, fili, & ſanare dignetur languores tuos. At ille oſculans manus ſuas, & gratias agens, abſceſſit ſanus. Aſſerebat autē nunquàm deincèps ſe in omni vita ſua ab hoc contagio fuiſſe pulſatum.

Sanatur hydropicus.
Item febricitans.

Ipſe iam ætate nonagenaria bono deſudans certamine, conſummato curſu vitę, ſeruans in Deum fidem, ad illam coronam iuſtitiæ, quam retribuit Dominus, commigrauit. Dehinc cum ſummo honore ablutus, dignisque veſtimentis indutus, infra oratoriū monaſterij eſt ſepultus. Quòd autem beatus eius tumulus diuinis virtutibus illuſtretur, ipſa, quæ aſſiſtit, caterua poterit conteſtari: quæ cùm infirmos mittit ad tumulum, extemplò incolumes domum remittit. Nam cùm diuerſis è partibus confluentes, deferentesque morborum genera, inibì capiant medicinam, frigoriticorum tamen nutantia tremore membra, ſæpiùs ad ſoliditatem integram reſtaurantur, tribuente hoc Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui miraculis illuſtribus ſanctorum tumulos glorificat. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Obit vir Dei.
Miracula ad eius tumulum.

VITA S. *ERMIGILDI FILII REGIS VVISI GOTTHORVM, PER D. GREGORIVM PAPAM *scripta, lib. 3. Dialog. cap. 31.*

* Hermenigildi

13. Aprilis.



Sicut multorum, qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognouimus, nuper Ermigildus rex, Liuigildi regis Vuisigotthorum filius, ab Arriana hæresi ad fidem catholicam viro reuerendissimo Leandro Hispalitano episcopo, dudùm mihi in amicitijs familiariter iuncto, prædicante conuersus est. Quem pater Arrianus vt ad eandem heresim rediret, & præmijs suadere, & minis terrere conatus est. Cumque ille constantissimè responderet, nunquàm se verā fidem posse relinquere, quam semèl agnouisset, iratus pater, eū priuauit regno, rebusq; expoliauit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum manusque illius ferro ligauit. Cœpit itaq; idem Ermigildus rex iuuenis terrenum regnum despicere, & forti desiderio cæleste quærens, in cilicijs vinculatus iacens, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere, tantoque sublimiùs gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnouerat nil fuisse, quod potuerit auferri.

Hermenigildum conuertit Leander Epis.

Mittitur in carcerem.

Superueniente autem paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianum episcopū misit, vt ex eius manu sacrilegę consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Arriano episcopo venienti exprobrauit vt debuit, eiusque à se perfidiā dignis increpationibus repulit: quia etsi exteriùs iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso episcopo Arrianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic, vbi iacebat, occiderēt: quod & factum est. Nam mox vt ingressi sunt, securim cerebro eius infigentes, vitam corporis abstulerunt: hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuêre miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem regis & martyris audiri: atque ideò veraciter regis, quia & martyris. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: vnde & factum est, quatenùs corpus illius, vt videlicet martyris, iure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus & paricida, commotus pœnitentia hoc fecisse se doluit, nec tamen vsque ad obtinendam salutem. Nam quia vera esset catholica fides, agnouit: sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc peruenire non meruit. Qui oborta ægritudine, ad extrema perductus est, & Leandro episcopo, quem priùs vehementer afflixerat, *Richardum regem filium suum, quem in sua hæresi relinquerat, commendare curauit, vt in ipso quoquè talia faceret, qualia & in fratrē suis exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est.

Communionem Arrianā respuit.

Perimitur in carcere.

Miracula fiunt.

* Recchare dum

Post cuius mortem Richardus rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Arrianæ hæreseos prauitate conuersus est. Totam quoquè Vuisigotthorum gentem ità ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam prauitatem non timeret. Nec mirum, quòd verę fidei prædicator factus est, qui frater est martyris: cuius hunc quoquè merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequaquàm posset, si Ermigildus rex pro veritate mortuus non fuisset. Nam, sicut scriptum est, Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite. In Vuisigotthorum etenim gente vnus mortuus est, vt multi viuerent: & dum vnum granū fideliter cecidit, ad obtinendam fidem animarum seges multa surrexit. Hactenùs S. Gregorius. Porrò Sigebertus in Chronicis Anno Christi 583. scribit Hermenigildum filiam Sigeberti regis Francorum duxisse vxorem, & per eam conuersum ad orthodoxam fidem (hauddubiè opera Leandri Episcopi). Deindè anno Christi 586. Hermenigildum à patre damnatum exilio, & anno 589. in carcere securi occisum.

Recchare-dus rex ex Arriano fit Catholicus.

Iohan. 12.

VITA

VITA LYDVVINÆ VIRGINIS SANE ADMIRANDA, AVTHORE F. IOANNE BRVGMANNO

Franciscano. Eam verò F. Laurentius Surius suo stylo contraxit, omissis, quæ sine historiæ detrimento omitti potuerunt, nè Tomus hic nimiùm excresceret.

Necdùm comperi Lyduuinam hanc, licet sanctissimã, Sanctorum catalogo adscriptam.

PARS PRIMA.

CAP. I.



Yduuina virgo in Comitatu Hollandiæ, oppido Schiedamensi traxit originem è domo valdè religiosa. Eam autem Dominus suæ dulcedinis benedictione præueniens, à seculo nequam clementer eripuit. Patrem habuit Petrum, matrem Petronillam, qui labore manuum suarum victum sibi comparantes, mandatis Domini conuenienter viuere studebant sine querela, sicut & maiores eorum, à quibus orti erant. Petri enim parens Ioannes vir fuit vitæ laudabilis, rectus & timens Deum, & qui defuncta vxore permansit viduus, corpusque attenuauit inedia, biduanis ac triduanis ieiunijs hebdomadatim illud afficiens, eique effœto non nisi panem & aquam præbens, Domino fideliter seruiens die ac nocte. Confitebatur semper peccata sua sabbati die, orabat multum, animi pijssima suauitate liquescens, & sacrosanctam Eucharistiam feruentissimo amore, decimoquinto quoque die percipiebat. Maligni dæmones pijs eius studijs inuidentes, domunculam eius sæpè euertere nitebantur: & si ei nocere non possent, interdùm domesticos eius ceu canes rabidi, nimio eis iniecto terrore, è domo exturbabant. Porrò huius Ioannis filius Petrus ex sua vxore Petronilla nouem proles sustulit, mares octo, fœminam vnam Lyduuinam. Solebat autem in partu non sine magno versari discrimine Petronilla, & cùm Lyduuinam gestaret in vtero, verebatur nè quid aduersi sibi ex partu accideret. Itaque obnixè rogabat Dominum, vt ipsi parienti propitius adesset. Adueniente partûs tempore, Dominica Palmarum ingressa est templum: sed cùm passio CHRISTI cantaretur, doloribus correpta, domum redijt, & mira facilitate filiam enixa est. Ea deindè baptismi vndis expiata, Lyduuinæ congruentissimum nomen accepit, quod potest Latinè dici, latæ patientiæ. Reuerà enim, vt sequens docebit historia, tanta & tam multa perpessa est hæc sacra virgo, vt posset etiam ipsa cum Apostolo dicere, se adimplere ea, quæ desunt passionum Christi in corpore suo. In ipsis adhuc posita incunabulis, diro torta cruciatu, post vagitus & lachrymas, non paucos egerebat calculos: & infantula, belli dolique ignara, iam pœnis exercebatur, quibus ferendis etiam fortissimorum virorum animi plerunquè succumbant: atque ijs ad futura certamina præparabatur. Cœpit deindè sub parentum domestica institutione, quantùm tenera illa fert ætas, ea quæ Dei sunt studiosè addiscere, & lingua balbutiente iucundo animo angelicam exprimere salutationem, sacra inuisere loca, imaginem matris Virginis vbi poterat officiosè salutare. Obitèr hîc inserere libet, etsi fortassis videamur ab instituto deflectere, quid Schiedami gestum sit. Mercator quidam eò attulerat imaginem sanctissimæ Virginis, venditurus in nundinis Antuerpiensibus. Naui igitur eam imponit, nautæ se ad soluendam nauim comparant, sed eam nulla vi aut ratione mouere possunt. Aduolant multi ad nouæ rei spectaculum, stupent omnes, tandèm suspicantur id fieri propter imaginem matris Dei, orant mercatorem vt propter miraculum iusto accepto precio à fabricæ præfectis, imaginem illic relinquat: assentit ille, tollitur imago, & reuerenter in æde beatissimi Ioannis Baptistæ collocatur. Crescit indè amor & deuotio propter imaginẽ, instituitur quædam fraternitas, & illo loco quotidianæ matris Dei laudes celebrantur. Sed ad Lyduuinam reuertamur. Ea cùm fere septennis iã esset, coæuis sodalibus docilitate & pietate lõgissimè antecedebat: fugiebat lasciuarũ puellarũ cõsortia, respuebat ludos. Missa crebrò à matre, vt fratribus ientaculũ aut quippiã eiusmodi afferret, clàm ibat in

Aprilis 14.
Lyduuinæ patria & parentes.
Auus eius.
Malignitas dæmonum.
Colos. 1.
Infantula adhuc diros patitur calculi dolores
Miri quiddam de imagine S. Mariæ.
Pietas eius puerilis.

templum, & sublatis in cælum manibus coram memorata sacratissimæ Virginis imagine, ab intimo pectore ardentem promebat precatiunculam. Quòd si interdùm obiurgata esset à matre propter longiorem moram, respondit ei: Quæso bona mater, nè molestè feras. salutaui enim speciosissimam Dominam nostram, & illa mihi blandissimè arrisit. Id audiens mater, conticuit, credens Dei spiritum loqui in puella. Accedente indè ætate, qua solet caro insolescere, videns Lyduuina totum ferè mundum in maligno positum, coætaneas quoquè puellas per abrupta ferri in discrimina vitiorum, nè candidam stolam, quam in baptismo acceperat, vel tenuiter inquinaret aliquo libidinis ardore, conata est fugere è medio iniquitatum. Hortabantur eam mundo dediti homines, vt viro nuberet, carnis delicias consectaretur, cumulandis opibus operam nauaret: at illa sic deprecabatur Dominum: Auerte à me, Domine Deus, vitiosum cuiuscunque hominis amorem, nec me sinas erga creaturam vllam vitiosè affici. Erat autem formosa corpore, statura eleganti, in tractandis rebus domesticis, tametsi duodecim annos nata duntaxàt, sanè perita & exercitata, moribus commoda & grata admodùm. Indè verò fiebat, vt etiam opulenti & honesti viri eam sibi à patre coniugem expeterent. Quorum ille precibus victus, cùm esset ei domi curta supellex, tanquàm inopiæ suæ opportunè consulturus, quasi gloriabundus proponebat hæc filiæ suæ. Illa verò sic respondit: Ego, mi pater, virginitatis thesaurum fero in vase fictili, quem propter mortalis hominis coniugium nullo pacto prodere velim. Itaque oro te, nè mihi posthàc sponsi vllam mentionem inijcias. Sub his illorum colloquijs aduenit mater, arcanorum filiæ suæ conscia, aitque ad maritum: Frustrà, mi vir, de coniugio filiam appellas, à quo eius & ætas necdùm satis matura, & Deo deuota voluntas abhorret. Vnicæ filiæ nostræ vnico Deo, si velit ipsa, potissimùm consecranda est virginitas. His à matre dictis, Lyduuina constanter & verecundè, nec sine gemitu subiunxit: Nullus me mortalium eò allicere poterit, vt spontè nubam. Quòd si vi coacta fuero, rogabo Dominum, vt ea me corporis deformitate afficiat, quæ omnium animos facilè à me auertat. Id vbi accepit pater, deincèps nullam ei de matrimonio contrahendo molestiam exhibuit. Sciens autem Lyduuina se inter latrunculos versari, cœpit custodire vias duras, diligentiùs vitare hominum & puellarum conspectum, domi se continere, virginitatis propositum Domino gemebundis precibus commendare. Ità dum seculi fugit strepitus & vanitates, in solitudine accreuit ei simplicitas: in simplicitate deuotio, in deuotione feruor amoris diuini. Vt autem ad sancti spiritus maiora capessenda charismata aptior fieret, castigans castigauit eam Dominus, & multiplicatæ sunt infirmitates corporis eius, vt acceleraret, accelerandò Dominum quæreret, quærendo patrem inueniret, inueniendo Deum possideret.

Recusat nuptias etiam diuitum procorum.

Vitat hominum consortia studio castitatis.

CAP. II.

Annos igitur nata plùs minùs quindecim, ex diuturno morbo admodùm deformis effecta est, & decor faciei eius adeò mutatus est, vt qui anteà impensè eam amauerant, iam illam aspernarentur, faciente id illlo, qui pulchras animas amat etiam in non pulchris corporibus. Accidit autem, vt quodam die hyberno tempore, cùm flumina iam glacie concreta homines per ea inambulantes facilè sustinerent, sodales virgines Lyduuinam, quæ tum recèns conualuerat, animi causa inuitarent ad captanda quædam in aquis frigore constrictis oblectamenta, vt solent apud Batauos puellæ. Sed illa, vt quæ nunquàm, instàr Saræ illius, cum ludentibus se miscuisset, omne humanum solatium floccipendens, assentire illis noluit. At tamen illis perurgentibus, vt vel spectatum cum ipsis iret ad glaciem, tandèm cessit, abijtque ad aquas glaciales, corpore adhuc parùm firmo, aspexitque puellas sursùm deorsùm cursitantes, cùm eccè paulò pòst vna ex puellis rapido cursu aduolans, nec se cohibere valens, in eam casu impingit, eamque in glaciei fragmenta dirissimè prosternit, adeò vt costa vna corporis eius frangeretur. Mox iocus abit in lachrymas, existunt clamores, & quam iucundis animis eò adduxerant puellę, eam suis manibus cognati reportant, desperata salute eius. Aegrè die illo è doloris sui lectulo surrexerat, & nunquã indè descensura incolumis, eò reducitur, Domino hauddubiè sic volente. Casus ille subitaneus magnæ omnibus admirationi fuit, & alij quidem atque alij aliter & aliter de virgine loquebantur: qui autem cordatiores erant, & vitam eius nouerant, dicebant Domini manu id fecisse, quod etiam rei euetus cõprobauit. Interim verò vndiquaquè accersuntur medici prece & precio, aduolant & chirurgi peritissimi. Sed neq; medici, neq; chirurgi quicquã possunt omni arte & industria

Tob. 3.

Horrendo casu grauissimè læditur

Nulla potest arte curari.

ſtriâ ſua, vbi Dominus vulnerat, & ſolus mederi vult. Dolor autem virginis increſcebat, in pectore & ſub coſtis innumeræ exiſtebant perpeſſiones, accedebat diriſſimum apoſtema, iudicio medicorum fiebant ſemper poſteriora deteriora prioribus, abſumebantur exiguæ parentum facultates, tandèm de vita puellæ deſperabatur. Erat per id tempus in Hollandia medicus inſignis Godefridus Sonderdanckius, pijs pauperibus valdè addictus. Is cùm & audiuiſſet & vidiſſet, quæ Dominus operari cœperat in virgine, Infirmitas hæc, inquit, omnem noſtram medendi vincit facultatem, & ſi ea curanda vel aureos poſſimus lucrari montes, omnem ludemus operam. Meo quidem iudicio author naturæ DEVS talia operaturus eſt in hac adoleſcentula, qualia fortaſsis hactenùs comperta non ſunt. Atque vtinàm efficere poſſem, vt mea filia iure diceretur: libens ego eo nomine tantum darem auri, quantum eſt pondus capitis eius. Sic ergò omni medicorum ſolatio deſtituta virgo, ſola ſpe opis diuinæ nitens, diro eam excruciante apoſtemate circa coſtas, ſine vlla requie huc & illuc ſe verſabat. Conſolabatur filiam grandæuus pater, vt potuit, ſed doloribus augmenta capientibus, augebantur ſimul virginis gemitus ſanè miſerandi. Erat ei iam anguſtus locus omnis, vis nimia doloris animum propè abſorbebat. Tandèm immodico victa cruciatu, ſuî penè impos, è lectulo ſe deiecit in ſinum patris. Indè diruptum mox apoſtema eſt, & humor ex eo profluens, cùm aliundè non poſſet, per os cum vomitu tanto cum dolore erupit, vt omnibus membris puella diſcerpi videretur, omneſque tanquàm ilicò morituram lugerent. Tum verò aduertere cœperunt domeſtici eius, ſolum Deum opitulari ei poſſe. Certè ſi quis tunc videret miſellam adoleſcentulam cunctis viribus deſtitutam, membrorum omnium officio orbatam, genibus & manibus inſtàr monſtri cuiuſdam humi reptantem, nunc trunco, nunc ſcabello per domûs angulos ſe promouentem, interdùm inſtàr vermiculi ſeſe agitantem, non poſſet abſtinere à lachrymis. Quis verò ſine dolore adſpiceret puellam anteà cunctis amabilem, mòdò contemni ab omnibus? Omnem eſcam abominabatur anima eius. nam ſi vel parum ſumeret, mox euomere cogebatur. Potum quoquè licèt magni precij prorsùs recuſabat. Faſtidioſus ſtomachus, vt ſolent prægnantes fœminæ, ſæpè ex lebetibus tepidam, quandoquè è canalibus putentem aquam expetens hauriebat. Stomacho vacuo aut exiguus, aut penè nullus ei ſomnus erat. Vnicum ei ſolatium, per ſingulas noctes lachrymis rigare ſtratum ſuum, ab omnibus pro monſtroſa haberi, à ſodalibus puellis derelinqui, cum percuſſo Iob Deo gratias agere. Qua verò ſpiritûs amaritudine, quantis corporis cruciamentis, quanta vtriuſque hominis deiectione tres primos annos exegerit, ſoli Deo notum eſt, & quibus hoc ei placuit reuelare. Qualis autem fuerit in oculis Dei, vel hinc liquebit. Corrixabantur quandoquè inter ſe duo viri in platea, à verbis iam ventum erat ad verbera. Alter autem vel metu, vel imbecillitate fugam capeſſens, in domunculam, vbi Lyduuina decumbebat, ſe recepit. Sequebatur alter furibundus, & diſtricto enſe quærebat ex matre Lyduuinæ, vbi eſſet hoſtis ſuus. Negante illa non abſque tremore eum illic eſſe, irrumpit inſanus in cubiculum Lyduuinæ, ſciſcitatur num ibi ſit. Reſpondet virgo: Puto eum hîc eſſe. At ille tanquàm lumine orbatus, circunſpiciens vndiquè neminem videt, factuſque mitior ex verbis virginis, abſcedit. Abijt & alter, gratias agens quòd ſeruatus eſſet. Mater autem virginis, putans eam virum prodidiſſe reſponſo ſuo, obiurgauit eam, etiam alapam addens miſeræ. At illa patienter ferens, ſic ait: Credebam ego, mea mater, poſſe veritatem conſeruare virum, qui ad me confugerat. Hæc vbi dixit, mater conticuit. Hoc initium ſignorum fecit in ſponſa ſua Dominus IESVS.

Miſerandû in modum perpetuò cruciatur.

Vide triſte ſpectaculû.

Iob 1. & 2.

Hoſtis non videt hoſtê ſuum.

CAP. III.

PORrò humor noxius apoſtematis per corporis membra ſe diffundens, diuerſas attulit virgini ægritudines, moleſtas valdè. Computreſcebant apoſtemati vicina membra, marceſcebant propinqua corporis inteſtina, vermes horridiſſimi modo quodam inaudito è profundo corpore emergebant, quorum erat multitudo ingens, & tanta ſæuitia, vt corroſis viſceribus, tribus locis ventrem eius dirumperent. Erant foramina illa forma orbiculiari, colore atro, magnitudine fundi ſcutellæ communis. Vermes indè erumpebant quandoquè centum, nonnunquàm ducenti, vtplurimùm ampliùs centum quotidiè. Aſpectus eorum ſanè horrendus, color cinericius, materia aquata, craſſities inſtàr extremæ partis fuſi vſitatioris, longitudo qualis eſt articuli in digitis. Nè autem vitalia membra ſuo more exederent, malagmate quo-

Varij in virginis corpuſculo exiſtût morbi.

Nota de vermibus.

quodam, ex adipe frumenti, melle optimo & pinguedine caponis confecto, & ad foramina illa apposito eliciebantur. Sed priusquàm prodirent foràs, per omnia virginis vitalia membra peruagari putabantur. Referam obitèr, quod tum accidit. Erat Schiedami vir diues, conuiuium opiparum instructurus. Itaque præter alia animantia, etiam capones benè pingues sibi comparauerat. Rogat illum Lyduuina egentissima, primò per nuncium, indè per seipsam, vt parum aliquid sibi de caponum pinguedine impertiat, qua vermium rabiem, ventrem ipsius rodentium, sedare possit. Negat homo ab omni humanitate alienus : ait mendax, capones suos macie affectos. Tum illa, Rogaui te, inquit, & repulsam patior. Oro Deum, vt catus deuoret, quod miserrimæ mihi dare non vis. Et eccè aduentat lautissimi, vt putabatur, conuiuij dies, parantur capones, extrahitur adeps, conduntur omnia in promptuario : crastino manè, quod accuratiùs seruatum credebatur, totum cernitur tanquàm à bestijs laceratum. Cogebatur autem Lyduuina à diuitibus emendicare eiusmodi alimoniam, qua sæuissimi vermes nonnihil compescerentur. Deindè verò etiam dextra scapula eius putruit, ità vt non nisi colligata fascijs vel mappulis, in aliam posset verti partem absque membrorum dissolutione. Itaque vsque ad supremum vitæ diem supina iacuit in lectulo, vt posset etiam commodiùs intueri cælum. Membra omnia, dempto capite & brachio sinistro, tanta erant debilitate deiecta, vt ea mouere non posset. Dextrum brachium eius ignis, quem sacrum vocant, vsque ad ossa consumpserat, idquè multo tempore vno tantùm neruulo hærens, reliquo corpori cohærebat. Caput eius dolorum aculeis & malleolis compungebatur, frontem fissura longa & lata atque flexuosa deformabat. Mentum quoquè ad labrum vsque fissum erat, & concreto sanguine tumidum, ità vt non rarò liberè eloqui non posset. Oculus alter penitùs cæcatus erat, alter lumen naturale sine effusione sanguinis nouoque cruciatu ferre non potuit. Facies interdùm tumebat, dolebant sæpè dentes per hebdomadas, interdùm menses perpetuos, tanta vi & importunitate, vt ad insaniam propè eam adigerent. Guttur non rarò angina, alijque morbi anonymi infestabant, adeò vt nonnunquàm corpus Christi deglutire vix posset. Tantus manabat sanguis ab ore, naribus, auribus & oculis eius, vt horrorem afferret aspectantibus, & pijs lachrymarum riuulos exprimeret. Vomebat sæpissimè rubram aquam tanta copia, vt plerunquè mense vno vas indè impleri posset, quod à duobus viris portaretur. Rogata à curiosis, vndè tantus in ipsa existeret humor, nihil alimoniæ sumente, respondebat : Et vos mihi dicite, viri sapientes, vndè viti tantus liquor, quæ hyeme prorsus arida videtur? sicque sapienter indocta doctis faciebat satis. Pulmonis quoquè & hepatis particulas reijciebat; vbera eius ineffabilibus pustulis & apostematibus, sanie interdùm fluentibus, torquebantur. Calculo, instàr columbini oui magno, dirissimè affligtabatur, ità vt sæpissimè & sensu & loquela destitueretur. Hunc verò dicebat sibi potissimùm mortem allaturum. In communibus Domini flagellis & castigationibus, quibus interdùm Hollandia laborabat, hoc Lyduuinæ tanquàm peculiare munusculum diuinitùs obtingebat, vt cuiuscunque morbi vel pestis primitijs ipsa afficeretur. Magna intestinorum pars diù ante oculos eius è corpore pendula eminebat : itaque marcescente inferiori corporis parte, ventri sacculus lana plenus supponebatur, nè prorsùs effluerent. Tibiarum & pedum priuata sensu, vitam miserabilem multis egit annis. Quòd si interdùm supra naturam breuissimo temporis spatio diuinitùs sensus eis redderetur, id non ad solatium, sed ad noua dolorum genera excipienda mira dispensatione fiebat. Omnis generis febrium, sed diuersis temporibus, paroxismos patiebatur. Hecticam, tertianam, quartanam perpeti, familiare ei fuit : nunc simplici, nunc composita, modò ephemera vel quotidiana, modò acuta fatigari, ludus quotidianus putabatur. Et nè singulis immorer, non erat vllum in corpore membrum, quod inauditis non esset doloribus obnoxium. Nullum apud medicos morbi genus extat, cuius ipsa expers fuerit. Nulla in venis eius sanguinis gutta fuit, quæ Domini virgam paternè castigantis non senserit. At tamen horum morborum quidam ad extremum vitæ tempus permansêre, quidam ad certum annorum, mensium, hebdomadarum, dierum, horarum spatia durârunt. Porrò annis triginta & octo corporis nulla ei erat prospera valetudo, sed interior homo gratia Dei erat locuples. Accidit autem, vt in principio infirmitatis suæ humanum quiddam obreperet illi. Audiuit tum fortè à sumpto cibo ridentes & iocis ludentes puellas. Itaque oblita suî, cœpit flere amarissimè, quòd ceu compedibus

Marginalia: Vltio diuina in hominē inhumanum. — Nullum ferè membrū mouere potest. — Immanissimi dentium dolores. — Vomitus mirabiles. — Calculus ingens. — Omnis generis febres eā cruciant. — 38. annis ægrotat.

dibus vincta, à coæuis puellis prorsùs neglectui haberetur. Potest facilè venia dari tam durè flagellatæ, & necdum spiritûs vnctione delibutæ. Et primis quidem annis quatuor afflictionis suæ, secundùm exteriorem hominem patiebatur inuita, eratque ei molestum, quicquid cerneret. Cùm sic autem lachrymaretur, vetuli parentes nitebantur consolari eam: quædam etiam adolescentulæ, & cognati atque propinqui animabant eam, sed consolatores onerosi omnes illi: solus ille, qui percusserat, etiam mederi debuit dolori eius: quod vt fecerit, iam dicemus.

CAP. IIII.

ERat tum quidam vir Dei, Ioannes Pot. Is tanquàm à Deo missus, venit ad eam, cœpitque eam hortari ad patientiam, commemorare ei CHRISTI passionem, humilitatem, labores & sudores: inuitare, vt noctе ac die quoad posset in ijs meditandis versaretur. Promisit illa se sic facturam, & tentabat quidem sensim animo vertare vitam & passionem Saluatoris, sed quòd necdùm in ollulam suam missa esset farinula Elisei viri Dei, qui CHRISTVS est, amara & insipida erat omnis eiusmodi cogitatio. Reditur igitur ad lamenta & querimonias, quippe mors erat in olla. Redit etiam ad illam CHRISTI sacerdos Ioannes Pot, percunctatur quantum in libro charitatis profecerit. Respondet illa: Tu quidem, mi pater, ad optimum me studium hortatus es, sed mihi incompertum: nec sinit dolorum acerbitas sapere, quicquid de Domino IESV cogitandum suscipio. Ille verò cernens eius bonam animi voluntatem, gratulabundus ait: Labor improbus, charissima filia, vincit omnia. Oportet aliquam tibi vim adhibeas: frangas testam, & peruenies ad nucleum. Persеuera, & vinces. Illa autem dicente, immodicos corporis & animi cruciatus id non sinere, vir Domini eam egregiè animabat, multis modis eam confirmans, hortansque vt contemneret sodalium inepta gaudia & oblectamenta breui peritura, formam corporis pro nihilo putaret, rediret in memoriam eorum, quæ passi sunt sancti martyres, quàm multi iocis, diuitijs & voluptatibus sponte sua caruerint, solo Christo contenti, apud quem nunc summis opibus, honoribus, gaudijs & delicijs sine fine perfruuntur. Sed quia nihil, inquit, poteris viribus tuis, CHRISTVM aspice pendentem in cruce, & veritatem doceberis: CHRISTVM audi, & sapiens eris: CHRISTVM tolera, & requiem inuenies: CHRISTVM imitare, & refectione suauissima perfrueris: His auditis, cœpit sancta virgo manum mittere ad fortia, cœpit intellectu & affectu sitire passionis torrentem. Porrò autem tertiò ad eam venit sacerdos Ioannes Pot, afferens sacrosanctam Eucharistiam, vt solet ad ægrotos, qualis illa tunc erat. Cumque eam ei præbuisset, sic locutus est: Hactenùs ego te incitare conatus sum ad commemorandam passionem Domini tui: iam verò ille tibi loquetur. Quòd si fortiter & constanter ei obtemperaueris, erit merces tua magna nimis. Vix ille verba finierat, & in tantas virgo prorupit lachrymas, vt diebus quindecim vix eas potuerit cohibere. Ab eo die crescente morbo confirmabatur spiritu, amarum omne ei dulcescebat, nec quicquam iam sapiebat, nisi solus Iesus, & hic crucifixus. Itaque passionem eius in septem distinguebat partes, nec vllum temporis punctum sine eius commemoratione abscedere patiebatur: adeoque in hac sese exercebat, vt crebrò nocte ac die vigilans, horologium exactum animo circunferre videretur. Ex ardenti autem passionis Christi meditatione adeò inflammata fuit, vt non se, sed Christum Dominum in se pati diceret. His igitur docta exercitijs, creuit in vtroque homine, donec octauum iam suæ ægrotationis attingeret annum. Magìs autem magisque corporis putredo & vermium scaturigo aucta est, corporis viscera plùs plusque marcescebant, & doloribus innumeris virgo afficiebatur. Sed hæc omnia ferebat patientissimè, & in summis doloribus, qui sæpissimè dentium stridorem ei exprimebant, non solùm gratias agebat Deo, sed eosipsos cruciatus augeri potiùs, quàm minui peroptabat: nec vna saltem Angelica salutatione ea quæ patiebatur depellere, si potuisset, voluisset, parata prorsùs in flagella Domini. Quodam Bacchanalium tempore, quo solent homines comessationibus & compotationibus indulgere, ipsa Christi passionem commemorans, simulque Christiani populi multam ingratitudinem considerans, ait ad Dominum: Deus omnipotens & clemens, oro te, vt nouo quodam cruciatu declares, castigationes has, & flagella, quæ patior, te permittente & immittente mihi accidere. Mira res. Tantus in alterum eius crus inuasit dolor, tantaque patiendi materia ab illo die vsque ad Pascha, vt deinceps ausa non fuerit tale quippiam ea instantia petere à Domino, vti accepi ab eis, qui familiariùs ei ad mortem vsque adhæ-

Ioannes Pot, venerandus Christi sacerdos.

4. Reg. 4.

Optimè eã instituit Ioannes Pot.

Mirè compungitur sumpta Eucharistia.

Passionem Christi assiduè commemorat.

Eius eximia tolerantia.

adhæsêre. Dixi iam antè, in corpusculo suo præsensisse eam flagella, quibus Dominus populū eius regionis castigaturus erat. Imminente igitur peste quadam, illa tanquàm sedula mater, inter iratum patrem & reos filios mediam se interponebat. Itaque mox bino percussa est vlcere, in gutture & sub corde. Illa verò gratias egit Deo,& ad sacrosanctæ Trinitatis honorem, petijt etiam tertium adiungi. Confestim autem in gena apparuit vlcus, quo illa summoperè lætabatur. Ex his vnum vlcus, cæteris curatis, perpetuò ei inhæsit.

Agit gratias in pœnis.

CAP. V.

Vt febres eam vexârunt.

FEbrium, quæ ei familiares erant, vt diximus, iste ferè modus fuit: Principiò inuadebat calor quidam grauis & innaturalis. Hunc mox sequebatur frigus immane & horripilatio: deindè mutato ordine, præcedebat frigus intolerabile, idque molestissimis ardoribus claudebatur. Erat autem tanta harum febrium vis, vt durante paroxismi æstu, mentis impos fieret, nec quicquā loqui posset. His febribus, tanquàm in camino ignis, suprà quàm dici queat, dilectam sibi virginem probabat Dominus. Amici autem eius, cùm cernerent augeri cruciatus eius, rursùs medicos consulere voluerunt. Peruenit autem ad Margaretam Hollandiæ Comitissam fama patientiæ eius. Illa medico suo accito, properat ad eam, videns eam, eiusque tugurium, paupertatem, dolores & cruciatus, totis visceribus commouetur. Accedit medicus Godefridus, arte sua quàm potest reuerenter extrahit è corpore intestina eius, marcida ponit seorsùm, saniora reseruat, comperitque è spina dorsi emergere vermes, quos diximus: causam illam dicit, quòd nullis salsis multo tempore vsa sit. Addit etiam, breuì illam hydrope laboraturam, ac deindè nullo vel liquore vel potu vsuram. sicque factum est. His ità gestis, abscedit medicus, partim dolens, quòd curare eam non posset: partim gaudens, quòd cerneret se de illa vera prædixisse, putà quòd magna & inaudita in illa facturus esset Dominus. Permulti indè moti sunt etiam in locis lōginquis, vt eam inuiserent: inter quos venit etiam herbarius quidam peritissimus, qui se putabat aquis distillatis aliquid effecturum in illa. Sed cùm ingenti studio vnum fortè vulnus curaret, mox turgente hydropisi in parte illa, fiebant postrema deteriora prioribus. Virgo autem patientissima, licet sciret à Domino fieri quæ patiebatur, nè tamen sibi præfidere, aut Dominum tentare videretur, omnia tacita perferebat: sed post omnem humanam industriam auctis doloribus, mente redibat ad eum, qui medendo vulnerat, & vulnerando medetur eis, quos amat. Hoc sanè admiratione dignissimum est, quòd Lyduuina ampliùs triginta annis non tantum comedit panis, quantus viro sano ad vitam sustentandam triduo sufficeret: nec plus dormiuit, quàm satis esset homini incolumi trium noctium spatio. Porrò toto illo tempore, quo viscera eius computruerunt, & vermes è corpore eruperunt, nullus prorsùs ex ijs fœtor extitit, tametsi domus eius humilis erat, cubiculumque sepulchro similius, quàm conclaui. Totidem annis terram non attigit pedibus suis, & sicut multis annis nihil sumpsit alimenti, ità nihil quoquè superflui à se reiecit. Iacuit immota & supina in lectulo, nec solis, nec lucis, quamdiù iacuit, luce perfruita est. In ipsis ægrotationis eius primis annis interdùm sumebat valdè exiguum pomi fragmentum, idque prorsùs insipidum. Quod si nonnunquàm buccellam panis cum paruissimo lactis aut ceruisiæ liquore deglutire vellet, fiebat id non sine multo dolore, multaque difficultate. Posteà verò illo qualicunque relicto alimento, parum cinnamomi aut è dactylo, idquè rarissimè, capiebat. Tandèm omni cibo abstinens, tota hebdomada perexiguum sumebat vini diluti, admixto saccaro: Instillari potiùs diceres, quàm bibi tantillam potionem. Cùm autem essent parentes eius inopes, sæpè aquam fluuialem sibi offerri iussit, facileque internoscere potuit, num è fluxu an refluxu hausta esset. Ob vicinum verò maris sinum importunitate ventorum aqua fluminis salsedine maris inficiebatur: sed efficiente Domino, adeò dulcis fiebat contra naturæ morem, vt tanquàm vino condito illa aliquandiù vteretur. Propter hanc autem cibi abstinentiam somno quoquè illam deserente, in solitis precibus & exercitijs spiritalibus non parùm cœpit impediri, idque potissimùm sub Missę sacrificio, cui totis viribus etsi corpore absens, tamen spiritu præsens adesse nitebatur. Consuluit igitur confessarium suum, quid agendum putaret. Sentiens ille, vt vir prudens, tetri dæmonis nequitia id fieri, vt eam à meditationum fructu retardaret, eamque quo plus resisteret, eo magìs diuexari, suasit vt quandocunquè somnus obreperet, illi indulgeret. Illa volens parere consilio eius, acquieuit. Superuenit interim eximia Paschæ solennitas, & eccè supra modum infestatur à somnolentia. Tum illa ob reuerentiam

Margareta Comes Hollandię inuisit eam.

Hæc impossibilia sunt apud homines, sed possibilia apud Deum.

Miraculum

festi,

festi, capite & manu, quam mouere poterat, illam discutiens & repellens, dæmonem in turpem fugam compulit. Atque ab illo die vsque ad supremum vitæ diem per mansit somni expers. Confluxêre autem plurimi ad visendam eam, sed alij pietate, alij curiositate & maleuolentia ducti. Extrinsecùs autem nihil videbatur in ea, nisi vas lacerum atque confractum, vas monstrosum, & quædam mortis imago. Sciscitabantur curiosi, proterui & scioli, vndè in ea febris materia esset, quæ nihil sumeret alimenti. Eos virgo pudibunda nec fugere poterat, nec fugare. Tribuebant illi, quippe homines animales, spiritum non habentes, opera Dei naturæ potiùs, quàm gratiæ: & cùm viderent eam in obscuro tuguriolo decumbentem, procacissimè garriebant eam voracem esse, merobibulam, dæmoniacam & id genus alia. Qui autem saniori erant mente, Deo dantes honorem, dicebant quòd à Domino ea fierent, & mirabilia essent in oculis nostris. Ità illa beata virgo odor fuit vitæ bonis & sanis, odor mortis malis & peruersis, iacens in humili tugurio, perindè vt sanctus Iob olim in sterquilinio. Etsi autem tam pulmonis quàm hepatis & viscerum atque intestinorum vitales partes partìm in ea emarcuerant, partìm dito vomitu reiectæ erant, nullum tamen de se reddebant fœtorem, immò verò odorem aromaticum ex ijs haurire licebat, sicut testantur illi, qui suis eas manibus contrectârunt. Sed cum multi homines pij vtriusque sexûs eas particulas vomitu reiectas videre, contrectare, olfacere cuperent, verita illa nè ob hominum applausum perderet thesauros gratiæ, tandèm pati noluit, vt quicquam ex ijs, quæ ab eius corpore prodirent, reseruaretur: sed omnia terræ infodi iussit.

Multi nõ eodem animo visunt eam.

Quorundã maleuolentia.

Iob 2.

CAP. VI.

Mater eius Petronilla, cùm iam senuisset, in morbum incidit: Dolens autem se adolescentiæ tempus parùm fructuosè exegisse, demùm in hęc verba prorupit: En morior paupercula, quæ nihil boni fecerim cunctis diebus vitæ meæ. Sed si tu filia mea pro delictis meis velis intercedere, læta moriar. Respondit illa propensissima erga matrem animi pietate & benignitate: Forti animo esto, mater mea. Propè est Dominus, qui non despiciet contritum & humiliatum cor tuum. Mea verò omnia, labores, dolores, vlcera, plagas, tormenta, vigilias, precatiunculas & exercitia libens tibi impertior. Ea re mirificè exhilarata mater eius, migrauit ad Dominum. Lyduuina verò, tanquàm iam omni nudata merito, cingulum quoddam crassum, latum & hispidum, ex equorum confectum pilis sibi comparat, eoque vsque ad mortem marcidum corpusculum stringit: exiguam substantiolam, quam mater ante obitum ei commiserat, distrahit, distractam pauperibus erogat. Omnibus erogatis, ipsa manet egentissima. Adhuc relicta ei erat culcitra: eam quoquè zelatrix pauperis pueri IESV, in stabulo nascentis, tolli iubet: quæ tamen sub putrescente corpusculo eius iam putrescebat, & eius plumæ ità inhærebant virginis corpori, vt absque nouis dolorum stimulis indè auelli nulla ratione possent. Ea ablata, suppositus est corpusculo eius tam miserabili durus asser, impositis ei paleis, atque in eo decumbebat supina, nunquàm dormiens. Hæc verò quis siccis commemoret oculis? Asser durus, lignum in quo pependit nudus sponsus eius: dolores perpetui, ex tali strato nascentes, vulnera eius illi egregiè repręsentabant. Per id tempus fuit hyems longè asperrima, quæ hodieque ob diuturnum gelu prolixa dicitur. Videre tum licebat virginem pauperculam decumbere in frigore & nuditate, ità vt sæpissimè extremæ corporis partes obrigescerent, mediæ nullas haberent vires. Plumas respuebat tumens hydrops, operimenta duplicia negabat paupertas, nè visitaretur ab amicis, impedimento erat refrigescens multorum charitas. Interìm tam immani virginis corpusculum constringebatur gelu, adeò & liuore & tumore debilitabatur, vt vix ità posset vllo pacto calefieri, vt ad pristinas ægritudines reduceretur. Non raro genis inhærebant guttæ sanguinis, ab oculis manantes. Non dubium, quin è vita abitura fuerit, nisi Dominus inter tot mortes mortuam conseruâsset. Si quid ei datum esset, eo non indigere se formidans, mox magis egentibus pro suo iudicio mittebat. Erat tum quidam vir insignis, fama celebri, & vita inculpata, Deum timens, & quem multi reuererentur. Vuerboldus is dicebatur: Cùm autem in solennitate Dominicæ annunciationis mysterium incarnationis Christi animo reuolueret, idemque faceret Lyduuina virgo, vterque in spiritu sibi inuicèm innotuit, adeoque coniuncti sunt, vt cùm posteà ad se redirent ab illo mentis excessu, admodùm cuperet nôsse vterque, quis esset quem in illo raptu vidisset, & quonam loco degeret. Perlata est interim fama

Mater eius moritur.

Afflictum corpusculũ cingulo aspero cruciat.

Obserua hæc.

Asperrima hyeme durã patitur.

Vuerboldus vir pijssimus venit ad eam.

fama Lyduuinæ ad Vuerboldum virum Dei, isque sine mora ad illam profectus est: veniens autem ad domum eius, vidensque egestatem, & tumentem, fissam ac liuidam faciem, corpusculum putrescens, nec tamen malè olens, scatens vermibus, & suaues spirans odores, lachrymatus est vir pijssimus. Deindè de rebus diuinis suauiter cum illa conferens, ad extremum didicit summam eius inopiam. Itaque misertus eius verecundiæ, triginta argenteos ei dedit: molesteque ferens ciues vrbis illius nulla humanitate affici erga tam miserè afflictam, tanquàm Eliæ zelo accensus, suggestum ascendit, miroque feruore ad illos concionatus est. Sæpè autem venit posteà ad virginem vir sanctus, sciens Deum in ea mirabilia operari, dixitque de illa: Magnum reuerà & amplum hæc virgo fundamentum posuit, cuius structura haudquaquàm poterit breui spatio absolui.

Eius de illa sententia.

CAP. VII.

Post eas, quas diximus, ærumnas accreuêre virgini nouæ molestiæ ex patre viduo, grandæuo, edentulo, quem & paupertas premeret, & ætas non sineret labore victum sibi parare. Cuius singularis religio ex hoc animaduerti potest, quòd cùm esset valdè inops, noluit ex illis accipere, quæ filiæ quotidiè dabantur. ait enim: Non licet seni huic deuorare pauperis filiæ eleemosynas, quæ precium sanguinis sunt. Sufficit mihi paupertas mea, vt CHRISTVM lucrifaciam. Venit intereà Comes Hollandiæ Vuilhelmus Schiedamum, audiensque Lyduuinæ res, accito ad se patri eius dixit: Pro filiæ tuæ reuerentia pete à me quod vis ad sustentationem senectutis tuæ. Respondit ille: Mundi opes, illustris Comes, hactenùs nec habui, nec habere cupio. Duodecim aurei sufficerent mihi, si illos haberem. Comes autem aduertens hominis simplicitatem, iussit ei numerari duodecim aureos coronatos annuos, libenter duplo plus daturus, si senex voluisset. Ille gratias agens Comiti, orabat DEVM pro illo, & si quid superesset de illa pecunia, dabat pauperibus liberaliter. Etsi autem decrepitus erat & tremulus atque cæcutiens, tamen frequentabat templum. Orabat Lyduuina vt maneret domi, sciens ei periculum imminere. Cùm enim aliquandò se conferret ad vespertinas preces, obuiàm ei venit satan sub viri specie, aitque ad illum: Quorsùm tendis? Eamus parumpèr extra portam animi causa. Credidit homo simplex, doli ignarus, iuitque cum illo: sed vbì extra vrbem ventum est, miserum senem pestilens impostor in foueam aquis plenam impulit, & enanuit. Non tamen senem neglexit Deus. Auriga quidam eius nutu via non trita ducens currum, venit ad locum, vidensque summum pauperculi senis periculum, extraxit eum ex aquis, curruque impositum in opidum inuexit. Interìm fama volat ad Lyduuinæ aures, patrem in aquis præfocatum: quod eius animum dirè afflixit, sed mox ille dolor gaudio mutatus est, patre viuo redeunte. Alio tempore cruentus dæmon virginem flammis exurere conatus est. Frater enim eius ad angulum lectuli eius incautè candelam posuerat. Ea, Lyduuina CHRISTI passionem meditante, neque id sentiente, decidit in paleas. Sentiens tandèm crepitantes flammas Lyduuina, cùm nullus adesset qui opem ferret flammis vndiquè cinctæ, sinistram extendit manum, eaque conterens ardentem materiam extinxit, nihil prorsùs adusta manu. Postera luce mirati omnes, valdeque perterriti ob tam præsens discrimen, gratias egerunt DEO, qui virginem seruâsset illæsam. Homines pij & religiosi videntes eam tam inusitatis affligi modis, non dubitabant quin etiam diuinis frueretur consolationibus. Itaque dicere ei solebant: Non ignoramus, soror charissima, inter hæc tam aspera flagella spiritalia tibi non deesse munuscula. Illa respondit: In insipientia mea dico vobis fratres mei, interdùm diuinitùs me quasdam vnctiones percipere. neque enim possem durare misera catula, sine micis cadentibus de mensa dominorum meorum. Nec tamen dicebat, quales illæ essent vnctiones. solis enim domesticis quibusdam, ijsque cumprimis religiosis, magisque familiaribus, parcè tamen, indicare solebat diuina charismata, quantum vel gloria Dei, vel fraterna charitas poscere videretur. Interdùm verò retrahebat consolationes suas pius Dominus, quo nihil poterat virgini durius accidere. Tum illa sic in acerrimis corporis doloribus derelicta, post omnia sua exercitia, vt tempus fructuosè deduceret, loquebatur Angelo suo tanquàm illum præsentem cerneret, suauiter inquirens quò abijsset dilectus suus, cur sic miseram derelinqueret, ipsius amore languentem, & charitatis eius iaculo confixam: multaque id genus alia, pijssimum & feruentissimum cordis eius erga Deum amorem spirantia. Orabat etiam Angelum, vt

Comitis Hollandiæ humanitas erga patrē eius.

Malignissimi dæmonis nequitia.

Insigne miraculum.

Vt se gesserit, diuinis consolationibus destituta.

vt salutaret dilectum suum, salutaret sanctissimam matrem eius, omnes beatos angelicos spiritus, patriarchas, Apostolos, martyres, confessores, virgines, deniquè sanctos omnes. Hoc pacto deducebat tempus, cùm deesset cælestis consolationis manna, excitabatque sese ad constantiam & patientiam.

CAP. VIII.

Porrò autem etiam visibiliter cum Angelo suo loqui consueuit, eiusque frui consortio & obsequijs. Permultos angelicos spiritus distinctè nominabat, & quorum custodiæ deputati essent, apertissimè nouerat. Apparebant ei specie pulcherrimorum iuuenum, crucis signum in fronte ferentes, tam luculenta facie, vt solis splendorem longè superarent. Priuabatur autem nonnunquàm eiusmodi apparitionibus propter hominum aduentantium frequentiam. Itaque si quid pulueris ex mundanorum hominum colloquijs contraxisset, ilicò confessione detergebat, nè suaui Angeli sui familiaritate destitueretur. Solebat die Cinerum, pro sanctæ Ecclesiæ more ac instituto, cineres è sacerdotis manu accipere: sed si tardaret sacerdos, Angelus eius explebat vices. Confessarius eius Ioannes Vualteri quandoquè venit ad eam, rogans num cinere sancto consignari vellet. Respondit illa, ab Angelo sancto id iam factum esse. Stupente illo, quid sibi isthuc vellet, Lyduuina dixit, vt manu tangeret caput ipsius. Fecit ille, & cineres sensit, ijsdemque etiam frontem suam communiuit. Docuerat eam Angelus reuerenter sacros illos cineres à sacerdote percipere, aliosque vt itidèm facerent adhortari. Habebat virgo sancta virgam quandam, qua solebat æstu aut febre ipsam infestante, vel attrahere, vel amouere cortinam, ad lectulum eius pendentem. Cùm autem Schiedamum aliquandò incendium vastaret, multique ex vicinis Lyduuinam exportare vellent, nè flammis periret: illa sciens à Domino se seruatum iri, prohibuit nè id facerent. At illi tamen cœperunt auferre asseres ex pariete cubiculi eius: rogati vt desisterēt, pro asseribus primo loco ablatis pannos suspenderunt. non enim potuit illa ferre lumen solis. Sed paulò pòst ab eius oculis sanguine manante, asseres repositi sunt. Intereà stipula perit, accedit sæuissima febris, solstitiales adduntur æstus. Ijs pariter iunctis, virgo tanquàm in clibano coquitur, febreque recedente tandèm ad se reuersa, nocte se ab omnibus solam derelictam conspicit. Sed nimio iam ferè præfocata æstu, manū suo more ad virgam extendens, eam abesse comperit. Tum verò præ nimijs doloribus lachrymari cœpit, maximè quòd nemo adesset, qui ipsam adiuuaret. Sed statìm adfuit Angelus eius, lignum quoddam informe adferens, eiusque corpori transuersum imponens. Sentiens illa lignū asperum & crassum, admiratur. Transigit indè noctem illam, vt potest, in ardoribus illis. Manè accersit confessarium suum, orat vt ex illo ligno virgam tractabilem & leuem efficiendam curet, nihil ei indicans, vndè allatum sit. Abit confessarius ad artificem, sed cùm incendio illo omnia ferè artificum absumpta essent instrumenta, ægrè dolabram rudem reperire potuerunt. Qua cùm cœpissent dolare lignum illud, mirus indè exibat odor, qualem nunquàm se sensisse dicebant ij, qui aderant, nec tamen ligni genus cognouerunt. Rapiunt indè particulas decidentes, piaque inter confessarium & fabrum lis oritur, vter plus sibi vendicare debeat. Nam vel minutissima eius particula propter odoris suauitatem auro non inferior putabatur. Properat indè sacerdos à primo ad secundum fabrum lignarium, rapinam primi detestans: sed ibi quoquè diripiuntur pia rapina decidentes particulæ, quæritur vndè allatum sit lignum, multaque consimilia. Tandèm efficitur ex ligno virga, quanta est vlna gracilis: quam confessarius attulit ad virginem, quærebatque ab ea, vndè accepisset lignum illud. Respondit ea, se id nescire. Nihil enim comperti indè habuit, donèc ab Angelo in paradisum terrestrem traducta, ex illo didicit ipsum indè id attulisse. Dixit autem ei Angelus, lignum illud quandoquè dæmones haud secùs atquè flagellum & supplicium reformidaturos. quod quidem verissimum est, vt non auditione duntaxàt ego accepi, sed etiam oculis meis intuitus sum. Vidi enim dæmoniacos coram huius ligni portiuncula clamitantes & stridentes atque trementes non mediocriter. Et Lyduuina quidem vbì didicit ligni huius vim & precium, indoluit se illud non pluris fecisse, dolandumque curâsse, quod olim tam esset futurum efficax ad coercēdos nequam spiritus. Posteà verò quibusdam ad virginem confluentibus, vt lignum illud viderent, tangerent, olfacerent, cùm inter illos etiam vir quidam lubricus ad tangendum se importunè ingessisset, fertur ilicò magna ex parte pristinam amisisse fragrantiam. Dicam hîc paucis, quantam sancta virgo ex Angelorum præsentia ceperit delectationem & consolationem. Vidua quædam

Angeli sæpè ei apparent.

Nota hæc de cineribus sacris.

Dirè affligitur.

Angelus ei lignū mirè odorum adfert.

Dæmones illud lignū valdè reformidant.

venerabilis orabat eam, vt impetraret ipsi copiam videndi Angelum eius. Dixit illa se rogaturam Dominum. Rogauit, & obtinuit. Admonuit autē viduam, vt clauso ostio, apud ipsam staret paulispèr. Et eccè adest Angelus effigie speciosissimi adolescentuli, facie candidissima, vestitu albissimi coloris, oculis micantibus, in capite ceu stellis radiantibus, pileo capitis elegantissimo ornatus. Eo conspecto, ineffabili gaudio affecta vidua, nihil neque dicere neque cogitare potuit, prorsùs absorpta. Videbat autem ceu manus innumeras iuxta virginem, tanquàm eleemosynam petentium, nulla illic apparente facie. Rogauit autem Lyduuina Angelum, vt aspiceret viduam illam. Fecit hoc ille tam blanditer & iucundè, vt non modò animus viduæ magno indè perfusus sit gaudio, sed etiā præ cordis ardore à lachrymis & gemitibus ad tempus aliquod se illa continere non potuerit, cibum interìm corporis planè respuens. Solebat autem Lyduuina interdùm dicere familiaribus suis: Nullus tantus dolor est, nulla tanta animi angustia & ægritudo, quæ non facilimè euanescat, si mihi vultum angelicum liceat contemplari. Cogitet hìc lector, quid sit ipse fons vitę electis suis in patria, si tantum delectat aspectus eorum, qui ei ministrant? Porrò cùm eam Angelus, siue in corpore, siue extra corpus, quod me latet, aliquò ducturus esset, hunc ferè seruabat modum: Appręhensa manu eius, ducebat eam ad suprà dictā beatissimæ matris Dei imaginem. Ea salutata, proficiscebatur cum illa versùs Orientem ad regionem quādam amœnissimam, quò nullus posset mortalium accedere, vbi mira erat liliorum, rosarum, florum aromaticorum, & aliorum delectabilium copia, odorum summa fragrantia: vbi nec frigus affligeret, nec æstus vreret. Plerunquè autem florum & arbustorum tanta erat illic celsitudo & densitas, vt ei impenetrabilis videretur: sed ab Angelo facilè ad destinatum locum transferebatur.

Angelus eius forma elegantissima apparet.

Vt ab Angelo peregrè duci consueuerit.

ALTERA PARS VITAE.

CAP. I.



CVm sic autem Christi famula tanquàm aurum in fornace probaretur, flante Austro, perindè vt hortus irriguus, virtutum flores germinare non destitit, alijs quoquè optima de se exempla proponens. Fundauit autem structuram mentis suæ in fundamento timoris Domini. In extremis angustijs semper illi in ore fuit, O bone IESV miserere meî. Adeò defixit in Domino voluntatem suam, vt nihil neque cogitare, neque dicere, neque facere præmeditatè liberet, quod putaret displicere Deo. Fertur cum patientissimo Iob & beato Francisco sæpè dixisse: Hoc mihi Domine acceptissimum erit, vt affligens me dolore non parcas: cùm tuæ voluntatis impletio sit mihi summa consolatio. Accuratè seipsam solebat examinare & discutere, etiam minutissima quæque in se accusans, & omnium se vilissimam existimans. Itaque libenter omnibus se subdebat, ab omnibus se vilem dici & haberi atque etiam infamari non renuit. Fratris eius vxor, mulier procax, importunis clamoribus valdè vexabat eam, nemini quantunuìs præcellenti aut patienti parcens. Bauariæ Dux Ioannes, mutato habitu, quandoquè inuisit virginem Christi, de animæ suæ rebus secretis cum ea collocuturus. Audiens autem mulieris loquacissimæ garritus, tandèm animo commotus, ait ad virginem: Et quo pacto potes ferre apud te eiusmodi hirundinem, quæ totam hanc perturbat domum? Illa respondit: Aequo animo, domine mi, id genus hominum tolerandæ sunt infirmitates & imperfectiones, tum vt nostra patientia corrigantur, tum vt virtutis exercitium præbeant ijs, quos eo Dominus indigere nouit, tum nè maioris furoris & perturbationis eis materia exhibeatur. Quibus verbis egregius ille princeps non mediocriter ædificatus, è crumena sua extraxit nummos, deditque bacchanti mulierculæ. Quibus eius procax lingua tum quidem nonnihil frenata est, quòd autem planè correcta sit, affirmare nolim. Alia quædam mulier venit quandoquè ad Lyduuinam fremens & furens, innumeris eam iniurijs, contumelijs & conuicijs proscindens, vt posset eius commouere animum. Sed cùm hac ratione nihil efficeret, in faciem mitissimæ virginis fœdissimè expuit. At verò nec sic quicquam eam permoueri sentiens, clamoribus & maledictis, tanquàm vim passa, vicinos concitare cœpit. Sed sancta virgo in patientia animam possidens, adeò mansit immota, vt mirarentur vniuersi. Maleficium verò beneficio compensare volens, clàm ei munusculum transmisit: dicebatque suis: Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plénitudo dilectio est, currere

Diuinæ sese totam accommodat voluntati.

Iob 6.

Humilitas eius insignis.

Ioannes Dux Bauariæ eam accedit.

Eximia virginis patientia.

Rom. 13.

currere me compellunt. Certè nemo tam auri vel gloriç cupidus est, quàm illa cōtemptûs sui. sciebat enim patiētiam perfectum habere opus. Accedebant etiam interdùm Iacob. 4.
ad eam quędam merobibulç, dicebantque: Non possumus persuadere nobis te absque cibo vitam ducere. itaque suspicamur te hypocrisi eludere homines. At illa: Non eritis, inquit, ea causa incredulitatis crimini obnoxiæ, si id credere nolitis: sed tamen oro nè dubitetis omnipotentem esse Deum. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, Deut. 8.
quod procedit de ore Dei. Puto vos piè credere, quòd in desertis locis pauerit ille Marias illas, Magdalenam & Aegyptiacam. De me si id non creditis, non multū refert: tantùm ne velitis non credere omnipotentē esse Deum. Et cur obsecro apud homines vel negare velim me cibum capere, aut affirmare me non capere, quandò neque malū est vti cibo, neque gloriæ quicquam habet, quantùm ad hominem attinet, abstinere omni cibo? Quicquid autē loquantur homines, equidē gratiam mihi diuinitùs collatā negare non possum, tacere possum, si in me inquirere desinant homines. De illius taciturnitate multa possim dicere. Vox eius vtplurimùm suauis & clara, sola, vt puto, Dei gratiā id efficiente. Diem vnū è tribus aut quatuor, quo post importunas febres aliqua remissione potiebatur, consolandis hominibus vtiliter impendebat. Nemo illam cachinnantem vidit, ex leuitate vix vnquàm quisquam ridentē comperit: sed cū grauitate quadam hilarem se quandoquè prębuit pro ratione materiæ, de qua sermo esset, & eorum cum quibus loqueretur. Diligenter obseruabat illud Sapientis, Tempus loquendi, & tempus tacendi. Detractorum colloquia valdè abominabatur, qui linguis suis etiā defunctorū saniem lingunt. Solebat monasticæ vitç cultores viuacissimis adhortari sermonibus, vt obedientiam cum omni mansuetudine colerēt, quòd maxima apud Deū præmia haberet: quam Christus eis suo reliquisset exemplo, factus obediens vsque ad mortem crucis. Monachus quidam Cistertiensis ordinis, cùm electus esset in pręfectū, siue prælatum, difficilē se reddidit. Cupiens autem inuenire viam qua illud onus reijceret, ad Lyduuinam venit consilij captandi causa: nè autem agnosceretur, tanquàm de alio rē ei exposuit hunc in modū: Quidā ex nostris electus est, charissima, vt pascendarū animarū suscipiat curam: sed cùm permultis eam curā periculis obnoxiam sciat, non vult electioni assentiri, existimans se parùm idoneum illi functioni exequendæ. Ei verò Lyduuina ocyùs respondit: Vereor ego, mi pater, nè fratris huius prætextus friuoli sint & vani. Potest monachus sub obedientia degens honorem fugere: onus, modò vires suppetant, recusare non debet. Formidandum certè est illi, nè incidat in Scyllam, dum vult vitare Charybdim. Sperabat enim sancta virgo tolerabilius esse ꝓpter obedientiā fungi munere, nō expetito, sed demādato, quàm excusso iugo, propriæ militare voluntati. Verumenimuerò monachus ille contēpsit cōsilium virginis, nec impositū onus in se recipere voluit, malens sua frui libertate. Sed, vt quidā ab eius ore acceperunt, in tantas ille posteà molestias & afflictiones incidit, quòd longè maluisset oneris illius pericula se cum honore humiliter subijsse, quàm periculosissimi ocij, propria voluntate expetiti, dispendia expertum esse. Dicebat sancta virgo, si quis consultum animæ suæ vellet, in aliquo loco se figeret, atque illic in pectoris sui penetralibus cellulam siue inclusorium sibi conderet, sine dubio breui experturus Dei misericordiam & gratiam. Eos autem vel maximè execrabatur, qui pro sua libidine & animi leuitate ab alijs locis ad alia se transferunt. Non enim solus locus, inquit, sanctum efficit hominem, cùm semper seipsum secum ferat. Secularibus hominibus obedientiā hoc modo cōmendabat: Quisquis appetit, vt Dei spiritus in ipso operetur, ille sanctæ matri Ecclesiæ obediat, itemq; confessario suo, à quo, tāquàm à Christi vicario, magna ei salus prouenit. Quòd si sic fecerit, sentiet animi tranquillitatem, quam hac neglecta obedientia haudquaquàm obtinebit. Paupertatis quàm studiosa fuerit, declarant tugurium, stratum & rerum penuria. Pauperem spiritu fuisse, testatur humanæ laudis contemptus, & sui syncera abnegatio. Si quis ex ea quæreret rebus necessarijs indigente, haberet'ne satis: respondit, Abundo satis. Quibusdam autem fœminis eam reprehendentibus, quæ nôrant penuriam eius, illa respondit: Satis abūdat, qui eo, quod habet, contentus est. Etsi autē mihi cum hominibus cōmunes non sunt diuitiæ & deliciæ, sunt tamē cum multis cōmunes paupertas & miseria: quibus ego abūdans, Deo gratias ago & conquiesco. Flander quidam venit ad eam, cernēsque viles ædes eius, liberaliter obtulit se ei egregiā conditurū domum, in qua honestiùs degeret. At virgo paupercula, Tu quidem, inquit, dilecte frater, donèc ero in humanis, ampliorē domū non construes: si quis tamen, me defuncta, hoc loco domum hospitalē ædificare voluerit, oro Deum, nè eleemosyna eius vacua in

Taciturnitas eius.

Eccles. 3.

Philip. 2.

Monacho cuidam ei consulenti quid respondeat.

Obedientia præstanda Ecclesiæ & confessario.

Memorabilis eius sententia.

sinum eius redeat. Eiusmodi quidē domū posteà illic extruxit Vuilhelmus medicus, filius Godefridi medici, cuius suprà meminimus. Interim verò dū vixit sacra virgo, tugurium illud palatiū ei erat, stratū stramineum lectus eburneus, cingulū cilicinū balteus regius, vlcera putrescētia preciosa monilia, horridæ plagę optata solatia, multæ lachrymę nouæ deliciæ, mundana afflictio mira cōsolatio, vermes è corpore erumpētes conuiuæ familiares, dolores & angores dapes opiparæ. Hortabatur alios ad abstinētiam, sed ità tamen, vt eam ratio moderaretur & sale discretionis cōdiret. Virginea integritas tam excellens in ea fuit, vt hodieq; antonomasticè virgo dicatur. Veniebant quandoquè ad eam libidinis ignibus valdè inflāmati, quos illa ea causa miserè lamentates, suis consilijs, precibus & pœnis ad corporis & animi munditiam reuocauit. Si corporis cogeret necessitas, matronas honestas ad illud cōtrectandū adhibuit: at tamen nudum tāgi vix ab honestissimis vnquàm permisit. sciebat enim pudorē virginitatis esse insigne propugnaculum.

Paupertate egregiè delectatur.

Purissima eius virginitas.

CAP. II.

IPsa quidem nulla corporis alimonia indigebat, sed tamen propter deuotionē eorum, qui Deum in illa venerabātur, nonnunquàm retinebat eleemosynas oblatas pro sua aliorumq; necessitate. Sibijpsi parcissima, pauperibus matrē se exhibebat, nulli negans opē, donèc teruncius superesset. Si largiri nihil posset, condolentem prębebat animū, blandū è pio corde promebat sermonē. Cibos interdùm coctos, nonnunquā crudos mittebat. Si quid neglīgēter in ijs fieret ab ijs, per quos mittebat, dolebat animo eius, quòd pauperes, tanquā cælestis regni principes futuros, vel ad horulā sua annona fraudari nollet. Nouerat pauperū nomina & habitacula, & quāuis iaceret in tenebris, omnia intueri, omnia distinctè cognoscere videbatur, perindè acsi versaretur inter homines. In pauperū vsus iussit hyeme sale aspergere carnes, salitas cū pisis coctas illis trāsmittebat. Contigit aliquandò, vt cū vicinis diuidendæ vaccæ quarta pars ei cederet ad alendos pauperes. Ex ea cùm ministræ eius quandā portionē cū pisis coxissent, & triginta domibus indè ad saturitatē distribuissēt, quidā ait Lyduuinæ: Quemadmodū iussisti, triginta pauperū domibus de carnibus & pisis tuis ad satietatē dedimus, & tamē nihil in olla diminutū videtur. Euestigiò illa respondit: Non pro meis meritis, sed pro sua bonitate id fecit Deus. An non ille dixit, Date, & dabitur vobis? Comederūt sanè ex illis carnibus domestici eius, comederunt aduentantes peregrini, omnes admiratione permoti, manū Domini adesse fatebantur, quæ olim viduæ farinulā cōseruârat. Porrò etiam diuites præ deuotione petebant interdùm mitti sibi de buccellis virginis nostræ. Illos verò pauperes ante omnes secretò fouere & pascere studebat, quos ex opulentis nouerat ad inopiā redactos, & verecundia à petendis eleemosynis cohiberi. Mendicabat autē etiam ipsa, si deessent carnes, quibus inopes reficeret. Orauit quandoquè virū pium, vt si haberet armū porci coctum, mitteret sibi pauperibus impertiendū. Fecit ille, & mox sensit quàm sit grata Deo manus porrecta ad dandum. Vt enim ipse fassus est, cùm paulò pòst coniecisset oculos eò, vndè tulerat armum, vidit aliū longè maiorem illic suspensum. Sciscitatur ex familia, num quis eum suspenderit. Negant omnes: agnoscit donum Dei, fit erga virginē nostram deuotior, fit in pauperes liberalior. Mulier quędā caduco laborās morbo, sæpè in plateis corruebat. Accidit autem, vt magno spiritûs angore correpta, in domunculam Lyduuinę intraret, potumque sibi dari posceret. Lyduuina tum nihil cogitans de exiguo vino, quod supererat, cùm sola esset, aquā monstrauit fœminæ, quodam vasculo cōtentam. Illa totam exhausit, sed sitis extincta non est. Ardet misera, plusq; sibi dari petit. Tum Lyduuina recordata vini, digito ostendit: atque illa totū bibit: rursusque instat pro potu. Sed cùm nihil liquoris haberet virgo, dedit ei nummū quendam, vt illo potū sibi emeret: quē illa hilariter accipiens, abscessit. Deindè febribus Lyduuinam corripientibus, orat patrē, vt pauxillum vini porrigat, quo labia arētia tingātur. nō enim meminit tūc fœminā morbidam vinū omne epotâsse. Porrigit pater poculū filię, vndè illa mulier biberat, & ecce plenum est optimo vino, diuinitùs in illud infuso. Stupet virgo, sentiens nullū se melius bibisse vinum, nec tamē patri indicat vndè sit, licèt & ille stupens admiraretur neq; colorē, neq; saporē eius vnquàm perire. Tandèm cùm in vasculo longo tēpore durâsset, cuiusdā fœminæ incuria effusum est. Per id tēpus adhuc parcissimè vtebatur vino Lyduuina: itaq; doluit illud effusum, ꝙ nunquā habuisset sibi accōmodatius vinū. Cùm enim alia vina sine aquę admixtione bibere nō posset, hoc solū purum bibit. Obseruet hîc lector humanitatē sanctæ virginis, quę è suo poculo iussit fœminā morbo comitiali vexatā bibere.

Liberalitas pauperis in pauperes.

Vide stupendum miraculum.

Luc. 6.

3. Reg. 17.

Aliud miraculum.

Item aliud.

re. Cùm frater eius Vuilhelmus excessisset è viuis, multo ære alieno obstrictus, filij eius in magnam inciderũt calamitatẽ, quam humanitùs euadere vix possent. Tum Lyduuina illorum miserta, quædam clinodia sua distraxit octo libris eius regionis. Dedit autẽ negociũ Nicolao cognato suo, vt is è crumena, in quam nummos omnes condiderat, satisfaceret creditoribus. Fecit ille, vt iussus erat, & cùm omnibus esset factũ satis, quod reliquũ fuit pecuniæ in crumena, ter corã Lyduuina numeratũ est, & tantundẽ inuentũ est, quantũ illa primò imposuerat. Illa verò prohibuit, nè cuiquã id indicaretur, crumenamq; illã Domini IESV voluit crumenã deincèps appellari. Atq; ex illa & ipsa expendebat in pauperes liberaliter, & Dominus IESVS abũdè infundebat. Quibusdã specialibus amicis aliquandò ex ea percunctantibus, quantum ex illa crumena post obitũ fratris sui Vuilhelmi distribuisset, sic respondit: Quandoquidẽ video non latere vos donũ Dei, pro certo confirmo vobis, me de illis octo libris plus quàm quadraginta libras in pauperes erogâsse, præter eas, quibus dissolui æs alienũ fratris mei. Sex annis ante obitũ virginis multis modis ex ea pecunia datũ est pauperibus, & illa rursùs diuinitùs aucta. Post decessum virginis dimidia pars pecuniæ in eadẽ crumena reperta est. Quidam etiã eius aurei nummi corã tribus fidedignis numerati, illis stupẽtibus, visibiliter aucti fuêre. Quicquid sancta virgo conquirere potuit, tanquàm paleã reputans, penè prodigè in inopes Christi amore elargiebatur. Eam autẽ eius in pauperes largã benignitatẽ Christus abũdè cõpensabat. Rapta nonnunquàm in paradisum, vidit quandoq; lucẽ mirabilẽ è cælo vibrari, præsertim in animas quorundã adhuc in terris degentiũ, quas eò secum raptas cernebat. In illa autẽ luce vidit tanquàm beatorũ exercitum speciosissimũ confluere, & in ijs cælorũ reginam, Christi matrem sanctissimã. Vidit etiã mensas sericis & preciosis pannis insterni, eleemosynas, quas per id tempus egenis præstiterat, ceu è cælo allatas, aptissimè collocari: potiones quoquè, quas in vasis fictilibus ipsa pauperibus præbuerat, in crystallinis & aureis poculis admodùm reuerenter exhiberi, itemq; alia permulta, quæ dederat miseris. Deindè vidit cœtum clarissimum ad instructas discumbere mensas, audiuit sonitum tanquàm ad mensas hilariter epulantium: se verò illis alacriter ministrantẽ videre sibi visa est. Posteà ad se reuersa, miris modis beneficia in pauperes cumulare studuit, ea visione non mediocriter animata.

Item aliud miraculum.

Crumenã IESV.

Nota lector

Visio eius.

CAP. III.

IN puerperas & ægrotantes fœminas multã declarare solebat charitatem & humanitatem. Fercula illis delicatiora parari iubebat, maximè quæ cum recta fide vitæ probitatẽ coniungerẽt. Ob eiusmodi fœminas adiuuandas quædam mulier ei non breui tempore familiariùs adhæsit: quod ei valdè gratũ erat: quippe cui non mediocri esset solatio eiusdẽ sexûs & voti habere sociam, cui animi sui pietatem posset aperire. Itaq; hanc fœminam huc atq; illuc, prout res poscebat, mittere consueuit: cuius tamen vt certiùs haberet exploratum animum, plùs solito aliquandò pietate perfusa, cum quadam hilaritate illam ad se vocans, Quæso te, inquit, soror charissima, vt pro tua in miseros misericordia eas ad forum piscarium, emasque delicatiores pisciculos, eosq; lautissimè coquas, sicut nôsti velle ægrotos. Paret ilicò deuota fœmina, Lyduuina interìm feruenter pro illa orat. Vix illa domum reuersa, exclamat Lyduuina: Fecistíne charissima, quod petij? Ait illa: Feci equidem, vt meliùs potui. Tum Lyduuina, Rem, inquit, Deo gratissimam fecisti. Pete iam à Domino, quod tua conscientia dictabit piè petendum, & ego laborabo apud Dominum, vt impetres. Respondit illa: Oro, vt mihi remittantur peccata mea, & detur gratia perseuerandi: reliquũ committo charitati tuæ. Et Lyduuina, Rem, ait, grandem petîsti, sed salubem. Quod autem mihi commisisti, id Dominus curabit. Abi nunc, & ora tu quoquè pro me. Sub his verbis mulier, quæ anteà mœsto erat animo, perindè acsi grauem deposuisset sarcinã, mira consolatione affectam se sensit. Orabat sæpè Christi sponsa Lyduuina Angelum suum, vt domesticis suis suggereret, vt erga pauperes misericordes se præberent. Sedebant aliquandò ad mensam nonnulli ei magìs familiares, & quidam præ foribus voce miserabili eleemosynam petebat. Confessarius virginis insolitum petendi modum admirans, ocyùs exijt ad ostium, sed neminem inuenit. Accumbente illo, rursùs clara voce auditur petens eleemosynam. Surgit denuò sacerdos, sed nullus foris conspicitur. Cùm ad mensam redijsset sacerdos, tertiò petit ille eleemosynam, sed neque tertiò videri potuit à confessario properè ad ostium currente, cùm tamen vicus ille pateret oculis, nec posset in angulum deflecti. Non parùm igitur turbati illi, eunt ad virginem, quid gestum sit, ordine exponunt. Tum illa, O tardi, inquit, ad surgendum fratri vestro Angelo.

Humanitas eius erga puerperas.

Mira vis precũ eius.

Vtinàm illum ex animo plùs venerati essetis. Eò enim venit ille, vt experiretur num inter epulas memores sitis Domini creatoris vestri. Sicut autem Lyduuina eos, qui verè pauperes erant, tum palàm, tum secretò mendicantes benignè fouebat: sic contrà detestabatur illos, qui de pietate quæstum faciunt & rapinam, qui se simulant inopes, & hac fraude præripiunt stipem miseris, quos miserè premit inopia, lupi sanè rapaces. Fœmina quædam specie religiosa, re autem vera prorsùs ficta & lupina, eorum sæpè adibat domos, quos nouerat humaniores & rebus locupletes. Sciens autem Lyduuinam cumprimis piam erga inopes, adiuit illam, extremamque mentita paupertatem, sperabat se liberali munere affectum iri. Laborabat tum Lyduuina acerrimis febribus, ità vt nec domesticis verbum vllum eloqui posset. Incidit autem mulier in Catharinam quandam, Lyduuinæ familiarem, veste lugubri indura, trahensque longa ab imo pectore suspiria, tremula ac tenui voce vitam ait se cælibem clàm ducere, eaque re se parentibus & amicis esse contemptui. Putans Catharina eam vera dicere, duxit eam ad confessarium virginis, dominum Ioannem Vualteri, virum bonum & verè Israëlitam. Is audiens fallacis fœminæ querimonias, ilicò largam ei præbuit eleemosynam. Altera die, recedentibus febribus, Lyduuina Catharinam mox ad se iubet accedere, reprehendit quòd mendaci fœminæ tam facilè commodâsset fidem, iubet deincèps maiori vti cautione. Libenter quoquè nudos vestiebat virgo nostra, freta ope piarum fœminarum lanariarum. Vestiendus quandoquè erat sacerdos quidam, sed non erat ei pannus sacerdotali honestati congruus. Aduenit mulier quædam, ait se habere panni vlnas sex, quas sibi aptauerit: porrò filiam quoquè suam aliquid pro se indè petere. Itaque non posse tam multis pannum illum sufficere. Dicit ei Lyduuina: Affer quæso ad me pannum, & Dominus prouidebit. Affertur pannus, Lyduuina tanquàm metiri eum volens, ducit ad os & manum: statimque in tantam excrescit pannus longitudinem, vt & sacerdoti talaris indè facta sit vestis, & fœmina cum filia abundè haberet, quod vtrique sufficeret. Stupent omnes, sciscitantur quo pacto id factum sit. Respondet Lyduuina: Sancti angeli ministerio factum nè dubitetis, vt & pio sacerdoti non deesset vestis, & vos commoditate vestra non fraudaremini.

Odit simulantes inopiam. — *Diuinitùs cognoscit cuiusdã fœminę fallaciam.* — *Miraculum haud vulgare.*

CAP. IIII.

Sapientibus & insipientibus debere se sentiens Lyduuina, cùm literas non didicisset, vnicum habuit codicem vitam crucifixi IESV, vndè mirabili auiditate sedula discipula studebat haurire, quod alijs effunderet. Veniebant ad eam homines simplices & mechanici, vitæ consilium ab ea petentes. Quibus illa ait: Nè sitis ociosi, charissimi. ocium enim sentina & nutrimentum est vitiorum. Virgines quoquè adolescentulas, quòd ea ætas plùs ferueat, tanquàm virus quoddam virginitatis monuit vitare ocium. Venit aliquandò puella ad ædes eius, quam illa simul atquè ingressa est, mox labori adhibuit, non sinens illam vel ad horulam foràs euagari. Venit etiam quandoquè vidua ad eam, dixitque se habere satis ad vitam sustentandam, rogabat num consuleret ipsi ocio se dare & quieti, an potiùs in labores incumbere. Lyduuina respondit: Ad ocium te hortari non sum ausa: nôsti lanificium: illud si exerceas, non vesceris ociosa pane tuo. Vidua autem negociationem pertimescente, & pericula cupiditatis allegante, Lyduuina ait: Lanificium bonum est, quod si exerceas vitandi ocij & pauperes adiuuandi causa, non est quod pertimescas. Vt autem Dominus te dirigat, semper velleris vnius lanam dicabis pauperibus: si id non placet, in honorem quinque vulnerum Christi quinque eis denarios largieris, & angelus tuus seruabit te, nè offendas. Accidit indè, vt post multa lucra vidua illa damna pateretur. Itaque cùm rationes putâsset cum mercatore suo, propter superiora damna aureum vnum subduxit, putans id sibi licere propter damna. Paulò pòst obijt ille mercator, ac deindè apparuit Lyduuinæ, aitque: Dic fœminæ illi, restituat tibi aureum, præter ius ab ipsa vsurpatum, emasque eo cereos ad Missas celebrandas, vt & ego adiuuer Ecclesiasticis suffragijs, & illam non feriat vltio cælestis. His dictis, euanuit. Refert virgo viduæ, quæ audierat: illa videns detectum, quod neminem mortalium scire putârat, terrore & pudore correpta, reddit aureum. Eos qui erant iuncti matrimonio, vt mutuam inter se seruarent pacem, virgo adhortabatur: consilium expetentibus, dicebat: Sacrum coniugium, dilectissimi, inijstis: debetis non solùm corpore, sed etiam animis seruare inuicèm fidem.

Codex eius. — *Ocium vitandum docet.* — *Defunctus quidam apparet ei.* — *Coniuges quid monuerit.*

dem. Itaque pacem sectamini, vt Deus pacis sit vobiscum. Mulier quædam filiam suam cuidam collocauit, & post nuptias gloriabunda exposuit Lyduuinæ conditiones generi sui. At virgo sancta, Non magnoperè, inquit, pensandæ sunt opes, pulchritudo, natalium splendor, dignitas & cognatorum turba: potiùs spectanda virtus, morum disciplina, prudentia, timor Dei, quibus modis partæ opes, quo iure teneantur. Prædixit etiam ei filiam eius multa passuram, non tamen defuturum illi diuinum auxilium. Quod quidem ità euenit. Fuit enim sterilis, afflicta est morbis, multisque castigata flagellis: sed orante pro ea Lyduuina, feliciter migrauit ex hac vita. Eo tempore vir quidam & mulier, cùm essent iuncti matrimonio, & adolescentiæ feruore raperentur in libidines, corporibus suis turpiter abutebantur: nec id Lyduuinam latuit, Domino id ei reuelante. Hortabatur igitur iuuenculam, vt ab illa libidinis intemperantia abstineret: quod nisi faceret, iram Dei ait & ipsi & marito eius imminere. Audiens illa occultum peccatum suum non ignorare virginem, promisit se deincèps illud vitaturum. Vtrùm autem id fecerit, nescio: id tamen comperi, ventrem eius paulò pòst intumuisse, lætantibus amicis, quòd concepisse prolem existimaretur. Vt autem Lyduuinæ id relatum est, Frustrà, inquit, exultant. non enim tumor iste prolem indicat, sed morbum in fœmina latentem. Quod quidem res ipsa comprobauit, diuturno languore fœminam corripiente, & tandem morte iuuenculam sibi vendicante. Plerique ægri confluebant ad Lyduuinam pro consilio recuperandæ valetudinis obtinendo: quos illa sæpè in vtroque homine curauit, pijs exhortationibus eos inducens ad resipiscentiam, & Christi virtute à corporibus ægritudines depellens. Confluebant etiam ad eam omni ex parte multi monasticæ vitæ cultores, tentationibus & angustijs afflicti, diuersisque & animi & corporis doloribus pressi. Erat enim illa tempestate tanquam mater desolatorum omnium. Illa verò sæpè etiam in summis iam periculis constitutos, ad salutem reuocabat. Dederat enim ei Dominus spiritum suum, quo afflictis & propemodùm desperatis, sic loqui solebat: Quandocunquè tædio aut angore animi etiam vsque ad extrema virium affici te sentis, recurre ocyùs ad misericordissimum patrem, vt solet infans ad matris vbera, & reuela Domino viam tuam, iacta omnem cogitatum tuum in illum, & ipse faciet, vt omnis angustiæ tuæ obliuiscaris. ad extremum hæc subiungebat: Non solùm æquo, sed etiam iucundo animo ferenda est molestia omnis, vel immissa vel permissa cælitùs: immò etiam tanquàm virga amantissimi parentis complectenda: quandoquidem infinitis modis electos ille suos tanquàm aurum in fornace probare solet. Erat sanè in feruentissimis sermonibus eius permultum latentis energiæ, qui in aures dolentium & gementium illati, mentem penetrabant, penetrando instàr olei vngebant, vngendo mirè reficiebant. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus optimè nouerat, ità tamen, vt in medio nationis tum infirmæ, tum peruersæ semper incontaminatam se seruaret.

Notatu digna.

Nouit occulta hominum peccata.

Valdè afflictis quid consuluetit.

CAP. V.

Odiosa noctuæ lux est, & bufoni vinea florens. Ità etiam virginitas libidinosis, superbis humilitas, voluptatum sectatoribus piorum vita crucifixa permolesta est. Accedebant interdùm ad virginem nostram etiam ventris mancipia & strenui potatores, vt caperent aliquid ex sermonibus eius, quod carperent. Vsurarius quidam, garrulus & cupidus, cùm multa de ea audisset, coram multis ait ad eam: Quid faceres, Lyduuina, si Dominum IESVM in altari sub speciebus sacramenti occultatum cerneres, & ex alia parte in propria specie videres? Subticuit paululùm virgo, & tandèm post lachrymas, Tametsi, inquit, non pauci me docti & venerabiles tentàrunt viri, at nunquàm tamen memini tam molestam mihi motam fuisse quæstionem, qualem nunc proponit hic vsurarius. Non viderat illa virum, nec de infami quæstu eius quicquam ab homine didicerat, & tamen prodit cupiditatem eius, fraudem cognoscit. Stupebant omnes comites eius, quippe qui hominis cupiditatem non nôssent, affectiq; pudore, cum illo quamprimùm abierunt. Mulier quędam nitebatur se in Lyduuinæ & domesticorum eius familiaritatem insinuare, quæ dæmoni se prostituerat, Lyduuina id non ignorante. Cùm autem cerneret virgo illam impudenter sæpè iactare castitatem suam, timens nè fortè alias suæ libidinis fœtore inficeret, cum multa patientia tandèm dixit ei coram familiaribus suis: Itáne ergò virginem te dicere non vereris? Respondit illa audacissimè: Prorsùs intactam ego me virginem profiteor. Et Lyduuina, Ego verò, inquit, inaniter hoc titulo gloriari te metuo.

Homines mali quęrũt ei obtrectãdi occasiones.

Quandã se virginẽ mẽtientem pudefacit.

tuo: Certè vigintiquinque tales virgines, qualis tu es, possent in vna mola piperis liberè choreas ducere. Hoc illa audiens, pudefacta recessit. Dolebat hoc cuidam, quæ cæteris erat Lyduuinæ familiarior, aitque illi: Cur piam virginem sic vituperando offendisti? Respondit Lyduuina: Sine, sine illam. Noli mihi laudare in illa commenta diaboli. Si vis nôsse, quàm sit verè pia, corripe eam solam ob culpas minimas, quas facilè poteris in ea aduertere, & comperies qualis sit. Fecit id posteà fœmina illa, & ad leuissimum blandæ reprehensionis verbum adeò perturbari cœpit ficta mulier, vt non virgo, sed fera pessima: non pudica mulier, sed à malo dæmone obsessa putaretur. Qualis autem fuerit, horrenda eius mors edocuit. Cùm enim pro illa defuncta virgo Lyduuina orare vellet, ait ad eam Angelus: Noli operam ludere: cum fictis & hypocritis deputata est. Non est autem, quòd putet lector, solùm tenuiores & humilioris conditionis homines à Lyduuina reprehensos. Non timuit illa etiam principum & magnatum vultus. Venit quandoquè ad eam ex longinqua regione princeps quidam, colloqui cupiens cum ea de arduis quibusdam rebus, ad animæ salutem pertinentibus. Sermone in longum protracto, cœpit princeps ille, compunctus sermonibus eius, vbertìm lachrymas fundere. Tum illa occulta & obliuioni tradita peccata eius retexuit, aitque illi: Meritò quidem, mi domine, angunt animum tuum leuiores culpæ, quas in patrem tuum admisisti: sed vereor nè sis cauteriata conscientia, maioraque peccata negligens, cum Pharisæis illis excoles culicem, & glutias camelum: simulque commemorauit ei quædam non risu, sed lamentis prosequenda, vt magìs compunctus, largiores ab oculis lachrymarum imbres profunderet. Postremò ait ad eum: Age, quod agis, mi domine, & luctum amarum fac tibi, à Domino pro contritione benedictionem, pro lachrymis pacem, pro pœnitentia gloriam consecuturus. Abijt indè illustris ille princeps, vitaque in melius commutata, solita mala in se suisque coërcere studuit: sed non diù posteà superuixit. Permulti alij nobilissimi vtriusque sexûs homines noctibus veste mutata adibant illam, quibus ea multa virtute salutis verba eructabat. Si qui autem admonitiones eius spernerent, in eos seueriùs nonnunquàm diuina iustitia animaduertit. Mulier quædam loquax, comessationibus dedita, in tantam corruit scelerum voraginem, vt multos tum seculares, tum sacris initiatos in vitia pertraheret, facta laqueus venatorum, & decipula pedibus insipientium. Sæpè quidem obiurgata à Lyduuina, mansit semper suî similis. Cernens id sancta virgo, cœpit quibus potuit modis conuictores eius ab illa separare, nè cum illa perirent: cœpit etiam colubrina calliditate eius deceptos paruulos è medijs flammis extrahere. Inescârat fœmina illa sacerdotem quendam, cui ad se accito ait Lyduuina: Oro te, mi domine, nè posthàc quicquam cum illa muliere habeas commercij: abducet enim te procùl à salute tua. Promittit sacerdos se sibi prospecturum, sed mox relapsus, virginis admonitionem vertit in fabulam. Moritur indè filia Babylonis misera, redit sacerdos ad virginem, perquirit num quid comperti habeat de statu animæ illius. Dicenti virgini, an cuperet ipse videre eam, qualis esset, respondit se cupere. Orauit virgo Dominum, nec diù pôst & ipsa & sacerdos rapti in spiritu, vident procùl venientem teterrimam dæmonum turbam, & inter eos infelicissimam mulieris animam, ineffabilibus subditam cruciamentis, adeò vt præ horrore turbinis & caliginosæ flammæ quasi tartarum ipsum adesse putarent. Corripitur sacerdos pauore incredibili, & vt posteà ipse quibusdam indicauit, nisi speciali Dei ope seruatus esset, actum fuisset de vita eius. Sed posteà redijt ad ingenium, & vt erat homo bibulus & potationi deditus, horrorem oblatæ visionis vertit in cachinnum. At pius Dominus addit visioni diuturnos languores, sed precibus virginis ereptus, non erubuit redire ad vomitum. Tertiò sic percussus est à Deo, vt quanuìs rogaret per internuncios virginem, vt Dominum pro se deprecaretur, hoc responsi acciperet: Quandò volui & potui, ille noluit: iam vellem quidem, sed non possum retardare Domini sententiam: neque descendet ille de lecto ægritudinis suæ. oro tamen cælestem regem, vt det illi pœnitentiam, & ipsum quantùm possum hortor ad compunctionem.

Eius dânatio reuelatur Lyduuinæ.

Matth. 23.

Princeps quidá eius sermonibus corrigitur.

Nota hæc.

Vide supplicium fœminæ flagitiosæ.

CAP. VI.

Periculis animarum mirè cruciatur Lyduuina.

Periculis animarū, vti sæpiùs probatum est, plùs cruciabatur sancta virgo, quàm sui corporis doloribus. Cum Moyse deprecari Dominum, solatio erat ei: ferre cruciatus, lucrū putabat: mortificari quotidiè, spiritalis erat animæ illius respiratio.

tario. Sæpè ei diuinitùs reuelabatur, si quis vreretur, si quis scandalizaretur, si quis contristaretur, aut alijs laboraret modis. Orabat precibus, obsecrabat gemitibus, cogebat lachrymis Deum: inuitabat promissis, instituebat doctrinis, terrebat minis proximos: ardebat, lucebat, zelabatur honorem Dei. Zelum eius dirigebat veritas, frenabat modestia, firmabat constantia, charitas inflammabat. Vir quidam opulentus & celebris, Schiedami degens, desperatione vexatus, seipsum suspendio necare tentabat. Cùm igitur id exposuisset confessario suo, ille sciens spiritum Domini in virgine certis experimentis sæpissimè se declarâsse, ad eam accedit, exponit hominis desperationem, se quotidiè necare volentis: se quidem ait nihil omisisse eorum, quæ possent miserum sanare, sed in dies illum habere peiùs. Virgo respondet: Satanæ hoc artificium est. Puto igitur necessarium illi homini, vt purè confiteatur peccata sua, & pro satisfactione ei iniungatur hocipsum, ad quod eum teterrimus satan instigat. Sciebat virgo dæmonem odio Dei & sacramentorum non permissurum, vt pœnitentis obedientia fieret, quod ipse serpentina malitia suadebat. Sacerdote verò dicente, se haudquaquàm ausum esse talem satisfactionem vel pœnitentiam imponere homini illi, virgo diuini consilij non ignara, Age, inquit, pater id quod dico: periculum omne in me sit: tu nè pertimescas. Interim non cessat eum ad laqueum hortari draco pestifer, miser homo præ tentationis importunitate tabescit. Mittitur ocyùs pro confessario, confitetur ille, & per sanctam obedientiam pro pœnitentia iubetur se suspendere. Lætatur ille tali pœnitentia, festinat oblata opportunitate ad laqueum, trabi appensum, illo ad collum adhibito, desilit ex loco, quem ascenderat, vt suffocetur. Mira res. Accurrunt ilicò dæmones, appræhendunt hominem, rumpunt celerrimè restim collo eius implicatam, cum terrore quodam & stridore mirabili mussitantes dicunt, Posthàc te non suspendes miser: simulque magno impetu inter parietem & cistam quandam illum detrudunt. Vbi cùm, abscedentibus dæmonibus, trium horarum spatio miserè arctatus, & tam animo quàm corpore pressus & tremebundus iacuisset, tandem à familia, quæ vbiquè illum quæsierat, repertus est, sensimque ad se reuersus, cœpit laudare Deum, statuit nullo pacto deincèps in tale se discrimen conijcere. O fœminam admirandam, diuino proculdubiò lumine illustratam, superníque secreti de viro desperato non insciam, cuius hoc sanè admirandum potiùs est, quàm imitandum consilium. Fœmina quædam flagitium immane perpetrauerat, quod etsi confessa erat, at nihilo minùs in desperationem eam trahere nitebatur coluber tortuosus, & chartam quandam nocte in somnis ei obtrudens, in qua scelus illius scriptum erat, supra modum infestus ei erat, tanquàm qui ius sibi in eam vendicaret: suggerebatque miseræ, peccatum illud neque in præsenti, neque in futuro seculo expiari posse. Quibus rebus illa vehementer afflicta, cœpit aliquantispèr fidem adhibere hosti, & iam propemodùm redire ad iterandum facinus: sed pius Dominus, qui ad tempus multa sinit accidere peccatori ad pœnam purgatoriam, non eam passus est æternùm perire. Reliquiæ peccatorum interdùm diem festum agunt suo authori, agente illo, qui dormit in secreto calami, in locis humentibus. Itaque tanquàm vim passa, domunculam sacræ virginis intrat, cum multis lachrymis exponit ei amaritudinem cordis sui, quidque noctu viderit, quid legerit, quid audierit, quàm fluctuet animo: petit humilimè consilium & auxilium. Tum virgo: Figmentum diaboli est, inquit, quod vidisti: ego quod potero faciam: tu modò abi hinc in pace. Credit illa virgini, virgo causam illius tanquàm suam proponit Domino, agit apud eum lachrymis & precibus: rapitur in spiritu, videt matrem misericordiæ in cœtu virginum, satanam quoquè citatum peremptoriè, chartamque tenentem. Orat virgo pia reginam cæli, pro misera muliere, illa mox vi extorquet è manu satanæ chartam, arreptam discerpit, particularum congeries Lyduuinæ seruanda traditur, pudefacto cruento dæmone virgo lætabunda sibi restituitur: mox accersit confessarium, non ignarum periculi, in quo fœmina versabatur, ostendit ei chartæ particulas, rem totam ordine pandit. Redit etiam tristis mulier, repetit suas querimonias, auditque ex Lyduuina: Bono sis animo: nihil posthàc tibi hoc nomine mali accidet. Quòd si ità velis, libens apud Deum iudicem pro te fideiubebo, nihil te passuram detrimenti propter illud admissum facinus. Quicquid verò tibi obganniat satan, tu nullam ei commodes fidem. His verbis exhilarata mulier, abscessit, & quanuis rediret cruentissimus hostis, illa irridens eum, penitùs liberata est; gra-

Hominem desperantē liberat à diaboli machinis, sed modo quodam admirando potiùs, quàm imitando.

Vide fallaciam satanæ.

Iob 14.

Visio Lyduuinæ.

Fœminā liberat periculosissimè tentatam à satana.

gratias agens Deo, qui talem sibi delegisset famulam. Quidam vir flagitiosissimus præ immanitate scelerum suorum nulli sacerdoti confiteri voluit. Tandem eò adductus est, vt paratum se offerret ad dicendum peccata sua Lyduuinæ, vt ea rursùs illa sacerdoti confiteretur. Etsi autem totis viribus se opponeret Lyduuina, at ille tamen turpia flagitia sua ei detexit: illa rursùs, consentiente viro, confessa est sacerdoti, tanquàm propria ea deflens, petijtque sibi imponi satisfactionem. Posteà redit ad eam ille vir, vti promiserat, aitque ad eam: Puto te confessam omnia peccata mea: dic iam qualem me velis agere pœnitentiam: libens enim obediam tibi. Et Lyduuina, Confessa sum, inquit, peccata tua: vnum autem hoc abs te peto, vt in lecto tuo benè strato cubes nocte vna supinus, & neque in dextram, neque in sinistram partem te vertas quouis modo. Accipit ille pœnitentiam, siue satisfactionem, quasi subridens ob leuitatem oneris. Opportuno indè tempore sternitur lectus molliter, cubat ille delicatulus in molli strato, sed simul atque se reposuit, cœpit affici tædio, corpus sentit quasi quibusdam compungi aculeis, adeò vt nunquàm tam malè se cubâsse diceret, licèt interìm sano esset corpore, sola vertendi se in hanc vel illam partem libertate priuatus. Cùm sic ergò magno affectus tædio iaceret, corporisque sui incolumitatem, lecti mollitiem, temporis breuitatem, scelerum suorum immanitatem, æternas gehennæ flammas, aliaque multa cogitaret, & tam exigua molestia victum se cerneret, ait apud se: O me peccatorum omnium, quos habet hic orbis, miserrimum. Incolumis iaceo hîc delicatè & molliter, & tamen ea sola causa, quòd non licet mihi breui spatio quò libitum est corpus vertere, somnus fugit ab oculis meis. En quanta patitur infirmum & putrescens Lyduuinæ corpus, quod tot Domini attritum flagellis, in tenebris & vili iacet habitaculo, idque annis tam multis? Mutatus est igitur ab eo tempore vir scelerosus, factusque est promptus ad agendam pœnitentiam, ad confitendum peccata sua, ad obtemperandũ virgini, & ad quæuis dura & aspera perferenda promptissimus. Diceres virginem nostram ceu speculatricem factam domûs Domini: quippe quæ vel per literas, vel per nuncios, vel per visum & in somnis (sic enim multis apparebat) sæpè dæmonum insidias & machinationes alijs detexit. In pago quodam propinquo oppido Schiedamensi fœmina quædam graui se crimine obstrinxerat, vt sine Episcopi authoritate absolui non posset. Hortante igitur eam sacerdote, vt ad Episcopum vel eius Pœnitentiarium se conferret absque mora propter periculum, promisit illa quidem se sic facturam, sed neglexit tamen, animæ suæ mortem non formidans. Intereà virgo nostra rapitur ad cælestia, videtque sanctorum agmina, & in ijs quatuor Ecclesiæ doctores, multa gloria insignes, Gregorium, Hieronymum, Ambrosium & Augustinum, auditque illos dicentes sibi: Dic fœminæ illi, nolenti adire Episcopum, vt quemadmodùm promisit sacerdoti suo, sic quamprimùm faciat. Lyduuina ad se reuersa, indicat visionem confessario suo, orat eum, vt ocyùs se conferat ad cæcam mulierculam, nè diuina vltione ob suam incuriam plectatur. Non cunctatur confessarius, admonet fœminam, non negat illa veram esse visionem, sed tamen floccipendens, peccata peccatis cumulare pergit. Apparet hinc, quàm solicita fuerit Lyduuina, nè periret mulier, incuriosa salutis suæ. Dolebat sanè interdùm domesticis eius, quòd omnes ad se aduentantes audiret, omnibus responsa redderet, cùm tot corporis doloribus & animi angoribus sine intermissione premeretur: sed illa dicebat: Quid dicitis sorores meæ? Itáne lucrari non debemus Christo animas, quas satan deuorare cupit? Veniant ad me pauperes omnes, veniant desolati & quotquot amaro sunt animo. pro ijs enim longè maiora perpessus est Dominus meus IESVS Christus. Et est reuerà maximi precij quælibet anima quantumuis abiecti hominis, pro qua filius Virginis mori voluit, & vnigenitus Patris crucis teterrimum supplicium perpeti dignatus est. Dicebat etiam quandoquè adstantibus: En quàm multus sudor occupat faciem & pectus meum. Illi verò respicientes, & nimium calorem atque sudorem admirantes, acriùs eam obiurgabant. Tum illa: Nihil, inquit, hic calor, aut sudor, aut labor, aut dolor comparandus cum ijs, quæ propter nos pertulit Dominus. needùm eò perueni, quò ille, qui ait: Optabam anathema fieri pro fratribus meis. Nescit amor modum, cùm nos Christus amauerit supra modum.

Item virum valdè flagitiosum.

Hoc sanè eximium est miraculum.

Visio Lyduuinæ, qua ei fœminæ cuiusdā occultū peccatum detegitur.

Summopere cupit animas lucrari.

Rom. 9.

CAP. VII.

NImirùm sic creuit in illa amor crucifixi IESV, & meditatio acerbissimę passionis eius, ità vt nihil ei maiori esset solatio, quàm in illius foraminibus atque plagis, instar columbæ nidificantis, iugiter commorari. Eius enim vulnera & do-

& dolores acutissimi animam virginis adeò penetrârant, vt quanuis ipsa in singulis membris suis omnis generis cruciatus vehementissimos pateretur, ità vt omnes, qui eam cernerent, non possent non multa commiseratione affici, eos tamen cruciatus quasi pro nihilo putaret. Tota vita eius in Christi rebus gestis tanquàm in viridario amœnissimo versabatur: ijs meditandis trahebat ardentissima ab imo pectore suspiria, & ab oculis lachrymarum fundebat imbres, ijsque deficientibus, guttas sanguineas. Illas autem lachrymas, Christi crucifixi amore fusas, apud familiariores appellabat rosas suas. Ex his verò lachrymis quædam hodieque extant, quas ego vidi, earumque mira est fragrantia, vtì expertus sum. Dominici corporis sacramentum ardenti desiderio sumebat, adeò vt si die vno carere illo cogeretur, is dies sæpissimè ei anni vnius spatium æquare videretur. Pastor ecclesiæ, qui eo tempore fuit, cùm illa medium tempus ageret inualetudinis suæ, erat quidem satis literatus, sed in ijs, quæ spiritûs sunt, planè rudis & imperitus. Is, dæmone agente, ineffabiles molestias attulit virgini. Consueuerat illa ab ea ætate, quæ doli capax est, non nisì bis toto anno sumere Eucharistiam: sed doloribus sua capientibus incrementa, crescente etiam Christi passionis meditatione, crebriùs eam sumebat. Deindè in magnis solennitatibus ardentiùs illam à pastore petebat: sed vir durus asperè repellebat preces eius. A planta pedis vsque ad verticem capitis non erat ei sanitas: pane corporeo non vescebatur, solum Christum esuriebat, solum Christum cogitabat, solo Christo viuebat, & tamen negabatur ei ille panis viuus, qui filiorum est, nequaquàm mittendus canibus. Accidit autem, vt parochus eius quodam die inueniret eam præ desiderio corporis Christi lachrymantem: cumque lachrymarum causam ab ea peteret, respondit illa: O pater mi, nè spreueris pauperculam tuam, nihil habentem reliqui, nisi vt Christum meditando se consoletur, Christum sumendo sustentetur, & viuat anima eius. Sed ille saxo durior, nihil mouebatur. Cùm autem sacerdotes corpus Dominicum per plateas ferrent ad ægrotos, adeò illius desiderio inflammabatur animus eius, vt nonnunquàm spiritum exhalare videretur. Quotiès autem tam ardenti amore communicabat, mens eius intùs illustrabatur, & sensibili quadam dulcedine os eius afficiebatur, licèt admodùm difficulter posset sacramentum deglutire. Interìm verò nè spiritali communione priuaretur, sæpè hanc precatiunculam repetebat: Participem me fac Deus seruorum tuorum, hodiè sub sacramento tuo mirabili passionis tuæ memoriam agentium & in hac, & in totius orbis ecclesijs. Solebat autem simplicibus dicere: Quandò estis sub Missæ sacrificio, cogitetis aperiri cælum, & adesse sanctos angelos: simul etiam Christi passionem omni, qua potestis, deuotione commemoretis. Alijs autem capacioribus hæc addebat: Exerceatis vos ad medullitùs amandum eum, quem sumitis, ad sentiendam animæ oblectationem, ad sectandam iustitiam eius. Non enim paruum hospitem accipitis, sed filium regis regum, & vnigenitum Virginis, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Ipse est cibus planè reficiens pœnitentem, confortans proficientem, abundè delectans Israëlitam transmigrantem: cibus impinguans non corpus, sed cor: non carnem marcidam, sed esurientem animam: non ventres, sed mentes. Hæc & multa alia, quæ legi, pleraque valdè sublimia loquebatur. Cùm autem dicat scriptura, Parâsti in conspectu meo mensam aduersùs eos, qui tribulant me: quid dicemus de nostra virgine, cui inter tot afflictiones non solùm non parabatur, sed etiam negabatur mensa Christi? Parochus Schiedamensis, cuius iam memini, eò diabolo instigante adductus est, vt de sancta virgine pessimè suspicaretur, non vera, sed ficta esse putans, quæ de illa dicebantur. Incidente autem quodam solenni die, rogauit eum virgo per se primùm, deindè per alios, vt sacram communionem ipsi præberet: sed nihil obtinuit. Conuertit illa se ad deprecandum Dominum, sed is permittit magìs etiam indurari cor pastoris, vt nouo martyrio probatam filiam illustriorem reddat. Fit pastor erga illam in dies seuerior, & ad tentandam illam audacior. Tandèm periculum facturus, sit'ne verum quod aiebat illa, se cibum corporeum capere non posse, constituit ei hostiam non consecratam porrigere. Sed id illam, Angelo eam præmonente, non latuit. Venit interìm festum natiuitatis beatissimæ Mariæ, rogat illa sibi dari Eucharistiam, adest parochus, audit confessionem eius, coram adstantibus offert ei hostiam non consecratam, in idololatriæ discrimen eos qui aderant, conijcere non veritus. Sed ô rem mirandam: Vix hostiam senserat in lingua, & ecce corde & corpore mutatur, reijcit quod sumpserat, rem tan-

[Margin notes:]
Tota vita meditatur vitã & passioné Christi.
Nota rem admirandã.
Negatur ei summe eam expetẽti sacra communio.
Effectus Eucharistiæ sumptæ.
Philip.3.
Eucharistia quid præstet
Psal.22.
Dura virginis tẽtatio.

tillam nec ad momentum in ore ferre sustinens. Pastor verò in sua temeritate iam apud adstantes deprehensum se pertimescens, simulata audacia dixit ad virginem: Quæ hæc temeritas est, insana mulier, vt corpus Domini ex ore reijcias? Respondit illa: Putas'ne, pater, adeò me deliram, vt inter corpus Domini & panem vulgarem nullum habeam discrimen? Facilè autem illud ab isto internosco, quòd illud sumēs, nihil alterari me sentio: hunc verò panem, quem tu mihi dedisti, velim nolim cogor reijcere, adeò tota ab eo natura abhorreo, totoque corpore angustor. Ille conscius sibi, quòd non nisi vulgarem ei dedisset panem, ne adstantes offenderet, rursùs ait, se ei corpus Domini porrexisse. Indè abit domum, virgo flagrat desiderio communicandi, nec est qui satisfaciat. Cogitur ergo sine pane vitæ manere vsque ad festum Conceptionis eiusdem sanctissimæ Virginis. Tum verò adstitit ei Angelus Domini, multa luce coruscus, aitque ei: Nè timeas, neque contristeris, soror mea Lyduuina: propediem videbis Saluatorem tuum, qui sanabit omnes contritiones tuas. Illa gratias agens, indicauit hæc parocho suo, nè fortè putaret illusionem diabolicam: sed mansit ille obstinatus, vt antea.

Disce hinc, Eucharistiā non panem esse, sed verum corpus Christi.

CAP. VIII.

CVM autem virgo nostra more suo noctu vigilaret, mulier quædam, cuius paruulus filius ægrotabat, consilium petitura venit ad eam. Quam cùm esset consolata, & gaudentem à se dimisisset, mansit sola, exercitijs spiritalibus incumbens in ipso crepusculo, anno dolorum suorum decimoseptimo, circa festum beati Thomæ Apostoli. Porrò simulatquè se dedit deuotioni suæ, viderunt domestici eius magnum ignem in cubiculo eius, quem vt extinguerent, ad eam concurrerunt. Sed cùm nihil cernerent, obstupuerunt: ait autem illis Lyduuina: Ite cum bona pace: hic nullus est ignis. ostio autem clauso, oro, vt me nunc solam esse patiamini. Quod cùm illi fecissent, virgo seraphica, cælestis contemplationis suauitate perfusa, sursùm ferebatur in Deum, atque in eum transformabatur, qui pro nobis crucifigi voluit. Non diù pòst remoto à facie panno, quo se texerat, vidit ceu solare iubar in cubiculo radiare, vidit etiam Angelum suum propè se stare valdè splendidum, eoque tacto, sensit corpus suum ad tempus planè sanatum: vidit præterea aduentantes Anglos, ceu iuuenes fortissimos, atque alium crucem, alium lanceam, alium clauos, alios alia passionis Dominicæ insignia ferentes, suoque lectulo assistentes. Posteà verò etiam matrem Domini cum sanctis non paucis aduenire conspexit. Iacebat tum super paleas supina: erat autem iuxta eam lectulus, propter aduentantes sic satis honestè compositus. Tandem venit Christus ipse in forma speciosissimi pueruli, & in lectulo illo se reponens, blandissimè virginem aspiciebat. Mox verò in perfectum mutatus virum, instàr crucifixi totus rubicundus & sanguinolentus apparuit, coronatus spinea corona, & colore affectus, quo solent mortui. In eum ergò intuens virgo planè vigil, mirè obstupuit, commixtimque & gaudio & mœrore affecta est. Cùm autem in lucem mens illius absorpta esset, Christus lumen pariter & ardorem diffundens, in medio immensi luminis, virginis corpusculo quinque vulnerum suorum signa luculenter impressit, impressaque reliquit. Cernens autem virgo ea tam aperta vulnera homines latere non posse, timeretque concursum & applausum hominum, orauit Dominum, ità dicens: Maneat, obsecro Domine, hoc dignationis tuæ sacramentum inter me & te, sufficit enim mihi gratia tua. Mira res. Confestim cutis texit vulnera illa, sed dolor atque liuor perpetuò permansit. His ità gestis, vidit beatissimam Virginem arma passionis Christi, quæ ferebant Angeli, reuerenter ex illorum manibus accipere, eique deosculanda exhibere, ac deindè auferri ab oculis suis. Sentiens autem Lyduuina se sensibiliter confixam, respexit ad pedes lectuli sui, viditque illic crucem stantē ea magnitudine, qua sunt illæ, quæ ad morituros deferuntur: simul etiam pendentem in ea paruulum ab ea pendentem, & ex eius vulneribus profluentem sanguinem. Eo spectaculo liquefacta anima eius, ait ad Dominum: Gratias tibi ago Domine, qui me indignam ancillam tuam sic visitare dignatus es. Audiens autem senex pater eam loquentem, mirabatur cui loqueretur. Surgens igitur clàm, auscultauit ad cellulam eius, quis aut quidnam id esset. Interim is, qui apparuerat ei, videbatur per solarium velle recedere. Timens ergò & dolens eius abitu virgo, O Domine, inquit, si tu verè es, in quem credo, obsecro, vt priusquàm abeas, signum euidens præsentiæ tuæ apud me relinquas. Mox ille in speciem formosæ hostiæ mutatus, ter vertebat se supra locum, vbi iacebat virgo, ac tandem consistere

Cubiculum eius videtur ardere, cùm tamē nō esset ibi ignis.

Visio eius planè vigilantis.

Christus ei imprimit vulnerū suorum notas.

Christus sub hostiæ forma adest ei.

consistere visa est illa hostia in munda mappula, quæ illic poni solebat. Sub his pater eius, qui nihil adhuc viderat, cùm esset simplex & pius, more suo resedit in filiæ lectulo, sciscitatusque est, num quid fieri vellet, & quis ibi apud eam resedisset. Dixit autem ei filia: Rogo te, pater, vt ocyùs surgas. habeo enim apud me crucifixum Dominum. Territus ille, actutùm surrexit, viditque hostiam pulcherrimam: accitisque domesticis & vicinis, ostendit eis rem stupendam. Omnes igitur & timore & admiratione permoti sunt. Cernebant enim omnes hostiam, sed non eodem modo. Erat enim hostia illa nec tam parua, vt sunt quæ plebi porriguntur: nec tam magna, vt eæ, quas accipiunt sacerdotes sacrificantes. Radij autem eius extremam oram orbiculatìm ambiebant: intùs habebat crucifixi effigiem cum cruentis vulneribus. In latere vno speciatìm hærebat supernè gutta vna, pisi dimidij magnitudine: poteratque hostia ab omnibus perspicuè videri, sed ab alijs iacens, à Christi virgine tanquàm in aëre pendula videbatur. Ad eius autem conspectum tam animo quàm corpore adeò exultabat sponsa Christi, vt formidarent ij, qui aderant, nè præ gaudio deficeret. Quædam verò manum suam cordi eius apponens, re ipsa sensit cor & viscera eius supra humanum modum exilire. Exultabat planè cor eius in Domi- & delectabatur in Deo salutari suo. Hanc hostiam multi viderunt, idque iureiurando confirmârunt.

Multi eam hostiam vident.

CAP. IX.

EAdem autem nocte misit sacra virgo quendam ad parochum suum, qui hæc ei indicaret. Ille verò licèt fidem non adhiberet, at tamen commoto animo veniens ad virginem, Ecquid, ait, hoc noctis tempore tibi præstari vis? Et illa, Non vides, inquit, pater mi rem, quæ hîc geritur? Video, ait ille, commentum satanæ, prætereà nihil. Lyduuina verò, Nequaquàm, inquit, pater mi, commentum diaboli est, sed Deus verus, qui te & me creauit. Cumque ille rei euidentiam premere non posset, quippe qui perindè vt cæteri cerneret hostiam sanguinis aspersam guttis, attonitus ignorabat quid ageret. Tandèm iussis omnibus exire foràs, clauso ostio, adiurauit virginem per tremendum Dei iudicium, vt nemini id quod factum erat reuelaret. Obediuit virgo, donèc maior accessit prælatus. Indè sciscitatur parochus ex virgine, quid de hostia illa fieri velit. Primùm perplexa virgo quid responderet, tandèm cùm intra se rogâsset Dominum, duriùs exprobranti sic ait: Quæso, vt hostiam hanc mihi sumendam porrigas. Illo dicente, Vis'ne igitur satanam tibi porrigi? virgo respondit: Non satanam volo, sed Dominum meum. Ego verò, inquit pastor, veram hostiam è templo tibi afferam. De hac nescio, quid sit, aut vndè sit: planeque consulo, nè illam sumas. Demùm porrexit ei illam hostiam, dicens merum esse figmentum diaboli, at tamen talem se ei præbere, qualem ipsa crederet. Virgo mitissima dolens vicem eius, hostiam reuerentissimè percepit, quæ sicut aliæ hostiæ consecratæ, animo & spiritui eius magnam afferebat delectationem. Postridiè veritus pastor, nè tam stupenda res tota vrbe diuulgaretur, pro concione dixit ad populum: Hac nocte, charissimi, Lyduuina non benè compos mentis, à diabolo periculosè admodùm illusa est. Peto igitur, vt oretis pro illa, dicatisque orationem Dominicam, vt in fide constans perseueret. Indè cum Eucharistia tetendit ad Lyduuinam, turbis eum sequentibus, quibus domum ingrediens rursùm dixit, satanam superiori nocte voluisse decipere Lyduuinam, relicta apud eam hostia commentitia, minimè consecrata: se verò nunc velle ei dare verum corporis Christi sacramentum. His dictis, intrò ingressus sedit iuxta Lyduuinam, quæ nihil tot iniurijs irritata, maturè inprimìs ait ad eum: Non rectè locutus es, mi pater, quòd commentum diaboli nocte hîc fuerit. An'non ego priusquàm fieret, Angelo id mihi reuelante, tibi significaui, vt vel sic dares gloriam Deo? Tu nôsti arcana pectoris mei. Ego'ne satanæ filiam me exhibui? Sed oro Dominum, vtì nè hæc tibi imputet ad peccatum. Tum ille indignabundus, Vis'ne, inquit, percipere corpus Domini, quod tibi nunc affero? Equidem volo, ait illa, modò tu quoquè velis. Porrecto igitur ei sacramento, redit ad templum, populus sequitur, & eccè tota commouetur vrbs aduersùs parochum, adeò vt ille è templo progredi non auderet. Venit igitur ad eum vrbis magistratus, orat vt dicat meram rei veritatem, vt possit sedari concitata plebs. Respondet ille, vt priùs dixerat, se sic sentire meram fuisse illusionem. Aiunt illi: Cur igitur non seruâsti commentitiam hostiam? Si autem seruâsti, vbinam reposuisti eam? Dicente eo, se combussisse eam, instant

Hostiam illam etiã parochus videt sanguineis aspersam guttis.

Parochus publicè virginem delusam ait.

Tota vrbs cõmouetur aduersùs parochum.

stant illi, vt ostendat locum, vbi combusserit, vt possit diligentior fieri inquisitio. Hîc illo obmutescente, populi creuit tumultus aduersùs eum. Redeunt primores vrbis ad eum, rogant vbi hostia sit. Respondet se illam in aquam proiecisse. Illis contradicentibus, dicit se in cloacam eam iactâsse, nè vesana plebs idololatriam incurreret. His verbis auctus est populi fremitus, quòd hostiam à multis fide dignis visam tot miraculis insignitam in cloacam misisset. Tertiò redeunt ad eum quidam ex maioribus vrbis, hortantur nè exeat de templo propter commotam plebem. Mittitur interìm ad Episcopum, vt absque mora veniat Schiedamum. Is verò ea nocte crebrò in somnis monitus fuerat, vt properè iret Schiedamum. Nec cunctatur Matthias Episcopus suffraganeus Traiectensis, iunguntque se ei non pauci prælati & officiarij. Quod vt comperit pastor Schiedamensis, valdè animo consternatus est. Mittit igitur clàm amicum quendam ad Lyduuinam, orans nè id, quod ab ipso stultè admissum esset, vlcisci velit, sed excuset pro sua humanitate. Promittit optima virgo, se facturam quicquid saluo Dei honore, fide bona facere possit. Accedunt indè ad eam prælati, qui venerant, sequente eos pastore. Fit accurata in rem gestam inquisitio, excutiuntur facta pastoris, de re tota abundè testantur, qui interfuerant. At verò pijssima virgo Lyduuina, nè quid sacerdotij honori derogaretur, obsecrauit Episcopum, vt laicis dimissis, ipsam solam cum alijs prælatis audiret. Illo assentiente, cum lachrymis sic exorsa est dicere: Oro domine reuerende, vt duo mihi non neges, priusquàm respondere compellar. Ille vt pius pater consolans eam, Pete, inquit, quod voles, impetratura quicquid rationi consentaneum fuerit. Tum illa resumptis vtcunquè viribus, Ante omnia, ait, peto absolui à vinculo, quo adstricta sum. Adiurauit enim me terribiliter pastor meus: itaque respondere ausa non sum, nisi priùs maiori authoritate absoluta. Deindè obnixè precor, nè quid pastori meo hoc nomine vel damni in rebus, vel molestiæ in corpore irrogetis. Mirabantur illi rogantem eam pro aduersario suo, & tamen promiserunt se ità facturos. Ait ergò: Protestor ego coram vobis dominis meis, me libenter mortem oppetituram pro veritate eorum, quæ circa me hîc gesta sunt. Noueritis igitur Dominum meum IESVM Christum in pueri crucifixi effigie hîc ad pedes lectuli mei apparuisse. Cernebantur autem in eo quinque vulnera, & circa eum multa lux. Timens autem ego nè me desereret, aio ad eum: O Domine, si tu verè es, in quem credo, oro vt discessurus certum hîc signum relinquas, quo cognoscam te re vera hîc adfuisse. Tum ille in hostiam mutatus, mansit apud me. Ego verò illam sacratissimã hostiam sumere cupiens, accepi eam à pastore meo. Oro igitur, si quid hîc quacunque negligentia vel fragilitate peccauit pastor meus, vt id ei prorsùs condonetis, quemadmodùm polliciri mihi estis. His à virgine modestè & sedatè prolatis, cùm fidem datam fallere non auderent prælati, placati sunt: Facta autem diligentiori inquisitione, innocentia virginis & patientia per omnem regionem innotuit, & pastoris vanitas confutata est.

Accitur Episcopus suffraganeus.

Inquiritur diligenter de hostia.

Orat virgo, nè parochus puniatur.

CAP. X.

POst hæc pacem cum suo parocho adepta sacra virgo, cœpit fidentiùs sacram communionem expetere, sumptamque magìs ac magìs esurire. Porrò autem in locis impressorum ipsi vulnerum à Christo acres tum cœpit sentire dolores, & ardentissima charitate sursùm ferri in Deum. Etsi verò modis omnibus celata illa cuperet vulnera illata, at tamen vbi Domino secùs visum est, celare ea non potuit. Solebat interìm chirotheca sinistram inducere manum, cuius erat odor suauissimus, nè quisquam plagam cerneret. Verumenimuerò cùm ahuc esset in viuis, nocte quadam apparuit ipsa cuidam matronæ, quinque vulnerum notas vel stigmata ferens in corpore suo: quorum iucunda contemplatione miram sensit matrona illa mentis consolationem. Postera luce venit ad Lyduuinam, exploratura num re vera plagas habeat in suo corpore, vti nocte conspexerat. At sacra virgo præ humilitate affirmare noluit, nec tamen mentiri volens, exultabundo spiritu sinistro brachio strinxit matronæ manum, & cum ingenti gaudio dixit: O caput, caput: tanquàm diceret: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Mercator quidam in Britannia fuit, qui nec viderat vnquàm Lyduuinam, nec nomen eius audierat. Laborabat is in tibia morbo immedicabili. Cùm autem aliquandò miserè doleret & ingemisceret, præ mœrore obdormiuit. Admonitus verò est in somnis, vt vel ipsus proficisceretur, vel alium mitteret Schiedamum

Mercator quidam in somnisquid admonitus.

Schiedamum Hollandiæ oppidum, qui indè paulum asportaret aquæ, qua Lyduuina virgo manus abluisset suas: additumque est, ea aqua si tibiam lauet, ilicò curatum iri. Manè surgit ille, vocat ministrum, iubet ire in Belgicam Hollandiam, & illic diligenter inquirere Schiedamum vrbem. Nomen quoquè Lyduuinæ ei indicat, iubetque secum referre aquam, qua suas illa lauisset manus. Capessit heri sui iussa seruus, abit in Hollandiam, venit Schiedamum, petit à Lyduuina aquam, nec illa negare potuit, charitate illam compellente vt daret. Redit famulus cum aqua ad dominum suum, is lauat ea tibiam suam, marcida caro mox reuiuiscit, fugit dolor omnis, & tibia in pristinum statum restituitur. Fœmina quædam honestæ vitæ, quam aliquandò ipse vidi, id quod iam dicturus sum, mihi narrauit. Laborabat ipsa quandoquè morbo graui, sed occulto: cumque esset Lyduuinæ cumprimis familiaris, & ad eius consilium vitam suam accommodaret, fidenter ab ea petijt, quid in tanto discrimine agendum putaret. Lyduuina verò, Scio, inquit, te fistula laborare, quæ paulatìm incrementa accipiet. Sed abi ocyùs ad medicos, & pete remedium. Si iuuerint te, gratias agas Deo: sin minùs, redi ad me. Abijt illa ad medicos eius loci peritissimos, aiunt illi quoquè fistula ipsam vexari, sed nulla se ratione curare eam posse. Redit ergò mœsta ad sanctam virginem, dicit desperare medicos ipsius sanitatem. Illa Deo reuelante non ignorans & animi & corporis eius dolores, primò fundit preces ad Dominum, deindè leniter tangens extrinsecùs locum morbi, eum radicitùs à fœmina extirpat. Lætatur mulier, & in hunc vsque diem in laudem virginis rem gestam lætabunda commemorat.

Præclarum miraculum.

Sanat morbum insanabilem.

TERTIA PARS VITAE.

CAP. I.



CVM sic autem tanquàm aurum electum probata esset virgo Lyduuina, perindè acsi nihil hactenùs profecisset, totam se pro multis lucrandis animabus Domino obtulit, tota flammis charitatis incensa. Spiritu confirmata, corpus pro nihilo putabat, nocte rigans lachrymis stratum suum, genas cruore tingens, pectus complens sudoribus, patrem clementissimum conciliare cupiens miseris peccatoribus. Et audiuimus & vidimus permultos, qui ad eam ceu filij ad matrem confluerent, & post suauia colloquia ei valefacientes, orationes eius expeterent. Canonicus quidam ex ijs, quos regulares vocant, feruenti spiritu ait ad eam: Quæso instanter ora Dominum, vt auferat à me, quod plùs ei displicet in me, & saluti meæ præcipuè impedimento est. Ait illa: Orabo libenter. Erat ille vir pius, sed cùm esset voce benè clara & canora, quadam vanæ gloriæ tentatione cantans agebatur. Orat pro illo Lyduuina, canora vox raucescit, & nè possit ambigi factum id diuinitùs, multos ille consulit medicos, adhibentur varia remedia: sed cùm nihil posset effici, alius quidam eiusdem professionis canonicus coram peritissimo medico quasi subridens ait: Noueris domine medice hunc socium meum quandoquè petijsse à Lyduuina, rogaret pro ipso Dominum, vt auferret ab eo, quod plùs sibi in ipso displiceret. Puto autem hoc iam impetratum esse, reorque frustrà omnem hanc operam insumi. Audiens hæc medicus, qui virginem nouerat, Si sic, inquit, se res habet, facessant Hippocrates & Galenus. Habebat apud se Lyduuina paruulum nepotem suum, puerum annorum duodecim, ipsi ministrantem. Diligebat illum, sed vt memor esset suî, tum in se collati ministerij, rogabat Dominum, vt ei febriculam immitteret. Erat autem puero illi poculum, vndè bibebat. Iussus à Lyduuina circa natiuitatem beatissimæ Mariæ virginis, plenum tenuissima cereuisia posuit iuxta lectulum eius. Manè poculum sentitur optimo liquore repletum, tanquàm aromatibus angelicis manibus conditum. Plurimi indè bibentes, testati sunt eiusmodi potum hactenùs sibi incompertum fuisse: nec quicquam eis nocuit, immò & profuit & placuit non mediocriter. Bibit verò etiam indè Lyduuinæ nepotulus, & mox toto corpore diffusis febribus, ad beatissimi Martini Episcopi ferias laborauit. Orante autem

Totã se impendit saluti animarum.

Precũ eius efficacia.

Nepotulum febricitantẽ sanat precibus suis.

pro eo virgine, confestim sanatus est. Noui ego complures, virgini, cùm esset in humanis, magis addictos, qui dicerent frequens hoc illi in ore fuisse: Non potest capere lasciuus animus sententiam illam, Virtus in infirmitate perficitur: immò & per eam etiam non habita impetratur. Potest hoc confirmari exemplo illustri, quod nunc commemoro. Rogerus quidam Schiedamensis, strenuus potator erat & heluo. Cùm is aliquandò in taberna sederet cum eiusdem farinæ socijs, & ij iam poti linguas effrenes laxarent in electam Christi ancillam, nec ab obtrectationibus virulentis & calumnijs sibi temperarent, dicerentque vel clàm voracitati deditam illam, vel dæmonis opera cibum non capere: ille tametsi æquè àc illi potaret, non ferens tamen virginis iniurias, ait ad eos: Sit quæso, socij, silentium de virgine: sufficiat nobis stultitia nostra, qua Deum quotidiè offendimus. Virgo hæc bona & sancta est, & quicquid in ea fit, à Domino fit. Hæc & pleraque alia dicente Rogero, illi iam potione calidi, deteriora in virginem vomere cœperunt. Tandèm vnus Rogero colaphum infringens, Abi, inquit, homo vilissime, nec nostram perturbes sodalitatem. Tulit ille patienter alapam, & abscessit. Nihil horum latuit Lyduuinam, & quid dixissent eius obtrectatores, & quid Rogerus respondisset, & quid passus esset: cumque ea priusquàm hominibus innotuissent, suo confessario ordine exposuisset, ait ad eum: Quæso pater ocyùs te conferas ad Rogerum, dicasque ei: Lyduuina te salutat, & ex parte Dei gratias tibi agit, quòd pro Dei gloria & suo honore zelum declarâsti, & colaphum tulisti patienter, pro quo Dominus opportuno tempore reddet tibi gratiam. Manè se confert ad Rogerum virginis confessarius, commemorat Lyduuinæ mandata: ille stupens, Et vndè illa, inquit, scire hæc potuit, quæ herì vesperi facta sunt, nec ex me quisquam resciuit? Respondet confessarius: Sufficiat tibi eam hæc nósse: tu verò bono sis animo, nihil dubitans Dominum prouisurum. Ab eo die cœpit vir ille se à socijs subducere, vitare peccata: cœpit etiam, tanquàm alter Iob, magnam rerum temporalium iacturam facere, flagellis Domini expurgari, in facultatibus, in amicis, in domesticis, in corpore suo procellosas perpeti angustias & vexationes: sed cum malorum incrementis crescebat etiam in illo sancta patientia, & vbi abundauerát voluptas, vanitas & iniquitas, iam superabundabat patientiæ tranquillitas, maturitas & charitas. Tandèm longa ægrotatione attritus, posita carnis sarcina, lætus migrauit ad Dominum. Mulier quædam pia, immani corporis dolore pressa, in atrio domûs Lyduuinæ plorabat & clamitabat. Virgo accito confessario, rogat quid isthuc sit. Respondet ille, vnam è domesticis præ dolorum acerbitate stridere dentibus, & quietem capere non posse. Lyduuina autem iubens eam ad se venire, sciscitatur num velit iuuari ab ipsa. Illa dicente, se id summoperè velle, sed sufficere ei proprios dolores, cupere autem, vt Dominum pro se deprecetur. Orat Lyduuina, & statim liberatur fœmina: Dominus autem auget Lyduuinæ cruciatus, ità vt præter morem nocte ac die stridore dentium non absque cernentium stupore mirabiliter vexaretur. Puerulus quidam, horrendo affectus morbo, lugubres dabat voces, nec quiescere potuit. Allatus ad lectulum, qui erat apud Lyduuinæ stratum, mox tacitus quieuit. Roganti Lyduuinæ, num meliùs haberet, respondit iam benè sibi esse. Solebat autem Lyduuina pueros hortari ad sectandam castitatem. Itaque & hunc puerum blandè inuitabat ad virginitatis tuendæ studium, quantùm illa ætas capere potuit. Et ille quidem posteà grandiusculus amauit castitatem, eamque sumpto monachi habitu etiam professus est. Sacerdos quidam probus, & ob vitæ pudicitiam non mediocriter charus Lyduuinæ, febre acutissima correptus, non longè à morte abfuit. Eius soror ex Lyduuina quæsiuit, quandiù passurus esset febrem. Illa respondit circa primam Quadragesimæ Dominicam curatum eum iri. sicque factum est, orante pro illo Lyduuina, quæ id viro cuidam religioso indicauit, sed ea conditione, vt ipsa viuente nemini referre ausus esset. Sæpè illa ob deprecandas clades & pericula impendentia & patiebatur in corpore, & orabat Dominum. Accidit quandoquè intestinum in ea regione bellum inter patrem & filium. Multis igitur ob tuendam vitam loca tutiora petentibus, quidam è longinquo adueniens, Scio, inquit, mortem me haudquaquàm euasurum, nisi me seruent preces virginis, Schiedami latitantis. Id cùm ad eam quidam retulisset, humiliter ait: Gratias

2. Cor. 12.

Nouit quid de se absente dicatur.

Rogeri cuiusdam eam defendêtis mira conuersio.

Fœmina dirè cruciata sanatur.

Prædicit futura.

Multùm tribuitur precibus eius.

agο

ago Deo, quòd homines simplices mihi paupérculæ tam benè fidunt, oroque vt secundùm fidem illorum fiat eis. At tamen confido in Domino IESV, quòd nobis Schiedamensibus non minùs benè, vel etiam meliùs erit, atquè vicinis circunquaquè. Cùm autem damnis innumeris propinqua oppida afficerentur, & classis Schiedamum totis viribus debellare & euertere niteretur, orante Lyduuina virgine, non potuit oppidum attingere, irritusque fuit omnis militum conatus. Obsernata vim precum eius.

CAP. II.

Pensitare etiam solebat Lyduuina, quàm sanctum & salubre sit orare pro mortuis, qui sunt in regione expiationis, non ad perditionem, sed ad purgationem: non ad destructionem, sed ad castigationem. Itaque arreptis armis spiritalibus, eis ferre suppetias connitebatur. Nocturno tempore rapta in spiritu ad loca pœnarum, videbat non absque summa commiseratione, torqueri animas, & ingentes ignium globos in sublime efferri. Roganti autem quandoquè Angelo, num animam, quam digito monstrabat, iuuare vellet, se perquam velle respondit. Tum Angelus, Oportet igitur, inquit, per medias transire flammas. Ego verò, ait, libens id faciam. Transiens igitur per flammas, vidit illic tortores sese contrahentes, indigneque ferentes humanitatem eius, qua cupiebat subuenire animabus. Cumque iam pertransisset, vidit animam ab Angelo indicatam, è pœnis eripi, & posteà exultabundam ad cælos proficisci. Rogauit eam quædam, vt pro patre suo per id tempus defuncto oraret. Ducta est autem in spiritu ad regionem illam, vbi eius viri anima cruciabatur: aitque ei Angelus: Hic est ille vir, pro quo te deprecaturam spopondisti. Vt autem vidit eam vir ille, ait ad socios: Ab eo tempore, quo purgandus hunc intraui locum, spiritum in carne degentem non vidi, nisi spiritum virginis huius. Sit benedictus Deus, qui mirificauit misericordiam suam mihi in hac hora. Paulò pòst, orante & patiente pro eo sancta virgine in corpore suo, liberatus est, sicut vxori eius postmodùm reuelatum est. Vidit aliquandò Lyduuina spiritum cuiusdam defuncti specialibus pœnis excruciari, ferreis stipitibus confixum, audiuitque ab Angelo suo, eum esse fratrem illius fœminæ, quæ petijsset vt oraret pro eo: se quoquè impetraturam, si quid piè pro eo peteret. Orauit igitur, vt ab illis ferreis stipitibus extraheretur. Ilicò à pœnis illis specialibus absolutus, ductus est ad communem purgandorum locum. Sorore autem eius importunè scire cupiente ex Lyduuina, de statu illius, tandèm ea retulit quid vidisset, iussitque certas præstari eleemosynas, & in ijs caponem, qui pauperibus ægrotis pararetur. Fecit illa, vt iussa erat, & ecce nocte intempesta adest turba dæmonum, è quibus vnus caponem manibus tenebat, similem illi, qui fuerat datus pauperibus: quo grauissimè cæcidit facies vtriusque, id est, & Lyduuinæ, & sororis defuncti illius. Et hæc quidem posteà in quosdam incidit morbos propter fratrem suum, quos cum præ dolorum atrocitate ferre non posset, orauit Lyduuina pro ea, & quamprimùm liberata est, quod autem reliquum fuit pœnarum, id in Lyduuinam translatum est: sicque tandèm è pœnis erepta est anima illa. Ob zelum animarum sæpè cruentos ab oculis fudit imbres, dicebatque Domino: O si possem, Deus meus, carnem & sanguinem meum dare pro animabus illis, quas tu castigas. Pro his ergò orabat, suspirabat, vigilabat, sacrificia offerenda curabat, se totam in holocaustum offerebat. Balduuinus quidam de Campo cùm à corpore migrâsset, Lyduuina rapta in spiritu vidit hominem, facie ipsi ignotum, stare ad pedem montis, & volentem quidem ascendere, sed minimè valentem: audiuit etiam dicentem sibi: Miserere meî, Lyduuina, miserere meî, & in montem hunc me deportato. Illa accipiens eum in humeros suos, tulit in montem, sed difficulter sanè. ait autem ad eum: Quis vocaris? Et ille: Balduuinus à Campo, inquit. Manè confessarius virginis venit ad eam, viditque ceu labore graui defessam, & ægrè respirantem. Itaque ait ad eam: Ecquid habes, filia? Cur præter morem tam difficulter respiras? Illa respondit: Ego, pater, à monte iam venio, in quem Balduuinum à Campo transtuli, sudore pariter & labore iam afflicta. Ille nomen viri iam antè crebrò audierat, sed virum ignorabat. Triduò pòst nescius eò venit sacrificaturus, vbi Balduuinus decesserat, didicitque è templi custode, eadem nocte eum obijsse, quo Lyduuinæ apparuit. Sacerdos quidã tota vita sua carnis illecebris deditus, statuerat corrigere mores suos: sed

Margin notes: 2. Mach. 12. — Ducitur ad loca purgatorij. — Furor maligni dæmonis. — Summa Lyduuinæ charitas erga defunctos.

morte præuentus, etsi valdè contritus, tamen pro peccatis ità vt par erat satisfacere non potuit. Orans autem pro eo Lyduuina, ducta est ab Angelo in illam regionem, audiuitque vocem lugubrem ceu è puteo abyssi, quam Angelus dixit esse sacerdotis illius. Cùmque miraretur eum duodecim annis tam horribili loco detentum, Angelus eam intuens, ait: Vis'ne aliquid pro eius liberatione perpeti? Volo, inquit, & quidem libenti animo. Mox ei ostendit Angelus locum, vbi vorago quædam cernebatur & gurges ater ac horribilis, tanquàm torrentium multorum, magno impetu manantium. Hunc gurgitem, inquit idem, transmittas oportet, si vis hanc liberare animam. Illa verò cùm in aquas illas terribilem edentes sonitum ingredi timeret, Angelus admonuit, vt infracto animo transiret. Itaque virtute induta cælitùs, & ardentissima charitate incensa, ingressa est in tumultuantes vndas illas, & summo labore eas superans, victrix obtinuit quod optauit: viditque repentè sacerdotis illius animam niue candidiorem è pœnis euolantem, ac deindè in nitidissimo se riuulo abluentem, & cum iubilo abeuntem in cælos. Illa autem hora Lyduuina ad se reuersa, tanto sudore madere reperta est à domesticis, vt nemo ambigeret, spiritu eam valdè defatigatam, alicundè reuertisse. Fuit alius sacerdos, virgini dilectus & deditus, quem illa à vita dissoluta ad meliorem frugem reduxerat. Is non admodùm diù à conuersione sua, peste correptus obijt. Orabat autem pro illo & lachrymabat Lyduuina. Interìm ecstasim passa, valdè anxiè scire cupiebat, quo in statu res illius essent. Quærente autem ab ea Angelo, num promptam se exhibere vellet ad perferendum aliquid pro illo, respondit, si sic Deo visum sit, & absque suo detrimento fieri possit, se id vnicè optare. Mox rapta ad pœnarum loca, vidit puteum teterrimum, terribilibus plenum cruciamentis: rogauitque Angelum, num is locus tartareus esset. Ille verò, Non est, inquit, hic tartarus, sed non longè abest. Circunspiciens autem vndiquè Lyduuina, intuita est alium locum, absque comparatione terribiliorem, ceu ex aterrimis constructum saxis, & mirè profundum: audiuitque illic clamores mirabiles, stridores, gemitus, vlulatus, tumultuationes, malleorum ictus, percussiones, quibus animæ sine vlla miseratione à crudelissimis tortoribus contundebantur: nec loci illius horrori comparari possent, etiamsi simul audirentur, totius orbis clamores & fragores. Dictum est autem ei ab Angelo, eo loco damnatos contineri: cumque ex ea quæreret, an eius videndi cupido ipsam teneret, præ nimio terrore dixit, se nolle videre eum, quandò etiam auditus ipse nimis quàm molestus esset. Conspexit verò etiam puteum quendam, & ei insidentem Angelum facie mœstum: quem vbì didicit custodem esse sacerdotis, pro quo orauerat, & causas mœroris ex certis eius sacerdotis demeritis percepit, mox ab Angelo docta est speciali illic eum purgatorio castigari. statimque apertus est puteus, & erupit indè flamma teterrima atque fumosa, simulque eiulatus altissimus. Interroganti Angelo, an vocem illam nôsset, respondit Lyduuina, se probè illam cognitam habere. confestìm autem ascendit anima illa specie ferri ignitissimi, voce confusa dicens: O charissima Lyduuina, ô speculum purissimum, quis mihi det, vt quandoquè Dominum in te, & te in Domino contemplari queam? Accidit tum quiddam mirabile. Nam simulatquè Lyduuina vidit animam illam ceu ex putei abysso ascendentem, tanto pauore consternata est, vt etiam cingulum nouum, crassum & hispidum, quo more suo ad carnem accincta erat, crassiori & saniori sua parte medium rumperetur, & illa mox ad se rediret. Rogantibus autem quibusdam, vt illa hora se habuerit, Credite mihi, inquit, nisì me vinceret Dei amor & honor, cuius causa nihil est quod non velim perpeti, si possem obtinere pro voto quicquid cæli ambitu continetur, nollem denuò talem sentire terrorem, qualem iam passa sum. Paucis pòst diebus Angelum illum, quem mœrentem conspexerat, iucundum & hilarem vidit: tandemque anima illa extra puteum ad communē expiationis locum translata est, adiutaq; pœnis, quas virgo sanctissima ex amore patiebatur, ad cælos euolauit. Quàm verò prudens & cauta fuerit in responsis suis Lyduuina, perspicuum fiet ex ijs, quæ subiungo. Loquax quædam mulier non parùm molesta ei fuit, vt cognosceret ex ipsa statum cuiusdam defuncti. Allegabat autem eius temporis virum quendam religiosum, de quibuslibet defunctis, si esset interrogatus, affirmatè respondentem. Sed prudens virgo, alieno periculo cautior facta, Meum, inquit, non est iudicare quenquam: si autem rectè fecit religiosus ille, quem tu mihi adeò

Animam liberat è pœnis horrendis.

Rapta spiritu, videt immanes cruciatus purgandorum.

Item tartarum.

Nota rem miram, nec putes vanā fuisse visionem.

Cautio eius in dādis responsis.

adeò commendas, facilè pronunciando de defunctis, id ipse iam nouit. Audierat enim ex Angelo, virum illum, licèt alioquì castum & pium, pœnis addictum, quòd reuelationibus multa admiscuisset de suo sensu minùs vera, atque propter eiusmodi reuelationes pro sancto habitus, munera laudesque hominum percepisset. Mortuo quoquè Vuilhelmo Hollandiæ Comite, quibusdam falsò referentibus coniugi eius, Lyduuinam dixisse eum saluum esse in cælis, & Lyduuinam ipsam triduò mortuam, deindè reuixisse: Comitissa illa clàm misit hominem, qui ex Lyduuina expiscaretur, an hæc ità se haberent. Et ille quidem curiosè ex ea cœpit percunctari, sed hoc ab ea tulit responsum: Ego, frater, si triduò mortua fuissem, certè ab amicis humata essem. Quòd si Comes tam citò ab omnibus est pœnis purgatorijs absolutus, possem equidem lugere dilationem incolatûs mei, & tam diuturnos dolores meos, vt quæ iam decem & septem annos miserè decubuerim. Ijs auditis, callidus homo, rubore suffusus, non habuit quod responderet, sed suo fraudatus desiderio, retulit suæ dominæ, quid Lyduuina dixisset. Solebat illa silentio tegere, quicquid salua conscientiæ integritate & absque fraternæ salutis detrimento celari posset. De religiosis viris, itemque sacerdotibus, quorum inculpatam nouerat vitam, fidentiùs loquebatur: parciùs de secularibus bonæ existimationis: de sceleratis verò & flagitiosis hominibus etiam adiurata non nisi parcissimè reuelabat. Sedit aliquandò apud stratum eius sacerdos quidam, in vulgo sic satis honestæ & bonæ famæ: sedebant ibi & complures alij. Erat tum ibi vas sinapi plenum, & cùm sermo haberetur de pœnis purgatorij, dixit tandèm ille sacerdos: Vellem liceret mihi tot annis degere in locis purgatorij, quot sunt in hoc vase sinapis grana, modò certò constaret me posteà saluum fore. Ad hæc Lyduuina suspirans respondit: Quid est, domine, quod loqueris? Quid ità parùm fidis diuinæ misericordiæ? Si scires qualis sit purgatorij locus, & quas ibi dent pœnas animæ, nequaquàm ità loquereris. Non diù pòst moritur ille sacerdos, & amicis cum Lyduuina de statu animæ eius conferentibus, illa ait: Benè habet anima eius propter suam probitatem: sed melius fuisset ei, si viuens plus fiduciæ collocâsset in virtute passionis Christi, & mitior quoquè purgationis in eum lata esset sententia. Patet hinc, quàm consultum sit timere Deum, quàm pium sperare in Domino: timor enim frenat animum, nè intumescat: spes deiectum erigit, nè succumbat. Multas autem diuinitùs accepit consolationes Lyduuina, maximè in solennitatibus, propter ea, quæ faciebat & patiebatur ob animas è pœnis purgatorijs liberandas.

Prudentissimè respondet homini callido.

Spera in Domino, & fac bonitatem.

CAP. III.

SAEpiùs etiam noctibus rapiebatur (in corpore, an extra corpus, nescio) ad loca, in quibus Christus olìm versatus est. Fuit in monte Caluariæ, vbi passus est Christus: fuit in Nazareth, vbi conceptus: in Bethleem, vbi natus: fuit præcipuè Hierosolymis, & in locis vicinis. Deniquè nullus terræ sanctæ locus celebris est, quem non vel spiritu, vel specie calcauerit pes eius. Cumque id confessarius eius admiraretur, illa precibus obtinuit à Domino, vt is quoquè consimiliter eò raperetur, ità vt non dubitaret asserere se cum ea illis in locis fuisse. In eiusmodi verò raptibus feruentissimè Dominum deprecabatur. Admittebatur sæpiùs, tanquàm præsente Domino, nunc ad pedum, nunc ad manuum, tum etiam confixi lateris oscula: vbi aliquantispèr commorata, tantam hauriebat suauitatem spiritûs, vt suijpsius penitùs obliuisci videretur. Post huiusmodi autem sponsi cælestis contactus, signa euidentia infixorum vulnerum in corpore reportabat, quibus constare potuit aliquid præter spiritum aut speciem imaginariam eam percepisse. Rapta aliquandò in hortum, vbi Dominus sanguinem sudauit, accuratè obseruauit & orationis & sudoris Dominici modum: atque etiam post illos Christi angores ad osculum eius admissa, audiuit eum familiariter sibi dicentem: Vis'ne mecum ire in Caluariæ locum? Respondit illa: O Domine IESV, vnica spes vitę meę, tecum ire, tecum pati, tecum mori parata sum. Itaque ducebat eam Dominus secum ad Caluariæ locum. Reuersa autem ab ijs locis sacratissimis, referebat in labijs pustulas, in membris fissuras, in iuncturis punctiones, in corpore spinarum & tribulorum particulas: dicebatque ei Angelus: Signa hæc conspicua idcircò, mea soror, tecum reportâsti, vt scias te reuera in locis sacris fuisse. Alio tempore cùm sic rapta per loca redolentissima proficisceretur, peruenit ad lubrica quædam spatia,

Sæpè ducta est ad loca terræ sanctæ.

Obserua qualis ad se redierit rapta ad sacra loca.

ſpatia, quæ videbantur haudquaquàm tranſmitti poſſe: ibique lapſa, dextrum pedem ſenſit luxatum. Cumque ſibi reddita eſſet, non modò dolorum aculeos in eo pede paſſa eſt, ſed etiam liuorem ac tumorem illic perſpicuè ſuis vidit oculis, & in membris vicinis dies non paucos immanes cruciatus pertulit. Ad eundem modum viſa eſt frequentiſsimè, tanquàm à longinquis reuertens regionibus, nunc læſa in digitis, nunc in pedibus: modò ab vrbe Roma, vbi ſeptem inuiſit eccleſias: modò à monaſterijs pijſsimorum monachorum, eorum præſertim canonicorum, quorum reformata eſt vita: modò ex diuerſis mundi partibus ab Angelo reducta. Fiebat enim diſpenſatione diuina, vt interiorum chariſmatum copia ſpiritus affluens, corpori impertiret conſolationum reliquias, quod etiam tanquàm inſtrumentum merendi, & velut aſellus particeps erat afflictionum eius. anima enim in eius corpore, & corpus ſimul cum anima extrema ſuſcipiebant certamina & angores, pariterque collaborabant. Nihil igitur mirum, ſi ſimul ſpatientur, ſimul conſolationibus afficiantur, ſi futuræ gloriæ præludia, & menſæ filiorum Dei participationem quandam tanquàm arrhabonem percipiant, vnaque peregrinentur. Audiui à quibuſdam, qui ſe teſte conſcientia vera dicere affirmarent, cùm virgo ſancta poſt eiuſmodi raptus ad ſe rediret, haud ſecùs atquè præſtantiſſimorum aromatum apothecam eam redoluiſſe. Neque enim continere ſe poterat, quin velut vas plenum muſto & abſque ſpiraculo, totum tugurium & præſentes omnes, quodam impetu ſpiritûs efflando compleret: id quod crebro ſtudioſè quidam obſeruârunt, homines fide digniſſimi. Admouebant ſæpè pectori eius, ſed furtiuè, vultus, nares & ora ſua, vt pro voto haurirent reliquias ſpiritûs eius & ſuauiſſimi odoris. nihil enim aliud videbatur pectus eius, quàm vas electum vnguentorum Domini, & promptuarium cæleſtium aromatum. Rogata ſæpiſſimè, quî ſe poſſet in ea deliciarum redundantia continere, reſpondit humilis virgo: Vt minùs ſapiens dico, quandò vos latere non poſſum, bonum mihi quòd humiliat me in infirmitatibus Dominus. ſine illis enim nequaquàm pondus conſolationum eius ferre poſſem. Itaque cùm abundo conſolationibus, diſco poſteà in corpore miſerabili incredibiles perferre cruciatus. Bona eſt conſolatio, quam non tumor inflat, ſed timor conſolidat. Ita ergò Lyduuina noſtra rapiebatur ad diuerſa ſpiritalium recreationum loca, ſed mox, inſtàr puerorum ad ſcholas à ludis redeuntium, grauabatur ſuper eam virga magiſtri & Domini I E S V. Neque hoc ſilentio premendum eſt, nouiſſe eam, etiam quæ nunquàm viderat, monaſteria, cellas, officinas, perſonas & exercitia in eis degentium. Mirantibus viris religioſis, vndè tam exactè nouiſſet eos, qui nunquàm ei viſi eſſent, illa dixit: Dominus id mihi præſtitit. Prior quidam monaſterij Canonicorum regularium Brielenſium, cùm pro more ſermonem cum illa conferret, cœnobij ſui conſtitutionem tam diſtinctè ex ea audiuit, acſi tota vita ſua per omnes eius angulos peruagata eſſet. Illo ſtupente, addidit virgo: Noueris pater, fratribus in dormitorio quieſcentibus, adfuiſſe me, & ſingulorum fratrum Angelos cuſtodes in cellulis conſpexiſſe. Vuilhelmus quidam Hagenſis filium habuit Henricum, qui illo inconſulto Carthuſianum inſtitutum complexus erat in Brabantia. Cùm autem Vuilhelmus ille propter virginis famam ad eius ædes veniret, Lyduuina ingredientem nominatim ſalutat, & filij proſperos ſucceſſus ei denunciat. Audiens ille ſe nominari ab ea, quam nunquàm vidiſſet, vehementer obſtupuit, quidque ea ſibi velit ſalutatio inquirit. Reſpondet virgo: Filius tuus Dei beneficio factus eſt Carthuſianus, vndè nos gratias Deo immenſas agere debemus. Sed cùm ille, ſicut & alij plerique, ſecreta Dei rimari vellet, illa reſpondit: Noli, quæſo, mihi moleſtus eſſe, chariſſime. Ego quidem de folijs eorum, quæ mihi dat Dominus, compellente charitate ſæpiùs impertior: ſed radicem dabo minimè: his verbis eum abſterrens à curioſa arcanorum Dei perſcrutatione. Quotiès autem Chriſtum Apoſtolis ſtipatum viderit, quotiès Sanctorum ſocietate fruita ſit, prolixitas ſcribere non ſinit. Viderunt quamplurimi cubiculum virginis tanto ſæpè ſplendore completum, vt properè accurrerent, exiſtimantes illud ignibus conflagrare: cùm autem cernerent virginem tanto perfuſam lumine, terrore concuſſi, claritatem vultûs eius ferre non potuerunt. Sciſcitantibus domeſticis, quînam lucem illam tolerare poſſet, cùm naturale lumen nec ad momentum ferre ſuſtineret: illa reſpondit: Credite, credite mihi, lumen gratiæ ſeu diuinæ contemplationis tantum differre à lumine, quod cernimus, quantum minimus ſolis huius radius à toto ſole differt. Nec miremini, ſi lumen naturale non ſuſtinet imbecilla acies, ſuſtinet autem lumen cælitùs

Conſolationes ſpiritûs in corpus eius redundant.

Nota hæc.

Magnis afficitur conſolationibus à Deo.

Nouit monaſteria, monachos &c. etiam nunquàm ei viſa.

Sæpiſsimè videt Chriſtum & Sanctos.

litùs datum. Qui enim finxit oculum hominis, ipse cùm offert tale lumen, facilè etiam confert videndi facultatem. Sacerdos quidam puræ ac columbinæ simplicitatis venit ad virginem, vt certior fieret de reuelationibus, quæ ei fiebant diuinitùs, pro sua & aliorum salute. Illa autem noluit tum ad quæuis simpliciter respondere, sed quàm potuit commodissimè virum bonum non sine consolatione à se dimisit. At ea causa dolere & angi cœpit sacerdos, veritus nè sua incuria molestiam ei attulisset. Itaque quamprimùm ante altare beatissimæ Mariæ virginis in templo se prosternens, amarissimè fleuit: sed subitò mentis ecstasin passus, vidit virginem quandam duobus stipatam Angelis ad se venire, cantantem cum ipso antiphonam illam, Salue regina. Indè ad se reductus, properè ad virginem rediit, quam se offendisse timebat. Illa autem non ignara quid vidisset, Anne, inquit, mœror tuus in gaudium mutatus est? Respondit sacerdos: Túne illa fuisti virgo, quam modò prostratus vidi mecum psallentem? Nunquàm ego tantam sensi mentis suauitatem. Noluit tum id fateri virgo, sed post dies aliquot grauiùs compulsa verum dicere, non negauit se illam fuisse. Mulier quædam pia & casta intantùm affligebatur animi mœrore & desolatione, vt nullus eam consolari posset. Increscente ea molestia, consuluit sacerdotes: qui responderunt phantasma quoddam esse. Iam propè ad desperationem accedebat, cùm eccè nouissimam omnium consulit Lyduuinam: quæ eam comiter accipiens, optimis admonitionibus & persuasionibus egregiè animauit. Paucis pòst diebus vtraque mentis excessum patitur, videntque simul palatium amplum, miro artificio constructum, audiuntque cantus suauissimos, cernunt dapes valdè opiparas, percipiunt odorum incredibilem fragrantiam. Inter hæc mulier afflicta videtur sibi rursùs explicare animi sui angustias, & Lyduuinam, neglectis omnibus delicijs, more suo rursùs interpellare. Tum Lyduuina, Facessant, inquit, lamenta & querimoniæ. locus hic non mœroris est, sed consolationis. His dictis, abducit fœminam in locum quendam seorsùm, de quo aliud sentire non potuit, quàm esse promptuarium quoddam regalium condimentorum & lautitiarum, cellamq; aromatum totius mundi. Indè vero tantam animi suauitatem hausit illa mulier, vt nedùm angustiarum omnium prorsùs obliuisceretur, sed etiam ad se reuersa, diebus aliquot vix corporei alimenti odorem admittere vellet. Persæpè autem alij Dei amici viderunt Lyduuinam inter cæli ciues, inter beatissimos Apostolos, inter choros virginum eam comitantium versari.

Visio cuiusdam sacerdotis.

Homines sancti quid de Ly[illegible] [illegible] viderint.

CAP. IIII.

Quid autem miraculi contigerit in ea sanctissimæ matris Dei imagine, quam hodieque Schiedami venerantur, iam suprà commemoraui: addam nunc, quid ab eadem Dei genitrice præstitum sit Lyduuinæ. Quodam solenni die sub meridiem rogauit ea confessarium suum & alios, vt trium horarum spatio ipsam solam relinquerent. Abeunt omnes, sed confessarius clàm redit, & alicubì se abdit intra virginis cubiculum, sperans se visurum Angelum, quem ex virginis confessione didicerat crebrò ad ipsam aduentare. Cùm autem Lyduuina se solam putaret, cœpit pro more sponsi sui commemorare beneficia, preces offerre Domino, inuitare Angelum suum. Et ecce circa horam primam à meridie aduenit Angelus, non tamen, vt solebat, propiùs ad lectulum virginis accedit. Illa timens, nè ob aliquam culpam suam id fieret, cœpit amarè flere. Angelus verò ait ad eam: Nulla tua culpa fit, quòd tibi non appropinquo, sed eius potiùs, qui hîc delitescit. & his dictis disparuit. Tum verò sancta virgo etiam acriùs flere cœpit. Ea re pudefactus confessarius eius, accessit ad eam, suamque culpam confitens, promisit se nihil tale deincèps facturum. At illa tertiò flens amarissimè, Iráne, inquit, etiam tu hæsitas, mi pater? Nesciens ille præ verecundia, quid diceret, ocyùs exiuit. Sed pius Dominus afflictam virginem consolatus est. Rapta est enim ad altare, in quo imago, de qua iam diximus, collocata est. Indè ducta per loca pœnarum, tandem ad contemplandos cælicolas, deducente eam Angelo, peruenit. Vidit ergò millia millium laudantium Dominum, & coram illo mirè exultantium. Tanta autem erat copia bonorum, quæ illic intuita est, vt postcà nec minimam illorum partem explicare posset. Quidam autem è Sanctis hortabantur eam ad tolerantiam, & vt fortiter perferret omnia, quæ deinceps passura esset. Et nos, aiunt, tametsi transiuimus per ignem & aquam; at nunc, vt cernis, in refrigerium reducti sumus. Sub his videt aduenire Dominam Angelorum, & mundi Dominam Mariam, eamque dicentem sibi: Quinam, filia charissima,

Angelus in[illegible] latitantem in cubiculo confessarium.

Raptus eius mirabilis.

rissima, adeò inculta huc venisti? Respondit illa: Nôsti, mater speciosissima, à ductore meo sic me huc perductam esse. Et mater Domini ad eam, Vis'ne, inquit, capiti tuo imponi tegmen, quod manibus fero? At illa pauida valdè, respexit ducem suum, nesciens quid responderet, nè fortè peccaret, propria voluntate freta. Tertiò autem reginæ cæli percunctanti, humiliter respondit: Ego, Domina mea, non debeo hic obsequi meæ voluntati. Dixit autem ei Angelus: Si vis, tolle illud. Petijt ergò illud, sed non absque multa formidine. Cùm ergò ad se redisset, beatissima Maria cum multis virginibus apparuit ei, tegmen illud manibus tenens, dixitque ei: Sæpè ex te rogaui, charissima, num velis hoc habere velamen, nec tamen indicare voluisti voluntatem tuam. En illud iam ego impono capiti tuo: sed cùm è cælo venerit, non nisi septem horis erit in terris. Dabis autem illud confessario tuo, & admonebis eum, vt fidem adhibeat donis Dei, & vt imponat hoc velamen capiti imaginis meæ. Quibus dictis, euanuit. Virgo autem post actas Deo gratias, velamen de capite deposuit, & cuius materiæ & formæ esset considerauit. Deindè confessarium suum ad se vocans, omnia ei narrauit. Ille verò admirabatur. Erat enim velamen illud crispum, colore ceruleo, medio inter album & viridem, texturæ incompertæ, totam domum implens odore suaui. Rogauit autem virgo confessarium, vt imponeret illud quamprimùm capiti imaginis. Illo causante tempus, quòd ante horam esset, & imago loco sublimi consisteret, virgo ait: Dominus prouidebit, vt possis ingredi in templum: scalam autem ad borealem templi partem inuenies. Mira res. Egredienti illi domum mox occurrit templi custos, scala inuenitur, quâ fretus, imposuit velamen imagini, sed ab Angelo confestim ablatum est. Magna fuit Lyduuinæ cum beatissima Dei genitrice familiaritas: quippe quæ in meditationibus suis, acsi corpore & animo præsens adesset, cum lactante lactabat IESVM, cum gestante gestabat, cum exulante exulabat, cum dolente dolebat, quærebat cum quærente, stabat cum stante sub cruce. Atque hæc ei erat salutaris consolatio, hoc felix contubernium. Sacro quodam Aduentûs Christi tempore cùm se nouis exercitijs renouare meditaretur, vidua quædam Catharina per visum admonita fuit, vbera Lyduuinæ natiuitatis Christi nocte plena lacte fore, & vt ipsa indè sugeret. Manè surgens vidua, secretò venit ad Lyduuinam, indicat quid audierit. Stupet Lyduuina, vidensque viduam cupidissimam cognoscendi ea, quæ in se Dominus operaretur, primò tacet, deindè victa, iubet eam præstò esse illa nocte. Adueniente igitur sacratissima Christi natiuitate, nocturnis horis totam se Lyduuina confert ad contemplandum Dominicæ incarnationis sacramentum. Interim rapitur ad cælestia, videtque gloriosam puerperam Mariam cum innumera sacrarum virginum frequentia, ineffabili harmonia hymnos concinentium. In medio earum sedebat Virgo mater, regina omnium speciosissima, puerulum habens in gremio, vti olim in diuersorio. Eadem autem hora virginum illarum omnium vbera lacte repleta sunt, sicut & ipsius matris Virginis diuino munere plena fuêre nocte, qua Christus ex ipsa natus est. Lyduuinæ quoquè vbera lacte impleta sunt, sed non nisi hora vna duraturo. Rogauit igitur Angelum ductorem suum, nè fineret viduam fraudari expectatione sua. Iussit autem Angelus eam nihil esse solicitam: Qui enim primum, inquit, lac dedit, poterit & alterum dare. Cùm autem venerit ad sugendum vidua, tu tantùm frices parùm papillam vberis tui, & mox lacte complebitur. Tertia indè noctis vigilia adest sedula mulier, Lyduuina confricat mamillam, & lacte abundat: sugit vidua, quantum potest honestè tertio attractu elicere, multa in vberibus lactis copia remanente. Tanta autem erat lactis eius dulcedo, vt multo pòst tempore vidua illa ægrè potuerit ad capiendum cibum adduci, nisi Lyduuinæ grauissimo mandato compulsa fuisset.

S. Mariæ cũ multis virginibus ei apparet.

Multa ei cũ S. Maria est familiaritas

Raptus eius & visio.

Mamilla eius miro modo lacte abundat.

CAP. V.

Veniendum nunc est ad contemplationes Lyduuinæ, quarum tantus non rarò excessus fuit, vt quid in membris corporis ageretur, interdùm ignoraret. Quodam brumali frigore prunas apud se habuit in vase testaceo, quod cùm incautè illic relictum esset, ignis latus eius vsque ad ossa combussit. Casu autem domesticæ eius ad eam ingressæ, vt viderunt quid pateretur ab igni, pauidæ dixerunt: Sentis'ne Lyduuina adustionem ignis? Illa tanquàm à longinqua regione reuersa, Ignem, inquit, non vidi, nec eius sensi calorem: at tamen sentio

Non sentit præ mentis excessu se igni adustam.

ſentio nunc latus meum. Tum illæ, Peccauimus, inquiunt, in Deum & in te, ſoror, quandoquidem non modò carnem tuam abſumpſit ignis, ſed ferè etiam coſtam vnam. Reſpondit virgo: Benedictus Deus, qui me adeò perunxit intùs, vt ardorem ignis non ſenſerim. Percurrebat illa ſpiritu ſubtilis & agilis patriam cæleſtem, plenam deliciarum & diuitiarum Domini. Adepta autem erat per paſſionis Chriſti meditationem, contemplandi vſum, & ſingularem diuini ſpiritûs influxum, tantam mentis ſerenitatem, vt quanuìs ab homine literas non didicerit, euangeliorum multarumque aliarum ſcripturarum myſteria diuinitùs illuſtrata penetraret. Theologus quidam Ordinis S. Dominici, cùm multa de ea audiuiſſet, quieſcere non potuit, donèc coràm cum illa loqueretur. Igitur è Traiectenſi diœceſi veniens, domum eius intrat, & de varijs confert cum illa. Tandèm ſcire ex ea voluit ſub quadam ſimilitudine, quemadmodùm, agente tota ſacroſancta Trinitate, ſolus filius in Virginis vtero incarnatus ſit. Illa ſe more ſuo humiliter excuſauit, nolens de re tam ſublimi loqui coram illo. Sed vir doctus id moleſtè ferens, terribiliter adiurauit eam, vt diceret, ſi nôſſet. Tum pia virgo magno animi correpta dolore, fleuit vehementiſſimè, ità vt Theologum quoquè illum ſuis lachrymis ad compunctionem permoueret. Indè reſumptis vtcunquè viribus tali ei ſimilitudine explicuit, quod voluit, vt vir doctiſſimus ſtupens & admirans, palàm teſtaretur, ſe nunquàm à doctoribus tam aptam accepiſſe ſimilitudinem. Eamque longè lateque diuulgauit, tametſi ſancta virgo rogâſſet eum, nè cuiquam diceret: factuſque eſt aduersùs obtrectatores virginis acerrimus defenſor, qui venerat ad eam ſuſpicioſus explorator. Mira vero etiam fuit in ea gratia prophetiæ, ità vt etiam arcana cordium eam non laterent, & abſentia haud ſecùs àc præſentia clariſſimè intueretur. Mulier quædam virum habuit prorsùs inhumanum, & tum ipſam, tum familiam à Dei cultu retardantem. Orauit illa virginem Lyduuinam, vt memor eſſet eius apud Dominum. Lyduuina admonet eam, vt ſit patiens, promittit tranquilliora. Interìm fiunt nouiſſima peiora prioribus, cæditur mulier à ſæuiſſimo marito, & iam vitæ tædet eam ſuæ. Tandèm currit ad portum oppidi, merſura ſe in aquas. Sub ipſo curſu bonus ſpiritus ei intùs loquitur, cogit ſiſtere gradum, & hunc in modum loqui ſibijpſi: Totiès miſera fuiſti apud Lyduuinam, multam eius experta erga te beneuolentiam. Nunc ergò etiam inuiſas eam, priusquàm morte te afficias. Nec latuit Lyduuinam fœminæ ſummum diſcrimen. Cùm ergò illa curſim veniret valedictura virgini, iamque pulſaret fores domûs eius, Lyduuina exclamat: Ocyùs aperite. quæ enim pulſat, eius anima in amaritudine eſt. Intrat mulier, proſternit ſe in lectulum virginis, vix in ea manente ſpiritu. Et Lyduuina, Quid habes? inquit. Rectè ne agitur inter te & virum tuum? At illa: Mihi verò, inquit, iam vita ipſa faſtidio eſt, iuuatque illam cum morte commutare. Tuo conſilio ſuſtinui adhuc, tuli verba & verbera, ſed iam decretum eſt ruere in mortem. Lyduuina autem, Redi, inquit, chariſſima, ad lectum tuum: ego tibi verbis omnipotentis Dei pacem à viro tuo denuncio. Credit mulier, redit in domum ſuam, virum in lecto reperit, cubat iuxta illum, adeò mutatur ille nocte eadem, vt ex lupo in agnum cunctis mirantibus conuerſus videretur. Monachus quidam Schoenhouienſis, Ordinis Canonicorum regularium, cùm adhuc eſſet nouitius, miras ſuſtinuit dæmonum infeſtationes, adeò vt deſperaret ſe poſſe durare in monaſterio. Conquerebatur nonnullis de vexationibus dæmonum, & conſolabantur illi quidem verbis, ſed non ſolis verbis curatur ea tentatio: conſtantia fidei & mentis perſeuerantia opùs eſt. Sæpè tamen alios etiam ad lachrymas permouit, referens quid ipſe intùs pateretur. Prior autem eius, vir pius, à quo hæc ego didici, multùm erat anxius quid ageret. Tandèm ducit eum ſecum ad Lyduuinæ ædes: ſed illa tum mirabiliter cruciabatur calculo: mandat igitur Priori, vt ſolus ad ſe veniat: venit ille, nec ſine ingenti animi dolore videt tam acerbos ſanctiſſimæ virginis cruciatus. Et virgo ad illum: Vides, inquit, pater chariſſime, quàm me nunc vndiquè premant dolores multi. itaque breuis eſſe compellor: Frater tuus, quem huc adduxiſti, probatur nunc grauiter à Domino: ſed hortare eum, vt magno ferat animo. breui enim liberabitur. At tamen oretur inſtanter pro eo. magna enim illi & gratia & gloria parata eſt. Stupet Prior, audiens ex illa & nomen fratris, & cauſam aduentûs ſui, videtisque in ſummis doloribus non ſolùm mente ſanam, ſed etiam futuræ conſolationis præſciam. Omnia verò hæc poſteà euenerunt, vtì erant à virgine prædicta. Magnum quan-

Theologus doctiſſimus quæſtionē ei proponit

Egregiè prędita eſt dono prophetiæ.

Mulieri ſe necare volenti prædicit mariti correctionem.

Optimè nouit diuinitùs cuiuſdā monachi tentationes, prædicitque liberationem.

quandoquè nauium apparatum fecêre mercatores in Orientem nauigaturi. Erat in ijs nauclerus quidam industrius, Deum valdè timens, quod est rarum in nautis, & Lyduuinæ eo nomine familiaris. eius enim se precibus commendabat peregrè profecturus. Socijs autem eius die festo inter se conuenientibus, ille consulturus Lyduuinam adijt. Cùm autem nautæ deliberâssent die festo soluere è portu, Lyduuina mandauit huic nauclero, nè ipsa insalutata discederet. Venit ergò ad eam, sed sanè inuitus, quòd alij statuissent proficisci. Dixit autem ei Lyduuina : Quæso te, frater, nè die ab alijs præstituto mari te committas. causam, cur id non expediat, suo tempore comperies. Allegante illo suam solitudinem, aliorum frequentiam, & multa alia, Lyduuina ait : Non eas cum illis : etiamsi solus ieris, Dominus tecum erit, & prospera nauigatione vteris. Obstupuit nauclerus, sed tamen paruit virgini. Abeunt alij gratulabundi, conuicia in illum iactantes, effusèque illum irridentes : ille tristis domum redit. Aliquandiù secundo vento & commoda nauigatione alij fruuntur, sed pòst incidunt in piratas, qui omnem eorum classem, commissa nauali pugna, partìm capiunt, partìm demergunt, nautis & militibus in captiuitatem abductis. Sequitur indè nauclerus, sed tutus à piratis : confectisque negocijs, redit onustus mercibus & opibus auctus. Aliquandò imminente ira Dei Schiedamensibus, illa quibusdam magìs familiaribus dixit : Rogaui Dominum pro populo nostro : sed cùm multis modis castigare ille nos decreuisset, hoc in nos erit clementiæ eius signum, vt solo incendio puniamur. Cùm ergò omnia passìm flamma corriperet, simplices quidam tollere volebant asseres, qui erant iuxta Lyduuinæ cubiculum, vt liberarent eam ab ignibus ad eam propinquantibus. Illa verò dixit : Sinite, charissimi, ità me hîc iacere, vt hactenùs iacui. ignis mihi nihil adferet detrimenti. Pergebant tamen illi facere, quod instituerant : sed Lyduuina prorsùs illæsa permansit. Milites duo inter se duello confligere volebant. Mater verò alterius anxia, rogauit Lyduuinam, vt oraret pro filio ipsius. Eam autem Lyduuina iussit bono animo esse, prædixitque filium eius nihil mali passurum. Et ecce sopitur odium, redeuntque in concordiam milites. Sæuiente aliquandò peste, Lyduuina præ cæteris in corpore suo duobus locis consignata fuit. Petente autem illa sacrosanctam Eucharistiam, parochus, cuius suprà meminimus, venit trepidus ad eam, ore naribusque obstructis, nè peste inficeretur ab illa. Cernens id virgo, Non est, inquit, in me pater, morbus aliquis, cuius vel contactu vel odoratu quisquam inficiendus sit. opus enim Dei est, non hominis, aut naturæ, quo me plùs solito grauari cernis. Pudefactus ille, obmutuit : simulans indè audaciam, Vtinàm, inquit, liceat mihi eousquè viuere, vt te videam hinc emigrantem. Et illa, Tu mi pater, ait, non videbis finem meum : ego potiùs videbo tuum. Disponas igitur domui tuæ, sicut vis coram Domino apparere. Sed tum quidem more suo contempsit verba virginis : paulò pòst verò percussus, sensit vera illam dixisse : missoque nuncio, petijt humiliter veniam eorum, quæ suspiciosus & malitiosus in eam perpetrâsset, vtque Deum pro se oraret. Audiens autem virgo eum malè valere, condoluit ei, rogauitque eum, vt purè confiteretur peccata sua, res alienas restitueret, domûs suæ res seriò disponeret, tanquàm certò moriturus. Ille virginis dicta paruipendit, immò & per nuncium remandauit ei, se conscium sibi non esse alicuius rei alienæ à se vsurpatæ. Cernens ergò illa occæcatum eum esse, iterùm misit, qui particulatìm ei indicaret, quænam præter ius retineret. At ille virginis consilium sibi vertit in venenum, & beneficium contumeliæ loco habuit : sicque mortuus est. Qualis autem posteà apparuerit, Dominus nouit. Successit autem ei Ioannes Angeli, natione Batauus : cuius cùm essent mitiores mores, multas verbo veritatis adduxit ad confitendum sibi peccata sua. In ijs quædam valdè pia Lyduuinæ ædes quotidiè inuisebat. Id ille admiratus, Quid est, inquit, filia, quòd sic quotidiè Lyduuinam visitas ? Tandèm illa respondit : Miror te virum prudentem, qui sis virginis confessarius, nondùm expertum esse, quod ego in ea quotidiè comperio : quod si tu quoquè comperisses, ægrè sanè te ab ea diuelli patereris. Sed obserua, quæso, manum eius, cum es auditurus confessionem eius, & senties quid velim. Facit ille sic, & post confessionem petit sibi porrigi manum eius : quam vt sensit non aliter quàm velut cælestibus delibutam vnguentis redolere, in has prorupit voces : O vasculum spiritusancto plenum, ô diuinorum apothecam vnguentorum : cur me hactenùs tantam Dei gratiam celare voluisti,

cum

Nauta miser uat ab imminentibus periculis.

Prophetia eius.

Item alia.

Prædicit obitum pastoris sui.

Manus eius olet suauissimè.

cùm tam crebrò tibi adfuerim? Ex illo autem odore vir ille non modò omnium sensit sensuum quandam immutationem, sed etiam animi intimam compunctionem, ità vt sponte virgini ediceret quædam horrida peccata sua, & cum lachrymis emendationem promitteret. Cernens id virgo, quædam ei in profundo sentinæ latentia detexit peccata, locum, tempus & alias circunstantias explicans. Quod ille audiens, contremuit, & rubore perfusus, lachrymabundus exclamauit: Quis tibi, ô sancti spiritûs vasculum, isthæc reseraauit? Sanè ille idem plura tibi de me indicauit: atque his dictis, in hortulum virginis ingressus, fleuit amare. Posteà virginis precibus se commendans, abijt, atque deindè carnem cœpit domare ieiunijs, macerare cilicijs, atque alijs pœnitentiæ studijs amissum tempus redimere. Nec diù pòst in tam sancto proposito peste correptus excessit è viuis: Quanta aũt pro animæ eius liberatione è pœnis Lyduuina in suo corpore tulerit, breuitatis studio silentio præterimus. Possent verò multa dici, quàm illa crebrò adfuerit spiritu in partu laborantibus, afflictis & ægris, sed pauca tantùm commemorâsse sufficiet. Cùm è ciuibus suis quidam naufragium facerent, illa plorans dicebat: O quàm tristes hodiè percipiemus rumores de submersis alijs, & alijs à submersione ereptis. Eius autem verba sequebantur tristes nuncij, & in plateis oppidi luctus passim audiebatur. Imminente inundatione, qua partes Hollandiæ Australes mersæ sunt, quædam fœmina dormiens in pago, qui propinquus erat aggeri, quem mare sæuiens perrupit, audiuit sonitum aquarum mirè tumultuantium, & valdè extimuit. Vidit autem in spiritu venientem ad se Lyduuinam, quæ etiam saluam eam perduxit domum. Dignum sanè admiratione est, cùm hæc apud fœminam illam gererentur, Lyduuinam apertis verbis significâsse ijs, qui tum aderant, in quibus inundantium aquarum periculis mulier illa versaretur.

Odoris eius stupendus effectus.

Cognoscit diuinitùs quorundam naufragiũ.

Item fœminæ cuiusdã periculum.

CAP. VI.

CVM iam vicesimumoctauum in sua infirmitate annum ageret, coronam illustrem hoc modo adepta est, cùm incredibili spiritûs feruore cuperet martyrium obire pro Christo. In quodam mentis excessu ostendit ei Dominus coronam preciosissimam, gemmis diuersorum colorum egregiè ornatam, necdùm tamen in orbem penitùs absolutam. Vbi ad se redijt, cogitabat quænam illa esset corona, rogauitque Dominum, vt castigando corpusculo suo coronæ illi percipiendæ ipsam coaptaret. Sed cùm exiguitatem meritorum suorum putaret tam insigni coronæ imparem, ad commemorandam meritorum Christi infinitatem, & amaritudines omnes, quas propter nos ille perpessus est, se contulit: ijsque paucula dolorum suorum exercitia componens, humilis Christi ancilla tanquàm nihil sibi fecisse videbatur, aitque ad Dominum: Quînam potest quisquam tua sectari vestigia, bone IESV, nisi quasuis carnis molestias, dæmonum insidias, mundi contemptum, hominum vexationes perferat, totoque animo seipsum pro nihilo putet? Pone ergò Domine ancillam tuam in semitis tuis, & fac vt insistam in vestigijs tuis. Cùm sic Dominum illa precaretur, dux Burgundiæ Philippus apud Hollandos inaugurabatur. Vbi autem Schiedamum venit, quidam eius milites circa mensis Octobris initium inter se conspirârunt aduersùs Christi ancillam. Audierant enim nihil eam omninò esculentum aut poculentum sumere, sed solum Christi corpus. Cùm ergò cibo & potu farti essent, venerunt ad parochum, & blandis verbis fingunt se velle videre honoris causa filiam confessionis eius Lyduuinam. Credidit ille, & adduxit eos ad virginem. Vix illi ingressi erãt domum, cùm ecce instàr mente captorum clamitare incipiunt, & clauso ostio circa lectulum virginis cachinnari atque tumultuari. Tacuit illa instàr ouis, sed parochus valdè dolens, nitebatur bonis verbis lenire eos. Sed illi contumelijs affectum repellunt, virginis amicum & concubinum petulanter appellant. Indè cùm nemo aut è vicinis, aut domesticis furori illorum opponere se auderet, illi scelesti accensa candela, omnia virginei corpusculi operimenta abstrahunt, & indignis modis sine vllo pudore contrectant corpusculum multimodis afflictum morbis & hydropisi tumidum: Petronillam neptem eius paruulam, cùm se illis obijceret, tanto impetu ad scabellum abijciunt, vt ad mortem vsque grauiter læsa claudicârit. His addunt turpissima in Lyduuinam conuicia, vocant bestiam, prostibulum, voracem & multa alia, nec paucis eius vulnera cumulant vulneribus. Posteà lauant cruentas manus, & ad iactanda in eam probra & contumelias redeunt. Iacet virgo, sanguine in paleas fluente & pannos vicinos: sed cùm timeret Dei illis iudicium imminere, tandèm ait ad eos: Cur non timetis sinistrè interpretari ea, quæ Dominus operatur in me? An ignoratis quid vos maneat? At illi magis etiam

Philippus Burgundiæ dux venit Schiedamũ.

Militum quorũdam facinus improbum.

cachinnantes,& tanquàm præclaro perpetrato facinore gloriantes, indè recesserunt. Postquàm hæc res per oppidum vulgata est, multus extitit piarum matronarum ploratus ob iniurias pudicissimæ virgini irrogatas. Nihil enim tale vnquàm auditum fuerat apud Hollandos, qui fœmineum genus semper venerationi habere solent. Murmur quoque in populo exortum est aduersùs homines nequam, qui insciente principe suo, talia ausi fuissent perpetrare. Primores etiam populi venerunt ad Lyduuinam, eamque consolantes, dixerunt se velle conqueri apud principem. Quibus illa ait: Nè sitis, oro, molesti principi, neque propter illos contaminetis manus vestras. In cælis est, cui vindicta seruatur, & iam eorum iudicium in promptu est. Idque verissimum fuit, vno ex illis nebulonibus in mari præfocato, alio mente capto & in Zelandia mortuo, tertio in prælio, vt fertur, occiso. Quartus morbo correptus, per nuncium veniam à Lyduuina petijt. Cùm autem posteà sola iaceret Christi ancilla, Angelus ad eam venit, instàr Solis splendidus, aitque ad eam: Salue charissima soror: eccè nunc absoluta est corona, quam nupèr imperfectam vidisti. Propter inuerecundos tactus virorum illorum noueris te positam fuisse in vestigijs Saluatoris. Ludibria & vulnera, corpori tuo imposita, fuêre gemmæ, quas in illa corona & adesse vidisti, & deesse. Missus deindè est dux quidam militum à principe Philippo, cum non paucis militibus, qui Schiedamum ab hostibus tuerentur. Is multa audiuit ex ijs, quæ Deus quotidiè faceret in Lyduuina, nec ignorabat, quæ ab alijs illis passa fuisset. Vt tamen certior esset de omnibus, honestos quosdam & strenuos milites voluit ad dies aliquot Lyduuinæ adesse, & omnia diligenter explorare: & si quidem commentitia deprehenderentur, malè mulctaretur: sin autem vera, laudibus celebraretur. Illi ergò ingressi domum eius, omnia perscrutari cœperunt, nec passi sunt quenquam è domesticis ei adesse. Erant, ni fallor, viri sex, circundabantque vndiquè lectulum virginis. Permisit tamen dux ille cuidam viduæ id roganti, vt liberè posset ad eam accedere, sed ea conditione, vt priùs ipsam excuterent custodes ab ipso deputati. Manserunt igitur diebus nouem apud virginem, neminem sinentes adire illam, præter hanc viduam: atque interim tamen nulla nox abijt, qua non Lyduuina suauissimis contemplationibus in Deum raperetur. Post dies nouem, milites illi valedixerunt virgini, promiseruntque se apud principes eam egregiè celebraturos, atque eius precibus se obnixè commendârunt, quippe qui certò comperissent eam nec edere nec bibere quicquam.

Grauissimè in eos Deus animaduertit.

Ad nouem dies curiosissimè à militibus obseruatur Lyduuina.

CAP. VII

IVuenis quidam, Coloniæ Agrippinæ natus, Gerardus nomine, cùm mundi huius vanitatem & carnis illecebras fugere decreuisset, ad Lyduuinam venit, consilium ab ea petiturus, qua id ratione faciendum sibi putaret. Eum vt fuit illa intuita, tanquàm commilitonis sui præsentia exhilarata, spiritum nouum induere videbatur. Cùm ergò inter se de rebus spiritalibus colloquerentur, Gerardus ait ad eam: Vellem, Lyduuina, vitam ducere solitariam, & esse in aliqua regione, vbi procùl semotus ab hominum consuetudine, vni Deo vacarem. Et mihi quidem placet Aegyptus, sed vereor nè videar tentare Deum, dum non suppetunt vitæ necessaria. Ei sic fertur Lyduuina respondisse, tanquàm conscia futurorum: Nè quæso timeas dilecte frater, sed accepto virili animo, primùm ad patientiam te præpara. Cùm enim in illam vastam solitudinem te abdideris, parùm probaberis initio, sed antè quàm tertio die sol occumbat, tenuem percipies alimoniam, eaque in dies augebitur. Iam manum ad aratrum misisti: caue nè retrahas eam, modò ne velis parùm constans athleta haberi. His virginis adhortationibus factus est Gerardus ad ardua quæque pro Christi amore aggredienda alacrior. Deindè valedicens ei, in Aegyptum profectus est cum socijs quibusdam: qui tamen vt viderunt horridam solitudinem, ferarum inusitata contubernia, penuriam panis, relicto Gerardo discesserunt. Gerardus verò in arbore sibi sedem constituit, & multùm in vera pietate proficiens, sicut Lyduuina prædixerat, cælestis alimoniæ augmenta percepit, & Angelicis colloquijs perfruitus est. Interim cælestibus vacans contemplationibus, sæpiùs in spiritu Lyduuinam videbat. Accidit autem, vt Lyduuinæ frater moreretur, & ea aliquandiù solitos mentis non pateretur excessus. Causa fuit dolor paulò immoderatior, ob fratris sui obitum susceptus, quem illa impensè amabat, quòd seni patri fidus, & erga ipsam admodùm officiosus fuisset. Igitur humani aliquid passa, gratia illa soliti raptûs, ad tempus caruit. Ea tempestate quidam Anglorum antistes peregrinationis ergò terram sanctam & montem Sina, aliaque sanctorum loca visebat, peruenitque etiam in Aegyptum: vbi cum cellulam Gerardi in

Prædicit Gerardo Coloniensi euentura ei in solitudine Aegypti.

Gerardus eremita pascitur esca cælesti.

in alta & frondosa vidisset arbore, primùm obstupuit, indè sumpta fiducia, enixè rogauit eum, vt ad ea, quæ propositurus esset, sibi responderet. Ille supernè despiciens, loquebatur cum eo & socijs eius. Erat autem crasso valdè corpore, sed vultu angelico. Dixit ergò Episcopus reuerenter: Dic nobis Abba, primùm quandiù hîc delitueris: Deindè quo cibo vtaris, victitans inter feras belluas: Tertiò, num tibi quisquam cognitus sit, qui nullo vescatur alimento corporeo. Respondit ille: Duodecim annis nullum ego, hîc degens, vidi hominem: cælitùs mihi datur, vt olim filijs Israël, panis suauissimus: porrò apud Batauos Schiedami virgo est corpore morbido, quæ nullam neque escam neque potionem admittit: eaque me longè & virtute antecellit, & Christo propter patientiam similior atq; gratior est. Sed de illa tamen satìs admirari non possum, quòd cùm soleat vnà mecum rapi ad cælestia, iam diebus aliquot eius præsentia careo, nec eam cerno illo gradu, quo solet in huiusmodi mentis excessu à me videri. Ait verò Episcopus: Quæso dicas nobis, qua causa fieri tu putes, vt abs te non videatur. Scio, inquit ille, permittente id Domino pro eius tuenda humilitate, plùs æquo interdùm illam dolere mortem eorum quos diligit: atque idcircò suspicor ego illi diuinas has consolationes ad tempus subductas. Oro autem, vt si in reditu iter faciatis per Hollandiam, ex hac virgine perquiratis, primùm quot annos detriuerim in hac solitudine: deindè qua ætate fuerim, cùm hoc vitæ genus susciperem: postremò quid causæ sit, quòd eius grata præsentia per hos dies frui non licuerit. Postquàm autem illi audierunt virum, ab eo recesserunt: cumque longis emensis itineribus in Hollandiam venissent, Lyduuinæ indicârunt quæstiones ab eo motas, ad quas illa sic respondit: Dicam id quod sentio, sed saluo iudicio meliori. Fuit ille decem & septem annos in eremo: annos fuit natus nouendecim, cùm in eam se contulit. Ego verò dum hîc versor inter homines seculares, velim nolim mundana audio. Non est igitur mirum, si interdùm aspergor puluere, & à cælestium contemplatione retardor, atque ille me præsentem non conspicit, qui ab hominibus remotus, mente in cælis habitat. Fateor nihilominùs reuerentiæ tuæ, me plùs nimio afflictam fuisse morte fratris mei, & eam ob rem non immeritò subtractos mihi illos mentis excessus. Hac virginis oratione Episcopus cum duobus comitibus suis non mediocriter ædificatus, gratias ei egit, & precibus illius se commendans, lætus abscessit. De hoc Gerardo eremita posteà Lyduuina dicere solebat, colli eius pinguedinem in vestis oram extrinsecùs se diffundere, & neque sedere neque iacere commodè eum posse, sed magna temporis parte nocte ac die in genua incumbere: Abijsse autem, è vita, vt ab Angelo didicit, anno salutis millesimo quadringentesimo vicesimosexto, duodecimo Calendas Octobris: seque vidisse spiritum eius in cælos euolantem.

Lyduuina respondet quæstionibus ab illo propositis.

Pinguedo Gerardi eremitæ sanctissimi.

Obitus eius

CAP. VIII.

Postquàm autem tempus aduenit, quo pater eius grandæuus erat decessurus è vita, filijs & nepotibus suis ille dixit: Ego iam morior, sed hæc mihi non minima consolatio, quòd mihi conscius non sum, me quicquam habere rei alienæ. Apparuit autem illi beatissima Dei genitrix, dixitque migraturum ipsum sub festum Conceptionis suæ. sicque factum est, & filia Lyduuina ex Angelo cognouit salutem eius sempiternam. Posteà verò ad diuersa pœnarum loca spiritu rapta, vidit dæmones teterrimos quendam è suis tenentes, qui patris eius effigiem referret, audiuitque eos procaciter garriẽtes, En patrem tuum habemus in nostra potestate, nobiscum pœnas æternas daturum. Etsi autem illa non crederet, tamen non potuit imperare sibi, quin acerbissimè ploraret. Eundem in modum rursùs alio tempore vidit dæmones sibi petulanter de patris damnatione insultantes: sed docta diuinitùs illudi sibi à nequissimis spiritibus, iussit eos cum ignominia abscedere: atq; illi mox tanquàm fumus euanuerunt. Post dies paucos Petronilla virgo, Lyduuinę charissima, diem suum obijt: quàm autem grata fuerit Christo castitatis amatori, visio Lyduuinæ oblata docebit: Nocte quadam in ecstasi vidit innumeros cæli ciues, tanquàm in processione incedentes, primò Patriarchas, indè Prophetas, tum Apostolos, subindè Martyres, posteà alios, atque tandèm Virgines. Ferebantur vexilla, aderant lumina splẽdoris inusitati, & videbantur illi vsque ad cubiculum virginis accedere: atque illic collecti, funus quoddam, in media domo positum, reuerenter assumere, atque eo, quo venerãt, ordine ad sepulturam efferre, Lyduuina illos sequente cum duabus coronis, quas manibus ferebat, & tertia capiti imposita. Ad se autem reuersa, cogitabat, quid ea visio significaret, an fortassìs breuì ipsa moritura esset: sed mox reuelante Deo didicit, Petronillæ obitum ea visione præmonstratum esse: dictum quoquè est illi, quo die is futurus esset. Rogauit

Pater Lyduuinæ feliciter obit.

Procacitas dæmonum.

Visio Lyduuinæ.

ergò Dominum, vt febris statum tempus anteuerteret, quò posset efficaciùs Petronillam consolari. Adueniente die à Domino præstituto, Petronilla grauissimè laborare cœpit: & cùm eodem die circa horam vndecimam Lyduuina expectaret febres horribiles, illæ manè hora quinta eam inuaserunt. Quibus abeuntibus, Petronillam ad extrema tendentem egregiè confirmauit in Domino: atque illa defuncta est, geminam perceptura coronam, ob mentis & corporis castitatem: & tertiam propter ea, quæ à furioso milite perpessa fuerat, cùm Lyduuinam vellet defendere: quas quidem coronas in visu Lyduuinam partìm in manibus, partìm in capite tulisse diximus. Ea autem sic defuncta, magnus animi dolor Lyduuinam rursùs afflixit, quòd videret se tam vnicè chara puella destitutam. Itaque priuatæ ei iterùm supernis consolationibus ob mœroris nimietatem, factæ sunt lachrymæ panes die ac nocte, vt sponsi sibi gratiam conciliaret, poteratque dicere cum Magdalena: Ardens est cor meum: desidero videre Dominum meum: quæro, & non inuenio. Sanè religiosi quidam, itemque piæ matronæ eam consolari nitebantur, sed onerosi erant consolatores omnes. Tandèm etiam confessario suo & domesticis id attentantibus, inter alia respondit: Vtinàm quicquid hic mundus molestiarum habet, mihi subeundum sit, salua tamen voluntate Domini mei, tantùm vt liceat amissa recuperare dona Dei. Porrò vidua sic dolenti ex animo condolens, rogauit eam, vt syncerè sibi diceret, quomodò inter Deum & ipsam ageretur. Tum illa, Ob culpas, inquit, meas gustu & effectu sensibili sanctissimi sacramenti, alijsque occultis Dei donis priuata sum: hoc tamen relictum est mihi, quòd vitam & passionem amantissimi I E S V auida mente sine vlla animi distractione percurro. Nec mihi vlla superest, meo iudicio, exercitandi facultas, nisi vt dilectum per noctes in lectulo Crucis quæram, & à patre derelictum absque spiritûs dulcedine aspiciam & mente complectar, in Cruce morientem.

Petronilla virgo decedit.

Eius morte nimiùm dolês Lyduuina, priuatur diuinis cōsolationibus.

CAP. IX.

Vt se gesserit in sua desolatione interna.

PER illos igitur dies desolationis suæ & derelictionis internæ hoc ei peculiare erat exercitium, voce cordis clamare ad Dominum, ob culpas etiam minutissimas nocte scopare spiritum suum, omnes creaturarum labentium consolatiunculas recusare, sanguineas lachrymas, quas rosas appellabat suas, ab oculis elicere. Si amor languere faciens cruciat amantem, Lyduuinam ego præ cunctis mihi quidem notis mortalibus languore ab amore nascente deficientem dixerim. Amor enim languorem adducens, si sit verus, mundi nullam consolationem admittit, carnis illecebras respuit, immò puriùs etiam in carne viuit: blandimentis non capitur, sed Christo tenaciùs inhæret: difficultate non frangitur, nec vi superatur, sed fit constantior & robustior: non satiatur dum est in corpore, sed fontem vitæ ardentiùs sitit. Itá & Lyduuina nostra, amore languens, dum sic est destituta, discit acutiùs propriam attendere infirmitatem, experiri an fictè, non germanè diligat, sponsum studiosiùs quærere, quæsitum ardentiùs recuperare, receptum custodire cautiùs, & delectabiliùs possidere. Durauit autem ea virginis derelictio menses quinque. Tandèm faciem suam illi iucundissimam ostendit sponsus, ad cuius reditum tanta suauitate illa repleta est, vt qui intrarent in eius cubiculum, putarent se in myrothecium & paradisum aromatum ingredi, dicerentque inter se, Quidnam est isthuc? Talem nos fragrantiam nunquàm sensimus. Cumque Lyduuinam rogarent, vndè ea esset, illa respondit: Quid sit, aut vndè sit, Dominus nouit. Ego verò hoc vnum scio, tametsi homines sublimiter de me sentiunt, fragilem mulierculam me esse. Sed quod illa causa humilitatis cautè celabat, Dominus prodidit. Post eam enim afflictionem tanta ab eius corpore exibat odoris suauitas, vt aduentantes non humanum corpus, sed preciosi vnguenti vasculum illic adesse putarent. Sæpè tum illam cælestis patriæ ciues inuisebant, & multis afficiebant consolationibus, itá vt etiam hyberno tempore tanta ex ea tanquàm diuersorum florum caperetur fragrantia, acsi è paradiso aduenisset. At nihilominùs duriùs etiam solito omnigenis penè afflictabatur morbis naturalibus. Illos enim morbos planè monstrosos, vt hoc obitèr lectorem admoneam, qui impijs diuinitùs infliguntur, & quas diuersæ nationes alijs atque alijs nominibus exprimunt, nostra Lyduuina passa non est. Epilepsiam sub finem annorum vitæ suæ ter vna nocte pertulit, cùm nec antè, nec pòst ea laborârit. Prædixerat autē familiaribus suis se vna tantùm nocte ea vexādam, rogauitq; eas, vt suî curā tunc haberent. Illis autē obiurgantibus eā, quòd precibus à se morbum illum non auerteret, satis afflicta aliundè, hunc in modū respondit:

Redeūt diuinæ consolationes & visitationes.

En corpus eam morbidum olet suauissimè.

Nemo

Nemo in his Dei reprehendat super me iudicia. qui enim admouet mihi virgam, multam etiam cumulat gratiam. Apoplexia & amentia laborâsse eam, ab ijs, qui viderunt, accepi: sed amentiam se & Domini voluntate passuram prædixit, & non nisi semèl, idque dimidia plùs minùs hora, pertulit. Interrogata, quid eo tempore sensisset, Nihil aliud, inquit, quàm sensus meos passim per aëra vagari. Vt autem illustrior ei corona pararetur, ad extremum intra cranium quasi malleolis dirè torqueri se sensit, quibus etiam alij molestissimi cruciatus accedebant, ità vt sub mortem nihil videretur aliud, quàm pellis contracta ad ignem, neruis eius instàr chordarum citharæ extensis, & ossibus tanquàm in patella frixis. Calculus, quem prædixerat oui columbini magnitudine fore, & sibi mortem allaturum, duobus mensibus adeò infestus ei fuit, vt intra horam vnam ter loquendi vsum amitteret, corpusque miserè contrahens, obrigesceret, & dentium particulas præ dolore stridens reijceret, & penè exanimis iacẽs, astantes cogeret acerbè eiulari. Quos ei dolores extremo vitæ tempore attulerint apostema virgineorum vberum, immanissimi dentium & oculorum cruciatus, aliæque ægritudines, etiamsi velim, pro dignitate explicare nunquàm possim. Calculũ patitur infestissimum.

CAP. X.

IAm suprà diximus, ignem sacrum dextrum eius brachium vsque ad ossa vorâsse, & neruos eius perindè vt citharæ fides pulsari potuisse: tum quoquè multo tempore vno tantùm firmiori neruulo reliquo corpori illud cohæsisse: porrò medicos & chirurgos omnes virginis curandæ spem omnem abiecisse. At tamen venit tandèm chirurgus quidam peritissimus, qui se brachium illud redintegraturum promisit. Imposuit autem ei cataplasma ex puro balsamo, dixitque virgini: Spero me, iuuante Deo, brachium istud reducturum in locum suum, sed tu certum habeas, etiam cùm fuerit restitutum, non tamen vnquàm liberatum te iri ab vlceribus, quæ in eius carne existent. Et hoc re vera sic accidit. nam etsi curatum fuit vtcunquè brachium, vsque ad supremum tamen vitæ eius diem, modò pars, modò totum brachium vlcerum frequentia sic rigebat, vt anteà. Solebat autem virgo dicere familiaribus suis: Videtis, vt brachium dextrum, pridèm redintegratum, ob crebras pustulas, perpetuò in illo nascentes mouere non possim: at tamen confido omnipotẽti Deo, priusquàm exeat anima è corpore, vtraque manu me illum magnificaturum. quod quî factum sit, pòst dicemus. Quædam etiam illius viscera, puta pulmo, hepar, splen & eis propinqua membra ante obitum eius diuinitùs integræ sanitati reddita sunt. Curiosi quidam, cùm ad eam venissent, dixerunt ei: Sæpè quidem de te audiuimus, Lyduuina, hepar, pulmonem aliaque viscera te particulatìm reiecisse, & infinitis scatuisse vermibus: itaque velimus nôsse, quomodò sine visceribus illis in vita durare potueris. Respondit humilis virgo: Testis est Deus & conscientia mea, vera esse, quæ audîstis: sed quid infinita vi potentiæ suæ mihi contulerit Deus, ipse nouit. Sic illa sapientissimè respondit, sed non omnibus persuasit. Credat mihi lector, dedisse præpotentem Deum tantam gratiam patientissimæ virgini, vt si Angelus custos eius vel parùm attigisset eam, sæpè faciem eius apparuisse radiantissimam, corpusque subitò fuisse redintegratum, odoremque valdè suauem ab eius membris & pectore erupisse: sed rursùs probatam ilicò morbis grauissimis, prout visum fuit sponso illius. Nec rarò prædixit obitum suum, etiam longè antè, quàm abiret è vita. Ab initio diuinarum visitationum solebat tectis verbis dicere cónfessario & familiaribus suis, vidisse se arborem speciosissimam, plenam rosarum calycibus, audiuisseque ab Angelo suo, non se priùs decessuram, donèc illa arbor iustam accepisset quantitatem, & calyces illi in rosas abirent. Sub finem vitæ autem rogata ab illis, num arbor illa satis excreuisset, respondit eam iam propè suam obtinuisse molem, & è calycibus rosas prodijsse: itaque se non dubitare propinquum esse finem vitæ suæ. Cùm aliquandò iaceret sola, rapta est in paradisum, vbi tres vidit aditus. Admissa ad priores duos, ex tertio vidit radios micare luculentos, vltra modum solis huius vincentes radios. Cumque intrare vellet, occurrit ei auus eius, Ioannes Petri, tanquàm passis vlnis & blando vultu eam introducturus: sed ad extremum tamen dixit ei: Nondùm huc tibi ingredi permittitur, filia dulcissima: iuuari adhuc abs te cupiunt, qui sunt in locis purgatorijs, & cumulatiora erunt ex dilatione merita tua. Vbi autem compleueris omnia, quæ de te diuinitùs decreta sunt, liberè huc nobiscum regnatura euolabis. Sibi indè restituta virgo, ardenter quidem aspirabat ad gloriam quam viderat, sed tamen promptissimam se obtulit ad perferendum,

Dextrũ eius brachiu vlcera cruciat.

Nota res admiratione dignas.

Item alias.

Rapitur in paradisum.

ferendum, quicquid vellet Deus, pro ipsius honore, & sua proximorumque salute. Successit indè nocti dies, & pœnis vnctio tanta, vt cùm Prior quidam Canonicorum regularium, ab ea rogatus, celeriter ad eam venisset, tantam ibi vim senserit eximij odoris, vt non dubitaret à sponso Christo visitatã. Cumque inter se de cælestibus gaudijs loquerentur, tandẽ illa ardens desiderio, ait ad Priorem: Rogo te, pater, vt si commodè possis, in ferijs Paschalibus redeas ad me. Quòd si tamen viuam me non inueneris, ores quæso pro me. Et prædixerat illa sanè quibusdam, se in paschalibus diebus decessuram, non tamen certo expresso die, quippe quæ desideraret tum sola esse, quandò Christo spiritum redderet. Sciscitantibus autem nonnullis, an Deus in eius migratione facturus esset miracula, sic respondit: Putant simplices homines se, decedente me, visuros mirabilia, sed non videbunt: quanquàm meum non est scrutari, quid Dominus me defuncta facere velit. Oro autem obnixè amicos omnes tum præsentes, tum absentes, vt intra annos triginta ab obitu meo non me commoueant sepulturæ mandatam. Porrò omnia sepulturæ necessaria, sicut ab Angelo didicerat, præparari antè iussit, hortabaturque domesticos, vt sine dilatione corpus emortuũ humandum curarent. Sic illa quidem pro humilitate constituit, sed Dominus pro sua gloria fecit quod sibi visum fuit.

Sentitur apud eam sibi redditam odor eximius.

CAP. XI.

CVM autem iam ad occasum tenderet vita eius, accersitis domesticis omnibus, condonari sibi ab illis petijt, si qua ratione quenquam ex ijs offendisset. Illi verò cum ea pariter lachrymantes, Tu nos, inquiebant, charissima soror, nulla re offendisti: immò verò virtutum omnium & patientiæ nobis exemplar fuisti: oramusque vt cùm ad sponsum tuum perueneris, nostrî memor esse velis. Indè primo Paschatis orto die, immenso repleta gaudio est, & in Christi resurgentis gloriam, obitèr quidem, sed modo ineffabili, absorpta, rogauitque Dominum, vt tandèm vernaculam suam, tot annis castigatam, dignaretur, posita carnis sarcina, trahere in odorem vnguentorum suorum, & è carcere mortis huius educere. Cumque sola esset, cunctis domesticis absentibus, & summo manè, ipso Paschatis die, contemplationi vacaret, vidit ad se venientem Dominum IESVM cum sanctissima matre sua & duodecim Apostolis, multisq; & Sanctis & Angelis. Sedit autem Christus ad lectuli eius dexteram, beatissima MARIA ad sinistram, alijs in orbem honestissimè eam cingentibus. Vidit etiam mensulam ornatam, & in ea ceu sacri olei vasculum elegantissimum, crucem quoquè pulcherrimam, & cereum valdè luculentum, totum cubiculum mirificè illustrantem. Erat tum corpus virginis innumeris angoribus à vertice vsque ad pedes oppressum & afflictum: & ecce sentit ab ipso Saluatore, sacerdotalibus induto vestibus, loca corporis sui omnia perungi, quæ in morituris sacro oleo vngi solent: sed nulla Saluatorem audit verba proferentem. Indè Christus ponit in manu eius cereum, eumque tenet cum matre sua, cruce illic inuisibiliter permanente donèc exhalaret spiritum. Cùm autem inuncta esset, rogauit Dominum, vt extremum vitæ eius finem tot doloribus & afflictionibus cumularet, vt à corpore exiens anima, sine purgatorio mox ad illum possit euolare. Respondit Dominus:Ità fiet, filia, vt petis: post biduum cantabis alleluia cum alijs virginibus in regno patris mei. atque his dictis, disparuit. Mansit autem apud eam Angelus eius, cum quo valdè familiariter loquebatur. Manè, nullo adhuc quicquam sciente ex ijs, quæ apud eam gesta erant, confessarius eius venit ad eam more suo, vt aliquid perciperet de reliquijs visitationum eius. Nocte enim per spiritum viderat illam cum Angelis & Sanctis exultantem. Sensit autem apud eam tantam mirifici odoris fragrantiam, vt quasi ebrius spiritu exclamaret: Congratulor tibi, soror. scio enim Dominum hac nocte fuisse apud te, nec dubium, quin ab eo manârit suauitas odoris huius. Illa respondit: Gratias ago Deo meo, quòd me immerentem sua visitatione dignatus est: sed scias, pater, mox corporis mei labores & dolores auctum iri. Nihil autem indicauit ei de decessu suo. Multo enim tempore rogauerat Dominum, vt sine vllius mortalis consolatione, sola redderet spiritũ. Tertio autem Paschatis die, quo se non dubitabat migraturam, conuocatis omnibus, quos habere potuit, magìs familiaribus domûs suæ, Si, inquit, inueni gratiam apud vos, quæso vt hac die patiamini me manere solam, solo apud me relicto Balduuino nepotulo meo, per quem indicabo, si quid à quoquam vestrûm præstari mihi velim. Illis ergò procùl abeuntibus, virgo cœpit exitum suum Domino fideliter commendare, & à septima vsque ad horam quartam pome-

Sub mortẽ quid fecerit

Quæ ei visiones obtigerint.

Confessarius eius apud eam odore afficitur mirifico.

pomeridianam perurgeri calculi doloribus, cruciari spasmate, viciès è pectore diro vomitu fellis particulas reijcere. Tandèm moribunda, ait vt potuit ad nepotulum suum, Fili mi, vtinàm sciret dominus meus, quos patiar nunc angores. Puer lachrymans, nimiumque turbatus, Vis ne, inquit, vocem confessarium tuum? Sed cùm nihil iam loqui illa posset, timens puer nè deficeret penitùs, eiulans acciuit eius confessarium, aliasque, quas inuenire potuit, domesticas eius. Veniunt illi lachrymabundi, sed illa iam decesserat. Incredibili igitur dolore affecti omnes, nesciebant quid facerent. Tandèm, luctu totam complente domum, Catharina quædam recordata sermonis, quem dixerat Lyduuina de dextra manu sua, ait ad socias suas: Videamus num dextra manus eius cum sinistra coniuncta sit. Hoc enim euidens erit documentum mortis eius. dixit enim adhuc viuens, sperare se vtraque manu magnificaturam Deum, priusquàm è viuis discederet. Viderunt igitur, & inuenerunt digitos vtriusque manus sese contingentes, quodque maius est, viderunt omnes cingulum cilicinum, quo iam triennio corpus strinxerat, angelicis manibus ità ablatum ab eius carne, vt nexus eius omnes indissoluti cernerentur, sicut carni virginis adiunctum fuerat. Seruatur autem hoc cingulum vsque in præsens, ex eoque mirus odor proficiscitur. Equidem illud manibus contrectaui meis, & expertus sum dæmonibus valdè inuisum & molestum.

Cruciatur sub mortem pereunim acerbe.

Mira sunt hæc.

Dæmones torquet sei zona cilicina.

CAP. XII.

Postquàm autem desijt esse in humanis virgo sanctissima, confessarius eius nocte in lecto iacens, vidit apertis oculis beatam eius animam specie candidissimæ columbæ, collo cum rostro prorsùs aureo, pedibus rubicundis & coruscis, alis argentei coloris, quibus volauit in cælum. Virgo quædam, huius sacerdotis soror, cùm venerabile corpus virginis custodiret, nec somno pressa, nec planè vigil, vidit Lyduuinam à sanctis angelis ad cælos euehi, animasque beatorum cum ingenti lumine ei prodeuntes obuiàm, dicere gratulabundas: Optatò aduenisti pia soror Lyduuinula. aduentus enim tuus noua nobis parit gaudia. Vidua quædam, Lyduuinæ puro corde addictissima, neque dormiens, neque vigilans penitùs, vidit aduenire collegium virginum, & aliorum militum, in ipsius conclaue intrantium, mensamque nuptialem apparantium. Vidit etiam aduenientem iuuenem speciosissimum, illicque residentem: porrò Lyduuinam regio ornatu ceu sponsam illi è regione assidentem: sibi autem sic loquentem: Memineris, soror mea, crebrò me dixisse tibi, habituram me in cælis sponsum præstanti forma præ cunctis filijs hominum. Vides iam, vt castissimis eius amplexibus & præsentia perpetua fruar. Noui ego duas virgines, quas Dominus exercebat flagellis suis, ambas Lyduuinæ addictas: eo nomine anxias, quòd nemo esset, qui referret, quo pacto è corpore emigràsset. Itaque decimoquarto Aprilis die, quo Lyduuina obijt, raptæ in spiritu, viderunt locum, in quo illa multis annis decubuerat, viderunt etiam Lyduuinam, tanquàm ipsa hora supremũ trahentem spiritum, quam tamen nunquàm in carne viderant, omni humano solatio destitutam. Cùm autem, superato illo miserabili mortis agone, iam reddidura esset spiritum, Christum cum matre sua & multa supernorum frequentia ambientem eius lectulum, & post blandissima colloquia animam eius in suauissimos recipientem amplexus suos, ac deindè tradentem eam matri suæ: quæ exosculatam dedit angelo custodi eius: qui cùm eam accepisset, multitudo cælestis exercitùs laudauit Deum, & ad suam eam consortium inuitauit. Multa alia de eius eximia gloria tunc ostensa sunt virginibus istis. Porrò confessarius eius, vir desideriorum, quarto Paschatis die ad locum veniens, vbi eius sacrum corpus seruabatur, tantam sensit fragrantiam, quantam nunquàm in eius vita se percepisse meminerat. Cumque flexis genibus corpus eius veneratus esset, vni earum, quæ illud custodiebant, præcepit, vt tergeret faciem eius. Quod vbi illa fecit, mox facies eius (sciebat autem id futurum confessarius) candida apparuit instàr imaginis, pictoris eximij manu elegantissimè depictæ: totũ quoq; reliquũ corpus repertũ est formosum, solidũ & integrum, acsi eadem hora coloribus viuacissimis tinctum esset. Deniq; præpotens Deus sua gratia tam illustrem eius defunctæ corpusculo decorem indidit, qualem nunquàm natura viuenti conferre potuisset. At tamen tribus locis, quibus eam contrectàrant scelesti illi milites, de quibus suprà diximus, cicatrices remanserunt, similes filo coccineo. Fatebantur autẽ virgines cum alijs, quæ iugiter die ac nocte sacrum custodiebant corpusculum, non fame, non siti, non somno se grauari, idque od miram odoris suauitatem, & animi iucunditatem, quam ex eius

Visio cõfessarij eius, & aliorum.

Odor plùs solito suauis ex corpore defunctæ.

Nota hæc.

En vt Deus cohonestet eius exanime corpusculum.

corpusculi perpetuo aspectu percipiebant. Porrò simulatquè fama eius defunctæ vulgari cœpit, & ex propinquis & longinquis locis plurimi aduentârunt, vt vel defunctam cernerent, cuius tam celebris esset passim existimatio, tum propter variarum ægritudinum perpessionem, tum ob diuinarum consolationum affluentiam, tum ob vitæ sanctitatem & perfectionem. Inter multos paruulos, qui eò confluebant, infans quidam matris sugens vbera adductus est: qui vt vidit virginis corpusculum, statìm ceu spreto vbere, serena facie & iunctis manibus tam seriò, tamque reuerenter ocellos in illud defixit suos, vt & intuentes prouocaret ad fundendas lachrymas, & saxei pectoris homines ad præstandam virginis corpusculo reuerentiam emolliret. Dabatur autem singulis pueris & infantulis panis vnus pro memoria rerum admirandarum, quæ tum illic diuinitùs fiebant. Venerabantur iam tum homines virgineum corpusculum in terris, cuius animam in suum collegium receperant ciues illi cælestes. Etsi autem virginis confessarius & plerique alij cuperent eam tradere sepulturæ, sicut ipsa petierat, non tamen id ausi fuêre propter principem, qui se dixerat venturum ad visendum corpus eius, priusquàm terra conderetur. Quam ob rem etiam magistratus Schiedamensis vetuit humari illud, donèc princeps adesset. At tandèm tamen, cùm iam princeps minimè venturus speraretur, corpus tumulatum est honorificentissimè in æde parochiali S. Ioannis Baptistæ. Decessit virgo sanctissima anno salutis millesimo, quadringentesimo tricesimotertio, 18. Calendas Maij sub Burgundiæ & Hollandiæ principe Philippo.

Venerantur multi eius corpus.

VITA ET PASSIO SANCTORVM DECEM ET OCTO MARTYRVM CAESARAVGVSTAnorum, *per Aurelium Prudentium conscripta in libro Peri stephanôn.*

16. Aprilis.

Quantum præsidij sit vrbibus in reliquiis sanctorum.



BIS nouem noster populus sub vno
Martyrum seruat cineres sepulcro:
Cæsaraugustam vocitamus vrbem,
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus angelorum,
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Cùm Deus dextra quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus iustam positurus æquo
Pondere libram.

Orbe de magno caput excitata
Obuiàm Christo properanter ibit
Ciuitas omnis, preciosa; portans
Dona canistris.

Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo Cypriane doctor. (Cyprianus.)
Corduba Aciscelum dabit & Zoëllum, (Aciscelus & Zoellus.)
Tresque coronas.

Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuosus (Fructuosus.)
Sutile vinclum.

Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est:
Emicant iuxtà lapides gemelli:
Ardet & splendor parilis duorum
Igne corusco.

Parua Felicis decus exhibebit (Felix.)
Artubus sanctis locuples Gerunda

Nostra

Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veheramur.
Barcinon claro Cucufate freta, Cucufates.
Surget,& Paulo speciosa Narbo:
Teque præpollens Arelas habebit
Sancte Genesi. Genesius.
Lusitanorum caput oppidorum Eulalia.
Vrbs, adoratæ cineres puellæ
Obuiàm Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.
Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret, Iustus.
Ferculum duplex, geminumque donum Pastor.
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis sua Cassianum, Cassianus
Festa Massylûm monumenta regum:
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad iuga Christi.
Singulis paucæ, tribus aut duobus,
Forsan & quinis aliquæ placebunt
Testibus Christi, priùs hostiarum
Pignore functæ.
Tu decem sanctos reuehes & octo
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Vertice flauis oleis reuincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum *turbas Domino parâsti: *turmas
Sola prædiues pietate, multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma, in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis, exclusit genus inuidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata
Nullus vmbrarum latet intùs horror:
Pulsa nam pestis populum refugit:
Christus in totis habitat plateis,
Christus vbiquè est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris, chorus vndè surgens
Tendit in cælum niueus rogatæ
Nobilitatis.
Indè, Vincenti, tua palma nata est:
Clerus hîc tantum peperit triumphum, Vincentius.
Hic sacerdotum domus infulata Valerius
Valeriorum. episcopus.
Sæuus antiquis quotiès procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrûm
Cessit, aut clari vacuus cruoris:
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.

Nónne

Nónne, Vincenti, peregrè necandus
Martyr, his terris tenui notâsti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt ciues: velut ipsa membra
Cæspes includat suus, & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quanuìs procùl hinc in vrbe
Passus ignota, dederit sepulcro
Gloriam victor, prope littus altæ
Fortè Sagunti.
Noster & nostra puer in palæstra
Arte virtutis, fideique oliuo
Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Nouerat templo celebres in isto
Octiès partas deciesque palmas:
Laureis doctus patrijs, eadem
Laude cucurrit.
Encrate virgo. Hic & Encrate recubant tuarum
Ossa virtutum: quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecorâsti.
Martyrum nulli, remanente vita,
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriæ superstes
Viuis in orbe.
Viuis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis & cæsæ spolium retentans,
Tetra quàm sulcos habeant amaros
Vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis precium peractæ est,
Quæ venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
sopore. Fine supremo.
Cruda te longum tenuit cicatrix:
Et diù venis dolor hæsit ardens:
*tenuit Dum putrescentes * tenuat medullas
Tabidus humor.
Inuidus quanuìs obitum supremum
Persecutoris gladius negârit,
Plena te martyr tamen, vt peremptam,
Pœna coronat.
Vidimus partem iecoris reuulsam,
Vngulis longè iaculsse pressis:
Mors habet pallens aliquid tuorum,
Te quoquè viua.
Hunc nouum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus:
*Tumba * Iugè viuentis domus vt dicata
Martyris esset.
Nomina 18. sanctorum martyrum Ergò ter senìs sacra candidatis
Diues Optato simul & Luperco,

Perge

Perge conſcriptum tibimet ſenatum
Pangere pſalmis.
Ede Succeſſum, cane Martialem,
Mors & Vrbani tibi concinatur,
Iuliam cantus reſonet, ſimulque
Quintilianum.
Publium pandat chorus, & reuoluat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus Euenti tua bella ſanguis
Tinxerit, quantus tua Primitiue:
Cùm tuos viuax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quattuor pòſthinc ſupereſt virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Priſca vetuſtas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parui facit: & loquendi
Cura de ſanctis, vitioſa non eſt
Nec rudis vnquàm.
Plenus eſt artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Chriſto:
Quas tenet cæli liber, explicandus
Tempore iuſto.
Octo tunc ſanctos recolet, decemque
Angelus coram patre filioque,
Vrbis vnius regimen tenentes
Iure ſepulcri.
Quin ad antiquum numerum trahentur
Viua poſt pœnæ ſpecimen puella,
Morsque Vincenti, cui ſanguis hinc eſt
Fons & honoris.
Additis Gaio (nec enim ſilendi)
Teque Crementi: quibus incruentum
Ferre prouenit decus ex ſecundo
Laudis agone.
Ambo confeſſi Dominum, ſteterunt
Acriter contra fremitum latronum:
Ambo guſtârunt leuiter ſaporem
Martyriorum.
Hæc ſub altari ſita ſempiterno,
Lapſibus noſtris veniam precatur
Turba, quam ſeruat procerum creatrix
Purpureorum.

Sancti in cælis orant pro nobis.

Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum ſulcos, quibus eſt operta
Spes, vt abſoluam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generoſa ſanctis
Ciuitas mecum tumulis: deindè
Mox reſurgentes animas & artus
Tota ſequeris.

Orat ad tumulos ſanctorum.

VITA S. PATERNI EPISCOPI ABRINCENSIS, SATIS, VT APPARET, FIDELITER, SED VALDE OBscuro stylo conscripta. Itaque in gratiam lectoris oratione aliquanto Latiniori reddita est per F. Laurt. Surium.

16. Aprilis. Licèt Vsuardus eum habeat 23. Septēbris, fortassis ꝓpter translationem.



Religiosæ actiones, virtutum incrementis cumulatæ, atque ad fastigium sacratæ benedictionis perductæ, tum quoquè miraculorum fide dignorum transacti temporis testimonio approbatæ, viuacibus meritis nunquàm abiunt à fidei internis obtutibus, etiamsi nullis sint literarum monumentis consignatæ. Neque enim extrinsecùs adhibitis indigent testimonijs, cùm domesticis veræ gloriæ documentis fulciantur. Verumenimuerò ob aliorum vtilitatem expedit planè etiam in scripta eas referri. Itaque etiam nos beati Paterni antistitis præclarè gesta scribenda suscepimus: confirmatur enim grex deuotus sui pastoris suffragio, quotiès eius virtutum commemoratione recreatur. Ortus est autem beatissimus Paternus apud Pictauos, Aquitaniæ oppido, & quidē ex parentibus generis nobilitate atque etiam publica administratione conspicuis. Sed vicit ipse natalium splendorem vitæ & morum claritudine, Iulita matre, iam ab annis duobus vidua, illum honestissimè educante.

S. Paterni patria.

Mater.

Monasticā vitam complectitur.

In ipsa verò tenera ætate, celesti inspiratione permotus, religiosę vitæ frenos sibi spōtè iniecit, in monasterio * Enixionensi Dominicæ seruitutis iugo & habitu monastico suscepto. Vbì sanè non multò pòst ab Abbate ad cellarij dispensationem adhibitus, in illo primo suæ promotionis gradu non obscura de se indicia dedit, idoneum se fore, cui, diuina agente prouidentia, etiam pontificatus functio & plurimarum rerum administratio quandoquè demandaretur. Volebat autem mater eius iam cœnobium ingresso vestem parare: cumque telam ordita esset, eamque casu super tectum reposuisset, miluus eam ad suum nidum absportauit: vbì post anni exacta spatia reperta est integra, adeò vt eius stamen nec imbres hyemis, nec æstatis feruores corruperint. In ipsa adhuc adolescentia ad sublimiora sanctæ vitæ studia adspirans, cùm non fideret sibijpsi propter ætatis teneritudinem, cum Scubilione, eiusdem loci monacho, priùs communicato consilio, pro Christi amore relictis parentibus, in pago Constantino (sic enim loquitur author historiæ) vnà cum illo libenter constituit peregrinus degere. Itaque nihil præter Psalterium secum accipientes, eò profecti sunt. Porrò sanctus Scubilio, licèt ætate maior esset, videns beatum Paternum meritis venerabilem, vt illum sibi æquaret, pallium suum diuisit, eique partem dimidiam dedit. Ambobus verò propter captandam solitudinem insulam quandam adire cupientibus, vir quidam nobilis & religiosus Deoque dilectus detinuit eos apud se, donèc ciuibus suis illorum aduentum indicaret: rogauitquè illos, vt in fanum Scisciacum se reciperent, suisque precibus homines ethnicismi erroribus implicatos, à dæmonum cultu reuocarent. Tum verò illi circa montis sinum in cauernam quandam ingressi sunt: cumque populus, execrabili ductus consuetudine, in illo fano debaccharetur, sancti viri admonebant miseros, nè falsos deos colendo se æternùm perderent, qui salutem possent adipisci sempiternam, si non eiusmodi iniuria suum irritarent creatorem: aiebantque rectiùs omninò ipsos facturos, si per gratiam Dei renati, suum colerent conditorem. His auditis, homines insani reuerendos viros irreuerenter contemnunt, rituquo suo cœptū cultum pertinaciter prosequuntur. At sancti viri tum sanctæ Crucis signo, tum fidei feruore armati, accedunt ad vasa, in quibus illi miseri pulmenta coquebant, suisque ea scipionibus euertunt: potum quoquè effundunt, posthabito præsentissimo vitæ suæ periculo, vt pro Christo fortiter dimicarent, parati etiam, immò & appetentes pro illo obire martyrium, si non defuisset percussor. Eccè autem nutu diuino timore corripiuntur, qui sanctos viros facilè etiam trucidare potuissent: sed cùm ad suum locum ambo reuerterentur, mulier quędam in illorum contumeliam sese nudauit: at repentè membris omnibus contrahitur, totoque anno vigore tabescente cruciatur, neruisque debilitatis, etiam vlcere flagellatur, donèc petita à sanctis viris venia, illis Dominum rogantibus, sanitati restituta est.

S. Paternus cum Scubilone degit in specu.

Illorum zelus & constantia.

Accidit quodam die, vt non nisi dimidius panis illis ad necessariam refectionem super-

supereſſet. Adueniente autem peregrino quodam, beatus Paternus humanitatis ſtudio eum illi largitus eſt, potiùs apud Deum ſibi ex illo mercedem colligere volens, quàm in ſuum eum ventrem recondere. Vbi autem ſtata edendi hora aduenit, ſanctus Scubilio rogauit eum, vt illud panis fruſtum ipſis apponeretur. Cui Paternus ait: Chriſtus, qui ſemper abundat, ſeruis ſuis eſcas ſubminiſtrabit. Tulit hoc moleſtè Scubilio, quippe qui labore defeſſus, nihil inueniret, vndè vires exhauſtas reficeret. Interim non dormitabat prouidentia Dei ad ſuppeditandam eſcam ſeruis ſuis, nec eos fame diſcruciari paſſus eſt ille, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Pſal. 144. Nam confeſtim Vuitheus, qui ſe primus in illorum diſciplinam tradiderat, illis ieiunantibus multa attulit munera & magnam ciborum copiam: ſicque intra temporis ferè punctum, quod indigenti Paternus impertierat, cum grandi fœnore receperunt. Sed cùm cibum caperent, non aderat aqua, qua ſitim excluderent: quæ tanto ſolet eſſe acrior, quanto eſt maior è cibo ſatietas. Mox igitur in terram proſtrati, ſupplices Chriſto, qui eſt fons vitæ indeficiens, preces offerunt, vt ipſe famulis ſuis aquam largiatur in deſerto, qui olìm populo Iſraëlitico è petra largiſſimas produxit vndas in ſolitudine. Exod. 17. Num. 20. Audiuit auris propinqua clementiſſimi Saluatoris preces ſeruorum ſuorũ, tangenteque Paterno humum baculo, fons erupit: crederes te videre Moyſen virga percutientem petram. Fõtem precibus impetrant.

Eius rei fama crebreſcente, vir venerabilis Generoſus, Abbas eorum, poſt triennij ſpatia abijt ad requirendos monachos ſuos, tam benè fugitiuos, quippe qui ad Chriſtum aufugerant. Vbi autem ad illos peruenit, didicit Paternum arduum ſanè vitæ inſtitutum ſequi, præter panem & aquam, vel olera ſale conſperſa, nihil alimentorum admittere, & non fœminarum duntaxàt, ſed etiam virorum adſpectus declinare: vt ab hominum conſuetudine ſemotus, ſolicitè opperiretur viſitationes angelicas: tantoque plùs proficeret in rerum diuinarum contemplatione, quanto minus haberet ex hominibus ſolatij. S. Paterni vita rigida. Tum prætereà cognouit eum nullo vnquàm cubare in lectulo, nulla lecti operimenta requirere, nunquàm ad plumas vel caput reclinare: ea veſte, qua interdiù vteretur, etiam noctù contentum eſſe: pro molli lana aſperum vſurpare cilicium, vt nec ipſa quidem nocturna quies corpori ſine moleſtia abiret, exactoque in ſanctis laboribus die, nox non ad quietem, ſed ad laborem ſuccedere videretur. His igitur conſideratis, vt aduertit Abbas eum monaſtici Canonis metas, tanquàm equum impatientem, immodico feruore excedere, impoſito quodam freni retinaculo, ad moderata eum ieiunia reuocauit, ſimulque iuſſit, nè tam arctæ ſe daret ſolitudini, nec virorum adſpectum & colloquia recuſaret: tum etiam cellulas inuiſeret. Simul etiam apud Leucianum epiſcopum & ciues præclarum ei reddidit teſtimonium, bonis & honeſtis eum parentibus eſſe editum. Dehinc valefaciens Paterno, Scubilionem ſecum ad monaſterium reduxit: cui tamen non multò pòſt copiam fecit ad Paternum ſeſe recipiendi. Porrò Leucianus epiſcopus Paternum primò diaconum, indè presbyterum ordinauit. Paternus fit presbyter. Ille verò quantum ſibi ſenſerat ex illa promotione acceſſiſſe dignitatis, tanto plus ipſe ſibi cumulandis virtutibus veri honoris adijcere nitebatur. Tantus autem Sciſciaci ex eius & Scubilionis laboribus gratiæ fructus excreuit, dum illic cæleſtis verbi ſemina ſpargerent, vt fanum prophani cultûs in pecorum ſtabula redactum ſit. Spelunca autem illa, in quam viri illi egregij ſe abdiderant, tam ſuaues ex ſe diffudit virtutum odores, vt permulta ex Paterno prodierint monachorum examina, nec pauca apud Conſtantienſes, Baiocenſes, Cenomanos, Abrincenſes, Rhedones in Britannia minori ab illo fundata ſint monaſteria. Multa condit monaſteria. Claruit autem eius eximia fides multis argumentis, & ſacram vitam miraculorum ſigna declarârunt.

Sciſciaci nanque oblata ei fuit ancilla muta ab Oroaſte presbytero. Extendit vir ſanctus manũ, vt puellæ labia aperiret: ſed cùm dentes non poſſet diducere, mox oleo benedixit, eoque maxillas eius conſignans, id effecit, vt ſonum redderent, qualem ſolent catenarum fragmenta inter ſe colliſa. Mutam ancillã curat. Deindè etiam os eius eodem liniens oleo, ſciſcitabatur quid haberet, quòd ſic perpetuò obmuteſceret. Tum illa ſubitò reſpondit viro Dei, & vndè muta fuiſſet effecta, explicauit.

Sciſciaco diſceſſurus vir ſanctus ad Abrincenſes, petijt à fratre Scubilione, vt liceret ſecum auferre duos pullos columbarum, quos ipſe nutrierat. Negauit aſſenſum Scubilio, dicens ſe eius abſentis loco vel columbas velle retinere. Ad quem Paternus: Immò verò, inquit, illius ſint columbæ, quem ampliùs amant. Cumque ad monaſte-

rium,quod indè ad decem & octo ferè milliaria aberat,peruenissent, postridiè venerabili viro Paterno illic columbæ alacres occurrerunt, suum erga eum testantes desiderium. Nec præter rationem est, quòd virum spiritalem columbæ, quarum simplicitas etiam in scripturis diuinis commendatur,secutæ sunt.

Contractas manus cuiusdā fœminæ sanat.

Apud Abrincenses Vrsi cuiusdam ancillæ adeò erant vi morbi contractæ manus, vt nec fila quidem è glomo possent diuellere. Orauit pro misera vir Dei,& citò laxatis neruis, pristina manibus incolumitas restituta est. Id vbi fama longè lateque diuulgauit,multa Childeberti regis prece compulsus, ei Parisijs vehiculo operto inclusus occurrit: cumque Mileuico puer à serpente percussus, ilicò è corpore abiturus videretur,accessit ad eum vir sanctus, editoque crucis signo,& olei liquore puero perfuso,exitiale virus tali antidoto profligauit. Quo sanè in loco in rei gestæ testimonium basilicam in beati viri honorem condiderunt. Vbi autem maligni spiritus eum Parisios aduentare senserunt, ex obsessis corporibus aufugerunt: & qui febre correpti erant, incolumes euasére: nec potuit illic durare morbus, vbi tam insignis medicus sua pharmaca produxit. Posteà verò,cùm vir Dei pro pauperibus regias aures appellaret,inclytus rex Childebertus Crescentio, ad quem publica cura spectabat,mandauit,vt quod B. Paternus ab ipso exigeret, id exequi nè omitteret. Promisit ille se ità facturum: sed fidem fefellit. Nam in Burgundiam profectus est,viro sanctissimo nesciente. At mox illum diuina vltio persecuta,oculorum lumine priuauit,ità vt biduo erraret. Agnoscens igitur culpam suam, celeriter regressus est ad hominem Dei, veniamque petijt: eodemque momento, quo ab animo iniquitas abscessit,oculis lux reddita est: factusque ex ipsa cæcitate eruditior, serui Dei non distulit parere voluntati,felicior effectus pulsa pectoris caligine,quàm oculorum luce reparata.

Signo Crucis & oleo pellit virus.

Visio sancti Paterni.

Iam septuagesimum ætatis agebat annum B. Paternus, & Abbatis officio fungebatur,cùm ecce Sciseiaci in cellula, quam primò extruxerat,quiescenti quadam nocte visus est locus ille mira claritate perfusus. Simul autem visi sunt ad eum ingredi sancti episcopi Melanius, Leucianus & Beor, qui ad Dominum migrauerant, ipsumque ordinare antistitem. Hac ille visione obstupuit,sed tacitam apud se habere volens, tamen occultare non potuit, quam posteà ipse rei euentus ad omnium notitiam perduxit. Nam non multum intercessit temporis, cùm decedenti Abrincensi episcopo ad regis & populi preces ipse successit. Nec enim recusare potuit,quod secreta Domini dispensatione sibi imponendum iam antè præuiderat. Vbi autem id honoris adeptus est, talem se præbuit,tum in veterum ecclesiarum instauratione, tum in nouarum ædificatione,domorum etiam reparatione, & pauperum procuratione, vt esset in singulis admirabilis,& in omnibus singularis. Cùm autem quadam vice in pago Theodisiaco ad comitem Seuerum fœmina quædam, ciuis Rhedonensis, venisset planè muta, sanctoque viro in oratorio esset oblata, illo pro ea preces fundente, actutùm longa rupit silentia, nec potuit diutiùs seruire inimico, pro qua Christus eius & creator & saluator fuerat interpellatus.

Creatur Abrincensis episcopus.

Muta loquitur.

Tertiumdecimum annum in Abrincensi pontificatu iam agens vir sanctus, altero Paschatis die, cùm fratres Sciseiaci inuitare cuperet, in morbum incidit, itemque sanctus Scubilio apud Mandanenses. Mittunt autem vtrinquè nuncios, mutuoque sibi significant, vt priusquàm migrent ex hac vita, mutuo conspectu fruantur. Nuncij in ipso itinere sibi fiunt obuiàm, rogantque beatum Scubilionem, vt beato Paterno occurrat. Id verò quò minùs ille posset, sinus quidam maris impedimento fuit, quem nocturno tempore traijcere non licuit. Verùm cùm à Sciseiaco ferè tribus milliaribus abesset, eadem omninò hora beatus Paternus & frater eius Scubilio reuerendus Præpositus, nobili triumpho, comitibus angelicis spiritibus, animas suas è terris ad cælestia regna cum Christo æternùm victuras transmiserunt. Cumque & Paterni exequias celebraret Lauto episcopus, qui ante dies octo eius inuisendi causa eò venerat, eiusque sacrum corpus ad basilicam deportaret: itemque Lauscius episcopus S.Scubilionem ad basilicam eandem adduceret, ambo pontifices, concinente psallentium choro, præter omnem expectationem sibi inuicèm occurrerunt, pariterque in eodem loco conuenerunt: & viri sanctissimi, quorum funera illi antistites curabant, felici trāsitu locum orationis, quem ipsi extruxerant, eodem die simul occupârunt: & qui se in vita mutuò dilexerant, nec in morte quidem separati sunt, idque adeò, vt vno eodemque momento, vno atque eodem monumento pariter conditi sint: nec dubium, quin Christo redemptori nostro, nostrî amantissimo,

Obit S. Paternus.

Lauto episcopus subscripsit in Aurelianē. Conc.2.& 3.

tiſſimo, electi eius gratia è ſeculo, felicibus meritis illuſtres, pariter occurrerint in cælis: etiam poſt obitum beatis & mirificis operibus integrè viuentes, & miraculis coruſcantes, ad laudem & gloriam præpotentis Dei, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTORVM MARTYRVM ELEVTHERII EPISCOPI, ET EVANTHIAE MAtris eius, *authore Simeone Metaphraſte.*



CVM Aelius Adrianus Romanis quidem imperaret, dæmonibus autem & ſimulacris diligenter ſeruiret: admirabilis quoquè Eleutherius illo tempore cognitus eſt, veluti quædam ſtella diem illuſtrans. Cui patria quidem fuit inclyta & magna Roma: parẽtes autem genere quidem nobiliſſimi, diuitijs verò opulentiſſimi, gloria etiam clariſſimi. Tèr conſulem enim fuiſſe eius patrem, eius ſcribit hiſtoria. Sed cùm eſſent adeò inſignes, nec eis quidem deerat nobilitas ex pietate orta & religione. Eius enim mater * Euanthia, cùm diuini Pauli apoſtolicis admonitionibus fidem accuratè didiciſſet, cum ſtudio virtutis, Dei quoquè cultu erat valdè locuples. Ea cùm hunc ſanctum peperiſſet puerum, Eleutherium quidem vocauit ex ipſo ortu: adeò autem liberaliter & honeſtè eum educauit, vt nomini res quoquè conuenirent.

[Margin: 18. Aprilis. | Eleutherij patria. | Latina martyrologia vocant Anthiam.]

Sic ergò educatum, cùm ad virilem ætatem perueniſſet, Deo & Archiepiſcopo Aniceto dat eum, donum ipſo dignum. Ipſe enim tunc Romanæ præerat Eccleſiæ. Qui videns morum eius moderationem & alias virtutes, eum quidem primùm Diaconum, deindè Preſbyterum, poſtremò Epiſcopum ordinat Illyrici: ſicque lucerna, vt Euangelicè dicam, poſita ſuper candelabrum, & verbi luce illuminante multorum cogitationes: & falſam quidem mendacij doctrinam proculcante, doctrinæ ſermone affluente, ad ſolius autem Dei cognitionem multos conuertente & deducẽte ad pietatem, non poterat malignus hæc ferre moderatè: ſed rabie quidem in ipſum agitabatur, & grauiter ſpirabat contra pietatem. Totum verò ſubiens Adrianum, cum illo armatur contra veritatem: & ante alios omnes contendit de medio tollere Eleutheriũ, ex pijs ſtudens demetere eos, qui erant inſigniores, tanquàm ſpicas quaſdam cæteris præſtantiores: & ſtatìm cum terribili legatione mittitur Felix quidam, vnus ex Ducibus exercitûs, iuſſus vt & per vim adducat Eleutherium, & eum ſiſtat ante tribunal imperatorium. Qui cùm ad Chriſti mandram perueniſſet eccleſiam, eam extrinſecùs circunſidet multitudine militum: & cùm intùs intercepiſſet Eleutherium, tanquàm prædam aliquam ſtudebat habere agnum Chriſti.

[Margin: Matth. 5.]

Deindè templum ingreſſus, & truculentis quidem oculis & truculentiore etiam ſpiritu, tanquàm ipſo vultu eius, qui miſerat, ſignificans ſæuitiam, ſe oſtendens ijs, qui videbant: poſtquàm vidit Eleutherium ſuauiſſimum doctrinæ fluentum profundentem, & ornatiſſimè pietatem annunciantem ijs, qui cum eo verſabantur, ille mirandum in modum admirabatur Chriſti virtutẽ: & ſtatìm mutata ſæuitia, (viſus eſt enim habere animum aptum ad ſuſcipiendum ſemina pietatis) fit ouis pro lupo, & pro perſecutore diſcipulus: & priorum veluti oblitus, non latro & perſecutor, ſed Chriſti, quem perſequebatur, amicus & diſcipulus: & deſpicit quidem ipſum Imperatorem: procidit autem ad pedes ſancti: & ab eo tempore lubens verſabatur cum magiſtro, illius verbis illuminatus, & in pietate confirmatus. Sed ſic quidem fecit Felix, & nequaquàm curauit reuerti ad eum, qui miſerat. Non erat autem, id quod videbatur Eleutherio. Feſtinabat enim ad confeſſionem: eratque prompto & alacri animo ad pietatem liberè efferendam. Iter certè protinùs eſt ingreſſus, habens etiam ſe ſequentem Felicem ducem exercitûs. Cùm autem inter eundum in aquam incidiſſent, fit hîc Felix alius Candaces: & à diuino Philippo baptizatur, nempe Eleutherio, & idololatriæ caligine, tanquàm putrido aliquo indumento, exuitur.

[Margin: Felix, dux exercitûs ad Chriſtũ conuertitur. | Actor. 8. | Ab Eleutherio baptizatur.]

Poſtquàm verò itinere confecto Romam venerunt, à fidelibus quidem, qui erant

Romæ, agnitus, figillatìm de Eleutherio omnia annunciat. Eleutherium autem iuſſus Imperatoris imperabat ſiſti ad illius tribunal. Ille verò tam magno & excelſo animo ingreditur, acſi non ad certamina, ſed ad feſtum accerſeretur. Quem cùm adſpexiſſet Imperator, vt vidit eum eſſe & iuuenem, & formoſum, & virtutis ornamento & animo & oculis decorum: Cur, inquit, ô Eleutheri, patria relicta religione, deorum cultum nihili faciens, nouum quendam Deum colis: idque cùm non ſolùm ſit apertè mortuus, ſed etiam mortem ſubierit turpiſſimam? Eleutherius autem ei, qui ſe tam ſtultè gerebat, nec reſpondendum quidem eſſe arbitratus: & alioquì ipſum Chriſtum in ijs, quæ pro Chriſto paſſurus erat, imitans, ſtabat tacens. Sed reſponde, rursùs dixit Imperator: Quî fit, quòd te tam ſtolidè geras, & in hunc Chriſtianorum cultum inſanum te immiſeris? Deindè aliquantum remittens de acerbitate: Pare, inquit, mihi, & dijs inuictis ſacrifica. Si enim perſuaſus conuertaris, honores tibi præbebo maximos: Sin autem non pareas, grauiſſima inferam ſupplicia.

Eleutherius ſiſtitur corā Imperatore

Nihil reſpōdet Imperatori.

Luc. 21.

Eleutherius verò Domino inuocato, qui dixit: Nolite eſſe ſoliciti, quomodò aut quid reſpondeatis. Dabitur enim vobis, inquit ille, ſapientia, cui nullus poterit reſiſtere: Quomodò, inquit, potero ſuſtinere talibus dijs ſeruire, aut alij ſuſtinenti aſſentiar? Quomodò autem non magìs vobis conſuluerim ab eis deficere: & ſi non pareatis, veſtram defleam amentiam, quòd ratione à Deo honorati, effecti eſtis viliores lignis & lapidibus, adeò vt hæc deos eſſe puteris: & non ſolùm eſſe, ſed etiam benè eſſe exiſtimetis: idque vero Deo relicto, qui ratione conſtituit vniuerſum? Cælum enim & terra ſunt opus manûs illius. Sumus verò nos ex ijs, quæ creauit, opus pulcherrimum & precioſiſſimum: etiamſi tanquàm in pugna nocturna ignoramus id, quod eſt amicum & hoſtile: & aduersùs noſtrum quidem Dominum bellum gerimus: eos autem, qui ſunt verè noſtri inimici & hoſtes, dæmones, inquam, noſtros, ô inſaniam, putamus eſſe dominos, & eos honoribus extollimus & ſacrificijs. Ego igitur Domino meo adhæreo, & ſemper adhærebo: & Chriſto meo ſeruiam, ignominias veſtras & honores, & has pueriles laruas ſuppliciorum, infantium eſſe plagas reputās. Mihi enim, vt meus dixit doctor Paulus, totus mūdus eſt crucifixus, & ego mundo: & mori pro Chriſto, deliciæ mihi ſunt & exultatio. Ira plenus per hæc euadit Imperator, & grabatum iubet afferri æneum, & ei multum quidem ignis ſubſterni: ſupra eum autem nudum extendi athletam, & ſic perpetuò deflagrare, donèc omninò interiērit.

Tandèm reſpōdet conſtantiſſimè.

Galat. 6.

Poſtquàm autem hæc citò facta ſunt, martyr inſiluit in grabatum, & totus in toto fuit extenſus. Ciuitas verò ægrè ferens id, quod factum fuerat, (omnes enim ferè conuenerant ad ſpectaculum) exprobrabant Imperatori crudelitatem: Cur, dicentes, vir adeò clarus, genereque & ſapientia inſignis, malè perit, tanquàm infamis quiſpiam? Deus autem dolorem alleuabat è ſuperis: & tanquam quodam rore refrigeratus, & in molli herba cubans, martyr ſentiebat voluptatem. Imperator autem poſtquàm animi rabiem tormento iam ſatis lenierat, exiſtimans eum iam eſſe mortuum, iubet illinc tolli illius corpus. Poſtquàm è lecto ferreo ſurrexit martyr, non ſolùm illæſus, ſed etiam lætus & alacer: & extollam te Deus meus rex meus, canebat cum gaudio, & laudabo nomen tuum perpetuò. Laudabo Deum, qui lætificat iuuentutem meam. Quoniam generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam annunciabunt, & miracula tua narrabunt. Poſtquàm verò Deo ſic glorificato, audaciùs deincèps adſtitit ante tyrannum: Adſpice ad me, ait, ô Imperator, quem tu exiſtimâſti ab igne exedendum, & intellige eum, qui à me prædicatur. Agnoſce autem tuorum quoquè deorum imbecillitatem. Hanc audaciam & dicendi libertatem, ſuam eſſe contumeliam Imperator arbitratus, & ſe victum eſſe opinatus, quòd contemneretur, ſupplicium eo excogitat maius & vehemētius. Rursùs ergò in medio proponitur craticula, igne quidem ſubtùs accenſa: oleo autem deſupèr adſperſa, & flammam grauiter accendens. Sed ne tunc quidem gratia neglexit martyrem: ſed ſimulatquè fuit ipſe impoſitus craticulæ, ignis ſtatìm fuit extinctus, & carbones emarcuerunt: craticula verò, tanquàm non oleum, ſed aqua potiùs deſupèr fuiſſet infuſa, ipſa quoquè erat frigida, ſanctum conſeruans illæſum.

Dirè cruciatur.

Manet illæſus ab igne.

Pſal. 144.

Ponitur in craticula.

Ignis extinguitur.

Quid verò? cum his ne fuit extincta ira Imperatoris? Nequaquàm: ſed rabie ſemèl percitus, & ad alia quidem nihilo meliùs affectus, quàm cæcus: ad hoc autem ſolùm intuens, vt dijs ſuis gratificaretur in ſancto puniendo, qui quidem ſunt omninò dæmones homicidæ, rursùs iubet afferri ſartaginem, ceramque & picem, & adipem in

eam

eam inijci: multo verò igne subtùs accendi, & sic in ea rursùs extendi martyrem. Postquàm ergò factum fuit, quod fuerat imperatum, & sartago tota erat candens: stetit autem martyr quoquè subiturus suppliciū: Nè differas, inquit Imperator, ô Eleutheri. stas enim medius inter mortem & vitam. cura id, quod tibi futurum est conducibile. Nam ego quidem magnam tuî curam gerens, nè malè pereas, in te suum affectus, tanquàm in germanum filium: nec vellem per deos, virum tam nobili loco natum, & qui est ipse adeò bonus, tam disertus, & tam pulchra specie, seipsum inconsideratè inijcere in periculum: idque propter nihil aliud, quàm propter peruicaciam vanam & inutilem. Postquàm autem stetit martyr aduersùs hæc generosè decertans, aptè probris remunerans blanditias, & illum lupum appellans Arabicum, vt qui ouibus Christi insidietur, tandèm hæc quoquè adiecit: Quicquid feceris, non mihi persuadebis, vt ab hac pia & beata desistam constantia. Lingua subdola diaboli. Martyris constantia.

Hîc Adrianus animo sauciatus, verbis relictis, ad facta se contulit, & iubet eum extendi in sartagine. Quod cùm factum esset, eadem, quæ priùs, rursùs sunt consecuta: & ignis quidem mutatur in rorem: aura verò quædam suauissima fortem ac generosum virum refrigerauit. Adrianus autem nesciens, quid ageret, cùm ei mutarentur omnia in contrarium, sedebat animi dubius, bouem habens in lingua, vt dicitur, & linguam vinctus profundo dolore. Quem cùm vidisset sic affectum is, qui tunc erat Præfectus vrbis, nomine Corebo, ad noua inuenienda tormenta vir egregius, & ad faciendum aliquid, quod aduersùs necessitatem esset acre & efficax, (erat autem Christiani dogmatis non omninò ignarus, sed & quæ Felici exercitûs duci acciderant, verbis acceperat, & Christianorum fidei velutì quædam semina & initia in corde acceperat: adhuc verò sectabatur res gentilium, plurimi faciens colere & obseruare Imperatorem) ipse autem tunc videns Adrianum dubitantem, & nescientem quomodò se in sanctum gereret, accedens: Ego te, inquit, ô Imperator, liberabo à negocijs, & hunc iuuenem, qui repugnat tuis iussis, docebo nunquàm tale quid aggredi. Sed clibanus quidem inferatur æneus: acuti autem obelisci infigantur in vtraque eius parte, & mox scies Eleutherium aut paruisse, aut malè perijsse. Hæc verò dicens, non animaduertebat se leonem putare posse terrere ictu arundinis. Hæc tamen placuerunt Imperatori, & citò confecta machina, martyr in cælum tollens oculos tam qui cernuntur, quàm qui sub adspectum non cadunt, & totam mentem in cælum defigens, & præ gaudio totus quasi à Deo afflatus: Ago tibi gratias, inquit, Domine Iesu Christe & Deus, quòd me talibus & tantis bonis sis dignatus: quòd me manu tua potenti virtute accinxeris, quòd pro tuo nomine talia tibi pati visum sit. Et nunc adspice de cælo, & vide qualia contra me fabricantur, qui te oderunt: & libera animam meam à iaculo eorum, & à viris sanguinum, qui bonus es, serua me: vt sciant omnes, te esse solum Deum & gloriosum in toto orbe terrarum. Deindè etiam pro ijs ipsis, qui illum cruciabant, sicut Stephanus pro ijs, qui eum lapidibus appetebant, orans: Tange cor eorum, dicebat, ô Domine, qui es multæ misericordiæ, & tuum sanctum eis nomen fac sit cognitum, & deduc ad tuam voluntatem: vt cognoscant te solum verum Deum, & desistant à pernicioso cultu simulacrorum: Quoniam benedictus es in secula, Amen. In sartagine vrendus extenditur. Precatio sancti martyris. Act. 7.

Cùm Corebo sic orantem attendisset martyrem, velutì accenso, qui erat ei repositus, carbone pietatis, repentè mutatur longè pulcherrima mutatione: & tanquàm non is esset, qui paulò antè excogitabat supplicia aduersùs martyrem, accedens ad Imperatorem: Pro quo, inquit, maleficio, aut pro quo crimine his pœnis afficitur Eleutherius? aut pro qua causa morte tam acerba damnatur? Imperator verò hac inopinata auditione valdè cōmotus, toruè intuens Coreboneem: Num tu es, inquit, is, quem ego nôui, Corebo? Quidnam autem tibi accidit, aut quidnam tibi factum fuit? Nunquid te cepit aurum ab illius matre acceptum, & tam repentè mutauit? Quàm multa verò etiam à multis alijs tibi data, potuerint conferri cum meis donis, quem ego & opibus & gloria & mea familiaritate & coniunctione beatum Romæ reddidi? Quòd si plura desideras, licet tibi nostris frui affatìm: tibi sunt aperti omnes mei thesauri: ex his hauri ambabus manibus, neque teipsum ità prodas, à fœmina furto sublatus, & pauco auro emptus. Corebo autem iam totus repletus bono spiritu, & martyris precibus mentem habens illuminatam, exclamauit illud admirabile & dignum quod celebretur: Precium tuum, dicens, tecum eat in perditionem. Tuæ verò pecuniæ sint fomes igni, qui te manet. Quid enim tua spōte cæcutis, & conaris mouere ea, quæ sunt immobilia? idque cùm didiceris experientia, quòd nullus quidem ex tuis dijs potest vllum ex ijs, Corebo præfectus ad Christum cōuertitur. Hæc est mutatio dexteræ excelsi.

qui adsunt, in ignem iniectum seruare. Is autem, quem colit Eleutherius, reddit eum & igne potentiorem & quouis alio supplicio.

His sic dictis, dici non potest, quanta ira & insania repletus fuerit tyrannus. Solent enim reuerà validæ amicitiæ validas quoquè similiter parere inimicitias. Vndè etiam iubet Præfectum eodem puniri clibano, quo ipse consuluerat, vt puniretur Eleutherius. Cùm ergò iam appropinquaret tormento, Ora pro me, clamauit Corebo martyri, & me arma his armis, nempe Christi signaculo, quibus ducem exercitûs munîsti Felicem. Sic ergò Corebo armatus à martyre, & protinùs iniectus in clibanum, ipse quoquè mansit similiter ab igne non expugnatus. Adrianus autem his tormentis defessus, eum condemnat, vt ei caput amputetur. Et Coreboni quidem sic succedit finis martyrij: & qui à multis à seculo desideratur, hic breui tempore thesaurum arripuit. Quænam verò sunt Eleutherio posteà consecuta? Primùm quidem ipse in clibanum immittitur: deindè etiam obeliscis, vt videbatur, transfigitur. Et clibanus quidem rursùs, sicut priùs, extinguitur: conuertuntur autem protinùs cuspides obeliscorum, quodammodò carnem honorantes martyris, & eius, qui punit, animæ arguentes cæcitatem: quinetiam multos ex ijs, qui adstabant, attrahentes ad Dei cognitionem, qui hæc faciebat miracula: qui etiam, Magnus est Deus Christianorum, clamabant, qui nobis prædicatur per Eleutherium. Rursùs ergò & hæsitatio & magnus dolor inuadit tyrannum. Et tunc quidem martyrem tradit in custodiam: Posteà autem eximios ex ijs, qui ei parebant, conuocatos congregat: & cùm toto die deliberâsset, vbi & quonam modo Eleutherius subiret supplicium, visus est ei locus quidem carcer: modus verò maximè miserabilis, nempe per famem.

Corebo mittitur in clibanum.

Capite damnatur.

Eleutheriũ nihil lædit clibanus.

Multi credunt in Iesum.

Et postquàm hæc visa sunt, multos quidem dies in carcere decertauit cum fame. Sed qui olìm Danieli, & Eliæ per volucrem alimentum suppeditauit, eum quoquè alit per columbam, & eius animam implet bonis. Et ille quidem agebat gratias, quòd his magnis bonis sit dignus habitus: Tyrannus autem insaniebat, & quòd ostensum esset machinationem fuisse imbecillam, efferabatur: & ideò equos feros & minimè mansuetos, eis longè sæuior, iubet iugo alligari, & eis etiam alligari Eleutherium: vt cùm equi, qui iugum ferre non didicerant, & erant alioquì feri, strepitu currûs valdè essent perturbati, & huc & illuc temerè ferrentur, martyri, petris & alijs alliso, diuellerentur & lacerarentur carnes: vt sic particulatim & membratim concisus, abrumperet animam. Sed nec hæc ei processerunt ex animi sententia: sed quomodò ille non cessabat ea operari, quæ ad vim faciendam pertinebant, & ad afferendum interitum: ità nec Christus ea prouidere, quæ spectabant ad salutem. Angelus enim è cælo aduenìens, & feros illos equos repentè reddidit mites & mansuetos: & cùm soluisset Eleutherium, eum immittit in currum: & cùm direxisset equos ad montem vicinum ciuitati, effecit, vt martyr ascenderet leniter & placidè. Ei verò aliud quoquè accedit admirabile & contra opinionem. Nam cùm sic in montem venisset martyr, & deindè rationale sacrificium, consuetam Deo laudem, sacrificaret, quæ aderant animalia, vrsi & leones, & si quæ erant aliæ feræ, accedentes circundant Dei famulum, & ei blandiuntur: & tanquàm illius vocem intelligentes, benedicere cœperunt & adorare: & hoc significabant, quòd & in terram annuerent, & rursùs in aërem pedibus efferrentur, & alijs etiam gestibus corporis. Sed sic quidem feræ, perindè acsi martyr esset chori institutor & ductor, & cùm is incepisset canere, eæ quoquè choream implentes circunsiliebant & quasi respondebant, & magistrum, quoàd eius fieri poterat, sequebantur admirabiliter.

Dan.14.
3.Reg.17.

Christus liberat martyrem suũ.

Feræ sanctũ virum venerantur.

Adrianus autem non solùm martyris, sed ne ipsarum quidem ferarum reuerebatur intelligentiam: sed cùm ad illas venisset audiendas, erat idem Adrianus multis etiam feris & asinis insipientior & efferatior. Multi enim, quibus curæ erat venatio, cùm hæc suis vidissent oculis, renunciârunt Imperatori: Sed ille erat, vt est in prouerbio, 'asinus ad lyram. Non solùm enim miraculo nihil euasit melior, sed etiam armatos emisit milites, mox compræhensuros Eleutherium. Feræ autem non conseruabant parem in illos obseruantiam: sed vt quæ accuratè scirent sui Domini discernere amicos & inimicos, cum primùm eos viderunt, celerrimè in eos ferebantur: & parùm abfuit, quin eos discerperent cornibus & dentibus, nisi martyr illis quidem tanquàm freno aliquo non adspectabili, iniecta oratione, iussisset eas reuerti vndè venerant. cùm militibus verò metum soluisset, & qui cum armis fuerat, eis aduentum

Seruat hostes suos à feris.

uentum exprobrâsset: (neque enim ad paricidam aliquem venisse aut latronem, quos oportebat, cùm nutu solùm significâssent, sequentem habere eum, qui ab eis quæritur) hoc cùm dixisset, læto & alacri animo sequebatur, multùm disserens in itinere: & si nihil aliud, dicens oportere eos reuereri ferarum intelligentiam, & ex eis capere certum exemplum ad eum, qui ipsos creauit, agnoscendum. Deindè optimè cum eis disseruit de regno cælorum & gehenna: & sic per totam viam benignissimè admonens & docens, tantam vim habuit, vt multis ex eis persuaderet, efficeretque, vt lux veritatis luceret in illorum animis. Postquàm verò Romam peruenerunt, Imperator statìm maximam conuocat concionem, volens habere plurimos testes interitûs martyris. *Non pauci milites conuertuntur.*

Postquàm autem fuerunt omnia parata, & frequens conuenit populus, secùs euenit, quàm putabat Imperator. Qui enim aderant, non martyris occisionis, sed Christi, quæ in ipso erat, virtutis fuerunt potiùs testes, omni exceptione maiores. Nam leæna quidem admodùm sæua in eum immittitur: quæ instàr teli magno impetu irruit & ad sanctum accedit, non vt Eleutherium discerperet, aut vel exiguo morsu eum offenderet: sed potiùs vt illius pedes præ magna amplecteretur beneuolentia. Quod quidem fecit accurrens. Inclinauit enim ceruicem eius pedibus: lingua verò lambebat eius plantas. Videbatur autem ægrè ferre, quòd non etiam vocem haberet humanam, quæ pro pietate loqueretur cum martyre. Sed nec hæc persuadent Imperatori, qui erat duro corde, sicut ille Pharao, vt pietatem ex eis disceret: sed vt qui bestiam damnâsset imbecillitatis, quòd ea esset fœmina, iubet etiam marem simul immitti in martyrem. Ille verò veluti contendens cum fœmina, & non minùs beneuolus volens videri in athletam, illam quidem repellit: ipse autem accurrens, pedes amplectitur, adhæret, lambit, exilit, gestu, adspectu & motu suam annunciat beneuolentiam. Ex ijs verò, qui aderant & hæc videbant, qui animæ quidem oculis vtcunquè intuebantur, protinùs clamabant magnum esse Deum, qui colitur ab Eleutherio. Quorum autem mentis visus cæcutiebat, ij sanctum vocabant planum & maleficum, qui hæc solis præstigijs falsò faciebat apparere. Sed fieri non poterat, vt in his diuina quiesceret iustitia: sed oportebat omninò obstrui labra dolosa, vt diuinus dicit Dauid, quæ aduersùs iustum loquebantur iniquitatem, in superbia scilicet & contemptione: sicut etiam obstructa sunt, & vltimo siluêre silentio. Nam inter loquendum ictu percussi, qui non cadebat sub adspectum, protinùs accipiunt mortem præmia blasphemiæ. *Leæna lambit eius plãtas.* *Item leo.* *Planum, id est, impostorem.* *Psal. 30.* *Vltio in blasphemos*

Iniquus autem Imperator in summam adductus dubitationem, postquàm videt omnia cedere martyris menti & gratiæ, eum morte condemnat, quæ gladio sit ei afferenda. Nam quoniam martyrij cursus non poterat aliter finem accipere, & hic ipse athleta venire ad Christum, quem desiderabat, ipsum quidem, qui sunt huius rei ministri, gladio interimunt. Deindè matrem quoquè, quæ erat eius collo circunfusa, & ei magìs corde quàm ore adhærebat: nihil autem muliebre aut maternum loquebatur, neque tali filio indignum, sed eius certaminibus lætabatur & gloriabatur: immisericorditer impij filio suo adhærentem interficiunt. Quidnam verò erat conuenientius, illósne fecisse cùm essent mali, an illam esse passam, cùm esset pia in Deum & amans filij? an cum sic moriente filio esse mortuam, & non abesse à præmijs filij matrem, quæ eum pulchrè erudijt: sed eos communiter sisti ante communem Dominum, & apud eum manere, vt sacra dicit scriptura, matrem propter filium lætantem? *Cæditur gladio cum matre suo.* *Psal. 112.*

Qui autem erant pij ex Illyrico, quicunque quidem tunc aderant, cùm diligenter eorum extulissent reliquias, ijs, qui erant Romæ fideles, qui eas diligenter inquirebant, vbinàm essent, significant & communicant: & sic cùm ambo eas vnxissent & condiuissent, & vt par est honorâssent, ipsas piè sepeliunt: Christianis diuitias, quæ non possunt eripi, morbis & malis spiritibus propulsandis præsens remedium: Ad gloriam patris & filij & spiritussancti, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

S. APOL-

S. APOLLONII, SENATORIS ELOQVENTISSIMI, PRAECLARVM MARTYRIVM, AVTHORE *Eusebio Cæsareensi, Eccles. Historiæ lib.5.cap.20.interprete doctissimo viro Iohanne Christophorsono.*

18. Aprilis.

Pax Ecclesiæ sub Cōmodo Imperatore.



Odem tempore, Commodo Imperium Romanum gubernante, nostra religio ad pacatum & trāquillum statum traducta fuit, & pax (diuina gratia largiente) omnes ecclesias in toto terrarum orbe occupauit. Quo quidem tempore salutaris Dei sermo hominum mentes cuiusque generis adeò attraxit ad piam Dei, rerum omnium conditoris, religionem cultumque, vt iam Romæ complures & genere illustres, & rerum affluentia admodùm locupletati, vnà cum omni familia & cognatione sua, se ad suam ipsorum salutem amplexandam reciperent. Verùm istud virtutis hosti, & inuidia natura sua exæstuanti diabolo minimè ferendum videbatur: & propterea varias deintegrò machinas contra nos astutè fabricare aggressus est. Nam Apollonium, virum inter fideles politioris literaturæ studijs & philosophiæ notitia plurimùm celebratum, in iudicium adducit: & vnum ex eiusdem Apollonij seruis, ad hanc rem valdè accommodatum, qui hominem accuset, excitat. Cæterùm huic misero ac perdito intempestiuè & incommodè in iudicium ad Christianum accusandum ingredienti, actutùm (quoniam indices, qui Christianorum nomina solùm, quia Christiani essent, deferebant, Imperatoris edictum neci dare mandauerat) crura suffringebantur, Perennio iudice contra eum talem sententiam pronunciante. Iste autem Deo charissimus martyr, cùm iudex ab illo obnixè petijsset flagitâssetque, vt fidei suę rationem corā Senatu redderet, simulatquè accuratissimam orationem apologeticam pro fidei, quam profitebatur, defensione coram omnibus recitâsset, sententia Senatûs securi percussus, decessit è vita. quippe vetus lex apud illos extabat, Christianos, qui semèl in iudicio comparuerant, nisì professionis suæ sententiam mutarent, non omninò liberos dimittendos esse. Istius verò coram iudice verba & responsa, quæ ad Perennij rogata dabat, & orationem apologeticam apud Senatum habitam, si cui lubitum sit accuratè cognoscere, ex libro nostro, quem de veteribus martyribus composuimus, manifestò intelliget.

Pœna in delatores Christianorum.

S. Apollonius securi percutitur.

VITA S. VRSMARI EPISCOPI ET CONFESSORIS, AVTHORE RATHERIO VERONensi *Episcopo.*

PRAEFATIO AVTHORIS.

Lobiense monasteriū est in Cameracensi diœcesi apud Binchium.



Ominis reuerendissimis, patribus dilectis, & doctoribus eruditis, cuncto etiam Christicolarum gregi, in * Laubiensi cœnobio degenti, Ratherius, eiusdem cœnobij quondàm monachus, modò verò Veronensium episcopus, vtroque hoc licèt diuinitatis dono indignus, ea in Domino, quæ suis ipse fidelibus parauit ab initio. Apud venerabilem nupèr sanctæ Cumanæ Ecclesiæ iusto Dei iudicio exulans episcopum, reperi libellum, pauca de virtutibus continentē domini ac specialis patroni nostri, sancti videlicet Vrsmari Episcopi: continentia rerū quidem, auro obrizo topazioque pręferenda: locutionis verò solœcismis ità pro suî modulo refertissima, vt nôsse difficile fuerit, vtrùm scriptoris negligentia, an dictatoris id contigerit insipientia. Quod cùm non parùm pro tempore nos offendisset, curauimus ea eiusdē operis solūmodò corrigere vitia, quibus aut in sensu lectoris naufragare poterat intellectus, aut quæ nimia suî deformitate fastidium ingererent audientibus. Simplex autem, &c, vt ità dicamus, penè rusticus cùm totus sermonis textus altum videri possit sapientibus, à nobis ideò minimè penitùs visus est commutandus, quia & sanctarum authores scripturarum ferulas contemnere nouimus grammaticorum: & doctrinam simplicem piscatorum, quàm sophismata philosophorū, Deo magìs placuisse, in salutatione conuersarum vbiquè cernimus nationum. Epistolaris verò præfatio cuiusdam Ansonis, sancti, vt credi potest, quanquàm non adeò diserti viri, quam eidem suo operi præpo-

Anso scripsit vitam S. Vrsmari.

præposuit, omittenda visa est omninò, vt ipsa quoque authoris in ea lateat omnimodis intentio. Recipiat igitur vestræ paternitatis sanctissima charitas hunc à vestro, non audemus dicere, filio, sed seruulo, & equidem, prò nefas, fugitiuo, quantulumcunque benignæ instructionis nostræ fructum, & cum his, quæ apud vos leguntur, charitatiuè conferat, si benè consonent. Sin aliâs, discernat prudentissimum vrbanitatis vestræ palatum, quid ex his melius aliquid sapidiusque contineat, & hoc pro meliori sapidiorique vtendum retineat. Illud solerter minùs eruditis nobiscum consulendo, cogitetis, quia iuxta cuiusdam sapientis sententiam, bona est locutio, planè & suauiter congruenterque mouens audientem: tantum abest, vt historia aliquid continere debeat crepe-rum, dum non ob aliud sit edita, quàm vt res gestas præsentium vel præteritorum, ad notitiam transferat futurorum. Precor intereà, inter huius mundi miserrimè fluctuantem naufragia, orationum vestrarum contineat ancora: idipsum ab exiguitate licet vt postuletis mea, modò tanti peccatoris non dedignetur Dei pietas intendere suffragia. Deus autem pater Domini nostri Iesu Christi aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, perficiens in vobis per gratiam spiritussancti, quod placitum est sibi, per eundem Christum Dominum nostrum. Apud cuius clementiam, pium intercessorem iugiter inuenire mereamur Vrsmarum sanctissimum pontificem, cuius vitam in præsenti elucidare disponimus, ad laudem & gloriam omnipotentis Trinitatis, & ædificationem populi conuenientis.

Sed eã nonnihil exposuit Rathe-rius.

NARRATIO.



Eatus igitur Vrsmarus episcopus, bonorum omnium præconio dignus, pago Theoracensi, & villa, quæ vocatur Fleon, oriundus, à Domino est electus per prædestinationem, priusquàm seculo daretur per originem. Grauidæ nanque matri eius de eo, apparuit quidam venerandus senex per visum, in manu sua tenens puerulum, pronuncians que, Accipe, inquit, hunc puerulum, nutriens eum. Magna verò fames eandem tunc temporis oppresserat regionem. Respondens verò mulier, ait seni: Vndè hoc faciam domine, cùm desit mihi panis ob magnitudinem, quam patimur, famis? At ille dedit ei panem valdè candidum, dixitque ei: De hoc pane nutries illum. Quem cum accepisset mulier, creuit inter manus eius magnus valdè. Tunc mulier inquit: Istud quod video, quid signat domine? Cui ille: Filium, inquit, es paritura, qui de regno aliquam Christo lucrifaciet partem. Quod posteà verum fuisse, ipse ore monstrauit & opere. Tantam siquidem à Domino gratiam est consecutus, vt omnes pabulo verbi diuini reficeret, qui ad eum gratia colloquendi venirent. Iterùm autem mater eius depressa somno, aliam visionem vidit continuò. Scalam quippe contra se stare videbat, cuius cacumen cælos tangebat, per quam idem puer scandens, cælum ingrediebatur. Ipsa verò eundem vsque ad scalæ est prosecuta cacumen: sed sequi, vt asserebat, potuit; consequi omninò non potuit. In se itaque reuersa, cognouit ilicò hæc veraciter omnia suum, quem clausum vtero detinebat, præfigurare filium. Hæc & his similia quam plurima de proprio mater cognouit filio, & ante natiuitatem, & posteà, quæ prolixum est enarrare per singula. Exultans itaque in Domino mater, aiebat: Scio certissimè, quòd Dei operante clementia, magnus erit filius meus, quem gesto, & felicem me talis nati susceptione profiteor.

18. Aprilis.

Patria S. Vrsmari.

Visio matris eius.

Alia visio.

Editus itaque puer, Vrsmarus est vocatus, adultusque doctoribus sacrarum traditur scripturarum. Qui imbuerunt eum sacris literis diuinaque lege, non mediocriter, sed perfectè: nec seculariter, sed monasticè atque regulariter. Ab ipsa verò pueritia senilia exequens opera, nequaquàm in voluntate propria, sed in voluntate ambulabat diuina. Crescente sanè ætate, etiam morum probitate pollebat. Erat enim corpore castus, mente incorruptus, amabilis cunctis, affabilis vniuersis, animo benignus, corpore pulcher, prudentia callens, fortitudine vigens, temperantia serenus, iustitia seuerus, longanimitate perfectus, eleemosynis largus, abstinentia parcus, patientia & humilitate præditus, mansuetudine ac pietate refertus, charitate non ficta repletus, fide robusta stabilis, spe inconcussa longanimis. Harum verò omnium virtutum commercia exaggerabat eius in animo cuncta suauiter disponens sapientia Dei. Sermo quoquè eius, iuxta Apostolum, sale erat conditus. Si quandò opportunum tempus videret, sine

Discit sacras literas valdè religiosè.

Virtutes eius.

Colos. 4.

sine ædificatione proximorum horam transire minimè sinebat. Terrena quoquè cuncta despiciens ac cælestia concupiscens, illi soli vacare desiderabat, cui se totum à puero deuotus tradiderat: orationi frequenter incumbens, cum lachrymis & compunctione cordis Dominum deprecabatur, vt quæcunque meditaretur vel ageret, in conspectu eius accepta forent. Ipse verò, qui eas potenter inspirauerat, misericorditer pias dignatus est exaudire preces.

Creatur antistes. Pastoralem deindè cathedram adeptus, tanta Domini sublimatus est gratia, vt penè omnes mortales anteiret, seculumque habitans, nihil in se seculi haberet. Scripturarum deniquè doctor, monasteriorum constructor, prouisor ecclesiarum, custos animarum, nutritor orphanorum, defensor viduarum, redemptor captiuorum erat. Gregem sibi commissum ità diligebat, sicut veritas ipsa diligendum docuerat. (Iohan. 10.) Nam si grassata fuisset, vt antiquitùs, vesania tyrannorum, mori pro ouibus Dominicis minimè trepidâsset. Quid plura? Vir iste dissimilis longè fuit illis hominibus, quos nunc passim cernimus nostris temporibus. Neque audiuimus aliquem, qui absque carnificis gladio tam diro cruciatus sit martyrio. Nos verò idonei non sumus enarrare vel scribere omnes, quas in seculo pertulit, passiones, præsertìm cùm nouem annis & decē hebdomadibus absque alimonia vixerit panis. (Nota mirabilem abstinentiam.) Cibus verò ipse, quem sumebat, tam tenuis & modicus erat, vt eo sustentari nemo posset mortalium, nisi miraculo, vt ipse, diuino. Omnes autem, qui eum cernebant aut audiebant loquentem, mirabantur quòd tam robustus esset & eloquens, absque alimonia panis viuens. Aqua verò, eius erat potus, & aliquotiès sicera: qua tamen paululùm raroque vtebatur. Victus illius is erat, quem absque officio dentium sumere posset. (Patiētiam.) Tanta quoquè eius erat patientia in huiusmodi atque alijs tribulationibus, vt posset comparari patientiæ Iob beatissimi, qui non peccauit labijs suis, nec stultum quid contra Deum locutus est. (Iob 1.) Laudem econtrà Domini concinebat, atque, secundùm Prophetam, benedicebat Dominum in omni tempore, (Psal. 33.) laus eius semper in ore ipsius resonabat. Conijcere verò possumus veracissimè, quòd vir iste de illo viuebat pane, qui de cælo pro nostra descendit redemptione. Nam, sicut suprà diximus, ità facundus erat dono spirituali, vt quasi fons fluens, aut fluuius videretur inundans. (Facundiam.) Quæcunque verò prædicabat ore, adstruebat actione: validiora esse sciens exempla, quàm verba: & plus esse opere docere, quàm voce.

Potestas eius in dæmones. Operæprecium verò iudico fore, iamnunc prosequi stylo, quàm efficax viro sancto inerat virtus ad effugandos hostis antiqui incursus. Erat quoddàm monasterium, quod dicitur Malbodium, duodecim fermè millibus à Laubaco suæ prouisionis distans cœnobio, in quo erat sanctimonialium turba non modica. Quarum vnam spiritus inuasit malignus, cœpitque eam vehementer laniando vexare, atque per os eius immunda & turpia loqui. Porrò illic inhabitantes grandis horror inuasit, nimiusque pauor etiam corda vicinorum perterruit. Tenentes autem eam sorores, dicebant ad dæmonem increpando: Quomodò introire ausus es famulam Dei? Et subiungebant, dicentes: Impurissime dæmon, exi ab ea. Quibus ille respondens, dicebat: Non exibo, priusquàm Vrsmarus episcopus veniat, & ipse me exire compellat. Hanc autem confessionem nequaquàm ei asscribi, qui ab initio mendax fuit, & in in veritate non stetit, (Iohan. 8.) sed Dei imperio cogente vera eum fatemur dixisse, non spontè: sicut & in euangelio, Scimus, aiunt (Mar. 4.) dæmones, quòd sis filius Dei. Quod vtiquè cùm esset veracissimum, præter alia innumerabilia beati Petri prodit testimonium, ijsdem verbis Domino interroganti gloriosæ præbentis confessionis responsum: (Matth. 16.) tamen quadam suî parte mendacissimum mentitam esse malitiam, testis est Dominica passio, ab impijs instinctu patrata diabolico. Nam licèt nouerit pro salute humani generis Christum venisse, nesciens tamen ordinem liberationis nostræ, illusus est morte Dominica, quasi auis decipula. (Diabolus à Christo illusus.) Ostensa nanque mortalitate, quam ille interimere appetebat, carnis, abscondito captus est hamo diuinitatis. Cæterùm si indubitanter sciret hunc esse Christum filium Dei viui, agnouisset mortis legibus nequaquàm posse teneri. Si agnosceret posse non mori, non hunc suaderet crucifigi. Non enim intellexit humanæ perditionis audacissimus lanio, quòd suo frustraretur imperio, in Saluatorem mundi sæuiendo. Ignorauit antiqua malitia, quia ius perditionis humanæ non amitteret, si se à redemptoris hominum sanguine continuisset. (1. Cor. 2.) Vndè & Apostolus: Si hunc, inquit, principes seculi cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Principes verò quos dixerit seculi, ex alia eius sententia conijcere possumus, qua ait: (Ephes. 6.) Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum

harum,

harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Ipse quoquè Dominus: Princeps, ait, huius mundi venit, & in me non habet quicquam. Quanuìs & de Herode & Pilato non incongruenter possit accipi, secundùm illud, quod Psalmistæ voce dicitur: Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Sed illi principes specialiter vnius populi, non principes seculi generaliter appellati sunt. Cùm ergò veracissimum sit, Tu es Christus filius Dei viui, testimonio B. Petri: mendacissimum est, Scimus, quia sis filius Dei, testimonio diaboli. Et sicut Petro ait: Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est: ità & diabolum calliditas astutiæ & subtilitas naturæ hoc confiteri non fecit, sed vis atque potestas eius, qui ad eum destruendum de cælis aduenit. Vt verò diuina illic in homine latente præsentia tortus, mentiendo verum dixit dubius: ità hìc Dominica in beato Vrsmaro operante potentia, verum dixit inuitus: in vtroque verò non suo voto visus, sed iubentis imperio coactus. Altera igitur die, ordinante Dei prouidentia, affuit B. Vrsmarus episcopus. Cumque relatum ei fuisset de ea, quæ à diabolo vexabatur, puella, iussit ilicò ipsam sibi exhiberi. Quod cùm factum fuisset, ille non de sua, sed de Domini præsumens virtute, accepto libro, cœpit legere exorcismum super caput eius. Dehinc benedicto oleo nares, oculosque & os eius linuit, & protinùs immundum ab ea spiritum fugauit. Liberata tamen puella, pauor quidam, qui præsentia diaboli seminatus fuerat, adhuc pectoribus vicinorum inerat. At vir Domini præcepit sibi aquam cum sale deferri: quibus benedictis, iussit spargi per cuncta monasterij loca: & sic omnis pauor cum authore suo satana discessit.

Ioban. 14. Psal. 2. Matth. 16. Ibidem. Dæmoniaca liberatur. Aquæ benedictæ efficacia.

Alio quoquè tempore ducta est ad eum puella quædam secularis, plena dæmonio, quam iussit sibi in oratorium deferri. Quo facto, præcepit eam vinculis, quibus stringebatur, absolui: & post hæc cœpit Dei potentiam super caput ipsius inuocare, ipsumque dæmonem, vt à plasmate Dei viui recederet, increpare. Mirum in modum hostis ille antiquus cœpit continuò anxiari & fremere, diuersasque ac diras voces emittere. Sanctus verò Vrsmarus iussit eam extra oratorium trahi, ipseque subsequens, percussit eam tribus vicibus baculo, quem gestabat manibus. Tum spiritus nequam exijt ab ea tam celeriter, acsi ipse fuisset percussus. Quam mox beatus pontifex sanissimam oratorio reddidit, perungensque oleo benedicto, liberã abire permisit. Habebat sanctus pontifex neptem in iam dicto monasterio Malbodiensi, quam ipse paruulam commendauerat sanctæ Aldegundi. Quæ postquàm fuisset adulta, orta est quædam in eius collo sæua nimìs infirmitas, quæ gutteria dicitur sermone Gallico. Adstruebant verò medici, quòd aliter curari nequiret, nisi carne incisa cum vncino ferreo, foràs morbus traheretur. Hoc autem illis facere cogitantibus, contigit superuenire sanctum Domini pontificem. Qui accersito ad se medico, interrogauit eum, dicens: Dic mihi, vtrúmne valeas sanare eam. At ille ait: Nequeo, nisi cum vncino ferreo carne incisa, morbum foràs traham. Audiens autem vir Dei hoc, omninò facere prohibebat: quia oppidò eam diligebat, & periculosum hoc valdè esse cernebat. Verùm imponens manum sæpiùs die illa super ipsum vulneris locum, dicebat: Vide filia, nè patiaris tibi ferrum imponi. Credo enim in Domini pietate, quia ipse te liberabit ab hac infirmitate. Nocte verò eadem vir sanctus vberrimas preces fudit ad Dominũ ob eius salutem. Lucescente verò die altera, à strato sospes surrexit puella, intantùm, vt nec vestigium infirmitatis remaneret in ea.

Alia obsessa curatur. S. Aldegundis.

Eodem quoquè tempore alia ægrota intra eiusdem monasterij septa iacebat tam valido languore obsessa, vt omnes, qui eam videbant, de salute eius prorsùs desperarent. Quæ cùm audisset tanti viri aduentum, cœpit virtute, qua poterat, dicere: Obsecro, vt rogetis illum ad me venire: confido enim in Deo, me reualituram quantocyùs, si eum videre meruero. Quod cùm beato viro fuisset intimatum, absque mora ad illam accessit: cumque intuitus eam fuisset, eleuata manu, signum sanctæ Crucis super ægrotam fecit, & ilicò fugata febre, mulier conualuit, vitamque sibi à Deo per interuentum sancti viri redditam, sæpissimè multis ipsa narrauit.

Signo crucis depellit febrem.

Post hæc itaque venerabilis pontifex cernens paulatìm sibi vires corporis minui, suæque diem vocationis imminere, curam cœpit non paruam gerere, nè grex sibi commissus relinqueretur sine pastore. Tunc, annuente Deo, optantibus cunctis sanctus Erminus eligitur, vir omni bonitate repletus, atque magistro moribus adæquandus: cunctis verò istius temporis hominibus meritò præferendus. Quem benignus pater vt filium charissimum monuit amabiliter, quatenùs gregem sibi commissum solicitè pasceret, moribus & verbis secum ad æthera transferre satageret. Quod ipse agendum susce-

S. Erminus succedit S. Vrsmaro.

pit quidem molestè, sed, Deo cooperante, strenuè peregit: inchoauit humiliter, sed perseuerauit feliciter. Bonus igitur gregis Christi pastor Vrsmarus, moribus & annis maturus, digna suscepturus meritorum præmia, cælestia inuitatur ad regna. Qui precibus charissimorum, quos in Christo nutrierat, filiorum, suum fideli creatori commendans spiritum, ipsis præsentibus exultans in Domino, carnis quartodecimo Calendas Maij soluitur ergastulo, victurus in secula cum Christo: angelorum euectus ministerio, cælesti infertur paradiso: vbì sine fine patriarcharum fruitur fide, prophetarum spe, apostolorum consessu, martyrum collegio, confessorum ac virginum contubernio, cunctorumque cælicolarum oblectatur perenni tripudio. Corpus verò illius à discipulis religioso compositum officio, cultu est honorifico tumulatum. In cacumine quippe montis, cuius radicibus iam extructum adiacet monasterium, oratorium est in honore sanctæ Dei genitricis constructum, in quo deposuerunt beati corporis thesaurum: vbì diuina pietas demonstrat quotidiè, cuius meriti illic habeantur reliquiæ, ad laudem & gloriam maiestatis suæ, cuius honor, decus & potestas permanet sine fine, Amen.

Obit vir sanctus.

VITA S. ELPHEGI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS, AVTHORE * OSBERNO, *eiusdem Cantuariensis ecclesiæ monacho.*

* Osberto.

19. Aprilis.



PRincipium nascendi à splendidissimis natalibus trahens Elphegus, magna prudentia & summa humilitate vitam instituit. Cuius animi ingenui atque vitæ innocentiā parentes admirati, literarum eum scientia & Christianæ religionis sapientia imbuendum tradiderunt. Qui totum philosophię studium conuertit ad diligendum Deum, illum nôsse, illi parére, illius iugo mancipare se semper desiderans. Tactus itaque maiestatis spiritu, paternæ hæreditatis negligens, maternum dolorem, cùm ab ea vnicè diligeretur, obliuiscens, mundum deseruit, & in monasterio nomine Derhirst, religionis habitum suscepit: vbì priuata desideria propriasque voluntates cœpit abigere, cunctorum famulatui subiacere, omnium se quasi quoddam instrumentum exhibere, Deum infatigabiliter diligere, ieiunijs & vigilijs vacare. Et quidem quibuscunque potuit, studuit prodesse: quibus autem prodesse non potuit, saltem non obesse conatus est. Transactis autem in monastica religione aliquot annis, cùm videret tempus adolescentiæ præterire, arctioris vitæ semitam arripere, singulareque cum antiquo hoste certamen inire contendit. Egressus itaque de monasterio, peruenit ad locum Bathonia vocatum: vbì aqua calida de terra emergens, balnearum vsum pro voluntate præstat. Ibì habitaculum construens, se inclusit, & rigore incredibili corpus suum ieiunijs & abstinentia afflixit. Confluebant ad eum in breui nobiles quique, suarum vulnera animarum detegentes, & consilium salutis ab eo perquirentes. Vndè factum est, vt non parua monachorum turba intra tempus exiguum ibidem congregata sit.

Monasticū viuendi institutum arripit S. Elphegus.

Viuit inclusus & solitarius, & multi se ei adiungunt.

Culpabat autem non modicè vir sanctus illos, qui secularem habitum mutarent, & vitam non mutarent. An non, inquit, mendacij tibi plenus videtur, qui quod non est, esse se ostentat, dum aliud simulat in veste, aliud gestat in corde? Sanctius est enim, vestem non mutare, quàm sub veste vitam negligere. Cùm autem amplissima mansione perfectam sobrietatis legem discipulis indixisset, atque carnales appetitus refrenare docuisset, ipse in angusta domuncula se inclusit: summas tamen causas & negocia ad eum fratres referebant. Plerique intereà monachorum fidei & professionis immemores, laxatis obedientiæ frenis, medijs noctibus furtiuos cibos edere, ebrietati operam dare, lasciuire, & prorsùs quæ inhonesta sunt, quantùm latens audacia sinebat, operari cœperunt. In cuius sceleris capitalem ira Dei desæuit pariter & occidit. Nocte verò quadam Elphego more solito sacras excubias faciente, voces & strepitus intra monasterium audiuit. Egressus autem forás, fratrem quendam miserè afflictum & iacentem vidit: super quem horrendi adspectûs & sordidissimi amictûs homines stabant, qui taureis eum atque igniris serpentibus flagellabant. Euigilante autem illo, & præ doloris angustia diros vlulatus emittente, tortores illi talia improperando dixerunt: Nec tu obedisti

Vltio diuina in monachum improbum.

obedîsti Deo, nec nos tibi. Et hæc dicentes, animam de corpore excusserunt. Quod videns sanctus, totus in lachrymas resolutus, rediјt ad cellam suam. Videntes autem fratres quæ gesta sunt, errorem suum fatentur, & pœnitentiam agentes, vitam in melius commutârunt.

Mortuo autem Vuintoniensi episcopo Etheluuoldo, facta est non modica contentio pro pontificis electione inter monachos & clericos. Siquidem clerici eiusdem ecclesiæ sceleratissimam vitam agẽtes, contra canonum statuta per omnia viuentes, cùm à præfato antistite sæpiùs correpti, prauos mores corrigere nollent, immò quæ prauè gesserant, pertinaci spiritu defendere vellent, regali sanctione decretum fuit eos expelli, & alios, qui digniores essent, eorum vice fungi debere. Itaque clericis in exterminium datis, timentes Dominum monachi admittuntur. Ex quo factum est, vt in electione episcopi clerici clericum, monachi monachum, vtrique suæ voluntatis fautorem vellent. Quod videns S. Dunstanus, ad orationis refugium se contulit, Deum, cui futurorum scientia patet, suppliciter rogans, quatenùs dignaretur ostendere, quis regendæ ecclesiæ idoneus foret. Cumque preces deuotè multiplicaret, apparuit ei B. Andreas apostolus, tali oraculo vsus: Quid, inquit, charissime contristaris? quid tam lugubres questus lachrymando depromis? Surge, & Elphego Abbati manum impone, & episcopum desolatæ ecclesiæ constitue. Nec te aliquorum potentia prohibeat: quoniam non ab homine, sed à Deo hæc de illo sententia processit. Nè autem de me te solicitum reddam, ego sum Andreas, filij Dei apostolus: tuæque salutis diligentissimum custodem me esse noueris. Sicque releuatus Dunstanus, Elphegum, vt iussus fuerat, episcopum consecrauit, & ad sedem suam cum honore remisit.

Etheluuoldus Vuintoniensis episcopus.

S. Dunstanus.

Elphegus consecratur episcopus.

Elphegus autem ità se omnium moribus conformauit, vt & omnibus charus esset, & nemo, quod rarum est inter homines, eius gloriæ inuideret. Summæ in omnes extitit misericordiæ: in seipsum verò impius videbatur & crudelis. In hyemali enim frigore & glacie, cùm somnus nocte omnes occuparet, ipse clàm nudis pedibus, sola tunica indutus, de strato surgere, foràs exire, & vsque ad auroram orationibus vacare consueuit. Cùm autem prãsurus ad mensam intraret, tam vacuus ferè à mensa surrexit, quàm accessit. Vndè corpus illius tanta attenuatum est macie, vt cùm manus cum Sacramento tensas in altũ porrigeret, per medias palmarum iuncturas claritas aëris perspici posset. Omni generi hominum suum sciuit contemperare sermonem & animum. Nullum parochianorum suorum publicè mendicare permisit, nec alterius loci pauperem vacuum abire siuit, immane horrendumq; nefas reputans, si quod natura cõmune constituit, hoc velit homo ceu propriũ vsurpare. Quapropter nec Dominici corporis mẽbrum esse, qui pauperum indigentijs nollet subuenire, vigilãter disputabat. Nam si patiente vno corporis mẽbro, cõpatiuntur cætera: manifestũ est, eiusdẽ corporis mẽbrum non esse, quod patiente alio, cõpassionis affectũ nescit habere. Vbi verò illa defecerunt, quæ ex iure ecclesiæ ministerio pauperũ cõpetere potuissent, thesauros ecclesiæ, quos ipse multiplices parauerat, iubet distribui: docens ex hoc ornatissima quæq; ecclesias possidere, vt tempore felicitatis sint honestati, tempore verò necessitatis sint vtilitati.

Vitæ asperitas.

Nota sancti viri mirabilem maciẽ.

Cùm autem B. Dunstanus obitum sibi imminere conspiceret, & Ecclesiam Dei per malorum successionem turbari metueret, solicitis obsecrationibus aures diuinæ misericordiæ pulsat, quatenùs Elphegum successorem habere possit. Cui statìm exaudito, quod postulat, promittitur: quanuìs non statìm, quod promissum fuerat, adimpletur. Quod ea re dilatum fuisse arbitror, vt & omnibus manifestum fieret, quantùm Deus Dunstanum diligeret, cui quod viuenti tam benignè promiserat, hoc defuncto longè pòst tam veraciter exhibebat: & Elphegum illa tempora inuenirent, quæ eum ad martyrij gloriam prouehere possent. Anno autem Domini millesimo & sexto, ab aduentu Anglorum in Britanniam 578. Elphegus anno ætatis suæ quinquagesimosecundo, Archiepiscopus Cantuariensis effectus est. Cumque iter versùs Romam pro pallio habẽdo arriperet, & quoddam oppidum hospitandi gratia intraret, oppidani hominem incognitum videntes, & auaritiæ suæ consulentes, in domum irrumpunt, res eius diripiunt, eumque omni supellectili priuatum, verbis & verberibus exire compellunt. At ille iniurias suas leniter ferens, suorum verò mediocriter dolens, via qua venit regreditur. Necdùm ab oppido longè recesserat, & eccè horrendæ voces mœnia corripiunt, quæ ciuibus & ædificijs celerem minantur ruinam. Nec mora, vorax flamma oppidum consumere cœpit: cumque ignis vehementer excresceret, nec euadendi spes aliqua fuisset, virum sanctum adeunt, fatentur delictum & veniam petunt. Mox sanctus illis compa-

Fit archiepiscopus Cantuariensis.

tiens, preces ad Deum fudit, & ignis molestia protinùs extincta cessauit. Restitutis ergò episcopo rebus suis, acceptoque à Papa pallio, domum prosperè regreditur. Pudicitiæ virtus tantùm dominabatur in eo, vt nemo illo audiente vel obscœnum aliquod verbum proferre, vel turpe factum referre auderet. Erat verò etiam pauperum consolator, oppressorum releuator, vnicum afflictis refugium.

Pallium à Papa petit & accipit.

Per idem tempus Suuanus & Turkillus, Danorum principes, nonnullam terræ Anglorum maculam, exigentibus eorum peccatis, intulerunt. Suuano tamen terribiliter diuinitùs occiso, Turkillus malignæ hæreditatis principatum sortitus, multas Angliæ prouincias cęde & incendio vastabat. Rex nanque Ethelredus imbellis, quia imbecillis, monachum potiùs quàm militem actione præ se ferebat: homines verò regionis diuitijs corrupti, voluptatibus obligati: nec quicquam, præter corporis & singulare & priuatum commodum, honestum putabant. Itaque quisque dum sibi & rebus suis timet, omnes temperant à bello, nemo pro causa omnium certamen experiri tentabat: cùm ea de causa certandum esset, vt quod quisque suum esse vellet, pro eo quàm splendidè pugnaret. In tanto igitur rerum discrimine Elphegus hostes adire solebat, & verbum vitæ eis prædicabat, captiuos dato precio redimebat, & quos fames opprimebat, studiosè alebat. Vndè quantùm à fideli populo colebatur & venerabatur, tantùm ab infideli contemnebatur & irridebatur. Sed fidelis ille mâlens cum Domino Beelzebub, quàm cum Pharisæo Rabbi vocari, non destitit operi incepto operam dare, fideles in fide confortare, infideles ad fidem vocare.

Dani vastãt Angliam.

Elphegus ab eis captiuos redimit.

Quendam autem Edricum rex totius regni præfectum statuerat, hominem humili quidem genere, sed cui lingua diuitias ac nobilitatem comparauerat, callentem ingenio, suauem eloquio, & qui mortales omnes tum inuidia atque perfidia, tum superbia atque crudelitate superauerat. Huius igitur fratrem, primò nobilitati Cantuariorum in præsentia regis gratuitò maledicentem, deindè ea, quæ vnicuique ex hæreditate prouenissent, violenta dominatione inuadentem, eadem nobilitas interfecit, ædesque eius succendit. Cuius frater à rege vltionem postulat, denegat rex postulata, iure fratrem eius peremptum pronunciat. Præfectus itaque palatium ingreditur, iunctis secum decem millibus virorum, fratrem occisum vlcisci conatur. Sed cùm parùm proficeret, Danorum auxilia petit, non ad Cantuaritas solos debellandos, sed ad totius Britanniæ fines inuadendos, regnumque post victoriam æqua sorte diuidendum. Sicque fœdus ineunt, dextras dant & accipiunt, sacramenta exigunt & porrigunt, Cantuariam vastare primò deliberant. Quod audiens Elphegus episcopus, conuocato populo ait: Forti animo estote, Deum præ oculis habete: præter eum, qui corpus & animam potest perdere in gehennam, nihil formidate, humilitatem & patientiam seruate. Christus enim cùm Deus esset & omnia illi pater in manus dedisset, de inimicis vlcisci se noluit, sed gladium, Malchi sanguine cruentum, in vaginam recondi iussit.

Edricus Angliæ præfectus.

Matth. 10.

Iohan. 13. & 18.

Obsessa tandem à Danis ciuitate per viginti dies, & quicquid ad vsum vitæ ciues parauerant exhausto, mittitur à pontifice, qui Danis suggerat, vt ab incepto desistant, populoque innocenti parcant, caueantque, nè diuinæ correptionis flagello, pro filiorum castigatione ad tempus concesso, nimis insolenter abutantur. Sed Dani mandata prætermittentes, turres extruere, arietibus murum ferire, igneas faces iacere constanter cœperunt. Et eccè vorax flamma per domos succenditur, ac sæuiente Austro, se dilatando dispergitur. Tunc miseranda inter ciues facta est deliberatio, vtrumnam desertis murorum propugnaculis, ad proprias domos conuolarent, an ijs neglectis, munitioni vrbis incumberent. Vicit communem vtilitatem priuata affectio, filiorum dulcis recordatio, erga tuendam familiam innata commiseratio. Currunt itaque & rapiunt de medijs flãmis coniuges & charos liberos, hostili gladio statim feriendos. Et eccè effracta vrbe, exercitus ingreditur, terribilis sonitus ex clamore vocum & clangore tubarum attollitur, adeò vt omnia ciuitatis fundamenta concuti viderentur. Alij nanque ferro iugulati, alij flammis consumpti, plures à muro præcipites dati, nonnulli per verenda suspensi deficiunt. Matronæ dum thesauros, quos non habebant, coguntur prodere, capillis per omnes ciuitatis plateas distractæ, ad vltimum flammis iniectæ sunt. Paruuli à matrum vberibus auulsi, lanceis confodiuntur, aut super eos ducto plaustro, minutatim conteruntur. Sanctus autem Elphegus non ferens tantam suorum depopulationem, cum turba monachorum in ecclesia circumseptus esset, repentè de manibus tenentium elapsus, de ecclesia euasit, curreusque ad locum cadaueribus plenum, inter cuneos hostium se ingerens, exclamauit,

Dani obsident Cantuariam.

Dani occupant Cantuariam, & immaniter sæuiunt.

uit,&,Parcite,inquit,parcite,& si viros vos esse cognoscitis, innocentem ætatem persequi cessate. Non est ista victoria, qua lactentium perimitur innocentia: nec laudi adscribitur,quicquid in simplices & mites bellando admittitur. En me, qui vestræ impietatis crimina libero semper ore castigaui: en qui captiuos & à vobis mulctatos paui,vestiui,redemi. In me vestra potiùs ira desæuiat.

Mox itaque capitur,& intercepto manibus gutture, vox loquentis præpeditur, vinculis palmæ innectuntur, genæ vnguibus dissecantur, pugnis & calcibus latera tunduntur: ecclesiam quoquè igni comburunt,gregemDomini in ore gladij consumunt, & episcopum septem mensibus in arcto carcere custodiunt. Intereà cœpit ira Dei in homicidam populum adeò desæuire, vt paruo temporis interuallo duobus eorum millibus per diros viscerum cruciatus prostratis, cætera quoquè multitudo similiter percussa, simile exitium expectaret. Commoniti sunt autem à fideli populo, vt de peccatis pœniteant, & pontifici satisfaciant. Sed illi differunt, arbitrantes hoc malum à fortuna eis accidisse. Præualuit interim clades super omnem carnem, quæ pontifici mortem inferre nitebatur, & nunc denis, nunc vicenis terribili viscerum dolore capitisque absumptis, magnam formidinem viuentibus incussit. Citato igitur consilio,mox ad episcopum currunt,& de perpetrato facinore cum lachrymis veniam petunt: & de carcere eum extrahentes,ad publicos populi conspectus cum honore deducunt.& ait illis episcopus: Etsi vestra insatiabilis crudelitas veniam non promeretur, tamen quid nos facere deceat,exemplo Domini edocemur:qui cùm suorum dignatus fuisset lauare pedes discipulorum,non illum exclusit, à quo se tradendum esse præsciuit,immò ipsum sanctissimo pane cibauit,Pharisæorum ministros potentiæ suæ verbo elisit, sed confestim eosdem erigendo sanauit: & quod magnæ bonitatis insigne est, quos quotidiè mandatis cælestibus pertinaci animo cernit resistere,eos in cælo sedens adhuc patitur viuere,immò humanis rebus plùs quàm cæteros præstare. Quapropter quoniam exemplorum illius deuotus cupio imitator existere, oblitus incendia ciuitatis, innocentium cædes, oblitus, inquam, quæ in me acta est, præteritæ impietatis, sicut ipse patrem pro suis crucifixoribus, ità ego pro meis tortoribus ipsum interpellabo. Afferte ergò panem,statim vobis reddendum salutarem: quatenùs ex hoc refecti,& cupitæ salutis beneficium adepti, aut gratias Saluatori reddatis, aut sceleratiores blasphemi remaneatis. Et dato omnibus pane à se benedicto,omnes de exitiali liberauit clade.

[Margin: Elphegus à Danis crudeliter vexatur. — Iohan.13. — Iohan.18. — Luc.23. — Pane benedicto sanat Danos.]

Cumque sanitati redditi essent, principes quatuor episcopo mittunt: & primò quidem pro impenso beneficio gratias agunt: deindè si vita & libertate velit potiri, tria millia marcarum vt persoluat,exigunt. Quod cùm ille facere renueret, eum ligauerunt, & inauditis tormentorum quæstionibus die Dominicæ resurrectionis affligentes, in carcerem retruserunt. Cumque in omnibus his laudes Deo ageret, eccè apparuit ei spiritus malignus in specie angeli, mentiturque de supernis sedibus se destinatum, quatenùs illum ad communem gentis salutem de squalore carceris educat. Nec veretur ignaui militis vocabulo notari,cùm neque Petro humilior, neque Paulo esset robustior: quorum alterum sporta contexit,alterum verò carcerali stridore grauatum angelus absoluit. Christus quoquè,vt lapidantium manus effugeret,de templo exiuit, ac fugiendi licentiam euangelico præcepto suis mandauit. His ille sermonibus veluti vnguentis delibutus, carcerem egreditur, illum sequens. Pluribus autem aquarum alluuionibus per obscuras noctis vmbras transuadatis,repentè malignus disparuit.Tunc sanctus pestiferi ductoris machinas intelligens, ex imo pectoris dolorem attraxit, medijs se paludibus iniectans,cum maximo fletu Saluatorem implorat, dicens: O vitæ dator, ô stirpis Adæ vnice miserator,cur senem me tua gratia destituit,quem in florida ætate nunquàm destituere consueuit? Tandiù misericorditer seruatum, in extremo pateris perire abiectum? Quotiès te in huius vitæ naufragio saluatorem inueni? Experiar nunc,quæso, consolatorem in hac dæmonis illusione, adiutor in opportunitatibus,in tribulatione.Carcerà tergo,à fronte flumen, in gyrum tenebræ, author earum iuxtà,Elphegus omnibus ærumnis inclusus. Tibi soli derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.

[Margin: Reddunt mala pro bonis. — Nota fallaciam diaboli. — Actor.9. — Actor.12. — Iohan.8. — Matth.10. — Psal.9. — Ibid.]

His & huiusmodi diuinas aures appellare non cessat, & eccè apparuit ei iuuenis aureo splendore amictus, diuini signaculi vexilla præferens, & dixit: Quò te tui distrahunt pedes? quò impetus fugæ? quò ductoris inuidia? Siccine itur ad coronam, fugiendo certaminis luctam? Aut quomodò potest brauio palmæ fulgere, qui currendi

metas in stadio noluit appræhendere? Cui cùm retulisset sacerdos, non se fugere, sed diuini nuncij imperio paruisse: Non hoc, ait ille, diuinitatis imperium fuit, sed diabolicæ malignitatis commentum: nec tam te ille de carcere educere, quàm extra carcerem voluit seducere. Vrget nanque illum præteritæ vitæ tuæ pia operatio, & in tantis tribulationibus præsens tibi semper sancti spiritûs consolatio: cuius præsentia omnibus constantiam donat, constantia victoriam, victoria gloriam. Redi ergò ad locum amissæ coronæ, cælitùs tibi deputatum, sciturus, quòd te die crastino pater honorificabit in cælo, honore illo maximo, vt inæternùm sis cum eius filio.

Rursùs dirè affligitur. Elphegus igitur ad locum certaminis ab angelo reuocatus, lætus expectabat horā, qua à Deo coronā perciperet. Sed cùm propè fuisset, vt carcerem iam intraret, compræhensus à carnificū turba, plagis afficitur maximis: insupèr cerebro capitis violato, semiuiuus in ergastulo recluditur: vbi accenso foco, & quicquid fœtidissimū fumum vel generaret, vel generatum foueret, per singulas diei horas iniecto, carceris ianuas claudunt. Transacta igitur magna noctis parte, cœpit domus cælestis gratię participiū suscipere, æternæ vitæ odoramenta spirare, hymnos mellifluis sanctorum vocibus sonare. Quos beatus Elphegus intuitus, cum magna cordis lætitia Dunstanum quondàm archiepiscopum, vultu & veste gloriosum, conspicit assistentem, protensisque ad illum manibus ità dicentem: Ad te æterni regis inuictissime miles, ad te nostro honorandum obsequio venimus, missi ab illo, qui tibi & victoriam præstitit de inimico, & sempiternam coronam præparauit in cælo. En, quorum collegio post mortem carnis in perpetuum frueris, ciues Ierusalem cælestis ac domestici Dei: si ea, quæ desunt, passionum Christi amore in carne tua patienter suppleueris. Vidimus nanque multiplices vrbis labores, ecclesiarum incendia, filiorum neces, tua cum vinculis opprobria, & post impensa beneficia, duplicata tormenta. Quod ergò reliquum est, deitatis potentia vallatus, libens excipe, sciens non esse condignas passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in te. Vnus nanque dies ad supplicium, sed iugis ac sempiternus erit ad præmium.

Sancti eum inuisunt.

Rom. 8.

Sanantur omnes plagæ eius. Inter hæc laxantur vincula, & integrè omnes corporis sanantur plagæ: Elphegus psallens cum psallentibus, exultans cum exultantibus incedit. Manè autem facto, cum armatorum manu non parua de carcere educitur, & super iumentum positus, ad iudicium pertrahitur. Dixerunt autem ei: Solue aurum, aut mundo hodiè eris spectaculum. Et ille: Aurum vobis diuinæ sapientiæ propono, vt relicta vanitate, quam diligitis, ad vnum viuum & verum Deum studium conuertatis. Quòd si consilium Dei, per me vobis annunciatum, obstinata mente spreueritis, peiori profectò, quàm Sodoma, morte peribitis, nec in hac terra in perpetuum radices agetis. Tunc diaboli satellites in illum prosiliunt, auersis securibus deijciunt, lapidibus eum obruentes. Qui genua flectens, hanc orationem fudit Deo, dicens: Altissime Dei patris vnigenite Iesu Christe, qui per vterum intactæ virginis venisti in hunc mundum peccatores saluos facere, & me in pace suscipe, & istis miserere. Et prolapsus in terram, iterumque resurgens, denuò sic ait: Pastor bone, pastor singularis, filios Ecclesiæ, quos tibi moriens commendo, tuere. Accurrens autem quidam, quem & ipse de sacro fonte susceperat, securim capiti eius infixit. Qui statim in æterna pace requiescens, victorem spiritum cum triumpho tertiodecimo Calendas Maij dirigit ad cælum. Principes autem Danorum, cupientes & suum facinus & Elphegi gloriam obscurare, corpus illius flumini immergi statuunt, rati sceleris enormitatem eo faciliùs contegi posse, quo magis ab hominibus eius memoria tolleretur. Sed quod Dani ad contumeliam, Christus Elphego parauit ad gloriam. Protinùs nanque omnis populi multitudo, quæ, illo docente, errorem abiecerat, armata procedit, mâlens cum defuncto pariter occumbere, quàm illud corpus, cuius ministerio sanctificationis susceperat mysterium, aquarum voragini tradere absorbendum. Itaque corpus à diuerso populo seruatum, nec mergebatur, nec sepeliebatur. Vesperè autem vtriusque partis senatores conueniunt, vt tantæ contentionis litem suis rationibus determinent. Factum est autem omnium assensu, vt in commune omnes sanctum deposcant, quatenùs si quid valeat apud Deum suum, in hoc ambiguo potentiæ suæ virtutem ostendat. Eccè, inquiunt Dani, ramus de fraxino præcisus, succo & cortice omninò nudatus: si hunc huius sanguine intinctum matutina lux virentem inuenerit, iustum nos & sanctum occidisse constabit: & quo illum honore sepeliatis, penès vos erit. Sin autem in pristina lignum ariditate permanserit, errâsse vos in eius amore dicemus, nostrique erit arbitrij, quid de cadauere facere velimus.

Precatio sancti viri.

Migrat martyr ad Dominum.

Cumque omnibus conditio grata & accepta fuisset, vt omnibus liquidò constare posset,

possset, quòd post mortem Elphegus viueret, aridum lignum sub vnius noctis tempore cœpit frondere, & quod serò Dani telluri fixerunt, manè surgentes florere viderunt. Nihil ergò contradictionis vlteriùs habentes Dani, certatim in amplexus defuncti ruere, crebra oscula figere, ceruices supponere, lachrymas & eiulatus emittere cœperunt. Sublatum ergò corpus humeris inimicorum, ad arborem, eius triumpho insignem, defertur, comitantibus innumeris signorum prodigijs, potenti virtute Dei cælitùs ostensis. Mox enim salus languidis innouatur, cæci illuminantur, surdi audiunt, muti loquuntur, claudis gressus restituitur. Ibì etiam orationis domo super illum fabricata, plerique Danorum magnates, in eadem regenerati, ad fidem Christi conuertuntur. Cùm autem hæc omnia Londonienses per ordinem audiuissent, multa mediante pecunia, corpus vsque Londonias transferentes, honorificè sepeliêrunt. Anno autẽ Domini 1012. aduesperascente sabbato paschalis hebdomadæ, sanctus Elphegus cum martyrij corona 13. Calendas Maij, anno episcopatûs sui septimo & ætatis suæ 59, migrauit ad Dominum. In eius autem mortis authores intantùm ira Dei desæuit, vt quidam dux propria se manu interimeret, alius gutturi suo stylum infigeret, presbyter, pertinaciter crucem abscondens martyris, gladio occideretur: alius eiusdem ordinis, sandalia episcopi temerè portans, à dæmone coram omni populo vexaretur. Et factũ est, vt tam vehemens cunctos Danorũ principes formido inuaserit, vt vix eos terra teneret: sed maritimis se tempestatibus dantes, existimarent in pelago martyris iram effugere posse, quos ab eius ira tellus tueri non posset. Sed mox vt in altum perducti fuêre, centum sexaginta naues, aduersis ventorum flatibus actæ, in profundum maris demersæ sunt: porrò sexagintaquinque ad ignotas appulsæ regiones, quasi qui insidiarũ gratia venissent, ab incolis miserabiliter interfecti sunt. Remansit tamen in Anglia pessimus Turkillus, malorum princeps, pauco tempore prædo futurus, sed in æternum damnati spiritûs præda mansurus.

Nota insigne miraculum.

Multa fiunt miracu'a.

Vltio diuina in eius interfectores.

Non paruo tempore euoluto, venit princeps Danorum Canutus cum multo nauigio in Angliam, dissidensque ab illo propter quasdam res, malè ac perfidiosè actas, quicquid residuum nefandi populi fuit, deleuit, ipsum ducem cum sex tantùm nauibus in Daniam fugauit. Qui cùm ad terram euasisset, suspectus Danorum principibus, nè intestina bella moliretur, statim per cuncta regionis loca agitatus, ad extremum ab ignobili vulgo occisus, feris & auibus proiectus est. Post hæc verò princeps Danorum Canutus, cùm videret populum suum ab exercitu Anglorum sine intermissione cædi, & propter rerum difficultatem ad deditionem ferè compelli, accersitis omnibus, qui ad se confugerant, sapientioribus Anglis, consuluit eos, quid causæ esset, quòd tot sibi aduersa accidissent. Qui omnes vno ore respondentes, dixerunt: Prophetia est sancti martyris Elphegi: qui cùm à patribus tuis fuisset circumuentus, prædixit eis, quòd in regno Anglorum non perpetuò essent radices acturi, sed peiori, quàm Sodoma, morte perituri. Nunc ergò si vis illum tuis temporibus reddere placatum, promitte illi, si felix fuerit rerum successus, te reliquias illius ad sedem eius honorificè reportandas curaturum. Quod cùm firmiter promisisset, post modicum pacem obtinuit, post pacem, regni dimidium: post dimidium, totum. Cumque ab omni bellorum tumultu requies vndiquè data fuisset, recordatus est rex, quid B. Elphego quondàm promisisset, & directa legatione, vocauit Egelnothum archiepiscopum: qui corpus martyris, decem annis sepultum, incorruptum & inuiolatum reperientes, Cantuariam cum maximo honore deducunt, in sarcophago veneranter collocantes.

Canutus Danorum rex.

Turkilli cædes.

Nota miraculum.

HISTORIA VVERNHERI PVERI, AB IMPIIS IVDAEIS CRVDELISSIME NECATI, ET MVLTIS MIRACVLIS CLARI, *nec dùm tamen in Sanctos relati, ex MS. codice per F. Laur. Surium mutata dictione descripta.*



Vernherus puer pago Vuammenrato, qui à Baccaraco abest itinere diei vnius, ortus est stirpe rustica, sed cultu Christi sanè nobili. Fuit autem religione Christianus, animo simplex, humilis, pius, religiosus, puritate virginea ornatus, rustico opere victum sibi parans, quantùm quidem tenera sinebat ætas pueritiæ, & ex ijs, quæ potuit acquirere labore suo, piè aliquid impertiens egenis.

Aprilis 19.

Patria Vuernheri.

nis. Habuit matrem deditam pietati, & in bonis studijs sibi fauentem, sed vitricum tum matrem, tum ipsum persequentem. Cuius ille infestum sibi animum deuitans, fugam inijt: cumque errabundus incederet, fame & siti valdè afflictus, incidit in pastores, qui humanitate ducti panem ei dederunt: quibus ille rursùs siti non mediocriter laborantibus, defixo in humum baculo, precibus suis fertur largissimum in Christi nomine fontem elicuisse. Veniens inde Treuericam Vesaliam, à perfidiosis Iudæis illic commorantibus, callidè sæpè ad laborem euocatus est. Ille verò promptum se exhibens puerili simplicitate, iussus est ab illis humum deportare in profundum quendam terræ locum. Aduentante interim Paschali solennitate, dixit ei hospita sua: En propè est sancta parasceue: caue tibi, Vuernhere, ab impijs Iudæis. alioqui sine dubio illi te comedent. Respondit puer, spem suam in Deum præclarè significans: Id verò ego committo Deo.

Vitricū habet infestū sibi.

Miraculū.

Vbi autem Dominicæ cœnæ dies adfuit, puer verè catholicus & Christo deuotus, priùs confessus peccata sua, corporis Christi communionem cum multa animi deuotione percepit, eodemque die à fallacibus Iudæis ad opus insidiosè inuitatus est & pellectus: ac deindè sacro parasceues die, quandò Christiani omnes Christi amarissimam passionem commemorant, eique condolendo sese humiliant, in innocentem puerum animi sui furorem odio Christi Iudæi sæuissimi summa crudelitate effuderunt. Primò enim apprehensum puerum omni clamandi facultate priuârunt, impresso in os eius globo plumbeo. Indè suspenderunt ad columnam ligneam, depresso in imum capite, sursùm erectis pedibus: idque eo consilio, vt corpus Christi, eo die sumptum à puero, ex eius corpore possent reuocare & educere. Sed cùm id frustrà conati essent, totos se contulerunt ad membrum mystici corporis Christi atrocissimè excarnificandum. Itaque multa eaque profunda eius corpori cum flagellis impresſêre vulnera: atque etiam cultro quodam, qui hodieque apud eius reliquias asseruatur, totius corporis venas barbara immanitate inciderunt, cum forficibus quoquè summo cruciatu ex venis eius in pedibus, manibus, collo & capite sanguinem expresserunt, ità vt totus vulneribus confectus videretur. Mansit autem sanctus puer sic triduo suspensus ad columnam illam, donèc sanguis fluere desineret. Interim multis modis impij Iudæi versabant corpus illius.

Iudæi eum immanissimus afficiút cruciamentis.

Habebant autem Iudæi illi famulam Christianam, quæ clàm vidit quæ ab illis gererentur. Igitur animi magno dolore impulsa, acciuit iudicem Vesaliensem, cumque introduxit in locum illum, vbi pius puer tam immaniter tractabatur, ad eius inopinatum aduentum valdè obstupescentibus Iudæis: qui tamen muneribus benè magnis euerterunt iudicem, vt auerteret sensum suum, & declinaret oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordaretur iudiciorum iustorum. Cernens autem pius puer iudicem, exultabundus vt potuit suî liberationem postulauit: sed ille iudex iniustus, victus amore pecuniæ, pueri preces neglexit. Dixit autem ad eum puer: Si tu mihi opitulari non vis, opem mihi ferat benignus Deus, & sanctissima mater eius. Postquàm ergò iudex abijt, & puer à Iudæis est interfectus, nocte tulerunt corpus eius, & per muros clàm asscendentes, vt res nemini innotesceret, ad naues properârunt, Moguntiam ituras. Sed omnipotens Deus eorum callidos elusit conatus, ità vt tota nocte non nisi vnum milliare possent nauigando conficere. Orto indè sole, magno timore & tremore corripiuntur, cogitanque anxij, quomodò possint martyris corpusculum abscondere. Neque enim ratio eis occurrit in aquas illud demergendi. Tandèm conspiciunt propè Baccaracum cryptulam, spinis & vepribus obsitam, vbi nunc conditum cernitur Vuilhelmitarum cœnobium Vuindosdesbachium: atque in eam proiecerunt martyris corpus, & ocyùs abierunt: sed Christus id diù latere nolens, mox sua illic miracula declarauit. Vigiles enim castrorum noctibus viderunt lucem illo loco: quod cùm illi admirarentur, indicârunt alijs, statimque repertum est corpus, etiamnùm suo tinctum sanguine: adductumque est, vt solent cæsorum corpora, Baccaracum ad locum iudicij. Comperta autem rei gestæ veritate, cùm omnibus admirationi esset odor suauissimus, à martyris corpore manans, tum etiam claritas nocturno visa tempore, summa deuotione illatum est corpusculum in sancti Cuniberti sacellum, quod est in colle prope parochiam situm: atque

Iudex pecunia corruptus, negat opem pio puero.

Diuinitùs retardantur conatus Iudæorum.

Miraculis corpus pueri ostenditur.

atque ibi humatum est, vitta aurea capiti imposita in virginitatis testimonium: porrò capiti supposito puluinari serico, violis impleto. Additum est ad caput linteum serico ornatum, in signum innocentiæ & sanctitatis eius: atque etiam instrumentum laboris sui. Denique monumentum eius, vt solet sanctorum, aliquantispèr eminebat supra terram, & corpusculum eius reuerenter inclusum est in sarcophago cedrino, quod positum est in querno sarcophago solidissimo, fortissimis seris munito.

Mox autem vtriusque sexûs hominum magna accurrit multitudo, visura tam stupendum nouæ rei miraculum: Iis verò fœmina Christiana, Iudæorum ancilla, quæ ea, quæ de sancto puero commemorauimus, & vidit & audiuit, ordine exposuit gestæ rei modum & seriem, dixitque puerum triduò suspensum, & globo in os impresso clamandi facultate priuatum, flagellatum, incisum, sanguine eius in quandam vrnam excepto, cum summa patientia & laudibus Dei spiritum reddidisse: se quoquè in ipso pœnarum ei illatarum initio iudicem aduocâsse. Cùm hæc ità peracta essent, omnipotens Deus ilicò sanctum puerum magnis & stupendis illustrauit miraculis: cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis loquela, aridis, paralyticis, lusis & quibuslibet malè affectis sanitas, & mortuis vita restituta est. Immò verò vsque in præsens multiuaria per martyrem suum Christus miracula operatur. Passus est sanctus puer anno Christi millesimo ducentesimo octogesimoseptimo, tertiodecimo Calendas Maij. *Præclara ad eius monumentũ edũtur miracula.*

ILLVSTRE MARTYRIVM S. SIMEONIS EPISCOPI, VSTHAZANIS EVNVCHI, ET MVLtorum aliorum, ex *Historiæ Ecclesiasticæ Sozomeni lib. 2. cap. 8. &c. interprete Iohanne Christophorsono Anglo.*



CVM tempore progrediente numerus Christianorum apud Persas vehementer cresceret, adeò vt conuentus agere, & sacerdotes ac diaconos habere cœperint, hæc res non mediocriter offendebat animos Magorum, qui velut tribus aliqua aut sacerdotalis stirps successione quadam religionem Persarum indè ferè ab initio administrauerant: Iudæos quoquè permagna affecit molestia, qui præ inuidia, naturaliter quodammodò ipsis insita, religioni Christianæ semper infensi esse solent. Et ob eam causam Simeonem, id temporis Seleuciæ & Ctesiphontis, vrbis in Perside primariæ, archiepiscopum cœperunt apud Saporem, eum regem Persarum, accusare, quòd Imperatori amicus esset, quodque ei res Persarum proderet. Quorum calumnijs persuasus Sapores, primò omnium tributis immoderatis eò affligit Christianos, quòd ipsorum quamplurimos voluntariam egestatem excolere nôrat. Deindè viris difficilibus & inhumanis illorum tributorum exigendorum potestatem dat: quô & inopia pecuniæ, & exactorum feritate coacti, suam religionem aspernari inciperent. de qua vna re summoperè ab eo laboratum est. Post hæc sacerdotes & ministros Dei gladio trucidari, ecclesias dirui, earum thesauros ac monimenta in publicum proferri, & Simeonem, vt regni Persarum & religionis proditorem, adduci iubet. *21. Aprilis.* *Magi apud Persas.* *Voluntaria paupertas Christianorum.*

Itaque Magi ope Iudæorum, qui in ea re eos alacri animo iuuabant, ecclesias demoliuntur, Simeonem compræhensum & catenis ferreis vinctum, ad regem deducunt: qui se ibi & spectatum & strenuum virum præstitit. Nam cùm Sapores eum, vt daretur in quæstionem, introduci iussisset, neque veritus est quicquam, neque regem adorauit. Quarè grauiter commotus rex, sciscitatur quid sit causæ, cur iam neutiquàm ipsum adoret, cùm antè id fecisset. Cui Simeones: Non antè, inquit, deductus eram ad verum Deum prodendum: & propterea non recusabam debitos honores regi præstare: at iam idem ipsum facere fas non est. Nam iam pro pietate & nostra religione decertaturus venio. Quæ cùm dixisset, iubet rex vt solem adoret. Quod quidem si facere velit, *Simeonis constantia.*

lit, pollicetur se ei multa daturum munera, & in magno honore habiturum. Sin autem detrectet, & illum, & vniuersum Christianorum genus è medio sublaturum minatur. Vbi verò Simeonem neque minis terrere, neque promissis flectere posset, sed virili & constanti animo affirmantem, se nunquàm vel solem adoraturum, vel suam ipsius religionem proditurum audiret, iubet in vinculis aliquandiù teneri, ratus, vt videtur, eum velle resipiscere. Quem in carcerem deductum conspicatus Vsthazanes senex Eunuchus, educator Saporis, & in familia regis principem locum obtinens, consurgens, (sedebat fortè pro foribus palatij) cum honorificè salutat. At Simeones verbis illum contumeliosis increpare, & bile incensus, vociferari cœpit: atque auerso vultu ideò præterijt, quòd cùm esset Christianus, paulò antè vi coactus, solem adorauerat. Quarè Vsthazanes Eunuchus fundere lachrymas, ingemiscere, vestem splendidã, qua erat indutus, exuere, & tanquàm homo in luctu constitutus, nigram circunijcere cœpit: pro portis regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, sicque ait: Heu me miserum, qualem erga me Deum fore debeo expectare, quem iamdudùm denegauerim? Nam ob hanc causam Simeones, ne verbum mihi loqui dignatus, sic ore auerso properè prætergressus est.

Ducitur in carcerem.

Bilẽ hic intellige eximium quẽdam iustitiæ zelum.

Vsthazanis pœnitentia.

Vbi ista resciuit Sapores, illum accersit, rogat causam luctûs, & ecqua illi in ædibus obtigisset calamitas. Cui Vsthazanes: In hisce, inquit, ædibus, ô rex, nihil mihi accidit infortunij. Vtinàm enim pro eo, quod mihi contigerit, in omnia alia calamitatum genera incidissem: quippe id quidem certè fuisset toleratu multò facilius. Iam verò lugeo, quòd maneam in vita, quodque cùm dudùm mori debuissem, adhuc tamen solem videam, quem, quô tibi gratificarer, non reuerà ex animo, sed specie solùm simulata adorauerim: adeò vt vtraque de causa mortem meritus sim: tum quòd Christi proditorem, tum quòd veteratorem erga te meipsum ostenderim. Quæ cùm dixisset, cæli & terræ opificem Deum cum iureiurando testatur, se in posterum de ea sententia nunquàm destiturum. Sapores autem incredibilem Eunuchi mutationem vehementer admiratus, grauiore quidem iracundia in Christianos exarsit, perindè quasi illi præstigijs hanc rem confecissent: sed tamen misericordia erga senem commotus, modò mansuetum, modò ferum se in illum ostendit, atque omnibus viribus laborauit, vt de sententia deduceret. Vbi nihil profecit, constanter asseuerante Vsthazane, se nunquàm tam stultum fore, vt pro omnium conditore Deo res ab eo conditas colat, tum ira inflammatus, mandat caput ense ceruicibus abscindi. Ad quod supplicium à lictoribus deductus Vsthazanes, orat eos, vt paulispèr expectent: rem enim se animo tenere, quam regi significare velit. Vocato igitur ad se eunucho sibi fidelissimo, iubet ista Sapori nunciare: Quam tandèm beneuolentiam ab ineunte adolescentia ad hoc vsque tempus, ô rex, erga tuam familiam præstiterim, & quanto studio tum patri tuo, tum tibi inseruierim, nullis videor egere testibus, apud te præsertim, qui hæc satis exploratè cognita habeas. Quarè pro omnibus officijs, quæ in vos aliquandò tam beneuolè contulerim, hoc mihi vnum velut remunerationis loco concede, vt his, qui me ignorant, non videar tanquàm infidus erga regnum tuum, aut in aliquo maleficij genere depræhensus, istud supplicium subire. Et quô hoc pateat omnibus, fac præco palàm prædicet, caput Vsthazani amputatum esse, non quòd improbitatis cuiusquam in palatio ab ipso admissæ conuictus sit, sed quòd sit Christianus, & Deum suum, quô regis voluntati morem gereret, negare noluerit. Atque ista quidem regi nunciauit eunuchus: Sapores autem eadem, sicut Vsthazanes postulauerat, præconem prædicare iubet. Nam ratus est alios prompto ac parato animo de religione Christiana descituros, si certiores fierent, nemini Christiano misericordiam tributam fore, quippe cùm Vsthazanes senex, educator regis, ei familiaris & beneuolus, etiam esset interfectus. At Vsthazanes ad alium finem supplicij sui causam prædicari tam impensè desiderauit: siquidem cogitauit, quòd sicut, quandò timore perterritus solem adorauit, multis Christianis metum iniecerat: sic iam non pauciores ad suam animi magnitudinem & constantiam imitandam incitaret, si modò intelligerent, eum pro religione Christiana trucidatum esse.

Vsthazanes petit à rege causam necis suæ palàm edici.

Cap. 9. Hoc modo Vsthazanes vitam, quam hîc in maxima gloria traduxerat, deseruit: Simeones autẽ de eius morte in carcere certior factus, Deo gratias pro illo egit. Postridiè eius diei, qui erat sextus dies hebdomadæ, in quo ante celebrẽ diem festum resurrectionis, memoria salutaris Christi passionis quotãnis recoli solet, decernit rex, vt Simeones gladio feriatur. Nã antè denuò è carcere deductus ad regẽ, forti & magno animo cum

Vsthazanes capite plectitur.

cum Sapore de fide Christiana disseruit, & neque illum, neque solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoquè, qui erant in carcere, rex itidem obtruncari iubet: Ad extremum Simeonem, cùm cæterorum omnium mortem oculis adspexisset, trucidari. Horum pars episcopi, pars presbyteri, pars ex aliorum clericorũ ordine fuerunt. Cùm omnes ad locũ, in quo erant necis suppliciũ subituri, deducerentur, princeps Magorũ percunctatur ab illis, vtrùm velint viuere, & eandẽ cum rege religionem colere, solemque venerari. At vbi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere, rectà ad locum, in quo erant securi feriendi, deducuntur. Ac dum lictores in opus incumbunt, & in cæde martyrum occupantur, Simeones adstans illis, dum interficiuntur, iubet bono animo esse, verbaque apud eos facit de morte, de resurrectione, de pietate: & testimonijs ex sacris literis depromptis confirmat, ità mori, esse verè viuere: atque præ ignauia Deum prodere, esse verè mori. Eos enim, etiamsi nemo ipsis necem afferret, breuì morituros, quandoquidem à nemine in hanc lucem edito hic finis vitari potest. Post mortem verò ea, quæ sunt æterna, non eodẽ modo omnibus euentura: sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratã vitæ anteactæ rationem reddituros: & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros. Deniquè pro Deo velle mori, esse in bonis summum & rem multò beatissimam. Dum ista Simeones dicendo percurreret, & tanquàm magister gymnasij præciperet, quo modo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes, ad necem cupidè gradiebantur. Lictor autem, postquàm centum illos interemit, postremo in loco Simeonẽ obtruncauit: atque Abdechalaam & Ananiam vnà, ambos senes, presbyteros ecclesiæ, cuius Simeones erat episcopus, pariter cum illo & compræhensos, & in vincula coniectos.

100. martyres cũ Simeone cæduntur.

Simeones eos confirmat.

Eodem temporis momento Pusices, præfectus omniũ regis artificum, ibì fortè stans, cùm videret Ananiam, cui iam cædes parabatur, contremiscentem: Paulispèr, inquit, ó senex, oculos occludito, & bono animo esto. nam statim lumen Dei videbis. Vix est hæc locutus, cùm compræhensus est, & ad regem deductus. Atque cùm esset se Christianum confessus, quoniam libero ore apud regem pro religione Christiana & pro martyribus verba fecerat: idcircò quasi aliquid nefas dixisset, dabatur lictoribus mandatũ, vt admodùm peregrino & crudeli inprimìs mortis genere afficeretur. Lictores igitur collo eius circa ceruicem perforato, illàc linguã extrahunt. Porrò autẽ eius filia virgo, falsò à quibusdam in crimen vocata, cõpræhenditur, eodemq; temporis articulo occiditur. Sequẽti anno, eo ipso die, quo memoria passionis Christi recoli solet, cùm iam celebres dies festus Resurrectionis expectaretur, exijt edictum Saporis crudelissimũ in vniuersam Persidem, quod iubebat, vt omnes, qui se confiterentur Christianos, morti addicerentur. Quo quidem tempore multitudo Christianorũ, quæ ne numerari quidem potest, securi percussa est. Siquidem Magi eos ex vrbibus & vicis, in quibus latitabant, summa cũ diligentia eruerunt. Nonnulli autẽ sua inducti voluntate, nemine eos ducente, se ipsi ideò indicàrunt, nè silentio Christum denegare viderentur. Ac dum omnes, qui erant Christiani, morte mulctarentur, plurimi etiã, qui in ipso palatio ætatem egissent, mactati sunt: in quorum numero erat Azades eunuchus, regi lòngè charissimus. Quem cùm Sapores interfectum accepisset, incredibilem animo dolorem hausit: hancque communem cædem sedauit, atque solos religionis nostræ doctores trucidari iussit.

Cap. 10. Pusicis præclara virtus.

Eius filiæ supplicium.

Innumeri Christiani perimuntur.

Azades martyr.

Per idem tempus regina in morbum delapsa, Tarbula soror Simeonis episcopi, sancta virgo, simul cum ancilla, idem vitæ genus colente, & sorore eius, quæ post viri mortem abstinuit à nuptijs, & eandem viuendi rationem tenuit, compræhenditur. Causa autem, cur hæ mulieres fuerint compræhensæ, fuit falsa criminatio, à Iudæis in eas conficta, quòd videlicet ob mortem Simeonis iratæ, venena reginæ insidiosè paràssent. Regina verò (solent enim ægrotantes malis omnibus facilè aures accommodare) calumniam veram esse, & maximè quidem, quòd erat à Iudæis obiecta, existimauit. Nam eiusdem erat cum Iudæis opinionis, ad eorum morem vitam instituebat, & veraces illos, sibique maximè beneuolos putabat. Magi igitur Tarbulam & reliquas duas arreptas, morte condemnant: ac cùm serra dissectas patibulis suffixissent, effecerunt, vtì regina spatium inter patibula intermissum transiret, perindè quasi morbus eo pacto depelleretur. Fertur, hanc Tarbulam forma valdè liberali & honesta fuisse, Magum quendam eam deperisse, mercedemque, vtì cum illa rem haberet, clàm misisse: promisisse deniquè, si vellet ipsius parére libidini, tum eam, tum socias saluas fore.

Cap. 11. Vsuardus has habet 22. Aprilis.

Tarbulæ & duarũ sororũ crudele suppliciũ.

At

At illam hanc turpitudinem ne audire quidem voluisse, sed nuncios verbis contumeliosis excepisse, intemperantiæ crimen cum probro illis obiectâsse, se multo libentiùs velle mori, quàm virginitatem prodere, respondisse. Porrò cùm edicto Saporis ratum esset, vti suprà demonstratum est, vt soli sacerdotes & doctores fidei Christianæ compræhenderentur, Magi & eorum principes, totam Persidem obeuntes, episcopos & sacerdotes grauibus afficiunt incommodis, cùm in alijs locis, tum maximè omnium in Adiabenorum regione, quæ est pars Persidis, tota fidei Christianæ dicata. Hactenùs omnia ex Sozomeno, qui eiusdem libri capite 12. etiam hæc addit: Isto Sapore regnante, infinita multitudo presbyterorum, diaconorum, monachorum, sanctarum virginū, & aliorum, qui in ecclesiarum ministerio versabantur, & erga religionē præclarè animo affecti erant, egregia piæ vitæ testimonia dedit.

Tarbulæ pudicitia.

Clero vel maximè infestus Sapores.

VITA S. ANSELMI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AB EDINERO ANGLO EIVS *conuictore, duobus libris conscripta.*

PROLOGVS F. EDINERI.

QVoniam multas & antecessorum nostrorum temporibus insolitas rerum mutationes, & nostris diebus in Anglia accidisse & coaluisse conspeximus, nè mutationes ipsæ posterorū scientiam penitùs laterent, quædam ex illis succinctè excepta, literarum memoriæ tradidimus. Sed quoniam opus ipsum in hoc maximè versatur, vt ea, quæ inter reges Anglorum & Anselmum archiepiscopum Cantuariorum facta sunt, inconcussa veritate designet, quæque omnibus puram illorum historiam scire volentibus, tunc temporis innotescere potuerunt, licèt inculto, plano tamen sermone describat: nec adeò quicquam in se contineat, quod ad priuatam conuersationem, vel ad morum ipsius Anselmi qualitatem, aut ad miraculorum exhibitionem pertinere videatur: placuit quibusdam familiaribus meis, me ad hoc sua prece perducere, vt sicut descriptione notarum rerum posteris, ità designatione ignotarū satageremus tam futuris quàm & præsentibus aliquod officij mei munus impendere. Quos eò quòd offendere summoperè cauebam, dedi operam voluntati eorum pro posse morem gerere. Opus igitur ipsum de vita & conuersatione Anselmi archiepiscopi Cantuariensis titulatum, taliter Deo adiuuante curaui disponere, vt quanuis aliud opus, quod præsignauimus, ex maiori parte de eiusdem viri conuersatione subsistat, ità tamen in sua materia integræ narrationis formam prætendat, vt nec illud istius, nec istud illius, pro mutua suî cognitione, multùm videatur indigere. Plenè tamen actus eius scire volentibus, nec illud sine isto, nec istud sine illo sufficere posse pronuncio.

VITÆ S. ANSELMI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI, LIBER I.

21. Aprilis.

INstituta vitæ & conuersationis Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi literarum memoriæ traditurus, primò omnium vocata in auxilium meum summa Dei clementia & maiestate, quædam breuiter dicam de ortu & moribus parentum eius, vt hinc lector aduertat, de qua radice prodierit, quod in studijs nasciturae prolis postmodùm fulsit. Pater igitur eius Gundulfus, mater Ermerberga vocabatur. Vtrique iuxta seculi dignitatem nobiliter nati, nobiliter sunt in Augusta ciuitate conuersati. Quæ ciuitas confinis Burgundiæ & Longobardiæ, Ermerbergam in se edidit: Gundulfum, in Longobardia natum, ciuem suî ex aduena fecit. Coniuncti sunt lege coniugali, ambo diuitijs non ignobiles, sed moribus ex quadam parte dissimiles. Gundulfus enim seculari deditus vitæ, nō adeò curam suis rebus impendere, sed habita frequenter ab re distribuere, intantùm, vt non modò largus atque

Parentes S. Anselmi.

Patria.

Pater eius prodigus.

atque beneficus, verumetiam prodigus atq; vastator à nonnullis æstimaretur. Ermenberga verò bonis studijs seruiēs, domûs curam benè gerens, sua cum discretione dispēsans atque conseruans, bonæ matrisfamiliâs officio fungebatur. Mores erant probi & irrepræhensibiles, ac iuxta rectam considerationem ratione subnixi. Hæc fuit vita eius: in hac, dum vixit, permansit, in hac finem vitæ sortiri promeruit. Gundulfus verò circa diem obitûs sui, spreto seculo monachus factus, monachus defunctus est. Mater frugalis.

At Anselmus filius horum, cùm puer paruulus esset, maternis, prout ætas sua patiebatur, colloquijs libenter animum intendebat: & audito vnum Deum sursùm in cælo esse, omnia regentem, omnia continentem, suspicatus est, vtporè puer inter montes nutritus, cælum montibus incumbere, in quo & aulam Dei esse: eamq; per montes adiri posse. Cumq; hoc sæpiùs animo volueret, contigit vt quadam nocte per visum videret, se debere montis cacumen ascendere, & ad aulam magni regis Dei properare. Verùm priusquàm montem cœpisset ascendere, vidit in planitie, qua pergebat, ad pedem mōtis mulieres, quæ regis erant ancillę, segetes metere: sed hoc nimis negligenter faciebāt & desidiosè. Quarum puer desidiam dolens ac redarguens, proposuit animo, se apud Dominum regem ipsas accusaturum: Dehinc monte transcenso, regiam aulam subit, Dominum cum solo suo dapifero inuenit. Nam familiam suam, vt sibi videbatur, quoniam autumnus erat, ad colligendas messes miserat. Ingrediens itaq; puer, à Domino vocatur. Accedit, atque ad pedes eius sedet. Interrogatur iucunda affabilitate, quis sit, vel vndè, quidúe velit. Respondit ille ad interrogata, iuxta quod rem esse sciebat. Tunc ad imperium Domini panis ei nitidissimus per dapiferum affertur, eoq; coram ipso reficitur. Manè igitur cùm quid viderit, ante oculos mentis reduceret, sicut puer simplex & innocens, se veraciter in cælo ex pane Domini refectum fuisse credebat, hocq; corā alijs ità publicè asserebat. Pater fit monachus. Mira pueri simplicitas. Visio. Vide pueri candorem.

Creuit ergo puer, & ab omnibus diligebatur. Mores etenim probi in eo erāt, qui magnoperè eum diligi faciebāt. Traditur literis, discit, & in breui plurimùm proficit. Necdùm attigerat ætatis annum quintumdecimum, & iam qualiter secūdùm Deum vitam meliùs instituere posset, mente tractabat, idq; concepit apud se, nihil in hominum conuersatione monachorum vita præstantiùs esse. Quam assequi cupiens, venit ad quendam sibi notum Abbatem, rogans illum, vt se monachum faceret. Sed Abbas voluntate illius agnita, quod petebat, inscio patre illius, nè offenderet animum eius, facere recusauit. At ille in suo proposito perstans, orauit Deum, quatenùs infirmari mereretur, vt vel sic ad monachicum, quem desiderabat, ordinem susciperetur. Mira res. Vt enim Deus declararet, quantùm etiam in alijs de suæ pietatis auditu confidere posset, preces illius exaudiuit, ac illi protinùs validam corporis debilitatem immisit. Acriter igitur infirmatus ad Abbatem mittit, mortem se timere pronunciat, orat vt monachus fiat. Præfato timore obstante, non fit quod postulabat, & hoc quidem ad humanū tantùm spectabat examen. Cæterùm Deus, quem futura non fallunt, seruum suum ipsius loci conuersatione noluit implicari, propterea quòd alios quosdam in sinu misericordiæ suæ reconditos habebat, quos, vt postmodùm claruit, magìs per illum ad suā voluntatem in posterum disponebat informari. Post hæc sanitas redit iuueni: quodque tunc nequibat, in futuro se per gratiam Dei facturum mente proponit. Magnum habet in literis profectum. Nota desiderium monachismi.

Exindè cùm corporis sanitas, iuuenilis ætas, seculi prosperitas ei arriderent, cœpit paulatim feruor animi eius à religioso proposito tepescere, intantùm, vt seculi vias magìs ingredi, quàm relictis eis monachus fieri cuperet. Studium quoquè literarum, in quo se magnoperè solebat exercere, sensìm postponere ac iuuenilibus ludis cœpit operam dare. Veruntamen pia dilectio & diligens pietas, quas in matrem suam habebat, nonnihil eum ab istis restringebant. Defuncta verò illa, ilicò nauis cordis eius, quasi ancora perdita, in fluctus seculi penè tota dilapsa est. Sed omnipotens Deus, præuidens quid de illo facturus erat, nè animam suam, pace transitoria potitus, perderet, infestum ei & intestinum bellum generauit. Hoc est, animum patris eius acerbo contra illum odio inflammauit intantùm, vt æquè, aut certè magìs ea, quæ benè, sicut quæ perperàm faciebat, insequeretur. Nec aliqua poterat patrem humilitate lenire: sed quanto illi se exhibebat humiliorem, tanto illum sibi sentiebat asperiorem. Quod nimis intolerabile cernens, & nè deteriùs quid indè contingeret timens, elegit potius paternis rebus & patriæ renunciare, quàm patri suo vel sibi quamlibet infamiam ex sua cohabitatione procreare. Paratis itaque his, quæ necessaria erant in viam ituris, patria egreditur, vno, qui sibi ministraret, clerico comitatus. Cumque dehinc in transcensu mon- Tepescit adolescentis feruor, dum arridet mundus. Pater eum mirè insectatur. Discedit à patria.

 tis

tis Senisii fatigaretur, & laboris impatiens corpore deficeret, vires suas niuem mandendo reparare tentabat. Nec enim aliud, quo vesceretur, præstò fuit. Quod minister illius aduertens, doluit, & nè fortè quid edendum haberetur in sacculo, qui asino illorum vehebatur, diligenter inuestigare cœpit, & mox contra spem panem in eo nitidissimum reperit. Quo ille refectus, recreatus est, & viæ incolumis restitutus.

Lantfranci pręclarum encomiũ. Exactis dehinc partim in Burgũdia, partim in Francia fermè tribus annis, Normanniam adit: ibi quendam nomine Lantfrancũ, virum videlicet valdè bonum, præstanti religione ac sapientia verè nobilem, videre alloqui & cohabitare volens. Excellens siquidem fama illius circunquaquè percrebuerat, & nobilissimos quosque clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat. Anselmus igitur viro adito, eumq; singulari quadam sapientia pollere agnito, eius se magisterio subdit, eique post modicum familiaris præ cæteris discipulis fit. Occupatur die noctuque in literarum studio, non solùm quæ volebat à Lantfranco legendo, sed & alios, quæ rogabatur, studiosè docendo. Propter quæ studia, cùm corpus vigilijs, frigore & inedia fatigaretur, venit ei in mentem, quia si aliquãdò monachus, vt olim proposuerat, esset, acriora, quàm patiebatur, eum pati non oportere: nec tunc sui laboris meritum perderet, quod nunc, vtrùm sibi maneret, non perspiciebat. Hoc ergò mente concepto, totam intentionem suam ad placendum Deo dirigere cœpit, & spernendo mundum cum oblectationibus suis, reuerà cupit fieri monachus. Quid plura? Cogitat vbi meliùs perficere queat, quod facere desiderat, & ità secũ tractat: Eccè, inquit, monachus fiam. Sed vbi? Si Cluniaci vel Becci, totum tempus, quod in discendis literis posui, perdidi. Nam & Cluniaci districtio ordinis, & Becci supereminens prudentia Lantfranci, qui illic monachus est, mihi aut nulli prodesse, aut nihil valere comprobabit. Itaque in tali loco perficiam, quod dispono, in quo & scire meum possum ostendere, & multis prodesse. Hæc, vt lubens ipsemet referre solebat, secum meditabatur. addebatq;: Necdùm eram edomitus, necdũ in me vigebat mundi contemptus. Vndè quod ego, vt putabã, fretus aliorum charitate dicebam, quàm damnosum esset, non aduertebam.

Anselmus in eius se disciplinã tradit.

Postmodũ autem in se reuersus: Quid, inquit, Esséne monachum, hoc est, velle scilicet alijs præponi, præ alijs honorari, ante alios magnificari? Non. Illic ergò, deposita contumacia, monachus deueni, vbi, sicut æquum est cunctis, propter Deum postponaris, cunctis abiectior habearis, præ cunctis paruipendaris. & vbi hoc esse poterit? Equidem Becci. Ibi siquidem nullius ponderis ero, quandoquidem ille ibi est, qui præeminentis scientiæ luce conspicuus, cunctis sufficiens, cunctis honorabilis & acceptus est. Illic ergò requies mea, illic solus Deus intentio mea, illic solus amor eius erit contemplatio mea, illic beata & assidua memoria eius, felix solamẽ & satietas mea. Hæc cogitabat, hæc desiderabat, hæc sibi prouenire sperabat. Raptabatur quoque mens eius per id temporis in alias sectandæ semitas viæ, sed vis desiderij eius in hanc, quàm maximè declinauerat. Sciens itaque scriptum esse, Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit: nolebat se alicui vni vitæ earum, quas mente voluebat, inconsultè credere, nè in aliquo videretur scripturæ præceptis non obedire. Amicos insupèr multos habens, sed cui se totum in istis committeret, consiliarium vnum de mille, videlicet præfatum Lantfrancum eligens, venit ad eum, indicans voluntatem suam ad tria pendere: sed per consilium eius ad vnum, quod potissimum iudicaret, duobus relictis, se velle tenere. Quæ tria sic ei exposuit. Aut enim, inquit, monachus fieri volo, aut eremi cultor esse desidero, aut ex proprio patrimonio viuens, quibuslibet indigentibus propter Deum pro meo posse exindè ministrare, si consulitis, cupio. (Iam enim pater eius obierat, & tota hæreditas ad illũ respiciebat.) In his, inquam, tribus voluntatem meam, domine Lantfrance, fluctuare sciatis, sed precor, vt me horum potissimo stabiliatis.

Eccl 32.

De vitæ genere suscipiendo cõsuluit Lãtfrancum.

Differt Lantfrancus sententiam ferre, suadetque negocium ad venerabilis Maurilij Rothomagensis episcopi audientiam magìs referre. acquiescit Anselmus consilio, & comitatus Lantfranco pontificem petit. Tanta autem vis deuotionis pectus Anselmi tunc possidebat, tantumque veri consilij Lantfranco inesse credebat, vt cùm Rothomagum petentes, per magnam, quæ super Beccum est, syluam pergerent, si Lantfrancus ei diceret, in hac sylua mane, & nè, dum vixeris, hinc exeas caue, proculdubiò, vt fatebatur, imperata seruaret. Peruenientes ergò ad episcopum, aduẽtùs sui causas ei exponunt, quid indè sentiat, quærunt. Nec mora, monachicus ordo præ cæteris laudatur, eiusq; propositum omnibus alijs antefertur. Anselmus hæc audiens & approbans, omissis alijs, seculo relicto, Becci monachus factus est, anno ætatis suæ vicesimoseptimo.

Eius erga Lanthancum obseruantia.

Fit monachus.

mo. Regebat eo tempore cœnobiũ ipsum dominus abbas Herluinus nominè, vir grandæuus, & magna probitate conspicuus, qui primus ipsius loci abbas, monasteriũ ipsum à fundamentis de suo patrimonio fecerat. Sæpedictus autẽ Lantfrancus gradum Prioris obtinebat. Anselmus verò nouus monachus factus, studiosè vitã aliorũ religiosiùs viuentium æmulabatur. Immò ipse sic religioni per omnia seruiebat, vt quisquis religiosè in tota ipsa congregatione viuere volebat, in eius vita satis inueniret quod imitaretur, & ità per triennium de die in diem semper in melius proficiens, magnus & honorandus habebatur. Herluinus primus abbas Beccēſ.

Venerabili autem Lantfranco in Cadomensis cœnobij regimen assumpto, Prioris officio functus est, sicque Deo seruiendi ampliorem libertatem potitus, totum se, totum tempus suum, in illius obsequio expendere, seculum & cuncta negocia eius ab intentione sua funditùs cœpit amouere. Factumque est, vt soli Deo, cælestibusque disciplinis iugiter occupatus, in tantum speculationis diuinæ culmen ascenderit, vt obscurissimas, & ante tempus suum insolitas de diuinitate Dei & nostra fide quæstiones, Deo reserante perspiceret, ac perspectás enodaret, apertisque rationibus, quæ dicebat, rata & catholica esse probaret. Diuinis nanque scripturis tantam fidem adhibebat, vt indissolubili firmitate cordis crederet, nihil in eis esse, quod solidæ veritatis tramitem vllo modo exiret. Quapropter summo studio animum ad hoc intenderat, quatenùs iuxta fidem suam mentis ratione mereretur percipere, quæ in ipsis sensit multa caligine tecta latere. Contigit ergò quadam nocte, vt ipse in huiusmodi mente detentus, ante nocturnas vigiljas vigilans in lecto iaceret, & meditando secum rimari conaretur, quonam modo Prophetæ præterita simul & futura, quasi præsentia, olim agnouerint, & indubitanter ea dicto vel scripto protulerint. Et ecce cũ in his totus esset, & ea intelligere magnoperè desideraret, defixis oculorum suorum radijs, vidit per medias maceries oratorij ac dormitorij monachos, quorum hoc officium erat, pro apparatu matutinarum altare & alia loca ecclesiæ circumeuntes, luminaria accendentes, & ad vltimum vnum eorum, sumpta in manibus chorda, pro excitandis fratribus scillam pulsantem: ad cuius sonitum conuentu fratrum de lecto surgente, miratus est de re, quæ acciderat. Concepit ergò apud se, Deo leuissimum esse, prophetis in spiritu ventura monstrare, cùm sibi concesserit, quæ fiebant, per tot obstacula corporeis oculis posse videre. Fit Prior. Eius mentis perspicacia. Corporeis oculis parietes penetrat.

Hinc perspicatiori interiùs sapientiæ luce perfusus, mores omnis sexus & ætatis ità discretionis ratione monstrante penetrauit, vt eum palàm indè tractantem, aduerteres cuique sui cordis arcana reuelare. Origines insupèr & ipsa, vt ità dicam, semina atq; radices, nec non processus omnium virtutum ac vitiorum detegebat, & quemadmodùm vel hæc adipisci, vel hæc deuitari atque deuinci possent, luce clariùs edocebat. Tãtam autem omnis boni consilij vim in eo elucere cerneres, vt pectori eius spiritum consilij præsidere non ambigeres. Quàm promptus verò atque assiduus in sanctis exhortationibus fuerit, superuacuum est dicere, cùm illum semper in ipsis infatigabilem, omnes fermè audientes constat fatigâsse: quodq; dicitur de sancto Martino. Eius ori nunquàm defuit Christus, siue iustitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet, incunctanter confirmamus sine mendacio posse dici de illo. In his leue est lectorem aduertere, eum de mensa Domini non sine quodam præsagio per visum iam olim nitido refectum pane fuisse. Magnum animi lumen. Optimus consiliarius.

De corporalibus eius exercitijs, ieiunijs dico, orationibus atque vigilijs, melius æstimo silere, quàm loqui. Quid nanque de illius ieiunio dicerem, cùm ab initio Prioratûs sui tanta corpus suum inedia macerauerit, vt non solùm omnis illecebra gulæ penitùs in eo postmodùm extincta sit, sed nec famem siue delectationem comedendi pro quauis abstinentia, vt ipse dicere consueuerat, aliquandò pateretur? Comedebat tamen, vt alij homines, sed omninò parcè, sciens corpus suum sine cibo non posse subsistere. In orationibus autem, quas ipse iuxta desiderium & petitionem amicorum suorum scriptas edidit, qua solicitudine, quo timore, qua spe, quo amore Deum & sanctos eius interpellauerit, nec non interpellandos docuerit, satis est & me tacente videre: sit modò, qui eis piè intendat, & spero, quia cordis eius affectum, suumque profectum in illis & per illas gaudens percipiet. Quid de vigilijs? Totus dies in dandis consilijs sæpissimè non sufficiebat: addebatur adhuc pars maxima noctis. Preterea libros, qui ante id temporis nimis corrupti vbique terrarum erant, nocte corrigebat, sanctis meditationibus insistebat, ex contemplatione summæ beatitudinis & desiderio vitæ perennis immen- Mira abstinentia. Precationum eius libellus. Eius vigiliæ. Corrigit libros.

ſos lachrymarum imbres effundebat. Huius vitæ miſerias,ſuaq́;,ſi quæ erant, peccata & aliorum amariſſimè flebat,& vix parùm ante vigilias nocturnas,ſæpeq́; nihil ſomni capiebat.Talibus ſtudijs vita eius ornabatur.

Aemulos patitur,dū alijs antefertur.

Qualiter autem erga ſubditos ſe habebat,det Deus ad æmulationem prælatorum, poſſe vel quid modicum dici.Cùm primùm igitur Prior factus fuiſſet, quidam fratres ipſius cœnobij facti ſunt æmuli eius, videntes & videndo inuidentes illum præponi, quem iuxta conuerſionis ordinem iudicabant eis debere ſupponi. Itaq; turbati,alioſque turbantes,ſcandala mouent,diſſenſiones pariunt,ſectas nutriunt,odia fouent: at ipſe cum his,qui oderant pacem,erat pacificus, & detractationibus eorum reddebat officia fraternæ charitatis,malens vincere malitiam in bono,quàm à malitia eorum vinci in malo. Quod miſerante Deo factum eſt:ſiquidem illi animaduertentes eum omnimodis purè ac ſimpliciter in cunctis actionibus ſuis incedere,neq; quod iure blaſphemari poſſet,in illo reſidere,mala voluntate in bonam mutata, dicta eius & facta in bono æmulari cœpêre.Verùm vt clareat,quo pacto id prouenerit, vnum ex ipſis exempli gratia ponam,quatenùs agnito,quo dolo Anſelmi à ſua prauitate ſit mutatus,qualiter & alij per eum correcti ſint,perpendatur.

Illos bonitate vincit.

Osbernus eum odit acerbè.

Oſbernus quidam nomine,ætate adoleſcentulus,ipſius monaſterij monachus, ingenio quidem ſagax,& artificioſis ad diuerſa opera pollens manibus, bonam in ſe bonæ ſpei materiam præferebat.Sed mores,qui in eo valdè peruerſi erant,iſta multùm decolorabant,& inſupèr odium,quod omninò more canino contra Anſelmum exercebat. Quod odium, quantùm ad ſe, Anſelmus non magnipendens, ſed tamen mores illius conuenire ſagacitati ingenij eius magnoperè cupiens,cœpit quadam ſancta calliditate puerum pijs blandimentis delinire,puerilia facta eius benignè tolerare, multa illi, quæ ſine ordinis detrimento tolerari poterant, concedere, in quibus & ætas eius delectaretur,& effrenus animus in manſuetudinem curuaretur.Gaudet puer in talibus,& ſenſim à ſua feritate ipſius dimittitur animus.Incipit Anſelmum diligere,eius monita ſuſcipere,mores ſuos componere. Quod ille intuens, præ cæteris eum familiariter amplectitur,nutrit,fouet,& vt ſemper in melius proficiat,omnibus modis hortatur & inſtruit. Dehinc paulatìm ei,quæ conceſſerat,puerilia ſubtrahit, eumq́ue ad honeſtam morum maturitatem prouehere ſatagit. Non fruſtratur pia ſolicitudo eius, proficiunt in iuuene ac roborantur ſacra monita eius. Ergo vbi de firmitate boni ſtudij adoleſcentis ſe poſſe confidere animaduertit,mox omnes puerilès actus in eo reſecat,& ſi quid repræhenſionis eum admittere comperit, non modò verbis, ſed & verberibus in eo acriter vindicat.Quid ille? Aequanimiter cuncta ſuſtinet,confirmatur in propoſito omnis religionis,feruet in exercitio diſcendæ omnis ſanctæ actionis, ſuffert patienter aliorum contumelias,opprobria,detractiones, ſeruans erga omnes affectum ſynceræ dilectionis. Lætatur pater in his vltrà,quàm dici poſſit, & diligit filium ſancto charitatis igne, pluſquàm credi poſſet.

Eum mira prudentia Anſelmus corrigit.

Osberni admirāda mutatio.

Sed cùm ipſe (vt flens referebat)eum ad magnum Eccleſiæ fructum proficere ſperaret, eccè graui corporis infirmitate præripitur, lectoque recipitur. Videres tum bonum patrem, felicis iuuenis amicum,lecto iacentis diù noctuque aſſidere,cibum & potum miniſtrare, omnium miniſtrorum ſuper ſe miniſteria ſuſcipere, veri amici morem in omnibus gerere. Ipſe corpus,ipſe animam eius ſtudioſiſſimè refouebat. Appropinquanti autem ad exitum,familiari præcepit alloquio,quatenùs poſt obitum ſuum,ſi poſſibile eſſet,ſuum eſſe ſibi reuelaret.Spopondit,& tranſijt. Corpus defuncti ex more lotum veſtitum, in feretro compoſitum, in eccleſiam delatum eſt. Circunſederunt fratres,pſalmos pro eius anima decantantes.Anſelmus verò, quò liberiùs pro eo preces funderet,in ſecretiorem eccleſiæ locum ſeceſsit.Qui cùm inter ipſas lachrymas ex graui cordis mœſtitudine corpore deficeret, & paululùm oculos in ſomnum deprimeret,vidit in ſpiritu mentis ſuæ quaſdam reuerendi vultûs perſonas, candidiſſimis veſtibus ornatas,domum,in qua idem Oſbernus vitam finierat,introiſſe, & ad iudicandum circùm conſediſſe. Verùm cùm iudicij ſententiam ignoraret, eamq́ue ſolicitus nôſſe deſideraret: eccè Oſbernus adeſt,ſimilis homini ad ſe, cùm aut ex languore, aut ex nimia ſanguinis minutione fuerit exanimatus,redeunti. Ad quem pater: Quid eſt fili? Quomodò es? Cui ille hæc verba reſpondit: Ille antiquus ſerpens ter inſurrexit in me,& ter cecidit in ſemetipſum, & vrſarius Domini Dei liberauit me. Quo dicto Anſelmus oculos à ſomno leuauit,& Oſbernus nō comparuit. En obedientiam mortuus viuo exhibebat,quam viuens viuenti exhibere ſolebat.

Osbernus obit.

Apparet S. Anſelmo.

Quòd

Quòd si quispiam audire velit, qualiter hæc obedientis verba defuncti, ipse Anselmus fuerit interpretatus, breui accommodet aures. Tèr, inquit, antiquus serpens insurrexit in eum, quia de peccatis, quæ post baptismum admiserat, priusquàm à parentibus ad seruitium Dei in monasterium offerretur, illum diabolus accusauit: de peccatis etiam, quæ post oblationem parentum ante suam professionem fecerat, illum accusauit: de peccatis nihilominùs quæ post professionem ante obitum suum egerat, illum accusauit. Sed tèr cecidit in semetipsum, quia peccata, quæ in sæculo constitutus admiserat, per fidem parentum, quandò eum Deo obtulerunt, deleta inuenit. Et peccata, quæ postmodùm in monasterio degens ante suam professionem fecerat, in ipsa professione deleta inuenit. Peccata etiam, quæ post professionem ante obitum suum egerat, per veram confessionem & pœnitentiam deleta atque dimissa in ipso eius obitu confusus inuenit: sicque malignas versutias suas, quibus eum ad peccandum illexerat, iusto Dei iudicio in se ad cumulum suæ damnationis retorqueri ingemuit. Et vrsarius Domini Dei liberauit eum. Vrsarij Dei, boni angeli sunt. Sicut enim vrsarij vrsos, ità angeli malignos dæmones à sua sæuitia coërcent & reprimunt, nè nobis tantum noceant, quantum volunt. Post hæc Anselmus, vt sanctæ dilectionis munus, quod viuo impenderat, mortuo non negaret, per integrum annum Missam pro anima eius omni die celebrauit. Quòd si aliquandò à celebratione ipsius sacramenti impediebatur, eos qui Missas familiares debebant, suam pro anima fratris Missam dicere faciebat, & ipse Missas eorum, dum opportunum erat, ante Missam sui defuncti alia Missa persoluebat. Itaque per singulos dies totius anni aut ipse pro illo Missam celebrauit, aut ab alio celebratam alia Missa mutuatus est. Super hæc missis circunquaq; epistolis, pro anima sui Osberni orationes fieri petijt & obtinuit. Hæc fratres videntes, & socordiam sui cordis redarguentes, se miseros ac infelices, Osbernum beatum prædicant ac felicem, qui talem amorem, talem meruit inuenisse subuentionem. Ex hoc ergò singuli quiq; corpore & animo se subdunt Anselmo, cupientes in amicitiam eius hæreditario iure succedere Osberno. At ille in conuersione ipsorum Deo gratias agens, omnibus omnia factus est, vt omnes saluos faceret.

Professio monastica delet peccata.

Vrsarij Dei.

Veruntamen adolescentibus atque iuuenibus præcipua cura intendebat, & inquirentibus de hoc rationem, sub exemplo reddebat. Comparabat ceræ iuuenis ætatem, quæ ad formandum sigillum aptè est temperata. Nam si cera, inquit, nimis dura vel mollis fuerit, sigillo impresso, eius figuram in se nequaquàm ad plenum recipit. Si verò, inquit, ex vtrisque, duritia scilicet atque mollitie, discretè habens, sigillo imprimitur, tunc forma sigilli omninò perspicua & integra redditur. Sic est in ætatibus hominum. Videas hominem in vanitate huius seculi ab infantia vsque ad profundam senectutem conuersatum, sola terrena sapientem, & in his penitùs obduratum. Cùm hoc age de spiritualibus, huic de subtilitate contemplationis diuinæ loquere, hunc secreta cælestia doce rimari, & perspicies eum nec quid velis quidem posse videre. Nec mirum: indurata cera est: in istis ætatem non triuit, aliena ab istis sequi didicit. Econtrariò consideres puerum, ætate ac scientia tenerum, nec bonum nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de huiusmodi disserentem. Nimirùm mollis cera est & quasi liquens, nec imaginem sigilli quoquo modo recipiens. Medius horum adolescens & iuuenis est, ex teneritudine atque duritia congruè temperatus. Si hunc instruxeris, ad quæ voles, informare valebis. Quod ipse animaduertens, iuuenibus maiori solicitudine inuigilo, procurans cuncta in eis vitiorum germina extirpare, vt in sanctarum exercitijs virtutum, posteà competēter edocti, spiritualis in se transforment imaginem viri.

Iuuentus ceræ comparatur.

Senes.

Pueri.

Iuuenes.

Sed cùm inter hæc eum diuersa diuersorum negocia fatigarent, & nonnunquàm illius mentem à sua quiete turbarent, consilium super his à supradicto venerandæ memoriæ archiepiscopo Rothomagensi Maurilio postulaturus, Rothomagum venit. Cumque sui aduentûs causam pontifici exponeret, ac inter verba pro amissa statûs sui tranquillitate vehementissimè fleret, ab onere prælationis, quod sibi fatebatur importabile, vt releuari mereretur, magnoperè cœpit rogare. At ille, sicuti vir magnæ sanctitatis, Noli, inquit, mi fili charissime, quod quæris, quærere: nec te à subuectione aliorum, tui solius curam gerens, velis retrahere. Verè etenim dico tibi, me de multis audisse, multosque vidisse, qui quoniam causa suæ quietis proximorum vtilitati per pastoralem curam inuigilare noluerunt, per desidiam ambulantes, semper de malo in peius profecerunt. Quapropter nè tibi (quod absit) hoc idem contingat, per

Periculosum est abijcere curā animarū.

ſanctam obedientiam præcipio, quatenùs prælationem, quam nunc habes, retineas, nec eam, nisi tuo iubente Abbate, quomodolibèt deſeras: & ſi quandò fueris ad maiorem vocatus, eam ſuſcipere nullatenùs abnuas. Scio enim, quòd in hac, quam tenes, non diù manebis, verùm ad altiorem prælationis gradum poſt non multum proueheris. Quibus auditis, Væ, inquit, miſero, mihi. In eo quod porto, deficio: & ſi grauius imponitur onus, reijcere non audeo? Repetit præſul edictum, & vt priùs, iubet nè tranſgrediatur.

Dehinc Anſelmus ad monaſterium reuerſus, talem ſe cunctis exhibuit, vt ab omnibus loco chariſſimi patris diligeretur. Ipſe enim mores omnium & infirmitates æquanimiter ſufferebat, & vnicuique, ſicut expedire ſciebat, neceſſaria ſuggerebat. O quot in ſua iam infirmitate deſperati, per piam ſolicitudinem eius ſunt ad priſtinam ſanitatem reuocati. Quod tu Hereuualde decrepite ſenex in teipſo percepiſti, quandò grauatus non ſolùm ætate, ſed & valida infirmitate, ità vt nihil tui corporis, præter linguam, haberes in tua poteſtate, per manus illius paſtus, & vino, de racemis per vnam in aliam eius manum expreſſo, de eius ipſa manu bibens, es refocillatus, ac priſtinæ ſanitati redonatus. Neque enim alium aut aliundè potum ſumere poteras, qui tibi cordi eſſet, vt referebas. Ipſe quippe Anſelmus in vſu habebat, infirmorum domum frequentare, ſingulorum fratrum infirmitates diligenter inueſtigare, & quod infirmitas cuiuſque expetebat, ſingulis abſque mora ſeu tædio ſubminiſtrare. Sicque ſanis pater, & infirmis erat mater, immò ſanis & infirmis pater & mater in commune. Vndè & quicquid ſecreti apud ſe quiuis illorum habebat, non ſecùs quàm dulciſſimæ matri, illi reuelare ſatagebat. Veruntamen ſolers diligentia iuuenum hoc præcipuè exercebat.

Eius erga ægrotos cura & ſolicitudo.

De quorum numero quidam in ipſo conuentu hoc apud ſe propoſuerat, quatenùs nulla occaſione vnquàm ſuam manum ſuis genitalibus membris admoueret. Cui propoſito inuidens diabolus, tantum dolorem & anguſtiam in eiſdem membris fecit eum ſentire, vt ſe iuuenis nullo modo ferre valeret. Sentiebatur etenim caro ipſa tanti ponderis eſſe, àc ſi quædam plumbi grauiſſima moles ad ima eum detrahens, in illa ſui corporis parte penderet. Cumque in habitu ſuo anxietatis magnitudinem diſſimulare non poſſet, requiſitus ab Anſelmo quid haberet, rem celare non potuit. Admonitus itaq;, vt modum ægritudinis admota manu probaret, verecundatus recuſauit, timens nè propoſitum violaret. Tunc Anſelmus, aſſumpto ſecum quodam grandæuo fratre & religioſo, iuuenem languidum in ſecretiorem locum ducit, vtpotè modum infirmitatis illius agniturus, & auxilium pro poſſibilitate laturus. Quid ampliùs? Caro ſaniſſima reperitur, & admodùm mirati ſunt. Eueſtigiò quippe omnis illa diabolica vexatio cadit, nec in huiuſmodi fatigat vlteriùs iuuenem, quem ſimplex Anſelmi adſpectus à tanta clade fecit immunem.

Prætereà quidam ex antiquioribus ipſius cœnobij fratribus, qui veteri odio plurimùm erat infeſtus Anſelmo, nec vllatenùs poterat ſuper eum reſpicere ſimplici oculo, infirmitate preſſus, ad extrema perductus eſt. Cùm itaque fratres meridiana hora in lectis ex more quieſcerent, ipſe in domo infirmorum, in qua iacebat, cœpit miſerandas voces edere, & quaſi quorundam horridos adſpectus ſubterfugere geſtiret, pallens & anxiè tremens, vultum ſuum deliteſcendo hincindè commutare: Territi fratres, qui aderant, quid haberet, percontantur. At ille: Geminos immanes lupos me inter brachia ſua compreſſum tenere, & guttur meum impreſſis dentibus iamiam ſuffocare videtis, & quid mihi ſit quæritis? Quo audito, vnus ex monachis, Riculphus nomine, ad Anſelmum, qui tunc in clauſtro emendandis libris intendebat, concitus perrexit, & eo extra clauſtrum educto, quid circa infirmum fratrem ageretur, patefecit. Iuſſus ergò Riculphus ad ægrum redijt, & Anſelmus in ſecretiorem locum ſolus ſeceſſit: Poſt modicum, domum in qua frater, qui patiebatur, erat, ingrediens, leuata manu, ſignum ſanctæ Crucis edidit, dicens: In nomine patris & filij & ſpiritûs ſancti. Ad quod factum ſtatìm æger conquieuit, exhilarato vultu, intimo cordis affectu DEO gratias agere cœpit. Dicebat enim, quòd Anſelmo oſtium ingrediente, & extenſa manu ſignum ſanctæ crucis edente, viderit ex ore illius flammam ignis in modum lanceæ procedentem, quæ in lupos iaculata, eos deterruit, & celeri fuga delapſos procùl abegit. Tunc Anſelmus ad fratrem accedens, atque cum eo de ſalute animæ ſuæ ſecretiùs loquens, ad pœnitudinem & confeſſionem omnium, in quibus ſe Deũ offendiſſe recordari valebat, cor eius inclinauit. Paterna dehinc authoritate à cunctis abſolutũ,

Frater ei infeſtus, in ſummo verſatur periculo.

Eũ Anſelmus liberat.

dixit

dixit eum hora qua fratres ad Nonam surgerent, præsenti vita decessurum, Quod & factum. Nam monachis à lecto surgentibus, ipse ad terram depositus est, & illis circa ipsum in vnum collectis, defunctus est.

Præfatus Riculphus secretarij, id est, custodis officio in ipso cœnobio fungebatur. Hic quadã nocte, dum tempus & horã, qua fratres ad vigilias excitaret, per claustrum iens, obseruaret, fortè ante ostium capituli pertransiuit: introspiciens verò, vidit Anselmum in oratione stantem, ingenti splendentis flammæ globo circumcinctum. Miratur, & quod videbat, quid noui prætẽderet, ignorabat. Existimabat enim Anselmum ea hora sopori potiùs, quàm orationi occupatum. Ocyùs itaque dormitorium ascendit, ad lectum Anselmi vadit, sed eum ibì nequaquàm inuenit. Regressus igitur hominem in capitulo reperit, sed globum ignis, quem reliquerat, non inuenit. Orãs, splendore cinctus videtur.

Alio quodam tempore eidem Anselmo mandatũ ab vno de principibus Normanniæ est, quatenùs ad se in Angliam transire vellet, cùm propter alia negocia, tum vt sua prece iter illius per maritima pericula tueretur. Ascendit, abijt, iam dies mutui colloquij in vesperam declinabat, & principem de hospitando Anselmo nulla cura detinebat. Quod vbì Anselmo innotuit, nihil super se cuiquam locutus, accepta licentia, loco decessit. Eunti autem, & quò diuerteret, incertum habenti, (Beccus enim longè aberat) occurrit vnus de monachis Becci, volens illuc ire, quo eum sciebat principis colloquio detineri. Interrogat ergo eum Anselmus, quò tendat, ac deindè quid consilij de suo hospitio ferat. Respondit: Et quidem, pater, hospitium qualecunque non longè habemus: sed quid vobis & fratribus præter panem & caseum apponatur non habemus. At ille subridẽs: Bone vir, ait, nè timeas: immò citus procede, & misso reti in vicinum amnem, statìm inuenies piscem, qui sufficiet omnibus nobis. Ille accepto mandato præuolat, accitoque piscatore, quid Anselmus iusserit, intimat, ac vt velociùs rete in fluuium iactet, iubet, hortatur & obsecrat. Admiratus ille, parere petenti moratur, ridendum potiùs quàm attentãdu[m], quod dicebat, fore pronuncians. Tandèm tamen à fratre coactus, contra spem rete iecit, & ilicò trutam insolitæ magnitudinis cum alio quodam pisciculo cepit. Territus piscator ad factum & obstupefactus, asseruit se iam per viginti annos recessus aquæ illius rimâsse, & nunquàm huiusmodi trutam in ea reperire potuisse. Parata igitur & viro apposita, iuxta verbum eius, sibi & suis copiosè suffecit, & superabundauit. Præuidet rẽ futurã. Non sine miraculo piscis capitur.

Alia vice vir quidam, Vualterus nomine, cognomine Tirellus, eundem hominem per terram suam transeuntem detinuit, nolens eum à se impransum dimittere. Verùm cùm ipse de penuria piscium conquereretur, & quòd tanto viro ac monachis eius, nisì vilia quædam, non haberet quæ apponeret, alludens dixit ei Anselmus: Sturio vnus en tibi defertur, & animus tuus de deliciarum inopia queritur? Ridet ille, fidem his, quæ audiebat, præbere nullatenùs valens. Euestigio autem verborum Anselmi, duo ex hominibus viri attulerunt sturionem vnum prægrandem, quem in ripa fluminis Alteiæ dixerunt à pastoribus suis inuentum, sibique transmissum. Si spiritum prophetiæ in his viro affuisse quis dubitat, gestæ rei veritas, quid sit tenendum, declarat. Prædicit futura.

His temporibus scripsit tractatus tres, scilicet de Veritate, de Libertate arbitrij, & de Casu diaboli. In quibus satis patet, vbì animum fixerit, quanuis ab eis, quæ aliorum cura expetebat, talium rerum consideratione nullo se modo subtraxerit. Scripsit & quartum, quem intitulauit, de Grammatico. In quo cum discipulo, quem secum disputantem introducit, disputans, cùm multas quæstiones dialecticas proponit & soluit, tum qualitates & qualia, quomodò sint discretè accipienda, exponit & instruit. Fecit quoque libellum vnum, quem Monologion appellauit: Solus enim in eo secum loquitur, ac tacita omni authoritate diuinæ scripturæ, quid Deus sit, sola ratione sic, nec aliter esse posse, probat & adstruit. Edit aliquot libros. Monologion.

Post hæc incidit sibi in mentem inuestigare, vtrùm vno solo & breui argumento probari posset id, quod de Deo creditur & prædicatur: videlicet, quòd sit æternus, incommutabilis, omnipotens, vbique totus, incompræhensibilis, iustus, pius, misericors, verax, veritas, bonitas, iustitia, & nõnulla alia, & quomodò hæc omnia in ipso vnum sunt. Quæ res, sicut ipse referebat, magnam sibi peperit difficultatem. Nam hæc cogitatio partìm illi cibum, potum, & somnum tollebat: partìm, & quod magìs eum grauabat, intentionem eius, qua matutinis & alij seruitio Dei intendere debebat, perturbabat. Quod ipse animaduertẽs, nec adhuc, quod quærebat, ad plenum capere valens, Quæstio difficilis eum valdè exercet.

ratus est huiusmodi cogitationem, diaboli esse tentationem, nisusque est eam procul repellere à sua intentione. Verùm quanto plùs in hoc desudabat, tanto illum cogitatio ipsa magìs ac magìs infestabat. Et ecce quadam nocte inter nocturnas vigilias Dei gratia illuxit in corde eius, & res patuit intellectui, immensoque gaudio & iubilatione repleuit omnia intima eius. Reputans ergò apud se hoc ipsum & alijs, si sciretur, posse placere, liuore carens, rem ilicò scripsit in tabulis, easque solicitiùs custodiendas vni ex monasterij fratribus tradidit. Post dies aliquot tabulas repetit à custode. Quæruntur in loco, vbi repositæ fuerant, nec inueniuntur. Requiruntur à fratribus, nè fortè aliquis eas acceperit, sed nequaquàm: Nec enim hucusquè inuentus est, qui recognouerit se quicquam indè sciuisse. Reparat Anselmus aliud de eadem materia dictamen in alijs tabulis, & illas sub cautiori custodia tradit custodiendas. Ille in secretiore parte lectuli sui tabulas reponit, & sequenti die nil sinistri suspicatus, easdem in pauimēto sparsas ante lectum reperit, cera, quæ in ipsis erat, hac illac frustatim dispersa. Leuantur tabulæ, cera colligitur, & pariter Anselmo reportantur: Adunat ipse ceram, & licèt vix, scripturam recuperat. Veritus autem, nè qua incuria penitùs perditum eat, eam in nomine Domini pergameno iubet tradi. Composuit ergò indè volumen paruulum, sed sententiarum ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quod Prosologion nominatur. Alloquitur etenim in eo opere, aut seipsum, aut Deum: Quod opus cùm in manus cuiusdam venisset, & is in quadam ipsius operis argumentatione non parùm offendisset: ratus est eandem argumentationem ratam non esse: quam refellere gestiens, quoddam contra illam scriptum composuit, & illud fini eiusdem operis scriptum apposuit. Quod cùm sibi à quodam amico suo transmissum Anselmus considerâsset, gauisus est & repræhensori suo gratias agens, suam ad hoc responsionem edidit, eamque libello sibi directo subscriptam, sub vno ei, qui miserat, amico remisit. Hoc ab eo & ab alijs, qui libellum illum habere dignantur, petitum iri desiderans, quatenùs in fine ipsius suæ argumentationis repræhensio, & repræhensioni sua responsio subscribatur.

Perdit, quę de ea quæstione scripsit.

Prosologion scribit.

Eius multæ Epistolæ.

Inter hæc scripsit etiam quamplures epistolas, per eas nonnullis ea, quæ secundùm diuersitatem causarum sua intererant, procurare mandans, & nonnullis consilium de negocio suo quærentibus, pro ratione respondens. Et quidem de his, quæ diuersæ causæ scribere cogebant, mentionem facere supersedemus. Quid autem consilij cuidam Lanzoni, nouiter apud Cluniacum facto monacho per vnam mandauerit, huic operi inserere curaui, quatenùs in hac vna cognoscatur, quid de alijs perpendatur. Scripsit itaque inter alia sic: Ingressus es, charissime, professusque CHRISTI militiam, in qua non solùm apertè obsistentis hostis violentia est propollenda, sed & quasi consulentis astutia cauenda. Sæpè nanque, dum tyronem CHRISTI vulnere malæ voluntatis apertè maleuolus non valet perimere, sitientem tam poculo venenosæ rationis maleuolè callidus tentat extinguere. Nam cùm monachum nequit obruere vitæ, quam professus est, odio, nititur eum conuersationis, in qua est, subruere fastidio. Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat, tamen quia hoc sub talibus, aut inter tales, aut in eo loco incepit, illum stultum nimìs imprudentemque multimodis versutijs arguere non cessat: vt dum illi persuadet incepto DEI beneficio ingratum existere, iusto iudicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit, teneat, aut in eo vtiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando, aut si mutari non valet, saltem de improbando, initio meditatur, nunquàm ad finem perfectionis tendere conatur. Nam quoniam illi fundamentum, quod posuit, displicet, nullatenùs illi structuram bonæ vitæ superædificare libet. Vndè fit, vt quemadmodùm arbuscula, si sæpè transplantetur, aut nupèr plantata, in eodem loco crebra conuulsione inquietetur, nequaquàm radicare valens, ariditatem citò attrahit, nec ad aliquam fructùs fertilitatem peruenit: sic infelix monachus, si sæpiùs de loco ad locum proprio appetitu mutatur, aut in vno permanens, frequenter eius odio concutitur, nusquàm amoris stabilitus radicibus, ad omne vtile exercitium languescat, & nulla bonorum operum vbertate ditescat: Cumque se nequaquàm ad bonum, sed in malum proficere (si fortè hoc recogitat) perpendat, omnem suæ miseriæ causam non suis, sed aliorum moribus iniustus intendat, atq; indè se magìs ad odium eorū, inter quòs conuersatur, infeliciter accēdat. Quapropter quicunque cœnobitarū fortè propositum aggreditur, expedit ei, vt in quocunque monasterio professus fuerit (nisi tale fuerit, vt ibi malum facere inuitus cogatur).

Ex epistola ad Lanzonem.

Callida diaboli nequitia.

Monasterium suum monacho non mutandum.

tur) tota mentis intentione amoris radicibus ibì radicare studeat, atque aliorum mores aut loci consuetudines, si contra diuina præcepta non sunt, etiamsi inutiles videantur, dijudicare refugiat. Gaudeat se iam tandem inuenisse, vbì se non inuitum, sed voluntarium tota vita mansurum, omni transmigrandi solicitudine propulsa, deliberet: vt quietus ad sola piæ vitæ exercitia exquirenda sedulò vacet. Quòd si sibi videtur maiora quædam ac vtiliora spirituali feruore appetere, quàm illi præsentis monasterij institutionibus liceat, æstimet aut se falli, siue præferendo paria paribus, vel minora maioribus: siue præsumendo se posse, quod non possit: aut certè credat se non meruisse, quod desiderat. Quòd si fallitur, agat gratias diuinæ misericordiæ, qua ab errore suo defenditur, nè sine emolumento, aut etiam cum iactura locum vel vitæ ordinem mutando, inconstantiæ leuitatisque frustrà crimen subeat, aut maiora suis viribus experiendo fatigatus, deteriùs in priora, aut etiam in peiora prioribus deficiat. Si autem verè meliora illis, quæ in promptu sunt, nondùm meritus optat, patienter toleret diuinum iudicium, quod vlli aliquid iniustè non denegat, neque murmurando aut obloquendo Deum offendat: sed æquanimiter omnia sufferat, omnia ad meliora conetur deducere ferendo: nè per impatientiam iudicem iustum exasperans, mereatur quod non habet non accipere: & quod accepit, amittere: aut quod non amat, inutiliter tenere. Seu verò misericordiam seu iudicium erga se in illis, quæ non habet & optat, persentiat, lætus ex his quæ accepit, largitati supernæ gratias dignas persoluat. Et quia ad qualemcunque portum de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caueat in portûs tranquillitatem, ventum leuitatis & impatientiæ turbinē inducere: quatenùs mens, constantia & mansuetudine tutantibus quieta, diuini timoris solicitudini & amoris delectationi sit intenta. Nam timor per solicitudinem custodit, amor verò per delectationem perficit. Timor. Amor. Scio, quia hæc maiorem aut scribendi, aut colloquendi exigunt amplitudinem, vt pleniùs intelligatur, quibus scilicet dolis aniquus serpens ignarum monachum in hoc genere tentationis illaqueet, & econtrà quibus rationibus prudens monachus eius callidas persuasiones dissoluat & annihilet: sed quoniam iam breuitatem, quam exigit epistola, excessi, & totum, quod hinc dixi, aut dicendum fuit, ad custodiendam mentis quietem pertinet, huius rei breuis exhortatio epistolam nostram terminet. Nec putes charissime, hæc me idcircò dicere quòd suspicer te aliqua mentis inquietudine laborare: Sed quoniam dominus Vrsio cogit me aliquam admonitionem tibi scribere, nescio quid potiùs moneam, quàm cauere hoc sub specie rectæ voluntatis, quod scio nouitijs quibusdam solere subrepere. Quapropter amice mi & frater dilectissime, consulit, monet, precatur te tuus dilectus dilector totis cordis visceribus, vt totis viribus quieti mentis studeas, sine qua nulli licet callidi hostis insidias circunspicere, vel semitas virtutum angustissimas prospicere. Ad hanc verò monachus, qui in monasterio conuersatur, pertingere nullatenus valet sine constantia & mansuetudine, quæ mansuetudo indissolubilis comes est patientiæ: & nisi monasterij sui instituta, quæ diuinis non prohibentur mandatis, etiam si rationem eorum non peruiderit, vt religiosa studuerit obseruare. Mentis tranquilitati summoperè studendū. Vale, & omnipotēs Dominus perficiat gressus tuos in semitis suis, vt non moueantur vestigia tua, vt in iustitia appareas in conspectu Domini, & satieris, cùm apparuerit gloria eius. Psal. 16.

Inter hæc cùm iam, vt dictis & scriptis suis mores sui in nullo discordarent, totā suæ mentis intentionem in contemptum mundi composuisset, & his solis, quæ Dei erant, totum studium suum infixisset, contigit, vt infirmitate correptus, grauiter affligeretur. Visionem in ecstasi videt. Sed ipse in Deo semper existens, languore paulispèr sedato, extra se per mētis excessum raptus, videt fluuium vnum rapidum atq; præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarunq; rerum terræ lauaturæ. Videbatur itaq; aqua ipsa nimis turbida & immunda, & omni spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se, quicquid attingere poterat, & deuoluebat tā viros quàm mulieres, diuites & inopes simul. Quod cùm Anselmus vidisset, & tam obscœnam reuolutionē illorum miseratus, vndè viuerent, aut vndè sitim suam refocillarent qui sic ferebantur, inquireret, accepissetque responsum, eos ea, qua trahebātur, aqua viuere delectariq;, indignātis voce inquit: Nota de mundo. Quomodò? Talíne aliquis cœno potatus, vel pro ipso hominum pudore se ferret? Ad hæc ille, qui comitabatur eū, Nè mireris, ait. Torrens mundi est, quod vides, quo rapiūtur & inuoluuntur homines mundi, & adiecit: Vísne videre, quid sit verus monachatus? Respondit: Volo. Duxit ergò illum quasi in conseptum cuiusdam magni & ampli claustri, & dixit ei: Circumspice. Adspexit, & ecce parietes claustri illius obducti erant Item de monachatu.

argento

argento purissimo: Herba quoque mediæ planitiei virens erat & ipsa argentea, mollis quidem & vltra humanam opinionem delectabilis: Hæc more alterius herbæ sub his, qui in ea pausabant, leniter flectebatur, & surgentibus ipsis, & ipsa erigebatur. Itaq; locus ille totus erat amœnus, & præcipua iucunditate repletus. hunc ergò ad inhabitandum elegit sibi Anselmus. Tunc ductor eius dixit ei: Eià, vis videre, quid sit patientia vera? Ad quod cùm ille magno cordis affectu gestiret, & se id quā maximè velle responderet, ad se subitò reuersus, & visionem & visionis demonstratorē dolens ac gemebundus pariter amisit. Duas autem, quas viderat, visiones intelligens, secumque reuoluens, eò magìs vnius horrorem fugere, quò alterius amœnitate studuit delectari. Totum ergò deincèps sese dedit in hoc, vt verus monachus esset, & vt vitam monachicam firma ratione compræhenderet, alijsque proponeret: Nec est priuatus desiderio suo. Quod quidem, vt æstimo, aliquantùm percipi poterit ex verbis eius, quæ per vices huic opusculo indere rati sumus, iuxta quod series gestæ rei, quam suscepimus, enarrare postulabat. Nec enim mihi videtur, pleniter posse pertingi ad notitiam institutionis vitæ illius, si descriptis actibus eius, quis vel qualis fuerit in sermone, taceatur.

Colloquium eius cū quodam Abbate, vt pueri sint in cœnobijs tractādi.

Quodam igitur tempore cùm quidam Abbas, qui admodū religiosus habebatur, secum de his, quæ monasticæ religionis erant, loqueretur, ac inter alia de pueris in claustro nutritis verba conferret, adiecit: Quid, obsecro, fiet de istis? Peruersi sunt & incorrigibiles, die ac nocte non cessāmus eos verberantes, & semper fiūt sibijpsis deteriores. Ad quæ miratus Anselmus: Non cessatis, inquit, eos verberare? Et cùm adulti sunt, quales sunt? Hebetes, inquit, & bestiales. At ille: Quàm benè omne nutrimentum vestrum expenditis, qui de hominibus bestias nutriuistis? Et nos, ait, quid possumus indè? Modis omnibus constringimus eos, vt proficiant, & nihil proficimus. Constringitis? dic mihi, quæso, Domine Abba, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte concluderes, vt ramos suos nullatenùs extendere posset, cùm eam post annum excluderes, qualis arbor indè prodiret? Profectò inutilis, incuruis ramis & perplexis. Et hoc ex cuius culpa procederet, nisi tua, qui eam immoderatè conclusisti? Certè hoc facitis de pueris vestris. Plantati sunt per oblationem in horto Ecclesiæ, vt crescant & fructificent Deo. Vos autem intantùm terroribus, minis & verberibus vndique illos coarctatis, vt nulla sibi penitùs liceat libertate potiri. Itaque indiscretè oppressi, prauas & spinarum more perplexas intrà se cogitationes congerunt, fouent, nutriunt, tantaque eas nutriendo vi suffulciunt, vt omnia, quæ illorum correctioni possent adminiculari, obstinata mente subterfugiant. Vndè fit, vt quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil beneuolentiæ siue dulcedinis circa se in vobis sentiunt, nec illi alicuius in vobis boni posteà fidem habeant, sed omnia vestra ex odio & inuidia contra se procedere credant. Contingitq; modo miserabili, vt sicut deincèps corpore crescunt, sic in eis odium & suspicio omnis mali crescat, semper pronis & incuruis ad vitia. Cumq; ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullum nisi depressis supercilijs, oculóve obliquo valent intueri.

Sed propter Deum vellem diceretis mihi, quid causæ sit, quòd eis tantùm infesti estis? Nónne homines, nónne eiusdem naturæ sunt, cuius vos estis? Velletísne vobis fieri, quod illis facitis, si quidem, quod sunt, vos essetis? Sed esto. Solis eos percussionibus & flagellis, ad mores bonos vultis informare. Vidistis vnquàm aurificem ex lamina auri vel argenti, solis percussionibus imaginem speciosam formâsse? Nō puto. Quid tunc? Quatenùs aptam formam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento leniter premit & percutit, nunc discreto leuamine leniùs læuat & format. *Sic & vos, si* pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est, vt cum depressionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis leuamen atque subsidium. Ad hæc Abbas: Quod leuamen? quod subsidium? Ad graues & maturos mores illos constringere laboramus. Cui ille: Benè quidem. Et panis & quisque solidus cibus, vtilis & bonus est, eo vti valenti. Verùm subtracto lacte, ciba indè lactentem infantem, & videbis eum magìs ex hoc strangulari, quàm recreari. Cur hoc? Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete, quia sicut fragile & forte corpus pro sua qualitate habet cibum suum, ità fragilis & fortis anima habet pro suî mensura victum suum. Fortis anima delectatur & pascitur solido cibo, patientia scilicet in tribulationibus, non concupiscere aliena, percutienti vnam maxillam, præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, & multa in hunc modum. Fragilis autem adhuc in Dei seruitio, tenero lacte indiget, mansuetudine videlicet aliorum, benignitate, misericordia, hilari aduocatione, charitatiua supportatione, & pluribus huiusmodi. *Si taliter* vestris

Elegans similitudo.

Item alia.

Non idem cibus forti & imbecillo apponendus.

stris & fortibus & infirmis vos coaptatis, per Dei gratiam omnes, quantùm vestra refert, Deo acquiretis. His Abbas auditis, ingemuit, dicens: Verè errauimus à veritate, & lux discretionis non luxit nobis. Et cadens in terram ante pedes eius, se peccâsse, se reũ esse confessus est, veniamq; de præteritis petijt, & emendationem de futuris repromisit. Hæc idcircò diximus, quatenùs per hæc, quàm piæ discretionis & discretæ pietatis in omnes fuerit, agnoscamus.

Talibus studijs intendebat, in istis Deo seruiebat, per hæc bonis omnibus valdè placebat. Vndè bona fama eius non modò Normannia tota est respersa, verumetiam Francia tota, Flandria tota, contiguaq; his terra omnis. Quin & mare transijt, Angliamque repleuit. Exciti sunt quaquà gentium multi nobiles, prudentes clerici, strenui milites, atque ad eum confluxêre, seque & sua in ipsum monasterium seruitio Dei tradidêre. Crescit cœnobium illud intùs & extrà: intùs in sancta religione, extrà multimoda possessione. Cùm verò Abbas Herluinus, cuius suprà meminimus, iam decrepitus monasterij causis intendere, & opem ferre non valeret, quicquid agi oportebat, sub Anselmi, vtpotè Prioris, dispositione fiebat. Exigentibus igitur multiplicibus causis, cum foràs monasterium ire sæpè necessè fuit. Cui dum nonnunquàm equi, & alia, quæ sunt equitaturis necessaria, deessent, præcepit Abbas ei omnia, quæ opus erant, parari, & illi soli, sicut propria, ministrari. At ille ad nomen proprietatis inhorruit, & reuersus de itinere, quæque specialiter fuerant præparata in viam ituris, communiter exponi iussit: nec propter secuturam, quam forsan erat passurus, penuriam, vnquàm se retraxit, quin ex sua copia cæterorum suppleret inopiam. Nec mirandum, cùm iam mundo illuxerat, eum se fratribus suis talem exhibuisse, cùm, sicut ipsemet referre solitus erat, etiam quandò adhuc in seculari vita degebat, eo circa alios amore feruebat, vt quemcunque sui ordinis minus se habentem videret, eius inopiam de abundantia sua libens pro posse suppleret. Iam tunc enim ratio illum docebat, omnes diuitias mundi pro communi hominum vtiltate ab vno omnium patre creatas, & secundùm naturalem legem nihil rerum magìs ad hunc, quàm ad istum pertinere. Taceo, quòd illi sæpè plura auri & argenti pondera à nonnullis sunt oblata, quatenùs ea in suos suorumque vsus susciperet, seruaret, dispenderet, quæ ipse nulla patiebatur ratione suscipere: nisi fortè communi fratrum vtilitati profutura, Abbati præsentarentur. Sed cùm is, qui sua offerebat, econtrà diceret, se nullam tunc voluntatem habere, vt abbati vel monachis aliquid daret, nisi ei soli: referebat ille, se talium opus non habere, nec aliter à quoquam velle quicquam accipere. Illud autem breuiter dico, quòd inter huiuscemodi studia die quadam dum ad lectum suum in dormitorio diuerteret, annulum aureum in eo insperatus inuenit, & admodùm miratus est. Reputans ergo apud se, ne fortè aliquis eorum, qui res monasterij procurabant, quouis euentu eundem annulum ibi reliquerit, leuauit eum & singulis ostendit. Mirantur illi, & se rei conscios omninò negant. Ostenditur alijs atque alijs, sed hucusquè nullus fuit, qui recognouerit, vndè vel à quo illuc delatus sit. Et tunc quidem annulus idem in opus Ecclesiæ expensus est, & res ità remansit: Postmodùm vero, cùm ipse Anselmus ad pontificatũ sumptus est, fuerunt qui hoc ipsum per annulum illum iam tunc quodam præsagio præsignatum fuisse asserent. Nos autem quæ gesta sunt, simplici tantùm stylo digerimus.

Multi ad eius cœnobium confluunt, eius fama exciti.

Annulum aureũ reperit in lecto suo.

Inuitabatur prætereà à diuersis abbatijs, quatenùs ibì & publicè in Capitulo fratribus, & secum priuatim loqui volentibus, verba vitæ ministraret. Nanque solenne extiterat omnibus, vt quicquid ab ore illius foret auditum, sic haberetur quasi planè diuinum responsum. Vndè requirendi consilij gratia, ex diuersis ad eum locis festinabatur. Quæ res inuidia graui diabolum vulnerabat. Nonnullos ergo, quos ab ea intentione secreta fraude non poterat, manifesta increpatione auertere machinabatur. Exempli causa: Miles quidam erat, Cadulus nomine. Hic quadam vice vigilijs & orationibus Deo intentus, audiuit diabolum sub voce scutarij sui extra ecclesiam, in qua erat, vociferantem, & turbato murmure, equos & omnia sua fracto hospitio à latronibus iam tunc direpta esse, atque abducta conquerentem, nec aliquid eorum vlteriùs recuperandum, ni citiùs accurreret. Ad quæ cùm ille nequaquàm moueretur, maius videlicet damnum deputans orationi cedere, quàm sua perdere, dolens diabolus se despectum, in speciem vrsi demutatus est, & ecclesiæ per tectum dilapsus, ante ipsum præceps corruit, vt horrore saltem & fragore sui casûs, virum à cœpto perturbaret. Sed miles immobilis permanet, & monstrum securus irridet. Post quæ statum vitæ suæ

Dicta eius quanto in precio habita.

Exemplũ egregij militis.

suæ proposito sanctiori fundare desiderans, Anselmum adijt, consilium eius super hoc addiscere cupiens. Verùm dum ad ipsum vadens, iter acceleraret, ecce malignus hostis humanam vocem ex aduerso edens, in hæc verba prorupit: Cadule, Cadule, quò tendis? Igitur cùm ille ad vocem hanc subsisteret, scire volens, quis esset qui talia diceret, repetiuit dæmon & ait: Quò tendis Cadule? Quid te tantoperè Priorem illum hypocritam cogit adire? Opinio siquidem eius omninò alia est à conuersatione vitæ illius. Quapropter suadeo, consulo, vt celeriùs redeas, nè seductus ab ea stultitia, qua modò traheris, illaqueeris. Hypocrisi nanque sua iam multos decepit, & spe vana delibutos, suis vacuos & immunes effecit. Hæc ille audiens, & dæmonem esse, qui loquebatur recognoscēs, signo se crucis muniuit: & spreto hoste, quò proposuerat ire, perrexit. Quid plura? Audito Anselmo, abnegato seipso & seculo, religiosæ vitæ se tradidit, & apud maius monasteriũ monachus factus est. Hunc etenim vsum Anselmus habebat, vt nunquā alicuius commodi causa suaderet alicui seculo renũciare volenti, quatenùs in suo monasterio potiùs, quàm in alieno, id faceret. Quod nimirùm eo intuitu, ea consideratione faciebat, nè vllus postmodùm loco, quem propria deliberatione non intrauerat, aliqua, vt fit, pulsatus molestia, detraheret, & scandali sui ac impatientiæ murmur persuasioni illius imputaret: itaque se alijs, & alios sibi, ad multa diuisus, graues efficeret.

Calumnia & fraus diaboli. *Cadulus miles fit monachus*

S. Anselmus abbas creatur. Defuncto sæpè superiùs nominato Abbate Herluino, vno omninò fratrum Beccensium consensu in Abbatem eligitur. Quod ipse omni studio subterfugere gestiens, multas & diuersas rationes, nè id fieret, obtendebat. Sed illis nec auditum quidem rationibus eius patienter accommodare volentibus, anxiatus est in eo spiritus eius, & quid ageret ignorabat. Transiêrunt in istis dies quidam: Verùm vbi Anselmus vidit se monachorum vnanimem constantiam non posse verbis mutare, tentauit si quo modo eam valeret vel precibus inclinare. Eis itaque pro re sub vno constitutis, ac ei, vt omissis obiectionibus solitis, Abbas fieri adquiesceret, insistentibus, ille flens & miserandos singultus edens, prosternitur in faciem coram omnibus, orans & obtestans eos per nomen Dei omnipotentis, per, si qua in eis erant, pietatis viscera, quatenùs respectu misericordiȩ Dei super eum intendant, & ab incepto desistentes, se à tanto onere quietum manere permittant. At illi omnes econtrà in terram prostrati, orant vt ipse potiùs loci illius & eorum misereatur, nè postposita vtilitate communi, se solum præ cæteris singulariter amare conuincatur. Acta sunt de his vtrinquè plurima in hunc modum: sed iam nunc cis istum ponimus dicendi modum. Vicit tandèm diligens dicendi importunitas & importuna diligentia fratrum, iugum Domini sub eius regimine ferre volentium: vicit quoque, & multò maximè vicit præceptum, quod, vt suprà retulimus, ei fuerat ab Archiepiscopo Maurilio per obedientiam iniunctum, videlicet vt si maior prælatio, quàm illius Prioratus extiterat, ipsi aliquandò iniungeretur, nullatenùs eam suscipere recusaret. Nam sicut ipse testabatur, nunquàm se Abbatem fieri consensisset, nisi cum hoc, quod dicimus, imperium ad hoc constrinxisset. Tali ergò violentia est Abbas effectus, ac Becci debito cum honore sacratus. Qualem verò se deinceps in cunctis sanctarum exercitijs virtutum exhibuerit, indè colligi potest, quòd nunquàm de retroacta sanctitatis suæ conuersatione causa Abbatiæ aliquid minuit, sed semper de virtute in virtutem, vt Deum deorum in Sion mereretur videre, conscendere studuit.

Tandèm inuitus cōsentit in sui electionem.

Nota qualem se exhibuerit Abbatem. Delegatis itaque monasterij causis curæ ac solicitudini fratrum, de quorum vita & strenuitate certus erat, ipse Dei contemplationi, monachorum eruditioni, admonitioni, correctioni iugiter insistebat. Quādò autem aliquid magni in negocijs ecclesiȩ erat agendum, quod in eius absentia non æstimabatur oportere definiri, tunc pro tempore & ratione negocium, quod imminebat, mediante iustitia disponebat. Abominabile quippe iudicabat, si quiduis lucri assequeretur ex eo, quod alius contra moderamina iuris quauis astutia perdere posset. Vndè neminem in placitis patiebatur à suis aliqua fraude circunueniri, obseruans nè cui faceret, quod sibi fieri nollet. Hinc procedebat, quòd inter placitantes residens, cùm aduersarij eius per sua consilia disquirerent, quo ingenio, quáve calliditate suæ causæ adminiculari, & illius valerent fraudulenter insidiari: ipse talia nullatenùs curans, eis, qui sibi volebant intendere, aut de Euangelio, aut de aliqua alia diuina scriptura, aut certè aliquid de informatione morum bonorum disserebat. Sæpè etiam, cum huiusce auditores deerant, suauiter in sui cordis puritate quiescens, corpore dormiebat. Eueniebatque nonnunquàm, vt fraudes subtili machina-

tione

tione compositæ, mox vbi sunt in audientiam illius delatæ, non quasi à dormiente, qui tunc erat, sed sicut à perspicaciter vigilante, & intendente, sint detectæ atque dissectæ. Charitas enim, quæ non æmulatur, quæ non agit perperam, quæ non quærit quæ sua sunt, in eo vigebat: per quam, quæ videnda erant, veritate monstrante, extemplò perspiciebat. 1. Cor. 13.

Quàm vigil autem atque solicitus fuerit circa hospitum susceptionem, eorumque in omni humanitatis officio releuationem, ex eo probatur, quòd illum pio studio in hoc & se & sua nouimus expendisse: se in omni hilaritate, sua in omni largitate. Quòd si aliquandò ad refectionem corporum victus omninò pro voto suo non sufficiebat, hoc, quod deerat, eius bona voluntas & vultûs alacritas apud hospites gratiosè supplebat. Prætereà nonnunquàm cibus fratrum suo iussu de refectorio sublatus, & hospitibus est allatus atque appositus. Neque enim tunc in promptu aliud erat, quod eis aptè posset apponi. Victus autem monachorum ità Deo prouidente dispensabatur, vt nihil eorum, quæ necessitas expetebat, illis deesset, licèt sæpissimè in hoc essent, vt timeretur nè in crastinum eis cuncta deessent: sicque nonnunquàm inter aliquid, & quasi nihil ferebantur: vt aliquid eis non superflueret, & quod erat quasi nihil, eos nequaquàm per inopiam fatigaret. Quod penitùs illis contingebat secúdùm verba sui patris, qui ea prędicebat, dū ministri ecclesiæ apud eū querebātur de formidine imminentis necessitatis. Frequenter nanq; à cellarijs, à camerarijs, à secretarijs aditus est, & quid cōsilij cōtra penuriam, quæ cuiusque obedientiam pessundabat, daret, inquisitus. Quibus cùm responderet, Sperate in Domino, & spero, quia ipse necessaria quæque vobis ministrabit: mirabili modo nō secùs eueniebat in re, quàm ipse dicebat se habere in spe. Videres enim post hæc verba statìm ipsa die vel certè sequenti manè, siue, quod falli non poterat, priusquàm penuria aliqua illum affligeret, aut naues de Anglia oneratas omni copia in vsum illorum iuxtà appelli, aut quemlibet de diuitibus terræ fraternitatem Ecclesiæ quærentem, cum magna pecunia aduentare, aut aliquem, relinquere mundum volentem, se & sua in monasterium offerre, aut deniquè aliundè aliquid apportari, vndè per plurimos dies necessaria quæque poterant ministrari. Erga hospites vt se gesserit. Necessaria fratribus nō desunt.

Habebat prætereà ipsum cœnobium plures possessiones in Anglia, quas pro communi fratrū vtilitate necesse erat per Abbatis præsentiam nōnunquam visitari. Ipso itaq; suæ ordinationis anno, Anselmus in Angliam profectus. Ad quod licèt hæc, quam dixi, satis firma causa existeret, alia tamen erat non infirmior ista, videlicet vt reuerendum Lanfrancum, cuius suprà meminimus, videret, & cum eo de his, quæ corde gerebat, familiari affatu ageret. Ipse siquidem venerabilis vir iam de Abbate Codomensi factus fuerat archiepiscopus Cantuariensis, omnibus valdè honorabilis, & sublimi probitate conspicuus. Lanfrācus Cantuariensis iam archiepisc.

Cùm igitur Anselmus, transito mari, Cantuariam veniret, pro sua reuerentia & omnibus nota sanctitate, honorificè a conuentu ecclesiæ Christi, in ipsa ciuitate sitæ, susceptus est. Pro quo honore nolens ingratus existere, postmodùm ipsi monachorum conuentui, à gratiarum actione inchoans, procedente in hoc verborum serie, de charitate locutus est: rationabiliter ostendens eum, qui charitatem habet, maius aliquid habere, quàm illum, ad quem charitas ipsa habetur. Ipse enim inter alia inquit: Qui charitatem habet, hoc, vndè Deus ei scit gratias, habet: ille verò, ad quem tantummodò habetur, minimè. Quas etenim gratias mihi debet Deus, si tu me vel quilibet alius diligit? Quòd si maius est habere hoc, vndè Deus scit homini grates, quàm hoc, vndè nullas, cùm pro habita charitate gratias sciat, pro suscepta non adeò: colligitur, eum, qui charitatem erga alium habet, maius quid habere, quàm ipsum, cui impenditur. Ampliùs: Is, cui dilectio alterius seruit, solius commodi munus perfunctoriè suscipit. verbi gratia: Honorem vnum, beneficium vnum, prandium vnū, vel quodlibet officij genus in hunc modum. Alius verò charitatem, quæ commodi munus exhibuit, sibi retinuit. Quod in vobis & in me, sanctissimi fratres, libet in præsenti considerare. Eccè vnum charitatis officium mihi impendistis. Impendistis, inquā, mihi charitatis officium vnum, & à me iam ipsum officium transijt: charitas verò ipsa, quæ Deo est grata, vobis remansit. Nónne melius iudicatis bonum permanens bono transeunti? Ad hæc si ex ipso officio circa vos aliquid charitatis in me creuit, & hoc ipsum vobis ad cumulum retributionis erit, qui fecistis, vndè mihi tantum bonum prouenit. Sic non vobis tantùm charitas vestra remansit: à me officium quod exhibuistis, penitùs transijt. Hæc igitur si recta consideratione attendimus, profectò

Diligere quàm diligi præstat.

perſpiciemus, magis nobis eſſe gaudendum, ſi alios diligimus, quàm ſi diligimur ab alijs. Quod quia non omnes faciunt, multi potiùs ab alijs amari, quàm amare alios cupiunt. Hæc & huiuſmodi multa locutus eſt, & accepta fraternitate monachorum, factus eſt inter eos vnus ex eis: degens per dies aliquot inter eos, & quotidiè aut in Capitulo, aut in clauſtro mira quadam, & illis adhuc temporibus inſolita, de vita & moribus monachorum coram eis rationabili facundia diſſerens. Priuatìm quoque alijs horis agebat cum his, qui profundioris ingenij erant, profundas eis de diuinis necnon ſecularibus libris quæſtiones proponens, propoſitasque exponens. Quo tempore & ego ad ſanctitatis eius notitiam peruenire merui, ac pro modulo paruitatis meæ, beata illius familiaritate, vtpotè adoleſcens, qui tunc eram, non parùm potiri.

Habes hinc authoris huius hiſtoriæ ætatē.

Inter reuerendum autem Pontificem Lantfrancum, & hunc abbatem Anſelmum, quid in illis diebus actum dictumúe ſit, planum eſt intelligere his, qui vitam & mores nouerunt vtrorumque. Qui verò non nouerunt, ex eo intelligant, quòd, inquantùm noſtra & multorum fert opinio, non erat illo tempore vllus, qui aut Lantfranco in authoritate, vel multiplici rerum ſcientia, aut Anſelmo præſtaret in ſanctitate, vel Dei ſapientia. Erat prætereà Lantfrancus adhuc quaſi rudis Anglus, necdumque ſederant animo eius quædam inſtitutiones, quas repererat in Anglia. Quapropter complures de illis, magna fretus ratione, mutauit ſola authoritatis ſuæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, & Anſelmum, vnanimem ſcilicet amicum & fratrem, ſecum haberet, quadam die familiariùs cum eo loquens, dixit ei: Angli iſti, inter quos degimus, inſtituerunt ſibi quoſdam, quos colerent, ſanctos. De quibus cùm aliquandò, qui fuerint, ſecundùm quod ipſimet referunt, mente reuoluo, de ſanctitatis eorum merito animum à dubietate flectere nequeo. Et eccè vnus illorum eſt in ſancta, cui nunc Deo authore præſidemus, ſede quieſcens, Elphegus nomine, vir bonus quidem, & ſuo tempore gradu archiepiſcopatûs præſidens ibidem. Hunc non modò inter ſanctos, verùm inter martyres numerant, licèt eum non pro confeſsione nominis Chriſti, ſed quia ſe pecunia redimere non voluit, occiſum non negent. Nam cùm illum, vt verbis vtar Anglorum, æmuli eius & inimici Dei pagani cepiſſent, & tamen pro reuerentia illius ei poteſtatem ſe redimendi conceſſiſſent, immenſam pro hoc ab eo pecuniam expetiuerunt. Quam quia nullo pacto poterat habere, niſi homines ſuos eorum pecunia ſpoliaret, & nonnullos forſitan inuiſæ mendicitati ſubiugaret, elegit vitam perdere, quàm eam tali modo cuſtodire. Quid hinc igitur tua fraternitas ſentiat, audire deſidero. Et quidem ille, ſicuti nouus Angliæ ciuis, hæc ſummatìm perſtringens Anſelmo propoſuit.

Nota.

De S. Elphego epiſcopo.

Attamen cauſam necis beati Elphegi hiſtorialiter intuentes, videmus non illam ſolam, ſed aliam fuiſſe iſta antiquiorem. Deniquè non ideò tantùm, quia ſe pecunia redimere noluit, ſed etiam quia paganis perſecutoribus ſuis ciuitatem Cantuariam & Eccleſiam Chriſti in ea ſitam concremantibus, ciueſq; innocuos atroci morte necantibus, Chriſtiana libertate obſiſtere, eoſq; à ſua infidelitate conuertere niſus eſt, ab eis captus, & crudeli examinatione eſt occiſus.

Sed Anſelmus, vt vir prudens, viro prudenti iuxta interrogationem ſibi propoſitam ſimpliciter ità reſpondit, dicens: Palàm eſt, quòd is, qui nè leue quidem contra Deum peccatum admittat, mori non dubitat: multò maximè mori non dubitaret, priuſquàm aliquo graui peccato Deum exacerbaret. Et reuerà grauius peccatum videtur eſſe, Chriſtum negare, quàm quemlibet terrenum dominum, pro redemptione vitæ ſuæ homines ſuos per ablationem pecuniæ illorum ad modicum grauare. Sed hoc, quod minus eſt, Elphegus noluit facere. Multo igitur minùs Chriſtum negaret, ſi veſana manus eum ad hoc mortem intendendo conſtringeret. Vndè datur intelligi, miram pectus eius iuſtitiam poſſediſſe, quandò vitam ſuam maluit dare, quàm ſpreta charitate proximos ſuos ſcandalizare. Quamobrèm longè fuit ab eo illud Væ, quod Dominus minatur ei, per quem ſcandalum venit. Nec immeritò, vt reor, inter martyres computatur, qui pro tanta iuſtitia mortem ſponte ſuſtinuiſſe veraciter prædicatur. Nam & beatus Iohannes Baptiſta, qui præcipuus martyr & veneratur & creditur à tota Dei Eccleſia, non quia Chriſtum negare, ſed quia veritatem tacere noluit, occiſus eſt. Et quid diſtat inter mori pro iuſtitia, & mori pro veritate? Ampliùs: Cùm teſtante ſacro eloquio, vt veſtra paternitas optimè nouit, Chriſtus veritas & iuſtitia ſit, qui pro iuſtitia & veritate moritur, pro Chriſto moritur. Qui autem pro Chriſto moritur, Eccleſia

S. Anſelmus docet S. Elphegũ rectè pro martyre haberi.

Matt. 18.

Matt. 14. Iohan. 14. 1. Cor. 1.

clesia teste, martyr habetur. Beatus verò Elphegus æquè pro iustitia, vt beatus Iohannes passus est pro veritate. Cur ergò magis de vnius, quàm de alterius vero sanctoque martyrio quisquam ambigat, cùm par causa in mortis perpessione vtrunque detineat? Hæc me quidem, reuerende pater, inquantùm perspicere possum, rata esse ipsa ratio docet: attamen vestræ prudentiæ est, & me, si aliter sentit, ab hoc corrigendo reuocare, & quid potissimùm in tanta re sentiendum sit, Ecclesiæ Dei docendo monstrare. Ad quod Lantfrancus: Fateor, inquit, subtilem perspicaciam, & perspicacem subtilitatem ingenij tui vehementer approbo & veneror, firmaque ratione tua edoctus, beatum Elphegum, vt verè magnum & gloriosum martyrem Christi deinceps me colere & venerari ex corde, gratia Dei iuuante, confido. Quod ipse postmodùm deuotè executus est: quin & historiam vitæ ac passionis eius diligenti studio fieri præcepit. Quam quidem historiam, non solùm plano dictamine ad legendum, verùm etiam musico modulamine ad canendum à iucundæ memoriæ Osberno Cantuariensis Ecclesiæ monacho, ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia, pro amore illius martyris, celsiùs insigniuit, insignitam authorizauit, authorizatam in Ecclesia DEI legi cantarique instituit, nomenque martyris hac in parte non parùm glorificauit. Matt. 14. Iohan. 14. 1. Cor. 1. Lantfrancus curat scribi historiã S. Elphegi.

Post hæc Anselmus ad agenda, propter quæ venerat, terras ecclesiæ Beccensis per Angliam adijt, vtilitati monachorum suorum per omnia studiosè secundùm Deum inseruiens. Vadens autem & ad diuersa monasteria monachorum, canonicorum, sanctimonialium, necnon ad curias quorunque nobilium, prout eorum ratio ducebat, perueniens, lætissimè suscipiebatur, & suscepto quæque charitatis obsequia gratissimè ministrabantur. Quid ille? Solito more cunctis se iucundum & affabilem exhibebat, moresque singulorum, inquantùm sine peccato poterat, in se suscipiebat. Nam, iuxta Apostolum, his, qui sine lege erant, tanquàm sine lege esset, cùm sine lege Dei non esset, sed in lege Christi esset, se coaptabat, vt lucrifaceret eos, qui non modò sine lege, vt putabatur, beati Benedicti: sed & eos, qui seculari vitæ dediti, in multis viuebant sine lege Christi. Vndè corda ominum miro modo in amorem eius vertebantur, & ad eũ audiendum famelica auiditate rapiebantur. Dicta etiam sua sic vnicuique hominũ ordini conformabat, vt auditores sui nihil moribus suis concordiùs dici posse faterentur. Ille monachis, ille clericis, ille laicis, ad cuiusque propositum, sua verba dispensabat. Monachos, vt ne minima quidem sui ordinis contemnerent, admonebat, contestans, quia per contemptum minimorum, ruerent in destructionem & despectum omnium bonorum. Quod dictum sub exemplo viuarij proponebat, dicens clausuram illius districtioni ordinis monastici assimilari: Quandoquidem, inquit, sicut pisces decurrente aqua viuarij moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpè crepant, nec reficiuntur: ità omnis religio monastici ordinis funditùs perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum, paulatim à feruore sui tepescit, attestante scriptura, quæ ait: Qui modica despicit, paulatim décidit. Clericos quoquè, qualiter se in sorte Dei custodire deberent, instruebat, eisque magnoperè esse cauendum, nè si à sorte Dei caderent, in sortem diaboli per neglectum conuersationis & ordinis sui deciderent. Coniugatos etiam, qua fide, qua dilectione, qua familiaritate, tam secundùm Deum, quàm secundùm seculum sibi copulari deberent, edocebat: virum quidem, vt suam vxorem sicut seipsum diligeret, nec præter illam, aliam nôsset: eiusque, sicut sui corporis, absq; omni sinistra suspicione curam haberet. Mulierem verò, quatenùs viro suo cum omni subiectione & amore obtemperaret, eumque ad benè agendum sedula incitaret, necnon animum eius, si fortè contra æquum in quenquam tumeret, qua affabilitate mitigaret. 2. Cor. 9. Omnibus sua verba, pro cuiusque statu, accommodat. Eccl. 19.

Hæc autem, quæ eum vel admonuisse, vel instruxisse, vel edocuisse dicimus, nõ eo, vt alijs mos est, docendi modo exercebat, sed longè aliter, singula quæque sub vulgaribus & notis exemplis proponens, solidæque rationis testimonio fulciens, ac remota omni ambiguitate, in mentibus auditorum deponens. Lætabatur ergò, quisquis illius colloquio vti poterat, quoniam in eo, quodcunque petebatur, diuinum consilium in promptu erat. Hinc eum omnis sexus & ætas mirabatur, & mirando amplectebatur: quo quis potentior alijs erat atque præstantior, eo magis erat ad ministrandum ei deuotior atque procliuior. Non fuit comes in Anglia seu Comitissa, vel vlla persona potens, quæ non iudicaret se sua coram Deo merita perdidisse, si contingeret se Anselmo abbati Beccensi gratiam cuiusuis officij tunc temporis non exhibuisse. Eius docendi modus. Mira eius existimatio apud Anglos.

Rex ipse Vuilhelmus, qui armis Angliam ceperat, & ea tempestate regnabat, quamuis ob magnitudinem suî cunctis ferè videretur rigidus ac formidabilis, Anselmo tamē ità erat inclinatus & affabilis, vt ipso præsente, omninò, quàm esse solebat, stupentibus alijs, fieret alius.

Pro sua igitur excellenti fama, Anselmus toti Angliæ notus, ac pro reuerenda sanctitate charus cunctis effectus, iter repetendi Normanniam ingreditur, ditatus multiplici dono, quod honori ac vtilitati ecclesiæ suæ vsque hodiè seruire dinoscitur. Familiaris ergò ei dehinc Anglia facta est, & prout diuersitas causarum referebat, ab eo frequentata. Vt autem omnipotens Deus demonstraret, se gratiæ ipsius, quam inuenerat apud homines, esse authorem, & illum apud se, quàm apud homines, gratiam inuenisse potiorem, quosdam viros per visum dignatus est visitare, & qualiter per eum ab infirmitate, qua nimìs grauiter vexabantur, conualescerent, edocere. Horum, quæ dico, duos, qui inter suos non ignobilis famæ erant, exempli causa proponam: qui, sicut à veridicis ipsius monasterij, cuius Abbas diù extiterat, monachis accepi, in eodem ipso monasterio, illis præsentibus, per eum curati sunt.

Quidam igitur vir nobilis & strenuus, in confinio Ponti ac Flandriæ præpotens habebatur. Hic in corpore lepra percussus, eo maiori mœrore afflictus est, quo se & à suis, contra dignitatem natalium suorum, pro obscœnitate tanti mali, despici deserique videbat. Conuersus itaque ad Deū est, & crebris orationibus, cum ellemosynarum largitionibus, opem ab eo precabatur. Vna igitur noctium ei per visum quidam apparuit, monens, vt si pristinæ sanitati restitui vellet, Beccum iret, & apud Abbatem Anselmum efficeret, quatenùs aquam, vndè manus inter Missam suam lauaret, in potum illi conferret. Qui visioni credulus, quò monebatur, impiger tendit, atque Anselmo, cur adueniret, secretò innotuit. Stupet ille ad verba, & hominem vt à talibus desistat, multis modis adiurat. At ipse in precibus perstat, & multo magìs, vt sibi misereatur, exorat, nec patiatur, vt ea medicina fraudetur, vndè sibi cælestem salutem affuturam pro diuino promisso credebat. Quid plura? Vicit pietas pectus humilitatis, & pro homine Deum postulaturus, matutino tempore Missam secretiùs celebrat. Admittitur æger, & quam petebat aquam, de manu viri accepit. Quæ in potum ilicò sumpta, & hominem morbidum integerrimæ sanitati restituit, & in laudem Dei multorum ora dissoluit. Clàm itaque virum, qui venerat, à se Anselmus emisit, denuncians ei in nomine Domini, nè vnquàm hoc factum sibi asscriberet, sed sola diuina miseratione perfectum esse certissimè sciret, & hoc ità esse, tacita funditùs mentione suæ personæ sciscitantibus responderet.

Visio cuiusdam nobilis leprosi.

Leprosum sanat aqua qua manus in Missa abluit.

Quo etiam tempore quidam frater de congregatione, valida corporis infirmitate percussus, ad extrema deductus est. Huic in somno quidam adstitit, & quòd vitam atque salutem recuperaret, si aqua ab Anselmo sanctificata adspergeretur, ipsi promisit. æger verò Anselmum se visitantem solita visitatione, de aqua precatus est, & voluntatis compos effectus, euestigiò sanitati restitutus est. Hæc pro ostendenda gratia viri paucis dicta sunt. Attamen de gratia, quam meruerat apud homines, non multum his, qui mores illius nouêre, mirandum video, proptereà quòd quædam appetibilis suauitas, vbicunquè erat, ex conuersatione eius emergebat, quæ in amicitiam illius ac familiaritatem cunctos agebat. Ipsius etenim studij semper erga omnes extiterat, vt ea potissimùm ageret, quæ alijs magìs commoda esse posse intelligebat. Vndè cùm interrogaretur, quid emolumenti acquirerent, qui seruata æquitate, aliorum voluntati in quibuscunque possent concordare satagerent: quidve detrimenti incurrerent, qui suam potiùs, quàm aliorum voluntatem implere studerent, hoc modo respondebat: Qui aliorum voluntati concordare per omnia in bono nititur, hoc apud iustum iudicem Deum meretur, vt quemadmodùm ipse aliorum voluntati in hac vita, ità Deus & omnia secum, suæ voluntati concordent in alia vita. Qui verò aliorum voluntate contempta, suam implere contendit, id eiusdem iudicis sententia damni subibit, vt quoniam ipse in vita præsenti voluntati nullius, nullus quoquè in futura velit aut debeat concors esse voluntati illius. Eadem quippe mensura, qua quisque alijs mensus fuerit, remetietur ei. Huius igitur rationis Anselmus consideratione subnixus, nulli grauis, nulli volebat onerosus existere, etiamsi à monachicæ institutionis austeritate hac de causa deberet aliquantulùm temperare. Et quidem, vt eum discretionis ordo docebat, nonnunquàm ab ipsa seueritate alijs condescendendo temperabat. In quo quid hi sensuri sint, qui post nos ista fortasis lecturi vel audituri sunt, * perscire non

Item ægrū aqua benedicta.

Studium concordię quid conferat.

Matt. 7.

** præscire.*

non possumus: Nos tamen, qui vitæ illius modum scire meruimus, magis in eo laudandum æstimamus, quòd à rigore sui propositi aliquandò pro ratione descendebat, quàm si continuè in ipso rigidus indiscretè persisteret. Ratione siquidem agi, virtutis est: vitij verò, contrà.

Inter hæc quidam clericus, ætate iuuenis, Boso nomine, Beccum venit, Abbatis colloquium expetens. Erat enim idem acer ingenio, & quibusdam perplexis quæstionibus inuoluerat animum, nec reperire quenquam poterat, qui eas sibi ad votum euolueret. Loquens igitur cum Anselmo, ac nodos ei sui cordis depromens, omnia, quæ desiderabat, ab eo sine scrupulo deceptionis accepit. Miratus ergò hominem est, & nimio illius amore deuinctus. Dehinc ergò cum eius allocutione familiariter potiretur, illectus ad contemptum seculi, emenso breui spatio, Becci monachus factus est. Cuius conuersioni simul & conuersationi diabolus grauiter inuidens, in tantam illum tentationis procellam demersit, vt succedentibus sibi varijs cogitationum tumultibus, vix mentis suæ compos existeret. Transiêrunt in hoc quidam dies, & seipsa semper fiebat immanior tentatio eadem. Turbatus ergò & mente confusus, Anselmum adijt, animique sui fluctus illi exposuit. At ipse, cùm singula intellexisset, hoc solùm pio affectu, scilicet, Consulat tibi Deus, ei respondit, ilicoque fratrem à se dimisit. Euestigio autem tanta tranquillitas mentis illum secuta est, vt, sicut ipsemet mihi referebat, vltrà quàm dictu credibile sit, subitò alius fieret ab eo, qui fuit. Itaque omnis illa tentatio penitùs euanuit, nec quicquam huiusmodi in se vlteriùs sensit. Fiebant prætereà ab Anselmo plurima in hunc modum, quæ nos breuitati studentes, ex industria præterimus. Silentio quoquè præterire placuit innumeros homines, tam per lauaturas manuum eius, quàm per reliquias ciborum eius, ante illum clam eo subtractas, à diuersis languoribus, sed maximè febribus, curatos, dispensante Deo sua dona iuxta meritum fidei vniuscuiusque. Nam si cuncta, quæ indè à veracissimis viris accepimus, describere vellemus, loquacitati potiùs, quàm rerum gestarum simplici narrationi nos operam dare (vt reor) iudicari possemus. Quapropter nè nimis longum faciamus huiuscemodi immorando, istis omissis, tendamus ad alia. Verùm nè inculta oratio prolixa sui continuatione legentes seu audiêtes fastidio grauet, hic primùm cœpto operi terminum ponamus, quatenùs illis, quæ magis delectant, recreati, aliud exordium, sequentia nôsse volentes, expediti reperiant.

Boso fit monachus sed acerrimè vexatur dæmonis tentatiõe.

Citò liberatur.

Multa miracula.

LIBER II.



Efuncto memorato rege Anglorum Vuilhelmo, Vuilhelmus filius eius regnum obtinuit. Hic sublato de hac vita venerabili patre Lãfrãco, ecclesias ac monasteria totius Angliæ graui nimium oppressione afflixit. Cuius oppressionis anno quarto Anselmus inuitatus, immò districta interpellatione adiuratus ab Hugone Cestrensi comite, multisque alijs Anglorum regni principibus, qui eum animarum suarum medicum & aduocatum elegerant, & insupèr Ecclesiæ suæ prece atque præcepto pro communi vtilitate coactus, Angliam ingressus est. Pridie igitur natiuitatis beatæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, Cantuariam venit. Vbi, cùm quasi ex præsagio futurorum multi & monachi & laici conclamarent, illum archiepiscopum fore, summo manè à loco discessit, nec vllo pacto acquiescere petentibus, vt ibi festum celebraret, voluit. Venienti autem ei ad curiam regis, optimates quique alacres occurrerunt, magnoque ipsum cum honore susceperũt. Rex ipse solio exilit, & ad ostium domûs viro gaudens occurrit, ac in oscula ruens, per dexteram eum ad sedem suam perduxit. Consident, & læta interìm quædam inter se verba permiscent. Deindè Anselmus secretiùs cum rege acturus, cæteros secedere monet. Omissis igitur monasterij sui causis, pro quibus maximè illuc venisse putabatur, regem de his, quæ fama de eo ferebat, Anselmus arguere cœpit, nec quicquam eorum, quæ illi dicenda esse sciebat, silentio pressit. Penè etenim totius regni homines omnes talia quotidiè, nunc clàm, nunc palàm, de eo dicebant, qualia regiam dignitatem nequaquàm decebant. Finito colloquio, diuisi ab inuicèm sunt, & de ecclesiæ suæ negocijs ea vice ab Anselmo nihil actum est.

Festum natiuitatis S. Mariæ.

Deindè Cestram ad comitem abijt, ac in partibus illis degere per plures dies ex ne-cessitate compulsus est. Intereà rex Vuilhelmus graui languore corripitur, & penè ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia à principibus, vt de matre totius regni eccle-sia, videlicet Cantuariensi, cogitet, & eam à pristina viduitate & calamitate per institu-tionem pontificis releuet. Acquiescit ille consilio, & Anselmũ in hoc opus fore dignis-simum pronunciat. Acclamatur ab vniuersis, edictum regis laudat clerus & populus o-mnis, nec resonat ibì vlla contradictio cuiuslibet hominis. Audit hoc ille, & ferè vsque ad exanimationem suî contradicit, reluctatur & obsistit. Præualet tamen ecclesiæ Dei conuentus. Rapitur ergò, & violenter in vicinam ecclesiam cum hymnis & laudibus portatur magìs, quàm ducitur. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimotertio, pridiè Nonas Martij, prima Dominica Quadragesimæ. In subsequenti autem festo Paschæ Vuintoniam Anselmus aduenit, & in suburbio ciui-tatis hospitatus est. Vna igitur nocte in tecta suburbij per incuriam ignis dilabitur. Quo crescente, ædificia quæque pasìm consumebantur. Et iam ignis idem hospitium Anselmi consumpturus, duabus tantùm domibus interpositis, aderat. Quibusdam igitur ea, quæ in domo erant, absportantibus, interdixit domina domûs, affirmans se nullo modo sibi vel suis aliquid damni timere, quæ tantum hospitem, hoc est, Ansel-mum archiepiscopum meruisset secum habere. Pro quibus verbis Balduinus, vir strenuus & monachus, mulieri compassus, suasit Anselmo, vt hospiti suæ subueniret. At ille: Ego? in qua re? Egredere, inquit, & signum crucis igni oppone: arcebit illum fortè Deus. Respondit: Pro me? Nihil est, quod dicis. Egressus tamen domum est, ti-more incendij ductus, & visis flammantibus globis, à venerabili Gundulfo episcopo & ab eodem Balduino contra ignem signum sanctæ crucis erecta in altum dextera edere coactus est.

Eccè quã inuitus cre atur archi-episcopus.

Nota san-cti viri mo destiam.

Mirabile dictu: Non priùs manum extenderat, quàm in se incendium retorqueri, flammas deficere cerneres, ità vt domum etiam, quam vorare cœperant, semiustam re linquerent.

Igitur Anselmus propter multas rationes, quæ interuenerant, nondùm consense-rat electioni, quæ de se facta fuerat, vt pontifex fieret: sed tamen detinente illum rege, morabatur in Anglia, conuersante cum eo ex iussu regis præfato Gundulfo Roffensi episcopo, & ei, quæ opus erant, ministrante. Ablatis autem de medio rationibus illis, tandèm post longum temporis spatium obedientia simul ac necessitate constrictus, consensit, & pridiè Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus episcopis An-gliæ, Cantuariæ consecratus est. In qua consecratione Euangelica illa sententia super eum reperta est: Vocauit multos: Et misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Dehinc cùm se regali curiæ in Natiuitate Domini Iesu præsentâsset, & honorificè à rege su-sceptus, primos dies festiuitatis circa regem lætus transegisset, pòst instinctu diaboli hominumque malorum mutatus est animus regis contra eum, cò quòd ipse, spoliatis hominibus suis, mille libras denariorum ei pro agendis munificentiæ suæ gratijs da-re noluit: & ità principe turbato, à curia discessit. Veniens autem in villam suam, quæ Berga vocatur, dedicauit ibì ecclesiam ad parochiam pertinentem: quam quidem antecessor eius Lantfrancus construxerat, sed obitu præuentus, dedicare nequiuerat. Ad quam dedicationem quidam clericus inter alios de Londino veniens, seque inter clericos viri quasi ad comministrandum mittens, chrismatorium pontificis clàm sub-ripuit, & in turbam mersus, fugam arripuit. Dum igitur iter, quod Londoniam ducit, ingressus cum furto fuisset, reflexit gressum, non autumans se ad locum, quem fugie-bat, festinare. Sed cùm rediens adunatæ plebis multitudinem reperisset, animaduer-tit se cupitum iter permutâsse, & qua venerat, viam repetit. Aliquantùm processerat, & iterùm visum est sibi cò tendere, quò fugiebat. Factum est hoc frequentiùs, & nunc hac, nunc illac, nesciens quò iret, erroneus ferebatur. Populus autem, qui eum sic se habentem intuebatur, quidnam haberet mirabatur. At vbi ministri pontificis vas chri-smatis perditum esse cognouerunt, confusi & tumultuantes discurrunt, quod perdi-tum erat, hinc indè quærunt, ignorantes à quo vel vbi id certò quærere debeant. Ru-mor damni fertur in populum, & opinio multorũ cadit erroneum in clericum. Ca-pitur, & sub cappa illius vas abreptum inuenitur. Refertur antistiti, quod actum erat. At ipse modesto vultu, menteque tranquilla statìm iussit culpam ignosci, & clericum ad

Tandèm se sinit cõ-secrari.

Luc. 14.

Rex in eũ ira inflam matur.

Punitur diuinitùs sacrilegus.

ad sua liberum dimitti. Tunc ille iter, quod furto grauatus nullatenùs tenere sciebat, liber ilicò & nihil hæsitans, ingressus agebat.

Post hæc paucis diebus interpositis mandatur ad curiam ire Anselmus, regem mare transiturum sua benedictione prosecuturus. Qui transitus dum vento obstante differtur, Anselmus opportunum se tempus nactum existimãs, regem pro ecclesiarum, quæ de die in diem destruebantur, releuatione, pro Christianæ legis, quæ in multis violabatur, renouatione, pro diuersorum morum, qui in omni ordine hominum quotidiè nimis corrumpebantur, correctione cœpit interpellare. Quæ ipse omnia cum magna indignatione suscipiens, nec se causa illius quicquam de omnibus acturum fore protestans, hominem discedere, nec se transfretaturum diutiùs ibi expectare iratus præcepit. Considerans Anselmus post hæc, quid quietis perdiderit, quid laboris inuenerit, anxiatus est spiritu, & vehementi dolore attritus. Ducebat enim ante oculos suæ mentis, qualem in Prioratu & Abbatia positus, vitam agere solebat, quàm scilicet iucundè in Dei & proximi charitate quiescebat ac delectabatur, quàm deuotè, verba vitæ loquens, ab omnibus audiebatur: quàm deuotiùs ad suæ, vt sperabat, cumulum retributionis, quæ dicebat, opere exercebantur: & nunc econuersò cùm in melius per episcopatum proficere debuerit, ecce die ac nocte in secularibus laborãs, videbat se nec Deo, nec proximo secundum Deum, iuxta pristinum morẽ intendere posse, nec quenquam ex ore suo verbum vitæ, quod facto impleret, ad suæ, vt reputabat, detrimentum mercedis audire velle.

Rex ab eo admonitus irascitur.

Accesserant istis in augmentum mali sui, crebræ suorum hominum oppressiones, quotidiè auribus suis insonantes, & minæ malignantium, deteriora in posterum pollicentium, circunquaquè detonantes. Sciebatur enim, regiam mentem contra eum in furorem concitatam esse: & ob hoc quisque malus beatum se fore credebat, si quod illum exasperaret, vllo ingenio facere posset. Multis itaque ac diuersis iniuriarum procellis fatigabatur, & nulla terreni honoris vel commodi suauitate, vndè consolationem haberet, fouebatur. Verùm salua in omnibus & ad omnes innocentia suæ conscientiæ, modicum respirabat ab his, & magnoperè consolabatur, si quandò, se monachorum claustro inferre, & quæ institutio vitæ ipsorum expetebat, coram eis effari valebat: Quod ipse quadam vice, capitulo eorum præsidens, & more de huiusmodi liberiùs agens, dicendi fine completo, iucunda hilaritate alludens, iocosa comparatione innotuit, dicens: Sicut bubo, dum in cauerna cum pullis suis est, lætatur, & suo sibi modo benè est: dum verò inter coruos aut corniculas, seu alias aues est, incursatur ac dilaniatur, omninoque sibi malè est, ità & mihi. Quandò enim vobiscum sum, benè mihi est, ac grata & singularis vitæ meæ consolatio. Quandò verò remotus à vobis, inter seculares conuersor, hincidè variarum me causarum incursus dilacerant, & quæ non amo, secularia negocia vexant. Malè igitur mihi est, quandò sic sum, ac tremens pertimesco, nè meum huiusmodi esse, procreet immane dispendium animæ meæ. Ad quod verbum, licèt alludens, vt dixi, cœpit amarissimè flens subinferre, & ait: Sed quæso miseremini mei, miseremini mei vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quia ergò in tali conuersatione magnoperè respirabat, ea sibi deficiente, grauiter suspirabat. Deum testor, me sæpè illũ sub veritatis testimonio audisse protestãtem, quòd libentiùs vellet in congregatione monachorũ pueri loco inter pueros sub virga magistri pauere, quàm per pastoralem curam toti Britanniæ prælatus, in conuentu populorum cathedræ pontificali præsidere.

Multis exagitatur vir sanctus iniurijs.

Elegans similitudo.

Nota sancti viri dictum memorabile.

Fortè dicet aliquis: Si tam bonum, tam iucundum erat illi habitare cum monachis, cur non continuè habitabat Cantuariæ cum suis? Ad quod ego: Si hoc solùm sibi possibile esset, magno se consolatum putaret. Sed & hoc partìm remotio villarum suarum, partìm vsus & institutio antecessorum suorum, partìm numerositas hominum, sine quibus eum esse pontificalis honor non sinebat, illi adimebat, eumque per villas suas ire ac inibi degere compellebat. Prætereà si Cantuariam assiduè incoleret, homines sui ex aduectione victualium oppido grauarentur, & insuper à præpositis, vt sæpè contingebat, multis ex causis oppressi, si quem interpellarent, nunquàm præsentem haberent, magìs ac magìs oppressi in destructionem funditùs irent. Nullo tamen loco vel tempore sine suis monachis & clericis erat: his duntaxàt exceptis, qui ad eum ex diuersis locis confluentes, raró deerant. Omnes etenim ad se venientes, dulci alacritate suscipiebat, & cuiq; pro sui negocij qualitate efficaciter respondebat. Videres siquidem

dem istos scripturarum sententijs ac quæstionibus inuolutos, mox, ratione proposita, ab eo euolui: istos in morum discretione nutantes, non segniùs informari: illos necessariarum rerum tenuitate laborantes, datis, quibus opùs habebant, ab inopia releuari. Nec ista largitas solummodò monachorum seu clericorum penuriam subleuabat, sed in quosq; laicos ea indigentes, ea sibi subueniri petentes, pro posse & nonnunquàm vltra posse pij patris redundabat.

De incarnatione Verbi librũ edit.

Quotiès autem opportunitas sese præbebat; in remotiorem cameræ suæ locum secedere, solisque cęlestibus studijs consueuit inhærere. Vndè fidei Christianæ zelo commotus, egregium & pro illius temporis statu, pernecessarium opus de Incarnatione verbi composuit. Quod opus epistolari stylo conscriptum, venerabili sanctæ memoriæ Vrbano Romanæ Ecclesiæ summo pontifici dicauit, destinauit. Quod ille gratiosè suscipiens, ac inuincibili veritatis ratione subnixum intelligens, in tanta authoritate habuit, vt postmodùm contra Græcos in concilio Barensi, cuius suo loco mentio fiet, disputans, indè robur suæ disputationis assumeret, & quàm damnabilis fuerit error eorum in hoc, quòd spiritum sanctum à filio procedere negabant, adstrueret. Sed nos ista prætermittentes, & certæ narrationi operam dantes, dicamus quòd ipse Anselmus, ad refectionem corporis sedens, modò de sacra, quæ coram eo legebatur, lectione, materia loquendi sumpta, conuescentes ædificabat: modò ex sua parte sacra verba, edisserens loco sacræ lectionis, præsentium mentes instruebat: modò de aliqua re vtili vel necessaria requisitus, requirẽtem pariter & coaudientes, mira suauitate reficiebat. Huius rei cogoscendæ gratia, quod leuius occurrit, exempli causa vnum subijciam: nõ quò vlla doctrinæ eius efficacia per hoc designetur, sed vt in quibus lingua eius inter carnales epulas versari solita fuerit, paulispèr intimetur.

Cõcilium Barense.

In mensa vt se gesserit.

Venit ad eum quadam vice quidam ex seculari vita monachus factus, consilium de vita sua flagitans. Hic cùm aliàs familiariùs ei locutus fuisset, inter prandendum opportunitate potitus, dixit: quia cùm se in seculari vita teneret, intellexit non rectum fuisse iter suum pergendi ad vitam. Quamobrèm, inquit, relicto seculo, veni ad ordinem monachorum, sperans me ibi posse penitùs intendere vitæ perenni & Deo. Eccè autem ex præcepto Abbatis mei secularibus negocijs intendo, & dum res Ecclesiæ contra seculares defendere tuerique desidero, placito, litigo, nec mihi forsan magnæ curæ est, si alij perdunt in meo lucro. Quaproptèr ferè cogor desperare, dum ea, quæ reliqui cum tot peccatis videor administrare. Ad hæc Anselmus tali sub exemplo respondit. Tota vita hominum comparari potest molẽdino, super præcipitem fluuium constituto. Sit igitur in hoc molendino ad manum hominis molens mola: qua qui molunt, alij sic suam farinam negligunt, vt tota in fluuium labatur ac defluat: alij parte retenta, partem in præceps ire sinant: alij totam colligant, atque in sua custodia condant. Horum scilicet, qui nihil sibi de farina seruauit, quod in vesperè comedat, non habebit. Qui parùm retinuit, pro portione sua parùm inueniet. Qui totam collegit, largè se pascere poterit.

Vita homi num molẽdino cõparatur.

Itaque molendino assimiletur, vt dixi, vita hominum: Molæ, actus illorum. Nam sicut mola, dum aliquid molit, in circuitu ducitur, & circunducta simili cursu sæpè reducitur: sic & actus humani quibusque temporibus in se reuertuntur. Verbi gratia: Arant homines, seminant, metunt, molunt, panificant, comedunt. En circuitum suum mola peregit. Vltràne quiescit? Nequaquam: Repetitur enim id ipsum. Aratur, seminatur, metitur, molitur, fit panis & comeditur. Hæc fiunt omni anno, & more mole recurrunt in idipsum. Videas ergò hominem cuncta opera sua pro terreno commodo facientem, nihil in eis nisi transitorium quid desiderantem. Iste quidem molit, quia operatur: sed tota farina sua, qui fructus est operis, à fluuio, id est, à fluxu secularis desiderij rapitur ac præcipitatur. Hic cùm in fine vitæ suæ molendinum egressus, atq; in domum suam reuersus, operum suorum fructus manducare voluerit, nihil inueniet, eò quòd fluuius torrens totum absorbuit. Ieiunabit ergò væ misero, in æternum. Est alius, qui suam non omnimodis farinam perdit, quoniam nunc aliquam pro Deo eleemosynam facit, nunc ad Ecclesiam pro Dei seruitio vadit, nunc infirmum visitat, nunc mortuum sepelit, & alijs in hunc modum bonis intendit. Verùm cùm is ipse voluptatibus carnis inseruit, pro illata iniuria per odium sæuit, humanis laudibus pascitur, crapula & ebrietate sopitur, horumque similibus eneruatur, nè farinæ pars maxima pereat, nequaquàm cautus inuigilat. Quid de isto erit in futuro, nisì quia recipiet, prout gessit?

Nota diuersos hominũ scopos.

Iam

Iam tertium genus in ordine monachorum attende. Est igitur monachus sub Abbatis sui imperio positus, obedientiam in omnibus, quæ sibi secundùm Deum iniunguntur, professus, sua, quantùm in se est, voluntate nunquàm claustra monasterij pro quouis seculari negocio egredi volens. Huic fortè præcipitur, vt extra claustrum ad custodiendam aliquam ecclesiæ villam eat. Excusat se, & nè fiat, obsecrat. Perstat Abbas in sententia sua, & per obedientiam iubet peragi imperata. Non audens ille recusare, paret. Eccè venit ad molam, necessariò illum molere oportet. Insurgunt hinc indè querelæ, placita, lites. Custodiat ergò sapiens monachus farinam suam, eamque in vas suum diligenter recipiat, nè in fluuium defluat. Quo, inquis, pacto? Nihil per inanem iactantiam agat, nihil quod Deus prohibet, cuiuslibet lucri gratia faciat. Obedientiæ, quæ sibi iniuncta est, ità studeat, vt & res ecclesiæ contra omnes viriliter iusteque tueatur & protegat, & de alieno per iniustitiam sub dominium ecclesiæ nil redigere satagat. Si in huiusmodi conuersatur & viuit, quanuìs aliquandò pro talibus Missas perdat, nonnunquàm loquatur, cùm fratres in claustro tacent, & quædam similia horum faciat vel dimittat, quæ ipsi nec faciunt, nec dimittunt: obedientiæ virtus, quam exercet, hæc cuncta consumit, & vas suum integrum seruans, farinam de sua mola fluentem, quæ illum æternaliter pascat, totam ac puram colligit atque recondit. Non enim secundum carnem, sed secundum obedientiam incedit, ac per hoc, vt Apostolus ait, nihil damnationis illi erit. Et quid de illo sentiendum est, inquit, qui se vltrò ad dispositionem villarum offert, atque vt id, quod cupit, ad effectum perueniat, clàm sibi adiutores aduocat, munera pollicetur, gratiam spondet? Refert: Nihil hoc ad propositum monachi pertinet. Ait: Quarè? Nónne hic talis, licèt hoc, quod dixi, cupiat, tamen sine licentia prælati sui nil facere tentat? Respondit: Licentia multos decepit. Obedientia enim & inobedientia contraria sunt. Harum media, licentia est. Is igitur, quem obedientia non constringit claustra monasterij egredi, vult tamen exire, regulęque districtionem licenter declinare, quanuìs nolit sine licentia id præsumere, & idcircò actum suum licentia, qua nititur, possit defendere, peccatum tamen habet ex illicita voluntate. Nec enim postquàm mortuus mundo claustrum subijt, ad mundi negocia vel voluntate vllatenùs redire debuit: Quia tamen ipsum velle suum non, nisì permissus, facto implere voluit, obedientia, quam in hoc amplexus est, ipsum factum excusabit: sed velle, quod contra obedientiam habuit, periculosum, nisì pœnituerit, illi erit. Quod nonnulli minùs attendentes, licentia, quam pro implenda voluntate sua expetunt, sæpè falluntur.

De mona- chis ex ob- edie[illegible] ternae [illegible] go- cia curan- tibus.

Nota obe- dientiæ vim.

Rom. 8.

De mona- chis ad ne- gocia ad- spirãtibus.

Hæc, vt dixi, non pro ostendenda doctrinæ suæ qualitate proposui, sed quibus inter epulas occupari solitus erat, leui exemplo monstraui. Nam si de humilitate, de patientia, de mansuetudine, & de hac, quam nunc paululùm tetigi, obedientia, necnon de alijs innumeris ac profundis sententijs eum, vt singulis ferè diebus audiebamus, disserentem introducerem: aliud opus cudendum, & quod in manu habemus, esset intermittendum. Quandò ergò, ait aliquis, manducabat? Manducabat planè inter loquendum, parcè quidem, & vt mirareris, vnde viueret. Verùmtamen fatebatur, & verum esse cognouimus, quia dum alicui longæ disputationi occupatus erat, magìs solito nescienter edebat, nobis, qui propinquiores sedebamus, clanculò panem ei nonnunquàm subministrantibus. Cùm verò absentibus hospitibus priuatim cùm suis ederet, & nulla quæstio spiritualis cuiusuis ex parte prodiret, prælibato potiùs quã sumpto cibo, mox cessabat, lectioniq; intendens, manducantes expectabat. Quòd si aliquem cerneret aut pro suî expectatione celeriùs comedentem, aut fortè cibum relinquentem, vtrunque redarguebat, & quò suo commodo, nihil hæsitantes, operam darent, affectuosè admonebat. Vbì autem alios libenter edentes aduertebat, affabili vultûs iocunditate super eos adspiciebat, & adgaudens, leuata modicùm dextra, benedicebat eis, dicens: * Benè faciat vobis.

Cibi ma- gna parsi- monia.

pro, * Benè vertat.

Exposito igitur, quib. modulis Anselmus inter suas epulas delectari consueuerat, vt paucis exponatur, quibus etiam alijs horis intenderit repetam, quod de eo me superiùs dixisse recordor, videlicet: Eius ori nũquàm Christus defuit, siue iustitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet: Omneque tempus perditum iri asserebat, quod bonis studijs aut necessariæ vtilitati non seruiebat. Opinari autem illum secùs vixisse, quàm docebat, profiteor nefas esse. Nam cùm illum, ex quo religionis habitum sumpsit vsque ad susceptam pontificatûs dignitatem, omnium virtutum ornamentis ratum sit studuisse, ipsasq; virtutes, in quorumcunque mentibus poterat, verbo & exemplo inseruisse:

ruisse: ità nihilominùs ratum esse confirmamus, cum totius Britanniæ Primatem fa-ctum, omnimodis in hac parte claruisse. Vndè etiam pro ipsarum indiscreta, ceu non-nullis & mihi quoq; aliquandò visum est, virtutū custodia sæpè reprahensus, & quòd monachus claustralis, quàm Primâs tantæ gentis esse deberet, præiudicatus est. Hoc pro excellenti humilitate eius, hoc pro immensa patientia eius, hoc pro nimia abstinen-tia eius dicebatur: dictum accusabatur, accusatum damnabatur. Præcipuè tamen in seruando mansuetudinem, indiscretionis arguebatur: quoniam sicut à pluribus puta-tum est, multi, quos Ecclesiastica disciplina corrigere debuerat, intellecta lenitate eius, in suis prauitatibus quasi licitè quiescebant. Verùm audita super his excusatione sua, (nam neminem spernebat, nemini rationem ad inquisita reddere contemnebat) mox liquidò cognoscebatur, ipsum aliter quàm faciebat, minimè in talibus facere debere vel posse, dum se in regula veræ discretionis vellet absque errore tenere.

Eximiæ virtutes eius.

Secularia verò negocia æquanimiter ferre nequibat, sed pro suo posse modis om-nibus suam eis præsentiam subtrahebat. Si quandò autem talis causa emergebat, vt ei necessariò interesse oporteret, soli veritati studere, nulli fraudem, nulli quodlibet præ-iudicium, quantùm sua intererat, patiebatur inferri. Si vani clamores, si contentiones, si iurgia, vt fit, oriebantur, aut ea sedare, aut citiùs sese absentare curabat. Nisi enim ità faceret, tædio affectus, statìm animo deficiebat, & insupèr grauem corporis ægritu-dinem incurrebat. Quam consuetudinem eius edocti, sæpè illum, re ipsa cogente, de medio multitudinis eduximus, proponentesq; aliquam ex diuina pagina quæstionem, ilicò corpus & animam eius, quasi salubri antidoto medicatum, in consuetum statum reduximus. Requisitus autem, quamobrē sic imbecillis ad seculares causas aut pusilla-nimis existeret, respondebat: Qui omnium secularium rerum amorem ac concupi-scentiam ab animo meo iamdudùm pepuli, qualiter in causis earum fortis & diligens existam? Immò veritatem dico, non mentior, quia quandò ipsæ mihi sese importunè & ex necessitate ingerunt, ità mens mea illarum horrore concutitur, sicut infans, cùm aliqua terribilis imago vultui eius ingeritur. Nec in earum dispositione magìs dele-ctor, quàm puer in vberibus matris delectatur, dum illis, acerba amaritudine superli-tis, ablactatur. His necessitatibus actus, totam domûs suæ curam & dispositionem do-mino Balduino monacho, cuius suprà meminimus, imposuit, quatenùs ad nutum il-lius cuncta penderent, & statuta extra ordinationem eius irrita fierent. Ità igitur secu-ritate potitus, spiritualibus disciplinis & contemplationi operam dabat.

Mundi huius negocijs occupari, quàm illi fuerit molestum.

Nota sancti viri de seipso testimonium.

Veruntamen diuersæ tribulationes & anxietates, quas tum propter terras Ecclesiæ, quas quidem maligni iniuria, rege non prohibente, inuadebant: tum pro pecuniarum exactionibus, quæ totum regnū, sed maximè suos homines in immēsum deuastabant, tum pro monasteriorum oppressionibus, quas sedare non poterat, & quotidiè ad eum referebātur: tum pro multis alijs in hunc modum sæpè patiebatur, hanc eius quietem interrumpebant, & aliena quædā meditari compellebant. Præterea hi, qui ante episco-patum viro submissi, eum diligebant, diligendo fauebant, fauendo quæq; electa de suis alacres conferebant: nunc terras Ecclesiæ petere, nunc equos rogare, nunc pecuniam, nunc hoc vel illud, ad quod scilicet sua quenque voluptas trahebat, ab eo precari. Ad-uerteres itaque petita obtinentes, in præsentia eius ficta pace adgaudere, retributiones & obsequia polliceri: alios, in contraria lapsos, honori eius detrahere, homines eius pro posse impugnare, in immensum minari.

Multiplices eius afflictiones.

Ille autem in patientia sua sciens possidere animam suam, cum his, qui oderunt pa-cem, erat pacificus, verba mansuetudinis & pacis semper reddēs impugnatoribus suis, cupiens malum illorum in bono vincere. Attamen ea, quæ poterant insequenti tem-pore Ecclesiæ suæ damno esse, nequaquàm æquo animo tolerare, aut sub negligētiam cadere patiebatur. Sed quid dicam? Tanta cupiditas ea tempestate dominabatur in mentibus quorundam, vt nec patientia ipsius deliniti, monitis acquiescerent: nec ter-roribus pulsati, cæcitatem sui cordis exirent. Verùm de extraneis non multùm fortè mirandum. Ipse sui proprij ac domestici homines, mentiti sunt ei & infideles facti. Animaduertentes quippe mansuetum, lene, simplexque cor eius, in pluribus cau-sis fraudulenta calliditate, compositisque sermonibus eum multotiès circumueni-re, & quæ illius iuris esse debebant, diminuentes, ac exindè sua non iurè augentes, qua ei fuerant alligati, fidem perdidere. Qua de re cùm à Balduino alijsque fidelibus suis nimiæ simplicitatis minorisque prudentiæ familiariter reprahenderetur, simplici ad-miratione respondebat, dicens: Quid est hoc? Nónne Christiani sunt? Et si Christi-ani, illum

Patientia eius.

A domesticis, quæ passus sit.

qui, num alicuius commodi causa vellent contra fidem suam scienter mentiri: Nihil est. Tanto nempe studio mihi loquentes sua verba componũt, & ea, fide sua interposita, vera esse iurant, vt incredulitati putetur posse asscribi, nolle credere eos ipsa veritatis firmitudine niti. Dicebat hæc ille, æstimans ipsos sibi nolle, quod sciebat se nemini facere velle. Cumque responderetur, sui moris illos non esse, aiebat: Fateor, mâlo decipi, bona de illis credendo, etiam si me nesciente mali sunt: quàm decipere meipsum, credendo mala de ipsis, quos nondùm verè probaui, quòd boni non sint.

Hæc tamen in principio põtificatûs sui dicta meminerim. Postmodùm enim rei veritas viro innotuit, & quæ sibi à verè suis dicta fuerant, nimìs vera fuisse cognouit. Quãuìs igitur solitam fidem non ex toto verbis eorum deincèps præbuerit, tamen suis rebus in posterum non parùm obfuit, quòd ipsis in principio tam credulus fuit. Siquidẽ illi certò scientes, cum pro malis sibi illatis ad mala reddenda cor non habere, à timore suspensi, sibique ipsis deteriores effecti, in peius profecêre. Quod pater tractans apud se, magis illorum, quam subsequi præuidebat, perditioni, quàm suæ indoluit transitoriæ deceptioni. Pro qua tamen deceptione & fidei non seruatæ corruptione, sæpè Anselmus dicere solitus erat, eos quandoque aut in se, aut in liberis suis de rebus Ecclesiæ, quibus nunc in sublime raptabantur, exhæredandos, & antiquæ paupertati, in qua nati fuerant & nutriti, sub iugandos, aut certè aliqua graui & contumeliosa vindicta ante mortem vel in morte, quod deterius esset, puniendos. Quod dictum eius iã in quibusdam completum videmus, & ex hoc, quid aliis etiam timendum sit, conicctamus. Ideò autem eos corrigere nequibat, quoniam ipsi more densarum spinarum perplexi, argutis verborum assertionibus se tales non esse, qui huiusmodi correctione opùs haberent, affirmabant. At ille contentioni seruire deuitans, dimittebat eos sibi, timens ne mensuram discretionis excederet, si in rimandis actibus illorum nimìs studiosus existeret. Nil enim in mundo magìs, quàm peccare, timebat. Conscientia mea teste, non mentior, quia sæpè illum sub veritatis testimonio profitentem audiuimus, quoniã si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessariò vni eorum immergi deberet, priùs infernum, quàm peccatum, appeteret.

Ecclesiæ bona sibi temerè vsurpantibus euentura prædicit.

Nota viri sancti sententiam, cum primis notatu dignã.

Aliud quoque non minùs forsan aliquibus mirum dicere solebat, videlicet mâlle se purum à peccato & innocentem, gehennam habere, quàm peccati sorde pollutum, cælorum regna tenere. Quod dictum cùm aliquibus extraneum videretur, reddita ratione temperabat, dicens: Cùm constet solos malos in inferno torquêri, & solos bonos in cælesti regno foueri: patet, nec bonos in inferno, si illuc intrarent, posse teneri debita pœna malorum, nec malos in cælo, si fortè accederent, frui valere felicitate bonorum. Propter hæc magno studio semper nitebatur peccatorum contagia deuitare, & quicquid eis aliquam nascendi occasionem poterat ministrare, ab intentione sua omni sollicitudine propulsare. Nec in his momentaneus erat. In his denique versabatur quotidiana institutio morum eius, in his stabat assidua conuersatio vitæ eius, in his vigebat indeficiens executio propositi eius, in istis Deo seruiebat, pro his quibusque bonis acceptus erat, per hæc vitam æternam adipisci satagebat.

Regem autem de transmarinis locis regressum Anselmus adijt, & vt sibi Romam ad Papam Vrbanum pro stola sui archiepiscopatûs eundi licentiam daret, humiliter petijt. At ille ad nomen Vrbani turbatus, dixit se illum pro Papa non tenere, nec suæ cõsuetudinis esse, vt absque sua electione alicui liceret in regno suo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam dissensio grauis est, sed in aliud tempus discutienda est dilata. Iubetur ergo, vt totius Angliæ episcopi, abbates & principes, ad discussionem dissidij huius apud castrum, quod Rothingeham dicitur, veniant. factum est, & tertia septimana Quadragesimæ, iuxta edictum, conuenerunt. Causa in medium ducitur, & Anselmus diuersis querelis hincindè concutitur. Siquidem multi, & maximè episcopi, regiæ voluntati fauere volentes, spreto æquitatis iudicio, id probare nitebantur, quòd Anselmus, salua fide, quam regi debebat, nullatenùs posset in regno Vrbanum, sedis Apostolicæ præsulem, pro Papa tenere. Quibus cùm plura, quæ ratio tulerat, obiecta fuissent, & Anselmus eos ex verbis Domini, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, alijsque nonnullis, quæ ratio nulla refellere poterat, penitiùs infrenãsset: illi econtrà, quid dicerent, non habentes, cum in regem blasphemare vno strepitu conclamauère, quandoquidem ausus erat in regno eius, nisì eo concedente, quicquam vel Deo asscribere.

Dissensio inter Anselmum & regem Angliæ.

Matt. 22.

Episcopi Angliæ nolunt suo parere Primati.

Igitur ad vnam regię indignationis vocem quidam ex episcopis archiepiscopo suo atque

atque primati omnem subiectionem, professam obedientiam vno impetu abnegant, eique vnitatem fraternæ societatis pari voto miserandi abiurant: quidam verò in eis, tantum quæ ex parte Vrbani Papæ præciperet, illi se obedituros negant. Episcopi itaq; omnes, qui affuerant, Roffensi solo excepto, aut vno aut alio modo debitam illi subiectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipse cunctam ei confidentiam & securitatem suis in omnibus adimit, nec se illum pro archiepiscopo vel patre ampliùs habiturum iurat, nisi ipse vicario beati Petri se vlterius obediturum statim deneget. Tres dies in isto negocio, clamoribus in Anselmum & contumelijs grauidi, expensi sunt, & tandèm in hoc, quem dixi, fine conclusi sunt.

Tunc Anselmus in suo proposito constans, per internuncium conductum, à rege postulat, quò tutus regno decedat. Quod principes multi damnosum fore dinoscentes, pro restituenda pace, inducias vtrinquè vsque ad Pentecosten dari precantur, & obtinent: ac sic eum, nè regno decedat, impediunt. Spondet igitur rex, si rebus eius vsque ad præfixum tempus induciarum, plenam pacem & tranquillitatem indulturum, & tunc voluntati illius pro sua religione multùm in negocio, quod emerserat, condescensurum. Verùm omninò in contraria lapsus est, & Anselmus, domino Balduino extra regnum depulso, hominibusque suis captis & expoliatis, terrisque vastatis, in immensum afflictus est. Attamen posthæc & Vrbanum per Vualterum Albanensem episcopum, qui pallium Anselmo à Roma Cantuariam detulit, pro Papa suscepit, & principum suorum consilio actus, in amicitiam suam virum recepit. Verùm post aliquantum tempus idem rex à *gualis victor regressus, renouata ira propter milites, quos sicut falsò à malignis dicebatur, malè instructos in expeditionem Anselmus direxerat, contra ipsum turbatus est. Tunc Anselmus considerans apud se, omni tempore talia pro nihilo posse oriri, & se eis occupatum, semper ab officio pontificali posse impediri: tractauit secum sibi Romam eundum, consilium à sede beati Petri super his petendum. Cùm igitur in solennitate Pentecostes ad curiam apud Vuindelhoram venisset; per familiares suos regi mandauit, sibi pernecessarium esse Romã ire, & hoc, si ei placeret, se per licẽtiam eius facere velle. At ille, Nequaquàm, inquit. Nec enim eum aut in his, quæ agenda sunt, cuiusuis consilij inscium, aut alicui graui peccato obnoxium esse scimus, vndè vel Papam consulere, vel illius absolutionem necesse sit illi implorare. Et res igitur ità tunc quidem remansit.

Multa pati tur a rege.

Discedente autem Anselmo à curia, & ad villam suã, nomine Heysem, properante, pueri, quos nutriebat, leporem sibi occursantem in via canibus insecuti sunt, & fugitantem infra pedes equi, quem pater ipse insidebat, subsidentẽ cõsecuti sunt. Ille sciens, miseram bestiam sibi sub se refugio consuluisse, retentis habenis, equum loco fixit, nec cupitum bestiæ voluit præsidium denegare. Quam canes circundantes, & haud gratò obsequio hincindè lingentes, nec de sub equo poterant eijcere, nec in aliquo lædere. Quod videntes, admirati sumus. At Anselmus, vbi quosdam ex equitibus adspexit ridere, & quasi pro capta bestia lætitiæ frena laxare, solutus in lachrymas, ait: Rideris? Et vtiquè infelici huic nullus risus, lætitia nulla est. Hostes eius circa eam sunt, & ipsa de vita solicita, confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc planè est & animæ. Nam cùm de corpore exit, mox inimici sui, scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt, crudeliter assunt, parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare. At ipsa nimis anxia, huc illucque circunspicit, & qua tueatur, defensionis & auxilij manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit. Dæmones autem econtrariò rident, & magno gaudio gaudent, si illam nullo fultam adminiculo inueniunt. Quibus dictis, laxato freno, in iter redijt, bestiam vltrà persequi clara voce canibus interdicens. Tunc illa ab omni læsione immunis, exultans præpeti cursu campos syluasque reuisit. Nos verò depositis iocis, sed non modicè alacres effecti de tam pia liberatione pauidi animalis, cœpto itinere viam detriuimus.

Nota de anima hominis morituri.

Alia vice conspexit puerum cum auicula in via ludentem. Quæ auis pedem filo annexum habens, sæpè, cùm laxiùs ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens, auolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam vsque ad se deijciebat: & hoc ingens gaudium illi erat. Factum est id frequentiùs. Quod pater aspiciens, miserè condoluit aui, ac vt rupto filo libertati redderetur, optauit. Et ecce filum rumpitur, auis auolat, puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis: Consideràstis, inquit, iocum pueri? Et confessis consideràsse, ait: Simili consideratione iocatur diabolus cum multis hominibus, quos suis laqueis irretitos pro sua voluntate in diuersa vitia pertrahit. Sunt enim quidam

Diaboli in hominib. decipiendis malignitas.

quidam, vt verbi gratia dicam, aut auaritiæ, aut luxuriæ & similium flammis succensi, & ex magna consuetudine illis addicti. His contingit aliquandò, vt sua facta considerent, defleant, seque amodò à talibus cessaturos sibi promittant. En more auis se volare liberos autumant. Sed quia prauo vsu irretiti ab hoste tenentur, volantes in eadem vitia deijciuntur. Fitque hoc sæpiùs: nec omnimodis liberantur, nisi magno conatu per respectum gratiæ Dei, filum prauæ consuetudinis dirumpatur.

Hinc iterùm Anselmus ad curiam veniens, iam petitam licentiam Romam eundi à rege petiuit, sed eam non obtinuit. Postque in mense Octobri inuitatus à rege, Vuintoniam vadit, & quod iam bis rogauerat, attentiùs per internuncios tertiò rogat. Turbatur ille, & nimiùm se vexari ab eo, anxiè queritur. Ad quod Anselmus: Et quidem, quòd Romam ire dispono, causa sanctæ Christianitatis, quam in hac terra regere suscepi, causaque salutis animæ meæ, causa etiam sui honoris & vtilitatis, si credere velit, id ago. Si ergo mihi bono animo licentiam dederit eundi, gratiosiùs accipiā. Si non, ego vtiquè, quod Deus præcepit, postponere non debeo, quia scriptum est: Obedire magìs Deo oportet, quàm hominibus. Quod ille audiens, turbato animo iubet, vt aut cœpto desistat, & insupèr se nunquàm beatum Petrum vel sedem eius pro quolibet negocio appellaturum iureiurando promittat, aut sine mora, omni spe remeandi sublata, suo regno decedat. Et subdens, ait: Si verò territus istis, cœpto desistere & remanere quàm ire, delegerit, tunc volo, quatenùs mihi, prout iudicabit curia mea, emendet, quoniam illud sibi concedi à me tertiò petijt, in quo se perseueraturū certus non fuit. Respondit: Dominus est. quod vult, dicit. Ego tamen sciens ad quid assumptus sim, & quid in Anglia gerendum susceperim, non mihi esse honestū pronuncio, cuiusuis transitorij commodi causa illud omittere, quod in ope misericordiæ Dei spero futuris temporibus Ecclesiæ eius vtile fore. Acta sunt hinc his multo plura: quæ quoniam aliâs scripsimus, hîc paucis perstringimus. Rege igitur & curialibus contra virum in iram permotis, ipse ad eum placido vultu ingreditur, & * dextram eius ex more assidens, ait: Ego Domine, vt dispoſui, vado, sed primò meam vobis benedictionē, si non abijcitis, dabo. Quam cùm ille se nolle abijcere responderet, conquiescentem regem ad hoc leuata dextera benedixit: sicque relicta curia, Cantuariam venit.

Postera die adunatos monachos, in ipsa sede Domino Iesu Christo famulantes, his verbis allocutus est: Fratres & filij mei dilectissimi, sicut audistis & scitis, ego ex regno proximè sum discessurus. Causa quippe, quæ inter dominum nostrū regem & me iamdiù de Christianæ religionis correctione versata est, ad hoc est tandèm perducta, vt aut ea, quæ contra Deum & honestatem meam sunt, me oporteat agere: aut è regno sine mora decedere. Et ego quidē libens vado, spero in respectum misericordis Dei, iter meum libertati Ecclesię futuris temporibus nonnihil profuturum: Super vos tamen, quos ad præsens relinquo, non modica pietate moueor, vtpotè quos tribulationes & angustias, oppressiones & contumelias acerbiùs solito, me absente, passuros intueor. Licèt enim constet, illas nec me præsente, ex toto fuisse remotas, tamen quandò emergebāt, contra eas vobis quoddam quasi vmbraculum extiti: & nè in immensum vos ferirent, scutum me vestræ protectioni medium obieci. Et quidem maiori pace ac securitate vos vsos existimo, postquàm inter vos veni, quàm à decessu venerandæ memoriæ Lanfranci patris nostri vsi fueritis, vsque ad introitum meum. Vndè etiam videor mihi videre, eo magìs ipsos, qui vos infestare solebant, aduersùm vos, me abeunte, sæuituros, quo à dominatu, quo vos opprimebant, vident se in præsentia meî deiectos. Sed vos nō estis rudes aut hebetes in schola Domini, vt qualiter in huiusmodi, si ingruerint, debeatis vos habere, opùs habeatis doceri. Paucis tamen suggero, vt quia Deo militaturi in conspectum huius monasterij conuenistis, præ oculis semper habeatis, quemadmodùm militetis. Non enim omnes vno modo militant. Quod etiam in terrenorum curijs principum videre planum est. Est etenim princeps, diuersi ordinis in sua curia milites habēs. Habet nanque, qui pro terris, quas de se tenent, seruitio suo inuigilant: habet, qui pro stipendijs in militaribus armis sibi desudant: habet etiam, qui pro recuperanda hæreditate, quam in culpa parentum suorum se perdidisse deplorent, inuicta mentis virtute voluntati suæ parére laborant. Hi ergò, qui pro terris, quas possident, seruiunt, iam radicati sunt & fundati, nec euelli formidant, dum se in domini sui voluntate conseruāt. At hi, qui pro stipendijs in militiā sese dederunt, nonnunquàm fatigati laboribus, à militia, quam aggressi sunt, segniter cadunt, dum fortè magnitudini exercitij atque laboris, magnitudo, sicut ipsi existimant, non æquatur impendij ac retributionis. Qui verò

Actor. 5.

* & ad

Benè precatur regi, abiturus è regno.

Oratio eius ad monachos.

Monachi vt se gerere debeant.

recuperandæ causa hæreditatis seruiendi conditionem arripuêre, quanuis nunc istis vel illis laborum generibus opprimantur, nunc his vel illis contumelijs afficiantur, æquanimiter omnia sustinent, si firmũ recuperandæ hæreditatis suæ amorem certæ spei gratia tenent. Hæc fieri inter homines liquet, & hinc, quid in curia principis omnium fiat, re ipsa monstrante, aduertere libet.

Familia tripartita omnipotentis Dei. Deus enim, cuius sunt omnia quæ sunt, in his tribus generibus distinctam ad suî obsequium curiam habet. Habet quippe angelos, qui æterna beatitudine stabiliti, sibi ministrant. Habet etiam homines, sibi pro terrenis commodis, quasi milites stipendiarij, seruientes. Habet quoquè nonnullos, qui diu noctuq; suæ voluntati inhærentes, ad regnum cælorum, quod in patris sui Adæ culpa perdiderunt, hæreditario iure peruenire contendunt. Sed nobis ad beatorum spirituum societatem magìs est suspirandũ, quàm de eorum procinctu, quo Deo perenniter adstant, in præsenti disputandum. Ad solidarios Dei milites verba vertamus. Videatis quamplurimos, in seculari vita degentes, Deũ in his, quæ possident, specietenùs diligentes, & eius per quædam bona opera, quæ faciunt, famulatui insistentes. Superuenit his Dei iudicio tentatio aliqua, perdũt sua. Quid dicam? Mutata protinùs mente, volant ab amore Dei, deserunt bona, quæ faciebant, murmurant, iniustitiæ Deum accusant. Quid de istis dicendum? Solidarij sunt, & impletur in illis, quod dicit Psalmus: Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. Hoc de secularibus dictum. Sed nos monachi vtinàm tales essemus, vt horũ similes nõ essemus. Nam qui in propositi sui norma, quam professi sunt, stare recusant, nisi cuncta, quę sibi ad votum sunt, copiosiùs habeãt, nec hinc propter Deum cuiuslibet rei penuriã, nec hinc regulæ disciplinam pati volunt, quibus (obsecro) rationibus iuuabuntur, nè horũ similes habeantur? In omni quippe opere suo priùs mercedem exigunt, quàm cui merces debetur, ministerij munus exoluant. Et hi tales, regni cęlestis hæredes erunt? Fidenter dico, Nequaquàm, si non pœnituerint, se tales fuisse.

Psal.48.

Fideles serui Dei. Qui verò ad recuperandæ vitæ regnum, obsequij sui dirigit intentionem, Deo per omnia inhærere, & totam fiduciã suam inflexibili mentis statu in eum defigere nititur: nulla hunc aduersitas, Dei seruitio detrahit, nulla transeũtis vitæ voluptas ab eius amore compescit. Per dura & aspera viam mandatorum illius incedit, & ex spe retributionis futuræ, cor suum indeficienti charitatis ardore succendit: ac sic in cunctis vera patiẽtia fretus, cum Psalmista lætus canit: Magna est gloria Domini. Quam gloriam sic in hac peregrinatione positus gustat, gustando ruminat, ruminando desiderat, desiderando à longè salutat, vt ad illam spe perueniendi subnixius, ea se intra mundana pericula consoletur, & alacriter cantet: Magna est gloria Domini. Et sciatis, quòd hic ipsa gloria Domini nullo modo defraudabitur, quoniam totum, quod in eo viget, voluntati Domini famulatur, atque ad hanc obtinendam dirigitur. Sed ó iam ab istis inter vos mihi cessandum video. Fratres mei, obsecro vos, si hic dolẽtes nunc ab inuicem separamur, tendite, vt in futuro ante Deum læti adinuicèm coniũgamur. Estote illi, qui veraciter velitis effici hæredes Christi. His dictis, erumpentes ab eius oculis lachrymæ, cum plura loqui prohibuêre. Gemitum fratrũ, qui subsecutus est, quis enarrabit? Ità fletus impleuit omnia, vt vox nulli superesset ad verba. Tandèm pater medios rumpens singultus, ait: Charissimi mei, scitis quid vos esse, & quò vos tendere cupiam. Sed hora hæc plura loqui vetat. Deo omnipotenti & beatissimo Apostolorum principi Petro vos cõmendo, vt & ipse Deus inter suas oues vos cognoscat, & beatus Petrus in suî tuitionem, sicut oues Dei sibi cõmendatas, vos suscipiat. Ego vestra licentia & benedictione vado, ac vt Deus pacis ac dilectionis vobiscum maneat, oro. Post hæc surrexit, & dato pacis osculo cunctis, in oratorium iuit, populo, sanctum eius alloquiũ præstolanti, pro instantis qualitate negocij verbũ consolationis & exhortationis ministraturus. Quod vbi excellenter peregit, adstante monachorum, clericorum ac numerosa populorum multitudine, peram & baculum peregrinantium more coram altari suscepit, commendatisq; omnibus Christo, ingenti fletu & eiulatu prosecutus, egressus est.

Psal.137.

Omnes fratres suire dolent eius recessu.

Valedicit monachis.

Alloquitur plebem.

Ipso die ad portum Dofras iuimus, ibique clericum quendam, Vuilhelmum nomine, à rege ad Anselmum directum reperimus. Detenti autem ibì quindecim diebus sumus, vento nobis transitum prohibente. In qua mora idem Vuilhelmus cum patre intrans & exiens, & in mensa illius quotidiè comedens, nulli, propter quam rem missus fuerat, denudare volebat. Diẽ verò quintodecimo cùm nos nautæ vrgerẽt naues petere, & nos transire auidi, ad hoc fatigaremur, eccè videres rem miserandam. Patrem patrię, Primatem totius Britanniæ Vuilhelmus ille, quasi fugitiuum & alicuius criminis reũ, in lito-

Detinetur vir sanctus & eius res explorãtur.

litore detinet, ac nè mare transeat, ex parte domini sui iubet, donèc omnia, quæ secum ferebat, sigillatìm sibi reuelet. Allatæ igitur ante illum bulgæ & manticæ, reseratæ sunt, tota supellex illius, spe pecuniæ reperiendæ, subuersa atque exquisita est, ingenti plebis multitudine circunstante, ac nefarium opus pro suî nouitate admirando spectante, & spectando execrante. Rebus ergò euersis, sed nihil horum, quorum causa euersæ sunt, in eis reperto, delusa solicitudo perscrutantis est, & Anselmus cum suis abire permissus.

Itaque nauem ingreditur, ventis vela panduntur, & aliquanto maris spatio promouemur: cùm subitò nautę, primùm inter se submurmurantes, ac deindè murmur ipsum depromentes, manifesta voce affirmant, nullo penitùs conatu, nullo numerosorum remorum impulsu eo, quo ferebamur, vento Vuitsandis pertingendum: immò si marinis fluctibus pariter inuolui nollemus, sine mora remeandum. Ingemuit Anselmus ad ista, & ait: Si omnipotentis Dei iudicio placet, me magìs redire ad pristinas miserias, quàm liberatũ ab illis, tendere ad id quod ipse nouit me animo proposuisse, ipse videat, ipse dispenset: ego voluntati eius obsequi paratus sum. nec enim meus, sed ipsius sum. Dixit, & suffusis in lachrymas oculis eius, ilicò ventus ex alio latere surgens, velum percussit, & nautas iam, velo reflexo, terram petentes, ad priorem cursum reuerti coëgit. Nos igitur non modicum exhilarati, & in breui prosperrimè marinis fluctibus euecti, Vuitsandis pro voto appulimus.

Egredientibus autem nobis de naui, hi, quorum nauis erat, retinentes dominum Balduinum, quem prouisorem & ordinatorem rerum Anselmi suprà diximus, ostenderunt ei mirabile quiddam, quod acciderat. In fundo etenim nauis, quæ virum per vndas transuexerat, fractura vnius tabulæ foramen vnum, fermè duorum spatio pedum magnitudinis, habens, effecerat, quod fluitanti elemento lacum demonstrabat, sed nullum omninò, quandiù Anselmus in eo fuerat, reserabat introitum. Quæ res si admirationem sese tuentibus intulit, non puto mirandum. Tunc Balduinus summo studio cunctis rem celare præcepit, & ea res per id temporis non multis innotuit. Ego autem cùm indè quędam persensissem, ac post longum tempus dum istis, quę in manu habemus, scribendum animũ applicuissem, nihilque, vndè mihi vel leuis dubitatio inesse poterat, describere voluissem, interrogaui eundem virum de negocio, & veritatem magnoperè sciscitatus sum. Qui interposita veritatis assertione, qua seruus Dei ac verus monachus inniti debet, confessus est rem ex toto, sicut eam retuli, factam, nec quicquam in ea confictum. Nota rem miram in naui rupta.

Anselmus itaque extra Angliam positus, magnificè lætatus est, & multiplices Deo gratias egit, quòd se quasi immanem Babylonis fornacem euasisse, & culmen quodammodò placidæ quietis contigisse videbat. Dan. 3. Vuilhelmus autem, audito Anselmum transfretâsse, confestìm præcepit cuncta, quę illius iuris fuerant, in suum transscribi dominiũ, & irrita fieri omnia, quæ per ipsum statuta fuisse probari poterant, ex quo venerat in archiepiscopatum. Sancti viri bona confiscantur. Quas itaque tribulationes Ecclesia Christi passa est intùs & extrà, cogitatu, nedùm dictu, percipere difficile esse pronuncio.

Igitur Anselmus à Vuitsandis manè discedens, & post dies ad S. Bertinum veniens, magna plebis, clericorũ ac monachorum alacritate susceptus est, & per quinq; dies ibi detentus. Intereà rogatu amicorum & canonicorũ, altare vnum apud S. Audomarum consecrauit. Quo facto, venerunt ad eum honorati quidam de indigenis viri, flexis genibus obsecrantes, quatenùs filios eorum per impositionem manûs suæ sacri chrismatis vnctione signaret. Ad quod mox ità respondit: Et hos, pro quibus petitis, libens in hac causa suscipiam, & alios hoc sacramento egentes, si præstò fuerint, non abijciam. Confirmationis sacramentum. Qua illi facilitate responsi benignitatem viri admirantes, magnificè lætati sunt, & gratias egerunt, confirmatisque pueris suis, ilicò totam vrbem his, quę ab eius ore acceperant, impleuerunt. Videres ergò viros ac mulieres, magnos ac paruos, è domibus ruere, certatimque currendo, ad nostrum hospitium prædicti gratia sacramenti properare. Plures siquidem anni apud eos transierant, in quibus nullus episcoporum illic fuerat, tali officio passus occupari. Plurimi ab eo confirmantur.

Sexto demùm die, cùm iam innumeram multitudinem confirmâsset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei, quod instabat, festinare cõpelleret, eccè puella quædam domum, de qua equos ascensuri egrediebamur, introijt, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex socijs nostris audientes, nimìs molestè tulerũt, & verba illius, vtpotè, qui iam talium erant tædio affecti, contradicendo depresserunt. Quid plura? Virum precibus puellæ assensum tribuere volentem, ipsi obiecta longitu-

 dine

dine diurnæ viæ, obiectis periculis, quæ nocturnos viatores, in peregrina quammaximè patria, compræhendere solent, detinuerunt, & nè voci ipsius auditum præberet, obtinuerunt. Sed vbi aliquantum processimus, venit patri in mentem, quibus adquieuerit, quid egerit. Illicò nimis impietatis seipsum arguens, tantum exindè concepit cordis dolorem, vt quandiù vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, vt sæpè fatebatur, ab animo eius non recesserit. Nobis dehinc cœptum iter de die in diem accelerantibus, fama viri multo celeriùs prçcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Vndè turbatum concursus, clericorum cœtus, monachorum exercitus ei, quocunquè veniebat, ocurrunt, isti gaudio & exultatione concrepantes, illi vexillis & sonoris concentibus Deo pro illius aduentu coniubilantes.

Religio sancti viri.

Cùm autem Lugdunum venisset, & ab Archiepiscopo ciuitatis ipsius gloriosè susceptus fuisset, post dies paucos, missis literis, consilium à Domino Papa de negocio suo quæsiuit: & quia partim imbecillitate sui corporis, partim alijs pluribus causis præpeditus, vltra Lugdunum progredi nequaquàm posset, ei suggessit. Ità ergò Lugduni resedit, reditũ nunciorũ suorum ibì expectans. Post tempus Roma nuncij redeuntes, quoniam omni sublata excusatione, cum ad se Papa properare præceperit, referunt. Ille nescius moræ, pontificalibus iussis obaudit, viæ se periculis, mortem pro Deo non veritus, tradit. Hinc Secusiam venimus, & nos Abbati loci illius præsentauimus. Eramus quippe monachi tres, dominus videlicet & pater Anselmus, dominus Balduinus, & ego, qui hæc scribo, frater Edinerus. Qui ità ibamus, quasi pares essemus, nullo indicio, quis cui præstaret, coram alijs ostendentes. Ab Abbate igitur, qui vel vndè essemus, interrogati, paucis respondimus. Et audito, quosdam ex nobis Beccensis cœnobij monachos esse, sciscitatus est: Fratres, obsecro vos, viuit ille adhuc, ille Dei & omnium bonorum amicus Anselmus, scilicet cœnobij ipsius Abbas, vir in omni religione probatus & acceptus? Balduinus ad hæc: Ille, ait, in archiepiscopatum in aliud regnum raptus est. At ille: Audiui. Sed nunc, quæso, qualiter est? valet? Equidem ex eo tempore, ait, quo functus est pontificatu, non vidi eum Becci: dicitur tamen benè valere vbì est. Tunc Abbas: Et vt valeat, oro. Hæc de se Anselmus dici audiens, confestìm tecto cucullæ suæ caputio capite, demisso vultu sedebat. Nolebamus enim agnosci, nè fortè præcurrente fama de aduentu tanti viri, cuiuis periculo nostra incuria fieremus obnoxij. Celebratis dehinc in cœnobio sancti Michaëlis archangeli, quod in monte situm Clusa vocatur, passionis ac resurrectionis Dominicæ solennijs, in iter reuersi, Romam festinauimus. Mirum dictu: Pauci atque ignoti per loca peregrina ibamus, neminem agnoscentes, nemini, qui vel vndè essemus, innotescentes, & eccè solus Anselmi adspectus in admirationem suî populos excitabat, eumque esse virum vitæ designabat. Vndè cùm iam hospitati etiam inter eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus, nonnunquàm viri cum mulieribus hospitium intrauêre, & vt hominem videre, eiusque mererentur benedictione potiri, obnixè precabantur.

Habes hic nomen authoris. Nota quæ apud exteros fuerit eius existimatio.

Tali ergò vulgi fauore Romam vsque prosecutus, Lateranis, vbì tunc temporis summus Pontifex morabatur, aduenit. Nunciatur Pontifici patris aduentus, & ouans iubet illum in parte ipsius sui palatij hospitari, & die illo indulgere quieti. Manè confluit ad Papam Romana nobilitas, & de noui hospitis aduentu sermo conseritur. Adducitur cum reuerentia vir in medium, & in qua coram Papa decenter sedeat, sella profertur. Ingressus, humiliat se pro more ad pedes summi Pontificis, sed statìm ab ipso erigitur ad osculum eius. Sedet, ac pro aduentu illius lætari se Apostolicus cum Romana curia dicit. Acclamat curia dicto. Posteà silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est: virum illum virtutis ac totius religionis esse contestans. Et quidem, inquit, ità est: Cumque illum, vtpotè hominem, cunctis liberalium artium disciplinis innutritum, pro magistro teneamus, & quasi comparem, velut alterius orbis Apostolicum & patriarcham iure venerandum censeamus, ità tamen excellens menti eius humilitatis constantia præsidet, vt nec marinis periculis, nec longissimis peregrinæ terræ spatijs terreri potuerit, quin vestigijs beati Petri, nostræ paruitatis ministerio se præsentare, nosq; magìs illius, quàm illum nostro egentem consilio, super causis suis consulendos adire studuerit. Quapropter considerate, quo amore, quo honore suscipiendus sit & amplectendus. Hæc cùm Anselmus de se, & multo his plura pro suî laude dici audiret, sicut ipsemet sæpè fateri solebat, non parùm erubuit, quoniam se talem apud se, qualis à tanto viro prædicabatur, minimè cognouit. Veruntamen erat inter verba tacens, decentiùs fore perpendẽs, ad huiusmodi silere quàm loqui. Post hæc de suî aduentûs causa per-

Venit Romã, & à põtifice honorificè excipitur.

Mirè à Pontifice prędicatur.

ſa percunctatus à Papa, eo ſibi modo narrauit eam, quo veritatis ac diſcretionis ratio popoſcit. Ille ad audita miratur, & ſubuentionem plenam pollicetur. Præcepit itaque, vt ſubuentionis ipſius effectum circa ſe Anſelmus præſtolaretur.

Verùm quia calor æſtatis in partibus illis cuncta vrebat, & habitatio Vrbis nimiùm inſalubris, ſed præcipuè peregrinis hominibus erat, Iohannes quidam nomine, olìm monachus Becci, tunc autem Abbas cœnobij ſancti Saluatoris Teleſſini, annuente Papa, ſuſcepit eum vt proprium patrem amicè, & duxit in ſuam villam, Sclauiam nomine, quæ in montis vertice ſita, ſano iugiter aëre atque tepenti, conuerſantibus illic habilis extat. Igitur habitatio noſtra in montis erat ſummitate locata, à turbarum tumultu inſtàr ſolitudinis vacua. Quod Anſelmus aduertens, ex ſpe futuræ quietis exhilaratus ait: Hæc requies mea, hîc habitabo. Ad primum igitur conuerſationis ordinem (quem antequàm Abbas eſſet, habebat, quemq́ue ſe in pontificatu poſitum maximè perdidiſſe deflebat) vitam inſtituit, ſanctis operibus, diuinæ contemplationi, myſticarum rerum enodationi diù noctuq́ue mentem intendens. Vndè Chriſtianæ fidei amore permotus, inſigne volumen edidit, quod, Cur Deus homo, titulauit. Quod opus, ſicut in prologo eius ipſe teſtatur, in Anglia cœpit: ſed hîc, in Capuana videlicet prouincia, conſtitutus abſoluit. Librū, Cur Deus homo, componit.

Inter hæc omnia ſeſe omnibus faciens, cunctis pro poſſe ſubueniens, cunctos, qui ſe audire volebant, non conſiderata alicuius perſona, ad ſuum colloquium admiſit, ſingulis pro qualitate motæ quæſtionis benigna affabilitate atque affabili benignitate ſatisfaciens. Quapropter fama illius in breui circuncircà percrebuit, & in dilectionem atque venerationem eius cunctorum corda conuertit. Quicunque igitur eum videre, eiusq́ue potuit benedictionem habere, beatum ſe proprij cenſura iudicij æſtimauit. Monachus etiam, qui villæ ipſius pro Abbatis imperio cuſtos erat, quiq́ue nobis more boni hoſpitis in nonnullis miniſtrabat, conſiderans vitam & actus patris, concepit apud ſe ſpem magni boni, & gratiam Dei in eo vigere, crediditq́ue quòd Deus multa libens faceret ob merita eius: homines autem villæ, multas incommoditates quotidiè patiebantur pro penuria aquæ. In deuexo tamen latere montis puteus vnus nimiæ profunditatis habebatur, ſed ità ſingulis diebus exhauriebatur, vt ab hora diei nona nulla, quæ extrahi poſſet, in illo aqua vſque manè reperiretur. Cui incommodo frater ille ſubuentum iri deſiderans, rem Anſelmo conquerentis more innotuit, & ſuæ voluntati ineſſe ſubiunxit, puteum in ipſo, quo habitabamus, loco facere, ſi fortè Deus ſua pietate dignaretur hoc incommodum propulſare. Laudat Anſelmus piam fratris voluntatem, & rem tentare ſuadet. Lætatur ille ad hæc, & rogat quatenùs ipſe locum inſpiciat, ac præmiſſa prece, cum benedictione ſua, primus terram aperiat. Adquieſcit ille precanti, nolens offendere voluntatem hoſpitis ſui. Quid dicam? Cernebatur miræ celſitudinis rupes, & quaſi dementia videbatur, in tali loco fontem velle aquæ inueſtigare. Vadit tamen Anſelmus nobis comitatus ad locum, & ſupplici prece præmiſſa, hoc eſt, vt abundantiam iugis atque ſalubris aquæ Deus ei largiretur, tertiò feriens terram aperuit, & reliquo operi dare operam iuſſit. Perpauci dies cœpti operis tranſiêrunt, & eccè fons viuus è duritia rupis erumpens, ingenti cunctos ſtupore percuſſit. Nec mirum. Aqua enim, quam ſe magiſter operis nec in plurimis diebus reperturum putabat, non mirum, ſi ſtuporem incuſſerit breuì reperta. Perfectus itaque puteus eſt, modicæ quidem profunditatis extans, ſed limpidiſſimæ atque ſalubris aquæ iugi fonte redundans. Quæ res ilicò diuulgata, non paruæ admirationis fuit, & eam viri meritis omnis, qui audiuit, aſſcripſit. Itaque puteus ille, puteus Cantuarienſis epiſcopi vſq; hodiè ab incolis ipſius terræ vocatur. Ferunt autem hi, qui ad nos indè ſæpè venerunt, quia multi diuerſis languoribus ac febribus tenti, ſumpta in potu eadem aqua, priſtinæ ſanitati mox reſtituuntur. Fons in rupe ad eius preces erūpit. Puteus Cantuarienſis epiſcopi.

His diebus Rogerus Dux Apuliæ ciuitatem Capuam obſidebat. Qui fama viri permotus, mittens rogauit eum venire ad ſe. Aſſcendimus, iuimus, & plures in obſidione dies exegimus, remoti in tentorijs à frequentia & tumultu perſtrepentis exercitûs. Erat autem, vbì eramus, quædam eccleſiola penitùs deſerta, & iuxta oſtium ciſterna deſupèr dirupta, magnæ profunditatis hiatum ſua diruptione prętendens. In qua eccleſia, velut in camera, pro velle conuerſabamur, tam quieti, quàm operi in ea indulgentes, & Ducem ipſum cum ſuis nobiſcum ſingulis diebus, vt volebamus, in promptu habentes. Quadam verò nocte, cùm in ea dormiremus, contigit Anſelmum ſui corporis neceſſitate ſilentiò ſurgere, & nè inquietaremur, ſuo more lento pede ad oſtiū tendere. Quod Nota.

cùm exiſſet,& immemor foueæ,per tenebras in partem diuertiſſet,in profundum cecidit,clamoſa voce cadendo dicens: Sancta Maria. Ad quem ſonitum nos ac ſocij noſtri, qui in tentorijs quieſcebant, expergefacti,lectis proſiliuimus, accurrentes hominem in profundo vidimus,& præ timore ſimul & anguſtia cordis exanimati ferè ſumus. Quod ipſe percipiens,mox leuato capite, vultu iucundo, intuitu nobis innuit, nil læſionis ſeſe perpeſſum. Deſcendentes igitur quidam ex noſtris ex altera parte ipſius præcipitij, qua via erat deſcendendi, eduxerunt eum à loco ſanum omninò atque incolumem.

Vir ſanctus in profundā cadit foueā illæſus.

Cùm poſt hæc ſedis Apoſtolicæ pontifex Vrbanus illò aduentaret, & ei ab Anſelmo & principibus totius exercitûs obuiàm itum eſſet,ingenti mundialis gloriæ pompa proſecutus, ductus eſt in tentorium, quod iuxta nos ſibi erat cæteris excellentiùs conſtitutum. Sicque, donèc ciuitas in deditionem tranſijt, obſidio illius dominum Papam & Anſelmum vicinos habuit,ità vt familia vtrorunq; magìs videretur vna,quàm duæ, nec facilè quiuis declinaret ad Papam,qui non diuerteret ad Anſelmum. Papa nanque colebatur à cunctis,quemadmodùm pater & paſtor communis: Anſelmus verò diligebatur ab omnibus, ſicut homo manſuetus & mitis, & cui ſuo iudicio nihil debebatur à quouis. In Papa deniquè ſupereminens vigebat cum dignitatis authoritate poteſtas: in Anſelmo mira, & quæ cunctos demulcebat, pura cum ſimplicitate humilitas. Multi ergò, quos timor prohibebat ad Papam accedere, feſtinabant ad Anſelmum venire, amore ducti, qui neſcit timere. Maieſtas etenim Papæ ſolos admittebat diuites: humanitas Anſelmi ſine perſonarum acceptione ſuſcipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam,vt de Chriſtianis taceam. Siquidem nonnulli talium, (nam eorum multa millia in ipſam expeditionem adduxerat homo Ducis,Rogerus Comes de Sicilia) nonnulli,inquam,taliū,fama bonitatis eius inter ſuos exciti, manſionem noſtrā frequentabant,& ſumptis ab Anſelmo corporalibus cibis,gratioſi reuertebantur,admirandā viri benignitatem ſuis prædicantes,quam experiebantur. Vndè in tanta deincèps veneratione apud eos habitus eſt, vt cùm per caſtra illorum,quæ in vnum locata erant,tranſiremus,ingens multitudo eorum,eleuatis ad cælum manibus,ei proſpera imprecarentur, & oſculatis pro ritu ſuo manibus,proprijs etiam coram eo genibus flexis, pro ſua benigna largitate grates agendo, venerarentur. Quorum etiam plurimi, velut comperimus, ſe libenter eius doctrinæ inſtruendos ſubmiſiſſent, ac Chriſtianæ fidei iugo ſua per eum colla inieciſſent, ſi crudelitatem Comitis ſui per hoc in ſe ſæuituram non formidâſſent Nam reuerà nullum eorum pati volebat Chriſtianum impunè fieri. Quod qua induſtria, vt ità dicam, faciebat, nihil mea intereſt: viderit Deus, & ipſe.

Ro. Pōtifex & Anſelm' ſunt apud Apuliæ principem in caſtris.

Dehinc ſoluta obſidione, Anſelmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus eſt, quatenus ab onere pontificali eum abſolueret, & quieti liberum vacare concederet. Verùm cùm, quantum quidem ad effectum ſpectabat, in nihilum laborâſſet, fretus benedictione eius, Sclauiam reuerſus eſt, opperiens ibì tempus concilij, quod idem Papa apud Barum Calend. Octob. erat celebraturus. Cui concilio dum Anſelmus ſe præſentâſſet, & perſuaſus à Papa, Græcos in proceſſione ſpiritûs ſancti, vtpotè quem à patre, non à filio procedere adſtruebant, errantes, rationabili atque catholica diſputatione confutâſſet,magni apud omnes habitus eſt, & veneratione digniſſimus comprobatus.

Cōcilio Barenſi etiam Anſelmus intereſt, & Græcos cōfutat.

Finito concilio, Romam cum Apoſtolico profecti ſumus. Tranſactis autem aliquantis diebus, venit Romam Vuilhelmus ille, cuius in exitu Angliæ mentionem fecimus. Is inter alia hoc effecit apud Apoſtolicum, vt inducias regi Angliæ daret de cauſa Anſelmi, vſque ad feſtum Michaëlis Archangeli. Quod Anſelmus agnoſcens, ilicò Lugdunum redire volebat, ſed prohibitus à Papa eſt propter concilium, quod ſe tertia hebdomada Paſchæ Romæ habiturum ſtatuerat. Morati itaque Romæ ſumus fermè per dimidium annum, continuè circa Papam degentes, & quaſi in commune viuentes. Vndè & ipſe Papa nonnunquàm ad Anſelmum veniebat, lætè cum eo ſeſe agendo, & curiam ei faciendo. Dedit ei quoquè hoſpitium, in quo conuerſabamur eo iure, vt ſi aliquandò Romam rediret, contra omnes homines illud ſibi vendicaret. Ipſe in conuentu nobilium, in proceſſionibus, in ſtationibus, ſemper & vbiquè à Papa ſecundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipſe omnibus ſimplici humilitate ſummiſſus. Prætereà Angli, illis temporibus Romam venientes, pedes eius, adin-

Nota quo in honore Romæ fuerit.

adinstàr pedum Romani pontificis, sua oblatione honorare desiderabant. Quibus ille nequaquàm adquiescēs, in secretiorem domûs partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad se pacto accedere. Quod vbi Papę relatū est, admiratus in homine humilitatem mundique contemptum, iussit sese in se tenere, & nullum benefacere vltrà volentem prohibere, sed omnes pro tali causa aduentantes, patienter admittere. At ille modesta quadam verecundia actus, iussa profectò postponeret, si non inobedientiæ næuo corrumpi timeret.

Quid referam nonnullos ciues vrbis, quorum ingens multitudo, propter fidelitatem Imperatoris, ipsi Papæ erat infesta, nonnunquàm in vnum conglobatos, Anselmum, à Lateranis ad sanctum Petrum euntem cum suis, propter odium Papæ capere volentes, sed mox viso vultu eius territos, proiectis armis, terra procumbere, & se illius benedictione deposcere insigniri? Hi honores, & horum similes vulgi fauores vbiquè illum comitabantur, quia mores sui in cunctis Deo famulabantur. Hinc etiam erat, quòd non facilè à quoquam Romæ simpliciter homo vel archiepiscopus, sed quasi à proprio nomine, sanctus homo vocabatur. Quicunque igitur ei seruiebamus, amori & honori cunctis eramus. Cùm verò ad præfatum concilium ventum esset, & iam quæ recidenda, recisa: & quæ statuenda videbantur, statuta fuissent, excommunicationis sententiam tam in laicos, qui inuestituras ecclesiarum dant, quàm in eos, qui de manibus eorum illas suscipiunt, cum toto concilio Papa intorsit. Eadem sententia quoquè damnauit & eos, qui in officium sic adepti honoris aliquem sacrant.

Romani nō audent manū mittere in Anselmū.

Concilium Romanum.

Soluto conuentu, accepta licentia, Roma digredimur. Via verò redeundi multis erat periculis obnoxia: sed protegente nos Domino, pericula cuncta euasimus, ac Lugdunum illæsi peruenimus. Vbi summo cum honore gaudioque suscepti, & à pontifice ciuitatis, venerabili scilicet Hugone detenti, mansionem nostram illic firmauimus, amissa omni fiducia, viuente rege Vuilhelmo, Angliam remeandi. Habitus est ergò ibi Anselmus, non sicut hospes aut peregrinus, sed verè sicut indigena & loci dominus. Vndè nusquàm ipse ipsius vrbis antistes, eo præsente, suo volebat loco præsidere: sed præsidente vbiquè Anselmo, ille mira humilitate & honestate præditus, inferioris & quasi suffraganei loco simul & officio fungebatur. Super hæc, vt episcopale officium per totam parochiam suam pro velle exerceret, in voluntate eius ac deliberatione constituit. Quod vbi per loca vicina innotuit, ilicò frequens populorum concursus factus est, vnctionem sacri chrismatis per impositionem manûs illius poscentium sibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipsius sacramenti admittebat, ità vt sæpissimè in hoc totus dies expenderetur, & nos, qui ei ministrabamus, graui tædio afficeremur, ipso semper iucundo & hilari vultu existente. Creuit autem ex hoc in eum mira quædam & incredibilis dilectio omnium, & bonitas eius diuulgabatur per circuitum.

Lugduni moratur summo cū honore.

Vide quantum ei detulerit Lugdunensis Episcopus.

Igitur qui illis diebus saltem reliquias de mensa illius poterat habere, contra omnia pericula & infirmitates se salutifera credebat medicina ditatum. Nec ista fides fallebat eos. Nam reuerà nonnullos febribus tentos, & quibusdam alijs infirmitatibus pressos, mox sumptis ciborum eius reliquijs, nouimus integræ sanitati restitutos. Exempli gratia: Festiuitas beati Mauricij celebris habetur Viennæ. Rogatus itaque Anselmus à Guidone, ipsius vrbis archiepiscopo, in ipsa festiuitate venit eò. Et celebrato solenni Missæ ac prædicationis officio, cùm ad refectionem corporis sedisset, venerunt ante illum milites duo, voce & vultu ægrotationis molestiam, qua premebantur, præferentes, rogantes quatenùs de micis sui panis eis dare dignaretur. At ille, Nequaquàm, inquit: Nec enim pane integro, nedùm micis, vos indigere conspicio. Sed si comedere vobis placet, amplus locus est: sedete, & cum benedictione Dei, quæ vobis apponentur, comedite. Responderunt se pro hoc non venisse. Nec ego, ait, vobis aliud faciam. Intellexerat enim, quò intenderent. Vnus ergò ex his, qui in eius dextra sedebant, intelligens illos salutis propriæ curam habere, & virum in hoc nihil, quod miraculo posset asscribi, velle facere, quasi eorum importunitatis pertæsus, arrepta desupèr mensa fragmenta præbuit eis, & nè hominem fatigarent, secedere monuit. Qui statim vt exindè modicum gustauerunt, cum benedictione viri egressi sunt. Post mensam in secretiorem locum me tulerunt,

Reliquiæ mēsæ eius mirè expetuntur, neque id frustrà.

magnoperè postulãtes, quatenùs adiuti mea ope, ad Missam patris mererentur de manu eius Dominicum corpus & sanguinẽ sumere. Quos cùm libenter audissem,& quandò,& quóve in loco id fieret, edocuissem, gratiosa voce responderunt: Et nos quidem, omni excusatione semota, sicut dicis, veniemus, si hac medicina, quam nunc de mensa ipsius suscepimus,& quartanis,& mortiferis febribus, ac intestinorum tortionibus, quibus intolerabili cruciatu concutimur, liberati non fuerimus. Et hoc erit signum inter nos & te: quoniam si conualuimus, non veniemus: si non venimus, conualuimus. Quibus dictis, ab innicèm diuisi sumus. Non venerunt, quia, sicut accepi ab eis, qui vtrunque nouerũt, eo quod de mensa acceperant, ad plenũ Dei gratia conualuerunt. Quod quidem si ità non fuisset, quemadmodùm illos infirmitate grauatos, sanitati voluisse restitui, credibile est: ità eos requisitione istius posterioris medicinæ supersedere noluisse, dubium non est. Nempe tenebant ista se, quin conualescerent, falli non posse, scientes quendam non ignoti nominis virum eo solo, quòd ipse recuperandæ sanitatis Missæ illius interfuit, à pari tunc inualitudine conualuisse.

Nota vim fragmentorum ex eius mensa sublatorum.

Nota vim Missæ auditæ.

Siquidem vnus è principibus terræ illius diù eadem, qua ipsi, languoris molestia vexatus fuerat. Hic agnito Anselmum in ecclesia beati Stephani Missam ex more celebraturum, festinauit illò, arbitrans sibi ad recuperandam sanitatem vtile fore, si Missa tanti viri ac benedictione meruisset potiri. Fateor, vidimus hominem suorum manibus innixùm, ecclesiam introëuntem, mortuo quàm viuenti similiorem. Sedit, & finita Missa, egressus est. Nobis verò nec quis vel vndè aut cur aduenerit, scientibus atque curantibus, idem vir, euolutis paucis diebus, ad patrem venit: flexis genibus, ei pro adepta sanitate gratias agens. Ad quod cùm ille obstupesceret, indicauit ei ordinem gestæ rei, confirmans quòd ab ea hora, qua se Missæ illius præsentauit, omni doloris vexatione depulsa, sanitati restitutus sit. At ille nihil ad se hoc pertinere, sed ipsius fidei ac meritis beati martyris, ad quem diuertit, asscribendum asserens, quæ saluti animæ illius competerent, eum instruxit, & familiarem sibi effectum, correctiori vitæ, vt pòst multorum testimonio comperimus, reddidit.

His ferè temporibus Cluniacum euntibus nobis occurrit quidam sacri ordinis homo, lachrymosis precibus virum deprecans, quatenùs & se oculo misericordiæ & sororem suam, nupèr amentem effectam, dextera suæ benedictionis dignaretur respicere. Et subdens: Eccè, ait, in via, qua transituri estis, inter multos tenetur, sperantes, quia si tu domine ei manum imposueris, continuò, fauente gratia Dei, suæ menti restituetur. At hæc ille muta voce & quasi surda pertransijt aure. Presbyterum eo magìs instantem ac preces multiplicantem repulit à se, omnibus modis asserens tam extraneum factum nulla sibi ratione tentandum. Inter hæc procedimus, & illam in medio adunatæ multitudinis cominùs teneri conspicimus, furibundos motus & inhumanos nutus vultu, ore, oculis, corporis gestu edentem. Populus itaque virum aduenientem circundat, retentis habenis preces ingeminat, vt miseræ mulieri manum impónat, orat, obsecrat. Obsistit ille, dicens, quod postulant, nequaquàm Anselmi esse. Obijciunt illi vulgi more, quæ occurrebant, saltem improbitate vincere gestientes. Tunc vir aliter se non posse euadere sentiens, hoc solo eis morem gessit: videlicet, quod nulli negare solebat, signo eam sanctæ crucis leuata dextera signauit. Quo facto, laxatis habenis ocyor abit, impositoque cucullæ suæ capitio capiti, remotis socijs, singularis vadit, infelicis fœminæ ærumnas pietatis affectu perfusus lachrymis tenerrimè deflens. Hac nos contritione afflicti Cluniacum, illa vulgi manibus acta domum tetendit. Necdùm pes eius limen suæ domûs attriuit, & integerrimæ sanitati donata, in laudem viri linguas omnium soluit. Quam rem sic factam, dum certa relatione Cluniaci accepissemus, gauisi sumus, ac pro sua misericordia Deo gratiam & gloriam dedimus.

Humilitas sancti viri.

Mẽte capta redit ad sanitatem.

Actis deindè, propter quæ Cluniacum aduenimus, reuersuri Lugdunum, iter per ciuitatem Matisconensem arripuimus. Vbì Anselmus, rogatu episcopi & canonicorum, Missam públicè apud sanctũ Vincentium celebrauit, & inter sermonẽ, quem ad populum habuit, vt omnes Dominum pro siccitate, qua in immensum terra aruerat, cõmuniter precarentur, admonuit. Dicunt se iam id sæpiùs fecisse, sed nil effecisse, & ea re vt preces eorum ipse sua prece corã Deo efficaces efficiat, magnoperè orãt & obsecrant. Quid dicam? Necdùm pransi eramus, & eccè subitò stupentibus cunctis, serenitas cæli in nubilum vertitur, ipsaque die, priusquàm ciuitatẽ egrederemur, pluuia dulcis & copiosa terris illabitur. Plebs igitur, viso hoc facto, benedixit Dominũ; & eius post Deum authorem

Pluuia datur siccitate immodica afflictis.

authorem magnis laudibus prædicant Anſelmum. Itaque in habitaculum noſtrum Lugdunum reuerſi, quietam vitam ab omni tumultu negocij ſecularis agebamus. Anſelmus verò veram vitam ſerui Dei, in ſanctis meditationibus, in omnis ſexûs, ætatis & ordinis hominum ad ſe venientium ædificationibus, ac in cæterarum virtutum exhibitionibus exercebat. Per id etiam temporis ſcripſit librum vnum, De conceptu virginali & peccato originali, & aliud quoddam opuſculum, multis gratum & delectabile, cui titulum indidit, Meditatio redemptionis humanæ. Liber de conceptu virginali.

Inter hæc Vrbanus, ſedis Apoſtolicæ pontifex, huic vitæ decedit, & ad inducias, quas de cauſa Anſelmi regi dederat, non peruenit. Quo tempore multa etiam de regis interitu à multis prædicebantur, & tam ex ſignis, quæ noua & inuſitata per Angliam monſtrabantur, quàm ex viſionibus, quæ pluribus religioſis perſonis reuelabātur, quia vltio diuina in proximo eum pro perſecutione Anſelmi oppreſſura eſſet, ferebatur. Sed Anſelmus in nihil horum animum ponens, quotidiè pro conuerſione & ſalute eius Deum precabatur. Hinc exilij noſtri anno tertio, qui, quo à Roma Lugdunum venimus, erat ſecundus, iuit Anſelmus Marciniacum, loqui domino abbati Cluniacenſi Hugoni, & ſanctimonialibus. Vbi cùm ante ipſum Abbatem conſediſſemus, & de his, quæ inter Anſelmum & regem euſquè verſabantur, verba, vt fit, nonnnulla hincindè proferrentur: intulit idem venerabilis Abbas ſub teſtimonio veritatis, proximè prætérita nocte eundem regem ante thronum Dei accuſatum, iudicatum, ſententiamque damnationis in eum promulgatam. Ex quibus verbis admirati non modicè ſumus: ſed perpendentes eminentiam ſanctitatis ac reuerentiæ eius, fidem his, quæ dicebat, nullatenùs habere nequiuimus. Hugo Abbas Cluniacenſis regis Angliæ damnationē indicat Anſelmo.

Poſtera die, cùm indè digreſsi, Lugdunum veniſſemus, & in inſtanti feſto beati Petri, quod colitur Calendis Auguſti, dictis matutinis, nos, qui circa Anſelmum aſsiduè eramus, quieti indulgere cuperemus: eccè quidam iuuenis, ornatu ac vultu non vilis, clerico noſtro, qui prope oſtium cameræ iacebat, & necdùm dormiens, oculos tamen ad ſomnum clauſos tenebat, adſtitit, vocans eum nomine ſuo: Adam, inquit, dormis? Cui dum ille reſponderet, Non: dixit ei, Vis audire noua? Et libens, inquit. At ille: Pro certo, ait, noueris, quia totum diſsidium, quod eſt inter archiepiſcopum Anſelmū & Vuilhelmum regem, determinatum eſt atque ſedatum. Ad quod ille alacrior factus, ilicò caput leuauit, & apertis oculis circunſpectans, neminem vidit. Sequenti autem nocte inter matutinas vnus noſtrûm clauſis oculis ſtabat & pſallebat. Et eccè illi quidā chartulam, admodùm paruam, legēdam exhibuit. Adſpexit, & in ea, Obijt rex Vuilhelmus, ſcriptum inuenit. Confeſtìm aperuit oculos, & nullum vidit præter ſocios.

Poſt triduum ab hinc ad Abbatiam, quæ vocatur Caſa Dei, multis precibus inuitatus, Anſelmus perrexit. Vbi cùm honorificè ſuſceptus & hoſpitatus fuiſſet, vna dierum, fratribus loci illius poſt menſam in lectis ſuis pauſantibus, ſubito fragore cælum intonuit, & vibrantibus coruſcis, crebra per montem fulgura volitant. Creſcit tempeſtas illa, & multiplicata, non modicum fulminis ſuper domum, qua fœnum monaſterij ſeruabatur, præcipitat. Vndè protinùs horridus ignis accenſus, teterrimum atque fœtentem ex ſe fumum per aëra ſpargit. Quicunque igitur cum Anſelmo in hoſpitio erant, timore concuſsi, diſsiliunt. Remanſi itaque ſolus cum ſolo. At ille lecto volens decumbere, interrogauit me, vtrumnàm ignis, qui eruperat, ſopitus eſſet. Cui cùm reſponderem, auctum potiùs quàm ſopitum eſſe, erexit ſe, ac vultu placido atque modeſto dixit: Melius eſt, vt nobis prouideamus, quia tunc tua res agitur, paries cūm proximus ardet. Quo dicto, ad ignem concitus venit, eoque viſo, mox illi ſanctę crucis ſignum leuata dextra obiecit. Videres eueſtigiò flammam ſe ità demittentem, acſi pro ſuſcipienda benedictione illius conquiniſceret. Ignis ergò ſtatìm in ſemet rediens, totus elanguit, nec aliquid abſumpturus vſquàm proceſsit. Quodque fortaſsis non minùs ſtupeas, voratis quibuſdam ædibus, quæ circùm erant, nil læſionis intulit fœno monachorum, qui Anſelmum hoſpitem habebāt, quo ſcilicet fœno domus fermè plena erat, ſuper quam fulgur ipſum primò corruerat. Fœnile monaſterij fulmine inflāmatur. Signo Crucis incendium extinguit vir Dei.

Exindè duo ſui monachi ad Anſelmum venerunt, nunciantes ei deceſſum præfati regis. Siquidem ſecundo die menſis Auguſti, qui poſt primam viſionem, quam Lugduni factam nouiter retuli, ſecundus, & poſt ſecundam primus illuxit, idem rex manè in ſyluam venatum iuit, ibique illum ſagitta in corde percuſsit, & nulla interueniente mora extinxit. Quo Anſelmus vehementi ſtupore percuſſus, mox eſt in acerbiſsimum fletum cōcuſſus. Quod videntes, admirati admodùm ſumus. At ille, ſingultu verba eius interrum- Horrendā mors regis Vuilhelmi.

Reuocatur à toto regno S. Anselm⁹ in Angliã.

Multa patitur ab rege Henrico.

Iterùm venit Romã.

Responsum Potificis ad regis Angliç legatũ.

Lectus, in quo semel tãtùm dormierat, reuerenter asseruatus.

Lugduni moratur.

rumpente, asseruit, quòd si hoc efficere posset, multo magìs eligeret seipsum corpore, quàm illum sic vt erat, mortuum esse. Nobis post hæc Lugdunum reuersis, eccè nuncij vnus post vnum Anselmo occurrunt, literas ei cum precibus ex parte matris ecclesiæ Anglorum, & ex parte noui regis Henrici, qui fratri successerat, necnon ex parte principum regni, deferunt, summoperè postulantes eum festinato gressu redire, & asserentes totam terram in aduentum illius attonitam, omniaque negocia regni ad nutum eius pendére dilata. Verùm vbì Serberiam ad regem venit, & ei, quid de ecclesiarum inuestituris in Romano Concilio acceperit, plano sermone innotuit, turbatus est rex ac vehementer indoluit, nec nutũ eius in aliquo, sicut nuncij dixerant, expectare voluit. Quę igitur inter eos per duos semis annos pro isto negocio acta sint, & quot quantásve minas ac tribulationes Anselmus passus sit, vel quomodò nuncij semèl ac iterùm Romã pro mutatione ipsorum decretorum missi sint, quidque effecerint, qui nôsse voluerit, opus illud, cuius in prologo opusculi mentionẽ fecimus, legat, & ibì singula planè, vt puto, digesta reperiet. Post quę omnia rogauit Anselmũ rex, quatenùs ipsemet Romam iret, & cũ nuncio, quem eò directurus erat, causæ, quę emerserat, pro suo honore opem ferret. In quo cùm omnes totius Angliæ episcopi, abbates & principes acquiescerent, & eum pro tanta re, quin iret, nullatenùs supersedere debere cõclamarent: se quidem iturum respondit, sed nil, quod vel ecclesiarum libertati, vel suæ possèt obuiare honestati, suo vel rogatu aut consilio vnquàm Papam acturum, viua voce respondit. Itaque cùm Romam venisset, à domino Papa Paschali, qui Vrbano successerat, totaque Vrbis nobilitate honorificè susceptus est. Die dehinc constituto, Vuilhelmus ille, cuius suprà meminimus, à rege directus, causam regis in medium tulit, ac inter alia, quòd rex ipse, nec pro regni amissione, inuestituras ecclesiarum pateretur amittere, minacibus verbis asseruit. Ad quæ Papa: Si, quemadmodùm dicis, rex tuus nec pro regni amissione patietur ecclesiarũ donationes amittere: scias (eccè coram Deo dico) quia nec pro sui capitis redemptione, eas illi aliquandò Paschalis Papa impunè permittet habere.

In his negocium regis ità finem tunc temporis sumpsit, & Anselmus alijs atque alijs cum Papa de Ecclesiasticarum rerũ institutionibus actis, in iter reuersus, ciuitatem Florentiam vsque peruenit, & nocte vna in ea quieuit. Lecto igitur, in quo sopori antistes indulserat, dominus domûs, eo discedente, pro amore decubuit. Cui obdormienti adstitit quidam ignoti vultûs homo, monẽs vt lecto ocyùs decederet. Nec enim decet, inquit, te tua præsentia loco præripere, quod ex pręsentia tanti viri meruit obtinere. Qui manè consurgẽs, & visum mẽte reuoluens, phantasmati deputat, ac nocte sequenti in eodem se lecto nihil hæsitans collocat. Dormit, & eccè, qui venerat, secundò iam vultu paululùm minaci adstitit, repetens dicta, quæ primò protulerat. At ille expergefactus, ac visione, vt primùm posthabita, nocte tertia in solito loco somno se tradit. Cui obdormienti, idem, qui secundò apparuerat, iam tertiò apparuit, irati mentem vultu ac voce prætendens. Quarè, ait, facis, quod iam semèl tibi & iterùm, nè faceres, dixi? Nunc igitur vel tertiò admonitus surge, & te à lecto pontificis amodò cohibe. Nam dico tibi, quia si vltrà in eo repertus fueris, experieris nihil phantasmatis esse in istis, quæ audis. Tunc ille vehementer exterritus, lecto desilijt, episcopum ciuitatis super negocio consulturus celeriùs adit, eique ordinem rei in præsentia multorum exponit. Episcopus autem iamdudùm viri sanctitatem fama discurrente edoctus, ac nuperrimè ex collocutione illius eam nonnihil expertus, hominis audaciam duriùs increpauit, & quia stultè & insipientium more egerit, quòd lecto, vbì vir tantus quieuerat, cubare præsumpsisset, asseuerauit. Eundem itaque lectum reuerenter deincèps seruatum iri præcepit, & nè aliquis in eo vlteriùs iacere prę sumeret, iussit. Quod vsq; hodiè, vtì accepimus, seruatũ est. Anselmus autẽ cùm emenso itinere Lugduno appropinquâsset, prę fatus Vuilhelmus, comitatum illius deserere volens, interdixit ei ex parte domini sui regis redire in Angliam, nisì ipse omnes patris & fratris illius consuetudines, postposita sedis Apostolicæ subiectione & obedientia, se ei seruaturum certò promitteret. Quod ille audiens, admiratus est, sciens se alia conditione Angliam exisse. Perueniens ergò Lugdunum, resedit ibì ex more antiquo in pace & quiete, propriam præfati reuerẽdi Hugonis, eiusdem vrbis archiepiscopi, domum inhabitans, & ne ad horam quidem ab his, quæ Dei sunt, verbo se vel actu elongans.

Accidit autẽ vna dierum, dum ipse pater, celebrato solenni Missæ officio, solus, prout ei consuetudinis erat, in oratorio per fletum Deo sese mactaret, vt quidã homo, pedes suos baculo regente, aduenirer, oratorium ipsum irrumpere gestiens. Quem frater

& socius

& socius noster Alexander, monachus scilicet ecclesiæ Cantuariensis, qui pro foribus egressum patris fortè præstolabatur, intuens ecclesiam subire volentem, detinuit, sciscitans quidnam vellet. At ille clamosa voce se oculorum lumen amisisse respondit, ac velle, vt seruus Dei sibi manum imponeret, sciens, quòd sancta merita eius sibi subuenirent. Pater igitur clamorē audiens, sed verba minimè discernens, innuit præfato fratri venire ad se, & causam clamoris ipsius intimare. Tunc ille: Domine pater, ait, pauper quidam venit, conquerens se in oculis grauiter affligi, precaturque per vos ei signum sanctæ crucis imponi. At ille pio vultu, Ipse veniat, dixit. Itaque tertiò super oculos eius, quod petebat, signum crucis cum pollice pingens, orauit sic: Virtus crucis Christi illuminet oculos istos, & ab eis omnem infirmitatem depellat, integræque sanitati restituat. Et adspergens eos aqua sanctificata, hominem præcepit abire. Alexander verò, mox illum reducens, monuit vt si factum viri Dei non vsquequaquè illi hac vice prima profuit, manè rediret, pollicens quòd hoc ipsum illi repetita vice fieri impetraret. Ad quæ ille: Ego quidem bone domine hac de causa non redibo, quia gratia Dei & fidelis eius famuli, omni cæcitate fugata, clarissimè video. Hæc ità scripsi, sicut ab ore ipsius Alexandri, qui præsentem se fuisse testatur, accepi. Cæcum sanat Crucis signo & aqua benedicta.

Rex autem Henricus, vt comperit Papam in sua sententia stare, mox archiepiscopatum in suum dominium redegit, & Anselmum suis omnibus spoliauit. Acta sunt hinc inter eos multa, & anno vno ac semis indignatio regis non est sopita.

Inter hæc venit ad nos Vualo episcopus Parisiensis, vir benè religiosus, & Ecclesiasticarum consuetudinum institutionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus & Apostolicæ legationis ministerio functus, familiaritate patris Anselmi potiebatur. Igitur iste à Roma ad nos veniens, quorundam sanctorum reliquias secum ferebat, quas, vt certò comperimus, sibi Romæ datas habebat. Itaque cum Anselmo me pręsente loquens, innotuit ei, quid reliquiarum à Roma secum detulerit. Ad quod cùm ille Deo gratias ageret, episcopus vnum os, quod de capite sanctę martyris Dei Priscæ esse asserebat, è pyxide protulit, & id qualiter adeptus fuerit, ilicò subinferens, ait: Romæ eram, & oratorium nominatæ martyris, in quo beatissimus Apostolorum princeps Petrus altare sacrauit, vetustate consumptum, dirutum est, & corpus martyris in noua recōdendum ecclesia, me adstante, leuatū est. Igitur cùm loci ipsius Cardinalis reliquias in suo iure haberet, & ipse idem mihi familiaris existeret, os istud, quod videtis, de sacro corpore sumptum, mihi pro signo mutui amoris dedit. Finierat præsul in istis. Ast ego earundem reliquiarum habēdarum amore illectus, vt ex ipso osse mihi partem daret, deprecari episcopum cœpi. Et ille: Accipe, inquit, & quantum indè primo conatu frangere poteris, tuum sit. Accepi, & en extrà, quàm sperabam in principio mei conatûs, vna mihi particula in dextra manu remansit. Cumque de paruitate ipsius mœrorem animi dissimulare nequirem, & vt semèl adhuc frangere indè mihi liceret, magnoperè gestirem, rupit desiderium meum Anselmus, & ait: Noli noli: quod habes, sufficiat tibi. In veritate quippe dico tibi, quia pro toto auro, quod Constantinopoli & vltrà citráve habetur, non omitteret domina ipsa, cuius est, quin illud sibi vindicaret in die resurrectionis cunctorum. Quamobrèm si debitam illi reuerentiam exhibueris, æquè suscipiet, àc si toti corpori eius exhiberes. Quod ego audiens, acquieui, & quàm decentiùs potui, ipsum ex hoc hucusque seruari. De quo osse post plures dies Petrus quidam, monachus Cluniacensis, vir suo tempore magnæ authoritatis, qui camerarius erat domini Papę Vrbani atque Paschalis, ad nos veniens, à me percūctatus est, quid sentiret. At ille, vbi me referente accepit, qualiter id adeptus fuerim, vera omnino esse confessus est, quæ episcopus indè dixerat, seque præsentem fuisse asseruit, quandò idem os à corpore martyris sublatum, à Cardinali susceperat. Vualo, Parisiensis episcopus. Nota de altari. En quanti fecit vir tātus sanctorum reliquias.

Post hæc tum pro exercendo Ecclesiasticæ disciplinæ rigore, tum pro ecclesiarum in Anglia constitutarū releuatione, relicta Burgūdia, Anselmus ad Franciam iuit. Quod vbì regi Anglorum Henrico innotuit, rogatus ad eum in Normāniam venit: ibique rex, ex timore simul & amore Dei correptus, reuestiuit illū de suis, & in amicitiam eius receptus est. Conuersante dehinc Anselmo in Normannia, reuersisq; Balduino & Vuilhelmo, qui ex iussu regis atque pontificis Romam pro expletione negocij, quod de inuestituris ecclesiarum inter eos eousquè versabatur, directi fuerant, Vuilhelmus in Angliam ad regem vadit, ac in breui Beccum ad Anselmum regressus, rogat eum ex parte ipsius regis, vt iam sopitis retroactis querelis, ocyùs Angliā visitaret. Cui cùm ille promptus acquiesceret, & iter aggressus, Gemmeticum veniret, infirmitate, nè iter expleret, Reuocatur à rege Henrico in Angliam.

inibì

inibì detentus est. Qua sopita, Beccum reuertitur, regem Angliæ transfretaturum illic præstolaturus. Vbì cùm pro reditu omnes exultatio mira teneret, eccè infirmitas Anselmi renouata,& ipsum lecto,& subuersa exultatione, graui cunctos mœrore prostrauit. Igitur ipse nec manducare,nec aliquid,vndè salutem eius sperare possemus, facere poterat,& de morte illius tantùm nos formido immensa tenebat. Inter hæc vt in cibũ aliquid sumeret,diligenti cura petebatur,sed ille nihil sibi animo esse, quomodò poterat,anhelo spiritu fatebatur. Nobis tamen preces multiplicantibus,tandèm nè penitùs negãdo,nos magìs magisque grauaret: Fortè,ait,de perdice comederem, si haberem. Quid plura? Per campos & syluas dispersi sunt quique suorum,& dies vnus in requirenda perdice casso labore consumptus. Contigit autem, vt vnus ex monasterij seruientibus ipsa die per vicinam syluam iter fortè caperet,negocio, quo alij occupabantur, nihil intendens: & eccè in via,qua gradiebatur,bestiola,quam martiram vocant, perdicẽ in ore ferebat. Quæ bestiola,viso homine,suam ei prædam reliquit, sibique fuga consuluit. At ille perdicem assumens,ad nos detulit. Ex qua æger noster refectus,statìm meliorari ab ægritudine cœpit, ac demùm indiès meliùs meliusque habendo, pristinam est sanitatem adeptus.

Obserua prouidentiam Dei.

Post hæc episcopis & abbatibus,qui exequiarum illius causa conuenerant, in sua remeantibus,remeauit etiam Radolphus Abbas S.Martini Sagiensis,qui vnus erat ex eis. Vnus igitur ex omnibus hominibus eius per viam cœpit Anselmo detrahere, & quòd meritò nullus infirmitati eius compati deberet,præsertim,inquiẽs,cùm ipse cibo & potu saluti suæ,si remota iactantia vellet, facilè succurrere posset, maledica voce adstruere. Quod Abbas audiens,hominem monuit vt sileret, nec de tanto viro quid sinistri vltrà proferret. Quæ ille subsannando despiciens, & in his,quæ cœperat, furore quodam exagitatus persistens,equo calcaribus institit, vt ab Abbate elongatus, liberiùs ederet, quod suæ mentis amaritudo sibi proponeret. Verùm cùm ipse prępeti cursu ferri gestiret,ac remissis habenis ocyùs ire inciperet, quem sedebat, quadrupes corruit, eumque magno cum dedecore tergo suo excussit, ac per deuexum montem longo rotatu præcipitatum,à viri blasphemia linguam compescere docuit.

Vltio diuina in sancti viri obtrectatorem.

Dehinc in Assumptione beatæ Dei genitricis & perpetuę virginis Mariæ, rex Henricus Beccum aduenìens, omnia, quæ inter se & Anselmum de sępedicto negocio resederant,moderante sedis Apostolicę sanctione,deleuit,atque de singulis,ad quæ tendebat,suæ illum voluntatis compotem fecit.Cùm igitur Angliam reperendi iter Anselmi certis ex causis aliquantispèr demoraretur,rogatus ab Abbate Beccensi,dedicauit Capellam vnam, infra curiam ipsius cœnobij sitam. In qua dedicatione quidam clericus, phrenesis valetudine tunc nouiter captus, à suis est ante pontificem ductus, ilicoquè ad benedictionem eius à suæ mentis alienatione sanatus. Cùm post hoc prospero cursu in Angliam venisset,magno sanctę ecclesiæ gaudio & honore susceptus est.Indè euolutis diebus nonnullis, vir quidam Anglus, nobilis quidem & diues, valida corporis infirmitate grauatus, ab Anselmo sibi panem à se benedictum transmitti per nuncium petijt,& accepit.Vndè paululum gustans,iuxta fidem suam statìm conualescere cœpit, integræque sanitati donatus,Deo & Dei viro ex corde gratias egit.

Phreneticũ curat.

Redit in Angliam.

Inter hæc rex in Normannia positus,valdè lætabatur,sicut ferebant hi,qui ad nos veniebant, quòd fuerat Anselmi pace potitus. Vndè etiam firma sibi spe applaudebat, suo se dominio totam Normanniam subiugaturum.Quod & factum est.Nam conserto graui prælio, fratrem suum Robertum, Normanniæ Comitem, & alios principes, qui contra illum in bellum venerunt, cepit,innumerisque peremptis, totam terram victor obtinuit,idque per literas Anselmo gaudenter & gratiosus mox intimauit. Omnes verò,qui hæc gesta tunc temporis audière,ea meritis concordiæ,quam rex cum Anselmo fecerat,asscripsère. Ipso anno Anselmus, celebrata paschali solennitate in curia regis apud Londinum, abijt ad Abbatiam sancti Edmundi, electum inibì Abbatem sua authoritate roboraturus, & alia quædam officia pontificalia pro suo iure celebraturus. Quę vbì solenniter cuncta peregit,grauissima febre correptus,per plures dies penè vsq; ad emissionẽ vltimi flatùs vexatùs est.Pro quo illic octauas Pentecostes vsque detentus est,& conciliũ,quod se viduatis ecclesijs rex proposuerat collaturũ,propter eius absentiam in Calendas Augusti dilatũ est. Eo igitur tempore, adunatis in palatio regis Londini cunctis primoribus Angliæ, victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diù laborauerat, Anselmus adeptus est. Rex enim antecessorum suorum vsu relicto, nec personas, quæ in regimen ecclesiarum sumebantur, per se elegit, nec eas per dationem virgæ pastoralis

Rex Angliæ Normanniam obtinet.

Libertas ecclesię in Anglia restituitur.

storalis ecclesijs, quibus præficiebantur, inuestiuit.

Scripsit inter hæc Anselmus libellum vnum de concordia præscientiæ & prædestinationis, & gratiæ Dei, cum libero arbitrio. In quo opere contra morem, moram in scribendo passus est: quoniam ex quo apud sanctum Edmundum fuerat infirmatus, donèc præsenti vitæ superfuit, solito imbecillior corpore fuit. Quapropter de loco ad locum migrans, lectica deincèps, non equo sedens, vehebatur. Vexabatur præterea frequentibus & acerbis infirmitatibus, ità vt vix illi vitam promittere auderemus. Ipse tamen nunquàm pristinæ conuersationis obliuiscebatur, sed semper aut meditationibus bonis, aut exercitationibus sanctis, aut alijs pijs operibus occupabatur. Tertio igitur anno, postquàm à secundo exilio per regem Henricum reuocatus est, omnes cibi, quibus humana natura vegetatur & alitur, in fastidium ei versi sunt. Manducabat tamen, naturæ suæ vim faciendo, sciens se viuere non posse sine cibo. Qua vi per dimidium circitèr annum vitam quoquo modo transigens, sensìm corpore deficiebat, animi virtute semper idem, qui esse solebat, existens. Spiritu itaque fortis, sed carne nimiùm fragilis, pedes oratorium adire nequibat. At tamen consecrationi Dominici corporis, quod speciali quodam deuotionis affectu venerabatur, interesse desiderans, singulis diebus illuc se in sella faciebat deferri. A quo dum nos, qui ei seruiebamus, eum, quia multùm exindè fatigabatur, declinare niteremur, vix quinto ante sui exitus diem euincere potuimus. Exin ergò assiduè lecto decubans, anhela voce omnes, qui ad eum accedere merebantur, in suo quenq; ordine Deo viuere hortabatur. Illuxerat Dominica dies Palmarum, & nos pro more circa eum sedebamus. Dixit itaque vnus nostrûm: Domine pater, vt nobis intelligi datur, ad Paschalem Domini tui curiam, relicto seculo, vadis. Respondit: Et quidem, si voluntas eius in hoc est, voluntati eius non contradico. Verùm si mallet me adhuc inter vos saltem tandiù manere, donèc quæstionem, quam de animæ origine mente reuoluo, absoluere possem, gratiosus acciperem, eò quòd nescio, vtrùm aliquis eam, me defuncto, sit absoluturus. Ego quippe, si comedere possem, spero conualescere. Nam nihil doloris in aliqua parte sentio, nisi quòd lassescente stomacho, ob cibum, quem capere nequit, totus deficio.

Missā quotidiè audit, licet imbecillis.

Vesperascente dehinc tertia feria, cùm ipse verba, quæ intelligi possent, edere iam nulla valeret, rogatus à Rodulpho Roffensi episcopo, vt nobis, qui aderamus & alijs filijs suis, regi quoquè & reginę cum liberis eorum, ac populo terræ, qui in eius obedientia se sub Deo tenuerant, suam absolutionem ac benedictionem largiretur, dexteram, quasi nil mali pateretur, erexit, & signo sanctæ crucis edito, demisso capite sedit. Iam fratrum cōuentus in maiori ecclesia matutinas laudes decantabat, & vnus eorum, qui circa patrem excubabant, sumpto textu euangeliorum, legit passionem coram eo, quę ipsa die ad Missam legi debebat. Vbi autem venit ad verba Domini: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis super mensam in regno meo: lentiùs solito spiritum trahere cœpit. Sensimus igitur eum iamiam obiturum, & de lecto super cilicium & cineres positus est. Adunatoque circa eum vniuerso filiorum suorum agmine, vltimum spiritum in manus creatoris emittens, dormiuit in pace. Transijt autem illucescente aurora quartæ feriæ, pręcedentis Cœnam Domini, quæ erat xj. Kalend. Maij, anno videlicet Dominicæ incarnationis millesimo centesimo nono, qui fuit annus pontificatûs eius xiij. vitæ verò septuagesimussextus.

Luc. 22.

Vir sanctus Christo deuotū reddit spiritum.

Loto igitur ex more corpore eius, petijt suprà sępè memoratus, rerum Anselmi prouisor ac dispēsator, Balduinus, quatenùs facies patris balsamo, quod admodùm parùm in paruulo vase sibi, maiori eius parte perdita, remanserat, inungeretur, sperans atque præoptans eo modo illam vel modicè ampliùs seruatum iri, nè corrumperetur. Acquieuimus, viri industriam amplectentes. Vas ergò ipsius liquoris in manum episcopus sumpsit, & vncturus vultum defuncti, digitum fundo vasis immersit. Quem ilicò extrahens, sed vix summitatem eius madefactam reperiens, ratus est balsamum ipsum vngendæ faciei haudquaquàm posse sufficere. Quapropter rogat balsamum, quod conficiendo chrismati in maiori ecclesia seruabatur, afferri, cupiens videlicet vnà cum capite, dexterā eius, per quæ multa bona atque diuina dixerat & scripserat, tali vnctura honorari. In his cum episcopo eram, & eum in ministerio illo iuuabam. Impressi post eum in vas balsami digitum meum, & æquè aut certè minùs digito eius madentem extraxi. Itaque rogatus episcopus mihi vas in palmam versare, si fortè indè aliqua gutta deflueret, acquieuit: & ilico, stupentibus cunctis, liquor desiliens, copia suî manum meam

Balsami liquor miraculose

promanat ex vase vacuo.

compleuit,& supereffluxit. Hoc ipsum secundò & tertiò ac sæpiùs factum est. Et quid dicam? Tantam abundantiam balsami vas fermè vacuum ministrauit, vt intacto vase ecclesiæ, non solùm caput & manus, sed brachia, pectus, pedes quoquè & totum corpus, non vna, sed sæpiùs repetita vice, omni ex parte inungeremus. Dehinc more summi pontificis vestibus est sacris indutus, & in oratoriũ debita cum veneratione delatus.

In crastino autem, cùm sepulturæ traderetur, sarcophagus, qui illi fuerat pluribus retroactis diebus præparatus, longitudine quidem & latitudine aptus, sed profunditate magna ex parte minùs habens inuentus est. Quod considerantes, animo deficiebamus, nulla scilicet ratione pati valentes, vt superiori lapide pressus, sua integritate aliquatenùs læsus priuaretur. Cùm itaque in hoc plurimi fluctuarent, & alij sic, alij verò sic rem posse componi dictitarent: quidam ex conferta multitudine fratrum, acceptum baculum episcopi Roffensis, qui funeris officium præsens agebat, per trãsuersum sarcophagi super corpus patris ducere cœpit, & iam illud omni ex parte corpori iacentis præminere, magna nobis exindè admiratione permotis, inuenit. Ità ergo venerabile corpus patris Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi ac Primatis totius Britãniæ, sepulcro inclusum, quid conditio sortis humanæ habeat in se, omnes, qui pertranseunt, suî exemplo monet attendere. Sanè in obitu & post obitum eius multa à multis visa narrantur, quæ gloriam eius, quam pro meritis suis eum recepisse à Deo non dubitamus, attestantur. Quibus tamen scribendis laborem intrare noluimus, magis videlicet eligentes silentio nostro omnes, qui dormiendo ea viderunt, pares [illegible], quàm ista scribendo, illa non scribendo, vnum alij, quasi potiora viderit, anteferre. Vt enim cuncta scribantur, infiniti negocij est. Aperta deniquè facta, quæ Deus per eum facere dignatus est, & nos talium nudi pro posse digessimus, puto sufficere ad notitiam retributionis & conuersationis vitæ eius. Sit itaque Deo omnipotenti & filio & sancto spiritui laus & gratiarum actio, nunc & per omnia seculorum secula, Amen.

Multa post eius obitũ visa gloriæ eius documenta.

DE CAIO Papa & martyre vide To. 1. in Vita S. Sebastiani martyris: itemque in Gestis Susannæ virginis & martyris, Tomo. 4.

VITA ET MARTYRIVM S. EPIPODII MARTYRIS LVGDVNENSIS, GRAVITER CONSCRIPTA.

Adstipulantur eis antiqua Martyrologia, & habentur in antiquis manuscriptis egregijs exemplaribus.

22. Aprilis.



SI meritò virorum fortium facta ad incitamenta posteritatis mandantur annalibus, qui pro terrena libertate vel pro patria inani intentione ceciderunt, relinquentes carnaliũ virtutum breuia monumenta, dum pereunt: quantis præconijs celebranda mors martyrum est, quæ mirabili gloriosoque compendio mundum vicit, dum manus suas ad cœlum porrigunt, dum fidei & deuotionis exempla terris relinquunt, propagantes hominum vitam mortibus suis! Neque enim pro Imperatore terrestri, sed pro rege cælesti spiritum profundunt suum nec pro patria, quæ gignit & recipit: non pro patria, quæ habetur & amittitur: sed pro illa Ierusalem cęlesti, patria sempiterna, quæ morte est constructa sanctorum, quæ culmina sua cælo inserit: cuius incolæ mori nesciunt, cuius libertas iugum tartareæ captiuitatis ignorat, cuius libertas cum immortali gloria & beatitudine perseuerat. Etsi autem de præmijs martyrum pauca perstricta sint: quia nequaquàm condignæ sunt passiones præsentis seculi ad magnitudinem gloriæ cælestis, quæ erit perpetua & sempiterna: at tamen hi sunt sanctorum triumphi, qui meritò scriptis proditi, mittuntur ad posteros, vt si eis non contingat occupatio passionis, succensæ tamen mentes æmulationis ardore, immaculatam vitam, & contritionem corporum, imitatione martyrij illorum consequantur.

Patria cælestis.

Rom. 8.

Itaque beatissimorum Epipodij & Alexandri conflictus atque victorias, Christo in illis triumphante, referimus: vt fides credentium præmissum & desideret & sequatur exemplum. Igitur principis Antonini Veri decimoseptimo Imperij anno, cùm per multas prouincias gentilium furor desæuiret, præcipuè in Lugdunensi vrbe bacchatus est: in qua pro suî magnitudine quanto maiores degebant populi, tanto etiã gentilium copio-

Vide Eusebij Pamph. Hist. Eccl. li. 5. ca. 1. &c.

copiosior rabies æstuabat. Iudices, officiales, tribuni, milites, vulgus certatìm, indiscreto etiam sexu, Christianos multiplici crudelitate laniabant. Quorum plurimi distinctis passionibus atque nominibus, ad succedentes memorias peruenerunt: Innumeros verò, qui vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos cælestis vitæ liber tantùm continet. Nam post vastissimam martyrum stragem & sæuientium passionum crudelitatem, de qua etiam Christi famuli, quos tunc illustrissimæ vrbes Vienna & Lugdunum tenebant, ad ecclesias Asiæ & Phrygiæ scripta miserunt, cùm penè ad integrum Christi nomen à gentilibus crederetur extinctum: per proditionem domesticam Epipodius & Alexander occultè operam dare catholico cultui Præsidi nunciantur: quos ille indagine solicita, religionis reliquias in illis extinguere cupiens, præcepit inquiri.

Epistola Viennensis & Lugdunen. ecclesiæ ad Asianos &c.

Epipodij patria.

Virtutes.

Matth. 1

Verùm intermisso paulispèr ordine passionis, quanti qualésve fuerint, par est explicare. Et Alexander quidem natione Græcus fuit: Epipodius verò, Lugdunensis ciuitatis indigena. Porrò eos paruulos scholæ contubernium, & charitas iam virilis in primæua ætate coniunxerat: & ità literis eruditissimi, concordia crescente, ad Deum profecti sunt, vt cùm fuerint Christiani, & à clarissimis parentibus instituti, ad religionis tamen incitamenta se mutuò prouocarent. Nam sobrietate, parsimonia, castitate, fide, opere misericordię ità Deo sese hostias dignas pręparabant, vt in consummationis meritum profecerit gloria illata martyrij. Erant ambo iuuentutis flore conspicui, neque adhuc coniugalibus nexibus implicati. Sæuiente autem persecutione, implentes euangelica constituta, ad aliam, vel etiam [illegible]tiam ciuitatē euntes, latebram ibì quæsierunt. Egressi verò occultè septa murorum, in eo vico, qui proptèr incisam petram situs est, tugurium cuiusdam religiosæ & fidelis viduæ, etiam sine vllis comitibus, introierunt. Cumq; illic aliquandiù tecti fide mulierculę & loci humilitate latuissent, tandèm sagax illos inquisitor inuenit, eosque per angustum cellulæ aditum fugientes manus infesta corripuit: qui ità trepidis insilientes irruperant, vt S. Epipodius calceamento pedis vnius, dum pauidus prosiliret, priuaretur: quod posteà fidelis mulier, tanquàm thesauros sibi repertos, occuluit.

Captus S. Epipodius, in carcerem mittitur.

Minæ iudicis.

Itaque captos etiam ante discussionem carcer recepit: quia manifesti putabatur criminis nomen esse, ipsa appellatio Christiana. Deindè post triduum, vinctis post tergum manibus, ante Præsidis statuuntur tribunal: quos sæuissimus iudex, adstante & imprimente gentilium multitudine, de nomine & professione interrogauit. Illi verò & vocabula sua ediderunt, & Christianos se esse perspicuè testati sunt. Accenditur ergò Iudex, & popularis conclamatio attollitur, & in innocentes simul omniū insania incurrit. Potestas eos increpat, & furorem suum huiusmodi clamore testatur: Etiam nunc aduersùs deos immortales humana temeritas perseuerat? Etiam nunc conuelluntur principum sanctiones, & vno eodemque maiestatis crimine Imperator impugnatur & numina? Vbi sunt tormenta, quæ intulimus? vbi cruces? vbi gladij? vbi bestiæ? vbi ignitæ laminæ? vbi districtio, etiam vltra mortis terminos procurata? Extincti sunt homines, sepulcra non extant, & tamen Christi memoria perseuerat. O puniendi, quo ausu in religione vetita perdurâstis? Iam nunc pro vestrę præsumptionis temeritate pœnas dabitis: ac nè se inuicèm exhortentur, aut muniant sermone vel nutibus, eiecto Alexandro, qui est ætate firmior, Epipodius applicetur. Quem scilicet singulariter destitutum, dum pro coniectura ætatis teneriorem animo iudicabat, serpētis antiqui vsus calliditate, venenata blandimentorum arte solicitat. Video enim te, ait, iuuenem: & nefas est, vt in intentione praui propositi perseueres, & pereas. Nos immortales deos colimus, quos vniuersitas populorum, quos etiā nominibus proprijs sacratissimi principes venerantur. Nos deos colimus lætitia, conuiuijs, cantionibus, laudibus, comessatione & lasciuia: vos verò hominē crucifixum, cui placere non possunt, qui his omnibus perfruuntur: qui licentiam respuit, qui ieiunijs delectatur, qui, damnatis voluptatibus, tristem & infœcundam diligit castitatem. Quid verò tribuere beneficij cuiquam valet, qui se tueri à vilissimorum insectatione non potuit? Quæ quidem omnia idcircò tibi contexui, vt cum oblectatione & cum gaudio, quasi iuuenis, austeritatem refugiēs, mundi huius beatitudine perfruaris.

Blanditur iudex Epipodio.

Epipodij constantia virilis, & oratio sapientissima.

Ad hæc beatus Epipodius: Non ità me Christi ac fidei Catholicæ armauit affectus, vt sensum meum misericordiæ tuæ figmenta permoueant. Pietas enim ista, crudelitas est: vobiscumque viuere, mors est æterna. Cæterùm à vobis perire, gloriosum est. Sempiternum verò Dominum nostrum Iesum Christum, quem crucifixum commemoras,

resurrexisse non nôsti: qui ineffabili mysterio homo pariter & Deus, famulis suis tramitem immortalitatis instituit, & ad cælestia regna perducit. Sed vt communiter tecum loquar, quia alta non recipis, nunquid ità cæcata mens tua est, vt nescias hominem ex animæ & corporis duplici constare substantia? Animæ imperio, corporis seruitio magis vtimur. Turpitudines, quibus dæmones vestros colitis, oblectant membra corporis, mentes interimunt. Quæ autē illa vita est, vbì partis potioris detrimenta capiūtur? Nos pro anima aduersùs corpus bella suscipimus: nos pro anima aduersùs vitia dimicamus. Vobis venter deus est, & in morem pecudum, post ingluuiem prodigam, finem vitæ præsentis, mortis iudicatis occasum. Cæterùm nos, quicunque vobis persequentibus interimus, dum tempora amittimus, vitam ingredimur æternitatis.

Iudex verò responsi huius liuore & admiratione defixus, iracundiaque stimulante commotus, admirabile eloquentiæ domicilium, id est, os martyris elidi pugnorum ictibus iubet. Ac deinceps S. Epipodius illato dolore constantior, mixtis cruore dentibus, hæc verba profudit: Christum cū patre ac spiritu sancto Deum esse confiteor, dignumque est, vt illi animam meam refundam, qui mihi & creator est & redemptor. Ità enim mihi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Nec interest, infirmitas corporea quo fine soluatur, dummodò anima cælis inuecta, ad suum reuertatur authorem. Cùm hæc beatus Epipodius constanti assertione loqueretur, imperio truculenti iudicis eculeo suspenditur, circunstantibus hincindè lictoribus, vt latera eius impressis vngulis sulcarentur. Tunc subitò populi terribilis clamor factus est petentis, vt vel obrueretur imbre saxorum, aut membratim diuisus, sæuientium insania carperetur. Sed de furore omnium tarda erat crudelitas iudicantis. Metuens autem Præses, nè magis vim perferret, & per seditionem, potestatis ac iudicij reuerentia turbaretur, ad sedandum circunfusæ multitudinis præcipitem & insanum furorem, causamque cōmotionis extinguendam, eductum extra tribunal, gladio raptìm feriri iubet. Itaque quanto infestior fuit inimicorum tumultus, tāto citiùs, dispositione diuina, consummatio accelerata est martyrij: vt puerum suum, de passione ac persecutoribus triumphantem, velociùs Christus remuneraret, qui est benedictus in secula, Amen.

Cæditur pugnis os martyris, & ille fit constantior.

Gladio S. Epipodius feritur.

Quæ hoc loco sequuntur de Alexandro, socio Epipodij, Lector infrà offendet die 24. Aprilis.

Ex Gregorio Turonen. De Gloria Martyrum Cap. 50.

IGitur martyrio consummatus gloriosus Photinus Episcopus, qui Lugdunensi præfuit vrbi sacerdos, per certaminis nobilis meritum inuectus est cælo. Cui & merito & sanctitate condignus Irenæus successit Episcopus, per martyrium & ipse finitus. Hic in crypta basilicæ beati Ioannis sub altari est sepultus: & ab vno quidem latere Epipodius, ab altero verò Alexander martyr est tumulatus. De quorum monumentis si puluis cum fide colligatur, extemplò medetur infirmis. Magna enim claritas in crypta illa continetur, quæ, vt credo, meritum martyrum signat.

Photinus Episcopus.

Irenæus.

Nota miracula.

CERTAMEN SANCTORVM ET GLORIOSORVM MARTYRVM, ACEPSIMAE, IOSEPH, ET AEITHALæ, *ex Simeone Metaphraste.*



FVrebat in Christianos Saporius rex Persarum, & Magis, qui erant pars Persarum, iussit vt eos persequerētur. Qui etiam acriùs inuadentes, eos, quos persequebantur, cogebant colere ignem & solem. Qua de causa beatus quoquè Acepsimas ab eis compræhenditur: qui ortus quidem erat ex patria Naësson, (quæ est quidem sita in finibus Persarum: est autem episcopali ornata dignitate) ætate senex, vt qui esset octoginta annos natus: senex prudentia, mitis & moderatus, ab ira alienus, abstinenter vitam agens, egenos impertiens suis facultatibus, intentus orationibus, forma elegans, anima elegantior: & externis motibus ijs, qui illos cernebant, significans internam constitutiónem, & factis & verbis pietatem enuncians, & vitæ & rectorū dogmatum magister effectus Christianis. Quo factū est, vt totam aduersariorum aciem tanquàm aduersùs fortissimum antagonistam in se euocauerit.

22. Aprilis. quo die latina eos habent Martyrologia.

Acepsimæ virtutes.

Circa

Circa quem quidem, etiam antequàm comprahenderetur, fit tale quid propheticè:

Puer quidam demulcebat eius caput, purgans à pediculis, qui ei afferebant molestiam. Id ergò amplexus: Beatum est, inquit, hoc caluum caput, (erat enim glabrum) quod quidem propter Christum suscipiet martyrium. Ille autem verbo fuit lætatus: & puerum statim vicißim complexus: Fiat mihi, ô fili, inquit, secundùm verbum tuum. Cùm autem quidam familiaris & amicus Acepsimæ adesset, cùm hæc dicerentur, (erat verò is quoquè vicinæ ciuitatis Episcopus) subridens rogauit puerum, dicens: Dic mihi, ô fili, scis'ne de nobis aliquid? Puer autem à Deo inspiratus: Tibi quoquè, inquit, ad tuam redeunti ciuitatem, non licebit eam videre: sed è vita excedes in pago, qui dicitur Aethradaran. Quæ quidem ambobus euenerunt, sicut puer prædixerat. Sed hæc quidem, antequàm martyr esset comprahensus. Pueri cuiusdam vaticinia.

Cùm autem esset captus, & duceretur per domum suam, propè accedens quidam ex familiaribus: Dispone aliquid de domo tua, ei dixit in aurem. Ille verò: Hæc, inquit, (illam manu ostendens) non est ampliùs domus mea. Ego enim mox migro in domum supernam. Cùm autem fuisset in ciuitate Arbel, & productus esset ante principem Magorum, (erat verò ei nomen Adrachus) rogauit eum, an esset Christianus. Postquàm autem magna voce hoc fuisset confessus: Sunt'ne ergò, inquit, vera quæ fama celebrantur, quòd contemnas iussa regia: & quòd vnum prædicas Deum contra edictum regium? Beata autem illa senectus nullo timore affecta, Quæcunque, inquit, talia de nobis audiuisti, sunt vera. Vnum enim Deum prædico conuenienter ijs, quæ sunt apud nos, scripturis: & eis, qui ad me ventitant, consulo vt hoc dogma teneant & tueantur. Constantia sancti senis. Magus autem: Audiuimus, inquit, te alijs præstare prudentia, quæ longo tempore & experientia comprobatur. Nunc verò non, sicut audiuimus, licet nobis intueri. Nihilo enim meliùs es affectus, quàm puer insipiens. Cuius est enim sapientiæ aut sanæ mentis, decreta regia despicere, & solem splendidissimum & ignem nolle adorare, quæ quidem ipse quoquè Rex adorat? Respondit Christi Pontifex: Valdè mihi videtur desipere imperium Persarum, quòd dimisso creatore, statuerit colere res creatas. Quis enim sanæ mentis in animum induxerit, Dei honorem tribuere ijs, quæ facta sunt à Deo, sicut vos facitis, vos impiè gerentes, & hic ipse Rex vester? Ille autem: Nos impia, inquit, facere audes dicere, qui tale elementum adoramus & solem viuificum colimus, ô tu verè impie & nugator, & vanæ defensor religionis? Sed nisi tu cesseris iussui Imperatoris, & adoraueris eos, quos ipse adorat: ne senectus quidem te liberabit, quo minùs patiaris grauissima, neque quem colis Deum crucifixum.

Deindè diuinus senex: Tibi obstruatur os scelestum, ô execrande, si putes te tuis minis mihi posse persuadere, vt deficiam à patrio dogmate, quod didici ab ineunte ætate, & ad hanc conseruaui canitiem. Præclaræ voces sancti martyris. Si autem neque me, vt dicis, eripiet senectus, neque Deus, quem colo, à vestris manibus: non ideò id, quod est præstantius, mutabo deteriori. Quid enim mea interest viuere hos paucos dies? Nam paulò pòst etiam absque vobis à me exigetur commune hoc naturæ debitum. Non adorabo solem, non colam ignem. Nemo meam irridebit senectutem: nemo mihi dabit vitio, quòd sim vitæ cupidus, vt qui breui vita vendiderim tantorum bonorum beatitudinem. Propter hæc ira repletur sceleratus, & sacrosancta senectus statìm flagris cæditur adeò grauiter, vt sanguine quidem totum solum restagnaret, nullus autem relictus esset locus corporis illæsus. Dirissimè flagellatur. Cùm verò parùm esset relaxatus à plagis, iubet eum rursùs vinctum catenis sisti ante tribunal. Dicebat autem: Vbi est Deus tuus, quem colis ô Acepsima? Veniat, & te è meis manibus eripiat. Deus meus, inquit ille, ô sceleratissime, qui cælum implet & terram, potest me è tuis manibus eripere. Ierem. 23. Tu autem cùm sis terra & cinis, in quem audes superbire? sub quo sternetur putrefactio, cui vita est morte grauior, qui viuentē Deum non cognoueris. Esa. 14. proptereà tanquàm flos agri exiccaberis, & vita miserabiliter euersa, traderis igni, qui non potest extingui: vt quem nunc adoras, illic re ipsa punitus sentias, non esse ignē Deum, sed ipsum quoquè alium nôsse opificem, qui est etiam Deus omnium, quæ cadunt sub adspectum.

His maiore ira incenso Mago, grauiores catenæ sanctum circunligârunt: & eum tunc interior accepit custodia. Ioseph presbyter comprahenditur. Die autem sequenti comprahensus etiam fuit maximè venerandus presbyter Ioseph, ortus ex pago, qui vocatur Bethlabuca, quod exponitur, Rectè scribentis: ipse quoquè senex & iam intra terminos Dauidicos, vt qui esset septuaginta annos natus. Psal. 89. Senectuti autem decori erat quædam gratia, & species vene-

randos canos reddebat lætiores: cuius anima quidem zelum ſpirabat, & dogma Chriſtianorum mirandum in modum defendebat. Summè verò is deditus erat temperantiæ, & continebatur cor eius metu diuino. Prætereà autem compræhenditur etiam inprimis colendus Diaconus Aeithalas. Eum pagus aluit Bethnoadara, vir & ſpiritu feruens, & qui Chriſti charitate valdè accendebatur. Erant autem ei mores propenſi ad arguendum, & pleni dicendi libertate inſtàr magni Eliæ, vt qui vitæ, vt opinor, ſequerentur libertatem & animæ puritatem. Florebat verò in eo quædam quoquè grauitas, quæ ei conciliabat ab omnibus venerationem. Cùm autem ambo producti fuiſſent ante iudicē, is toruo oculo eos intuēs: O genus, inquit, perditiſſimum. cur in ſimpliciores homines irrepentes, & veſtris doctrinis eorum oculos præſtringentes, deducitis ad falſam Chriſtianorum religionem? Beatus autem dixit Ioſeph: Nos nec vti præſtigijs, nec fallere didicimus. Verum autem & ſtabile dogma defendentes, eos, qui errant circa religionem, deducimus ad veritatem, docentes adorare vnum Deum, qui eſt cum alijs rebus Dominus ſolis & ignis. Dixit verò Magus: Quodnam autē dogma eſt veritati conſentaneum? id'ne, quod Rex totius terræ ipſe & eius proceres defendunt, an quod viles & abiecti homines, ſicut vos, qui decepti eſtis, prædicant?

Item Aeithalas.

Viles quidem & abiecti homines ſumus nos, reſpondit Chriſti ſacerdos, hoc iubente Chriſti præcepto, quoniam non in diuitijs & ſuperbia viſum eſt Deo noſtro viam hominis dirigere. Et ideò nos ſæpè noſtra ſponte nos humiles reddimus, facultates noſtras prodigentes pauperibus, pro ijs nos accepturos æternas expectantes diuitias. Nam ſi in congregandis diuitijs ſtudium poneremus, tantum ex noſtris manibus commodi percepiſſemus, & tantas opes collegiſſemus, quantas nec tibi quidem licet, qui eas colligis ex pauperibus, & metis alienos labores. Nos enim proprijs manibus laborantes, iuſtè quæſitis pauperes impertimus. Vos autem ſoli auaritiæ dediti & plura habendi cupiditati, non ſolùm nihil ipſi operamini, ſed prætereà etiam aufertis aliena. Quoniam verò nos quoquè dicis amare diuitias: quodnam in eis bonum ineſſe animaduertentes, nos ad eas parandas defigeremus? Non ſunt eæ fugitiuæ & valdè infideles? Non hodiè quidem huic adſunt, cras verò migrant ad alium, priori domino quodammodò abnegato? Non magnam in eum, qui poſſidet, concitant inuidiam? Non eæ labores & bella apertè architectantur? Non latronum & furum attrahunt oculos? Quòd ſi dicis ex ijs aliquam oriri voluptatem, aut gloriam, magnum quid eſſe reputas? quid'nam ea differt à ſomnijs & vmbris? Parua affecit voluptate: deindè cùm aduentârit veſpera, extincta eſt & redacta in nihilum. Quòd ſi etiam in præſenti vita parùm manſerit, mors tamen iam adueniens, eam quoquè habet ſimul abeuntem. acerba autem ſupplicia eum, qui ſe hîc dedidit voluptatibus, tenebunt perpetuò.

Reſponſum Chriſti ſacerdotis.

Fallacia & vanitas diuitiarum.

Hæc cùm ſic dicerentur, interpellans Magus: Has, inquit, prolixas mittens nugas, maximo deo ſoli & igni cultum, vt par eſt, exhibe. Ad hæc dixit Chriſti adorator: Nè erres, neque putes te hoc vnquàm tuis eſſe contemplaturum oculis: me, inquam, relicto effectore ſolis & ignis, illius opera adorare, & adeò repugnare meis verbis & doctrinæ. Crudeliſſimus autem Magus, poſtquàm audiuit hæc verba, ira accenſus, iubet ſtatim eum extenſum verberari virgis mali Punicæ, cuius rami erant ſpinoſi. Cùm verò ſacras illas carnes laniarēt filij interitûs, Ago tibi gratias, dicebat athleta, in cælū extendens oculos, quòd dignatus ſis me meo ſanguine tinctum, peccati ſordes purè abluere. Lictores autem propter ea, quæ dixerat, in ipſum magis ira repleti, tum plagis ità cōſciderunt, vt vox quoquè ei interrumperetur. Deindè duabus catenis circundatum, includunt in carcere, ei pulchrum vel inuiti ſolatium dantes Acepſimam. illic enim fuerat priùs incluſus.

S. Ioſeph virgis aſperrimis cæditur.

Ad venerandum autem adſpiciens Aeithalam Iudex, qui erat animo implacabilis: Tu verò quid dicis, inquit? Implebis'ne iuſſum Regis, & adorabis maximum ſolem, & guſtabis ſanguinem, & cum muliere habebis conſuetudinem, & liberaberis ab ijs, quæ tibi impendent, malis: an eris etiam, ſicut alij, contumax & inobediens? Chriſti autem Martyr Aeithalas, verè ſemper florens & cęleſtis planta pietatis: Tuæ, inquit, immundæ & caninæ appetitionis eſt hoc munus, ſanguinem guſtare, & pro Deo, quæ Dei ſunt, colere. Abſit autem, vt ego adeò cæcutiam corporis & animæ oculis, vt hunc videns Solem, ad eum vſque cōſiſtam, & Deum omninò putem id, quod apparet: & non vlteriùs progrediar ſynceriore oculo cogitationis: & Deum quidem id, quod mouet: rem

Aeithalæ cōſtans reſponſum.

rem verò creatam reputem id, quod mouetur. Si autem mihi sic iudicanti & plagas & mortem minitaris: non ideò mihi persuadebis, vt discam tuum dogma, & negem veram religionem. Propter hæc iratus impius: Sed nullus, inquit, sanæ mentis mortem vitæ prætulerit, idque propter stultam & minimè consideratam constantiam. Quamobrèm nec tibi credendum est dicenti te paratum esse mori pro tuo dogmate & religione. Respondit sanctus: Vestri, qui à vana spe pendent, & nullam æternæ vitæ habent expectationem, postquàm hinc excesserint, iure existimari potuerint esse & vitæ cupidi, & amantes corporis. Quorum autem spe vera & firma alitur anima, quòd & ea sit immortalis, & sit rursùs cum suo corpore coitura post mortis dissolutionem, & æternæ vitæ futura particeps, ijs præsens vita res est parua & contemnenda, & mors minimè terribilis. Verax est enim Deus noster & magister, qui dicit: Nolite timere ab ijs, qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere. Luc. 12.

Tunc iubet vir ille ferus eius quidem manus alligari poplitibus, & longum lignum in medio vtriusque transadigi: sex autem viros robustos ab vtrisque ligni extremis conscendentes, fortiter premere sacrosanctum illud corpus, de industria factis saltibus, & ossa eius confringere & dissoluere. Deindè etiam mali quoquè Persicæ virgis eum verberari. Indomitus autem ille athleta, & cuius nulla re frangebantur spiritus, perindè àc si nullum dolorem sentiret à tam insigni cruciatu, magno & excelso animo adspiciens ad iudicem: Vt videtur, inquit, corpora hominū, quæ discerpuntur, tibi aliquā afferunt voluptatem, instàr canum aut coruorū eis impleri cupienti. Scias ergò, me nullā ducere rationē horum tormentorū, quę à te inferuntur. Aut ergò noua excogita supplicia, aut scito me ea nihili facere. Magus autem statim conuersus ad lictores: Cur, inquit, misericorditer flagris cęditis impium? Videte enim, quomodò dum ei parcitis, ad nos incessendos contumelijs maxima inuehitur libertate. Illi verò, velutì quodam stimulo eius sermone excitati, tam fortiter inuaserunt, vt ex grauitate eorum, qui ascenderant, & ex vehementia eorum, qui tendebant, & ex crudelitate eorum, qui flagellabant, compages quidem corporis ei fuerint dissolutæ, ossa autem sint confracta, & carnes sint discerptæ. Eum ergò portātes, quoniam pedibus minimè vti poterat, tanquàm onus aliquod proijciunt vi in custodiam, in qua etiam inclusum erat illud par sanctorum.

Immane supplicium.

Fortissimus Acithalæ animus.

Supplicijs horrendis afficitur.

Cùm quinque dies præterijssent, eos è carcere eduxerunt, & duxerunt in locum, qui vocabatur Paradisus, prope quod erat templum ignis, qui ab eis colebatur. In quo cùm pręsedisset ille sceleratus, Ocyùs mihi dicite, inquit sanctis, an adhuc permaneatis in eadem stulta cogitatione: an consiliū mutaueritis in aliquid melius & salutare. Sācti tanquàm vno ore protinùs responderunt: Notū tibi sit iudex, quòd quam ab initio habuimus cogitationē, in ea adhuc persistimus, & perpetuò persistemus, non minis, non tormentis, non donis, nullo deniquè alio omninò mutati: Sed vnum Deum adoramus, & eundem solum esse Dominum omniū eorum, quæ sunt, cognouimus. Hæc cùm audijsset Magus, aliud rursùs nouum excogitat tormentū, & iubet eos cingi funibus per axillas & lumbos & tibias, in vnoquoque autem cingulo lignum inijci & circumagi, & fune vehementer torqueri. Quod cùm factum esset, erat acerbum spectaculum, & mitibus oculis lachrymabile. Nam ligna quidē circumagebantur: funes autem conuertebantur: & carnes indè premebantur, & ossa conterebantur. erat verò valdè grauis contritio: etenim ijs quoquè, qui procùl erant remoti, audiebatur fragor ossium. Erat autem id, quod eis dicebatur inter tormenta: Voluntati regis nolite repugnare. Deindè id, quod è contrario dicebatur à sanctis: Qui regis vestri voluntati cedunt, Dei voluntati resistunt. Atque erat quidem hora tertia, quandò cœpit tormentum, vsque ad sextam autem sic patientibus athletis est productum.

Templum ignis.

Vox egregia martyrum.

Noui eis adhibentur cruciatus.

Defessus itaq; Iudex, iussit eos rursùs abduci in carcerē. Quamobrèm fuerunt abducti, non suis pedibus, sed portati ab alijs, quòd ij essent omninò morte affecti. Imperatū autem fuerat custodibus, vt si depræhensus fuisset aliquis, eos vel cibo vel potu vel indumento impertiens, is vltimo subijceretur supplicio. In hunc ergò carcerem coniecti Christi milites, omnem afflictionem, omnem vexationem propter ipsum sustinentes, tres annos inclusi permanserunt: nullam aut famis recreationem, aut malorum, quæ erant in custodia, inuenientes consolationē, nisì aliqui ex ijs, qui erant simul vincti, eorum miserti, parùm quid nutrimenti eis latenter præbuissent. Qui enim in carcere assidebant custodes, eorum quidem calamitatum miserebantur & senectutis: sed cùm nihil possent facere, quod ad eorum pertineret curationem propter metū iudicis, solum ex eorum malis dolorem accipiebant, & afferebant lachrymas commiserationis.

Triennio in carcere dirè affliguntur.

Sistuntur ad tribunal.

Deindè post illam acerbam & diuturnam afflictionem, cùm esset in eo loco Sapores, (is autem dicebatur Bithmada) eos educit è custodia is, cui fuerat commissum, vt eos castigaret. dixisses, si vidisses, illos esse vmbræ similes: longa afflictione adeò extabuerant. Deindè eos sistit ad tribunal Ardasabor: erat autem is princeps omnium Magorum, qui erant in Perside. Ille verò statim eis dixit: Quid autem, estis Christiani? Sancti verò, Certè, dixerunt, Christiani, & solum Deum viuum adorantes, & ipsi soli seruientes. Tyrannus autem: Videtis, dixit, quemadmodùm quæ vobis illata sunt tormenta, attulerunt vobis magnam afflictionem? multo autem magis diuturna vexatio & inclusio. ea enim & formam vobis mutauit, & effecit, vt ità extabescceretis. Quamobrèm vobis consuluerim, vt mihi pareretis afferenti ea, quæ sunt vobis conducibilia, & vobis parcatis, & Solem lucidum adoretis. Sin minùs, restat vt grauissimæ morti subijciamini.

Ingens constantia martyrum.

Respondit sanctus Acepsimas: Non me latet summo esse tibi studio dogma patriũ: & hoc tibi esse propositum, si modò fieri posset, vel vi vel persuasione efficere, vt omnes attrahas ad eandem religionem. hoc autem de nobis nunquàm tibi veniat in mentem, vt putes vel blanditijs vel minis vel alijs intentatis malis posse nobis persuadere, vt deficiamus à nobis semèl confirmato dogmate & à confessione. Parati enim sumus omnia pati potiùs, quàm à fide in Christum deficere. Non ignoro, inquit tyrannus, quòd cùm vobis Christianis mors putetur esse quies, omne studium à vobis ad hoc ponatur, vt ijs fruamini, quorum spem concepistis: sed non licebit vobis citò consequi id, quod desideratis. Nam cùm priùs vestras carnes paulatìm consumpsero, acerbum vitæ finem vobis imponam. Cui sanctus: Et iam priùs, inquit, à nobis audisti, & nunc idquoquè certò scias, quòd neque tuorum tormentorum, neque minarum nos vllam ducimus rationem. Nam qui in præcedentibus malis nobis manum præbuit adiutricem, ipse nunc quoquè nobis feret opem, & efficiet, vt non difficiliter feramus ea, quæ nobis intentabuntur. & si velis facere periculum nostræ in profundo senio fortitudinis, nihil obstat. Scies enim te frustrà laborare, & aggredi ea quæ sunt inutilia.

Acepsimas horrendum in modum flagellatur.

Propter hæc ira repletus iudex, iubet afferri flagella ex corio crudo confecta, & subijci eorum oculis. Deindè dicit sanctis: Iuro, inquit, per ipsum magnum deum & inclytam fortunam Saporis, nisì imperio eius obedieritis, his vestras carnes consumam, vestrî nulla motus misericordia. Quòd si etiam contigerit, vt vos citiùs moriamini, dum flagris cædimini, at ego sic quoquè puniam vel mortuos: & membratìm dissectos, proijciam auibus & canibus. Sanctus autem dixit Acepsimas: Cùm per rem creatam, & non per Deum iuraueris, & etiam per fortunam hominis, vereor nè non sit tibi curæ iusiurandum, & non serues ea, quæ sunt à te iurata. Si autem ea seruare omninò constituisti, eccè tibi nostra corpora: ijs vtere vt lubet, nulla, vt dicis, nostrî motus misericordia, neque nobis quicquam parcens. Cùm sic dixisset, iussit sceleratus iudex eum, extensis manibus, valdè verberari in dorso & in pectore. Eò verò crudelitatis processerunt qui flagellabant, vt nihil omninò intermiserint, donèc carnes auulsæ ab ossibus, simul cum sanguine in terram defluerent. Præco autem clamabat: Pare Regis voluntati, & viue. Dei verò Pontifex, donèc erant ei vires, contrà clamabat: Ego Dei mei voluntatem, viribus ab eo acceptis, exequar: vestri autem Regis voluntatem ne summis quidem auribus accipio. Cùm autem & vox ei interrumperetur, & vires iam paulatìm dissoluerentur, & mors iamiam adesset, oculis in cælum sublatis, cùm in Deum confessionem conseruare firmam & immobilem annuendo asseuerâsset, in ipsa rerum grauium & difficilium tolerantia, inuictam illam animam tradidit Deo agonothetæ.

Reddit spiritum.

Adhuc autem iram spirantes acerbi illi tortores, in corpus iam mortuum sæuiebant instàr coruorum. Deindè cùm præcipitem impulissent, & in plateam tanquàm profanũ aliquid scelerati proiecissent, adhibent custodes, vt nè sepulturam quidem consequeretur ab vllo ex Christi amantibus, maximum metum dæmonum depellere contendentes, qui re vera erant illorum cultores promptissimi. Tribus autem diebus posteà occupatis custodibus propter aduentum filiæ regis Armeniorum, quæ vt esset obses pacis, tunc data fuit regi Persarum, surripitur à Christianis reuerà thesaurus, qui nunquàm consumitur.

Sanctorum reliquiæ, thesaurus indeficiens.

Cùm sic ergò B. Accepsimas decimo Octobris eo modo, quo dictum est, finem vitæ accepisset, sanctissimus Ioseph post eum fuit introductus. Ad quem se propiùs admouens iudex profanus: Vidisti, inquit, quàm acerba morte amicus tuus fuit vita priuatus: & tu

& tu nunc quoquè, nisi meis monitis parens, similibus subiectus supplicijs, eandē quam ille, mortem subibis. Diuinus autem Dei sacerdos: Quod, inquit, priùs dixi ei, cui iudicandi munus ante te obtigerat, hoc nunc quoquè tibi dicam, quòd nunquàm creatori præferam rem creatam: neque id, quod est conditum, adorabo, sed conditorem, quandiù fuero compos mentis. His dictis, Præses correptus magno furore, iussit eum similiter extensum atquè priorem, flagellari boum neruis: & acclamare præconem, eum fore saluum, si regis parcat voluntati. Ille autem, Vnus est Deus, exclamabat, & præter ipsum nullus alius, in quo & viuimus & mouemur & sumus, cui etiam cultum offerimus rationalem, regia iussa parùm curantes. Cùm verò multas horas verberatus, ferè iam esset morte affectus, arbitrati eum esse mortuum, sustulerunt, & in forum proiecerunt. Deindè cùm resciuissent aliquas spiritûs reliquias adhuc in eo manere, includunt in carcere.

Itidèm Ioseph cæditur.

Post eum autem tertius fuit introductus sapiens Acithalas. Cui Iudex: Vita, inquit, & morte propositis ante tuos oculos, gloriaque & ignominia, nè eligas deterius, relicto meliori: nec eandem ineas viam, quam ij, qui præcesserunt, qui sua stultitia dignum vitæ exitum acceperunt. Tu autem meum sequens consiliū, & maximos honores consequeris, & munera à rege accipies. Sin minùs, cùm tibi causa fueris suppliciorum innumerabilium, omnibus quoquè iucundissima luce per vim priuaberis. Diuinus autem Acithalas: Me, inquit, puderet cæli & terræ, si cùm mei amici, qui & premebantur senectute, & ætate processerant, fortissimè decertauerint, ipse & vitæ cupidus, & tormenta extimescens conspicerer, qui sum ætate vegetiore. Non per Christi mei mortem, ero vitæ hîc agendæ cupidus. Non pro ijs, quæ videntur, bonis, non pro asperis rebus prodam pietatem. Propter hæc magna extitit ira Præsidis: & in sanctum illata sunt flagella. Ille autem ipsum sordidum canem vocauit & ignauum, &, Quomodò, inquit, mens tua est infirma & imbecilla, ità etiam tormenta, quæ sunt infelicium & abiectarum animarum terricula, non verò fortium virorum, quorum animi desiderio Christi sunt inflammati.

Cæditur etiam Acithalas, iudicis cruciamenta irridens.

His Iudex obstupefactus, qui erat mente captus: Quid hoc, dixit consessoribus, sibi vult, quòd isti, qui dicuntur Christiani, vitam præsentem despicientes, mortem tantoperè sitiunt? Illi autem, Quoniam, aiunt, à patribus traditas attendentes doctrinas, credunt alium esse mundum, præsenti longè meliorem & admirabiliorem, propter quem vitam quoquè præsentem despiciunt. Interìm autem dum hæc dicerentur, & temporis prolixitate, & ab ijs, qui ipsum torquebant, vehementissima plagarū illatione, corporis quidem, quod multùm decertauerat, dissoluebantur compages: carnes verò, quæ lacerabantur, cum ipso sanguine in terram defluebant. Cùm eum autem iussisset parùm relaxari Iudex, tanquàm eius motus misericordia: Si volueris, inquit, parere iussui Regis, sunt apud nos medici, qui plagis tuis citò medebuntur. Cui statìm sanctus: Si solo verbo, inquit, posses meis mederi plagis, ó tu, qui es mente & anima saucius, ne sic quidem tibi animum adhiberem, cùm ea suadeas, quæ sunt planè stulta & remota ab intelligentia. Tentans dixi, inquit Iudex. Nam etiamsi tu velles parere iussui Regis, hoc tibi nihil prodesset, cùm plagæ iam tibi mortem procurent. Quamobrèm ego quidem efficiam, vt sis exemplo omnibus Christianis, nè tam securè magistratus afficiant contumelijs. Sed si in alijs, inquit sanctissimus martyr, dixisti sæpè aliena & falsa, nunc, etiamsi nolles, dixisti vera, & quod est omninò propediem euenturum. Me enim re vera bonum posteris exemplum statues fortitudinis & animi magnitudinis, qui tanquàm ad exemplar aliquod, ad nostram intuentes tolerantiam, facilè ferent tua & tuí similium tormenta.

Fortiter contemnit tyrannū blandientem.

His, quæ dicta sunt, fuit obstupefactus Iudex: & accersito quodam ex ijs, qui apud eum multùm poterant, qui dicebatur quidem Adesche, ortus autem erat ex ciuitate, quæ vocabatur Arbel: Hos, inquit, accipe, & duc ad tuam ciuitatem, Christianorum manibus obruendos lapidibus. volo enim tuam solertiam hoc mihi efficere. Propter quam causam nec eis quidem gladio volui mortem afferre. Cùm eos ergò onerarijs iumentis tanquàm inanimum aliquid imposuisset & alligâsset, ille profectus est in patriam, quoniam non poterant insidere iumentis, cùm essent eorum membra omninò dissoluta. Quamobrèm humì iaciebantur in ijs locis, in quibus eos oportebat diuersari, tanquàm mortua copora: & cùm adducti essent in ciuitatem Arbel, eos accipit carcer obscurus & tenebricosus: in quo cùm putrefactio carnium eis ex plagis orta esset, effluebat multa sanies: & sanctos grauissimi dolores inuadebant, & maximè, quòd non per-

Nota spectaculum sanè miserandum.

Itē dolores martyrum.

permitteretur vlli ex Christianis ad eos accedere,& eorum vllam curam gerere. Quædam autem mulier pia & timens Dominum, quæ habitabat in finibus huius ciuitatis, intempesta nocte venit ad carcerem: & multis pecunijs delinitis custodibus, effecit vt sanctos latenter acciperet, & domum suam, quæ non longè aberat, seruorum suorum manibus portatos duceret. Deindè ijs productis, qui nec loqui quidem poterant, eis abstergit saniem: lenibus autem quibusdam medicamentis sedat eorum dolores, mundis alligat linteis, vnguentis vngit preciosis, & in omnibus ostendit, quàm esset pia & Christi amans, osculans quidem membra martyrum, & eis illachrymans: sanie autem, quæ ex eis distillabat, seipsam inungens.

Egregiũ facinus piæ mulieris.

Cùm vix tandèm autem ad se redijsset Ioseph: Tua quidem, inquit, in nos misericordia & munificentia, ô sacrosancta mulier, Deo erit accepta & nobis, qui pro eo decertamus. Nos autem tam immodicè deflere, est multùm remotum à vera & certa spe Christianorum & nostra fide. Cui honestissima mulier: Mihi quidem animus est gaudio repletus, consideranti, quòd Christus vobis tantam dederit fortitudinem, vt magno animo ferretis tantam dolorum acerbitatem: magìs autem læta essem, si vos vidissem martyrio consummatos. Lachrymari verò est proprium humanæ naturæ, quæ mouetur misericordia eius, quod est sibi genere coniunctum. Sed non oportet te dolore affici, neque lachrymari propter nos, respondit diuinus Ioseph, cùm omninò scias, quòd quæ propter Christum suscipiuntur afflictiones, æternam concilient lætitiam & regnum cælorum. Die autem illucescente, rursùs latenter restituuntur in carcerem.

Cùm sex autem menses præterijssent, deponitur quidem à magistratu is, qui sanctos acceperat, vt lapidibus obruerentur: alius autẽ eo sæuior, ei succedit, nomine Zeroth: cui etiam Rex imperauerat, vt comprǽhensi Christiani, Christianorum manibus obruti, interimerentur. Cùm ergò venisset ad ciuitatem, & ignis templum esset ingressus, vt ignem adoraret, ei dixerunt ignis adoratores: Sunt quidam hìc iam longo tempore Christiani in tuta inclusi custodia, qui priùs, vt nobis fuit significatum, grauissimis subiecti supplicijs ac tormentis, non potuerunt induci, vt suam abnegarent religionem. Hęc cùm ipse audiuisset, eos statim iubet sisti pro tribunali, & eis dicit: Cùm rex Sapores munitas quidem & validas euerterit ciuitates, & multas gentes oppugnatu difficiles redegerit in seruitutem: quomodò vos, qui estis quidem in eius potestate, eius autem terræ habetis vsumfructum, perindè àc qui ab eo defeceritis, eius iussa tantoperè despicitis? Ad hæc Ioseph ille admirabilis: Si tyrannidem, inquit, & rebellionem aliquam mouissemus aduersùs Regem vestrum, oporteret omninò ipsum illatis armis & coacto exercitu nos inuadere: aut alium certè aduersùs nos mittere, qui esset & manu fortis, & rerum experientia præditus, & ad ducendum exercitum idoneus. Sed tantum abest, vt nos talia aggrediamur, vt non alium, sed te aduersùs nos emiserit, qui cum fœminis potiùs, quæ degunt in thalamis, quàm cum viris pugnare studuerit. Nos enim nosipsos tanquàm oues tradidimus ad occisionem, vt qui didicerimus esse subiecti omnibus potestatibus.

SS. Ioseph & Aeithalas sistuntur corã iudice.

Dixit Præses: Me ad iram, vt videtur, prouocans, vt vitam tibi citiùs adimam, nos his insectaris contumelijs. Sed non assequeris id, quod desideras. longo enim tempore & mora te protraham, & multis tormentis te paulatìm consumam. Iubet ergò eum funibus vinctum à summis pedibus, suspendi capite: exiccatis autem boum neruis ei plagas infligi. Sic ergò venæ apertæ tormentorum violentia, tanquàm ex fonte præbebant fluxum sanguinis. Qui verò circunsistebat populus, Iudicem accusans immanitatis, ad misericordiam mouebatur & ad lachrymas, stupens sacrosancti senis tolerantiã. Quidam autem ex Magis, qui circunsistebant, secretò accedentes ad martyrem, dicebant: Clàm nobiscum ingredere in nostri dei templum, si à multis adspici erubescis, & cùm sacrificâris, liberare à supplicijs. Ille autem: Discedite à me, clara voce dixit: Discedite, qui operamini iniquitatem: quoniam Dominus exaudiuit deprecationem meam. Deindè cùm tres horæ iam præterijssent, iubet eum relaxatum à vinculis coram se sisti. Et quid, inquit, pares iussui Regis, & vitam morti præfers, an non? Respondit sanctus: Absit, vt ego vnquàm eam vitam cupiam, in qua me Sol viderit sibi potiùs, quàm eius effectori, tribuentem adorationem. Quid autem, Est'ne tibi, inquit, mors vitæ præponenda? Sanctus dixit: Certè. hæc enim mors mihi vitam æternam conciliat, & est nobis causa multorum bonorũ, quę nec possunt cerni oculis, nec audiri auribus, nec mente comprǽhendi. Ad hæc ille ironicè loquens, & velutì irridens martyris responsionẽ: Magnas

Iterùm crudelissimè cæditur S. Ioseph.

O diaboli fallaciam.

Esa 64. 1. Cor. 2.

Magnas ergò, inquit, nobis debes agere gratias, si tam multa bona tibi conciliauimus. Omninò autem efficies, vt eorum quoquè simus tecum participes, vt qui tibi fuerimus adiutores ad acquirendam talem beatitudinem. Sanctus autem: Nè ironicè, inquit, nobiscum agas, ô Iudex. Nam nos quidem & inimicos diligere, & ijs, qui nos odio habent, benefacere, à diuino præcepto didicimus. Cæterùm quandiù sumus viui in vita præsenti, Deum precamur, vt ab errore discedentes, discatis pietatem & veram religionem, vt vobis quoquè sit pars & sors in futuro in Dei bonis, quæ dici nequeunt. Non est autem nobis datum vel à supplicio eripere, vel bona dare. hoc est enim in solius Dei positum potestate, qui habet etiam potestatem iudicandi viuos & mortuos. Matth. 5.

Dixit Præses: Eiusmodi contentionibus missis in præsentia, & ijs bonis, quæ à te somniantur, pare Regis imperio. Te enim talibus & tantis subijciam supplicijs, vt per te alij quoquè persuadeantur Christiani, ea, quæ tenent manibus, nequaquàm commutare cum ijs, quæ spe apprehenderunt. Sanctus autem: Hoc, vt ipse quoquè nôsti, maximè cupio, quamcitissimè transmitti ad æternas mansiones. Quòd si mihi alios innumerabiles intuleris cruciatus, aut etiam post te alius, consummatus inueniar in Christi gratia. Habeo enim Deum me confirmantem, propter quem hæc pati constitui. Non ero autem, vt tu dicis, Christianis adhortatio ad negandam pietatem propter tua tormenta, sed incitamentum potiùs ad verum Dei cultum. Ipsi enim me videntes in tali senectute tuos vilipendere cruciatus, habebunt pulchrum exemplar fortitudinis, nec deerit illis, quem imitentur. His auditis, Præses beati senis interrita constantia obstupefactus, iubet portatum ab aliquibus, quoniam ingredi non poterat, rursùs includi in carcere. Nullis minis frangitur Christi martyr.

Deindè adspiciens ad beatum Aeithalam: Te'nè quoquè, inquit, inuasit idem stupor, & maximi luminaris recusas adorationem? Respondet præco veritatis: Viuit Dominus Iesus Christus, viui Dei filius, in quem speraui à iuuentute, quòd immutabilem habeo cogitationem: nec mihi vllus persuaserit, vt Dei honorem tribuā rebus ab ipso creatis. Postquàm hæc audiuit ille superbus & barbarus, iubet sanctum alligari talis, & ligno appendi. Ille autem magna voce prædicabat se esse Christianum. Magis erat defessus flagris cædendo impius, quàm sanctus aliquid loqueretur remissum & indignū ea, quæ pro Christo est ostendenda, fortitudine. Iubet ergò eum de ligno deponi, & eius loco induci Manichæum, qui coram martyre apertè suam abiuraret religionem. Iubens ergò torquere Manichæum, cogebat ad negandum. Ille autem primùm quidē resistebat, & aduersus plagas videbatur decertare. Cùm autem violentiùs verbera intentarent, qui flagellabant, & cum plagæ vehementer vrgerent, victus à doloribus, statim inficiabatur: &, Anathema Maneti & eius dogmatibus, exclamabat. Afferunt itaque ad eum formicam, iubentes interficere. Ille autem eam statim accepit & interfecit. Propter quod sanctus lætitia diffusus, & ob id, quod factum fuerat, ridens propemodùm: Grauia passus, inquit, defecit adorator Manetis: & cædem fecisse est conuictus, vt qui deum suum interemerit. Ego autem meipsum beatum existimo, vt Paulus, quòd Christi virtute apertè corroboratus, qui dixit: Ego vici mundum: conseruo spiritum & animum inuictum. Aeithalas denuò flagellatur. Manichæus hæreticus deficit in tormentis à suo Manete. Iohan. 16.

Propter hæc ira repletus insanus iudex, spinosis mali Persicæ virgis iubet sanctum verberari. Plagę autem sic eum confecerunt, vt propè esset * mutus, & nec sentiret quidem verbera, quæ infligebantur. Quamobrèm cùm eum traxissent, tanquàm iam mortuum, foràs eijciunt. Quidam autem ex Magis, cùm fortè illud corpus vidisset nudatum, & naturæ contemplatione motus esset misericordia, panno eum operit. Qui verò erant eiusdem, cuius ipse, religionis, cùm adspexissent, quod ab eo factum fuerat, criminantur eum apud Præsidem: qui eum acerbis statim cædit flagellis, & ab immisericordibus eam accipit mercedem misericordiæ. Beatum autem Aeithalam adhuc spirantem tradunt in custodiam. Cùm verò accepisset iudex, maximum quendam Præsidem, nomine Saborium, in eius vicum aduenisse, qui appellabatur Macellaria, ei martyrum mandat examinationem. Ille autem non minùs impius & sæuus, quàm præcedentes, adspiciens ad sanctos: Vestram, inquit, reueritus canitiem, & vestræ misertus afflictionis, suadeo vt solem adoretis, & gustetis sanguinem sacrificiorum, vt à morte acerba liberati, omnibus iucundam vitam lucrifaciatis. Sancti autem tanquàm vno ore dixerunt: Carniuoris canibus mos est sanguinem gustare, non hominibus. Tibi verò potiùs conuenit ijs exatiari, qui es instàr canis rabiosus, & latras, & efferaris in eum, qui te fecit. * mortuus

Post-

Rursùs cæduntur sancti.

Postquàm autem iussit sanctos flagris cædi, eorum misericordia moti, qui circunstabant: Decoctione, dicebant, gustata loco sanguinis, seruemini, & liberemini ab ijs, quæ vobis imminent, supplicijs. Illi verò responderunt: Absit, vt vel gustu, vel vllo alio modo inquinemus puritatem nostræ fidei, & hanc longæuam senectutem dedecore afficiamus. Versutus autem ille Præses & admodùm malus: At si ad vos, inquit, pura caro fuerit allata, ne eam quidem gustabitis? Sancti dixerunt: Ex immundo quidnam mundum, & ex pollutis tuis manibus quidnam fuerit impollutum? Omnibus ergò missis his tuis machinationibus, in nos velis citò proferre sententiam. Frustrà enim laboras aërem verberans, & per insciriam eum pulsans, qui non potest domari. Cùm ergò communiter cum ijs, qui considebant, consultâssent, & tulissent sententiam, vt sancti Christianorum manibus obruerentur lapidibus, congregant Christianorū multitudinem: cum quibus comprehenderunt etiam admirabilem illam Isdandul: & cùm beatum Ioseph rursùs exportâssent, sistunt eum in Prætorio. Sanctus autem annuit Præsidi, vt ad se accedat propiùs, vt qui arcanum aliquid esset ab eo auditurus. Cùm is verò statim accessisset propiùs, martyr os implens saliua, execrandum illum vultum conspuit: &, Non te pudet, inquit, ô impudentissime, tam immaniter & tam hostiliter in hanc communem insultare naturam, & corpus iam morte affectum, rursùs producere ad examinationem? Ille autem ab ijs quoquè, qui considebant, propter hanc nimiam crudelitatem probris affectus, & mirandum in modum irrisus, ad suam cathedram redit pudore affectus.

Vide S. Ioseph in impiū iudicem facinus.

Cùm autem sanctum paulò longiùs dimouissent, & manus ponè vinxissent, fossam ei fodiunt, & eum ad lumbos vsque demissum, infodiunt. Deindè comprǽhensos circunsistunt Christianos: & pulsantes, iubent eos virum inclytum appetere lapidibus. Cum quibus sacrosanctam quoque Isdandul, vt similia faceret, vrgentibus, dixit illa: Nihil vnquàm à seculo tale fuit auditum, vt cogatur fœmina extendere manum aduersùs viros sanctos, quomodò vos nunc facitis: qui aduersùs inimicos quidem non decertatis, in nos autem arma tollitis, & patriam, quæ degit in pace, sanguine & cæde impletis. Illi verò obelisco longæ arundini alligato, eo sanctum pungere imperabant. Illa autem: Absit, inquit, vt ego id faciā. Nam ego id priùs lubenter cordi meo affixero, quàm per ipsum sanctum corpus vel minimùm attingam. Sic illa quidem virilem ostendens constantiam, conspecta est potentior, quàm cogitârant paricidæ. Sanctum autem tam crebris lapidum niuibus obruerunt, vt cerneretur solum caput, reliquo corpore obruto lapidum congerie. Quod quidem caput cùm quidam ex impijs principibus vidisset adhuc moueri, iubet vni ex lictoribus, vt accepto lapide, quantum poterat manus capere, in id desupèr immitteret. Quod quidem cùm factum esset, & pondere lapidis caput esset contritum, beatus Christo tradit preciosam animam. Atque venerandū quidem illud corpus, adhibitis custodibus, cōseruabatur tanquàm thesaurus aliquis. Cùm tres autem dies præterijssent, & iam aduenisset quartus, extitit magnus & terribilis terræmotus. Deindè cùm sic apparerent fulgura, & maxima tonitrua cum eis erumperēt, ignis è cælo demissus, custodes quidem redigit in cinerem: lapidum verò congeriem educit tanquàm puluerem, Deo omnibus reddente manifestum honorem in martyrē: corpus autem non apparet, seu quòd Deus prouidisset, vt id transferretur ijs, quos ipse nouit, modis: seu quòd hominum manus id sustulissent.

S. Isdandul.

S. Ioseph abit è vita.

Vltio diuina in impios.

Venerandum autem Acithalam cùm in vicum, qui dicitur Patrias, abduxissent, efficiunt vt Christianorum manibus ipse quoquè obruatur lapidibus. Cuius corpus monachi quidam ex ijs, qui illic habitabant, noctù aduenientes, inscientibus custodibus id auferunt, re vera furtum laudabile facientes, & rem luce dignam, non tenebris. Deindè cùm ei iusta fecissent, deponunt in quodam loco insigni. Quo autem in loco sanctum contigit interimi, facit Deus admirabiliter quiddam, dignum & sua potentia, & gloria martyris. Planta quædam myrti illic enata, efficitur omne genus morborum liberatio. Cùm quinque ergò annis per hanc plantam sic fierent miracula, qui gentium falsam tenebant religionem, inuidia moti, & non ferentes intueri hæc miracula ad confutandam falsam eorum religionem, plantam excindunt radicitùs. Multi verò ex ijs, qui erant animo purgati, longo tempore videbant lucem in eo loco, & diuinas virtutes ascendentes, & gloriam emittentes ei, qui sanctos suos glorificat. Consummatus autem fuit Christi martyr Acithalas mense Iunio, eandem constantiam & fortitudinem, quam ij, qui ante ipsum fuerunt consummati, ad mortem vsque ostendens, auxilio & gratia Christi veri Dei nostri: Quem decet gloria & honor, cum principio carente

Item S. Acithalas.

Nota rem miram.

rente eius patre, & sanctissimo & viuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

Hucusquè omnia ex Metaphraste: cui subiungemus ea, quę Sozomenus de Mille episcopo, quem hoc ipso die, id est, 22. Aprilis habent Latina Martyrologia, in historiæ suæ libro 2. cap. 13. annotauit, interprete Latino Ioanne Christophorsono Anglo. Per id temporis, inquit, etiã Milles martyrio occubuit, qui primùm apud Persas militauerat: posteà autẽ, relicta militia, vitæ genus planè apostolicum excolere cœpit. Fertur, illum, cùm esset episcopus vrbis cuiusdam in Perside creatus, multos sæpenumerò cruciatus perpessum esse, verbera etiam & distractiones membrorum pertulisse. At cùm neminem in ea ciuitate posset ad fidem Christianam traducere, ægrè & iniquo animo ferentem, ciuitatem execratum esse, indeque decessisse. Non longo post tempore, cùm primarij viri illius vrbis in regem peccâssent, exercitum cum trecentis elephantis eò profectum, vrbem euertisse, & velut agrum colentes, in ea sementem fecisse. De S. Mille episcopo, quem Latina Martyrologia Melisium vocant.

Millem verò peram solùm, in qua sacratum Euangeliorum librum habebat, secum gestantem, Hierosolymam precatum se contulisse: indeque in Aegyptum ad visendos monachos, qui ibi ætatem degebant, concessisse. Quæ autem, quamque admirabilia, & quàm diuina facinora ab isto Mille edita fuerint, testes sunt Syri, qui eius res gestas & vitam literis prodiderunt. Mihi certè satis visum est, hæc de eo & de his, qui in Perside, regnante Sapore, martyrium obiêrunt, hactenùs differuisse. Nam tormenta illius inflicta, aut quinam fuerint, ex quóve loco, aut quo genere cruciamentorum martyrio defuncti sint, aut quibus supplicijs affecti, vix a quoquam percenseri potest: quippe cùm tã varij cruciandi modi à Persis tãto cum studio ad crudelitatem inuenti fuerint. Verùm, vt summatìm dicam, fertur, viros ac mulieres, quorum nomina recensebantur, martyriũ id temporis pertulisse ad numerum sedecim millium: at multitudinem eorum, qui præter hos trucidati sunt, ne numero quidem compræhendi posse: & propterea perdifficile visum esse Persis, Syris & incolis Edessæ, qui multùm de hac re laborabant, illorum nomina percensere. Innumeri martyres sub Sapore rege Persarum.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI THEODORI, SICEORVM ARCHIMANDRITAE, A GEORgio presbytero, eius discipulo, eiusdemque mansionis præfecto conscripta.

Est apud Simeonem Metaphrastem.



Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui ab antiquis temporibus seruos suos, tanquàm stellas, accendit in terra, vt populum suũ regerent, & quæ ad virtutem pietatemq; pertinent, edocerent: quos nũc etiam, tanquàm lucidos Solis iustitiæ radios, ex dulcissima sanctarum scripturarum lectione veneramur: vt primùm innocentiæ typum Abel, Enoch virtute præstantem, iustum Abraham, Isaac fidelissimum, & Christi figuram exprimentem, Iacob simplicem, castum Ioseph, Iob patientissimum, Mosen legislatorem, supplicem Samuelem, Dauid mansuetissimum, zelantem Eliam, Elisæum rerum mirabilium effectorem, Esaiam eloquentissimum, venerabilem Hieremiam, Ezechielem Cherubin descriptorem, Danielem ora leonum obstruentem, tres pueros ignem extinguentes, Zachariam sacerdotem, in omnibus Dei mandatis iustificationibusque sine repræhensione incedentem, Simeonem senem, & mundi lumen in vlnis suis gestantem, Iohannem Baptistam solitudinis incolam & prophetis antecellentem, duodecim chorum Apostolorum, in omni regione ac ciuitate fidem à Christo traditam disseminantium, martyrum cœtus, qui eam sanguine suo ædificârunt, sanctorum patrum Concilia, à quibus Apostolicæ doctrinæ dogmata sunt confirmata, & alios complures, qui in veteri & nouo testamẽto extiterunt, quorum in sacris libris fit mentio, quosque ego propter multitudinem silentio præteriui, magìs insignes tantum vobis in medium proferens. 22. Aprilis. Sanctorũ catalogus. Dan. 6. & 14. Dan. 3. Luc. 1. & 2.

Omnes igitur Sanctos, qui certamina subiêrunt, & ediderunt miracula, Deus mun-

Sancti cur à Deo mũ do collati. do largitus est, vt in singulis hominum ætatibus disseminati, tanquàm stellæ quædam, virtutum & certaminum & miraculorum splendore fulgerent, vt eorum doctrina omnes eruditi, & certaminibus roborati, miraculisque confirmati, impiorum institutorũ perniciem effugerent, & in Christi regnum & gloriam ingrederẽtur: vbi promissa 1. Cor. 2. ab ipso recondita sunt illa bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit: nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sic & in hac ætate benignus ipse Deus noster, quasi splendidam quandam stellam, radios suos emittentem, beatum nobis Theodorum ostendit: qui fuit veluti firma quædam columna, & diaboli artes Egregia Theodori laus. patientia superauit: qui fugauit dæmones, ægrotantibus reddidit sanitatem, pater extitit pupillorum, nutritor pauperum, nudorum indumentum, tutus periclitantium portus, perfugium miserorum, peccatorum dux ad pœnitentiam, baculus inopum, consolator afflictorum, socius Apostolorum, sanctorum particeps, incola regni cælorum, templum Spiritũs sancti: qui multos in cælum duxit, omnibus virtutibus excelluit, vberem habuit fontem, ex quo sanitates emanabant: qui ab ætatis initio ad Deum accessit, eiq; ad finem vsque vitæ gratus fuit, vereque Theodorus nomine & factis extitit. Quãobrèm oro vos, patres & fratres, vt dum vitam eius expono, benignas mihi aures vestras præbeatis. Præclara profectò sunt, & admodùm vtilia, quæ pro viribus accuratè sum explicaturus. Incipiam enim ab ijs, quæ puer gessit: nam illa quoque sunt optimæ frugis plena. Vos igitur, qui ad audiendum accessistis, etiam atque etiam obsecro, vt meam imbecillitatem adspicientes, me studijs & precibus vestris adiuuetis, vt munificus & pater luminum Deus, peccatorum meorum oblitus, mihi indigno tantũ gratiæ & benignitatis & sapientiæ suæ tribuat, vt diuina & admirabilia huius sancti viri facta valeam enarrare.

Siceon oppidum. In Galatarum regione est oppidum, quod Siceon appellatur, subiectum Anastasiopoli primi Ancyrensium principatùs. Distat autem Anastasiopoli duodecim passuum millibus. In huius oppidi medio est publica regij cursùs via, in qua diuersorium erat, vbi puella formosissima, nomine Maria, commorabatur cum matre Elpidia, & sorore Despenia: quæ quidem ibi commorantes, quæstum faciebant. Eo tempore Somnium matris S. Theodori. imperante piæ memoriæ Iustiniano, contigit, vt inter magistratus vir quidam, nomine Cosmas, in equestribus certaminibus clarus, ad partes illas iudex mitteretur. Qui cùm in diuersorium illud venisset, perspecta Maria, amore illius captus est, & cum ea concubuit. Concepit mulier ex eo, & in quiete stellam vidit ingentem & claram, è cælo in vterum suum descendere: experrectaque ac timoris plena, ipsi Cosmæ visum narrauit. Qui: Serua te, inquit, mulier, si fortè te Deus adspiciat, & tibi det fructum, Episcopatus sorte dignum. Et egressus manè, lætus discessit. At mulier cùm ad sanctum quendam senem in loco, sex millibus passuum distante, habitantem venisset, Somnij interpretatio. narrauit ei somnium, quod viderat. Qui: Magnus profectò vir, inquit, euadet puer, qui ex te nascetur, & plurimùm valebit non apud homines, sed apud DEVM. Lucida enim stella regiam significat gloriam, vt iudicant sapientes viri, qui somnia interpretantur. Verùm hoc de te dicendum non est: sed splendida virtutum & gratiarum gloria, tibi per stellam abs te perspectam significatur, quam DEVS in tuum fœtum infudit. Solet enim seruos suos, antequàm edantur in lucem, in vtero adhuc existentes sanctificare. Hoc cùm adisset & Theodosius Anastasiopolis Episcopus, idem iudicauit.

Expleto igitur partũs tempore, Dei seruum peperit, & paucis pòst diebus, vt Christianorum mos est, tulerunt eum ad sanctam Orthodoxorum Ecclesiam: & à sacerdotibus baptizatus est in nomine sanctæ Trinitatis, & Theodorus appellatus est, vt ex nomine perspicuum fieret, eum Dei donum futurum. Cùm autem sextum ageret ætatis annum, cupiebat mater eius, vt in regia ciuitate ad militiam educaretur. Itaque cùm zonam illi auream, & vestes preciosas, & res alias necessarias parasset, de itinere cogitabat. Verùm qua nocte profectura erat, sanctus ei Dei martyr Georgi- Aliud eius somnium. us apparuit: &, Quodnam, inquit, mulier de puero consilium cepisti? Ne frustrà laborem suscipias, Rex enim, qui in cælis est, ipsum sibi requirit puerum. E somno mulier manè excitata, somnium suum cum lachrymis enarrauit: Appropinquat, inquiens, mors filij mei: atque ità labore itineris supersedit. Et cum octo esset annorum pu- Literis dat operam Theodorus puer. er, cum magistro literis imbuendum tradidit. Is cùm Dei gratia maximè omnium esset ad discendum aptus, multùm profecit in literarum sapientia: & ab omnibus diligebatur. In ijs autem, quæ agebat probabatur. Nam & cum pueris ludens, eos vincebat.

cebat. Iurare tamen, aut maledicere, aut aliud quicquam absurdum facere, nec sibi ipse, nec alij cuipiam permittebat. Quòd si ex rebus ludicris lis aut pugna aliqua oriebatur, eam statim dirimebat.

Erat autem domi eius vir quidam pius, nomine Stephanus, qui cibos artificiosè conficiebat. Nam mulieres illæ posteà, relicta vita meretricia, ad bonam frugem redierant, & piè casteque viuebant, multosque Principes & in dignitate constitutos hospitio suscipiebant, & honorem hunc Stephano, qui in arte illa peritus erat, acceptum referebant. At ille quicquid præmij vel à fœminis ipsis, vel ab hospitibus accipiebat, in Ecclesijs impendebat: & manè ac vesperi precationibus vacabat: & in sanctis Quadragesimæ diebus, cùm omne cibariorum genus mulieribus ministraret, ipse præter pauca panis frustula & aquam, eaque ad vesperam, nihil gustabat. Amabant hunc virum mulieres, & propter ipsius modestiam & humanitatem colebant vt patrem. Puer autem videns eum ità continentem, diuino amore inflammatus, vitam eius cœpit imitari. Sic enim iubet Apostolus: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Esca enim non commendat nos Deo. Heb. 13. 1. Cor. 8.

Hunc animi eius zelum ignorantes mater & aliæ mulieres, cùm è ludo literario domum hora prandij rediret, cogebant eum vt secum ederet. At ille ampliùs hora prandij non reuertebatur, sed ad vesperam vsque ieiunus in ludo literario manebat. Et vesperi, cùm esset domi suæ, ad Ecclesias cum viro pio Stephano se conferebat: & precationibus incumbens, Christi corpus & sanguinem percipiebat. Atque ità domum reuertens, nihil aliud, nisi iam dicta panis frustula & aquam, sumebat. Cumque multùm & à fœminis, & à Stephano moneretur, vt ederet, monitis eorum noluit acquiescere. Orauit autem mater magistrum ipsius, vt hora prandij puerum dimitteret: volebat enim illi persuadere, vt exiguum saltem leguminum cibum sumeret, quoniam propter inediam, & quia tardiùs vescebatur, nimium gracilis euadebat. Magister igitur, intellecta matris voluntate, dimisit eum cum reliquis pueris. Ipse verò, quasi canticum illud Dauidis exaudiret: In Domino confido, quarè dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer? cùm è scholis discederet, in asperum montem vicinum se conferebat, vbi sancti martyris Georgij templum erat. Perspicuè verò ab ipso sancto, tanquàm ab aliquo adolescente, eò ducebatur: & in oratorium ingressus, diuinarum scripturarum lectioni vacabat. Post meridiem autem ad scholas reuertebatur. Et adueniente vespera, domum petebat: matrique interroganti, cur hora prandij ad se non venisset, ipse se excusans respondebat, coactum esse in scholis manere, quoniam quæ oportebat, non didicisset, & quia languenti stomacho ità fuisset, vt nulla edendi cupiditate teneretur. Itaque mater rursùs magistrum monuit, vt filium cum cæteris pueris dimitteret. Ille verò respondit, se id semper fecisse, ex quo primùm ab ea fuisset monitus. Eius adhuc pueri ieiunia. Psal. 10. Prandendi tempore, in oratorio vacat lectioni sacræ.

Cùm autem accepisset, eum ad sancti martyris Georgij ecclesiam sese conferre, misit quosdam è seruis suis, qui eum indè abstraherent. Illi puerum ad matrem adduxerunt, quæ comminata est illi atque præcepit, vt rectà ad se è scholis rediret. At ipse pristinam consuetudinem seruauit, à qua mater eum nec admonitionibus, nec minis, nec verberibus potuit auocare, nec initam ab eo abstinentiæ rationem interrumpere. Cùm autem decimum ætatis annum impleret, quodam morbi genere, quod regionem illam inuaserat, ipse quoquè correptus est, adeò vt in vitæ discrimine versaretur. Tulerunt igitur eum in templum sancti Iohannis Baptistæ, quod non longè aberat, & ad altaris introitum collocârunt. Suprà autem in ipso Crucis receptaculo erat imago Domini nostri IESV CHRISTI, ex qua duæ super ipsum morbo laborantem roris stillæ deciderunt: statimque Dei gratia subleuatus conualuit, & rediit domum. Mirum eius ieiunandi studiū. Imago Christi. Nota miraculum.

Cùm autem inter matrem & reliquas mulieres dormiret, accedens Christi martyr Georgius, puerum, illis profundissimo interim somno oppressis, excitauit, primùm quidem sub Stephani specie, deindè sub propria persona: Surge, inquiens, puer Theodore, illuxit aurora: ad precandum in sancti Georgij oratorium ingrediamur. Surgentem autem cum lætitia & alacritate, cùm essent adhuc tenebræ, domo deduxit ad sanctum oratorium. Ac multis quidem in via dæmonum dolis terrebatur. Improbi enim illi, ac veritatis inimici sub luporum aliarumque ferarum forma puerum terri- Dæmones terrent eūtem puerū ad eccle- siam.

tantes, & vndiquè eum inuadentes, vt deuoraturi, à bono proposito abducere conabā-tur. Verùm Christi martyr illum educto gladio defendebat, vt ab ipsis feris lædi non posset, alacriusq; deinceps reuerteretur. Hoc autem cum puer quotidiè frequentaret, mater & reliquæ fœminæ, quæ cum illa erant, cùm eum in lecto manè non cernerent, suspicatæ sunt illum in templo pernoctare. Et mirabantur, quomodò in medio ipsarum dormiens, repentè posset, nemine sentiente, surgere. Metuentes igitur, nè à feris deuoraretur, (Lupus enim tunc illàc vagabatur, qui pueros deuorabat) ipsum territabant, nè ad oratorium iret, præsertim ante Solis exortum, propterea quòd locus ille desertus & periculosus esset. Quarum ipse consilijs non acquiescens, præfinita hora à martyre excitatus, ad oraculum se contulit. Mulieres verò diluculo puerum non inuenientes, ira commotæ, capillis eum indè abstraxerunt. Mater autem verberatum filium ad lectuli spondam alligauit, nec cibum illi dedit. Verùm nocte illa sanctus Dei martyr Georgius gladio accinctus fœminis apparuit, strictoque gladio, irruit aduersùm illas minabundus, & : Abscindam, inquit, vobis capita, quia puerum cæditis, & ad me ire prohibetis. Iurantibus autem illis, se id ampliùs non effecturas, remisit minas, atque discessit.

Nota visionem.

E somno igitur excitatæ, soluerunt puerum, blandis eum verbis orantes, nè sibi succenseret, quòd vapulâsset: & ex ipso quæsiêrunt, cuius fretus auxilio, sic ante lucem prodiret. Quibus ille: Primùm, inquit, cum Stephano egrediebar: nunc autem formosissimo ac venustissimo iuuene comite egredior. Et ipsæ agnouerunt eum esse martyrem Georgium, quem in quiete conspexerant, cuius præsidio munitum puerum ampliùs non prohibuerunt, dicentes: Dei voluntas fiat. Habebat & sororem paruulam, nomine Blattam, quæ magno ipsum amore complectebatur, & adiuuabat ad opus Dei, & cum ipso ad oratorium sæpè interdiù ventitabat, studebatque laborem ipsius subleuare. Quodam die, cùm iam multùm in literis profecisset, in sancti martyris Gemelli templum, domui suæ propinquum, ingressus, in eo noctem transegit, viditque se quodammodò apud Regem adstare, cùm magna interesset militum copia, & mulier adesset purpura ornata. Audiuit autem ipsum Regem ità se alloquentem: Strenuè pugna, Theodore, vt perfectam in cælesti militia mercedem accipias. Ego insupèr in terra quoquè te coram hominibus gloriosum & illustrem reddam. His auditis, somno solutus est, & cùm duodecim esset annorum, propter Christi Regis, quem viderat, adhortationem incitatus, cœpit ad præstantiora salutique coniunctiora contendere, seque in vna domûs suæ cellula continere ab Epiphania vsque ad ramos oliuarum. Et duabus Quadragesimæ hebdomadibus, prima nimirùm & media, neminem prorsùs alloquebatur, sed soli Deo vacabat. Abstinentia autem pristina vtebatur.

Eius soror Blatta.

Visio S. Theodori.

Vide pueri solitudinē & silentiū

Cæterùm cùm veritatis hostis diabolus cerneret eum spiritalia & præclara contra se arma possidere, vt eum perderet, cogitabat. Quodam igitur die Gerontij condiscipuli ipsius personam induit, & super asperam quandam rupem, quæ Tzidrama vocatur, eum adducit: & cùm in locum excelsum conscendisset, Saluatoris illi tentationem obijciens: Si vis, inquit, optime Theodore, virtutis tuæ specimen dare, deorsùm desili. At ille loci altitudinem intuitus, respondit: Loci me terret altitudo. Atquì, diabolus inquit, tu solus inter omnes pueros me fortior iam eras, vincebasque me: nunc autem hoc ego non metuo, sed me deorsùm proijciam. Caue, respondit Theodorus, nè id facias, nè præceps labaris, & pereas. Illo autem confirmante, se id sine periculo facturum: Si tu, inquit Theodorus, id feceris, ego item faciam. Stans igitur diabolus super petram, desilijt: & rectus ad Theodorum clamauit: Eccè, inquiens, ego saltaui: si vales, & tu idem effice, vt videam, vtrùm hac item in re, quemadmodùm in cæteris, sis generosus. Puer autem saltûs magnitudine territus, considerabat Gerontium nunquàm anteà tam audacem fuisse. Præstò interìm fuit Christi martyr Georgius, appræhensaque pueri manu, illinc eum abduxit: Veni, inquiens, sequere me, & nè audias tentatorem illum, qui animam tuam quærit: neque enim Gerontius est, sed nostri generis inimicus. Atque sanctus martyr in oratorio suo puerum constituit.

Tentatio diaboli.

S. Georgius eum liberat.

In quo ille dum moraretur, mater eius & auia quodam die multis eum blanditijs cohortabantur, vt domum suam reuerteretur, dicentes, se multos præclaros amicos expectare. Sed puer ea scripturæ verba non ignorans: Amicitia huius mundi inimica est apud Deum: Et, Qui vult huius mundi amicus esse, inimicus DEI constitui-

ſtituitur: Non enim poteſt quiſquam Deo amicus eſſe, & Mammonæ: noluit illis obſequi, vt indè diſcederet: ſed mundi diuitias ſpernens, easque abijcere cupiens, zonam ſibi & torquem atque armillas adimens, ea proiecit in conſpectu ipſarum: Scio, inquiens vos vereri, nè hæc amittam, & idcircò me obſeruatis. Accipite igitur, ac diſcedite. Ego enim hinc non recedam. Quibus illæ ſumptis, cùm eum flectere non poſſent, abiêrunt. Totus enim animo defixus erat in Domino, cuius imitator, & eius veſtigia ſequens, parentes fugiebat: & ad Deum accurrens, diuitias & domos relinquebat, vt centuplum acciperet, & vitam æternam poſſideret: quemadmodùm, qui hæc promiſit, Dominus ait: Qui vult, inquiens, venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Rectè enim puer iuſtiſſimus corpus ſuum abnegauit, & animæ tanquàm aduerſarium affligens ac ſubigens, crucem in fronte geſtabat. Atque vt Petrus, & Iacobus, & Iohannes, & reliqui Apoſtoli, relictis omnibus rebus, ſecuti ſunt Ieſum: ſic & puer hic, ſcripturarum teſtimonijs fidem habens, eas implere ſtudebat.

Iacob. 4. Luc. 16. Luc. 9. Cõtemnit diuitias. Caſtigat corpus ſuum. Matt. 4.

Volens igitur Dauidem in canticis imitari, cœpit Pſalterium ediſcere. Magno autem cum labore vſque ad ſextumdecimum pſalmum edidicit: ſed decimumſeptimum nullo modo percipere poterat. Quamobrèm cum in oratorio propinquo ſancti Chriſtophori meditando commoraretur, & non poſſet ediſcere, humi proſtratus, Dominum obſecrabat, vt ſe ad pſalmos facilè memoriæ commendandos idoneum redderet. Clemens autem Deus, qui dixit: Petite, & dabitur vobis: id illi conceſſit, quod flagitabat. Cùm enim ſurrexiſſet, & Saluatoris imagini ſupplicaret, dulcedinem melle ſuauiorem ſenſit in ore ſuo: & Dei munus agnoſcens, dulcedinemque degustans, & Chriſto gratias agens, deincèps facilè & commodè paucis diebus totum Pſalterium memoriæ commendauit. Atque ità omnes Eccleſias frequentabat, pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus canens, & laudans Dominum. Et vbicunque ſanctorum memoria celebrabatur, eò ſe promptè conferebat. Vndè in peruigilio ſancti martyris Eureti Iopolim, quod oppidum quindecim paſſuum millibus diſtabat, hora cœnæ profectus ieiunus, cùm & precationibus incubuiſſet, & diuina Chriſti myſteria percepiſſet, curſu circa mediam noctem redijt, neceſſariaque comedit. Sic enim erat in curſu velox, vt, facta ſponſione, tribus paſſuum millibus cum equis currendo certaret, & vinceret.

Matt. 7. Facilè totum Pſalterium memoriæ cõmendat.

Iam cùm ex Prouerbijs didiciſſet: Vbì audiêris eſſe virum prudentem, vigilia ad eum: Cum ſancto enim ſanctus eris, & cum electo electus eris: maximo Dei ſeruorum deſiderio tenebatur. Et vbi audiebat eſſe virum iuſtum, eum inuiſebat, vt inſtitutam ipſius vitæ rationem diſceret. Et apiculæ inſtàr, virtutum eius flores legens, tanquàm viaticum quoddam domum reportabat. Erat igitur ſanctus quidam pater, nomine Glycerius, in loco, qui Trapezas appellatur, decem paſſuum millibus diſtante: ad quem Theodorus acceſſit, vt ab eo benediceretur, atque vt, quemadmodum Eliſæus ab Elia benedictus, duplicem ſpiritûs gratiam accepit: ſic & ipſe per eius benedictionem maioribus virtutibus & gratijs dignus efficeretur. Nam patris benedictio domum & filiorum labores confirmat. Hunc vir ſanctus cùm adſpexiſſet, & florentem in ipſo virtutem diuinitùs agnoſceret, hilari eum vultu ſuſcepit, & ſubridens: Amas, inquit, fili, monachorum habitum? Et vehementer eum amo, mihi crede, pater, reſpondit, cupioque dignus illo fieri. Et cùm ibì magna eſſet ſiccitas, egreſſi ambo ſub dio, conſtiterunt ante concham illic ſitam prope templum ſancti Iohannis Baptiſtæ. Et beatus ad puerum: Flectamus, inquit, genua, fili, & oremus Dominum, vt pro clementia ſua pluuiam in terram demittat: ex quo intelligemus, vtrùm ſimus in numero iuſtorum. Precantibus illis, contractum eſt nubibus cælum: & cùm à precatione ſurrexiſſent, magnam pluuiæ copiam Deus emiſit in terram. Qua Domini benignitate lætatus eſt ſenex: & puero ſubridens: Poſthàc, inquit, quicquid propoſceris Dominum, largietur tibi. Imple igitur id, quod cupis, & Dominus Deus erit tecum, vt corporis ætate ſimul & virtutibus creſcas. Cùm igitur puer à ſene benedictionem accepiſſet, & eum ſalutâſſet, domum ſuam reuerſus eſt.

Eccle. 6. Pſal. 17. 4. Reg. 2. Eccle. 3. Miraculũ.

Sed quartumdecimum iam agens ætatis annum, decreuit omninò domui ſuæ renunciare, & in oratorio viuere. Qua quidem re cum mulieribus conſtituta, ſe contulit in oratorium, & in eo commorabatur. Verùm mater eius, cæteræque mulieres cùm beatam eius inſtitutæ vitæ rationem ignorarent, à qua ille, quanuis puer adhuc eſſet, nullo modo recedebat, ei panes puros, & varias volucrum carnes, tum elixas, tum

Degit puer in oratorio.

assas afferebant. Quæ ipse quidem omnia suscipiebat, nè pium ipsarum animum videretur aspernari, & quia ieiunium eius erat in abscondito, eis tamen non vescebatur: sed illis discedentibus, exibat ex oratorio, & omnia super petram collocabat: & rursùm ingrediebatur. Veniebant autem aues & feræ, atque etiam homines iter facientes, & comedebant. Cibus verò pueri ex ijs, quæ in oratorio offerebantur, constabat: Quòd si nihil offerretur, panis illi solus erat satis.

Cùm autem audisset locum quendam, indè octo passuum millibus distantem, qui dicitur Area, sic à Diana & multis dæmonibus, qui illic habitabant, occupari, vt nemo illuc, præsertim in meridie, sine certo mortis periculo posset accedere: ipse Iulij Augustique diebus, posteaquàm horæ tertiæ preces absoluerat, ad eum locum celeriter contendebat, & toto meridie illic morabatur, vbi Dianæ domicilium esse dicebant. Sed cũ auxilio Dei nihil aduersi reperiret, ad oratorium redibat: vbi sub altaris gradu specum sibi desodit. Ea verò nocte, qua Christi ortus celebratur, cùm ad eum clerici quidam & laici conuenissent, cum illis ab oratorio ad flumen transeundum descendit. Ipse autem solus in aquam ingressus, tandiù in ea stetit, quoàd omnis Prophetica, & Apostolica, & Euangelica lectio cum toto sacrificio fuit absoluta. Pòst autem vix poterat pedes extrahere: sic erant cum luto, glacieque compacti. Atque ità psalmos concinens, ad oratorium redijt: & cùm dies aduenisset, celebritatem peregit, & in specum descendit, ibique ad Ramos vsque Palmarum conquieuit. Quamobrèm omnes, qui hæc conspiciebant & videbant, sublatis in cælum manibus, dicebant: Confitemur tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelâsti ea huic paruulo: quoniam sic fuit placitum ante te.

Stat diutissimè in aqua gelida.

Vide mirã pueri abstinentiã, & asperam victus rationem.

☞ Iam auia eius Elpidia vehementer eum commiserabatur: magìs enim illum, quàm ambas filias suas diligebat. Itaque veniens ad oratorium, ei, dum quietem silentiumq; seruaret, cibum ministrabat, fructus nimirùm, aut olera, idque sabbato, & die Dominica. Nam reliquis diebus nihil omninò gustabat. Hæc autem Anastasiopolis episcopus Theodosius cùm audiuisset, valdè gaudebat, eumque apud omnes laudabat, dicens illum Dei instinctu commotum ea facere. Quodam autem die honestatis inimicus diabolus fecit, vt ex frigore in morbum incideret, & moueri non posset. Verùm ei dormienti sanctus Christi martyr Georgius adstitit: & dixit ei: Quis causa fuit, fili, vt in morbum incideres? At ille considerans immundum coram se stantem dæmonem: Iste, inquit, impurus ac detestandus me in morbum coniecit. Martyr verò vehementer dæmonem torquens, in fugam conuertit: & appræhensa Theodori manu: Surge, inquit, & conualesce. Neque enim ampliùs execrandus iste dæmon apparebit in cõspectu tuo. Statìm igitur puer excitatus surrexit sanus.

Luc. 9.

Sed Deus clemens, qui suis sanctis Apostolis potestatem dedit, vt dæmones ejicerent, & morbos curarent: dedit & illi gratiam aduersùs dæmones, vt eos ab hominibus expelleret, & ægrotantibus mederetur. Nam post sanctam Paschæ celebritatem quidam homo tulit ad eum quodam die filium vnicum, à spiritu immundo vexatum: & fide ductus, orabat sanctum puerum Theodorum, vt filiolum suum curaret. Verùm ipse nesciebat, quid ei faceret: sed excusabat se, quòd esset iuuenis. Pater autem illius vexati lachrymans, dedit illi flagellum, & dixit: Hoc accipe, Domine mi serue Dei, & minans filio meo, percute illum, dicens: Exi, exi, spiritus immunde, ab hoc puero in nomine Domini mei. Fecit, vt erat edoctus, sanctus Theodorus: & turbatus dæmon cœpit eum irridere, & tanquam insanum prædicare: & si quid ab illo audiebat, idem ille resonabat: & bidui spatio nihil ille respondit. Tertio autem die idem puero fecit Christi puer Theodorus. Tunc dæmon rursùs commotus, cœpit vociferari: Exeo, puer, exeo, nec ampliùs resisto, Da mihi horam. Illo autem ad altare ascendente, dæmon clamauit ad hunc modum: O magna vis Nazaræi, hæc aduersùm nos excitantis. Ex quo enim in terram descendit, homines in nos armauit. Et nunc scorti filio concessit ejiciendi nos potestatem. Heu mihi misero, à quo puero expellor? Neque enim gratiã illi è cælo demissam ferre possum. Magna naturæ nostræ ab hoc meretricis filio calamitas imminet. Multos enim è nostro grege ex hominibus extrudet. Doleo autem, quòd hic in me exerceat imperium: nec audeo redire ad patrem meum diabolum, cùm à tali puerulo sim expulsus. Nam si id mihi à sene aliquo contigisset, haud ità magnum dedecus arbitrarer. Execranda dies, in qua genitus es. Hæc illo dicente, sumens puer Dei Theodorus ex lucernæ oleo, vexati caput vnxit, & signo Crucis adhibito, increpuit eũ, dicens: Exi iam, spiritus impurissime, & noli amplius nugari. Et vociferans dæmon pro-

proiecit puerum ante pedes eius, & exiuit ab eo. Iacebat autem tanquàm mortuus. Ex quo turbatus puer, defunctum illum existimabat. Sed dixit ei pater illius: Manum illi porrige, atq; iacentem excita. Quo facto, statim in se rediens puer ille surrexit. Itaque Dei gratia sanum reddidit patri. Res autem vulgata fuit per totam illam regionem. Quamobrèm omnes Deum collaudabant, qui intellectum dat paruulis & gratiam. Expellit dæmonem oleo & Crucis signo.

Christi igitur præcursorem & Baptistam Iohannem in hoc item imitatus est, manens in solitudine, quoàd populo demonstraretur: & illa Apostoli Pauli verba in se expressit: Sancti omnes per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones abiecti, afflicti, vexati, in solitudinibus errantes, in speluncis & in cauernis terræ. His salutaribus scripturis incumbens, non auditor earum tantùm, sed effector extitit, adiuuante Christo, qui bonum eligentibus semper fauet. Superiorem igitùr montis partem ascendit, & petram intuitus ad se tegendum idoneam, suffodiens sibi speluncam amplam fecit: obstructoque aditu, in ea latitabat. Tunc autem accidit, vt milites illàc iter facerent. Quarè cùm à propinquis puer tum in oratorio, tum alibì perquisitus non inueniretur, suspicabantur, eum à militibus ablatum esse, commoueruntque principem, vt milites comprehendendos curaret, quò puerum restituerent. Verùm cùm nec sic quidem inuentus esset, à feris deuoratum fuisse iudicârunt. Et luxit eum diù mater cum reliquis fœminis & propinquis, vtì iam mortuum. Duos in ea spelunca Christi puer Thedorus annos transegit. Et clericus quidam religiosus Diaconus solus rem nouerat, qui & proprium illi vestimentum asperum dedit, (nam anteà lineis vestibus induebatur) & paululùm cibi ex oleribus, & aquæ pusillum (sic enim inter ipsos conuenerat) subministrabat. Promiserat autem eum se nemini indicaturum. Luc. 1. Heb. 11. Latitat in spelunca biennio. Cibus eius.

Cæterùm videns bonus Deus, qui seruorum suorum curam gerit, labores ipsius, vt verum esse ostenderet, quod dixerat: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt: omnibus eum patefecit. Cùm enim propinquæ ipsius mulieres animaduertissent pium Diaconum super montem frequentiùs ascendere, suspicatæ id, quod erat, eum domi suæ iureiurando obtestatæ sunt, vt quicquid de puero sciret, sibi significaret. Ille verò tum iureiurando coactus, tum aspero pueri vitæ instituto commotus, & metuens, nè moreretur, rem aperit: & locum, vbì morabatur, indicat. Tunc lætitia plenæ accedentes, reperiunt illum propè mortuum, & ad sancti Georgij oratorium deducunt. Qui aëre conspecto, sine voce diù mansit. Caput autem eius sordibus fœtebat, & pediculis abundabat, & ossa illius erant nuda, & coma vincta, nec ad eum quisquam præ fœtore vermibusque scatentibus poterat appropinquare. Et adspectus eius erat tanquàm mortui. Quamobrèm nouus quidam Iob esse propter eiusmodi calamitatem putabatur. Plorabat mater eius, & auia, & reliquæ mulieres. Et cùm esset paulispèr recreatus, volebant vt domum suam descenderet, & corpus curaret. Quibus ipse noluit assentiri. Matth. 5. Tandem innotescit vbinã sit.

Cùm autem hæc religiosissimus Anastasiopolis Episcopus Theodosius accepisset, statìm ad eum in oratorium accessit, & conspecto capitis eius vlcere, contremuit: & cùm illum salutâsset, Lectorem declarauit. Magno autem labore sordes eius abluerunt: & pannis lineis vlcera eius abstergentes, capitis comam totonderunt. Postridiè verò Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum instituit: Eccè, inquiens, Dei munere omnes cleri ordines consecutus es, vt diuina possis mysteria peragere, ad eorum, qui accedunt, ædificationem. Dominus Deus benignus munerum suorum elargitor dignum te faciat, qui & episcopi munere fungaris, & gregem ipsius rectè gubernes & regas. Hæc enim quatuor gratiarum munera adeptus, & habitum etiam monasticum accepturus, huius tantùm vnius expers videris esse: quod tibi Dominus post virtutum tuarum augmentum elargietur. Cresce igitur fide atque virtutibus, & ora pro me. Et cùm ei benedixisset, & eum salutâsset, redijt in ciuitatem suam. Tunc Christi seruus Theodorus duodeuiginti annos impleuerat. Quapropter multi episcopum incusabant, quòd eum ante legitimam ætatem ad Presbyterij dignitatem prouexisset. Sed religiosissimus episcopus Theodosius respondebat, se non ignorare, Canones non permittere, vt quisquam ante legitimum ætatis tempus, & sine testimonio presbyter instituatur, cùm Apostolus sic ad Timotheum scribat: Non neophytum, nè superbia elatus, in iudicium incidat & laqueos diaboli. Sed quemadmodùm ipse Paulus Timotheum ætate iuuenem, episcopum consti- Initiatur sacris. 1. Tim. 3.

tult: sic & ego (aiebat) in nomine Domini hunc, propter eius probitatem, Presbyterum institui. Significauit enim mihi Deus, eum esse dignum hoc munere. Et profectò hic iuuenis est à Deo. Quare ne teneram eius ætatem, sed animi nobilitatem, attendite. Quemadmodùm & de Dauide Samueli dictum est. Non enim sapientes sunt, ætate prouecti, nec senes iudicium nôrunt, vt Elius in Iob declarat: sed Dei spiritus est in mortalibus, & Omnipotentis spiritus adolescentes erudit atque adiuuat, & piam ac rectam viuendi rationem præcipit. His verbis episcopi omnes assenserunt. Nouus autem Christi miles Theodorus proficiebat sapientia & prudentia spirituali: & gratia Dei erat cum illo.

Iob.32.

Hæc pueritiæ Theodori instituta ego indignus illius seruus & discipulus Georgius ab eis accepi, qui æquales ipsius, ac condiscipuli cum eo vixerant, & oculis suis ea perspexerant. Plurima etiam ab ipso pio & sancto viro audiui, cùm ea ipse de se modestè narraret, vt nos ad æmulationem incenderet. Post obitum autem illius ea conscripsi, vt pueri & adolescentes Angelicam eius vitam, & ab omni crimine remotam imitarentur, & digni euaderent regno cælorum, per gratiam Christi Dei nostri, cum quo Patri gloria simul cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Dominus Iesus Christus verus Deus noster, qui est iustitiæ sol, lumen ineffabile, perennis fons immortalitatis, vita sempiterna, salus animarum nostrarum, & sapientiæ largitor, det etiam mihi peccatori Georgio seruo vestro tantum virium, & ad dicendum facultatis, vt onus susceptum perferre valeam: & vobis eũ amantibus sic animos ad audiendum inflammet, vt præclaram & admirabilem sancti, magniq́ue patris nostri Theodori vitam, ad finem vsque libenter audiatis. Iam enim aggrediar ea, quæ pertinent ad eius adolescentiam, precationibus vestris confisus apud Dominum Deum, qui dux eius adiutorq́ue fuit.

Raro exemplo, nec temerè imitando fuit presbyter annos natus 18.

Sanctissimus igitur Dei seruus Theodorus, duodeuiginti annorum cùm esset, ità Saluatore nostro Deo volente: ad Presbyterij gradum prouectus, diuinæ philosophiæ vacabat, vt se viro prudenti similem declararet, & ex laudabili consilio Domini, relicta patria, domo super arena exædificata, & quæ in illa erant, terrenis rebus, decreuit in eam nullo ampliùs modo reuerti: seq́ue totum Domino in cordis veritate & fidei plenitudine consecrauit: fundauitq́ue sibi domum super firmam petram, siue animo, siue etiam sensu velis intelligere. Erat enim locus arduus & venerandus, in quo sancti & gloriosi martyris Georgij oratorium construxit, vt facilè alienorum ventorum, & futurarum procellarum, instàr aquarum insurgentium, impetus, tum fide in Christum confirmata, tum ipsius sancti Martyris auxilio fultus, euitaret atque propelleret. In omnibus diuinis scripturis, vitam nobis æternam propinantibus, versabatur: & sanctum Euangelium semper animo voluens, valdè mouebatur, præsertim dum considerabat, quomodò Dominus & Saluator noster Iesus Christus è cælis descendisset, quomodò induisset hominem, quomodò cum hominibus versatus esset, sibiq́ue Hierusalem elegisset, in qua cruciatuum ferret acerbitatem, ageretur in crucem, sepeliretur & resurgeret. Hæc ille admirans, & terra sublimiora suspiciens, incensus est cupiditate visendi & adorandi loca illa sanctissima, vbi Christi pedes stetissent: cùm & Zacharias propheta gentem & tribum omnem execretur, quæ non adeat & adoret ea.

Zach.14.

It Hierosolymam.

Cùm igitur ad eum venisset mater eius cum sorore, & ambarum parente, communicato cum illis consilio, & inuento ex prouidentia Dei itineris duce, iter suscepit: & præ animi desiderio laborem itineris non sentiebat. Peruenit tandem ad optatam sanctorum locorum ciuitatem Hierusalem, & Crucem salutiferam, sanctamq́ue Resurrectionem, & almum Præsepe, atque gloriosam Ascensionem, & reliqua omnia salutaris mortis & conuersationis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi monumenta adorauit: inuisitq́ue cuncta monasteria, & omnes passìm in cellis inclusos patres, eos quoquè, qui interiorem solitudinem incolebant: & ab illis benedictionem accipiens, præstantiorum vitæ rationem & instituta perdiscebat. Sed cùm ad Iordanem, in quo Saluator & Deus noster baptizatus est, descendisset, ingressus est in propinquum Dominæ nostræ Dei genitricis templum, quod Chuzoba vocatur: cumq́ue ibi precatus esset, & Archimandritam, & qui cum illo erant, patres consalutâsset, habitum ab eis monasticum atque Euangelicum flagitauit. Archimandrita verò cùm sciret diuinitùs, quis esset, nulla interiecta mora, habitum illi concessit, & simul cum reliquis

Accipit habitum monasticum.

patribus

patribus Deum obsecrauit, vt coram ipso, & coram hominibus probaretur.

Expleta celebritatis eius lætitia, omnibusque consalutatis, & accepta ab illis benedictione, è monasterio in Galatiam ad patriam suam reuersus est, repetijtque sancti Georgij martyris oratorium: vbi magna cum lætitia habitabat, Mosaicæ gloriæ gratia splendens: & ieiunando, & humi cubando, vigilandoque & psallendo se magis in dies ædificabat, maioraque à Deo munera tum in dæmonibus eijciendis, tum in morbis curandis accipiebat. Mater autem eius, cùm ea, quæ carnis, nòn autem Domini sunt, saperet, nec amoris ardorem, quo matres accendi solent, erga filium suum sanctissimum retineret, eo relicto, & ea bonorum parte, quæ sibi conueniebat, assumpta, viro cuidam, nomine Dauidi, in Ancyranorum metropoli claro nupsit. At soror eius Despenia, & mater ipsius Elpidia, & sancti soror Blatta ab eo seiungi se non sunt passæ: sed sanctam eius vitam contemplantes, omnique se modestia & castitate, eleemosynisque & precationibus expurgantes, eum pro viribus studebant imitari. Ac Despenia quidem moriens, eum hæredem instituit, & ab ipso sepulta est in templo sancti martyris Gemelli. Blattam autem sororem suam virginem, cùm duodecimum ageret ætatis annum, duxit ipse sanctissimus in Ancyranorum Metropolim, & in grauium virginum monasterio, quod Petrin appellatur, collocauit: vbi monasticum habitum sumens, Deo consecrata est, vixitque sanctissimè. Theodorus autem ad proprium locum reuersus, cùm triēnio pòst beatam hanc sororem in cælestem thalamum ad sponsum suum Christum, cui ipse eam dicârat, bonis operibus plenam migrâsse accepisset, Deo gratias egit. *Eius exercitia.* *Blattam sororem suam in monasterio collocat.*

Beata verò auia eius Elpidia vehementer eum diligebat, & compatiebatur ei, & sæpè ad eum proficiscens, & vitæ ipsius instituta certaminaque considerans, collaudabat Deum, qui ex meretricijs spinis ramum, rosas & fructus eiusmodi proferentem eduxisset, & ex inutilibus lapidibus Abrahæ filium suscitâsset: sublatisque in cælum manibus, Deum obsecrabat, vt mentem eius ab omnibus perturbationibus & cupiditatibus remotissimam, in studio pietatis & fide ad finem vsque firmam & stabilem conseruaret. Relictoque hospitio, in quo viuebat, & collectis bonis suis omnibus, vt maiore lætitia frueretur, semper cum ipso versari volebat, eique ministrare. Quod ipse non permisit, sed monuit, vt in sancti martyris Christophori monasterio maneret: ad eamque puellas ab immundis spiritibus vexatas mittebat, vt earum curam haberet, & institueret: & si post curationem manere vellent, eas in sanctis institutis exerceret. Ipse verò hominem quendam mercenarium ex oppido propinquo, nomine Marinum, qui sibi ministraret, accepit. *Elpidia eius auia mirè eum diligit.* *Non sinit eam sibi ministrare.*

Prouidentia autem Dei, qui dixit: Nè timeas: posthàc eris homines capiens: faciam enim te piscatorem hominum: factum est, vt quidam pio Dei incensus studio, ex oppido Paninorum ad eum accederet supplicans, vt se in contubernium suum reciperet. Quamobrèm gaudio plenus, quòd se Deus solum non relinqueret, eum recepit, & monastico illum habitu induit, atque ità studiosum reddidit, vt quendam à dæmone vexatum is liberauerit. Mulier item ex oppidulo Conchate ad eum se contulit, quæ vteri morbo laborabat: & precibus eius liberata, cùm in vicum Enistratum ad filium suum Philumenum adolescentem, qui tunc literarum studijs incumbebat, venisset, illinc eum abduxit, & sancto obtulit Theodoro, vt eum secum in eisdem vitæ institutis erudiret. *Luc. 5.*

Desunt hìc nonnulla in Græco exemplari.

Erat autem in loco illo probatissimus qnidam faber ærarius, cui sanctus Theodorus commisit, vt sibi cellulam angustissimam faceret, vt in eam ingressus, & stans ieiunij dies transigeret. Incolæ autem illius loci, fide impulsi, arma rustica ad opus illud conficiendum contulerunt. Atque ità cellula illa perfecta, est sanctitati eius accommodata. Verùm cùm eam vellet statìm ad locum suum transferri, rogârunt homines illius loci, vt eam illic tantispèr esse permitteret, donèc alteram ligneam illi similem faciendam curaret, in qua hyeme insequente quiesceret, vt illius formæ exemplum haberent, & posteà ipsam ferream cellulam ipsi traderent. Annuit illis sanctus Theodorus. Demùm assumentes eum, supplicationibus perduxerunt in locum sanctum ipsius: & in magna salutiferæ passionis hebdomada, cùm in ea ipsum collocâssent, in loca sua reuersi sunt. Cùm igitur alteram ligneam cellulam confecissent, insequenti *Magna hebdomada passionis.*

hyeme

hyeme ad eum cum supplicationibus accedentes, ipsam illuc tulerunt. Ingressus igitur in cellulam ligneam, in templo sancti Iohannis Baptistæ abstinentiam suam obseruauit à Natali die Christi vsque ad Ramos palmarum. Vndè egressum eum, ac ferrea cellula inclusum ante illam celebritatem in locum eius reduxerũt. Et accepta ab ipso benedictione, ad loca propria reuersi sunt. Stabat autem eiusmodi cellula sine tecto supra speluncam ipsius sub dio. Et iussit, vt bini ex ferro sibi fierent ad pedum mensuram calcei, binæque manicę pro manuum mensura, & crux decem & octo palmarum, zona circa lumbos suos.

Præterea cùm grauissimam tunicam habere cuperet, prouidentia Dei quidam triplicem loricam attulit decem & octo librarum. Hanc ipse sanctissimus accipiens, gratias egit Deo, qui tam celeriter cum fide petentium desiderio satisfacit. Verùm cùm seipsum metueret, propterea quòd corpus eius nimis cresceret, vt cupiditatibus resisteret, vinculum quoddam perpetuum sibi memoriæ causa reperit, & bina vincula pedibus suis circumposuit: decreuitque illa nunquàm abijcere, sed ad tumulum vsque retinere. Cùm autem aduenisset dies, in qua Dominus noster Iesus Christus ex sanctissima Dei genitrice Maria nasci dignatus est, vestimento solito loricam imposuit, & zona ferrea se cinxit, & super collum suum crucem accepit, & manicas induit, deinde in ligneam cellulam ingressus, abstinentiam vsque ad tempus palmarum celebritatis seruabat. Egressus deindè, se in ferrea includebat, affligens corpus suum, & in seruitutem redigens tum angustia loci, tum etiam ieiunio & ferreis oneribus, atque ità confundens diabolum, & varios illius impetus frangens. A CHRISTI autem ortu vsque ad Ramos palmarum, nec pane, nec leguminibus omninò vescebatur, sed pomis tantùm & oleribus, idque sabbato solùm & die Dominica. Hanc in psalmis canendis regulam orbseruabat, vt paulispèr cessaret, deindè eosdem repeteret.

Nota vitæ duritiem.

Mira victꝰ parcitas.

Porrò labor eius per hyemem erat incredibilis. Cùm enim niues terram operirent, & venti regnarent, ventorum impetu niue contegebatur, & aqua per collum eius intrà tunicam penetrans, ad pedes vsque descendebat, & calcei replebantur ac vestimenta: cumque glacie rigerent, non parùm illi doloris afferebant. Pedes enim eius congelabant. Nam eam sibi legem pręscripserat, vt à galli cantu ad vesperam vsque pedes non moueret è gradu, in quo stabat, neque vllo modo se ad aliquam cellulæ partem inclinaret. Quamobrèm cùm duobus annis prioribus magna vis frigoris fuisset, arboresq; & dolia conglaciarent, ità pedes eius rigebant, vt eos extrahere nõ posset. Quarè minister eius aqua tepida pedes eius perfundebat, atq; ita paulatìm è glacie extractos, è gradu præfinito dimouebat. Cùm autem anno quodam paschæ calebritas in Aprilis mensis finem incideret, & Quadragesimæ diebus sol esset vehemẽtior, accidit, vt tum abstinentia, tum solis ardore, tanquàm exanimis, in cellula concideret. Quo animaduerso, pius Philumenus sacco cellulam contexit, vt vmbram pararet. Verùm cùm Dei miles se collegisset, videretque vmbram, rem ægrè tulit, prohibuitque, nè quid amplius eiusmodi fieret.

Labores hyemis.

Deus autem, qui eos, à quibus honoratur, honorat, hæc ab ipso non ambitione geri, sed animo simplicissimo Deique studiosissimo, multis rationibus omnibus indicauit. Nam & animalia fera mansuetè cum ipso versabantur, & multa ab eo in homines fiebant miracula. Ex quo enim in ferrea cellula se incluserat, terribilis vrsa per triennium ad eum accedebat continuè, acceptaque de manu eius benedictione, neminem lædens discedebat. Lupus item ad ostium cauernæ, in qua Sanctus erat inclusus, cum accessisset, illic expectabat. Quamobrèm egressus minister eius Marinus, visa repentè fera, pertimuit, & intrò rediens, rem Sancto significauit. At ille cum grauitate subridens: Nè verearis, inquit, homo timide: neque enim venit, vt iniuriam faceret, sed vt ipsi cibus subministraretur. Da igitur ei aliquid, frater, vt non solùm in homines, verùm etiam in feras Dei mandatum illud, Omni poscenti te tribue: expleatur. Accepit igitur minister panis frustum & poma, ex quibus solebat Sanctus cum benedictione aliquid accedentibus impertiri, exijtque, & poma tantùm obiecit feræ, eam propellens. Quæ cùm obiecta comedisset, rursùm stabat, & non discedebat, tãquàm aliquid aliud expectaret. Tunc ei panis etiam frustum obiecit: quo arrepto, lupus statìm discessit. Ingressus autem minister, Sancto rem narrauit.

Feræ apud illum mãsuescunt.

Luc. 6.

Rursùs cùm in cellula ferrea esset inclusus, accessit ad eum quidam lepram habens in toto corpore, ac obsecrans, vt pro se precaretur. Ipse autem precibus adhibitis, iussit,

iussit, vt exueretur: & accepta aqua, precatus est ad hunc modũ: Domine Iesu Christe Deus noster, qui per Elisæum prophetam mundâsti Naamā Syrum à lepra, quique, cùm ad nos benignitate tua descẽdisses, factus homo, antequam mortem subires, verbo leprosum curâsti: adspice aquam hanc, & benedicẽs ei concede, vt valeat ad emundationem præsentis serui tui, vt sanus recedat ad gloriam & laudem sancti nominis tui. Peractis precibus, & extensa manu, & signans cum figura Crucis, aquam illam in caput eius effudit: & statim ab eo lepra discessit, & totum ipsius corpus mundatum est: & abijt laudans Deum. Eodem morbo cùm esset oppressus Presbyter quidam præclarus, nomine Colluras, accessit ad eum, cùm adhuc teneretur inclusus, & cùm Sancti tunicam induisset, mundatus est. 4. Reg. 5. Aqua benedicta, & signo Crucis leprosũ mundat.

Beata autem eius auia Elpidia cum omni lætitia & tranquillitate optimis ipsius vitæ institutis & miraculis gaudebat, & puellas diligenter gubernabat, quæ vel liberatæ erant, vel vexabantur: iamque pulcherrimum monasterium ædificârat cùm ad optatum vitæ finem peruenit, quem ipsa præuiderat ex viso quodam, quod sancto Theodoro narrauit: Videbam, inquiens, fili mi dulcissime, & lumen oculorũ meorum, adolescentem valdè formosum, splendidis vestimentis ornatum, aurea fulgentem coma, & illi similem, quem pro sancto Georgio in eius historia pictum cernimus. Hic cùm ad me appropinquâsset, vitæ tuæ rationem & psallendi regulam cupiebat intelligere. Quam ego illi cum exposuissem, dixit mihi: Cùm psallitis, hæc dicite: Benedicite Dominum montes & colles. Deindè subiecit: Magnam profectò gratiam, mulier, consecuta es, quæ nepotem tuum tali in ordine conspexisti. Posthàc viues sine solicitudine, cum recta eius viuendi ratione satiata sis. Mihi autem, vt eius adiutori, multùm debes: immo verò gratia omnis debetur communi Domino & procreatori Deo, qui dignum eum fecit, vt esset in numero sanctorum seruorum ipsius. Iam igitur quiesce: nam adhuc laborâsti. Hæc illa cùm narrâsset, in morbum incidit, & in pace requieuit: honorificeq; ab ipso sepulta est. Iam de matris suæ Mariæ obitu, cùm ad eum quidam ex Ancyranorum ciuitate nũcium attulisset, ac diceret, vt ad dotem repetendam mitteret, quoniam sine filijs defuncta esset, ipse nullo modo assentiens, illi respondit: Falleris. nam mater mea defuncta non est. Cumque is proprijs se illam oculis mortuam affirmaret conspexisse, rursùm respondit: Falleris, vt dixi. Nam mater mea nec mortua est, nec morietur, sed mihi superest, ac viuit, & manet in secula. Preces tamen pro illa effudit ad Dominum, vnius hebdomadæ spatio ieiunans, vt veniam ei Dominus concederet peccatorum. Visio Elpidiæ auiæ eius. Itemque obitus. Orat pro matre defuncta.

Accessit ad eum in speluncam inuolutum & quiescentem quodam die sanctissimæ Ecclesiæ Heliopolis procurator Theodorus, cognomento Tzutheus, & per ministrum nunciauit ei cum lachrymis: Miserere, inquiens, mei, serue Dei, qui in magna versor calamitate. Misi enim ministrum meum ad Ecclesiæ prouentus exigendos: ille verò, prouentibus exactis, fugam arripuit. At ego huc illuc cursitans, & vbique conquirens, eum reperire non potui. Supplico igitur sanctitati tuæ, vt Deum obsecres pro me, quò possim illum inuenire. Omnes enim facultates meę non sunt satis ad id, quod ille abstulit, Ecclesiæ persoluendum. Sanctissimus Theodorus huic respondit ad hunc modum: Si promittis, te illum sine verberibus dimissurum, & nihil ei ampliùs, quàm quod eripuit, ablaturum, te Deus consolabitur, & tradet eum tibi: sin id recusas, non inuenies eum. Ille iureiurando se id facturum promisit, & ex bonis suis aliquid etiam largiturum, modò prouentus Ecclesiæ restitueret: alioquin sibi vel filios esse nudos relinquendos, vt Ecclesiæ satisfaceret. Tunc orauit Dominum sanctissimus Theodorus, vt minister ille fugitiuus, quocunque in loco esset, ità retineretur, vt indè non posset discedere. Deindè supplici respondit: Vade domum tuam, ibique mane sine vlla solicitudine. Confido enim Deum, si id, quod promisisti, perfeceris, celeriter eum tibi redditurum. Lætus ille discessit, tanquam ex Sancti verbis magnum pignus accepisset. Fugitiuus autem precibus eius prope oppidum Nicaënsicum coërcebatur, nec indè se poterat extricare: cumque putaret se magnum itineris spatium confecisse, nihil omninò promouerat. Itaque cùm ibi essent homines quidam, qui & illum nouerant, & procuratorem, & quid esset ab eo factum, acceperant, viderentque eum frustrà se labore itineris defatigare, &, cùm ex eo quæreretur, vndè, aut quo proficisceretur, ineptè respondere: comprehenderunt eum, & rem procuratori detulerunt. Qui cùm ab eo sublatum aurum recepisset, redijt ad sanctum Theodorum, Deo gratias agens. Furem vir sanctus suis precib. detinet.

Vir autem quidam ad eum duxit vxorem in diebus Pentecostes, à dæmone vexatā, qui cùm à Sancto increparetur, clamauit: O magna vis. Nè mihi irascaris, ferriuore serue Dei altissimi, néve me in ignem vltionis mittas: neque enim ego sum causa, sed inuitus in hanc ingressus sum. Misit enim me Theodorus, cognomento Carappus, ex oppido Mazameæ. Eccè, inquit Christi seruus, præcipio tibi in nomine Iesu Christi filij Dei, nè illam impedias, quò minùs negocia gerat sua, donèc rursùm huc reuertatur. Dæmone igitur quiescente, marito dixit, vt cum vxore discederet, fructusque agrorum colligeret, ac deindè reuerteretur. Ità fecerunt. Discedentes enim, fructus suos collegerunt, & ad monasterium reuersi sunt. Verùm cùm in templum ingrederentur, vt Sanctissimi vultum adspicerent, cœpit mulier acerbè a dæmone vexari. Quamobrem maritus eius iurabat, ipsam vsque ad horam à Sancto præfinitam non fuisse vexatam. Verùm cùm illic vna essent hebdomada commorati, non ferens dæmon serui Dei increpationem, mulierem ad pedes eius proijciens, discessit: & mulier liberata est, domūque læta cum marito rediit.

Dæmonia ca libera-tur.

In loco Mazaniæ, qui est ad Siberim superiorem, sub climate Mnozeniæ, ingruebat mense Iunij tanta locustarum multitudo, vt nebulæ instàr totam regionem operiret, frugesque & fructus omnes deuoraret. Quam quidem calamitatem incolæ conspicientes, audientesque miracula, quæ sanctus Theodorus effecerat, supplices ad eum accesserunt, & ad pedes eius prostrati, rogārunt vt veniret, & precibus suis tantam à se calamitatem expelleret. Profectus cum illis, peruenit ad catholicam ipsorum Ecclesiam sancti Euenici, in eaque de more mansit. Postridie verò supplicem populum in agros dimisit, præcepitque, vt quodam in loco consisteret, & Dei misericordiam imploraret. Ipse verò tres accipiens locustas in manu sua, pro populo Dominum obsecrabat: atque interim tres illæ locustæ in eius manu mortuæ sunt. Et gratias agens Deo, dixit ad populum: Reuertamur in Ecclesiam, filij. Deus enim celeriter misericordiam suam nobis ostendet. Reuersi igitur in sancti Euenici templum, diuinum sacrificium peregerunt. Postero autem die in agros egredientes, locustas omnes mortuas inuenerunt: & Deum collaudauerunt.

Locustas interficit precibus.

Improbus autem ille, qui bonis operibus, & viris bonis ac Dei seruis semper inuidet, ad huius miraculi inuidiam proprium ministrum mouit, & ad sancti viri, qui illud effecerat, mortem inquirendam incitauit. Hic erat maleficus quidam, nomine Theodorus, de quo suprà meminimus, malarum artium peritissimus, qui eodem in loco habitabat. Sed artes illi suæ nihil aduersùs sanctum Dei seruum erant profuturæ. Cùm igitur homo scelestissimus miraculum à viro sanctissimo factum adspexisset, recordareturque improbum dæmonem suum, quem ipse immiserat, paulò antè eiectum, re infecta, discessisse, inflatus à superbo inimico, subiectique sibi dæmonis nequitia inflammatus, misit, qui sanctum Dei seruum tentarent, & ad mortem vsque affligerent. Verùm qui missi fuerant, non audentes eum vigilantem adoriri, somni tempus tanquàm latrones expectārunt. Cæterùm cùm diuina virtute, quæ illum protegebat, fugarentur, audaciores ex ipsis ad nequitiam, viro sancto rursùs appropinquauerunt: sed eadem gratia Dei, tanquàm ignis, ab eo progrediens, ipsos adurebat & persequebatur. Quarè cùm idem sæpius frustra, immò verò cum detrimento suo tentassent, ad eum, à quo missi fuerunt, confusi reuerterunt. Cumque illos interrogaret, cur re infecta redijssent, acriterque obiurgaret: Nulla, inquiens, est vestra vis: cùm enim ad ipsum dormientem accedere, & iniuriam inferre nequeatis, quomodò vigilantem superabitis? Et nos, respondebant illi, multo magis, quàm tu, probati inuictique, cupimus in ijs, ad quæ nos mittis, exequendis reperiri. Verùm cùm ad eum accedimus, magna ex ore eius egreditur flamma ignis, non huius, qui sensu percipitur, quem nos contemnimus, sed diuini in eo habitantis, à quo comburimur: & idcircò, re infecta, discedimus. In cibo item & potu eius vim nostram miscuimus, sed eam ipse, vtens benedictione, inutilem reddit.

Theodorus maleficus necem ei machinatur per dæmones.

Cùm igitur se Theodorus totiès victum doleret, & inuidia magis in dies accenderetur, letale venenum, magno paratum artificio, in piscem coniecit, & per alios quosdam ad Sanctum misit. Ex quo cùm Dei gratia, adhibita benedictione, nihil accepisset detrimenti, Theodorus ille confusus, quòd tam mortifero veneno nihil egisset, consideransque, quàm imbecilla esset potentia diaboli, & quàm magna Dei virtus atque admirabilis, quæ & dæmonum & veneni vim infregisset, & locustas interemisset, ex diabolica resipuit ebrietate, & ad virum sanctum supplex accessit, & ad pedes eius

Venenū nihil ei nocet.

tius prostratus lachrymans obtestabatur, vt sibi Dei misericordiam impetraret. Vir autem sanctissimus tanti luctûs & supplicationis causam requirebat. Cui cùm Theodorus suas in eum insidias, & dæmonum responsa, atificiumque diabolicum, quod in multarum animarum perniciem exercuerat, exposuisset, oraretque, vt se à tali nequitia liberaret, & sanctissimum sibi baptismum impertiret: respondit sanctus Theodorus: Si vis à Deo veniam impetrare, primùm omnia peccata tua confitere: & si quos habes libros maleficos, in medium profer, & quoscunq; homines, aut domos, aut animalia maleficijs tuis obstrinxisti, dissolue, nec ampliùs ea in quenquam exerce: sed pœnitentiam age, & ego Deum, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, precabor, vt ea tibi, quæ hactenùs admisisti, condonet. Hæc ille omnia cùm se perfecturũ iureiurando promisisset, omnes libros maleficos protulit, & coram illo combussit. Sanctus autẽ Theodorus eum priùs in religione instituit, & ieiunijs atq; eleemosynis purgauit: posteà ad salutare lauacrum admisit, & ad nonagintanouem ouium numerum adiunxit, seque doctrinæ Iacobi fratris Domini ministrum declarauit, peccatorem ab errore viæ ipsius conuertens, & liberans animam eius à morte, & operiens multitudinem peccatorum. 1. Tim. 2. Theodorus maleficus resipiscit. Iacob. 5.

Accidit autem, vt posteaquam ad mansionem suam reuersus est, in morbum grauissimum incideret & sancti angeli ad eum miserandum accederent. Ipse verò cœpit flere, ac tristis esse. Erat autem super ipsum imago sanctorum Cosmæ & Damiani, miraculis illustrium: qui tales se illi secundùm quietem conspicuos obtulerunt, quales ea pictura exprimebantur. Et accedentes ad eum, quemadmodùm solent medici, venarum pulsum explorabant, atque inter se ità colloquebantur, vt de salute eius, propterea quòd vires ipsius concidissent, desperare viderentur. & ad eum conuersi, dicebant: Quid fles, frater? Cur tristis es? Ipse verò respondebat: Quia non egi pœnitentiam, domini mei, & quia relinquo pusillum hunc gregem, qui nondum est perfectè institutus, & magna indiget diligentia. Tunc illi: Vis vt pro te supplicemus, vt tibi paululum adhuc ad viuendũ spatij concedatur? Si hoc, inquit, feceritis, & tempus mihi ad resipiscendum impetrabitis, & pœnitẽtiæ meæ, & omnium quæ rectè posthac egero, mercedem lucrabimini. Sancti autem ad angelos conuersi, rogabant eos, vt illius tantispèr curam gererent, dum ipsi supplicatum pro illo ad Regem irent. Et cùm angeli se id facturos dixissent, sancti Cosmas & Damianus profecti sunt, & pro Theodori salute omnipotenti Regi Christo Deo nostro, qui in cælis est, quique & Ezechiæ quindecim vitæ annos adiunxerat, supplicabant. Itaque voti compotes reuerterunt, in medio ipsorum habentes adolescentem, angelis, qui aderant, adspectu quidem similem, sed gloria præstantiorem: qui præsentes angelos sic allocutus est: Ab eo recedite, placatus enim est communis omnium Dominus & gloriæ Rex, & permittit, vt adhuc in carne maneat. Qui statìm vnà cum ipso in cælum redierunt. Sancti verò Cosmas & Damianus: Surge, inquiunt, frater, & attende tibi ac gregi tuo. Benignus enim & clemens Dominus noster preces nostras pro te suscepit, & largitus est tibi, vt viuas, paresq; cibum, qui non perit, sed manet in vitam æternam, & multarum animarum salutem cures. Hæc locuti, etiam ipsi discesserunt. Vide sancti viri humilitatem. 4. Reg. 20.

Sanctus verò Theodorus, confestìm viribus recuperatis, surrexit sanus, & laudabat Deum, maioreq; studio abstinentiæ & psalmis decantandis incumbebat, & pro gratia sibi à Deo concessa, multa miracula faciebat, tum in curandis omnibus morbis & languoribus, tum in expellendis spiritibus immundis: sola enim ipsius increpatione aut iussu ab hominibus discedebant. Quibus miraculis multi commoti, domos suas relinquebant, & ad eum accedentes, habitum monasticũ & vitam quietam complectebantur. Quidam etiam ex ijs, qui curabantur, nolebant ab eo discedere, sed manebant apud illum, & necessaria ministeria exequebantur. Quamobrèm cùm sancti Georgij martyris oratorium esset angustius, quàm vt eos, qui sacrificium peragebãt, & qui ibi commorabantur, quiq; ad precandum conueniebant, capere posset, ad dexteram ipse partem ædem pulcherrimã sancti angelorum principis Michaëlis, tam æstati, quàm hyemi commodam, exædificauit. Hæc ad læuam habebat paruum sancti Iohannis Baptistæ oratorium: ad dexteram autem, oratorium sanctissimæ Dei genitricis, semperq; virginis Mariæ: in quo & fratrum regulã constituere decreuit, propterea quòd ægroti, & à malis spiritibus vexati, qui, vt curarentur, adducebantur, & qui ad precãdum accedebant, in archangeli Michaëlis oratorio, quod die & nocte apertum erat, manebant. In his autem sanctissimus Dei seruus Theodorus, tanquàm fructifera olea in do- Multi sub eo vitam monasticã complectuntur.

mo Dei, & veluti palma inter spinas versabatur: & monachorum circundatus choro, in Dei laudibus excellebat. Misit autem socium suum Philumenum ad Anastasiopolis episcopum, vt eum presbyterum faceret, fratrumque præfectum: quoniam inter alios constantia & mansuetudine præstabat.

Iam cùm sanctus ac venerandus ille mansionis locus Dei gratia auctus esset, sed argentea supellectili careret, & vasa tantùm marmorea in mysterijs adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus archidiaconum suum ad regiam ciuitatem Constantinopolim, vt argenteum vas ad sacrorum mysteriorum vsum emeret. Ille autem eò profectus, vas emit à quodam opifice, tum materia, tum artificio singulare, & ad monasterium tulit. Cùm igitur postridiè peragenda essent mysteria, ostendit archidiaconus vas illud sanctissimo Theodoro, vt in eo fieret sacrificium. Quod ille mentis oculo contemplatus, vt sordidum atque inutile contempsit. Cumque Archidiaconus fabrefacti vasis integritatem pulchritudinemque commendaret, quippe qui nihil ampliùs, quàm speciem extrinsecùs poterat intueri: Nôui ego quoquè, fili, inquit vir sanctissimus, vas esse pulcherrimum, quantùm ad materiam atque artificium pertinet: sed aliã ob causam, quæ oculis non cernitur, coinquinatum est. Vsus nimirùm, vt arbitror, illud infecit: Quòd si dubitas, dic psalmi versiculũ, vt precemur, atque illud intelliges. Quod ille dum faceret, & vir sanctissimus, inclinato capite, precaretur, sic euasit ipsum vas, quale solet argentum esse, cum ex camino ignis nigrum educitur. Quo perspecto, fratres Deum collaudârunt, qui per seruum suum id, quod occultum erat, patefecisset. Verùm cùm Archidiaconus illud rursùm in manus accepisset, argenteum & splendidum apparuit. Quamobrèm Constantinopolim reuertens, reddidit illud opifici, & causam narrauit. Opifex autem secum ipse considerans, meminit vas ipsum ex argentea meretricis situla fuisse conflatum, & rem Archidiacono indicauit, veniam petens, & rogans, vt pro se Deum obsecraret. Alia autem illi vasa pura dedit atque pulcherrima, quæ Archidiaconus ad sanctissimum Christi seruum attulit, priorisque vasis causam ipsi & fratribus patefecit: qui Deo gratias egerunt.

Respuit vir sanctus calicem ex meretricis argento factum.

Iam in Buzæorum loco, sub Gratianopolim sito, cùm torrens sic imbribus excresceret, vt traijci non posset, cupiebant incolæ pontem ædificare. Cumque adhibitis artificibus opus propè confecissent, deerant tabulæ quædam lapideæ, ad quas excidendas (licèt multi dicerent, ad thesaurum auferendum) in collem quendam propinquũ se cõtulerunt. Verùm magna indè spirituum exijt immundorum multitudo. Quorum pars inuasit viros & fœminas illius loci, eosque acerbè cruciabat: pars cæteros in varios morbos coniecit: complures autem vias & loca finitima occupârunt, & homines ac bestias, illàc iter facientes, iniurijs afficiebant. Quãobrèm regio illa magnis tum internis tũ externis calamitatibus laborabat. Cumq; illis in mentẽ venisset serui Dei Theodori, decreuerunt illius precibus immundos spiritus adiurare. Ex quo cœperunt ipsi spiritus non mediocriter formidare, &, nomine eius audito, mitiùs ac leniùs agere. Ad monasterium igitur profecti, tantoperè supplicârunt, vt cum illis tandèm abierit. Appropinquante autem illo ad regionem ipsorum, sentientes spiritus præsentiam ipsius, & homines obsessos corripientes, occurrerunt ei, & cum vlulatu vociferabantur ad hunc modum: Proh vis. Cur venisti huc, ô ferriuore? Cur Galatiam reliquisti, vt Gordianæ peteres regionem? Non erat opùs, vt terminos transires. Causam enim, quamobrèm te huc contulisti, non ignoramus. Verùm nos non parebimus tibi, quemadmodùm parent Galatiæ spiritus: nos enim asperiores sumus & astutiores. Sed cum eos vir sanctus increparet, obmutuerunt. Postridie autem, cùm essent omnes congregati, & illi, qui vexabantur, circa virum sanctissimum essent, supplicationem emisit, & totam regionem lustrauit, peruenitque ad collem, vndè dæmonia exisse dicebantur: atque illa torquens diuina Christi gratia, venerandæque Crucis signo, tunsionibus in pectus adhibitis, diù precationibus incubuit: iussitque, vt ex hominibus egrederentur, & in locum suum redirent. Quæ valdè clamantia, scissis vestimẽtis, obsessos ante pedes eius prostrauerunt, & egressa sunt.

Gratianopolis in Gordiana regione.

Pellit dæmones ex obsessis.

Pessimus tamen spiritus, qui mulierem vexabat, resistebat, & nolebat egredi. At vir sanctissimus, coma eius appræhensa, vehementerque premens, adhibito Crucis signo, & fusis ad Christum precibus, increpabat eum: Hinc, inquiens, non discedam priùs, quàm ab illa fueris egressus. Tunc clamare spiritus cœpit, ac dicere: Magna est, ô ferriuore, vis tua etiam in me. Iam egredior, & non repugnabo. Da nobis tantum aliquid ex ijs, quæ fers. Soluit ille calceamentum, coniecitque in foueam collis, vndè exierant.

Proiecta

Proiecta igitur muliere ante pedes eius, exiuit ab ea. At vir sanctissimus stans, rursùm Dominũ precabatur, vt spiritus item illos omnes, qui loca finitima & vias obsidebant, atque iter facientes vexabant, compelleret in locum, vndè egressi fuerant, regredi. Deique gratia omnes sub muscarum, & leporum, ac murium specie, vt quibusdam videbantur, coacti, in foueam illam rediêrunt. Tunc eam vir sanctissimus, precibus fusis, ligno Crucis obsignauit, iussitque vt foramen illud obstrueretur, & in pristinam formã redigeretur. Et supplicationem ad locum suum reduxit. Nec vnquam postea locus ille sensit eam calamitatem, nec loci finitimi, nec viæ, nec homines vlli iniuria eiusmodi affecti sunt, ad gloriam Christi Dei nostri, curationum largitoris. Vir autem sanctissimus ad monasterium suum reuersus est.

Ex Ponti autem oppido Heraclea Theodorus, cognomento Latzeas, diues & claro loco natus ad pium virum accessit, & ad pedes eius prostratus, lachrymãs supplicabat, vt ad vrbem suam veniret, ac in sacra æde sanctissimæ Dei genitricis pro domesticorum suorum salute precaretur. Cùm enim domi suæ foderetur, ex ea fossione contigit, vt magna spirituum immundorum multitudo tum familiares suos, tum alios ciues inuaderet, & acerbè vexaret. Beatus igitur vir, cùm in æde illa sanctissimæ Dei genitricis precari cuperet, abijt cum illo, & desiderio suo satisfecit, familiamque præclari viri Theodori, & reliquos ab immundis spiritibus vexatos, precibus & supplicationibus liberauit, multaque alia curationum miracula tam in ipsa vrbe, quam in tota illa regione, reuertendo fecit ad gloriam Saluatoris nostri Dei. Dæmonũ infestationes profligat.

Cùm in Ancyranorum metropoli magna lues in homines armentaque desæuiret, eius metropolis curatores ad Dei seruum accedentes, secum abduxerunt. Cumque filias haberent monachas in sanctissimo Dei genitricis monasterio, quod Becia vocatur, rogârunt eum, vt ibi commoraretur, & pro illis Deum obsecraret. Constituto autem supplicationis die, omnes ciues & agricolæ conuenerunt ad supplicandum: & ipse cum illis Deum obsecrans, ab ea peste ipsos liberauit. Aquam præterea benedixit, qua conspergebantur armenta, & liberarent. Quamobrem gratias agentes Deo metropolitæ, virum sanctum ad eius mansionem reduxerunt. Vis aquæ benedictę.

Porrò cùm Siberis amnis, qui propè monasterium fluit, Siceorum sata, atque adeò agros ipsos auferret, vir sanctissimus accessit, amnique præcepit in Christi nomine, vt in alueum suum rediret, nec agris ampliùs appropinquaret: ligneaque cruce defixa, & precibus fusis, impetum eius repressit. Cumque eodem in flumine traijciendo multi periclitarentur, vir iste memorandus ad eius medium accessit, fusaque benè longa ad Deum precatione, reddidit ipsum mansuetum, vt nullum ampliùs in illius traiectu periculum foret. Præclara edit miracula in flumine.

Ductus est ad eum puer è quodã monasterio, nomine Arsinus, qui à spiritu immundo vexabatur. Hunc vir sanctissimus cùm accepisset, non festinauit curare eum, quòd illi talem disciplinam haud inutilem esse diceret. Verùm cùm perfectæ iam esset ætatis, & vir sanctissimus pro omnibus accedentibus precaretur, orauit & ille, vt pro se quoque idem faceret. Cui, Si promittis, inquit, te rectam & exquisitam vitæ rationem amplexurum, celeriter id, quod flagitas, impetrabis. Promisit ille. Itaque cùm vellet Christi seruus sancti martyris Christophori mulierum monasterium inuisere, secum Arsinum duxit. Et cùm essent in valle Xeroniaca, & tempus foret opportunum, stans vir sanctissimus, Deum pro illo precabatur. Commoto igitur dæmone, cœpit affligi, & in sublime tolli. Dæmon autem suspensus, dicebat: Egredior, ferriuore: tantum solue me, & statim discedam. Et hæc dicens, vidit sanctum Christi martyrem Christophorũ Dei seruo obuiam venientem. Et vehementius vlulans dæmon, prostrauit illum ad pedes ipsius, atque discessit. Cumque se collegisset, duxit eum vir sanctus in ipsius martyris monasterium: vbi admonitionibus & grauibus præceptis & obsecrationibus Virgines, in eo degentes, ad modestiam & timorem Dei, & humanum pudorem instituit. Valdè enim eum Virgines venerabantur. Dæmonẽ eijcit.

Posteaquàm autem ad virorum monasterium sanctus ipse redijt, paruam cellulam ab eo accepit Arsinus, in qua inclusus, quietem colens se exercebat: & tribus hebdomadæ diebus pane cum oleribus, aut pomis vescebatur: tempore autem Quadragesimæ idem illi quidem erat cibus, sed sabbato tantum & die Dominica. Erant & alij duo, qui asperum eiusmodi vitæ genus colebant, Euagrius & Andreas, qui propè Arsinum in cellulis degentes, animarum suarum saluti vacabant. Horum studio magnus Dei seruus lætabatur, & Deum laudabat. Aliquantò autem pòst magno affecti Arsini magna abstinentia. Item Euagrij & Andreæ.

sunt desiderio, sanctam ciuitatem inuisendi, & sancta illius loca adorandi. Quod cùm inter se contulissent, supplices virum sanctum obsecrârunt, nè desiderium suum impediret, sed precibus illud adiuuaret. Cùm igitur ab eo dimissi, iter suum confecissent, & voti iam compotes essent, Euagrio placuit illic commorari. Ingressus igitur in Lauram Abbatis Sabæ, sanctè vitam instituebat, factis ipsis declarans, se diuini & sancti patris Theodori esse discipulum. Arsinus autem & Andreas in Galatiam ad virum sanctissimum rediêrunt, eumque rogârunt, vt pro se Deum obsecraret, sibique permitteret, vt alia in loca sese conferrent, vbi separatìm in quiete vitam traducerent. Cùm igitur pro illis Deum obsecrâsset, & quod petebant, concessisset, abiêrunt quò vtrique libuit. Andreas procùl à monasterio passuum millibus octo in Brianeæ collem iuit: vbì in lignea cellula inclusus, sanctè viuebat, & à CHRISTI die natali vsque ad Ramos oliuarum eandem, quam in monasterio abstinentiam coluerat, exercebat. Arsinus verò, cùm in partem superioris Potamiæ se contulisset, Galenirum sibi, locum ab hominum celebritate remotum, in quo dæmones considebant, elegit, & stans Deum orabat, dicens: Domine Deus patris mei Theodori, precibus eius placatus, serua me peccatorem, & adiuua me atque defende, vt tibi seruiam & placeam in hoc loco. Statimque se in lignea cellula inclusit, ibique hyemem illam transegit.
Arsini obitus. Posteà verò altiorem sibi columnam fecit, in eamque conscendit: & solitam abstinentiam, & reliquarum virtutum studium coluit. Cumque quadraginta iam annos ità transegisset, patientiæ corona redimitus, & discipulus Theodoro præceptore dignus, in pace requieuit.

Reparatus monachus. Multi prætereà à sancto & præclaro patre nostro Theodoro instituti, vel apud ipsum vitam traduxerunt, vel alijs in locis excelluerunt. Inter quos & Reparatus, claris ortus parentibus, cohortationibus eius & miraculis commotus, monasticum
Elpidius. ordinem suscepit: & ab eo institutus, in paruam se cellulam inclusit in Colonossi regione Lycaoniæ, rectèque vixit ad exemplum præceptoris. Et Elpidius, qui cùm annos aliquot in monasterio rectè vixisset, deindè ad Orientem profectus, propè montem Sina constitit, ibique se exercuit. Hunc, propter quietem & religionem, patres illis in
Leontius. locis commorantes, Elpidium quietum appellabant. Et Leontius, qui diù sub disciplina serui Christi institutus, prope locũ Permataiæ separatìm vixit tam honestè ac piè, vt cùm alia multa vaticinatus sit, tum iniquorum Persarum impetum prædixerit, seque ab illis interfectum iri. Quod & factum est, cùm è cellula ipse sua egredi, & quietem
Theodorus. suam nollet intermittere. Et Theodorus, qui in monte Draconis piam vitæ rationem coluit, ab ipso institutus est, & habitum accepit, & posteà mansionis ipsius sancti præfe-
Stephanus ctus fuit. Et Stephanus, qui prope Psilim fluuium sancti Theodori mansionem rexit, ab eo pariter fuit institutus, & habitum accepit. Et alij plurimi, quos propter multitudinem prætereo, nè, dum in eorum historia moror, quę ad magnum ipsorum & nostrum pastorem pertinent, imperfecta relinquam & prætermittam. Vita quidem ipsorum satìs eos commendat, sed talis magistri disciplina multò magìs: Non potest enim, vt ait
Matt. 7. Dominus, arbor bona fructus malos facere. Huius igitur arboris, omissis interìm ramis, altitudinem pro viribus consideremus.

Eum rursùs desiderium incessit reuisendi sanctam ciuitatem Hierusalem. Quarè cum duobus comitibus iter suscepit. Tunc autem Hierusalem magna siccitate laborabat. Cumque & lacus & cisternæ exaruissent, magnis omnes in angustijs versabantur. Ciues enim & monasteria aquas pluuias in lacus cisternasque colligunt, cùm fontes non habeant. Homines igitur & iumenta aquæ penuria affligebantur. Nec supplicationibus quicquam proficiebant, quoniam eam gratiam Deus seruo suo reseruabat. Erant porrò illic quidam ex Galatiæ regione, qui magnum Dei seruum & eius miracula cognoscebant, & de ipso in sancta ciuitate, & in monasterijs, quotiès occasio id ferebat, loquebantur. Nouimus, inquiebant, sanctum patrem in nostra regione,
3. Reg. 18. qui vnica precatione queat aquis vniuersum orbem explere, quemadmodùm Eliam prophetam tempore Achab regis Israel fecisse legimus. Cùm igitur in sanctam ciui-
Loca sacra Hierosolymis inuisit. tatem Hierusalem ingressus esset, & salutiferam Crucem, & sanctum Christi sepulcrum adorâsset: & omnia loca sacra atque monasteria inuiseret: videntes eum monachi, qui de illo locuti fuerant, præsentiam eius tam in ciuitate, quàm in monasterijs diuulgârunt. Quamobrèm Patriarchæ Hierosolymitani nomine, clerici & monachi ad eum accesserunt, rogaruntque vt precibus suis Deum sibi propitium redderet, & pluuiam impetraret. Tunc ille se excusare, quòd indignus esset. Sed cum illi respon-

derent,

derè iit, se confidere, si suas ipse preces cum aliorum patrum precibus coniunxisset, fore vt Deus pluuiam largiretur: Quandò, inquit, dicitis, vos fidem habere, sicut creditis, ità fiet vobis. Constituta igitur supplicatione, dixit militibus: Deponite, filij, stolas vestras, nè madefiāt, & vos defatigemini. Celer iter enim, mihi credite, pro fide vestra Deus misericordiam suam vobiscum faciet. Cùm igitur supplicando procederēt, & quodam in loco ex mandato eius precandi gratia constitissent, sublatis in cælum manibus, vir sanctissimus satìs diù Deum obsecrauit, & obsecrante illo, parua nubes apparuit ab Occidente. Facto autem obsecrandi fine, præcepit, vt supplicantes progrederentur. Tunc nubibus totum obtectum est cælum: & ingens cœpit pluuia descendere, adeò vt madefacti, cursu reuerterentur, & Deum collaudando, supplicationi finem imponerent. Omnes autem cisternæ & lacus pluuia, fluminis instàr defluente, completi sunt ob serui Dei precationem. Qui nè propter miraculi amplitudinem turbaretur, statim ad monasterium rediit. Impetrat à Deo pluuiam.

Multis item alijs in locis monasterio propinquis eiusmodi miracula, siccitate premente, per ipsum effecta sunt. In loco autem, qui Reace nuncupatur, sæua quædam nubes statutis temporibus regionem occupabat, & maturos vitium fructus grandine deijciebat. Quamobrèm incolæ, cùm ea calamitate multis iam annis assiduè afficerentur, ad monasterium accesserunt, & multis precibus virum beatum secum abduxerunt. Qui, constituta supplicatione, regionem lustrauit, & Cruces quatuor ad regionis fines constituit, & ad monasterium reuersus est. Ex quo factum est, vt sæua illa nubes nunquàm ampliùs regionem inuaserit. Cuius beneficij memores loci illius incolæ, quotannis monasterio aliquot vini mensuras & varias vuas offerunt. Nota hæc de 4. crucibus.

In Caria fluuius, qui dicitur Copas, exundans domos deijciebat, & omnia paulatìm euertebat. Quarè Christi seruus, incolarum precibus adductus, illuc se contulit: & adhibita precatione, ad fluuij ripam, intra quam cùm paruus esset, solebat contineri, Crucem statuit. Et Dei gratia, sanctique viri precationibus factum est, vt quanuis solito etiam magìs excresceret, nunquàm tamen terminum Cruce præfinitum transilierit, neque incolarum loca suffoderit.

Eo tempore piæ memoriæ Tiberius imperio potiebatur: qui cùm Mauritium sibi à secretis Comitem fecisset, misit eum aduersùs Persas. Cumque vicisset illos, in vrbem ab Imperatore reuocatus est. Hic igitur cùm per Galatiam iter faceret, auditis, quæ de Christi seruo dicebantur, ad eum, qui tunc in spelunca quiescebat, cum fratre Petro & socijs accessit: & ad pedes eius prostratus orabat, vt pro se Deum precaretur, vt iter suum ad Imperatorem fortunaret. Beatus autem vir, cùm vt surgeret præcepisset, & pro illo Deum obsecrauit, &, Deo sibi patefaciente, dixit ei: Fili, si sancti martyris Georgij memor extiteris, haud ità multò pòst cognosces, qua in gloria imperij collocaberis. Quod cùm euenerit, memento, vt pauperes alas atque sustentes. Et cùm Mauritius hæsitaret, qua in imperij gloria se collocatum iri diceret, seduxit eum, & remotis socijs, apertè significauit, ipsum futurum Imperatorem. Mauritius igitur cum socijs, accepta benedictione, lætus discessit, & Constantinopolim peruenit: defunctoque Tiberio, vt vir sanctus prædixerat, imperium obtinuit: & eius verborum memor, epistolam ad illum misit, rogans, vt Deum pro se precaretur, vt imperium in pace tueri posset, & ab hostibus defendere: addiditque, vt peteret, si quid à se vellet. Sanctus autem Theodorus beatum Philumenum misit, & rescripsit Imperatori, vt in vsus pauperum aliquid frumenti monasterio tribueret. Addixit igitur Imperator monasterio singulis annis tritici modios sexcentos, & poculum illi pro munere misit. Tiberius mittit Mauritiū contra Persas. Mauritio prædicit Imperatorem eum fore.

Cùm autem maioribus in dies virtutibus atque miraculis floreret, & fama eius vbiquè magna cum laude celebraretur, impletum est monasterium viris bonis: inter quos ipse, vt Dauid cecinit, erat tanquàm oliua fructifera in domo Dei: vt de ipso id, quod in Psalmo prædictum est, impleretur: Iustus sicut palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Iam cùm cerneret vir beatus multas turbas congregari, & sancti Georgij oratorium angustius esse, quàm vt omnes capere posset, templum sancti martyris amplum faciendum curauit, vt dextrum eius templi latus, sancti martyris oratorium teneret, sinistrum autem, sanctorum martyrum Sergij & Bacchi. Vbi cum pro iaciendis fundamentis effoderent, & varias petras igne acetoque perfringerent, atque deuoluerent, (erat enim agrestis petrosusque locus ille) contigit vt saxum miræ magnitudinis inuenirent: quod cum demolirentur, quendam in locum impu- Psal. 51. Psal. 91. Permulti ad eum veniunt, & fiunt monachi.

lerunt, vndè nullo modo poterat dimoueri. Multis igitur operarijs frustrà laborantibus, accessit vir sanctus, & saxum attingens: Benedictus Deus, inquit: hinc deorsùm mouearis, vt hoc loco vti possimus, & dicto citiùs emotum est saxum, & facilimè voluebatur. Eregionè verò cùm esset arbor mali, quæ à saxo euertenda videbatur, dolens vir beatus, exclamauit: Ità pertransi, vt nulla malum iniuria afficias: & statim, tanquàm esset homo prudens & intelligens, sic extra arborem transilijt, vt eam nihil omninò læderet.

Imperat saxo.

Cùm ex loco, qui dicitur Euarzia, millibus passuum octo à monasterio distante, quidam pro templi ædificatione calcem in curribus veherent, præsente viro sancto, contigit, vt magna nubes super ipsos incumberet, & ingentem imbrium vim inciperet demittere. Quamobrèm homines illi perturbati, & metuentes, nè currus atque iumenta propter calcis incendium imbribus excitatum, comburerētur, magnis vocibus virum sanctum aduenientem compellabant, dicentes: Curre, domine, curre: perimus vnà cū iumentis nostris. Et cœperunt celeriter iumenta dissoluere, & à plaustris remouere. Sed vir sanctus prohibuit, nè id facerent: qui stans, atque manus suas extollens, Deum precabatur, & ad præcedentem currum accedens, insedit & psallens eum dirigebat: statimque nubes duas in partes discissa est, & imbribus magnis vtrinque defluentibus, ne gutta quidem super plaustra decidit. Sic igitur ad monasterium incolumes peruenerūt, Deum collaudantes, qui res admirabiles per seruum suum efficiebat. Alia item miracula, dum templum ædificaretur, ab ipso facta sunt.

Insigne miraculum.

Post templi autem ædificationem, quæsiuit ex eo discipulus eius Deo charissimus Iohannes, quis esset illud consecraturus. Cui respondit: Eccè dico tibi, templum hoc ab episcopo huiusce loci consecratum iri. Et vaticinatus est. Nam Deus seruos suos claros & illustres reddens, qui cùm quinque talenta seruo suo dedisset, & ea ipse duplicâsset, aliud ei munus largitus est: beatissimo item atque sanctissimo huic viro priores gratias & munera cumulauit, quoniam ea ipse rectè factis duplicauerat. Pastoris enim eum honore decorauit. Nanque defuncto Timotheo Anastasiopolis episcopo, ciues & clerici ad beatissimum Ancyræ metropolis Archiepiscopum conuenerunt, & magnum Dei seruum Theodorum Siceorum mansionis Archimandritam, in sanctissimæ ecclesiæ suæ episcopum efflagitârunt. Quorum ille lætatus studio & voluntate, præcepit, vt eum ad se adducerent. Erat autem tempus, quo sanctus Theodorus in spelunca inclusus, precationi vacabat & quieti. Accesserunt igitur Anastasiopolis clerici & ciues ad monasterium atque speluncam, & supplicârunt, vt se pastorem ipsis concederet. Quod ille cùm ne audire quidem vellet, nedùm concedere, ipsi, vi quadam pia illata, eum è monasterio extulerunt, & in lecticam coniectum abduxerunt. Cuius discessu cùm & monachi, & cæteri qui illic commorabantur, mœsti essent, vir sanctissimus eos per fratrem consolatus est: Omittite, inquiens, mœrorem, filij. Nam si mihi credideritis, non dimittam vos. Nihil enim est in terra, quod me à consuetudine vestra possit separare.

Matt. 25.

Inuitus rapitur ad episcopatum.

Ancyram igitur Metropolim ingressus, à beatissimo archiepiscopo Paulo cum lætitia susceptus est, & episcopus constitutus. Viderat autem quidam in quiete, stellam ingentem è cælo delapsam, super ecclesiam illius ciuitatis constitisse, quæ radijs suis tum ciuitatem ipsam, tum regiones finitimas illustrabat. Egressus igitur è metropoli Ancyra sanctus Theodorus, Anastasiopolim venit cum religiosissimo Cinaræ ciuitatis antistite: à quo in sede constitutus, instàr stellæ, quæ visa fuerat, diuinis curationum gratijs præfulgebat: assiduisque ieiunijs, & precibus, & eleemosynis, & omnibus deniquè virtutibus & officijs ciuitatem sibi creditam exornabat, & reliquas ad eius æmulationem inflammabat. Sic nanque ad virtutem & pietatem excitata surrexerat, vt nomini suo planè responderet. Neque enim tam ciuium multitudine & diuitijs, & Imperatorum muneribus propugnaculisque munita præstabat, quàm diuini episcopi sui virtutibus & rectè factis. Nec ab hominibus solùm, sed ab angelis habitabatur, à cælestique Imperatore Christo semper inuisebatur, & custodiebatur, & muneribus omnibus abundabat. Excurrens autem ad monasterium suum, templum sancti Georgij martyris à se ædificatum, cum lætitia & gaudio consecrauit. Quamobrèm omnes collaudabant Deum, cuius prouidentia factum esset, vt sancti viri laboribus non alius, sed idem ipse in episcopali sede constitutus frueretur: quemadmodùm scriptum est: Labores manuum tuarum manducabis.

Visio cuiusdam.

Virtutes eius in episcopatu.

Psal. 127.

Post templi consecrationem vir beatus Anastasiopolim reuersus est, Deique gratia multa fecit miracula curationum, adeò vt in lectulis & grabatis infirmi ad eum gesta-

Multa miracula.

gestarentur, vt eos tangeret: quos cum illis, qui ab immundis spiritibus vexabātur, precibus suis liberos dimittebat. Talem enim à Domino nostro Iesu Christo gratiam habuerat aduersùs immundos spiritus, vt nō solùm, si eos ipse increpuisset, verùm etiam si id per alios fecisset, statìm ab obsessis corporibus fugerent. Sic enim accidit quodam die, cùm in oratorio esset inclusus, vt quædam mulier vexaretur, & cereos, qui illic erant, confringeret, nec vir eius poterat eam cohibere. Quidam igitur è ministris eius in oratorium sancti Platonis ingrediens, vbì erat sanctus episcopus, rem illi significauit. Verùm cùm ipse nollet quietis terminum interrumpere, (decreuerat enim in præsepi stare, & considere) nec mulierem volebat illuc ingredi: oleo benedixit, & dedit illud nuncio, dicens: Hoc oleo mulieris frontem vnge, & manus, & aures: & dic dæmoni, vt ab illa exeat. Quod cùm à ministro factum esset, conquieuit spiritus immundus atque discessit: & mulier liberata est, nec ampliùs à dæmone vexata fuit. Potestas in dæmones.

Cùm autem multa quotidiè miracula eiusmodi fierent à sancto episcopo per gratiam Dei in ipso inhabitantem, erat quidam magnæ Ecclesiæ Diaconus nomine Domitianus, incredulus, qui animo erat alienus, & scandalizabatur. Quadam igitur die Dominica vir quidam accessit ex metropoli Ancyra cum filio muto. Qua quidem hora cum diuinorum mysteriorum communio in Ecclesia Catholica sanctæ Sophiæ distribueretur, & ipse puer os aperiret, dixit vir sanctus: Dic Amen: & puer statìm clara voce pronunciauit, Amen. Quarè pater eius cœpit Deum laudare, & miraculum patefacere. Omnibus igitur admirantibus, & Deum collaudantibus, Domitianus humi statìm concidit. Quamobrèm clerici quidam accurrentes, eum trementem excitàrunt. Quærentibus autem, quid ei contigisset, respondit: Cùm puer ille pronunciaret, Amen, & pater exclamaret, quòd soluta esset lingua eius, ego non credebam id esse verum, sed fictum gloriæ causa existimabam: & vidi quasi flammam ignis ex ore pueri egredientem. His dictis, ad sanctum virum accessit, & procidens ad pedes eius, rogauit, vt pro se Deum obsecraret, ne vis diabolica à puero egressa, & diuina indignatio in se recideret. Vir sanctus audiens id, quod acciderat: Hoc, inquit, fili, contigit tibi propter incredulitatem animi tui, qua depulsa, fidelis esto: hæc enim miracula non facimus nos, sed Deus hoc etiam tempore, ne possimus dicere, Deum temporibus nostris nullum miraculum effecisse: sed quæ ante nos per sanctos viros effecta sunt, credamus esse vera: atque ita semper in fide crescentes, Deum adoremus. Hæc beato viro loquente, Diaconus incredulitatem suam confessus est, & accepta benedictione, ab horrore & metu liberatus est, sanctusque discessit, & fide deinceps animum suum cumulauit. Nota de diacono miracula carpente.

Porrò cupiditate reuisendi sanctam ciuitatem accensus beatus vir, ibiq; tertiam obsecrationem absoluendi, fratribus duobus assumptis, Iohanne Archidiacono monasterij sui, & Martino, ex loco, qui dicitur, Dugaria, à quo dæmonum legionem eiecerat, ad sancta loca profectus est, & Crucem salutarem Christique sepulcrum, & omnia, qui illic sancta sunt, adorauit. Inuisit & monasteria, & in patriam non redire decreuit ampliùs: sed illic in aliquo monasterio quietè viuere. Putabat enim se, suscepto onere episcopali, à moderatione monastica defecisse, & curis atque solicitudinibus obrui. Profectus igitur in Lauram Sabæ Abbatis, viuebat ibi in cellula pij cuiusdam monachi, nomine Andreæ. Et cùm quietis & silentij sui tempus aduenisset, fecit illi* sellam frater, apud quem morabatur, in qua vir beatus sedens, abstinentiam suam à die Christi natali ad Ramos vsque palmarum transegit, ne pedem quidem indè mouens, adeò vt patientiam eius omnes illi patres admirarentur. Post Paschæ autem celebrationem, duo illi fratres, quos secum adduxerat, illum assiduè cohortabantur, vt in patriam rediret: sed eos ipse noluit audire, dicens, se illic quietam & pauperem vitam agere. Verùm nocte quadam illi sanctus Dei martyr Georgius in somnis apparuit, tradens illi baculum, atque dicens: Exi celeriter, vt in patriam reuertamur: neque enim licet, te, illa relicta, hìc commorari. Cumq; vir sanctus responderet, se id facere non posse, quoniam episcopatum recusàsset, pollicitus est ei martyr, & affirmauit, se ab illa etiā eum afflictione paulopòst liberaturum, modò nè patriam desereret. Surge igitur, inquit, & vade. Multi enim, longis susceptis itineribus, illuc profecti, propter absentiam tuam afflicti tristesque discedunt. Quamobrèm ego quoq; tibi succenseo. Hæc locutus Christi martyr, è manu eius pignus accepit, quòd id, nulla interposita mora, esset effecturus. Experrectus igitur vir beatus, somnium duobus fratribus narrauit, & ex patrum illius mansionis consilio cum duobus discipulis suis discessit.

It tertiò Hierosolymam.

Non vult redire ad suos, vt possit soli Deo vacare.

* cellam

S. Georgius eum cogit redire ad episcopatum.

Cùm autem ad Galatiæ partes peruenissent apud Druinorum monasterium fratribus suis præcepit, nè cui se patefacerent: incolis enim erat ignotus. Ingressus igitur est in monasterium, vt ab itineris labore conquiesceret. Monachi verò illi famam eius audiuerant, & magno ipsius desiderio tenebantur, cupiebantque ab eo sibi benedici. Suscepit igitur eum hospitium custos Anicetus vir religiosus: & Præfectus sancti Theodori comites interrogauit, quis esset ille Pater. At illi è longinqua regione esse respondentes, veram eius notitiam celauerunt. Cùm autem ad mensam accumberent, dixit vir sanctus: Profectò, filij, comedimus vt Galatæ. Cumque paulò pòst idem repeteret, custos Anicetus cœpit vehementer dubitare, quisnam esset, & suspicabatur, fratres haud verè de ipso respondisse. Cùm igitur à mensa consurrexissent, & beatus Theodorus humi, vt erat solitus, requiesceret: fratres, separatum in locum abducens eos, obtestabatur, vt sibi dicerent, quis & vndè pater ille esset. Tunc illi responderunt, eum esse clarum miraculis Theodorum, mansionis Siceorum Archimandritam Anastasiopolis Præsulem. Anicetus verò, quæ audiuerat, Præfecto & fratribus cum gaudio nunciauit. Quarè cùm ad officium nocturnum surrexissent, surrexit & vir sanctus. Sed cùm in oratorium sancti Pauli apostoli ingrederetur, obuiàm cum cereis exeuntes monachi atq; Præfectus, ad pedes eius prociderunt, & eum consalutantes, in proprium cœnaculum adduxerunt, & magna cum lætitia rogârunt, vt apud se diebus pluribus maneret, vt & ipse de via fessus quiesceret, & maiorem sibi benedictionem impertiret. Petijt autem econtrà ille ab eis, vt sibi ministerium, quandiù ibi maneret, assignarent. Et illis recusantibus, illud sibi ipse onus imposuit, vt fratrum cubilia manè vesperique curaret.

Nota humilitatem.

Cæterùm cùm eius fama diuulgaretur, multi, vt ab eo benedictionem acciperent, ad monasterium ventitabant, & ægrotos suos afferebant. Inter hos mulier accessit, & filium mutum adduxit, vt pro eo vir sanctus precaretur. Qui os suum aperiens, in eum insufflauit: & puer confestim locutus est. Mater igitur assumpto filio, læta discessit & laudans Deum. Alius puer, qui nullo modo poterat ambulare, à matre oblatus est sancto Theodoro: qui pro illo Deum obsecrans, parumpèr ab illa discessit, & aduocauit eum, dicens: Veni puer ad me in nomine Domini. Puer autem, relicta matre, statim ad virum sanctum accessit. Et reddidit eum matri sanum, laudanti Deum. Propinqui autem monasterij sancti Stephani Præfectus venit, rogauitque Præfectum monasterij Druinorum, vt per eum sibi liceret beatum Tehodorum abducere, vt monasterio suo benediceret. Hoc audito, sanctissimus Cinnæ ciuitatis Amiantus venit ad sancti Stephani monasterium, vbi Dei seruus erat, & duxit eum in ciuitatem suam, vt illi benediceret. Processerunt ei obuiàm ciues cum supplicatione, læti propter eius præsentiam. Atque ità ingressus beatus Dei seruus, cùm eis benedixisset, & Episcopum salutasset, ad Druinorum monasterium redijt. Atque indè rursùs, Præfecto & fratribus comitantibus, discessit, vt Anastasiopolim reuerteretur. Et omnes famam eius audientes, concurrebant, vt benedictionem acciperent.

Mutum sanat.

Item claudum.

Eius benedictio à multis expetitur.

Vnius autem oppidi, haud procùl à via distantis, ciues illi supplices occurrerunt, obsecrantes, vt in oppidum suum ingrederetur. Erat illic adolescens oris titubantia propè mutus & elinguis. Ingressus autem vir beatus in oppidum, iussit, vt se in Ecclesiam sequeretur: & cùm diuina mysteria distribuisset, præcepit, vt adolescens accederet: & pro illo precatus Deum os illi aperuit, & ter insufflauit: cumque illum signo crucis obsignâsset, sanctum Christi corpus impertiuit: In nomine, inquiens, Domini Iesu Christi loquere: & Dei gratia statim locutus est, dicens, Amen. Quod homines conspicati, Deum collaudârunt. Illinc igitur egressus Anastasiopolim venit: eiusque reditu omnes lætati sunt. Quidam ad eum mulierem paralyticam iumento impositam adduxerunt: qui iussit, vt illam in monasterio deponerent. Biduoque pòst ad monasterium profectus, & in Archangeli templum ingressus, iussit, vt ad se mulier adduceretur, manusque suas ad gradûs cancellum extenderet. Et diù pro ipsa precatus, accepit oleum lucernæ semper ardentis, & paralyticæ frontem vnxit, & manus ac pedes: In nomine, inquiens, Domini nostri Iesu Christi, morbos omnes expellentis, conualesce, & domum tuam læta reuertere. Et statim sponte sua deambulauit, laudans Deum. Suscipientes igitur illam viri, à quibus ducta fuerat, & gratias agentes Deo, discesserunt.

Sanat aliũ mutum.

Item paralyticum.

Fabris quibusdam mandauit beatus vir, vt ad vsum monasterij, pro frumento & fructibus conseruandis, domum ex tabulis ædificarent, vetuitque, nè carne vescerentur, an-

tur, antequàm opus absoluerent: aut si vesci vellent, in oppidum irent. Neque enim edebatur caro in monasterio, nisi in tribus Sanctorum celebritatibus, vt turbæ satisfieret. Verùm cùm abesset vir sanctus, fabrorũ præfectus paucis pòst diebus carnem comedit, & statim in febrem incidit, iacebatq; semimortuus: & de vita illius nulla iam erat spes. Quod cùm ex fratre, qui ex monasterio aduenerat, vir sanctus accepisset: Verus profectò, inquit, est sermo scripturæ, dicentis. Ab obedientia vitam, ab inobedientia mortem proficisci. Ille enim à mandato recedens, meo carne vesci voluit in monasterio: & idcircò in morbũ incidit. Et eò profectus, vbì ægrotus iacebat, dixit ei: Quod verum est, frater, nè me celaueris. Ille autem aperuit id, quod erat. Ecce igitur, inquit beatus vir, Deus, vt experiris, indignationem suam non affert nobis, sed ipsimet nobis eam comparamus. Crede ergò, frater, me non auaritia tibi carnem non subministrâsse, sed vt mundum & purum atque castum locum hunc conseruarem. Surge igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & opus perfice, & deinceps mandatis obtempera. Precante igitur sancto viro, & manus suas super ægrotum imponente, statim conualuit: & eadem die surgens, cœpit reliquum opus absoluere. Pœna carnè in monasterio edentis. Pellit febrem.

Cùm autem sanctus episcopus Anastasiopolim rediisset, venit homo quidã ad monasteriũ, & à Præfecto impetrauit, vt maneret in templo sancti martyris Georgij: neque enim omnes in eo, sed & in templo Archangeli cõmorabantur. Hic autem homo habebat carnes suillas in pera. Nocte igitur illa Christi seruo martyr Georgius apparuit, atque illi rem indicauit. Quamobrèm dolore affectus vir beatus, diluculo nuncium misit ad Philumenum præfectum, qui eum coargueret. Cùm igitur quæsîssent in templo sancti martyris Georgij, carnem apud hominẽ illic manentem repererunt: & omnes gratias egerunt Deo, qui res occultas seruo suo patefecisset. Diuinitùs cognoscit rem occultam.

Cùm verò sanctissimus ciuitatis Germiorum episcopus Aemilianus cuperet beatum Theodorum videre, atq; ab eo impetrare, vt pro se Deum precaretur, multis precibus eum in suam ciuitatem adduxit, honorificeq; in venerabili templo Archangeli suscepit. Eo tempore instabat celebritas dominæ nostræ Dei genitricis Mariæ, quæ in Musgi oppido colitur, ad quam singulis annis cum supplicatione conueniebant duarum ciuitatum, Germiorum & Eudoxiadis, episcopi. Aemilianus igitur episcopus, assumpto beato Christi seruo Theodoro, venit ad celebritatẽ. Cùm autem in oppidum ingressi, cum supplicatione in templum Dei genitricis introirent, mulier quædam eiusdem oppidi, nomine Irene, ab occultis spiritibus, diù vexata, & idcircò multis morbis & calamitatibus obnoxia, nec causam agnoscẽs, tunc extra templum stetit iuxta portam: &, perspecta supplicatione & beatis episcopis, cœpit à spiritibus vexari, reiectoque velo, & aperto capite, & turba disiecta, magnis vlulatibus aduersùs sanctum Theodorum latrabat, cùm ei dæmones maledicerent, quoniam ipsius præsentia turbarentur. Quod cùm populus adspiceret, cœpit clamare: Domine, miserere. Suspensa autem mulier à terra, & manibus vinctis, & per aëra ad cancellos vsque ferebatur, vociferantibus dæmonibus, quòd beatus Theodorus contra se Deum precaretur. Post Euangelij autem lectionem, in terram delapsa iacebat ad altaris introitum, & lingua sua puluerem lambebat. At Christi seruus Theodorus ad eam conuersus, & coma eius appræhẽsa, increpuit spiritus, qui in illa erant, dicens: In nomine Domini Iesu Christi præcipio vobis, vt ab illa exeatis. Quo dicto, dæmones statìm vlulantes ab ea discesserunt: & mansit incolumis. Paulò pòst autem, marito & filijs defunctis, à sancto viro instituta est: & in cellula, ædi Dei genitricis propinqua inclusa sanctè vixit. Episcopi verò & populi miraculum adspicientes, dederunt gloriam Deo, & ad loca sua cum gaudio reuersi sunt. Beatus autem vir, Episcopo & ciuibus comitantibus, discessit, & Anastasiopolim profectus est. Celebritas S. Mariæ in Musgi. Dæmones è fœmina expellit.

Venit ad eum oppidi Arauniæ Archipresbyter Andreas: qui cùm apud eum dies aliquot maneret, contigit, vt filius eius Comitas in morbum grauissimum incideret. Cùm igitur, desperata salute, vocem amisisset, & neminem agnosceret, parato iam sepulcro, misit mater eius Iohannem presbyterum Anastasiopolim, qui marito nunciaret, vt ad filij funus celeriter accederet. Tunc autem beatus Theodorus, cùm sacrificium peregisset, cibum capiebat, & pueri patrem secum habebat. Nuncius igitur Andreæ causam, quamobrèm venerat, indicauit. Qua cognita, beatus Theodorus non permisit, vt discederet: Et ego, inquiens, tecum veniam. Volo enim monasterium & fratres meos inuisere: sed priùs muneribus nobis à Deo datis fruamur. Spero autem, Deo fauente, nos puerum viuum inuenturos. nunc enim non moritur: sed adhuc viuet, & Prædicit futura.

uet, & gratulabitur tibi. Et hæc locutus, præcepit etiam nuncio, vt cum ipsis cibum caperet. Cùm autem surrexissent, profectus est vir beatus in oppidum, & omnes cum facibus & thure obuiàm illi processerunt. Et cùm esset vespera, in ecclesiam ingressus est, & populo benedicens, vespertinas preces pronunciauit: atque ità domum Andreæ Archipresbyteri se contulit. Videns autem puerum morientem, Christum Deum nostrum, vitæ mortisque Dominum, obsecrauit, vt animam in ipso retineret, eumq; parentibus viuum & incolumem largiretur. Et cùm obsecrandi finem fecisset, adspexit puerum, & allocutus est. At ille oculos aperuit, & intendit eos: sed respondere non potuit, quoniam lingua eius erat impedita. Rursũ igitur caput inclinans Dei seruus, Dominum precabatur, vt integram puero sanitatem daret: & facto precandi fine, allocutus est puerum: Comita, inquiens adspice, & dic, quomodo te habes, & patri tuo responde, nè propter te dolore afficiatur. Aperiens igitur oculos iterùm puer, & eos intendens, respondit ad interrogata. Tunc signans illi frontem, & manus, & pedes, dextera illum appræhendit: In nomine, inquiens, Domini Iesu Christi, qui Centurionis morientem puerum suscitauit, surge & sta sanus: idem enim tibi quoquè vitam nunc elargitur. Iussit autem, vt illi daretur cibus, & comedit. Vocatus autem vir sanctus à pueri parentibus ad cœnam, præcepit Iohanni presbytero, vt puerum item ad cœnam adduceret: quem Iohannes cùm adduxisset, eique ministraret ex ijs, quæ erant apposita, plùs, quàm alij, comedit. Quod omnes adspicientes magna lætitia, cum parentibus gloriam dederunt Deo, qui mortuis etiam, per seruos suos exoratus, largitur vitam. Postridiè autem puer sanus ambulabat. Et vir beatus ab oppido profectus est ad monasterium.

Preces vespertinæ. — *Matth. 8.* — *Puerũ moribundum reddit incolumem.*

Eo tempore suscepit hospitio diuinum & sanctum virum eremitam Antiochum, qui Constãtinopoli in Orientem reuertebatur. Venerat autem legatus ad Mauritium Imperatorem, vt illi Synophrim oppidum à Barbaris direptum commendaret: Erant huic supercilia densa atq; coniuncta, cana barba, & capitis coma lanæ instàr candida, & ad ilia vsq; protensa, similiter & barba, vngues prælongi: ad centesimum annum peruenerat: sexaginta annorum spatio, nec vinum, nec oleum, nec aliud eiusmodi gustârat: triginta iam annis panem nõ comederat: oleribus crudis cum sale & aceto vescebatur, & aquã bibebat. Huius fama ad Theodorũ, & Theodori pariter fama ad ipsum, Deo patefaciente, peruenerat. Et iustus ille quidẽ dicebat discipulis suis de sancto episcopo Theodoro, se talem virum sanctum ad eum vsq; diem non inuenisse: sibi enim vitæ ipsius instituta esse à Deo patefacta. Beatus Theodorus vicissìm ità de ipso cũ fratribus loquebatur, vt in tota Orientis eremo tam dignum Dei seruum vidisse aut audiuisse se diceret neminem. Qui autem hæc audiebant, & fimbria vestimentorum eius aliquid religionis gratia capiebant. Cumq; mansionis fratres ad eum venerandum accederent, eos repræhendebat, & per interpretem recusabat: Cur, inquiens, cùm talem stellam, & sanctum Christi Apostolum habeatis, ad me agrestem & vilem, atq; nullius precij hominem venerandum acceditis? Ad ipsum verè laudabilem & admirandum sanctumq; virum colendum vos conuertite, qui diuinam in mundo vitam agit, & cupiditates in se proterit, & doctrina sua multos ad Deum conuertit. Cum autem vespera aduenisset, facto diuino sacrificio, accubuerunt, vt paruo & solito cibo vescerentur. Posteà voluit S. Theodorus, vt erat solitus, hospiti pedes lauare. Sed ille non permisit. Mutuò igitur manus lauarunt. Postridiè verò manè festinabat Dei seruus exire, & iter suum perficere. Quod cùm beatus Theodorus animaduerteret, & obitum eius propinquum esse diuinitùs sciret, idque apud se fieri cuperet, rogabat eum, vt itineris labore fessus conquiesceret. Ille contrà obsecrabat, vt se dimitteret: Instat, inquiens, mihi è corpore migratio, & idcirco festino, vt in cellula mea naturæ concedam. Egressus igitur beatus Theodorus, comitatus est eum Anastasiopolim vsque: & afflictiones ac solicitudines, quas in episcopatu sustineret, patefecit, quibus instituta vitæ ratio, & monasteriorum suorum cura interrumperetur, rogans eum, vt quid sibi agendum esset, consuleret, & vtrùm relicta episcopatus dignitate, monastico tantùm ordini deberet incumbere. Ille verò id quàm celerrimè faciendum censuit, nè apud Deum damnandus esse videretur. Sanctus autem Theodorus suum illi iumentum, fratremque dedit, qui illum, quousquè vellet, comitaretur. Mutuò se igitur salutantes & complectentes, discesserũt. Et sanctus Theodorus in episcopium reuersus, dixit eum celerius è vita migraturum, quàm vt ad locum suum posset peruenire. Quod & factum est. Paucis enim pòst diebus nunciatum est, eum in via mortuum esse.

Antiochus insignis eremita. — *Mira eius abstinẽtia.* — *Eius de Theodoro testimonium.* — *Eius obitũ prædicit S. Theodorus.*

Quoniam

Quoniam igitur plurima beati Theodori miracula, posteaquàm episcopatum recusauit, visa fuerunt, hæc ego commemorans, omittam ea quæ in ipsa ciuitate gessit episcopali, quia sunt omnibus nota, illa duntaxàt attingens, quæ aliqua ex parte causas & afflictiones indicant, quamobrèm recusauit episcopatum. Cùm enim necessariò cogeretur inuolui varijs Episcopatús negocijs & solicitudinibus, magnis molestijs & angustijs afficiebatur. Nolebat enim terrenis curis à rerum cælestium distrahi contemplatione. Nam, vt inquit Dominus, nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Cùm igitur necesse esset, prædia ad ecclesiam pertinentia, per procuratores administrare, & ipsi procuratores iniurijs agricolas afficerent, non poterat vir pius non vehementer angi & cruciari. Nam cùm id munus ciui cuidam, nomine Theodosio, dedisset, & ab eo agricolæ iniuria essent affecti, ad Christi seruum lugentes confugerunt. Qui eos commiseratus, (neque enim sanctus & pius ipsius animus poterat sine dolore quenquam afflictum & calamitosum adspicere) Theodosium accersendum curauit; monuitque, vt ab agricolarum iniuria desisteret. Ille verò, inuenta occasione, ab iniuria non destitit. Quarè cùm eos quodam in loco, qui Euchraës dicitur, pergeret lædere, vno omnes animo congregati, & gladijs ac fundis instructi, contra ipsum constiterunt, cædem illi comminantes, nisi recederet. Qui eos ad pugnam paratos intuitus, & veritus, ne ab ipsis superaretur, discessit, & Anastasiopolim se contulit, vt maiore munitus auxilio aduersùs illos rediret. Id cùm audisset vir sanctus, totum illum diem cum lachrymis gemitibusque traduxit, considerans, si impetus ille ad exitum perueniret, & cædes aliqua fieret, id sibi tanquam authori, crimini datum iri, seque animarum periclitantium reum fore. Humì igitur prostratus, & Deum adorans, enixè rogabat, vt illius furoris motum compesceret, antequàm ad finem perduceretur. Et accersito Theodosio præcepit, ne ad ea loca se ampliùs conferret, nè mali quippiam accideret. Tunc ille, sancti viri hortatu dicens impetum illum agricolarum aduersùm se fuisse factum, multa in eum conuicia coniecit, & nefariæ contumeliæ vim addens, sedem, in qua sedebat, pede commouit: ex quo beatus vir coram omnibus supinus concidit. Cùm autem surrexisset, mitiori voce iurauit, se apud eos Episcopum non moriturum, sed ad monasterium suum rediturum. Quibus verbis Theodosius minimè placatus, binas se illi auri libras expensas laturum dixit, propterea quòd à prædiorum procuratione ante diem constitutam repelleretur. Vxor autem marito aduersabatur: Nihil, inquiens, sit tibi controuersiæ cum sancto Episcopo, nè pro benedictione, quam ab illo accepimus, in maledictionem incidamus. Sed ille vxorem non audiens, rursùm in episcopium accessit, vt cum sancto viro altercaretur, in iudicioque contenderet. Verùm dum ostiarius aduentum eius sancto Episcopo nunciaret, repentè magnus eum timor inuasit, & apparuit ei iuuenis adspectu terribilis, & splendidè indutus, qui cum indignatione minatus est illi: Vir, inquiens, pessime, sic magno episcopo aduersaris, nec desinis ei molestiam & dolorem afferre? Eccè, prædico tibi, nisi desistis, magna super te ira deueniet, & miserè vitam finies. Et hæc locutus, discessit. Theodosius vero, cùm diù fuisset exanimis, se tandèm colligens, & à viro sancto vocatus introiuit, ac prócidit ad pedes eius, cum lachrymis supplicans, vt iniurias, quibus à se esset affectus, sibi condonaret, non ampliùs auri libras pœnæ nomine repetituro.

Causæ cur se episcopatu abdicarit S. Theodorus. — *Matt. 6.* — *Theodosius procurator ei infestus est.* — *Visione improbus deterretur.*

Veneno iterùm nescio quomodò tentatus est, & in cella illa sua in episcopio mutus atque immobilis iacuit tribus diebus, adeò vt rumor de morte eius iam increbresceret. Post tertium autem diem apparuit ei Domina, sanctissima Dei genitrix Maria: quæ sceleratis hominibus exitium comminata, & morbi causam aperiens, & insidiatores patefaciens, è manu sua tria illi colococca dedit: Hæc, inquiens, comede, & nihil tibi erit mali. Somno solutus vir sanctus, Saluatori Christo gratias egit, & immaculatæ matri eius virgini Mariæ. Et causam quidem morbi significauit, authores autem reticuit, & pro illis Deum precatus est. Prætereà in distribuendis eleemosynis, & in monasteriorum frequentatione & cura, quam de fratribus quos lucratus fuerat, habebat, incusabatur, quasi ecclesiam negligeret, cùm tamen ex trecentis sexagintaquinque aureis nummis, mensæ suæ adscriptis, quadraginta tantùm singulis annis consumeret, reliquos omnes ecclesiæ largiretur. Ad hæc a psalmorum cantu & precatione negotijs distrahebatur. Quibus rebus afflictus, & videns ciues quidem nihil indè proficere, sed in vitæ flagitiosæ miseria permanere, eos autem, qui in monaste-

Veneno sanctus vir appetitur. — *S. Maria eũ sanat.* — *Prouentus ecclesiæ suæ.*

rijs degebant, absentia sua negligentiæ desidiæque vacare, & de migratione è monasterijs cogitare, de quibus sibi in die Iudicij ratio reddenda esset: gloriosi Christi martyris Georgij opem implorauit, vt se proprium in locum restitueret: & multis precibus Deum orauit, nè sibi crimini verteret, quòd episcopatũ recusaret. Cùm igitur eã veniã se à Deo imperrâsse certò sciret, clero & ciuibus conuocatis, hanc habuit orationem: Vos me, Fratres, inuitum, vt scitis, & abstractum, hoc iugum subire coëgistis. Et quanuis me, vt ad illud ferendum minimè aptum, excusarem, vos tamen audire me noluistis, sed vestræ cupiditati maluistis indulgere. Vndecimus igitur iam annus est, ex quo ego vos affligo, & affligor à vobis. Quamobrèm obsecro vos, vt pastorem vobis paretis, qui & vobis placere, & res vestras curare possit. Ego enim posthàc Episcopus vester non ero: sed vt abiectus monachus, ad mansionem reuertar meam, vbi in omni mea vita Deo seruire constitui. Hæc locutus, & assumpto monasterij sui Archidiacono Iohanne, ad Ancyranorum metropolim se contulit. Nocte verò illa ciuis quidam in quiete vidit splendidam stellam è summa Ecclesia radijs suis totam ciuitatẽ illustrantem, tam longè illinc discessisse, vt vix perspici posset. Quo quidẽ viso beati viri discessum significatum esse, non est dubium.

Renunciat episcopatui.

Visio ciuis cuiusdam.

Cùm igitur ad metropolitanum Ancyranorum Archiepiscopum Paulum peruenisset, rogabat, vt sibi successor daretur. At ille tam bono viro dari non posse respondebat. Cumque magna inter eos contentio esset exorta, conuenit inter illos, vt ea res ad beatissimum Constantinopolis Patriarcham Cyriacum reijceretur, & quod ille constituisset, ratum foret. Beatus igitur Theodorus piæ memoriæ Imperatori Mauritio, & beatissimo Patriarchæ Cyriaco supplicauit, vt decernerent, sibi dandum esse successorem. Metropolita verò recusationi eius rationes suas opponebat. Sed beatissimus Cyriacus Patriarcha, ità etiam iubente Imperatore, Metropolitano respondit, vt beati Theodori preces admitteret, & insignia ei propter vitæ sanctitatem & innocentiam relinqueret Episcopatûs. Mandato igitur parens Metropolitanus, ab Episcopatûs onere beatum Theodorum liberauit, & Episcopatûs reliquit insignia. Consuluit autem illi, nè longiùs discederet, priusquàm in eius locum alterum constituisset. Egressus igitur ex Ancyranorum metropoli, in Heliopolis regionem se contulit, propè oppidum Pidri in oratorium Archangeli, quod est in Ambrena, & seipsum abscondebat. Quodam die, cùm in hoc Archangeli oratorio sacra mysteria celebraret, facta est facies eius hilaris & læta, & magna gloria gratiaque splendens. Et vnus è fratribus, nomine Iulianus, presbyter, vir admodùm pius, cum faciem eius tam hilarem & lætam adspexisset, prostratus ante eum: Vnum, inquit, oro, pater, vt respondeas mihi. Cumque sanctus Theodorus ei benedixisset, & præcepisset vt surgeret, & exponeret id quod vellet: tunc ille: Dum sacrificas, inquit, pater, aliquandò nulla fit in vultu tuo commutatio: sæpius autem vultum videmus tuum magno splendore gratiaque fulgentem. Quambrèm nos item hilaritate perfundimur & gaudemus: quemadmodũ & hodiè contigit. Obsecro te per Dominũ, vt mihi huius rei causam exponas. Tum Christi seruus se excusare, & narrationẽ subterfugere. Ille contrà supplex & obtestans instare. Tandèm beatus vir: Promitte, inquit, mihi, te nemini, quod dicam, patefacturum, & causam explicabo. Cùm igitur iureiurando se obstrinxisset, quòd dũ ipse viueret, nemini rẽ patefaceret: Quãdò inquit beatus vir, me sacrificantem lætiorem cernis, scito me visionem videre. Video enim tanquàm verum & spendidissimum velum super sancta munera descendens inter sacrificandum. Et quotiès hoc cerno, lætor & exulto. Neque enim semper id video: & idcircò haud semper vultus est hilaris. Cùm autem ad horam non adspicio, rem protraho, expectans dum videam id, quod & hodiè mihi demonstratum est. Hæc cùm audisset presbyter Iulianus, non prius patefecit, quàm vir sanctus è vita decessit.

Absoluitur Episcopatu, sed eius insignia relinquuntur ei.

In Missa sæpè visum videt.

Redit ad monasterium, & multis claret miraculis.

Porrò cùm beatus vir accepisset, Episcopum esse Anastasiopoli, gaudens & laudans Deum, ad monasterium redijt, & Dei gratia multa fecit miracula in ægrotos, qui accedebant. Presbyter quidam, nomine Paulus, iumento ad eum vectus est è Lycaoniæ monasterio. Erat enim sinistrum eius latus in dexteram viscerum partem contractum: dextra autem ipsius coxa iandiù luxata: & caput eius in partem læuam ad pedem appropinquabat. Quamobrèm nec stare, nec in lectulo extendi poterat. Sic enim erat distortus, vt miserabile spectaculum exhiberet. Hic multis lauacris & medicinis adhibitis, nihil profecerat. Cùm igitur beati Theodori mandato tribus diebus in monasterio mansisset, & miseriam suam exposuisset, hæc ab eo audiuit: Si vis conualescere, in patriam redi, & aduersario tuo reconciliare, & ante hyemem ad me reuertere, & dabit tibi

bit tibi Deus sanitatem. Neganti autem sibi cum vllo esse inimicitias: Vide, inquit vir sanctus, nè mentiaris. Inimicitias enim exerces cum Præfecto tuo. Quo ille audito, cœpit beatum Theodorum lachrymans obsecrare, vt pro se Deum precaretur, vt dolore mitigato, posset expeditiùs incedere. Iussit igitur illum exui: & corpori eius manus imponens, infirma ipsius membra palpauit: & pro illo precibus fusis, totum eius corpus medicamento perunxit. Statimque dolore liberatus est: sed adhuc distortus mansit. Iumento igitur impositum, in patriam reduxerunt, & cum Præfecto suo in gratiam rediijt. Pòst autem ad monasterium reuersus est. Quo quidem tempore beatus Theodorus in angustissima templi sanctæ Dei genitricis cellula, quieti silentioque vacabat. Et fusis pro eo precibus, à morbi vinculo dissoluit, atque præcepit, vt prope se deambularet, & precationem quotidiè perciperet. Dedit etiam baculum, quo se sustentaret. Et illo accepto, meliùs se habebat. Ad correctionem autem ipsius, longius baculum tradidit. Et post Paschæ celebritatem aliud illi baculum dedit: Hoc, inquiens, manu tua appræhende, & eò, vndè venisti, reuertere: breuì enim perfectam sanitatem assequeris. Cùm autem baculum istud ceciderit è manu tua, nè sustuleris illud ampliùs. Accepta igitur viri sancti benedictione, presbyter Paulus domum reuersus est. Et cùm die quodā iter faceret, baculum è manu eius elapsum est. Qui sancti Theodori sermonem recordatus, illud non sustulit: & planè conualuit, atque miraculum omnibus patefecit. Hic autem Paulus, sancti viri studio, Constantinopoli presbyter est constitutus: & deindè vnius ciuitatis Isauriæ factus Episcopus. Presbyterū malè affectum sanat.

Eo tempore pius Imperator Mauritius, & beatus Patriarcha Cyriacus, & principes literis suis sanctum Christi seruum Constantinopolim accersierunt, vt eis benediceret. Quamobrèm cùm eò se contulisset, & beatissimum Patriarcham Cyriacum, & Imperatorem atque Senatum consultâsset, eisq; benedixisset, apud eos commoratus est. Magno autem eum studio & honore Imperator & Augusta & omnes familiares complexi sunt: & monasterijs eius immunitates tributæ, illudq; concessum, vt nulli alij Episcopatui subiecta essent: sed sanctissimę tantùm & magnæ Ecclesię Apostolicæ regię ipsius ciuitatis, ità prouidente Deo, & sancto martyre Georgio opitulante, propter beneuolentiam in eos, qui in illis degebant & sacrificabant. Paruo autem illo tempore, quo mansit in ciuitate, magna per illum Deus fecit miracula. It Constantinopolim, & magno in precio habetur.

Mulier enim, quæ apud illum habitabat, cùm filium quadriennem cæcum haberet, in vlnis cum suis ad virum sanctum gestauit, & multis lachrymis ante illum prostrata, puerum ad pedes eius deposuit, supplicans, vt lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus, cùm pueri oculos obsignâsset, eique benedixisset, aquam benedictam matri dedit, præcipiens, vt aqua illa quotidiè manè filij oculos lauaret. Quod cùm ter egisset mater, quarto die filium sanum ad sanctum virum adduxit, laudans Deum. Eadem fœmina cùm septem menses paralytica iacuisset, qua hora viri sancti benedictionem accepit, statìm conualuit. Cæcus videt. Paralytica reualescit.

Puella quędam, principis cuiusdam ancilla, annis iam octo & viginti dæmonium occultum habebat: quamobrèm assiduè iacebat ægrota, & morbi causam ignorabat. Audita igitur beati viri fama, dominus eius duxit ad eum puellam, rogans, vt pro ipsa Deum obsecraret, vt ei vel mortem, vel sanitatem elargiretur. Tum Christi seruus extensa manu caput eius appræhendit, & precatus est Deum, vt sibi morbum eius patefaceret, & eam liberaret. Statimque dæmonium eam perturbare cœpit & vexare. Atque ità clamabat: Etiam in me, ô ferriuore, vim tibi à Deo datam exerces? Abstine à me, quæso, dæmonum insectator. Beatus autem Theodorus præcepit ei, vt taceret. Et cùm esset dies hebdomadis quarta, dimisit eam: & mandauit eius domino, vt quarta item proximè sequentis hebdomadis die eam ad se reduceret. Quæ cùm ad diem constitutā reuertisset, & virum sanctū adspiceret, rursùs dæmonium in ea turbatū clamare cœpit, & virum sanctum detestari: O vis, inquiens, quæ nunc aduersùm nos à spurio & è scorto genito proficiscitur. Vigesimusoctauus iam annus est, ex quo mulierem istam obsideo, & sanctorum nemo patefecit me. Hic autem meretricis filius aduenit, vt me patefaceret, ac cruciatui supplicioque traderet. Execrabilis dies, in qua genitus es, & in qua te huc contulisti. At Dei seruus Theodorus ipsum signo Crucis increpuit, & dixit: Quanuìs meretricis filius sim, vt ais, tamen ad gloriam Domini nostri Iesu Christi filij Dei, præcipio tibi in nomine eius, vt recedas ab hac muliere, nec ampliùs in illam ingrediaris. Dæmon autem magna voce dixit: Iussa tua equidem faciam, & egrediar: attamen hæc tertio ab hinc die morietur. Tu, inquit beatus vir, exi, & Domini Signo Crucis dæmonē expellit.

domum suam venire, eique benedicere, atque omnibus habitantibus in ea. Se id facturum promisit vir sanctus: & biduo pòst domum eius se contulit, & à viro pio benignè susceptus est. Nocte autem illa idem ei contigerat, quod solebat, & afflictus vehementer fuerat. Tum vir beatus precibus incubuit, & Deum obsecrauit, vt hominem ab illa miseria liberaret. Eadem igitur nocte, absolutis psalmorum precibus, vnus ex discipulis eius, nomine Iulianus, in somnis vidit virum beatum stantem ad maris litus, Mennamque ad ipsum accedentem, & in vlnis gestantem suis monstrum quoddam triceps, immanè vociferans: quod cùm vir sanctus appræhēdisset, proiecit illud in mare. Postridiè igitur, cùm post sacrificium accubuissent, vt pranderent, Christi seruus Theodorus ad Mennam dixit: Confide, fili, & Deum lauda. Dei enim bonitate confisus, spero calamitatem tuam abs te discessisse, nec ea te ampliùs afflictum iri. Et cùm hæc dixisset, somnij sui discipulus recordatus, illud explicauit. Cùm igitur vir sanctus Mennæ & fidelissimæ eius vxori, & omnibus ipsius domesticis benedixisset, discessit. Mennas autē nunquàm ampliùs ab eo morbo vexatus est. Iam vxor eius fœmina grauissima Christique amantissima Theodora, orauit sanctum virum, vt sciret, vtrùm ipsa, an maritus eius ex hac vita prior esset discessurus. Vix igitur tandem exoratus, Deum precatus est, vt id sibi patefaceret: responditque, maritum eius priùs è vita discessurum. At illa multis cum lachrymis eum quotidiè rogabat, vt Deum precaretur, quò se ex hac vita celeriùs euocaret. Eius flagitationibus victus beatus vir, Deum obsecrauit, vt id ei, quod optabat, concederet. Et diuinitùs monitus, dixit illi: Dedit tibi Deus, quod flagitâsti. Res igitur tuas constitue. nam paucis pòst diebus morieris. Hoc responso mulier læta discessit, & rebus suis constitutis, quadragesimo pòst die mortua est.

Alium quendam morbidum curat.

Prædicit fœminæ obitū eius.

Eutychius, beati Theodori ostiarius, cùm in via dormiret, sic à dæmone vulneratus est, vt manus ipsius cum toto brachio obstupuerit. Quamobrèm eam tumidam & obligatam, atq; è collo suspensam gestabat. Hic de more venit ad sanctum Theodorum, vt benedictionem acciperet. Et interrogatus ab eo, cur ei doleret manus: Dormiebā, inquit, domine, quodam in loco, & cùm somno solutus essem, mihi manus obstupuit, tumoremque contraxit. Cùm igitur beatus vir manum eius nudatam, precibus adhibitis, contrectaret, dæmonium cœpit per ipsius manum decurrere. Tunc vir sanctus humerum signauit, nè sursùm curreret, & interimeret eum. Cœpit igitur manus eius à dæmone huc illuc volui ac distorqueri, adeò vt eam non posset ostiarius regere & sustinere. Verùm sancto viro tangente, & spiritum immundum increpante, statim cessauit. Et accepto ostiarius oleo, cui vir sanctus benedixerat, manum vnxit, triduoque conualuit.

Sanat hominem, à dæmone læsum.

Seruus quidam malè à dæmonio vexabatur. Hunc eius domina ad virum beatum duxit. Et statim spiritus commotus eum lacerabat, nec volebat exire. Quem cum vir sanctus increpuisset, vetuit ei, nè è graduum termino discederet, vt eo modo torqueretur: Benedictus, inquiens, Deus, non discedet hic homo, ab ipso procreatus, è domo hac priùs, quàm tu ab illo exieris. Hæc cùm dixisset vir sanctus, in cellulam ingressus est suam, & præfinitum à regula psalmorum numerum pronunciauit. Verùm cùm multis iam horis seruus ille vexatus maneret illic, & spiritus ibi religatus cruciaretur, miserabili voce clamare cœpit ad hunc modum: Exeo, serue Dei: neque enim suppliciū hoc ferre possum. Veni, solue me: & egrediar. Noli me diutius torquere. Egressus aūt vir sanctus è cellula sua, dixit ei: Nolo, immūde, vt nūc exeas. Dæmon verò clamabat: Heu me miserum, oro te, vt me soluas: satis supplicij pertuli. Quandò permittis, vt egrediar? Volo, inquit vir sanctus, vt media noctis hora discedas. Nunc verò solutus es à præscripto termino. Quamobrèm huic homini per te iam liceat mentis esse compoti. Proiecit igitur eū ad pedes eius. Media verò nocte, cùm vir sanctus ad preces nocturnas exoluendas surrexisset, resiliens homo, qui vexabatur, cœpit pati: & dæmoniū, quod in illo erat, clamabat: Venit hora. Exi, ferriuore, permitte mihi, vt recedam. Egressus igitur vna pòst hora Dei seruus, increpuit ipsum in nomine Domini Iesu Christi, atque imperauit, vt discederet. Et statim, proiecto ad pedes eius homine, quem vexârat, exiuit, & seruus ille relictus est sanus. Quem domina eius cùm suscepisset, magno cum gaudio domum suam se contulit, laudans Deum.

Vide quę sit sanctorū hominum potestas.

Mulier quædam serua, quæ dæmonium occultum habebat, beatum adijt Theodorum, vt ab eo benedictionem acciperet. Qui cùm acerbè aduersùs eam, vt aduersùs dæmone vexatam, adspiciēs, Deum pro illa rogâsset, dæmon commotus statìm exijt, & mulier effecta est sana.

Dęmoniaca liberatur.

Quodam die tres ad eum accesserunt. Qui in eius cellula grauissimè vexabantur, cùm à Patriarcha Cyriaco eadem hora accersitus est. Quamobrèm beatus vir ire festinans, duobus præcepit, vt liberi essent, & statìm humì ad eius pedes, vt mortui, prostrati sunt. Tertium permisit pati. Dæmon enim in illo existens, durus erat, & facilè expelli non poterat. Quarè vir sanctus fremens: Quoniam, inquit, sanctissimus Patriarcha noster accersiuit me, & in præsentia non possum id agere, quod ad te pertinet, sta hoc in loco, & torquere: neque hinc discede, donèc rediero. Et hoc dicto, ad sanctissimum Patriarcham se contulit.

Item duo alij.

Sergius autem, pius sanctissimæ Ecclesiæ magnæ Diaconus & sanctissimi Patriarchæ familiaris, sororem habebat, quæ cùm triennium cum marito vixisset, nunquàm concipere poterat. Vtrunque coniugem Sergius in vestibulo collocauit: &, cùm sanctus Christi seruus Theodorus à Patriarcha discederet, Iohannem Hypodiaconum eius comitem rogauit, vt illàc sanctum virum perduceret. Quod cùm esset factum, Sergius diàconus eos ad virum sanctum adduxit, & simul cum illis ad viri pedes procidit, supplicans, vt eis liberos concederet. Quibus Sanctus: Non ad me, inquit, filij, sed ad Deum accedite. Verùm, cùm illi non desisterent obsecrare, vtriusque zonas accepit, atque inter illas vtrinquè collocatas, genibus flexis, Deum precatus est. Pòst autem zonas illis restituit, vt se cingerent. Et Dei gratia factum est, vt post nouem menses mulier filium pepererit. Cùm autem discessisset, Iohannem præmisit, vt videret, an vexatus ille extra præscriptos terminos esset egressus. Inuenit igitur eum in loco præfinito, & à terra suspensum. Sic autem clamabat dæmon: Opportunè aduersùm me, serue Dei, venisti, maiorem contra me gratiam assecutus. Ferre te ampliùs non possum, quoniam exuris me. Exeo per altissimum. Tantùm parce mihi. At Dei seruus pectus eius percutiens: Sæpè, inquit, mihi promisisti, & mentitus es: non parcam tibi. Tunc demùm iureiurando promisit, se nocte illa, cùm in sanctissima magna Ecclesia precandi signum daretur, discessurum. Cùm igitur illi supplicium esset remissum, ad horam noctis præfinitam discessit.

Impetrat partum fœminæ.

Superbissimus dæmon dirè cruciatus, exit ab homine.

Et post aliquot dies, Theodori, diaconi sanctissimæ Dei genitricis, serua quædā, nomine Theodora, repentè à spiritu muto capta est. Cùm autem dominus eius per Iohannem Dei seruo rem indicâsset, iussit, vt eam ad se adducerent. Quæ cùm vexaretur atque concideret, sublatam conserui eius ad viri sancti pedes gestârunt. Et sex dierum spatio liberata est, atque discessit incolumis.

Dęmoniaca sanatur.

Alia puella annorum octo, Deo dicata in magnæ Ecclesiæ monasterio, triennio muta permansit. Magistra igitur ipsius duxit illam ad seruū Dei, acerbè clamans, & cum lachrymis supplicans, vt ei sanitatem impetraret. Cùm igitur pro illa Deum obsecrâsset, præcepit, vt quotidiè manè & vesperè ad se veniret. Quod illa cùm faceret, & ipse pro ea precaretur, quo die curanda erat, iussit, vt os aperiret: & appræhensa lingua eius, signo Crucis obsignauit, & ter insufflauit, præcipiens ei, vt deglutiret. Deique gratia statìm locuta est, magna inquiens voce: Deglutiui, domine. Quarè turba, quæ adstabat, & rem videbat, diù clamauit: Domine miserere. Atque ità puella cum eius magistra dimissa est incolumis.

Muta loquitur.

Alia porrò mulier, quæ decem annos sanguinis fluxu laborauerat, magno cum desiderio accessit, vt ab ipso benedictionem acciperet: allatoque vnguenti alabastro, cùm multam turbam vidisset circa ipsum, clàm accessit, vt vnguento pedes eius inungeret. Quo animaduerso, Dei seruus pedes ad se contraxit, & clamans, dixit ad eam: Desine mulier: quid facere conaris? Molesta mihi res est, quā moliris. Territa mulier, vnguentum illi tradidit, rogans, vt pro se Deum precaretur. Tunc vir sanctus ità precatus est: Dominus Iesus Christus, qui rerum occultarum cognitor est, precibus sancti Georgij martyris exoratus, secundùm fidem tuam id tibi, quod petis, elargiatur. Statimque gratia Dei, sanguinis eius fluxus stetit. Quo mulier miraculo animaduerso, Deum laudans, cœpit rem omnibus indicare.

Contigit, vt vnus ex filijs Mauritij Imperatoris lepræ morbo laboraret: cui cùm medici nullam possent opem afferre, Imperator virum sanctum accersendum curauit. Qui in palatium, vbi puer iacebat, ingressus, & pro illo preces ad Deum fundens, aquā benedixit: cumque illum adspersisset, reliquum aquę dedit, vt rursùm conspergeretur: & sancti viri precibus puer sanus effectus est. Imperatoris autem & Augustæ precibus adductus, inter ipsos consistens, Deum pro illis obsecrauit; & cùm benedixisset eis, discessit in patriam, ad monasteriumque peruenit.

Oratione & aqua benedicta filium Imperatoris mundat à lepra.

Qui-

Quidam paterfamiliâs ex oppido Alectoria, ferum bouem habuit, qui iugum detrectabat. Duxit igitur illum ad monasterium, & rogauit beatum virũ, vt signo Crucis bouem obsignaret, quô feritatem deponeret. Et cùm vir sanctus ad eum venisset, bos huc illuc caput mouens anhelabat: cuius ille cornua compræhendens, precatus est Deum, vt bos, feritate deposita, mansuesceret. Et signans eum, dixit: Præcipio tibi in Christi nomine, vt ab ira desistas tua, & subeas iugum in mãsuetudine, quam tibi Deus tribuit, & domino tuo pareas. Cùm hæc dixisset vir sanctus, bos statìm iram feritatemque deposuit: & cùm indè esset abductus, collum iugo facilè subiecit.

Mulier item quædam mulam habebat, quæ nec frenum, nec sellam admittebat, sed se pedibus sublatis erigens, mansuefieri nullo modo poterat. Hanc mulier duxit ad monasterium: cui vir sanctus, signo Crucis adhibito, dixit: Benedictus Deus, nè posthàc ampliùs fera peruersaque sis: sed, freno suscepto, heram tuam insidentem admitte cum omni mansuetudine. Ad hoc enim te Deus ministerium creauit. Et statìm illi mulier insedit. Neque enim parere ampliùs recusauit. Idem & in equis, & in alijs animalibus effectum est. Signo Crucis, & imperio bestias feras mãsuefacit.

Cupiebat vir beatus aliquid ex gloriosi martyris Georgij reliquijs habere, & rogabat eum, vt se voti compotem faceret. Pius autem Aemilianus, Germiorum Episcopus, sancti capitis eius particulam, manusque digitum, & dentem vnum, aliamque particulam eius corporis habebat. Huic martyr apparuit, iussitque, vt eas seruo suo Theodoro reliquias in templum, quod sibi exædificârat, transferendas traderet. Misit igitur Episcopus nuncium ad beatum virum, qui eum nomine suo hortaretur, vt se ad precandum in templum sancti Archangeli conferret: cupere enim se illum salutare, optatasque illi sancti martyris reliquias dare. Hac lætus pollicitatione, ex monasterio exijt, & in Germiorum ciuitatem ingressus, in Archangeli templo precabatur. Amanter suscepit eum sanctus episcopus Aemilianus, & in monasterium sanctæ Dei genitricis, quod vocatur Aligetes, perduxit. Eo tempore magna erat in Pesinuntium metropoli siccitas, & fruges ac fructus omnes exaruerant. Quamobrèm cùm incolæ intellexissent, Christi seruũ Theodorum apud Aemilianum Episcopum diuertisse, celeriter ad eum omnes cum clericis in sanctę Dei genitricis templum conuenerunt: permittenteq; Episcopo Aemiliano, in ciuitatem suam eum adduxerunt, vt, facta supplicatione, per eius preces è cælo pluuiam impetrarent. Procùl ab hac ciuitate sex passuũ millibus erat hortus, quem magna locustarum occupârat multitudo, & totum propè deuastârat. Huius horti dominus cùm beatum Theodorum adesse intellexisset, processit illi obuiàm, & ad pedes eius prostratus, calamitatem in hortum suum à locustis illatam indicauit. Cui vir sanctus: Abi, inquit, fili, & affer aquam in vase. Cucurrit ille, & è propinquo flumine aquã attulit. Quam Dei seruus, cùm benedixisset, dedit ei, dicens: Hac aqua quatuor horti tui angulos consperge, & dabit tibi Dominus id quod exoptas. Ad hortum reuersus homo, studiosè fecit, quæ vir sanctus præceperat. Cumque ad locum, quem primùm adsperserat, reuertisset, ne vnam quidem locustam reperit. Paulò pòst item inuisens, omnes planè locustas deletas inuenit. Quamobrèm cùm manus suas oleribus implêsset, currens ad beatum Theodorum miraculi effectorem contendit. Tunc autem obuiàm illi trium millium passuum à ciuitate processerat supplicatio. Cum illa igitur ingredientem sanctum virum olitor assecutus, procidit ad pedes eius, eique olera, quæ in manibus ferebat, obtulit, nuncians miraculum, quod factum fuerat. Beatissimus verò Georgius Metropolita, cum lætitia sanctum Theodorum suscepit, qui in diem sequentem supplicationem indicendam mandauit. Postridiè igitur manè, cùm vniuersa ciuitas in catholica Ecclesia sanctæ Sophiæ esset congregata, beatus Theodorus & Metropolita Georgius cum vniuerso populo supplicantes, ad venerabile sanctorum Angelorum templum extra muros conuenerunt: atq; indè ad sanctam Sophiam reuersi sunt. Vbì cùm sanctus Christi seruus Metropolitæ rogatu sacrificâsset, omnesque sacra mysteria percepissent, nubibus contractum est cęlum, & tanta pluuiæ copia in totam illam regionem descendit, vt aquarum fontes & flumina in tertium vsque diem exundârint. Omnes igitur lætitia pleni, Deum collaudabant, qui serui sui precibus motus, misericordiam suam ostendisset. Metropolita autem & populo comitante, sanctus Theodorus illinc discessit: & cùm ad Episcopum Aemilianum venisset, ab eoque optatissimas sancti martyris Georgij reliquias accepisset, ad sanctum monasterium suum cum gaudio reuersus est.

Vide mirã aquæ benedictæ virtutem.

Impetrat à Deo pluuiã.

Illis dieb us Cadosię Episcopus ad eum in lectica vectus est, qui manûs dolore, & arti-

culorum omnium solutione laborabat: nec manibus suis ori poterat cibũ admouere. Hic in Archangeli templo ad beati Theodori pedes prostratus, magna voce, Miserere, inquit, meî, serue Dei altissimi: & me quoquè tuorum fac miraculorũ participem. Scio enim Deum tibi, quæcunque poposceris, largiturum. Cùm autem Christi seruus illum esse Episcopum intellexisset, ægrè tulit eam adorationem, & eum fecit excitari: precationique incumbens, orabat Deum, vt morbum eius expelleret. Absoluta autem precatione, iussit, vt in dextera parte templi sancti Georgij martyris collocaretur, ad sancti martyris Platonis oratorium, vbi & cellula eius sita est. Sic autem Episcopum est allocutus: Bono sis animo, magne domine. Dei enim benignitate confisus, te breuì à morbo liberatum iri spero. Et cùm oleo benedixisset, dedit ei, vt eo se vngeret. Duarum igitur hebdomadum spatio conualuit Episcopus, è monasterioque discessit, ambulans, & saliens, & laudans Deum.

Episcopi morbum articularem sanat.

Clericus quidam, nomine Salomon, ab immundo spiritu vexatus, ad sanctissimum virum accessit cum vxore sua, quæ ipsa quoque pariter vexabatur. Hi quotidiè benedictionem eius accipientes, à spiritibus immundis breui temporis spatio liberati sunt: vt ex depicta tabella, quam in vestibulo templi Archangeli, vbi dormiebant, testem miraculi reliquerunt, intelligi potest.

Nota de picta tabella.

Quidam è Salmania vico grauiter ab immundo spiritu vexatus, ad monasterium se contulit: quem vir sanctus, propter dæmonis importunitatem, in angustam cellulam conijci mandauit: & illuc se quotidiè ad precandum conferebat. Quamobrèm duarum hebdomadum spatio liberatus, discessit. Accidit, vt eodem tempore regio illa vniuersa fame laboraret. Monachi igitur & pauperes ægroti, consumptis omnibus cibarijs, magnis in angustijs versabantur. Erat autem Quadragesimæ tempus: quo quidem tempore beatus vir in Dei genitricis monasterio quietem & silentium obseruabat. Biduo igitur ante Ramos palmarum Dionysius horrei custos ad eum venit, eique se ne pro monasterijs quidem, nedùm pro multitudine alenda, cibos habere nũciauit. Palmarum enim die è cellula sua solitus erat exire, & biduo illo ingens multitudo conueniebat. Abi, inquit beatus Theodorus, in horreum, & farinæ reliquias ex arcis in vasculum collige, & affer ad me. Quod cùm ab illo factum esset, vir sanctus Deum precatus est, vt victui necessaria monasterijs suis suppeditaret. Absolutaque precatione: Accipe, inquit, frater farinæ vasculum, & illud super altare sanctissimæ Dei genitricis impone: & Deus nobis cibaria subministrabit. Fecit ille, quod vir sanctus præceperat. Postridiè verò quidam viri pij ex longinquis regionibus triginta naues Cyprias farina onustas aduexerunt. His & alijs innumerabilibus rebus admirandis, quibus, tanquàm floribus & margaritis, quotidiè sanctus coronabatur, magnæ ab omnibus gratiæ agebantur Deo, multique, relicto mundo, iugum monasticum non solùm in eius monasterijs, sed etiam alijs in locis suscipiebant. Itaque verba illa Euangelica implebantur: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

Dæmoniacus fit sanus.

Mira vis precum sancti viri.

Multi fiunt monachi.

Matth. 5.

Quoniam igitur & hic vir, quemadmodùm & Apostolus Paulus, corporis afflictionibus erat obnoxius, non alienum erit, vt ad vtilitatẽ nostram eas persequamur, nè, quotiès in eiusmodi morbos & calamitates incidimus, animis concidamus: præsertìm cùm Deus nobis ea ratione præmium paret: & idcircò viris iustis orantibus, vt à miserijs liberentur, nonnunquàm aduersetur, & dicat: Sufficit vobis gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Vt igitur in hoc sancto Christi imitatore, Dei virtus per infirmitatem perficeretur, corpus eius vulnere affectum erat: quod si quandò per se cicatricem obduxerat, indumenti asperitate rursùm exulcerabatur. Hoc ille vulnere ad obitum vsq; laborauit, sibiq; illud à Deo fuisse datum dicebat, vt ei assiduè gratias ageret. Oculorum item morbo singulis annis æstatis tempore per sesquimensem laborabat, & maiorem in modum gratias agebat Deo. Impediebatur tamen, quò minùs turbas posset suscipere. Quamobrèm diuinitùs incitatus, ad templum Dominæ nostræ Dei genitricis, quod est Sozopoli, constituit proficisci. Diuinum enim munus, quod illic est, iampridèm videre cõcupierat. Cùm igitur ad pontẽ, qui Tantaëndia dicitur, peruenisset, Phentinus quidam caupo obuiàm illi misit, qui eum rogarent, vt in hospitiũ suum ingredi vellet, sibiq; benedictionẽ suam relinquere: iacebat enim semimortuus multo iam tempore, & facies eius post tergũ erat distorta. Ad eum igitur sanctus Theodorus ingressus, causam quæsiuit, quãobrèm id ei contigisset. Cui ille respondens: Cùm essem, inquit, extra diuersorium, venit canis quidã niger, & corã me hiauit: quamobrem ego

2. Cor. 12.

Vulnus habet perpetuum.

Laborat ex oculis.

ego quoque inuitus idem feci. Cumque ipse statim euanuisset, ego in febrem incidi, faciemque distorsi. Verùm si tu, serue Dei, aliquid potes, adiuua me. Nam cùm & greges armentaque mea interirēt, posteaquàm tu pro me preces fudisti, ne vnum quidem animal perijt. Hæc ille cùm dixisset, pro ipso precatus Deum beatus vir, ter in eius faciem insufflauit: & aquę benedicēs, dedit ei: Accipe, inquiens, & hac te aqua cōsperge. Quod enim vidisti, dæmonium erat. Sed in Christi nomine, cùm reuertemur à precatione, te sanum & incolumem inueniemus. Aquę benedictę vis.

Egressus igitur è diuersorio, itinere suo progrediebatur: cumque ad Amorium ciuitatem appropinquâsset, salutaris eius aduentus omnibus innotuit: & ciues vniuersi supplicantes obuiàm illi extra muros processerunt. Et oblatus est illi puer à patre, pedibus adeò distortis, vt nullo modo posset incedere: qui, sancto viro Deum obsecrante, curatus est. Puer distortis pedibus curatur. Et ecce vir quidam illustris ex eadem ciuitate, nomine Iohannes, filium suum duodeuiginti annos natum, qui triennio paralyticus iacuerat, ad virum sanctum gestandum curauit, & multis cum lachrymis rogauit eum: Miserere, inquiens, istius infelicis & calamitosi, serue Dei, & Deum pro illo deprecare, vt à morbo eum curet, & incolumem mihi largiatur: aut certè celerem illi ex hac vita exitum tribuat, nè videam ipsum tam miserè à morbo consumi. Quomodò, inquit sanctus Theodorus, in morbū hunc incidit? Cui ille respondit: Cùm ad venandum profecti essemus, in leporem hic miser incurrit: quem cùm iaculo transfixisset, in paralysim incidit, eaque triennio iam laborat. His auditis, Christi seruus iussit eum Anastasij viri pij domum portari, & in oratorio sanctissimæ Dei genitricis, vbi erat ipse mansurus, constitui. Mox in vrbem ingressus, totam supplicando lustrauit. Cùm autem ad catholicam & primam ciuitatis Ecclesiam esset peruentum, obuiàm illi factus est Episcopus: longiùs enim cum populo obuiàm procedere propter valetudinem non potuerat. Quamobrèm & ipsius Episcopi rogatu, sacrificium obtulit sanctus Theodorus, & populo benedixit: discedensque, Anastasij domum extra muros se contulit: & in oratorium Dei genitricis ingressus, adolescentem illum paralyticum iacentem inuenit: cumque benedixisset oleo, faciem eius, & manus, & pedes, & reliqua omnia corporis eius membra dissoluta inunxit, & sic eum allocutus est: Tibi dico, adolescens, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge, & sta sanus, nè propter te pater tuus doleat. Curat paralyticū oleo benedicto. Cumque ille caput sustulisset, manum ei vir sanctissimus porrexit, & excitauit: precibusque super ipsum adhibitis, sanum patri reddidit.

Cùm in Dei genitricis templum esset ingressurus, ecce quidā alius paralysi laborans propter dæmonem, qui ipsum occultè multis iam annis vexabat, eadem hora surrexit, cœpitque ab immundo spiritu vexari, & Dei genitricis seruo, cui ab ea miraculum hoc seruatum fuerat, occurrens atque vociferans: O vis, inquit. Cur venisti huc, ferriuore, cum Georgio Cappadoce, vt me torqueres atque configeres? Tot annis latui, & per te nunc indicor. Tunc omnes spectatores obstupuerunt. Beatus autem vir spiritum immundum increpans, signo Crucis & precibus adhibitis, paralyticum curauit. Itē alium. Et in sanctissimæ Dei genitricis Mariæ venerabile templum ingressus, vbi diuino munere oleum manat, manibus in Crucis speciem extensis precans, oculos in admirabili imagine defigebat, cùm oleum diuino nutu efferuescens, in oculos eius insilijt, eosque conspersit. Nota de oleo ex imagine manante. Quamobrèm omnes, qui diuinum illud testimonium adspiciebant, dixerunt: Verè magnus est hic Dei seruus. Cùm autem de eius aduentu beatissimus Episcopus Zoilus intellexisset, statim honorificè duxit eum in Episcopium suum, amiceque tractauit.

Posteà verò, quàm diebus quadraginta precibus incubuit, relicta Sozopoli, ad vrbem Amorium appropinquabat: vbi saliens obuiam illi processit puer, qui distortis iam pedibus existens, ab eo benedictionem acceperat, & Dei gloriam, quæ in se extiterat, nunciauit. Die verò ad vesperam inclinante, vrbem ingressus, apud virum illustrem Iohannem, cuius filium paralyticum precibus curauerat, diuertit. Et postridiè manè discedens, in Germiorum ciuitatem ad Episcopum Aemilianum peruenit: à quo dimissus, ad monasterium suum proficiscebatur. Cumque ad prædictum pontem venisset, audito Phentinus eius aduentu, processit illi obuiàm sanus & laudans Deum, qui se serui sui precibus à tali periculo liberâsset: animique grati munus obtulit equum ex armento suo.

Cùm igitur vir pius & sanctus ad monasterium peruenisset, duæ claræ mulieres è metropoli Epheso cum lecticis & magna supellectili ad eum se contulerunt. Erat vni ex illis filius annorum viginti, Andreas nomine, mutus: Alteri autem filiola annorum

octo paralytica. Hæ fœminæ cum filijs & domesticis suis ad sancti viri pedes procidentes, magna voce multisque lachrymis supplicabant, vt filijs suis sanitatem largiretur. Quibus Christi seruus Theodorus præcepit, vt surgerent. Et cùm precatus esset Deum, iussit, vt dies aliquot ibi manerent. Quadam autem die à psalmis canendis circiter horam nonã de more egressus, vt populo benediceret, eumque dimitteret, puellulam iacentem inuenit: & accedens, signauit eam, & Deum obsecrauit: ab eaque recedens, ad altaris introitum ascendit, & populo benedixit, & puellæ paralyticæ præcepit, vt ad se veniret. Quæ repentè, solutis diaboli vinculis, surrexit & ad eum venit. Turbæ verò adstantes, cum matre puellæ pro tali miraculo cum lachrymis gratias agebant Deo. Atque ità mater accedens, filiolam suam è manu eius sanam accepit. Quinetiam adolescentem mutum beatus Theodorus cùm signâsset, dixit matri eius, vt cum alijs discederet: fore enim, vt in ipso itinere loqueretur. Suscepta igitur viri sancti benedictione, in ciuitatem suam omnes redièrunt. Et paulò pòst quidam ab illa veniens ciuitate, adolescentem locutum esse nunciauit.

Itẽ alias signo Crucis & oratione curationes facit.

Oppidi Sandi presbyter, nomine Florentius, habebat fratris filium, cui cancer os exedebat. Eo igitur super iumentum suum imposito, magno studio ad monasteriũ contendit, & ad beati viri pedes procidens ac lachrymans, supplicabat, vt pueri morbum, cui nulla medicorum remedia proderant, curaret. At ille, fusis precibus, locum morbo excesum contrectans, ter in os eius insufflauit, & aquam, cui benedixerat, dedit, vt ex ea acciperet: & statim cœpit morbus esse leuior. Et cùm egressi essent è monasterio, priusquàm domum peruenirent, prorsùs euanuit.

Sanat cancri morbũ.

Cùm totius populi supplicatio, post Domini nostri Iesu Christi resurrectionem die sabbati, vt quotannis fieri solet, ad monasterium cõuenisset, erat in loco demisso lebes ebulliens iuxta viam. Peracto autem sacrificio, cùm vniuersus populus ad epulas properans, è monasterio egredi festinaret, puer è templo sancti martyris Georgij exiens, diabolo impellente, in lebetem feruentem incidit. Accurrentes autem parentes, pedibus eum indè extractum, in templum sancti martyris, vbi vir sanctus populo benedicebat, intulerunt, & semimortuum ad eius pedes cum lachrymis deposuerunt. Tum Dei seruus puerum iuxta sanctum altare collocauit, &, inclinato capite, pro ipso precatus est Deum. Et cùm illum oleo semper ardentis lucernæ inunxisset, Dei gratia excitauit, & sine vllo detrimento parentibus incolumem reddidit.

Semimortuum vitæ restituit.

Fortè cum supplicatione monasterij sancti Theodori ex Briania præfectus Anicetus venerat. Hic cùm id, quod puero contigerat, audiuisset, eumque sanum & nulla in parte combustum adspiceret, lebetis aquam esse frigidam existimauit. Itaque cùm eadem hora supplicando illàc iter faceret, manum in lebetem iniecit, vt cognosceret, vtrùm aqua calida esset, an frigida: & statim manus eius exarsit. Cùm igitur beatus vir, peracta supplicatione, populo benediceret, eumque dimitteret, accessit ad illum Anicetus, & manũ ostendit, obsecrans, vt eam signo Crucis obsignaret. Cui subridens sanctus Theodorus: Crede, inquit, frater, & manum, quam in lebetem vltrò coniecisti, Dominus curabit. Signo autem Crucis adhibito, Anicetus dolore leuatus est, & sanus discessit, laudans Deum ob ea, quæ audierat & viderat.

Magna vis sanctæ Crucis.

In oppido Sandi quidam paterfamiliâs, nomine Eutolmius, aream suam cupiebat ampliorem efficere. Angustior enim erat, quàm vt frugum posset copiam capere. Porrò collis quidam adiacebat, in quo multa inerant dæmonia. Cùm igitur vndiquè aream amplificans foderet, etiam collis ipsius lapidem amouit: vndè immundi spiritus exeuntes, greges & armenta, atque etiam homines inuadebant & excruciabant. Ex ijs autem clamabant nonnulli, se ideò vexari, quoniam collis ille fuisset effossus. Incolæ igitur, calamitate sua perspecta, & existimantes id propterea contigisse, quòd Eutolmius indè pecuniam sustulisset, ex eoque fore, vt loci præfectus Euphrantas aduersùm se, tanquàm eius criminis reos, veniret, contra Eutolmium impetum fecerunt, comminantes ei, se illum, vtì totius perturbationis authorem, cum vniuersa eius familia combusturos. Quo tamen tumultu per viros senes & graues sedato, ad sanctum Christi seruum nuncios miserũt, qui supplicarent, vt ad oppidum proficisceretur, & tot molestijs & calamitatibus incolas liberaret. Profectus est cum illis beatus vir, & cùm ad locum effossum peruenisset, dixit eis: Confidite filij: neque enim hoc in loco id, quod suspicamini, factum est. Quod vt faciliùs intelligatis, altiùs effodite. Paruerunt illi, & nihil prorsùs inuenerunt. Postridiè verò supplicationem indixit: & cùm locum vniuersum, illis etiam, qui vexabantur, comitantibus, lustrâsset, ad collem effossum peruenit: vbi cùm

cùm preces, inclinato capite, fudisset, omnes spiritus immundi, qui in animantia & diuersa loca introierant, illuc redierunt. Obsecrans autem Deum & pro hominibus illis, qui vexabantur, spiritus immundos increpuit: & Domini Iesu Christi inuocatione depulsos, adiuuante Spiritu sancto, ibì eos inclusit. Et cùm lapidem emotum reposuisset, fossamque complêsset, almæ Crucis signum imposuit, totamque noctè psallens & laudans Deum illic transegit.

Dæmones expellit.

Postridiè autem, peracto sacrificio, cùm ad monasterium redire vellet, accesserunt ad eum principes oppidi Permetaniæ, & ad pedes eius prostrati, cum lachrymis rogârunt, vt etiam in oppidum suum ingrederetur, quoniam illic quoquè, cùm ex quodam loco tabula esset sublata, multi dæmones egressi, sex viros & septem fœminas inuasissent. Discedens igitur Christi seruus Theodorus, cum illis profectus est. Verùm cùm ad Acantium oppidum appropinquaret, dæmonum, ad quos eijciendos proficiscebatur, opera factum est, vt iumentum, quo vehebatur, concideret, & ipse è tergore ipsius delaberetur, & duo acuta ligna in ventrem eius defixa sint, triplicique vestimento conciso, carni sic inhæserint, vt sanguinis multum effluxerit. Panno igitur lineo in plagam iniecto, iumentum rursùs conscendit, & ad comites subridens: Verè, inquit, filij, Dei nos auxilium protegit aduersùs dæmones, qui nos iniuria conantur afficere. Cùm autem in oppidum peruenissent, putabant comites eius, eum propter graue vulnus, quod acceperat, ægrotaturum. At ille Spiritûs sancti gratia confirmatus, tanquàm ferrea statuta, noctem illam Deum laudando insomnis transegit. Postridiè igitur oppidum supplicando lustrauit, iussitque tabulam in locum suum reponi: & illuc ipse quoquè cum supplicatione accessit: inuocatoque sanctæ atque eiusdem essentiæ Trinitatis nomine, spiritus, à quibus homines vexabantur, eiecit: & omnes, qui indè abierant, coëgit, atque ità relegauit in eo loco, vt nemini ampliùs iniuriam facerent. Habebat enim & magnum Christi martyrem Georgium sibi opitulantem, cuius auxilio iam indè ab ipsa pueritia fultus fuerat. Cùm igitur sanctæ Crucis signo locum obsignâsset, indè cum comitibus discessit, & ad monasterium reuersus est. Misit etiam Epistolam ad Euphrantam principem, cohibuitque impetum eius, docens, non inueniendæ pecuniæ gratia, sed astutia satanæ locum illũ fuisse effossum: domumque dimisit eos, qui se ex oppido Sandi fuerant comitati.

Vir sanctus grauiter sauciatur.

Locũ sanctæ Crucis signo obsignat.

Aliâs item cùm in eiusdem oppidi Sandi regione vites à locustis deuastarentur, & in oppidi Permetaniæ regione vites item à vermibus exederentur, vir sanctus eas præsentia sua precibusque deleuit, ad gloriam Christi Dei nostri, eam ipsi gratiam elargientis. In Eucraënsium oppido cùm agricola quidam, nomine Timotheus, collem quendam, seu pecunię reperiendę gratia, seu aliam ob causam suffoderet, magna spirituũ immundorum multitudo sic incolas inuasit, vt complures ex illis tum viros, tum fœminas, tum pueros vexarent. Quamobrèm Euphrantas, qui tunc Ancyranorum metropoli præfectus erat, agricolam illũ comprǽhendi iussit, & quosdam etiam ex illis, qui vexabantur, virgisque cædi. Verùm ij magno clamore precabantur, nè se pluribus verberibus afficerent: dimissi verò, maiores tumultus excitabant. Congregati enim, primùm Timothei, qui mali author extiterat, villam succenderunt: deindè conquirebant eũ, vt occiderent: & aliorum item villas exurebant. Quicquid autẽ in suis inueniebant, deuorabant ac dissipabant, & supellectilem confringebant. Quòd si quis eos vellet cohibere, malè ab illis mulctabatur. Neque verò homines solùm ab ipsis dæmonibus vexabãtur, sed etiam animalia rationis expertia partìm interficiebantur, partìm reddebantur fera & intractabilia. Quinetiam regionis fines obsidentes, magnũ iter faciẽtibus detrimentum afferebant. Cùm igitur tota illa regio in his calamitatibus versaretur, pauci patresfamiliâs, qui sani permanserant, cum clero ad monasteriũ confugerunt, supplicesque se ad viri sancti pedes abijcientes, obtestabantur, vt infelix oppidum suum ex tot miserijs eriperet. Horum precibus exoratus vir sanctus, cum ipsis profectus est. Obuiàm autem illi prodierunt omnes oppidani, tum animo valentes, tum à dæmonibus vexati, à quibus beatus vir contumelijs afficiebatur. Cùm autem in sancti Archangeli Ecclesiam esset ingressus, totam noctem hymnis precibusque transegit, Deum clementem obsecrans, vt ab hominibus & iumentis, totiusque regionis finibus dæmonum multitudinem in locum, vndè exierant, compelleret. Manè verò populus vniuersus ad eum concurrit: & eorum, qui vexabantur, spiritus clamabant, sibi ab eo vim afferri, vt qui contra ipsos venisset, & Deum precaretur. At vir diuinus eos increpans, & diuina confisus gratia, tanquàm pueros castigans, & in seruitutem redigens, imperabat eis,

Totam noctẽ hymnis precibusq; transigens, dæmones compescit.

eis, vt in locum, vndè exiërant, reuerterentur, ibique sine cuiusquam iniuria permanerent. Et quoniam illuc ipse tum propter infirmam valetudinem, tum propter nimiam vigiliam proficisci non poterat, vni ex fratribus presbytero, nomine Iuliano, qui cum ipso erat, mandauit, vt nomine suo iret, & ad collem illum clerum duceret supplicantem, Euangeliumque super homines vexatos legeret. Cumque Iulianus, sibi vt ignosceret, precaretur: nihil enim profuturum aiebat, nisi ipse accederet: indignatus vir sanctus, eumque, vt contumacem & incredulum reprahendens: Celeriter, inquit, supplicationē educito, & esto obediens ac fidelis, & nō incredulus. Deus enim illis omninò misericordiam suam & sanitatem, etiam me absente, largietur. Cùm igitur omnes ad collem cum supplicatione profecti essent, & Euangelium recitarent, ipse mansit in Ecclesia, Deum obsecrans pro omnium curatione. Quamobrèm spiritus, qui circa collem erant, vociferabantur se precationibus viri sancti conuinci & superari. Item illi, qui vel homines, vel iumenta vexabant, vel loca finitima obsidebant, illuc, tanquàm ab angelicis virtutibus, coacti atque compulsi sunt. Et dum Euangelium pronunciaretur, omnes cum vlulatu, proiectis hominibus, in tumulum illum reuersi sunt, Saluatoris nostri Dei virtute per serui sui preces ità rem moderante. Obstrusa igitur tumuli fossa, omnes cum supplicatione ad Ecclesiam redierunt: peractoque sacrificio, cùm vir sanctus in eo loco, precibus fusis, Crucem collocâsset, ab incolis ad monasteriū reductus est. Deique gratia factum est, vt illi dæmones, neque in homines, neque in animalia rationis expertia, quicquam ampliùs egerint.

Crucē contra dæmōes collocat.

Rursùm contigit, vt, cùm in eiusdem oppidi regione esset arca quædam, & vas cum tabernaculis veterum Græcorum virorum, quæ à dæmonibus obseruabantur, quidam ipsius loci domini arcā aperuerint, & fastigium siue operculum eius in oppidum ad excipiendam aquam importârint. Quapropter dęmones, & homines, & animalia, & loca quædam finitima rursùs occupârunt. Ciues igitur interìm Dei seruum adduxerunt, qui precibus suis & homines, & animalia, & loca finitima ab immundis spiritibus liberauit, & spiritus ipsos eodem, vbi erant, compulit: nec permisit, vt arcæ fastigium ipsis, vt flagitabant, redderetur: sed voluit, vt aquæ vsui deseruiret: quemadmodùm nunc item est pro monumento miraculorum ipsius.

Cùm Bunam, & Peton, & Hyniam, loca quædam finitima, cantharorum multitudo sic opprimeret, vt omnes agrorum fruges interciperet, incolarum precibus exoratus, ad ea loca se contulit, & cùm pro illis Deum obsecrâsset, statim omnis illa cantharorū multitudo deleta est. Atque eiusmodi quidem miracula diuersis in locis ab ipso sæpè facta sunt ad gloriam Saluatoris Christi Dei nostri, qui gratiam hanc viro sancto largiebatur.

Cantharos extinguit.

Antequàm Mauritius Imperator occideretur, cùm in Dei genitricis monasterio vir sanctus præfinitum psalmorum numerum legeret, in sanctuario recèns exædificato lucerna, quæ semper ardet, extincta est. Quapropter vni ex fratribus annuit, vt eam accenderet. Sed cùm statim rursùs extincta esset, frater rediјt, & cum precibus eam iterùm accendit. Repenteque rursùs extincta, vir sanctus illum reprahendens, tanquàm ineptè id fecisset, accessit ipse, & manu sua illam accēdit. Sed cùm illic adhuc staret, similiter rursùm extincta est. Tunc fratribus omnibus congregatis, seuerè locutus est ad hunc modum: Signum hoc, fratres, non simpliciter, mihi credite, nec temerè contigit. Vos ergò diligenter explorate, quid egeritis, & in conspectu Dei peccatum vestrum confitemini. Licèt enim vos illud celare conemini, Deus ipse patefaciet. Cùm autem fratres sibi nullius esse culpæ conscios respondissent, ad obsecrandum Deum accessit, vt sibi rem indicaret. Cumque, re diuinitùs patefacta, tristis esset, & cum gemitu diceret: Verè tu, Esaia, naturam hominum expendisti, cùm diceres: Omnis homo fœnum, & omnis gloria hominis, tanquàm flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit. Et cùm hæc ipse loqueretur, fratres rogabant eum, vt rem omnibus patefaceret. Quibus cùm præcepisset, vt nemini rem indicarent, prædixit eis, quo mortis genere Mauritius Imperator esset interiturus. Fratribusque meritò id illi euenturum respondentibus, ob ea quæ improbè gessisset: Sic ipse quidem, filij, inquit sanctus Theodorus, morietur: sed post eum multò deteriora contingent, quæ hæc ætas non expectat. Paucis igitur pòst diebus interfectus est Mauritius Imperator: & imperio potitus est Phocas. Qui cùm in Orientem misisset Domitiū consobrinum, vt exercitū duceret aduersùs Persas, qui regiones nostras vastabant & prædabantur: is autē Domitius de hostium impetu, qui Cappadociam vsque peruenerant, deque Sergij patricij Imperatoris pro-

Esa. 40.

Maurisij Imperat. cædes.

propinqui interitu intellexisset, magno in mœrore & metu versabatur, nec iter susceptum audebat perficere.

Audita igitur serui Dei fama, ad eum se in monasterium contulit, seque ad eius pedes abijciēs, supplex rogabat, vt pro se Deum precaretur, vt scire posset, quid sibi agendum esset: in dubio enim se propter hostium incursum versari. Respondens illi Dei seruus: Abi, inquit, fili, in nomine Dei, & susceptum iter perfice: incolumis enim ad exercitum peruenies. Verùm cùm in acie stabis aduersùs Persas, & prælium inibis, in magno discrimine versaberis. Sed commendo te Deo, & sancto eius martyri Georgio, vt te à periculo integrum conseruet. Cùm igitur te periculum premet, memor eris huiusce precationis, & Deus te à periculo eripiet. Hæc & alia multa tempori congruentia locutus, benedixit ei, atque abire permisit. Peruenit igitur incolumis ad exercitum, vt vir sanctus prædixerat. Cumque, inito cum Persis certamine, insidijs peteretur, magnoque esset in discrimine cum vniuerso exercitu, meminit verborum sancti viri, cuius precibus Deo fuerat commendatus. Et pedes in cannetum ingressus, delituit, atque ità periculo sese subduxit: collectoque exercitu, in Romanorum loca se contulit, & ad Imperatorem peruenit. Quo quidem in itinere virum sanctum inuisit, & magna cum fide ad pedes eius postratus, gratias egit Deo, qui se precibus ipsius è tanto periculo eripuisset. Et confessus est, omnia, quæ beatus vir prædixerat, contigisse. Solenni igitur Dominico die celebrato, & suscepta viri sancti benedictione, ad regiam vrbem profectus est: & ex eo tempore magna in veneratione habuit beatum Theodorum, & sanctam eius mansionem: & semper cùm ab Oriente ad regiam vrbem iter faceret, ad sanctum virum diuertebat, multaque munera eius mansioni, & sancti Georgij templo & oratorijs relinquebat.

Prædicit futura Domitio.

Venit quidam vir ab vrbe regia, nomine Phocas, qui intestino quodam morbo grauiter laborabat, assidueque multum sanguinis ex ore & ventre emittebat, neque stare, neque iacere valens. Hic virum sanctum nactus in monasterio sanctissimæ Dei genitricis, procidit ad pedes eius, obsecrans, vt pro se Deum precaretur, vt à tanta se miseria liberaret. Multa enim se medicorum remedia frustrà expertum esse. Præcepit autem vir sanctus, vt in sanctissimo Dei genitricis oratorio maneret. Et manè dixit illi: Nunc, fili, abi in pace. Ipse verò cum clamore cœpit dicere: Itáne, pater, me, qui tam longinquis è locis ad te veni, dimittis incuratum? Aegroti omnes, qui ad te confugiunt, recedunt sani, & ego solus miser negligor? Non discedam profectò ex hoc loco, nisi à morbo liber. Obtempera, inquit beatus vir, fili, & cum fide proficiscere. Preces enim tuæ acceptæ sunt. Nec longè hinc abieris, cùm integram morbi curationem senties. Quòd si totum vitæ tuæ tempus hîc consumpseris, nullam propterea, mihi crede, leuationem accipies. His ille auditis, multis cum lachrymis clamans: Nôui, inquit, serue Dei, quòd me persequeris, vt indignum, qui hîc maneam & curer. Eccè discedo, vtì iubes. Tu saltem Deum, quem purè colis, pro me roga, vt sanus reuertar domum. Abi, inquit vir sanctus, fili: spero enim, Deum breuì misericordiā tibi suam ostensurum. Cùm igitur indè egressus, ad Siberis fluuij pontem appropinquâsset, naturali necessitate coactus, è lectica descendit: &, quemanmodùm illi, qui, haustis medicamentis, purgantur, fœtidum corporis onus cum morbo deposuit: nunciumque misit ad seruum Dei, qui curationis munus sibi diuinitùs datum indicaret, peteretque, vt sibi per eum liceret reuerti, quò Deo gratias ageret. Respondit beatus Theodorus, vt Deum animo laudaret. Quamobrèm ad regiam vrbem Deum laudans reuersus est.

Prædicit morbidi curationē.

Alius quidam Sebastæ ciuitatis gubernator oculis captus, ad virum sanctum in monasterium venit. Et cùm intellexisset, eum esse in inferiori monasterio sanctissimæ Dei genitricis, ab vno è comitibus ductus, humì postrauit se, & lachrymans Deum precabatur. Quem cùm vir sanctus, qui tunc præfinitum psalmorum numerum in Dei genitricis oratorio persoluebat, ità precantem adspexisset, fratribus, qui secum erant: Vir, inquit, ille obtinuit id, cuius gratia profectus est: fidem enim secum attulit. Fides autem valet plurimùm. Cùm autem ingressus, se ad sancti viri pedes supplicem abiecisset, petens videndi facultatem: Deus, inquit beatus Theodorus, tibi profectò tribuet, quod flagitas. Biduum hîc mane cum tuis comitibus, teque itineris labore fessum recrea: posteà verò discedes. Tertio igitur die cùm illi benedixisset, præcepit, vt abiret. At ipse supplex & lachrymans: Obtestor te, inquit, vir sanctissime, per Deum, qui tibi largitus est munus curationum, nè me ità cæcum dimittas, nè ciuibus meis labor & supplicatio mea inanis fuisse videatur. Hæc & alia multa magna voce cùm

Item cæci cuiusdam.

suspexit,& ilicò vincula humi cum strepitu conciderunt. Quamobrèm cùm milites tumultuarentur,& ad fores claudendas currerent, nè Georgius fugeret: Nihil, inquit sanctus Theodorus, timeatis. Ego enim gratum & syncerum huius viri animum planè nôui. Cùm igitur illi diuina mysteria tribuisset, voluit etiam, vt simul cum custodibus apud se cibum caperet. Pòst autem, vinculis rursùm iniectis, discesserunt. Vincula hominis capti diuinitus soluuntur.

Cùm XVI. Kalend. Augusti solennis sancti martyris Antiochi dies in eius templo celebraretur, & beatus Theodorus sacrificaret, dum, vt regionis est mos, discum in sublime tolleret, vt sanctum panem ostenderet, sanctus ipse accepti sacrificij panis super disco per se cœpit sublimis extolli,& tanquàm exultans & saliens sursùm, deorsumque, cunctis spectantibus, ità moueri, vt omnes, qui aderamus, illius ascèdentis descendentisque motum & sonitum videntes audientesque, admiratione & timore propter miraculum repleremur. Ipse verò sanctus compunctionis lachrymis, & incredibili gaudio plenus, immensam Dei nostri bonitatem nobiscum collaudabat.

Cùm in oppidis finitimis supplicationes fierent,& Cruces, quæ gestari solent, horribili miserandoque spectaculo, per se concuterentur & commouerentur, interrogatus vir diuinus, qui sibi id vellet, respondit: Deum, ô filij, precibus placate, quoniam magnæ mundo imminent calamitates. Domitius autem patricius, vir clarissimus, promiserat se auream Crucem ad supplicationis adorationisque vsum effecturum. Itaque misit vir sanctus Epiphanium diaconum ad illum. Qui cùm aurifici aurum dedisset, diaconum rogauit, vt tantispèr moraretur, dum aurifex opus conficeret. Et sanctissimus Patriarcha Thomas, qui post beatæ memoriæ Cyriacum, in pontificia regiæ ciuitatis sede successerat, laudata viri gloriosi pietate, dedit etiam ipse particulam venerandi ligni sanctę Crucis,& particulam sancti sepulcri Saluatoris nostri Dei,& veli particulam sanctissimę Dei genitricis, conijciendas in vmbilicum illius Crucis, quæ ex auro conflabatur. Quæsiuit autem ex ipso Diacono, vtrùm verus fuisset ille Crucium motus, qui in regione Galatarum factus fuisse dicebatur. Cumque Diaconus id affirmâsset, valdè timuit beatissimus Patriarcha,& solicitudine plenus, epistolam scripsit ad seruum Dei, rogans eũ, vt quamcelerrimè ad se in ciuitatẽ regiam proficisceretur. Tunc venit ad eum ex portis superioribus Theodorus dux regius, qui olim dæmonis dolo mente captus, viri sancti precibus mentis compos factus fuerat, & rogabat eum, vt si ad regiam vrbem iret, per superiores portas iter faceret,& domum suam ab immundis spiritibus liberaret. Id se facturum respondit beatus vir, dimisit eum. Nota de crucibus, in supplicationibus gestandis.

Contigit, vt Deo clarissimus Philumenus præfectus, laudabilis vitæ suæ cursu confecto, in senectute bona diem obiret extremum. Hunc Dei seruus cùm honorificè sepeliendum curâsset, Iohannem presbyterum, eidem probitate & moribus similem, hortatus est, vt monasteriorum ipsius curam susciperet. Quod ille munus cùm recusaret, ad Orientisque secessum spectaret: Si, inquit, in hoc mihi non obedieris, vt fratrum tuorum curam suscipias, non habebis partem mecum. Quibus verbis commotus, onus suscepit. Cùm autem ad regiam vrbem proficisci decreuisset, à Dorylei oppidi incolis & à monachis & discipulis suis Photio & Cyrico mansionis sancti Georgij, quæ Fontium dicitur, exoratus, illàc iter habuit. Et turbis vndiquè è locis vicinis cum supplicatione obuiàm procedentibus, in oppidum ingressus est. Vbì peracto sacrificio, benedixit eis. Inuisit etiam Fontium monasterum: & cùm monachorum animos diuinis documentis in religione confirmâsset, discessit. Appropinquanti autem ad sanctissimæ Dei genitricis monasterium, obuiàm venit illi Theodorus ille dux regius, de quo paulò antè mentionem fecimus, & domum suam, ad portas superiores sitam, duxit virum sanctum, vt eam à magna dæmonum vexatione liberaret. Et homines enim,& animalia rationis expertia ab immundis spiritibus vexabantur: & cùm domestici pranderent, aut cœnarent, lapides super mensas iaciebantur. Ex quo magnus omnes terror inuadebat: & mulierum telæ rumpebãtur, & tanta murium & serpentium multitudo domum occupabat, vt præ formidine in eam ingredi nemo auderet. Domum igitur Dei seruus ingressus, totam noctem psallendo & Deum obsecrando traduxit:& aqua, cui benedixerat, totam domum adspergens, eam à spiritibus immundis liberauit. Infestas ædes habẽt dæmones. Pelluntur aqua benedicta.

Indè autem discedens, in nauim ascendit, vt ad regiam vrbem nauigaret. Ei vector quidam in naui proximè assidebat, multis iam annis ab immundo vexatus spiritu: qui cùm in medio mari sanctitatis eius gratiam ferre non posset, concuti cœpit, & contumelijs virum sanctum afficere. Quamobrèm qui in naui erant, cùm nescirent, cuius ille impulsu malediceret, eum repręhendebant, nè in Dei seruum debaccharetur. At vir

Dæmonem ex obsesso eijcit vir Dei.

sanctus præcepit eis, vt homini ignoscerent: & appræhendens illum, & pectus eius percutiens, ac signum Crucis adhibens, dæmoni occulto & cõuicia iactanti iussit, vt exiret. Qui tanquàm mus illis, qui in naui erant, ex ore eius visus est egredi. Homo verò, qui vexabatur, tanquàm mortuus humì iacuit: sed paulò pòst à viro sancto excitatus est, & sanus extitit, omnibus admirantibus & collaudantibus Deum.

Ingressus igitur in vrbem regiam, à beatissimo Thoma Patriarcha honorificè & magno cum gaudio susceptus est. Et cùm inter se consalutâssent, obtulit ei discipulũ suum Iohannem, & vitæ sanctitatem ac mores eius commendans petijt, vt eum monasteriorum Præfectum constitueret. Quod statim fecit sanctissimus Patriarcha, palliumque tribuit, & præmisit ad sancta monasteria. Phocas etiam Imperator eum accersendum curauit: manuum enim ac pedum doloribus excruciatus iacebat. Sancto igitur viro ingresso, & manus suas illi imponente atque precante, subleuatus Imperator rogauit eũ, vt pro se, proque imperio precaretur. Quamobrèm admonuit eum vir sanctus, vt ab hominum afflictione & sanguinis effusione temperaret, si preces suas à Deo vellet exaudiri. Cùm autem ab Imperatore discessisset, rogauit eum beatissimus Thomas Patriarcha, vt pro sua in illum beneuolẽtia apud se diuerteret, & Deum obsecraret, vt in cælesti vita simul inuenirentur. Et quæsiuit ex eo, an verus fuisset admirabilis ille Crucium in supplicationibus motus. Quod cùm verum fuisse intellexisset, cœpit orare virum sanctum, vt indicaret, quid signum illud portenderet. Tum sanctus recusare, seque abiectum atque humilẽ dicere, nec scire, quid responderet ad interrogata. Prostratus ille ad pedes eius, se surrecturum negauit, nisi in ea re sibi morẽ gereret. Scio enim, inquit, tibi non signum hoc solùm, sed alia multa esse nota. Neque enim illud ad hunc vsque diem neglexisti. Quòd si neglexisses, tamen patefiet tibi, si petieris à Deo. Cùm igitur se desiderio eius satisfacturum promisisset Christi seruus, eum surgere coëgit, & lachrymans: Nolebam, inquit, te affligi. Neque enim expedit, te hæc scire. Verùm, quandò ità vis, scito ea Crucium concussione multa nobis grauia molestaque prænunciari. Significat enim plurimos à religione nostra defecturos, & barbararum gentium incursiones, & magnam sanguinis effusionem, & ingens exitium, & in vniuerso orbe seditiones fore, & sanctas ecclesias desertum iri, & diuini cultûs atque imperij interitum, & aduersarij aduentum appropinquare. Reliquum est, vt tanquàm gubernator Ecclesiæ, & populi pastor, Deo totis viribus assiduè supplices, vt ignoscat populo, & pro misericordia sua hæc omnia moderetur.

Phocã Imperatorem curat.

Prædicit clades futuras.

His auditis, beatissimus Patriarcha, magno timore mœstitiaque correptus, cum lachrymis cœpit rogare sanctum virum, vt Deum obsecraret, quò animam suam tolleret, antequàm ab illis calamitatibus opprimeretur. Cumque vellet sanctus Theodorus in patriam redire, quoniam quietis & silentij sui tempus aduentabat, id illi non permisit beatissimus Patriarcha. Increbuerat enim rumor, ciuitatem haud ità multò pòst absorptum iri. Quamobrèm voluit vt apud se hyemem traduceret. Nanque dicebat se precibus eius apud Deum pro populo indigere, vt saltem mala differat, quæ comminatur. Cùm autem vir sanctus locum proprium ad habitandum postularet, iussit, vt in sancti Stephani mansione, quæ Romanorum dicitur, habitaret. Natali igitur die Saluatoris nostri Dei illic sese inclusit, vt quietem & abstinentiam solitam obseruaret. Quo tempore contigit, vt sanctissimus Patriarcha in morbum incideret. Itaque nuncium misit ad beatum Theodorum, rogans eum, vt Deum precaretur, vt sibi daret vitæ finem. At Christi seruus respondit, quanuìs ipse, vt sanctus olim Apostolus Paulus, dissolui & esse cum Christo cuperet, tamen cùm magis esset necessarium, vt pro populi salute in corpore maneret, oraturũ potiùs, vt illi vitam & sanitatem elargiretur. Sed nuncium rursus ad Dei seruum misit sanctissimus Patriarcha: Per Dominum, inquiens, obtestor te, pater, si diligis me, vt pro mutua & fraterna inter nos beneuolentia, Deum obsecres, vt depositum pignus suum recipiat è corpore meo, meque ab imminentibus periculis liberet: neque enim spectare possum, quæ tu prænunciâsti. Tunc Dei seruus, flexis genibus, & fusis pro ipso precibus, nunciauit ei per Epiphanium ministrum, se quidem vitam eius pro salute omnium exoptâsse, verùm quoniã tantopere flagitâsset, pro se preces fundi, vt dissolueretur & esset cum Christo, iussis ipsius obtemperâsse, & Deum illi, quæ cuperet concessurum, & petitionem eius eodem die impletum iri. Quamobrèm si iubes, inquit, vt veniam ad te, statìm id faciam: Sin minùs, nos tamen vicissim apud Christum Dominum conspiciemus.

Patriarcha eum apud se detinet Constantinopoli.

Philip. 1.

Impetrat à Deo mortẽ episcopi Constantinop.

Hoc audito, beatissimus Patriarcha gauisus est gaudio magno, & Deum laudans, mo-

monuit seruum eius, nè exiret, néve à quietis & abstinentiæ suæ discederet instituto: contentum enim se esse promisso eius, quòd se vicissim apud Christum essent conspecturi. Hoc & Imperator cùm intellexisset, sanctissimum Patriarcham inuisit. Qui cùm omnibus benedixisset, ante horā vespertinam cum prudentia atque constantia mirabili ad Dominum migrauit. Huius obitu cùm serui Dei familiares angerētur, quòd tam amicum atque beneuolum Patriarcham amisissent: Nolite, inquit vir sanctus, modicæ fidei homines, & pusilli animi, dolere & cōqueri. Qui enim futurus est Patriarcha, non minùs nos diliget. Quod & factum est. Sergius enim, qui creatus est Patriarcha, venit ipse ad Dei seruū, nec permisit, vt priùs à quoquam certior fieret: sed de improuiso eum psalmos canentem offendit, & ad pedes eius prostratus, rogauit illum, vt pro se Dominum precaretur, quò diuina ipsius gratia dignus effectus episcopatu & Apostolica sede, ex voluntate eius populum in pace regeret & gubernaret: se enim iuniorem esse & imperitiorē, quàm vt sine præcipuo & singulari Dei pręsidio id pręstare posset. At Dei seruus, precibus fusis, ipsumque complexus: Idcircò, inquit, tibi iuueni tantum Deus onus imposuit, vt maiore virtute viribusque sustineas calamitates & molestias impendentes: id quod præcessor tuus sibi præstare non posse videbatur. Confirma igitur te, & robustus sis, atque viriliter age. Deo enim confisus, spero administrationem tuam, & diuturnam, & præclaram fore. Ex eo tempore maiores vires suscipiens Patriarcha, in suo munere administrando se rectè gessit, & maiore, quàm pręcessor ipsius, beneuolentia virum sanctum est prosecutus.

Sergius Patriarcha, qui tamen posteà fuit hæreticus.

Reprǽhendebat vir sanctus illum morem, quo multi, præsertim in dignitate constituti, post mysteriorum perceptionem ad lauacra se conferebant. Quamobrem clericorum cœtus sanctissimæ magnæ ecclesiæ ad eum se contulit, & sic eū est allocutus: Quoniam audiuimus, pater sanctissime, te eos repræhēdere, qui post mysteriorum perceptionem se lauant, ad te confugimus, vt intelligamus, vtrùm id ex sacrę scripturę lectione, an aliundè didiceris. Vir diuinus ità respondit: Legimus in scripturis sanctis: Omne mendacium à malo est: Et, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Scitote igitur, filij, Deum mihi indicâsse, eos valdè peccare, qui post sanctam cōmunionem ad balnea se conferunt, vt corpus lauent & curent. Quis enim vnguēto delibutus & aromatibus, eorum abstergit suauitatem? Quis simulàc cum Imperatore pransus est, ad balneum currit? Cùm autem adhuc in eadem mansione moraretur, multæ turbæ eò concurrebant, vt benedictionem susciperent. Et cùm ad eum quidam vexatus accessisset, & multa vociferaretur, increpans eum, & pectus eius manu percutiēs, spiritui immundo, qui in illo erat, imperauit, vt exiret: & statìm egressus est, cùm alijs fratribus spectantibus, tum Zoilo Dei studiosissimo, qui eorum præfectus posteà factus est. Alia item cōplura miracula fecit, dum illic esset, per gratiam Christi Dei nostri. Quarè pietatis colentissimus Christophorus mansionis præfectus, & fratres omnes cupientes imaginem ipsius apud se manere, pictorem accersiuerunt, qui, perspecta eius facie, effigiem illius exprimeret. Cùm igitur eorum desiderio pictor satisfecisset, antequàm virū sanctum dimitterent, duxerunt eum, vbì imago illa erat, vt ei benediceret. Qui cum grauitate subridens: Vos, inquit, fures estis. Cur enim hoc fecistis, nisì vt aliquid aliquandò furemini? Et cùm ei benedixisset, discessit.

Psal. 5.

Dæmonem ex obsesso cogit exire.

Eius effigies pingitur.

Domitius verò patricius vir clarissimus domum suam, quæ in Arcadianis est, virum sanctum adduxit, vt familiæ suæ benediceret. Cumque Irenen coniugem suam, fœminam pietatis amantissimam, adduxisset: Benedic, inquit, Domine huic conseruæ meæ, ex qua ego, cùm simul diù vixerimus, nullos adhuc liberos suscepi: quaòbrèm in mœrore versamur. At vir sanctus, cùm ei, precibus fusis, benedixisset: Dei gratia, inquit, hæc tibi filios mares pariet. Adduxit deniquè familiam vniuersam, & famulos, & ancillas, vt omnibus benediceret: inter quos ancilla quædam post omnes sequens, occultum dæmonium habebat, & magno cum dolore tunc è lectulo surrexerat. Hanc vir verè diuinus procùl conspicatus, iussit, vt ad se adduceretur. Et cùm illam sinistra manu comprǽhendisset, cœpit dextera manu pectus eius percutere, & vexantem dæmonem increpare, nè occultus maneret, sed patefieret. Statìm igitur dæmon moueri cœpit, & tanquàm vim patiens vociferari. At vir sanctus, ea humì proiecta, & pede super collo eius imposito, ad Orientem conuersus, tacitè precabatur, vt labia tantùm moueret, nec vox eius exaudiretur. Cumque ad precationis finem peruenisset, clara voce, vt omnes possent intelligere, laudem & gloriam subiecit sanctissimæ Trinitatis. Mansit igitur puella diù muta: sed cùm interim reliquis omnibus benedixisset, ab eo

Benè precatur fœminæ sterili, & familiæ eius.

 exci-

Mulier diù sterilis parit.

excitata, surrexit incolumis, & in omni vita sua sana permansit. Porrò Domitij coniunx Irene, vt vir diuinus prædixerat, tres filios peperit, cùm statim post eius benedictionem primum filium concepisset.

Dimissus ergò Christi seruus ab Imperatore, & à Patriarcha, ad monasterium suum reuersus est. In oppido Scudris iuxta sancti Archangeli monasterium, statis temporibus nubes ingruebat, & in subiectos agros ingentē grandinis copiā demittebat, & magnis imbribus torrens sic excrescebat, vt in oppidum ingrediens, domos euerteret, & villas atque agros absportaret. Certè cùm sæua illa nubes quodam tempore, solito etiam vehementiùs irruisset, violento atque intolerabili impetu torrens intumuit, & oppidi domos, & animalia rationis expertia, & viros & fœminas cum filijs, & paruos infantes in cunis vagientes, & volucres miserabili spectaculo in Sagárim vicinum fluuium exportauit, cùm afferri nullum posset auxilium. Incolæ igitur, qui superfuerant, cum lachrymis ad virum sanctum supplices accedentes, eum ad oppidum adduxerunt. Qui in ea parte, in quam solebat nubes desæuire, cōstitutus, fusis ad Deum precibus, Crucem ibi collocauit: & Dei gratia factum est, vt nunquàm ampliùs sæua illa nubes ingruerit. Et si quandò aut niuium, aut aquarum copia torrens auctus est, nunquàm tamen aluei sui fines transilijt, nec damnum vllum incolis importauit.

Vide magnum effectu Crucis collocatæ.

Bunossus homo immitis, cùm in Orientis partes Proconsul iret, & ad monasterium appropinquaret, audita viri diuini fama, nunciū ad eum misit, rogans, vt ad oratorium sancti Gemelli veniret, quoniam illic ipse Deum adoraturus, cuperet viri sancti benedictionem accipere, cùm non posset ad monasterium accedere, quia festinaret proficisci. Ad eum igitur venit sanctus Theodorus, cumque pro illo precaretur, & ipse staret, nec ceruicem inclinaret, vir sanctus, appræhensis frontis eius capillis, eum deorsùm traxit. Ità virtus fidutiam sumere consueuit, nec humanam metuere potestatem. Iustus enim, vt scriptum est, confidit vt leo. Nos autem, qui cum viro sancto eramus, valdè timebamus, nè Proconsul, vt erat vir ferus & crudelis, contumelia se affectum existimans, indignaretur. At ipse humaniter & precationem, & repræhensionem suscipiens, virū sanctum veneratus est: & manum eius deosculans, pectori suo admouit, obsecrans eum, vt pro se Deum oraret, vt à dolore quodam, quo pectus eius laborabat, liberaretur. Quarè vir sanctus digitis pectus eius leuiter percutiens: Tibi priùs, inquit, orandum est, vt interior homo corrigatur & conualescat. Illo enim curato, facilè exterior liberabitur. Hoc ego quoquè pro me Deum rogo. Quamobrèm da te lenitati, & Deum time, vt preces meæ exaudiātur. Nam si ego quidem pro te orem, tu autē pietatem & virtutem negligas, inanis erit mea precatio. Esto igitur clemens & misericors in homines Christianos. In magistratu tuo nè te crudelem, inhumanumq; præbeas: sed peccata tua considerans, in aliorū peccatis vindicandis sis mitis ac benignus. Caue, nè vnquàm effundas sanguinem innocentem. Si enim is, qui fatuum aliquem tantùm appellârit, reus futurus est: quanto magìs punietur à Deo, qui iniustè sanguinem effuderit? Hæc pietatis semina in eius animo, tanquàm in terra fœcunda, cùm vir sanctus coniecisset, ille nummos aliquot protulit, quos viro sancto religionis gratia daret: recusantemque coëgit accipere, rogans, vt singulos singulis fratribus distribueret. Cui vir sanctus, antequàm eos conspexisset: Quomodò, inquit, cùm sint quinquaginta nummi, ità distribui poterunt, vt singuli fratres, qui sunt centum, singulos accipiant? Tunc ille viri diuini verba admiratus, respondit: Quinquaginta profectò sunt, vt ore tuo sancto, venerande pater, pronunciâsti. Mox igitur totidem alios mittam, vt omnibus satìs esse queant. Quod & fecit. Sic iustorum virtus solet homines etiam superbos, mites ac mansuetos reddere.

Prouer. 28.

Ferocē proconsulē prçclarè admonet officij sui.

Matth. 5.

Apocomensis vici incolæ bouem occiderunt, vt carnibus eius vescerentur. Contigit autem, vt omnes, qui ex illis carnibus comederant, in morbum inciderent, & iacerent vt mortui. Et quicquid carnis reliquum fuit, nigrum euasit ac fœtidum. Qui igitur ex carne illa non gustârunt, id, quod acciderat, viro sancto nunciauerunt. Qui respondit, exitium illud à phalange dæmonum, qui per lebetes pertransierant, prouenisse. Et cùm eo tempore non posset cum illis discedere, benedixit aquæ, quam per vnum è fratribus misit, vt periclitantes conspergeret, eisque bibendam propinaret. Quo facto, cuncti tanquàm è somno surrexerunt, præter vnū, qui mortuus est. Iohānes enim procurator, cuius fratri ea calamitas contigerat, non expectans viri sancti benedictionem, accurrit ad mulierem veneficam: & dum eius incantationes adhiberet fratri, ille animam egit.

Vide & hîc aquæ benedictæ effectum.

Eodem

Eodem in loco nubes immanis vindemiç tempore tantam grandinis copiam demittebat, vt vites etiam multos in annos deuastaret. Sed cùm vir sanctus eò profectus, precibus fusis, Crucem defixisset, nubes eodem quidem tempore deinceps venit, verùm ità pertransijt, vt damni nihil intulerit. Quamobrèm incolæ Deo gratias agentes pro tali beneficio, vinetum monasterio eius addixerunt. Miraculum.

Et alijs in locis talia miracula à sancto Theodoro facta sunt aduersùs cantharos, & locustas, & vermes, & mures, à quibus segetes & vites deuorabantur. Vbi enim tale quippiam accidebat, statìm ad virum sanctum confugientes, vel ipsum secum adducebant, vel aquam, cui manu sua benedixerat, ferebant, vt deuastata loca conspergerent: & statìm quod optabant, assequebantur. Si nubes immanes, & sæuæ grandines regionem aliquam obruebant, aut si torrentes & flumina cum populorum detrimento nimiùm excrescebant, incolæ statìm ad eum concurrebant: & vel ipsum adducebant, vel Crucem de manu eius sumebant, defigebantque in locis, quæ obruebantur: & nullam ampliùs eiusmodi calamitatem accipiebant. Si lues inuadebat boues, aut oues, aut alia genera quadrupedum, aut volucrum, aut etiam homines, similiter assumebant ipsum, aut eius benedictionem, & aquam, cui benedixisset: vel etiam capistra, aut tintinnabula ad eum afferebant, vt illis benediceret: & optatam curationem consequebantur. Qui erant ab immundis spiritibus vexati, precibus eius curabantur. Si inter coniuges odium inciderat, viri sancti precatione pellebatur. Qui filios suscipere non poterant, ad beatum Theodorum confugiebant, vel zonas, quibus ipse benedixerat, assumebant: & precibus ipsius fiebant voti compotes. Quotiès aliquis ægrotabat, propinqui, aut amici oleum, aut aquam, cui vir sanctus benedixerat, adhibebant ægroto, & curabatur. Qui medicorum remedijs, aut opera & manu, aut balneis indigebant, eis vir sanctus consulebat, quibus & medicis, & medicamētis, & balneis vti deberent: & omnes consilio eius obtemperantes, curabantur. Qui verò, neglecto illius consilio, ad alios medicos, vel ad alia remedia, aut balnea confugiebant, grauiùs & periculosiùs ægrotabant. Qui occultas animi ægritudines viro sancto patefaciebant, opportuna remedia accipiebant. Tempus enim pœnitentiæ præfiniebat, quo se vel ieiunijs, vel precationibus, vel eleemosynis expurgarent. Eos verò, qui animi vlcera obtegebant & occultabant, admonebat, vt resipiscerent, & pœnitentiam agerent. Eos autem, qui sese periurijs & blasphemijs obstringebant, graui obtutu repræhendebat, vt ab impia consuetudine desisterent, multisque lachrymis, & obsecrationibus, & bonis operibus diuinam iram placarent. Si enim eos, aiebat, qui tantummodò loquuntur mēdacium, vt Dauid ait, Dominus perdet: quanto magìs illos æternis afficiet supplicijs, qui mendacia periurijs cumulant? Reddes, diuina inquit scriptura, Domino iuramenta tua. Et de omni verbo ocioso, quod homines dixerint, reddent rationem in die iudicij. Quòd si verbi ociosi rationem sumus reddituri, quomodò Dei minas aduersùs periuros, & maledicos, & flagitiosos sustinebimus? Eos porrò, qui inter se gerebant inimicitias, reconciliabat. Qui in iudicio contendebant, eos, vt lites & controuersias transigerent & componerent, hortabatur, monens illos, nè se mutuis afficerent iniurijs, sed vt res istas caducas negligerent & aspernarentur, & diuitijs omnibus anteponerent præceptum illud: Diliges proximum tuū sicut te ipsum. Dilectio enim, vt inquit Apostolus, malum non operatur. Et, Qui diligit fratrem, diligit Deum. Omnes autem cohortabatur, vt hospitales essent, & benigni erga pauperes, atque ità peccata sua redimerent, & sibi cibum in futurum reponerent.

[Marginal notes: Nota hic capistrorū, & tintinnabulorū benedictionem. — Periuros & blasphemos vt tractarit. — Psal. 5. — Matth. 5. — Matth. 12. — Matth. 5. — Rom. 3.]

Erat autem beatus Theodorus valdè clemens & misericors erga omnes. Et si quis apud Principem aut Magistratum opprimebatur, accedebat ad eos vir beatus, & diuinæ parebat scripturæ, ità præcipienti: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: In quo virtutem etiam Iob imitabatur, qui pauperem de manu potentis liberabat. Alijs autem in rebus cum sanctis versabatur, ad gloriam summæ eiusdemque essentiæ & almę Trinitatis, quæ veros & sanctos suì adoratores ad finem vsque tuetur & exornat. Hæc ego Eleusius, qui & Georgius à sancto Theodoro vocatus sum, omnia, Deo adiuuante, conscripsi. Neque verò miraculorum ipsius expers fui: sed ea maximè omnium expertus sum. Cùm enim parentes mei ex oppido Adigermaro oriundi, diù simul vixissent, nec vllos possent liberos suscipere, ad sanctum virum accesserunt: cumque zonas, quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus sum, & in lucem editus, & infans ipsi oblatus, qui & in eius sancto monasterio enutritus, à religiosissimo Præfecto literas didici. Cumque parentes mei filium alterum sancti Theodori precibus susce-

[Marginal notes: Psal. 81. — Iob 29. — Miraculum circa huius historiæ authorem.]

suscepissent, eius illi nomen imposuerunt. Duodecim igitur annorum spatio, quo apud illum vixi, multorum miraculorum, quæ ab ipso facta sunt, inspector fui. Quæ autem ab illo superioribus temporibus gesta fuerant, ea vel à ministris eius, qui spectatores extiterant, vel ab eisdem, qui curati sunt, accepi. Quanquàm & multa me oblitum esse confiteor, & nonnulla propter imbecillitatem meã prætermisisse. Pauca igitur è plurimis attigi: nam si omnia persequi voluissem, me tempus & vires planè defecissent.

Obitus sancti viri. Decessit è vita sanctissimus, & beatissimus, ac fidelissimus Christi seruus Theodorus, tertio Imperij anno pietatis & Christi studiosissimi Imperatoris Heraclij, quo quidem anno filius eius Deo charissimus Constantinus creatus fuit Cæsar, indictione prima, die XXII. mensis Aprilis. Cuius precibus vtinàm ad Christi Dei nostri tribunal misericordiam consequamur, & simul cum ipso cælesti regno potiamur & cum illis omnibus, qui memoriam eius colunt & celebrant, ad gloriam saluatoris nostri Iesu Christi: Cum quo Patri gloria cum sancto Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA S. OPPORTVNÆ VIRGINIS ET ABBATISSAE, EDITA A S. ADELELINO SAGIENSI *Episcopo.*

PROLOGVS AVTHORIS.



Loriosæ ac Deo dilectæ virginis Opportunę hodiè festiuitatem celebrantes, redemptorem nostrum Iesum Christum collaudemus, qui in sanctis suis semper mirabilis esse dinoscitur: & non solùm per viros viam iustitiæ nobis patefecit, verumetiam per fœminas & iuuenilis ætatis puellas exempla religionis & bonæ imitationis cunctis se amantibus ostendit. Deo enim nostro semper cura est de omnibus: & neminem horũ vult perire, quos redemit proprio sanguine. Nam sanctos in sanctitate hortatur permanere, & peccatores à malis operibus discedere, & bonis actibus inhęrere, vt possint ad cęlestem patriam peruenire. Quod virgo sacratissima intelligens Opportuna, diuina gratia inspirante, ab ipsa infantia Domino seruire constituit, vt mereretur cum electis & prudentibus virginibus in cælo regnare. Quæ posita in huius terræ peregrinatione, semper plùs cælestia, quàm terrena, studuit diligere. Eiusdem igitur dominæ nostræ Opportunæ intercessionem vnanimiter deprecari debemus, antequàm de vita & cõuersatione morum eius aliquid tractemus, siue antequàm quicquam de miraculis, quę per merita eius Dominus operatus est, disputemus: vt Christi adiutorio & eius assiduis precibus, ab omnibus malis eruamur, videlicet ab insidijs diaboli, & à laqueis ac varijs huius seculi impedimentis: & vita nostra, intercedente B. Opportuna, maneat secura inter prospera huius vitæ & aduersa, quæ affligitur grauium peccatorum conscientia. Concedat etiam nobis Domini nostri pietas, actus iam dictæ dominæ nostræ Opportunæ, & virtutum eius magnificentiam scribendi facultatem, ad præsentium & futurorum vtilitatem: qui aperit os mutorum, & facit disertas infantium linguas: Quique temporibus Balaam ad loquendum, angelicis terroribus os aperuit tremefactæ asinæ, repleat paruitatem nostrã eloquio miserationis suæ, & donet mihi indigno suo famulo aliquid dignè narrare in laudẽ dilectæ suę, dominę nostrę Opportunæ. Et si non pro meis meritis, tamen pro vtilitate diem festum B. Opportunę celebrantium, distillet in nobis vel paruissimam sui roris guttam, qui temporibus Moysi de petra iussit exire largissimam aquam: vt sicut tunc populus sitiens satiabatur aquis illius petræ, ità & hæc plebs, quæ modò huc aduenit pro amore dominæ nostræ Opportunæ, gaudens recedat cum sua iucunditate, audita virtutum eius reuelatione. Nunc vobis dilectissimi filij, prout Dominus ministrauerit, narraturi sumus, quanta diuina gratia in famula sua, virgine Opportuna, operari dignata est mirabilia. Sed vos non pigeat audire, quod in ea Dominus perficere voluit: quia dum ancillam suam glorificat, nos ad eius inuitat exempla: vt operum illius imitatores effecti, ei mereamur in cælestibus sociari, & vestigia virginis imitãdo, atque præcepta Dominica obseruando, possimus cum illa cælestis regni perfrui gaudio. In paucis, quæ dicuntur, maiora intelligite: quia quibus pauca non sufficiunt, plura prodesse non possunt. Maiora enim de domina nostra Opportuna oportet credere, quàm possit nostra locutio demonstrare.

Psal. 67. Matth. 25. Sap. 10. Num. 22. Num. 20.

VITAE

VITÆ HISTORIA.



SAncta igitur Opportuna, meritis & nomine digna, vitam diligens seruare angelicam, Domino Deo vouit virginitatem suam. Atque vt liberiùs Domino deseruiret, & ab omnibus seculi curis vacare posset, pompas & diuitias mundi abijciens, quarundam sanctimonialium fœminarum collegio, eo, quo infrà dicturi sumus, iuuante Domino, sociata est modo. Nam parentes eius nobilitatis genere pollentes, & regalis prosapiæ apice florentes, inclyti Oximensis pagi super omnes, qui ibidèm morabantur, homines, duo luminaria mundo genuerunt, beatum videlicet Godegrandum, Sagiensis ecclesiæ, cui ego, Domino disponente, deseruio, episcopum, & dominam nostram Opportunam, cuius hodiè patrocinia veneramur, sororem eius almifluam. Beata autem Opportuna, in annis puellaribus constituta, nobilis erat genere, sed nobilior fide: decora & pulchra facie, sed pulchrior mente & operatione: castissimum semper retinens vultum, habitu manebat pudica supra omnes coæuas, quæ tunc morabantur in terra. Cumque esset mentis & corporis elegantia adornata, & omnibus gratissima, multi præpotentes viri, diuitijs & varijs opibus referti, in matrimonium eam sibi coniungere satagebant. Promittebant ei auri & argenti immensa pondera, demonstrabant delectabilia mulierum ornamenta, gemmis & margaritis radiantia. Offerebant seruos & ancillas, & diuersæ facultatis prædia, quæ illicere potuissent animum puellæ, nisi illustrata fuisset cælesti gratia. Has omnes promissiones ipsa ceu quisquilias quasdam & purgamenta contempsit mundi, vt munda & casta posset peruenire ad thalamum cælestis sponsi. Nam quanto maiora illi promittebant dona, tanto magìs animus puellæ ab amore illorum recedebat: considerans in Deo preciosiora esse munera, quæ summo studio quandoquè obtinere desiderabat. Enimuerò intantùm fixa in obsequio diuini amoris manebat, & paulatìm adeò in bonorum operum crescebat exercitijs, vt si adfuisset gladius persecutoris, spontè pro Domino bibitura fuerit calicem passionis. Quia verò duo sunt martyrij genera, vnum in occulto, & alterum in publico: non deerat illi corona martyrij, quę quotidiè in corpore crucem perferens Christi, sapienter deuicit oblectamenta carnis, mundi & diaboli. Fortis enim bellatrix Christi, armis Dominicis munita incedens, videlicet scuto fidei, & lorica iustitiæ, & gladio spiritussancti, noluit aliquandò ea deponere, donèc virtute diuini adiutorij omnes hostis antiqui insidias deuinceret, & cum triumpho victoriæ, laureata serto iustitiæ, Deum deorum in cælesti Sion videret. Noluit apparere inermis, nè sauciaretur diabolicis sagittis. Nunquàm in ea diabolus quod voluit, inuenit: quia rex fortis & potens in prælio Dominus, cui toto corde seruiuit, & quem totis visceribus dilexit, ab omnibus inimici insidijs eam illæsam custodiuit: quia à mandatis eius nunquàm recessit, frequenter cum Psalmista decantans: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Appræhende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Aprilis 22. — *S. Opportuna vouit Deo virginitatem.* — *Genus illustrissimum.* — *Godegrandus frater eius.* — *Petitur à multis in coniugem.* — *Contemnit mundi caduca res.* — *Duo martyrij genera.* — *Psal. 23.* — *Psal. 34.*

Quadam autem die ipsa dilecta Dei Opportuna cum multa fidelium turba, patre quoquè & matre secum pergentibus, ecclesiam intrans, audiuit Dominum in euangelio dicentem: Vade, vende omnia quæ possides, & da pauperibus: & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Quę omnia diligenter auscultans, & secum velut mundũ animal ruminando pertractans, ad genua patris & matris prouoluta, in hæc verba prorupit: Eià mi dulcis pater & amabilis mater, per tremendum & amandũ eius nomen, cuius verba modò sonuerũt in auribus nostris, attestor, nè mihi ampliùs quæratis sponsum in terris, quia iam sponsum habere cupio Dominum meum Iesum Christum in cælis. Sequar iam vestigia dominæ meæ, beatæ Mariæ, Dei genitricis, nec vllius filij admittam copulam, nisì illius, quem virgo concepit, virgo peperit, & virgo permansit. Huius ego matris deprecabor gratiam, vt me ancillam suam nuptijs filij sui faciat dignã, vt cùm filio suo coniuncta fuero, matri & filio, sponso & Domino meo sine alicuius perturbationis obstaculo seruiam in æternum. Multùm pater & mater beatæ Opportunæ super his mirabantur, & tandèm pro constantia filiæ suæ læti existentes, Deo gratias egerunt immensas, qui in filia ipsorum radicem huius bonæ voluntatis plantare dignatus esset, deprecantes vnanimiter, vt quod plantauit, ei etiam incrementũ donaret.

Matth. 19.

Cumque fideles, qui aderant, dixissent, Amen: beata Opportuna ab oratione erecta,
Psal. 44. læta patrem respiciens, dixit: Iam filia Christi facta, audiam vocem eius, & inclinabo aurem meam ad eum, & obliuiscar populum meum, & domum patris mei, quia concupiuit rex speciem meam, & ipse est Dominus Deus meus, & adorabo eum. Intereà appropinquat dies, quo B. Opportuna episcopali benedictione velamen consecratū capiti suo imponat, & abiectis iucunditatis & secularibus ornamentis, induatur vestibus
Accipit monasticū habitum. sacræ religionis. Itaque deposita regia purpura, multùm lætatur, vili circumamicta tunica. Tunc stipata multitudine parentum, & frequentia sequentium hominum, peruenit ad quoddam cœnobium, Sagiensi vrbi vicinum, quod est in saltu Algiæ sitū, & vulgò vsitato nomine nuncupatum Monasteriolum. In eo itaque loco digna Deo puella Opportuna, omnibus seculi rebus valefaciens, & soli Deo vacare cupiens, accepto sanctæ conuersationis habitu, cœtui sanctarum coniuncta est fœminarū, Domino ibidèm famulantium. Videbatur autem quibusdam sanctimonialibus, quòd dum beata Opportuna idem cœnobium ingrederetur, angelus Domini eam custodiens præcederet. Dignum quippe erat, vt quorum vitam imitari disposuerat, ab eis custodiretur. Habi-
In cœnobio vt vixerit. tans autē inter sacratas virgines, non sicut rudis, sed vt perfecta conuersabatur. Et omnibus diebus vitæ suæ talis fuit conuersatio illius, vt à nemine posset repræhendi. Breui au-
Psal. 1. tem tempore repleta est scripturæ sacræ doctrina: quia die ac nocte meditabatur in lege Domini. Humilitatis & obedientiæ gratia super omnes eminebat: quia maioribus seruiebat, vt matribus: minores diligebat, vt sorores. Erga omnes erat obediens & mi-
Matth. 11. tis, secum reuoluens diuinum præceptum: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quanto enim clarior erat nobilitate generis, tanto magìs se cunctis subdebat hu-
Eccli 3. militate, sciens scriptum: Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.

Cumque his & alijs abundaret virtutibus, accidit vt mater, quæ cæteris præerat sororibus, migraret ad Christum. Tunc sanctimoniales omnes vno consensu & pari voluntate elegerunt dominam nostram Opportunam, vt inter eas culmen prælationis obtineret. At illa, cùm multùm contradicere vellet, sed pro veneratione obedientiæ non valeret, petijt trium dierum inducias, vt pro hac re Dominū deprecaretur. Quod
Creatur Abbatissa. cùm factum fuisset, reuelatum est illis, quòd B. Opportuna digna esset honore prælationis. Deindè mater & Abbatissa super omnes constituta, maiori corpus suum cœpit domare abstinentia. Nam frequenter tota nocte in Dei laudibus vigilabat, & sæpè in die
Magna abstinentia. à cibis omninò abstinebat. Feria quarta & sexta nihil manducabat: alijs diebus ad vesperum panem hordeaceum cum aqua & aliquo cibo vilissimo sumebat. Die Dominico paruissimis pisciculis vescebatur, non propter ventris ingluuiem, sed propter diei Dominici venerationem. Nec tamen ipsos sumebat vsque ad satietatem, sed tantùm ad corporis sustentationem. Si quandò quæpiam ex sororibus eam interrogaret, dicens: O dulcis mater, quarè tam frequenter abstinendo corpus maceras, sic respon-
Gen. 3. debat: Adam de paradiso eiectus est, quia pomum vetitum manducauit: & nos illuc redire debemus ieiunando. De potu vini & esu carnium non oportet nos quicquam dicere, quæ ipsa nolebat attingere. Et tamen cùm ab his ipsa abstineret, sanctimonialibus omnia sufficienter ministrabat. Ipsas enim & spiritualibus & corporalibus cibis decenter alebat.

Super omnia infirmos & pauperes diligebat, & eis tanquàm Christo ministrabat,
Matth. 25. reminiscens verbi euangelici: Infirmus fui, & visitâstis me: &, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Balneis non vtebatur, cilicium semper occultè ferebat. Ità
Vestitus eius. erat vestita hyeme, sicut æstate: nec pro frigore adijciebat, nec pro calore detrahebat. In lecto quandò iacebat, vnum sagum tantùm habebat, & illud cilicinum: sed in die, propter frequentiam hospitum superuenientium, precioso tegebatur opertorio lectu-
Psal. 6. lus eius. Fluxu madebat lachrymarum, dicens cum Psalmista: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Nullus eam vidit iratam; sed semper tranquillam & blandam. Delinquentes sorores verborum castigatione & exempli sui proponenda imitatione emendabat. Quòd si aliqua in duritia mentis permaneret, tandiù pro ipsa Dominum deprecabatur, donèc ad emendationem adduceretur. Neminem cædebat, sed dulciter omnes regebat, & clementiam sui pectoris declarabat suauitate sermonis. Ipsa enim quæ proferebat verba, sale sapientiæ videres esse condita. Non est æquum, audientibus longa narratione adferre fastidiū. Nam si bona omnia & virtutes, quas B. Opportunæ diuina pietas conferre dignata est, dicere volue-

voluerimus, antè dies iste, quàm oratio nostra, finem habebit. Inter cætera verò talem illa habebat consuetudinem, vt si quid impetrare voluisset, orando apud Dominũ obtineret. Et si ab aliquo lædebatur, aut aliquis ei molestiam fecisset, orando cuncta mitigaret. Quòd si latro de ditione vel rebus eius aliquid furtìm abstulisset, tandiù cũ oratione sua ligabat, donèc ablata restitueret. Si autem lupus, aut vulpecula, siue aquila aliquam bestiarum raperet, sola iussione restitui faciebat. Et quod tunc manens in corpore operabatur, hoc nunc viuens cum Christo, eodem fauente, operatur. Quod multis modis experiens, modò cognoscit & narrat Gallicana & Neustria terra: quæ gaudent, mirantes virtutum eius insignia, quæ per famulam suam operatur diuina clementia. Miracula eius.

Porrò cùm esset in iam dicto monasterio, & præesset ibi sanctimonialibus, factũ est, vt venerabilis frater eius Godegrandus, Sagiensis ecclesiæ episcopus, ob amorem cælestis patriç, Romam ad limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & diuersa loca sanctorum causa orationis vellet peragrando circumire. Cumque secum isthuc deliberaret, velletque tali in opere septem annorum curricula transigere, vt laborando, peregrinando & orando, posset delictorum veniam & gaudia æterna obtinere, disposita ecclesiæ suæ administratione, cœpit misericordiã Dei inuocare, vt custos eius esse dignaretur in concepto itinere. Accersito itaque quodam viro, diaboli amico, pleno totius nequitiæ dolo, qui pristinus amicus esse putabatur, & erat ei affinitate coniunctus, præsesq; erat Oximensis pagi, & vocabatur Grodobertus: videntibus cunctis, qui aderant, commendauit ei defendendum omnẽ locum & episcopium suum, ità cum eo loquẽs: O dulcis amice Grodoberte, committo fidei & amicitiæ tuæ omne officium ecclesiæ meæ, & omnem facultatem & supellectilem substantiæ meæ, donèc, Domino volente, redire potero: vt Domini miseratione & mea oratione simulq; tua defensione, grex mihi commissus, ab inimicorum hominum seruetur incursione. Benedicens deindè dominus Godegrandus omni plebi, & exhortans, vt in mandatis diuinis persisteret, valedicens etiam simulatori Grodoberto, perfusus lachrymis, cœpit iter agere longç peregrinationis. Godegrandus episcopus longinquam suscipit peregrinationem.

Sed quia scriptum est, Simulatores & callidi prouocant iram Dei: &, Simulator ore decipit amicum suum: post recessum domini Godegrandi noluit prædictus Grodobertus esse defensor loci, sed magìs inuasor & deprædator populi. More nanque luporum cœpit cõmendatas sibi oues non defendere, sed dilaniare: cœpit substantiam earum auferre, & neminem sinebat quietè viuere. Postponens itaque omnem amicitiã, & pro nihilo ducens affinitatẽ, postquàm res ecclesiæ cunctas crudeliter diripuit, contra decreta antiquorum patrum & instituta omnium canonum, dum adhuc dominus noster Godegrandus viueret, & Domino in peregrinatione deseruiret, eidem ecclesiæ Sagiensi fecit se episcopum ordinari. Tum verò, non accepta iusta benedictione, sed repletus diuina maledictione, non sicut pastor agebat, sed vt mercenarius iniquus, sola lucra terrena quærens, animarum salutem paruipendens. Ardentiùs enim Mammonæ, quàm Domino, seruiebat. Cùm hæc agerentur, soror beati antistitis, miserijs & calamitatibus afflictæ ecclesiæ condolens, assiduè Dominum deprecabatur, vt ab hac oppressione Sagiensem familiam liberaret, & fratrem suum ei sanum videre concederet. Superna itaque pietas, quæ clamantes ad se exaudit, citò, quod sancta Opportuna precabatur, ad effectumperduxit. Nam veniente anno septimo peregrinationis domini Godegrandi, & incolumem sorori suæ eum ostendit, & ab omni peccatorum contagio mundatum, per martyrij palmam ad cælestia regna euexit, & de manu tyranni Grodoberti plebem suam liberauit. Iob 36. Prouer. 11. Grodoberti perfidia & inhumanitas.

Nempe cùm rediret B. Godegrandus, multorum relatione didicit tyrannidem scelerati Grodoberti. Cognita igitur illius nimia cupiditate & crudelitate, memor Dominici præcepti, dicentis: Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: obnixè Dominum precatus est, vt peccatis Grodoberti parcendo veniam daret. Posteà verò eundem per nuncios blandè admonuit, vt à nequissima inuasione & inaudito scelere animum reuocaret. Noluit enim primùm ad Sagiensem Ecclesiam pergere, sed, nè locum daret diabolo, diuertit ad iam dictum Monasteriolum, vbi soror eius solerter Domino seruiebat. Cùm venisset autem nuncius digni Deo præsulis ad iam dictum tyrannum, ille simulans se gaudere de reuersione amici, fraudulenter talia remisit ei mandata: Noueris dulcissime pater, quoniam viri de longinquis patrijs aduenientes, te ab hac luce migrâsse dixerunt: sed quia sospes reuersus es, omni tuæ sedis & pontificatûs potestate recepta, vtere ea lõgo tempore feliciter. Non enim Matth. 5. Vide fraudem.

in vno episcopio decet duos episcopos residere. Precamur itaque, vt simul loquentes pristinis vtamur amicitijs, sicut experit ordo charitatis & mutuæ dilectionis. Festinabat nuncius dicta impij Grodoberti nunciare auribus domini Godegrandi. Sed vbi episcopus cum sorore sua verba audiuit fraudulenta, talem B. Opportuna, spiritu prophetiæ repleta, responsionem dedit: Scias frater, quia molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Cognoscentibus autem illis, quia appropinquabat tempus vocationis B. Godegrandi, & quia Deus vellet eum numero sanctorum martyrum & episcoporum per effusionem sanguinis coniungi, cœpit tanquàm pius pastor iter arripere, vt animam suam pro ouibus sibi à Domino commendatis posset ponere. Sed lupus rapax Grodobertus secum pertractans, quia si pastorem interficeret, securè posteà ouiculas dilaniaret, cœpit more Pharisæorum & Iudæorum, qui Dominum crucifixerunt, intra se quærere, quomodò sanctum episcopum posset sic interficere, vt immunis populo videretur ab eius sanguine. Nec defuit ei consilium traditoris Iudæ: quia, vt Iudas, plenus erat diabolicæ persuasionis suggestione. Habebat siquidem secum virum malignum, qui fuerat B. Godegrandi filius spiritualis, quem de vnda baptismatis sacri leuauerat: & loculos ipsius, sicut Iudas Domini, deferebat: & eundem scelestũ virum diuitijs & honoribus alliciebat, vt si beatum Godegrandum interficeret, maiorem gratiam præ cæteris sibi adstantibus obtineret. Acceptis itaque auri & argenti, terrarum equorumque muneribus, iurãdo promisit, se B. Godegrandum interfecturum. Hoc ergò Grodoberto magnum peperit gaudium.

Psal. 54.

Grodobertus machinatur necē Godegrando.

Iohan. 12.

Quadam igitur die, cùm B. Godegrandus vellet Alemannicas cœnobium pergere, vt cum venerabili Lanthilde, sibi affinitate coniuncta, de diuinis sermonibus colloqueretur, dum transiret per Nouantium prædiũ, vidit eum filius diaboli Grodobertus per fenestram cœnaculi. Tunc aduocato sancti Godegrandi filiolo, præcepit, vt ad necem sancti pontificis properaret, si dicta munera obtinere vellet. Qui spontè properans, ad sanctum Godegrandum accessit, & repletus diri draconis astutia, toruis & crudelibus oculis sanctum virum adspiciens, mortiferum venenum sub lingua aspidea & antro cordis retinebat. Quod videns B. Godegrandus, & calliditatem animaduertens, sereno vultu dixit: Quid est hoc fili? Vt quid pestiferæ cogitationes virulentum animum tuum conturbant? An ignoras, quia ego sum spiritualis pater tuus Godegrandus? Quid moraris? Fiat, quod permittit Domini voluntas. Ipse autem truculentus & audax, osculari se ab episcopo petijt. Tunc gloriosus Godegrandus eleuans oculos in cælum, & sciens iam imminere horam mortis, orauit ad Dominum, & dixit: Domine Iesu, pijssime redemptor, suscipe spiritum meũ, quem dedisti, & custodi gregem, quem commendâsti mihi peccatori. Vtinàm merear cum eis regnare in cælis, pro quibus non dubito sustinere passionem in terris. Cumque de cælis exauditam esse deprecationem suam audiret, mox percussori suo in simplicitate cordis osculum dabat libentissimè. Ille autem euaginato gladio, sanctum Dei pontificem bis in sincipite percussit. Cuius venerandi capitis percussionum cicatrices, quasi à medicis sanatæ, modò nobiscum, Domino donante, manent & apparent. Sic dilectus Deo pontifex & pastor bonus, noster Godegrandus, vitam in terris finiuit, & angelicis cœtibus spiritus eius in cælis coniunctus est tertio Nonas Septembris. Quia in modico fidelis fuit, nunc in gaudium Domini ingressus, supra multa est constitutus. Qui autem eum interfecit, in eodem loco à dæmone arreptus, nec data munera obtinuit, & ad inferna heu proh dolor celeriter descendit. Grodobertus quoquè, author miseræ calamitatis, diuinæ percussionis vltione turpiter & quidem breuì vitam finiuit: quia non potest benè mori, qui malè vixerit.

S. Godegrãdus à perdito nebulone iugulatur.

Matth. 25.

Vltio diuina in eius percussorē.

Quidam autem hæc videntes religiosi viri & vicini, cum psalmis & cereis conati sunt corpus sancti Godegrandi proprij episcopi de terra erigere, vt iuxta consuetudinem Ecclesiasticam illud mandarent sepulturæ. Sed tanto pondere hæsit in terra, vt à nemine illorum posset moueri. Quo comperto, sancta Lanthildis cum sanctimonialium agmine acriter lugendo & flendo cœpit illuc pergere. Cui similiter contigit. nam nulla ratione corpus sanctum potuerunt de terra leuare. Relatio igitur tanti doloris ad B. Opportunam peruenit, quòd scilicet frater eius iniusta factione Grodoberti iugulatus iaceret in terra, & à nullo posset indè leuari. Quæ in ecclesia existens, cum omnibus sanctimonialibus sibi subditis Domino commendabat animam fratris: & à sacerdotibus Missarum officijs celebratis, Deo obtulit sacrificia syncerissimæ orationis. Didicerat enim, spiritu sancto sibi reuelante, iam fratrem suum ad cælos migrâsse

Corpus eius loco moueri nō potest.

cum

cum palma martyrij. In ipsa quoquè diuina reuelatione Dominum deprecata fuerat, vt corpus fratris sui tam diù immobile in terra iaceret, donèc pro eius anima cōgruas Domino preces funderet, & dehinc proprijs vlnis in ecclesiam ad locum sepulcri deportaret. Orabat amita sancta Lanthildis, vt corpus sancti Godegrandi episcopi & martyris à terra eleuaretur: precabatur neptis B. Opportuna, nè corpus fratris moueretur. In ambabus erat sanctitas, sed in domina nostra Opportuna feruebat charitas fraterna. Vicit itaque S. Opportunæ orationis assiduitas, vt sciamus, quoniam omnia præcellit charitas. Dignum nanque erat, vt B. Opportuna, quæ fraternæ mortis dolore torquebatur, gratia exauditæ deprecationis à Domino consolaretur. Suscepto itaque nuncio tanti doloris, mortem fratris referentis, amarissimis B. Opportuna perfusa lachrymis, dixit: Domine mi Iesu Christe, amator & dispensator fraternitatis, permitte me simul gaudere cum fratre meo in cælestibus regnis. Bonum est enim & iucundum, habitare fratres in vnum. Precor Domine, vt quos coniunxit in terris fraterna natiuitas, tua nos in cælis coniungat benignissima pietas.

S. Opportuna valdè afflicta nece eius.

Psal. 132.

Deindè oratione completa, ad fraterna perrexit funera. Et respiciēs exanimem fratrem, semiuiua cecidit in terram: & sanctis manibus crebrò percutiens pectus, infelicē se clamabat & miseram, dilectione fraterna destitutam. Dirumpensque capitis crines, scindebat vestimenta corporis, ostendens cunctis acerbitatem sui doloris. Cumque lingua taceret præ dolore nimio, volutabatur in humo: dehinc eiulando, has voces dabat in cælum: Væ mihi miseræ: circundant me ex omni parte angustiæ, quia destituta sum fraterno solamine. Heu me, quid modò faciam? Heu me peccatricem, quò me vertam, aut quid dicam? Subueni Christe. Vbi erit deincèps consolatio mea? Nimirùm ipse mihi frater, ipse pater & mater & dominus meus existebat, & in omnibus adiutor meus erat. Inter acerbos dolores & luctus varios venerabilis Lanthildis & omnes, qui aderant, sanctam Opportunam mœrentē dulcibus verbis consolari studebant, dicentes: Cessa dilecta Deo Opportuna: desine iam martyrem Christi, fratrem tuum, flere, quem citissimè, sicut desideras, videbis cum Christo feliciter regnare. Intermitte modò pro illo lachrymas fundere, cuius sacra intercessio nobis poterit apud Deum prodesse. Nulli enim dubium, quia qui pro inimicis & interfectoribus suis orauit, nostrî quoquè memoriam habebit. Quanto enim Christo plùs adhæsit, tanto maiora nobis beneficia præstabit: quia licèt sit nobis absens corpore, tamen suis amatoribus non deest sancta intercessione. Hæc B. Opportuna audiens, corpus fratris inter vlnas suscepit, & quem multi & fortissimi viri nequiuerunt à terra leuare, ipsa cœpit sola sine labore portare. Igitur B. Godegrandi corpus cum multitudine populi, diuersi ordinis clericis, & lamentantibus virginibus, cum cereis & resonantibus psalmis perducitur ad iam dictum Monasteriolum, ibique debito honore, agente B. Opportuna, conditum sepelitur. Vbi etiam per multa annorum curricula per eius merita multa virtutum insignia operata est diuina clementia, cui est laus & honor per infinita seculorum secula, Amen.

En sancta virgo sola fert corpus fratris.

Post obitum igitur sancti martyris & pontificis Godegrandi, Dominus noster Iesus Christus cœpit famulam suam Opportunam insignibus virtutum miraculis glorificare. Quis enim dignè valeat explicare, qualis & quàm feruens demùm in Dei seruitio permanserit? Nam in lege Domini sine fatigatione quiescebat, & nulla turpi conuersatione inquinabat corpus suum. Et quia à consuetudine peccandi omnimodis se retrahebat, maximam à Domino in curandis infirmis est gratiam adepta. Nam multi ad eam varijs modis oppressi venientes, per orationes eius à Domino sanitatem recipiebant. Claudis per inuocationem gressus restituebat, cæcis visum reformabat, & ab obsessis corporibus dæmonia ejiciebat. Cum flentibus flebat, & omnibus, quibuscunque poterat, consolationem adhibebat. Omnes quippe, qui ad eam aliqua oppressi calamitate, aut grauati aduersa valetudine, vel furis aut raptoris damno afflicti veniebant, gaudentes, desideriorum suorum vota consecuti, reuertebantur. In ipsa semper erat iugis oratio, & assiduus gemitus. Corpore integra persistens, mente & operatione semper in cælum tendens, beati Pauli doctoris gentium imitatrix effecta, dicentis: Nostra autem conuersatio in cælis est. Tota mentis virtute spernebat gaudia huius vitæ, & cuncta delectamenta secularium voluptatum, modis omnibus desiderans coniungi agminibus cælestium virtutum. Orabat nanque, vt posset dissolui & esse cum Christo. Antequàm autem anniuersarius dies obitûs fratris sui appropinquaret, nimijs vigilijs & ieiunijs corpus affligens, suppliciter Dominum deprecabatur, dicens: Re-

Multis claret B. Opportuna miraculis.

Philip. 3.

Redemptor mundi, cui ab infantia deseruiui, quique me hucusquè custodîsti, fac me ancillam tuam cum martyre tuo fratre meo Godegrando velociter in cælum suscipi, vt tecum gaudeamus in æternum, cui seruiuimus in hac mortali peregrinatione. Intelligens autem se à Domino exauditam, & sciens imminere diem optatæ vocationis suæ, conuocauit sorores: quibus non tantum prçerat, quantum proderat: & talibus eas allocuta est verbis: Dulcissimæ sorores, & amantissimæ filiæ, satis dignum & congruum videtur, vt pro concessis nobis à Domino beneficijs gratias illi pro virium nostrarum facultate agamus, & pro negligentijs & multimodis peccatis nostris veniam ab eo implorare satagamus. Quicquid enim boni in nobis est, ab illo accepimus: quia sine illo nil boni facere aut cogitare possumus. In illo nanq; viuimus, mouemur & sumus. Quid autem nos sumus, nisi corruptibiles creaturæ? Et quid post mortem erimus, nisi puluis & cinis? Certè caro nostra, quam modò nimis diligimus, & cui quantùm possumus, diuitias & delicias præbemus, cùm in terra sepulta fuerit, à vermibus consumetur. Iam floremus & superbimus in mundo: post mortem erimus putredo & vermis. Et quod cum dolore nimio profiteor, impijs erit in inferno perpetua damnatio. Hæc, dilectissimæ filiæ, conuenit omnibus Christi sanguine redemptis in memoria habere, quia exhortatur nos scriptura, dicens: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Deindè ante pedes filiarum prosternens se, ream se & peccatricem confessa est, dicēs: Noueritis sorores, quia appropinquat hora temporalis mortis meæ: & ideò cum omni humilitate benignitatem vestram deprecor, vt mihi pro amore Dei dimittatis, si aliquam ex vobis læsi, aut si vobis molesta fui, & si aliquid indecenter contra regulā de rebus vestris, quas mihi commendâstis, egi. In his enim & alijs multis me peccâsse agnosco: & idcircò pro illius amore parcite mihi, qui dixit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cælestis peccata vestra. Talia beatæ Opportunæ adstantes sorores audientes verba, diutissimè præ repentino dolore conticuerunt. Et deindè eam à terra leuantes, & sermoni singultus varios & lachrymas intermiscentes, Mater, inquiunt, dulcis Opportuna, nobis multa bona prçstitisti, & nos nunquàm lçsisti. Si autem in aliquo deliquisti, parcat tibi & indulgeat pietas Christi, quem semper amâsti.

Impetrat à Domino vt possit abire è vita. *Iohan. 15.* *Actor. 17.* *Eccli 7.* *Matth. 6.*

Postquàm autem illa cunctis sororibus secundùm petitionem earum indulsit, taliter, residens inter illas, cœpit loqui: O sorores charissimæ, diligenter attendite verba exhortationis meæ nouissimæ. Sicut duplicia sunt opera, bonorum scilicet & malorū: ità duo sunt retributionum loca, iustorum & impiorum. Attendite ergò, vt bona operantes, & à malis cauentes, in retributione iustorum inueniamini. Cuius bonæ operationis radices tres sunt præclaræ & magis insignes, fides, spes & charitas. Et ipsa charitas tantùm fidem prçcellit & spem, vt ipse Deus charitas sit, dicente B. Iohanne: Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Si ergò vultis vt charitas, id est, Deus maneat in vobis, omni tempore discordiam, id est, diabolum expellite à vobis. Obseruate, quod promisistis in baptismate: scilicet, renunciate hosti antiquo & omnibus pompis eius. Deū ex toto corde diligite, & mandata eius obseruate. Vnumquenque Christianum, tanquàm vosmetipsas, diligite: quia qui odit fratrē vel sororem suam, homicida est. Facite alijs, quod vobis fieri vultis. Si spiritus Dei habitat in vobis, templum Dei estis: & templum Dei sanctum est, quod vos estis. Nolite ergò polluere templum Dei: quia ad imaginem Dei creatæ estis. Qui autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Sit in vobis vera & perfecta humilitas. Prælatis vestris obedite, omnes diligite, per charitatem inuicèm seruite. Nolite esse verbosæ: quia in multiloquio peccatum non deerit. Omnia cum discretione agite. Nè sitis bilingues, neque edaces, neque vinolentæ, neque somnolentæ. Sanctæ lectionis & boni operis studium habete: quia inimica est animæ ociositas. Peccata nolite perpetrare, sed perpetrata, per pœnitentiam delete. Laus Dei ab ore vestro non recedat. Mementote, quia diabolus fideles Christi semper supplantare nititur. Infirmis necessaria ministrate, pauperibus eleemosynam date: quia eleemosyna à morte liberat: & sicut aqua extinguit ignē, ità ipsa peccatum. Omnibus, quibus potestis, adiutorium impendite. Ab omnibus malis declinate, & in bonis omnibus vos exercete, vt hæredes efficiamini patriæ cælestis. Precor, vt cùm ab hac luce post diem duodecimum migrauero, sepeliatis me iuxta sepulcrum martyris Christi, domini Godegrandi episcopi.

Eius extrema ad sorores oratio. *1. Iohan. 4.* *1. Iohan. 3.* *Prouer. 10.* *Tob. 12.* *Eccli 3.*

His & alijs sanctis alloquijs confortans sorores, cœpit B. Opportuna graui corporis infirmitate detineri, & febris molestia prægrauari. Cumque membra corporis lectulo dedis-

dedisset, & omnes artus eius vis morbi infestaret, tamē ab ore eius laus Dei nullatenùs recedebat. Exacta autem quadam nocte, dum iam aurora diei sequentis inciperet, in domo, vbi quiescebat, maximi luminis splēdor apparuit, & suauissimi odoris mira fragrantia efferbuit. Tunc dilecta virgo, vidit beatam Cæciliam & sanctam Luciam causa visitationis ad se venire. Quas cùm vidisset, blando sermone ita salutauit. Auete sorores Cæcilia & Lucia. Quid præcepit ancillæ suæ gloriosa virgo Maria, cælestis regina, & omnium virginum domina? Respondentes sacræ virgines Cæcilia & Lucia, dixerunt: O splendidissima sponsa Christi Opportuna, expectat aduentum tuum intacta virgo Maria, vt filio eius coniungaris in cælo, quem totis visceribus dilexisti in mundo. Ornata corona gloriæ tuæ & accensa lampade, debes ire obuiàm sponso & sponsæ. Post lætitiam autē tam præclaræ visionis & visitationis, eccè in sinistro angulo domûs adstitit terribilis dæmon & nimìs ferox, in specie nigerrimi Aethiopis, cuius capilli & barba distillabant quasi picem calidam & liquidam. Oculi eius erant quasi ferrum ignitum, quod de fornace multis scintillis emicans producitur. De ore & naribus eius flamma exibat & vapor sulphureus. Quem videns B. Opportuna, imperterrità dixit: Præcipio tibi diabole, author totius malignitatis, nè ab hoc loco mouearis. Tunc omnes sanctimoniales aduocans, & denūcians eis, quàm terribilis ibì adesset inimicus, dixit eis: Eccè spiritus immundus & totius malitiæ repertor, qui omnibus diebus nos impugnabat, Domino adiuuante, ab ancilla Christi victus confunditur. Precor itaque, amantissimæ sorores, ne eius suggestionibus & incentiuis cogitationibus acquiescatis. Tunc conuersa ad eum, dixit: In nomine Domini recede à me ferox & truculente inimice Christi, quia non me ancillam Christi superabis, sicut Euam primam fœminam superâsti. Ex hac ergò visione & S. Opportunæ admonitione decæterò sanctimoniales feruentiores in Dei seruitio extiterunt. Cumque iam prægrauante corporis infirmitate duodecimo die, sicut ipsa domina nostra Opportuna prædixerat, sciret adesse horam vocationis suæ, præcepit sacerdotibus pro animæ suæ commendatione Missarum solennia celebrare. Iussit etiam, vt omnes sanctimoniales à maiore vsque ad minorem Domino offerrent libamina. Quod cùm factum esset, iussit Dominicum corpus afferri & sibi dari. Quo accepto, dixit: Corpus tuū Domine proficiat mihi ad salutionem animæ meæ. Et dum clerus in exitu sanctæ illius animæ, & adstātes sanctimoniales psalmos decantarent, & ipsa cum eis decantaret, respiciens ad ostium domûs, dixit his, qui psalmos dacantabant: Eccè aduenit domina mea B. Virgo Maria, cui vos cōmendo, quos in hoc seculo ampliùs non videbo. Extendente autem ea brachia, quasi matrem Dei vellet amplexari, sancta eius anima carne est soluta, & viuit cum Christo per æterna secula. Cumque omnes vnanimiter quasi propriam deflerent matrem, sepelierunt eam iuxta sepulcrum fratris sui, sicut ipsa viuens deprecata fuerat. Ibique Dominus noster Iesus Christus per merita amborū multa miracula operatus est longo tempore, quandiù corpora eorum ibidèm quieuêre. Posteaquàm verò corpus beatæ & admirandæ Opportunæ ab eo loco à fidelibus viris translatum est, quocunq; accessit, & quocunque in loco, prædio, castello aut villa depositum fuit, permultæ virtutes per eius intercessionem effectæ sunt, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est laus, honor, virtus & potestas cum Patre & Spiritu sancto per infinita secula seculorum, Amen.

Apparēt ei SS. Cæcilia & Lucia.

Videt teterrimum dæmonem imperterrita.

Accipit Eucharistiam, videtq; matrem Domini, & reddit spiritum.

Miracula multa.

Ad calcem huius historiæ hæc erant adiecta: Ego humilis Adelelinus, Sagiensem supra plebem episcopus, adiuuante Domino, descripsi vitam beatæ Opportunæ. Sequuntur nunc aliquot eiusdem sanctæ Virginis miracula, ab eodem authore conscripta, sed in ijs stylus mutatus est per F. Laurentium Surium, & causa prolixitatis vitandæ quædam omissa sunt.

Domino miserante Adelelinus Sagiensis plebis humilis episcopus, & B. Carilephi monachus & seruus, omnibus Christi sanguine redemptis gaudium præsentis vitæ, & futuræ beatitudinis gloriam sempiternam. Deo nos benè iuuante, vitam, conuersationem & obitum B. Opportunæ descripsimus: iam verò, summæ & ineffabilis Trinitatis freti auxilio, etiam quædam eius miracula, quæ Christi clementia per eam operata est, annotare constituimus: & quidē fide digna, quippe quæ partìm nos ipsi viderimus, partìm ab alijs non contemnendæ fidei acceperimus. Locus autem, vbi sanctæ virginis corpus hodiè quiescit, vulgò Montiacus dicitur. Nouerit autem lector, priusquàm ego Sagiensis ecclesiæ sedem obtinerē, illius quidem beatæ virginis miracula non defuisse qui narrarent, at defuisse, qui in scripta redigerent: cumq; ego quosdā paterer ęmulos,

Mōtiacus.

qui me excluso, sibi niterentur eam sedem vendicare, votum nuncupaui B. Opportunæ, si me ab illis importunis hominibus tueretur, bona fide me & vitam & miracula eius conscripturum. Et illius quidem intercessióe voto ego potitus sum meo: sed quod gemens & dolens loquor, non dedi operam, vt starem promissis. Cùm verò omnipotens Deus non sinat peccata abire inulta, non tuli impunè illam incuriam & negligentiam meam: sed eoipso anno, quo consecratus sum episcopus, incidi in manus sæuissimorum Nortmannorum: qui me captum & vinculis constrictum, ceu vile mancipiũ, in transmarinas regiones vendiderunt. Passus ego hoc sum propter peccata mea, vt scirem non debere superbia intumescere terram & cinerem, satiusque esse non vouere quàm vota non reddere. Tandèm autem post multa Nortmannorum ludibria, post dira, eaque crebrò illata verbera, post varia maris procellosi pericula, post multas immodici frigoris, nuditatis, famis prolixique itineris deuoratas molestias, cùm visum iam esset pijssimo Saluatori me ad natale solum reuocare, contendentibus nobis ad oppidum S. Vualerici, violenta maris accessione adeò sumus obruti, vt socij mei ex equis in flumen deciderent, & cum illis pariter ego quoque deciderem: vbi cùm iam mihi ablata esset spes omnis euadendi, ità cœpi dicere: S. Opportuna & B. Carilephe, seruate me pereuntem clientulum vestrum: Et ecce, cùm nulla mihi esset natandi peritia, visus mihi sum duce sancta Opportuna, ad ripam fluminis peruenire: quo quidem nomine dignum arbitratus sum, vt hoc miraculum primo loco commemorarem.

Adelelinus multa patitur à Nortmannis.

Eccl. 5.

Miraculũ.

Adalbodus quidam vxorem habuit adeò contractam, vt nulla posset ratione pedibus suis ingredi. Eam ducere cùm vellet ad S. Opportunæ templum, multa pluuia denso luto itinera cõpleuit. Pulsantibus autem templi ministris campanas sub preces Vespertinas, miserabilis illa per lutum non absque multa difficultate reptando, ad ecclesiam properabat, nec admittere voluit, vt alij eam suis manibus gestarent. aiebat enim: Sinite me, vt S. Opportuna videat laborem meum. Vbi autem ad templum peruenit, eadem nocte curata est. Alderudis ea vocatur, & etiamnùm suis graditur pedibus, laudans Deum.

Contracta mulier sanatur.

In pago Vituriaco Nolgrinus quidam fuit adeò membrorum ominum officio destitutus, vt neque manus ad os ducere, neque phlegmata ex ore reijcere posset. Orauit is, vt ad S. Opportunæ ecclesiam perduceretur. Ductus est eò, & semiuiuus ibi depositus. Post paucos dies precibus S. Opportunæ sanus effectus est.

Item paralyticus.

Non possum silentio præterire rem admirandam, quam sub nostro conspectu Dominus efficere dignatus est. Malignus dæmon fœminam quandã occupans, eius membra momentis omnibus diuersis modis crudeliter excruciabat. Amabat eam impensè maritus eius, & ad multa sanctorum loca eam ducebat, spe liberationis obtinendæ. Tãdem audita fama S. Opportunæ, quòd eius precibus vis dæmonum comprimeretur, ad eius ecclesiam eam deuotus adduxit. Ibi teter spiritus sentiens suas nequitias protritũ iri, ità per os fœminæ clamauit: Væ væ mihi, Opportuna inueterata, quæ mihi semper inimica fuisti: quæ tuis precibus crebrò contriuisti machinas meas. Adstabam ego illic inter cæteros dolens, & ecce in me multa cœpit iactare conuicia: Noli sperare, inquit, rudis & neophyte episcope, tua me virtute hinc eiectum iri. Nihil enim te reformido, sed virtutẽ aduersariæ meæ Opportunæ. Interìm qui illic ex populo & Clero aderant, non cessabant cum lachrymis rogare Dominum, vt placatus precibus S. Opportunæ famulæ suæ, virtute potentiæ suæ elideret vires omnes inimici. Adspergitur autem fœmina aqua benedicta, & signo Crucis consignatur, & preces leguntur, illi negocio opportunæ: cumque ventum esset ad ea verba, Adiuro te draco nequissime in nomine agni, qui ambulat super aspidem & basiliscum, qui conculcat leonem & dracone̅: mox spiritus immundus crudeliter eam diuexans, ita vt vnguibus & dentibus seipsam laceraret, terribili voce clamauit Scias Opportuna vetula, me quidem nunc egredi, sed breuì rediturum. Ijs dictis, fœmina tranquilla resedit, oculisq; & manibus in cælum sublatis, ad aræ latus accessit, seque B. Opportunæ deuotam fore promisit: acceptoque pane benedicto, iuit ad hospitium. Paucis indè elapsis diebus, cùm maritus eius cerneret eam incolumem, impendiò gauisus, voluit redire domum. Exeunte autem illo è pago, in itinere occurrit illi dæmon cum multis satellitibus, qui omnes sub luporum & canum specie in fœminam illam irruunt. Tum illa clamare cœpit: S. Opportuna, serua ancillam tuam: simulque fugæ se mandans, sub aram sese recepit. Ait autem posteà, lupos & canes illos, ad fores vsque ecclesiæ ipsam fuisse persecutos. Diù verò illo in loco nobiscum in precibus permansit, & sine læsione abscessit. Durauit ea sanitas dies quindecim, atque inte-

Dæmon non fert vires S. Opportunæ.

Psal. 90.

interim quocunquè vellet, sine vlla dæmonis infestatione ambulabat. Ea re perspecta, maritus eius clericis ecclesiæ obtulit pecuniam, vt liceret ipsi dormire cum illa. Quod cùm ad me perlatum esset, ego neque permittere id volui, neque prohibere: nè si permitterem, viderer secùs agere, quàm vellet S. Opportuna: si verò negarē, ab ignorantibus arguerer cupiditatis, quòd ea permotus, nollem hominem copulari coniugi suæ. Postquàm autem ille cum ea cōcumbere voluit, sensit eam atrociùs, quàm anteà, à dæmone vexari. Nam manus & brachia fœdè agitabat, & tota lingua ex ore prominente, inauditam in Deum blasphemiam iactabat: nec potuit vir solus eam ad B. Opportunæ templum adducere, sed ciues vtriusque calamitatem miserati, intra vlnas suas eam acceptam eò deportârunt, & semiuiuam ante ecclesiæ fores deposuerunt. Et illic quidem diù illa humì iacente, neque vox eius vlla audiebatur, neque halitus sentiebatur, ità vt extincta crederetur. Primò igitur lectis precibus, quæ solent energumenis adhiberi, ac deindè inchoatis psalmis, qui apud funera legūtur: post longa horarum spatia mulier, quæ mortua putabatur, & erat sanè mortua secundùm animam, (moritur enim anima, dum peccat) magnis cœpit clamare vocibus: Sancta Opportuna, adiuua me ancillā tuam: nam deinceps ero tibi deuotissima: excita me precibus tuis à morte corporis & animæ. Cùm autē maritus eius blandis eam demulceret sermonibus, percunctareturque ex ea, quid vidisset, respondit: Domine mi Heberte, (sic enim ille dicebatur) iam à sæuissimo & immani lupo deuorata fui: cumque me vellent quidā nigerrimi Aethiopes, homines pannosi, cum ignitis tridentibus in foueam sulphuream protrudere, S. Opportunæ intercessione me sensi liberatam. Me igitur haudquaquàm deincèps vxorem habebis. Osburgis vocabatur hæc mulier, & quoàd superuixit, Domino in corporis & animi puritate & deuotione seruiuit.

Rursùs fœminā inuadit dæmon, dum maritus vult cū ea concumbere.

Ezech. 18.

Multi hodieque supersunt, qui ea, quæ dicturi sumus, se vidisse testantur. Plebs Sagiensis ecclesiæ, propter peccata sua, à crudelissima Nortmannorum gente miserandum in modum affligebatur. Immanes illi barbari regionem omnem perpetuis incendijs, populationibus, & virorum, mulierum, pupillorum, viduarum, infantū, senum cruentis cædibus vastabant. Porrò serenissimus rex Ludouicus, frater Caroli inuictiss. Imper. & regis nostri, cùm didicisset insignes B. Opportunæ virtutes, supradictum prædium Montiacum causa refugij donauit S. Opportunæ, & illustrissimo viro Hildebrando, Sagiensis ecclesiæ episcopo sanctissimo. Is ergò Hildebrandus, timore huius Nortmannicæ persecutionis, partem Clericorū iussit se conferre in Montiacum cum sanctissimo B. Opportunæ corpore. Parēt Clerici, & illis euntibus, è diuersis locis occurrit eis multa vtriusque sexûs hominum frequentia, rogantiū, vt suis vlnis liceret eis sacrum sanctæ virginis corpus gestare. Per id tempus needùm erat ecclesia in Montiaco extructa: itaque in Goslini cuiusdam ædibus illud deposuerunt. Eodem die quidam cæcus ibidèm curatus est, & multi ægri diuersis è locis eò aduentantes, sani indè recesserunt, cùm eius feretrum attigissent. Vt autem vicini eius loci id aduerterunt, eum venerari cœperunt, multaque à fidelibus dona offerebantur, è quibus templum S. Opportunæ extructum est, vbi per eius merita & intercessionē quicquid recta fide quæritur, etiam obtinetur. Matrona quædam Adeltrudis nomine ancillas habuit, quæ auditis B. Opportunæ miraculis, quodam die sabbati post horam diei nonam ad eius oratorium peruenêre. Id vbi resciuit earū domina, furore percita dixisse fertur: Vacant ocio ancillæ meæ. itaque eunt perquisitū ossa, nescio cuius mortuæ fœminæ. Iussit autem eas reuocari domum, voluitque flagellis cędere: & eccè dirus viscerum dolor eam corripit, flagellum ex eius manibus excidit, nec cessauit cruciatus, donèc ad B. Opportunæ ædem deportata, se ream profiteretur. Tum verò reddita sanitati, multùm profuit eius loci Clero, res necessarias eis subministrans.

Hildebrandus Sagiens. Episcopus.

Multa miracula fiūt.

Nota diuinam vltionem.

Anastasius quidam vt vidit in S. Opportunę honorem ecclesiā exædificatam, dolens eius augeri ditionem, stimulante inuidia, cœpit familiā eius affligere. Monebāt eum religiosi viri, vt ab hac temeritate pro sanctissimæ Opportunæ amore se cohiberet. Tum ille cū iuramēto asseuerauit, se priùs, quàm moreretur, eo in loco, vbi esset S. Opportunæ ecclesia constructa, fabas & legumina saturū. Dixit ille, & eum diuina vltio mox persecuta est. Nam è domo illa exiens, rixari cœpit cum Helboldo iuuene, qui præter furcam nulla apud se arma habebat. Porrò Anastasius suis armis confidens, nitebatur iuuenem interficere. Nec defuit sibi adolescens, sed furca cædens Anastasium, eodem die compulit spiritum reddere. Ille verò moriens, fatebatur se à B. Opportuna percussum, seque reum proclamabat, quòd sanctam virginem & eius familiam contempsisset.

Item aliam

Ea tempestate, qua exercitus fortissimi regis Bosonis passim prædas agebat, quidam eius miles Montiacum prædaturus inuasit. Erat illic Herchenteus quidam, è S. Opportunæ familia. Ad eius ædes primùm accessit immanissimus prædo, quæsiuitque ex eo, cuius esset. Ille respondit se clientulum esse S. Opportunæ virginis. Tum ille iussit suos scrutari omnem domum eius, & res omnes diripere. Dicente autem Herchenteo, Noli mi domine familiam S. Opportunæ vexare: ille eum telo percussit, & sanguis manauit ex vulnere. Clamabat interim Herchenteus: Sancta Opportuna, nisi mihi opem tuleris precibus tuis, deincèps nolim esse seruus tuus. Illo hæc dicente, prædo fit cæcus, & ex equo decidit: Suorum autem manibus in ecclesiam S. Opportunæ allatus, se peccâsse humiliter confessus est: donauitque illius ecclesiæ clero equum suum & duas libras denariorum, & Herchenteo, vti ipse testatus est, solidos decem. Porrò paulò pòst, dum Missa cantaretur, sub altari iacens, recepit quidem videndi facultatem, sed vires corporis necdùm recuperauit. Cùm autem promisisset se socios omnes prohibiturum, nè familiæ S. Opportunæ essent infesti, prædatoresque omnes ex adiacentibus pagis iussisset abscedere, vires pristinas sibi sensit restitutas: factusque est fortissimus ecclesiæ S. Opportunæ defensor, qui paulò antè fuerat prædo & vexator familiæ illius.

Item aliam. *Cæcus videt.*

Vir quidam genere nobilis, nomine Adalardus, triginta annis claudus permanens, ad inopiam redactus fuit. In ipsis autem S. Opportunæ ferijs, populo Parisiensi ad eius ecclesiam deuotè concurrente, etiam Adalardus hic adfuit, & licèt præ turba vix pateret ei aditus, tamen qua potuit virtute ad altare vsq; peruenit. Vbi post preces aliquandiù fusas, sanus effectus, diuinam in beata Opportuna virtutem prædicauit. Id cùm vidisset Ludouicus rex, præter ea, quæ suprà diximus, etiam prata iuxta montem martyrum & agellos apud portam Parisiensis vrbis sitos, illi ecclesiæ largitus est, suscipiente illos bonæ memoriæ Hildebrando Sagiensi Episcopo, qui id temporis ecclesiæ S. Opportunæ apud Parisienses præfectus erat.

Claudus restituitur.

Cùm per merita huius beatæ virginis innumerabiles ægroti in castro Syluanectensi, sub Hugboldo Comite sani efficerentur, Syluanectenses omnes locum illum, vbi eius sacrum corpus asseruabatur, venerari cœperunt. Eccè autem sacerdos quidam, Alimarus nomine, inuidiæ stimulis percitus, dixit hominibus eò aduentantibus: Non est hoc in loco vllum sanctę alicuius virginis corpus, sed merum phantasma est, quod hîc colitur. Peruenit hoc ad aures Roberti, Deo chari & religiosi viri, nunc verò etiã episcopi, aitque ad illum: Eià miser, qua fronte tu isthuc ausus es dicere? Certè propediem experieris, num reuerà hoc in loco sanctæ Opportunæ corpus habeatur. Eodem die blasphemus ille, in cœnaculum ascendere volens, fractis ceruicibus, non diù pòst expirauit: iamque vltimum trahens spiritum, ante aram deportatus, propter blasphemiam suam se fassus est diuina animaduersione percussum.

Vltio diuina in contumeliosum.

VITA S. VVOLPHELMI, ABBATIS BRVVVILERENSIS, AVTHORE CONRADO MONACHO BRVuuilerensi, & auditore S. Vuolphelmi.

PROLOGVS.



DOminici gregis pastoribus, rectoribusque vigilantissimis, Euerhardo videlicet cœnobij Bruvuilerensis, & Herimanno in Colonia beati Pantaleonis, Cõradus infimus omnium sub regulari proposito, coronam vigilantibus repositam à Domino. Hortamini, patres excellentissimi, nos vitam beati Vuolphelmi Abbatis scriptis depromere, secundùm à Deo vobis collatam præscientiam, non modicam hinc fidelibus prouidentes ædificationis gratiam. Satagitis enim, vt virtutum eius exempla ad notitiam legentium literis deducta, benè viuendi pijs mentibus pariant instituta. Sed quid, patres illustrissimi, id placuit iniungere nobis, dum nec scientia suppetit, nec facundia sermonis suppeditat? Porrò in iubendo vestra tanta est authoritas, vt licèt quod exigitis paueamus, omninò tamen negare vobis nefas esse ducamus. Liceat autem sub exemplo rei visibilis, pleniùs vobis declarare qua sumus hactenùs suspensi dilatione. Nôstis, quòd absque dubio acies oculorum, solis succum-

succumbat reuerberata splendore. Quanto magìs scintilla nostræ scientiæ, si altiora se præsumpserit attentare? Verùm nè sanctitatis illius testimonium diutiùs differendo videamur subtrahere, quanuìs mole videamur victi succumbere, vestris tamen votis pro virium nostrarum facultate statuimus obedire. Dat ausum etiam vel fiduciam istud præsumendi, quòd quisque pro suo modulo in Domini legitur obtulisse tabernaculo: alius aurum & argentum, alius purpuram vel coccum bis tinctum, alius pelles rubricatas arietum. Benè autem agitur nobiscum, si pilos obtulerimus caprarum. Hęc autem omnia cùm allegorica sint, vt catholici doctores tradunt, in diuersis donarijs gratiarum genera distinguentes, in pilis caprarum, quibusdam locis verba exprimi voluère laudationum. Vndè quoniam per scientiæ donum, vel affluentiam meritorum, perfectionem illam attingere nequimus, auro figuratam & argento, purpura vel cocco bis tincto, cæterisque donarijs: cupimus saltem pilos offerre caprarum, quod est, vitulos labiorum nostrorum: quatenùs in tabernaculo Domini vtcunquè nos contingat vtiles inueniri, nè vacui prorsùs appareamus in conspectu Domini. Itaque virorum illustrium actibus vel triumphis traditis literarum monimentis, triplex inesse commodum reperitur vtilitatis, dum studio æmulandæ pietatis tot plerique modis illorum informantur exemplis. Sunt quippe instrumenta bonorum operum, errantium via, pœnitentium venia, perseuerantium spes & corona. His tribus generibus differentiarum vim protectò patitur regnum cælorum, dum errans corrigi, pœnitens iustificari, perseuerans contendit saluari. Laudes etiam diuinæ attolluntur, dum ad exemplum fidelium, sanctorum merita ad memoriam reuocantur. Nè verò plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam sanctorum merita, rediuiua fidelium votis semper accipere incrementa: dum superna gratia illorum fœcunditatem mentibus præstat, & fructificandi gratiam subministrat. Igitur sancti ac beatissimi Vuolphelmi Abbatis vitæ seriē explicaturi, nil aliud prorsùs intendimus prosequi, quàm quod ab idoneis testibus contigit audiri, seu quod aliquot annis ministrantibus vel adstantibus sibi, diuina nobis gratia contulit intueri. De quibus si vllius hæsitauerit fides, tot nobiscum extant idonei testes, quot ex illius temporis collegio fratres nunc vsque manent superstites.

Exod. 35.

Pili caprarum, mysticè.

Vtilitas sacrarum historiarum.

Fides huius historiæ.

VITÆ HISTORIA.

IGitur gloriosus Domini confessor Vuolphelmus in Ribuarensi pago ex illustri prosapia ortus, Dei, omnem iustum gratuitò illuminantis, præueniente gratia, lineam generosæ propaginis ornauit titulo sanctitatis. Qui meritò iuxta etymologiam vel idioma linguæ regionis illius, Vuolphelm dinoscitur appellatus, quoniam pro castris Domini contra immanissimum lupum, id est, diabolum, galea salutis munitus, erat congressurus. Quod quàm efficaciter, quàm strenuè pro re, pro tempore, nomini contendens gestis congruere, studuerit exercere, loco suo lector pleniùs poterit inuenire. Pater verò ipsius, Frumoldus nomine, vt ex nominis eius liquet expressione, probus modis omnibus floruit actione. Hic genere moribusque sibi competentem, Euezam nomine, sortitur vxorem: quibus, iuxta Apostolum, honorabile connubium & torus extitit immaculatus: quoniam matrimonium non contraxère causa explendæ libidinis, sed gratia procreandæ sobolis. Qui genere clari, & inter suos quodam innocentiæ priuilegio insigniti, erant Christianæ religionis deuotissimi cultores, fidei dote pollentes, charitate feruentes, pietatis amatores, iuxta Apostolum, bonum operantes ad omnes. Verùm domina Eueza, vt illustrem exponam familiam & alti sanguinis decus, ex cuiusdam illustrissimi comitis, Sicconis nomine, stirpe descenderat, quem & ampla prædiorum spatia, & vtriusque sexûs numerosa familia, sed & militaris animi commendabat audacia. Hic, quod opibus & nobilitate sit celsius, iustitiam æquitatemque sectatus, qua Deo nil inuenitur acceptius, totis elaborabat nisibus, vt sicut propaginem magnificentia generis, ità & illustraret operibus pietatis. Vndè proculdubio innuitur, hunc iustum tamque præclari meriti virum, ex modestis & pijs parentibus ortum: quanquàm plerosque legamus iustorum ex parentibus editos impijs, velutì rosæ gignuntur ex spinis. Genitricem verò eius, quam exemplo Rachelis, pro filio doloris ac dexteræ, in benedictione seminis Abrahæ hunc constat peperisse, dubium non est,

22. Aprilis.

Patria S. Vuolphelmi.

Pater.

Mater.

Heb. 13.

Gal. 6.

Sicco Comes.

1.Reg.2. cum Anna Samuelis matre, vicem à Deo commodati fœnoris meruisse. Pari quippe voto hæc filium inuenitur obtulisse Domino. De qua etiam planè sentiendum, quòd non minùs placuerit in tabernaculo Domini propter commercium coniugij, quàm si toro minimè fuisset sociata virili. Hinc etenim potiùs laudis eius videtur propagari titulus, quòd tam benè redolentis floris fructum ad totius Ecclesiæ edidit statum, quàm quòd clarissimum stemmatis ramum, ab anteritate dinoscitur traxisse priorum. Magis deniquè omnipotens vniuscuiusque approbat mentem, quàm conditionem: dum liber ac seruus, vnum profectò in Domino sumus. Ea verò solùm, præter omnem mundi gloriam, Deo probatur grata libertas, eamque nobilitatem non eximet vlla vetustas, si quid boni, si quid recti aut nosipsi fecerimus, aut talium studiosos successores habere meruerimus.

Primam itaque humani incrementi beatus Vuolphelmus asscendens lineam, auspice Deo, de infantia ad bonæ indolis transijt pueritiam. In qua ætate & liberaliū artium disciplinam est professus, & suorum instantia, Coloniæ apud ædem beati Petri Apostolorum principis, corpori congregationis sociatus. Quo temporis articulo, post iuniorem Ottonem, sceptrum imperij Henrico secundo feliciter administrante, rebus quidem bellicis viro potentissimo, circa Ecclesiasticas verò disciplinas solertissimo, sanctus Heribertus, toto iam orbi fama sanctitatis notissimus, sanctæ Coloniensi ecclesiæ præsidebat episcopus. Qui beatissimus pontifex, iam vltimæ ætatis senio fessus, famulum Dei Vuolphelmum, tam corpore adhuc, quàm & malitia paruulum, more sibi Christianæ religionis oblatum, vt euangelicum Dominus paruulum in medio statutum, benedixerat, & per sacri chrismatis vnctionem, sanctique spiritûs inuocationem, in filiorum Dei transtulerat sortem. Porrò nè inanis aut vacua vel certè fortuita in illo posset æstimari tanti benedicto viri, sancti spiritûs attactus calore, ad contemplatiuam vitam toto iam mentis desiderio cœperat anhelare, satisque fecisset votis, si immaturitas id non impedisset ætatis. Verùm quanto naturali processu augmentum capiebat virium, tanto indiès sancti feruoris illius crescebat desiderium. Fuit autem vt corpore castus, ità mente sobrius: tantam possidens gratiam vultûs, vt quodammodò angelicus eius putaretur adspectus. Præter hæc diuinæ pietatis indicia, in eruditione scripturarum tantam promeruit efficaciam, vt quod semèl legendo aduerteret, perpetuò retineret. Quod plerunquè, vt credimus, occulto Dei agebatur iudicio, nè beatissimo viro in aliquo scientiæ deesset plenitudo. Igitur exceptis diuinorum voluminum paginis, quicquid poëta cecinit, orator facundus disseruit, philosophus excogitauit, quadam penna altioris sensûs penetrauit.

[Margin notes: Fit Canonicus summæ ædis Coloniensis. — Matth.18. — Cõfirmatur à S. Heriberto Episcop. — Memoria tenax. — Profectus in literis.]

Quanquàm verò tanta iuuenis scientia præditus claruerit, nunquàm tamen hinc iactantiæ vitio elatus succubuit, memor dicentis Apostoli: Nolite seduci per inanem sapientiam huius mundi. Tanta autem grauitas, tanta morum illi inerat maturitas, vt palàm cunctis daretur intelligi, vas illum electionis existere. Nullam verò pro carnali ingenuitate sibi patiebatur reuerentiam exhiberi, vtilius censens amore Christi se humilem exhibere personam, quàm animum habere degenerem. Ineptas etiam fabulas iuuenumque lasciuiam declinabat, venenatas adulantium linguas abhorrebat. Vaniloquium, leuitatem oculorum, totiusque motus corporis, ancora cohibebat grauitatis. Considerans itaque & perpendens magister scholarum hunc illius in omnium virtutum disciplinis profectum, gaudebat doctrinæ illi impendisse studium, quem perfectionis cernebat attigisse fastigium. Arctiùs itaque sibi eum eligens annectendum, honorificentiusque seruandum, assumpsit illum consortem participemque laboris, onus cum illo partiens regendæ disciplinæ scholaris. Feruebat itaque in eo magnificè studium iugi exercitatione scripturarum: & quoniam scientiæ illius thesaurus non occultabatur absconditus, fiebat vbiquè, fama vulgante, celeberrimus. Hinc non minor de longinquo, quàm ex proximo, studiosorum illum clericorum expetebat frequentia, præsenti auditu cupientium experiri, quanta in illo veri Salomonis vigeret sapientia. Verùm sicutì nulla eum argumentatione concludere, sic nulla tam argutæ propositionis valebant documenta proponere, quæ concitè non soluerentur conuenienti historica vel allegorica expositione. Itaque nouorum iste ac veterum de bono thesauro sui cordis prolator, animaduertens quantæ impossibilitatis sit duobus dominis seruire, vt vni Deo, cui seruire, regnare est, liberiori animo posset inhærere, seculo penitùs deliberat renunciare. Iuxta illud ergò

[Margin notes: Colos.2. — Odium vitiorum.]

ergò Gregorianum, pedem, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retrahens, ruptis terrenarum voluptatum catenis, morarum impatiens, fugam inijt, latenter discessit, sanctumque Maximinum in Treuerica vrbe expetijt, vbi sub venerabilis patris Bernardi regimine ampliùs & perfectiùs tunc temporis monachicam vitam feruere cognouit. Ibi præoptati diù voti compos effectus, se monachum est professus, senisque cum Seraphin alis amictus, Deum excelso gloriæ solio subnixum, tranquilla mentis acie contemplari lætatur. Quod nè abusiuè videatur prolatum, nouerit lector, Romana authoritate decretum, illius ordinis habitu significantiam exprimi sex alarum. Duas alas illo, quo totius corporis velatur altitudo: Duas, quo brachiorum regitur latitudo: Duas verò superiores, inuicèm sibi iunctas, capitis operimento. Quod quia priorum sancta definiuit authoritas, nulla argumentatione refellere habet posteritas, cùm videatur & crucis per omnia speciem gerere eiusdem habitùs inspecta qualitas. Quam crucem B. Vuolphelmus, vt alter Paulus vel Antonius, non tantùm exteriùs assumens, sed & interiori homini indissolubiliter adstringẽs, onere seculi expeditus, sequebatur Christi vestigia, expansis in suæ exaltationis ligno manibus ad se trahentis omnia.

Lib.2 Dial.
Fit monachus apud S. Maximinum Treuirens.
Esa.6.
Iohan.12.

Colonienses intereà, quibus non leuiter ferendum videbatur, tantæ sanctitatis viro carere, vbiubì requisitum, tandèm audientes Treueris angelicæ conuersationi studere, inuicèm contulerunt, qualiter eum possent repetere. Hinc Herimannum, illis diebus Coloniæ currum Dei aurigantem, adeunt, quid habeant voti, palàm faciunt illi, & cur aliò translatum insigne vrbis suæ non repetat, piè seuera indignatione in eum conclamant. Erat tunc videre togatæ vrbis primores iterùm Gregorij sui discessum conquerentes: quia non maior illo discedente Romanorum confusio, quàm hoc absente Coloniensium agitabatur quæstio. Nec id iniuria. Sicut enim ille, suo nomini bonis operibus congruendo, suæ & proximorum saluti inuigilabat: ità & iste fidei opera exequendo, cunctorum dilectione & veneratione dignissimus erat. Archiepiscopus autem iuxta illud Sapientis, Qui à multis timetur, necesse est vt multos timeat: subiectorum importunitatibus obtemperare festinat: sed suspicatus Treuirenses difficilè reddituros virum tam laudabilis vitæ, æstimauit eum repetendum facta in totius ecclesiæ auditu vocatione. Eminebat tũc temporis inter præsentis regni cælorum maiores, Henricus Abbas monasterij S. Pantaleonis, qui memorati & sæpiùs memorandi viri auunculus erat. Iste charissimi sui reuocationẽ gratanter quidem suscipiens, sed illam æquanimiter ferre nequiens, episcopi præsentiam expetijt: quid facto opùs sentiret, exposuit. Pontifex sani consilij neglector fugiẽs apparere, literas sigilli sui impressione bullatas, Treuiros maturat dirigere, ad patrem videlicet Bernardum, sub cuius conuersabatur regimine. Ille perpendens nihil interesse, vtrùm ouem alienam de manu pastoris sui rapuisset, vel eo inuito retinere contenderet, humilem tantæ legationi præbuit assensum, quanuis non sine graui mœrore tantum gregis amitteret ornamentum. Talem adolescens, monasticæ vitæ desiderantissimus, Coloniensium passus violentiam, in sui pontificis deducitur præsentiam: à quo, vt filius, debito paternæ dilectionis affectu recipitur, & propter assumptum angelicæ dignitatis habitum, Henrici auunculi sui prouidentiæ commendatur. Qui videns eum assuetæ solitudinis inhærentem studio, frequentiam audiendi & videndi causa vndiquè concurrentium habere fastidio, vrbe eductum, præposuit cuidam sui regiminis Abbatiæ, nomine Gladebaco. Cuius vtilitatibus quàm strenuam suæ sagacitatis curam impenderit, nemo eorum, qui præcesserunt, credulus dubitare poterit.

Hermannus Coloniens. Episc.
Henricus Abbas S. Pãtaleonis.
S. Vuolphelmus præficitur monasterio Gladebacensi.

Intereà iidem vir Dei, cuius animus à terrenorum appetitu peregrè erat, & sine corpore velox ad supernorum ciuium societatem tendebat, dudùm præconceptam aggressus est peregrinationem, Romamque petijt causa soluendi vota precum apud Apostolorum cõfessionem. Quia verò in suis positus, vnicam salutis nostræ hostiã singulis diebus assueuerat immolare, ab hoc etiam inter eundum noluit desuescere. Neque enim grauis videbatur itineris dilatio, quæ fiebat solo amore patriç cælestis. Factũ est autem, vt nõnulli peregrinationis illius comites, humano more ad dulcia soli natalis arua suspirantes, eo paucis cum necessarijs relicto, abirent, quasi ex hoc expeditiorem & viam & reditum habituri essent. Sed frustrà renisi sunt sententiæ Apostoli, qui omnem, non volentis neque currentis, sed miserẽtis ait esse Dei. Ità enim occulta Dei voluntate profecit sancti viri dilatio, & ità illorum dilata est acceleratio, vt vnius horæ vna omnium fuerit peruentio. Nondùm enim illi expediti viatores Apostolorum sub-

Rom.9.

intrârant limina, cùm vir Dei subsequenti gradu pressit eorum vestigia: non tam ver-
Ierem. 10. bis ostendens quàm rebus, non esse in quoquam hominum viam eius. Qui expertam in hoc rerum euentu Dei omnipotentiam admirati, transacto peregrinationis negocio, in sua sunt reuersi, ex illo tempore Dei hominem digno reuerentiæ loco habituri. He-
† legendum puto, cum vita pontificatus &c. rimanno autem Pelegrini successore† pontificatûs infulis exuto, pari Coloniensium assensu substitutus est diuæ memoriæ Archiepiscopus Anno: Qui cùm, vt sacerdos magnus in diebus suis, volens Deo placere, miro religionis ferueret amore, nō minimum
S. Anno Episcopus. expendebat in constructione cœnobiorum, vndeundè legis Dei æmulatores aggregans inhabitationi eorum. Cætera igitur piæ solicitudinis monimenta Sigebergensis cœnobij constructione decorauit, virumque sæpedictum, accepta sanctitatis eius notitia, loco præponere curauit. Sed studiosum diuinæ contemplationis hominem, actiuæ vitæ, talibus initijs pernecessariæ, videns omninò expertem, eduxit eum ad locum solitudini eius competentiorem. In proximo enim Abbatia Bruvuilerensis erat, quæ quoniam viduata erat pastore, curam eius, sancti viri cōmendauit prouidentiæ, quam sine propositi detrimento facilè posset explere.

Berengarij hæresis spargitur in Gallijs. Istis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonēsem, qui asserebat Eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse reuerà corpus & sanguinem Christi. Vndè contra eum, & pro eo, multùm à multis & verbis & scriptis disputatum est. Aduersùs quem etiam extat huius beatissimi viri epistola, ad quendam Meginhardum Abbatem Gladebacensem edita, firmiter vndiquè veritatis assertione subnixa: qui quasi filius patrem scriptis consuluit super huius quæstionis diffinitione. Quam licèt attexere sit longum, vtilitati tamen prospicientes legentium, non incongruum duximus præsenti inserere opusculo, vt ad notitiam translata posterorum, hinc eius cognita synceritate fidei, caueant fideles aliquandò huiusmodi erroribus implicari. Est autem hic modus vel textus epistolæ:

EPISTOLA S. VVOLPHELMI DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE, CONTRA ERRORES BERENGARII.

DEI gratia Vuolphelmus Abbas, coabbati Meginhardo salutem. Lac doctrinæ spiritualis, quod à me rogâsti, de cælo tibi fide & humilitate largiùs accumulâsti: Fide, quoniam quod in me non est, credis in me posse Deum omnipotentem operari: Humilitate verò, quia deficientibus meritis & sapientia, canitiem & ordinis dignitatem non abhorres in in me venerari. O quàm consequens
Berengarij dogma, vocat heresim. *est, vt dum nocet, quod inebriat, pro remedio desideres, quod debriat. Nocet autem quædam ebrietas hæresis Berengarij, cuius ebrietatis periculum declinemus, & ad vbera vino meliora appropiemus. Et mox, vt eam assertionem iuuante Christo possimus destruere, quæ clausis ianuis eum ad discipulos post resurrectionem non intrâsse, nititur*
Iohan. 20. *adstruere, ex matris Ecclesiæ manans mammis, lactet nos euangelium Iohannis. Cum esset, inquiens, serò die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, stetit Iesus in medio. Et paulò inferiùs: Post dies octo iterùm erant discipuli eius intùs, & Thomas cum eis: & venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio. Ecce inter Berengarium, quòd non intrauerit Dominus ianuis clausis: & inter Iohannem, quòd intrauerit, cùm sit controuersia, superat ille, cui,*
Iohan. 21. *Scimus, inquienti, quia verum est testimonium eius, omnis applaudit Ecclesia. Nam si gentilitas, dum libros claudit, his, quos recipi iudicat, applaudit: multo veriùs huic euangelio perhibet Ecclesia testimonium, pro quo, priusquàm scriberetur, præmisit orationes & ieiunium. Nôrit igitur Berengarius hæc sibi sufficere, quibus, cùm à Deo sint, non possit homo contradicere. Itaque deincèps ad id quoquè, Domino iuuante, veniam, quòd in Eucharistiæ sacramenta loquitur blasphemiam. Sed*
Prouer. 26. *quia scriptura docet, stulto iuxta stultitiam suam non esse respondendum: repressis interim ipsis*
Origo erroris Berengarij. *blasphemiæ verbis, ad fontem eius præcurrendum, vt si Dominus dederit, nos eum obstruere, desinat indè sanies huius blasphemiæ ad nos defluere. Est autem vena huius scaturiginis, quòd non rectè sentit de sacramento Dominici corporis & sanguinis: & dum ad adspiciendum in eis panem & vinum, oculos corporis habet, ad perspiciendum in eisdem carnem & sanguinem, oculos mentis non adhibet. Nos autem vt visum acuamus, & acuendo proficiamus, quo hæc intueamur, ad obtinendam semèl acceptam huius veritatis traditionem nosmet hoc modo cohortemur: Si qui dixit, & facta sunt: & mandauit, & creata sunt omnia: si is, inquam, dixit de hoc pane, Hoc est corpus meum: & de vino, Hic est sanguis meus: necesse est omninò sic esse.*

Nam

Nam hæc sola mysteria non ab alijs sunt separata, quæ dicente Deo facta sunt, vel mandante creata. Est autem vnus atque idem Deus, primò mundum formans, deindè hoc sacramento suam imaginem reformans. Si enim alius faceret hominem, & alius redimeret: redimens, plus honoris sibi assumeret: atque ità & Deus per se redempturus erat, & homo nonnisi per se redimi poterat: quia videlicet nil homini iurè redimendo proficeret, quicquid aliud quàm hominem induendo Deus perficeret: vt ex hoc liquidò constet, quòd vnus atque idem, Deus & homo, redemptor hominis extet. Igitur omninò sic esse necesse est, quod, dicente Deo vel mandante, non esse non potest. Ecce noui & veteris testamenti nos hæc authoritate probamus: quibus Berengarius tertium addit, quod non minùs, quàm tertium de cælo cecidisse Catonem, reprobamus. Eià ergò post duo testamenta, tertium hoc: & ideò tertium, quia ab eis alienatur: verbis ipsius authoris ità loquitur: Si mures consecratum corpus Christi comederint, non ideò Christus in eis, & ipsi in Christo manebunt, nec vitam æternam habebunt. O si nunc apud inferos tortor Horatij desideat, dum hostem Ecclesiæ hunc verbis his derideat: Insulsum Berengarij argumentū.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Horat. 2. de Arte.

Putauimus hunc inter montes exaltatum, magnum quid parturire, dum ecce mures in adiutorium eius conspicimus eum de cauernis accire. Iam autem mediam hanc ironiam abrumpentes, contra Berengarium & pro nobis nosmet cohortemur, ità dicentes: Si corpus hoc, vndè agitur, ab Apostolis & ab omnibus electis comestum, qui soli sic illud comedunt, vt Christus in eis maneat, & ipsi in Christo: & non Iudas & omnes reprobi, ad quos post buccellam panis satanas intrat, & sit longè alia conglutinatio intrantis satanæ & reproborum, quàm ea, quæ est Christi & electorum: (Nusquàm enim angelos appræhendit, sed semen Abrahæ appræhendit) si, inquam, hoc corpus ità ab electis comestum & eis conglutinatum, illis quoquè conglutinatis eidem, se sanum & incolume, viuum & integrum recipit ad patrem: multo magis à Iuda & reprobis omnibus, plùs etiam à muribus & ab alijs mun[..] spurcitijs recolligitur in regnum suum sine sui diminutione vel contaminatione. Nam & sol hic inuisibilis creatus, & non omnipotens, radios suos in cloacas & alias mundi sordes emissos, rursus retrahit ad se sine aliqua pollutione. Hoc autem corpus, post expletam more catholico communionem, sanum & incolume, viuum & integrum se recipit ad patrem. Sic enim testatur ecclesia Achaiæ B. Andream Apostolum dicere: Postquam omnis populus credentium agni carnes comederit & sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus: & cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius comestæ sint à populo, & verè sanguis eius sit bibitus: tamen, vt dixi, & integer permanet, & immaculatus, & viuus. Igitur corpus hoc ab his, quibus ille participibus particeps est, se viuum & integrum & incolume recipiens, multo magis ab his colligit in regnum suum. Hoc interim charitati tuæ puto sufficere, dum videamus, si sit opus his aliquid adijcere. Veruntamen & quod dixi, & si quid dicturus sum, tuis orationibus & omnium piè de me sentientium commendo: quoniam etsi mortui sunt obtrectatores Hieronymi, authorem obtrectationis huiusmodi viuere perpendo. Iohan. 13. Heb. 2. In Passione S. Andreæ, quæ est Tomo 6.

Taliter hic miles emeritus, armis iustitiæ, fide scilicet, spe & charitate munitus, perfidiam Berengarij, in acie Domini constitutus, suo loco expugnauit inuictissimus. Quod quanta fecerit deuotione, testantur, quas fundebat, orationes & lachrymæ, quatenùs seducti resipiscerent, catholica fides intemerata consisteret, & à recto tramite nulla prauitate infecta deuiaret. His ità prælibatis, vertatur stylus ad describendum, quales pro bono ecclesiæ suæ, Cloteno videlicet nomine, pertulit labores, immò, si dici fas est, persecutiones. Quod qualiter ecclesiæ collatum fuerit & ablatum, paucis videtur intimandum: quoniam non pleniter aduertitur ratio, cuius ignoratur origo. Domina Richera, cuius genitores Bruvuilerense à fundamentis extruxerunt cœnobium, fidei ac deuotionis illorum æmulatrix existens, terrenarum possessionum suarum ecclesias Dei fecit hæredes, vt regni cælestis ipsa compos effici mereretur & hæres. Tradidit itaque B. Petro in Colonia Comburg & Salceuelt, cum vniuersis appendicijs suis: sancto verò Nicolao in Bruvuilere villam, quæ dicitur Cloteno, cum omnibus redditibus suis. Quam traditionem, sub multarum probabilium personarum testimonio factam, præsens domnus episcopus Anno sua authoritate corroborauit, authorizauit, & vt per secula inconuulsa consisteret, violatores, raptores, perpetuo anathemate damnauit. Soluente verò domna Richera regina mortis debitum, dum deferretur tumulanda in Bruvuilerensi cœnobio, vbi ipsa viuēs constituerat, (nam & locum sibi sepulturę ibidèm designauerat) iussu prædicti archiepiscopi Annonis corpus eius vi retinetur, & in ecclesia, quā ipse in honorē beatę Dei genitricis semper virginis Mariæ à fundamento erexerat, sepelitur. Quo facto, memoratum allodium Cloteno Cœnobium Bruvuilerēse à quibus extructum. S. Anno cōstruit ecclesiā S. Mariæ ad gradus dictam.

teno eidem contulit ecclesiæ, contradicentibus illis, quibus ardore iustitiæ hæc erat ad videndum violentia grauis. Adeò tunc vir prudens & solertissimus prauorum fuerat consilijs circunuentus, nec repentè poterat animus ab incepto reuocari, quippe cuius nutu etiam tunc disponebantur negocia regni. His ità patratis, imminente iam eius mortis articulo, graui cœpit anxiari infirmitatis incommodo. Tunc vir beatus Vuolphelmus visendi eum gratia adiens, inter consolationis verba huius rei mentionem ingerens, monuit eum pia solicitudine hoc piaculum expiare, hanc iniustitiam eliminare, addens, nisì emendatione mutâsset commissum, perniciosum eius animæ imminere periculum. Cuius ille, vt erat vir mentis ingenuæ, benignè susceptà admonitione, sciens eum virum iustum & sanctum, humiliter eius se commendat orationi, spondens in proximo aut idem bonum redditurum, aut aliud reciproca vicissitudine pro eodem restituturum. His exhilaratus promissionibus, gaudens remeat ad propria Domini seruus. Sed proh dolor secùs, quàm promiserat, accidit. nam immatura morte præuentus obijt, & cum vita in medio, quod promiserat, imperfectum dereliquit. Igitur quæ à maioribus nostris, coæuis videlicet vel discipulis beatissimi viri, comperimus, fideliter stylo percurrente digessimus: nunc quæ nostris sunt acta temporibus, & ipsi vidimus, in gestorum illius ordinem referamus.

Hildolphus succedit S. Annoni.

Post excessum itaque venerabilis archiepiscopi Annonis, domnus Hildolphus non absque Coloniensium iniuria præsulatûs obtinuit insignia: qui super hac eadem re sępiùs est conuentus à venerabili patre. Qui præmonitus à prædicti loci congregatione, respondit se nulla ratione id sanctæ Dei genitrici adimere, quod tanti meriti vir pro sua contulerit deuotione. Tunc vir Domini apud archiepiscopum minimè se cernens proficere, per suos legatos regiam magnificentiam studuit adire, omnemque gestæ rei ordinem proclamare. Tunc quartus Henricus rex, postmodùm Romanorum Augustus, qui illo tempore regni monarchiam strenuè gubernabat, huius rei comperta proclamatione, spondet se omnimodìs affuturum iuuamine: factum quidem grauiter ferre, nunquàm verò, quoàd viueret, permissurum stabile. Animaduertens etiã famam bonitatis domni archiepiscopi Annonis hac præuaricatione legum vel iustitiæ non mediocriter posse obfuscari, memor veteris amicitiæ viri, (ab illo quippe educatus vel nutritus fuerat) mandat domno Hildolpho, eius successori, Cloteno celeriùs restitui cœnobio Bruvuilerensi. At illo nil certi ad hæc respondente, sed potiùs de die in diem differendo tempus redimente, non ex voto consulti, sed spe frustrati, rediêre legati. Tunc vir Domini, omni humano destitutus consilio, quid ageret, quò se verteret, dubius fluctuabat: sed ab eo sibi opem vel consilium flagitat, qui solus nouit in periculis & necessitatibus subuenire.

Tunc eius incidit animo, nil præstantius, nil consultius fore, quàm pontificem sedis Apostolicæ super hac re interpellare. Qua inspiratione animæquior factus, destinat velociter legatos ad Apostolicum, tunc fortè consistentem in confinibus Alpium. Qui vbi coram Senatûs primoribus & Romanæ Ecclesiæ iudicibus ad liquidum verbis Papæ exposuêre singula, quæ ab archiepiscopo Annone de Cloteno sæpiùs memorato gesta fuêre, omnium mentes & corda stupor appræhendit cum admiratione non modica. Tunc domnus Papa Hildebrandus, qui & Gregorius, ex authoritate beati Petri Apostoli per epistolas suas denunciat domno Hildolpho, eius successori, nè sub specie pietatis, defensor existens impietatis, Cloteno, Bruvuilerensi ecclesiæ violenter ablatum, diutiùs patiatur irreuocatum. Non eget, inquiens, ô fili, Deus offerri quicquam ex iniustitia sibi: quia, vt legimus, sic ei fiunt victimæ ex rapina, quomodò si mactet quis filium in patris pręsentia. Patratorem quidem multorum bonorum agnouimus fratrem nostrum Annonem archiepiscopum: sed tamen in hac parte minimè defendendus est non errâsse, dum quod beato Nicolao præripuit, sanctæ genitrici Dei gratum holocaustum æstimauit, dicente Domino per prophetam: Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Nec fas est à fidelibus credi, matrem discrepare à voluntate filij: dum id prorsùs constet vtrisque proprium atque commune, eadem velle & eadem nolle. At tu nè defendendo iniustiam videaris offendere Deum, tolle de medio, quod, aliâs licèt bonus, hîc malè consultus commisit episcopus Anno, nè & illius detrimentum sit coronæ, & tibi occasio culpæ.

Gregorius VII. scribit Hildolpho episcopo.

Esa. 61.

Huiusmodi paternis admonitionibus à sedis Apostolicæ authoritate susceptis, prædicti pontificis Hildolphi magìs in furorem versus est animus, quàm ad iustitiam vel mise-

misericordiam prouocatus. Deniquè conuocat ecclesiæ Coloniensis primores, se diffamatum, accusatum per virum Dei conquerens apud Apostolicum. Tunc vir mitissimus, his humiliter renitens obiectionibus: Proferatur, inquit, ô domine in medium, si placet, accusationis testimonium: si nequeo me excusare, de quibus criminor à te, tũc demùm digne conuincar offensam meruisse. Episcopus itaque domini Apostolici epistolam tenens præ manibus, legendam tradit in publico, æstimans per eius relationem cunctos in serui Dei armari contradictionem. Qua recitata, plures assensêre, nil dignũ actũ offensione. Quidã verò Bezelinus, domus B. Petri apostoli custos, cũ alijs, quibus erat animus rẽ potiùs perturbare, quã ex æquo determinare: cũ aliud nõ inuenirẽt quod obtenderẽt, nõ absq; suo cõsultu Papã super hac re asserũt licuisse expetere. Dum facili respõsione hãc Domini famulus obiectionẽ quiuisset refellere, episcopi magìs furentis odio, quàm iusto iudicio, iniuriatur, calumniatur: conuicijs quoquè & contumelijs, secùs, quàm pati dignum fuerat tantæ reuerẽtiæ virum, attrectato, postremò etiam terribilibus sacramentis pastoralis curæ baculum ablaturum minatur. Tunc vir beatus in iniurijs patientissimus, virtute constantiæ roboratus, timore nudus, aduersariorum conatibus respondit intrepidus. Nesciebat quippe mens iusti pauere, quæ nulla torquebatur conscientia culpæ. Diuina nos comitante clementia, non hìc hodiè præiudicium veremur incurrere, puram gerens conscientiam, totius prorsùs criminationis innoxiam. Hic sermo videtur completus, vbi dicitur, vt leo, confidere iustus. Cõstantia sancti viri. Prou. 28.

Dum hæc & his similia vir Deo plenus efficacissimè loqueretur, oris gratiam mentisque constantiam omnes æmuli mirabantur, & velutì nox quædam & tenebræ mentibus eorum infusæ: quid agerent, quò se verterent, dubij nutabant, dolentes se casso consumptos labore, non inuenientes, qua parte eum caperent in opere & sermone. In his perturbationum angustiarumque pressuris ex primoribus præcipuè fauebant beato viro Bertulphus, vir probus, ecclesiæ beati Andreæ Apostoli Præpositus, & quidam VVigmannus de Heuersbach, vir militaris & nobilis, sed & eloquentia insignis. Hi duo medium habentes eum, vt olìm cælitùs directi Machabæum, pro defensione iustitiæ non sunt reueriti iniustitiam oppugnare, adeò vt nec minis, nec terroribus concuti, nec à proposito aliquo possent munere frangi. Instabant igitur viriliter ex Apostolica authoritate, precantes iudicium ecclesiæ Bruvuilerensi fieri iuxta mandatum & legationem Apostolici. Quorum vocibus & instantia non mediocriter exacerbatus episcopus, cum graui indignatione inquit: Habetote vobis Cloteno: meum erit, tam & iniuriam meam vindicare, quàm & viliora pro Cloteno data recipere. Itaque raptum ex ore eius verbum, & cum velocitate diriguntur legati, idem bonum vendicaturi. Qui eũ defenderint. 2. Mac. 10.

His ità patratis, iubet episcopus virum Domini apud Nussiam castrum sibi occurrere, ea omnimodis intentione, vt nullo eius obsistente adiutore vel defensore, faciliùs eum valeret pro voto deponere. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Quandiù verò ista incubuit aduersitas, tandiù fratrum non destitit votiua charitas, septem psalmorum & litaniæ supplicatione Dominum incessanter exorare, vt de mœrore gaudium, de tribulatione lætitiam concederet inuenire. Vir itaque Domini sciens tutam defensionem constare non posse per hominem, Psalmista dicente: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus: de adiutorio Domini confisus, hilaris & gaudens iter aggreditur, quò fuerat imperatus. Perueniens igitur ad locum, non modica inopum collecta multitudine, per opera pietatis & misericordiæ se Deo cupit attentiùs cõmendare. Cumque in solario cuiusdam domûs resedissent, & vir Domini, cum suis necessaria ministrans, solicitus circuiret, ex improuiso solarium corruit, totaque illa multitudo cum viro Dei in cellarium subterraneũ cadendo deuenit. Quos e uestigiò pars non minima domûs subsequens oppressit: sed ex Dei prouidentia, serui sui meritis, nulli læsionem intulit. Itaque exciti ciues tanti sonitùs fragore, ocyùs aduolant vndiquè, & non sine grandi admiratione sospites extrahunt, quos iamiamque perijsse crediderant. Quidam verò præ cæteris lapsus oppressusque periculosiùs, dum iam acsi mortuus defleretur ab omnibus, eductus nulla reperitur parte corporis læsus. Sed & pincerna hominis Dei, Godecho nomine, ipsa hora bina vasa testea vino repleta præ manibus tenens, cum ruentibus pariter ruit: sed, mirum dictu, nec sui, vel vasorum, vel vini pertulit effusionem. Quod factum mirabile idcircò diuinæ clementiæ placuit demonstrare, vt panderetur mortalibus, quanti apud se meriti vir sanctus iste fuerit. At verò episcopus, qui eò illum aduenire compulerat, di- Prou. 21. Psal. 117. Magnum miraculũ. Mira res.

uinitùs, vt creditur, refrenatus, in nullo tunc ei valuit esse contrarius. Egit quippe hoc miro modo circa famulum suum diuina prouisio, nè mortalis hominis premeretur iudicio, quem tanto magnificare disposuit prodigio. Hinc non sopitum, sed acriùs accensum est prædicti episcopi furoris incendium. Nam quanuìs tunc eum siuerit abire, rursùs tamen Coloniam statuto die ad se iubet redire. Intereà fratribus, vt suprà meminimus, pro eo solicitis in vigilijs & orationibus, adest vir Domini improuisus, Quis, quæso, fluctus eloquentiæ, quæ lingua potest euoluere gaudium tunc factum in commune? Gloriabatur quippe nō immeritò humilitas gregis ex præsentia sui pastoris, quem Dominus glorificauerat admirandæ protestatione virtutis.

visio Hartmanni Abbatis Tuitiensis.

Ea tempestate quidam Hartmannus, Abbas Tuitiensis, dum nocte quadam somno indulsisset, tale vidit sominum, præsagum vtiquè futurorum. Vidit igitur per visum, virum quendam forma egregium, vultu reuerendum, episcopalibus infulis decenter ornatum, à Bruvuilerensi ecclesia prodeuntem, & iter Coloniam dirigentem. Quem præcedentem, beatum Vuolphelmum Abbatem cum fratrū caterua cernit eu estigiò subsequentem, septem psalmos cum litanijs sæpiùs modulatis vocibus iterantes. At vbì ad fores peruentum est cubiculi episcopi quiescentis, fores obseratæ, virga præcedentis impulsæ, dictu velociùs sunt apertæ. Quibus taliter intromissis, dux præuius stratum adiens recubantis, cum graui requirit animaduersione, cur tanta contra se temerarius præsumpsisset exercere. Expleto sermōe, virga, quam manu gestabat, ad vltionem iniuriæ grauiter illum percussit in vertice. Itaque somno excitus Abbas præ pauore, virū Domini certum reddit ex diuina protectione & beati Nicolai consolatione. Nec falsum prorsùs somnium extitit vel inane, dum, quod fratres in psalmis & litanijs cōstitit egisse, hoc illi Dominus per visum dignatus sit reuelare. Adhibet etiam certam fidem visioni exhibitio operis. Nam vno eodemque momento, vt hic illum vidit percuti, se sensit episcopus morbo grauari. Tali ergò modo diuinitùs relisa, nisu frustrata illius aduersatrix intentio est. Morbo quippe inualescente, post dies paucos obijt, & cathedrā præsulatûs Segninus vir pius obtinuit. De his ità meminisse sufficiat: nunc se ad gestorum eius sequentia describenda articulus vertat.

Segninus, defuncto Hildolpho fit Coloniensis episcopus.

Hic itaque Domini famulus, quæ retrò sunt oblitus, in anteriora se extendens totis viribus, exemplo Dauid prophetæ, dicentis: Domine, dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: domum Dei aggressus ast adornare omni decoris varietate. Quod quia deuotissima mente concepit, mirifico effectu consummauit. Deniquè, vt breuiter cuncta perstringam, eius instantia vel tempore, in varios ornatus picturæ vel fabricę, seu etiā musiui operis decore, intùs & extra se status extulit Bruvuilerēsis ecclesiæ. Textum prætereà cuiusque operis versibus expressit egregijs, vt liquidò pateret inquirenti totius plentiudo materiei. Operępretium est, illud etiam non reticere, quòd singulis annis vir Domini, noui ac veteris testamenti paginas ex integro faciebat legendo reuolui: quatuor verò Euangeliorum libros, quoniam non eo loco vel ordine, quo reliquos, competebat expleri, statuit quatuor temporibus recurrentibus anni in quatuor plagis claustri singulos à singulis diaconibus recitari. Quod cuius fecerit vtilitatis intuitu vel deuotionis affectu, ex subiectis eius, super vtrunque testamentum compositis, liquet versibus. In quibus singulis annis vtrisque explendis non paruipendendam annectit causam vtilitatis, plurima etiam necessaria tangens, nunc personas subitò decenter immutans, nunc electorum per verbera salutem denuncians, nunc scripturarum suauem gustum commendans, postremò geminam in Christo naturam generis humani medicinam declarans. Hæc idcircò prælibauimus, vt cùm ad talia ventū fuerit loca, intrepidus lector percurrere possit, quod se iam didicisse meminerit.

Psal. 25.

Carmina S. Vuolphelmi.

LAtè diffusus sic Ecclesiasticus vsus
Se testamentis exercet in omnipotentis,
Vt legat hæc ambo, sed & omni compleat anno,
Sicut in hebdomada psalmorum clauditur oda.
Ast hinc psallendi cùm stet status, indè legendi,
Lectio quò prosit, nunquàm præfatio desit,
Qua claui limen patet ad quodcunque volumen:
Pandat vt admisso quod clamet abyssus abysso.
Admitti verò dedit eius gratia Clero,
Qui populis ipso parat hinc documenta ministro.

Sed

Sed cunctis æquè non detegit intima quæque,
Quis tamen intereà non abnuit interiora.
Angelus hinc ensem suspendit percutientem,
Altiùs inflictus non * dedit fulminis ictus, for. ∗ lædit
Non ignis torrens, non vultus dæmonis horrens.
Captiuis diræ discedunt sensibus iræ.
Vasta lues morbi, quæ sæpè superuenit orbi,
Aut non accedit, citiúsve precando recedit.
Exceptos natos quòd vult pater esse paratos,
Verberibus tangi, pœnisque fugacibus angi,
Quis absterrendi nocuo sunt fœdere mundi.
Sed non donorum Deus vsum subtrahit horum,
Quis patrem sese per verbera comprobat esse.
Si sit eis ritus legaliter hic stabilitus,
Vt sic psallatur, ceu diximus, atque legatur,
Vtilitas extrà patet hæc, latet altior intrà.
Huc introductus gustabit munera fructûs,
Cui donat mentem Dominus gustare scientem
Fructus maioris, quàm pandat lingua, saporis.
Sed nec erit, gustum qui scriptis exprimat istum:
Gustans ipse magis scit, quàm sit gratia suauis,
Quam scripturarum conseruat cella sacrarum,
Et quæ diffundi se vult per climata mundi:
Quò genus humanum sit in hoc medicamine sanum,
Quod naturarum peragit compago duarum:
Dum Deus indè pater parit, hinc parit innuba mater:
Nil cælis illinc, nil terris charius est hinc.
Qua specie bina componitur hæc medicina.
Christus patre satus, Deus: ast homo, virgine natus.
Qui cum patre Deus, sed & almo pneumate, verus,
Ad nos indultis pandat pia viscera culpis,
Secla per examen dum iustè discutit, Amen.

Hos versiculos beati viri ideò huic operi inserendos vtile duxi, vt quomodò simpliciores planè currentis prosæ delectantur pastu, ità perfectiores enucleatiùs spiritualiter dicta indagantes, eorum spirituali gustu pariter reficiantur & fructu. Sæpius autem in conuentu fratrum de salute disputans & suadens animarum, inter multimodas virtutum propositiones hoc modo plerunquè eleemosynarum vel hospitalitatis commendabat gratiam: Oportet, inquit, vt scriptum est, & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt: & hospitalitatem non obliuisci, dum & quosdam placuisse legamus, angelis etiam hospitio receptis. Vndè magnoperè vos fratres pauperum vel hospitum susceptioni curam impendere admoneo, quia profectò quicquid illis fideli deuotione confertur, Christo nimirùm, qui se in paupere suscipi, in hospite colligi vult, impenditur. Ideoque maximè necessariam hospitalitatis vel eleemosynarum intuli gratiam, quia nec locum propagari perpendo vel inhabitantes, nisì per eleemosynas & assiduas preces. Verùm, charissimi, dum alicuius in vobis boni scintillam videritis ignescere, nè vestris, quæso, meritis velitis adscribere: quoniam, vt scriptum est, Neque volentis, neq; currentis, sed Dei est miserentis. Omnipotens quippe Deus adspirando nos præuenit, vt bona velimus: & adiuuando subsequitur, vt possimus. Inanis enim aliter esset conatus noster, nisì diuina cooperaretur & virtus. Taliter autem gratia præcurrente, & bona voluntate subsequente, quod conditoris est doni, nostri fit meriti. His & huiusmodì exhortationibus corda fratrum irrigans frequentiùs, ad sectandam prouocabat pietatem. Lucrandis autem sedulus inuigilās animabus, satagebat nil promere verbis, quod non roboraret exemplis, nè vitæ munditia prorsùs discreparet à lingua. Hoc ordine nimirùm hypocritarum declinabat consortium, qui verba quidem sanctorum habent, sed vitam non habent: & quos sermonibus generant, non fouent exemplis: et quos verbis ædificant, moribus & vita destruunt. Nanq; vir beatus non solùm lingua sua suasit, sed & exemplis, moribus & vita subiectis ostendit, quæcunque fidelibus suis omnipotens Deus obseruanda mandauit.

Præconiā hospitalitatis & benignitatis in paupeRes. 1. Tim. 3. Heb. 13. Matt. 25. Rom. 9.

Pauperum verò illi semper fuerat maxima cura: Vndè dispensatione prouida xenodochio superaddidit decimas atque vineta, vt absque pecunia victûs eis præberentur necessaria. Iugiter illi aduersùs vitia pugna: quia mens ad virtutes erecta, non erat procliuis ad vitia. Radicem omnium malorum cupiditatem vel auaritiam adeò perhorrebat, vt præter communem simplicemque victum, nil sibi prorsùs quod speciale foret, assumeret. Pietatis affectu potiùs amari, quàm timeri, satagebat. Vndè iactantiam & elationem proculdubiò respuebat. Nulli verò detrahere, nullum volens odire, extinctis facibus iræ vel inuidiæ, elegit omnes fraterna dilectiõe diligere. Semper hilaris, semper lætus, præferens hilaritate vultûs, quàm syncerus & purus erga Deum & homines eius esset effectus. Quanquàm verò iugi esset contemplatione suspensus, erat tamẽ singulis compassione proximus, mente minimè deflectens à contemplatione, dum pietas ferueret in opere. Sic nimirùm in similitudine cælestium animalium, antè & retrò oculatus, vtrarunque virtutum fuerat charitate deuinctus: vt dum cuilibet earum videretur intentus, proprietate tamen non careret alterius.

Actioni & cõtemplationi, vt fuerit deditus. Apoc. 4.

Taliter se agebat, qui Deo nil chariùs possidens præferebat, ex omni cordis & animi affectu diligens Deum, omnem verò Christianum tanquàm seipsum: seruans in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam, in disciplinæ seueritate censuram. Erga benè agentes apparere prælatus noluit, sed vt coæqualis & socius: aduersùs verò vitia delinquẽtium, promotionis suæ exercebat priuilegium. Quis autem verbis valeat exprimere, quanta discretione omnia iudicia sua studuerit temperare, quantáve iustitia moderari? Dum etenim pro quouis delicto alicui foret inferenda correctio, primitùs in se descendens, iuxta illud Apostoli, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, nè & tu tenteris: tanquàm proprij reatûs delictum deflebat alterius. Ità nimirùm mens Deo deuoti pectoris, omni se excoluit genere pietatis, satagens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, vir planè mitis & iustus, sic omnibus omnia factus. Quo enim dolente non condoluit? Quis ad illius adspectum mœrorem non mutauit in gaudium? Quis ira inflammatus, illius sermone non est mitigatus? Quis iniqua cogitatione pulsatus, non illo est medente curatus? Quis consolari petijt, & consolationem non inuenit? Quis vim verborum, quis efficaciam exprimat sermonum? Quis pietatem euoluere, quis charitatem valeat enarrare? In qua adeò radicatus fuerat & fundatus, vt licèt nullius expers esset virtutis, huius tamen custor existeret specialis. Non segniter etiam animo retinens, quòd quanto subiectis prælatus, tanto curis maioribus esset occupatus: studebat omnimodìs Deo per contemplationem placere, exteriorum curas per idoneas quasque personas solenniter administrare.

Erga corrigendos vt se gesserit. Gal. 6.

Taliter ex voto liberiùs vacans Domino, vtrobiquè prouidus gregi prospexit: intùs propria vigilantia, exteriùs congrua prouidentia. At quoniam fuerat miræ mansuetudinis & discretionis, sciens, quòd districtio si modum excedit, sæuitiam gignit: & nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit: tanta inter vtrunq; vsus est discretione, vt nec indiscreta districtio subditis, recusandi laboris fieret occasio: nec nimia pietatis exhibitio, disciplinæ foret immoderata remissio. Ità nempe exemplo sanctorum patrum gressus suarum instituit actionum, vt nullatenùs extrà limitẽ iustitiæ propriam sineret effluere actionem. Hinc profectò felicem ac iure beatũ talem dixerim virum, qui & Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem fortiter tenuit, & tamẽ matrem virtutum discretionem nunquàm deseruit.

Cuius vt mores vel actus summatìm perstringam, fuit vita laudabilis, verbo discretus & vtilis, consilio prouidus, moribus ornatus, affabilitate mellifluus, misericors & benignus, pronus ad veniam, tardus ad iram. Per pietatis affectũ, omnium condescendens necessitatibus miserorum: iuxta beatum Iob, pater erat pauperum, mœrentium consolator, pupillorum adiutor: non despexit inopem, nec dimisit absque operimento pauperem: alios refouens verbo consolationis, alios ope releuans pietatis. Ab infantia Deum timere didicit. Ex vtero enim secum egressa miseratio, creuit. Arca cordis iugiter referta bona voluntate, nunquàm vacua manus extitit munere. Pauperum sibi apud Deum hic conciliabat patrocinia, faciens sibi amicos de iniquo Mammona, qui eum quandoquè reciperent in æterna tabernacula. Ne autem mundum plùs iusto videretur diligere, mundo solummodò vsus est ad necessitatem, non ad superfluam delectationem. Noxias quippe ab animo excludens delectationes, Apostolicas æmulabatur

Catalogus virtutum sancti viri. Iob 29. Iob. 31. Luc. 16. 1. Cor. 9.

labatur traditiones, corpus videlicet castigare & in seruitutem redigere, vt extenuatum cælestibus disciplinis, vas aptum fieret sanctificationis. Nouerat enim animū non posse legitimo imperio perfrui, nisi carnis motus penitùs essent subiugati. Hoc deniquè ritu sacrificij in sui cordis penetralibus hostiam viuam, sanctam, Deoq; placentem se exhibuit, dum singulis diebus, cum sacrosanctis corporis & sanguinis Christi mysterijs, per compunctionis gratiam sese in holocaustum mactauit.

Extiterat huic beatissimo viro frater germanus, Frumoldus nomine, sorores sanctimoniales duæ, quarum vna Osvuenda nomine, miræ simplicitatis & innocentiæ fuit fœmina: altera verò Berta nuncupata, literarum plurimùm emicuit scientia. Hæc vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecensis Abbatissæ, eleganti satis admodùm stylo conscripsit, & plurimum religionis vel scientiæ suę fructum in eodem loco dereliquit. De cuius prædicta sorore, domna videlicet Osvuenda, nostris temporibus factum libet referre miraculum, omni sanè laude, memoria, & veneratione dignissimum. Quidam frater ex cœnobio Bruvuilerensi, Vdo nomine, adeò pessima laborabat infirmitate, vt omnes cogerentur de eius desperare salute. Deniquè toto miserabiliter intumescente corpore, omnium membrorum amissa sanitate, trunco potiùs, quàm humano corpori, videbatur similis. Quodque maximè mortis indicium solet existere, nullum remedium illi adhibitum valuit proficere, volente, vt credimus, Domino demonstrare, quòd quanto grauior morbus, tanto potentior omnipotens credendus est medicus. Cumque de solis eius ageretur exequijs, lento sopore corripitur, videtque per somnium domnam Osvuendam, iam immortalitatis luce potitam, sibi assistere, compatientisque affectu manu totum corpus permulcendo, vim doloris lenire. Indè oratorium, iacentis lecto contiguum, ingressa, tertiò flexis genibus adorauit, sicque super ægrotum signum sanctæ Crucis exprimens, disparuit. Ilicò virtus diuina est subsecuta. nam post paucos dies conualuit, integra sospitate recepta. Vndè nec dubium extitit, illo visa pandente, ipsius suffragantibus meritis, erutum illum de confinio mortis. Fuerat autem tam immanissimus languor, vt à planta pedum vsque ad verticem in eo non esset sanitas: sed tota corporis cute subtracta, ac si vetere homine exutus, recenti corio cum salute est superindutus.

Eius frater Frumoldus: Sorores, Osvuenda & Berta.

Miraculum Osvuendæ.

At verò prędictus beati Vuolphelmi germanus, domnus videlicet Frumoldus, armis terrenæ militiæ exutus, se illis implicari recusauit vlteriùs, vt Deo seruire posset expeditiùs. Studium itaque peregrinationis arripiens, nè exul cęlestis fieret patriæ, omni reliquo vitæ suæ tempore longè lateque, ad promerenda sanctorum patrocinia, se studuit exiliare, vno tantùm contentus seruulo comite: cui tamen versa vice, vt alter Martinus, hic sæpiùs consueuit ministrare. Quod genus diuinæ propitiationis illo pedibus iugiter exequente nudis, adeò sæpiùs vidimus eum liuentes plantas habere, vt nulla ratione calceamenta valeret admittere. Erat etiam ei solennis consuetudo, quandiù ad diuinum in ecclesia assistebat officium, omnimodis alicuius vitare colloquium: sed stans, vel humi prostratus orans, tanta lachrymarum potiebatur vbertate, vt velut imbre perfusum, madidum reliquerit pauimentum. Hanc compunctionis gratiam per diuinam possidens clementiam, custodem in se reliquarum deputauit esse virtutum: quia nullum penitùs ei dominari nouit delictum, cuius mens sedulò compungitur ad lamentum. Quis hunc fidelissimum Domini dubitauerit seruum, cuius executio mandatorum, tam euidens meritis illius præbet testimonium? Quanuis etenim in pace præsentis vitæ consummauerit cursum, expleuit tamen martyrium, satagens crucifixum habere mundum, dum carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixit, & Dominum fideliter sequens, mundo peregrinus extitit. Hic cœtibus iustorum, vt confidimus, coniunctus, in ecclesia propriæ possessionis quiescit sepultus. Hæc pauca prolata sufficiant ad sanctitatis testimonium beatissimi patris Vuolphelmi & Frumoldi germanorum.

Frumoldi perpetuæ peregrinatiões nudis pedibus.

Erat tunc temporis vir quidam genere nobilis, sed moribus nobilior, Burchardus nomine, præfectoriæ dignitatis, sed & præpotens armis, qui germanus extitit illustrissimi viri Emehardi Vuirceburgensis episcopi. Hic euangelij non surdus auditor, Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me: relictis omnibus, quæ temporaliter videbatur possidere, Kanerberch, castellum suæ munitionis, Domino consecrari fecit locum orationis. Taliter cùm diues esse posset in mundo, pauper elegit esse cum Christo: plebeio habitu amictus, sanctorum perlustrabat loca, seruorum Dei solerter requirens alloquia. Vndè & ad notitiam famuli

Burchardus vir nobilis.

Matth. 19.

Dei Vuolphelmi deductus, maximè ab eo loco venerationis est habitus: & vt quon-
1.Reg.18. dam anima Dauid colligata est animæ Ionathæ, sic amor Dei confœderauit vtrosque.
Ex hac itaque mutuæ charitatis affectione, frequenter eum solitus inuisere, dulcissimos
gaudebat verbi diuini fauos ex ore eius percipere. Mirabatur autem supra modum
tantam illi cælitùs concessam diuini affluentiam verbi, vt quomodò ex supercrescen-
te fluuio riuus, ità ex illius mellito gutture manaret sermo diuinus. Sed quid mirum,
quòd semper animus fixus in cœlestibus, de diuinis tractare valebat subtiliùs? Vt ergò
rei ordinem prosequamur, volens Dominus pio reuelare discipulo, quanta perfectio
Visio Bur-chardi. lateret in magistro, talis ei nocturno silentio diuinitùs declaratur visio. Vidit igitur il-
lum, quem tremit tartarus, colit abyssus, cælorum adorat exercitus, in quem deside-
rant prospicere ordines dignitatis angelicæ: hunc, inquam, vidit balneo impositum,
manibus & officio beatissimi Vuolphelmi reuerenter foueri, ablui & detergi: vbi
etiam circunstantes duodecim apostoli, adminiculum ferre videbantur ministranti. Il-
le igitur vir præclarissimus cęlitùs sibi ostensam visionem per quendam, Meginhardum
nomine, monachum, fratrem sibi satis familiarem, ad viri Dei properauit transferre
notitiam. Qui sagaci animo vim somnij discutiens, cœpit diligenter inuestigare, quid
visio hæc videretur portendere. Intellexit itaque patenter, se commoneri vigilanter
boni seruare tenorem propositi, Christo in suis omnimodis membris ministrari, iuxta
Matth.25. ipsius dicentis vocem: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Gaudebat
autem vir Deo amabilis, summo electorum capiti se operibus placuisse pietatis: sed
Pauperi balneum adhibet S. Vuolphelmus. seriem actibus exequi cupiens visionis, vice Domini balneum præparatur egenti, in
cuius singula peraguntur obsequio, quæ visionis poposcerat ordo. Quibus ritè com-
pletis, toto corpore mundus & sanus egressus, ex integro nouis est vestibus ornatus. A
quo tempore tantam gratiam meruit obtinere, vt mirabilium quoque patrator ope-
rum mereretur existere.

Ipso nanque tempore fuit quædam mulier in territorio Bruvuilerensi, Golda no-
mine, quæ vtrorunque luminum cæcitatem se doluit incurrisse. Cumque omnium
illuminatori placuisset per famuli sui merita illi subuenire, sub nocturno silentio ta-
Visio cæcæ cuiusdam. li perfruitur visione: Videbatur illi leuiter dormienti, viro Dei Vuolphelmo, Missarum
solennia celebranti, assistere, & post expletionem manuum eius ablutione oculos suos
diluere, extersosq; fimbrijs vestimentorum eius, diu optatum lumen recepisse. Quam
visionem ad nos perlatam, famulo Dei, ad diuina mysteria properanti, humiliter sug-
gessimus, & vt pauperculæ mulieri compareretur, exorauimus. Qui non assensit, hoc
Sancti viri modestia. sui non esse referens meriti, & somnijs, sæpè fallentibus, fidem non leuiter adhiben-
dam: sed si est, inquit, hæc visio ex se, secundò ac tertiò Dominus eam dignetur re-
uelare.

Itaque corde contrito & humiliato in ieiunijs & orationibus eo constituto, ea-
dem visio, quæ mulieri primò, apparuit secundò ac tertiò. Quid plura? Tandem
vir Domini nostra victus est instantia, & secretò admittitur illa, ante fores ecclesiolæ
iussa consistere: quia non ei vsus fuerat facilè, nisi certa ex causa, frequentiam mulie-
Cęca lumen recipit. rum admittere. Itaque ritè peractis Missarum solennijs, vt docuit visio, abluit, extersit,
mox clarè videns remeauit. Tunc vir sanctus, nolens virtute facti huius humanis fauo-
Matth.17. ribus attolli, memor Dominicæ præceptionis, iubentis discipulis, nè quousque
tempus compleretur resurrectionis, ordinem cuilibet panderent visionis: interdixit
summoperè nobis, id illo in vita superstite nulla ratione prodere, nulla necessitate de-
tegere.

Vir itaque Domini, de die in diem virtutum exuberans copia, indesinenter ad vitæ
cælestis suspirabat gaudia, quæ iam promeruisse gaudet felix eius spiritus in Domini sui
præsentia. Nam quandiù in corpore vixit, mundum corpore, non mente, inhabita-
uit: ibi magis habere fixum appetens animum, vbi gaudium nouerat sine fine man-
Phil.3. surum. Vndè & meritò dicere valebat cum Apostolo: Nostra conuersatio in cælis est.
Heb.13. Et illud: Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Cælestis
Preces assiduæ. ergò patriæ incessabili flagranti amore, inter alia atque alia virtutum exercitia, tanta ei
erat orationis instantia, vt quanquam omnibus floreret virtutibus, hanc tamen possi-
dere videretur principaliùs. Ex cuius assiduitate hæc etiam ei insoleuit deuotio, vt singu-
lis annis, dum more sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ ieiunium obseruaretur Quadragesi-
male, non solùm circuniacentia, sed & Agrippinæ Coloniæ vbiquè sanctorum orando
inuiseret loca. At quoniam huius rei nunc incidit mentio, libet referre grande pericu-

lum,

lum, immò miraculum, quod nobis contigit redeuntibus Coloniam è Tuitio. Beati & gloriosi confessoris Hereberti sepulcrum oratum petiueramus: redituri, puppim ascendimus: soluta litore, admodùm prosperè nauigabamus. Introrsùm nos vndà iam longiùs rapuerat, dum eccè repentè intolerabili exorta tempestate, rupta quies Rheni ab imis sedibus perturbatur: vndæque in se redundantes, ad instàr prominentium rupium, capitibus imminere videbantur in naui residentium. Sicque nauis huc illucque vagis dilabitur vndis, & nunc summo in fluctu pendens, nunc vnda dehiscens terram inter fluctus aperit, turbatisque nautis præ pauore mortis, sonus hæsit in gutture vocis. Tanto nobis vallatis periculo, virum Domini, in posteriori nauis parte residentem, & suo more, nescio quid secreti, meditantem, & eorum, quæ nobis euenerant, prorsùs ignarum, adij, & mortem omnimodis imminere nunciaui. Qui protinùs ad orationum conuolans nota præsidia, sanctorum deuotissimè implorat suffragia, litaniæ supplicatione imposita. Dehinc cum crebra sanctæ Crucis obiectione, Saluator mundi salua nos, cœpit canere: qui per crucem, inquiens, & sanguinem redemisti nos, auxiliare. Hortatur dehinc, resumptis viribus constanter remigare viros, nullo metu mortis concuti, nullum ex eis asserens periturum prouidentia Dei. Hac exhortatione animati, & quoniam res pro anima fuerat illis, dum fortiter ad litus tendunt, viriliter æquora scindunt. Intereà miserabilis clamor vtriusque sexûs super litus consistentium attollitur in cælum, periculum nostrum eminùs intuentium. Quid multis morer? Inter confinia positi mortis & vitæ, tandèm perlabimur ad locum, vbi multitudo nauium latiùs Rheni occupauerat sinum. Quas attingentes, & ex altera in alteram transmigrantes, iuxta viri Dei vocem, præter spem euasimus omnes. Veruntamen nè dubitaretur vllo modo, illius nos saluatos merito, concitè id rabies Rheni fluminis diuino declarauit indicio. Deniquè vt ille beatus pedem extra puppim extulit, paulò antè diuinitùs suspensis fluctibus prædæ fuit: & quæ priùs onusta mergi non potuit, subsistere tanto viduata patrono nequiuit, sed protinùs, nobis cernentibus, submersa disparuit. Taliter per immensi mœroris præcipitium, meritis serui sui, maximi nobis gaudij Dominus contulit beneficium, dum & virtutum eius gratiam extulit, & quod verebamur auertit.

Liberantur multi ex præsenti mortis discrimine.

Per idem tempus quadam die cum secretorum suorum conscijs oratorium, vt tunc falsò credebatur, Bruvuilerensis parochiæ in villa, Kyrchedoro nomine, oraturus intrauit: & eccè solo prostratus, carere locum sanctorum patrocinio, spiritusancto reuelante, didicit. Qui surgens ab oratione, cum secum consistentibus accelsit ad altare, & velamine subducto, cùm omnia diligenti intuitu perlustrâsset, nihil omninò vel sub sigillo, vel rimarum fissuris, præter nidificationes vespertiliouum & telas reperit aranearum. Vndè nimirùm, vt par erat, mente consternatus, absque morarum dilatione Coloniensis ecclesiæ præsulem adijt, illi, quæ gesta fuerant, ordine exposuit. Cuius mentis dolori ille condolens, datis etiam sanctorum reliquijs, euocatum ad se direxit cum eo quendam Hezelinum, Scarnensis sedis antistitem, vt sua vice prædictum locum, quia episcopij sui diœcesis erat, Deo consecraret, & eius seruitijs manciparet. Qui libenti animo eius obtemperans imperio, congregata multitudine fidelium, diuinæ religioni dedicauerunt idem oratorium: statuentes ibi duo altaria, superius quidem in honore archangeli Michaelis, inferius verò in veneratione habenda beati Martini Christi confessoris. Hoc in facto illi nimirùm cum beato Martino similis extitit proportio virtutis, qui pari modo similiter illustratus diuina reuelatione, populum absoluit à diabolicæ fraudis seductione, ara destructa latronis, qui in vice venerabatur martyris. His ità ritè celebratis, rediêrunt vterque ad propria, Deum collaudantes in iubilo.

Dolet valdè altari deesse sacras reliquias.

Illud etiam non reticendum arbitror rei gestæ miraculum, quod vidimus fieri sub testimonio omnium fratrum, & est, fama vulgante, circunquaquè notissimum. Mulier quædam, Adelheidis nomine, varijs omnium membrorum languoribus oppressa, ad beati Nicolai in Bruvuilerensi cœnobio limina, recuperandæ salutis gratia, est perlata. Quæ cum detrimento omnium membrorum, occultis etiam viscerum doloribus ac non ferendis cruciatibus quatiebatur, ità vt omnis generis annonæ panem adeò fastidiret, vt non solùm gustare, sed & vitaret attingere. Hæc quidem beati Nicolai meritis celerem sospitatem recepit in membris: Veruntamen occulto Dei iudicio omnimodis, vt priùs, panis abstinuit edulio. Dum verò post aliquot

Miraculum S. Nicolai.

annos diuinæ clementiæ ab hac illam placuisset infirmitate absoluere, intempestæ noctis silentio tali perfruitur visu: Videbatur illi, beatissimum virum Vuolphelmum panem benedixisse,& illum susceptum ab eius venerabili manu se auidè comedere. Quæ fidem adhibens visioni,sciens per eum his maiora posse fieri,flebilibus vocibus panem sibi ab eo obsecrat benedici. Qui renitens totis viribus,indignum se proclamat ministrum operis huius. Tunc videres animum viri Dei anxiè perturbari: velle quidem misereri, sed palàm id propter iactantiam fauoremque nolle fieri. Attamen nè diutiùs videretur protrahere,quod diuinitas per eum disposuerat adimplere, allatum panem benedixit,mulieri porrexit,præsentibus nobis illa comedit. Quæ viri Dei meritis ex integro sanitati restituta,omni,quoàd vixit,tempore ibidèm ecclesiæ vsibus tanto commodiùs ac deuotiùs studuit deseruire,quanto præ alijs multipliciùs ac differentiùs gratias sanitatum meruit obtinere. Vir autem Domini, quanquàm tam præclaris & eximijs polleret virtutibus,nunquàm tamen illius elationi succubuit animus, non gloriandum recolens ex virtute signorum, sed ex consortio collegij electorum. Quis verò singulatìm queat referre sanitatum genera,in diuersis per illum languentibus exhibita miseratione diuina? Sæpiùs enim, illo visitante, est indulta ægrotantibus salus, quod tamen ab aliquo sibi imputari prorsùs non patiebatur. Sufficiant è pluribus ista fidelibus, ex illius memorata virtutibus. Nunc ad referendum, qualis ei fuerit de hac vita transitus,dirigatur articulus.

Pane benedicto curat morbidam mulierem.

Post innumera diuinæ per illum operationis patrata beneficia, volẽs pius Dominus serui sui consolari gemitus & suspiria, crebrò dicentis cum Propheta: Quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? satiabor, dum manifestabitur gloria eius: placuit ei hoc ordine dissolutionis suæ tempus reuelare. Quodam die tempore meridiano pro consuetudine illo, non iacendo, sed sedendo dormiente, speciosissimus per visum iuuenis ei adstitit, & vt se quantocyùs sequi festinaret, admonuit. Qui comitatus euntem, angelico ductu ad loca perducitur amœnissima, omni decoris varietate vernantia, incomparabili lucis splendore micantia, totius etiam suauitatis odore redolentia. Ibi ostensis illi diuersarum habitaculis mansionum, fidelibus nimirùm à Domino promissarum, tandèm in quoddam illum angelus magnæ venustatis & proceritatis introduxit ædificium, cuius intùs & extrà contemplari iubetur diligenter ornatum: hunc sibi mansionis locum diuinitùs esse prænuncians destinatum: quem, inquiens, quanto studiosiùs ac venustiùs exornaueris,tanto iucundiùs ac feliciùs in perceptione illo frueris. Taliter angelico affatu de perennis gloriæ felicitate commonitus, euigilans, seorsùm quibusdam visum indicat fratribus, annectens proculdubiò se quantocyùs dissoluendum. Vndè miro modo animo consternati, vtpotè cuius semper fuerant beneficia pietatis experti, de illius meritò amissione intolerabili torquebantur afflictione. Verùm certiùs hinc colligere cupientes, diem signant, cum visione notantes: quem anni reuoluto circulo, ipsa die carnis solui contigit ergastulo, quo cælitùs ei fuerat visio oblata. Vndè patuit, non phantasticam illusionem,sed veram fuisse visionem,quæ tam euidenter & viri Dei dissolutionem, & cælestem ei designauit mansionem. Per continuum itaque illius anni spatium, non segniter dormiendo, sed solerter bonis operibus inuigilando, Domini sui aduentum expectabat, atque conseruis suis talentum sibi creditum erogabat. Tanta autem vis diuini amoris cor eius penetrauerat, vt etiam si nollet de Deo loqui, silere non posset. Cumque id solito instantiùs atque feruentiùs ageret, proindè nonnulli cœperunt fastidire, minùsque libenter audire. Quod ille perpendens, non se à bona subtraxit intentione: sed volens eos resipiscere,illud Apostoli crebra inculcabat repetitione: Filioli mei,quos iterùm parturio,donèc formetur Christus in vobis. Hæc quippe dicebat,quia quos iam prædicando pepererat, reformando gemens iterùm parturiebat, illud subiungens: Mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Dum verò quadam die paterna se minùs cerneret admonitione proficere,spiritum sanctum tota concipiens mente,in hæc verba prorupit Amos prophetæ,immò, vt potiùs postmodùm rerum probauit euentus,ipse spiritu tactus prophetiæ: Venient,inquit,dies, dicit Dominus,& mittam famem in vos: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Nouerat proculdubiò, quòd sicuti fames est carnis, subtractum subsidium corporis: ità fames est mentis, silentium vel amissio diuinæ collocutionis. Vndè futura eis quasi iam præterita narrans: Noueritis, asserebat, quòd absque dubio

Psal.41. Psal.16.

Visio sancti viri.

Galat.4.

Phil.3.

Amos 8.

in quibus nunc vobis onerosus existo, vel fastidium genero, summo ea vobis quandoque, non tamen effectum habituris, futura desiderio. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Hæc idcircò non prætereunda putaui, nè incassum prolata hęc verba credantur hominis Dei: dum omne, quod locutus est, verbum aut impletum, aut in futuro non ambigamus implendum.

Licèt autem iam vltimam duceret ętatem, nullatenùs tamen propositi sui passus est infirmare rigorem, indulgentiùs viuendo, labore remisso. Exiguum quippe reputabat præsentis temporis laborem, ad superuenturæ gloriæ recompensationem. Quapropter nec longæuitatem temporis, nec difficultatem causabatur laboris: sed potiùs omnimodis apponens labori laborem, angelicam exequi studebat exhortationem. At verò imminente iam eius migratione, vbi se sensit repentè viribus destitui, infirmitate grauari, euocatum reuerentissimum Abbatem cœnobij beati Pantaleonis martyris, nomine Herimannum, totius honestatis & religionis virum, olei sacrati se fecit liquore perungi. Paucis dehinc euolutis diebus, primo lucis crepusculo, decimo Calendas Maij, viam vniuersæ carnis ingressus obijt, & gaudium Domini sui felix feliciter introiuit. Floruit autem temporibus secundi Henrici Imperatoris, qui monarchiam regni obtinuit post decessum tertij Ottonis, tempore beati Heriberti, sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopi, & vixit vsque ad tricesimumtertium annum quarti Henrici Imperatoris, cuius pater extitit tertius Henricus, auus Imperator Conradus. Transijt autem, plenus dierum, omniumque profectibus operum bonorum, anno millesimo nonagesimoprimo Dominicæ incarnationis. Cuius obitu comperto Herimannus, tunc temporis archiepiscopus Coloniensis, exequijs eius summoperè satagens deuotionis obsequium impendere, ad sepeliendum eum deuotus occurrit. Cuius exemplo religiosorum virorum etiam turba confluxit, inter quos præcipui & illustriores habebantur Abbates, Herimannus videlicet, suprà memorati cœnobij sancti Pantaleonis, & Reginhardus bonæ memoriæ Sigebergensis: qui vtrique famulum Domini summo semper coluère studio pietatis. Expletis itaque ab archiepiscopo pro eius venerāda memoria Missarum solennijs, vbi sacrosanctum corpusculum deponi debuit in sepulcrum, accedens per se, amictum amouit, quo sacer eius velabatur adspectus: & eccè mirum dictu, cùm esset iam triduanus mortuus, apparuit non defuncti more pallidus, sed roseo colore perfusus, gratia plenus, & veluti roscidulis guttis sudore respersus. Quo præclaro viso miraculo, plerique fleuère prę gaudio. Ad circunstantes verò conuersus episcopus, En, inquit, patres dilectissimi, quàm deuotus hic fuerit Domini seruus, quem tanta ac talis commendat gratia vultûs. His à præsule peroratis, cum debita veneratione secus beati Petri apostoli altare decenter traditur sepulturæ. Ibi suffragantibus meritis eius, fidelium exaudiuntur vota, infirmis impenduntur beneficia, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui vnà cum patre & spiritu sancto est honor, potestas & gloria per infinita secula seculorum, Amen.

Hermānus Abbas S. Pantaleonis eum inungit.

Abit è vita.

Hermānus Colon. episcopus.

Facies triduo defuncti.

Itaque veluti magno mari, emenso præsentis historiæ pelago, iam quasi litus cernentes respiramus, dum quædam solùm de miraculis eius referēda superesse videmus. Satagendum est ergò, vt portum teneamus, cursum consummemus: quoniam sicuti solent solem obducere nubes, sic pigri desidesque scriptores vtilium rerum sæpè subtrahunt cognitiones. Aggrediamur itaque referre miracula, quæ post obitum eius diuina per eum sunt celebrata virtute. In territorio Bruvuilerensi mulier quædam, Vuazela nomine, dum quadam die ad opus consedisset textile, tam crudeli ex improuisò vtrarunque manuum torqueri cœpit vexatione, vt clamore diræ vocis ciues cogeretur excire. Ex cuius immanitate doloris, paralysis obnoxia credebatur passioni. Subitò nanque adeò inutilis est reddita manibus, vt ad nullos eas valuerit vsus applicare. Quo magis magisque ingrauescente morbo, prę nimia doloris contritione inter manus tenentium obdormiuit, & huiusmodi lenis vocis sonum dulciter audit: Quid sopore deprimeris? Si præsenti passione carere volueris, surge velociùs, & cum oblatione cerei domini Vuolphelmi adito sepulcrum. Illius enim meritis es gaudio potitura salutis. Quæ alacri fide promptaque deuotione iubenti satagens obedire, ardente sepulcrum inuisit cereo, nec beati patris diffidens meritis, nec dictis credere cunctata monentis. Quæ vbi ad orationem procubuit, post pusillum sana surrexit, & gratias agens Deo, sospes ac læta recessit.

Miracula post eius obitum.

Paralytica sanatur.

Frater quidam ex cœnobio Bruvuilerensi, Heribertus nomine, post obitum beati Vuolphelmi in Daciam prouinciam fuerat transmissus, cum alijs quibusdā religionis monasticæ gratia fratribus. Vbi cùm aliquantispèr commoratus esset, & iam reditum ei persuaderet animus, comitātibus secum viris honestis ac religiosis, iter est aggressus. Cumque ad mare peruenissent, piratis insidiantibus, & die noctuque maris sinum occupantibus, fermè per dies nouem negabatur transitus. Vndè nimia cordis contritione omnes pariter afflicti, vt propitius adesse dignaretur Dominus se inuocantibus, intimis precabantur visceribus. Nec distulit pius Dominus suorum vota fidelium, concitè largiendo subsidium. Adest nanque prædicto fratri sub noctis silentio B. Vuolphelmus per visum, in crastinum iubens accelerare transitum, mare pacatum, hostium denuncians impetum refrenatum. In memoriam verò suæ liberationis ter ternis psalmis, cultor ille sanctæ Trinitatis, Domino vota persolui iussit iubilationis. Taliter hostium sublata formidine, non modicum gaudiū sumpsère ex diuina reuelatione: & marinis se læti ingerunt fluctibus, piratis minimè nocere valentibus. Hoc ordine per serui sui merita ab imminentibus malorum procellis eruti, diuinæ gratias agunt liberationi. Quod vt ab ipso fratre, qui pertulit, agnouimus, fideli narratione retulimus.

Apparet fratri cuidam.

Eodem tempore claudus quidā, Vuillemannus nomine, ex villa, loco Bruvilerensi contigua, Polheim videlicet nuncupata, obtentu beati Vuolphelmi diù negata membrorum recepit officia. Tempore quippe Quadragesimali ad locū accedens sepulcri, quo salutis arderet desiderio, cordis promebat gemitu: quo salutis ducebatur gemitu, cordis illius declarabat afflictio. Deniquè ad Deum tota intentione conuersus, lachrymosis precabatur suspirijs, vt serui sui meritis sospitatē mereretur in mēbris. Nec spes fefellit, cui fides incitamentum præbuit. Citiùs enim dictu claruit, cuius sanctitatis vel meriti vir beatus extiterit. Repentè enim diù contracti se cœperunt extendere nerui, & venarum meatus vitalis sanguinis infusione repleri, & membra priùs præmortua, in pristinum vigorem restitui. Quid longiùs morer? Sentiens homo diuinam in se operari virtutem, lento conamine assurgere nitens, quanquàm adhuc nutante gressu, in pedes constitit, & quæ circa se acta fuerant, præsentibus fideliter disseruit. Quorum manibus sustentatus, & huc illucque deductus, vt res innotuit fratribus, magnificè laudatur & glorificatur Deus, qui in sanctis suis mirabilis est & gloriosus, faciens mirabilia solus. Ad indicium verò tanti miraculi, sustentatorij illius baculi super sepulcrum beatissimi viri multo tempore mansère suspensi.

Claudus restituitur.

Psal. 67.

Alio fermè tempore huic miraculo accidit consimile, quod quandò qualitérve sit factum, libet referre. De villa Geroldeshouen mulier omnimodis contracta, ad sæpè memoratum locum ab amicis est deductā. Hæc sedulò ibidèm incubans precibus, templi limina frequentabat attentiùs. Existente autem sacratissima beati Petri apostolorum principis solennitate, & hanc cum reliquo vulgo tantis contigit interesse solennijs. Quæ largiter flens, & longa suspiria trahens, ante sepulcrum beati viri prosternitur, miseram se ac infelicem nimiùm conqueritur, cuius nec preces mererentur admitti, nec corporis incommoda solui. Sed qui quondàm mulieris Chananææ, & huius voluit preces differre: vt importunum illius desiderium, fidei esset experimentum. At verò quoniam beati viri meritis saluari posse non hæsitauit, sed in fide postulans perseuerauit, effectum meruit. Erecta quippe diuinitùs, exclamauit, omniumque silentium clamoribus rupit. Vbi enim ossibus ossa se coniunxère disiuncta, & neruorum contractio iuncturarum fiebat connexio, non est mirandum, quòd fragilioris mulieris sexûs expauit animus. Exurgens itaque à pauimento, recepto vigore, incolumis præualuit ad propria remeare. Talibus miraculorum effectibus veraciter cum Christo se viuere mundo testatur vir iste beatus, Amen.

Matth. 15.

Contractæ redditur salus.

SANCTI

SANCTI GEORGII, MAGNI MARTYRIS VITA ET MARTYRIVM, AVTHORE SIMEONE *Metaphraste.*



Diocletianus Romanorum Imperator, sceptris indignè positus, & primus eorum, qui sibi cum illo Romanum imperium vindicabant, (tres enim erant), cùm Augustus declaratus esset Cæsar, omniaque sibi tum aduersus hostes, tum in subiectis populis è sententia cedere videret, magno studio, vt sibi quidem videbatur, in eam curam incubuit, vt diuinam beneuolentiam compararet. Summam enim pietatem, & bonorum omnium finem, in eorum, qui dij vocantur, cultu sitam existimabat. Quamobrèm assidua illis & magnifica sacrificia faciebat; inprimisque Apollinem, vt rerum futurarum peritissimum, venerabatur: quem cùm aliquandò de quodam negocio consuluisset, ità respondisse ferunt, vt eos, qui in terris iusti essent, sibi impedimento esse diceret, quo minùs vera prænunciaret, eorumque causa fieri, vt tripodum vaticinia falsa deprehenderentur. Opinionis igitur errore deceptus miser, scire vehementer cupiebat, quinam illi essent in terris homines iusti. Respondens autem è sacerdotibus quidam: Christiani sunt, inquit, Imperator. Hanc ille responsionem, tanquàm escam, deuorans, bellum aduersùs Christianos, quod iam quieuerat, rursum excitauit. Statim igitur arma, quæ aduersùs scelera comparata sunt, in homines innocentes exerceri, & in omnes prouincias edicta cædis plena mitti cœperunt. Videre licebat carceres adulteris, & sicarijs, & flagitiosis hominibus vacuos: eorum autem, qui Christum Deum ac Saluatorem faterentur, plenos. Videre licebat, veteribus & vsitatis cruciatuum generibus, tanquàm leuioribus, repudiatis, grauiora quædam excogitari, quibus plurimi quotidiè Christiani passim afficiebantur.

Cùm autem ad Tyrannum variæ criminum delationes aduersùs Christianos vndiquè, inprimisque ab Orientis procuratoribus venissent, quòd edicta ipsius contemnerent, qui se Christianos profitebantur, quorum numerus iniri non posset, adeò vt vel in propria religione viuere ipsis permittendùm esset, aut bello repentè nihil eiusmodi opinantes opprimi deberent: ille, his omnibus auditis, animi celans indignationem, & præ se ferens humanitatem, Præfectos omnes ad se, præcipueq; totius Orientis procuratores accersiuit. Qui cùm celeriter omnes conuenissent, Senatu conuocato, suam aduersùs Christianos sæuitiam patefaciens, Imperator iussit, vt quid quisque de re proposita sentiret, in medium proferret. Cumque alij aliud dicerent, ad extremum ipse virus euomuit, deorum religione nihil esse præstantius asserens. Cuius sententiam cùm alij comprobassent; rursùm, Si meam, inquit, beneuolentiam magnifacitis, quandò ità sentitis, studiosè operam date, vt Christianorum religionem ex vniuerso imperio meo prorsùs expellatis. Quod vt faciliùs perficere valeatis, ego vobis totis viribus fauebo. Omnibus autem approbantibus & collaudantibus, Senatui & ipsi Diocletiano visum est, ea de re iterùm & tertiò ad populum referre.

Tunc in exercitu aderat etiam admirabilis Christi miles Georgius, qui in Cappadocia non obscuro loco è Christianis parentibus natus, in vera pietate iam indè ab ipsa pueritia fuerat institutus. Hic cum ad pubertatē nondùm peruenisset, patrem in certamine pietatis egregiè pugnantem amisit, è Cappadociaque cum matre in Palæstinam, vndè erat oriunda, se contulit: vbi multæ illi possessiones & ingens erat hæreditas. Ob generis igitur nobilitatem, cùm iam & corporis pulchritudine, & ætate ad militiam aptus esset, Tribunus militum est constitutus. Quo quidem in munere cùm virtutem suam in bellicis certaminibus, seque strenuum militem ostendisset, Comes à Diocletiano constitutus est, antequàm Christianus esse cognosceretur. Cùm autem eo tempore mater è vita discessisset, maioris cupidus dignitatis, maximā è diuitijs sibi relictis partem accepit, & ad Imperatorem profectus est. Tunc autem vigesimum ætatis annum impleuerat.

Cùm igitur primo statim die tantam in Christianos crudelitatem animaduertisset, & Senatusconsultum mutari non posse, opportunum ad salutem tempus illud existimans, omnem pecuniam & vestem celeriter pauperibus distribuit, seruosque præsentes

23. Aprilis.

Diocletianus dæmonum cultor præcipuus.

Eius sæuitia in Christianos.

Alij eius sententiam approbant.

S. Georgius fit tribunus militum, Idé Comes.

Omnia sua dat pauperibus.

tes libertate donauit, deque absentibus, quod sibi videbatur, constituit: & tertio Concilij die, quo Senatûs decretum confirmandum erat, & Principum crudelitatis authorum sententiæ comprobandæ, aut refellendæ: ipse, omni formidine humana reiecta, & solum Dei timorem in animo conseruans, hilari facie & mente tranquilla in medio consessu stetit, & ad hunc locutus est modum: Quousquè tandèm, ô Imperator, & Patres conscripti, & Quirites, bonis vti legibus soliti, furorem vestrum in Christianos augebitis, legesque aduersùm illos iniquas sancietis, & homines innocentes persequemini? & ad eam, quæ vos, an vera sit, ignoratis, religionem eos, qui veram didicêre, compelletis? Hæc idola non sunt dei, non sunt, inquam, dei. Nolite per errorem falli. Christus solus est Deus, idemque solus Dominus in gloria Dei patris. Per ipsum facta sunt omnia, & Spiritu sancto eius omnia reguntur & conseruantur. Aut igitur vos item veram agnoscite religionē, aut certè illos, qui eam colunt, nolite dementia vestra perturbare.

Oratio eius pro Christianis.

His verbis attoniti, & inopinata dicendi libertate perculsi, oculos ad Imperatorem omnes conuerterunt, audituri, quid nam is ad ea responderet. Imperator autem, tanquàm perstrictis tonitru auribus, iracundiæ impetum in se cohibens, Magnentio cuidā ex considentibus amico, qui tunc erat Consul, annuit, vt Georgio respōderet. Hic propiùs ad se illum accersens: Ecquis, inquit, tibi istius audaciæ & magnæ in loquendo libertatis est author? Veritas, inquit Georgius. Tum Consul subiecit: Quis est veritas? Respondit Georgius: Christus ipse, quē vos persequimini. Ergò tu quoque, Magnentius inquit, Christianus es? Ego seruus sum Christi mei, respondit Georgius: eoque confisus, in medio vestrûm vltrò constiti, vt veritati testimonium exhiberem. His verbis populo concitato, & alijs alia dicentibus, incertus quidam rumor exaudiebatur, vt fieri in tanta multitudine consueuit.

Constans responsum eius.

Tunc Diocletianus, silentio per præcones indicto, cùm, defixis in sanctum iuuenem oculis, eum agnouisset, sic illum est allocutus: Et olim nobilitatem tuam admiratus, ætatemque honore dignā existimans, te ad maiores prouexi dignitatis gradus: & nūc, quamuis ad perniciem abutaris dicendi facultate, tamen quia prudentiam & fortitudinem tuam diligo, tibi quæ vtilia sunt, consulo tanquàm pater, hortorque te, nè rei militaris commoda deseras, néve ætatis florem contumacia tua cruciatibus subijcias: sed dijs sacrificans, maiora à nobis expectes præmia, qui pietatem tuam remunerabimus. Sanctus autem Georgius respondit: Vtinàm potiùs tuipse, Imperator, per me verum Deum agnoscens, ei sacrificium laudis ab ipso quæsitum offerres: præstantiori enim atque immortali te regno donaret. Siquidem illud, quo nunc potiris, cùm sit caducum & fragile, celeriter corruit atque dilabitur. Quamobrèm & ea, quę ex ipso proueniunt, cùm sint fugacia, nihil possidentibus prosunt. Itaque nullum ex ijs meam in Deū meum pietatem labefactare, nullum cruciatuum genus timorem illius ab animo meo excutere poterit, aut mortis formidinē inijcere. Hæc vir sanctus dum loquitur, Imperator totus ira percitus, nec permittens, vt faceret dicendi finem, satellitibus iubet, vt eum è Concilio hastis expulsum, in carcerem conijciant. Celeriter illi faciunt imperata: sed cuspis, quę viri sancti corpus attingit, instàr plumbi reflectitur, & os martyris laudibus personat.

Diocletianus ei blanditur.

Præclarè respondet.

In carcerem igitur deductum, humì prosternunt, compedibus vinciunt, & eius pectori lapidem ingentem imponunt. Vtrunque enim Tyrannus imperauerat. At vir sanctus id patienter ferens, Deo non desistit vsque ad sequentem diem gratias agere. Cùm enim dies illuxisset, rursùs eum Imperator ad quæstionem vocauit. Et cùm videret illum lapidis pondere defatigatum: Resipuistíne, inquit, Georgi, an adhuc in errore permanes obstinatus? Cui grauiter vir sanctus respondens: Adeóne, inquit, Imperator, ignauum me putas euasisse, vt tam paruo ac puerili supplicio à religione deficerem, & pietatem abnegarem? Priùs ipse torquendo defatigaberis, quàm ego tortus. Ego te, inquit Diocletianus, supplicijs ità puerilibus afficiam, vt tibi celeriter vitam eripiant. Iubet igitur rotam prægrandem afferri, mucronibus vndiquè præfixam, ad eamque virum sanctum alligari, paratisque in ea gladijs dilacerari. Pendebat in aere rota, inferiùs autem aderant tabulæ, in quibus densissima erāt spicula præfixa, gladijs similia, partìm rectas habentia cuspides, partìm aduncas ad hamorum similitudinem, partìm cultros coriarios imitantia. Cùm igitur rota per gyrum tabulis appropinquaret, & vir sanctus, tanquàm agnus, tenuioribus loris & funiculis ità constrictis, vt intra carnem absconditi inhærerent, vinctus esset, & per gladios, voluente rota, transire cogeretur,

In carcerē coniectus, dirè affligitur.

Vide supplicij genus immane.

acu

acutissima eorum acie corpus exceptum dilaniabatur, & scorpij more contortum disse cabatur. Hoc ille supplicij genus strenuè perferens: primùm quidem magna voce precabatur, deindè secum ipse tacitè gratias agebat Deo, nec suspirium quidem vllum edebat. Mox bonum temporis spatium, tanquàm dormiens, conquieuit. Martyris fortitudo.

Diocletianus igitur eum mortuum existimans, lætus deosque collaudans: Vbi est, inquit, Deus tuus, Georgi? Cur te ex hoc ludicro supplicio non liberauit? Cùm autem iussisset eum ab illa machina solui, ipse ad sacrificandum Apollini profectus est. Cæterùm magna nube statìm exorta, & maximo tonitru erumpente, vox desupèr emissa est, quam multi exaudiêrunt ità differentem: Nè timeas, Georgi: tecum enim sum. Paulò pòst autem, qualis nunquàm anteà, serenitas successit, & vir candidis vestimentis indutus, rotæ assistere, visus est, qui facie coruscanti manum martyri porrexit, & ipsum complexus saluere iussit. Nemo autem audebat ad eum propiùs accedere, neque ex illis, qui illum asseruabant, neque ex ijs, qui missi fuerant, vt ipsum à rota soluerent, quoàd is, qui apparuerat, ex eorum conspectu discessit. Tunc à machina solutus visus est sanctus martyr, & præter omnium expectationē incolumis constitit, & Deo gratias agebat, ac Dominum inuocabat. His perspectis, milites ingenti stupore correpti, rem Imperatori adhuc in templo sacrificanti denunciant, sancto etiam Georgio coràm constituto. Quem cùm adspiceret Imperator, primùm quidem ità se rem habere non credebat, & illum Georgium negabat esse, sed alium ei similem esse dicebat, aut eius certè simulacrum, quod spectatores deluderet. Verùm cùm accuratiùs illum contemplantes, qui assistebant, agnouissent, & martyr ipse se Georgium esse diceret, obmutuerunt. Diuinitùs sanatur.

Porrò ex adstantibus duo, dignitate prætoria decorati, quorum vnus Anatolius, alter Protoleo vocabatur, cùm anteà in Christi religione essent initiati, re admirabili conspecta, plenam fidem conceperunt, & sublata voce dixerunt: Vnus est Deus magnus & verus Christianorum. Hos igitur confestìm Imperator extra ciuitatem duci, atque, indicta causa, iubet obtruncari. Multi prætereà ad Dominum se conuerterunt, in seipsis fidem continentes, qui liberè loqui non audebant. Sed & Imperatrix Alexandra veritatem agnouit: quem liberè loqui incipientem Consul abduxit, ac priusquàm de illa rem intelligeret Imperator, domum dimisit. Hæc Diocletianus indignè ferens, cùm ratione nihil agere posset, iussit sanctum virum statìm in foueam calcis recèns extinctæ coniectum, in tertium vsque diem asseruari, nè qua ex parte excogitari auxilium posset. Cùm igitur vinctus ad eiusmodi supplicium duceretur, magna voce sic precabatur: O conseruator afflictorum, ô præsidium eorum, qui persecutione vexantur, ô spes illorum, de quibus nulla est spes, Domine Deus meus, exaudi preces serui tui, & adspice me, ac miserere meî. Libera me Domine ab insidijs aduersarij, & concede mihi, vt ad finem vsque nominis tui confessionem immutabilem conseruem. Nè derelinquas me Domine, propter iniquitates meas, nè quandò dicant inimici mei, Vbi est Deus eius? Ostende potentiam tuam, & nomen tuum illustra in me inutili seruo tuo. Mitte angelum tuum, indignitatis meæ custodem, qui Babylone fornacem in rorem commutâsti, & sanctos pueros tuos incolumes conseruâsti, quoniam benedictus es in secula, Amen. His dictis, ac toto corpore signo Crucis munito, in foueam, gaudens & laudans Deum, ingressus est. Ministri autem, qui missi fuerant, omnibus, vt iussi fuerāt, peractis, reuersi sunt. Duo Prætores palam Christum confitentur. Imperatrix credit. Martyris precatio. Dan. 3. Nota de signa Crucis.

Diocletianus verò, cùm tertius adesset dies, accersitis quibusdam è militibus, dixit: Infelicis illius Georgij, quem propter eius peruersitatem & contumaciam in calcis foueam conieciστis, ne monumentum quidem volo sectatoribus eius extare, nè, dum ab illis colitur, gloriosæ insaniæ capti cupiditate, in perniciem ruant. Ite igitur, & si quid ex miseris illius ossibus adhuc reliquum est, defodite, atque in perpetuum abolete. Hæc milites mandata cùm accepissent, quanta potuerunt celeritate, profecti sunt, sequente magna populi multitudine, vt quid factum futurúm ve esset, perspicerent. Expurgata igitur calce, intùs repertus est vir sanctus habitu splendido, tanquàm è conuiuio veniret: qui, manibus in cælum sublatis, Deo pro vniuersis eius beneficijs gratias agebat. Egresso autem illo, & nullum læsi corporis signum circunferente, tam admirabili spectaculo qui conuenerant obstupentes, vno omnes ore Georgij Deum collaudabant, & magnū esse dicebant. In calce manet incolumis.

Intereà dum morantur milites, ac tempus terunt, rumor ad Diocletianum peruenit. Qui cùm sanctum Georgium statìm accersisset, stupore attonitus, sic eum est allocutus:

locutus: Aperi nobis, Georgi, vndè tibi hæc adsint, & quibus abs te artibus fiant. Arbitror enim te, ad magicæ artis ostentationem, Crucifixi religionem simulare, vt præstigijs ad stuporem omnes adducas, & te magnum ostendas, ac Deum tuum, quisquis est, deorum omnium præstantissimum prædices. Ego quidem, respondit vir sanctus, existimabam, Imperator, ne os quidem posse vos aperire in eius Dei contemptum, qui nulla in re non potens est, & ex huiusmodi angustijs in se sperantes liberat. Verùm, quandò in tam profundum erroris barathrum, vrgente diabolo, decidistis, vt ne illa quidē, quæ vestris oculis cernitis, miracula credatis, sed præstigias appelletis, vestram equidem cæcitatem deploro, ac miseros censeo, sed indignos tamen, quibus respondeam, puto. Nunc, inquit Diocletianus, cognoscam, an, nobis cernentibus, res facias admirabiles, & nos, quibus respondeas, indignos putes. Sed vel inuitus habebis, qui medeantur tibi. Tunc iubet ferreas crepidas afferri, oblongis clauis præfixas, easq; in conspectu suo accensas, ardentesque in vtrunque ipsius pedem induci, ipsumque vapulantem vsque ad carcerem trahi: Irridensque dicebat: Quàm velox cursor es, Georgi. At martyr, cùm tam acerbè traheretur & vapularet, secum ipse exultabat: Curre, inquiens, Georgi, vt appræhendas: Sic enim curris, vt non incassùm. Deinde Deū suum inuocans, dicebat: Respice de cælo, Domine, & vide laborem meum, & audi gemitum compediti serui tui: quoniam multiplicati sunt inimici mei, & odio iniquo oderunt me propter nomen tuum. Sed tu ipse sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: & da mihi patientiam vsque in finem, nè quandò dicat inimicus meus, Præualui aduersùs eum. Ità precabatur, dum ad custodiam, in quam coniectus fuit, perueniret, afflictus ex vulneribus, quæ ardentes crepidarum claui pedibus eius inusserant.

Ardentes ferreæ crepidæ eius pedibus adhibentur.
1. Cor. 9.

Cùm autem totum illum diem ac noctem, quæ subsecuta est, Deo gratias agens trāsegisset, postridiè accitus, in conspectu adstitit Imperatoris, qui iuxta publicum theatrū sedebat. Aderat & Senatus vniuersus. Sanctum igitur virum Imperator conspicatus ità rectè incedentem, vt si ex crepidarum molestia nihil acciperet impedimenti, magna cum admiratione: Quid est, inquit, Georgi? Num ad voluptatem & gratiam crepidæ tibi repertæ sunt? Sanè quidem, sanctus Georgius respondit, Imperator. Tunc ait Diocletianus: Audacia deposita, modestè obtempera, & magicis artibus reiectis accede, ac dijs propitijs sacrifica: alioquìn multis alijs cruciatibus affectus, hac dulci vita tandèm spoliaberis. Quàm stulti, Georgius inquit, videmini, qui Dei mei potentiæ præstigiarum nomen imponatis, eiusque præsidia magicis artibus comparantes, ludicras dæmonum, qui à vobis coluntur, fallacias tam impudenter iactetis. Acri voce, trucique adspectu Diocletianus martyris orationem interpellans, adstantibus imperauit, vt os eius cæderent: Sic, inquiens, doceatur, Imperatores non esse contumelijs afficiendos. Deindè iussit, vt neruis bubulis tandiù vapularet, dum caro eius cum sanguine terræ agglutinaretur.

Os eius cæditur.
Vapulat neruis bubulis.

Cùm autem sanctus martyr ità crudeliter excruciatus, nihil hilaritatem vultûs immutaret, Imperator admiratione plenus, ad eos, qui proximè aderant, conuersus: Equidem, inquit, hæc non virtutis & fortitudinis, sed magicæ artis opera dixerim. Magnētius autem ad eum ait: Est hoc in loco, imperator, vir quidam magicæ artis peritissimus, quem si iusseris accersiri, Georgius celeriter victus, oraculis tuis succumbet. Statim igitur accersitus magus, adstitit coram Imperatore. Ad quem Diocletianus: Quæ, inquit, homo iste nefarius egerit, præsentes omnes sciunt: quomodò autem illa perfecerit, vestrum tantùm est intelligere. Aut igitur præstigijs eius dissolutis, modestum & temperantem hunc nobis redde: aut magicis medicamentis ex hac vita celeriter extrude, vt proprijs tandèm artibus captus, debitam mortem experiatur. Id enim cùm iā statuissem, viuere tamen adhuc permisi. Athanasio autem (hoc enim illi mago nomen erat) omnia se facturum postridiè promittente, Imperator virum sanctum in vinculis custodiri iubens, è tribunali descendit. Ipse verò custodiam rursùs ingressus, Deū vocabat, dicens: Admirabilis sit misericordia tua, Domine, super me: & dirige gressus meos ad confessionem tui, & perfice cursum meum in fide tua, vt in omnibus laudetur nomen tuum.

It in custodiam.

Postero autem die, cùm Diocletianus in altiori loco pro tribunali sederet, magum adesse iussit. Ille autem præstò fuit, prudentium grauitatem præ se ferens: & medicamenta quædam in testaceis vasculis ostendens, ait Imperatori: Adducatur nunc reus, & sentiet omninò, dijs coadiuuantibus, medicamentorum meorum vires. Si enim insanum hunc vis in omnibus, quæ iubes, dicto audientem efficere, hanc sorbe-

at potionem. Et pariter proferebat vnum medicamenti vasculum. Sin apud tribunal tuum amaram huius mortem mâuis videre, hoc bibat. Et paruulum alterum vasculũ demonstrabat. Euestigiò sanctũ Georgiũ adduci iubet Imperator,& adstanti ipsi: Iam iam, inquit, Georgi, magicæ artes tuæ aut omninò dissoluentur, aut desinẽt. Ac iubet ipsum per vim sumere paratum pharmacum. Ille autem hauriens ipsum intrepidè, nihil ex illo sensit incommodi. Deniquè nulla rei nouitate secuta, gaudens adstabat, dæmonum fraude illusa. At Imperator insaniẽs, alteram quoq; ipsi potionem iussit dari, atque vt biberet cogi. Diuus autem Georgius, vi non expectata, ac sorbens, eodem modo incolumis auxilio diuino & gratia seruatus est. Obstupuit autem Imperator pariter cum toto Senatu, sed & ipse Athanasius spectaculo rei. Ac non multò pòst dixit martyri: Quousquè tandèm nos factis tuis ad stuporem adducis? Quandiù nobis verum non fateris, qua scilicet ratione, quæ tibi admota sunt tormenta, contempseris, & medicamentorum, quæ in manibus sunt, iniuriam effugeris? Agedùm pande nobis omnia clementer audituris. Potionem magicam bibit illæsus. Item aliã.

Tunc beatus Georgius respondebat: Nè nos existimes, Imperator, humanis seruari consilijs, sed Christi inuocatione, eiusque potentia: quibus etiam freti, cruciatus nihili facimus, iuxta arcanam illius disciplinam. Diocletianus autem: Quænam, est, inquit, isthæc Christi tui disciplina? Diuus Georgius respondit: Cùm prouideret vestrã in peius diligentiam, suos ille domesticos confirmans instituit, nè timerent eos qui corpus occidunt, & superuacanea nè curarent: Capillus, inquiens, de capite vestro non peribit: & quanuis mortiferum quid biberitis, vobis non nocebit. Deniquè ausculta, ó Imperator: hæc est vera eius promissio, vt breuiter declarem: Qui in me crediderit, opera, quæ ego facio, & ipse faciet. Diocletianus, Quæ autem, inquit, vos opera eius esse dicitis? Diuus Georgius respondit: Cæcos illuminare, leprosos curare, claudos dirigere, surdis aures aperire, spiritus eijcere, mortuos in vitam reuocare; atque his similia. Conuersus ad Athanasium Imperator: Tu, inquit, quid dicis ad hæc? Respondit Athanasius: Miror quomodò hic mansuetudinem tuam mendacijs refellens, fallere imperium tuum sibi posse persuadeat. Nam multa quidem beneficia à dijs immortalibus quotidiè consequimur, & ipsorum bonitate multis bonis fruimur: sed mortuos ad vitam reuocari hoc tempore nequaquàm vidimus. Hic autem mortali fidens homini, & Crucifixum Deum colens, maximorum signorum impudenter ipsi testis est. Verùm quandò coram nobis omnibus fatetur Deum suum talia fecisse, & veram eius promissionem experiri sperantes in eum, ac quæcunque ipse fecerit, eos quoquè facturos, mortuum ipse excitet coram te, & tunc nos quoquè illius Deum, vt magnipotentem, venerabimur. Eccè igitur mortuus in arca exaduersò posita, quem ego noueram, paulò antè sepultus est. Hunc si Georgius excitauerit, reuerà vicerit. Matth. 10. Luc. 21. Mar. 16. Iohan. 14.

Admiratus Imperator consilium Athanasij, id vt tentaret, annuit. Erat autem arca magna e regionè stans tribunalis, dimidij stadij interuallo. Tunc Magnentius assistens Imperatori, petijt diuum Georgium, quibus adstringebatur, vinculis relaxari: & ad ipsum: Nunc, inquit, Dei tui mirabilia opera ostende, & nos cunctos ipsi per fidem conciliabis. Sanctus Georgius: Consul mi, inquit, Deus, qui de nihilo creauit omnia, nec impotens est per me mortuum hunc suscitare. Sed mentibus vestris per errorem deceptis, quid verum sit, intelligere non potestis. Tamen propter adstantem populũ id, quod tentandi gratia petitis, per me Deus efficiet, nè hoc quoquè magicæ asscribatis. Eccè enim in vestro omnium conspectu magus, quem adduxistis, nec incantatione vlla, nec cuiusquam deorum vestrorum potentia hoc fieri posse, verè confessus est. Sub oculis igitur & auribus omnium vestrûm circunstantium, Deum meum inuoco. Cùm hoc dixisset, genibus flexis, propemodùm lachrymans Deũ rogabat: & surgens, voce magna sic precatus est: O æterne Deus, Deus misericordiæ, Deus omnium virium, atque omnia potens, qui spes in te sperantium non confundis, Domine Iesu Christe, exaudi me miserum seruum tuum in hora hac, qui sanctos apostolos tuos in omni loco & in omnibus prodigijs & signis exaudisti: & da huic generationi malæ signum ab ea petitum, & suscita mortuum in vrna positum, in confusionem non colentium te, in gloriam tuam, & Patris, & Spirtûs sancti. Obsecro, Domine, demonstra ijs, qui circunsistunt, te esse Deum solum altissimum super vniuersam terrã, & ipsi cognoscant te esse Dominum potentem, & tuo nutui omnia subiacere, & tuam esse gloriam in æternum, Amen. Et Amen ab eo prolato, sonus factus est magnus, adeò vt contremuerint Precatur Christum.

rint omnes. Tum retecto loculo, atque humi tegumento lapso, resurgens mortuus, cunctis videntibus de vrna exiliuit.

Mortuum excitat.

Statim igitur exorto populi tumultu, plerisque plaudentibus, & Christum summum Deum extollentibus, Imperator eiusque familiares obstupescentes, & incredulitatis pleni, primùm quidem adhuc magum esse Georgium dicebant, & spiritum introducere in fraudem spectatorũ. Vt verò eum, qui à mortuis resurrexerat, hominem verè agnouerunt Christum inuocantem, accurrentemque ad diuum Georgium, atque ipsi adhærentem, prorsùs consilij inopes obmutuêre. Athanasius autem accurrens, ad sancti pedes procidit, Christum clara voce vocans Deum omnipotentem, ac martyrem obsecrans pro seipso, vt sibi eorum, quæ per ignorantiam commisisset, veniam deprecaretur. At longo pòst temporis spatio Diocletianus silentium populo indicẽs, ità locutus est: Videtis fraudem, viri? Cernitis horum malitiam præstigiatorum? Pessimus hic Athanasius suî simillimo, & eiusdem artis studioso occultè fauens, pharmaca, quæ nobis pollicitus est, non propinauit, sed potiùs incantamentorũ vim habentia, ad nos ipsos decipiendos. Quocircà Georgius illis offensus minimè est: quin potiùs impudentior factus, mortuum se suscitaturum pollicitus est: quem ipsi fictæ mortis specie defunctum, ad praui consilij sui exitum excitare finxerunt.

Athanasius magnus cõuertitur.

His dictis, Tyrannus ilicò Athanasiũ iubet vnà cum eo, qui reuixerat, indicta causa, securibus cædi, vt qui clara voce Christum Deum solum prædicâssent: sanctum verò martyrem Georgium carceri inclusum, in vinculis esse, donèc à muneribus publicis vacans, quid de illo faciendum sit, deliberet. Hisque constitutis, in regiam se recepit.

Athanasius cum alio necatur.

Sanctus autem Georgius carcerem ingressus, spiritu exultabat, & gratiarũ actione Deum prosequebatur: Gloria, inquiens, tibi Domine, qui non confundis sperantes in te. Gratias tibi ago, quòd mihi adiutor vbiquè extitisti, quòd maioribus me quotidiè beneficijs afficis, & indignitatem meam exornas. Dignum me fac Deus, Deus meus, qui celeriter videam gloriam tuam, diabolo tandèm confuso.

S. Georgius redit in carcerem.

Dum autem ipse esset in carcere, quicunque Christi fidem imbiberant, propter ea, quæ peracta erant, ad ipsum profecti, &, tradita custodibus pecunia, ad eius procidebant pedes, & apud eum manebant: ex quibus multi etiam ægrotantes, per Christi signum & nomen ab eo curati sunt. Inter quos etiam vir quidã, Glycerius nomine, priuata fortuna, arans, altero ex bobus (vt sæpè cõtingit) humi collapso & abiecto, & tantùm non expirante, posteaquàm de sancti viri fama à quibusdam didicit, currens in carcerem, bouis iacturam deplorabat. Tandèm arridens huic sanctus Georgius: Abi, inquit, lætus: Christus enim meus bouem tuum ad vitam reuocauit. Ille autem verbis credens, & currens, inuenit, sicut dixerat ei vir sanctus. Mox verò ne paululùm quidem moratus, reuersus est, & ad Martyrem accurrens, per ciuitatem voce magna clamabat: Magnus est certè Deus Christianorum. Comprehendentes igitur ipsum milites quidam, qui ipsi fortè occurrerant, per satellites rem Imperatori nunciauêre. Is autem furore plenus, & ne ipsum quidem adspiciens, nec dignum, quem interrogaret, existimãs, gladio obtruncari extra vrbem iussit. Hic ergò Glycerius gaudens, & tanquàm ad conuiuium aliquod vocatus, currebat ante milites à quibus ducebatur, & magna voce Dominum inuocabat, orans, vt martyrium sibi baptismatis loco poneretur: atque ità vitam finiuit. Tunc quidam è Senatoribus apud Imperatorem sanctum Georgium accusabant, quòd in carcere sedens, fama populum cõmoueret, multosque à dijs abducens, ostentis magicis Deo adiungeret crucifixo. Itaque ad quæstionem rursùs ducendum videri, & si resipisceret, absoluendum: sin in eadem permaneret insania, è vita tollendum.

Signo Crucis multos ægros curat.

Glycerius gladio cæditur.

Imperator igitur, adhibito in consilium Magnentio, iussit in diem posterum iuxta Apollinis templum tribunal sibi parari, vt publicè de sancto quæstionem haberet. Nocte autem illa orans martyr in carcere, ac paulùm obdormiscens, vidit in somnis Dominum propria manu se subleuãtem, & amplectentem, & corona capiti suo imposita, dicentem: Nè time, sed bono animo esto. Eccè enim iam dignus factus es, qui mecum regnes. Nè igitur tardaueris, sed properè ad me veniens, paratis fruere. Experrectus autem, & gratias Deo alacriùs agens, carceris custodem ad se vocauit, ipsumque rogabat: Hoc, inquiens, vnum abs te, frater, peto: concede, vt puer meus ad me ingrediatur: habeo enim, ipsi quod dicam. Annuente autem custode, ingressus est puer, qui extra carcerem expectabat, & dominum suum in vinculis veneratus, flens humi iacebat. Sed sanctus illũ erigẽs lachrymantẽ, vt bono animo esset, hortatus est, visaque nunciauit:

Christus S. Georgium confirmat.

uit: Celeriter, inquiens, me, fili, Dominus meus vocabit. Postquàm igitur ex hac vita migrauero, accepto hoc meo misero corpore, quemadmodùm ante discessum meum statui, itineris tui duce Domino, domum, quam habitare soliti sumus, prope Palæstinam, contende: omnibusque peractis, quæ ibi præscripta sunt, Dei timorem habeto, à Christi fide non deficiens. Illo verò promittente non sine magna vi lachrymarum, se, Deo adiuuante, studiosè omnia curaturum, vir sanctus illum amplexatus dimisit.

Atque postero die sedens Diocletianus in tribunali sibi parato, in ipso Solis ortu martyrem ad se venire iussit, iramque compescens, cœpit omni cum mansuetudine eum sic alloqui: Nónne tibi videor, Georgi, maxima humanitate & amore plenus esse, qui erga te tam mitis sim? Nam mihi dij omnes testes sint, vt me valdè tuæ tædet adolescentiæ, tum propter florem pulchritudinis tuæ, tum propter prudentiæ grauitatem animique constantiam. Ac volebam quidem, si resipuisses, vt mecum pariter habitares, & secundas à nobis obtineres. Dic igitur nobis ad hæc tu quoquè quid sentias. Sanctus Georgius: Oportebat, inquit, Imperator, hoc tuo erga nos studio declarato, nō tam multa in nos per iracundiā mala facere. Hæc ille verba libenter audiens, subiecit: Si velles mihi, vt patri, amanter obsequi, omnes istos, quos pertulisti, cruciatus maximis honoribus compensarē. Sanctus Georgius: Si vis, inquit, posthàc in templum ingrediamur, deos, qui à vobis coluntur, adspecturi. Ilicò igitur Imperator exurgens magna cum lætitia, Senatui & omni populo per præconem edicit, vt in tēplum eant. Simul verò extollebat populus Imperatorem, & dijs suis victoriam, dum iter in templū faceret, asscribebat. Vbi verò omnes ingressi sunt, indicto silentio, & sacrificio iam parato, intuebantur omnes martyrem, sperantes proculdubiò ipsum sacrificaturum. Ipse autem ad Apollinis statuam accedens, extensa manu: Ecquid, inquit, à me sacrificium vis suscipere vt Deus? Atque eodem tempore signum Crucis expressit. Dæmon verò statuā inhabitans, huiusmodi vocem emisit: Nō sum Deus, non sum, sed neq; mei similium quisquā. Vnus est Deus solus, quem prædicas. Nos autē ex angelis ipsi ministrantibus apostatæ facti, ob inuidiam homines decipimus. Tum sanctus respōdit: Quo pacto igitur hîc manere audetis, me cultore veri Dei præsente? Atque, hoc dicto, sonus quidam ac fremitus luctui similis ex statuis emittebatur. Omnes autem simul ad terram lapsæ, contritæ sunt. Tunc conuersi quidam de populo, tanquàm furore concitati, sacerdotibus incitantibus, correptum sanctum virum vinculis constrinxerūt, atq; inter verberandum clamabant, dicentes: Tolle magum hunc, Imperator, tolle antequàm nostra nobis ingrata sit vita.

Vide fallaciā diaboli.

Nota vim S. Crucis.

Egregiè seipsum pudefacit dæmon.

Hoc igitur tumultu concitato, & fama per vrbē breui discurrente, Imperatrix Alexandra, cùm fidem Christi occultè apud se habere ampliùs non posset, celeriter prodijt: & cùm populi tumultum, & S. Georgium procùl vinctum cerneret, nec ad eum præ turba posset accedere, clamans dicebat: Deus Georgij, adiuua me, quoniam tu es Deus solus omnipotens. Sedato autem populi tumultu, Diocletianus sisti coram se virum sanctum iussit: & insanienti similis, ad ipsum: Tales, inquit, benignitati meæ gratias rependis, fœdissimum caput? Sic dijs sacrificare solitus es? Cui sanctus Georgius: Ità planè sacrificare didici, Imperator insane, & sic deos tuos colere nôui. Erubesce in futurū dijs talibus acceptam referre salutem tuam, qui ne sibi ipsi quidē afferre opem possunt, neque seruorum Christi præsentiam valent sustinere. Dum verò hæc diceret sanctus, eccè Imperatrix quoquè in medium procedens, eundem, quem anteà, coram Imperatore sermonem habebat: & ad pedes viri sancti procumbens, Tyranni dementiam cōspuebat, maledictis deos lacerans, eorumq; cultores detestans. Imperator autem ad eam: Quid tibi, inquit, accidit, Alexandra, quòd huic mago & incantatori adhærens impudenter, à dijs recessisti? Illa verò acriter eum repellens, ne dignum quidem censuit responsione.

Alexandra Imperatrix palam suā fidem testatur.

Impius igitur Diocletianus furore repletus, de sancto nihil ampliùs quæsiuit, sed ab eo iritatus, &, dum sacrificium sperat, subuersos ab eo deos suos videns, ad hæc Imperatricis mutationem animaduertens, atque illius causa iracundior factus, huiusmodi sententiam contra martyrem & nobilissimam tulit Imperatricem: Pessimum Georgium, Galilæum sese dicentem, & qui tum deos, tum meipsum conuicijs multis affecit, deniquè qui contra illos arte sua magica vsus est, cum Alexandra Imperatrice veneficijs eius corrupta, & pari dementia in deos ipsa quoq; maledicta cōijciente, gladio obtruncari iubeo. Statim igitur ij, quibus hoc demandatū erat, sanctū corripientes, vinctum extra ciuitatem ducebant. Tracta pariter cum ea nobilissima est Imperatrix: quæ,

Sententia in SS. Georgium & Alexandriā.

dum abduceretur, alacri animo orabat, labra mouens, & oculos in cælum frequentissimè intendens. At vbi ad locum quendam venit, vt consisteret petiuit. Iisque, qui trahebant, concedentibus, super vestem sedens, & caput in genua reclinans, spiritum Deo reddidit. Huius rei causa martyr Christi Georgius Deum extollens, ipsique gratias agens, multa cum alacritate incedebat, orans, vt suus quoquè cursus rectè perficeretur: & postquàm ad præfinitum locū appropinquauit, clara sic voce precatus est:

Imperatrix reddit spiritum.

Benedictus es, Domine Deus meus, quoniam dentibus quærentium me lacerandū non permisisti, nec inimicos meos super me lætos esse passus es: & quoniam liberâsti animam meam, vt passerem de laqueo venantium. Nunc item exaudi me, Domine, & mihi assiste seruo tuo in hac vltima hora mea: & libera animam meam ab iniquitate aërei hostis maximi, & spirituum eius: & ea, quæ isti in me per ignorantiam peccauerunt, nè vertas crimini, sed veniam tuam & amorem tuum illis concede, vt & ipsis contingat pars in regno tuo cum electis tuis. Suscipe etiam animam meam cum ijs, qui à seculo placiti sunt tibi, obliuiscens omnium, quæ tam scienter, quàm inscienter commisi. Recordare, Domine, inuocantium magnificum nomen tuum, quoniā benedictus es & gloriosus in secula, Amen. Hæc deprecatus, & cum gaudio collum proferens, beato capite detruncatus est vigesimotertio die Aprilis, egregiam confessionem perficiens, cursum consummans, fidem seruans impollutam. Vndè etiam coronam iustitiæ repositam habet.

S. Georgius decollatur.

Hæc sunt maximorum certaminum strenui victoris trophæa. Hæc sunt cōtra inimicos eius præclara facinora, & prælia gloriosa. Qui sic certauerit, incorrupta atque æterna corona donabitur. Cuius precibus vtinàm nos quoquè partem iustorum assequamur, collocemurque ad dexteram Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria, honor & adoratio in secula seculorum, Amen.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS VERONENSIS PIO LECTORI.



NE mireris, amantissime Lector, si alteram tibi magni martyris Georgij vitam paulò post primam, legendam offerimus. Illam enim ex Veneta à Metaphraste, hanc verò ex Cryptæ Ferratæ bibliotheca à Pasicrate, eiusdem beati martyris seruo, scriptam habuimus. Quę licèt in paucis quibusdam dissimiles videantur, ea tamen dissimilitudo non in re, sed in ordine potiùs consistere videtur. Ea verò, quæ vnus tacuit, alter suppleuit. Vtraque igitur cum sequente Encomio legenti iucunda erit, cùm in sancti huius martyris gestis enarrandis plurimùm conueniant. Fecimus hoc eò libentiùs, quòd apud Latinos nostros de gloriosissimo & celeberrimo martyre nihil, quod fide dignum esset, legebatur: cùm constet inter apocryphas scripturas connumerari passionem sancti Georgij martyris, quæ olìm à sanctissimo Gelasio Papa reprobata est. Nè quis autem putet hanc historiam, quam nos in lucem proferimus, à duobus iam dictis authoribus contextam, eandem esse, quam ipse beatissimus Gelasius reprobauit, sciat ipsam Orientalis Ecclesiæ testimonio confirmari, in qua singulis annis recitatur in compendium redacta. Itaque posthàc habebis, quo in martyris inuicti solennijs animum tuum abundè oblectare possis. Vale, & sancti huius patrocinijs te summoperè commenda. Mira enim sibi ex intimo corde addictis beneficia præstitit, & in posterum præstabit.

MAR-

MARTYRIVM SANCTI ET MAGNI MARTYRIS GEORGII, A PASICRATE EIVS *seruo scriptum.*



Ostri quidem Saluatoris Iesu Christi regnum cùm ęternum sit, neque aliquod temporis principium habuit, neque vllum vnquàm finem habebit. Eius verò omni ex parte laudandus & celebrandus aduentus, quo tempore Dei filius ex Maria virgine carnem sumpsit, & homo factus præsens in terris fuit, per totum orbem terrarum effulsit, Apostolorum doctrina & prædicatione his nunciatus, qui meruerunt, vt in sanctorum hominum sorte numerarentur. Quæ res & mirabilis fuit, & naturam omnem ac sapientiam superauit. Multis autem incredibilis visa est propter admirabilem, & quæ hominum opinionem superabat, eius rei magnitudinem. Incredibile, inquam, id visum est illis, qui errori seruiebant. Quamobrèm omnes, qui terrena & falsa huius mundi gloria detenti erant, diuinæ prouidentiæ mysterium, ignominiam & nugas quasdam existimabant: sanctaque illa Dei hominis facti, & salutaris eius regni prædicatio, à Iudæis quidem scandalum, à gentibus verò stultitia putabatur. Et tamen nihilominùs Deo ipsi placuit, per multam & admirabilem seruorum suorum tolerantiam, humanum genus ad veram ac salutarem religionem conuertere.

23. Aprilis.

Aduentus Christi in terras multis visus incredibilis.

1. Cor. 1.

Accidit autem, vt tempore illo, quo satanæ ipsius superstitio & idolorum seruitus in hominibus dominabatur, Diocletianus Romanorum imperio potiretur, qui pestis profectò quædam fuit, & contra Christi gregem fera valdè agrestis, inanium idolorum errori nimiùm addictus. Erat illi amicus quidam, qui sentiebat idem, quod ille, & impietate mirum in modum excellebat. Huic nomen erat Magnentius, qui secundas in imperio tenebat, & aduersùs Christianos insania quadam efferuescebat, colendorumque idolorum impietate nimia efferebatur. Vnà igitur consultârunt, quidnam fieri oporteret ad Christianorum culturam omninò de medio tollendam, & ad omnes homines deorum suorum cultui subijciendos. Erant enim idolorum errori, quo animæ ipsæ perdebantur, valdè inhiantes, Apollini præsertim, perdendorum hominum duci.

Diocletianus sæuissimus tyrannus.

Cùm igitur simul consultâssent, edicta scripserunt Diocletiani Imperatoris nomine ad omnium prouinciarum ac regionum Præsides, Tribunos, & qui magistratu aliquo fungebantur. Literarum autem forma hæc erat: Diocletianus maximus semper Augustus, æternus Imperator, omnibus per omnem prouinciam ac Romanorum ditionem Ducibus, Præsidibus ac magistratu aliquo fungentibus, salutem. Quoniam ad diuinas nostras aures fama quædam peruenit, quæ non mediocriter nos perturbauit, hæresim quandam valdè impiam eorum, qui Christiani dicuntur, vigere cœpisse, quippe qui Iesum, quem Maria quædam Iudaica fœmina peperit, vt Deum colunt: Apollinem verò magnum illum deum, Mercurium, Dionysium, Herculem ac Iouem ipsum, per quos nostræ Reipublicæ pax data est, contumeliosis maledictis insectantur, venerantes, vt Deum, Christum illum, quem Iudæi, tanquàm maleficum, in cruce suffixerunt: hac de causa edicimus, vt omnes Christiani, tam viri, quàm mulieres, per omnes vrbes ac regiones supplicijs acerbissimis subijciantur, nisi dijs nostris immolare, & errorem illum suum abijcere voluerint. Et si quidem paruerint, veniam illis dari volumus: sin minùs, gladio percuti, & morte pessima puniri. Illud autem scitote, si hæc diuina nostra edicta neglexeritis, easdem, quas & illi dabunt, pœnas vos daturos.

Literę Diocletiani cōtra Christianos.

His literis per omnem vrbem ac regionem propositis, & persecutione magna contra Christi gregem erumpente, ità vt multi ex ijs, qui valdè insignes erant, post plurimos cruciatus animo remissiore facti sint, Diocletianus ipse magis magisque insaniens, omnem Senatum ad se conuocauit, omnesque magistratus & militares tribunos. Qui cùm eodèm conuenissent, rursùs consultabat, quomodò ex imperio suo Christianorũ genus omninò delere posset. Cùm verò tam ij, qui vnà sederent, quàm qui assisterent Imperatori, metu detenti, se id prompto animo facturos dixissent, quod in mentem illi veniret, Diocletianus hanc habuit orationem:

Christianorum atrox persecutio.

 Mihi

Mihi quidem, chariſſimi auditores, nihil noſtra in deos pietate videtur præſtabilius. Nam & imperium ipſum nobis, & hominibus omnibus ſalus ab illis data eſt. Iuſtum igitur cenſemus, deos ipſos perpetuis ſacrificijs compenſandos: eos verò Chriſtianos, qui adhuc extant, & deos noſtros contemnunt, omnium generum cruciatibus tandiù ſubijciendos, quoàd iſtorum impia ſuperſtitio diſſoluatur, & mortis genere turpiſſimo extinguatur. Itaque ad hæc ipſa omnes vna voce reſponderunt: Nos, maxime inuictiſſimeque Imperator, veſtræ diuinitatis in omnibus prouidentiam amplectimur, & immortales deos honorari volumus, quemadmodùm & veſtrum imperium iubet. Si quis verò poſthàc extiterit, qui vel cogitatione ipſa Chriſtum nominet, omnium generum morti ſubijciatur.

Diocletiano omnes magiſtratus aſſentiunt.

Cùm impius ille Tyrannorum Senatus ad hunc nefarium & peruerſum modum decreuiſſet, & eiuſmodi edicta propoſuiſſet, omniumque generum tormenta contra Chriſtianos homines excogitâſſet, & multi Chriſtianorum inimici diligenter inquirerent, (quippe quòd aptiſſimum tempus ſibi oblatum viderent) ſi quem Chriſtianum inuenire poſſent: eo tempore, vt in obſcura nocte, ſtella quædam clara & ſplendida effulſit, precioſa illa Chriſti margarita, Georgius, qui fuit meus dominus & Chriſti miles. Ille multorum deorum errorem & idolorum ſuperſtitionem, velut nubem quandam, exterminauit: & perfecta cæleſtique mente ſalutaris prædicationis diem proprio certamine omnibus ea re dignis illuſtrem oſtendit. Qui fœdiſſimi Imperatoris Diocletiani minas nihil metuens, non tam multorum Principum, qui cum illo erant, furorem, non exercitum, non deniquè propoſita tormenta aliquo modo cogitans, ſed in ea omnia, quæ verè terribilia ſunt, intentum animum habens, religioſo cordis ſenſu hæc ſecum dicebat: Quid ceſſas, Georgi, cùm Deus ipſe eos inuitet, qui ad eius nuptias ire volunt? Patefactus eſt thalamus nuptialis, cœna parata eſt, quid ceſſas intrare, priuſquàm ianua claudatur? Præſtò eſt nunc Ieſus, qui Crucem propter nos ſuſtinuit. Clamat ille: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò non poſſunt occidere. Recordare, Georgi, Euangelica illa documenta, & verum illud Domini promiſſum: Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Vitæ huius breuem vmbram ac citò prætereuntem, æternæ illi vitæ nè præferas, neque vanam mundi gloriam cæleſti ſpei anteponas: quoniam omnis gloria hominis eſt tanquàm flos agri. Pauliſpèr ſuſtine, & cum angelis perpetuò exultabis.

Matth. 22. Matth. 10. Ibidem. Eſa. 40.

Hæc cùm ſecum ipſe voce non elata, ſed tam clara, quæ audiri poterat, collocutus eſſet, & conſilio valdè bono cogitationem ſuam confirmâſſet, non ſolùm Tyrannorum minas non extimuit, ſed etiam veritatem ipſam verbis ac factis prædicauit, & propoſitam tormentorum multitudinem irridens, ſuis certaminibus maximam ſanctiſſimæ Chriſti Eccleſiæ doctrinam, & pulcherrima reliquit monumenta. Erat ſanctus hic martyr Georgius genere Cappadox, nobilis, moribus ac facultatibus valdè illuſtris, diuina quadam prudentia ornatus, atque tribunatibus plurimis functus. Aderat autem tunc ille vnà cum exercitu Imperatori.

Genus S. Georgij.

Cùm igitur tantam inſaniam ab idolorum ſeruis aduersùs Chriſtum exerceri vidiſſet, celeriter pecunias & facultatem omnem ſuam pauperibus diſtribuit. Cumque ſe athletarum more ad ſtadium ſubeundum exuiſſet, & in medio regij tribunalis, Senatusque & omnium militum illic ſedentium, eorumque, qui magiſtratu aliquo præditi aſſiſtebant, præſenti animo ſtetiſſet, alta voce: Chriſtianus, inquit, ô Imperator, ego ſum, qui fretus vero & cæleſti Deo ac rege Chriſto, in medio veſtrûm ſtare non ſum veritus. Miror autem tanto in iſtis idolis colendis errore vos detineri, & æternum ac viuentem Deum ignorare, qui omnium opifex eſt, & tibi regnum iſtud dedit. Quamobrèm, Imperator, & omnes, qui hìc vnà ſedetis, nolite dæmonum errore ac fallacia decipi. Dij enim, qui cælum & terram non fecerunt, diſpereant. Nos verò Chriſtiani vnum Deum Patrem adoramus, & vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei, per quem facta ſunt omnia, & vnum Spiritum ſanctum Dei, Trinitatem perfectam in vna diuinitate & regno. Quapropter & hìc piè viuimus, & poſt mortem vitam æternam expectamus. Veſtra autem ſimulacra, quæ colitis, reuerà nugæ ſunt, & riſu digna, cùm & fabulæ ſint, & nihil veri in ſe habeant: nam diaboli inuentum hoc fuit, quod perniciem atque interitum ijs affert, qui mentem illis adhibent.

Vide egregiam ſancti martyris fortitudinem. Ierem. 10.

Hæc cùm ille dixiſſet, Magnentius, qui ſecundas poſt Imperatorem tenebat, & illi erat valdè charus, intuens in Georgiũ: Quod'nam, inquit, eſt nomen tuũ? & quis'nam

es tu,

es tu, qui tantum audaciæ præ te fers? Respondit Georgius: Ego primo & præcipuo nomine Christianus appellor: vt verò apud homines vocor, Georgius sum, cùm ità Deo meo placuerit: oportet enim me copiosum & vberrimum cælesti Deo meo pietatis fructum offerre. Tunc in eum intuens Diocletianus, velut sæuus aliquis draco: Audio, inquit, Georgi, prudentia & fortitudine semper te probatum, & honoribus à regali nostra prouidentia dignum fuisse habitum. Agè igitur dijs nostris immola, nè pessimè moriaris: sed nostra humanitate magìs frui possis, & honorem ac diuitias copiosiores, fiduciamque maiorem apud nosipsos assequaris. Ista nunc vana fiducia tua nihil tibi proderit.

Ad hæc Georgius: Vtinàm, ô Imperator, me ferres, & verum atque vnicum Deum agnosceres, vt & cæleste regnum mereri posses. Ista enim potestas tua ad breue tempus est, tuaque promissa atque illecebræ nunquàm meæ in Deum pietatis stabilitatem commouere poterunt. Tui honores tecum sint, & promissa tua illi habeant, qui tibi obtemperant. Ego enim Christum habeo cælestem Imperatorem, qui contra satanam & eius ministros victoriam & gloriam mihi præbet. His commotus Imperator, & furore accensus, iussit vecte illum ità verberari, vt eius viscera in terram funderentur. Quo facto, eius corpus sanguine circunfusum erat: vectis verò, vt plumbum, in posteriorem partē reflectebatur. Tunc dixit sanctus Georgius: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, quoniam gladium à ministro diaboli sustulisti, & eius contra nos fremitum deiecisti. His commotus Diocletianus, & ira multa repletus, iussit eum de ligno deponi, & in carcerem duci, eiusque pedes in ligno grauiter extendi, & in ipsius pectore lapidem magnum imponi. Lapide autem imposito, qui vix baiulari potuit, alta voce sanctus Georgius dixit: Gratias ago tibi Deus, quòd dignus sim factus, qui onus acciperem, quod pectori & cordi meo imponeretur, quodque meæ in te confessionis stabilitatem firmare debeat. *Dirissimè verberatur sanctus martyr.* *In carcere crudeliter premitur.*

Crastino autem die suggessit satanas Diocletiano, & ijs, qui cum ipso erant, vt iuberent rotam quandam valdè magnā multo & vario artificio componi. Facta igitur fuit rota gladijs vndiquè armata, in quam iniquus ille Tyrannus iussit sanctum virum inijci. At ille vt in eum locum ductus fuit, & tristem illam machinam diaboli arte compositā vidit, in eam intuens dixit: Domine Iesu Christe, gratias tibi ago, quòd in hanc sortem me vocâsti. Tu igitur, qui fuisti fixus in Cruce inter duos latrones, & ipse immortalis mortē gustâsti, vt à morte hominem eriperes, da mihi, quæso, stabilem & immobilē tuæ fidei confessionem in hac hora, & serua animam meam ab hac diaboli machina. Hæc cùm dixisset, in eam machinam iniectus est, grauiterque depressum eius corpus, in multas partes discissum fuit. Quo facto, Diocletianus Imperator & eius amicus Magnentius, elata voce dixerunt: Vidistis omnes, qui hîc præsentes estis, quòd non sit alius deus, nisì Apollo, & Neptunus, Hercules, Iupiter, & magna Diana? Vbi nunc est Georgij Deus? Quarè non venit ille, & eum è manibus nostris liberauit? *Terribile supplicium.*

Cùm igitur in rotæ illius tormento eum manere iussisset, ad prandium se contulit. Hora autem decima sonitus magnus è cælo factus est, & vox hæc: Esto fortis, Georgi, & sententiam firmam tene: multi enim per te ad fidem meam conuertentur. Qui verò erant illic carnifices, & eum custodiebant, sonitu illo perculsi, dicebant: Magnus est Deus Christianorum. Angelus autem Domini venit, & è tormento illo martyrem dissoluit: cuius corpus cùm sanum restituisset, illum salutans: Gaude, inquit, Georgi, & crede in eum, qui te corroborat, Christum, & cursum tuum perfice. Eccè enim nos expectamus, perfectæ confessionis coronam tibi dari. Surrexit autem Georgius lætus, & proprio Domino gratias agens, inambulansque psalmos illos canebat: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Dirige gressus meos Domine, & non dominetur meî omnis iniustitia. *Martyr diuinitus confirmatur, & eripitur.* *Psal. 144.* *Psal. 118.*

Cumque in eum locum venisset, vbi Apollinis statua erecta erat, inuenit illic Imperatorem ac Magnentium, & omnes Imperatoris amicos, sacrificia & debacchationes idolis suis offerentes. Cùm igitur propiùs accessisset, alta voce: Agnoscisne, inquit, me, ô Imperator, & eum Deum, qui à me tibi nunciatur, quique me de manibus tuis, & à letali machina, quam ipse opinabaris morti me tradituram esse, omninò eripuit? Erratis igitur vos idolis sacrificia offerentes. Tunc Imperator in eum intuens: Tu, inquit, quis es? Tunc ille: Georgius ego sum, tuo iussu in rotā coniectus, quem & dereliquisti in multas partes à rota dissectum: me enim mortuum existimabas, qui & veni, vt tibi ostenderem Deum illum, quem tu vt imbecillem cōtemnebas, posse nos à mor-

te eripere. Tunc Imperator iussit eum detineri: secum tamen cogitabat, eumque valdè inspiciebat, num non ipse reuerà, sed eius imago esset, qui morte violenta sublatus fuerat, & eos illuderet. Magnentius autem dicebat similem illi esse. At sanctus Georgius: Ego, inquit, Georgius sum Christi seruus. Nè erretis in istis idolis: sed scitote Christum posse illos etiam à mortuis excitare, qui spem suam in eo collocârunt, eosque à vestris manibus liberare.

Duo tribuni credũt in Christũ, & occiduntur.

Cùm verò martyrem ipsum vidissent, & hæc ab illo audiuissent Anatolius & Protoleo Tribuni militum, crediderunt in Deum cum familijs suis. Itaque alta voce dicebãt: Vnus Deus est, qui à Christianis colitur: ipse Deus solus. Hęc autem cùm Imperator audiuisset, iussit omnes illos extra vrbem in locis desertis obtruncari. Cùm igitur illi ad martyrium proficiscerentur, vna voce clamabant: Domine Iesu Christe, accipe animas nostras, & in regnum illud tuum, quod nulla successione mutatur, nos perducas, neq; tarditatem nostram, quam in tui nominis confessione, & fide ostendimus, pro peccato nobis imputes: sed fac vt nihil nos impediat, quo minùs redemptionem peccatorum consequamur.

Imperatrix Christum confitetur.

Hæc omnia cùm Imperatrix Alexandra de sancto martyre Georgio audiuisset, ipsa etiam Domino credidit, & ad Imperatorem accedens, liberè clamauit: Christiana ego sum, ego serua sum illius Dei, quem Georgius colit. Hæc cùm illa diceret, Magnentius: Dic, inquit, Imperatrix Alexandra: Quarè Christum laudans, deos ipsos contemnis? Illa verò: Quod melius est, ego appetens, id, quod ignobilius & peius est, contempsi. Hęc cùm dixisset, domum redijt, intereà Christi timorem in corde seruans & fidem immobilem. Imperator autem furore percitus, iussit sanctum Georgium in lacum conijci, ardentem ex materia illa, quæ dicitur asbestos, quęque non nisi post tres dies extingui solet: iussitque custodes ipsos diligenter obseruare, nè insidiæ aliquæ fierent. Post tres autem dies Imperator præcepit militibus, vt illuc profecti, ossa illius, quem morte violenta interfectum existimabat, tollerent, & cautè in terra occultarent, nè aliquid ex ipsis inueniretur. Cùm igitur milites ipsi ad lacum illum venissẽt, vnà cum illis & multitudo magna ad spectaculum venit, & materia, quæ asbestos dicitur, sublata, sanctus martyr Georgius inuentus est nulla omninò corporis parte læsus. Angelus enim Domini vnà cum illo erat, Christi curam in eum exercens.

S. Georgius mirè conseruatur à Deo.

Cùm igitur illum vidissent, omnes clamauerunt: Magnus est Deus Christianorum. Hæc cùm audisset Imperatrix Alexandra, ipsa etiam venit ad eum locum, clamãs: Vnus Deus est, quẽ Christiani colunt, neque alius est præter ipsum, qui ex omnibus angustijs seruos suos eripit. Crediderunt autem & milites, qui missi fuerant, vt eum è lacu illo educerent. His auditis, Imperator iussit magnam militum manum illuc proficisci, & sanctum eum virũ cõpræhendere, & ad se ducere. Adducto igitur martyre, sedens Imperator in tribunali cum Senatu suo: Quis, inquit, est, qui te viuum reddidit? Tum sanctus Christi martyr Georgius ait: Si audieritis rursùs, minimè credetis. Illud tamen scito, Imperator, Christum Dei filium ab omnibus tormentis tuis me seruare, & omnes, qui eũ inuocant, è laqueis diaboli eripere. Tunc Imperator iussit ferreos calceos componi, clauos rectos habentes & ignitos, quibus eius pedes induti, huc atque illuc agitarentur. At sanctus martyr cùm sic agitatus ambulare non posset, secũ dicebat: Propera, Georgi, ad sortem illam, quæ te appræhendit. Et lachrymans, ità Deum precabatur: Domine Deus meus, saluator eorum, qui affliguntur, refugium illorum, qui persecutiones patiuntur: patientia eorum, qui nominis tui causa ærumnas perferunt, nè me derelinquas: sed da mihi patientiam vsque ad finem, nè dicat inimicus meus, Præualui aduersùs eum.

Calcei ferrei cum clauis ignitis ei adhibentur.

Cùm primùm autem preces compleuit, venit vox è cælo, dicens: Esto bono animo, Georgi: tecum enim sum. Statim autem eius corpus sanatum fuit. Cumque martyr in carcerem coniectus fuisset, eo die, qui deincèps consecutus est, ante tribunal stetit. Imperator verò illi dixit: Quousquè temeritatem tuam ostendens, tormenta feres, & magicis artibus in dies magis vtens, nos à te deceptũ iri putas? Ausculta igitur mihi, & dijs immola. Tum Georgius Imperatori, & his, qui cum illo erant: Ego, inquit, Dei mei auxilia expectans, & omnia vestra tormenta sustinens, sanus ante vos consisto. Solius igitur Dei potentiam testimonio meo confirmo, qui & paratus sum omnes vestros cruciatus perferre propter spem, quam in Christo meo collocaui. Vos autem, quæso, quam spem habetis in istis idolis, quæ cùm vitæ sint expertia, & nihil sint, à vobis tamen frustrà coluntur? Nè igitur ampliùs vestræ ruinæ commune ludibrium alijs proponatis:

Fortiter respõdet Imperatori.

tis: pudeatque vos tandem deos nominare illosipsos, qui luxurijs, nugis, fabulis & cædibus studentes, in hoc mundo paulùm vixerunt: & nunc igne illo, qui nunquàm extinguetur, puniuntur, qui & vos omnes expectat, à quibus dij coluntur.

Hæc cùm Imperator & Senatus audiuissent, iusserunt neruis quibusdam ingentibus mirum in modum martyrem verberari. Cumque id diutiùs fieret, Imperator & Magnentius ei dixerunt: Quousquè, miser, non nobis obtemperans, dijs ipsis immolabis, vt honoribus magnis doneris? Ego, inquit sanctus Georgius, viuenti Deo quotidiè sacrificium laudis offero, qui me liberabit de manibus vestris, & cælesti honore atq; gloria donabit. Vtinàm vos potiùs mihi obtemperaretis, & mecum vnà verum Deum coleretis. Tunc Magnentius ab Imperatore petiuit, vt eum solui iuberet. Cùm igitur ille stetisset, Magnentius dixit: Si vis nos Deo tuo credere, ostende nobis signum aliquod, quod ab illo fiat, & vnum aliquem ex his mortuis, qui iacent, fac è tumulo coram nobis exurgere. Cui sanctus Georgius: Manifestum, inquit, ijs qui rectè sentiunt, hoc est, Deum ipsum, qui è nihilo omnia creauit, posse mortuos etiam homines in vitam restituere. Quanuis autem vos diaboli errore detenti, neque hoc facto in Deum viuentem crediturì sitis, tamen eius multitudinis causa, quæ hic præsens est, Dei mei benignitate confisus, ante omnium vestrûm oculos Deum ipsum inuocabo, & orabo, vt signum hoc ostendat. Neruis atrociter cæditur.

Cumque genua flexisset, & diutiùs Deum orâsset, surgens, & manus in cælum extendens, dixit: Aeterne Deus, qui vis omnes homines saluos fieri, qui per sanctos apostolos tuos, vnigeniti filij tui, omnium generum signa & prodigia effecisti, vt gentes conuerterentur, & te cognoscerent: tuipse & nunc exaudi preces meas humilis serui tui, & exuscita vnum è mortuis iacentium in hoc tumulo, de quo Magnentius dixit, in gloriam & fidem nominis tui, & vnigeniti Iesu Christi. Repentè verò terræmotus magnus eo in loco factus est, & tumuli, vbi mortui iacebant, tegumentum in terram cecidit, & vnus è mortuis iacentibus exijt. Qui cùm venisset, ante pedes sancti Georgij decubuit, eumque precatus, dixit: Serue Dei altissimi, quæso, dignum me facias Christi sigillo & salute. Cui sanctus Georgius: Si credis, inquit, in Deum, qui mortuos viuos reddit, saluus fies. Credo, inquit ille, in Deum viuentem, & vnigenitum eius filium Iesum Christum, qui nunc per orationem tuam me à mortuis suscitauit. 1. Tim. 2. Excitat mortuum.

Imperator verò stupore & perfidia repletus, eum interrogabat: Quàdò tu mortuus es? Et quisnam anteà fuisti? Cui mortuus ille respondit: Ego, antequàm Christus in terram veniret, vnus fui ex his, qui errore idolorum detinebantur: quamobrèm in locis obscuris tam multis temporibus cum ijs, qui mecum vnà senserunt, hucusquè mansi. His igitur visis & auditis, plurimi ex eo populo, qui præsentes erant, ac milites, in Deum crediderunt, & Christi gloriam collaudârunt. Id autem cùm Imperator vidisset, amentia & furore magìs repletus, dicebat Georgium magum esse, & à spiritu illuc adductū, vt eos in errorem impelleret. At beatus Georgius: Quousquè, inquit, erratis, & viuenti Deo blasphemias dicitis? Scito, Imperator, neque dæmones ipsos tales esse, qui Christi nomen audire patiantur. Quomodò igitur, quæ vidisti & audîsti, dæmonis nomine fieri potuissent? Tunc rursùs iussit Imperator sanctum martyrem Georgium in carcerem duci, & ipse in palatium reuersus est. Cùm verò ille esset in carcere, omnes, qui ad Christi fidem conuersi fuerant, nocte ad eum veniebant, à carceris custode muneribus aditum impetrantes. Et cùm ad Georgium ingressi essent, ab illo in Christi fide catechumeni efficiebantur. Sed & quicunq; homines diuersis morbis laborabant, ad eum ferebantur: & qui aliquos cæcos habebant, ad eum illos ducebant. Ille autem precibus eos curabat. Multi crediderunt in Christum. Martyr in carcerem reducitur. Miracula.

Glycerius verò quidam, homo rusticus, cùm araret, bos, quem vnum habebat, cecidit & mortuus est. Ille cùm ad carcerem venisset, ad pedes sancti Georgij se abiecit, dicens: Domine, bouem vnum vtilem habebam, quo terram colebam, & ità nutriebar: nunc autem ille cùm sub aratro ceciderit, mortuus est. Precor igitur te, vt Deum ores, & bos meus viuus restituatur: futurū enim scio, vt Deus tuus te audiat. Sanctus autem martyr Georgius respondit: Si credis in Deum meum, bos tuus viuus exurget. Credo, inquit Glycerius, non esse alium Deum, nisi eum solum, qui Christianorum est. Tum Georgius: Vade, inquit, nam bouem viuentem inuenies. His verbis ille credens, abijt: cumque bouem viuum inuenisset, redijt clamans: Magnus est Deus Christianorum. Illum autem hæc dicentem carnifices & milites comprehensum, ad Imperatorem duxerunt. Quarè Imperator turbatus, neq; appellationem ipsius audire passus, eum iussit

minu-

xandram & Georgium sententiam tulit, & sancto illi martyri dixit: En, pessime Georgi, etiam Imperatricem à te deceptam, morti subiecisti. Vade igitur & tu vnà cum illa, & dignam tuis in deos blasphemijs pœnam sustine. Legit autem sententiam, quæ sic habebat: Georgium Galilæorum discipulum, qui decretum nostri imperij violauit, neque deos ipsos coluit, quinetiam Imperatricem ipsam corrupit, iubemus gladio percuti, eiusque & Alexandræ ab eo deceptæ capita truncari. Statim igitur eos comprehensos, extra vrbem milites duxerunt.

Cùm autem Alexandra prompto animo ad brauium sibi exoptatissimum vnà cum martyre illo adiret, & animo ac mente Deum precaretur, vt labiorum motus & oculi ad cælum erecti significabant, assedit in quodam loco, & animam suam Domino in pace reddidit. Cùm verò sanctum Georgium ad martyrij locū milites duxissent, ad ipsos conuersus: Expectate, inquit, paulispèr, fratres, vt Deum precer. Quod cùm illi concessissent, in cælum oculos & manus erexit, ac, gemitu emisso, dixit: Deus meus, qui es ante secula, ad quem ego à iuuentute mea confugi, tu, qui bona & vera es Christianorum expectatio, & certa seruorum tuorum promissio, ac perennis thesaurus, qui antequàm à te aliquid petatur, dona præbes his, qui te diligūt, exaudi me, Domine. Tu, qui dedisti mihi martyrij confessionem, & ad finem vsque patientiam, tu, inquam, & nunc accipe animam meam, eamque ab ab aëreis & inimicis spiritibus libera, ac me vnà cum ijs, qui tibi grati fuerunt, collocare digneris. Dimitte & gentibus quæcunque contra me fecerunt, & contra seruos tuos, qui inuocant sanctum nomen tuum. Illumina ipsos, vt veritatem tuam agnoscant, quoniam omnes vis saluos fieri. Emitte auxilium inuocantibus nomen tuum, Christe. Da ipsis timorem tuum, & charitatis in sanctos tuos desiderium, vt eorum memoriam retinentes, ipsorum etiam fidem imitentur, vt digni efficiantur vnà cum ipsis vita cælesti & regno sempiterno: quoniam tuum est regnum & gloria, Patris, & Filij, & Spiritussancti in secula, Amen.

Imperatrix abit è vita.

Orat martyr pro hostibus suis.

Has preces cùm sanctus Christi martyr Georgius compleuisset, genua ipsa inclinauit, & collum suum extendit: & à carnifice percussus, dormiuit in Domino vigesimotertio mensis Aprilis, diei, qui Parasceue dicitur, hora septima. Ego verò sancti Georgij seruus, nomine Pasicrates, secutus dominum meum, omnia hæc vera in cōmentarios collegi. Beatus certè est, qui in Christum verum Deum nostrum & Saluatorem crediderit: Cui gloria est & imperium in secula seculorum, Amen.

Capite cæditur.

ENCOMIVM IN SANCTVM MARTYREM CHRISTI GEORGIVM, QVOD HABITVM FVIT *in die, quo eius martyrium celebratur: ex Simeone Metaphraste.*



Emper quidem splendida, & omniū ore laudata sunt sanctorum martyrum monumenta, cumprimis verò laudabile & gloriosum est, quod hodierno die celebratur. Præsens enim memoria martyris non solùm eorum, quæ Dominus passus est, imitationem continet athletico certamine decorata, & verni temporis splendore (hoc enim tempore eius dies festus agitur) pulchrior facta, verùm etiam hilaritatem, quæ ex sublimioribus Domini Iesu Christi diebus festis proficiscitur, abundè participat. Hic enim inter hos dies, tanquàm inter duos soles, proprio motu se vertentes, velut luna quędā interiectus, vtriusq; splendoribus illustratur, & radijs Christum imitantibus orbem terrarum illustrat. Ante illū quidem effulsit, & cum lucidissima splendentis auroræ hora exortus est, vel statim consequentem, aut continuam potiùs eam horam habuit dies ille festus à toto mundo celebratus, omniumque splendidissimus ac pręcipuus, Saluatoris, inquā, Christi veri Dei & nostri Domini, & martyrū principis, Crucem passi ac resurgentis, qui propter nos homo factus est, & propter nostram salutem martyrium sustinuit sub Pontio Pilato, vt est in sacris literis: quique ijs, quæ ipse passus est, victoriam contra mortem nobis largitus fuit. Idem quoquè beati martyris Georgij dies festus meritò consequentem habet eiusdem Christi ad cælos assumptionem, quo die humanam nostram naturam in seipso vnà cum

Dies Festus Georgij.

Toto mūdo celebratus dies festus Christi resurgentis.

cum Patre collocauit. Quæ res non casu euenit, sed horum dierum concursu veræ charitatis œconomiam, & manifestam rerum diuinarum cognationẽ significauit, ità Christo ipso, cuius causa martyrium susceptum fuit, summam in eum, qui illud suscepit, charitatem suam nobis ostendente, vt non solùm his, quæ passus est, eius similitudinem exprimeret, sed in ipso etiam die, quo passus est, se similem ostenderet.

In Parasceue passus S. Georgius.

Hæc eadem celebritas & alias omnes, quæ martyribus in toto anno dicatæ sunt, antecedit, cùm sola hæc post sanctam Christi resurrectionem verno tempori ac splendori præsideat. Quoniam igitur hæc athletica panegyris ac celebritas his finibus circunscribitur, operæpręcium est deincèps & eiusdem decus per partem explicare. Celebritatis autem decus est tum salutaris oratio, tum diuinum aliquod opus. Græcis quidẽ & Barbaris, omnibusque alijs, in quibus idolorum error dominabatur, diei festi honestas & iucunditas erat, omni turpitudine & intemperantia dæmones colere. Nobis verò, quibus Crucis trophæum contra mortem datum est, diuersum proponitur, hoc est, omnibus certaminibus illosipsos dæmones expugnare ac redarguere. Quamobrèm voluptatum dissolutio, vt turpissima res, nobis inuisa est: labor autẽ, qui pro virtute, & mors, quæ pro pietate suscipitur, vt suauissima quædam res, à viris fidelibus præter cætera exoptatur. His rebus factum est, vt idolorum error deletus sit, & martyrum multitudines effulserint, atque terrestria loca cælum sint effecta, sanctis viris, velut stellis quibusdam, exornata. Nam huiusmodi quotidianæ celebritates terrarum orbem continent, martyrum trophæa eorumque reliquias honorantem, & certamina illa, quæ martyres obierunt, pleno cœtu celebrantem, certamina, inquam, illa, quæ communis hostis malitiosè intulit, Dei cultum, & nomen illud, quod alijs commune non est, per idola ipsa sibi vendicare contendens. At Deus omnium, & Saluator, & stadij princeps, pro sua in homines charitate concessit, humanam naturam aduersùs illum victricem euadere, vt, à quibus studebat, tanquàm deus, adorari, ab ijsdem, vt mortuus & pedibus conculcatus, irrideretur.

Feriæ ethnicorum.

Orbis terrarum martyrum trophæa & reliquias honorat.

Quoniam igitur idolorum insania & caligo eo tempore per omnem terrarũ orbem effusa, propemodùm & eas partes, quæ non habitantur, repleuerat, omnibus ferè ad impietatem spontè se conferentibus, & eum, qui verè Deus est, summæ obliuioni tradentibus, tenebris & longæ noctis compedibus irretitis hominibus illis, qui dæmonũ culturam plurimi faciebant, & vanis spectris, tanquàm miraculis quibusdam, perterrefactis, in dies superstitiosiores efficiebantur impietatis duces & amatores studiosissimi, Diocletianus, inquam, & Magnentius: eorumque per omnem vrbem satellites, instàr suum, ad impietatem irruentes, studiosè in pessimis rebus versabantur, & non erat respectus morti eorum: ambulantes enim ambulabant in lumine ignis sui, neque firmamentum erat in plaga eorum, cùm Deus ipse diuturna patientia illos prosequeretur, vt qui iusti essent, manifesti fierent: nè hominum natura imperfecta penitùs perderetur, frumento vnà cum zizanijs exciso.

Diocletiani & Magnẽtij superstitio.

Tunc, velut stella quædam in die apparens, lætum pietatis fulgorem emittens, illustris hic & omnium voce decantatus Georgius apparuit, qui & nomine & re fructuosus extitit: Georgius, inquam, qui & nomine ipso diuinum factum, & facto gratiam nomini congruentem in seipso ostendit: qui Issachar imitatus est, & diuinæ agriculturæ bonitatem amore prosecutus fuit: qui laboriosam culturam amauit, &, vt scriptum legimus, ipse ab altissimo Deo agricultura effectus est: qui, vt bonus agricola, à teneris vnguiculis laborauit, & fructum centuplo copiosiorem suo tempore Domino reddidit: qui aratro virtutis suauem pietatis sulcum recta via duxit, ob idque aptus regno cælorũ probatus est: qui cum lachrymis sementem iecit, & cum exultatione messem collegit: qui cum luctu semina ipsa sparsit, & gaudens manipulos reportauit: qui fuit terra benè culta, quæ sæpè in se venientem Spiritûs sancti pluuiam ebibit, & salutarem herbam his peperit, qui eam decerpunt cum fide.

Gen. 49.

Eccli 7.

Hic fuit campus ille odoratissimus, in quo pietatis flores abundè floruerunt, ex quibus faui mellis spontè producuntur, quorum dulcedo curatio quædam est animæ. Hic fuit arbor illa fœcundissima, iuxta fluuios Spiritûs sancti sata, & perpetuò florens, semperque maturos virtutis fructus ferens ad illorum animos excolendos, qui talium fructuum cum fide participes fiunt. Hic fuit feracissimus verę illius vitis palmes, cuius agricola est Pater cælestis, qui spiritualem iucunditatem per ipsum nobis excolit ad nostros affectus curandos, & animam, & corpus renouandum. Idem fuit & diuinarum aquarum fons, ex quo animæ steriles irrigatæ & excultæ, fidem, spem, charitatem, virtutum trini-

Iohan. 15.

trinitatem, diuinæ Trinitati amabilem, produxit. Hic fuit diuinarum cogitationũ cultor, & ipsius Dei ager, in quo pietatis gratia exculta fuit, & miraculorum copia, quæ omnibus vsui sit, excolitur. Solet enim appellatio ipsa Dei gratiam, & hominum virtutem indicare. Id quod in Abraham, in Sara, Isaac, Iacob, Mose, & in alijs multis factum didicimus. Talis fuit & nomine, & re Georgius.

Hic vt rosa quædam in medijs spinis tunc exortus, & tanquàm lilium ex fœtida herba suauem pietatis odorem emittens, in medio idololatriæ cœno extitit: vt cupressus in ea regione, in qua rubi sunt: tanquàm oliua fructifera in solitudine, & vt palma dulces reddens fructus olim amaros: vt luna plenum lumen emittens in nocte valdè tristi: deniquè vt fax quædam in obscura caligine, & vt matutina stella in medijs nubibus ac tenebris, ijs, qui errabant in pelago impietatis, lucem præferens, vtque sol in densa aliqua caligine lætum splendorem emittens. Quòd si, vndenàm bonam generis sui originem sortitus ille fuerit, scire cupis, res ipsæ, tanquàm voce missa, testantur, Dei filium hunc esse, & Hierosolymæ illius ciuem, quæ superna ac libera est. Quotquot enim ac- Galat. 4.
ceperũt eum, (vt ait ille, qui fuit & Christi discipulus, & virgo) dedit eis potestatem fili- Iohan. 1.
os Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: cuiusmodi fuit Georgius, qui generis sui nobilitatem factis comprobauit.

Quoniam verò & terrenam eius nobilitatem scire cupis, patria ipsius fuit Cappado- Patria S. Georgij.
cum regio, altrix verò Palæstina, Christianus indè vsque à proauis, ætate iuuenis, sapientia canus, corde rectus, & vtraque re aduersùs impietatem exultans. Qui in armorum certaminibus benè ab ipsa pueritia excelluerat, ac fortitudinem bellis gerendis conuenientem ità exercuerat, vt militaris ordinis Tribunatus eius fidei commissus fuerit. Cumque illud munus administrare ipsi opùs fuisset, ac multis in rebus sæpè viriliter se gessisset, multamque rei bellicæ scientiam sibi comparâsset, & maiorem gradũ appeteret, maiorem nimirùm assecutus fuit. Nam cùm eas opes, quæ à patribus ad eum peruenerant, accepisset, ad eum, qui tunc erat, Imperatorem cucurrit: idemque ferè illi euenit, quod Sauli olim euenerat. Ille enim cum asinas inquireret, regnum terrestre 1. Reg. 9.
inuenit: hic mundani honoris gradum exquirens, regnum cælorum sortitus est: quodque præter opinionem accepit, maius eo fuit, cuius causâ illuc venerat.

Cùm enim illuc venisset, & Deum ipsum contemni, dæmones verò coli vidisset, non tulit eam rem homo ille pietatis studio flagrantissimus: sed cùm cogitaret illud Dauidis dictum: Vidi præuaricantes, & tabescebam: item illud: Tabescere me fecit zelus Psal. 118.
tuus, quoniam obliti sunt verba tua inimici mei: recordatus etiam id, quod Dominus Ibid.
ait: Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Matth. 10.
Patre meo, qui in cælis est: diuino zelo inflammatus, suamque cogitationem, tanquàm telum quoddã, exacuens, festinauit diuina promissa præripere, ac Deũ ipsum per suam in eum confessionem, vicissìm suî confessorem acquirere.

At nè illi per angustam portam introire aggredienti terrenarum facultatum cumulus impedimento foret, sed martyrium ipsum validius ac nobilius illis sibi parare posset, necessariò faciendum iudicauit, vt diuino præcepto ritè vteretur: quod præceptũ Dominus ille, qui eiusmodi certaminibus præsidet, dedit adolescenti, qui diues erat, cùm sic ait: Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesau- Matth. 19.
rum in cælis: & veni, & sequere me. Id quidem prior ille adolescens animo non prom- Nudat se facultatibus suis.
pto, sed segni accepit: at posterior hic iuuenis libenter executus est: nam pecuniarum onus deposuit, & in manus pauperum pecunijs traditis, preciosam regni cælestis mar- Matth. 13.
garitam emit, thesaurumque illum, qui sic in eo regno conditus est, vt rapi non possit, sibi comparauit.

Cùm igitur ex ea re suum animum perfectè confirmâsset, eumque diuino amori affixisset, auaritiæ, quæ animorum corruptela est, impulsorem diabolum euertit, & primam hanc coronam aduersùs illum arripuit, eamq; ad sublimioris victoriæ adiumentum ac signum mente & animo comprehendit: ipsorum deniquè pauperum precibus Pauperum se precibus munit.
seipsum communiuit, & ex ijsipsis victoriæ spem bonam certa fide collegit. Ità fidenti animo, tanquàm leo, cùm suam crucem sustulisset, ad bellum contra impietatem gerendum prosilijt. Benè enim nôrat sapiens ille vir, eleemosynis & multa fide peccata expurgari, quæ sunt victoriæ impedimenta. Eleemosyna enim à morte præter cætera Tob. 12.
liberat. Super scutum potentis, & super lanceam aduersùs inimicum tuum pugnabit Eccli. 29.
pro te: inquit filius Sirac. Hac igitur re priùs communitus, & athletico more, ac fidenti animo ad pugnam egressus, non aliqua corporea, sed illa spiritûs sancti armatura se

Ephes. 6. induit, quam Paulus Apostolus docuit. Lumbos enim in veritate præcinxit, & iustitiæ thorace se induit, pedesque calceauit in præparatione Euangelij pacis, assumitque galeam salutis, in omnibus suscipiens scutum fidei, quod extinguit omnia tela ignita diaboli, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei.

Hac igitur armatura, quæ corporeis oculis non cernitur, sed spiritu & mente compræhenditur, seipsum communiuit, quoniam non aduersùs carnem & sanguinem bellum susceperat, sed aduersùs principatus & potestates; aduersùs rectorem mundi tenebrarum, contra spiritales res spiritali more armatus, ac ferè Apostolicum illud eulogium clara voce pronuncians: Arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad euersionem munitionum. (2. Cor. 10.) Statim igitur cùm è cælo adiutorē sibi euocâsset illū ipsum, cuius causa certamen proponebatur, cumque animos in sua natura insitos concitâsset, & Eliæ prophetæ zelum suscepisset, iustaque ira visus fuisset, per arma iustitiæ dextra & sinistra iniustitiam adortus, inuenit quodam in loco Imperatores illos nomine imperantes, re autem vera impietati deditos: quippe qui imperio ipso aduersùs eum, qui illis Imperium largitus fuerat, abutebantur. Vidit & infinita tormentorum genera, nō aduersùs illos proposita, qui aliquid iniustè fecerant: sed contra eos, qui pietatem seruabāt, varijs tribubus, gētibus & linguis circa eos Imperatores armatis cōsistētibus.

Cùm verò & illos Georgius audiuisset nefaria quædam pronunciantes, ac futurum minantes, vt si quis Christum nominârit, ijs tormentis sine misericordia aliqua cōsumptus moriatur, (1. Mac. 2.) diuino spiritu feruescens, Machabæorum exemplo, renes præcinxit, & furorem iudicio adhibito exercuit, & velut leo fremēs, validum & toruum adspectum præ se ferens, & minas ipsas non curans, in mediū aduolauit, clara voce se Christianum esse pronuncians, & manifestè, quanta esset pietatis nobilitas, ostendens. (Eximia eius virtus & fortitudo.) O animum verè diuinum, & Dei charitate compræhensum, totumque ipsi Deo inhiantem. O beatam vocem, quam edidit Christi nomen ferens Georgius, qui & à Deo ipso accepit pietatis semina, eaque multo pòst tempore benè in suo animo exculta, opportunè ipsi Deo perfecta reddidit. Eam, inquam, vocem cùm aër ipse accepisset, sanctitatis cuiusdam particeps factus est, angeli verò è cælo intonuerunt, archangeli acclamauerunt, omnesque cælorum virtutes mirum in modum exultârunt: sed & omnium Dominus & Deus iustum & consentaneum esse censuit, vt illius animi studio atque alacritati auxilium afferret, & incorruptam victoriæ coronam ei pararet. Impiorum autem caterua obstupuit, eorumque imperator diabolus, audita voce illa, letalem plagam accepit. Et ille quidem generosus Christi athleta pergebat clara voce Christum Deum confiteri: eos verò, qui ab ipsis colebantur, dæmones esse, eosque errare ac delirare affirmabat, qui fallacijs & calumnijs vtuntur, vt eos probent deos esse, qui non sunt: demonstrabatque turpia quædam esse, non deos aut diuinas res, quas loquerentur. Deniquè illis blasphemias proferentibus ora obstruens, admonebat homines illos, vt ab errore, in quo erant, tandèm resipiscerent, & vnum ac solum verumque Deum cognoscerent. (Ierem. 10.) Postremò illud diuinarum literarum eulogium crebrò repetebat: Qui non fecerunt cælum & terram, pereant.

At illi omni fraudum genere vtentes, omnibus modis athletam tentabant, nihil nō dicentes, nihilque non facientes: ac modò sermones blādos, & oleo ipso leniores proferentes, modò nudis atque apertis minarum iaculis eum ferientes. (Blāditijs & terroribus oppugnatur sanctus martyr.) Interdùm autem simulabant, se illius prudentiam, & generis splendorem, atque in bellis gerendis fortitudinem admirari, & ipsius iuuentutem misericordia prosequi. Itaque illum adhortabantur, nè immaturam mortem suani huic vitæ temerè præferre vellet: simul etiam honorum & pecuniarum munera non vulgaria illi proponebant. Posteà tormentorū genera, & plurimas mortis vias minabantur, mortemque non breuem, sed longam & tristem eum passurum, si eorum monitis acquiescere noluisset. At firmus ille & fortis Christi miles, qui Deo ipsi magìs, quàm hominibus parere, & obedientia illa, quæ Deo præstatur, nihil valentius esse didicerat, nullo pacto mutatus, aut illorum minis succumbens, sed subdolas eorum adulationes redarguens, responsorum austeritate eas à se repellebat: fraudulenta verò promissa, vt vilia quædam, pro nihilo faciens respuebat: impiaque consilia, tanquàm pestifera quædam venena, propulsabat: & minas ipsas, animi, qui omnia perpeti paratus erat, alacritate irridebat: eosque vrgens admonebat, nè, quòd facturi essent, diutiùs morarentur, sed statìm periculum facerēt, ac certiores fierent, an verè ità esset paratus, vt aiebat: illud deniquè clara voce dicebat: Meus amor crucifixus est. (Vox S. Ignatij in Epist. ad Roman.)

Vndi-

Vndiquè igitur (vt summatìm dicam) inexpugnabilis erat vir ille, neque ab inimicis aliqua ex parte capi poterat. Quis me, inquiebat, separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus enim sum, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque præsentia, neque futura, neque creatura aliqua alia poterit me separare à charitate Christi: nam mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Atquì non sermone tantùm cum aduersarijs congrediebatur, sed re etiam ipsa prudenter & efficaciter se aduersùs illos instruebat, tanquàm fortis aliquis bellator, robur & fortitudinem suam non solùm in feriendis aduersarijs exercens, sed in ijs etiam plagis, quæ ab ipsis illatæ sunt, fortiter perferendis, corpore & spiritu se validum præbens, illo tormenta patiens, hoc autem eos vicissìm feriens. Illi enim eius corpus flagellis verberabant: hic verbera ipsa patienti & generoso animo ità superabat, vt ipsi magìs cruciarentur, cùm non possent id assequi, quod volebant, quàm ipse qui flagellis verberabatur.

Rom. 8.

Cæditur flagellis.

Nimirùm illi sanctum Georgium vecte quodam verberari iusserunt. Cumque vectis ipse, instàr plumbi, retusus fuisset ad eorum propositum inane redarguendum, spe decepti, ad alia tormenta conuersi sunt, & tormentis grauioribus eum subijcere conabantur, lapide quodam ingentis magnitudinis, cùm ille in carcere seruaretur, per totam noctem supra ventrem imposito, præterquàm quòd eius pedes lignea compede adstricti erant, alijs quamplurimis & grauioribus tormentis adhibitis. Quibus cùm athleta ille nimiùm laboràsset, & ferè defecisset, postremò vehementissimum quoddã tormentum intulerunt. In rotam enim eum efferentes, generosi hominis cõstantiam se fracturos arbitrabantur. Circa quam rotam cùm instàr scorpionis alicuius, ille magnæ mentis vir lumbos deflexos teneret, & protenderetur, & opposita reuolutione eius spiritus coarctaretur, omnia ipsius membra & artus è suo loco dimoti sunt, carnesque confractæ ac languidæ effectæ, simulque acutis accommodatorum instrumentorum cuspidibus in multas partes ipsius corpus dissectum, multo sanguine fluente tormenta illa cruentauit.

Multis affligitur modis.

Immane supplicium.

Itaque ab hominibus illis cæcis, ità vt erat, derelictus fuit tanquàm mortuus, multisque hymnis ob eam rem deos ac dæmones illos suos ipsi celebràrũt. Sed ijdem etiã magìs erubuerunt, cùm sanum eum vidissent, quem vt mortuum dereliquerant. Cùm enim Christus ipse omnium vita, verus Deus ac Saluator, simul & à vulneribus, & à tormentis eum liberàsset, custodesque ipsos perterrefactos illinc abegisset: iterùm victor ille validiora certamina subire cupiens, concitato gradu ad impios illos homines prodijt ac stetit, tam verbis, quàm factis inuictam Christi potentiam ostendens. Erat enim reuerà visu admirabile spectaculum illud, formidolosum atque horribile, quod pariter & fideles homines confirmabat, & infidelibus ora obstruebat. Illi autem re inopinata perculsi, & perscrutando certiores facti, non inane, aut falsum aliquid, sed verum esse, quod viderant, pro eo, quòd resipiscere debebant, deteriora quædam tormenta & magìs violenta, generoso illi viro intulerunt. Materia enim eum obruerunt, quæ asbestos dicitur, hoc est, quæ non extinguitur: sed tunc certè fuit extincta. Quæ res, cùm cõtra opinionem hominum acciderit, multis videtur incredibilis, quærentibus, quonam pacto corpusculum, quod natura tale est, vt facilè corrumpi possit, vehementi, & ad comburendum idoneo materiæ illius feruori vel paulùm resistere potuerit: (quod tamen ità restitit, vt etiã crines ipsi ab igne læsi non fuerint, sed omninò intacti permanserint) vel quomodò animal illud, quod ex tenui aëre spiritum ducẽdo, naturalem vitam continet, ea materia, quæ ad obstruendum aliquid idonea est, obrutum, & respiratione priuatum, vita etiam ipsà priuatum non fuerit.

A Christo restituitur.

Magnum Dei miraculum.

At si quis talibus ad contradicendum rationibus vsus fuerit, dicat is, quomodò Ionas in ventre ceti tribus diebus vixit, cumque intactum fera illa euomuit: quomodò & Hieremias in cœni lacum demersus, intactus illinc eductus fuit: item quomodò tres illi pueri in fornacis flamma tenuem aërem respirabant, & combustis vinculis, eorum capillus combustus non est, neque ignis odor in illis vllus remansit. Qui hæc, & alia admirabilia facta & prodigia, quæ singulis ætatibus immensæ gloriæ Dominus Deus seruorum suorum causa effecit, benè considerauerit, faciliùs adducetur, vt hoc etiã nobiscum vnà confiteatur, & credens dicat: Verè mirabilis est Deus in sanctis suis. Vniuersarum enim rerum natura talis est, qualem vult is, qui eam creauit: & hæc (vt in psalmo dictum fuit) mutatio est dexteræ excelsi.

Ionæ 2. Ierem. 38. Dan. 3. Psal. 67. Psal. 76.

Sed deficiet me tempus, & multò magis oratio ipsa propter sermonum inopiam, quæ in me est, si velim singulatim & per partem scribere omnium tormentorum, quæ publicè & in carceribus aduersùs Christi militem illata sunt, figuram & speciem, & dolorum intolerabilem magnitudinem, quæ orationem omnem exuperat, eorumque, qui illum cruciabant, sæuitiam atque immanitatē, ipsius deniquè athletæ in omnibus tormētis perferendis tolerantiam & constantem animum, qui per singulos cruciatus, quantùm in eo fuit, illud præstitit, quod est apud Paulum: Tāquàm morientes sumus, & eccè viuimus. Quid dicam preces illas, quas per totam noctem & diem, subeundo certamina, ad Deum fundebat, partim ei supplicans, qui salutem afferre potest, partìm gratias agens, quòd illi opem tulerat? Ad hæc & eorum, qui dij habebantur, repentinam per Crucis signum euersionem, ipsorumque dæmonum lamentabilem * consensionem, quippe qui manifestè confessi sunt, se deos non esse, vt eos puderet, qui temerè illos adorabant? Quid propositas intereà quæstiones, atque oppositiones, quæ multam in se continent tragœdiam? Quid mores, & eorum, quæ ab vtraque parte dicebantur, sententiam, velut in tabula, exponam? Quid diuinas visiones & collocutiones nocte & die, ad eius patientiam remunerandam, sancto martyri à Deo concessas? Quid auxilia, consolationes & curationes, ex quibus recreationem percipiens, præteritorum laborum libenter obliuiscebatur, & ijs, quæ denuò in illum inferebantur, forti & constanti animo resistebat, quasi & corpus ipsum vnà cum animo adamantinum haberet?

2.Cor. 6.

for. * confessionem

Sed si quis cupit omnia Georgij beatissimi viri facta cognoscere, historiam de ipsius martyrio conscriptam legat, & ex illa ediscat certaminum magnitudinem, & illius optimi bellatoris altum animum, & iustissimam victoriam, diuinorumq; præmiorum dignam mercedem. Ex eadem historia manifestè cognoscere poterit, & admiratione affici, quomodò ij, qui summa impietatis vorágine obscurati erant, dolos adhibētes, & amara dulcioribus verbis commiscentes, beatum martyrem adorti sunt. Ille verò simplici veritatis sermone, graues & subdolas verborum machinas facilè dissoluebat ac demoliebatur, eorumque insidias & occultos laqueos, solidæ & altæ mentis suæ alis transuolabat. Dein tormenta illa varia & difficilia patientiæ suæ robore fortiter superans, cursum confecit per clauos crepidis affixos propositum. Idem securi percussus est, corporis morte animæ ipsius mortem extinguens. Demùm sanguine suo victoriam adeptus fuit, & victoriæ corona cinctus, victricia carmina hilari animo ei cecinit, qui victoriæ author fuerat. Hymnus autem talis erat: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Neque dolis, neque blandiijs, neque minis superari potest.

Tandem decollatur.

Psal. 123.

Ad hæc qui studiosè ac diligenter eius historiam leget, discet quemadmodùm nō sibi soli martyr ille, verùm & plurimis alijs suo labore salutē conciliauit. De his loquor, quibus persuasit, vt & ipsi parem cursum transigerent, propriū sanguinem Deo libantes. Anatolio enim & Protoleoni, vt hoc facerent, persuasit, duobus illis militibus: qui, cùm ea, quæ in certamine illo effulsêre, miracula obstupuissent, & ipsi martyris Georgij fortitudinem æmulati sunt. Necnon & Glycerium, ex bouis illius rediuiui prodigio celebrem, nouimus à stulta idolorum superstitione liberatum. Quos omnes ex ipsis (vt ità dicam) draconis faucibus extractos, sacrificia perfecta, & proprio Domino accepta obtulit. Quid quòd & miracula maxima & ingentia partìm ijs, qui fideliter ea petebāt, abundè per illius operam Deus largitus est: partìm ab aduersarijs non fideliter petita, re ipsa per martyris preces ità ipse perfecit, vt & mortuū hominem è tumulo exuscitauerit, ad eorum qui illud petierant, amentiam redarguendam, & veritatis cognitionem manifestiùs aperiendam? Quam assecuti fuissent, qui eam rem postulârant, si æquiores oculos habere voluissent. Illi enim ipsi partìm miraculorum euentis fidem non adhibentes, partìm spectra quædam & inania visa illa esse credentes, rursùs in eundem errorem reuoluti sunt. Cùm enim ipsi omnes tormentorum machinas consumpsissent, & martyris patiētia victi fuissent, ad eorum signorum, quæ fieri nunquàm posse illis videbantur, petitionem, Iudaico more, confugerunt. Posteà verò & ex eadem illa re conuicti, & in ruborem conuersi sunt. Multis enim miracula illa salutem conciliârunt, ex illis ipsis Georgij Deum agnoscentibus. Cùm autem non possent ampliùs immensis illis, quæ per martyrem facta erant, miraculis repugnare, neque tamē ab ea, in qua erant, superstitione se abduci paterentur, cumque excæcati essent, & obtusi corde, auribus atque oculis, (vt est ab Esaia dictum) ad patrios errores necessariò reuoluebantur, & machinis quibusdam veritatem ipsam se euersuros putabant.

Multos Christo lucratur.

Miracula eius ingentia.

Esa. 6.

Atha-

Athanasium enim quędam in medium produxerunt, qui in magicis artibus multum existimationis habebat: cuius fama longè magis celebrabatur, quàm eorum, qui olim apud Aegyptum aduersùs Mosem ipsum se aliquid effecturos opinabantur. Sed non diutiùs & hoc loco omnis illa magicæ artis fallacia vim habuit: mendaciũ enim ipsum à veritate superatum fuit, & illius magi præsentia vtilior tunc apparuit, quàm quo tempore Aegyptij magi Mosi restiterunt. Illi enim cùm Dei digitum esse cognoscerent, qui eorum artem euertebat, verbis tãtùm id confitebantur: at hic fidem ipsam per Georgij opera sibi patefactam amplexatus, gladio percussus, pro veritate mortem sustinuit, vitæque nomini suo congruentis hæreditatem percepit.

Exo. 7. & 8.

Magus frustrà ei opponitur.

Exod. 8.

Magus credit, & fit martyr.

Missos facio singulos, quos Christi miles ad eiusdem certaminis rationem adduxit, cum quibus & Reginam Alexandram eò adduxit, vt Mosis virtutem & ipsa in se ostenderet, cùm melius ac præstantius regijs thesauris opprobrium Christi esse duxisset. Quę prompto animo mortem gladio illatam, quantùm ad eius propositum pertinuit, Christi causa suscepit, & cæleste ac sempiternum regnum cum terrestri & caduco permutauit.

Heb. 11.

O insatiabiles diaboli fauces. O inexhaustam Christi Dei gratiam. Vbinàm sunt, qui impudenter nugantes aiunt, nostrum hostem diabolum res futuras prænoscere? En vt manuum suarum operibus cõpræhensus est, & non cognouit, ex quibus rebus se victorem futurum opinabatur, illis ipsis imprudenter se captum iri. Nam à quibus adorari gestiebat, ab illis eum irrisum fuisse apparet: ac quærens alios interficere, ipse tanquàm mortuus factus est: idque cùm ipse in eos homines, qui nudi atque inermes erant, reges ipsos, & omnem exercitum, omnemque tormentorum violentiam hostili animo intulisset. Et regum quidem ipsorum, cùm multa & magna trophæa quondàm statuissent, & posteà in imperio esse desiuissent, victoriæ sunt extinctæ: at dexter Christi miles Georgius cùm semèl omnium hostem deuicerit, semper eam victoriam, quam de illo reportauit, recentem habet, omnes simul dæmonum turmas Crucis telo ab humano cœtu expellens, & eos, qui sub illorum manu fuerant, ad libertatem reuocans. Quid victoria hac admirabilius? quid his triumphis sublimius? quid his coronis gloriosius?

Dæmones pudefiunt.

Hæc fuit sapientis Ducis, se aduersùs hostem struentis, ratio ac via. Tam magnum fuit eleemosynæ illius, quam, venditis his, quæ possidebat, pauperibus distribuit, munimen atque præsidium. Hæc magni bellatoris victoriæ præmia, hæc nostri triumphantis militis trophæa, talia fuerunt & spolia. Hic in corpore ipso vitam degens, eum, qui corporis expers est, interfecit, illum, cùm in corpore suo vexando occupatum haberet, spiritu iugulans: cumque circa suam ipsius prædam illum suspensum teneret, eos, quos in sinu suo ille anteà captos detinebat, abripuit. Eius enim imitator erat, qui carnis specie obiecta, hostem diabolum allexit: & dum eius pugnam recusare videbatur, eum decepit, & ità captiuos homines è manu ipsius eripuit. Hæc, inquam, ille faciebat, Christum magistrum totum in se habens, vel (vt veriùs dicam) totus magistro suo inhians, neque ampliùs sibi viuens, sed ei, qui pro ipso mortem passus fuit, & resurrexit, & suo exemplo docuit, non eos timendos esse, qui corpus occidunt. Non enim erat ampliùs suo corpori, sed diuinæ voluntati, obnoxius. Quid dixi, corpori? Neque suæ animæ obnoxius erat. Cùm enim Christi esset discipulus, animam etiam ipsam voluntariè abnegauit: & tollens crucem suam, ab omni cura liber, magistro suo adhæsit. Meritò igitur præterita tormẽta obliuiscebatur, & ad ea, quæ ante illum proponebantur, virili animo se intendebat. Itaque non ea, quæ antecesserant, metiebatur: sed quę supererant, requirebat. Defecerunt tormenta, sed non defecerunt coronæ: non enim defecerat promptus martyris animus. Malorum inuentor semper aliquid ampliùs machinabatur, & Christi athleta Georgius maiores appetens coronas, maiorum certaminum occasiones à machinatore diabolo exigebat. Ità erat vtrisque victoriæ certamen, illi quidem, (quanuis æquè superare Georgium non posset) vt secum vnà sanctum virum perderet: huic studium erat, vt non solus seruaretur, sed & omnibus validissimũ suum certamen, salutare quoddam exemplum relinqueret. Itaque iustus ille certaminis præfectus Iesus Christus, viro iustè certanti auxilium attulit. Vicit igitur martyr, & perijt, qui perdere alios studebat.

S. Georgij de diabolo profligato triumphus.

Prompta eius ad patiẽdum voluntas.

Tunc cælestes mentes, & iustorum hominum chori hymnos cecinerunt, & victricibus certamen illud vocibus atque applausu laudantes, certaminis authorem Deum celebrãrunt. At Christus solus omnium Rex, & certaminum spectator ac perfector,

 singu-

singulari gloria suum athletam coronauit, cùm totum illi regnum aperuerit. Vidit hostis diabolus, magisque iratus est, inuidiæ stimulis atque æstu efferuescens, & (vt ait
Psal. 111. Dauid) dentibus frendens, & perpetuò contabescens, dolensque, quòd voti sui compos fieri non posset. Licebat igitur videre astutissimum draconem, aduersùs carnem & sanguinem gloriari solitum, elatumque & se efferentem, ac magnifica illa verba ia-
Esa. 10. ctantem: Robore meo hoc faciam, & manuum mearum potentia auferam terminos
Arrogantia diaboli illusa. gentium, & orbem totum terrarum comprehendam, velut nidum quempiam, & tanquàm oua aliqua derelicta tollam: neque est qui resistat, aut contra me aliquid dicat: & ponam sedem meam supra nubes cæli, & ero similis altissimo. Talem, inquam, & tantum hostem licebat videre à iuuene illo vno illusum, & ità despectum atque confusum, vt quid ageret, non haberet. Erat enim admodùm tristis, quòd tantæ res diuinæ illi viro per eum imprudentem atque inuitum conciliatæ fuissent. Nam martyr ipse eorum etiam, quos proprijs laboribus seruauit, certas & immensas sibi mercedes adiunxit. Et quoniam sapiens ille bellator mercedem, quæ retribuenda erat, maximè spectabat, idcircò non destitit hostem irritare & confundere, quoàd perfectam de ipso victoriam adeptus est, eoque irretito, corporis sui nauigium ad tranquillum portum appulit. Non dedit somnum oculis, neque palpebris suis dormitationem, neque temporibus suis requiem, donèc locum & Dei tabernaculum seipsum effecit. Noluit præsentis mortis liberatione donari, vt meliorem resurrectionem assequeretur. Non de-
Matth. 25. stitit fortiter se gerere, quoàd magistrum & sponsum dicentem audiuit: Eugè serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Aptè in martyrem Georgium cadunt, vt cum Christo sponso coniunctum, ea, quæ in Cantico de Christi sponsa Ecclesia scripta sunt, cuius formosi corporis membrum
Cant. 4. quoddam preciosissimum martyr ipse est: Veni à Libano, sponsa: quoniam non per gratiam tantùm, sed & propriorum operum suaui odore, suî amatorē ac sponsum Deum effecit, morte ipsa eundem oblectans, factus perfecta victima, eique in odorem suauita-
Psal. 28. tis accepta. Quòd si quis dixerit Libanum dictum fuisse, propter vitulum illum Libanum, & idolorum superstitionem, ex qua sacram illam martyris animam aufugientem, & ad Dominum ipsum confugientem, Deus ipse, vt pater, apertis vlnis occurrens, benignissimè his verbis affatus est: Veni à Libano sponsa: quoniam & ità dictum illud quidam interpretati sunt, à vero ipso non aberrauerit. Quamobrèm digna quoquè est
Cant. 4. martyris anima, quæ ab eodē Domino & hoc audiat: En vt pulchra, propinqua mea, es:
Matth. 10. tota pulchra, & macula non est in te. Id quod significat & illud: Confitebor ipsum & ego corā angelis, & Patre meo, qui in cælis est. Quid his laudationibus sublimius, quandò & Iudex ipse eum laudat, qui iudicādus accedit? quandò & is, qui exactor futurus est, seipsum & debitorem futurum confitetur, & in suum gaudium ingredi eum hortatur, qui indè vsque à patribus suis reus erat? Hoc illud est, quod iureiurando affirmans, per
1. Reg. 2. Prophetam dixit: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam glorificantes me glorificabo. Ità Dei hæres, & cohæres Christi Dei, & filij Dei, valdè laudatus & decantatus Georgius effectus est: qui cùm legitimè certauerit, mercedem etiam supra legem recepit. Non
Rom. 8. enim condignæ sunt passiones huius temporis ea gloria, quæ reuelanda est, his præsertim, qui sanguine purgati sunt, & Christi sacrificium sunt imitati.

Vtrum igitur celebrabo, & magìs magisque admirabor? Eum'ne, qui in hac corporea vita se tanta gratia dignum præstitit, vt & Deum ipsum in seipso collocaret, & iure proprium sanguinem pro ipso effunderet: an illum, qui eum ità corroborauit, & tali gratia omne humanum genus dignum effecit? Quis non vltra modum hæc admiretur? Quis diuinæ in humanam naturam charitatis exuperantiam nō obstupescat? Nos pec-
Gen. 3. cata commisimus, quæ venia digna non erant, qui certè eius voluptatis, quam in Paradiso gustauimus, debito tenebamur. At Christus acerbissimorum laborum patientia, omni ex parte hostes illos, qui nos in lucta deiecerant, expugnauit. Omitto enim dicere, quòd ea, quæ nos passuri eramus, ipse patiendo, morte sua mortem nostram æquo animo compensauit. Nunc verò è contrario ipse non indignos solùm accipit, & in ijs, qui certant, ipse habitat, & certamina ipsa subleuat: sed coronas etiam tribuit, & suprema largitur dona, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascen-
Esa. 64. 1. Cor. 2. derunt: in quæ & Archangeli ipsi cupiunt prospicere.

Talia sunt ea, quæ ijs, qui eius causa labores patiuntur, Deus retribuit: quinetiam
Rom. 8. cohæredes suos illos nominat: quodque admirabilius est, mercedem præbet, & id,

quod

quod retribuit, non vt gratiam, sed vt debitum exoluit: vt ex Dauide, & vase electionis Paulo probatur. Tanta enim est ipsius Domini in eius seruos bonitas, vt non solùm debita non exigat, sed & insupèr eos adiuuet, & magnifica dona gratificetur, modò fideli & non vacillanti corde ad eum aliquis accedat. Ipse enim ait: Non te dimittam, neque te derelinquam. Certè verax Dauid est, cùm dicit: Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Quęcunque enim aliquis ad Dei gloriam celebrandam dixerit, nihil dicet, quod eius laudibus par sit, sed omninò infra earum dignitatem positum erit. Eius enim dignitatis non solùm hominum natura, sed neque illa ipsa antiquissimorum, & ad Deum proximè accedentium angelorum conditio capax est. Quamobrèm id, quod compræhendi non potest, silentio præteriens, quantum illud sit, ità significabo: & Deum ipsum ità magìs honorabo, quàm aliquid de eo dicam, quod ab eius dignitate longissimè distet. Psal. 61. Rom. 2. Iosu. 1. Psal. 115.

Sed dicet aliquis, nos ad martyrem reuocans: Si Christus ipse in martyre illo certante habitabat, nihil mirum, si aduersùs tot cruciatus generoso & forti animo ille restitit: hoc enim non Georgij opus fuit, sed habitantis Dei in eo gratia. cùm enim Deus vult, naturæ conditio superatur. Huic ego respondens: Verè, inquam, ô amice, neque dubitanter eius, qui in martyre habitabat, gratia totum effecit: sed quidnam fuit, quod eius habitationem ei conciliauit? Consideres velim primam causam, cur in eo Christus habitauit: deindè ità expendas, quæ ab ipsa gratia rectè sunt effecta. Causam quidem Dominus ipse per tonitrui filium Iohannem nobis reuelauit, cùm sic ait: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi: Et, Ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Declarans autem & charitatis effectum: Qui habet, inquit, mandata mea, & seruat illa, ipse est qui diligit me. Quoniam igitur Georgius mandata Dei habuit, ac seruauit, re ipsa Christum dilexit: idcircò & ipse dilectus eum in se habitantem possedit, quem dilexit. Cùm verò Christus in illo habitaret, meritò, non gratìs tantùm, martyrij dono illum honorauit. Quòd enim martyrium ipsum merces sit, & bonorum operum remuneratio, Dominum ipsum audi in Euangelio, quod à Marco scriptum est, affirmantem, mercedem multam his retribui, qui in persecutionibus se dignos præstiterint. Iohan. 14. Marc. 10.

Primum igitur Georgij ac præclarum factum, quod & Christi charitatem ei conciliauit, in eo extitit, quoniam anteà seipsum dignum præparauit, qui puro vitæ suæ candore Christum in se susciperet, quanuìs ætate iuuenili adhuc esset, & militari magistratu ac potestate vteretur: (Id quod non est facile in hominibus reperire) deindè, quòd prompto animo certamen appetierit, ac seipsum per eorum, quæ possidebat, largitionem ad id paratum ostenderit: quodque adiutorem sapienter eum inuocauerit, quem secum habitantem habebat, Christum. Itaque fidenti animo ad pericula, quę pro Christo subeunda erant, progressus fuit. Hæc autem præclara facta, à Georgij proposito ac voluntate proficiscebãtur, pura, inquam, illius vita, fides non vacillans, sed certa, promptus ad labores perpetiendos animus ac studium, cordis humilitas: quibus rebus nihil sublimius, quæque nisi affuerint, fieri non potest, vt aliquis in Deum charitatem ostendat. Hæc cùm obtulisset, & in his summam charitatem ostendisset, vicissìm & ipse valdè à Christo dilectus est, & apertè in se eum suscepit, qui iurè illum dilexerat. Quamobrèm, antequàm certamina subijsset, cùm iam paratus esset, certaminibus non fuit perturbatus: sed victor coronatus est, paratum habens sibi adiutorem Iesum Christum. Ipse enim cùm naturæ nostræ debitum atque infirmitatem benè nósset, quinetiam & nosipsos ad animi tumorem elationemque procliues esse sciret, neque totum nostræ fidei commisit, nè duorum alterum pateremur, vel infirmitate, vt Petrus Apostolus, cadentes: vel, si ex sententia nobis res succederent, vt Pharisæus ille superbus, intumescentes: neque rursùs totum ipse perfecit, nè omninò nos inutiles essemus, & debitis nostris adhuc obnoxij remaneremus. Dei gratia ijs datur, qui se antè præparant: nec tamē ob id gratia dari dicitur ex meritis. Matth. 26. Luc. 18.

Itaque, vt anteà dixi, nostram per hęc omnia salutem procurans, secundùm mensurã fidei, quæ inest in singulis, ac pro eorum ratione, à quibus rogatur, dona ipsa tribuit, & cùm quæritur, inuenitur: & pulsantibus diuinarum miserationum suarum viscera patefacit, periclitantibusque adiumentum & subsidium affert. Deniquè eorum omnium propugnator est, qui pro eo aliquid pati sibi proposuerunt, non sinens nos tentari supra id quod possumus, sed faciens cum tentatione & prouentum, vt possimus labores sufferre, ob idque & perfecta patientiæ corona donari. Quicunque verò propriæ segnitiei causa, terrestri & corporeo sensu detinemur, multas peccatorum sordes in nobis- 1. Cor. 10.

ipsis habentes, superno ac cælesti auxilio destituimur. Itaque meritò formidamus & decidimus: neque, tentatione aliqua exoriente, consistere firmo loco possumus. Quamobrèm necesse est, Dei præceptum illud assiduè à nobis seruari: Vigilate & orate, nè intretis in tentationem. Quod enim dicit, Vigilate & orate: nihil aliud vult, nisi vt propriam imbecillitatem agnoscamus, semperque diuinum auxilium imploremus. Nam & Petrus Apostolus sæpè pro Christo ipso se moriturum pollicebatur: sed quoniam Christi subsidium non quæsiuit, sui spiritûs prompto feruore & alacritate confisus, redarguta fuit carnis infirmitas, quæ spiritûs feruorem superauit. Quamobrèm ad illum spectans Dominus, dicebat: Vigilate & orate, nè intretis in tentationem: spiritus quidem promptus, caro autem infirma: ob idque meo subsidio vobis opùs est.

Matth. 26.

Ibidem.

Ipsum igitur & nos in omnibus Saluatorem ac liberatorem Christum imploramus per gloriosum hunc semperque celebrem, qui trophæum & pulcherrimam victoriam verè assecutus est: per martyrem, inquam, Georgium, precamur Deum, vt eius voluntas in nobis fiat, sicut & in cælis: vt vna & concors nostra cum illo & cum cælestibus mentibus sit sententia ac voluntas, vt videlicet in nobis cõpleatur diuina illa vox, quam de nobis Filius ad Patrem misit, cùm nos ad seipsum congregaret: Vt sicut ego & tu, Pater, vnum sumus, & ipsi in nobis vnum sint: ego in ipsis, & tu in me: vt sint perfecti in vno eodemque sensu, eo scilicet, qui diuinus est: vt ità & ipso in nobis habitante, & intenso amoris vinculo secum vnà colligatos nos tenente, efficere possimus, quod in Cantico dicitur: Tenui ipsum, & non dimisi eum: ipse verò in nobis illud perficiat, Non te dimittam: haudquaquàm in tentatione nos relinquens, sed liberans nos à malo, & ab omni studio atque impetu hostis diaboli, corruptioni animæ inhiantis: sicut tunc diuinum hunc, multis certaminibus exercitatum & sanctum martyrẽ Georgium liberauit: vt & nos vnà cum illo choreas ducentes, dicere possimus: Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cęlum & terram. Quoniam regnum & potestas seruandi nos in tempore angustiarum, à nullo alio, nisi ab ipso solo, proficiscitur Domino nostro Iesu Christo, vero Deo ac Saluatore nostro, per quem, & cum quo conuenit & iure debetur eiusdem Imperij consorti Patri, & eiusdem essentiæ Spiritui sancto vitæ authori, omnis gloria, honor & adoratio, magnitudo ac magnificentia, nunc & in secula seculorum, Amen.

Iohan. 17.

Cant. 3.
Iosu. 1.

Psal. 123.

ACTA QVÆDAM ET MARTYRIVM SANCTORVM FELICIS PRESBYTERI, FORTVNATI ET ACHILLEI DIACONORVM, *eruditè conscripta à quodam, qui res non auditas, sed visas se narrare subindicet. Consentiunt autem antiquissima Martyrologia.*

23. Aprilis.



IGitur beatissimus Irenæus, Lugdunensis vrbis episcopus, consequenti tempore martyr, in quo, dispositione diuina, instituendæ fidei fundamenta mirabili locata firmitate constabant, Felicem presbyterũ tam conuersatione quàm nomine, Fortunatum, in quo consummationis diuitias adfuturas rei iam vocabulum promittebat, & Achilleum diaconum, Valentinæ vrbi pro imbuendæ prædicationis seminario destinauit. Quos illic gentilium posita multitudo spiritalis gratiæ suscepit studio, mirabili excoluit honore, venerationis dilexit affectu. Vbi dum impositi tam oneris, quàm honoris munia terreno labore, cælesti militia exercere iugiter desiderarent, tanta in eis breui tempore miraculorum emicuit fortitudo, vt quosque spiritalis nequitiæ infestatione vexatos, morborum enormitate compressos, variarum ægritudinum debilitate præmortuos, opitulationis armati potentia, pristino vigori mentis & corporis viribus restaurarent. Quæ cuncta signorum virtutibus, tam gratiarum quàm præconiorum suffragijs dilatata nequeunt sufficienter narrationis tramite reserari: cùm potiùs dignum sit, contemplata, euidenti fide præferre, quàm audita & ambigua, agnitione recipere.

Felix cum socijs mittitur Valentiam ab Irenæo.

Clarent miraculis.

Ergò memorati iam ex magnis ad meliora tendentes, haud procùl à Valentina ciuita-

uitate ad Orientem, scilicet hoc quoquè diuinitùs eligentes, exiguum tugurium, per quod sunt cæleste habitaculum consecuturi, humili sedulitate, sed deuotione sublimissima, locauerunt. Ibique iugiter continuata psalmorum modulatione instructi, vigiliarum laboribus muniti, ieiuniorum parsimonia pasti, maximè à Domino roborati, gentilium multitudinem ad baptismatis gratiam, exhortationis ac fidei pia laudabilique violentia rapiebant. Succedente itaque tempore, cùm sanctus Felix artus excubiarum assiduitate defessos, aliquantulùm in sopore quiescere permisisset, visionem, cælestis indicij assignatione monstratam, fratribus enarrauit, dicens: Vidi locum, siderei splendoris coruscatione micantem, ineffabilium florum diuersitate vernantem, fragrantibus quoquè aromatibus redolentem, tabernacula etiam stellantibus gemmis insignia, fulgentis auri decore radiantia: in quibus quinque agni, niueo candore nitentes, albentia lilia flore depicta croceo, pastu delectabili inuitante, insigni amœnitate carpebant. Quę dum, magnitudinis immensitate perterritus, & virtutis admiratione gauisus, intendo: audiui hæc dicere, diuinæ vocis reseratione prolata: Eugè serui, fidei deuotione probati, Irenæi famuli mei discipuli, qui talenta exigua, multiplici locupletatione ampliata, parâstis: introite in gaudium Domini vestri, quo vos faciet perpetuæ lætitiæ exultatione gaudere, fratrum vestrorũ societati coniunctos. Dum ergò huius delectabili narratione fruuntur, Fortunatus & Achilleus, spiritalis gratiæ ardore succensi, aiunt: Gloria tibi cæli fabricator, mundi conditor, ineffabilium munerum tuorum ostensa largitate promissor, quia per famulum tuum Felicem, nobis indignis immerentibusque cælestium thesaurorum arcana demonstras, ac nos piæ vocis adhortatione solicitas, tantæque remunerationis inuitatione corroboras: annue, vt contra imminentem aduersarij infestationem protectionis tuæ auxiliatione muniti, eius sæuientis furoris iacula contemnere, & ad consummatæ passionis coronam, te in nobis vincente, peruenire suffragij tui munimine mereamur: quia cùm tuum sit, quod pro pietate mens humana superare aggreditur, ipsius tamen facis esse pro retributione, in concertatione quod gesserit.

Eorum exercitia. *Multos cõuertunt.* *Visio S. Felicis.* *Martyres laudant Deum.*

Huiusmodi itaque oratione completa, quidam frater cum literis adfuit, à sancto Ferreolo & Ferrutione directus, quos memoratus beatissimus antistes destinauerat ad Vesuntionensis ciuitatis ecclesiam, instituendi fundaminis constructione locandam. Quæ literæ huiusmodi scripti seriem continebant: Dominis pijssimis, in Christo fratribus, Felici, Fortunato & Achilleo, Ferreolus & Ferrutio in Domino salutem. Seculorum moderator, animarumque redemptor, confessorumque suorum vberrima largitate munerator, quædam mihi famulo suo arcanorum suorũ occulta dignatus est referantis visionis declaratione monstrare, quæ etiam festino desiderio studui ad sanctæ fraternitatis vestræ notitiam peruenire. Cùm ego transactis vigiliarum excubijs quieturi corpusculi membra, sopore paululùm reparanda laxâssem, vidi patefacta cæli pagina, angelicis manibus prætento Crucis vexillo, quinque coronas prolatas, auri splendore fulgentes, ac gemmarum coruscatione micantes: audiens etiam vocem, tam mirabili stupore terribilem, quàm ambiendæ inuitationis pollicitatione iucundam, ità dicentem: Irenæi discipuli, qui eius suscepistis prompta deuotione præceptum, percipite cælestis gloriæ regnum, mea remuneratione promissum. Credo itaque sanctissimi fratres, quòd huius visionis miraculum nos martyrij solicitet ad triumphum. Et quia fortior debet semper parari animus, vbi altioris decertationis superatur euentus, diuinæ opitulationis suffragio, nos mutuæ exhortationis munimine roboremus: quatenùs cùm ingruentis persecutionis tentamenta aduenerint, paratam valeamus habere ad suppliciorum cruciatus fidem, si volumus adeptę exultationis obtinere victoriã. Hìc rursùm beatus Felix, quę ei fuerant reuelata, quæque fratribus suis Fortunato & Achilleo fideli relatione patefecerat, Ferreolo & Ferrutioni scriptorum pagina declarauit. Tum verò viri, quos manifesta præmia accenderant, ad tanti triumphi insignia capessenda, iugiter psalmis hymnisque continuata modulatione replicatis, animos præparabant.

Irenæum dicit. *Literæ SS. Ferreoli & Ferrutiõis.* *Visio martyris.*

Igitur eo tempore Aurelij principis persecutionis furore sæuiente, Dux Cornelius Valentinam ingreditur ciuitatem. Vndè cùm vectandi gratia, potentiæ dilatatione sublimis, arrogantiæ tumore terribilis, populi copia circunseptus procederet, audit sanctum Felicem, Fortunatum & Achilleum assuetæ deprecationis inuocatione psallẽtes. Quorum voces audientes, pia tantæ dulcedinis oblectatione mulcebantur, vt angelicis choris concinentibus, intonare modulationo canoris clarissima organa crederentur. Locus verò Psalmi hic erat: Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi, psalmum dicat

Valentiam Gallię dicit. *Psal. 65.*

dicat nomini tuo altissime, alleluia. Cornelius hæc auditu denunciante cognoscens, tam stupore attonitus, quàm diræ mentis furore succensus, ait: Quisnam sonus aurium mearum secreta percussit? Nunquid post Seueri principis seueram laudabilemque Lugdunensium trucidationẽ, in his locis Christianitatis aliqua indicia remanserunt, quæ & sacrilegè numina despiciant, & audacter principum decreta contemnant? Cui præeuntes milites dixerunt: Sunt hic tres viri, sublimissimi seductores, qui tertiã ferè partem populi ad cultum Christi sua indesinenti allocutionis persuasione traxerunt, deorum quoquè nostrorum fana, antiqua operositate sublimia, & cæremoniarum nostrarum religione sanctissima, prophanæ authoritatis viribus subuerterũt. Tunc Cornelius diabolicæ vesaniæ æstuatione inflammatus, præcepit eos ardui claustris carceris mancipari. Qui etiam, cùm redeunti fuissent custodum officijs præsentati, dixit eis: Non reliquorum, qui se Christianæ religionis superstitione iactabãt, vos exempla deterrent, qui vt Deum colere præsumebant, quem constat Iudæorum stirpe progenitum, atque eorum iusto vrgente furore, verberibus flagellatum, patibulo affixum, mortis vltione damnatum, humana vel communi conditione sepultum? & adhuc reuerenda deorũ numina, prophana abusione despicitis, simul & inuictissimorum principum decreta contumaci proteruia contemnitis, ac populum, priscis templorum cæremonijs famulantem, noui erroris subuersione disperditis.

Mittuntur in custodiã sancti martyres.

Felix verò, authoritate susceptæ confessionis armatus, cõstanti fide & mente respondit: Nefandæ persuasionis sensus, dolenda perditione damnatos, ideò profundæ ignorantiæ error obtenebrat, quia cælestium mysteria non recipiunt arcanorum, nec eosdem vllius veritatis splendor illustrat. Reseranda est ergò potiùs contemplatio animarum fidei claritate, quàm corporum: & intelligendum, deos istos, quos tanto præconio & assertione falsitatis extollis, omninò deos non posse dici, quippe qui fabricati manuum vestrarum effigiatione noscantur. Dic mihi, quodnã valebunt precantibus medelæ adhibere præsidium, à quibus sumpsisse probantur exordium? Et cùm authores eorum, mortis assiduæ fragilitati succumbant, ipsi cuius deitatis æternitate subsistunt? Est enim Deus omnipotens præteritorum initiator, præsentium rector, futurorumque dispositor: qui humanum genus imaginis & similitudinis suæ procreatione plasmatũ, sibi præcepit famulari. Idcircò indignum est, vt creatura creaturæ seruientis proprium ignoret authorem. Quem si plena fidei mente receperis, numinum tuorum irridenda veneratione neglecta, facilè poteris æternæ vitæ præmia promereri, atque ad cælestis habitationis ineffabilium munerum beatitudinẽ peruenire. Ad hæc Cornelius pertinaci deliberatione persistens, ait: Salubrius nanque deberetis habere consilium, vt auri argentique talentis liberalitatis meæ perceptis largitate, salutis vos securitas vendicaret, quàm pro tanti sceleris facinore perpetrato, multiplicium suppliciorum pœna consumeret, & nec corpora vestra ad solitam vel communem perueniant sepulturam. Felix, Fortunatus & Achilleus dixerunt: Qui Christi potentiam abnegare proditione damnata perseuerant, æterni interitûs mancipatione peribunt. Nos verò nec crudelis pietatis tuæ pollicitatio oblata solicitat, nec pœnarum cruciatio interminata conturbat: quia Deus noster semper seruis suis præstat in congressione fidem, in decertatione virtutem, in consummatione victoriam. Gloriosius nanque est, æternæ beatitudinis vitam perpetuam obtinere, quàm diabolicæ persuasionis errori mortifera credulitate succumbere: quia quisquis recti cursûs gubernaculum derelinquit, meritò in scopulos naufragij illisus collabitur.

Constanter respondent Iudici.

Contemnũt terrentem æquè atque blandientẽ.

Tunc Cornelius virosa animi indignatione succensus, neruorum durissima flagellatione eos præcepit lictorum instantia verberari. Qui inter ipsa beata supplicia propheticæ lectionis instructione psallebant: Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in nos: nos autem exercebimur in mandatis tuis. Cornelius verò ait: Eccè dij nostri, quos adorare prophana resultatione contempsistis, vltricis in vos iræ suæ supplicia intendunt. Vbi iam est Christus vester, qui vos non aut virtutis suę præsidio adiuuat laborantes, aut potentiæ suæ munimine eripit liberatos? Sanctus Felix ità respondit: Si mentem tuam non letiferi erroris cæcitas obtineret, cerneres quòd nos, quos credis flagellorum tuorum dilaceratione sulcatos, nec impressi indicij vestigia designata commaculant. Cornelius præsentis virtutis admiratione confusus, ait: Quia vos tot flagellorum cruciatibus afflicti, dijs nostris inuictissimis non cessatis conuiciari, peritura corpora vestra teterrimi carceris claustra suscipient, postmodùm tractatûs mei deliberatione librante, seueriori vltione intentè trucidanda. Itaque beatis viris intra feroces

Cæduntur neruis immaniter. Psal. 118.

Nihil lęduntur flagellorum ictibus.

ces carceris tenebras constitutis, & solitæ modulationis exultatione reboante concinentibus, medio ferè noctis tempore angelus adfuit, exterritisque custodibus, munitæ obiectionis claustra perfringens, & multiplicium tenebrarum tetra obscuritate cōndensa ardentis luminis coruscatione dirumpens, ait eis: Ite nunc fideles confessores Dei, non terrenæ protectionis defensati scuto aut galea, sed diuinæ virtutis armati fiducia, templum vel numinum simulacra, perditionis arte effigiante composita, subuersa vel comminuta fide integra citò dispergite. Qui maturantes deuota mente cælestia complere præcepta, templorum obstacula reserantes, Iouis statuam, electri preciositate fulgentem, in puluerem arrepto fabrili malleo redegerunt: similiter Mercurij & Saturni. Angelus eis apparet in carcere.

His omnibus ità peractis, milites Christi iterùm compræhensi, & ante Cornelium adducti, illi dixerunt: Crede in Deum, qui probatur tantæ potentiæ habuisse virtutem, vt Lazarum, quatriduanæ sepulturæ iam fœtore torpentem, ad spiramen vitæ reuocârit, in mari quoquè siccis inambulârit vestigijs, quinque etiam millia mortalium quinq; tantùm panibus geminisq; piscibus immortalibus pastos opibus saturârit, sæuientium ventorum tempestates imperantis verbi tranquillitate firmârit. Hic nanq; meritò tantorum signorum miraculis adoratur, qui auriū meatus, crassitudinis damnatione obstructos, præcepti sui medela prisco reformauit auditu, cæcorum oculos inflictæ obdurationis nube conclusos, reseratæ nouæ lucis fruendis vsibus restituit, pedes debilitatis contractione sublatos, diuinæ auxiliationis misericordia reformauit, lepræ etiam squalore perfusos, computrescentis squamæ tabe detersa, iussit rediuiuæ carnis reparatione virescere. Hic nanque Deus dignè & diuinitatis suæ maiestate solus creditur, & cunctis cordis viribus diligitur, & insignium miraculorum testimonijs formidatur. Tunc Cornelius veritatis serie superatus, atque ob hoc magìs succensus, iussit eos reuinctis post tergum manibus, renibus cruribusq; confractis, circa vertiginem rotarum adstrictos, fumi quoquè amaritudine vel nube supposita, die ac nocte continuata eculei extensione suspendi. Quos etiam, vesana vrgente crudelitate, lictores increpabant, dicentes: Qui deos comminuere procaci temeritate pręsumunt, talibus debent supplicijs nefandam amittere vitam. Si tamen Christus ille hac deitate pollet, qua vos nominis sui magnitudinem iactatis, virtute eripiat, tormenta submoueat, vincula dirumpat. Iohan.11. Matth.14. Ibidem. Matth.8. Grauissimè sancti viri cruciantur.

Sequenti verò die Cornelius iussit eos à ligaminū nexibus, paululùm impertita absolutione, laxari: quibus ait: Sacrificate dijs, quos confringendo audaciter temerâstis: forsitan eorum indulgentiam obtinebitis, vt collato medicorum studio, ad incolumitatem pristinam peruenire possitis. At illi responderunt, dicentes: Si in dijs istis aliquid existere nosceretur, sibimetipsis protectionis necessariæ iuuamina præbuissent, vtì crederentur tunc posse subuenire aliorum supplicio, si ipsi sua potentia sese de proprio liberâssent. Satius itaque ducimus, æternæ vitæ præmia mercaturi, pro Dei nostri confessione succumbere, quàm perditionis vestræ cæremonijs deseruire. Tunc imminente iam gloriosioris certaminis victoria vel triumpho, iussit eos Cornelius gladij obtruncatione percelli. Qui à ministris iuxta præcepta extra ciuitatem educti, & tamen circunfusæ populorum multitudini prædicantes, in loco orationis, quem sibi condiderāt, & persecutorum fuerat infestatione crematus, consummati martyrij sunt præmiū consecuti: nocturnoque tempore Christianorum fide vel studio, digna sunt celebritate sepulti. Vbi diuinę remunerationis testimonio assiduè existere miracula comprobantur. Capite plectuntur. Miracula ad sepulcra eorum.

Illi fletuum nostrorum exoratione obtinente, dignentur nobis superno adminiculari suffragio, vrbem propriam protegere, indignos misericordiæ auxilio roborare, carceratis quoquè multiplicium delictorum vincula adstricta laxare, annuente Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, potentia & virtus cum patre & spiritu sancto in Trinitate perfecta, in secula seculorum, Amen.

VITA

VITA S. ADALBERTI, SECVNDI PRAGENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, AVTHORE QVIDEM ANONYMO, *sed monacho docto ac bonæ fidei, eiusque contemporaneo, & vt videtur, etiam familiari amico. Stylum aliquot locis modicè correxit F. Laur. Surius.*

23. Aprilis.



Ascitur purpureus flos Boëmicis terris: maior filius ex parentibus magnis: aureum pomum processit è nobilibus ramis: progreditur pulchra facie, sed pulchrior spiritu Voicechus puerulus, quod nomen si interpreteris, sonat exercitûs consolationem. Pater eius erat vir magnus & præpotens, substantia eius integra, possessio diffusa. Est ei mortalium felicitatum copia, sub ipso positorum hominum vnda, familia multa perstrepens, argento & auro plena domus. Cùm esset dominus terræ, fuit tamen mediocris homo: oratio rara, sed habitabat cum illo bona misericordia: neglecta castitas, & larga pauperum cura. Mater ex genere Sclauorum erat nobilissima, digna coniunx digno iuncta marito: marito videlicet, qui contingit reges linea sanguinis: quem longè latèque iura dantem hodiè tremit populus, adeoque Henrico regi accessit proximus nepos. Fœmina, aiunt, casta moribus, plena eleemosynis, fidem loquens operibus, nobilitati suæ pulchrum responsum dedit: sed discipula virtutis benè fit rea custos fratris. Nam dum seruet zelo castitatis, dum fit familiariùs famula orationis, dat viro occasionem peccandi, non cum vna, sed cum turba fœminarum. Bonus pater, sed melior mater, optimus, qui nascitur ex ipsis.

Voicechus, quē nos dicimus Adalbertum.

Eius pater.

Mater.

Intereà lacte plenus paruulus febricitans, mortem vicinam parentibus minatur, fletum mouet videntibus eius sidereos vultus. Pater lento gradu adit suum præ filijs charum filium, testatur crebris lachrymis, quantus viuat amor pueri in visceribus patris. Mors amara in foribus ecce occurrit, sed salus benè cogitantibus. Dixerunt ergo territi parentes prece tremula: Non nobis, Domine, non nobis viuat puer iste, sed clericus in Dei matris honorem portet iugum tuum pulchra ceruice. Sic dicunt, ponuntque sub altare Virginis, & recessit in ictu oculi vis doloris, infantulus ad se redit sospes in omnibus membris. Bona angelorum Imperatrix augusta, virgo perpetua, sic sic se inuocantium ad Deum portat hominum vota, dum negare nescit ex corde petentibus, dum de cælo fert opem ægris mortalibus: splendida stella maris, signâsti iam seruum virgo Maria tuum. Qui cùm intra plenilunium sensibilis pueritiæ venisset, rudesque linguę meatus ad loquelam extenderet, primis elementis imbuendus presbyterorum datur in manus. Tunc minister eius, qui infantilibus cunis familiariùs adhæsit, vt mos est humani ingenij, laborem fugiens, comparandis literis se comitem subtrahit. Itaque & ille arduum iter desperat, & semel atq; iterùm concita fuga ad dulces sese parentes recipit. Sed pater infrendens, diris ictibus & vitalibus plagis fugam correxit, & cum indignatione sequens, non ab re filiũ tradidit amarè salubribus scholis. Nam aperuit Deus puero aurem cordis, & interiecto mensis spatio, tanta gratia perfudit, vt exindè puer seniori, vsque ad vnguem philosophiæ, eius pappas morum & magister sensuum foret.

Votum parentum repentina salus pueri subsequitur.

Traditur literis.

Mirè proficit.

Decursis itaque rudis infantiæ balbutientibus annis, Voicechus Dauidico nectare potatus, paruoque melle dulce canentis Gregorij pastus, vt partem suam comedat, ad septem panes sapientiæ portatur: traditur, inquam, ingenuę Parthenopoli, Teutonum nouæ metropoli, liberalibus disciplinis instituendus. Quam vrbem rex maximus, primus trium Othonum Imperator Augustus, in magnum Archipræsulatum erexit, & vt hodiè cernere est, suo Mauritio in fluminis Albis pulchro litore pulcherrimã domum propè construxit. Vrbis episcopus tunc Adalbertus, ipse & primus: qui quem suo nomine Adalbertum vocauit, bonæ indolis puerulum Voicechum sancto chrismate liniuit. Hæc cùm facta essent, non nôrunt: sed posteaquàm finito scholæ duello domum redijt, recordata est mater pueri, quia * Brutijs episcopus gentium positus, cùm idem Adalbertus per regnum patris iter ageret, deductum filium cum vngendis pueris, vt eum tunc primò chrismate liniret.

Mittitur Magdeburgum.

Locus obscurus & mendosus.

for. Prussis

Igitur ad frontem scholæ hospes processit, ianuas timoris intrat, vbi plures epulas appo-

appositas cernere erat, quas prout cuique venæ in læuo pectore saliunt, amœna turba discipulorum auido ore carpebat. Scholis præerat tunc * Athericus quidam facundissimus, ætate illa quasi quidam Cicero, cuius illustris memoria vsque in præsens per omnem Saxoniam habetur. Quem, quantus foret, discipulorum facies inspecta siue lingua sonat, & per vicinas vrbes circunquaquè diffusa sophia ceu digito demonstrat. Apponuntur ad vnum pædagogus & herus, legere, sicut consuetudo erat, domi discere. & adest puero diuina gratia, currunt diuite vena ingenium, sensus & ratio. Hoc autem asserunt mirabile in eo: si fortè magister mouisset pedem, vt proprium est vagis puerorum animis, aliquandò pereunte ludo totum consumpserat diem: cumque de prælectione nec verbum saperet, & benè iratus magister flagellare inciperet: Dimitte me, inquit: legam: & dimissus, vt rem notam optimè legit. Dicunt etiam tribus linguis pro vna locutum, cùm scopæ tergum verrunt, & ferientia flagella dolentem carnem frangunt. Auditoribus enim vsus erat Latinè fari, nec ausus est quisquam eorum magistro lingua barbara loqui. Vndè admotis vrentibus virgis, primùm, Mi domine, garrit: iam cùm increscit dolor, qui legem non habet, eodem verbo nunc Saxo, nunc Sclauus misericordiam clamat.

Annos ter ternos in arena studij palæstram exercet ingenij: effodiens terra cordis obtusos sensus, contra ignorantiæ densam noctem prendidit scientiæ diem. Postquàm capella gregis magistrum tulit, schola dixit: Sàt prata biberunt: discipulorum diuisa manus certas sedes domosque reuisant. Repatriat nouo nomine Adalbertus, portans secum dulces sapientiæ liquores, dat charis parentibus visus filius gaudium magnum. Hoc toto tempore adeò lasciuus erat: vt homo, incubat terrenis delicijs, vacat puerilibus iocis, quærens cibum & potum, vt pecus, incuruat vultum, nescit rectus cernere cælum. Moritur intereà Boëmiæ prouinciæ episcopus, & si est, vt audiuimus, coram adstantibus desperata voce testatur, quòd ab nigris spiritibus immundis ad tartareũ chaos deportatur. Præsens erat tunc Adalbertus, vnus extrema videntiũ, & verba morientis aure audientium. Quem, vt ipse pòst Abbati in monasterio dixit, visionis illius magnus horror inuasit, & ad primam salutem direxit. Exindè emendare mores, frena ponere animis, desideria carnis igne diuini amoris excoquere cœpit. Conueniunt dux terræ & maior populus, & pro eligendo pastore varias sententias dicunt: omnes tamẽ ad vltimum manus leuant, aëra clamoribus implent, non haberi meliorem, nec alium oportere esse suum episcopum, quàm indigenam Adalbertum, cuius nobilitas, diuitiæ, alta scientia & placabiles mores cum tanto honore concordarent. Ergò in hæc verba leuatur terræ episcopus, mutata mente, pius Adalbertus. Hac ipsa die, vbi erat episcopium, audientibus multis locutum est dæmonium, cùm presbyteri imprecationibus vrgeretur, vt exiens de homine possesso, daret honorem Deo viuo: Quid molesti mihi estis? inquit, Væ satis est mihi: ampliùs hîc stare non possum, quia electus hodiè est populo terræ episcopus, quem valdè timeo, Christicola Adalbertus. Sic ait, & quasi citiùs dicto cessit dæmon impudens spiritui sancto, & vt flagello fugatus, exiuit homine sano. Cui rei homo, qui hora illa præsens erat, Vuillico quidam bonus & clericus sapiens, visibile testimonium asserebat, & nos legimus, cùm ad Abbatem nostrum hoc scripto filius mandauerat. Ipsum episcopus Adalbertus suæ ecclesiæ Præpositum habuit: pòst super cordis aridam flante spiritu sancto, nobilem monachum mons Cassinus recepit.

Redit in patriam.

Episcopi Pragensis horrenda mors.

Creatur Pragæ episcopus.

Igitur electus episcopus, auricomam Italiam petit: quem obsessæ Clusæ arctas vias egressum, prima ciuitas Verona suscepit, quæ in fauce regni pulchrè leuat caput. Ibi eum pastorali virga inuestiuit Otho secundus, qui tũ loco patris rapidis cruribus montem imperij scandit, sed non dextro omine, nec viuo maturæ've sapientiæ signo rempublicam rexit: & dum omne quod vult, regem oportere sequi, non benè putat, collectum orbẽ amisit, & quam patris terror peperit, pacem interfecit. Sensit Teutonum tellus mortuum nautam maris, sensit dormientem aurigam orbis, cum quo prospera Dei cucurrerunt, multa bona Christianę religioni accreuerũt. Migrans migrauit Otho pius, Otho rigidus, fluxa gubernare doctus: cuius aurea tempora nunc graui gemitu memorat, quandò pressa malis sancta Ecclesia, absque vlla requie hostes insurgere dolet, duorumque oblita Othonum, antiquũ nominat: Verè, inquiens, meus felix mundus erat, Otho dum sceptra gerebat. Ergò Archimandrita Moguntinus, grauis homo Vuilligisus Adalberto, cui Deus interiori gratia benedixit, venerabile caput oleo vnxit, & in præsentia Imperatoris ad sacerdotij altitudinem prouexit. Ea tempestate efrena

Otho 2. Imperator.

Vuilligisus Archiepisc. Mogũtinus consecrat S. Adalbertũ.

frena gens, Luitici pagani iugum Christianitatis deponunt, &, quo errore adhuc laborant, post deos alienos erecto collo cucurrerunt, & qui fugientes fugere nequiuerun, Christiani multi gladio ceciderunt. Tunc peccato Othonis multa mala surrexêre, maxima vbiquè & miserrima naufragia emersêre, respublica turpitudines passa, de solio descendit, Christiana religio lacera iram Dei sensit.

*Sclauis

Actum est bellum cum * Polonis: Dux eorum Miesico arte vicit, humiliatus Teutonum magnus animus terram lambit, Otho pugnax Marchio laceris vexillis terga vertit. Alio tempore, quem rex congregat, optimus populus, & qualem posteà videre nō contigit, valdè grandis exercitus, cùm esset melius pugnare zelo cum paganis, sine reuerentia fraternæ Christianitatis congrediuntur cum Carolinis Francis. Expectare non audent, qui in viribus regni iratum Imperatorem sciunt: non durantes, cedunt hostes ad virorum fortium impetum fortissimum. Sed dum vino ventrique collum flectunt, regnante Othonis infortunio, victores in turpem fugam desinunt. Vltimum & lachrymabile bellum confecit cum nudis Saracenis: quorum dum vltra incredibilem modū numerus excreuit, cæde cadauerum lassa dextera defecit, & bellantium heroū virtus fracta succubuit. Stratus ferro occubuit flos patriæ purpureus, decor flauæ Germaniæ plurimus, dilectus Augusto Cæsari: qui tum stupentibus oculis nefas horret. tandèm pudet, quia mulierem audiuit: tandèm serò pœnitet, quia infantilia consilia secutus, sententias maiorum proiecit. Quis putas color? quę've facies talia cernenti erat? Quæ tibi, quæ magnanime iuuenis illa dies erat, quandò in potestatem Saracenorum populum Dei traditum vidisti, & sub pedibus paganorum, Christianum decus laceratum adspexisti? Verè, vt quidam spiritu canens Domino ait, Cùm sis iustus, iustè omnia disponis: eum quoquè, qui non debet puniri, rectè condemnas. Quòd si augendæ Christianitatis gratia, non terræ causa, cecidissent tanti boni, cùm aliter nequeat homo natus ad laborem, nisi mori debeat, adeò sæuum vulnus doloris mater Ecclesia pro nihilo putaret. Sed væ nostro miserabili æuo: nemo rex studium adhibet, vt conuertat paganum: quasi Deus de cælo iubeat, diligunt honorem suum, ô Christe, non lucrum tuum. Post sanctum Imperatorem Constantinum, post optimum Carolum, exemplar religionis, vt conuerterent paganos ad Christum, nomen regale coram Deo & hominibus pauci acceperunt: & est eheu, pro peccatis qui persequatur Christianum, & nullus propè dominus rerum, qui Ecclesiam intrare compellat paganum. Ergò rex puer, cernens charos ablatos, optimates occisos, nescius quò se vertat, irato Deo, in maximam filiam criminum desperationem impegit, illud post miseriam sequens, quod Poëtarum quidam, iacens in marmoreis hortis, cantat:

Cæduntur Christiani à Saracenis.

Sap. 12.

Vna salus victis, nullam sperare salutem:

Virgil. 1. Æneid.

emisso equo, dedit se in mare. Nat sonipes: vbi lassus cessat, ipse rex nandi peritus, super vndas diù natat, donec obuia nauis Græcorum fessum leuat, & extra spem charæ coniugi & superstiti populo incolumem reddit. Erat, vt accepimus, viuida virtus in eo, feruida & effrena iuuentus, manus prompta bello, sed rara vnquàm cum consilio. Multa bona fecit, sed ætas lubrica errare fecit, & plura præcipitatione peccauit. Propè semper perdidit dies suos: vbì prælium cœpit, extra Teutonum consuetudinem pugnantibus eis, secutum est omne infortunium: cuius efficiens causa est, contra Dominum regis tacita offensa.

Ecclesiæ prouentus vt S. Adalbertus distribuerit.

Retrò sumit iter sanctus episcopus Adalbertus: venit episcopij in partes. partitus, quatuor diuisiones fecit, vnam clerus, alteram agmen pauperum vsibus suis sumpsêre: tertiam mater Ecclesia pro captiuorum redemptione & sua restauratione possedit: quartam ipse cum cohærentibus sibi ad necessarios sumptus recepit. Cernere erat aliū hominem: ô qualem, ô quantùm mutatum ab illo, qui paulò antè post pulchra temporalia equorum cursu cucurrit, aut tota mente in terrenis actibus iacebat, vel in desiderijs errare sine magistro doctus erat. Redijt ad se, recognouit quamobrèm Deus hominem fecerit, mutauit honorem, correxit pedem, diuina concupiscens & sola cælestia suspirans. Delicias ægrè fert, diuitias non vult, aurum ducit pro nihilo, argentum pro luto, & quæcunque humana vanitas vsque ad mortem amplectitur & amat, alta mente despexit. Horum verò quicquid est, in pauperum vsus & ornamenta ecclesiæ, vt dixi, & ad sola vtilia conuertere cura erat. Noluit regnum dare diuitijs: intelligit se illarū non seruum, sed dominum esse. Seculum & eius pompam, quam clericus tota mente quærebat, episcopus tota mente fugere cœpit: vna cogitatio, vnum studium erat nihil concupiscere, nihil quærere præter Christum. Inter hæc, ô Domine, quàm bonus & suauis spiri-

Sap. 12.

ſpiritus tuus in omnibus. Vtiquè non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, Rom.9.
cuius nunc ſpiritu compunctus, laborare cœpit epiſcopus Voicechus: in digito Dei facere & docere epiſcopalia potuit. Quid non poteſt omnipotens, cùm vult, cùm meliora cogitat Deus? qui vult neminem perire, immò ſuorum neminem patitur perire, pura bonitas, ſana ęternitas, vna veritas, ſola dulcedo, tota pulchritudo, ſecreta ſalus & beata præſentia, pulchra charitas & chara æternitas, & chara miſericordia Deus. Quem loqui, quàm ſuaue? ſedulò meditari, ó quàm delectabile, felix & inſatiabile: cuius lucis abſentes radios nos verè miſeri, nos viuæ gloriæ exules, nos mortui & cęci patiēter ſuſtinemus, vtiquè, quia quàm ſuaue & incomparabile bonū perdidimus, ad maiorem cumulum miſeriæ meritò ignoramus. Auribus noſtris audiuimus, quàm mirabilis ſis in operibus tuis, ó maxime Domine, ó dulcedo, vita & panis angelorum: agnouimus te in miſericordijs tuis, cuius riſus & ſacer ludus eſſe ſolet, vna horą vertere impium, & facere ſanctum, ſicut eſt: Reſpexit Dominus Petrum, ex publicano quoquè dedit Apoſtolum, & ex lupo fecit optimum Paulum. Ità cuncta Dei valdè bona, miſericordia & redemptio ſalutaris Dei. Luc.22. Matth.9. Actor.9.

In cuius nunc virtute veteres pennas proiecit, & nouos mores aſſumpſit cælicola Adalbertus: cui tum acerrimis ieiunijs longos ſoles ducere, macris vigilijs incentiua carnis domare, continuis genuflexionibus veniam peccatorum impetrare, perdiù & pernox cura erat. Quomodò ſacra lectio in cordis palato ſapiat, quantum Pſalmorum nobile carmen in oculis Dei valeat, hoc aut ipſe, aut nemo probauit. Sentiens ſenſit Dominum propitium, & cuius oratio dat ſpiritum ſanctum, intimè guſtat dulcem Saluatorem. Quantùm ad exteriorem hominem, diſtrictiorem & auſteriorem viuendi rationem nunc in epiſcopatu, quàm priùs in monaſterio habuit. Refugit non ſolùm quod ſuaue eſt, ſed ipſa etiam naturæ neceſſaria negauit, incurrens in illud beatæ memoriæ verbum: Exercitia ſancti Epiſcopi.

O nimiùm felix, cui parcus ſufficit vſus.

Contra noxias voluptates & labia inſurgentium vitiorum, omni arte, omni ſtudio virtutum occurrit, donèc deſideriorum ſpinas euelleret, terrenaſque delectationes vinceret: multa paſſus, proficuum ingentemque conſumpſit ſudorem. Mirantur feruorem eius omnes, qui eum antè nouerāt: & qui prope latus vadunt, amatores carnales rigidū vitæ genus odio habent: ità fame & ſiti non ſine cauſa laborat, frigore nimio, vigilijs & hirſuta veſte ſine miſericordia corpus affligit. Deſiderium quippe eius in Deo erat, & poſtpoſitis cogitationibus malarum curarum, quas amor vanitatis habet, animā ſemper in manibus habuit, nullum volens habere inimicum, niſi inimicum. Debellat eius apertas, & cauet eius occultas inſidias: cui vtiquè tot colaphos dedit, quot opera bona fecit. Calcat mundum ſub pedibus, ſubijcit libero animo terræ felicitates, habens ſpem in cælo, nec ſenſit tranſitorios labores: ſemper deorsùm fugiens, quò trahit caro: omni anniſu feſtinans ſursùm, quò ſpiritus vocat. Benè vixit, benè docuit: ab eo, quod ore dixit, nunquàm opere receſſit. Populus autem duræ ceruicis, ſeruus libidinū factus, miſcebatur cum cognatis, & ſine lege cum vxoribus multis. Mancipia Chriſtiana perfidis Iudæis vendebant, dies feſtos confuſa religione obſeruabant: dies verò ieiuniorum voluptatibus vacantes, omninò non curant. Ipſi Clerici palàm vxores ducunt, contradicentem epiſcopum odio iniquo oderunt, & ſub quorum tutela quiq; fuerunt, contra ipſum maiores terræ concitauerunt. Erat autem labor plurimus, contradictio creſcens: & cùm emergentia mala emendare non poſſet, vbi piſcatio ſua nihil cepit, ſanctus epiſcopus locum dare neceſſarium duxit. Diabolum dicit inimicum. Boëmorum effrenis libido, polygamia & perditi mores.

Itaque ad ſanctam ciuitatem, vbi memoriale ſanctum, vbi ſepulcrum Domini eſt, pedeſter venire affectans, matrem martyrum, Apoſtolorum domicilium, aureā Romam intrauit. Ibi tum pulchrum lutum, Græca Imperatrix Auguſta, quæ iam longos dies fleuit, ſepulti coniugis memoriam reparat, dulcem Othonem eleemoſynis & orationibus cælo commendat. Non enim diù ſuperuixit Otho Cæſar, poſtquàm reipublicæ talem errorem genuit, & Chriſtianorum tot mortibus, paganorum animos ſatiauit. Mira res. In tantis aduerſis illum circunfluentibus non reſipiſcit: quid contrarium miniſtro ęterni Imperatoris egerit, quid pio Laurentio peccauerit, non recognoſcit. Epiſcopatum, quem pater in ſacrum honorem precioſiſſimo martyri erexit, ambitione ſuorū in peccatum ductus, filius deſtruxit: non faciens ordinem, quaſi qui aquam in mare fundit, epiſcopatum deiecit, vt plenum delicijs archiepiſcopatum ditaret. Tulit epiſcopum optimo Laurentio, poſuit Parthenopoli archipræſulem noſtro Mauritio. Factum eſt Othonis 2. coniugem dicit. Othonis 2. temeritas.

 con-

contra ius in Ecclesia Dei, donèc adueniens nouus rex & religiosissimus, veterem errorem correxit. Post tres Othones Henricus Christianissimus eccè venit. Propter hoc peccatum, velut patet, pugnante Laurentio, victoriã Otho perdidit, diebus suis omnẽ confusionem recepit. Auertente faciem Deo, quæ sit virtus tua, ô homo, specta nunc in homine vno. Quid prodest bellicus ardor? Quid valet virtus sine suo loco? Agè, fac

Prouer. 21. cuncta cum consilio. Quorsùm venis sapiens inuito Deo? sicut scriptum est: Non est consilium, non est ratio contra Deum. Quapropter audiamus bonum consilium, quo

Psal. 54. Psal. 36. dicitur: Omnes curas & cogitatum tuum iacta in Dominum, & ipse te enutriet: spera in Domino, & ipse faciet. Inspiciamus magnæ indolis virum, ex multo merito Imperatorem Augustum. Eccè dum peccat, flagellatur, & non emendat: plenus aduersis, media vita moritur, iacet nunc inglorius: ô vtinàm & non reprobus, pulchræ virtutis alumnus.

Priùs verò, quàm moreretur, vt ad pœnitentiam hominem stimularet, sicut est solus semper clemens Deus, talem visionem cuidam sapienti ostendit: quam vt auditam re-

Visiõ cuiusdã de Othone 2. colimus, infrà annotare non absurdum putamus. Nocte intempesta, quandò altus sopor solet occupare homines, vidit ipsum, de quo agimus, regem Othonem aureo solio sedentem, sub pedibus eius argenteum scabellum, episcoporum & adstantium procorum circa ipsum prospexit seriem longam. Intrauit autem decora facie instàr ignis iuuenis, quem niuea vestis vestiuit, & purpurea stola in pectore cinxit. Nec stat: via vadit, argenteum scabellum de pedibus Cæsaris cum indignatione subtrahit, & auerso vultu ianuam petit. Quod ægrè ferens, post illum cucurrit, tale somniũ cernere qui meruit. Quæso, inquit, domine mi, dedecus nè facias, suppedaneũ reddas: quisquis es, qui tanta audes, obsecro, regem coram populo nè confundas. Hæc magna potentis Laurentij aurea persona erat, sicut illi episcopo pòst agnoscere Deus cõcesserat. Immò, inquit, si meum dedecus non emendat, maiora faciam: subtracto scabello, ipso solio deponã. Huius visionis terrores minasque exitiales cùm cognouisset rex puer, facinus non cor-

Iussit, pro, permisit. rexit, siue amor hominis suasit, siue ira Dei ità iussit. Huic in paruo corpore melior virtus, magnus amor & fides suis: larga manus sine querela cunctis, sapientia maior annis: pia humanitas erga Dei seruos, confessio & oratio bona regnum tenuerunt: sed hæc pecunia de statuendis episcopis, vt est humanum peccare, in plurimis periculosè exercuit iocum iuuentutis, cùm esset in pulchro vsu super doctrina librorũ: sola infelicitas bellorum victoriã tulit. In medio cursu, cùm dulcissima vita & gratissima lux iuuenibus hæc est, non adiuuat honor regis, fit victima mortis, puluis in puluerem redit: videte, quantum gloriæ Cæsar relinquit. Sed peccatum, quod viuens neglexit, mortuo marito

Legati nostri ad Deũ, eleemosynę & preces. emendare vxor superstes instabat: legatos mittit, eleemosynas & orationes multorũ, per quos propitium redemptorem appellaret, vt peccatorem regem ab incendio liberaret. Hæc tum, vbi sanctum virum adesse cognouit Adalbertum, nominatissimum episcopum, & Hierosolymam properare audiuit, clàm ad se vocat, oransque, vt pro anima senioris rogaret, massam argenteam obtulit ingentem. Vbi accepit vir Dei onus argenti, suo itineri aut necessitati parùm prouidens, omnia sequenti nocte pauperibus expendit.

Nec mora, magnam Romam egressus, ad sanctam ciuitatem Ierusalem præter spem imperfectum iter suscepit. Nam ea via ductus, ad montem Cassinum vsq; peruenit, vbi B. Benedictus charam sedem postremò posuit, & multos filios Christo generans, pul-

Hæc nõ dicunt in repræhensionem sanctorũ peregrinationum, sed vt eũ ad perfectiora prouocent. Epist. 13. ad Paulinum. chram militiam pulcherrimè finiuit. Ibi Abbatis & fratrum pijs monitis castigatus, nè inutili vagatione vitam expenderet, sed loco staret: ità meliùs virtutũ fructus congregaret: Deum verò propitiũ, benè viuens, in omni loco inueniret, vt dicitur in Psalmo: In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. & rursùm S. Hieronymĩ sententia bona: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandũ est. Animaduertit diuinum animal, habens oculos antè & retrò, ità esse, vt dicunt: nec stetit in suis distinctionibus, dans locum salubribus consilijs. Legerat enim hoc periculosum esse homini, si non maiorum spiritalium acquiesceret consilijs. Nec mora, montẽ festinus descendit, & quem in philosophia Christi perfectiorem discipulum inuenit, patrem Nilum calida spe accensus petijt: sub quo paruulus factus, iugum Christi ferre, & obedientiæ aureas literas parare satagebat, amplexusque genua senis, in hoc firmus hærebat. Non negat pater Nilus: Ast, inquit, homo ego sum Græcus: meliùs conueniunt, cum quibus hæc agas, monachi Latini. Redeas Romam, nutricem sanctorum filiorum: quære nobilem Abbatem, amicum nostrum Leonem: dic me misisse te rudem

dem discipulum ad talem magistrum. hoc duce itineris, prælia Dei securus accede. Sub hoc patrono contra aduersantia cuncta animę ad Deum progrediens, saluus enatabis: & maiori flamma, qui nunc in te ardet, accensus excrescet quotidiè in te Deus tuus & Dei focus.

Fecit, vt homo Dei bonus dixit: ad S. Bonifacium monachalem vestem accepit, sub Abbate regula duce militauit, pedē iunxit obedientiæ imperio, & tanquàm ad epulas, ità ad complenda iussa festinus: & si quis quid præcepit, adeò lætus, quo plùs vile erat, seruitium omne libens facit, cuncta humilia diligenti studio in se format, vt ad Dei similitudinem promptus scandat. Obliuiscitur seipsum, factus paruulus in medio fratrum. Coquinas purgat, hebdomadas nitidissimè procurat, scutellas lauat, & ad cocorum necessaria cuncta cursu peruolat, manibus fratrum aquam de puteo ministrat, manè ad claustra, vespere & meridie ad mensam aquas humero apportat. Vt enim vesperè, manè & meridie integræ congregationi seruiret, talem obedientiam de Abbate rogans accepit. Cogitationem tacitam in se regnare nunquàm permisit: quicquid accedens ad animum diabolus dixit, statìm senioribus palàm fecit. Acutissimè autem interrogauit de scripturis sanctis, sedulò percunctatus de vitiorum vel virtutum naturis. Sed ad hæc, quod antè nesciuit, quærenti illi rectè Abbas respondit, vt ipse non semèl ad nos dixit. Vndè luce clariùs constat, quia inspiratio Dei erat, & gratia discipuli hæc erat. Iacit in domo animæ suæ fundamenta profundæ humilitatis, quatuor virtutes instàr crucis expressas, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, angulares lapides erexit: ex quibus durabiles parietes viuo saxo construxit, quos cauo ferro obedientiæ explanauit, albo limo inuictæ patientiæ muniuit. Dehinc ijs, quæ duplo calamo texit, diuæ charitatis aurea tecta suprapofuit. Templum Domini se fecit, regale cubile filio regis intra se præparauit. Orationum lectionumque studijs eo licentiùs incubuit, quo negocia præpedientis seculi nulla ad aurem veniebant, nullæ curæ vel pericula regendarum animarū vexabant. Ex eius ore nunquàm contentio, nunquàm amara profecta est murmuratio: & cùm Abbas vehementissimè eum increparet, occurrit benigna patientia, & semper flexa humiliatio. Erat lætus ad omne iniunctum opus, non solùm maioribus, sed etiam minoribus obedire paratus: quæ est prima via virtutis ad summa tendentibus cælicolis viris. Quinquennio pleno miles Christi in monasterio erat, dulcedine morum cunctis placens, altitudine virtutum longè antecellens. Si cui fortè venit inuidia suæ sanctitatis, hunc humilitate citò placabat. Proficiebat de die in diem, de virtute in virtutem processit: in hospitio suo hospes Christus, tanquàm in gradibus eburneis rex coronatus, procedens processit, & vsque ad perfectum diem crescere fecit.

Monasticū induit habitum, & viuit sanctissimè.

Hìc habes Authoris huius ætatem & fidē.

Posteà populus terræ episcopum suum reuocat, sancti viri pappatem, radium sapientem, & qui fratre charior domino terræ fuit, Christianum monachum, virū eloquentem in hoc opus eligunt. Hi duo cum literis metropolitani Romam veniunt, de reditu pastoris Papam appellant, populo pœnitenti matrem suam requirunt. Promittunt ex ore populi errata corrigere, quæ deliquerunt soluere, desinere à malis, studium dare bonis. Abscessus sancti viri contrarius erat domino Papæ, talem margaritam à suo corpore auellere durum erat magnæ Romæ: sed facta synodo, ratio obtinuit: quia gens sua plenam satisfactionem pollicens vocat, dimissum gregem contra voluntatem repetat. Amborum, Papæ & Abbatis, imperio parens, fracto suo libitu, flens episcopus ad episcopatum rediit: pro cuius regimine virgam, pro pignore annulum, dante Apostolico, accepit. Dominica die veniens venit domum ad vnam ciuitatem, vbi ipsa die mercatus erat magnus. Quæ visio non parum adduxit tristitiæ sancto viro. Ad eos verò, qui se reduxerant, improperando sic ait: Eccè vestra promissio bona: pœnitentes vestri nec feriantur hac die sacra.

Repetitur à Boëmis.

Redit ad Episcopatum.

Stetit tamen in episcopio suo, pascens macrum populū diuino pabulo, & si vellent, potans salutari poculo. Primùm nouo aduentu pastorem verentur: quasi viui fideles matrem ecclesiam petunt, & parùm repressa mala consuetudine, quasi cum Christianis actibus Christum adorant. Verùm noua religio citò deorsùm venit, antiqua consuetudo superiorem manum tenuit: spreto Deo, carnalem populum caro traxit: delectata iniquitas, desideriorum vias currere præcepit. Voluptas pro lege erat: cui seruire, regnare est, vnum Dominum nolunt, ad ignominiam suam, vt multis dominis seruitia agant: nectunt sibi funes peccatorum, quibus trahi valeant in æternum exitium: quia discere nolunt, vbi sit sapientia, vbi sit vita, lumen oculorum & pax.

Boëmi citò redeunt ad ingenium.

Baruch 3.

Accidit, vt solet humanis erroribus, vt quædam matrona, ingenitam nobilitatẽ oblita, scortum se faceret, & palàm facto peccato, maritus vitam mulieris quæreret. Ipsa verò ad episcopum concita ala pedum confugit: quam ille in oratorio S. Georgij retro altare abscondit, vt satisfactionem suaderet, & vitam seruaret. Eccè adest ex improuisò armata manus, & si non redderet mœcham, ambobus & episcopo & fœminę minantur gladium. Audiuit sonitum armorum, & minas verberum procaces audiuit Episcopus lætus, & si forte martyrium semper optatum, nunc miserante Deo inueniat, tacita cogitatione ruminat, dubio gladio exultat. Ah mala mens & peior vox: index venit, secretum prodidit, vbi lateret mulier, digito monstrauit. Quid prodest refugium ad sancta sanctorum? Quis curat, regnante barbarismo, fas Christianum? Frangunt templum, mulierem tremulam prensis eductam crinibus capite truncant. Crescunt culpę, vetera scelera non cadunt, noua quotidiè crescunt. Quicquid boni promiserunt, mentitos esse voce operum dicunt. Vndè cogitans Episcopus, quòd nec illis, nec sibi cassus labor prodesset, animæ verò suæ talis statio obesset, pappati suo ait: Scias certum: aut vbi ego sum, venias, aut ampliùs me nunquàm videbis. Interìm tamen ipsi erat labor magnus non prætermittere, quo minùs admoneret clerum & populum, secundùm quod ætas, discretio gradûs, & qualitas criminis postulauit. Nec dabat somnum oculis, qua arte, qua virtute compescere posset nascentes errores, inquirens. Non tacendum, quòd iuxtà positis Hungaris nunc nuncios suos misit, nunc seipsum obtulit: quibus & ab errore parùm mutatis, vmbram Christianitatis impressit.

Vis infertur tẽplo à feris hominibus.

Hungaros docet.

Ergò diuinus heros ascendit equos, dulcem Romam reuisit, & quasi post pericula maris, quassa nauis occupat optatum portum. Sic secretos monasterij sinus, charam requiem intrat: amplexus pulchram Rachel, obliuiscitur laboriosam Liam: vtitur sacris delicijs, esurientis animæ pulchros pandit rictus, orationum lectionumque perfruitur felicibus ferculis. Vsus verò illi maximus erat, colloquia quærere spiritualium & seniorum, qui porrò illic pro charitate Abbatis plures confluxerunt: Græci, inquam, optimi venerunt, Latini similes militârunt. Superioribus quatuor pius Basilius, inferioribus quatuor magnus Benedictus dux siue rex erat. Inter quos medius incedens, Deum sitiens Adalbertus, verba vitæ sumit & glutit, raptus in altum, cum fratribus dulciùs contemplatur Deum. O quotiès obortis lachrymis memini dicentem, cùm causa ædificationis accessissem Iohannem Abbatem: Vbi sunt, inquit, margaritæ meæ? Vbi sunt dulces cibi animæ meæ? Cùm conuenerunt sancti viri, pluebant ibi sermones Dei, accensæ sententiæ mutuò cursant, arsit ignis super terram cordis, testatur præsentem Deum vnda compunctionis. Hoc Gregorius Abbas, hoc erat Nilus pater, hoc Iohannes bonus & infirmus, hoc simplex Stratus & super terram angelus vnus, hoc ex ratione maioribus Dei sapiens Iohannes, hoc similis Theodorus, hoc Iohannes innocens, hoc simplex Leo, psalmorum amicus & semper prædicare paratus. Ad hæc quanuis soleant signa & prodigia ostendere, non facere, sanctum, animum pijs moribus coluit, ità quòd, ex parte vt & nos cognouimus, Adalbertus signorum operator adhuc in vita claruit. E quibus est illud scilicet, dum fratribus seruiret, & offenso crure supra durum marmor satis validè cecidisset, quia vinum nescio an aquam portauit, testudinem cum eo, quod intùs erat, illæsam seruauit. Audiêrunt ex mensa fratres clarum sonum: quod nemo dubitauit fractum, mirantur omnes vas sanum. Solebat priùs obedientiam facienti multotiès fragile vas frangi, & cùm pro peccato negligentiæ veniam peteret, angelus superbiæ, humilitatem eius ægrè ferens, vt pro nimia frequentia verecundiam ingereret, mala voluntate testudinem frangere adiuuit: sed quia non cessauit obedientia, nec generauit fastidium maior tristitia, seruo suo Deus solatium dedit in graui ruina, & tunc illæsa testudo apparuit, & posteà, puto, nunquàm aliam fregit.

Redit Romã ad monasterium suum.

Octo insignes Abbates.

Eius miracula.

Testudinẽ, pro vase testaceo.

Dicunt etiam laborantem oculis filiam, nescio cuius, cùm manum imponeret, oratione sanâsse. Alteri quoquè, cùm monasterium causa orandi pro medela infirmitatis intraret, quem tribus annis sumere non potuit, sanctus panem pro benedictione obtulit: & primùm insueto hoc cibo hæsit, sed qui aderant, quod vir Dei benedixit, manducare cùm suasissent, sumpta fidutia parùm gustauit, & ex illo die quem omnes poscunt, qui viuere volunt, sine inuidia panem manducare cœpit. Hunc Episcopum, quo dignũ non fuit seculum nostrum, cùm sine baculo iter agens Rauennam veniret, cur sine virga pastorali vir tantus incederet, optimè cautus Dei seruus Durans interrogauit. Respondens verbum memorabile ille homo, qui verè potuit loqui; Viuit Deus, inquit,

quit, in cuius conſpectu ſto: facile eſt geſtare pedum, ſed difficile reddere rationem, cùm venerit ad iudicium, qui non errat, diſtrictus iudex viuorum & mortuorum, ſiue in vitam, ſiue in ignem æternum mittendorum. Hunc aliquandò ſanctimonialis fœmina, quæ tempore adoleſcentiæ ſat cognouerat ſanctum epiſcopum, credo Parthenopoli vidit, cuius ſchola ad gloriam Dei talem nutriuit alumnum: & admirans cur, quę dat licentior ætas, à ioco & riſum mouentibus verbis adeò epiſcopus iuuenis abſtineret, ait ſancto viro diuerſæ mentis fœmina: Alium Adalbertum video. Cur qui quondàm eras homo pulcherrimè lętus, nunc ſeuerus es & inſtàr Catonis cuiuſdam rigidus? Nónne cùm magiſter ſcholarum ſapientiam docturus venit ad noſtrum cœnobium, nobiſcum ludendo duxeras totum diem lætum? At ille grauiter ſuſpirans, proiecit verbum cordis: Verè ſcias domina, quia quicquid eiuſmodi feci vobiſcum iocando, alto & acerbo vulnere nunc afficit animum meum. Eius dictũ memorabile.

Aſtericus eius clericus, contra ſanctum virum arguendo, increpando, cùm multa inutilia furibundo animo loqueretur, vltra limitem rationis proterua contentione progreſſus, quaſi quem ampliùs videre nollet, magna cum amaritudine reliquit. Arrepto autem itinere, tota die ipſe, cum ſocio homine ſuo equitans, errare cœpit, vt cùm viam, haud aliter atquè manum ſuam ſibi notam, inuenire nõ poſſet, ex pœna cognoſceret, quàm graue peccatũ cum epiſcopo contendendo perpetrâſſet. Porrò ad veſperam caſſo labore reuerſus in vrbem, quòd ira dictante ex humana infirmitate deliquiſſet, pœnitere coram Deo toto corde cœpit. Similiter vidua quædã occurrens equitanti, cùm nudæ penuriæ aliquam conſolationem quæreret: Mecum hîc nihil habeo, inquit: cras veni ad ciuitatem, ſumens à me, tuæ neceſſitati quæ dare valeo, cum charitate. Cumque dimiſſa muliere, cœpto itineri inſiſteret, meliore tactus cogitatione, Voca mulierem, epiſcopus dixit. Quis ſcit, ſi vſque manè viuam? Hodiè compleat acceptio datum, nè ego iudicium, illa ſentiat damnum. Et data cappa, qua amictus erat, reliquit exemplum bonum: vt opus non tardet, neſcientibus quid futura pariat dies. Procax clericus caſtigãtur à Deo

Intereà in purpura natus Otho rex tertius, cauſa ſcandendi culmen imperij, vt mos eſt à Magno Carolo regum Francorum, multo comitatu Romam intrauit, optatum diù caput Latinæ terræ: oſtendit ſe, quaſi poſt Deum altera iuſtitia veniat, iniqui omnes tremunt, boni magno gaudio gaudent. Fecit, propter quod venit: quem ipſe in ſacellum ſuum tractum poſuit Papa Gregorius Cæſarem, benedixitque, & populus Kyrie eleyſon celſa voce cantauit. Aſcendit ille vnctus cum corona imperij Imperator Auguſtus, gerens ſidereos vultus, & bonæ voluntatis plena præcordia ferens. Poſt hęc facta eſt Synodus, & zelo iuris ductus Mogũtinus Archiepiſcopus, antiquam cantilenam cantat, & epiſcopum ſanctum à quiete monaſterij ad relictos greges reuocare inſtituit. Aſſentit Papa Gregorius, & ſemèl ſuſceptum gregem non poſſe impunè eum dimittere, ſcripturæ ſententijs aſſeuerat: velit nolit vir Dei, eat, inquiunt ſedentes epiſcopi: aliter vinculis nectatur anathematis. At ille ſecretum petens, ad Papam ait: Hoſtis quieti meæ inuidet, qui vos ſuo ſtimulo inſtigat, vt eò me redire compellatis, vbi animarũ fructum non faciam, detrimenta animæ meæ immania capiam. Mitiga ærumnam meam, defectui meo remedũ appone, triſti receſſui meo da vel vnũ ſolatium. Si audiunt oues meæ quàm clamo vocẽ, viuens morior cum eis: ſin minùs, pietas tua mihi ſuccurrat, vt verba vitę eis ſpernentibus, cum licentia tua vadam ad exteras & incultas gentes, quę neſciunt nomen Domini. Acquieuit libens voluntati hominis Dei Papa Gregorius, vt erat ſatìs bonus, quantùm permiſit vaga iuuentus. Relinquit S. Adalbertus monaſterium non ſine magno planctu ſuo & fratrum, moleſtè ferẽs ruptam quietem, ſed habens de illo martyrio ſpem viuam, cuius in ſuo pectore ardebat longum deſiderium. Homo Dei, nè timeas hominis cauſa: vade ſecurus: ſtella maris tuum iter anteibit, & dux bonorum Petrus fideliſſimus comes cohærebit. Otho 3. Imperator. Romæ vngitur à Pontifice Gregorio v.

Igitur cum puero Imperatore Alpium nubila tranans, cauſa orationis Turones pedibus petit, vbi corpore iacens beneficia præſtat, qui nullo loco ſe rogãtibus negat, baculus pauperum, dulciſſima mater peccatorũ benignus Martinus, & larga manu dare paratus. Pariſios quoquè pedes venit, vbi ſanctus & precioſiſſimus martyr Areopagita Dionyſius, fuſo ſanguine, corpore requieſcit: qui Athenis Philoſophiæ ſtuduit, vbi quem Paulus prædicabat, ignoto Deo ara poſita erat: qui etiam Gallis euangelizandi reſponſa accepit, quandò optimus Clemens Petri ſedem tertius ſedit, & dum paganis Chriſtum ingereret, pulcherrimo martyrio vitam finiuit. Cuius hoc inter cætera eſt glorioſum & mirabile, quia poſt necem religioſus truncus proprium caput manibus S. Adalbertus inuiſit Turones, ꝓpter S. Martinum. Act. 17.

portauit, & sequens multitudo angelorum, laudes Deo cecinerunt. Populo cæli semper gaudium est de triumpho terræ. Vndè & nunc exultans iubilat de charissimo Dionysio, &c, Gloria tibi Domine in excelsis, resultat. Ad quem misericordiæ largum si quis peccator confugerit, nunquàm sine misericordia recedit. Hinc caput inclinans, ad

Floriacense cœnobium.

Floriacum, monachorum ingens cœnobium, auido cursu volat: vbi corpore iacet & miraculis fulget magister mundo morientium, & tota mente cælestia quærentium, re scilicet ac nomine Benedictus, vino & oleo infirmorum medicus egregius, sub vmbra alarum pullorum Dei toto orbe inclyta mater. Nec dimisit, vbi corpus discipuli quieuit, vbi & primus monachorum gregem rexit Abbas Maurus, signo sanctitatis & miraculorum dulcedine magistro simillimus. Horum sacra domicilia, & si qua occurrunt similia, quem desiderium æternorum afflauit, Adalbertus pede circunuolat, & adiutores ad sua prælia vocat. Hinc ad Imperatorem redit, qui hominem Dei adeò dilexit, cuius morem nobilem nouimus: quia omnes bonos eo plùs amare studuit, quo vnumquenque sua virtus & bonitas maiorem fecit. Cum illo autem aliquot dies commoratus, nec nocte nisi sub conspectu Imperatoris iacere permissus est. Horis congruis semper de cælestibus docuit regis pueros, & assistentes proceres suauissimè admonuit, nè vel parùm rebus infimis & terrenis animos affigerent, nè procùl à Deo proiecti, pro paruo gaudio æterna tormenta subirent. Noctibus quoquè calceos dormientium clàm raptos aqua abluit discipulus humilitatis, manibus suis lutum detersit, lotos restituit.

Sacra loca inuisit.

Vide humilitatem.

Ibi nocte sopora parùm molli lecto requiescens, vitæ suæ desiderabilem terminum adspexit, quanuis ipse non nôsset, quid sibi vellet somnium, donèc tactus spiritu alienigena hoc reuelauit. Putabat se videre in domo maioris fratris duos lectos benè præparatos: vnus erat suus, alter erat fratribus destinatus: pulcher ille quidem & decorus, sed qui suus debuit esse, multo elegantior refulsit, purpureus & floridus, & incomparabili ornamento preciosè vestitus. Erat autem in superiori panno capitali aureis literis inscriptum: Munus hoc donat tibi filia regis. Quod somnium cùm coram Imperatore quibusdam familiaribus exponeret, cui viuax ingenium natura dedit, & præclara facundia insignem fecit, Leo palatij episcopus pulchrè alludens, ait: Hoc tibi citò inuenies, quod quæris: dono virginis proculdubiò martyr eris. Nec minùs, quod vidit de lecto fratrum, partìm ante se vidit, partìm hoc anno esse completum sic collige mecum. Quinque fratres habuit: omnium animas gladius pertransiuit. Ex quibus maior frater in seruitium Imperatoris profectus, paganis expugnandis operam nauauit: vbi etiam cum Boleslao Polonorum Duce gratiam amicitiæ promeruit: porrò apud Imperatorem questus est, Ducem Boëmorum Boleslaum sine misericordia se suosque fratres multis malis affecisse. Huius in aduentum & seros reditus, relicti domì quatuor fratres pacem impetrârunt, ex parte Ducis securitatem & sacramenta acceperunt. Pròh diuinam humanamque fidem: nunquid non est catholicus melior pagano? Væ homini, cui in cordis vena malus dolus salit. Eheu nostra infelicia tempora: sapientem vocamus, cui ad fallendum calet ingenium, cui in ore mel, in corde fel latet. Eccè iterùm Iudas, qui per pacem didicit facere bellum: promittit vitam, vt inferat mortem: dat Boleslaus fidem, vt inopinatò occidat fratrem. Nec longè quæras exemplum: in eadem linea sanguinis occidit frater suus S. Venceslaum. Intereà quis non deploret squalores miseriæ nostræ? Quis non exhorreat cæcum natum hominem nostrum? Dum nescit cauere minus, incurrit peccatum maius: dum quò cæca voluntas ducit, nascitur peccatum de peccato, non habet finem, donèc cadat, vndè non resurgat, in delictum maximum: & fit misero modo, quia cùm potest, non vult, dulce peccatum non valet dimittere pòst, etiam cùm vult.

Visio in somnis S. Adalberti.

Boleslaus Dux Poloniæ.

Boleslaus Boëmiæ Dux.

Apoc. 6. Psal. 68.

Matth. 27.

Ità nunc aliud cogitans, aliud loquens, peruenit ad homicidium, &, Vindica Domine sanguinem, vox clamat de terra ad cælum. Homo, complêsti propheticum, apponens iniquitatem super iniquitatem: expecta nunc illud Euangelicum: Sanguis, qui effusus est, super te & super filios tuos. Itaque sacramento fidit liber populus, per campum ambulat. non enim data fide bellum cogitat: stat proximo periculo ciuitas secura. Eccè hostes eximprouisò veniunt, armatus exercitus apertum bellum indicit, & diffusa multitudine ciuitatem circuncingit. Sexta die in vigilia preciosi martyris Venceslai bella incipiunt, nihilò minùs & sabbato certatim insistunt. Honorare festum diem nesciunt, qui dulcia scelera tanquàm epulas amant: nec iuuat, quòd vrbani diem sanctum obseruari petunt, contra quos forenses superbiæ verba iaculantur: Si, inqui-

inquiunt, vester sanctus est Venceslaus, noster vtiquè est Boleslaus. Sed quamuis pòst caperent ciuitatem, pœnas dedit asperum verbum. Ciuium nanque gladio die illa ceciderunt hostium multa capita, & omnes, qui in illo concilio fuerunt, aut moriebantur, aut cæci & dispersi malè viuunt. Cessit ciuilibus bellis saucia ciuitas, miserabili excidio sunt familiæ dispersæ, bona cuncta iacent in manu inimicorum, inundat planctus mulierum, stupet mortua facies puerorum comminantes dextras virorum, stat silentium spectantium clericorum. Sancti viri quatuor, strenui bello, & nescij cedere loco, dum, de quo diximus, Radda clericus consilium dedit, parùm valentia arma dimiserunt, & quam præliando pulchram mortem putârunt, confugiēdo ad ecclesiam, vt est in humanis oculis, turpem acceperunt. Nam falsa data spes viuendi, & dum exeuntes ecclesiam, spontè in manus hostium vadunt, fefellit manus senioris, & in conspectu omnium speciosa corpora excepêre sententiam capitalem. Hæc tunc ità gesta sunt: sed hoc tempore, quandò digna indigni scribimus, gladio occubuit etiam frater natu maximus. Completa autem est pij Adalberti visio tota, dum ante se quatuor fratrum, posteà hoc anno maximi fratris mors subsecuta est: quorum mortibus mors sua quanto foret præstantior, sicut & lectus eius illorum lectulo visus est elegantior, nemo non intelligit, qui ipsum causa Dei, illos seculi & vitæ defendendæ causa, cecidisse cognoscit. *Cæduntur fratres S. Adalberti.*

Vidit etiam in monasterio aliam visionem, quam non de se, sed quasi de aliquo alio reuerentissimis viris ità exposuit. Agnosco hominem, cui duos ordines in cælo Deus arridens digito demonstrauit, vnum purpurei splendoris, alterum vltrà quàm dici possit niuei candoris. Inter hos & illos, blanda vox ait, manet te locus & certa sedes. Ergò quem suo labori adiutorē Deus pręparauit, Ducem Polonorum Boleslaum rerum dubius petit: cuius auxilio nuncios suos misit ad populum sibi commissum, & multotiès contradicentem, interrogans, si ipsum recipere vellent. Interìm cum Boleslao nunciorum reditum expectat. Qui cùm aduenissent, plenam contumelijs legationē reportârunt: Benè venias, inquiunt Boëmi, ad non semel refutatam plebem. Mira res: ad populum iam spontè venis, quem semper inuitū vocare & retinere necessè fuit. Scimus quid cogites, ó homo. Omninò nolumus, nec est tibi locus in populo tuo, qui vis vindicare occisos fratres tuos vulnere magno. Accipiens ille libellum repudij & superborū contumelias, non minùs exhilaratur, quàm solent homines, cùm pręter spem lætum nuncium & honores sibi delatos accipiunt. Dirupisti, inquit, Domine vincula mea. Hoc est, quod expectans expectaui, desiderio desideraui. Ablatum est periculum meum. Qua possim ratione illum pascere gregem, qui in faciem respondet, nolle se me habere pastorem? Eugè, non est quòd timeam reuocantem ampliùs Papam, nec tristia ferentem Metropolitani immitis epistolam. Qui iam antè paganicis operibus in fugā me compulerunt, eccè palàm dicunt: Nolumus te. Igitur soluto fune, liber Episcopus appræhendit circunfluentibus animis prosequi desiderium, quod in corde ardebat, speciosi martyrij, Apostolica ad hoc vsus licentia: duosque socios, quos putabat sacro bello futuros aptiores, magisque idoneos portando euangelio, itineris comites delegit. Prius tamen, vt mater regula docet, & viua verba patrum lingua monent, oratione fratrum, quasi ferrea chlamyde munitus, ad agonem currere cœpit. Dux autem Boleslaus diligebat eum: quem rogat, vt se adiuuet, videns videat, quomodò in terram Prussorum nauigio se exponat ob quærendas animas, & vomere Dei proscindendas incultas gentes. Complet Dux iussa spiritualis patris, quamuis vt apud ipsum permaneret, summoperè optaret: sed retardare sanctum propositum ausus non erat. *Alia sancti viri visio.* *Boëmi illū respuunt.*

Est in parte regni ciuitas magna Gnesna, vbi sacro corpori placuit quiescere, vbi mille miraculis fulget, & si ex corde veniunt, recta petentibus salutes currunt. Ibi ergò, quia in via sua erat, cuius longo tempore silentium execuerat, Missam celebrat sacras hostias oblaturus, viua mox & ipse Christo futurus. Baptizat populum grandem nimis. Indè nullas mores nectit, nauim ascendit, quam nè prophanus quis tangere præsumat, Dux solicitus multo milite armauerat. Non post multos dies carina secante terga maris, Deum nescientibus illabuntur Prussorum terris. Festinantes verò nautæ, sanctum onus deponunt, & nocturno auxilio remeantes, securam fugam capessunt. Rapit ergò homo Deo plenus, missurus retia sua super horrisonum mare, si fortè veniat, quod in mensa Dei edendum apponat: aut si nullum piscem capiat, saltem in nomine filij Dei oblatum calicem bibat. Feruet in eo spes ardua pro Christo moriendi, & in viridi corde viuus ignis vim habet ardēdi, tanquàm in aureo altari accensa aromata flagrant, *Gnesnæ innumeris coruscat miraculis.*

&

Venit in Prussiam.

& fumantia scandũt. Ergò miles Dei cum duobus socijs intrauit in paruum quendam locum, qui circunbibente vnda fluminis, imitatur insulæ vultum. Ibì aliquot hæsêre dies, & fama volans paganorum auribus inuexit, habere se hospites ignoto habitu & cultu inaudito. Primùm eximprouisò homines non plures parua naue veniunt, dant saltum in terras, barbarum nescio quid frendent, magna ira fumant, & hospites quærunt. Res regis, ros mellis tum episcopi in ore fuit, codex Psalmorum ante illum in gremio iacebat, in quo omnia verba oris Dei, in quo summa salutis & vita hominis certa manet & clausa sedet. Ad quem vnus ex eis peiorum pessimus propiùs accessit, nil boni loquens, nodosa brachia altè extulit, & cum conto, quo nauem impulerat, cælestia meditantem episcopum inter scapulas fortissimè percussit. Si non abitis, inquit, citiùs, capite plectemini, vexati duris pœnis & mortibus ingratis. Euolat è manibus volumen excussum, alia ex parte ipse humì stratus, dat oscula virenti terræ, mente extentus & corpore toto. Exterior corrumpitur homo, ad vitam nouatur interior, per penetrália cordis erupit vox lætitiæ & salutis: Benedictus, inquit, Deus, benedicta misericordia Dei: si plus non accipiam pro crucifixo meo, vnum preciosum ictum habeo. Homo Dei, putásne simplex plaga splendeat in dorso tuo, aut precium habeat super terram talia libenter pati in memoriam filij Dei? Vtiquè non sic margarita in sterquilinio, non purpura regis in populo, nec facies rosæ in terræ gremio, adhuc verò nec aureus sol relucet in cælo, vt in corde pio ictus vnus pro Christo hilariter exceptus.

Validissimo ictu ꝓsternitur.

Percussus laudat Deũ.

Quid verò inde secutum est? Forâs eiecti, veniunt in mercatum, vbi confluxerat vnda populorum: circunstant subitò cælicolam virum longo agmine capita canum, pandunt cruentos rictus, interrogant vndè esset, quid quęreret, quarè venisset, quem nemo vocârit. Lupi sanguinem sitiunt, minantur mortẽ, quòd ad eos apportaret vitam. Donèc loquatur, vix expectant: horrent, & derident: melius enim non sciunt: loqui iubẽt, & capita mouent. Accinxit verò ille vt vir lũbos suos, os aperuit: & quia multa audire nequeunt, breuiter eos alloquitur: De terra Polonorum, quam Boleslaus proximus Christo Domino procurat, ad vos pro vestra salute venio seruus illius, qui fecit cælum & terram, mare & cuncta animantia: venio vos tollere è manu diaboli & faucibus immanis Auerni, vt cognoscatis creatorem vestrum, & deponatis sacrilegos ritus, abrenunciantes mortiferis vijs & cunctis immunditijs: vt abluti balneo salutis, efficiamini Christiani in Christo, habentes in ipso remissionem peccatorum, & regnũ immortalium cælorum. Hæc sanctus. Illi verò iamdudùm dedignantes, cælestia verba irrident, baculis terram percutiunt, aërem mugitibus implent, manus tamen non inijciunt, sed furorem dictant, & verba districtæ seueritatis ad aures hospitum mittunt: Propter tales, inquiunt, noua non nascuntur animalia, vetera moriũtur. Exeuntes exite de finibus nostris. Si citò non retrofertis pedem, crudelibus pœnis afflicti, mala morte peribitis. Illi verò, qui in ingressũ regni positus, bonos hospites eo loci esse permisit, mortem, domûs inflammationem, bonorum direptionem, coniugis & liberorũ distractionem, spumante ira minantur. Videns athleta Christi nullum fructum animarũ sequi, & optatæ mortis spem auferri, deiecit animum: & tristitia magna affectus, varios curarũ æstus casto in pectore versat, dicitque fratribus: Pressi magnis difficultatibus, quid cõsilij capiemus? Equidem quò nos vertamus, non video. Habitus corporum & horror vestium nostrarum, vt sentio, paganis animis non parùm offensionis affert. Vndè, si placet, vestimenta mutemus: clericam æqualem, pendentibus capillis, crescere sinamus: tonsæ barbæ comas prodire non prohibeamus: forsan non agniti, meliùs poterimus operari salutẽ, si similes illorum effecti, familiariùs cohabitemus, alloquamur & conuiuamus: laborantes quoquè manibus proprijs, victum quęramus instàr apostolorum, abscons̄a mente reuoluamus sensum psalmorum. Intereà prosperãte misericordia Saluatoris, fiet aliquid salutis, vt dum arte hac & hac fraude eos opinio deludit, euangelizandi occasio certa veniat: ità aut inuentarum animarum thesaurum magnum lucrabimur, aut dulcem vitam pro dulcissimo Christo fundentes, desiderata morte occumbemus. Ergò viso consilio meliora sperans, conceptum mœrorẽ gaudij gladio confecit, egressurus è regione mala. Accẽsis animis, mouet gressus: ad ferociũ quidẽ Luiticorum idola surda predicationis equos flectere placuit, quorũ linguã callebat, & quos necdũ mutata veste & habitu fallere potuit. Hoc tũ ingenio, hoc dolo bono cogitauit, vt Christo acquireret nouũ populũ, aut longis desiderijs imponeret finem. Sed ô venerabile caput, quid te fatigas implexis cogitationibus? Propè est, quod quæris: non necesse habes longam susci-

Sermo eius ad barbaros

Irridetur ab illis.

Luitici, vt quibusdam placet, sunt qui aliàs Vil[...] dicuntur.

suscipere professionē: dabit tibi Deus breui itinere illud assequi, quod tam multo tempore quæsiuisti recto ore, mundo corde, animo toto. Eccè pulchritudo tua: eccè in foribus, cuius nescit homo precium, felix & incomparabile martyrium, vt nostro etiam æuo virginis ille filius insperatò faciat martyrem suum. O quàm pulchrè risit cælum, quandò cum corona martyrij intrantem vidit Sclauum.

Romæ intereà in monasterio, quo sanctus iste in philosophia Benedicti patris nutritus erat, diuina huiusmodi reuelatio facta est. Inter plures visiones, quas vidit rapta mēte sępè ad superna leuatus, vidit & istam crucifixus mundo Iohannes monachus & Abbas. Venerunt à cælo vsque ad terram descensu delectabili, eleganti adspectu duo linteamina, instàr niuis cādida, absque vlla vel ruga vel macula. Vnum ex eis accepit, quem quęrere venit: possedit charum pignus & dulce onus, fruens fruitur suo Adalbertus, intrat cęlum aureum tramite recto. Quis aliud linteū suo amplexu acceperit, & ad Deum portârit: ab eius ore, fateor, nunquam excutere potuimus: & ideò siue hic, siue alter sit, certa mente nescimus. Nec hoc nos fatigat, qui nostrum intercessorem in manibus habemus: Adalbertum Domine tuum sancta sanctorū intrâsse cognouimus, & amantes veneramur: & licèt nunquàm sanguinem funderet, quæ est vera beatitudo, & passi Christi quædam similitudo, tamen morum humilitate & puro ac intimo Dei amore verè esset filius cælorum, & qui nunquàm peccauerūt, frater angelorum. Hac hora pater Nilus ad monasterium eius per spirituales hæc verba misit, dicens: Notum sit vestræ dulcissimæ fraternitati, quia amicus noster bonā viam habet Adalbertus, qui verè cum spiritu sancto ambulauit. Visio Iohānis Abbatis.

Intereà ipse beatus Adalbertus in terra pagana cum socijs suis carpit iter secus litorà maris, & fit repentè collisio vndarum, quasi se moueat aliqua ingens bellua maris, & aures gradientium fragor ille validus penetrat. Comites securi audiunt, medius senior vehementissimè obstupuit, & velut pauida mulier consternatus exhorruit. Cui Gaudentius, ex parte patris caro & frater suus, subridens ait: Pauet fortitudo tua audacissime miles? Si insiliret in nos armata & ad cædem prompta manus, quid tum faceres, qui nunc inaniter formidas? Respondit ille: Nos sumus fragiles, tu fortis: nos imbecilles, tu potens. Nos certè & minima timemus: sed eo meliùs Deus noster refugium & virtus, quo est maior inopia mentis, & virium parua supellex. Eo feliciùs, eo gloriosiùs diligam te Domine virtus mea, quo sentiens meam infirmitatem, cognosco te esse meam virtutem. Vidit & idem Gaudentius sequenti nocte somnium, quo ludentibus verbis irrisit pauescentem episcopum. Ingressus delectabile oratorium, aduertit paratum pontificem Adalbertum celebrâsse Missam. Comesto autem sacrificio, cùm vestimenta plicarent, propiùs accessit ad cornu altaris: in cuius medio stetit calix aureus, acclinat collum, os apponit, haurire de aureo calice conatur. Aduolat cursu rapido custos sacri altaris, vndè talia præsumat, insolentem Gaudentium seuerioribus dictis increpans: Non licet, ait, faucibus tuis de aureo calice sumere potum vitæ: solus totum bibere debet, qui pro Christo immolato missa oratione legauit: tibi sicco palato nec gutta remanebit. Manè facto Gaudentius inquit: Audi senior meus noctis somnium, quod vidi. Expleta Missa, quam celebrâsti in templo Dei, accessi vt potum sumerem de aureo calice, qui stetit in medio altari, & prohibuit me minister altaris, dicens: Alieno nequaquàm licet: pontifex totum sumere debet. Respondit beatus Adalbertus, passioni propinquans: Mi frater, iubente Deo somnium tuum prosperos habeat progressus: peccans caro peccati, donum Dei non impediat: misericordia creatoris victoriam obtineat. Vide sancti viri humilitatem. Somnium Gaudentij.

Igitur sexta feria Gaudentius, sancto viro duplex germanus, cùm scandens sol tres horas propè complêsset, Missarum solennia in læto gramine celebrat: posteà parùm opsonij recumbentes accipiunt, vt in fortitudine cibi positum vigorem fessa membra recuperarent, & viam longam sine labore reparati pedes citiùs conficerent. Pulsa fame, recreati surgunt, & pergere incipiunt: at non longè ab eo loco, vbi cibum sumpserant, inualescēte lassitudine capita deponunt, somnoque ob vexata corpora indulgēt. Dum igitur dormitant & dormiunt omnes, adest sonitus armorum, hasta fulgurans, sonans clypeus & gladius acutus. Cuiusdam frater à Polonis occisus erat: is barbarus zelo incitatus venit, & cum illo alij, qui exultarent in rebus pessimis, conspirauerant: ductique pœnitentia, quòd eos à se dimisissent, impetu magno accurrunt, desilientesque ab equis, cursu rapido in illos irruunt, requiem hospitum turbant, vincula haud secùs atquè latronibus injiciunt, manus & brachia Christianorum stringunt. Homines impij irruunt in sanctū virum, & socios eius.

Stupent

Stupent fratres, & non valdè suauiter expergefacti, inopinantes vincula & hostes conspiciunt: nec minùs, qui hoc spectaculum votis omnibus semper expetierat, nunc magnus Adalbertus timet, & velut homo amaræ mortis gustum exhorruit, vltrà, quàm solet, consternata mens quadam ignauia laborat: moritura caro colorem mutat, pauore vita tremula hebet. Sed nemo miretur nonnihil fractum defecisse sanctum, qui tot annis inter tentationũ ventos & tempestates ceu arbor incõuulsa stetit, maximè nunc, quandò propinquante termino palmam accipere debet. Nónne maior Dominus, redemptio nostra Christus, propinquante passione sanguinem sudat, & qui potestatem ponendi & sumendi animam habet, sequentibus discipulis tristem se asserit vsque ad mortem? Si Deus trepidat, turpe est, si homo paueat, cùm carnis mors propè accedit? Purgantur electi timore mortis, sine quibus non sunt, à leuibus peccatis, & si qua vestigia remanent criminum raris maculis. Vir bone, quid times? Cur inerti pauore tabescis? Deum tuum secutus, sanguinem fundis: quo fuso, securum commeatum & liberum iter habes ad cælum, sine occursu insultantium dæmonum, sine obiectione vel minima peccatorum. Martyribus certè non occurrit accusans satan, nec verbum procùl fugiens, eò quòd Saluatoris vmbram imitantur. Et sicut Dominus sine peccato propter nos mortuus est, ità & martyres, quanuis criminũ rei, fuso sanguine propter Deum, omninò cunctis peccatis carebunt. Cæteri sancti, quanuis candidam & odoriferam vitam ante Dei oculos habuerunt, de hoc seculo securi non recedunt, sed circa extrema infinita angustia laborant, nescientes vtrùm eorũ vita, munda ab eo iudicetur & digna, cuius comparatione sunt immunda omnia. Martyrio autem stat sua ratio, res tuta & singularis gloria: quam accipere pro dono Dei meruit rara auis terrarum, felix infelicium nostrorum Adalbertus temporum. O quàm beatum, ô quàm gloriæ plenum ità mori, vt non appareant vlla peccata: quoniam quæ secundùm fidem lauantur in baptismo, extinguũtur in martyrio. Iam quanta dignitas, quanta securitas lætitiæ? O quales opes & diuitiæ, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus: & aperire statìm interiores, vt videantur angeli & Deus, cuius pulchrum est omne quod fecit, & pulcherrimus ipse. Nec erit iam vllum malum, quia eò peruenitur, vbi adest omne bonum. Vbi quid ignorat, qui omnia scientem nouit? quid non habet, qui omnia habentem habet? Vbi quem non potest adiuuare miserum, cui est præmium Deus, ostendens illi seipsum? Harum sententiarum habemus te testem clarum, qui in hoc mundo positus, morum virtutibus viruisti, & in his seruata humilitate, mirabiliùs claruisti: nunc pro Christo mortuus, cælesti beneficio & miraculorum dulcedine clarior, immò clarissimus innotescis. Palàm loquebaris, sub cælo nihil speciosius, nihil quicquam esse suauius, quàm pro dulcissimo Iesu Christo dulcẽ ponere vitam. Et nunc monstras quàm benè & feliciter viuas, quandò ad tua ossa mortua tot salutes exeunt, tot signa sine tædio currunt.

Luc. 22. Iohan. 10. Matth. 26. Iob 41. Martyrij prærogatiua. Miracula ad eius sacra ossa.

Aiunt, qui illi agoni interfuerunt, quòd nec verbum vnum ediderit pallens episcopus, nisi quandò ligatum ad montis supercilium duxerunt, vbi septem lanceis pulchra eius viscera forârunt, ad illum tunc, cuius lancea debuit ictum, & toruo adspectu occidendum martyrem in loco statuit, hoc vnum verbum, Quid vis? pater exili voce interrogans fatur. Habes, quod semper volebas mori, passus pro desiderato Christo, hac die felix victima factus, qua die Saluator pro te & pro mundo est crucifixus, & ipse tunc sanans languidum magnum, totum hunc mundum, nũc verò te faciens martyrem suum. Nè timeas periculum, eò quòd est mors amara, mors anxia. Nam si esset nulla mortis molestia, canente mellifluo Gregorio, non esset tanta martyrum gloria. Septem donis ditauit te Christus, virtute multa fluxit tibi gratia sancti spiritûs: nunc in eius honorem septem lanceis confixus, amplectere desiderabilem Christum. Quicquid peccâsti in hoc tempore, quod voluitur septem diebus, expians & expurgãs septem vulneribus, calca abyssum & terram sub pedibus: vltra omnem creaturam scandens, appræhende dulcem creatorem. Beatus homo, quem possedit gloria paradisi, quem accepit confessio & pulchritudo ante oculos Dei, vt sapiat ex sententia, quæ solet dicere, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Vocat nunc te cor contritum, vocat nostrorum temporũ infinitus error: clamat tibi felicissime martyr nostrarum miseriarum magnus clamor. Tu cum purpureis proceribus in cõspectu Dei delectatus, tu cum suauisonis angelorum vocibus intra sancta sanctorum epulatus, nè obliuiscaris veros captiuos, non sentientes, in quanta tribulatione versemur. Tu qui multa potes ad regis chortem, fac nobis legem & iustitiam de

7. Lãceis est confossus in parasceue. 1. Cor. 2. Author inuocat S. Adalbertũ.

de iniquo odio tantorum hostium: quia & nunc cum Christo regnum tenens, necessè est illud Satyricum depromas:

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane.

Ad grandem miseriam necessarium est magnum adiutorium. Veniat tecum non vnus sanctus: salus hominum quorum est ars, stet tecum angelorum sana pars. O amor, qui regis omnia cælo, respice miseras terras animo benigno, in quibus hoc æuo magna grassatur iniquitas. Fac quod fecisti, terra factus propter pietatē; fuso sanguine propter nimiam charitatem. Dic tu ante omnes, dic ex quibus nouus martyr enatâsti, dic bone Adalberte: Deus optime, miserare nostræ Lunę varios labores, compesce æstuātis auaritiæ in immensum crescentes errores: qui meretricis pulchritudine amorem Dei, maximè hoc æuo, commutare volunt in amorem seculi, bonum dicentes, malum in fine ferentes. Promittunt delectare, & faciunt laborare: dicunt se adiuuare, & non nisì nocere nouerunt. Quibus conuenit illud poëtæ:

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

immò conuenit illud Euangelicum: Quid proficit homo, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Quod flet in sacro eloquio, qui securus suî, de nostro periculo timidus est: quia stantes inter milse globos nunquàm dormiētis diaboli, habētes & ingenitæ naturæ centum pericula, nutrimus adhuc auaritiæ sæuam pestem, vt res extra nos, perdat intùs nos. Eheu, inquit, in præsentium rerum voluptatibus positi, quo ampliùs concupita acquirimus, eo ampliùs os patens auaritiæ in immensum aperimus. Nescio, miseri quid simile patiamur: post expletionem voluptatum ampliùs esurimus, & adeptis carnalium rerum oblectamentis, nunquàm dicimus, Sufficit. Hoc est cōmune malum omnium, maximè hæc est miseria mea, & si qui sunt, meî similium: qui non nisì spiritualia debuimus, propè sola carnalia cogitamus. Si quid potes, immò quia potes, nostris medere vulneribus. Sed ad rem. Luc. 9.

Primùm dux & magister nefariæ cohortis, furore igneus, perforat penetralia cordis. Pòst saliente malitia & currente manu, cæteri scelus peragunt. Vt autē ostenderet clemens diuinitas, quàm soluta essent seruo suo carcer seculi, compedes magnæ & peccatorum vincula cuncta: postquàm sanctū corpus secârunt, nemine soluente, ligatæ manus per se solutæ sunt. Ipse verò amicam mortē amplexus, quam semper sequēs dilexit, in modum crucis manus extendit: cadens cadauer matrem terrā occupat, anima sancta ad vitam feliciter intrat, admirans risum Dei & gaudia canentis cæli. Reliquisti sub pedibus pulchrum hoc, quod apparet: experire nunc quod intrinsecùs latet: post fletus hominum transi in lætum numerū angelorum, vbi te vident læti omnes sancti, maximè martyres Christi. Adhuc vltra angelum martyr ad martyrum regē ascende cum gloria, ad omnium Saluatorem, ad ipsum, à cuius conspectu fugit cælum & terra: loquere facie ad faciem, quasi homo ad amicum suum. Effugisti quid non amaritudinis? quid non habes dulcedinis? Vbi sunt altæ contemplationes internæ refectionis: vbi est cibus & potus, laus perpetua creatoris. Ipsa die, dicunt, dum quidam presbyter Missam faceret, & sacras hostias iuxta ritum religionis offerret, reuelans spiritus ad aures dixit, vt beati martyris Adalberti suffragia laboranti mūdo imploraret. Paret ille libens monitis diuinis, & intra memoriam sanctorum martyrum Adalbertum vocat, vt nostris erroribus apud diuinam misericordiam mactata hostia intercedat.

S. Adalbertus crudeliter necatur. Illustre miraculum. Apoc. 20.

Igitur impij viri duos fratres immisericorditer ligatos secū ducunt, & sancti viri nobile caput à reliquo corpore separant, atq; sub fida custodia vtranque partē asseruāt. Nè putes religionis causa id eos facere, qui non nisì prophana sapiunt: à Duce finitimo Boleslao grandem pecuniā accepturos se sperant, vt res erat, quandò reuerendissimū corpus & caput, thesaurum desiderabilē vendunt. Vos quidem fecistis pro vestra insania: sed ô qualem imprudentes peperistis beatitudinem. Volenti illi vos cōuertere ad Christum Saluatorem, vos nolentes conciliâstis immortalē dignitatem. Passus est preciosissimus martyr Adalbertus, qua die pius Georgius est saxo tritus. Benè autē ambo vno die, quia se petentibus vterq; bonus affulget crebris miraculis, & prętò est ęgris mortalibus. Eccè iterùm boni, iterumq; & crebrò mihi estis appellādi. Loquimini ad cor cęli, surgat stella maris, iungat se angelus bonus, & ꝓpitius Petrus sequatur & omnis sanctus. Propter Deum loquimini bonū de viuis miseris, bonū in conspectu principis: Præstāte Domino Deo propter dilectū filium in spiritu sancto, cuius est gloria, hominū salus, regnum & imperium, sana pars angelorum: cum quo fuêre & sunt & veniunt aurea regna immortalium seculorum, Amen.

Duo eius socij vincti abducūtur.

VITA F. ÆGIDII, VIRI SANCTISSIMI, QVI FVIT E PRIMIS SOCIIS BEATISSIMI FRANCISCI

Aßisinatis, è quodam Germanico codice per F. Laur. Surium Latinè conuersa. Codicis autem Germanici author testatur se ex fide dignis Latinis codicibus illam collegisse. Nondùm cognoui Aegidium hunc catalogo Sanctorum adscriptum. Quantum autem ei tribuerit S. Bonauentura, ex historia hac discere licebit.

Aprilis 23.



BEatissimi Francisci Assisinatis tertius socius fuit frater Aegidius, ex eorum numero, qui conuersi aut laici fratres vocantur. Is patriã habuit Assisium: cumq; didicisset è ciuibus suis dominũ Bernardum, virũ eius vrbis primarium, & dominum Petrum, summæ ædis ibidèm canonicum, rebus suis in pauperes erogatis, sancti Francisci complexos institutũ, octiduo pòst, diuino instinctu permotus, venit ad S. Franciscum, modis omnibus ad eius viuendi rationem se accommodaturus. Cùm autẽ ignoraret, vbi tum esset S. Franciscus, Deum rogauit, vt rectà ipsum ad eum perduceret. Audiuit eum Dominus, venitque ad horreũ, in quo vir sanctus cum duobus socijs morabatur. Cogitanti verò illi de ijs, quæ animo proposuerat, obuius venit S. Franciscus: ad cuius pedes se prosternens Aegidius, petijt in ipsius contuberniũ admitti. Eius verò fidem & deuotionem animaduertens S. Franciscus, ait ad eum: Non mediocris hæc Dei gratia est, charissime, quòd te sibi militem & seruum asciscit: confirmansque eum hortabatur perseuerare in eo instituto, ad quod diuinitùs vocaretur. Deindè accitis ad se Bernardo & Petro, ait ad eos: Bonum fratrem adiunxit nobis Deus. Quod cùm illi iucundis animis acciperent, simul sumpsêre cibum.

Duo primi socij S. Francisci.

F. Aegidius illis tertium se adiungit.

Porrò S. Francisco cum Aegidio eunte Assisium, vt compararet pannum, quo Aegidius vestiretur, obuiàm ei venit mulier paupercula, stipem ab ipso petens. Sed cùm nihil suppeteret, quod ei daret, angelico vultu versus ad Aegidium, Demus, inquit, charissime, huic fœminæ propter Deum pallium, quo indutus es. Ille mox hilariter pallium dedit mulieri: simul autem videbatur ei eleemosyna illa cælos penetrare, sensitque se ingenti quodam animi gaudio perfusum. Paulò pòst ipsis ferijs S. Georgij induit eum beatus Franciscus habitu Ordinis sui: duxitque eum secũ in forum, vbi hortabatur homines ad agendam pœnitentiam. Dicebat autẽ illis Aegidius, vt fidem adhiberent S. Francisco, rectè ipsis consulenti. Inter eundum autem prædixit S. Franciscus propagationem Ordinis sui, dixitque Aegidio, institutum suum posse nõ absurdè comparari piscatori, sagenam in aquam mittenti, & multos pisces capienti, paruos autẽ reijcienti in aquas, magnos verò colligenti in vasa sua. Posteà autẽ dedit ei beatus Franciscus licentiam visendi S. Iacobum in Hispania: quo toto itinere nunquàm fuit expers famis propter paupertatẽ, quam ferebat causa Dei. Cùm aliquandò peteret eleemosynam, nec quicquam vsquàm acciperet, in agrũ se contulit, atque illic repertas fabas aliquot, præ multa fame comedit: dansque se quieti, pòst adeò surrexit robustus, acsi benè lautis esset dapibus abundè refectus.

Induit habitum Franciscanorũ.

Inuisit S. Iacobum, multam famem perferens.

Obuium quandoquè habuit pauperẽ quendam: cuius miseratus nuditatem, abstraxit capitium de cucullo suo, deditque ei: ac deindè viginti diebus iuit ipse nudo capite. Cùm autẽ tam deformi habitu veniret in Galliæ Cisalpinæ castellũ Sicarolum, quidam eum ad se accersiuit. Ille verò magna pressus inopia, libens accessit ad hominẽ, sperans se aliquid ab eo eleemosynæ accepturũ. At ille nequam taxillis in manus eius coniectis, rogabat num ludere vellet. putabat enim lusorẽ & improbũ hominem esse. Aegidius verò eam contumeliam placatè ferens, Deus, inquit, ignoscat tibi. Ità ille sępè per mundum ambulãs, indignis modis illudebatur. Datus est ei posteà socius à beato Francisco, & facta potestas inuisendi sepulcrũ Domini. Venit ergò Brundusium: vbi cùm dies multos hærere cogeretur, situlam acquisiuit sibi, eaque per plateas ferens aquam, victũ necessarium obtinebat sibi & socio. Deindè transmisso mari, cum multa animi pietate visit sepulcrũ Domini, & alia loca sancta. Veniensque indè ad oppidũ quoddam, morabatur illic causa victûs sibi parandi labore suo. Texebat enim sportellas ex viminibus, quarũ illic magnus vsus erat, extincta corpora deportabat in cœmeterium, & per vicos circun-

Illudunt ei sæpissimè homines mali.

Visit terrã sanctam.

circunferebat aquam: ijs laboribus sese sustentans. Si autem nihil horum posset efficere, ad Domini mensam properabat, ostiatim panem mendicans.

Indè redijt ad S. Mariam de Portiuncula: sępè etiam suscipiebat peregrinationes ad S. Michaëlem & S. Nicolaum Barensem. Iter autem faciens, solebat hortari viros & fœminas, vt Deum timerent & amarent, & ob sua malefacta agerent pœnitentiam. Supra modū autem studiosus erat ocij vitandi. Cùm enim à S. Francisco missus esset Romam, vt illic maneret, quotidiè sacrificio audito, ad quatuor milliaria exibat extra Vrbem in syluā quandam, atque illic putata ligna apportabat Romam, labore suo alimoniam sibi comparans. Cùm aliquādò fœminæ cuidam vendidisset ligna, & illa tanquàm homini pio & religioso plus dare vellet, quàm initio pacta erat, ipse recipere noluit, sed medio precio illi remisso, Nolo, inquit, vinci ab auaritia. Nulla ille, quāuis abiecta & vilia, modò nè inhonesta essent, recusabat opera, aut facere detrectabat. Vindemiarum tēpore colligebat botros & calcabat atq; exprimebat, nihil pro labore nisi necessaria recipiens. Cùm aliquandò decussisset nuces ab arbore, & tāta ei nucū copia data esset, vt nō posset omnes condere in sinū suum, exuens se cucullo, ligatis manicis & capitio, impleuit ea nucibus, sicque penè nudus ad Vrbem rediens, nuces pauperibus distribuit. In monasterio quatuor Coronatorum, quod est apud ædem S. Ioannis Lateranensem, solebat expurgare farinam, dabantque ei de singulis quartarijs panes septem. Ibat etiam milliari vno ad fontem S. Sixti, haustam indè aquam afferens, quam bibebant monachi, & qua panes pinsebantur. laboris precium erat panis: cuius reliquias dabat egenis. Afferebat aliquandò monachis aquam, & cùm quidam ex ea bibere vellet, non permisit, Non possum, inquiens, hanc aquam tibi præbere, & reliquam ferre monachis. Quòd cùm ille molestissimè ferret, & multis conuicijs Aegidium proscinderet, is alia vrna allatam aquam importauit in ædes illius conuiciatoris sui: qui hoc officio adeò permotus fuit, vt veniam peteret iniuriæ ei illatæ, quam ille libens dedit.

Ociū summopere vitat.

Multo labore tenuē sibi parat victum.

Nec tamē sic fuit labori intentus Aegidius, vt vnquàm preces suas horarias omiserit: sed ꝓfligandi ocij causa vel operabatur manibus, vel vacabat precibus & contēplationi, vel boni quippiā loquebatur. Cùm esset quandoq; apud Cardinalē & Episcopū Tusculanū, colligeretq; oliuas & alia officia exhiberet, panē ijs laboribus partū afferebat ad eius Cardinalis ędes, dicentique Cardinali, vt cum alijs pauperibus vesceretur pane domûs suę, ille ꝓpheticum illud respondebat: Labores manuum tuarū quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Impeditus aliquandò fuit vi imbriū, nè extra Cardinalis ædes posset ire ad labores suos. tum verò Cardinalis exhilaratus, Iam, inquit, vesceris cibis meis. Sed Aegidius nihil illi respōdit, aliud secū meditans. Contulit autē se ad culinam, dixitq; coco: Quid ità pateris sordidā esse culinam? Dicente illo, neminē se in pręsens habere, qui eam purgaret, Aegidius ait: Da mihi pro labore meo quod edam, & ego sordes euerram. Quod cùm vtrinq; factū esset, Aegidius ad Cardinalis mēsam iturus, duos secū panes attulit, quos labore suo acquisierat. Itaq; Cardinalis mirabatur tā eum sui propositi tenacē esse. Sed perseuerante etiā postridiè pluuia, cùm nemo vellet vti Aegidij opera cōductitia, Cardinalis gratulabundus ait ad eū: Profectò nunc meos edes panes. At Aegidius tacitus officinas perlustrabat, inueniensque duos rubiginosos cultros, illos accuratè repurgauit. Accepit autem pro labore panes duos, quos ad Cardinalis mensam intulit, qui se dolebat semper frustrari spe & expectatione sua.

Psal. 127.

Non vult vesci panibus, nisi labore suo acquisitis.

Sed non adeò suā alijs vnquàm locabat operā Aegidius, quin certū sibi seruaret tempus, quo suas persolueret preces. Etsi autē in eiusmodi laboribus admirādus potiùs est, quàm imitādus, at tamē egregiè his confutatur & pudore afficitur ociū illorum, qui laborare nihil volunt. quos Aegidius acriter obiurgare solebat, Si faciatis, inquiens, bona quæ nôstis, etiā ad ea bona pertingetis, quę non nouistis. plùs enim inter se distāt verba & opera, quàm à cælo terra. Satius autē est quempiā docere seipsum, quàm se neglecto mundū vniuersum. Si vis multa nôsse, multa facito, & submitte caput tuum. Insignis cōcionator, est humilitas. Solebat quoque suspirans dicere: Ouis balans multū differt ab ea, quæ in pascuis versatur. talis est concio eorū, qui virtutes consectātur. Huic beato viro, vt qui boni esset exēpli, libenter permittebat S. Franciscus, vt vbicunq; vellet commoraretur: sed hac ille libertate vti noluit. Misit ergò eū ad eremitoriū Fabrionense, quod est apud Perusiam, vbi ille conficiebat lagenas & arculas, in quibus vitrea pocula & aliæ res imponerētur. Inferebat autē eas in oppidū, nihil nisi victū & tum sibi tum socio necessarias res pro illis accipiens. Semper autē illic ingrediebatur nudis pedibus, & vnica amictus tunica siue cucullo, etiā valdè frigido cælo. Quidam autē obuiā ei factus, ait

Hæc accipienda sunt de illis, qui ex desidia & torpore nihil facere volunt.

Degit solitarius ad Perusiam.

ait se sic nolle incedere, etiamsi sciret se quamprimũ iturum in cælum. Quæ verba, malo dæmone agente, tantum frigus in corpore beati viri secutũ est, vt putaret se præ algore moriturum. Sed cùm ad animum reuocaret, quemadmodùm Christus nudis pedibus ambulârit, & tenuiter vestitus fuerit, ilicò concaluit, egitque gratias Deo, qui ipsum diuino suo igne calefecisset. Postquàm autẽ hoc in loco multos egisset annos, aliquandò in memoriam redijt peccatorum suorum. Itaque in syluam abiens, accito fratre, nudauit corpus suum, funeque collũ cingens, pręcepit ei, vt ipsum pertraheret ad eum vsque locum, in quo fratres morabãtur. Quò cùm peruenisset, sublata voce, Quæso, inquit, fratres miseremini meî peccatoris. Accurentes autem fratres, vt viderunt eum sic nudum, prę commiseratione & deuotione vnà cum illo fleuerunt, rogabantque vt se indueret. Quibus ille respondit: Non sum ego dignus vocari frater minor: sed si tamen vos mihi vultis reddere habitum meum, pro eleemosyna tanquàm indignus & miser eum recipiam. quod ità quoquè factum est.

Vir sanctus dum sua peccata considerat, summè seipsum deijcit.

Vbì autem beatus Franciscus aduertit magnũ eius feruorem, promptamq; pro Christo martyrij obeundi voluntatẽ, cum quibusdam alijs fratribus misit eum ad Saracenos: sed postquàm venit Tunetum, vetitus est à Christianis illic degẽtibus sermonem habere ad barbaros, verẽtibus nè eius causa omnes trucidarentur. atq; ità compulsus ille fuit cum socijs suis, quanuìs inuitus, ad beatũ Franciscũ redire. Excellenti quoquè fuit obedientia. Cùm enim ageret in monasterio, quod paruũ agrum vocant, & nõnihil egressus esset forás, ministri generalis mandato euocatus est Assisium. Mox ergò rectà contendit Assisium. Dicentibus autẽ fratribus, vt priùs iret in monasteriũ, atq; indè se conferret Assisium, respondit: Non ego sum ad monasterium ire iussus, sed Assisium. Ità ille semper exactissimè coluit obediẽtiam. Frater quidã conquestus ei fuit, iussum se à Guardiano (sic enim vocãt pręfectos suos) ire mendicatum panem, cùm tamẽ ipsi videretur longè pręstabilius vacare precibus, quàm petendis eleemosynis. Respõdit autẽ ei Aegidius: Necdùm didicisti, quid sit orare Deum. Vera enim oratio est, si subditus pareat voluntati superioris sui. Est autẽ non obscurũ superbiæ argumẽtum, si quis nolit caput suum subdere obediẽtię iugo, sed illud ei potiùs subducere conetur, vt alia gradiatur via, quę ei pfectior videatur. Et tamẽ videmus, dũ bos iugũ patitur imponi collo suo, horrea frumẽto compleri. Certè si quis ea foret animi deuotione, & tam excellẽti gratia, vt cũ angelis loqueretur: si tamẽ acciretur à superiori suo, ilicò misso Angelorum colloquio, faciet quod iubere volet prçlatus suus: quod quidẽ Aegidius ipse tali suo declarauit exemplo: Passus aliquãdò fuit ecstasim corã summo Põtifice & Cardinalibus, qui venerãt illũ visitatũ in monte Perusino. Iussit autẽ Pontifex, vt quamprimùm rediret ad se. Mox ille, qui priùs insensilis videbatur, accurrit ad pedes Pontificis, dixitq; humiliter culpam suam. Inuitauit verò illũ Pontifex ad prandiũ, vt posset cum eo colloqui, accepitq; eum valdè hilariter. Aderant tũ quidam, qui hortarẽtur Pontificem, vt eũ iuberet cantare. Iussit id Pontifex, Aegidius verò sciscitatus est, quid sua sanctitas vellet cantari. sæpiusq; id repetens, currebat ad aliũ palatij angulum, stetitq; illic pede altero alteri imposito, vsq; ad preces Vespertinas. Tum verò sensit Pontifex eũ planè extra se raptũ, vt qui nullo sensu vti videretur. Cùm autẽ ad cœnam accubuisset Pontifex, ait ad eos, qui illic aderant: Eccè nos hominẽ istũ perdidimus. stat enim planè immotus. at tamen probemus iterùm obedientię vim, quid in eo possit efficere. versusque ad Aegidium, Præcipio, inquit, tibi frater Aegidi in virtute obedientiæ, vt ad te reuertaris. idq; factum est. cecidit autẽ ad pedes Pontificis, & humiliter fatebatur culpã suam, miscebatq; peramãter cum Pontifice sermones valdè pios & bonos. Postquàm autẽ resciuit fratrem Eliam se Pontifici immorigerũ præbuisse (Elias is minister generalis fuit) atq; ab eo anathemate plexum, totum se humi prosternẽs, quantùm maximè potuit ad terrã corpus apprimebat. Rogatus cur id faceret, Volo, inquit, quoàd fieri potest in ima me deprimere, quandoquidem Elias tam profundè corruit, dum vult nimiùm in sublime scandere.

It Tunetũ.

Insignis eius obedientia.

Inuisit eum Pontifex cũ Cardinalibus.

Crebros patitur mẽtis excessus.

Miro sanctã paupertatẽ studio & amore cõplectebatur vir sanctus. nam tametsi operabatur manibus suis, adduci tamẽ non potuit, vt pro labore suo pecuniam acciperet, contẽtus rebus vitę degendæ necessarijs: si quid autẽ superesset, impertiebatur egenis. Pro eo autẽ paupertatis amore pstitit illi Deus, vt res necessariæ ei suppeterẽt. Cùm aliquandò fessus esset non mediocriter ex itinere, & ingens eũ fames affligeret, iuxta viã se reposuit, pro cibo somnũ capturus. Indè expergefactus, reperit ad caput suum dimidiũ panem: Deoq; gratias agens, comedit illũ, sensitq; non parũ indè se viriũ accepisse. Degebat quandoquè in excelso monte apud castellũ Dirutense cũ socio, nullo id e populo

Paupertati summè studet.

sciente. Toto autē triduo tam multa è cęlo nix decidit, vt nullo pacto neq; panis acquirendi, neq; laboris sui exercendi causa posset egredi. Itaq; rogauit Dominū, vt in tā præsenti necessitate opē ferret sibi & socio suo. Exaudiuit Deus preces eius, p̄mouitq; cor cuiusdā in castello cōmorantis, vt ad ędē S. Laurentij in monte sitam, vbi duo fratres essent, panem & vinū apportaret. Fecit ille sic, atq; etiam alios admonēs eius loci habitatores, effecit vt necessaria quęuis eis suppeditarēt. Cernens id Aegidius, dixit socio suo: Hactenùs rogauimus Deū, & exaudiuit nos: nūc porrò gratias ei agamus, & oremus pro illis, qui nobis p̄stant eleemosynas. Multi autē eius castelli homines, optimis Aegidij & socij eius exemplis cōmoti, ad Deum conuersi sunt, & beati Francisci cōplexi institutū: qui autem matrimonij erant nexibus implicati, in suis domibus egerunt pœnitentiam. Multi eius exemplis permoti cōuertuntur.

Audiens quandoquè Aegidius dominū vineæ, quę erat p̄pinqua habitationi eius, vinitores suos obiurgantē, ijsq; dicentē, Fate, fate, & nō parlate, id est, Operamini, operamini, & verba facessant: cū ingenti feruore è sua cella prorumpens, clamauit alta voce: Audite vos concionatores, quid iste vir dicat: Facessant verba, & manus operi admoueantur. Loquens aliquandò cuidam scientiam & doctrinā suam mirè iactanti, Si, inquit, vniuersa frugifera humus vnius ditione teneretur, qui tamē eam non coleret, quis indè fructus ad eū rediret? Certè nullus: contrà si alius páruū habeat agrum, eumq; diligenter excolat, & pro se & pro alijs fructus percipit. Non est igitur, quòd nimiùm fidas scientiæ tuæ. nam etiāsi omnibus sis disciplinis & artibus instructus, nihil tibi contulerit, si sis bonis operibus destitutus. Collegerat quādoquè iuncos & arūdines, sportulas indè confecturus. Vbì autē ad quoddam tēplum accessit, sacerdos quidam obuiàm ei factus, hypocritā eum appellauit. Valdè autē contristatus ille verbis sacerdotis, fleuit sine intermissione. Sciscitāti fratri, cur sic fleret, respondit se à sacerdote dictū hypocritam. Et putas tu, inquit frater, id ità esse, quòd ille dixerit? Aegidius respondit, Non puto ego sacerdotes dicere mendacium. Tum frater, Atquì, ait, hominū iudicia, cùm falli possint, longè diuersa sunt à iudicijs Dei. quibus verbis Aegidij animus recreatus est. Cōcionatores debent non solis verbis, sed etiam factis docere. Vide sancti viri candorem.

Summoperè vir beatus in id intentus erat, vt carnis appetitiones cōtereret, & portionē sensitiuā in spiritûs seruitutē redigeret. vndè insignis ei accessit nitor puritatis. Non nisi semèl in die cibū sumebat ad vesperā, eūque sanè exiguū. dicebatque: Caro nostra instàr porci est, cupidissimè ad lutū properantis & in eo cōmorantis. Est etiā similis scarabæis, qui semper versant equorū fimum. Caro nostra hostis nostri diaboli athleta est. Fratri cuidā percunctanti ex ipso, quî se posset ab omnibus peccatis carnalibus tueri, sic respondit: Qui saxa grandia aut ingētes trabes aliò transferre vult, plùs vtitur ingenio & industria sua, quàm viribus. ità hîc quoq; agēdum est. quęuis enim vitia officiunt puritati siue castitati, quę similis est speculo mūdo, quod tamē anhelitu obscuratur. Fieri autē non potest, vt ad Dei p̄tingat gratiā is, cui libet in carnalibus vitijs permanere. Caro nostra semper insidias tendit nobis, & qui eam edomat, omnes vincit hostes suos, & nihil non boni obtinet. Præ cunctis virtutibus mihi charissima castitas est. Sed cùm rogaret quidā, potior'ne esset charitas, respōdit: Ecquidnam est charitate castius & purius? Sæpè etiā cantans dicebat, O sancta castitas quænam es tu? nimirùm talis, vt stulti te ignorent. Quærenti autē fratri, quā diceret castitatem, Ego, inquit, castitatē dico, qua sensus omnes diuinę gratiæ custodiūtur. Cumq; multus esset in castitate p̄dicanda & laudāda, quidā maritus audiēs, ait illi: Equidē à fœminis omnibus abstineo, cōtentus vxore mea. satis'ne hoc tibi videtur? Et ille: Putas tu non posse hominem fieri è suo vino ebrium? Carnē edomat. Castitatem quanti fecerit.

Cùm esset apud Spoletū, audiuit vocē fœminę ipsum inclamātis. simulq; tantā sensit carnis infestationē, quātam anteà nunquàm: repulit autē eam sedulis precibus, corporis castigationibus, & sanctis operibus: ac deincèps prorsùs ab illa immunis fuit. Frater quidā valdè tentatus, Vtinàm, inquit, videre mihi liceat fratrē Aegidiū, & ei indicare tentationē meā. Sed cùm longè ab eo abesset, nec posset impetrare facultatē ad illū accedēdi, vbì se cubitū recepit, Aegidius ei astitit. Quo viso, nō mediocri est consolatione affectus, exposuitq; ei tentationē suā, petens remediū aduersùs eā. Dixit ergò ei Aegidius: Ecquid faceres cani te mordere volēti? Respōdit ille: Ego eū verberibus à me abigerē. Et Aegidius, Hoc ergò fac, inquit, etiā huic tentationi. Rogauit autē eum frater, vt pro ipso oraret: atq; experrectus à somno, sensit se ab omni tentatione liberatū. Erāt quandoquè simul fratres Aegidius, Ruffinus, Iuniperus & Simon. ait autem Aegidius: Quid facitis vos, cùm tentationes carnis vos infestant? Frater Ruffinus dixit: Humì prostratus, cōmendo me Deo & sanctissimę matri eius. Iuniperus verò, Simulatq; sentio, inquit, eiusmodi tentationem, iubeo eam procùl abscedere, quòd hospitiū meum iam occu- Remedia aduersùs tētationes carnis.

patum sit. Tum Aegidius, Ego, inquit, tecum sentio. nam cum id genus tentationibus nulla expeditor pugna est, quàm vt fugias, nec cum ea contendas.

Fuit autē in Aegidio etiā prophetiæ spiritus, vti sequētia declarabunt. Venit aliquandò ad eum quidā ordinis Prædicatorij valdè eruditus sacræ Theologiæ doctor, qui multis annis mirè vexatus fuerat hæsitatione quadā de perpetua matris Dei virginitate. Videbatur enim ei fieri non posse, vt simul mater esset & virgo. At tamē dolebat ei plurimùm, vtpotè viro benè catholico, isthæc hesitatio, cupiebatq; ab homine diuinitùs illustrato de hac quęstione doceri. Audierat verò fratrē Aegidium egregiè illuminatum, & sæpiùs rapi in Deum, itaq; statuit ire ad eū, confidēs eius sermonibus hac ambiguitate se liberatum iri. Cùm autē iam esset in via, Aegidius spiritu cognouit & tentationē & aduentum eius, procedensq; ei obuiā, priusquàm quicquā diceret, baculo terram percussit, & ait: Frater Prædicator, S. MARIA virgo est ante partum. moxq; illic ortum est elegans lilium. Iterùm humum cædens, Frater Prædicator, inquit, S. MARIA virgo est in partu. & confestim alterum erupit lilium. Tertiò solum feriens, F. Prædicator, ait, S. MARIA virgo est post partum. simulque tertium enatum est lilium. Mox autem Aegidius aufugit, & Doctor ille curatus est. Postquàm autem didicit eum fuisse Aegidium, multo deincèps amore & illum & Ordinem eius complexus est.

Obserua hic res admiratione dignas.

Statuerat aliquandò sanctus Ludouicus Francorum rex suscipere peregrinationem, & loca sacra visere. Audiens verò de eximia & admiranda F. Aegidij sanctitate, decreuit illum adire. Itaque Perusiam se cōtulit, vbi illum esse cognórat. Cumque ad monasterij portam venisset ceu ignotus quidam peregrinus cum paucis familiaribus, rogabat vbi F. Aegidius esset, nihil de se indicans ostiario. Is autem dixit Aegidio, peregrinum præ foribus cupere ipsi loqui. Actutùm verò spiritu cognouit Aegidius eum regem Franciæ esse, celeriterque ad illum accurrit. dixisses hominem ebrium esse. Vbi in mutuos venère conspectus, sese inter se complexi sunt perquàm hilariter, acsi longa inter ipsos intercessisset familiaritas. Atque ità stabant simul ad portam cum multa eximij amoris significatione, tametsi neuter quicquam alteri loqueretur. Tandèm à se taciti discesserunt. Aegidium autē ad cellulam suam redeuntem, quidam frater rogauit, quisnam ille fuisset peregrinus, qui tot erga ipsum beneuolentiæ signa ostendisset. Respondit ille, Ludouicum Christianissimum Galliarum fuisse regem. Valdè autē contristati & pudefacti fratres, quòd Aegidius tanto principi nihil esset locutus, dixerūt ei: En venit ad te visendū è Gallijs tam potens rex: & qua causa ei ne vnū quidem verbū fundere voluisti? Mox Aegidius, Nè miremini, inquit, fratres mei, nihil me cum illo rege locutum. Nam simul atquè in mutuos amplexus & oscula ruimus, tanta diuinæ sapientiæ luce perfusi sumus, vt alteri alterius pateret cor, & taciti videremus, quicquid inuicèm ore prompturi eramus, idque longè meliùs, quàm vel dicere vel audire extrinsecùs potuissemus. Quæ autem illic à Domino audiuimus, ea nullo vocis sono exprimere possimus ob humanæ linguę defectum, quę Dei arcana explicare non potest, nisì per figurarum inuolucra. Quòd si inter nos ore locuti essemus, intùs nobisipsis impedimento fuissemus. Noueritis igitur, fratres dilectissimi, regem illum Franciæ maiori intùs consolatione affectum esse, quàm vel ego dicere, vel vos capere queatis: nosque à nobis cum ingenti animorum gaudio discessisse.

Habentur hæc etiam in Vita S. Ludouici regis, 25. Augusti, Tō. 4.

Etsi autem F. Aegidius literis instructus non erat, (fuit enim laicus vel conuersus, vt vocāt) at tamen diuinæ sapientiæ splendoribus adeò illustratus fuit, vt etiam diuinis literis eruditos excelleret. Dixit aliquādò ad S. Bonauēturam, tum ministrum generalem, virum insigniter doctum: Multis te, reuerende pater, gratiæ suæ donis auxit præpotens Deus. Nos verò simplices & idiotæ quidnam faciemus, vt salui esse queamus? Respondit S. Bonauentura: Etiamsi nullā aliam homini gratiam conferret Deus, nisì vt ipsum diligeret, sufficeret ei ad obtinendam salutem. Et Aegidius: Potest'ne, inquit, homo indoctus æquè atquè doctus diligere Deum? S. Bonauentura respondente, posse etiam simplicem aniculam non minùs diligere Deum, quàm sacræ Theologiæ benè doctum doctorem: F. Aegidius exiliens feruenti spiritu, in hortum ingressus est, stansque ab ea parte, quæ ciuitatem respicit, alta voce clamauit: O vos pauperculæ, simplices & indoctæ anus, diligite Dominum Deum vestrum, poteritisque maiores effici, quàm sit frater Bonauentura, qui est doctor celebris, & sacræ Theologiæ magister. sicque mansit illic immotus, trium horarum spatio raptus in spiritu.

Diuina sapientia mirè illustratus F. Aegidius.

Hæc hominis sunt ardentissimè amantis.

Duo fratres Dominicani venerunt ad inuisendū F. Aegidium, cumq; inter se admodùm diuina miscerēt colloquia, & oblata occasione alter ex eis diceret, S. Ioannē Euan

gelistam

gelistam in sui Euãgelij exordio sublimia & quæ cõprehendi nõ possint, dixisse de Deo, Aegidius ait: Immò verò S.Ioannes nihil dixit de Deo. Dicenti autem Dominicano, Quid tu loqueris pater? cùm testetur Augustinus, si sublimiùs esset locutus S.Ioannes, totũ mundũ eum capere nõ potuisse. nè sic ergò dixeris, nihil eũ dixisse de Deo: F.Aegidius respõdit: Equidẽ permaneo in sententia, rursusq; aio propè nihil eũ dixisse de Deo. Cùm aũt id indignè ferret Dominicanus pater, mentẽ suã F.Aegidius tali declarauit similitudine: Vides altissimũ hunc montẽ: Is si totus ex milij semine constaret, & exigua auis quotidiè indè comederet, quantã putas eius portionẽ etiam centũ annis absumeret? Respõdit Dominicanus: Etiamsi mille annis indè ederet, nihil tamen id esset comparatione reliqui montis. Sic ergò, inquit F.Aegidius, etiam se habet immensa Deitas, tamq; ingens & infinitus est diuinæ perfectionis mons, vt S.Ioannes, instàr paruæ auis, nihil dixerit de Deo, si respicias ad summam eius maiestatem. Iis verbis Dominicani illi multam se senserunt percepisse consolationem, & à F.Aegidio læti recesserunt. Vide his cõsectanea in Mystica theologia Dionysij Areopagitę, alijsque locis.

Quidã alius quæsiuit ex eo, quãobrèm S.Ioãnes Baptista adhuc puer eremũ petijsset, tamq; seueriter illic vixisset, cùm intra matris viscera sanctificatus esset. Respondit aũt ei Aegidius, hac adhibita similitudine: Quanam causa sale aspergitur caro recèns mactati bouis? Illo dicente, id eò fieri, vt caro cõseruetur, vir Dei ait: Ità & S.Ioannes pœnitentiæ sale conditus est, vt eius sanctitas diutiùs & meliùs seruaretur. Cùm esset Perusiæ F. Aegidius, Iacoba, Romanarum matronarũ nobilissima, Franciscanisq; fratribus addictissima venit ad inuisendũ eum. Ea autem præsente, quidam valdè religiosus frater Minorita, Guardus nomine, quippiam boni ex eo auditurus aduenit. Fratribus autem adstantibus, ait Aegidius: Propter id quod potest homo, peruenit ad id, quod non vult. Vt autem frater Guardus posset eum prouocare ad loquendũ, Frater Aegidi, inquit, demiror te dicere, per id quod possit homo, pertingere eum ad id, quod nolit: maximè cùm nihil possit à seipso: quod ego quidẽ quatuor rationibus testatum efficiam. Primò, necesse esse vt priùs sit esse, quàm posse. talis enim est cuiusque rei actio, qualis & essentia. Sic ignis, cùm sit natura calidus, calefacit. Homo autem à seipso nihil est, dicente Apostolo, Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Quod autem nihil est, nihil vtiquè potest. Itaque nihil homo potest à seipso. Deindè si quid posset homo, id vel corporis, vel animæ ratione posset, vel simul vtriusque. Animæ autem ratione nihil eum posse, certum est, cùm anima sine corpore nihil mereri possit. Solo quoquè corpore nihil potest, vtporè quòd sine anima & vitæ & formæ expers sit. Sed neq; ab vtroque pariter coniuncto vlla eius facultas est. Si qua enim esset, ea vel ab anima esset, quæ corporis forma est. sed iam dictum est, sine corpore anima nihil potest: multò ergò minùs poterit iuncta corpori, quandò corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam. potest huius tale proponi exemplum: Si non potest asinus ingredi sine sarcina, multò id minùs poterit onustus sarcina. atque hoc exemplo videtur anima multò posse minùs cum corpore, quàm si esset illo destituta. At tamen sine illo nihil potest. Redeo igitur ad id, quod initio dixeram, hominem à seipso nihil posse. Multa quoquè alia pertexuit ille aduersùs Aegidium argumenta, vt posset habere occasionem diù cum illo colloquendi. Alijs autem fratribus argumentorum eius acumen admirantibus, F. Aegidius ait: Valdè quidem malè locutus es, Guarde frater. itaq; dic culpam tuã. Tum ille simulatè id fecit. Aegidius autem animaduertens eum non syncerè id agere, dixit ei: Frater Guarde, debitorem quidem te fateris, sed non rectè. vbi autẽ irrita est debiti confessio, nihil potest ab homine repeti. Sed quęso te, es'ne canẽdi peritus? Canas igitur mecũ. simulq; è manica sua extrahẽs citharã, qualẽ solent pueri effingere, primã percussit fidẽ, rhythmos pronuncians: atq; ità ordine alias omnes percutiens fides, cuncta Guardi argumẽta dissoluit. Et prima quidẽ tacta fide, sic ait: Nõ ego loquor de hominis essentia, priusq̃ ille creatus esset. ità enim verũ est nihil eũ esse, nec posse quicquã: sed de hominis iam creati essentia loquor: cui est à Deo tributa liberi arbitrij facultas, cuius assensu possit & bonũ & malũ promereri. Itaq; malè tu dixisti, fallaciãq; mihi struere, & verbis tuis me decipere voluisti. Nec enim Apostolus dicit de hominis essẽtia aut facultate, q̃ nihil sit, sed q̃ talis hominis merita nihil sint: sicut etiã alibì ait, Si charitatẽ non habeam, nihil sum. Porrò etiã nõ sum ego locutus de anima à corpore soluta, nec de corpore exanimi, sed de homine viuẽte: qui diuinæ obtẽperans gratię, potest, si vult, bona opera efficere: itẽq; gratię renitẽs, potest malè facere, quod nõ est aliud, q̃ à bono aberrare. Quòd aũt dicis corpus corruptibile aggrauare animã, ijs verbis non detrahit scriptura homini liberã benè vel malè agẽdi voluntatem: sed id vult, voluntatẽ, intellectũ & memoriã re-

Margin notes: Gal. 6. — Sap. 9. — Miro modo soluit cuiusdam argumenta. — Liberũ arbitrium homini attributum. — 1. Cor. 13. — Sap. 9.

Ibid. bus corporalibus occupari.indè enim ſequitur: Et terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantē. Non enim ſinunt tales animā ſuā liberè vacare cogitādis & inquirēdis rebus cęleſtibus, vbi Christus eſt in dextera Dei ſedens, quandoquidē virium animę acumen multiuariæ occupationes, tum etiā moleſtię terreni corporis multis retundunt & impediūt modis. Cōſtat ergò Guarde frater, te nō rectè locutū. Atq; hoc pacto omnes Guardi quæſtiones & rationes diſſoluit, ità vt tandèm ex animo culpā ille ſuam ediceret, fateretúrq; poſſe aliquid creaturā. Tum verò F. Aegidius, Iam, inquit, ſyncera eſt culpę tuæ enūciatio. Vis'ne aūt etiam apertiùs doceri, quippiā poſſe creaturā? ſimulq; ſurſùm aſcendēs, exclamauit voce terribili: O vos apud inferos dānati. Reſpondit aūt ſibiipſi voce valdè miſerabili ex perſona damnatorū, tremēs & gemēs, adeò vt terrore afficerētur omnes, clamauitq;: Eheu, væ nobis, væ nobis. Deinde in ſua perſona loquēs, Dicite nobis, inquit, qua cauſa ruiſtis in tartarū? atq; ipſe ſibi reſpōdit: Quòd non abſtinuimus à malo, quod vitare potuiſſemus: bonūq́ue, quod facere poteramus, neglеximus. Rursùs ex perſona ſua, O vos miſeri, perditi & damnationi addicti, quidnā facturi eſſetis, ſi vlla vobis poſſet obtingere agendæ pœnitētię facultas? & reſpondit: Libenter totius orbis terrarū humū ſensìm fodiendo egereremus, ſi liceret pœnas euadere, nullū vnquàm eheu finem habituras. Eius enim laboris tamen eſſet aliquandò finis, ſupplicia noſtra ſunt ſempiterna. Tum ad F. Guardū verſus Aegidius, Audis, inquit, Guarde, poſſe aliquid creaturā? ſubijciensque, Dic mihi, ait, Guarde frater, guttula aquæ incidens in mare affert'ne mari nomen ſuum, vel potiùs mutatur in illud? Guardo reſpondente, ſubſtantiam & nomen guttulæ abſorberi à mari, eiusque appellari nomine: F. Aegidius coram omnibus paſſus eſt ecſtaſim. dicebat enim de natura humana, quæ diuinæ eſſentiæ comparata, eſt inſtàr guttulæ ad vniuerſum mare collatæ.

Cur dānati luant pœnas ſempiternas.

Facilè patitur ecſtaſim.

Poſtquàm autē Dei ſeruus F. Aegidius ſtrenuè excoluerat vitā actuoſam, cuius typus fuit Lia, lippis oculis, portionis ſenſitiuæ paſſiones & perturbationes edomādo: ad Rachelis, id eſt, vitæ contēplatiuæ amplexus ſe contulit: quæ quidē ſcribitur fuiſſe decora facie & venuſto aſpectu. Atque ità totum ſe accōmodauit perfectæ tranquillitati & ſerenitati pectoris ſui, ſuſtulitq; eū omnipotens Deus ad eam contēplationis ſublimitatē, ad quā ea tēpeſtate vix aliū quenquā. Cùm iā ſex annis fuiſſet cōuerſus ad Deū, ageretq; extra Perusiā in eremitorio Fabrionēſi, quadā nocte pijs vacantem precibus, adeò eum Deus ſuauitate & cōſolatione repleuit, vt putaret animam è corpore migraturā. Senſit enim mori corpus, primò pedes, ac deindè cętera membra, donèc anima exceſſit è corpore. A corpore aūt egreſſa, mirè delectabatur contemplatione ingētis pulchritudinis ſuæ. erat enim ſubtilis admodùm & luculēta, ſuprà quàm vllus capiat humanus intellectus, vtì ipſe ſub mortē ſuam retulit. Rapta indè eſt illa ſancta anima ad arcana cæleſtia contemplāda, quæ tamē nulli vnquàm voluit expreſsè reuelare, dicens beatū eum eſſe, qui ſecreta Dei benè conſeruare nôrit. At paulò pòſt, nè magnitudo reuelationum extolleret eum, cùm in cella oraret, apparuit ei dæmon ſpecie tam horrenda, vt præ terrore loquendi facultatem propè amitteret. Tum humì ſe proſternēs, corde implorauit auxiliū Dei (ore enim loqui non poterat) ac deindè liberatus eſt. Expertus tum fuit veriſſimè dixiſſe beatū Franciſcū, ſatanæ formā tam eſſe immanē & horridā, vt nemo ad ſpatium Dominicę precationis poſſit eū ſalua vita intueri, niſi diuinitùs confirmetur.

Gen. 29.

Anima eius rapitur extra corpus.

Formæ dæmonū horridiſſima.

Triduo ante Chriſti natalē, cùm eſſet in Tuſcia eo loco, quē Sethonam vocant, ieiunaſſetq; diebus quadraginta, quod S. Martini ieiuniū appellāt, nocte in preces incūbenti apparuit Dominus IESVS, viditq; eum oculis corporeis: ſed præter humanitatem eius, oculis internis quiddam vidit ineffabile, quod nec poſſet nec auſus eſſet explicare. Durauit autem hæc apparitio per interualla ad dies tredecim: ſed cùm humana imbecillitas incomprehenſam illā claritatem ferre nō poſſet, ſtudioſè rogauit Dominū, nè tanto onere ipſum afficeret, ei ferendo inidoneum, quippe qui homo peccator, ruſticus, plumbeus & rudis eſſet. At quanto ille ſe cenſebat indigniorē, tanto in illo magìs cumulabat Deus gratiā ſuam. Poſt eam autē apparitionem & crebrò & facilè ac ſubitò mentis patiebatur exceſſus, māſitq; deincèps admodū ſolitarius, parumq; exibat è cellula ſua, vt gratiā diuinitùs acceptā fideliter cōſeruaret, prorsùs vitās ſermones omnes ocioſos & murmura. Totiès verò rapiebatur in Deum, quotiès aliquid audiret vel de Deo, vel de gloria cæleſti, aut paradiſi amœnitate: manebatque eodē loco immotus. Itaque pueri & opiliones, ab alijs docti, cùm eum viderent, clamabant, Paradiſus, paradiſus. Id verò ille audiens, mox ſurſùm rapiebatur. Quam ob cauſam fratres cum illo collocuturi, cauebant nè paradiſi mentionem facerent, veriti nè eius colloquio priuaren-

Chriſtus ei apparet.

Familiares ei ſunt mentis exceſſus.

tarentur. Et ipse Aegidius ab omni se hominum conuersatione subducebat, non modò secularium, sed etiam fratrum, dicebatque eum qui benè ageret negocium animæ suæ, etiam accuratiùs aliorum saluti consulturum: parua autem negligentia & exigua culpa posse magnam amitti gratiam, quæ posteà recuperari vix queat.

F. Iacobus à Massa, laicus valdè deuotus & pius, qui solebat apud S. Claram degere, singulari quadam contemplationis gratia à Deo donatus fuit: cumque crebros pateretur mentis excessus, nec sibijpsi fideret, fratrem Aegidium consuluit, quid agendū ipsi esset ea gratia arridente. Fratre autem Aegidio dicente, vt neque adderet quicquam, nec demeret, & quoàd posset fugeret multitudinem: ille rursùs petijt hæc sibi clariùs explicari. Tum Aegidius: Quandò, inquit, mens apta est in præclarā diuinæ bonitatis lucem rapi & introduci, nihil ea vel addere debet per temeritatē, vel demere per negligentiam: amare autem, quantùm fieri potest, solitudinem, vt ad Dei gloriam eius gratia custodiatur: hoc est: non tu tibi eiusmodi adscribes gratiam, nec pro tuo arbitratu certum illi tempus accommodabis: sed cùm te senties permoueri diuinitùs, præstò eris Domino tuo, eique te promptum exhibebis & offeres. Pro viribus autē declinabis hominum frequentiam, nocte ac die solus manens, exclusis ab animo ijs omnibus, quæ bona non sint: atque ità in virtutibus progredieris. F. Iacobus à Massa.

In ea, quam diximus, apparitione Christi, & Aegidij raptu admiranda ei fuère diuinitùs reuelata. Vidit enim ipsam Dei essentiam, & propter certam Dei cognitionē, quę ei tunc collata fuit, fide adeò fuit destitutus, vt dicere soleret, si Missa cantanda ei esset, non se dicturum, Credo in Deum, sed, Cognosco Deum, factorem cæli & terræ: quippe quem ego ipse vidi. Fides autem de ijs rebus est, quæ non cadunt sub aspectum, nec tamen dubitatur, quin sint. Sed hæc fides tum desinet, cùm Deum in cælū videbimus, sicuti est: Fuit verò Aegidius raptus extra corpus in tertium cælum, vbi cum Apostolo, multa didicit arcana & occulta sapientiæ Dei. Solebat autem dicere, se quatèr esse natum. Primò ex matre: deindè in baptismo: tertiò in monasticæ vitę professione: quartò cùm sic ei Christus se visendum prębuit. Semper admodùm iucundus & hilaris fuit: sed ei summoperè dolebat, quòd sustentandi corporis cura aliqua suscipienda ei esset: cupiebatque folijs arborum vesci, vt posset vitare hominum conuersationem. Diebus Dominicis & solennibus sacram percipiebat Eucharistiā cum multa deuotione, atque illos dies totos impendebat precibus & sanctis meditationibus. Porrò præ eximia fide ac pietate, Ecclesiastica sacramenta & ius Pontificium non mediocri reuerentia prosequebatur: cumque audiret quippiam referri ex decretis & constitutionibus Ecclesiasticis, valdè id commendabat, dicebatque: Nos indocti & miseri non agnoscimus bonitatem tuam ô sancta Romana Ecclesia. Tu enim doces nos viam salutis: tu viam paras & munis, qua ad sempiternam gloriā proficiscamur. Venerunt quandoquè ad eum duo Cardinales, vt audirent spiritales & vitales sermones eius. iam enim sanctitatis eius fama apud omnes peruulgata erat. Postquàm autem familiariter cum eo fuère collocuti, rogabant eum, vt pro ipsis oraret. At ille, Ecquid opùs est, inquit, reuerendissimi domini, orare me pro vobis, quandò multò maiori vos fide & spe prędit estis, atquè ego? Illis sciscitantibus, quinam id fieri posset. Aegidius respondit: Vos in tantis opibus, honoribus & prosperis successibus putatis vos saluos fore, cùm ego in miseria & rebus duris atque aduersis me damnatum iri formidem. Quibus verbis Cardinales non mediocriter ædificati, ea in animos suos demiserunt.

Mira ei diuinitùs reuelantur.

2. Cor. 12.

Vide quantum tribuit Pontificum decretis, & Romanæ Ecclesiæ.

Septem quædam huic beato viro inerant, quibus ad perfectionis culmen perductus est. Primum fuit fides firma & constans. Secundū, ingens animi pietas & deuotio. Tertium, erga alios reuerentia. Quartum, humanitas, benignitas & condolentia. Quintū, multa solicitudo. Sextum, eximia obedientia. Septimum, nō mediocris erga Deum & homines pro acceptis beneficijs gratitudo. Sub finē vitæ, cùm iam in Ordine Minorū fuisset annis quinquagintaduobus, molestissimas sensit maligni dæmonis vexationes. Cùm enim nocte quadā oraret, & post preces vellet quieti se dare, teterrimus dæmon in locum quendam adeò angustum eum deposuit, vt nec ipse mouere se posset, nec socius eum indè extrahere: sola Dei gratia indè emersit. Sæpè adeò molestum & infestū se ei præbuit satan, vt nonnunquàm fratrū opem imploraret. Vesperì se ad cellulam suam se conferens, Nunc, inquit, imus ad cruces & certamina. Morte appropinquante, tantam ei debilitatem attulit febris, tussis, alijque morbi, vt neque somnum neque cibum posset capere. A fratribus autem ad lectum quendam deportatus fuit, alicuius quietis & commoditatis captandæ causa. Pridiè autem eius diei, quo S. Georgij feriæ

Septem eius præclaræ virtutes.

Sub vitæ finē infestos sensit dæmones.

feriæ celebrantur, cùm nocte à fratribus esset in eo lecto depositus, & Perusini apud eum excubias agerent, vt sacrum eius corpus post obitum sibi retinerent, cuidam illic adstanti fratri ait: Dicito Perusinis, eos vel propter miracula mea, vel ob meî in Sanctos relationem siue canonizationem nullam vnquàm pulsaturos campanam: nec aliud eis datum iri signum, nisi Ionæ prophetæ. Deindè quietissimus & placidissimus in lectulo decumbens, clausis oculis & ore, absque vlla membrorum valida protractione aut commotione beatissimum reddidit spiritum eodem die, quo ante annos quinquagintaduos à S. Francisco habitum monasticum acceperat, putà ipsis S. Georgij martyris ferijs. Eius animam vidit sancta quædam persona cum multorum fratrum aliorumq; animabus, è purgatorio dimissis, ad cælos euolare, Christumque ei venire obuiàm, & admodùm honorificè eum amplexari, adhibito cantu suauissimo, omnes cælestis patriæ regiones efficaciter penetrante.

Felicissimè decedit è vita.

Quo autem tempore in lectulo decumbebat ægrotus, etiam quidam Dominicanus frater in suo decubuit monasterio, eademque hora obijt, qua Aegidius. Apparuit autē post mortem cuidā fratri, summo eius amico, aitque valdè benè secum agi. Cùm enim, inquit, abirem è corpore, quidam frater Minorita Aegidius decessit: cui ob eius eximiā sanctitatem id prestitit Deus, vt multas è purgatorio animas secum in cælum posset abducere. Patiebar ego tum dira supplicia, sed eius meritis euasi. atque his dictis, disparuit. Frater autem, cui apparuerat, hæc alijs indicare nolens, subitò grauissimo correptus morbo est: sed confitens ea causa id accidisse, quòd noluisset sancti fratris Aegidij gloriam & virtutem euulgare, petensque acciri tum Franciscanos, tum Dominicanos fratres, postquàm hæc eis enarrauit, confestim sanatus est. Obijt autem F. Aegidius anno salutis millesimo ducentesimo octogesimotertio. Porrò Perusini dum saxū inquirunt, vndè eius condant monumentum, sepulcrum marmoreum reperiunt, in quo historia Ionæ sculpta erat. In eo igitur reposuerunt corpus eius, sicut ille sub mortem prædixerat. Sepultus est extra Perusiam in monte, in monasterio Franciscanorum, & multis claruit miraculis. S. Bonauentura doctor eximius de eo dicere solebat, præstitū illi à Deo, vt possit efficaciter opitulari eis, qui ad animæ suæ salutem inuocent eum: idemque Bonauentura gratias agebat Deo, se in ea incidisse tempora, quibus sanctissimum hunc F. Aegidium & alloqui & videre potuisset.

Impletur eius prophetia.

S. Bonauenturæ de illo testimoniū.

Etsi autem doctus humanitùs non fuit Aegidius, at tamen propter sublimem mentis excessum, quo fertur raptus in tertium cælum, multa dicere consueuit vtilia & salutaria. Frater quidam conquerebatur ei, quòd adeò compelleretur externis vacare laboribus, vt vix posset persoluere preces suas: dicebatq; se propterea velle petere eremitorium, vt posset illic Domino in pace & tranquillitate seruire. Respondit ei Aegidius: Si eas ad Francorum regem, dicasq; ei vt numeret tibi mille argenti libras, putas'ne iure illum dicturum tibi, te quibusdam agitari furijs talia ab ipso petentem, cùm nullam sibi nauaueris operam? Si verò magnos quosdam & arduos eius causa exantlâris labores, qui tali sint præmio digni, fidenter iam & meritò tantam pecuniæ vim ab eo possis exigere. Si vis igitur in precibus tuis audiri à Deo, primùm illius causa laborandum tibi erit. Longè autem plus meriti habet vnum opus bonum pro alterius factum voluntate, quàm duo pro propria. Si quis tibi restituat manus, oculos, aut alia, quibus orbatus sis, membra, cupidè sanè illi tota vita tua inseruies, nè eius beneficijs ingratus habearis. Et eccè præpotens Deus dedit nobis manus, pedes, oculos, cuncta & spiritalia, & temporaria & corporalia bona, nec tamen illi inseruire volumus.

Meritum obedientię.

Dixit ei frater quidam, se multùm laborare pro deuotionis gratia promerenda, nec se illam tamen adipisci. Cui Aegidius: Culpam, inquit, confitere tuam. Ille enim, cuius ditione omnia continentur, quod hodiè non confert, cras fortasis largietur. Tu igitur hoc vnū duntaxàt cures, vt Domino fideliter seruias. Nam etiamsi quis à primis mundi initijs vsque ad supremū eius diem viuat, faciatque quicquid potest boni, non tamē possit ex se minimam Dei promereri bonitatem. Esca quidē parata est, sed non est, qui velit accipere. Alteri cuidā percunctāti, quo pacto tētationes effugeret, respōdit, Tentationes fugere volens, ipsum cælum fugit. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Alius frater rogauit, quidnam posset Deo gratissimum facere: Aegidius autem manè respondit illi cantans: Vnam, vni. nec quicquam his addebat. Dicente fratre, se nescire quid ea sibi velint, Vnam, inquit Aegidius, animam sine intermissione & absque medio vni Deo commendabis.

2. Tim. 2.

F. Gra-

F. Gratianus ait ad eum: Ego, mi pater, noui concionari, dare consilia, & alia bona opera facere: sed nescio tamen, quid potissimùm sequar. Quæso te dicas, quid tibi consultissimum videatur. Aegidius respondit: Nihil potes gratius facere Deo, quàm vt teipsum à collo suspendas. Perterrito illo ob huiusmodi sermonem, Aegidius ait: Qui suspensus est, non est ille quidem in cælo, at tamen terra superior est, semperque deorsùm respicit. Sic & tu facias. Quandoquidem necdùm datur tibi esse in cælo, mentem sursùm erigas ab his rebus caducis, exerceasque te in virtutum operibus, de teipso submissè sentiens, & Dei misericordiam constanter expectans. Facetè quidē, sed sanctè dictum, si rectè intelligas.

Adolescens quidam dixit beato viro, velle se religiosum fieri, & monasteriū petere. Tum ille: Si vis, inquit, isthuc facere, abi & quamprimùm iugula parentes tuos. Adolescens verò eiulans, Quonam, inquit, pacto tantum ego in me scelus possum admittere? Respondit Aegidius: Non ego te iubeo illos ferro necare, sed gladio spiritali. Qui enim non odit patrem suum & matrem, non potest effici Christi discipulus. Item aliud. Luc. 14.

Frater quidā tentationibus pressus, sæpè rogauerat Deum, vt ab ijs liberaretur, sed id frustrà. Indicauit id igitur beato Aegidio, qui sic ei respondit: Non mireris, frater mi, si permittit Deus te confligere cum hostibus, quandò tot ab illo affectus es gratiæ donis. Quanto enim potioribus armis rex instruit milites suos, tāto eos vult viriliùs dimicare. Sciscitanti cuidā, qua ratione posset feruenter orare Deum, cor suū sentiens torpore & frigore affectū: ità ait Aegidius: Ponamus regem quendam habere duos fideles ministros, quorū alter armis munitus sit, alter inermis: mittere autē eum vtrunque, vt cū hostibus pugnā ineant. Armatus igitur ibit imperterritus ad certamen: inermis verò dicet regi suo: Vides, domine rex, me nullis tectū armis: at tamen amore tuî proficiscar ad pugnandū aduersùs inimicos tuos. Cernens autē rex tantam illius erga se fidē, dicet satellitibus suis: Ocyùs paretis arma, quibus induatur fidissimus seruus meus, imprimatisq; ei signum armaturæ meæ. Ità etiam, qui ad certamen orandi absq; deuotionis gustu fidenter accedit, Deo prouidente, non frustrabitur rebus necessarijs. Non cessandum à precibus, etiam cùm nō sentitur deuotio.

Quodam illum consulente, num monasterium ingredi deberet, sic respondit: Si quis valdè inops sciret alicubì in agro reconditum thesaurum, putásne quęsiturum illum ab aliquo, an eum thesaurum effodere deberet? Quanto ergò magìs properare debēt homines, vt reperiant vitæ æternæ thesaurum? Tum ille consilijs eius parēs, relictis omnibus, factus est monachus.

Rogauit aliquandò Aegidius Iureconsultum quendā benè eruditū, crederet ne pręclara esse & eximia Dei dona. Illo respondente, se sic sentire. Aegidius ait: Ego verò te statum efficiā, te id non credere. Dic mihi, quanti æstimes omnes facultates tuas. Ait ille: Valent fortassìs mille pondo. Tum Aegidius, Iam ergò ostendā, inquit, te nō nisi ore credere. Si tu his mille pondo possis tibi comparare centū millia, grande sanè lucrum feceris: attamen nolles hæc dare pro regno cælorum. cælestia enim tu pro nihilò ducis. Contrà Iureconsultus: Putas tu, ait, tantum quenque operari, quantum credit? Respondit Aegidius: Si benè & rectè tu crederes, etiam bonis operibus deditus esses: sicut & sancti omnes, qui bonorum operum valdè studiosi fuêre. Quæ si re ipsa perficere non potuerunt, affectu & desiderio effecerunt, sanctumque desideriū defectum operis suppleuit. Si quis vera perfectaque esset fide pręditus, is ad talem pertingeret statum, in quo ei plena securitas præstaretur. Qui verò summum illud atq; æternum expectat bonum, quid illi possit malum officere? & qui æternis se credit dedendum supplicijs, quid illi possit conferre bonum? nec tamen debet vnquàm peccator, dum est in viuis, diuinam desperare misericordiā. Vt enim nulla tam est spinosa aut nodosa arbor, quæ non possit fabrorum arte plana & elegans effici: ità nullus est tam flagitiosus peccator, quem non possit ornare Deus gratia & virtutibus suis. Viua & feruens fides hic accipienda est. Nunquàm desperandū.

Interrogatus quandoquè frater Aegidius à quodā, quidnā facere deberet, quandoquidem & benè agēs, animo efferri se sentiret, & malè agens, maiori afficeretur animi mœrore, & propemodùm desperaret: ità ei respondit: Optimè facis, si te peccâsse doleas: sed tamē etiam huic dolori adhibendus est modus, cogitandumq; Dei potentiam longè propensiorē esse ad miserendū, quàm infirmitas tua fuerit ad peccandū. Quòd si agricola cogitet, Si quidem sementem fecero, volucres cæli & bestiæ terræ & semen & fruges comedent: nunquàm seminare ausus erit, nec habebit quod comedat: At sapiens agricola serit tempore suo, ac deindè colligit annonam. Non sunt igitur propter vanam gloriam bona omittenda opera. si enim ea displicet, semper & maxima & potissima operum portio permanet ea facienti.

Alio

Vita monastica quàm tutior sit seculari.

Alio quodam ex ipso perquirente, possit'ne diuinam sibi conciliare gratiam, qui in seculo permaneat: ità ait: Potest quidem, sed mallem ego gratiam vnam in monasterio, quàm decem in seculo. Quæ enim in monasterio obtinetur gratia, ea & crescit facilè, & benè custoditur: quòd is, qui monasticum sectatur institutum, ab omni mundi strepitu & solicitudine perturbante, quæ magnum adferunt gratiæ impedimentum, seiunctus sit: alijque fratres pijs adhortationibus & sanctis exemplis à malo eum retrahant, & ad bonum incitent. Porrò gratia, quæ in seculo percipitur, & citò solet amitti, & ægrè conseruatur: quòd mundanarum tentationum solicitudo, quæ est perturbationum & inquietudinum parens, diuinæ gratię & impediat & perdat suauitatem: tum quoquè alij seculo dediti homines pestiferis suasionibus & perniciosis exemplis eum, qui diuina gratia præditus est, à bono reuocent, fortiterque impellant ad perpetranda mala. Si quis enim velit rectè & inculpatè se gerere, eum non modò non adiutant, sed irrident etiam: Dei autem inimicos tantum abest vt repręhendant, vt etiam efferant & extollant. Satius est igitur vna potiri gratia in libertate, quàm decem in eiusmodi timoribus & periculis.

Mundi malitia.

Frater quidam rogauit Aegidium, vt pro ipso Dominum deprecaretur. Cui Aegidius, Tu verò, inquit, ora pro teipso. Quid enim alium pro te mittis, & tu interìm deses, cùm possis ipse iter facere? Illo dicente, se peccatorem esse, Aegidium autem Dei amicum, atque ea causa posse fidenter & pro se & pro alijs deprecari, Aegidius respondit: Frater mi, si omnes vrbis huius plateæ auro & argento plenæ essent, proclamatumque foret, licere cuilibet illud auferre, alium'ne pro te nuncium ablegaturus esses, qui tuo nomine id tolleret? Puto equidem teipsum iturum, nec satis fisurum alteri. Ità nimirùm Deus totum implet mundum, & potest inueniri ab vnoquolibet. Tu igitur ipsius eum adito, nec alium pro te mittas.

Hæc vir sanctus modestiæ causa dicit, nō cōtra inuocationē Sanctorum.

Nobilis quidam conuersus ad Deum, factus est Franciscanus. Cum hoc magna intercessit fratri Aegidio consuetudo & familiaritas, cùm esset in seculo. Postquàm autem religiosus factus est, nullam ei Aegidius voluit peculiarem exhibere familiaritatem, vt antè consueuerat, sed ait illi: Frater charissime, nos vnius eiusdemque familiæ sumus, vnique Domino pariter famulamur. Mihi autem incompertum est, an gratum sit Deo, vt sic illi seruias, quemadmodùm ego te hortari velim. Fortasìs enim me hoc vel illud monente, illi visum erit aliud abs te exigere. Itaque non sum ego deincèps solicitus de te, missamque facio omnem singularem erga te familiaritatem, qualis mihi solebat esse tecum, cùm secularis esses.

AVREA F. AEGIDII DICTA: PRIMO, DE VIA SAlutis *& perfectionis, & de fide atque charitate.*

SOlebat dicere F. Aegidius: Si seruari vis, non reposcas à creaturis rationem eorum, quæ tibi eueniunt. Si saluus esse cupis, summoperè fugias honorem & consolationem omnem, quæ possit percipi ex creaturis. Sātanæ quidem consolationes multò & subtiliores & deteriores sunt, quàm eius tentationes, nec raròimpellunt hominem in ruinam grauiorem, quàm afflictiones. Omnis ruina ingens, quęuis grandia pericula eò ferè accidunt, quòd vertex nimiùm erigitur: sicut è diuerso bona omnia conciliat capitis submissio. Væ autem illis, qui etiam ob sua maleficia honore affici volunt. Si meministi te creatorem offendisse tuum, debes aduersa omnia à quouis illata ferre patienter. nec enim iure potes de illo conqueri. Si quis tecum contendat, cedas illi, & victor abibis: alioquì vbi vicisse te arbitraberis, ad extremum victum te senties. Si vis benè & acutè cernere, erue tibi oculos: si vis audire perfectè, obtura aures, vt sis surdus. Si vis rectè & præclarè loqui, præcide tibi linguam, vt obmutescas. Si vis probè efficere omnia opera tua, amputa manus tuas. Si cupis esse mēbris omnibus integer & perfectus, mutiles ea. Si vis benè viuere, mortifica teipsum. Si vis benè edere, ieiunes. Si cupis dormire benè, vigiles. Si cupis lucrari benè, da operā vt perdas. Sapientissimus profectò est, qui sic facit: sed non omnibus id studio est. Sunt autē hæc accipienda spiritaliter. Gratia Dei & virtutes instàr scalæ sunt & viæ, qua cælum scandatur: vitia autem & peccata via sunt, qua deorsùm eatur. Peccata virus sunt, virtutes & bona opera theriaca. Gratia alia aliam adducit, & vitium sibi adiungit vitium. Gratia laudem suî respuit, vitium non fert suî contemptum. Animus in humilitate acquiescit, & humilitatis filia est patientia. Cordis puritas cernit Deum, deuotio eum comedit. Si diligis, diligéris. Si times, timeberis. Si seruis, seruietur tibi. Si te rectè gesseris, erga

Peccator non habet vndè conqueratur, licèt afflict'.

Gratia. Virtutes. Peccata.

erga alios, idem ab illis expectabis. Beatus autem ille est, qui sic diligit, vt tamen non cupiat redamari: beatus qui sic timet, vt timeri nolit: qui inseruit alijs, nec appetit sibi inseruiri: qui erga alios probè se gerit, nec optat idem sibi præstari ab illis. Hæc autem cùm sint sublimia & præclara, stulti & vecordes ad ea non pertingunt. Tria quædam sunt eximia & frugifera, quibus quisquis præditus est, is malè corruere non potest. Primum est, afflictionem omnem ferre animo libenti atque sedato. Alterum, ex bonis omnibus, quæ quis faciat aut percipiat, humiliorem atque submissiorem fieri. Tertium, feruenter amare bona illa, quæ sub aspectum corporeum non cadunt. Ea, quæ homines mundani magìs fastidiunt & respuunt, apud Deum & sanctos eius maiori in precio sunt. Homines miseri quæ amare deberent, ea habent odio: & quæ odisse eos oportebat, ea diligunt. Sciscitabatur aliquandò F. Aegidius ex fratre quodam, num bona esset anima præditus. Illo dicente, se id nescire, Aegidius ait: Sancta contritio, sancta humilitas, sancta charitas, sancta lætitia, sancta deuotio animam faciunt sanctam & bonam.

Tria seruãt à ruina.

Hominum cæcitas.

De Fide.

QVicquid cogitari, dici, conspici & tangi potest, non est comparandum cum illis, quæ nec cogitari, nec dici, nec tactu percipi possunt. Sapientes & sancti omnes, quotquot fuère, sunt & erunt, qui vel locuti sunt, vel loquentur de Deo, nunquàm explicare potuerunt aut poterũt, quid sit Deus, prout ille re uera est: immò dicta eorum omnia vel millies minora sunt Deo, quàm acies acûs vnius cælo, terra, & omnibus, quæ ijs continentur, minor est. Atque adeò vniuersa scriptura sacra quasi balbutiens nobis loquitur, quemadmodùm solent matres balbutire cum infantibus suis, ipsas alioqui non intellecturis.

Deus incõpræhensibilis.

De Dilectione Dei & proximi.

CHaritas virtutes omnes antecellit. Beatus ille, qui non satiatur ijs rebus, quas perpetuò debet appetere. Dixit aliquandò F. Aegidius cuidam speciali amico suo: Putas'ne te mihi charum esse? Illo dicente, se sic existimare, Aegidius ait: Non tibi persuadeas te à me diligi. Solus enim Deus conditor noster amat creaturas suas, nec conferendus est amor noster cum illius amore. Alius frater rogabat Aegidium, quid sibi velit, quod propheta ait, Omnis amicus fraudulenter incedet. Cui ille sic respondit: Fraudulentus ego sum in te, quòd bonum tuum non efficio vt sit meum. Quanto enim magìs id ego studeo, vt tuum bonum meum sit, tanto minùs in te fraudulentus sum: & quo quisque plùs lætatur alterius virtutibus, eo illarum erit magìs particeps: sicut è diuerso quanto quis plùs gaudet alterius malis, tanto quoquè eorum fit ampliùs particeps. Itaque si vis mortalium omnium participare virtutes, eorum fac virtutibus læteris. Ità enim fiet, vt aliorum virtutes tuæ sint, si tibi placeant: aliorum quoquè vitia nos cautos reddant, si displiceant. Atque hæc est salutis via, aliorum virtutibus gratulari, vitijs mœrere: de omnibus sentire benè, de seipso malè: honorem habere alijs, seipsum pro nihilo putare. Quisquis enim non vult honorare alios, nec ipse honorabitur: & qui ignorat, ignorabitur: qui fatigari non vult, nec requie potietur. Labor omnium fructuosissimus est, benignitati ac pietati siue cultui diuino deditum esse. Quicquid absque charitate fit, nec Deo, nec sanctis eius gratum est. Rebus suis fit homo inops, diuinis autem rebus locuples. Debet igitur res eligere diuinas, & contemnere suas. Nihil præstabilius est, quàm gratum esse donis Dei, & sese ob suam malitiam scire repręhendere. Vellem equidem me in hac studuisse schola ab ipso mundi exordio, & permitti mihi in ea studere vsque ad extremum mundi diem: puta, in consideratione & prædicatione beneficiorum Dei, & obiurgatione peccatorum meorum. nec tamen velim esse in gratijs agendis negligens. Videmus mendicos miris efferre laudibus illos, à quibus etiam parum accipiunt. Quales ergò nos oportet esse erga Deum nostrum? Multùm sanè ex animo ille nobis amandus est, qui nos ab omnibus vult seruare malis, & præstare nobis bona omnia.

Quantùm nos amet Deus.

Ierem. 9.

Virtutes aliorum vt fiant nostræ.

1. Cor. 14.

Exercitium vtilissimũ.

De Humilitate.

AD cognitionem Dei nemo potest pertingere, nisi per humilitatem. In via sursùm contendere, descendere est. Perditio omnis, magnæ prolapsiones & casus omnes, qui in mundo acciderunt, non aliundè acciderunt, quàm ab erecta ceruice, vel elato capite. Patet hoc in illis, qui in ipso cælo conditi sunt, itemque in Adamo, in Pharisæo, & in permultis alijs: Contrà verò multa facta sunt bo-

Perditionis omnis causa superbia.

na capitis summissione, vtì potest animaduerti in sanctissima Dei matre, in publicano, in latrone, alijsque plurimis. Si attendas Dei dona, iure potes semper demittere caput: si tua peccata consideres, habes vndè meritò ceruicem inclines. Væ autem illi, qui etiam ob sua malefacta honorari vult. Sublimis ille humilitatis gradus est, si quis cognoscat seipsum semper esse contrarium bono suo. Est etiam ille quidam humilitatis gradus, si nolis retinere quod tuum non est, nec illud ceu tuum tibi vendices: hoc est: si soli Deo tribuas bona quæ habes, cuius etiam re vera sunt: & tibijpsi imputes malitiam tuam. Beatus ille est, qui coram hominibus tam se vilem ducit, quàm coram Deo vilem se existimat. Beatus, qui nunc seipsum iudicat: is enim ab alio iudicio immunis erit. Beatus, qui pro alterius iudicio & ex obedientia fideliter vitam ducit suam: quod sanè Apostoli fecêre etiam postquàm repleti fuêre spiritu sancto. Qui pacem seruare vult, omnes debet sibi anteferre. Beatus, qui in verbis & moribus suis non cupit haberi alius, quàm qualis ex Dei gratia est vocatus. Beatus, qui nouit diuinas celare reuelationes. nihil enim tam arcanum est, quod nolit reuelare Deus, cùm ei visum fuerit. Si totius orbis homo sanctissimus se censeat omnium pessimum, is planè humilis est. Humilitas loqui nescit, & patientia non est ausa loqui. Humilitas mihi fulminis instàr esse videtur, quod ferit terribiliter, nec vlla eius pòst existunt vestigia. Ità enim & humilitas dissipat omne malum, & odit peccata omnia, efficitque vt homo sese nihilipendat. Humilitate Dei conciliatur gratia, & pax cum proximis. Quemadmodùm rex præpotens missurus filiam suam ad locum aliquem, non illam imponit equo fero, indomito atque contumaci, sed benè mansuefacto, & commodè gradienti: ità quoquè Deus gratiam non confert suam elatis, sed mansuetis & humilibus.

Luc. 18. & 23

Obedire alteri, quàm salutare.

Humilitas odit vitia.

De Timore Dei.

Timoris Dei magna præconia.

SAnctus Dei timor vitiosum pellit timorem, conseruatque ac tuetur ea bona, quæ nulla potest effari lingua, nulla mens cogitatione assequi. Timor Dei, eximium Dei donum est, quo non omnes præditi sunt. Qui non timet, is nihil habere videtur, quod possit amittere. Timor Domini regit & protegit hominem, Deique gratiam ei impetrat. Si quis Dei gratia præditus sit, timor Dei eam conseruat. si ea careat, timor eam illi obtinet. Creaturæ omnes rationales, quæ prolapsæ sunt, non essent lapsæ, si hoc dono instructæ fuissent. Sanctum hoc donum non nisi sanctorum hominum est: quantoque maior homini inest gratia, tanto humilior & sedatior est: nec ea virtus quam quis minimè exercet, minor est alijs. Quisquis vsque eò offendit Deum, vt sit mortis reus, qua ille fronte ausus erit apparere coram illo? Beatus est, qui se sentit versari in hoc mundo tanquàm in carcere, quique semper veretur se offendere Dominum suum. Nusquàm licet homini in hoc mundo esse securo, vbi inter medios degit hostes. A teipso & tui similibus semper serua teipsum. Hostis noster caro nostra est, quæ cum hoste tartareo semper oppugnat animam nostram. Semper igitur plùs formidandum est homini, nè à propria vincatur malitia, quàm quæcunque res alia huius mundi. Impossibile est Dei promereri gratiam, & in ea perseuerare, nisì adsit solicitudo sancta & timor sanctus: quo timore qui destitutus est, certum habet suæ perditionis argumentum. Timor Dei facit hominem humiliter obedire, & ceruicem ad terram vsque sub obedientiæ iugum deponere. Quanto est in homine auctior Dei timor, tanto ille in precibus magìs assiduus est. Qui verò sanctæ orationis gratiam adeptus est, non paruo Dei munere affectus est. Quantumuis magna videantur hominis opera, non hominum æstimatione metienda atque prædicanda sunt, sed bona Dei voluntate, & quatenùs ille ea commendat. Quod cùm nos lateat, vereri semper debemus omnia opera nostra.

Quid maximè homini formidandum.

Gratia precandi.

De Patientia.

Patientiæ magna vis.

QVisquis Dei causa æquo animo libens patitur aduersa, is citò magnam obtinebit gratiam, & mundi huius dominus fiet, pedemque alterum in alio defiget seculo. Quicquid homo vel boni vel mali facit, sibijpsi id facit. Non debes igitur ira permoueri, si qua tibi ab alio irrogetur iniuria, sed potiùs dolere culpa illius. Quanto quis promptiori animo propter Deum fert iniurias & afflictiones, tanto apud illum maior est: quantoque imbecillior est & impatientior ad ferendum aliquid causa Dei, tanto apud illum minor est, nec cognoscit, quid sit Deus. Si quis malè de te loquatur, tu illi fer suppetias: si quis benè de te loquatur, in Deum id refundas. Aliorum dicta & facta laudibus efferas, tua vituperes. Cùm aliquis tecum iurgatur,

gatur, si vis abire victor, cedas illi. Quid causæ est, quòd ægrè ferimus afflictiones? Non concupiscimus medullitùs spiritales consolationes. Nullum tu iniuria afficias: si quis vero tibi iniuriam faciat, feras id humiliter & comiter propter amorem Dei, & in remissionem peccatorum tuorum. Longè præstabilius est & conducibilius, magnam iniuriam Dei amore absque murmure perpeti, quàm centum famelicos homines quotidiè pascere, & multo tempore ieiunare vsque in vesperam, donèc stellæ emicent in cælo. Ecquid verò prodest contemnere seipsum, & eneruare atque affligere corpus suum ieiunando, vigilando, precando, atque aliis modis castigando, si interim ne vnam quidem possimus ferre à proximo illatam iniuriam: cùm tamen indè plus liceat obtinere præmij, quàm ex omnibus propria voluntate susceptis? Pati enim iniuriam absque murmure multò plùs peccata expiat, quàm largi lachrymarum imbres. Beatus est, qui sua peccata & Dei beneficia semper in oculis & in conspectu suo proponit. is enim placidè tolerat pressuras & angustias omnes, magnam indè consolationem habiturus. Beatus, qui nullam expetit consolationem ab vlla creatura, quæ sub cælo est. Qui sua semper peccata versat ob oculos, is nullâ afflictione frangitur. Quicquid habes boni, id Deo acceptum referes: molestias verò & afflictiones omnes peccatis tuis imputabis. Etiamsi quispiam bona illa omnia & fecisset & faceret, quæ mortales vniuersi fecère & facturi sunt, si tamen sese intùs benè inspiceret, comperiret seipsum semper bono suo contrarium. Frater quidam aliquandò percunctatus est ex Aegidio, quid faciendum esset, si multæ afflictiones ipsis acciderent: accepit autem eiusmodi ab eo responsum. Etiamsi Deus è cælo lapides & silices plueret, non possent tamen officere nobis, si tales essemus, quales esse deberemus. Si quis enim is sit, qui esse debet, mala & molesta omnia in bonum & in oblectationem ei verterentur. Sicut enim illi, qui peruersa est voluntate, bonum mutatur in malum: ità illi, cuius est bona voluntas, malum abit in bonum. Omnia magna tum bona, tum mala intùs in homine sunt, nec oculis cerni possunt. Mali dæmones ad nostram infirmitatem, ad nostros labores & famem, omnemque proximis irrogatam iniuriam aduolant. Si vis saluus fieri, nullam creaturam in ius voces. Sancti homines bona agunt, & mala patiuntur. Si agnoscis te offendisse Deum creatorem tuum, fatearis etiam dignum te esse, quem creaturæ omnes persequantur, vlciscanturque iniurias abs te illatas Domino tuo. Quicquid ab vlla creatura molestiæ tibi infertur, id bono feres animo. neque enim poteris iure de quauis creatura conqueri, quandò benè commeruisti ab omnibus malè accipi & affligi. Præclara virtus est, vincere seipsum. qui enim victor est suî, omnes suos vicit hostes, & bona omnia consequetur. Eximia is virtute præditus foret, qui se sineret vinci ab omnibus. talis enim mundi esset dominus. Si seruari vis, diligēter in id incumbas, vt desperes consolationē omnem, quam vlla possit mortalis adferre creatura. Multò enim grauiores & periculosiores ruinas pariunt consolationes, quàm res aduersæ. Equus generosa est indole & habitudine. nam quantumuis incitato feratur cursu, at tamen sessor eius in quamlibet partem flectere eum potest, & quò vult cunque impellere. Ità sanè etiam homines aliis se in suo cursu gubernandos permittere deberent. Religiosus quidam aliquandò querebatur grande quoddam obedientiæ onus sibi impositum, sed dictum est ei à F. Aegidio: Amice, quanto plùs obmurmuras, tanto tibiipsi grauiorem efficis sarcinam: quo autem humiliùs obedientiæ præcepto te subdideris, eo & faciliùs & suauiùs feres. Non vis humiliari in hoc seculo, & tamen in futuro honorari vis. Laborem respuis, & quiete potiri vis. Perdere nihil vis, & lucrari te posse confidis: sed falleris planè. per ignominiam enim pertingitur ad gloriam, labore paratur quies, iactura peruenitur ad lucrum. Iam antiquitùs vulgò dici solet: Qui non vult dare quod amat, is non obtinebit quod desiderat. Non mireris, si interdùm proximus te perturbet. Nam & Martha, alioquì bona, voluit Dominum aduersùs sororem suam commouere, immeritò de illa conquerens. Luc. 10. Accuratè semper des virtutibus & gratitudini operam, & pugna viriliter aduersùs vitia tua, sedatoque & forti animo feras pressuras, ignominiam, afflictiones & iniurias: quod non est aliud, quàm vt vincas teipsum. Parum enim est multas Domino lucrari animas, nisi etiam teipsum vincas.

Iniuriam ferre placidè quàm gratū Deo.

Nulla aduersa nocēt benè animo constitutis.

Nunquàm conquerendū de aliis, nos affligētibus.

De sancta cordis solicitudine & alacritate siue vigilantia.

HOmo ociosus, & animi alacritate ac vigilantia destitutus, & præsenti & futuro se priuat seculo, & neque sibi, neque aliis vtilis est. Fieri autem non potest, vt absque solicitudine & labore virtus obtineatur. Homo ætate iuuenis si laborem refugiat, regnum cælorum refugit. Sicut malum ocium ad mala omnia

Virtus sine cura nō obtinetur.

perducit, ità sancta quies & bonum ocium in cælum adducit. Iure quidem solicitum inprimis oporteret esse hominem ad fideliter conseruanda diuinitùs ipsi collata charismata, & ad ea in opus strenuè conferēda. Sæpè enim amittuntur fructus propter folia, & frumentum propter paleas. Plus est, benè nôsse custodire Dei dona, quàm ea adipisci. Nam etiamsi ea adeptus sis, si conseruare nescias, nunquàm locuples eris. Non est autem magnum, scire ea custodire, nec scire adipisci. Multi multa lucrantur, nec ditescunt tamen: quippe qui parta non custodiant. Plerique paulatìm lucrantur, & fiunt opulenti, quòd [n]ôrint seruare ea, quæ lucrati sunt. Quantam aquarum molem congereret Tyberis, si non continenter præterfluerent? Volunt homines à Deo mercedem habere immensam & infinitam, nec tamen volunt ei nisi ad mensuram & ad certū tempus seruire. Qui sine fine & absque modo amari & mercedem recipere vult, debet sine fine & absque mensura seruire. Homo sua incuria & negligentia perdit perfectionem suam. Dixit quandoquè F. Aegidius cuidam Romam ituro: Cùm fueris in itinere, non te occupes ijs, quæ visurus es: sed noueris bonam monetam ab adulterina secernere. Versutus admodùm est hostis noster, & diuersos pafsìm per viam tetendit laqueos. Beatus est, qui pro Dei amore corpus suum frugiferum reddit, nec tamen pro ijs bonis, quę facit, vllam in terris mercedem expetit. Si quis dicat homini egentissimo, Hanc rem ego triduo tibi commodo, vt possis ea lucrum facere (Magnum enim licebit ea, si voles, thesaurum comparare) Si pauper ille id sciret, quis dubitet ea libenter vsurum compendij sui causa? Nos corpus habemus nobis commodatum: totum autem tempus vitæ nostrę est tridui instàr, si ad ęternitatem conferas. Si vis rebus partis frui, da operam vt lucreris. Quòd si laborare nolis, non pertinges ad quietem. Si agri & vineæ omnes totius orbis terrarum vnius ditione continerentur, nec tamen ab eo colerentur, quem, oro, ex eis fructum percepturus esset? Si quis autem paruam habeat agrorum & vinearum portionem, eamq; benè colat, multos indè fructus colligit. Malè agere volenti rarò opùs est consultore: qui autem benè facere meditatur, multos consulit. Vulgi est dictum Iudæorum: Non est quòd apponas igni ollam tuam, spe fretus proximi tui. Non efficit hominem beatū sola bona voluntas, nisì ea bonis operibus declaretur. Ea enim causa Deus largitur homini gratiā suam, vt eam bonis operibus prosequatur. Quidam magno animi mœrore pressus rogauit F. Aegidium, vt ipsum consolaretur. Respondit autem ei Aegidius: Studeas benè viuere & benè agere, & Dominus te cōsolabitur. Nisì enim quisq; in seipso locum Deo præparet, nullam ex creaturis capiet consolationem. Ecquis tandem est, qui non & animæ, & corpori suo optimè consultum velit in hoc seculo? Et tamen nos neq; animæ neq; corporis vtilitati studemus. Possem equidem sanctè iurare, eum qui iugum Domini sibi vult leuius reddere, illud potiùs aggrauare: quique illud sibi aggrauet, leue id efficere. Qui futurum condidit seculum, is etiam præsentis est conditor: potestq; ex ijs bonis, quæ in illo futuro confert seculo, quippiam etiam in præsenti largiri. Corpus autem etiam animæ bonis fruitur: siquidem & mala & bona animæ in corpus redundāt. Dicente autem fratre quodam se fortasìs priùs moriturum, quàm quicquam posset sentire boni: Aegidius respondit: Pelliones habent pellium notitiam, sutores calceorum, ferrumq; nôrunt fabri, & in sua quisq; arte peritus est. Sed quînam potest eius artis quisquam habere notionem, quam non didicit? Putas tu magnos heroës in fatuos & amentes eximia conferre dona? Minimè id illi faciunt. Bona opera via sunt ad bona omnia: sicut malefacta via sunt ad mala omnia. Beatus ille est, cui nihil eorum, quæ sub cælo sunt, offendiculum præbet: sed ex omnibus, quæ vel videre vel audire contingit, studet effici melior, atque indè aliquid colligit emolumenti, cunctaque in partem mitiorem interpretatur. Sæpè enim iudicia hominum longè alia sunt, atquè Dei.

Desidia hominum.

Multi laquei dæmonum.

Voluntas bona in opus conferenda.

Bona & mala opera quò perducant.

De mundi contemptu.

VAE illi, qui animum, desiderium, vires & facultates suas in res terrenas atque caducas confert: eoipso perdens sempiternum Dei regnum & bona semper mansura, quæ præ illis vilibus negligit & postponit. Si ad singulas aquilæ in sublime volantis alas singulæ ædis S. Petri, quæ Romæ est, trabes appenderentur, non posset illa tam volare sublimiter. Multos ego video sudare, vt sua curent corpora: paucos in id incumbere, vt animas suas curent. Ecquis tantum suscipit laboris pro anima sua, quantum pro suis corporibus suscipiunt lapicidæ & qui metalla effodiunt? Hominem auarum iure comparaueris talpæ, qui hoc solum putat bonum, euertere humum & in ea demorari: cùm sint multa alia longè potiora, quæ is ignorat. Volucres

Multi suam curant cuticulam, animas negligunt.

cæli,

cæli, bestiæ terræ & pisces maris rebus necessarijs contenti sunt: sed cùm non possint hominē explere vllæ res terrenæ, quin plura semper cōcupiscat, satis indè apparet non eum ad hæc caduca & labentia conditū, sed ad alia præstātiora. Corpus propter animā factum est, & hic mundus inferior propter illum superiorem. Est aūt eiusmodi ager hic mundus inferior, vt qui eius maiorē partem obtinet, idem obtineat deteriorē. Solebat referre F. Aegidius, displicuisse S. Francisco in formicis curā illam ingentem, qua sibi victum parant: plùs verò delectatū eum fuisse volucribus, quòd non congregent in horrea sua. Corpus nostrum instàr porci est, auidè ad lutū properantis, & in eo se volutātis. Caro nostra similis est scarabęo, quē delectat semper equinū versare stercus. Caro nostra tanquàm quidā satanæ pugil est. Sciscitanti cuidam fratri, quo pacto vitari possint corporis vitia, sic respōdit Aegidius: Qui vult aliò trāsferre saxa ingētia & trabes grādes, non tam viribus, quàm ingenio sibi vtendum putat. Ità & hîc faciendū est. Culpa omnis castitati officit. Est enim castitas ceu mundū speculū, quod tamen anhelitu obscuratur. Fieri nō potest, vt Dei obtineat gratiā is, qui vitijs carnalibus delectatur. Itaq; in omnem licèt partē te verses, non comperies aliud, nisi vt pugnes aduersùs carnem tuam, quæ te nocte ac die prodere vult. Eam qui vincit, omnes suos inimicos superat, & ad omne bonum pertingit. Dicebat etiam: Præ cunctis virtutibus ego castitatē eligerem. Quodam autem dicēte, Est'ne charitas castitate præstantior? respondit: Quid est castitate castius? crebroq; canebat: O sancta castitas, qualis es? qualis es? Certè talis es & tanta, qualem & quantā te homines stolidi nō intelligunt. Roganti verò fratri, quid ipse diceret castitatem, Ego, ait, castitatem voco, omnes sensus diuinæ gratiæ conseruare & custodire.

Corporis vitia vt possint vitari.

Pugnādum cum carne.

Castitatem maximi fecit Aegidius.

De tentationum infestationibus.

MAgna gratia nec trāquillè retineri, nec durare sine tentationibus potest. Quò enim auctiori quis gratia præditus est, eò infestiores sentit dæmonū tentationes: nec tamē idcircò debet deesse gratiæ & donis Dei. Quò enim est pugna acrior & difficilior, eò, si victor euaserit, corona erit illustrior. Quòd igitur non valdè nos impugnamur, ea ratio est, quòd tales nō sumus, quales esse deberemus. Porrò recto gradienti itinere, nihil molestiā aut tædiū affert. Mundi autem iter ingredientibus multa occurrunt molesta & plena tædij, idq; ad supremū vsq; vitæ diem. Dicebat tum Aegidio frater quidā: Videris pugnantia dicere. Respondit ille: An non propensiùs hominem bona voluntate præditū tentant dęmones, quàm alium? Quæso te, si quis vendat res suas, vel milliès cariori precio, quàm sint, quam indè molestiā aut tædium putas ei accessurū? Ijs verbis quęstio illa dissoluta est. Aio igitur: Quanto quis virtutibus locupletior est, tanto acriùs oppugnatur, debetq; accuratiùs sibi à vitijs cauere. Dixit quandoq; ei frater quidā: Valdè me infestat tentatio quædā haud vulgaris, sæpeq; rogaui Dominū, vt ea me liberet, nec facit tamē. Respondit F. Aegidius: Quò rex quispiam milites suos potioribus instruit armis, eò vult viriliùs illos dimicare. Si quis autē ad orationis pugnā accedat quasi inermis, quòd mēte aridus sit, nec sentiat deuorionē, si fidum se præbuerit, Deus eius respiciet fidelitatē, armaq; sua imprimet ei. Ex singulis vitijs, quæ debellârit quispiā, singulas acquiret virtutes: & quæ vitia sibi infestiora senserit, ex ijs amplius consequetur præmiū, si ea superârit. Quacunq; causa cessat quis pergere viam Domini sui, ea causa amittit præmiū suum. Plerunq; sic se habent tentationes, vt agricola, qui ex vasta sylua, sentibus & arboribus plena, molitur agrū efficere fertilem: sed cùm absq; multo labore id consequi non possit, plerunq; subrepit suscepti laboris pœnitentia, quòd plus operæ exigatur, quàm initio putârat: quodq; non percipiat statìm fructus, quos sperârat. At quādò tamen non planè abijcit conatum omnem, efficit tandèm solum fœcundū, & iam laboris nō tædet propter vbertatē frugū, quas indè colligit. Dixit quādoq; frater quidā ad Aegidiū: Fertur D. Bernardus aliquādò legisse septē psalmos absq; vlla animi distractione. Respondit Aegidius: Ego verò pluris id æstimo, quàm si arx multa vi oppugnata, ab illis, qui intùs sunt, strenuè & fortiter propugnetur.

Optimus quisque acerrimè impugnatur.

De Pœnitentia.

QVæsiuit aliquandò Iudex quidam secularis ex Aegidio, qua ratione homines seculares Dei gratiam & virtutes faciliùs adipisci possent. Respondit F. Aegidius: Primò danda illis opera est, vt se vnquàm peccâsse doleant: & vt peccata sua purè & apertè confiteantur, faciantq; quod pro pœnitentia illis iniunctum fuerit. Deindè vt sibi caueant à peccatis, & peccādi occasionibus quibuscunque. Postremò, vt in bonis sese operibus exerceant, libenterq; ferant in hac vita ea quæ molesta sunt: cuius rei exempla in seipso nobis Christus proposuit.

Seculares homines vt Dei gratiā obtineant.

De Oratione.

Peccator quid debeat rogare Deum.

ORatio & initium est & clausula totius boni. Oratio illustrat animum, præstatq; boni & mali cognitionẽ. Debet quilibet peccator precari Dominũ, vt faciat ipsum suã misericordiam suaq; beneficia, & propria peccata cognoscere. Qui precari nõ nouit, is Deũ ignorat. Quotquot salui fieri volunt, modò sint rationis cõpotes, necessariò debẽt sub vitæ finẽ Dominũ deprecari. Si pudibunda & simplex fœmina filiũ haberet vnicũ & inprimìs charũ, isq; iussu regis ob aliquã culpã captus, ad suspendium duceretur, sciretq; illa fœmina, se eũ suis precibus posse à præsenti periculo liberare, an nõ quantumuìs alioquì verecũda & simplex, nudo capite & passo capillo ad regem properaret, peteretq; sibi donari filiũ suũ? Ità sanè precari facilè discet, quisquis peccatorũ suorũ pericula benè cognoscit. Dicente aũt quodã fratre, molestissimũ videri posse, si is qui orat, nullã sentire queat deuotionẽ, F. Aegidius respondit: Equidem consulo tibi, vt simpliciter studeas vtilitati tuæ. Si parũ vini haberes in vase, cui fæces adiunctæ essent, num tu propterea vas confringeres, vinumq; cũ fæcibus cõmisceres? Absurdum id fuerit. Si molaris lapis interdùm nõ benè fruges terat, nõ ilicò eum confringit molitor, nec malleis dissipat: sed paulatìm reparat eũ, donèc rursùs cõmodam efficiat farinã. Ità & tu facies. Cogitabis te indignũ, qui vlla à Domino in tuis precibus cõsolatione afficiaris. Nam etiamsi quis à mundi exordio quotidiè tot fudisset lachrymas, quot possit paropsis capere, nec sic tamen diuinã mereretur consolationem. Percunctanti quãdoq; fratri, cur infestæ magìs sint tentationes orãtibus, quàm aliâs, sic respondit: Si quis litẽ alicui intendat corã iudice, modis omnibus is, in quẽ lis infertur, in eam curam incũbit, nè contra ipsum sentẽtia feratur. Ità & dæmones faciũt. Si loquaris cum hominibus, nõ valdè te sentis impugnari ab illis: si aũt ad precandũ te conferas, animæ tuæ salutẽ curaturus, multa illorũ experiris tela ignita in te cõijci: neq; tamen ea causa debes preces intermittere, sed in ijs cõstanter & viriliter perseuerare. hæc enim ad æternã vitã via est. Quòd si velis omittere preces, nõ eris absimilis illi, qui fugit è prælio. Cuidã fratri dicẽti, videre se multos, qui inter orandũ magnã percipiãt deuotionis & lachrymarũ gratiã, sibijpsi verò vix quippiã tale cõtingere, F. Aegidius ait: Labora tu fideliter & humiliter: quã enim gratiã hodiẽ non cõfert Deus, eam poterit largiri cras, vel etiam differre, prout viderit expedire saluti tuæ. Fac tu, quod in te est, & Deus faciet, quod sibi visum fuerit. Multis ictibus faber cõtundit ferrũ, anteq̃ cultrum efficiat. Adeò verò vnũquenq; de sua salute oporteret esse solicitũ, vt etiãsi totus orbis ad nubes vsq; plenus esset hominibus, atq; ex ijs non nisi vnus saluus esset futurus, singuli tamen pro data ipsis gratia conniterẽtur, sperarentq; se vnum illũ fore. Alio tẽpore frater quidam rogabat Aegidiũ, quid faceret. Ille respõdit se malè facere. Illo porrò dicẽte, Et quidnam mali tu facis, cùm sis Minorita? Aegidius alteri illic adstãti fratri ait: Vter paratior est, Deúsne ad dandam, vel homo ad percipiendã gratiã? Illo asserente, propensiùs Deũ largiri suã gratiã, quàm nos recipere: Aegidius dixit: Recténe igitur nos facimus? Immò verò, inquit ille, malè facimus. Tũ Aegidius ad illũ, qui ei quæstionẽ mouerat, Vides, inquit, verũ me dixisse, cùm respõdi, malè me facere, vt qui eius gratiã nõ semper recipiam. Multa bona opera diuinæ nobis scripturæ commendant, puta, pascere esurientes, vestire nudos & id genus alia. At vbì Dominus de oratione sermonẽ habuit, Tales, inquit, pater quærit, qui eũ adorent in spiritu & veritate. Bona quidẽ opera ornant animã, sed oratio insigne est animæ ornamentũ. Sancti religiosi quadã ex parte lupis similes sunt, ægrè è sylua in publicum progredientibus, nisì magna cõpellat fames, nec etiã tunc diũ hærentibus extra syluam. Cùm aliquandò frater quidã Aegidio familiaris diceret ei, cur nõ exiret ad homines seculares, eius colloquiũ expetẽtes, ille respõdit: Ego sic volo proximis satisfacere, vt tamen non noceam animæ meæ. Putas'ne libentiùs me daturum proximo, si haberem, mille libras, immò quatuor librarum millia, quàm meipsum? An non in Euangelio Christus dicit, Qui reliquerit patrem & matrem, fratres & sorores propter nomen meum, centuplum accipiet? Romanus quidam nostrum fuit complexus institutum, cuius facultates æstimabantur sexaginta libris. Is igitur recipiet sexagiès centena librarum millia. Apparet hinc magna esse, quæ Deus quibusdam dat in hac vita. At nos cæci & obnubilati sumus. Si quem videamus multa virtute & gratia præditum, ferre non possumus eius perfectionem. Qui benè religiosus & spiritualis est, nihil audire vult, nec alicubì morari sustinet, nisì magna cogat necessitas, prærerquàm in cellula sua, semper secum manere cupiens. Solebat de se dicere F. Aegidius: Mallem equidem cæcus esse, quàm mundi huius formosissimus, sapientissimus, opulentissimus atque

Quid faciendum, cùm orans non sentit deuotionem.

Cur orantes plùs vexet dæmon.

Salus sua quàm cuique debeat curæ esse.

Ioan. 4.

Matth. 19.

Cellula sua quàm grata bono monacho.

atque nobilissimus. Sciscitantibus alijs eius rei rationem, ait: Vereor, nè isthæc mihi impedimento sint in via mea. Beatus planè, qui nihil cogitat, dicit, facit, quod reprehensioni obnoxium sit. Quæsiuit aliquandò F. Aegidius ex alio fratre, quid de contemplatione dicerent viri sapientes. Illo respondente, quòd multa de ea dicerent, Aegidius ait: Vis'ne meam audire sententiam? Dicente eo, se maximè id velle, Aegidius dixit: Contemplationis progressus mihi eiusmodi esse videtur: Ignis, vnctio, ecstasis, contemplatio, gustus, quies, gloria. Si gratiam in precibus sentis, ora: si non sentis, nō cesses à precibus. Gratos enim habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ei offerebantur. Contemplationis progressus.

De spiritali cautione.

SI vis videre benè, erue tibi oculos: si vis audire benè, obsurdescas. Si vis rectè loqui, mutus sis. Si vis benè ingredi, præcide tibi pedes. Si vis amare benè, odi teipsum. Si cupis benè viuere, morere tibijpsi. Si benè lucrari appetis, iacturā facias. Ditescere si vis, pauper fias. Si vis viuere in delicijs, castiga corpus tuū. Si vis esse securus, semper in timore te cōtineas. Exaltari si iuuat, humilia teipsum, & honorē habeto ijs, qui te cōtemnunt. Si vis adipisci bonū, ferto malū. Si placet potiri requie, priùs labora. Sapiētiæ haud vulgaris est, talē te præbere nôsse. Sed cū magna & præclara sint hæc, nō in omnibus inueniūtur. Etiamsi quis mille viuat annis, nec quicquā extrinsecùs agendū ei sit, habebit satìs superque, quod intùs agat in corde suo, nec tamen numeris omnibus absolutum se sentiet. Si quis ignorat, ignorabitur. Væ nobis, qui Dei dona habemus, nec agnoscimus: & qui ea non habent, non dant operam vt obtineant. Fingunt sibi homines Deum qualem volunt, & tamen semper ipsi manent similes suî. Optimæ institutiones. 1. Cor. 4.

De Scientia vtili & inutili.

QVisquis multa satìs nôsse cupit, caput suū valdè deprimat, & benè multa agat opera, trahatq; per terrā ventrē suū, & Deus eum docebit satìs. Precipua hominū sapientia est, studere operibus bonis, seipsum accuratè custodire, & diuina obseruare iudicia. Cuidam scholas adire volenti sic aliquandò dixit F. Aegidius: Quarè te confers ad discendū, quandò ea summa est sapiētia, timere & amare Deū? quę duo possint tibi sufficere. Tātum enim quisq; habet sapientiæ, quantū facit boni. Nè sis nimiùm solicitus, vt possis prodesse alijs, sed consule tibijpsi. Volumus plerunquè multa scire propter alios, at parū propter nosipsos. Verbū Dei non est dicentis vel audientis, sed opere illud exequentis. Multi natandi imperiti in aquas ingressi sunt, vt alios extraherēt, & ipsi pariter cum illis submersi sunt. Si animæ tuæ salutē probè curas, obtinebis eam. Si rectè facias opus tuū, omnibus illis benè consulis, qui tuî studiosi sunt. Præco verbi Dei, datus est diuinitùs populo lux, speculū & vexillarius. Beatus est, qui sic alios recta ducit via, vt tamē ipse nunquàm ab ea deflectat: sicq; alios docet currere, vt ipse cursum suum non intermittat: atq; ità locupletat alios, vt ipse tamen interìm pauper non fiat. Roganti fratri, vtrùm potiùs sit, concionari, vel facere, sic respondit: Cuius tu putas copiosius esse meritum, eius'ne qui ad S. Iacobum peregrè proficiscitur, vel eius, qui alijs monstrat viam? Video ego multa, quæ tamen mea non sunt: audio multa, nec intelligo: dico multa, nec facio tamen. Colligitur hinc, solum visum, auditum & locutionem ad salutem non sufficere. In eos, qui scire multa volunt, & nihil aut parum facere. Cōcionator quid esse debeat plebi.

De bonis & malis verbis.

QVi bona loquitur, tanq̄ os Dei est: qui mala loquitur, ceu quoddā satanæ os est. Cùm serui Dei cōueniunt colloquendi causa, sermo illorū institui deberet de pulchritudine & iucunditate virtutū, vt maiori virtutū amore inflammarentur. Si enim ijs delectarentur, maiori eas studio colerent: quantoq; in ijs essent exercitatiores, tanto placerent eis magìs. Porrò quò quis vitiosior est, eò plùs indiget sermonem conferre de virtutibus. Quanto enim sæpiùs de illis loquitur, tanto earum capacior fit. Meo iudicio, non minor est virtus benè nôsse silere, quàm benè scire loqui. Expediret, opinor, homini collum habere instàr gruis, vt sermo per longos ductus meatus, tardiùs ab ore proficisceretur. Loqui benè & malè.

De Perseuerantia.

ECquid prodest homini orare, ieiunare, præstare eleemosynas, castigare corpus suum, sublimia de cælestibus experiri, nisì etiam portū salutis attingat? Fit nonnunquàm, vt ingens & insignis nauis onusta preciosis mercibus in mari sit, sed antè submergatur, q̄ possit in portū inferri. Quid verò illi prodest magnitudo & elegantia sua? Contrà euenit interdùm, nauem vilem & vetustam, paucis instructā mercibus, cum multo labore per omnia maris discrimina incolumem tādèm ad portū appelli. Sine perseuerantia nō fit quisquā beatus.

pelli. Ità etiã multis accidit hominibus, vt meritò semper timere debeamus. Cùm primùm est plantata arbor, non ilicò grandescit: & quanuis producat flores, nõ statim etiã fructus affert: neq; fructus ipsi, si quos ferat, cõfestim maturescunt: atq; etiã ij, qui iã maturi sunt, non oẽs eduntur ab hominibus, sed partim eos porci deuorant, partim cõputrescunt. Eodẽ modo quis ad me fructus indè redire queat, si vel centũ annis rogẽ pro cœlesti regno, si nõ perseuerẽ in precibus vsq; in finẽ? Duo quędã sanè pręclara & eximia sunt, amare Deũ, & cauere sibi à peccato. His qui instructus est, nihil non boni habet.

De vita monastica.

Vitę monasticæ encomium.

EQuidem paruam mallem Dei habere gratiã in vita monastica, quàm longè maiorem in seculo. Multò enim plus periculi, & minus auxilij est in vita seculari, quàm monastica. Multi petunt monasteria, sed non pręstant ea, quæ monasticũ reposcit institutum: non absurdè comparandi agricolæ, Goliath sese induenti armatura, sed ea vti nesciẽti. Nec enim omnes possent in Bucephalo equitare, vitareq; nè ab illo deciderent. Equidem nõ magnifacio venire in aulã regis, aut regijs affici muneribus: sed id ego præclarum existimo, ità vt par est, seruire nôsse in aula regis. Mallem sanè in seculo permanere, & ex animo diligere vitã monasticam, quàm esse in monasterio, atq; illic irreligiosè vel non monasticè viuere. Illustrissima Dei parẽs, virgoq; perpetua, nata quidem ex peccatoribus & peccatricibus, sed absq; culpa originis, non fuit vitam professã monasticã, & tamẽ id est quod est. Debet religiosus quisq; sibi persuadere se nõ posse benè viuere, nisi in eo vitæ monasticæ instituto, quod professus est. Mihi quidem videtur Minoritarum Ordo diuinitùs in mundo institutus in cunctorũ hominum salutẽ atq; vtilitatẽ: sed vę nobis, si tales non sumus, quales nos esse oportebat. Hic Ordo totius orbis & egentissimus & opulentissimus est, nec vllus vsq; in pręsens eo melior fuisse videtur: quippe quẽ Christus ipse seruauerit, & discipulis suis seruandũ tradiderit. Diues is est, qui amat diuitẽ: sapiens est, qui diligit sapientẽ: pulcher, qui formosum: nobilis, qui amat nobilem: putà Dominum IESVM, qui benedictus est in secula, Amen.

De Obedientia.

Præclara obedientiæ laus.

QVanto religiosus homo arctiori obediẽtiæ iugo se subdit, tanto plures affert fructus: quantoq; suis superioribus magis se morigerũ præbet propter honorem Dei, tanto spiritu pauperior est, & purior à vitijs prę cęteris mortalibus. Homo obedientiæ studiosus comparatur armato equiti, in egregio sedẽti equo, atq; strenuè & infracto animo cũ hostibus confligẽti: neq; enim quisquã eum lędere potest. Qui verò in monasterio cum murmure degit sub obedientia, similis est militi nudo atq; inermi, cum equo languido ad hostes proficiscenti, à quibus plerunquè vulneratur, vel etiã capitur, in carcerẽ mittitur, aut trucidatur. Qui in monasterio vult suo arbitratu & pro sua voluntate viuere, rectà pergit ad inferos. Cùm boues sub iugo trahunt aratrũ, horrea frumentis implent: cùm autẽ iugo soluti vagãtur per cãpos, magni quidẽ sibi videntur, sed in horrea nihil important. Sapientes & magni capita sua humiliter subijciunt obediẽtiæ iugo: stulti autẽ & insipientes capita subducunt, nec obedire volunt. Pluris autẽ ego facio, propter Deũ obtemperare superiori suo, qui homo est, quàm ipsi Deo iubẽti parére. Qui Dei vicario obedit, etiã Deo iubẽti facilè obediet. Meo quidẽ iudicio, etiamsi quis eò pertigisset, vt cum Angelis colloqui ei liceret, si tamen à suo superiori accerseretur, deberet, posthabito Angelico colloquio, obtẽperare homini, cui propter Deũ se morigerũ fore promisisset. Quisquis pollicitus est obedientiã, ac deindè à ceruicibus excutit obedientiæ iugum, tanq̃ perfectius iter ingressurus, ille se magna quadam, licèt occulta, superbia laborare declarat. Bona consuetudo, via est ad virtutes omnes & omne bonum: praua consuetudo, ad mala omnia via est.

Obedire homini quàm eximium.

Bona & mala consuetudo.

De commemoranda morte.

ETiamsi quispiam à primo mũdi die vsq; in præsens perpetuis fuisset affectus molestijs & afflictionibus, si illi iam liceret ad immensa peruenire gaudia, quid oro officerent illi mala omnia tot annis tolerata? Contrà, si quis ab initio creati orbis vsq; in hunc diẽ prosperrimis successibus omniq; voluptate perfruitus semper esset, at nunc in supplicia sempiterna abiturum se sciret, quid commodi ex omni illa voluptatum & gaudiorum affluentia caperet? Vir quidam secularis ait quandoquè F. Aegidio: Vellẽ licere mihi diù in hac durare vita, & abũdare bonis omnibus. Respondit ei F. Aegidius: Sed si vel mille viuas annos, & totius orbis dominio potiaris, q̃d præmij capies è carne tua, cui tam strenuam cupis nauare operã? Si verò ad breue tempus rectè te geras, tibiq; probè inuigiles, mercedem posteà percipies prorsus ineffabilem.

De

De Contemplatione.

QVandoquidē nemini patet aditus ad contemplatiuā vitam, nisi qui sit priùs probè & deuotè in actiua exercitatus, necessariū est vitæ actuosæ summa cura & studio operam nauare. Is autē bonus est actiuæ vitæ cultor, qui etiamsi (modò id fieri posset) pauperes omnes mundi huius libens alere & vestire, resq; necessarias omnes eis præbere vellet, cunctas ędes sacras & domos hospitales totius orbis extrueret, interim nihilo minùs pro malo haberetur ab hominibus mundi huius, idq; ipse sciret, nec aliud appeteret, neq; tamen propterea cessaret benè agere, immò verò etiā studiosiùs multò, quàm antè, in bona opera incūberet, tanquàm nullā in hoc seculo neq; expetens neq; expectans mercedem: animo contemplans, quemadmodùm Martha in sua actione valdè solicita, cùm sororis adiutorium peteret, à Domino repręhensa est, nec tamen omisit cœpta officia & opera sua. Atq; ità etiam quilibet homo bonus, actiuæ vitæ deditus, ob nullas repręhensiones debet abijcere studiū bonorum operum, quippe pro quibus non temporariam sed æternam mercedem expectet. Ad contemplandā diuinæ maiestatis gloriam nemo pertingere potest, nisi feruente spiritu & precibus continuis. Feruore spiritûs inflammatur homo, & ad cōtemplationem euehitur, quandò corde & mēbris omnibus ità est constitutus, vt nihil neq; velit, neq; cogitet, præter id quod habet & sentit. Is bonus cōtemplator dici potest, qui manus atq; pedes sibi amputauit, oculos euulsit, linguam, nasum & aures abscidit præ ineffabili illa suauitate & iucunditate odoris spiritalis, nec quicquā sub cælo aliud appetit: perindè vt beata Maria Magdalena, ad Christi pedes residens, tanta verborum eius suauitate affecta est, vt nullum ei inesset membrum, quod aliud aut vellet aut posset facere, quàm quod ipsa faciebat. Cumque ea causa non audiret ipsa, quid soror eius diceret, Dominus eam tuendam suscepit.

Quis benè agat vitam actuosam.

Luc. 10.

Bonus contemplator quis sit.

Luc. 10.

De alijs virtutibus.

EX rebus temporarijs pauper fit homo, diuinis rebus ditescit. Has igitur impensè diliget, illas odio habebit. Vt mundi via scatet vitijs & flagitijs, ità cęli via exultatione & virtutibus abundat. Gratia & virtutes creaturis præparatæ sunt, clamātque & aiunt: Venite & complectimini nos: viam virtutū ostendemus vobis: sed miser homo eas amplecti non vult. Cuius igitur culpa fit, quòd in miseria & paupertate degit, quandoquidem Dominus eum ad se vocat, nec ille tamen conatur ad eum accedere, dignus ea causa supplicijs sempiternis? Non parum periculi habere videtur, rogare Deum vt suam nobis det gratiam & virtutes. Si enim non viuas illis cōuenienter, maiores Dei suscipis inimicitias. Inter instituta vel ordines omnes alij placent Deo, alij displicent. Qui Deo placent, eorum duplex est genus: Alterum est Deum amantium, alterum Deo placentium. Amantes sunt ij omnes, qui Deo seruiunt, amantque ea quæ ei placent, seu eius beneplacitum, & inter se diligunt, vt inuicèm sibi placeant propter Deum. Ij quatuor oculos habent. Primus semper obseruat, quid gratum sit Deo. Alter in proximum intentus est semper, vt ei bonis exemplis prælucear. Tertius futura considerat. Quartus præterita inspicit, exploratq; num placeant Deo opera sua, quæ fecit. Deo verò placentes sunt ij, qui diligenter cauent, nè quid dicāt vel agant, quod alijs offendiculo sit: qui aliorum cruces & afflictiones suas putant, eisq; integra animi voluntate famulantur. Hoc duplex hominum genus religiosorum Deo benè placet: qui verò in monasterijs viuunt discordes, permanentq; in rixis & contētionibus propter res temporarias, nec suæ salutis studiosi sunt, ij omnes Deo non placent: at possunt tamen per pœnitentiam eò redire, vt ei placeant: sed interim non procrastinent, nè dum in malo perseuerant, misericordiæ ianuam sibi sentiant præclusam, & à beatitudine excludantur. Præpositi, doctores Theologi, concionatores & sacerdotes à Deo constituti sunt, vt animas ad æternam adducant beatitudinem. Quotquot Dei verbum irrident, in suî damnationem illud audiunt. Quemadmodùm orto sole non lucent nobis stellæ, ità Sol & Luna ad animæ beatæ splendorē obscurantur. Argumentū certum est diuinæ gratiæ in homine manentis, si à nemine exaltetur, sed deprimatur semper. Multiplex gratia & virtutes multę precibus obtinētur. Prima gratia est, quòd homo intùs illustratur. Secūda, quòd in fide roboratur. Tertia, quòd cognoscit vitia sua. Quarta, quòd obtinet timorē Dei, vndè id fit, vt sit humilis & sibiipsi vilescat. Quinta, ꝙ se peccâsse dolet. Sexta, quòd dulces ab eius oculis manant lachrymæ. Septima, quòd eius purgatur cōscientia. Octaua, quòd ad meliorē se frugē recipit. Nona, ꝙ in patientia cōfirmatur. Decima,

Via mundi & cæli.

Ordo Deū amantium.

Eorū quatuor oculi.

Ordo Deo placentiū.

Precibus ꝙ multiplex obtineatur gratia.

cima quòd se submittit obediētiæ. Vndecima, quòd sapientiæ, intellectûs, cõsilij, fortitudinis, sciētiæ, pietatis & timoris Dei dona acquirit. Duodecima, quòd ad Dei pertingit cognitionem & scientiam. Illi enim se Deus reuelat & ostendit, qui adorat & laudat eum in spiritu & veritate. Deindè amore inflammatur, curritque in suauem odorem, gustans illic tranquillo pectore, quàm suauis sit Dominus. Cumque os suum admouerit Dei verbo, quo satiatur anima, quis illũ separare poterit à precibus, quibus ad contemplationem adducatur? Huc autē pertingere volenti quinque necessaria sunt: Primum est, vt superioris vitæ suæ peccata cum magna contritione & displicentia cõmemoret, & purè ea confiteatur, agatque pœnitentiam. Alterum, vt præsentia mala accuratè deuitet. Tertium, vt mala omnia impendentia siue futura vereatur. Quartum, vt Dei attendat misericordiam, ipsum ad pœnitentiam expectantis, nec vlciscentis apud inferos peccata eius secundùm iustitiam suam & pro meritis ipsius. Quintò, vt consideret ineffabilia Dei beneficia, vt nostra causa factus sit homo, & tam immanes atque miserandos perpessus sit cruciatus, tamque salutares nobis institutiones reliquerit. Cogitabit etiam gloriam sempiternam, quam ille nobis promisit. Longè potior virtus est, Dei gratiam custodire, quàm res aduersas sedato animo tolerare. Rogatus aliquandò fuit F. Aegidius, ecquidnam de beato Francisco patre suo sentiret. Ille verò totus eius beatissimi viri amore incensus & ardens, Sanctus Franciscus, inquit, nec nominari deberet, quin præ multo gaudio labia sua is, qui nominat, lamberet. Vnũ tantùm ei defuit, id est, corporis robustæ vires. Quòd si tam valido ille fuisset corpore, atquè ego sum, nemo posset eius sancta opera imitari. Fuit certè beatus hic frater Aegidius Deo plenus, planeque dignus est, cuius memoria celebretur: quippe qui in perfectarũ exercitatione virtutum vsqueadeò excellens & eximius fuit: quemadmodùm etiam de illo prædixerat seruus Dei Franciscus, quanuis simplex & illiteratus esset, at tamen ad præcellentem diuinæ contemplationis gradum eum peruenturum. Videbatur sanè inter homines angelicam potiùs quàm humanam ducere vitam: Præstante Domino nostro IESV Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

F. Aegidius quid de S. Francisco senserit.

MARTYRIVM S. ALEXANDRI LVGDVNENSIS MARTYRIS, CVI PRAETER ALIA, FIDEM CONCILIANT *etiam antiquissima Martyrologia. Habetur in MS. codicibus egregijs. Fuit verò is Alexander socius S. Epipodij, de quo suprà dictum est.*

Aprilis 24.



Epipodium & Alexandrum primùm coniunxit infantia, deindè in timore diuino instituit adolescētia, firmauit iuuentus, donèc animis meritisque coniuncti, ad martyrium peruenerunt, quod tribuente Dei munere pariter susceperũt. Sed Dominus noster Iesus Christus ità militum suorum victrices dispensauit coronas, vt qui ei iungebantur confessione, temporario diuiderentur occasu. Meritò verò nobis præstitutũ iudicamus, vt duplicata in illis solennitate fruamur. Nam dum & alternis diebus festa illorum veniunt, & illos inseparabili veneramur affectu: non verò singulis diebus, sed geminatis obsequijs vtrunque bis colimus. Et sicut nudiustertiana solennitas cælo insertum sanctum Epipodium celebrauit: ità hodierna festiuitate Alexandrum sanctũ peruenisse ad regna cælestia gaudemus. Idcircò autem nunc reuertemur ad historiam passionis.

Interempto ergò Epipodio martyre, persecutor recenti adhuc cruore adspersus, beati Alexandri sanguinem sitiebat. Quem receptũ ex carcere, comperendinato examine, die interposito, furori suo præcepit offerri, vt eius supplicijs non solùm rabiem suam, verumetiam insaniam commoti & sæuientis populi temperaret. Quem tamen etiam hac percunctatione tentauit: Adhuc in potestate tua est, vt euadas prædecessorum exempla, videasque quæ teneas. Ità enim persecuti Christicolas sumus, vt pœniteat te solum arbitrum resedisse. Nam præter alias cæsorum cateruas, etiam stultitiæ tuæ collega succubuit. Atque ideò, si tibi consulis, immortales deos thuris accensione venerare. Beatus Alexander dixit: Gratias ago Domino, quòd dum gloriosos marty-

Sistitur coram Iudice S. Alexâder.

rum

rum reuoluis triumphos, & illata tormenta commemoras, ad deuotionem me quoquè confirmas exemplis. Putas'ne ergò extinctas animas, quas ſudiſtis? Illæ quidem cælum poſſident: ſed viceuerſa perſecutores potiùs in illo agone periêrunt. Fallit enim te opinio tua: extingui nomen non poteſt Chriſtianum, quod ità Deo fundante firmatum eſt, vt & vita hominũ cuſtodiatur, & mortibus propagetur. Deus noſter cælos, quos fecit, poſſidet: terram tenet, inferna moderatur: & animas, quas interemptas * deludis, regnum cæleſte ſuſcepit: vos verò cum dijs veſtris inferna retinebunt. Et quia fratrem meum chariſſimum in ſummo gaudio collocatum ſcio, ſecurior viam deuotionis ingredior. Ego nanque Chriſtianus ſum, & fui ſemper, & futurus ſum in gloriam Dei. Tu verò exerce corpus, quod pro imbecillitate terrena fuſtibus mundi videtur addictum: cæterùm animas noſtras cuſtodiat & recipiat ille, qui cõtulit. Ad hæc præſes mixto pudore & furore deſæuiens, ſanctum Alexandrum diuaricatum ternis cædentibus præcepit verberari: qui nulla humili reſponſione inter tormenta deiectus, Dei ſemper præſidium flagitauit.

E[illegible]s constantia.

* iudicas

Immaniſſimè verberatur.

Cumque longiſſimo ſpatio cædentium ſuccidua viciſſitudine non frangeretur, præſes interrogat, vtrùm etiamnùm in hac confeſſione duraret. Cuius percunctationi inconcuſſa authoritate reſpondit, deos gentilium dæmonia eſſe, non numina: Deum verò omnipotentem, inuiſibilem, ſempiternum, ſui propoſiti eſſe cuſtodem. Tunc ergò iudex dixit: Chriſtiani ad iſthanc inſaniam proruperunt, vt prolixitate pœnarum gloriam ſibi exiſtiment comparari, & perſecutores ſuos viciſſe ſe iudicent, quos oportet celeri fine conſumi. Quia ergò eos in pertinacia ſua & audiri nefas eſt & videri, idcircò Alexander fixus cruci, animam, ſicut meretur, effundat. Poſtquam ſententiam miniſtri ſæuique carnifices acceperunt beatum Alexandrum, ſalutarique ſigno eum, extenſis in diuerſa brachijs ac manibus, nexuerunt. nec tamen diù beati martyris tormenta porrecta ſunt. Ità enim laniatus crudelitate fuerat verberantium, vt crate ſoluta coſtarum, patefactisque viſceribus, ſecreta animæ panderentur. Nam dum totus in Chriſto eſt, eum, quem iam confeſſus eſt, ſupremis vocibus inuocans, beatum ſpiritum exanimatus emiſit. Hos itaque ſemper concordes & ſocios, quia mors diuiſerat, ſepultura coniunxit, dum à Chriſtianis educta occultè extra vrbem corpora abſconſa conduntur. Erat enim in colle ſuperpoſito ciuitati concretus denſatis * vepribus locus, ibique in modum ſpeluncæ concluſa frutetis ac ſentibus vallis latebat, & vt fit, vbi humor deciduus per naturale miniſterium infunditur, inculta fœcunditas. Quo in receſſu venerabilia corpora religioſa prouiſione demerſa ſunt: quia gentilium furor extremam denegans ſepulturam, etiam in corpora exanimata ſæuiebat. Poſteà verò venerabilem locum religioſorũ cultus ſeruauit, & prodidit reuerentia deducta per poſteros, & virtutes plurimæ, quæ ſanctorum potentiam prodiderunt.

In cruce [illegible] tum.

* ſtirpibus

Nam cùm tempore conſequenti populus Lugdunẽſis paſsìm morbo ſæuiente corrueret, adoleſcens quidam natu nobilis, vi febrium valdè ſuccenſus, per viſionem commonitus eſt, vt remedium à muliere, quæ calceamentum martyris habebat, expeteret. Illa verò ſe medicinæ nihil nôſſe reſpondit: ſed Domino miſerante, martyris per exuuias hoſpitali ope allata, ſe plurimos curâſſe non negabat: ſtatimque ei Lucia benedictionem, hoſpitalis calicem ſalutis porrexit. Qui dum poculum & remedium ſitis accepit, protinùs ità extincto ardore conualuit, vt non ope humana, ſed mirabili diuinitatis auxilio, vitæ ac ſanitati redditus diceretur. Quæ virtus fidei atque ſanctorum per vniuerſam diſpergitur ciuitatem, & innumera multitudo, dum ſanitatem corporum recepit, fidei incrementa ſuſcepit, factaque eſt membrorum atque animorum preſens & æterna medicina. Sed & poſteà in locis illis mirabilia iſta monſtrantur, eiectio dæmonum, debilitatum curatio, reſtauratio ſanitatũ: quæ ità penè quotidiana & ijs maiora proueniunt, vt credulitas, etiamſi ſit ſpontanea, exiſtentibus miraculis extinguatur. Itaque fidem dictis atque factis conuenit applicari: quia amicorum Dei potentia, virtus & dignitas, vt fideles & credulos diligit, ità deſerit dubitantes.

Nota de miraculis per ſancti martyris reliquias.


Extinguatur, pro, ſuperetur, vel, vincatur.

Idcircò non ambigamus vera eſſe, quæ & audita & viſa ſemper diximus & manifeſtamus: regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DE

DE MELLITO ABBATE ET PRIMO APVD ANGLOS LONDONIENSI EPISCOPO, EX HISTORIA *Ecclesiast.Gentis Anglorum venerabilis Bedæ presbyteri.*

24.Aprilis. Eccles. hist. lib.1.cap.29.



Apa Gregorius(eius nominis primus) Augustino Episcopo (quia suggesserat ei, multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos) misit cum legatarijs suis plures cooperatores ac verbi ministros: in quibus primi & præcipui erāt Mellitus, Iustus, Paulinus, Ruffinianus : & per eos generaliter vniuersa, quæ ad cultum erant ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra & vestimenta altarium, ornamenta quoquè ecclesiarum, & sacerdotalia vel clericalia indumenta : sanctorum etiam Apostolorum ac martyrum reliquias, necnon & codices plurimos. Misit etiam literas, in quibus significat, se ei pallium direxisse.

Lib.2.cap.3. Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quarto, Augustinus Britanniarum archiepiscopus ordinauit duos episcopos, Mellitum videlicet & Iustum : Mellitum quidem, ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonū, qui Thamesi fluuio dirimuntur à Cantio, & ipsi Orientali mari cōtigui, quorum metropolis Londonia ciuitas est, super ripam præfati fluminis posita, & ipsa multorū emporium populorum, terra marique venientium: in qua videlicet gente tunc temporis Saberethus, nepos Edelberthi ex sorore Ricula, regnauit, quanuis sub potestate positus eiusdē Edelberthi, qui omnibus, vt suprà dictum est, vsque ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat. Vbi verò & hæc prouincia verbum veritatis, prædicante Mellito, accepit, fecit rex Edelberthus in ciuitate Londonia ecclesiam S.Pauli Apostoli, in qua locum sedis episcopalis & ipse & successores eius haberent. Iustum verò in ipso Cantio Augustinus ordinauit episcopum in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorū à primario quodam illius, qui dicebatur Rotschester, cognominat. Distat autem à Dorouerni millibus passuum fermè vigintiquatuor ad Occidentem, in qua rex Edelberthus ecclesiam beati Andreæ Apostoli fecit : qui etiam episcopis vtriusque huius ecclesiæ dona multa, sicut & Dorouerniensis, obtulit : sed & territoria ac possessiones in vsum eorum, qui erant cum episcopis, adiecit.

Mellitus fit episcopus.

Lib.2.cap.4 Deindè cùm iam obijsset Augustinus, Mellitus Londoniæ episcopus venit Romam, de necessarijs ecclesiæ Anglorum causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cùm idem Papa reuerendissimus cogeret Synodum episcoporū Italiæ, de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno octauo Imperij Phocatis Principis, indictione 13. tertia die Calendarum Maiarum : vt quæquæ regulariter erant decreta, sua quoquè authoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, secum Anglorum ecclesiæ mandata atque obseruanda deferret vnà cum epistolis, quas idem Pontifex Deo dilecto archiepiscopo Laurentio & clero vniuerso, similiter & Edelbertho regi atque genti Anglorum direxit.

Synodus Romana.

Lib.2.cap.3. At verò post mortem Edelberthi, cùm filius eius Eadbaldus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibì Ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solùm Christi fidem recipere noluerat, sed & fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes auditā Apostolus testatur, ità vt vxorem patris haberet. Quo vtroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum reuertendi ijs, qui sub imperio sui parentis, vel fauore vel timore regio, fidei & castimoniæ iura susceperant. Nec supernę flagella districtionis perfido regi castigando vel corrigendo defuère. Nam crebra mentis vesania, & spiritûs immundi inuasione premebatur. Auxit autem procellam huiusmodi perturbationis etiam mors Saberethi regis Orientaliū Saxonum : qui vbi regna perennia petens, tres filios suos, qui pagani perdurauerant, regni temporalis hæredes reliquit, cœperunt illi mox idololatriæ, quam, viuente eo, aliquantulùm intermisisse videbantur, palàm seruire, subiectisque populis idola colendi liberā dare licentiam. Cumque viderent pontificem (Mellitum) celebratis in ecclesia Missarum solennijs, Eucharistiam populo dare, dicebant, vt vulgò fertur, ad eum, barbara inflati stultitia : Quarè non & nobis porrigis panem nitidum, quē & patri nostro Saba (sic nanque eum appellare consueuerant) dabas, & populo adhuc dare in ecclesia non desistis? Quibus ille respondebat: Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis

Eadbaldus rex officit Christianismo. 1.Cor.5.

panis sancti, cui ille participabat, esse participes: sin autem lauacrum vitæ contemnitis, nullatenùs valetis panem vitæ percipere. At illi: Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare: quia nec illo opùs nos habere nouimus: sed tamen pane illo refici volumus. Cumque diligenter ac sæpè ab illo essent admoniti, nequaquàm fieri posse, vt absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicet, ad vltimum furore commoti, aiebant: Si non vis assentire nobis in tam facili causa, quam petimus, nō poteris iam in nostra prouincia demorari. Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire iusserunt. Qui expulsus indè, venit Cantium, tractaturus cum Laurentio & Iusto coepiscopis, quid in his esset agendū: decretumq; est cōmuni consilio, quia satiùs esset, vt omnes in patriam redeuntes, libera ibì mente Domino deseruirent, quàm inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessêre itaque primò Mellitus ac Iustus, atque ad partes Galliæ secesêre, ibi rerum finem expectare disponentes. Sed non multo pòst tempore reges, qui præconem à se veritatis expulerāt, dæmoniacis cultibus impunè seruiebant. Nam egressi contra gentem Genissorum in prælium, omnes pariter cum sua militia corruerunt: nec sic, licèt authoribus perditis, excitatum ad scelera vulgus potuit corrigi, atque ad simplicitatē fidei & charitatis, quæ est in Christo, reuocari.

Mellitus expellitur è sede sua.

It cū Iusto in Gallias.

Posteà autem Eadbaldus rex, anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato cōnubio non legitimo, suscepit fidem Christi, & baptizatus, ecclesiæ rebus quantum valuit, in omnibus consulere ac fauere curauit. Misit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitum & Iustum, eosque ad suas ecclesias liberè instituendas redire præcepit. Qui post annum, ex quo abierant, reuersi sunt: & Iustus quidem ad ciuitatem Roffi, cui præfuerat, redijt: Mellitum verò Londonienses episcopum recipere noluerunt, idololatris pontificibus magis seruire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quāta patri ipsius, regni potestas, vt etiam nolentibus ac contradicentibus paganis, antistitem suæ posset ecclesiæ reddere. Veruntamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum cōuersus est, diuinis se studuit mancipare præceptis. Deniquè & in monasterio beatissimi Apostolorū principis, ecclesiam sanctæ Dei genitricis fecit, quam consecrauit archiepiscopus Mellitus.

Lib.2.cap.6.

Redit in Angliam.

Hoc enim regnante rege, beatus archiepiscopus Laurentius regnum cæleste conscendit, atq; in ecclesia & monasterio sancti Apostoli Petri iuxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est die quarto Nonarum Februariarum. Post quem Mellitus, qui erat Londoniæ episcopus, sedem Dorouernensis ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit. Iustus autem adhuc superstes, Roffensem regebat ecclesiā: qui cùm magna ecclesiam Anglorum cura ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria à Pontifice Romanæ & Apostolicæ sedis Bonifacio, qui post Deusdedit ecclesiæ præfuit anno incarnationis Dominicæ 618. Erat autem Mellitus quidem corporis infirmitate, id est, podagra grauatus: sed mentis gressibus sanus, alacriter terrena quæque transiliens, atque ad cælestia regna semper amanda, petenda & quærenda peruolans. Erat carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Deniquè, vt vnum virtutis eius, vndè cætera intelligi possint, testimonium referam: tempore quodam ciuitas Dorouernensis, per culpam incuriæ igne correpta, crebrescentibus cœpit flammis consumi. Quibus cùm nullo aquarum iniectu posset aliquis obsistere, iamque ciuitatis esset pars vastata non minima, atque ad episcopum furens se flamma dilataret, confidens episcopus in diuinum, vbi humanum deerat, auxilium, iussit se obuiàm sæuientibus & huc illucque volantibus ignium globis efferri. Erat autem eo loci, vbi flammarum impetus maximè incumbebat, martyrium beatorum quatuor Coronatorum. Ibi ergò, perlatus obsequentum manibus episcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multùm laborando nequiuerat. Nec mora, ventus, qui à meridie flans, vrbi incendia sparserat, contra meridiem reflexus, primò vim furoris sui à læsione locorum, quæ contrà erant, abstraxit, ac mox funditùs quiescendo, flammis pariter sopitis atque extinctis, compescuit. Et quia vir Dei igne diuinæ charitatis fortiter ardebat, qui tempestates potestatum aërearum à sua suorumque læsione crebris orationibus vel exhortationibus repellere consueuerat, meritò ventis flammisque mundialibus præualere, & nè sibi suisque nocerent, obtinere poterat. Et hic ergò, postquàm annis quinque rexit ecclesiam, Eadbaldo regnante migrauit ad cælos, sepultusque est cum patribus suis in sæpedicto monasterio & ecclesia beatissimi principis Apostolorum, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vicesimoquarto, die octauo Calendarum Maiarum.

Lib.2.cap.7.

Creatur Dorouernensis archiepiscopus.

Precibus ignem extinguit.

VITA B. ROBERTI, PRIMI ABBATIS CASÆ DEI, AVTHORE QVIDEM MIHI NONDVM COMPERTO,

sed fide digno, vt ex ipsa potest historia animaduerti. Habetur autem in quodam insigni MS. codice. In Prologo scribit Author, se data opera nomen suppreßisse suum: scripsisse autem hanc Vitam iussu Odonis Abbatis Molismensis, & rogatu fratrum eiusdem loci.

Aprilis 24.



Obertus genere Aruernus, natus est de parentibus Christianis, matre Raingarde, patre Giraldo. Hunc à prima infantia Dei seruum futurū, signis quibusdam ostentum est. Mater enim eius ipso grauida, cùm imminente partûs tempore ad quoddam castrum tenderet, nō sine Dei nutu, vrgente necessitate, in solitudine partum effudit, vtiquè futurum solitudinis amatorem. Delatus est indè cum matre ad castrum, &, sicut fieri solet, cuidam mulieri traditur ad lactandum. Quem cùm illa mammæ admouisset, gustare noluit, non tam lactis detestatus odorē, quàm peccati lactantis horrorem. Patuit continuò, cùm & matris vbera libens suxit, & priorem illam, tentandi causa adhibitus, rursùm despexit. Mulier enim illa meretrix erat, & ob hoc infans, cùm lac respueret, damnauit peccatū. Deindè puer factus, traditus est disciplinæ studijs apud vicum Briuatum in ecclesia beati martyris Iuliani, vbi & clericus factus est, & deputatus inter canonicos. Et procedente tempore vsq; ad presbyteratum peruenit. Pueritiæ tempora sic peregit, vt ab ijs malis, quibus illa ætas vel proprio vitio, vel alieno plerũquè inuoluitur, illæsus euaderet: & temporalia cuncta despiciens, spem totam in Deo locauerat, eumque, licèt paruus, non paruo diligebat affectu. Nam in ecclesijs totis sæpè noctibus cum lachrymis excubabat. Sic omnibus placere studuit, vt Dei offensam non incurreret. Pauperes & afflictos misericordię prosequebatur visceribus: quibus quidē poterat opem, omnibus verò exhibens compassionem. Vlceribus plena corpora languidorum, abhorrentibus cæteris, ipse manibus contrectauit, manibus lauit. Vndè creditum est, manuum eius pio attactu sæpè fugatam inualetudinem.

Abhorret infans à lacte impudicæ nutricis.

Eius pietas in pueritia.

Itemque in adolescētia. Talem pueritiam secuta est adolescentia melior, addebatque virtutibus virtutē, manifestiorq; in dies diuina gratia fulgebat in illo. Ieiunabat propēsiùs & orabat, & quantum poterat, larga manu pauperibus distribuebat. Nam & domum eleemosynarum construxit in vico. Intereà sacerdotio strenuè fungebatur, offerens Deo frequēter hostias pro salute populi Christiani. Inuitabat peccatores ad pœnitentiam, omniumque prouidebat saluti: & verbo & vita non paucos lucrabatur: & cùm omnes vitæ merito anteiret, omnibus tamen credi se inferiorem volebat. Præterea cōtemplationis amore flagrans, destinauit mutare locum, & relictis omnibus, Christum sequi. Adhibito igitur vno itineris socio, iter arripuit ad Cluniacū, religionis ac disciplinæ loci fama commotus. Cumq; clàm se fugerę putaret, fama proditus est, & omnes properè, velut pro salute publica soliciti, profugum prosequuntur, tenent, reducunt. Erubuit vir sanctus, & propositum suum non magìs impeditum quàm manifestatū dolens, ex mentis ęgritudine morbum incurrit. Vndè cùm cœpisset conualescere, intelligens se à proposito Dei voluntate impeditum, tentauit si vel inter suos adimplere posset optatū. Sed cùm domesticorum nemo salutaribus monitis præberet assensum, rationabiliter vrgēs propositum, profectus est Romam, vt Apostolorū à Deo sibi, quod desiderabat, consilium impetraret. Reuersus autem Roma, postulata, in fide nihil hæsitans, expectabat.

Monachus vult fieri, sed non sinitur.

It Romam.

Interea miles quidam Deo inspirante compunctus, ad virum Dei, consilium petiturus, accessit, qualiter peccatorum suorum magnitudinem, quorum conscientia torquebatur, digna posset satisfactione delere, ducens nihil esse tam arduum, quod propter Dei recuperandam gratiam non subiret. Accepit à sancto, vt relictis omnibus, ad Christi militiam se transferret. Cui cùm ille respondisset, id quidem se facturum, si fieri posset cum ipso, libentissimè: intellexit vir Deo plenus, hunc sibi socium ac voluntatis suæ ministrum diuinitùs destinatum. Gauisus ergo non parum, totum desiderij sui secretum aperit, socium se pollicetur. Miles itaq; fide iam plenus & constantia, vt cœptū suum

Miles se ei socium adiungit.

ſuum Dei clementia proſperaret, ad memoriam beatæ Virginis Anitium ire decreuit, ſciens nihil efficacius ſibi ad impetrandum, quàm ſi matris apud filium patrocinio vteretur. Quò dum properatur, ecce in via Dei nutu paratum inuenit, quod petebat, eccleſiam ſcilicet veterem, vaſta cinctam ſolitudine, votis ſuis in omnibus reſpondẽtem. Reuerſus nunciat viro Dei, quid inueniſſet: qui gratulatus valdè, gratias reddit Deo ingentes. Sed vt numerus Trinitatis ſecundùm deſiderium viri Dei adimpleretur, ad ſeruiendũ Deo vni trinoque, acceſſit & tertius æquè miles, offerens ſe non ſolùm ſocium, ſed veriùs miniſtrum. Gaudet vir Dei de prouentu ſpirituali, & fructum ſeminum, quæ iecerat, precibus Deo commendans, diuinæ militiæ tyrones alloquitur, dicens: Congratulor, ô filij, veſtræ promptæ deuotioni, & propriæ infirmitatis conſcius, in via Dei, quam ipſe arctam & arduam aſſerit, ſocios vos habere deſidero. Sed timendum nobis valdè intelligo, nè temerè hanc viam arripiamus. Non enim incipere bonum, ſed conſummare, laudabile eſt: cadere autem à propoſito, damnabile. Proponite ergò, mundo valedicentes, mundi incommoda ſuſtinere, & quicquid homines fugiunt, vos ſequimini. Cumque talia multa vir Dei admoneret, illi ſe adhæſuros ac deuotè famulaturos in omnibus promittunt. Ad hæc vir Dei: Potens eſt, inquit, Deus ſtabilire ac protegere ſibi famulantes, qui etiam ſibi non ſeruientes ea cauſa protegere ſolet, vt ſibi ſeruiant. Quapropter ſi adhærere Deo firmiter decreuiſtis, habetis me comitem vel miniſtrum. Et ad hæc, niſi moleſtum eſt, adeuntes eccleſiam, interuentu martyris Iuliani Deum, vt nobis meliora prouideat, implorate.

[Item alter.] [Matth. 7.]

Quo completo, omnibusque ad votum paratis, die conſtituta eremum petit cum duobus diſcipulis, quorum prior Stephanus, ſequens Dalmatius vocabatur. Veniunt ad locum optatum, bonis omnibus indigentem, quia eis bonum erat bonis omnibus indigere. Nam quanto plùs indigerent temporalibus, tanto plura ſe credebant reperturos æterna. Auxit loci difficultatem etiam vicinorũ improbitas: qui morum immanitate feris ſimiles, ſeruos Dei, quos ſuſtentare deberent, conuicijs vrgebant ac minis. Quantas ibi moleſtias ſenſerint ac perpeſſi ſint, tacendo meliùs putamus exprimi, quàm dicendo. Verùm in ijs aduerſis omnibus duorum mentes corroborabat tertius, velut in acie tyrones veteranus, docens eos, vt magìs eligerent affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, cùm hanc partem ſequatur æterna damnatio, illam ſempiterna felicitas. Quapropter reſpicerent in remuneratorẽ, adſpicerent in authorem fidei & conſummatorẽ Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. His & alijs multis ſermonibus diſcipulos tam conſtantes reddidit & perfectos, vt non ſolùm quaſcunque moleſtias gaudentes ſufferrẽt, ſed etiam pro perſequentibus exorarent.

[Petit vir ſanctus eremũ cum duobus diſcipulis.] [Heb. 12.]

Facta ergò iuxta eccleſiam cellula, credo de ramis & frondibus, partiuntur inter ſe domeſticam curam, vt illi operarentur manibus ad victum, ipſe verò lectioni & orationi incumberet. In oratorio, quod vtcunquè refecerãt, certis horis & nocte communes preces fundebant, cibum parcum & aridum cum gratiarũ actione vnà ſumebant: cuius pars maxima peregrinis & pauperibus ſeruabatur, nec cogitabant de craſtino. Quadam die profectis ad laborem fratribus, cùm ſolus in eccleſia ſubſtitiſſet, audit vocem petentis eleemoſynam. Surgit feſtinus, ingreditur cellulam, dat totum quod reperit. Totum illud, pars erat panis, quæ ſuperfuerat heſternæ cœnæ, ſuffectura tamen iterùm tribus ad menſam. Reuerſis ab opere cibus defuit: quod cùm moleſtè tuliſſet Dalmatius, citò vir Dei querelam compeſcuit verbis Chriſti: Nolite, inquit, ſoliciti eſſe, dicentes: Quid mãducabimus, aut quid bibemus? Scit enim pater veſter, quia his indigetis. Quam ſententiam ſequens eueſtigiò confirmat euentus. Abbas enim Arbertus, qui eis hunc locum conceſſerat habendum, non ignorans affligi ſterilitate ſolitudinis ſanctorum voluntariam paupertatẽ, tres eis pro benedictione miſit clitellarios equos, panibus oneratos ac vino. Duos verò ex ijs ille, qui miſſus fuit, præſentauit beato viro, tertium autem in via more quodã inſolito nunciauit defeciſſe. Ad hæc vir ſanctus gratias egit, & vultu hilari conuerſus ad fratres: Diſcat, inquit, dilectus frater noſter Dalmatius in fide Chriſti nihil deinceps dubitare, quandò & nobis fiducia noſtra præſenti mercede reſpondit, & ſe videt pro murmure parua quidem, ſed manifeſta ad correptionem, pœna mulctatum. Nam partem ſuam illam nouerit, quæ in via remanſit. Non eſt ablata tamen, ſed dilata, vt fidem ſibi non dubitet, quæ deferat, reſtaurandam.

[Eius & ſociorum exercitia.] [Matth. 6.] [Dalmatij puſillanimitatem caſtigat.]

His & id genus alijs frequenter vtens ſermonibus, non ſolùm ſocios inſtruebat, ſed & incolarum mitigabat feritatem, paulatimque brutis moribus exuens, tanquàm de

feris homines faciebat, maiori certè miraculo, quàm si, vt apud fabulas inuenitur, humana corpora transmutaret in feras. Ità factũ est, vt nonnulli cingulum militiæ deponentes, & sancto eius contubernio adhærentes, Christi se seruitio in perpetuũ ibidem manciparent. Sed & quidam ex ordine clericali apud illum vitam solitariam delegerunt. Crescente itaque numero discipulorum, creuit & religionis obseruantia. Nam præter illa, quæ omnibus erant instituta communiter, aliquid singuli addebant de proprio: quos tamen in omnibus præcedebat magnæ deuotionis signifer, vir Dei. Cuius sanctæ conuersationis opinio, in Dei laudem longè lateq; finitimos excitabat. Accessit ad vitæ meritum tanta miraculorum potentia, vt iam illis in locis nullus ambigeret, virum sanctum meruisse à Deo gratiam curationum. Quam sic ille pro humilitatis custodia fideliter petentibus ministrabat, vt diuina beneficia non sibi, sed sanctorũ Agricolæ & Vitalis, in quorum seruiebat ecclesia, meritis imputaret. Sed eius merita dęmones non tacebant, cùm ab obsessis corporibus pellerentur.

Multi se illi adiungunt.

Miraculorũ gratiam nõ sibi, sed alijs adscribit.

Mulierem dæmoniacam, rustici cuiusdam vxorem, amicorum fides ad eum curandam adduxerat: qua in ecclesiam, vbi sanctus orabat, vix introducta, renitente qui eam possidebat inimico, ore trisono cœpit in eum minas & conuicia iaculari: Roberte, inquiens, Roberte de Casa Dei, quid à nostris sedibus nos tentas extrudere? Nos te potiùs cum tuis breuì perturbabimus, intolerabiles, quas hîc patieris, molestias incendio cumulantes. Nec tibi proderunt collegæ tui, Agricola Bononiensis, Symphorianus Heduēsis, Marcellus Diensis, Priuatus Mimatensis, Iulianus Briuatensis, quos tibi paras ad nos impugnãdos adiungere. Videbat diabolus hæc futura, videlicet locum ibi fundandum, qui Casa Dei nouo nomine vocaretur, sanctorum reliquias, quorum nomina recensebat, illuc inferendas: & cùm futura bona vaticinaretur inuitus, saltem non profutura, quod vellet, mentiebatur. Hoc solum de futuris libens prædixit, quòd locus esset conflagraturus incendio. Intereà mulier saltu & discursibus per ecclesiã debacchata, repentino impetu conuertitur ad altare, tanquàm manũ sacris spolijs iniectura. Cuius vir sanctus miseratus insaniã, dilata interim oratione, obuius procedit, & virgula, quam tenebat, percussam leuiter, seueriùs increpauit. Deindè conuersus ad dæmonē: In nomine, inquit, Domini tibi præcipio, exi & da gloriam Deo, neque vltrà reuertaris expulsus. Concidit mulier ad hanc vocem, & inimico recedente, protinùs obdormiuit. Post modicum experrecta, mente iam sana, sed corpore adhuc fatigato, panem sibi flagitauit afferri. Quem à viro Dei benedictum, auidè sumpsit, & sic facta incolumis, repedauit ad sua: multo quoquè posteà vixit tempore.

Dæmoniaca curatur.

Item rusticus quidam nomine Constantius, prope sanctum Victorem habitans, cùm tantùm plenus esset dæmonio, vt nulli parcens, seipsum dentibus infestaret, solam viri Dei præsentiam profitens formidabat. Quem sui toto corpore irretitũ vinculis, & tanquàm mortuum in feretro portantes, eidem sancto pauidum nimis & reluctantē præsentant. Ille super eum facta oratione, adiurato per nomen Dei inimico, vt discederet imperauit. Ad primam iubentis vocem territus aduersarius, & vas captiuũ compulsus dimittere, quod solùm potuit, lassum reddidit & vexatum. Homo post paululùm recreatus, sumptis, quas sanctus ei obtulit, eulogijs, sanus & gaudēs ad propria remeauit. Horum fama diuulgante, multi vulgo mixti nobiles, ad eum confluebant vndiquè: quos gratanter suscipiens, verbo Dei recreatos, cum gaudio ad sua remisit. Sed cùm pleriq; Christo seruire non nisì sub ipsius ducatu proponerent, quos loci vastitas minimè recipere valeret, ortum est nouum ex necessitate consilium, vt scilicet ibì construeretur monasterium, in quo sub regulari disciplina, quos Deus colligeret, vnanimiter habitarent. Ad quod construendum pandebat viam fidelium non paucorum deuotio, qui certatim in hos vsus prædia & pecunias vltronei offerebant. Videns Dei famulus tanti boni præparatam diuinitùs occasionem, sciensque veraciter ad suæ periculum animæ pertinere, si tam multorũ saluti, propriç quietis respectu, deesset, habita super hoc cum fratribus suis deliberatione, assensu etiam & consilio Aruernensis episcopi bonæ memoriæ Reuconis, cœpit monasteriũ ædificare cum summa omniũ gratulatione iuxta loculum, in quo priùs habitauerat: & prosperè cōsummauit. Eo tempore Francis imperabat Henricus, sedem Apostolicam Leo nonus tenebat. Papam igitur supradictus episcopus adijt, vir sanctus regem Francorũ, vtrique super noui loci stabilitate authoritatis robur & congrua priuilegia petituri. Vtrique succedit ad votum, rege non solùm petita annuente, sed & domum Dei & virum sanctũ regijs honorante muneribus: Papa verò decretis Apostolicis roborante consilium: insupèr etiam hominem Dei, cuius famam

Item dęmoniacus.

En vt olim feruebant pij ad cōstruenda monasteria.

Leo IX. Põtifex qualē se prębuerit erga virum Dei.

famam sanctitatis audierat, licèt inuitũ, fratribus præficiendum mandante. Factum est ità, & dedicato monasterio, vir beatus monachicum habitum regimenq; suscepit tam fratrum precibus, quàm Præsulis authoritate. Quanta autẽ in eo post regiminis curam circa subditos industriæ vigilantia, erga Deum simplicitas mentis illuxerit, illud signorum frequens ostensio, illud spiritalia laboris eius incrementa testãtur. Nam pręter secularium non modicam multitudinem, quorum animas verbo prædicationis atque exemplo, orationum etiam suffragijs est lucratus, ex quibus ad trecẽtos fermè monachos acquisiuit: præter ecclesias circiter quinquaginta post diuturnam desolationem ad Dei seruitium reparatas, illud constat esse præcipuum, quòd vnicæ simplicitatis ac charitatis suæ formam, in discipulos & eidem loco, cuius fundator extitit, dotis instàr egregiæ, reliquisse cernitur hæreditariam sanctitatem. 300. ferè monachi eius.

De miraculis pauca perstringimus, cùm tota ipsius vita in terris miraculum fuerit. Si qui tamen exterioribus signis faciliùs capiuntur, hęc pauca de multis attendant. Militem de monte Guasconis, cui nomen Bernardus erat, annis tribus continuis renũ iniuria, quam phrenesim medici nominant, laborantem, cum aquæ sanctæ adspersione super eum deuotus orans, non solùm corporis incommodo liberauit, verumetiã posteà monachum factum, Christi militiæ deputauit. Item alium per vitiati sanguinis corruptelam aqua intercute laborantem, & naturalis caloris fomite iam demerso, superflui humoris abundantia protinùs obruendũ, sacræ manûs impositione restituit. Puerum quoquè dæmoniacum, gressûs ac linguæ priuatum officijs, rustici cuiusdam filium, sub loco, qui Calidus mons dicitur, habitantis, eadem potentia per manûs impositionem cum orationis virtute curauit, triplicique miraculo in eadem persona, muto vocem, claudo gressum, captiuo reddidit libertatem. Item præsentato sibi dæmoniaco cùm panem sanctum in ecclesiæ ostio porrexisset, inimicus tantam virtutem non sustinens, non sine horribili soni strepitu & intolerabili fœtore discessit, hominemq; incolumem dimisit. Mulier mẽbris omnibus dissoluta, quæ ipso Missam celebrante, sacris mysterijs assistebat, allata non suis pedibus, sed manibus aliorum, etiam vocem, qua de perpetuę Virginis laudibus in festo ipsius Annunciationis ad populum disserebat, fideliter audiens, restituta est sanitati. Nec latuit assistentes tantæ virtutis effectus, cùm de neruorum eius concussione fragor emissus, terrorem subitum, tanquàm de tecti ruina, præsentibus incussisset. Eius quædã miracula. Triplex in vno miraculum.

Cæterùm vir iste beatus, quod est miraculis dignius, habitum mentis in tanta rerum mundanarum varietate, in tanta cura & solicitudine immobilem semper custodiuit, vt nec ætatum, nec temporum, nec locorum, nec fortunarũ diuersitate à sancto proposito potuerit dimoueri. Ità factum est, vt per breuem laboris cursum (omne enim quod transit, breue est) ad æternæ vitæ brauium faciliter perueniret. Obitûs quidem sui diem creditur præsciuisse: fratribusque ad se vocatis, post exhortationis verba, singulis osculatis valedixit: sicque conuersus ad Dominum, seque & illos Deo precibus commendans, plenus dierum, dormiuit in Christo: sepultusque est in Casa Dei noua, quam ipse ædificauerat, octauo Calendas Maij: Regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est cum patre & spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum, Amen. Animi eius perpetua cõstantia. Obdormit in Domino.

De Litania maiori videat Lector suprà in Vita S. Gregorij Papæ lib. 1. cap. 41. &c. Item quæ habentur in initio libri 2. Epistolarum eius &c.

DE S. MARCO EVANGELISTA, EX B. HIERONYMO DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.



Marcus discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referẽtem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangeliũ. Quod cùm Petrus audîsset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua authoritate dedit, sicut scribunt Clemens in sexto Hypotyposeon libro, & Papias Hierapolitanus Episcopus. Meminit huius Marci & Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Assumpto itaq; Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit Aegyptum, & primus Alexandriæ Christũ annuncians, constituit ecclesiam, tanta doctrina & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum suî cogeret. Deniquè Philo disertissi- 25. Aprilis S. Marci Euangelium, à S. Petro approbatum. 1. Pet. 5.

mus Iudæorum, videns Alexandriæ primam ecclesiam adhuc Iudaizantẽ, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit: & quomodò Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse cõmunia, sic & ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

Actor. 2.

Ex eodem libro B. Hieronymi.

S. Marci Ecclesia apud Alexandriã.

PHilo Iudæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotũ, idcircò à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens ecclesia, in nostrorũ laude versatus est, nõ solùm eos ibi, sed in multis quoquè prouincijs esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primùm Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt: vt nihil cuiuspiam propriũ sit, nullus inter eos diues, nullus pauper: patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoquè & continentiæ, quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes. Aiunt hunc (Philonem) sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quò legatus gentis suæ missus fuerat: cùm secunda vice venisset ad Claudiũ, in eadem vrbe locutum esse cum Apostolo Petro, eiusq; habuisse amicitias: & ob hanc causam etiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornâsse laudibus.

Monachi quorum sectatores.

SANCTI MARCI APOSTOLI ET EVANGELISTAE MARTYRIVM, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

Habetur etiam in vetustis MS. codicibus Latinis, penè ad verbum cum isto consentiens.

25. Aprilis.



TEmpore illo, cùm Apostoli per omnem orbem terrarum dispersi essent, diuina volũtate factum est, vt vir sanctissimus Marcus in Aegypti regionem adiret. Euangelistã hunc esse, sancti Apostolicæ Ecclesiæ Canones cõstituerunt, eò quòd primus ipse in tota Aegypti regione, Libya, Marmarica, Ammoniaca & Pentapoli, Christi Euangeliũ, quod scripserat, & eius ad nos aduentum prædicauit. Erat enim tota illa regio hominibus referta: qui cùm essent corde incircunciso & durissimo, idolis seruiebant, pleni omni impuritate, & impurorum spirituum cultores. Per omnes enim vrbes ac prouincias, templa & lucos constituebant. Siderum etiam euenta, & magicæ artes, omnisq; dæmonum facultas apud eos exercebatur, quã Dominus Iesus, cùm in eam regionẽ misset, dissoluendã atque euertẽdam præmonstrauit.

S. Marcus vbi prædicauerit.

Matth. 2.

Cùm igitur diuinus Euangelista Marcus in Cyrenen vrbẽ Pentapolis venisset, & cæleste Christi regnum prædicâsset, & apud eos miracula ingentia fecisset (ægrotos enim curauit, leprosos mundos reddidit, ac diuinæ gratiæ verbo impuros & feroces spiritus eiecit) multi per eum crediderunt in Dominum Iesum Christum, & fecerunt, vt eorum simulacra in terram deijcerentur: qui & baptismate illuminati sunt in nomine Patris & Filij & Spiritùs sancti, Amen. Illic igitur per sanctum Spiritum ei reuelatum fuit, vt ad Pharitem Alexandriam abiret, & bonam Dei sementem illic spargeret. Itaque beatus Euangelista Marcus ad stadium, tanquàm generosus & fortis athleta, prompto animo gradiebatur. Cumque fratres ipsos salutâsset: Dominus, inquit, meus mihi dixit, vt ad vrbem Alexandriam proficiscar. Fratres autem cousq; illum deduxerunt, quoàd in nauigium ingressus est. Cumq; panis buccellã degustâssent, benè illi precantes, eumque deducentes, sic dicebant: Dominus Iesus Christus prosperum faciat iter tuum.

Miracula eius apud Cyrenẽses.

Beatus verò Marcus postridiè Alexandriam venit. Cùmque descendisset è naui, adijt locum quendam, qui vocabatur Mendion. Cùm autem eius vrbis portam ingressus esset, statim ipsius calceamentum dissolutum fuit. Quod beatus Apostolus intelligens: Verè, inquit, via hæc expedita & facilis est. Visoq; veterum calceamentorũ sutore, calceamentum reficiendum ei tradidit. Ille verò calceamentorum sutor subula sinistram manum suam percussit, & continuò clamauit: Vnus Deus est. Id cùm beatus Marcus audiuisset, secum cogitans ac ridens dixit: Prosperum fecit Dominus iter meum. Cumque in humum despuisset, ex ipso sputo lutum confecit, & eius viri manum illinens: In nomine, inquit, Iesu Christi viuentis in secula, esto sanus: ac statim eius viri manus sanata est. Sutor autem ille cùm apostoli Marci potentiam, & orationis efficacitatem, habi-

Venit Alexandriam.

Sanat manum sutoris

habitumque virtutis exercitationi conuenientem animaduertisset: Precor, inquit, te, homo Dei, vt venias hodiè & diuertas ad domum serui tui, vt simul pane vescamur, quoniam misericordia hodiè me prosecutus fuisti. Beatus apostolus Marcus ea re valdè lætatus: Dominus, inquit, dabit tibi panem vitæ cælestis. Homo igitur ille valdè hilaris, coëgit Apostolum domum suam diuertere.

Quàm cùm beatus Marcus introiuisset: Benedictio, inquit, Domini hîc sit. Precemur Deum, fratres. Ac simul precati sunt, & post preces accubuerunt. Vt verò benignè se vicissim acceperunt, dixit homo ille: Pater, obsecro te, quis es? Et vndenàm oratio ista tam potens in te profecta est? Cui sanctus Marcus dixit: Ego seruus sum Domini Iesu Christi, filij Dei. Vellem, inquit ille, Deum videre. Tum sanctus Marcus: Illumipsum tibi ostendam. Cœpitque sanctus Apostolus exponere initium illius Euangelij: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: eique ostendere, quæ Prophetæ ipsi de Christo prædixerunt. Vir autem ille: Istas, inquit, Domine, scripturas, quas tu dicis, nunquàm ego audiui, sed Iliadem, & Odysseam, & quæcunque Aegyptiorum filij doceri solent. Tunc cœpit sanctus Euangelista Marcus Christum ipsi nunciare, atq; ostendere huius mundi sapientiam stultitiam esse apud Deum. Credidit homo ille Deo, propter ea, quæ à Marco dicta sunt, & propter signa & prodigia per eum facta: ipseque, & tota eius domus, & magna eius regionis multitudo, ab Euangelista ipso illuminata est. Erat autem hominis illius nomen Anianus.

Matth. 1.

Sutor credit in Christum cum multis alijs.

Cùm verò creuisset numerus eorum, qui in Domino crediderunt, audiuerunt ciuitatis illius optimates, Galilæum quendam illuc venisse, qui deorum sacrificia euerteret, & ipsorum cultum impediret. Quamobrèm eum interficere studebant, atque insidias multas ei faciebant. Quas cùm sanctus Marcus cognouisset, ordinauit Episcopum Anianum, & tres presbyteros Malchum, Sabinum & Cerdonem, ac septem diaconos, & alios vndecim, qui Ecclesiasticum ministerium obirent. Quo facto, aufugiens, rursùs in Pentapolim venit. Ibi cùm annos duos transegisset, & fratres, qui illic erant, confirmâsset, Episcoposque & clericos per regionem illam ordinâsset, rursùm venit Alexandriam, & eius loci fratres multo numero & gratia & scientia Dei auctos inuenit, qui & Ecclesiam sibijpsis ædificauerant in ijs locis, quæ Bubulci nomen habent, maritimaque sunt infra præcipitia quædam posita. Qua re iustus ille vir multùm gauisus est: cumque genua in terram posuisset, diuinam gloriam celebrauit.

S. Marcus ordinauit Alexandr. Episcopum, presbyteros & diaconos

Cùm verò multum temporis transijsset, & Christiani aucti essent, idola ipsa irridebant, & Græcos, qui ea colerent, subsannabant. At Græci, posteaquàm audiuerunt sanctum Euangelistam Marcum illuc venisse, ardore quodam atque inuidia repleti sunt, eò quòd audirent admirabilia quædã per eum fieri. Aegrotos enim sanabat, leprosos mundabat, surdis auditum ità restituebat, vt Euangelij prædicationem ab eo percipere possent: multis deniquè cæcis visum præstabat. Quamobrèm illum insectabantur. Quem cùm non inuenirent, stridebant dentibus suis, & in sacrificijs & idolorum suorum debacchationibus aduersùs sanctissimum virum vociferantes, dicebant: Multæ sunt huius magi & venefici violentiæ.

Factum autem fuit, vt beatus & festus dies noster, hoc est, sanctum Pascha die Dominico celebraretur, octauo Calendas Maij, hoc est, vigesimoquarto, die mensis Aprilis, qui ab Aegyptijs Pharmutius vocatur. Illo autem tempore & Serapidis illorum dei debacchatio celebrabatur. Cùm igitur eam temporis opportunitatem nacti essent, homines quosdam subornatos miserunt, qui Apostolum sanctas diuinæ oblationis preces & ministerium facientem inuenerunt. Quem cùm compræhendissent, fune in eius collum iniecto, trahebant, ità dicentes: Trahimus bubalum hunc ad bubulci stabulum. At sanctus Marcus cùm traheretur, Saluatori Christo gratias agens: Gratias, inquit, ago tibi Domine Iesu Christe, quòd dignus habitus sum, qui pro nomine tuo hæc paterer. Eius autem carnes decidebant, & sanguine ipso lapides inquinabantur.

S. Marcus Missam celebrans, cõpræhenditur.

Dirè cruciatur.

Erat eius diei vespera, cùm in carcerem eum coniecerunt, donèc inter se decernerent, quali morte ipsum de medio tollerent. Media verò nocte, ianuis clausis, & custodibus ante ianuam excubantibus, eccè terræmotus magnus factus est. Angelus autem Domini cùm descendisset de cælo, tetigit ipsum, dicens: Serue Dei Marce, summe omnium illorum sanctorũ, qui sunt in Aegypti regione, en scriptum est nomen tuum in libro vitæ cælestis, & connumeratus es cum sanctis Apostolis, & memoria tua non delebitur in æternum. Eiusdem chori consors eris, cuius cælestes & supernæ potentiæ consortes sunt. Archangeli spiritum tuum in cælos suscipient, & reliquiæ tuæ in terris

Angelus ei apparet.

non peribunt. Hanc visionem cùm beatus Marcus vidisset, manus suas in cælum extendit, ac dixit: Gratias ago tibi, Domine mi Iesu Christe, quòd non dereliquisti me, sed cum sanctis tuis me connumerâsti. Precor te, Domine Iesu Christe, vt accipias in pace animam meam, neque me reprobes, aut excludas à gratia tua. Cumque hæc ille dixisset, Dominus Iesus Christus ad eum venit figura illa, quam habebat, quo tempore versabatur cum discipulis suis, & qua forma erat, antequàm Crucem passus, & sepultus fuisset. Qui & ei dixit: Pax tibi, Marce Euangelista meus. Beatus verò Marcus dixit: Pax tibi, Domine Iesu Christe. (Antiquus MS. codex habet tantùm: Domine meus Iesu Christe: & abijt.)

Item Christus.

Cùm verò dies illuxisset, venit illuc ciuitatis multitudo: quæ cùm illum eduxisset è carcere, rursùs in eius collum funem iniecerunt, cumque pertrahentes, dicebant: Trahamus bubalum in bubulci stabulum. At beatus Marcus eo maiores gratias omnipotenti Domino Iesu Christo agebat, dicens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Cumque hoc dixisset, tradidit Deo spiritum. Impiorum verò Græcorum multitudo, cùm ignem eo in loco, qui Angelorum nomine appellatur, accendisset, illius viri iusti reliquias * comburebat. Tunc Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi prouidentia factum est, vt turbo quidam erumperet, & tempestas magna fieret, & sol ipse radios suos contraheret, tonitruaque & eorum sonitus multus audiretur, plurima quoquè pluuia cum grandine commista vsq; ad vesperam duraret, ità vt ædificia multa corruerent, & homines non pauci mortui caderent. Eius igitur rei timore perculsi, reliquias sancti Marci dereliquerunt ac fugerunt. Alij verò irridentes dicebant, beatissima illorum Serapidis prouidentia hæc in illo viro fuisse facta propter natalem ipsius diem.

Migrat à vita.
Codex MS. * comburere volebat.

Tunc venerunt homines religiosi, & viri iusti reliquias à cinere secreuerunt, atque in eum locum tulerunt, vbi preces & psalmos suos canebat: eiusque funus curârunt, vt ciuitatis mos erat. Reliquias autem deposuerunt in loco illustri è lapidibus exciso, ipsius memoriam sobriè & piè cum precibus celebrantes, quo nihil preciosius Alexandrina ciuitas possidebat. Illas autem reliquias Orientem versùs collocârunt. Codex MS. etiam hæc addit: Fuit autem forma beatissimi Marci huiusmodi: Longo naso, subducto supercilio, pulcher oculis, recaluaster, prolixa barba, velox, habitudinis optimæ, ætatis mediæ, canis aspersus, affectione continens, gratia Dei plenus,

Forma S. Marci.

Beatus igitur Marcus Euangelista, primus Christi martyr in Aegypti Alexandria, mense, qui apud Aegyptios Pharmutius, & apud Hebræos Nisan dicitur, septimo Calendas Maij, vt Romani numerant, hoc est, Aprilis vigesimoquinto, obijt, Imperatore Claudio Nerone Cæsare: nobis autem Christianis imperante Domino nostro Iesu Christo: Cui gloria est & Imperium cum Patre & Spiritu sancto, in secula seculorum, Amen.

PROCOPII DIACONI ET CHARTOPHYLACIS LAVDATIO IN SANCTVM APOSTOLVM ET *Euangelistam Marcum. Habetur in Simeone Metaphraste.*



RVrsùs Apostolica panegyris ac celebritas effulget. Rursùs ego vnà cum ijs, qui eiusdem chori participes sunt, exulto. Rursùs eius, qui Christi discipulus fuit, memoria, instàr facis cuiusdam, lumen nobis præfert, & ego linguam ipsam ad hymnorum choreas celebrandas confero. Quæ quidem lingua obscura quædam pronunciat: nullius enim vibratilis orationis particeps est, neque pulchra & eleganti concinnitate verborum probatur: quanuis neque si his rebus benè munita esset, ad beati Marci laudes explicandas satis esse posset. Ea tamen nunc præclaris Euangelistæ factis exultat, & earum rerum, quas ille benè gessit, facultatem, quammaximè potest, admiratur.

Marcus Petri filius, & eius, qui claues cælorum accepit, socius, mysteriorum nuncius, & arcanorum præco, qui Aegyptum illustrauit, & in illius regionis sacro throno primus sedit: (Neque enim hoc ad laudationis & gloriæ materiam parùm est, cùm diffi-

S. Marcus primus Aegypti episcopus.

difficilius sit, tellurem spinosiorem factam, quàm illam, quæ purgata est, laboris studio excolere) hic, inquam, nos hodiè in conuiuium accipit: hic sua egregia & præclara facta, tanquàm opsonia quædã, proponit. Simul enim cum vêre ipso, suauissimo & omnium iucundissimo anni tempore, huius viri sancti dies festus exorsus est, & instàr splendidissimi solis humanas animas illustrauit. Nanque vt nunc terra ipsa floribus ornata est, ità & præsens dies præclaris Euangelistæ Marci factis decoratus, omnes ad se congregauit. Fidelium hominum cateruæ tanquàm ex conuentione quadam, eodem in loco versantes, apostolum ipsum beatum prædicant. Gentium cœtus atque conuentus mysteriorum authorem celebrant: & magnificè, vt Christi scribam, extollunt, eiusque diuini aduentûs testem honorant. Vel dicam potiùs: Mundus ipse tanta huius viri rectè facta vt diuina suspicit, & magno cum applausu veneratur. Cuncti enim eius doctrinam adiutricem senserunt. Sed neque oratio, neque lingua hunc pro dignitate laudare potest. Quid enim primum, aut quid postremum laudauerit? Nam & appellationes earum rerum, quæ in illo effulserunt, multiplices sunt, & certamina ipsa horribilia. Dies festus S. Marci.

Hic enim & eum contemplatus est, quem humani oculi videre non potuerunt, in nostro hoc corporeo tegumento apparentem. Hic & terram, quæ ipsum produxit, dereliquit: diuinaque voce inuitatus, propinquorum hominum amoris illecebras propulsauit, proque nihilo fecit generis honores ac splendorem. Fluxæ & caducæ mundi facultates, somnium quoddam illi visæ sunt. Itaque Deum ipsum rerum omnium Dominum tantùm dilexit: vnamque & solam felicitatem ea esse arbitratus est, quæ Deus promisit. Idem & in Discipulorum societatem aggregatus fuit. Nam in Septuagintaduorum * Apostolorum cœtu connumeratus est, tanquàm splendidum quoddam lumen inter stellas apparens, ab illo, qui eum vocauit, delectus, cui nihil ex ijs, quæ in inferiore hac mundi scena & voluptate habentur, conferri potest. Verè Petri filius fuit Marcus: ità illi mente & animo fuit similis. Natura enim ipsa, quæ propria sunt alicui generi, ea sic distribuit, vt & his, qui sunt eiusdem generis, communia sint: & egregias vniuscuiusque virtutes omnibus communes proponit. Hoc ex eo declaratur, quòd Marcus Deo ipsi obediuit, & eum, à quo formatus est, sequi studuit: cæteraque bona his simila, diligentia & virtutis studio assecutus fuit. Vt enim est apud prophetam Amos, ex persona diuitis ac principalis Spiritûs prænunciantem: Eccè ego firmans tonitru, & creans spiritum, & nuncians in homines Christum ipsius: ab extremis terræ partibus vsque ad extremas mundi partes perrexit, vt rerum omnium opificis Dei Euangelium prædicaret, variaque rectè factorum semina spargeret. Nam orbem terrarum illustrauit, erroris impietatem extinxit, & eos, qui idolorum victimis atque cruoribus contaminati erant, abstersit atque purgauit, Deoque ipsi per baptismum purgatos (nè multa dicens longior sim) obtulit. Pro scuto enim & hasta linguam habebat, qua prædicationem omnibus firmissimam annunciabat, turbasque multas ad veram vitam traducebat. Vndè enim scaturiebat miraculorum redundantia, illinc & turbæ ipsę ad diuinam cognitionem percipiendam deriuabantur. Rerum mũdanarũ cõtemptus. Amos 4. iuxta 70.

Qui pedibus anteà mutilatus erat, integer posteà factus, magister ijs proponebatur, qui ad currendum veloces erant. Qui oculorum lumine anteà carebat, pupillarum deindè aciem habens acutissimam, alios ad cognitionis lucem, tanquàm manu protensa, deducebat. Tactus ijs, qui eo carebant, restitutus, illos, qui ad consueta libamina multo furore atque cupiditate ferebantur, ad veram religionis formam dirigebat. Itaque sacrificiorum, quæ idolis offerebantur, ignis in caliginem conuersus est: & erroris authores dæmones tanquàm in cinerem redacti erant, veraque & diuina pietas efflorescebat. Ità erant splendida tua, diuine Marce, facta: ità illustria & admirabilia victoriarum trophæa. His enim captiuos duxisti aduersantis exercitûs Imperatores tu idiota ille, & olìm rudis. His gentium errorem expugnâsti tu inermis & vnica vtens veste. His armis vnà cum Petro ipso tu Petri filius Italorum gentem subiecisti, ab oriente sole motus, & ad occidentem aduolans, prædicationisque orationem latè fundens, qua parte & sol ipse radios suos in extremos mundi fines spargit, non sophistica argumentorum via & ratione, non comptis & concinnis argumentationibus, sed simplici oratione & veritate sola vsus, quæ omnium victoriam inexpugnabilem reportat. Miracula S. Marci quid effecerint. Veritas inuicta.

Quòd enim omnis oratio expugnari facilè possit, nisi ea, quæ vera sunt, colat & prædicet, ex hoc ipso cognoscere poteris. Pythagoras ille, cùm falsas opiniones fortiter defenderet, & multas fabulas disputaret, Italis persuadere non potuit, vt illas crederent. Illud idem & Democritus cùm ageret, Abderitarum suis dictis auscultantem Pythagoras Democritus.

lis ipsis mœnibus ad expugnandum difficiliorem, templaque omnium Dominatori Deo iisdem in locis erigens, vbi & caliginosas eorum, qui illic erant, animas candidiores factas, Deo reconciliauit, & baptismate illustratas, eidem familiares & amicas reddidit.

Hic enim Aegyptiorum regioni præcipuè à diuino Spiritu magister assignatus: hic eiusdem terræ in primis Pontifex & Pastor à magno illo Petro propositus fuit: qui munus in manus sibi commissum Apostolicis laboribus exornauit, & varijs modis laborans, ministerium illud sacrum excoluit: non delicijs vtens, non segnitiei aut voluptati deditus, sed tentationibus tam à summis, quàm ab infimis hominibus circundatus, & infinitis malorum copijs vndiquè impugnatus, vt ea ratione, quemadmodùm & Paulus, tumorem omnem comprimeret. O diuinum discipulum, qui terrarum orbem lustrauit. O corpus, tot tantisque operibus non defatigatum. O salutaris prædicationis semper florentem & immortalem potentiam. Diuina enim opera, & quæ à Deo proficiscuntur, corruptionem non patiuntur. Decet hoc loco & de diuinarum rerum spectatore Marco meritò illud dicere: In omnem terram exiuit sonus eius, & in fines orbis terræ verborum ipsius vtilitas: quod Dauid, diuinorum opificiorum magnificentiam admirans, pronunciauit. Hæc vox sola tibi, qui à Deo sapiens effectus es, iurè, Marce, conuenit: Hæc sola, inquam, vox supra omnes alias Rhetoricæ facultatis voces tibi congruens est. Nam & cursum tuum, & certamina hæc ipsa exprimit: tum res asperas ac difficiles, necnon incorruptam coronam, quæ non auro ex regione Ophir confecta est, non lapidibus Indicis & margaritis varia, sed talis est, qualem immortalis Iudex ille, & certaminum præfectus Deus amanter componit, & proprijs cultoribus retribuit. Tui enim pedes speciosi sunt, vt prophetica prædictione significatum est, quippe qui terræ ambitum peragrârunt. Lingua tua speciosa, quæ pacem illam omnium mentem exuperantem feliciter nunciauit. Manus item speciosæ, quæ Euangelium calamo ministrârunt.

S. Marcus à S. Petro Aegypto præfectus.

Psal. 18.

Esa. 52.

Sed quidnam hæc sola sacratissima membra dico? Totus laboribus Apostolicis sanctus, totus martyrij stigmatibus ità ornatus fuit Marcus, vt & martyrij præmijs, & brauijs omnibus nunc fruatur. Qui enim anteà sacrificium offerebat, is propter Christum etiam sacrificium factus est: & pastor ea, quæ ouium propria sunt, vnà cum ouibus suscepit. Nam & ipse, tanquàm ouis, vnà cum alio Apostolico cœtu in medium luporum missus, & hostia viuens Deo oblata est. Vinculis enim compræhensus fuit ab iniquis manibus ille, qui multos à dæmonum faucibus eripuit. Vinctus tamen, & huc atque illùc ductus, iniurijsque ac maledictis lacessitus, mansuetè & æquo animo omnia perferebat, Dominum ipsum imitatus. Multo carnis propriæ sanguine perfusus est, qui terram illam dæmonum sordibus expurgauerat. Hæc enim sunt, quæ ingratorum hominum insipientia ijs retribuit, per quos beneficia conciliata eis sunt. Postremò omnium generum cruciatibus, velut aurum quoddam, probatus, ad infinitam illam lucem euolauit, variorum certaminum & fortium factorum multiplices fructus percepturus. Talis fuit Apostoli cursus: tales Euangelistæ Marci conatus, miraculo pleni, & supernis plausibus digni.

Matth. 10.

S. Marcus quæ pertulit.

An non magnus Marcus in omnibus summas laudes meretur? Quid enim Apostolo sublimius? Quid Christi scriba honoratius? Quid cum martyrij gloria conferendum? Cùm verò & pontificius amictus eidem accesserit, athleticarum luctationum gloria decoratus, quidnam aliud ad gloriæ splendorem reliquum est? Non, inquam, aliud, nisi Angelorum cohortes, & diuina illa templa, in quibus, vnà cum alijs lectissimis Dei ministris versatur & exultat, magistri sui vultum conspiciens, & diuina ac principalis illius monarchiæ pulchritudinem spectans, eiusq; lumine decoratus. Cuius enim viri studio Dei gloria alijs hominibus prædicata est, eum cælestis & infinita gloria consecuta fuit.

Sed neque earum laudationum, quæ in hoc inferiore mundo sunt, expers est, licèt his non indigeat. Nunc enim Alexandria, immò verò tota Aegyptus, Marcum ipsum in primo throno considentem sortita, tanquàm alterum quendam Nilum, non corporeum, sed mysticum habens, ità spiritales eorum agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter, qui oculis corporeis cernitur, irrigare solitus est: illum, inquam, vt Apostolum, vt Euangelistam, vt Martyrem, magno præconio extollit, & hymnos eius appellationibus congruentes concelebrat. Videt hunc in monumento positum, licèt in supernis regionibus eius anima versetur & exultet. Eius pulueris thesau-

thesauro locupletata, funebres cantus ipsi Apostolo pronunciat: & tanquàm cum viuente aliquo, & in spiritu versante colloquitur: & gratijs per illumipsum concessis oblectatur: & pro illis honoribus, quos Apostolo congruentes, velut dona quædam, offert, maiora beneficia vicissim recipit. Cùm enim tentationum flatus aduersùs ciuitatem spirant, Apostoli Marci sepulcrum vrbis incolæ circumeunt, & à malis ipsis liberantur. Barbarorum supercilium ac superbia, mala quædam acerbissima illis minatur: at ipsi ad pastorem supplices confluunt. Molestiarum & affectuum examen cùm eos perturbat, ad Apostolum ipsum, tanquàm ad medici officinam, è qua scaturiunt curationes, homines confugiunt. Immò verò vniuersa Aegyptus, Marcū ipsum magistrum & adiutorem sibi asscribens, eius in omnibus ijs, quæ tristia contingunt, auxilium implorat: & die festo, quem singulis annis honorat, laudes ipsas, velut debitum quoddam, illi offert: & multa cum pompa atque applausu, exultationeque & panegyri laudationes ipsas celebrat, diuinumque ipsius Euangelium amplectitur, vt tabulas à Deo insculptas: vel, vt rectiùs dicam, tanquàm ipsum Christi os veneratur, verbaque à Deo pronunciata, ab Apostoli ore se audire arbitratur.

Vide quid præstet inuocatio sanctorum.

Dies festus S. Marci.

Author inuocat S. Marcum.

Quem Deum & nobis, sacratissime doctor & Euangelista, propitium reddere nè graueris, & ijsipsis, quæ molesta nobis accidunt, quibusque perturbamur, nos subleues: queque in vita difficilia & grauia nobis sunt, ea facilia reddas: rumpas & chirographum illud, in quo nostra crimina scripta sunt: erratorum des veniam. Talem enim ab ipsius Domini lingua potestatem accepisti. Si ligaueris, id, quod ligatur, solui non poterit. Si ad commiserationem ac veniam spectaueris, vinculum ipsum facilè dissoluetur. Nè despicias nos propriorum peccatorum catenis constrictos: sed impera vinculis ipsis, & illa effringentur. Deniquè Ecclesias ipsas pacatas & trāquillas reddas, quas tuis sermonibus in fundamento quodam firmo constituisti: pro illis quippe Domini nostri sanguis effusus est, à quo & liberatio profecta fuit: facque, vt & nos bonorum cælestium participes efficiamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria est & imperium, nunc, & in secula seculorum, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO HISTORICVS DE S. MARCO EVANGELISTA.



Ccè video, dilectissimi, quoniam ad mensam Ecclesiæ discumbentes, dum spiritualium deliciarum alimenta percipitis, non vno sermone contenti, adhuc alterum auidiùs esuritis. Quamobrèm & nos administrando refectionis nostræ ferculo non desistimus, vt sanctam vestræ deuotionis esuriem vel tenui quodam pabulo temperemus, dum scilicet cum Apostolo eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem sit necessarium.

Philip. 3.

Inter omnes planè doctores Ecclesiæ, beatum hunc Marcum, cuius hodiè triumphalia gesta recolimus, satis insignem atque conspicuum iudicamus. Beati scilicet Apostolorum principis & in baptismate filius, & in doctrina discipulus, sicut eum referentem gesta Saluatoris audiuit, ità per inobliquam fidei relationis lineam Romæ rogatus à fratribus Euangelium scripsit, sicut & Clemens Alexandrinus, & Papias Hierapolitanus Episcopus tradunt. Assumptoque mox Euangelio, quod ipse confecerat, impiger adit Aegyptum, & Alexandriæ Christum primus annuncians, iacit nouæ legis fundamentum. Et dum ipse scriptor, qui & prædicator extitit Euangelij, idem quodammodò faber, qui & agricola, ipse sibi vomerem fabricauit, quo videlicet ad spargenda sacræ fidei semina, humani cordis arua proscidit.

S. Marcus Romæ scripsit Euangelium.

Hoc itaque modo Alexandrinam fabricauit Ecclesiam, eamque non suo, sed magistri sui nomine titulauit, vt ad honorem beati Petri sedes Apostolica nuncupetur, ad quam tamen Petrus accessisse non legitur. Tanta igitur magister atque discipulus vnanimitate coniuncti, tam consona sancti Spiritûs sunt inspiratione conflati, vt & Petrus Euangelium Marco, & Marcus construeret Ecclesiam Petro: quatenùs dum, quod suum erat, alter transferret in alterum, quod cuiq; erat proprium, commune esset amborum, & vtriuslibet totū esset, quod vterq; proprium possideret. Vnde beatus Petrus eum quasi spiritualem & vnanimem præ cæteris filium vocat, cùm figuraliter Romam

Alexandrina sedes cur Apostolica.

nomine

nomine Babylonis appellans: Salutat vos,inquit, Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. 1.Pet.5.

Nec mirum,si beatus Marcus apud magistrum suum præcipuus extitit, & priuilegiũ præ cæteris Apostolicæ dilectionis obtinuit, cui nimirùm Deus omnipotens tantã verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogauit, vt omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent,mox per continentiam ac totius sanctę conuersationis instantiam,tanquàm ad monasticæ perfectionis fastigium peruolarent. Vndè & Philo disertissimus Iudæorum,cùm de primatu beati Marci apud Alexandrinã Ecclesiam scriptitat, in Christianorum laude versatus, eorum habitacula, monasteria nuncupat. Et non solùm per Alexandrię fines,sed & in multis alijs,Marco tum Ecclesiam illam administrante,prouincijs tales extitisse perhibet Christianos,quales & Lucas meminit Apostolorum fuisse discipulos,videlicet vt eorum esset cor vnum & anima vna,nullusq; eorum aliquid proprium diceret, sed omnes omnia communiter possiderent: essetque inter eos inseparabilis vnitas animorum, inter quos nulla poterat inueniri diuersitas facultatum. Talis ergò sub Marco Alexandrina fuit Ecclesia, qualis & Hierosolymæ fuisse sub Apostolica legitur disciplina, vt neminem paupertatis indigentia premeret, nullus eorum diuitijs abundaret: sed dum vnicuique, prout opùs erat, necessitas administrata suppeteret, locum inter eos querela murmurque non haberet. Significat ergò prædictus Philo, inter noua tunc nascentis fidei cunabula, ac teneram (vt ità loquar) Ecclesiæ lactantis infantiam, quosque sub beati Marci regimine constitutos, sobrietati simul ac pudicitiæ deditos, orationibusque & ieiunijs vehementer intentos: quos vtiquè beatus Euangelista, non modò miraculorum plerunque prodigijs, non modò sanctæ prædicationis erudiebat eloquijs, sed ad spiritualis vitæ rectitudinem eximijs etiam propriæ continentiæ ac pietatis prouocabat exemplis, vt omnes penè vaporantis fidei ardore succensi, ità per nouæ conuersationis viderentur anhelare propositum, ac si monasticæ perfectionis arduum arripuissent institutum. Vide antiquissimam monasteriorum originem. Actor.4.

Cùm itaque B. Marcus velut electa cælestis militiæ tuba, vehementissimis clangoribus intonat,& mandata Dei tanta prędicationis arte dispensat,vt auditores suos protinùs ad summæ perfectionis alta sustollat: quid aliud, quàm in etymologia sui nominis perseuerat? Marcus enim,excelsus mandato interpretatur. Et verè beatus hic vir, non erat excelsus animo,sed mandato: quia dum mentem gereret humilem, vitam satagebat habere sublimem: & qui cunctis sese in humilitate substrauerat,per viam mandatorum cælestium sublimiter incedebat.

Illud etiam,dilectissimi,vos ignorare non patiar,quoniam octauo Neroniani imperij anno triumphalem martyrij palmã B.Marcus obtinuit, cui mox & Anianus in Alexandrinæ sedis dignitate successit, & B. Petrus Apostolus Romæ septennio superuixit. Vndè superna disponente clementia,factum est,vt cùm Alexandriam priùs & splendoribus Euangelicę prędicationis,& effusione sacrosancti sanguinis illustrâsset,ad Italiam deindè quodam postliminio sit reuersus: vt eadem potissimùm terra,in qua sibi datum est Euangelium scribere, sacras mereretur eius reliquias possidere: & vbi sibi concessum est Euangelicæ descriptionis iubar effundere, illic per gloriosæ glebæ suæ præsentiam,plurimis virtutum atque signorum radijs corusçaret. Anianus S. Marci successor.

Porrò si diligenter omnium Euangelistarum, in quibus defuncti sunt, loca percurrimus,neminem eorũ in eo,quem sortitus est,perseuerâsse tumulo reperimus. In Iohannis scilicet sepultura post obitum non corpus eius,sed manna repertum est. Beati verò Matthæi corpore non Aethiopia, vbi peremptus agnoscitur, sed Salernitana potiùs ciuitas decoratur. Sanctus etiam Lucas cùm in Bithyniæ partibus, sicut historia testatur, obierit,vicesimo anno Constantij Cæsaris de Achaia Constantinopolim translatus est cum sacrosanctis beati Apostoli Andreæ reliquijs.Hic verò,de quo nunc agitur,sanctus Euangelista Marcus de Alexandria transuectus est, Deo misericorditer disponente,Venetiam: vt qui tunc totum Orientem velut aureus lucifer illustrauerat,nunc per plagas occidui climatis præsentiæ suæ radijs enitescat. Per Aegyptum quippe sibi dedicat Ortum,per Venetiam tenet Occasum.Illic Alexãdrinæ sortitus est Ecclesiæ solum, hîc renascentis Aquileiæ nouum statuit principatum. Est itaque velut sidus aureum toto orbe præclarum,ac celebri totius Ecclesiæ veneratione conspicuum. Euangelistarum corpora vbi quiescant.

Hoc itaque sidus, dulcissimi, præ oculis iugiter habeamus, huius imitemur exemplũ, si inter spumosos mundanæ voraginis fluctus cupimus euitare naufragium. Hinc mare

tumidum sęuiat, illinc venti furentes impugnent, si ab hoc sidere mentis aciē non auertimus, procellarum inundantium impetus non timemus. Ad hoc itaque sidus sagenam mentis nostræ certi cursûs linea dirigat, ad hoc omne laboris nostri remigium tendat, vt non (quod absit) vorago nos Scyllææ profunditatis absorbeat, non errorum cautes, vel inuadosæ Syrtes improuidos obruant, sed in tutæ quietis portum, & optatæ tranquillitatis sinum supernus nos gubernator impellat Iesus Christus Dominus noster, qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTI BASILEI EPISCOPI AMASEAE, PER IOHANNEM PRESBYTERVM NIcomediæ scriptum. *Habetur autem in Simeone Metaphraste.*

26. Aprilis.

Maxentius victus à Cōstantino. Exod. 14.



FActum est, vt, postquàm Deus percussit impium illum Romanorum Principem, suæque magnæ & veræ confessionis hostem acerbissimum Maxentium Tyrannum, quem sub Constantino pio Imperatore, & Christianæ religionis obseruantissimo, vt olim Pharaonem illum, in flumen demersit, & in Constantini manus Romam tradidit: factum, inquam, fuit, vt benignissimus Imperator omnia Christianis hominibus prouideret, & quamprimùm suę sororis virum Licinium mitteret ad expugnandū Maximinum. Qui cum in partibus Orientis regnum sortitus esset, aduersùs eum, qui verus ac solus Deus est, iniquitatem loquebatur, & sæua tyrannide eorum genus, qui Dei pietatem obseruabant, affligebat, vt nemo alius fecerat eorum, qui anteà fuerunt.

Maximini sæuitia.

Licinius igitur omnipotente Domini nostri Iesu Christi manu adiutus, quippe qui Christi fidem syncero animo tunc obseruabat, victoriā de Maximino reportauit, cum in eo regno esset, quod ille in Oriente obtinuerat. Nefarius enim Maximinus de bello ipso parum cogitans, Licinij quidem manum in fugam conuersus euasit, sed non omninò effugit illam Dei manum, quæ omnia ità comprehendit, vt ab ea nihil abstrahi possit: quæ manus tunc rationes & pœnas, pessimis illius sceleribus dignas, exegit. Cùm enim domì se occultâsset, repentino quodam per totum corpus & insanabili morbo percussus est: doloribusque asperis ac vehementibus cùm mirum in modum premeretur, pronus in terram cecidit, eius carnibus occulto quodam igne liquescentibus, omnibusque ipsius membris diffluentibus, solis ossibus anima ipsa conclusa: quæ ossa cùm carne & sanguine carerent, è proprio loco, in quo posita erant, abrumpi cœperunt. At anima illa miserrima, neque sic à scelesto & spoliato suo tabernaculo discedere potuit, priusquàm Domino ipsi supplex confessa est impietatē suam ac tyrannidem, quam aduersùs Christum, eius seruos affligendo, exercuerat. Tali miser ille turpissimo fine vitam suam exegit.

Maximinus diuinitùs punitur grauissimè.

Itaque post iustam Maximini pœnam, & diuinitùs inuectam iram, Licinius, cùm totum Orientem sub se haberet, magno cum apparatu ad nostræ regionis vrbem Nicomediam venit vnà cum coniuge sua, vt in regia domo habitaret, & Orientis Imperium gubernaret. Iam verò primùm summa quædam pax repentè per totum nostræ regionis orbem, post vehementes illas insanientis idololatriæ commotas fluctuationes ac pugnas, Licinij arbitrio atque opera inuecta est. At bonarum rerū inimicus diabolus, piè viuentium tranquillitatem ac lætitiā non diù ferre potuit. Licinio enim ipsi exemplo non fuit eorum Tyrannorum, qui anteà fuerunt, euersio ac pœna, nè & ipse talis esset, sed ea, quę iusta sunt, faceret, atq; in illis perseueraret. Nam cùm feliciter, quod cupiebat, ei processisset, quæq; sperabantur, in eius potestatem venissent, ostendit nō longè posteà, qualemnam animum haberet, & cuiusmodi re vera esset, quòd videlicet per simulationem, & sub quadam simulatæ fidei specie atque integumento cum maximo illo Imperatore Constantino versatus fuerat, quo tempore Constantini res gestas considerans, animum suum occultabat. Tunc igitur, cùm totus scelestus esset & nefarius, totusque ad diaboli voluntatem se accommodâsset, solius & veri, omniumq; creatoris Dei confessionem reprobauit, idque post iusiurandum illud, quod Dei amantissimo Impe-

Licinij simulata religio.

Aperta impietas.

Imperatori Constantino sæpiùs exposuit, nullo vnquàm tempore se à Christianorum fide defecturum, sed illius se fore propugnatorem. Quæ sua promissa pro nihilo faciens, Græcorum cultui se ipse totum diligenter tradidit, ardenti zelo in rebus illis execrabilibus permanens, & vbiquè idolis ipsis sacrificia offerens. Qui & violenter senatorias mulieres abripiens, in conspectu hominum turpe atque intemperatum facinus committebat, non matribus, neque filijs parcens, quô minùs intemperanter cum illis coiret. Ad hæc per omnes gentes infinitas calamitates meditari non desistebat. Effrenis libido.

Hæc cùm magni Constantini germana soror videret atque audiret, eaque ferre non posset, literas ad pium virum, & Dei amicum Constantinum clàm misit, quibus significabat, quæ Licinius facere ausus fuerat. Ille enim superstitiosæ dæmonum culturæ studiosus, & ipsi Deo inuisus Licinius, omnes Christianos homines è domo sua procùl fugauit: qua re apertè se Christi diuino patrocinio nudum ac destitutum ostendit. Cùm igitur sine impedimento aliquo talia diutiùs ab illo fierent, vna quædam puella ex earum numero, quæ in Reginæ ministerium ardenti studio affectæ erant, è genere Christianorum exorta, moribusque & temperantia florescens, cùm hæc cognosceret, & ad stuprum à Licinio prouocata, cum eo misceri exhorreret, simulque nè propter zelotypiam ac suspicionem à domina sua affligeretur, arcanum illud Reginę ipsi aperire ausa est. Hæc, inquit, Imperator constituit mihi facere. Benignus enim, qui eius cubiculi præfectus est, cùm tanquàm magnum aliquod donum se mihi collaturum speraret, hoc significauit. Te igitur obtestor per Deum illum, qui cæli & terræ Dominus est, quem & ipsa times, & Imperator Constantinus colit, nè sinas virginitate mea nefario coitu viciata me priuari. Exemplum insignis pudicitiæ.

Hæc cùm Regina didicisset, & puellæ ipsius æquam mentem ac propositum libenter amplexata esset, illam primùm occultauit eo nomine, quòd delirio correpta, moritura videretur. Posteà verò opportunum tempus nacta, multum auri & argenti, regiumque ornatum ac omnem supellectilem, necnon pueros illi dedit, eamque misit in Armeniæ regionem, atque illis hominibus, qui eam deducebant, pręcepit, vt nullo modo, quæ fierent, alicui patefacerent, quænam scilicet, aut vndè esset illa puella, quoàd Dominus ipse prouidisset. Illi verò virili veste eam ornârunt: cumque Reginæ de puellæ custodia, & benignitate in eam seruanda fidem certam dedissent, in eum locũ, in quem iussi fuerant, proficiscebãtur: ac si qui ab illis quęsiuissent, quisnam ille esset, Tribunum quendam esse respondebant. Dei autem prouidentia factum est, vt illi in vrbem Amaseam venirent. Erat autem vrbs illa Ponticæ prouinciæ metropolis. Glaphyra igitur (hoc enim erat puellæ nomen) cùm vrbem munitissimam vidisset, eius loci specie delectata est, & pueros suos admonuit, vt si Christianorum genus illic inuenissent, in ea vrbe permanerent. Amasea, Ponticæ prouinciæ metropolis.

Cùm verò adolescens quidam, qui ad Quintium vrbis illius cumprimis illustrem pertinebat, audiuisset viros illos Christianos esse, & quærere, si qui eiusdem fidei essent in vrbe illa, ad Quintium pertulit, quod audierat. Qui nihil moratus, eos conuenit, ac rogauit, vt in domo ipsius esse vellent, & si gratum eis esset, illic manerent, dicens, se quoquè Christianum esse, & eo in loco Christianum Episcopum habere, virum egregium, & dignum, qui cum Apostolis ipsis conferri posset. Illi eius verbis obtemperantes, & in eius domo partem quandam capientes, apud clarissimum virum Quintium permanserunt: & Episcopum ipsum conuenêre, qui Basileus appellabatur. Erat vir ille admodùm eloquens, omnique virtute & spirituali prudentia refertus. Cùm verò à Glaphyra ipsa quæsitum fuisset, quænam, & vndè esset, respondit, se Italam genere, & Christianam esse, & ex parentibus Christianis, ancillamque Reginæ illius, quæ Constantini Augusti soror, & Licinij regis vxor erat. Adiunxit etiam deincèps, quænam fuerat causa, vt ad eum locum veniret. Illi cùm hæc audiuissent, præceperunt, vt neque ipsa, neque quisquam illorum, qui ad eam pertinebant, cum aliquibus versaretur, nè aliquo modo vrbis Præfecto delati essent, & calamitatis alicuius causa ea res ipsis foret. Beatus verò Episcopus Basileus dixit, ad Dei gloriam illam discessionis causam pertinere. Basileus, Amaseæ Episcopus.

Illis ipsis diebus templum Ecclesiæ causa Episcopus construebat: nam vsque ad illud tempus non fuerat intra vrbem Christianis ipsis locus aliquis sanctus. Casta igitur illa virgo Glaphyra multum auri & argenti ad templi ædificationem contulit, & omnes ferè suas facultates ad omnia ea suppeditabat, quæ beatus Basileus iussisset. Quinetiam & ad dominã suam scripsit, vbinàm esset, & apud quem manere sibi proposuisset, ac de sa- Templum Amaseæ cõstruitur sumptibus Glaphyræ.

cro illo ędificio certiorem eam fecit, petens, vt plus pecunię ad eam mitteret, qua templum sanctum Christianis compleri posset. Id libentissimè fecit magni Constantini soror, quæ & plurimas pecunias, & multa dona ad eam misit. Scripsit etiam & literas ad Episcopum, quibus puellam ei commendabat.

Temporis interuallo iniquioris dæmonis arte factum aiunt, vt Glaphyræ literas Benignus ille, de quo diximus, inuenerit. Quibus lectis, cùm audîsset puellā viuere, & apud quendam virum Amaseæ esse, regi Licinio hoc patefecit. Qui cùm mirum in modū furore accensus fuisset, illa ipsa hora ad prouinciæ Præsidem edictum misit, quo iubebat Basileum ipsum, & famulā Glaphyram ferreis vinculis ligatos ad eum mitti. Priùs igitur quàm regis literæ ad Præsidem venissent, Dei prouidentia factum est, vt Glaphyra ipsa ex humanis rebus discederet. Corruptor autem ille & inhumanus Præses cum regis edictū accepisset, sanctissimū Episcopum Basileum comprehendit, & ferreis vinculis adstrictum ad Regem misit. De Glaphyra autem scripsit, quòd mortua esset. Consequebantur beatum Episcopum Basileum duo clerici diaconi, quorum alter Parthenius, alter Theotimus vocabatur. Omnes autem in via ipsa ab impijs militibus & carnificibus vexati sunt. Cùm verò ad Nicomediam regiam vrbem venissent, Dei seruus Basileus in carcerem coniectus est. Parthenius verò & Theotimus apud quendam Elpidiphorum Christianum hominem atque hospitalem, qui carceri proximus habitabat, benignè & multa cum misericordia hospitio accepti sunt.

Basileus vinct' mittitur ad Licinium.

Fidelissimus igitur Elpidiphorus, cùm omnia de viro illo cognouisset, & carceris custodi notus esset, auro ab eo impetrauit, vt sine impedimento aliquo, & ipse, & diaconi, & quoscunque voluisset, ad magnum Dei Pontificem introirent, & vnà cum illo diuinas preces atque psalmos, noctibus præsertìm, canere possent. Instante igitur die, quo ante Tyrannum Basileus ipse sistendus erat, mediæ noctis tempore, carceris custode accersito, diaconos suos & admirabilem Elpidiphorum quæsiuit. Custos igitur ipse celerrimè eos omnes ad Basileum duxit. Ille verò psalmos, vt consueuerat, etiam tunc canebat, exorsus ab illa psalmorum decade, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Deindè cùm in psalmis dicendis vlteriùs progressus esset, tertiò versum hunc, extensis in cælum manibus, & lachrymas fundens, dixit: Et habitauero in extremis maris, & manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, Domine. Diaconi autem illi, cùm Basileum in precibus, tanquàm perplexum, vidissent, lapsum fuisse suspicati sunt. Ipse verò sciebat, quid diceret, vt earum rerum finis ostendit, quæ de illo conclusæ sunt.

Vide nocturnā psalmodiam.

Psal. 131.

Psal. 138.

Deindè cùm hymnos & preces expleuisset, die ipso iam lucescente, Diaconos affatus: Tentationes, inquit, adsunt, fratres, à diabolo quidem ipso commotæ, sed ab hominibus in nos illatæ. Nè segnes sitis, neque ob eas ærumnas, quæ futuræ sunt, animo concidatis, sed sustinete, stabiles manentes in fide: neque vos dimoueri patiamini, vt probati, non confusi, in aduentu Domini sitis, vigilanter ac firmiter animæ oculos ad eum intentos habentes, qui potest nos seruare à morte, & luctum vertere in gaudium, angustias ipsas in iucunditatem, lachrymas in risum, labores in requiem. Omnes vitæ huius voluptates, & sensuum illecebras, abiectissima quæque esse propter Dei filium Iesum Christum existimate, vt eius hæredes vnà cum omnibus sanctis viris efficiamini, eius regni delicijs fruentes. Scitote enim, filij mei, hac nocte Dominum meum mihi verè apparuisse, & qualis dissolutionis meæ, & in illum migrationis futurus sit finis, quæcunque deniquè magna & præclara in seruum suum faciet, mihi declarâsse. Vos igitur tranquillo animo estote, & in Christo, reuertentes, fratres ipsos confirmate. Eutychium verò Callistrati filium episcopum vobis assumetis. Ità enim mihi Dominus reuelauit, qui sua gratia & benignitate motus faciet, vt vile hoc corpus meum vobis reddatur.

Christus Basileo apparuit.

Cùm eius clerici amaros fletus emitterent, ille consuetā suam doctrinam adhibens, ipsos admonuit & hortatus est, vt reuerti vellent, manibus Elpidiphori eos commendans, cui & hoc dixit: Tu, frater, à Deo ipso electus es, vt charitatis mercedem recipias. Vnà igitur cum illis ærumnas patere, neque ipsos dimittas, quocunque loco Dominus ad eorum ministerium te inuitauerit. Cùm primùm verò eos Basileus dimisisset, rex ipse iussit illum ad se duci, ac primùm Glaphyræ puellæ crimen obijciebat, quòd eam accepisset, neque quicquam de ea re significauerat. Ille ad hæc omnia iustam defensionem opposuit. At rex iussit ab eius adspectu Episcopum amoueri. Cui & per vrbis Tribunum significans: Condonabo, inquit, tibi erratum hoc, & insupèr honores maxi-

S. Basileus sistitur corā Licinio.

maximos adijciam, si mihi obtemperaueris, & deis meis sacrificia obtuleris: quinetiam & eorum sacerdotum, qui hîc sunt, Pontificem te constituam. Beatus verò ille Dei minister Basileus Tribuno respondit: Hæc dices Regi: Licèt totum regnum tuũ mihi dare volueris, nunquàm tantum mihi dabis, quantum auferre vis, cùm à Deo viuente me separare studeas, & dęmonibus animarũ corruptoribus adiũgere, atq; ab infinita, sempiterna immortalique gloria abalienare, & ad caducos honores impellere, quorũ honestas turpitudo est, & splendor abusio quædam inutilis. Sed si vis me bonum consiliarium audire, tu mihi obtemperes, & redeas illuc, vndè discessisti: quemq; reprobatum contempsisti, ad eum te supplicem abijcias. Bonus enim est Deus noster, neq; quisquam alius est præter ipsum iustus, sanctus & saluator. Pœnitentiam igitur agas, & à vanis istis rebus discedas, nè propter insipientiam tuam mala & calamitates in te veniant, illatæ ab illoipso iusto iudice, quem tu negans, dixisti Deum non esse. Eius pręclarum respon-sum.

Hæc Tribunus statìm Regi nunciauit: quem Rex iterùm ad Basileum mittens: Rursùs, inquit, illum admone, nisì fortè cogi velit. Quòd si parére mihi noluerit, statìm eius capite obtrũcato, in mare præcipitetur, vt videamus, an Galilæus ille ipsum seruare possit. Rursùs igitur Tribunus ad eum venit, ac dixit: Inter vitam & mortẽ nunc es constitutus. Duorum alterũ delige: vel mihi obtemperes, & Regem ipsum colas, dijs immolans, quos ipse veneratur: vel teipsum gladio feriẽdum esse scias, & in mare præcipitandum. Hæc cùm sanctus ille vir audiuisset, admodùm lætus respondit: Ego immortalem Deum meũ ac Regem colere, & eius pręceptis obedire studeo. Isti enim, quos ipsi deos vocatis, dæmones sunt, cũ quibus & qui eis credunt, à vero & solo Deo meo, in omnes imperium tenente, in illoipso iudicij tempore, quod definiuit, in ignem gehennæ, qui nunquàm extinguitur, detrudentur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Fac igitur contra me quicquid vis. Ego enim non solùm capite priuari, & in mare, vt dixisti, proijci, sed etiã infinitos cruciatus pro Christo meo sustinere paratus sum. Quandiù enim spiritus ipse in naribus meis superfuerit, formatorem & Deum meũ non negabo, neque ignis illius omnia vorantis reus efficiar. Matth. 8.13. 22.24.25. Egregia & inuicta eius fortitudo.

Cùm Tribunus ex ijs intellexisset hominis sententiam stabilem esse atque immobilem, iussit mediocriter flagellis verberatum capite priuari, & in mare eius corpus deijci. Hoc enim modo quamplurimos ex ijs, qui Christi fidem colebant, illos præsertim, qui Dei gregibus præsidebant, obtruncatos piscibus escam proiecerat. At ille grauissimus & valdè religiosus Christi martyr Basileus, verbera ipsa grato animo excipiẽs, dicebat: Non tribulatio, nõ angustia, nõ plurima pericula, nõ gladius, nõ ignis, aut mors separare me poterunt à charitate Christi: potest enim ille ab omnibus me liberare. Cumque duceretur, canebat psalmi versus illos: Qui pascis Israël, intende, qui deducis velut ouẽ Ioseph: qui sedes super Cherubin, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse. Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Hæc maximè illi optabilia erant, & spectabant ad ea innuenda, quę posteà Elpidiphoro, & ijs, qui cum illo erant, euenerũt. Elpidiphorus autem simul cum diaconis & quibusdam hominibus Christianis Basileũ sequebatur, quem carnifices ipsi vehementer vrgebant. Venerunt igitur ad eum locũ, in quo illi martyrium obeundum erat. Elpidiphorus autem carnifices adijt, quibus & nonnullos argenteos nummos dedit, eosque rogauit, vt Basileo liceret cum domesticis suis ea loqui, quæ voluisset. Id cùm carnifices libentissimè concessissent, ille diuinus Christi athleta & episcopus Basileus, cùm in maris litore genua inclinâsset, & manus ipsas in cælum extendisset, Deum orauit theologicis vocibus, & alijs attentionem afferentibus, in hanc sententiam prolatis. Rom. 8. Psal. 79.

Tu, qui cælestes & incorporeas mentes constituisti: qui cælum, tanquàm pellem, extendisti, terramque ipsam super aquas fundâsti: qui mare, & omnia creâsti, quæ in his ipsis continentur, Domine Deus meus, qui vnicuique, & quocunq; in loco, & in omnibus semper præsens es: quique facis voluntatem timentium te, & custodientium mandata tua, exaudi preces meas, & fidelem gregem tuum custodi, cui me inutilem seruũ tuum præficere dignatus es: illum ab omni Græcorum vanitate ac violentia libera: & ab omni magniloquentia, & impia hęreticorum lingua, blasphemias contra te loquente, intactum serua. Tu, qui omnia potes, idolorum insaniam extermina, & satanæ opera destrue, Ecclesiæ verò tuæ cœtum amplifica. Omnem hanc ciuitatem, & ei finitimas vnum populum efficias, cuius eadem mens, idemque animus sit in tua, qui verus Deus es, recta confessione retinenda. Eundem populum & bonorum operum, tibique placentium æmulatorem constitue, vt ab omnibus gloriosè celebretur nomen Patris, & S. Basilei precatio. Psal. 103. Psal. 144.

Filij,&Spiritussancti nunc,& in secula seculorum. Dumque vocem hanc,Amen, addidisset,Elpidiphorum,& diaconos ipsos amplexatus cū osculo sancto,quemadmodùm maximus ille Paulus Ephesiorū presbyteros olim amplexatus fuit: Benedictus, inquit, Deus,qui non dedit nos in captionē dentibus corū hostium, qui corporeis oculis non videntur: sed laqueos ipsorū contriuit,& nos liberauit,auxiliumq; præbuit,vt ex angustijs eriperemur: neque suprà, quàm possumus,nos tentari permisit.Salutate fratres & filios meos,quos genui in Spiritu sancto. Gratia Saluatoris nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis,Amen.Tunc ad carnificem conuersus: Fac,inquit, tu amice,quod iussus es,& cuius causa hîc ades.Cumque genua inclinâsset, & collum protendisset, lætus atque exultans,plaga vna percussus,bonum illud certamen fortissimè confecit.

Act.20.

Vir sanctus capite plectitur.

Tunc Elpidiphorus carnificibus aurum offerens,eos rogabat, nè Basilei corpus in mare demergerent,sed illud sibi sepeliendum traderent. Verùm hoc illi facere noluerunt,suspicati, nè, si fortè depræhensi essent, suis etiam capitibus à Rege condemnati obtruncarentur. Cumque ille preciosum martyris caput à carnificibus petijsset, nec ipsum impetrare potuit. Itaque carnifices illi,cùm piscatorum quorundam scapham arripuissent,in eam martyris corpus cum capite coniecerunt, & longiùs à terra distantes, in altum mare aliò caput, aliò corpus demerserunt, nobis id videntibus, qui & gemitibus confundebamur. Elpidiphorus autem minister Christi fidelissimus, cùm Diaconos in domum suam accepisset,eos cōsolatus recreauit. Nocte verò illa diuina quędam angeli visio Elpidiphoro ter oblata est,eodemque tempore angelus ipse sic affatus eum fuit: Episcopus Basileus Sinopem venit, & illic vos expectat. Surge igitur, & eius Diaconos tecum habens,nauigium conscende,& ad ipsum proficiscere.

Authoris huius fides.

Visio Elpidiphori.

Elpidiphorus cùm ter eodem tempore surrexisset,& visionem secum cogitâsset, clericis illam exposuit, ab eis quærens, an re vera locum aliquem,vel regionem Sinopem dictam alicubì esse audiuissent.Parthenius vrbem Ponti esse dixit. Et ego, inquit ille, in somnis mihi videbar magno illi viro manum meam porrigere, & vnà cum ipso in Domini templum introire,qui & hoc mihi dicebat:Vt vides,ità erit tibi.Cùm igitur Elpidiphorus aurum & viaticum sumpsisset, & omnibus alijs rebus maiorem Christi fidem duceret,eamque secum haberet, ac vt viæ ducem quendam sequeretur, Amaseno nauigio inuento,vnà cum Basilei Diaconis in illud conscendit. Nauigabant igitur in vrbem maritimam Sinopem,Deumque precabantur,vt quæ initio facere iussi fuerant,ea manifestiùs eisdem iterùm reuelarentur.

Visio alia Elpidiphori.

Illa igitur nocte,qui anteà Elpidiphoro apparuerat,præstò fuit,ac dixit:Ad dextrum vrbis sinum rete ipsum demittite, & quam cupitis margaritam inuenietis : ac repentè ostendit illi & locum,& signa quædam,ac domum pellucentem,sanctumque virum in ea sedentem cum multitudine militum,dixitque: En ipsum vides,manè igitur veniens, illum capias.Experrectus igitur,& valdè lætatus,his,qui cum illo erant,se hæc vidisse significauit: qui cùm diluculo surrexissent,iuerunt,prout visione illa docti fuerant, cùm & signa,& locum inuenissent.Eccè autem & piscatorum nauigium, qui retia sua componebant,oblatum est. Eos cùm admirabilis Elpidiphorus ad se vocâsset: Quid vultis, inquit,vobis demus,vt rete nobis iaciatis? Illi autem libentissimè cum eis pactionem fecerunt.Qui cùm in nauigium conscendissent,sortiti sunt inter se de primo iactu,sorsque ipsa Theotimo cecidit. In ipsius igitur nomine retia in mare demissa sunt,quæ extracta,nihil in se captum habebant.Deindè Parthenius pro Elpidiphoro sortionem fecit,& secundus sagenæ iactus Parthenio cecidit. Sed neque sic aliquid ab eis captum fuit.Dixit autem Elpidiphorus:Ego non in meo,sed in Dei mei nomine vobis committo,vt sagenam in mare iaciatis. Fidem enim in Deo ipso habeo, fore, vt quod propositum mihi est,assequi possim.

Hoc igitur facto,gloriosi episcopi & martyris Basilei corpus admirabili quodam modo,& suprà quàm dici possit,in sagena illa complicatū fuit. Cùm igitur piscatores sagenam extrahentes,multū onus in illa esse præsensissent,arridentes: Felicissimus, inquiunt,istius hominis Deus est.Cùm verò retia in terram extracta fuissent,& hominem in mari peremptum vidissent, sententiam mutantes, de fortuna illa conquerebantur. At Elpidiphorus cùm eum vidisset,& sanctum virū Basileum cognouisset, se continere non poterat,quin multùm lachrymaret atq; ingemisceret. Parthenius verò in eius aurem incūbens: Nè demus,inquit,istis suspicionem, sed tanquàm communem humani generis naturā misericordia prosequentes, illos rogemus,vt nobis eum dent, quò terræ cadauer ipsum mandare posimus. Consultabant enim piscatores de illo iterùm in mare

Corpus S. Basilei è mari extrahitur.

mare proijciendo. Quamobrèm piscatoribus dixerunt: Vos quidem, fratres, laborâstis, idque, quod à Deo ipso datum fuit, cepistis: date nobis eum, qui pro piscibus extractus est, vt quæ ad sepulturam pertinent, ritè illi adhibeamus, vt terræ id, quod ei cognatum est, adiungatur. Piscatores autem pro cadauere nihil sibi dari patiebantur. At Elpidiphorus: Vos, inquit, laborem passi estis, quodque vobis impositum fuit, exoluistis: iustũ igitur est, vos mercedẽ recipere. Cùm hoc diceret, non anteà destitit, quàm quod constitutum eis fuerat, acceperunt.

Cùm igitur ad ripam quandam maris nauigâssent, corpore illo accepto ac reposito, à piscatoribus relicti sunt, sole ad vesperum iam vergente. Tum illi honoratum sancti martyris tabernaculum amplexari cœperunt cum lachrymis atque gemitibus, & ea re multùm gauisi sunt. Cùm enim martyris caput sine corpore, corpusque sine capite, vtrunque nobisipsis spectantibus, in altũ mare proiectum fuisset, admirabile fuit & insigne admodùm diuinæ potentiæ opus, illud idem caput cum corpore coniunctum emergere, cùm sectionis signum existeret, quam gladio allatam, vndiquè collum martyris præ se ferebat quidem, sed ità tamen, vt à sacro illo capite disiunctum non esset. Neque vllum omninò damnum, vel tumorem ex aquis ipsis, quibus diù agitatũ fuerat, vt alia omnia consueuerunt, corpus illud acceperat, neque aliquid malè olebat, quinetiam odoris suauitatem quandam emittebat. Prorsùs enim ab omni corruptione liberum erat. Non à capite, non à palpebris, non à canitie illa, quæ nupèr florere cœperat, pili effluxerant, sed qualis erat, cùm adhuc superstes dormiebat, talis & nunc ante illos positus cernebatur, multorumque vnguentorum suauitatẽ redolebat. Nondùm autem septuagesimum annum excesserat. Sed nemo his fidem non habeat, quasi diuinæ potentiæ ordine hæc non sint facta, cùm sciat, quæ in Erythræo mari, & Iordane fluuio sub Mose, Iosue, Elia & Elisæo olìm à Deo effecta sunt, quęque posteà in Iona illo diuino homine, & tribus adolescentibus, qui in Babylonia illa fornace fortiter se gesserunt, quorum neque crines, neque indumenta ignis ardore aut incẽdio corrupta sunt. Hæc enim Dei potẹntia euenerunt omnia facientis, & suo nutu quocunque tempore voluerit, quæ contra omnium opinionem sunt, disponentis. Idem enim Deus est, qui & tunc, & nunc mirabilia omnia in eos, quos se dignos inuenit, vel post mortẽ eorum efficere solet.

Nota eximia miracula in exanimi corpore sancti viri.

Exo. 14. Iosu. 3. 4. Reg. 2. Ion. 2. Dan. 3.

Cùm satis igitur collachrymâssent, & iam aduesperasceret, Elpidiphorus ad vrbem cucurrit, & velũ quoddam emit: cumque multa nox esset, corpus ipsum in velo illo inuoluit: quod in cuiusdã Christiani hominis domo, qui erat vnus Eupolitarum, & apud quem iam anteà diuerterant, reponens, vnà cum ijs, qui illic erant, decẽter funus ipsum curauit. Quamprimùm autem & ex tabulis arcam quandam Elpidiphorus compósuit, atque in vehiculum mercede cõductum corpore imposito, vnà cum Diaconis ad illius vrbem Amaseam profectus est, ac totos quinque dies in itinere consumpsit. Ad multã verò noctem in templo, nupèr constructo, reliquias illas reposuerunt. Diluculo autem tota Christianorum multitudo in eum locum collecta, occultè quidem propter Præsidis metũ, nè si hoc ille sciret, eis malefaceret, festinauit sancti viri corpus sepulcro dare. Sed quoniam verisimile erat aliquos vel non credere, vel eius corporis spectandi cupidos esse, cùm velum illud reuoluissent, omnium virtutum & cõtinentiæ specimen viderunt, eorumque sensus admirabili quadam odorum suauitate oblectatus est. Cumque totum illud sancti viri corpus, quod Spiritûs sancti templum fuerat, inspexissent, ac re illa, omniumque opinionẽ superante miraculo perculsi fuissent, & spiritualem patrem ac magistrum lachrymis prosecuti essent, ipsi deniquè miraculorum effectori Deo gloriam reddidissent, cum psalmis & lampadibus & multis aromatibus ante illud templum, quod à Basileo martyre, Dei ope adiuuante, constructum fuerat, in ea parte, quæ ad Orientem spectat, vbi & reliquorum sanctorum martyrum corpora multa reposita esse dicuntur, eius etiam corpus condiderunt, hucusquè episcopum, pastorẽ & sui gregis etiam post mortem custodem vigilantissimum habentes, eundemque grauissimorum ac ferocium, cuiusmodi Arabici sunt, luporum, qui non corporeis oculis, sed mente compræhenduntur, aliarumque ferarum, Græcorum, inquam, & hæreticorum persecutorem diligentissimum.

Lupi Arabici, dæmões. Feræ, hæretici.

Post insignem igitur hominis illius sancti cædem, Constantinus Imperator, cùm hæc didicisset tum ex sororis suæ literis, tum ex alijs viris Senatorijs, qui à Licinio vexati fuerant, & ad Constantinum, tanquàm ad seruatorem & malorum emendatorem confugerant, Roma discessit maxima ira percitus, vel diuino potiùs consilio,

cum Crispo filio, qui & in omnibus Rex bonus erat, eique similis, à quo genitus fuerat. Venit igitur Constantinus in Orientem, vt Licinium comprehēderet, qui se ad bellum contra Imperatorem gerendum instruxerat. Sed eius exercitus totus ad Imperatorem illum maximè gloriosum, & nobiles victorias reportantem se contulit, eique adhæsit. Licinium verò, cùm ferè ad mortem vsque Imperator castigâsset, regali & quacunque illa principatûs potestate priuatum, in Galliam demādauit, vt in illa regione habitaret: eò enim quòd eius affinis erat, illū morte punire noluit, qui iure millies mori debebat. Ei autem, toto Senatu audiente, dixit: Luge, & pœnitentiam age ob ea, quæ ausus es, bonisque operibus studens, ab illis nunquàm desiste: fortaßè Deus propitius ac beneuolus erit tibi, qui omnis beneuolentiæ expers & insidiator fuisti: fortaßè & sempiternæ pœnæ sententiam aufugies. Nihilominùs tamen diuina pœna vehementer illum aggressa fuit: in ea enim regione, ad quam missus est, difficilia quædam vlcera, remedia eius malitię congruentia, similem illi, quam Maximinus passus fuerat, plagā attulerunt. Cùm igitur grauiter ingemisceret, & solum ac verum Deum à se reprobatū fuisse confessus esset, ex hac vita miser auulsus fuit.

Constantinus bellum facit Licinio, eumq; comprahēdit.

Licinium Deus punit.

Porrò cùm magnus & verè Christi electus Imperator Constantinus Imperium inuictum atque inexpugnabile adeptus esset, diuisiones illas, quas primus ex Romanis Imperatoribus Diocletianus excogitauerat, in veterem statum restitutas, diuinis legibus & statutis coniunxit: ac per omnes gentes Græcæ superstitionis ritum ac tyrannidem in nihilum redegit: Christianorum verò res augeri, extolli, & omni cum fidutia rectissimam & veram Christi confessionem prædicari fecit: omniaque illa, quæ ad idolorum templa pertinebant, siue pecunię, siue reditus fuissent, Domini Iesu Christi Ecclesijs distribui edicto iussit: Imperium denique ipsum eidem Domino acceptum referens, Byzantium vrbem suo nomine appellandam construxit, quam omnium Rex atque Imperator Deus diligit. Obijt autem martyrio functus beatus, & inter sacerdotes atque illustres martyres cumprimis egregius & fidelis Basileus, mense Martio, vigesimooctauo die: sepultus verò fuit in sacri sui gregis vrbe mēse Aprili vigesimosexto, imperāte Constantino, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & imperium in secula, Amen.

Cōstantini pręclara facinora.

Posteaquàm tale in Christo ministerium amabilis Elpidiphorus compleuit, & in vrbe Nicomedia apud me minimum inter Christi sacerdotes Iohannem fuit, omnes Basilei res gestas, quæ supradictæ sunt, Deo teste, mihi exposuit. Quamobrèm ad eorum, qui hæc legent, vel audire voluerint, ædificationem atque vtilitatem literis mandare, & scripta relinquere studui, quæcunq; vidi, audiui & didici: nam & ipse dignus habitus fui, qui per dilectum Elpidiphorum illius beati viri spirituali cōgressu fruerer, quo tempore in carcere custodiebatur, à quo & maximam vtilitatē percepi. Cùm enim tempore illo inter Christi fideles homines contentio ac dissidium ortum esset, ego ab eo viro, qui omni affectione liber, & præceptor erat verè magnus, supplex petij, vt diceret, num rectè sentirent, qui filium ipsum simul cum Deo omnium supremo pariter æternū esse & sine principio tenerent, dicentes eum esse eiusdē essentiæ, cuius & pater est, necnon duo hæc sine principio, & pari honore prædita esse affirmantes: an potiùs hæreticā disputationem sustinerent, cùm quodam loco clara voce Filius ipse dicat: Pater maior me est: item illud: Vado ad Deum meum. Tunc ille: Si diuina, inquit, oracula diligenter & accuratè legere volueris, omni affectu & odio liber, inuenies rectissimè illos sentire, qui confitentur, sic Deum ipsum à se coli, cùm Iohannes apertè clamet: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum: & Paulus testetur, Christum esse Dei potentiam, & Dei sapientiam, imaginem & characterem Dei inuisibilis, primogenitum omnis creaturæ, atque creatorem. In ipso enim creata sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factū est. Si verò in ipso, & per ipsum omnia creata sunt & constiterunt, manifestè tempus & secula creata esse intelligimus.

Author locutus fuit cum S. Basileo.

Iohan. 14. & 20

Iohan. 1.

1. Cor. 1. Coloss. 1.

At si quis ad eam insaniam deuenerit, vt Patrem & Deum sine potentia, sapientia & verbo fuisse dicat, habeat ille & de Filio talem opinionem, quòd patibilis fuerit, & paulatim creuerit, atque additamentum acceperit, eiusque ipsius diuini existentis totam naturam (vt opinatur) ad principium referat. Auctio enim & additamentū, quod paulatim fit, principium habet omninò id, quod fit in tempore. Verùm non existimo aliquem ex ijs, qui rectè sentiunt, tale quippiam opinari, neque hoc à veritate puto dissentire, quòd Pater sine principio, & Flius cū Deo etiam ipse sine principio sit. Non enim in tēpore Pater est, sed supra tempus, supra quod & Filium esse manifestum est. Itaq; cum

Deus

Deus & Pater semper fuerit, æternus etiam est Filius ipse, supra quàm cogitari possit, diuino modo à Patre genitus. Cùm enim confiteamur semper eum fuisse sine principio, semper sapientem & potentem, fateamur igitur necesse est fuisse Verbum, & Verbi genitorem: quod Verbum non in aërem dissoluitur, quemadmodùm nostra verba dissoluuntur, sed cōsistit, & est verè indissolubile, semper ab eo, qui sine principio est, ab ipso, inquam, genitore secundùm veram essentiam principium habens supra principium. Quòd enim Verbum ipsum, hoc est, Filius, eiusdem substātię sit, cuius & Pater, Filius ipse homo factus clara voce affirmat, cùm ait: Ego & pater vnum sumus: &, Qui videt me, videt & patrem meum. Hæc enim verba aliter intelligi non possunt, quàm quòd eiusdē substantiæ cognationē ijs, qui verè sunt, aptè cōgruere ostendant. Eandem sententiam & in verbis illis contineri arbitror: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Cùm hoc dicit, vnum ostendit nomen Patris, & Filij, & sancti Spiritûs. Curnam hoc fecit? Vt eiusdem substantiæ, voluntatis, regni, potestatis ac virtutis, eandem cognationem esse doceret, diuersitatemque personarum, quæ in Trinitate considerantur, ostenderet.

Verbū Dei quale sit.

Iohan. 10. & 14.

Matth. 28.

Quod verò dixit, Pater meus maior me est: &, Vado ad Deum meum: in eam partem accipiēdum est, in quam accipimus, cùm audiuimus illum esuriuisse, sitiuisse, dormiuisse defessum, anxium & tristem fuisse, crucem deniquè & mortem pertulisse. Hæc enim omnia pij homines humanæ filij Dei, hoc est, vnigeniti Verbi, naturæ propter nos susceptæ tribuere debent: quoniam formam hominis suscepit, & sponte sua seipsum exinaniuit, & cùm esset diues, (vt ait diuinus Paulus) propter nos factus est pauper, vt nos illius paupertate diuites efficeremur. Similis enim nobis fuit per omnia, excepto peccato. Tales igitur humiles voces, & patibili naturæ conuenientes, cogitandum est illi conuenire, qua parte homo fuit: Illas verò magnas, & Deo conuenientes voces, de eodem cogitabimus, qua parte Verbum erat Dei in principio, & Deus, vnum cum patre: id quod ex diuinis signis ostensum est. Itaque Genitori similem fuisse intelliget, qui animę oculis non caliginosis eum contemplari voluerit.

Iohan. 14. & 20.

2. Cor. 8.

Cùm his sermonibus à beato illo martyre adiutus fuissem, & ad rectæ syncerææque fidei firmissimum lapidem conuersus, animum meum in eo confirmâssem, & eorum, qui Filium à Patris substātia disiungere atque alienare conati sunt, vel seipsos potiùs ab vnigeniti Filij prouidentia seiūgunt, inanem & adulterinam doctrinam execratus fuissem, ad lectissimum eorum, qui Deo rectè credunt, numerum meipsum aggregaui, in Patre, Filio, & sancto Spiritu, eiusdem Trinitatis gloriā celebrans, & nunc, & in secula, Amen. Ità completum fuit martyrium sancti Basilei, qui fuit Episcopus vrbis Amaseæ. Eius autem memoria celebratur vigesimosexto die mensis Aprilis. Te verò, qui hæc aut legis, aut scribis, obtestor per illum ipsum Deum, qui omnia videt & potest, vt ꝓpter peruersorum hominum, & eorum, qui nobis inimicissimi sunt, hæreticorum malitiam, ab hac narratione nihil subtrahas, neque quicquam illi addas.

Hæretici catholicis inimicissimi.

VITA BEATISSIMI RICHARII PRESBYTERI ET ALMI PATRIS, AVTHORE ALBINO FLACCO *Alcuino Abbate.*

PRAEFATIO AVTHORIS AD CAROLVM IMPERATOREM.

DOmino semper venerabili, semperq; desiderabili, pijssimo sanctę Ecclesię tutori, gratia Dei semper Augusto Carolo, vestrę salutis perpes amicus Albinus. Rememorāte vestrę excellētię pietate, in loco sancto & meritò venerabili Cētula, cùm & ego vestræ gloriæ seruus, vestræ pietatis vestigia ibidèm prosecutus, aliquantispèr commorarer, orauerat meā paruitatē vir magnus in Christo, dominus & venerabilis Abbas Angilbertus, quô in laudem conditoris, qui mirabilis semper apparet in electis suis, quendam libellum, stylo simpliciori digestum, de vita sanctissimi ac verè magnifici confessoris Richarij cultiùs annotarem. Dumque exauditis continuò precibus eius, quæ ipsi diuinę maiestati exaudibiles & charæ noscuntur, eundem mihi exhiberi libellum petijssem, non parùm miratus sum, cur tanti nominis confessor, quem tantarum virtutum operatorem esse constabat, quemque prisca fama miraculorū patratione post ipsos apostolos nulli ferebat secundum, tam modico gestorū volumine potiretur. Idque mihi stupescenti, innotuit iam dictus memorabilis vir Angilber-

Carol⁹ Magnus hic est

Abbas Angilbertus.

S. Richarij eximia virtus.

gilbertus, ac spirituales fratres eiusdem sancti loci, haberi apud se, quinetiam apud diuersas ecclesias, codicem alium grandioris quãtitatis, in quo scilicet illa miracula legebantur, quibus non immeritò sanctum Christi confessorem omnis Gallia attollebat. Cuius simplex & minùs polita locutio quia fratribus ad recitandum in populo aptior videbatur, sufficere sibi eandem descriptionem consenserunt. Dumque in ijs, quæ rogabant, prænotandis iamiamque animos applicarem, repentè vestræ pietatis nuncio sum conuentus, vtì ea, quæ tractabam, sic annotarem, sicut reuerà vestræ sapientiæ auribus inferenda. Hinc ego vocato notario, & fixo præ oculis iamdicto libello, ea, quæ referre videbatur de conuersione, de moribus, de continentia & sanctitate verè incomparabili, necnon de glorioso transitu eius ad Christum, seu de relatione preciosi corporis in locum priorem, dictatu admodùm compẽdioso, titulo vitę beatissimi Richarij almi patris aptauimus: & nisì propria decipior imperitia, veluti preciosum aurum vestræ prudentissimæ sapientiæ ad ornandum diadema Christianæ philosophiæ, fide humili deuotissimè commendamus. Et quia in vestri pectoris cubili gloriam Christi & sanctorum eius honorem regnare cognoscimus, hanc nostri tam beati opusculi præfationem, vestræ in Domino beatæ honorificentiæ dedicamus.

VITÆ HISTORIA.

Gesta sacerdotis magni tenet iste libellus
Richarij, cuius Centula corpus habet.

Aprilis 26.

Dagobert' rex.

S. Richarij patria.



TEmporibus gloriosissimi regis Francorum Dagoberti, qui & seculari potestate pręclarus, & Christiana religione nobilis effulsit, & optimates suos dignitatibus exaltauit, & seruos Dei honoribus excoluit: in illis, inquam, diebus plurima vbiquè monasteria à sanctis patribus cœperunt cõstrui: necnon & multi ex laico habitu viri religiosi inuenti sunt: ex quibus Richarius quidam, natus in villa Centula prouinciæ Pontinæ, velut lucifer inter vmbras oriens emicuit, non tam nobilibus iuxta seculum parentibus ortus, quàm moribus honestus & omni probitate deuotissimus. Hic vt in rustica vita, quædam præsagia futuræ sanctitatis gerebat. Contigit autem illo tempore duos sacerdotes, sanctitate florentes & virtutum meritis fulgentes, quorum prior Caidocus vocabatur, de Hyberniæ partibus in Pontinas peruenisse regiones, sed à rusticis & popularibus illius loci propter insolentiam morum non sunt suscepti, nec digno eorum sanctitate honore tractati: sed magis iniurijs afflictos & opprobrijs castigatos, à finibus suis cœperunt eos expellere. Quorum violentiæ & sceleratis pręsumptionibus futurus Dei famulus Richarius obuiauit, Christique seruos de manibus impiorum eripuit, & cum omni benignitate eos deducens in domum suam, Deo prouidente, vt illi protegerẽtur, & ipse saluaretur obtinuit. Nec lucerna gratiæ Dei accensa diutiùs abscondi potuit, sed patefactum lumen sanctitatis & prędicationis, longè lateque ad salutem multorũ fulsit. Nam introductos hospites suos, cum magnæ charitatis honore curauit, eosque sibi verbum Dei prædicantes, cum tota humilitate & intentione audiuit. Nec frustrà in terram bonam semen verbi Dei sparsum est: sed quod aure audiebat, hoc radicitùs corde retinebat, & centenos in horrea Christi, vt posteà lucè clariùs & sanctitate & miraculorum ostensione claruit, fructus germinauit.

Eius cõuersio. Igitur ex prædicatione famulorum Dei & adspiratione gratiæ diuinæ compunctus, ad lachrymas conuersus, confessionem suorũ fecit peccatorum, & in conspectu omnipotentis Dei ardenter veniam petens, lachrymis absoluit, quod ignoranter ab adolescentiæ illecebris peccauit: & qui Dominum suscepit in famulis suis hospitalitatis gratia, susceptus est à Domino in misericordia & pietate. Nam ex eo tẽpore initium sacræ religionis sumpsit, & ad altiora pietatis fastigia gradibus quotidiè humilitatis scandere nitebatur: & arreptum semèl vitæ iter, fidei passibus peragere conatus est, atque posteriora obliuiscens, se in anteriora cum Apostolo extendit, illius versiculi per singulos gradus memor, Ibunt sancti de virtute in virtutem: quatenùs perueniant ad id, quod sequitur: Videbitur Deus Deorum in Sion. Itaque mox ab initio conuersionis suæ tam dura se castigatione constrinxit, vt post longa & diuturna ieiunia, pane hordeaceo cinere commixto, & aqua lachrymis temperata, fessum ieiunijs corpusculum refocillaret: &

Philip. 3. Psal. 83. Mirabilis abstinentia.

& huius cibi sustentaculo, deuotus Christi athleta vigilijs & orationibus die noctuque Domino militabat, non aërem verberans, sed corpus suum castigans, nè futurus Christi prædicator, in aliquo reprobus inueniretur. Sed his atque huiusmodi virtutum gradibus & sanctissimæ vitæ moribus Deo acceptabilis, dignis successibus ad sacerdotalem peruenit honorem: vt cui prædicationis deuotio inerat, honoris dignitas non deesset. Quem honorem, vt famulus Dei, magna humilitate ornauit, & vera charitate excoluit, & verbi Dei prædicatione ampliauit, atque velut bonus agricola, spinas peccatorum de agro Domini Euangelico vomere eradicauit, & arida corda superno perpetuæ salutis rore irrigauit. Sed & diuina clementia, post eius irrigationem, in isto populo plurima fidei dedit incrementa. Vndè & omnibus prædictus vir Dei Richarius honorabilis factus est & charus: quia quod ore prædicauit, exemplo ostendit, & viam vitæ, quam alijs sermone monstrauit, ipse prior actu præcucurrit. Vigiliæ & preces. Fit presbyter. Preclarè cōcionatur.

Quicquid verò ei populus in stipendia prædicationis spontè obtulit, omnia pauperibus diuidere festinauit: indignumque ei visum fuit de crastino præsentis vitę cogitare, qui diuitias æternæ vitæ accipere anhelabat. Ideò oblata ab hominibus distribuit, vt promissa à Deo acciperet. Felix commericum, vt qui parua ac transitoria hilariter distribuerat, magna & æterna feliciter esset accepturus. Nam studiosissimus fuit pauperum consolator, peregrinorum susceptor, viduarum defensor, pupillorum & orphanorum pater: itá vt verissimè de eo sanctissimi Iob testimonium dici potuerit: Oculus fui cæco, pes claudo, & pater orphano: & causam, quam nesciebam, diligentissimè perscrutabar. Quapropter vndiquè ad eum infirmi confluebant: quos læto suscipiens animo, medelam eis consolationis per sanctas orationes præbebat. Nec leprosos vel elephantiacos exhorruit, sed quasi fratres amplexabatur, balneisque eorum membra saucia fouebat: eademque post ipsos ingressus est, magìs ea pietate illos emundans, quàm se commaculans, prophetici sermonis non surdus auditor, dicentis: Egenos vagosque induc in domum tuam, & nudū vestimentis tuis cooperi, & carnē tuam nè despexeris. Nec solùm carnali refectione ad se venientes fouebat, sed etiam spiritali sanctæ prædicationis solatio reficere eos non cessauit. Et sicut miserorum idoneus vbiquè fuit consolator, itá superborum durus castigator esse non timuit. Illos pietatis clementia eleuabat, hos seueræ inuectionis censura deprimebat. Nec terrenæ potestatis iram furoris metuebat, quem timor interiùs diuinæ potentiæ totum corroborabat: paruipendens diuitum minas, vt præco veritatis existeret. Nec fuit arundo vento agitata, vt eum aura humanæ vel laudis vel detractionis commoueret: sed in arce solidæ veritatis consistens, ab humano ore, secundùm Apostolum, iudicari contempsit, viamque regiam incedens, nec à dextris propter terrores potētium, nec à sinistris propter blanditias adulantium declinabat. Quapropter magnam plebem Domino Deo suo in hac præsenti prouincia acquisiuit, & sibi honorem perpetuum promeruit. Benignitas in inopes. Iob 29. Humanitas erga leprosos. Esa. 58. 1. Cor. 4.

Vndè populus eius cernens in Christo deuotionem religiosam, cœpit eum attentiùs honorare, & multa ei pro eleemosynarum largitione afferre: quæ ille (vt erat Dei & proximorum dilectione plenus) omnia in pauperum elargitus est solatia, maximeque in captiuorum expendit redemptionem. Nam alios occultis diabolica fraude peccatorum vinculis obligatos, per sedulæ prædicationis hortamenta soluebat: alios seculari captiuitate oppressos, pecuniæ largitione redemit: vt illi spiritaliter absoluti, iucundarentur in Domino: & isti carnali seruitute liberati, conuerterentur ad Deum. Et non solùm in his regionibus per pietatis opera, vel per prædicationis lumina prædictus vir Domini clarus effulsit: sed vt lucifer æquoreos Oceani campos transiliens, pręco diurni luminis nocturnas suo exortu discutit vmbras: sic ille in vltramarinas Britanniæ regiones, ad expellendas ignorantiæ tenebras, lumen veritatis suo sparsit aduentu: scilicet vt sicut in istis regionibus, sic & in illis alios à seruitute diabolica, alios à captiuitate carnali liberaret. Illis verbum Dei infudit, istis charitatis precium impendit, vt pro temporali redemptione æternam reciperent libertatem. Sic ergò bonus Dominicæ pecuniæ negociator, duo simplicis charitatis Dei & proximi talenta multiplicare studuit: quatenus cum multiplici laboris sui fructu Domino suo obuiare posset, & hanc vocē audire iucundissimam: Eugè serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Fertur verò, dum causa prædicationis in Britannia diutiùs moraretur, subitò illi venisse in mentem, aliquos sui iuris sub seruitute se reliquisse in Gallia. Itaque dolore percussus, dixit ad suos: Heu nostros sub seruitute dimisimus in patria, dum huc aliquos liberaturi venimus, maximeque In Britānia quoquè concionatur. Matth. 25.

scio

Magna eius charitas erga seruos suos.

scio eos citò esse morituros. Sed ite festinanter, nauemque conscendite, & eos facite ingenuos, priusquàm moriantur. Illi haud segniter præceptum secuti paternum, in patriam venerunt, prædictosque seruos viri Dei saluos & incolumes inuenerunt, eosque, velutì iussi erant, manumittentes, fecerunt ingenuos: qui non post multum temporis, sicutì sanctus vir Dei prædixerat, defuncti sunt. O quanta clementia est Dei Christi, qui famulo suo pietatis affectum inseruit, & seruorum eius mortem futuram ostendit: quatenùs illi misericordiæ merces de suis non periret, & illos morientes seruitutis iugum non grauaret: qui & ob alienos liberandos tanti itineris periculum subire non timuit: & ex eo tempore neminē sui iuris sub seruitutis iugo retinere voluit: sed vbiquè omnes ad se pertinentes libertate propria perdonauit, nè in proprios durior esse videretur, qui in alienos mitissimus apparere gestiebat, & mercedem, quam ex alijs congregauit, de suis accumularet.

Exercitia sancti viri & virtutes.

Ephes. 6.

Igitur prædication is officio in Britannia peracto, cum multiplici verbi Dei fructu reuersus est in patriam: nè dum in aliena messe quæreret mercedem, in propria perderet: & tanto se ardentiùs seruituti Dei subegit, quanto viciniorem sibi diem remunerationis esse præsensit. Nam seipsum quotidianis ieiunijs macerauit, mortificatione carnis constrinxit, vigilijs afflixit, orationibus muniuit, charitate confirmauit, spe roborauit, fide armauit, nulli malum pro malo reddens, nullius adulator, neminem contemnens: vt viam veritatis prior ipse incederet, quam cæteris prædicando monstrauerat. Sic vir Dei galea salutis induitur, & gladio verbi Dei accinctus, & lorica iustitiæ vndiquè circundatus, atque scuto fidei armatus, calceatusque in præparationem euangelij pacis, processit in prælium publicum contra antiquum hostem, omnia tela eius ignea fortissimo fidei vmbone repellens: quotidianisque triumphis spolia multa victo hoste reportauit, in Ecclesia Christi tam metuendus humani generis inimico, quàm humano generi pernecessarius, vtpotè qui non suam tantùm, sed multorum quæsiuit salutem. Ideò iustum est, vt multorum ore in Christo laudetur, multorum pro Christo redemptor: cuius non tanti est miracula narrare, quæ ab eo gesta sunt, quanti miraculorum cognoscere virtutem, qua cælesti regi in diebus suis multum acquisiuit populum. Nam officium prædicationis, omnium signorum ostensione maius esse, non dubium est, licèt non defuerit pro temporum vel rerum conuenientia signorum perpetratio, quæ per eum diuina peregit clementia.

S. Rictrudē inuisit.

Matth. 14.

Puerū à præsentissimo periculo seruat.

Matth. 21.

Quodam nanque tempore maligni spiritûs tentatio ad verecundiam accidit viri Dei, quam Dei misericordia ad laudem ei cōcessit euenire. Visitauit enim equitando quandam Deo deuotam fœminam, Rictrudem nomine, & cùm iam post dulces vitæ epulas & post colloquia salubria, ipse vir Dei, asscenso equo, ad propria remeare disposuisset: fœmina prædicta, iuxta morem, equitantis vestigia patris secuta est, habens in vlnis filium suum, vt paruulus quoquè benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipse antè sacro baptismate regenerauerat. Accipiente itaque infantem equite venerando seu ad benedicendum, seu ad osculandum, antiquus hostis, omnibus bonis inimicus, immisit equo ferocitatem: qui huc illucque dentibus frendens, pedibusque calcitrans, & toto corpore insaniens, inconsueto impetu per campum discurrere cœpit. Quod pauida cernens mater, oculos auertit, nè morientem videret filium, quem seruus Dei, sæuiente equo, manu tenebat. Familia verò pro morte pueri vel casu viri Dei strepere, plangere, eiulare non destitit. Sed dextera Christi, quæ Petrum trepidantem leuauit, nè mergeretur in vndis, puerum cadentem subleuabat, nè alliderετur in terris. Nam oratione à famulo Dei facta, puer incolumis quasi auicula peruenit ad terram, & equus redditus est mansuetudini suæ. Et mater quidem filium suum super terram sanum & ridentem suscepit in vlnas suas: ipse tamen sacerdos Dei non equo iter agere, sed asello mansuetissimo ex eo tempore voluit. Sic ergò, miserante Deo, tentatio maligni hostis illi versa est in laudis honorem: & superbia equi, facta est humilitatis gratia & magistra. Nam non erat immemor, Dominum Christum, dum ad redemptionem properaret humani generis, asello iter egisse, non equo. Sic & ipse propter salutiferam prædicationem dum per multa quotidiè festinaret loca, asellum sibi portitorem sufficere iudicauit. Quocunquè autem iter agebat, aut psalmi in ore eius resonabāt, aut salutis ex ore eius prædicatio audiebatur. Nec mirum, si Christum semper prædicaret lingua, quem semper gerebat in corde, per quem pius consolator miseris fuit, & durus inuector potentibus: illorum inopiam clementi miseratione reuelans, istorum superbiam seuera castigatione reprimens.

Nam

Nam quodam tempore rex potentissimus Dagobertus, rogante viro illustri Gislemaro, easdem venire in partes, & virum Dei, vt se sacrosanctis eius orationibus commendaret, inuisere contigit: quem ipse famulus Dei & sanctitatis suæ benedictione roborauit, & sacerdotali authoritate libera voce castigauit, denuncians ei, nè in seculari superbiret potentia, nè in fugitiuis speraret diuitijs, nè vanis adulantium extolleretur rumoribus, nè caducis gauderet honoribus: sed magìs Dei timeret potentiam, illiusque immensam laudaret gloriam: humanam verò potentiam vel gloriam nullam putaret, quæ subitò velut volatilis vmbra recedat, & tanquàm spuma super aquam, tentationis flante vento, euanescat: atque hoc potiùs timendo cogitaret, quia potentes potenter tormenta patientur: & cui plus datur, plus exigitur ab eo. Qui autem vix sufficit pro se solo rationem reddere Deo in die iudicij, quid faciet pro tot hominum millibus ipsi commissis? Idcircò quisque magis timere potest præesse, quàm subesse: quia qui subest, pro se solo rationem reddet Deo: qui autem præsunt, pro omnibus reddituri sunt, qui sub eorum sunt potestate constituti. Qua castigatione rex, vt fuit sapientissimus, benignè suscepta, gaudens eius libera veritatis fidutia, sacerdotem Christi secum ad conuiuium venire rogauit. Qui Christi confortatus exemplo, secularium non respuentis conuiuia, vt prædicationis sumeret occasionem, venit cum rege ad mensam eius, totaque die illa & nocte inter epulas lætitiæ, verbi Dei dapes salutiferas conuiuis suis ministrauit. Cuius constantia morum & instantia prædicationis præfatus rex delectatus, cœpit eum ex animo amare & honore prosequi, intantùm, vt eaipsa die aliquid de censu suo ad luminaria domùs Dei condonaret, ratum æstimans, vt sicut ipse inuisibili prædicationis lumine ab eo illuminatus esset, sic visibili luce per eum domus Domini illustraretur: & quod intùs ei fulgebat in fide, hoc foris fulgesceret in ecclesia, memor præcepti Dominici, quo dicitur: Sic luceat lux vestra corā hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. itemque in Psalmo: In lumine tuo videbimus lumen: id est, In lumine fidei, quod fulget in mente, lumen foris scintillat, quod splendescit in opere.

Rex Dagobertus inuisit virū Dei. *Sap. 6.* *Luc. 12.* *Prandet apud regē.* *Matth. 5.* *Psal. 35.*

Exindè autem famulus Dei, quia ab hominibus honorabatur, homines fugere meditabatur, vt honores temporales declinando, honores acciperet perpetuos: eremumque concupiuit, quatenùs liberiùs soli Deo vacaret, & contemplatiuos carperet fructus, qui ad id vsque temporis in actuosis haud segniter desudârat: sciens à Domino dictum de Maria, sedente secus pedes eius, & verbum vitæ attentiùs audiente: Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Huiusque memor sententiæ, monasticam vitam petit, quò secretiùs sola cælestia mente rimaretur, ecclesiæ regimen alteri tradens, quam ipse in Centula vico Christo fundauerat. Porrò Gislemarus, vir illustris & Christianæ religionis deuotus amator, simul & Maurontus, nobilis quidam vir, & terrarum vel syluarum ad regem pertinentium seruator, præbuerunt ei locum manendi in sylua Tristiacensi: qui & ipse Maurontus posteà seculari habitu deposito, monachus factus est in eodem loco. Cumque viro Dei mansionem solitariam præparâsset, Christo monasterium construere inchoauit. Vir igitur Dei habitationem illam cum vno solo commilitone ingressus est, paruo tantùm tuguriunculo, vilissimo opere facto, contentus, vt habitatio vitæ conueniret, superfluum æstimans, seculi contemptorem aliquid seculi deliciarum habere & videre. At inibì tanta se mortificatione carnis castigauit, tanta ieiuniorū & vigiliarum assiduitate macerauit, vt vix ossa arentia dissipatis iuncturis sibi adhærerent, & trementia baculo regente vestigia difficilè moueret. Iam mente seculo maior, sola cælestia semper cogitabat, quantumq; mundo alienus, tantùm Deo proximus erat, illum quotidiè vincens in eremo, à quo Adam olìm victus est in paradiso: super aspidem & basiliscum ambulans, caput quotidiè antiqui conterens serpentis, temporalia contēnens, æterna sola suspirans, scalam somniantis Iacob omni hora ascendens, atque per angustam viam, quæ ducit ad vitam, incedens, iter suum assiduis muniuit orationibus. Nec clausa tamen eremi angustia, lucis columna latere potuit: quin potiùs sui fulgoris radijs longè lateque magìs innotuit. Quapropter vndiquè ad hominem Dei diuersis fatigati infirmitatibus confluxerunt, quos sanctarum medicinis orationum sanauit, omnesque ad se quocunque morbo afflictos venientes, vel tristitię cuiuslibet rancore angustatos, sanos & hilares domum remeare fecit: nec in domo salutis diù morbus manere valuit, sed quanto propiùs accessit, tanto velociùs recessit. Mihi verò non singulas virtutum eius species nominatìm enarrare propositum est, sed vitæ sanctitatem paucis perstringere verbis, nè eloquij mei

Luc. 10. *Degit solitarius.* *Vita durissima.* *Gen. 3.* *Gen. 28.* *Matth. 7.* *Multos curat morbidos.*

tarditate multiplex signorum, per eum gestorum, fama magis obscuretur, quàm laudetur. Doctioribus ergò illa relinquenti, quo fine præsens hoc seculum sancta illa anima deseruerit, solùm mihi dicere sufficiat.

Prædicit obitũ suum. Itaque præscius diei euocationis suæ, qua felicitatẽ diù desideratam accepturus erat, vt esset semper coniũctus Christo, quem semper amauerat: vocauit ad se Sigobardum commilitonem suum, dixitque ei: Scio, fili mi, scio, quòd finis meus nõ tardat, & regem meum, quem diù concupiui, citiùs videbo: & vtinàm tam propitium mihi seruo videam, quàm desiderabilem sanctis suis. Sed tu, fili mi, præpara vasculum corpusculo meo, quo condatur, non superfluo studio, sed necessario vsu: vt illic seruetur in illum diem, 1. Cor. 15. quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitáte: & para te cũ omni diligentia, dulcissime fili, vt vbi dies illa, quę mihi modò appropinquat, tibi aduenerit, te paratum inueniat. Ego verò ingredior viam vniuersæ carnis: tantùm mihi misericors sit Saluator mundi, & me modò defendat ab hoste, qui me olìm redemit ab hoste: & quem præsentis vitæ habui consolatorem, æternæ vitæ mihi inueniam largitorem. Hæc discipulus à patre audiens, lachrymis perfusus, tamen præcepta secutus, lignum inueniens fidit, cauauit, & corpori patris coaptauit, pijsque fletibus rigauit quod fecit, penè priùs lachrymis implens amaris, quàm paternis membris: aptatumque, vt potuit, sarcophagum in loco præfinito à patre composuit. Interìm dum cum tristitia patri filius pararet obsequium, validior patrem coquebat infirmitas, & in frigido corpusculo vix halitus remansit extremus: nec tamen ab orationis cessauit officio, vel diuinæ laudis obsequio: & dum salutifero corporis & sanguinis Christi Migrat ad Dominum. viatico suum iter muniuit, inter gratiarum actiones & verba orationis, 6. Calend. Maij spiritum emisit: positusque est in sepulcro à discipulo in loco, vbi ipse præceperat. Sed mirum dictu: inter exequias paternas subito discipulus sopore oppressus, vidit in visu, Visio discipuli. quasi raptus esset in aulam splendidissimam, omnique decore pulcherrimam, immò solis luce clariorem: in qua beatum Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, sibique loquentem: Eccè frater Sigobarde, qualem mansionem præparauit mihi Deus: pro vili, quam habui in terra, pulcherrimam in cælo: pro contemptibili, gloriosam: pro obscura, lucidissimam: & pro fumosa, omni suauitate renidentem. Euigilans autem Sigobardus, lætior opus exequiarum perfecit, Deo prouidente, vt filius consolaretur, & patris ei gloria ostenderetur. Conditus est ergò, vt prædixi, miles Christi, vbi Corpus eius Centulam transfertur. suo regi maximè militauerat. Sed non multò pòst fratres à Centula monasterio cum suo Abbate Ocialdo, viro religioso & sancti successore, venerunt, & corpus S. Richarij tulerunt, posuerantque in loco, in quo etiamnùm cum magna meritorum gloria requiescit. Ibi enim, præstante Deo, per serui sui reliquias noua sępiùs audiuntur miracula edi, vt fides precantium patefiat, merita sancti viri ostendantur, & in seruo suo Christi laus celebretur, sicuti dictum est, Laudate Dominum in sanctis eius. Psal. 150.

Contractus sanatur. Quidam contractus, corpore debilis, sed fide robustus, frequentabat orando sancti Dei sepulcrum. Qui optata sanitate subitò recepta, dedit gloriam Deo, quòd infirmus venisset, & sanus recederet. In cuius miraculi memoriam vsque hodiè sustentacula infirmitatis illius pendent in ecclesia S. Richarij. Sed & multotiès dæmoniaci, ad corpus Item dæmoniaci. sancti Dei suorum obsequio deducti, diuina concedente clementia, à vexatione maligni spiritùs liberantur.

Quodam tempore vinculis & catenis constricti quidam per publicam ducebantur Vincula soluuntur. plateam, quæ est iuxta B. Richarij ecclesiam. Qui cùm eminùs ad viri Dei propinquarent templum, voce magna clamare cœperunt: Sancte Richari, salua nos. & statìm ruptis vinculis, absoluti sunt.

Item clades magna, quam venenosam lacertam vocant, longè lateque morte amara habitatores terræ interfecit, & vix, ab ea tactus, viuus euasit. Percussusque est ea poste quidam è fratribus S. Richarij: qui licèt mortem timeret propter cladem, vitam tamen non desperauit propter patronum. Ergò quasi ad certa suffragia comitantibus fratribus, cucurrit ad sepulcum viri Dei: ibique communiter oratione facta, & ipse liberatus est à morte, & omnes defensi sunt à plaga, nec aliquis ex illis fratribus mortifera cladis eius vastatione percussus est. Nec solùm illi liberati sunt, sed & si quis alongè veniens, plaga tactus pestifera, ad S. Richarij cum fide fugiat solatium, etiam cum clade, mortis euadit periculum. Vndè intelligi datur, quantam habeat apud Deum potestatem pro nostris intercedendi peccatis, si eum fide clamemus ad illum, qui tanta est virtute præditus depellendi morbos ab illis, qui cum fide veniunt ad eum. Nam patet ex

mira-

miraculis, qualis sit ex meritis, & anteacta vita fulgescit in opere subsequenti: ità vt non sit opùs dubitare de sanctitate, dum tantus est in virtute. Intelligite hinc, fratres charissimi, qui pauper voluit esse pro Christo, quales modò habeat diuitias cum Christo: & qui appetijt esse contemptibilis inter homines, quàm gloriosus regnet inter angelos, honorem, quem fugit in terris, nunc possidens felicissimè in cælis. Quapropter dignum est, vt ab omnibus honorificetur, qui omnium Dominum semper amauit: propensiùs tamen à nobis, qui eius corpori quotidiè assistimus: quatenùs quos filios genuit in doctrinis, dignos possideat hæredes in meritis. Nec illi tantum prodest nostra laudatio, quantū nobis eius imitatio. Magìs illi placet imitator deuotus, quàm laudator ociosus. Sancti imitandi. Vndè fratres charissimi, & sanctissimi patres, & filij iucundissimi, totiusq; sanctæ cōgregationis populus, qui ad tanti patroni festa cōuenistis, dignos vos facite, vt Deus omnipotens per eius intercessiones, vestras exaudiat orationes. Ornate vosmetipsos spiritali pulchritudine, supereminentis charitatis gloria, victrici fidei fortitudine, & spe suauissima de Christi bonitate, sequentes semper sanctorum patrum vestigia, vt per eorum gradientes exempla, illorum societate digni efficiamini: & secundùm Apostolum, abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, Tit. 2. expectantes beatam spem & aduētum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum: Cui est gloria in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM S. MARTYRIS ANTHIMI EPISCOPI NICOMEDIAE, AVTHORE SIMEONE METAphraste, *qui quidem eum scribit* 3. *Septembris capite plexum: sed nos Latina hìc sequimur Martyrologia.*



QVis nescit, quàm pulchrè quidē sita sit Nicomedia, & quanta sit eius magnitudo, quantusque sit eius splendor, & quanta pulchritudo, & quòd ea sit arx omnium ciuitatum * Nicomediæ? Sed quanuis ea sic se habeat, & ad tantam processerit elegantiam, suo tamen germine magìs gloriatur, quàm his omnibus. Ex ea enim, tanquàm generosus ramus, editus est Anthimus, floruitque & pulchros fructus produxit. Nam modò quidem excesserat ex infantia, & in eo bonorum morum florebat omnis gratia. Et iam euaserat adolescens, & erat intelligentiæ multis numeris absolutus. Postquàm autem in virorum numerum est relatus, & eos fructus percepit, qui sunt inter viros, & ventri imperauit, iræque & carni est moderatus, & mundanū hunc fastum abhorruit: toto tempore vacabat orationi, & diuinarum rerum meditationi: Matrem autem virtutum charitatem studiosè exercuit. Se autem in hoc præclarè gessit, quòd semper esset grauitate præditus, & cogitabundus, & solicitus. Tanta autem ornatus erat humilitate, vt satis esset, si vel solùm videretur, ad compungendas animas eorum, qui erant studiosi virtutis, & ad augendam virtutem.

27. Aprilis, secundùm Latina Martyrologia. for. * Bithyniæ. S. Anthimi patria. Vt se gesserit puer. Adolescens. Vir.

Quoniam ergò qui sic vitam agebat, & vel maximè vocalem præconem propriam habebat virtutem, nec celari, nec latere poterat, euehitur ad excelsam sedem sacerdotij, & in Presbyterorum cathedra laudat Dominum: cùm tamen non repētè ad id peruenisset, neque suæ vitæ procemium fecisset sacerdotium: sed cùm se priùs rectè gessisset in multis alijs gradibus, & eis conuenientem exercuisset virtutē, & hæc omnia tulissent testimonium, quòd dignus esset superioribus, sic ascendit ad magnam dignitatem sacerdotij, non honorē persequens, nec arripiens: sed ab illo potiùs appræhensus, etiamsi ipse se procùl remouebat propter summam humilitatem. Deindè excedit quidem ex hominibus, qui Nicomediæ tunc erat Episcopus. Erat autem pastore vidua ecclesia, & se esse desertam deflebat miserabiliter, & deplorabat calamitatem. Nicomediensium itaque præpositi, & maximè, qui erant alumni ecclesiæ, se esse desertos ægerrimè ferentes, omnes inter se communi suffragio decernunt, Anthimo mandandum esse episcopatum. Cùm ergò venissent ad ecclesiam, Deum vocabant testem suæ electionis: & vehementer rogabant, vt eis reuelaretur, an esset Deo accepta eorum sententia, & an haberent supernum suffragium eis suffragans & adstipulans. Eccè autem circun-

Initiatur sacerdotio Anthimus.

Creatur Nicomediæ antistes. fulsit lux magna & admirabilis: & vox quædam Anthimo tulit testimonium, & eorum confirmauit electionem, & hortata est, vt ad effectum deducerent. Atque sic præficitur clauo regendo ecclesiæ, & sedes virum dignum suscipit, & suum ornamentum accipit ecclesia: & deponit tristitiam, vt quæ adeò (vt cùm Paulo dicam) irrepræhensibilem, & adeò sapientem & magnum sit assecuta præfectum. 1.Tim.3.

Ille autem, quomodò boni gubernatores, hoc solùm spectabat, & ad id se parabat, vt sedaret graues fluctus impietatis: & vt animas eorum, qui simul cum eo nauigabant, ad portum Dei duceret. Hoc nouit Indes & Domna. Indes ille vir admirabilis & laude dignus, qui relicto Imperatore, & Imperatoris rebus omnibus, cum Domna accessit ad pietatem, & communem Regem ambo sunt assecuti. Neque Glycerius & Theophilus fuerunt expertes studij huius viri pietatis, qui hoc sufficiens præbuére testimonium, nempe mortem pro Christo. Neque alia multitudo viginti millium, qui fuerunt per ignem consummati. Mardonius quoquè, & Mygdonius, & Petrus, & fortissimus Zeno, qui ipsi quoquè ostenderunt parem in Christum amorem, quoniam nec à pari quidem sustinuerunt abesse martyrio. Tantum quidem in pietate incrementum tunc multi acceperunt ab Anthimo admirabili. Repentè autem excitatur tempestas vehementissima, & sęuissima procella irruens in Christianos, omnes perculit. Nam imperium quidem obtinebat Maximianus: exorta est autem grauissima persecutio, & peruasit in omnem terram: & ex Christianis alij quidem quærebantur, alij verò interficiebantur. Atque florem quidem pietatis, Anthimum, virtus tunc facit manifestum: & indicatur quoquè illis, qui quærebant Christianos, is qui tunc quidem erat magnus inter sacerdotes, paulò pòst autem etiam inter martyres. Grauissima Christianorum persecutio.

Nam ille quidem versabatur in quodam pago, seminans verbum veritatis, & talentū fidei multiplicans. Mittit autem Maximianus circà viginti equites, vt eum compræhenderent, & ad eum adducerent. Illi autem cùm Semanam venissent, (est enim hoc nomen pago) offendunt Anthimum: & non conijcientes hunc illum esse, quem quærebant, ipsum Anthimum rogabant de Anthimo, & quisnam is esset, & vbinàm in pago degeret. Ille verò cùm eos quidem interim hospitio accepisset, & eis panem & fabas in cœna apposuisset, & pro viribus cōuiuium exhibuisset, deindè se esse Anthimum renunciat. Quod quidem cùm illi audiuissent, propemodùm obstupuerunt, & nec ad illius quidem canos poterant omninò intueri, reputantes quidem mensam, & cœnam, & hospitium: rursùs autē cogitantes, quanam de causa, & propter quid ducturi essent eum ad Maximianum, ad extrema scilicet mala, & certum supplicium. Quod quidem & eorum animis maiorem afferebat dolorem, & efficiebat, vt apud Anthimum erubescerent. Hac de causa cùm os illius veridicum haberent eius indicem, & ex eius lingua intelligerent eum esse Anthimum, eum lubenter dimittebant, & vt recederet suadebant: sciebāt enim nihil boni ei esse successurum ex suo aduentu ad Maximianum. Nobis autem ad nostram, aiebant, sufficit defensionem, Anthimum quidem multùm quæsiuisse per vniuersam Nicomediam, non potuisse tamen eum inuenire. Sed qui Dei pręcepta semper meditabatur Anthimus, eos omninò adhortās & docens, vt veritatē loquantur in corde suo, & nec illos propter ipsum vel solis labris mentiri sustinēs, & alioqui propter Christum mortem sitiens, vnà cum eis illinc est profectus, & iter inijt. Cùm eos autem multùm esset exhortatus ad pietatem, & de futuris cum eis disseruisset, & si quid eis durum & asperum ex pietate inerat, id leuigâsset & complanâsset, & eis animæ agrū mundum, & ad pietatis semen suscipiendū aptum reddidisset, diuinas priùs effundit preces: deindè cùm fluuiū offendisset in itinere, eos baptizat, & iter rursùs cœptum persequitur, donèc venit in ciuitatem, & ad tribunal Tyranni ingreditur, ponè quidem manus vinctus. Sic enim propter pietatē oportebat, tanquàm maleficū, sisti ante Imperatorem: Mentem autem ad cælos extendebat, vndè ad se sperabat venturum auxilium. Anthimus ipse se prodit hospitibus. Vltrò proficiscitur ad tyrannum. Sistitur coràm Maximiano.

Volens ergò Imperator vel ipso solo adspectu Anthimo ostendere, quàm esset graue & acerbum aditurus periculum, vt eum statìm in principio inueniret molliorē, instrumenta publica ad torquendum comparata, ei priùs producit in conspectum: & cùm eum intrò vocâsset: Tu es, inquit, qui post Christum, qui dicitur, erras, Anthimus: facilemque & simplicem turbam in eundem adducis errorem, & deos nostros innumerabilibus contumelijs afficis? Ille autem ex æquo ridens & tormenta proposita, & ea quæ dixerat Tyrannus: Ne ad hæc quidem, inquit, tibi responderem, certò scias ô Imperator, nisi mihi sacer & diuinus Doctor Paulus persuaderet, docens nos esse paratos cuilibet petenti reddere rationem. Pollicitus est enim nobis Deus os sapientiam, cui 1.Pet.3. Luc.21.

non poterunt resistere omnes nostri aduersarij. Nam ego quidem priùs tui in simulacra erroris,& in eos,quos dicis deos,damnabam crassitudinem:nunc autē video maiorem tuā & apertā ignorantiā,quòd me quoq; ipsum sperâsti abrepturū,& me ab omnium creatore abducturum, qui te quoquè ingratum figmētum sua honorauit imagine. Cur enim me vinctum ad tuum tribunal produxisti, & tormentorū instrumenta meis oculis subiecisti? Num clarū est te id fecisse,vt me obstupefaceres,& vel omninò persuaderes,vel vim afferres? Oportet hæc aliquibus alijs proponere, qui sunt nimis pusilli & abiecti animi, & quibus hæc pręsens vita est voluptati, & qui maximum ducunt supplicium ea priuari. Nam me hoc è luto corpus continet quouis carcere grauius,quòd mihi non sinat animam transire ad dilectum. Minæ autē, supplicia & tormenta, quibusnam delicijs non sunt mihi iucundiora,quæ habent mortem euestigiò consequentem, quæ cùm me à carnis liberârit vinculis,mittet ad ea,quæ desidero?

Vide mirabilē animi fortitudinē

Hæc cùm sacerdotio magnus,& decertatione maior Anthimus disseruisset,dixit Imperator: Sunt hæc quidē prolixæ nugæ: videbis autem. Cùm verò apud se submurmurâsset,iubet eius ceruicem verberari lapidibus. Ille autē,tanquàm iam suscipiens primitias certaminum propter Christum, & fundamentum accipiens coronarum, placidè accepit præsentes plagas,& cupiebat accipere grauiores, desiderans consequi præmia præclariora. Et partìm quidem irridens, & Tyrannum velutì ludificans, partìm autem flamma insaniæ animū eius accendens, & ad maiora & grauiora iritans supplicia: Dij, aiebat,qui cælum & terram non fecerunt, pereant. Quod quidem cùm Maximiani cor medium penetrâsset,ferreis candentibus fibulis talos transfixit martyris. Illi autem tormentum erat magnæ voluptati, vt qui ea assequeretur, quæ desiderabat propter Christum,& Maximiano propemodùm agebat gratias propter supplicia:adeò desiderabat Anthimus Christo gratificari. Maximianus ergò, qui liberè in tormentis suam exercebat potestatem, & martyris generosum animū contendebat superare acerbitate supplicorum, iubet testis solum consterni: Deindè ei nudum athletam impositum, virgis cædi vehementiùs: vt duplex dolor ad eius permanaret animum, nempe & supernè ex virgarum verberibus, & infernè ex testarū duritie. Ille autē ne tunc quidem desperans victoriam, cantabat hæc verba: Ago tibi gratias, Domine & Rex seculorum, quòd me cinxisti virtute ex alto, & inimicos meos dedisti mihi dorsum: & eos, qui me oderant, exterminâsti: & omnes,qui aduersùs me insurgebant,subter me supplantâsti.

Ceruix eius tunditur lapidibus.

Ierem. 10.

Delectatur supplicijs horrendis.

Cæditur virgis,& testis sternitur.

Sed Maximianus rursùs processit ad alia,& ænea candētia tibialia iubet alligari martyri. Quod quidem cùm factum esset,sicut iusserat,& beatis illis pedibus,quod est vehementissimum, & ad doloris rationem maximè intolerandum, ignita tibialia fuissent applicata, diuina quædam gratia ad generosum illum virum desupèr aduolat: & illinc audit vocem eum magis roborantem,& spondentem victoriam,& pręmia promittentem,& mox manum prębentem,quæ imponat coronam. Vox autem eius animū conuertit ad tranquillitatem,& eius vultum reddidit alacriorem. Porrò autem iucundus quoquè quidam subrisus insidet eius labris, significans internam cordis tranquillitatē. Hæc ergò videns Maximianus, stupebat quidem, vt erat consentaneum: (quid ni enim stuperet?) rei tamen detrahebat,& eam vocabat præstigias,& incantationem,& rogabat causam. Iustus autem,Sunt,inquit,mihi præsentia, O Imperator,bona procemia & certa promissio futurorum. Breuì enim conuincā te frustrà esse inflatum, & deos,quos nominas,ostēdam esse humanis viribus longè imbecilliores, adeò vt te sit subitura pœnitentia,quòd meî feceris periculum: & quòd non à nobis citiùs recesseris,non leue sis damnum iudicaturus.

Ignita tibialia ei adhibentur.

Diuinitùs confirmatur.

His vehementer commotus Maximianus,iubet martyrem rotę alligatum,continenter quidem in rota versari, ignis autem lampadibus eius carnes consumi & eliquari. Atque Maximiano quidem ad effectum statìm deductus fuit iussus: & lampades in manu habentes lictores,accesserunt ad martyrem,qui erat extensus in rota,ignem spirantes,ignem videntes,ignem ferentes:animis in eum flammam spirantes feruētiùs,quàm ignis, quem habebant in manibus, ac propemodùm arbitrantes, se athletam facturos esse totum flammeum. Postquàm autem iam venerunt prope rotam,(O admirabilem tuam, O Christe, in eum virtutem) illa quidem continuò destitit moueri: illi verò cadunt in terram, & fluunt lampades è manibus, quæ nullā earum curam gerunt: & iam dimissæ sunt vacuæ, velutì quodam sopore eas torpefaciente. Propter hæc ira percitus Imperator, tortores insectabatur maledictis,& criminabatur quòd iussa exequi negligerent, & præsentium rerum curam omnem abijcerent. Et,Quomodò,dicebat,eò venistis

Alligatus rotæ,igni aduritur

Carnifices prosternūtur.

nistis audaciæ, vt vos tanta inuaserit socordia, & istum nostro imperio prętuleritis, adeò vt nostra quidem iussa reliqueritis imperfecta, humi autē accubueritis, vt & vobisipsis gratificemini, & labore defessos recreetis? Videt, quemadmodùm ne seipsos quidem possint restituere, neque manibus vti ad id, quod est opùs: sed ignorabat stolidus, diuinam virtutem, non autem socordiam, vires eorum extinxisse. Illi autem: Non ità res se habent, O Imperator, responderunt, neque tardi sumus in tuis iussis exequendis: absit, vt tantum insaniamus: neque cessimus socordiæ, neque manus nostræ magno defessæ sunt labore: sed terribilis quædam visio nos sic affecit, quæ nos humi deiecit, & manus nostras dissoluit: & iam sumus membris dissoluti, & effecti omninò imbecilli. Tres enim viri, adspectu quidem candidi, & candidis induti vestibus, specie autem terribiles, nobis apparentes, toruè in nos & ferociter adspexerunt: & ignis, qui erat in manibus, ex lampadibus statim in nos spirauit. Deindè cùm iussissent abscedere Anthimū, (cum autē vocabant Dei famulum) nos deijciunt: & sic statim, vt vides, afficiunt. Atq; ij quidem hæc inter se disserebant.

Martyr feruenter agit gratias Deo. Interim autem dum rota quiescebet ab ambitu, & nihil omninò mouebatur, martyr Deo feruentiorem offerebat gratiarum actionem, & illinc ampliorem consequebatur benignitatem. Maximianus itaque volens ostendere, ex lictorum simplicitate, non autem ex martyrica ad Deum fiduciæ, hanc rem esse profectam, cum deposuit è rota, & ei ense mortem minatur, nisi sacrificârit. Ille autem ex minis sumpsit argumētum maioris gratiarum actionis: & toto corde Deum rogauit, vt perueniret ad chorum viginti millium martyrum, vt etiam liceret ei dicere: Eccè ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Esa. 8. Imperator verò postquàm vidit finem ei maximè esse in votis: Scio, inquit, quàm vos Christiani sitis gloriæ cupidi, & honoris appetētes, & quòd proiecta vestra audacia qualecunque nomen assequi cupientes, extremum omniū malorum, mortem violentam eligitis. Sed hac quidem de causa minimè lætaberis. Nam cùm ego te priùs multis affecero supplicijs, luce præsenti sic priuabo, vt qui sis indignus tātæ rei voluptate. Martyr autem: Non alia, inquit, ratione efficies, vt præmia consequar præclariora.

Catenis vinctus ducitur in carcerē. Quid posteà consequitur? Ferreis catenis vincitur, & ad maleficorum carcerem deducitur. Sed ea, quæ consueuerat, eius lingua ad Deum canebat: & catenas simul dissoluit & vincula, ne eos quidem, qui ipsum ducebant, lictores dimittens expertes miraculi. Nam ij quoquè proni humi iacebant, obstupefacti admirabili spectaculo. Quædam enim diuina gratia desupèr martyrem circunuolans, & in eum lucem immisit clarissimam, & eos, qui ipsum acceperant, lictores, cum ferreis, quibus erat circundatus, vinculis, humi repentè deijcit, cùm ne conniuere quidem sustinuissent. Cùm verò martyr eos fecisset surgere, iubet vt cœptum iter peragant. Cùm autem peruenissent in carcerem, Carcere detentos baptizat. ingreditur ille lætus, tanquàm ad conuiuium: & cùm eis, qui illic erant, fidei panē proposuisset, & eos benignè & comiter esset amplexus, & eis propinâsset pietatē ac veram religionem, eos Christo totos coniungit & conciliat, & eius adoptiuos filios efficit per baptismum. Maximianus autem cùm hoc accepisset ab ijs, qui erant ei subiecti, & timuisset, nè multorum aliorum faceret iacturam, iubet rursus ad se adduci martyrem, & rursùs adhortatur, vt dijs illius sacrificet. Quo tempore huius quoquè rei præmium ei pollicetur sacerdotium.

Magna dicendi libertas. Ille autem liberè: At ego, inquit, ante tua verba sum sacerdos, & sacerdos primi, & magni & præclari Pastoris & Pontificis Christi, qui non solùm meæ carnis est particeps, & ad me vsque propter me descendit: idque cùm sit Deus expers materiæ, & qui non potest compræhendi: sed etiam sacrificauit seipsum pro ouibus: & in crucem actus, mortē suscepit: & die tertio resurrexit: & in cælum rursùs ascendit, me quoquè simul euehens, qui illinc cecideram propter inobedientiam. Huius sum ego sacerdos, & ei meipsum statui offerre hostiam. Res autem vestræ, & vestrorū, vt dicitis, deorum, dignæ sunt nocte & angulis, & quę lugeantur potiùs propter interitum & calamitatem, quàm appetantur maledictis.

His ira percitus Imperator, iubet generosum Anthimum duci ad mortem. Ducitur ergò athleta, spe futurorū habens vigentem lætitiam. Et cùm peruenisset ad locum, in quo erat per mortem peruenturus ad vitam, ad precandum tēpore petito & accepto, Punitur capite. cùm postremò esset precatus, & Deum allocutus, ei beatū illud caput amputatur tertio mensis Septembris. Vesperè autem accedentes quidā fideles, cùm preciosum corpus illius sustulissent, sanctèque & honorificè composuissent, in ipso loco, in quo fuit consummatus, pulchrè deponunt, laudantes patrem, & filium, & spiritum sanctum,

vnam

vnam diuinitatem & regnum: Cui omnis gloria, honor & adoratio, in secula seculorum, Amen.

DE S. VITALI MARTYRE reperiet Lector quędam scitu digna Tomo 3. die 19. Iunij in Epistola, quam S. Ambrosius scripsit fratribus per omnem Italiam: ex qua etiam Petrus Damianus quædam ad verbum descripsit in Sermone, qui iam sequitur.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO PARTIM HISTORICVS DE SS. VITALE ET *Valeria eius coniuge.*



Immensas Deo laudes & gratias referamus, dilectissimi fratres, quia dum per totum orbem Paschalis festiuitas rutilat, nostræ patriæ fines etiam beati Vitalis triumphalis dies illustrat. Hodiè nanque miles Christi gloriosus, pro fide Imperatoris sui in æternum victurus occubuit: hodiè deuicto humani generis inimico, cum triumpho gloriæ regna siderea penetrauit: hodiè peracto stadij sui cursu, de ergastulo carnis victor exiuit: hodiè alternantibus hinc indè hymnidicis Angelorum choris, palatium Regis æterni purpuratus intrauit. Vbi cum ignitis beatorum spirituum cœtibus inenarrabiliter emicat, cum trabeatis senatoribus curiæ cælestis exultat, cum Patriarchis in aureo sublimiter solio inthronizatur, cum laureatis martyribus mirabiliter coronatur: Cum his omnibus stola indutus gloriæ, ineffabili exultatione tripudiat, & in conspectu æterni Regis melodum Alleluia iucundissima suauitate decantat. O quàm beatè moritur, qui moriendo oritur: quàm feliciter temporalem vitam finit, qui viuere perpetualiter incipit. Hinc est, quòd sancta Ecclesia dies migrationis sanctorum, natales vocare consueuit, quia protinùs in cælo nascuntur, cùm in terra visibiliter moriuntur: & tunc verè incipiunt viuere, cùm mortalē videntur vitam finire.

28 Aprilis. Paschalis festiuitas toto orbe celebris.

Sanctorum mors, vitæ initium.

Perpendite, fratres mei, hic inuictissimus miles Christi quàm forte, quàm robustum pectus habuerit, qui de suî periculo omnimodò securus, de alieno solicitus, vno verbi telo, & inimicum perculit, & claudicantem iam inflicto vulnere socium, ad agendum fortiter excitauit. Docta manus ad prælium, vibrauit hastam: socium, vt surgeret, tetigit, & vincenti iam aduersario letale vulnus inflixit. Vt enim in veracissima gestorum illius narratur historia, cùm post nimia tormenta Vrsicinus capitalem sententiam voluisset euadere, exclamauit beatus Vitalis, dicens: Noli, noli, Vrsicine medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æternæ mortis iaculo vulnerare. Sanctorum quippe virorum est consuetudo, fratres mei, vt in tribulationum bello depræhensi, dum illinc aduersarios insequentes, hinc suos fugientes adspiciunt, illis opponant scutum patientiæ, istis intorqueant iacula doctrinæ: atque ad vtrunque pugnandi modum mira virtutis arte se erigunt, quatenùs & infirmi intùs fortiter se erigant, & foris viriliter aduersa contemnant: hos docentes corrigant, illos tolerantes premant. Insurgentes nanque hostes patiendo despiciunt, infirmantes verò ciues compatiendo ad salutem reducunt. Illis resistūt, nè & alios subtrahant: istis metuunt, nè metuendo mortem, vitam funditùs perdant. Illinc iaculis aduersantia pectora feriunt, hinc scuto opposito debiles tuentur. Atque ità vtrobiquè velocitate circunspectionis inuigilant, quatenùs & ante se audaces confodiant, & post se trepidos à vulnere defendant. Sed quisquis vult in campo certaminis fortiter agere, curet necessè est in pace domestica se custodire, in ocioque se frequenter exerceat, nè ignarus pugnandi, incautè ad bella prorumpat: nè si rudis & imperitus cum doctiore congreditur, dum arma armis præter solitum conserere nititur, antequàm insigne aliquid faciat, improuisò vulnere prosternatur, & victus intereat, vndè victor esse totis nisibus anhelabat.

Veracissima S. Vitalis historia: quæ est Tomo 3. die 18. Iunij

Ad certamina vt animus præparandus.

Neque etenim credēdum est, quòd beatus Vitalis religiosè viuere, & in primis Deo seruire tūc cœperit, cùm ad agonem martyrij, persecutoris illum crudelitas prouocauit. Vir nanque sanctus tunc etiam summis viribus fultus erat, cùm sine vlla persecutionis molestia, in pacis suæ tranquillitate quieuerat. Qui sibi tàntummodò notus &

Deo, nisi cogeretur in campū certaminis progredi, à nobis nullatenùs potuisset agnosci. Virtus quippe se etiam tempore quietis exercuit, sed prauorum ictibus tunsa, in aduersitatis pila fragrauit. Et qui quietus in semetipso quod erat continuit, commotus ad notitiam omnium odorē suæ fortitudinis adspersit. Sicut enim vnguenta redolere latiùs nesciunt, nisi commota, & sicut aromata fragrantiā suam non nisi cùm incenduntur, expandunt: ità sancti viri omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus profundunt. Vndè rectè in Euangelio dicitur: Si habueritis fidem, sicut granū sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, & transibit. Granum quippe sinapis nisi conteratur, nequaquàm vis virtutis eius noscitur: nam non contritum, lene est: si verò conteritur, inardescit, & quicquid in se acerrimum latebat, ostendit. Sic nimirùm, sic vnusquisque vir sanctus, cùm non pulsatur, despicabilis ac lenis adspicitur: si qua verò illum tritura persecutionis opprimat, mox omne, quod calidum sapit, ostentat, atque in feruorem virtutis vertitur, quicquid in illo antè despicabile infirmumque videbatur: quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuit, exagitatus tribulationibus, coactè aperit. Vndè benè per Prophetam dicitur: In die mandauit Dominus misericordiā suam, & nocte declarauit. Misericordia enim Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore virtus diuinitùs concessa percipitur: in nocte verò declaratur, quia donum, quod in tranquillitate sumitur, tribulationibus manifestatur.

Matth.17. Viri sancti in aduersis quales sint declarant. Psal.41.

Si enim quæritur, cuius virtutis beatus Vitalis ante certamen fuerit, quo disciplinæ vigore domum suam bonus paterfamiliâs rexerit, quàm religioso, quàm sancto viuendi ordine filios instituerit, beata Valeria vxor eius cum duobus filijs requisita dicat, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Illa enim audita morte Vitalis beatissimi coniugis, non auidos peruasores suis possessionibus timuit, non potētioris cuiuslibet patrocinium quæsiuit, non more viduarum dispersas vbicunquè res suas in tuto loco colligere studuit: sed castissimi cōiugij fidem seruans, ad impendendum funeris obsequium de Mediolanensi vrbe vsque Rauennam mirabili feruore peruenit. Non illam deterruit tam longi difficultas itineris, non retinere potuit metus amittendæ possessionis, non eam propinquorum siue conciuium amor in Mediolanensi vrbe deuinxit, non eam cōsularis immanissimus furor à Rauennæ finibus exturbauit. Illuc quippe erectus eius spiritus medullitùs intendebat, quò beatissimum virum, calcata iam morte, præcessisse cognouerat: vbi enim erat thesaurus eius, ibi erat & cor eius. Lætabatur illū in habitatione iam degere, dolebat se adhuc in exilio remanere. Ad hoc illa toto mentis desiderio anhelabat in via, quo ille iam delectabiliter fruebatur in patria. Gaudebat ab hominibus vxor martyris appellari, sed multo inenarrabiliùs æstuabat eadem martyrij gloria coronari. Vndè non dubitandum est, quòd ipsum beatissimū virum suū quotidiè spirituali deuotionis familiaritate deposceret, quatenùs eius sacratissimis precibus ad martyrij palmā pertingere mereretur: vt nimirùm quos immaculatos hîc mutuæ charitatis deuinxerat thalamus, non dispar in supernæ beatitudinis gloria iungeret & triumphus. Et quia duo fuerant in carne vna vniti, fierent etiam in corona. Quapropter cùm à Christianis, qui tunc erant Rauennę, esset prohibita, nè sanctum corpus auferret, & hac intentione deposita, ad propria remearet, incurrit in homines idololatras Syluano sacrificantes: qui deponentes eam de sagmario, hortabantur, vt cum ipsis epularetur de his, quæ erant Syluano immolata.

S. Valeriæ magna virtus. Matth.6.

Sed quid tu, beata Valeria? Nunquid poteris vestigia viri tui relinquere, & erectum iam in cælestibus animum diabolicis suggestionibus inclinare? Nunquid poteris educata in fide catholica, quod in tranquillitate didicisti, carnificum terrore postponere, & positum supra firmam petram fidei fundamentum, quolibet trepidationis turbine violare? Agè agè beata Valeria, eià nobilis matrona, nunc viri tui documenta viriliter recole, & quid tibi tanti doctoris magisterium præstiterit, declara. Ait enim: Christiana sum, & non licet mihi de sacrificijs Syluani vestri manducare. At illi hæc audientes, sic eam cæde mactauerunt, vt vix illam seminecem sui homines ad Mediolanensem vrbem perducerent, sicque intra triduum beata Valeria migraret ad Dominum. O quàm ineffabiliter diuinæ dispensationis ordo disponitur, quàm misericorditer humanæ conditionis series variatur. Mulier virum de paradiso eiecit: vir mulierem ad paradisi patriam reuocauit. Illa, vt homo deciperetur, diabolo facta est instrumentum: iste, vt mulier coronaretur, imitabile præbuit virtutis exemplum. Antiqua mulier pomum vetitum comedendo, miserabilis ieiunij se fame mulctauit: noua verò mulier ab idolothytis abstinendo, æternæ satietatis conuiuiū præparauit. Illa fructu arboris delectata,

S. Valeria cæsa occumbit.

beatæ

beatæ amœnitatis ostium seris concupiscentiæ sibi excundo damnauit: ista esum carnium aspernata, sempiternæ viriditatis pascua clauibus sibi continentiæ patefecit. Ecce liquidò patet, quàm conspicua morum honestate vir sanctus in tranquillitate claruerit, qui & beatissimam coniugem ad tantæ perfectionis culmen eduxit. Si enim ab illo studere auaritiæ didicisset, nequaquàm sua omnia pro sola sepultura venerandi cadaueris contempsisset. Si luxuriosis cum eo fuisset vsa conuiuijs, nimirùm itinere fatigata, procliuiùs acquiesceret refici, quàm verberibus vsque ad mortis confinium laniari. Et vt breuiter cuncta concludam, nisi pacis tempore per omnia didicisset viuere Christo, in persecutionis articulo nequaquàm potuisset mori pro Christo. Sed quoniam interrogata Valeria, cuius virtutis excellentissimus vir eius ante certamen extitit, assertionis suæ testimonium breuiter reddidit, iam accedant & alij testes. Vt probetur, quàm honestè vixêre parentes, ad testimonium vocentur hæredes: verisimile quippe est, vt quicquid virtutis in sanctorum filijs cernitur, totum ab ipsis parentibus traditum fuisse credatur.

Igitur beatissimi Geruasius & Protasius, vtroque parente non dicam orbati, sed potiùs splendidissima eorum morte feliciter illustrati, sicut in sancta eorum refertur historia, nihil terrenum, nihilque carnale concupiscentes, sed vno se cœnaculo concludentes, per decem annos lectioni & orationi vacauerunt. Considerate, fratres charissimi, inæstimabilem paternę institutionis laudem. Perpendite mirabilem rigidæ censurę traditionem. Notate relictum pupillis nouæ conuersationis exemplum. Animaduertite euidentissimũ paternæ seueritatis indiciũ. Solet inter fratres communis substantia, diuisionis fieri & discordiæ causa: inter istos autem diuidenda quidem hæreditas aderat, duorum tamen corda vna charitas replebat. De populosa vrbe faciunt eremum, diuersorium habitandi vertunt in oratoriũ. Solent etiam adolescentuli, amissis parentibus, per proprij arbitrij libertatem luxuriosè diffluere, & quasi iam sui iuris, libera voluptatum suarum licenter sibi frena laxare. Excedentes siquidem rectitudinis metam in eo quod licet, omne sibi existimant licere quod libet. Isti verò Euangelicæ indolis pueri, non venturæ adhuc vitæ soliciti, terrenarũ rerum opúmve sibi prouident sumptũ, non morte dissoluendæ carnalis copulæ vllum pepigêre coniugium, non equis frementibus delectantur: non deliciarum lasciuijs resoluuntur, non preciosis vestibus adornari inaniter concupiscunt. Mundani strepitûs negocia fugiunt, terrenarũ rerum diuitias aspernantur, transitoriæ dignitatis culmina respuunt, carnalis illecebræ blandimenta contemnunt. Et non solùm aliena non ambiunt, sed & sua omnia prodiga misericordiæ largitate dispergunt. De tota mundi latitudine vnam sibi glebam angustissimi carceris eligunt, vbi collectis à vanitate mundi vndiquè sensibus, solam Creatoris sui speciẽ medullitùs contemplantur. Ad illum iam claustra carnis excedentes, assiduæ meditationis studio spiritum dirigunt: ad illum amoris nimij facibus accensi, totis visceribus inardescunt. Erat quippe vtriusque mens in superno desiderio anxia, à concupiscentijs terrenis aliena: amor nanque verus, qui hanc repleuerat, in fletibus cruciabat. Sed dum in tali ardore cruciarentur, ipsis suis cruciatibus pascebãtur, & tandiù in admirabili huius conuersationis feruore persistunt, donèc gloriosa parentũ secuti vestigia, pro fide Christi martyrio coronantur. Nimirùm quorum imitati sunt exempla viuendo, & quibus in terra sunt carnaliter editi, eorũ sunt collegio in cælesti beatitudine sociati: & quos carnalis propagatio iunxit, meritorum inæqualitas non diuisit. Et quo eos ordine mundũ natura produxit, eo etiam ad cælestia diuina illos gratia sublimauit. Hi enim, qui genuêre, præcedunt: qui verò geniti sunt, recto eos ordine subsequuntur.

De SS. Geruasio & Protasio.

Magnus mundi contemptus in vtroque.

O beata familia, quæ Aegyptum deserens, tam strenuè rubrum mare petransijt, & facto agmine, ad repromissionis terram triumphando peruenit. O generosa progenies, quæ nascendo quidem de terra traxit originem, sed viuificè moriendo, ad cęlestẽ transire meruit dignitatem: quam nobilitas morum, ad nobilitatem transtulit angelorum. Quàm ardua domus erat illa, quæ tot clarissimos ciues ad supernam Hierusalem transmittere meruit? Quæ enim ciuitas, quamlibet excelsa turritis mœnibus, huius domunculæ dignitatem excellere poterit, quæ cæli digna vocabulo, copiosam martyrum turbam felici in se habitatione continuit? Quos totus mundus tenere dignus non fuit, hos domus illa sublimis foribus clausit. Nam & Apostolus cùm de sanctis martyribus loqueretur, protinùs addidit, dicens: Quibus dignus non erat mundus. *Heb. 11.*

Gaude igitur Rauenna vrbs clarissima, tantorum martyrum precioso sanguine purpurata: quæ licèt ex his quatuor solius beati Vitalis sacratissimum corpus corporaliter teneas,

Rauennæ passi hi martyres.

teneas, nequaquàm tamen à reliquis tribus per occultæ virtutis mysterium vacas. Nam
Gen. 2. si beata Valeria cum viro suo, scriptura teste, fuit in carne vna, necessariò sequitur, vt
Matth. 19. vnius carnis vna sit sepultura. Et cùm legamus, Quod Deus coniunxit, homo non separet: nos etiam gaudentes, dicamus: Quia quod Deus, qui est æterna vita, coniunxit, temporalis mors interueniens non diuisit. De filijs autem quid aliud dicendum est, nisi quia qui beatissimo genitori insolubilibus naturæ vinculis sunt connexi, nullatenùs ab eo locali potuerunt interstitio separari? Legitur autē, quia Adam cùm primùm vxo-
Gen. 2. rem vidit, protinùs dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Si ergò Eua, quia de viri latere est formata, os ex ossibus eius, & caro de carne eius dicitur: cur non & filij, qui de lumbis patris exiêrunt, eadem & ossa & carnem cum patre habere dicantur? Licèt ergò seiuncti videantur per interualla locorū, per occultum tamen mysticæ virtutis iuncti sunt sacramentum. Gaude igitur nobilis vrbs Rauenna, & totis in Do-
Martyres quid conferant locis, in quibus passi sunt. mino visceribus delectare, quæ licèt ardua sis muralis machinæ celsitudine, multo tamen excelsior es beatorum martyrum dignitate: lapideis quidem propugnaculis inexpugnabiliter cincta, sed valdè inexpugnabiliùs fortium Christi militum protectione vallata: quæ quodammodò Romanis arcibus amicabiliter æmula, sic per duos præcipuos martyres, Vitalem videlicet & Apollinarem, mater esse meruisti & domina circumpositarum quarumlibet vrbium, sicut illa per duos summos Apostolos, Petrum scilicet & Paulum, totius orbis sibi vendicat principatum: & quasi caput reliquis ciuitatibus facta, ità coruscas duorum splendore sanctorum, velut humana facies geminorum luminibus oculorum.

Lætare igitur & exulta, quia quæ dæmonum anteà fueras delubrum, nunc per respectum diuinæ gratiæ cælestium senatorum facta es capitolium. Et quæ priùs malè fœcunda, in filijs tuis innumeras stipulas germinabas inferno, iam per beatorum martyrum merita multos ciues parturis cælo. Quæ præ confusione vitiorum antiqua fueras Babylonia, ipsa per nouitatem virtutum noua Hierusalem facta es, viuis nimirùm lapidibus
Ephes. 2. adornata: vt iam populo tuo non immeritò per Paulum dicatur: Iam non estis hospi-
1. Pet. 2. tes & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei. & per Petrum: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Nec leue tibi datū est diuinæ dilectionis indicium in eo, quòd beatus Vitalis etiam post felicem transitum suum in te voluit habere sepulcrum. Non est passus ex te suum corpus auferri, quia noluit te patrocinij sui protectione destitui. In qua re tibi vtiquè magis, quàm vxori bea-
Sanctorum patrocinia. tissimæ, præstitit: qui dum tuæ vtilitati consuluit, sanctæ voluntati eius non acquieuit. Scriptum nanq; est, quia sancta Valeria, dum beati Vitalis vellet corpus auferre, à Christianis prohibita est, & sæpè in visionibus ab ipso admonita, nè sanctum corpus à malo homine benè positum violaret.

Certè non possum dicere, fratres mei, quàm iucundè, quàm delectabiliter certamen huius pugnæ considero, quàm auidissimè totos interiorum luminum radios ad spectaculum sanctæ contentionis expando. Perpendo diuersam litigantium aciem: hinc videlicet ciuitatem, indè vnam adspicio mulierem: in medio verò positum corpus sancti Vitalis, materia est & causa certaminis. Quæque pars suis allegationibus vtitur, & causam suam diuersa iuris ratione tuetur. Illa repetit ius antiquæ possessionis, ista opponit titulum diuinæ concessionis. Illa conqueritur sibi violenter ablatum, ista econtrariò asserit ex diuina sibi benignitate donatum. Dicit illa, Rem proximi tui non concupiscas: respondet ista, Quod tuum est, nè repetas. Illa: Sed mihi est, inquit, dotalis matrimonij lege coniunctus: ista autem, Quia & mihi est precioso martyrij sanguine fœderatus: habuisti tu, dum licuit, coniugem tuum: liceat & mihi habere sine molestia martyrem meum. Tibi enim est carnalis copulæ glutino sociatus, in me est tri-
1. Cor. 7. umphalis martyrij gloria coronatus. Audi Apostolum dicentem: Mulier alligata est legi, quandiù vir eius viuit: cùm autem obierit vir eius, soluta est à lege viri. Si ergò tu soluta es à viri lege, quæ in carne adhuc viuis: quomodò illi, qui ad cælestia regna iam transijt, innectere vinculum quæris? Sed ad dirimendum huiusmodi contentionis sanctæ litigium, accessit ipse beatus martyr in medium, & venerandæ vxoris querelæ imposuit modum: & qui eatenùs fuerat materia contentionis, sequester & mediator factus est pacis.

Sed dum vobis, fratres charissimi, ista dicimus, illud etiam ad mentem reducitur, quod Patriarcham Iacob fecisse scriptura sacra testatur. Legitur enim, quia cùm appro-
Gen. 47. pinquare cerneret mortis diem, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gra-

gratiam in conſpectu tuo, pone manum ſub femore tuo, & facies mihi miſericordiam & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de hac terra, condasque in ſepulcro Maiorum. Cui reſpondit Ioſeph: Ego faciam, quod iuſſiſti. Et ille: Iura ergò, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Iſraël Deũ. Quid eſt hoc, fratres mei? Quid ſibi vult à tãto viro tam anxia ſepeliendi corporis ſolicitudo? Si enim hoc ex humana conſuetudine metiamur, profectò nihil dignũ tanta propheticæ mentis excellentia reperimus. Vbicunquè enim corpus humanũ ſepeliatur, nõ ideò vel minùs perfecta, vel minùs glorioſa eius reſurrectio futura proculdubiò creditur. Sed ſi myſtici ſacramenti profunditas in huius dubietatis caligine requiratur, perſpicuũ lumen intelligentiæ ipſi, qui inuenerit, orietur. Cadauera quippe mortuorum, peccata ſignificant iniuſtè viuentium. Sicut enim poſt contactum corporum mortuorum lex præcepit homines purificari, ità etiam poſt perpetrationem delictorum iubemur per pœnitentiam ablui. Hinc nimirùm illa ſententia dicta eſt: Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit illum, quid proficit lauatio eius? Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: ſed poſt baptiſmum mortuum tangit, qui culpam poſt lachrymas repetit. Sepultura verò mortuorum, remiſſionem ſignificat peccatorum. Vndè per Prophetam dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Vbi ergò ſepelienda erant cadauera Patriarcharum, niſi in ea terra, vbi ille erat crucifigendus, cuius ſanguine facta eſt remiſſio peccatorum? Quæ ergò cauſa fuit, vt Patriarcha Iacob ſepeliretur in Chananęorum terra: eadem fuit, vt beatus Vitalis ſepulcrum ſibi ſpecialiter eligeret in vrbe Rauenna. Sicut enim ille per ſepulturã ſui corporis, remiſſionem peccatorum in illis mundi finibus, quia ibi Dominus erat crucifigendus, ſignificauit eſſe futuram: ità iſte hanc feliciſſimam vrbem ad baptiſmi gratiam & ad fidem Chriſti cognouit diuinitùs eſſe vocandam. Quapropter obſecro vos & admoneo, dilectiſſimi fratres, tantam dignitatem, quam gratuito Dei munere ſuſcepiſtis, aſſidua meditatione recolite, & dignas tantis beneficijs gratias non ſolùm ore, vel corde, ſed etiam dignis operibus referre curate. Caduca ſeculi huius blandimenta deſpicite. Ad cæleſtis patriæ gaudia medullitùs anhelate. Carnis incentiua reprimite. Mandata Dei, quæ aure percipitis, operibus adimplete. Ab amore Dei nulla vos mundi proſperitas retrahat, nulla vos aduerſitas frangat. Non corpus veſtrum luxuria polluat. Non inuidiæ flamma conſumat. Non vos elatio inflet. Non terrenarum rerum cupiditas grauet. Non vos ab amore proximi iracundia diuidat. Non prauorum vitijs dilectio inordinata coniungat. Tranſacta mala dignæ pœnitentiæ fletibus tergite: imminentia verò cauta prouiſione vitate. Venturum terribilem iudicem ante mentis oculos ponite. Diſtricti examinis ſententiam trepidi formidate: quatenùs qui nunc venturum credentes, humanitatis eius crucem baiulare ſatagitis, in maieſtatis ſuę gloria poſtmodùm venientem, ſecuri & alacres videatis Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre & Spirituſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Iacob patriarcha cur ſolicitus fuerit de ſepultura ſua.

Num. 19.

Eccli 34.

Pſal. 31.

MARTYRIVM S. THEODORÆ VIRGINIS, A S. AMBROSIO SCRIPTVM LIB. SECVNDO DE VIRGINIBVS:

quam hac die paſſam volunt Latina Martyrologia, & quidem Alexandriæ, cùm Ambroſius Antiochiæ habeat: ſed aut mendum eſt in ſcriptura, aut diuerſa eſt hæc Theodora ab illa, quam ſuprà V. Aprilis ex Metaphraſte annotauimus.



Ntiochiæ nupèr virgo quædam fuit fugitans publici viſùs. Sed quo magìs virorum euitabat adſpectum, eo ampliùs incendebat. Pulchritudo enim audita, nec viſa, plùs deſideratur, duobus ſtimulis cupiditatum, amoris & cognitionis: dum & nihil occurrit, quod minùs placeat, & plùs putatur eſſe quod placeat, quod non iudex oculus explorat, ſed animus amator exoptat. Itaque ſancta virgo, nè diutiùs alerentur potiendæ ſpe cupiditatis, integritatem pudoris profeſſa, ſic reſtinxit improborũ faces, vt non iam amaretur, ſed proderetur. Eccè perſecutio. Puella fugere neſcia, certè pauida, nè incideret in inſidiatores pudoris, ani-

28. Aprilis.

Profeſſio virginitatis iam olim.

animum ad virtutem parauit tam religiosa, vt mortem non timeret: tam pudica, vt expectaret. Venit coronæ dies. Maxima omnium expectatio. Producitur puella, duplex professa certamen, & castitatis, & religionis. Sed vbi viderunt constantiam professionis, metum pudoris, paratam ad cruciatus, erubescentem ad adspectus: excogitare cœperunt, quemadmodùm specie castitatis religionem tollerēt, vt cùm id abstulissent, quod erat amplius, etiam id eriperent, quod reliquerant. Aut sacrificare virginem, aut lupanari prostitui iubent. Quomodò deos suos colunt, qui sic vindicant? aut quemadmodùm ipsi viuunt, qui ità iudicant? Hîc puella, non quòd de religione ambigeret, sed de pudore trepidaret, ipsa secum: Quid agimus? Hodiè aut martyr, aut virgo. altera nobis inuidetur corona. Sed nec virginis nomen agnoscitur, vbi virginitatis author negatur. Nam quemadmodùm virgo, si meretricem colas? quemadmodùm virgo, si adulteros diligas? quemadmodùm virgo, si amorem petas? Tolerabilius est enim, mentem virginem, quàm carnem, habere. Vtrunque bonum, si liceat: si non liceat, saltē non homini castæ, sed Deo simus. Et Rahab meretrix fuit: sed postquàm Deo credidit, salutem inuenit. Et Iudith se, vt adultero placeret, ornauit: quæ tamen quia hoc religione, non amore, faciebat, nemo eam adulteram iudicauit. Benè successit exemplum. Nam si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit, & patriam: fortassis & nos seruando religionem, seruabimus etiam castitatem. Quòd si Iudith pudicitiam religioni preferre voluisset, perdita patria, etiam pudicitiam perdidisset. Itaque talibus informata exemplis, simul animo tenens verba Domini, quibus ait: Quicunque perdiderit animā suam propter me, inueniet eam: fleuit, tacuit, nè eam vel loquentē adulter audiret: nec pudoris elegit iniuriam, sed Christi recusauit. Existimate, vtrùm adulterare potuerit corpus, quæ nec vocem adulterauit. Iamdudùm verecundatur oratio mea, & quasi audire gestorum seriem criminosam atque explanare formidat.

Certamen duplex, castitatis & religionis.

Meretricē, Venerem dicit.

Iosu.2 & 6.

Iudith 10.

Matth.10.

Claudite aurem virgines: ducitur puella Dei ad lupanar: sed aperite aurē virgines Dei: Christi virgo prostitui potest, adulterari non potest. Vbicunquè Dei virgo est, Dei templum est: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Ingens petulantium concursus ad fornicem. Discite martyrum miracula sanctæ virgines, dediscite locorum vocabula. Clauditur intùs columba, strepunt accipitres foris: certant singuli, quis prædam primus inuadat. At illa manibus ad cælū leuatis, quasi ad domum venisset orationis, non ad libidinis diuersorium: Christe, inquit, qui domuisti virgini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes. Chaldæis rorauit ignis, Iudæis se vnda suspendit, misericordia tua, non natura sua: Susanna ad suppliciū genu fixit, & de adulterinis triumphauit: aruit dextera, quæ templi tui dona violabat. Nunc templum ipsum attrectatur tuum: nè patiaris incestum sacrilegij, qui non passus es furtum. Benedicatur & nunc nomen tuum, vt quæ ad adulterium veni, virgo discedam. Vix compleuerat precem, & eccè vir militis specie terribilis irrupit. Quemadmodùm eum virgo vt vidit, tremuit, cui populus tremens cessit? Sed non illa immemor lectionis: Et Daniel, inquit, supplicium Susannę spectaturus aduenerat, & quam populus damnauit, vnus absoluit. Potest & in hoc lupi habitu ouis latere. Habet & Christus milites suos, qui etiam legiones habet. Aut fortassè percussor intrauit. nè vereare anima: talis solet martyres facere. O virgo, fides tua te saluam fecit. Cui miles: Nè, quæso, paueas soror. Frater huc veni, saluare animā, non perdere. Serua me, vt ipsa serueris. Quasi adulter ingressus, si vis, martyr egrediar. Vestimenta mutemus: conueniunt mihi tua, & mea tibi, sed vtraque Christo. Tua vestis me verè militem faciet, mea te virginem. Benè tu vestieris, ego meliùs exuar, vt me persecutor agnoscat. Sume habitū, qui abscondat fœminam: trade, qui consecret martyrem. Induere chlamydē, quæ occultet membra virginis, seruet pudorem. Sume pileum, quod tegat crines, abscondat ora. Solent erubescere, qui lupanar intrauerint. Sanè cùm egressa fueris, nè respicias retrò, memor vxoris Loth, quæ naturam suam, quia impudicos licèt castis oculis respexit, amisit. Nec vereare, nè quid pereat sacrificio. Ego pro te hostiam Deo reddo, tu pro me militem Christo. Habes bonam militiam castitatis, quæ stipendijs militat sempiternis: loricam iustitiæ, quæ spiritali munimine corpus includat: scutum fidei, quo vulnus repellas: galeam salutis. Ibi enim est præsidium nostræ salutis, vbi Christus. Quoniam mulieris caput vir, virginis Christus.

Adducitur lupanari sancto virgo.

Teclam dicit.

Dan.3.

Iosuæ 3.

Dan.13.

Ibidèm.

Vide egregij militis exemplum.

Gen.19.

Ephes.5.

Et inter hæc verba chlamydem exuit: suspectus tamen adhuc habitus & persecutoris & adulteri. Virgo ceruicem, chlamydem miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cùm in lupanari de martyrio certarent? Addantur personæ, miles & virgo, hoc est, dissimiles

Vide certamen pietatis.

miles inter se natura, sed Dei miseratione consimiles, vt compleatur oraculum: Tunc lupi & agni pascentur simul. Eccè agna & lupus non solùm pascuntur simul, sed etiam immolantur. Quid plura? Mutato habitu, euolat puella de laqueo, iam non suis alis, vtpotè quæ spiritalibus ferebatur: & (quod nulla vnquàm viderunt secula) egreditur de lupanari virgo, sed Christi. At illi, qui videbant oculis & non videbant corde, ceu raptores ad agnam, lupi fremere ad prædam. Vnus, qui erat immodestior, introiuit: sed vbi hausit oculis rei textum: Quid hoc, inquit, est? Puella ingressa est, vir videtur. Eccè non fabulosum illud, cerua pro virgine: sed quod verum est, miles ex virgine. At etiam audieram, & non credideram, quòd aquam Christus in vina conuertit. Iam mutare cœpit & sexus. Recedamus hinc, dum adhuc qui fuimus, sumus. Nunquid & ipse mutatus sum, qui aliud cerno, quàm credo? Ad lupanar veni, cerno vadimonium: & tamen mutatus egrediar: pudicus exibo, qui adulter intraui. Indicio rei, quia debebatur tanto corona victori, damnatus est pro virgine, qui pro virgine compræhensus est. Ità de lupanari non solùm virgo, sed etiam martyres exièrunt. Fertur puella ad locum supplicij cucurrisse, certâsse ambos de nece, cùm ille diceret: Ego sum iussus occidi: te absoluit sententia, quandò me tenuit. At illa clamare: Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optaui. Si pudor quæritur, manet nexus: si sanguis exposcitur, fideiussorem non desidero: habeo vndè dissoluam. In me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Certè si pecuniæ te fideiussorem dedissem, & absente me iudex tuum censum fœneratori adiudicâsset, eadem me sententia conuenires, meo patrimonio soluerem tuos nexus. Si recusarem, quis me indignam morte censeret? Quanto maior est capitis huius vsura? Moriar innocens, nè moriar nocens. Nihil hìc medium est: hodiè aut rea ero tui sanguinis, aut martyr mei. Si citò redij, quis me audet excludere? Si moram feci, quis audet absoluere? Plus legibus debeo, rea non solùm fugæ meæ, sed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non sufficiebant iniuriæ. Est in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium declinaui, non martyrium tibi cessi. Vestem, non professionem, mutaui. Quòd si mihi præripis mortem, non redemisti me, sed circunuenisti. Caue quæso contendas, caue contradicere audeas. Noli eripere beneficium, quod dedisti. Dum mihi hanc sententiam negas, illam restituis superiorem. Sententia enim, sententia posteriore mutatur. Si posterior me non tenet, tenet superior. Possumus vterque satisfacere sententiæ, si me priùs patiaris occidi. In te non habent aliam, quam exerceant, pœnam: in virgine obnoxius pudor est. Itaque gloriosior eris, si videaris de adultera martyrem fecisse, quàm de martyre adulteram reddidisse.

Esa. 65. Iohan. 2. Certant inter se de nece virgo & miles.

Quid expectatis? Duo contenderunt, & ambo vicerunt: nec diuisa est corona, sed addita. Ità sancti martyres inuicèm sibi beneficia conferentes, altera principium martyrio dedit, alter effectum. At etiam Philosophorum gymnasia Damonem & Pythiam Pythagoreos in cælum ferunt: quorum vnus cùm esset morti adiudicatus, commendandorum suorum tempus poposcit. Tyrannus autem astutissimus, quòd reperiri non posse existimaret, petiuit vt sponsorem daret, qui pro se feriretur, si ipse faceret moram. Quid de duobus præclarius, nescio. vtrunque præclarum. Alter mortis vadem inuenit, alter se obtulit. Itaque dum reus moram supplicio faceret, fideiussor vultu sereno mortem non recusauit. Cùm duceretur, amicus reuertitur: ceruicem substituit, colla subiecit. Tunc admiratus Tyrannus chariorem Philosophis amicitiam, quàm vitam fuisse, petiuit, vt ipse ab his, quos damnauerat, in amicitiam reciperetur. Tanta virtutis est gratia, vt & tyrannum inclinaret. Digna laude, sed minora nostris. Nam illic ambo viri: hìc vna virgo, quæ primò etiam sexum vinceret. Illi amici, isti incogniti. Illi tyranno vni se obtulerunt, isti pluribus, hoc etiam crudelioribus, quòd ille pepercit, isti occiderunt. Inter illos in vno obnoxia necessitas, in his amborum voluntas libera. Hoc quoquè isti prudentiores, quòd illis studij sui finis, amicitiæ gratia: istis, corona martyrij. Illi enim certauerunt hominibus, isti Deo.

Damon & Pythias Pythagorici.

MARTYRIVM SANCTI PAPHNVTII ANACHORETAE, ET QVINGENTORVM QVADRAGINTASEX, qui vnà cum illo martyrium passi sunt: Authore Simeone Metaphraste.

28. Aprilis.



VIT, Imperatore Diocletiano, Arianus quidam Præses, qui per totã Aegyptum Christianos homines inquirebat, vt cogeret illos dijs sacrificare. Veniebat igitur in vrbem Genteriam, quo in loco erat Anachoreta quidã in solitudine, cognomento Abbas Paphnutius, vir iustus, & in tota illa regione insignis. Is apud Præsidẽ ipsum ob eam causam delatus erat, quòd deos sperneret, & Imperatorũ iussis aduersaretur. Arianus igitur Præses valdè contra eum indignatus, duobus Centurionibus præcepit, vt beatum Paphnutium, antequàm dies illucesceret, ad se vinctũ ducerent. Abbas verò Paphnutius nihil horum sciens, per montem ingrediebatur, illic pernoctans, vt consueuerat. Cui angelus Domini apparens: Salue, inquit, Paphnuti Christi athleta. Cui Paphnutius respondit: Saluus sis & tu, Domine. Sequere me, inquit angelus, vt coronem domum illam, quam à puero ædificâsti. Ingredere in cellulam tuam, & arma te lorica iustitiæ: & pallio sacro indutus, cælestem oblationem offeras: quoniam veni hodiè, vt te vocarem ad thalamum Domini tui, vt sine solicitudine aliqua fruaris Deo tuo. Iam enim delatus es apud Arianum Præsidem, qui præcepit ducentîs militibus, vt antequàm dies crastinus illucescat, te vinctum ad tribunal ducant. Sed esto bono animo, neque timeas: ego enim sum angelus ille, qui fui cum patribus tuis, & nunc tecum sum. Dominus autem te fortem reddet, facietque vt talis sis, qui Arianum Præsidem confundere valeas.

Angelus apparet S. Paphnutio.

Cùm igitur angelus hæc illi dixisset, beatus Paphnutius in cellulam suam ingressus, pallio & linteo se induit, ac post oblationem exijt ità hilaris, vt aliquis faceret ad conuiuium pergens. Angelus verò, manu eius appræhensa, cum illo de cælestibus mysterijs colloquens, ibat. Cumque ad Aegypti fluuium, qui Nilus nominatur, peruenissent, angelus ipse, quæ euentura illi erant, enarrauit: eoque salutato, in cælũ ascendit. Arianus aũt Pręses è proprio nauigio descendit, & in solio quodam sedit apud portũ ipsum, vbi omnes vicinarum vrbium magistratus honoris causa eum expectabant. Sedit autem in solio illo nihil aliud curans, nisì vt beatus Paphnutius capi posset. Ob id enim ducentîs militibus præceperat, vt illum comprætensum ad se ducerent. At beatus Paphnutius cùm eos anteuertisset, stetit in conspectu Ariani Præsidis, clamansque forti animo & voce libera, dixit: Christianus ego sum. Ego, inquam, sum Paphnutius ille, qui a te quæritur: Nè igitur militibus tuis meî quærendi molestiam adhibeas. Tu quidem exercitum tuum habes ad Christianos homines congregandos, & ad eorum sanguinem effundendum: nos verò habemus angelos ipsos, à quibus ad cæleste illud Dei regnum adiungamur.

Alacritas eius ad obeunda martyrium.

Ingẽs constantia corã Præside.

Arianus Præses intuens in illum, ait: Túne es ille desertor deorum atque impius Paphnutius, qui leges contemnis, & deos iustos aspernaris? Non sum, inquit Paphnutius, à Deo alienus, neque impius, sed Deo viuo à pueritia mea seruio. Tu verò, qui multos deos obseruas, alienus es à Deo ipso. Hæc cùm Præses Arianus audiuisset, stridens dentibus suis, ità dixit: Per deos illos immortales Apollinem & Dianã, pessimis supplicijs te affligam. Ac statìm iussit iusti viri manus & pedes ferreis vinculis cõstringi, & vnà cum aliis vinctis connumerari, inter fures & maleficos collocatum. Et Præses quidem ipse in vrbem abijt: beatus verò Paphnutius paulatìm incedebat propter vincula, quibus pedes ligati erant. Itaque seipsum pedetentim promouens, secum loquebatur: Paphnuti, Paphnuti, agnosce sortem hanc, quæ tibi euenit: recordare, quemadmodùm & Iesus Dominus inter duos latrones positus fuit.

Vincula ei iniiciuntur.

Cùm igitur Præses in vrbem introiuisset, statìm beati Paphnutij causam inquirebat. Qui ab iniustis illis militibus exagitatus, ad tribunalis gradum ascendit, Deiq; gloriam collaudabat. Statìm autem ferrea vincula è manibus ipsius & pedibus, velut quædam aqua, effluxerunt. Itaquè stetit ante Arianum Præsidem, qui ad eum ità locutus est: Quisnam, Paphnuti, furor te corripuit? Quarè non sacrificas istis dijs, sed pessimè tibi mo-

Vincula decidunt.

moriendum esse proposuisti? Cui Paphnutius: Christianorum, inquit, mors non est mors, sed vita sempiterna. Quamobrèm nulli sacrifico, nisi omnipotenti Deo meo, Regi omnium seculorum. Arianus verò Præses iussit illuc ferri clibanos, & ferrea iacula, ac sartagines oleo feruenti plenas: quibus omnibus circundato beato illi viro Præses dixit: Paphnuti, nisi mihi obedias, his omnibus cruciandus es. Ridens autē Paphnutius: Putásne, inquit, Ariane, ista tua tormenta mihi adeò terribilia videri, vt Deum meum negare velim? Auertat semper hoc Deus. Quinimmò illud tibi dico, nostras monachorum viuendi constitutiones longè plura tormenta in se continere: in multis enim exercitationibus nos tentamur. Sed noster Saluator ità nos corroborat, vt occulta satanę bella superare possimus. Idem rursùs & nos corroborabit ad istam tuam, quę nihil contra nos poterit, persecutionem superandam. Ridet proposita tormenta.

Tunc Arianus dixit: Multa, Paphnuti, verba facis, quæ meo tribunali ferenda non sunt. Porrò iussit beatum Paphnutium in armamentario suspendi & lacerari. Sanctus igitur Paphnutius suspensus est, & eousquè laceratus, quoàd ipsius intestina in humum deiecta sunt, & totum corpus sanguine conspersum fuit. Ille verò cùm oculos in cælum erexisset, Deum sic inuocauit: Domine Iesu Christe, non refugio dispensationē tuam. paratus enim sum mori pro nomine tuo: sed precor benignitatem tuam, nè permittas me priùs mori, quàm Arianum confundam, & eius manufacta simulacra. Tunc angelus Domini stetit ad dexteram sancti Paphnutij: cumq; eius intestina suscepisset, in ventrem ipsius ea coniecit, conclusitque, & ità sanum ipsius corpus restituit, vt si nunquàm anteà tormentis laceratum fuisset. Duo verò milites Dionysius & Callimachus cùm angeli manum, intestina beati Paphnutij sic in ventrem ipsius conijcientem vidissent, repentè Domino Deo crediderunt: cumque suas militares zonas dirupissent, in conspectu Ariani Præsidis steterunt, dicentes: Et nos Christiani sumus. Illis verò Arianus: Quidnam, inquit, vidistis, vt in talem insaniam conuersi, tribunal nostrum cōtemnatis, & audeatis iustos Imperatoris deos abnegare? Tunc milites vna voce responderunt: Quod vidimus, non possumus tibi enarrare. scriptum est enim in literis diuinis, quibus Christiani homines vtuntur: Nolite dare sanctum canibus, neq; proijcere margaritas vestras ante porcos. Ergò, inquit Arianus, me porcis similem iudicatis? Ad hæc milites dixerunt: Iustiores sunt porci & canes, quàm tu es. animal enim omne, quantunuis rationis expers sit, Dei ipsius nutui subijcitur, & tacitis vocibus eum laudat: tu verò Dominum ipsum aspernaris, & negas. His verbis Arianus valdè indignatus, iussit illos statìm obtruncari. Quarè extra vrbem ducti sunt: & securi percussi, martyrium suū compleuerunt, & in cælos ipsos gloriosè ascenderunt. Laceratur crudelissimé. Sanatur ab angelo. Matth.7. Duo milites obtruncantur.

Arianus verò Præses surrexit è tribunali, vt iret ad prandium, iussitque beatum Paphnutium in carcerem conijci. Milites igitur illum arreptum, in obscura quadam carceris cellula concluserunt. Crastino autē die beati Paphnutij causam Pręses non inquirebat, sed publicis rebus operam dabat, cogens duces exercitûs ac Præfectos res publicas expedire. Quas cùm illi non expediuissent, iussit eos in carcerē conijci. Erant autem omnes quadraginta. Nocte verò illa, qua in eo loco conclusi sunt, viderunt inibi lucem magnam, instàr Solis tempore ęstiuo exorientis, ità vt totus locus illustratus fuerit. Quo viso, Magistratus illi, qui conclusi fuerant, carceris custodē ad se vocârunt, & ab eo quærentes: Quænam, inquiunt, tanta vestra fuit audacia, vt ignem in carcerem inferretis, & eum comburere conaremini, vt & qui vincti sunt, fugam arripiant, & nos periclitemur? Respondit illis Præfectus carceris: Nunquàm, ô fratres, ignis huc allatus est: neq; ego parùm miror. iam enim duas noctes eodem modo hic locus effulsit, ex quo tempore Christianus homo Paphnutius in obscura cellula clausus fuit: neque omninò tenebræ in carcere fuerunt, sed lux per totam noctem apud nos effulsit, sicut sol ipse, cùm exoritur. Magistratus illi cùm hæc audiuissent, in eum locum accesserunt, vbi Paphnutius inclusus fuerat, & illic stātes, ipsum pro suæ ciuitatis & totius orbis terrarum salute orantem audiuerunt. Cumque cellulam aperuissent, intrauerunt, eumque manus erectas velut faces quasdam accensas effulgentes habentem viderunt, circa quem multa odoris suauitas inerat. Paphnutius in carcerem ducitur. Lux ingens carcerem illustrat.

Hoc cùm quadraginta illi Magistratus vidissent, eum adiêrunt atque adorârunt, cum quo & totam noctem transegerunt. Cùm verò dies illuxisset, Magistratus illi Paphnutium salutârunt. Ipse verò pacem eis optans: Pax, inquit, vobis sit, filij. Sed quinā estis? Tunc illi: Pręses nobis iratus est, & iussit in carcerem nos conijci rerū publicarum causa. Quibus ait sanctus Paphnutius: Etsi hodiè vobis pœna remissa fuerit, posthàc

quid opùs est denuò vos negocijs ciuilibus implicari? Quamobrèm audite me, & credite Deo meo: nam eius nomen confitentes, vestris iniquitatibus liberati fueritis, peccatorumque vestrorum chirographum delebitur: cumque cælestis Hierosolymę ciues effecti fueritis, scribentur vestra nomina in libro sanctorum viuentium in secula. Tum illi quadraginta Magistratus vna eademque sententia responderunt: Nos toto animo Deum tuum confitemur: fortassè enim hæc, quæ accidit, carceris occasio ad æternã libertatem nos perducet. Agitè, inquit beatus Paphnutius, surgite, eamus hinc, ô filij. iam enim vestra nomina scripta sunt in libro viuentium.

Credũt 40. Magistrat⁹ in Christũ.

Exijt igitur è carcere beatus Paphnutius, ab Ariano Præside requisitus, quem & Magistratus illi sequebantur. Cumque ad tribunal venisset: O tribunal, inquit, tribunal, ego contra te veni. Tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo. Hæc illum dicentem milites Præsidis circundederunt. Beatus autem Paphnutius statìm ità ex oculis eorum euanuit, vt non ampliùs videretur. Porrò quadraginta illi Magistratus statìm ad tribunal ascenderũt, clamantes, se Christianos esse. Arianus verò Pręses cùm illos inspexisset, indignatus: Quidnam, inquit, vobis accidit, aut quidnã habetis? Nunquid ægrè tulistis, quòd vos spreuerim, ob idque de vestra vita desperâstis? Magistratus autem illi vna voce dixerunt: Nos tuis fabulis mentem non adhibemus, sed cælestem spẽ nobis proposuimus, & breuia & caduca hæc dereliquimus, vt sempiterna illa bona recipiamus. Idque scias, verè nos de omnibus nostris facultatibus consultò tibi concessisse. Itaque redituum & nostrarum omnium possessionum potestatem habes. Vxores verò & filij nostri, si placet, nos sequantur.

Quænam ista vestra insania est, inquit Arianus? Vt video, non aliundè, nisi à deorum desertore Paphnutio, & magicis eius veneficijs hoc proficiscitur. Illi autem: Obmutescat lingua ista tua, quoniam contra sanctum Dei virum maledicta protulisti. Hæc cùm Præses Arianus audiuisset, ità indignatus est, vt statìm iusserit illos in supplicium agi: qui tormenta diuini amoris causa sustinuerunt. Eos enim nefarij ministri cùm in desertum locum abduxissent, & foueas effodissent, easque igne impleuissent, beatos ipsos viros illic combusserunt. Stabat autem sanctus Paphnutius supra singulos rogos, sanctorum virorum animas quasi proprijs manibus excepturus. Combusti sunt autem quadraginta illi Magistratus, & vno eodemque die martyrium eorum perfectum fuit, qui sempiternum brauium receperunt.

Igni comburuntur.

Beatus verò Paphnutius cùm per vrbem ambularet, vidit ianuam cuiusdam ditissimi hominis patefactam. Erat autem viro illi nomen Nestorius. Accessit igitur, & mulieri, quæ ianuam custodiebat: Da, inquit, mihi, filia paulùm aquæ, vt bibam. Cui ancilla dixit: Ingredere Pater. Nouerat enim eum virum, quoniam propter multa egregia illius facta inter Anachoretas celebrabatur, & eius vita valdè laudabatur. Cùm igitur eius adspectum vidisset, libentissimè illum accepit: cumque ad heram suam accessisset: Egredere, inquit, celeriter, vt beatum Paphnutium videas, per quem multa signa facta sunt sub Ariano Præside. Illa statìm cucurrit, & ad domûs suæ atrium venit, viditq; beatum Paphnutium stantem, vt angelum Dei, eumque adorans, ait: Verè tota vita mea non tanti est, vt tua præsentia digna sit: magni certè fecit me Deus meus, quòd hoc tectum tuo ingressu dignatus fuerit. Cumque illum manu appræhendisset, in propriam domum introduxit, & in sede argentea collocabat. Ridens autẽ beatus ille vir: Quorsùm, inquit, multum istud aurum, quod video, tam impressum, quàm rude? Vana & inani spe vos iactatis. Audi me igitur filia, & elige tibi vitam angelicam, & immortalium bonorum conciliatricem institutionem.

S. Paphnutius contemnit mundi opes.

Cùm hæc audiuisset eius mulieris filia, quæ intra cubiculum erat, statìm exijt preciosam vestem ferens. Beatus igitur Paphnutius humì sedit, & duæ illæ mulieres ad pedes ipsius sederũt. Quibus dixit beatus Paphnutius: Derelinquite istas inanes diuitias, quoniam rubigo aurum corrumpet, & tineæ vestes istas absument, pulchraq; formæ species in sepulcris ipsis vertetur in deformitatem: sola Dei gloria & regnum ipsius in æternũ permanet. Cùm adhuc beatus Paphnutius hæc ad Dei seruas loqueretur, eius mulieris vir Nestorius domum venit. Præcurrens igitur mulier, occurrit viro, vt ei de sancto illo homine significaret. Nestorius verò vxorem anteuertens: Quarè, inquit, tali bono dignus factus nõ fui, vt vnà cum collegis meis comburerer, qui ob hanc causam æternam vitam sunt assecuti? Vtinàm inuenissem iustum illum virum Paphnutium, & in domum nostram duxissem, qui pro nobis Deum oraret, vt ab eo vocaremur, & glorioso ipsius regno digni efficeremur.

Tum

Tum ei vxor: Celerrimè votis tuis satisfactum est. Ingredere domum, & vide sanctũ Paphnutium omni virtute ornatum. Cùm igitur introiuisset,& sanctum virum inuenisset, eum adorauit. Cui beatus Paphnutius: Surge, inquit: Iesus enim Christus Dominus meus mihi præcepit,vt ad vos diuerterem: nanque habet vos pro vasis necessarijs paratos. Nunc autem nè sitis negligentes. Surgite, eamus, & confiteamini Dominum nostrum Iesum Christum coram Ariano Presíde: non enim semper tale certamen proponitur,neque brauia vbiquè sunt. Eamus,inquam,eamus, ô filij, vt celerrimè coronas accipiamus. Beatus igitur Paphnutius cùm surrexisset, præibat: ipsi verò eum sequebantur. Cumque Nestorij vxor è domo exijsset, sic orauit: Domine Iesu Christe, en vt ianuam ipsam patentem reliqui,neque illam clausi: & tu ergò, Domine,portas cęli mihi patefacias. Beatus igitur Paphnutius illis præcurrens,& ante tribunal consistens: Tribunal, inquit,tribunal,contra te rursùs veni. Tu cum Apolline tuo,& ego cum Domino meo Iesu Christo. Nestorium &c. ducit ad martyrium.

Arianus tunc quandam causam iudicabat: qui se conuertens, voluit sanctum Paphnutium proprijs manibus detinere: sed angelus Domini subitò ipsum ab eo arripuit. Nestorius autem,& vxor illius,& filia,sublimi voce & libera oratione se Christianos esse professi sunt. Arianus cùm Nestorium vidisset,intuens in eum: Itàne,inquit,& tu,Nestori,ab eodem insaniæ fonte potum sumpsisti? An nescis, latrones & sacrilegos in hoc meo tribunali condemnari? Adora igitur iustos Imperatorum deos, & redi domum tuam honoratus cum vxore tua & filia. Tum Nestorius respondit: Nè sis tu de his rebus solicitus: non enim talis sum,vt ventre alliciar,vel patris tui diaboli illecebris decipiar, vel iniquitatis ipsius,quæ mater tua est,assentationibus circunueniar. Conuersus Arianus ad puellam: Quodnam,inquit,est nomen tuum? Illa dixit: Stephana ego vocor. Sacrifica,inquit Præses,dijs Stephana,& à me multos honores percipies. Tunc illa respondit: Nunquàm prophanis dijs tuis & impuris dæmonibus sacrificabo: sed corpus meum hostiam viuentem,cælestique Deo meo gratam offero. Hæc cùm audisset Arianus, iussit illam in armamentario in conspectu parentum suspendi.

Abrepta igitur à carnificibus puella,suspensa lacerabatur. Erat autem annos decem & octo nata,forma valdè bona. Milites igitur eius latera discerpserunt. Itaque totum ipsius corpus sanguine cõmiscebatur. Ad cuius sinistram partẽ mater ipsa stans, & animum addens, dicebat: Sustine, filia, adhuc paululùm, & brauium tuum recipies. Scis quemadmodùm dotem tibi præparaueram, quantam nemo in ciuitate nostra adhuc dedit,cùm vellem primo ciuitatis nostræ viro vxorẽ te collocare. Nunc verò, filia mea, sempiternam & veram hæreditatem percipias. tuus enim sponsus immortalis, est Iesus Christus,ad quem nunc abis in cælestem illum thalamum. Hæc cùm mater diceret,etiã pater similiter illam his vocibus hortabatur: Esto fortis,ô filia. hodiè enim cognoui me Deo dignum factum: itaq; gaudeo & exulto, quòd te Deo ipsi donũ præmitto. Cùm adhuc parentes illius hæc dicerẽt, milites, qui eam lacerabant,ad eius hepar lacerandũ iam deuenerant: ac statìm puella spiritum Deo tradidit: quam parentes proprijs manibus in monumento deposuerunt. Deindè ante Arianũ stantes, deos ipsius contumeliosè appellare cœperunt. Iratus igitur Præses,iussit illos statìm obtruncari. Suum itaque martyrium in Christo & ipsi compleuerunt,& gloriosè in cælum profecti sunt. Stephana dirè cruciatur. Mater eam egregiè cõfirmat. Item pater. Nestorius cum vxore perimitur.

Beatus verò Paphnutius ibat per totam ciuitatem, quærens qui ad brauium ire vellent: noctes autem in diuinis precibus transigebat. Cumque exijsset ab vrbe, inuenit sexdecim pueros ad gymnasium euntes, illorum Senatorum filios, qui martyrium sustinuerunt. Beatus igitur Paphnutius, cùm ante illos stetisset, eosque salutâsset: Miror, inquit,filij,quòd velitis à vestris parentibus abalienari, qui Christi regnum sibi delegerunt,& in cælis regnant, nuncque in illa sanctorum Dei metropoli cum angelis eius se oblectant. Obedite igitur mihi, ô filij, & credite Deo meo, in quem & parentes vestri crediderunt, ac me sequentes, veniatis ad Arianum Præsidem, & confiteamini Iesum Regem seculorum,& vno animo eatis ad cælos ad illum veritatis magistrum,& vera disciplina erudiamini. Statìm puerorum mens verbis beati Paphnutij confirmata est. Itaque simul Deo crediderunt, dicẽtes: Eamus,eamus, Pater Paphnuti: nihil impedimento sit nostræ alacritati. iam enim à mundo hoc alienati sumus, & corda nostra in cælis ipsis versantur,vbi est & domus parentum nostrorum. Beatus igitur Paphnutius ante illos currebat, velut aliquis pastor gregem suum ducens: cumque ad tribunal venisset, clamans voce magna: Tribunal,inquit,tribunal, contra te denuò veni. Ariane Tyranne, tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo. Arianus autem iussit 16. pueri credũt in Christum.

milites gladios educere, & beatum Paphnutium circundare: sed subitò ille à Spiritu sancto ereptus fuit.

Liberè eum confitētur. Id cùm sexdecim pueri vidissent, ascenderunt ad tribunal, vociferantes: Christiani nos sumus: en vt liberè hoc dicimus. Quibus Arianus: Vbinàm sunt parentes vestri? An, vt infantes, vos petulantes estis? Habemus, inquiunt pueri, ætatem ad respondendum tibi valdè idoneam. Nos sumus illorum filij, qui martyrés fuerunt, & nunc apud Deũ sunt. Sacrificate, inquit Pręses, nè corpora vestra sub tormentis dispereãt. Respondentes autẽ pueri, dixerunt: Crucia nos quibusuis tormentis: non enim sacrificamus. Arianus verò cùm in illos intuens, quendam vidisset alijs natu minorem, annum ferè decimumtertium agentem: Quidnam, inquit, ô fili, tibi proderit, si morte pessima sublatus fueris? Quin potiùs audi me, fili mi, vt apud nos sis, & plurimas pecunias tibi largiar, scribamque ad Imperatores, qui honore te decorabunt, modò iustis dijs Apollini & Dianæ sacrifices, de quibus & diuina Imperatoris maiestas scripsit, quòd hi sunt dei viui. Tunc puer: Et vbinàm est Imperatoris edictum, in quo de ipsis dijs ità scriptũ fuit? Tunc Arianus iussit edictum proferri. Quod cùm sacerdotes sumpsissent, ipsum adorârunt. Similiter & Præses assurrexit, & edictum amplexatus est, pueroque dedit. Illud cùm puer accepisset ac legisset, inuenit septuaginta deos in illo scriptos, de quibus Diocletianus scripserat, vt adoratio & libamen eis offerretur. Iussit autem Arianus ignem ad aram accendi: cumque thus accepisset tam ipse, quàm reliqui homines, in ignem coniecerunt. At puer pro thure ipso Imperatoris edictum in ignem coniecit, dixitque: Vnus est Deus Pater Domini nostri Iesu Christi: qui verò in edicto Imperatoris tanquàm dij scripti sunt, igne redarguentur.

70. dij Diocletiani.

Puer 13. annorum fit martyr. Sacerdotes autem cùm suorum idolorum libellum comburi vidissent, vellebãt crines è capitibus suis: & in furorẽ conuersi, gladijs se lacerabant. Arianus ea re indignatus, iussit puerum in aram tolli, & viuentem comburi. Illum igitur abreptum milites in mediam ardentis ignis flammam iniecerunt. Aequales verò pueri alta voce sic eum rogabant: Frater & consors nostrorum certaminum, memento nostrî apud altissimum Deum: nam propter tuam prudentiam primitię Deo ipsi & sacrificium tu ante nos oblatus es. Itaque & Præses animi tui fortitudinem, & ipsi Græci prudentiam tuam obstupuerunt. Hæc cùm illi dicerent, puer spiritum suum in medio igne Deo reddidit. At Præses maximè indignabatur, quòd Imperatoris edictum combustum fuerat: quamobrèm cùm reliquorum puerorum nomina denotâsset, iussit illos iaculis transfigi. Statìm igitur milites extra vrbem illos circundederunt, & quindecim pueros illo die iaculis transfixerunt: perfectumque fuit illorum martyrium, & immortale Dei regnum ipsi etiam possederunt.

15. pueri martyres.

At sanctus Paphnutius circumibat, vt pastor aliquis inquirens oues in deserto errantes. Cumque ab vrbe exijsset, & vsq; ad fluuij portum venisset, vidit homines apud portum octogintaquatuor numero, qui erant piscatores. Accessit igitur ad illos beatus Paphnutius. Homines verò illi inter se dicebant: Verè hic est Paphnutius, anachoreta ille insignis: ac statìm subligaculis se induentes, obuiàm valdè celeriter illi processerũt, quem & inclinatis capitibus adorârunt. Beatus verò Paphnutius illis benedicens: Saluete, inquit, filij, nunc deligo vnumquenque vestrûm, quoàd sanctam ciuitatem habitauero, hoc est, domum Patris nostri, qui in cælis est, & tabernaculum eorum, qui sunt fratres mei in Christo. Quarè autem ità ociosè per totum diem hìc cessatis? Quarè & vos non iuistis ad opus faciendum in vinea Domini mei? Quarè ità segnes estis, certamine ipso & brauio proposito? Obedite mihi, & credite Domino meo Iesu Christo Regi seculorum, & Christianorum Saluatori. Confiteamini eius nomen vnius horæ spatio, & ipse vobis æternam vitam largietur, facietque, vt ante vos veniant angeli lucis, & veros athletas effectos, in regionem viuorum cum gaudio perducant.

84. piscatores credunt. Cùm igitur illi hæc a beato Paphnutio audiuissent, repleti Spiritu sancto, statìm Deo crediderunt, & ad vrbem celeriter peruenerunt. Erant autem omnes, vt diximus, octogintaquatuor numero, Ariani Præsidis piscatores, qui cibos mensæ ipsius parabãt. Beatus verò Paphnutius ante illos currens, ascendit ad tribunal, & clamans: Tribunal, inquit, tribunal, contra te rursùs veni. O Ariane, tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Iesu Christo. Arianus autem Præses iussit militibus Paphnutium circundare. Quem cùm illi comprehendissent, ligauerunt. Illi autem octogintaquatuor viri ascenderunt ad tribunal, velut leones in querceto exultantes, ac liberè clamabãt: Christiani sumus & nos. Arianus Præses eis dixit: Quis vos decepit, vt pessimè moriamini? Tunc illi

illi vna voce responderunt: Concordi animo huc venimus, vt te confundere possimus. Arianus Præses: O scelestissimi, inquit, homines, honorificè vobiscum me gero, ob idque me contemnitis? Quod cùm dixisset, iussit illos flagellis cædi. Ipsi verò octogintaquatuor homines eodem animo irruentes, euerterunt solium Præsidis. Itaque milites strictis ensibus illos percusserunt: & Præses eos iussit in supplicium agi. Statimque iniusti illi milites in desertum locum ductos securi percusserunt: atque ità illlorum martyrium completum fuit: qui & ipsi coronam immortalitatis receperunt in Christo Iesu Domino nostro, Amen. Capite plectuntur.

Post hæc Arianus cùm beatum Paphnutium ad se accersiri iussisset: Desertor, inquit, deorum & venefice, faciam vt omnes, qui hîc præsentes sunt, cognoscant Iesum Christum, quem appellas, talem non esse, qui liberet te de manibus meis. Statimque iussit Paphnutium in rotam ferream extolli. Rota verò illa talis constructa erat, qualis serra fabri esse solet, à parte superiore gladij aciem, inferiore autem serræ cuspidem habens. Qua rota cùm valdè beatus Paphnutius laceraretur, in quatuor partes discerptus est. Arianus autem cùm hoc vidisset, vocem extulit ac dixit: Vbi nunc est Iesus ille Paphnutij Deus? Quarè non venit, vt ipsum è manibus meis liberaret? Cognoscite saltē nunc, non esse alium Deum, nisi Apollinem, Iouem, Dianam & Palladem. Hi sunt dei viui, qui nostro Imperatori maiestatem imperandi contulerunt. Iussitque impius ille Præses beati Paphnutij corpus supra fastigium templi, quod est in illa vrbe, poni, futurum sperans, vt volucres cæli venirent, & ipsius carnes deuorarent. Fecerunt igitur milites, quod iussi fuerant. Arianus verò surrexit è tribunali, & in prætorium suum abijt: erat enim hora prandij. Immane S. Paphnutij supplicium.

At beati Paphnutij corpus iacebat in templi fastigio, neque auis aliqua illuc ad Paphnutium aduolabat. Angelus enim Domini corpus sancti viri contexerat. Et ecce Dominus ipse descendit cum Archangelis, habens à dextra Michaëlem, & à sinistra Gabrielem, qui eius corpus conglutinauit atque instaurauit, dicens: Manu mea primum illum hominem formaui, eadem illa manus instaurat te nūc electum meum. Cumque hæc Saluator dixisset, in eum insufflauit, & anima in eius corpus redijt: quem virum Saluator ipse spiritu fortitudinis repleuit, & postquàm eum amplexatus fuisset: Vade, inquit, & impudentem Præsidem redargue, qui nomen meum conuiciatur. Cùm hæc dixisset, in cælos ascendit, & iustum illum virum lucida quadam nube circundatum, è templi fastigio in terram demisit. Abijt igitur beatus Paphnutius indutus nube, tanquàm vestimento, & Arianum quæsiuit: quem inuenit in platea sceleratos quosdam homines iudicantem: cumque ante illum repentè stetisset, clamans: Ego, inquit, sum Paphnutius, à te discerptus. Quarè conuiciaris nomen Dei mei, & contumeliosè appellas eum, qui cuncta creauit? En vt Dominus meus Iesus Christus me in priorem formam restituit, ac misit, vt arguam te insipientæ tuæ, & ijs, qui hîc sunt, persuadeam, vt te mortalem agnoscant, & mortuis simulacris seruientem. Christus corpus eius instaurat.

Eusebius Præfectus, cùm beatum Paphnutium à mortuis excitatum vidisset, credidit Domino Iesu cum militibus suis: quos cùm recensuisset, inuenit quadringentos. Eis verò dixit: Fratres, mecum sentite, & mihi obedite: Christum confiteamini, vt sitis eius milites, qui Paphnutio denuò vitam dedit, eumque misit ad redarguendum Arianum, quòd circa idolorum superstitionem multùm erret: idque fecit, vt omnes ipsi credant, quòd non sit alius Deus, nisi vnus, qui in cælis est. Curemus igitur, vt sicut ego vos recensui, ità Dominus noster Iesus Christus Rex seculorum, nos recenseat in cælis cum omnibus sanctis suis. Cùm hæc Eusebius Præfectus dixisset, stetit ante Arianum Præsidem, ac liberè clamans: Christianus, inquit, ego sum. Similiter & eius milites quadringenti clamauerunt vna voce: Christiani sumus & nos: en liberè lòquimur. Arianus Præses tunc Eusebio dixit: Minimè in mea potestate tu es: abi ad ducem tuum, vt ille te iudicet. Cui Eusebius: Omnium, inquit, potestas tibi data est. At Arianus: Non curo Christianos vlcisci. Tunc Eusebius dixit: Confitere igitur, non esse alium Deum, nisi vnum, qui in cælis est, & ista vestra manufacta opera nihili esse. Minimè, inquit Arianus, hoc dicam: nunquàm hoc eueniat: viui enim sunt Apollo & Diana. Eusebius præfectus cum militibus 400. credit.

Tunc Eusebius Præfectus, cùm manum suam puluere impleuisset, in eius faciem conijciens: Fac, inquit, opera patris tui diaboli. Arianus ea re indignatus, iussit flagellis illum verberari, & ait: Minimè, Eusebi, te celeriter interficiam, sed paulatim cruciabo, & tormētis te affligi sinam, quoàd iudicium meum à te contemptum fuisse Imperator Diocletianus audierit. Respondit Eusebius: Per imperium regni Domini mei Iesu Eusebius flagellatur.

MARTYRIVM SANCTORVM MAXIMI, DADAE ET QVINTILIANI, EX SIMEONE METAPHRASTE:

qui quidem in annotandis hac in historia Imperatoribus & Consulibus, incertum est, quem authorem sequatur: nisi fortassè alicuius imperiti librarij vitio nomina sunt deprauatè scripta.



VO tempore imperabant Maximus & Maximianus, homines valdè impij, Consulibus Tarquinio & Gabinio, secundo eorum Imperij anno, diaboli furor aduersùs Christianos homines erupit. Cùm igitur Consules ipsi orbem terrarum pro Consulatus munere curarent, illo ipso anno edictum ediderunt in hanc sententiam: Licèt omnes vos nobis subiectos, deorum cultui deuotos esse sciamus, nihilominùs tamen cùm huius magistratûs, qui secundùm Imperatorem primum locum obtinet, curam susceperimus, omnes eos, qui nostris temporibus regiones istas incolunt, rogamus, vt circa deorum cultum atque charitatem omni ratione ac studio paratos se præbeant. Si quis autem depræhensus fuerit Christi mentionem faciens, quacunque in parte fuerit, is nostram iram aduersùs se concitabit. Hæc cùm populus audiuisset, magno concursu properabant omnes ea facere, quæ edicto illo continebantur. Ijdem ad diem constitutam suos Magistratus salutârunt, dominis suis gratiam & felicitatem exoptantes, quippe qui deorum cultui talem curã adhiberent. Tunc Consul Tarquinius: Quoniam, inquit, vos ità promptos inueni, faciendum iudico, vosque hortor, vt crastino die accedentes, dijs ipsis sacrificium offeratis: cumque è longinquis regionibus conueneritis, nobiscum vnà vos oblectetis. Posteà verò in suam quisque patriam reuertetur. Aprilis 28. Edictum Consulum.

Postero igitur die omnes venerunt, dijs suis sacrificia oblaturi. Quo facto, Tarquinius Consul, vt promiserat, illos dimisit. Post hæc autem homo quidam furiosus Tarquinium adijt, eiq; dixit, tres viros esse, qui hesterno die ipsius edicto parere, & dijs immolare noluerunt, quippe qui dicerent solum Deum, qui in cælis est, à se coli. Hæc cùm audîsset Tarquinius, misit ministros suos, qui eos compræhenderent. Ministri autem illi cùm ad prædium venissent, quod appellatur Ozobia, illos inuenerunt Deum precantes: quos compræhensos & ferreis catenis ligatos, celeriter à satellitibus custoditos duxerunt. Illi igitur cùm vesperè ingressi fuissent ad Tarquinium, ei nunciârunt, compræhensos esse homines illos, qui Christianos se esse dicerent. Tum illis Tarquinius: Hoc, inquit, tempore tam repentè illos non accipiam, sed vestræ fidei vsque ad matutinam crastini diei horam seruandos committo. Milites igitur, vt iussi fuerant, ipsos custodiêrunt. At illi per totam noctem Deum precantes, dicebant: Largire nobis, Domine Iesu Christe, tuam cęlestem potentiam, quæ nobis auxilium ferat, vt possimus aduersarios nostros vincere, & pro tua benignitate dignos nos facias, qui victoriæ coronam reportemus. Compræhenduntur sancti martyres.

Cùm igitur dies illuxisset, iussit Tarquinius sanctos illos viros coram se duci. Quos cùm vidisset atque inspexisset: Istíne, inquit, sunt, qui nostra iussa contempserunt, & pro suo arbitrio Dei cultum tenent? Mox autem ad illos conuersus, ait: Primùm dicite vestra nomina. Cui sanctus Maximus respondit: Ego secundùm fidem nostram in Domino Iesu Christo sum Christianus vnà cum ijs fratribus meis: vt verò homines me appellant, Maximus vocor. Huic Tarquinius Consul: Ità profectò respondisti, quasi clericus, non dijs nostris, sed alteri cuipiam inseruiens. Ille verò alius, qui te sequitur, & nobis in eadem re aduersatur, quo nomine dicitur? Tum ille: Dadas, inquit, ego vocor, qui talis & ipse sum, qualem & frater noster se esse priùs dixit. Dein Tarquinius: Tertius autem ille quo nomine vocatur? Quintilianus, inquit ille, ego appellor, qui & ipse Christianus sum. Offeruntur Consuli.

Hæc omnia Magnilianus notarius excepit, quæ, iubente Consule, recitauit. Tunc Tarquinius illis dixit: En vt in manibus nostris vita vestra nunc est. Si igitur vultis viuere, ite, & matri deorũ immolate, eiusq; sacerdotes estote: illius enim sacerdos mortuus est, & ad magnum Iouem ac cælestem regem abijt, vt illi ministret. Tunc sanctus Maximus: Non te pudet, inquit, homo pessime & impudẽtissime, neque vereris Domini Maximi in dicendo libertas.

ac

ac Dei nomen ità nominare, vt adulterum illum Iouem, cælestem regem esse dicas? Scitote, ô stolidi homines, Christum esse Regem illum cęlestem, qui omnibus prouidet, & omnia in manu sua continet. Hæc dicimus, vt illud cognoscatis, quòd nos perniciosa ista iussa seruare non possumus: nos enim omnibus modis cælesti Deo seruimus, quippe qui eius manu formati sumus.

Gabinius Consul, cùm Dadam & Quintilianum ad se vocâsset, multis inanibus verbis illos adhortabatur, si fortè posset eos capere, & cum illorum pernicie ad propriam voluntatem attrahere. Tunc sancti viri Dadas & Quintilianus ei responderunt: Nos assentimur ijs, quæ à fratre nostro Maximo dicta sunt, eaque comprobamus: quoniam ipse est Catholicę Ecclesię lector, & diuinam scripturam benè nouit, scitque quid nobis facere expediat. Tu verò dæmonum insania deceptus, ignoras quid cõducibile tibi sit. Nam si velles id facere, quod tibi expediret, vnũ illud cæleste lumen contemplari potuisses. Tũc Gabinius Consul vnà cũ Tarquinio dixit: En quot modis vos adhortati sumus: sed imperio nostro parere non vultis, & pergitis insanire. Vos, inquit Maximus, insani estis, qui homines rectè viuentes, & soli Deo seruientes, ad dæmonum superstitionem attrahere vultis. Facite igitur quicquid vobis placuerit: nos enim à proposito nostro ac voluntate nullo modo abducetis. Tum Gabinius & Tarquinius Consules inter se consultabant de ijs, quæ à sanctis illis viris dicta fuerant: iusseruntque sanctos martyres in carcerem reduci: qui deindè ibant de propria salute loquentes.

Item Dadæ & Quintiliani.

Reducũtur in carcerem

Media verò nocte sanctus Maximus legens diuinas literas, Dadam & Quintilianum multùm erudiebat. Cumque dormirent, diabolum ipsum armis præcinctum & secum pugnantem in somnis viderunt. Cùm verò experrecti fuissent, apparuit illis angelus, dicens: Nolite timere. Deus enim ille, cui vosipsos tradidistis, vos sustentat, neque à vobis longè abest. Hac oratione illi viri sancti corroborati, vsque ad matutinũ tempus Deum ipsum collaudabant. Consules verò tunc illos duci, & coràm sisti iusserunt. Quod cùm ministri fecissent, Gabinius Consul dixit: En in conspectu nostro statis: nunc igitur vos hortamur, vt euntes dijs immoletis: non enim tenues aut mediocres honores à nobis percipietis. At si nobis parere non vultis, mortem vobisipsis adsciscetis: quoniam nostri dij hac nocte nobis dormientibus hoc dixerunt. Et nobis, inquiunt sancti martyres, Dominus Deus noster nobis dormientibus dignatus est hoc reuelare, vt pro nomine ipsius omnes cruciatus sustinere velimus. Tunc Tarquinius Gabinio dixit: Homines isti nisì tradantur supplicijs, nullo modo eis persuadere poterimus. Huic Gabinius respondit: Cùm ipsi hoc velint & confirment, eius rei culpam sibi adscribant.

Ab angelo corroborantur.

Itaque iusserunt ministris, vt eos exuerent. Quibus exutis, Gabinius ministris præcepit, vt illos illigatos nudos in terram extenderent, & flagellis verberarent. Id cùm ministri audiuissent, celeriter fecerunt quod iussi sunt. Tarquinius verò ministris præcepit, vt eos interrogarent, an Consulibus parere vellent, & dijs immolare: quod si facere noluissent, alia supplicia paranda esse nunciarent, ità vt acerbissimis tormentis afflicti, de vita discederent. Cùm igitur sancti martyres à ministris interrogati fuissent, tanquàm vno ore loquentes dixerunt: Nos à Deo ipso roborati, vestra tormenta contemnimus, neque istis iniquis iussis assentimur, vt dæmonibus sacrificemus. Ministri verò cùm hæc ab illis audiuissent, Consulibus ea retulerunt. Tarquinius autem dixit: Si nobis obtemperare isti nolunt, eos in carcerem conijcite, quoniam prandij hora nunc est. Cùm verò septima hora transisset, iusserunt sanctos illos viros ante tribunal sisti. Qui cùm præstò essent, Gabinius Consul, Num, inquit, Maxime, aliquid rectè deliberâsti, vt dijs sacrifices? Respondit S. Maximus: Minimè nos tale consilium suscepimus. nam, sicut & anteà tibi diximus, neminem alium nos adoramus, nisì Dominum nostrum Iesum Christum, cum Patre & sancto Spiritu. Tunc Gabinius iratus, sanctis martyribus dixit: Nisì rectè sapere vultis, & dijs ipsis sacrificare, vos perdam, & in loca quædam deserta mitti, & illic vestra capita statim abscindi iubebo. Hæc cùm sancti martyres audiuissent: Obtestamur, inquiunt, te, vt facias, quod de nobis constituisti. Tunc Consules ipsi iusserunt in propria loca eos abduci, & illic obtruncari. Itaque sancti martyres sententiam de se latam accipientes, Dei gloriam ità collaudabant: Domine Iesu Christe, qui liberâsti nos ab hoc præsenti & pessimo seculo, dignare nos, quæsumus, tua illa cælesti requie, vt & nos possimus incorruptum & cæleste regnum tuum possidere, qui benedictus es in secula, Amen.

Flagellis cæduntur.

Cùm autem venissent sancti martyres in eum locum, cui nomen est Ozobia, & Christi signo corpora signauissent, & sancto spiritu firmati essent, à carnifice securi percussi sunt,

Signant se cruce, & cę.

ſunt, quemadmodùm à Conſulibus decretum fuerat. Itaque Deo illi, cui crediderant, ſancti martyres animas ſuas reddiderunt. Paſſi ſunt autem, Maximus, Dadas & Quintilianus, 28. die menſis Aprilis, imperantibus Maximo & Maximiano, Tarquinio & Gabinio Conſulibus: in nobis autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui gloria eſt & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. duntur ſecuri.

DE SS. Agapio & Secundino Epiſcopis quære 30. Aprilis.

VITA S. HVGONIS V. ABBATIS CLVNIACENSIS, AB HVGONE, MONACHO CLVNIACENSI

eius æquali, conſcripta: ſed identidèm nonnihil dictionem correximus.

PRAEFATIO AVTHORIS.

PAtrum Cluniacenſium Conuentui ſancto, ſeruus Hugo. Charitas, quæ libera ſeruit, pijs me iuſſionibus parere compellit. Præcepto ergò, non præſumptione, ſuſcepi de beato Hugone, licèt indignus, aliquid dicere: nec eis præiudico, qui ante me de ſancto eleganti ſcripsêre calamo: ſed noſtris ſeruio, dum quædam ab eis omiſſa colligo, profuſiùs edita contraho: nè occupatos onerem, multa prætereo.

VITÆ HISTORIA.

HVgo iſte, quem deditus ſermo proponit, ex illuſtri nobilium proſapia Burgundionum originem duxit. Pater eius fuit Dalmatius, princeps egregius, Samurenſis dominus. Mater eius Erenburgis, genere inſignis, vita laudabilis. Hic puer intemperantiam aulicorum ſectari noluit, conſuetudinem cum ſimplicitate retinuit, impudicos raptores abhorruit, pietati ſeruire deuotus elegit. Vndè factum eſt, vt inuitis parentibus ad monaſterium fugeret, ſanctique Odilonis Cluniacenſis Abbatis magiſterio ſe commendaret. Factus itaque monachus, ad tantū mox religionis apicem aſſcendit, vt quos imitari venerat, his imitandus extiterit. Pro meritis igitur Prior congregationis effectus, quàm diſcretè, quàm ſtrenuè ſui debita peregerit officij, noſtræ narrationis compendium non ſinit explicare. Tandèm piùs Odilo, viuēs in Chriſto, carne ſolutus eſt, miraculis coruſcus. Cui ſanctus Hugo dignè ſuccedens, ſua ſæpè præſentia dęmones effugabat. Nam Stephano Papa apud Florentiam decūbente, dum viſitaturus accederet, cumque ſanctis conſolationibus & oratione releuaret, dæmon, qui morituro manifeſtus aduenerat, territus exijt: ſanctoq; à Papa recedente iterùm redijt. Qua de cauſa ſæpiùs ad ſe patrem Papa reuocauit, ſæpiusque dæmonem reuocatus abegit: ſicut ipſe Pontifex præſentibus reuelauit: qui poſtmodùm ſancti ſe precibus cōmendans, in eius manibus ſpiritum reddidit, ſancta confeſſione præmunitus. 29. Aprilis. S. Hugonis parentes. Fit monachus. Item Prior. Fit Abbas.

Mirandis piùs miranda ſubiungo, quæ referentibus viris authenticis probata cognoſco. Hæc ſanè referunt Gaufridus de Monte ſancti Vincentij, & Rainaldus Heduenſis, qui adhuc præſentes ſunt. Dux Burgundiæ Robertus Haganonem Heduorum epiſcopum nimia infeſtatione grauabat, varijsque prædonum incurſibus paſsim Burgundia laborabat. Eapropter Gaufredus Lugdunenſis, Hugo Biſuntinenſis, Achardus Cabilonenſis, & Drogo Maſticenſis, Heduam conuenerunt, magnique patrem conſilij, prædictum Hugonem Cluniacenſem Abbatem, venire rogauerunt. Aderat illuſtrium multitudo virorum, populus confluebat infinitus, pro pace ſupplicans indefeſſis clamoribus. Adueniens ipſe Dux, immò tyrannus, Heduam intrauit, ſed faſtu maligno intereſſe conuentui recuſauit. At pater Hugo feruore charitatis permotus, tyrannum adijt, eumque vehementer increpans, cunctis mirantibus, tanquàm ouem mitiſſimam ſecum adduxit. Epiſcopis autem ſupplicantibus, vt pater Hugo pro pace componēda loqueretur, turbis vndiquè reticentibus, & ab eius ore pendentibus, ſic ait: Qui pacē quærunt, qui Deum diligunt, nos audiant, nobiſcum agant. Qui verò filius pacis non eſt, qui non ex Deo, ſed aduerſarius eſt, huic ex parte omnipotētis præcipio, vt à nobis exeat, & operi diuino non noceat. Vix dicta cōpleuerat, cùm eccè quidam ſtatura procerus, facie truculentus, multis eum ſequentibus egreſſus, diſparuit. Non fuit in tanta multitudine hominum, qui aliquem nôſſet ex ijs, qui egrediebantur. Conuentus Heduenſis. Dæmon à Conuentu cogitur abſcedere.

Mira-

Mirabantur singuli, stupebant vniuersi. His itâ depulsis, tantam mox prædicatio sancti efficaciam habuit, vt, eo iubente, Dux ipse sui necem filij eius interfectoribus condonârit, & Ecclesia pacem receperit. Res equidē mira, sed altiori miraculo cumulata. Quandiù enim in conuentu illo vir sanctus sancta perdocuit, sicut columba candida super caput eius præsens apparuit. Quibus id videre datū est, Deum glorificauerunt. non enim omnes hanc videre gloriam meruerunt.

Hildebrandus legatus Cluniacum veniés, quid viderit.

Dum hæc audiendo, vos mirari video, illud non minus refero. Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Apostolicæ sedis pontifex Gregorius VII. mox futurus, Galliarum legatione suscepta, Cluniacum venerat. Hic quadam die sedens in Capitulo cum beato Hugone, fratrum negligentias pietatis gladio corrigente, adspexit Dominum Iesum præsentem, prædicto patri assidentem, eique, de singulis quid agere deberet, suggerentem. Itaque Hildebrandus sancti viri merita prædicans, in famulo Dominum collaudabat. Saredum venerat Hugo pater, vt ibi Baptistæ Iohannis festū deuotus ageret: Ad quem mulier quædam cum turba pro ea supplicante peruenit. siquidē eius vterum virulenta serpentis irruptio tenebat. Tum verò sanctus misericordia permotus, aquam afferri præcepit, eamque allatam precibus & benedictionibus signauit. Accipiensque ter de illa aqua, in os mulieris orando infudit. Quo facto, mox serpens horrendus per os illius, cunctis qui aderant cernentibus, exiuit. Qui ergò cum mœrore venerant, cum gaudio reuertentes, Dominum collaudabant.

Vis aquæ benedictæ.

Illo tempore pacis conciliandæ prædictus pater cū Episcopis, Rocleno Cabilonensi & Drogone Masticensi, in campo venatorio pariter adfuit. Turbis verò circunstātibus, quidam pessimo fœdatus crimine non timuit interesse. Quem sanctus, sancto edoctus spiritu, eminùs intuens, ait præsentibus: Videtis miserum illum? Videtis dæmone plenū? Statimque eū designauit, & ad se venire mandauit. Cui præsentato, Quomodò, ait, huc intrâsti, qui hoc crimine (crimen autem exposuit) te sordidare voluisti? Cur miser nobis in te dæmonem repræsentâsti? Pacem nos quærimus, dæmonem nolumus. Confusus ille, negare non potuit. Quod vt viderunt permulti, qui illic aderant, inter se mutuò submissa voce colloquebantur: Diuertamus ab hoc homine, qui etiam occulta hominum nouit intueri, nè etiam in nostris nos peccatis, quemadmodùm istum, valeat depręhendere. Tunc pater sanctus tradidit hominem illum in manus Rocleni Episcopi Cabilonensis, cuius parochiæ erat, eius peccatum illi exponens: quem quidem Episcopus ille pro officio correxit. Simili modo, eodem reuelante spiritu sancto, cùm ad Charitatem veniens, fratres in sancto susciperet osculo, quendam inter alios sibi occurrentem subitò abhorruit, & ab osculo suspendit. Fratribus autem factum mirantibus, illum, qui vt nouitius susceptus fuerat, vndè venisset, cui esset addictus sectę, solicitè cœpit inquirere. Et quia spiritalis omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur, eū ex ipsius ore Manichęum esse conuicit, conuictumque cum infidelitatis macula lupum ab ouibus pastor abegit, & infidelem à consortio fidelium fidelis eiecit.

Occulta vitia nouit S. Hugo.

1. Cor. 2.

Turones venerat Hugo pater, vt pro Abbatia maioris monasterij, quam violētia Comitis Andegauensis Gaufridi, cognomento Barbati, nimìs oppresserat, intercessor adesset. Cum omni itaque humilitate Comitem exorans, quia duriorem inuenit, eius se aduoluere pedibus vir sanctus non erubuit. Sed cùm nulla ratione ab oppressione monasterij eum posset compescere, atque cum multa indignatione recedentem retinere vellet, fibula, qua eius chlamys stringebatur, dirupta est. Abeunti itaque prophetica voce illud Samuelis ilicò inclamauit: Scissum est à te regnum hodiè. Qui mox, iuxta viri Dei vaticinium, perdidit dominium, à fratre suo Fulcone captus, & in carcerem coniectus: vndè etiam, sensu iam debilitatus, non nisi morte solutus exiuit.

Prophetiæ sancti viri.
1. Reg. 15.

Martiniaci erat aliquandò vir sanctus, & cum eo gloriosus doctor Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, sanctorumque comitum cœtus venerandus. Quadam itaque die pater Hugo, sancta satiatus meditatione, & diuina refectus reuelatione, fratribus conuocatis ait: Annuncio dilectioni vestræ, in Vuilhelmum regē Anglorum transacta nocte sententiam proscriptionis prolatam esse, eumque exiguo tempore regnaturum. Iuxta verbū eius consecutus est rei, quam prædixerat, euentus. Fuit autem hæc proscriptionis eius sententia, vt dum venatum exiret, subitò percussus sagitta, morte citissima interiret. Apparuit deindè prophetantis veritas, & Cantuariensi Archiepiscopo, rege eius persecutore perempto, reditum ad suam sedem Deus aperuit.

Prædicit repentinum interitum Vuilhelmi regis Angliæ.

Ad Francigenas pius pater Hugo visitator descenderat. Quem vir illustris Albertus de Gornaco, in Beluacensi pago honorificè suscepit. Vxor quoquè viri, nomine Ermegardis,

gardis, tanto hospiti reuerenter occurrit. Eam verò intuens sanctus, prophetico afflatus spiritu, dixit: Domina, grauida es: masculus erit, quem paries. Hic, sicut Deo placuerit, monachus erit. Audiens mulier, quæ de se antè non nouerat, mirabatur: qui præsentes aderant, lætabantur. Denique grauida illa masculum peperit: Landricus dictus est, creuit, militari deputatus officio, gladium accepit, &, vt id hominum genus malè cōsueuit, flagitiosus euasit. Interim B. Hugo præsentis vitę cursum cōpleuit in Christo, successitque ei pius eius filius dominus Pontius: qui & ipse Franciam visitaturus intrauit. Vbi pro sua præclara consuetudine errantes in viam reuocans, plurimos secum adduxit. Inter quos & me peccatorem Hugonem, & hunc, de quo loquimur, iuuenem inuenit, vocauit, &, vt sanctus prædixerat, monachum fecit. Præsens est in Cluniaco, sacerdotali fungitur officio. O prædicanda patris huius prophetandi gratia, qui non solùm in præsentia occulta hominum verè reuelauit, sed etiam longè pòst futura certò prænunciauit.

Crispeium venturus, vt monasterium sibi susciperet, Robertum quendam, acri febrium ardore laborantem, obuium habuit. Cui sanctus valdè compatiens, ait: Si rapinas exercere cessaueris, crimenque prædonis abdicaueris, promitto ego tibi, quia in nomine Domini citò sanaberis. Dedit miles fidem, se à rapinis cessaturum: dedit sanctus, pulsis prece febribus, ægro sanitatem. O quot eius oratione sanati sunt: ô quot de reliquijs eius sumentes, tam se, quàm alios, impensis inuicèm particulis, à morbis citissimè curauerunt. Aqua, qua sanctus sanctas manus abluit, sanitatem plurimis attulit. Dum ad alia festino, permulta (fateor) omitto. Febricitantem sanat.

Parisiorum vrbem vir sanctus intrauit, atque ad ecclesiam S. Genouefæ Missas celebraturus ascendit. Quibus expletis, accepta Apostoli planeta, quæ ab Antiochia olim delata, in ea, quam diximus, seruatur ecclesia: O vtinàm, inquit, haberemus ægrotum, in quo virtutis Apostolicæ caperemus experimētum. Quibus dictis, Robertus, sua probitate illis in partibus satis notus, sed diutino morbo membrorum officio destitutus, illuc se deferri præcepit, vbi sanctum adesse cognouit. Deponitur debilis ante sanctum, prece supplici quærit ab eo suffragiū. Pater Hugo miseretur, tenens Apostoli planetam, Dominum deprecatur, ipsamque planetam super ægrum eleuans, cum dulci melodia ait: Petrus Apostolus dicit paralytico: Roberte, sanet te Dominus Iesus Christus: surge, & sterne tibi: qui continuò surrexit. In his verbis Robertus ilicò totus conualuit, sanusque egrediens, gratias agit. Res ista notissima est: ferè tota illa ciuitas testis est. Super hoc controuersia laudabilis orta est. Parisienses dicunt, quia Petri est miraculum, qui per Hugonem Robertum sanauerit. Cluniacenses contrà asserunt, Hugoni suo factum imputari debere, qui meritis Petri in Christi nomine debilem erexerit. Vtrorunque causam suscipio: pro captu meo vtrisque respondeo. Fides Domino præsentat affectum, Dominus fidei largitur impensum. Robertus orauit Hugonem, Hugo Saluatorem. Petrus ascitus est, Saluator operatus est. Sed hoc vobis pensandum proponens, ad maiora festino. Planeta, est suprema vestis sacrificātis, quam etiā Casulā vocant. Actor. 9.

Per Gasconiam sanctus iter agebat. Secus viam in tugurio elephantiacus quidam fœdus vulneribus decumbebat. Homo iste nobilis, famosus & diues, iacebat abiectus, leprosus & pauper. Audiens vir Dei, condoluit miseriæ viri, assumptisque secū duobus monachis, Durāno scilicet, qui fuit Tolosanus episcopus, & Hunaldo, qui Abbas fuit Mosiacensis, intrauit ad pauperem, vlceroso prædicauit patientiæ cōsolationem. Missa consolatione, fudit orationē: oratione completa, dedit benedictionem. Agninamque exuens tunicam, vestiuit pauperem. Mira res: Pauper vestitus veste pellicea, lepram exuit: incolumis factus, decorem induit: gratias agens, alacriter exiuit. Leprosum restituit saluti.

Quidam frater, nomine Guilhelmus, obedientiæ munus ipsi à sancto Hugone demandatum curabat: sed crure grauiter intumescente, muneri imposito par esse non potuit. Itaque dolore acriùs grassante, mortem sibi sentiens imminere, totum se contulit ad Hugonem, quanuis absentem, ab eoque velut præsente postulat sanitatem. Ad morbum verò se conuertens, adiurauit eum, dicens: In nomine Iesu Christi ex parte patris, qui me huc venire iussit, precipio tibi vt abscedas, nec me deincèps ab ijs, quæ ex obedientia mihi facienda incumbunt, impedias. Dixit, & ecce dormienti in somnis duo albis vestiti apparuēre monachi, dicentes se venisse ex parte Hugonis Abbatis. Alter eorum crus tumidum attrectauit, oleum infudit: alter liniendo perunxit. Euigilans autem ægrotus, dolorem non sensit, plenamque sibi lætabatur redditam sospitatem. Curatur quidā miro modo.

Cluniaci quidam Theodoricus erat, anteà miles, tum verò monachus: priùs magnus nobilitate, tum humilitate paruus. Huius articulum pedis letalis morbus, qui cancer dicitur, occupârat: cumque nullum inueniret remedium, fide plena ad patris Hugonis se conuertit implorandam opem. Abbate itaque Missam peragente, de aqua, qua digitos suos sumpta Eucharistia lauerat, Theodoricus clanculùm accepit, & de magistri virtute confidens, infudit ex ea in articuli partes: statimque pes totus conualuit, caroque depasta ilicò restituta est.

Cancri morbum pellit.

Apud veterem Chiricam locus est, non longè à basilica situs: vbi suscepit patrem Hugonem comes Ludouicus. Accessit ad famulandum sancto viro comitis vxor Sophia: parata est in viridario mensa solicitudine promptissima. Sed subitò turbatus aër, imbribus infestauit ministros: exorta tempestas, molestia afficiebat dominos. At pater sanctus turbatos illos videns, eorum misertus, contra tempestatem eleuauit manum, sanctæ Crucis signum opposuit: & eccè miro modo pluuia, quæ in circuitu largiter omnia infudit, mensas eorum & ipsis assidentes prorsùs non attigit.

Signo Crucis pellit pluuiam.

Romam proficiscens aliquandò pater Hugo, arctissimam à prominentis rupis latere viam ingressus est. Erat inferiùs terribilis profunditas, ità vt metu præcipitij vix vnquàm viatores audeant intueri. Præcedentibus itaque alijs post alios præ timore socijs, sequebatur pater, mente & oculis dextra læuaque pariter ad cælum leuatis. Sinistra mulæ habenas tenebat, oratione suspensus Domino totus inhiabat. Propter transeuntes quædam paupercula mulier ibì in breuissimum arduæ rupis foramē sese receperat. Mula verò, cui sanctus insidebat, vbì latitantem illam subitò adspexit, miserè pauefacta, ilicò resilit: & resiliens, tota in immane profundum cum sancto viro cadit. Ibi sanctus, vt anteà, sic etiam cadendo, mentem & oculos dexteramque ad cælum erectam tenebat. Cadebat quidem corpore, sed immotus cum Domino stabat mente. Præualuit itaque stabilitas mentis, suaque sedens mula, inuisibiliter reportatus ab infimis, viæque redditus est totus incolumis. Videte charissimi, videte patrem de morte redeuntem, admiramini de funere resurgentem. Sed qui Ionam in mare præcipitatum, de profundo abyssi, de ventre ceti clamantem ad se, liberare voluit, etiam hunc orantem omnipotēti misericordia sanū à ruina leuauit. Vidit Vincentius, qui tū in laico habitu, fideli sedulus obsequio, sanctum sequebatur: adhuc superest, se vidisse testatur. O mirandam Hugonis orationum instantiam, quæ non solùm ipsum seruauit, sed etiam Aldephonsum Hispaniæ regem liberauit. Eum nanque frater eius Sanctius regno priuauerat, captum & catenatum carceri mācipauerat. Illi verò pius Hugo compatiens, pro eo apud Dominum precibus insistebat, & apostoli Petri confidens meritis, à Domino eum absolui poscebat. Nec mora: beatus Petrus apostolus cuidam fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Aldephonsi ereptione Deum admisisse reuelauit: fecit etiam Aldephonso illud in carcere nunciari. Porrò Sanctio in somnis sub graui comminatione præcepit, vt citò Aldephonsum restitueret, nec differre ausus esset. Sanctius terrore correptus, Aldephonsum statim restituit: restitutus ille, Deo & liberatori suo Hugoni gratias egit, censumque, quem pater suus Ferdinandus rex quotannìs Cluniacensi monasterio soluendum instituit, ipse duplicauit, ducentas & quadraginta auri vncias annuatim reddens. Sic etiam pater Hugo Berardum de Reorcherio, (qui Cauariacum, quod est iuris Cluniacēsis, graui exactione oppresserat) cùm nec admonitionibus suis, nec amicorum suorum consilijs eum refrenare posset, ad Deum fusis precibus edomuit. Cùm enim pius pater pro oppressis Domino preces offerret, oppressor subitò membrorum est incolumitate destitutus. Suis itaque turbatis, cōcutitur homo vrgentibus malis, deponit contumaciam, assumit pœnitentiam. Tandèm requiritur, dat fidem se satisfacturum, Hugo flectitur misericordia, oppressi liberantur, oppressor emendatur.

Nota rem sanè stupendam.

Ionæ 2.

Alphonsum regem liberat à carcere.

Ad sanctum Iohannem de Angeliaco venit Abbas Hugo: qui licèt absens esset corpore, præsens tamen spiritu, Cluniaco non deerat. Vidit itaque in somnis, quasi fulgur impetu quodam ruere, & Cluniacense auditorium scindendo irrumpere. Perpendens autem apud se, quæ viderat, intellexit tale quippiam Cluniaci emersisse, vndè, nisi citò recederet, grauissima esset eius loci iactura consecutura. Intermissis igitur illis, quæ cœperat, Cluniacum festinus redijt: vocàt Priores & Ordinis custodes, de negligentijs fratrum inquirit, sed nihil eiusmodi ex illis percipere potuit. Ijs itaq; dimissis, ad Deū more solito recurrit: soluit vota precum, intrat Capitulum, fratres circunspicit. Mira res. Spiritu reuelante, occultum inter alios reum ilicò deprehendit, arguit, cōuincit. Reus ille

Visio eius.

ille, Petrus erat, qui de Taderniaco venerat. Confitentem iudex pius dignè flagellat, misericorditer sanat. His visis, semetipsos circunspiciebant singuli, nè quid in eis illicitum spiritualis oculus patris animaduerteret. Sic etiam per visionem cõmonitus, monasterium S. Marcelli Cabilonensis sanctus intrauit, & mala quædam inueterata, & iam penè insanabilia, spiritu sancto edocente cognouit, rescidit, sanauit.

Operęprecium est, propter monachos vaniloquijs deditos, quiddam hoc loco commemorare. Tolosanum episcopum Durannum, in cuius præsentia leprosum sanauerat, Dei seruus sæpè cõmonendo repræhendit, & repræhendendo cõmonuit, vt à ridiculis verbis, quibus malè assueuerat, sibi temperaret: aiebatque, nisi in præsenti vita ab ijs sese corrigeret, post mortem tumentibus labris & spumoso ore ipsum appariturum. Non correxit Episcopus: defunctus cuidam sacerdoti Signino apparuit, & vt sanctus prædixerat, vlcerosis tumida labijs ora præferebat. Petit auxilium patris lachrymabiliter, quem audire noluerat, dum eum olìm piè corriperet. Signinus refert patri quod viderat, miseretur Abbas, & excessum oris septem fratrum silentio sanare festinat. Septem fratres delegit, quibus septem dierum silentium pro Episcopo indixit. Vnus ex ijs transgreditur, silẽtium soluit. Redit Episcopus ad Signinum, fractum accusat silentium, de transgressore conqueritur, dilatam oris sanitatem propter septimi inobedientiam causatur. Signino hæc iterùm ad patrem referente, Abbas inquirit de transgressione. Transgressio inuenitur, & alter septenarius silentio dedicatur. Quo completo, tertiò Præsul apparuit, gratias agens Abbati: pontificali indutus chlamyde, os sanatum ostendit.

Episcopi facetijs dediti pœna.

Eam S. Hugo vt aboleuerit.

Erat vir sanctus apud Nanctoacum: venit nuncius, qui diceret obijsse Vuillencum. Vuillencus iste Prior fuit loci de Charitate. Pro defuncto dum pius pater Missam celebraret, more solito viuam seipsum hostiam Domino præsentauit, & sic tenens in manibus filium, patri obtulit, oblatum ore suscepit. A quo edoctus, ad fratres egreditur, reuelat socijs, quia apud Charitatem nõ Vuillencus, sed Orius obierit. Erat ibi tum Odo, qui fuit Prior Cluniacensis, pòst Episcopus Ostiensis, deindè Apostolicæ sedis summus Pontifex Vrbanus 2. Is missa legatione inuenit iuxta viri Dei verbum, non Vuillencum obijsse, sed Orium.

Vrbanus 2.

His alijsque signorum titulis celebris effectus Hugo Dei seruus, apud summos Pontifices magnus habebatur: illum Imperatores, illum reges venerabantur. Italis, Gallis, Hispanis, Anglis innotuit, atque passim apud illos noua fundabat monasteria, vetera reparabat: neque viris duntaxàt, sed etiam fœminis cœnobia constituit: in quibus fragilis eorum conditio, sexum vincens & seculum, sancta inclusione religata, limites non egreditur præfixos, sed liberis animis cælum perambulat. Dixi iam fratres quædam sancti patris signa, omisi plurima: virtutes eius magis imitandæ sunt: quas quidem, cùm sint admirabiles, partìm referendas duxi. Habitus eius, forma religionis: vita eius, benè viuendi fuit institutio. Orationem Deo, lectionem sibi, consilium proximo sedulus exhibebat. A mendacio & simulatione abhorrebat penitùs: torporem & ocium damnabat, pauperes opulenta manu pascebat, infirmos pia solicitudine refouebat, afflictos consolabatur, pupillos & viduas tuebatur. In vitiosos seuerus, erga pœnitentes mitissimus erat. Disciplinæ castigatione iudex, doctrina magister, charitate parens, obsequio minister. Ità verò pluribus erat intentus, vt minor ad singula vix haberetur. Qui eius res gestas nouerunt, parùm me dixisse reuincunt. Est autem hoc loco illud minimè prætermittendum:

Catalogus virtutum eius.

Bertinus de Varenis, in agro solus remanserat, nescio quid rei executurus. Visio illi talis oblata est: Vidit personas primariæ dignitatis. Eas præcedebat Domina quædam, splendoris & gloriæ inæstimabilis: quam transeuntem adspexit quidem, sed faciem eius videre non meruit. Stabat homo attonitus, cùm ecce quidam senior venerandus mirantem illum ità alloquitur: Cuius est, ó homo, ager iste, quem colis? Respondit ille: Sancti Petri est & Hugonis Abbatis. At ille, Meus est, inquit, ager & agri possessor. Ego enim sum Petrus Apostolus, & hic, quem vides, sanctorum est conuentus. Domina, quæ præcedit, mater est Domini. Vade, & ex parte mea dic Hugoni Abbati, propediem illi esse migrandum à vita: solicitè prospiciat in Domino & sibi & domui suæ. Bertinus mandata hæc conficere pertimuit: itaque secundò admonitus, & pro negligentia repræhensus, Cluniacum venit: rem totam ità, vt gesta erat, Abbati explicauit. Abbas reuerenter accepit, seque ad propinquam mortem accuratè præparauit.

Bertini visio.

Visio Fulgētij Abbatis.

Eo tempore Fulgentius Abbas Affliginiensis, vir venerabilis, angelos vidit, duos mirificè ornatos lectulos in cælum deferentes, altaque voce dicentes: In his requiescent magni duo viri, Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, & Hugo Abbas Cluniacensis: qui per vitæ meritum à terris ascendunt in cælum.

Obitus sancti viri. Subsellium, pro equo videtur vsurpare.

Pauci intercessêre dies, & vterque in Domino quieuit. Sabina quoquè sanctimonialis virgo in Iotrensi monasterio, testimonij singularis, vidit matrem misericordiæ cum glorioso agmine sanctorum: vidit & subsellium candidum, decenter ornatum, agmini illi interesse: audiuitque Hugonem Abbatem Cluniacensem illò abiturum. Sabina visionem retulit, nec multò pòst nuncius venit, dicens migrâsse sanctum, quem ea visio designauerat. Sic vir sanctus & miraculis approbatus, & reuelationum sacramentis præmonstratus, in medio filiorum vita functus, sed sanctitate perpetuus, è mundo decessit, viuit Deo: dignè humatus, in Cluniaco iacet: sed institutionum eius sanctimonia permanet, sed ordinis disciplina, quā tradidit, vsquequaquè viget, sed in cælestibus meritorum eius corona refulget.

Visio Godefridi Episcopi.

Ea nocte, qua sanctus decessit, erat in Italia Godefridus Ambianensis episcopus, sanctitate præclarus. Is cùm membra sopori dedisset, visus sibi est esse Cluniaci, rogarique se à fratribus, vt Abbatem Hugonem oleo sancto inungeret, & episcopali redimitus infula, Missas celebrans, Dominici corporis & sanguinis ei viaticum ministraret. Expendens verò secum visionem Episcopus, eum obijsse persensit, socioque itineris sui Matthæo, venerabilis Rhemorum Archiepiscopi Rodulphi tunc legato visionem indicauit: pariterque diem annotantes, Romam peruenerunt, peractoque, pro quo venerant, negocio, ad sua redeuntes, inuenerunt eo tempore Cluniaci migrâsse sanctum, quo id fuerat Episcopo in Italia in ea, quam diximus, visione monstratum.

VITA S. ROBERTI, PRIMI ABBATIS MOLISMENSIS, ITEMQVE CISTERTIENSIS, BONA FIDE, ET, *nisi fallor, iussu Odonis Abbatis Molismensis conscripta: sed suspicor in MS. codicibus, quos secuti sumus, quædam omissa esse. Stylum aliquotiès mutauimus.*

29. Aprilis.



S. Roberti parentes.

BEATVS Robertus Campaniæ partibus oriundus, quasi quidam flos campi speciosus enituit. Cuius nimirùm decor in honestate morum intuentibus gratus erat, & sanctæ opinionis odor, longè lateque diffusus, ad imitationem suî plurimos inuitabat. Pater eius Theodoricus, mater verò Ermgardis dicebatur: ambo secundùm seculi dignitatem clari, sed ante Deum morum integritate clarissimi.

Prouer. 19.

Rerum verò copia, quibus temporaliter abundabant, sic vtebantur, vt summi patrisfamiliâs potiùs viderētur dispensatores, quàm terrenæ substantiæ possessores. Scientes autem, quòd fœneratur Domino, qui miseretur pauperi: puluerem terrenæ conuersationis pijs eleemosynis abstergebant: immò, quia in carne positi, non secundùm carnem viuebant, cogitatione & desiderio in cęlestibus habitantes, coronas suas virtutum operibus, quasi gemmis quibusdam & lapidibus preciosis decorabant. Verùm quia parentum eius fecimus mentionem, quemadmodùm hunc sanctum virum spiritus sanctus præuenerit in benedictionibus dulcedinis, cùm adhuc matris vtero clauderetur, breuiter absoluemus.

Visio matris eius.

Prægnāti etenim matri gloriosa Dei genitrix virgo Maria in sómnis apparuit, annulum habens aureum in manu sua, dixitque ei: O Ermgardis, volo filium, quem gestas in vtero, hoc annulo mihi desponsari. His dictis, mulierem dormientem relinquens, virgo beata disparuit. Illa verò expergefacta, animo cœpit reuoluere visionem. Adiecit autem beata Dei genitrix apparere iterùm mulieri, sicut olim Deus iterùm atque iterùm apparuit Samueli, ad confirmandam promissionem suam. Expletis igitur diebus, Ermgardis peperit filium, vocans eum Robertum. Quem ablactatum, tradidit literarum studijs imbuendum: in quibus supra omnes coætaneos suos proficiens, de fontibus Saluatoris puro pectore hauriebat, vndè saluatis gratiam posteà populis eructaret.

1. Reg. 3. Discit literas.

ctaret. Cùm autem esset annorum quindecim, mundana vitans contagia, totum se decreuit Domino consecrare. Itaque florem gratissimæ iuuentutis Domino offerens, apud sanctum Petrum de Cella suscepit habitum regularem. Vbi ieiunijs & orationibus vacans nocte ac die, gratum Deo exhibendo obsequium, carnem spiritui, spiritum verò subijciens creatori, proficiebat. Cùm verò tempus esset, vt in seruo suo glorificaretur Deus, & lucerna, quæ sub modio latuerat, super candelabrum ad illuminandam Ecclesiam poneretur, ille, in cuius manu sunt corda hominum, eiusdem domûs fratribus inspirauit, vt virum Dei Robertum sibi eligerent in Priorem. Dignum quippe erat, vt qui, duce gratia, longo vsu didicerat tenere moderamina vitæ suæ, iudex & moderator vitæ fieret alienæ.

Fit monachus.

Indè Prior.

Erat per id tempus in remotis nemorum latebris eremita quidam, Deo cupiens eo liberiùs, quo secretiùs, deseruire. Qui cùm assiduitate ieiuniorum maceraret carnem, & orationum instantia spiritum roboraret, respexit Dominus humilitatem eius, nec sine grandi miraculo per illum creuit seruientium Domino multitudo. Duo enim milites, secundum carnem fratres, ad ostentationem virium suarum execrabiles nundinas, quas vulgus torneamenta vocat, expetentes, cùm per nemus, in quo iam dictus eremita degebat, iter agerent, cœperunt intra se secreta cogitatione de nece mutua tractare. Inuidiæ quippe veneno miserabiliter tabescentes, apud se cogitabant, quòd altero eorum extincto, is, qui superesset, in defuncti facultates possessor succederet. Sed Deus omnipotens, qui sciebat eos vasa misericordiæ mox futuros, fecit cum tentatione prouentum, nè iniquitatem, quam conceperant, effectui manciparent. Cùm igitur expleto negocio, ad quod ierant, quodque satis strenuè gesserant, adeò vt humanæ laudis fructum ex hominibus reportarent, ad propria remeantes, in locum, vbi de nece mutua secreta cogitatione tractauerant, gressu propero peruenissent: ibi velut ab ipso loco admoniti, vel potiùs diuina inspiratione compuncti, cogitatam cœperunt exhorrere nequitiam, & intra seipsos de concepto facinore conturbari. Ad memoriam verò reducentes, quòd in propinquo esset tugurium eremitæ memorati, pari voto iter suum ad ipsius mansiunculam direxerunt. Per confessionem verò virus pestiferum, quod in eorum cordibus latuerat, euomentes, eliminata spurcitia, gratum in seipsis Deo habitaculum parauerunt. Deniquè à viro Dei pro nequitia illa cogitatione suscepta castigati, ab illo recesserunt, etiam salutaribus admonitionibus instructi. Cùm verò ad locum, in quo priùs alter alteri erat necem meditatus, peruenissent, alter ex altero percunctatus est: Ecquid, frater charissime, hàc nobis hesterno die euntibus animo versabas? At illo cogitationem animi sui expromente fratri suo, ille respondit: Et ego in simili cogitatione versabar. Rursùs igitur corde compuncti, & ad virum Dei reuersi, spreta seculi pompa, cum illo cœperunt spiritualiter viuere, & ad portandum suaue iugum Christi ceruicem cordis humiliter inclinare. Quis igitur dubitet eorum conuersionem meritis beati Roberti adscribendam, cuius magisterio, sicut sequens oratio declarabit, disciplinis erant regularibus imbuendi? Deus autem, qui consolatur humiles, adiecit multiplicare seruos suos, ità vt intra breue spatium ad septenarium numerum peruenerint. Quos septem viros, quasi septem columnas spiritualis ædificij, præparauit Dominus. Per illos nanque cœpit ordo monasticus reuiuiscere, & fructum spiritalem facere.

Auri sacra fames.

Confessione euomitur virus peccati.

Duo nobiles fiunt eremitæ.

Interìm verò beatus Robertus, sanctitate & gratia apud Deum & homines clarus, à monachis sancti Michaëlis Tornodorensis, electus est in Abbatem. Porrò ij, quos diximus, eremitæ, cùm non haberent, qui eos disciplinis regularibus informaret, audientes famam beati Roberti, duos è fratribus suis ad illum mittere curauerunt. Qui cùm ad locum peruenissent, in quo vir Dei sedulum Domino exhibebat obsequium, Præpositum domûs illius in auditorio repererunt. Qui cùm eorum propositum caussamque itineris cognouisset, vix ab illo multis precibus obtinere potuerunt, vt ad viri Dei secretarium ducerentur. Inuidiæ quippe mucrone confossus Præpositus, sibi arbitrabatur decedere, si quid laude dignum per seruum suum Robertum Dominus de aliorum profectibus ordinâsset. Vndè etiam fratribus eiusdem domûs & socijs Abbatis persuasit, nè petitioni fratrum, qui ad requirendum virum Dei venerant, vt ipsis præesset, assentirent. Veruntamen beatus Robertus eorum petitioni iustisque votis congratulans, illorum desiderijs fecisset satis, nisi fratres Tornodorenses vnanimiter obstitissent. Interìm salutaribus admonitionibus informatos, suis munitos precibus & benedictione firmatos, remisit ad propria, singulariter in spe illos con-

S. Robertus fit Abbas.

stituens, quòd simulatquè facultas ei tribueretur à Domino, ipsos adimpleret lætitia cum vultu suo. Posteà verò cernens fratres suos ab æquitatis tramite deflectere, ad monasterium Cellense, vndè euocatus fuerat, regressus est: vbi Lia, quæ laboriosa dicitur, ad tempus seposita, diù desideratæ Rachelis fruebatur amplexibus, hauriens in gaudio de fontibus Saluatoris, quod posteà propinaret in salutem fidelibus.

Deserit monachos dissolutos.

Matth. 5. Sed quia latere non potest ciuitas supra montem posita, beatus Robertus supra montem Christum radicatus firmiter & fundatus, defuncto Priore sancti Aigulphi, ad pascendum ibi humilem gregem Christi rursùm eligitur, in eadem domo vnanimi fratrum voto parique desiderio Prior effectus. Memorati autem eremitæ, amore vitæ cælestis afflati, cùm virum Dei conspicerent semper in melius proficere, & seipso effici meliorem, inito consilio, duos ex fratribus suis ad sedem Apostolicam ablegârunt, vt à summo Pontifice precibus obtinerent, vt vir Dei beatus Robertus pusillo gregi Christi pater fieret atque pastor. Summus autem Pontifex audiens illorum propositum, gauisus est valdè, petitionique eorum benignè annuens, Apostolica benedictione fretos, remisit gratulabundos ad sedes suas, Abbati de Cella per Apostolica scripta mandans, vt quem illi è fratribus elegissent, ipsis traderet Abbatem. Abbas autem Cellensis, vbì Pontificis accepit mandata, beatum Robertum postulantibus dedit, tristis quidem ac mœrens, sed iussis Apostolicis non ausus obstrepere aut repugnare. Videbat enim illorum consolationem, sibi suisque afflictionem fore, quandoquidem è domo sua, firma quædam & instàr cedrinę imputribilis columna tolleretur.

Fit Prior S. Aigulphi.

Fit Abbas Molismensis. Porrò beatus Robertus curam pastoralis officij in se deuotus recepit, vidẹns quòd labor suus sine fructu non esset, cùm vnanimitas gregis, respuens terrena & appetens inquirensque cælestia, ipsius salutaribus monitis obediret. Itaque secundùm interiorem hominem in spiritu humilitatis Deo seruiens, secundùm exteriorem verò strenuè ministerium suum implens, actiuæ vitæ tanquàm Liæ copulatus est ad filios spirituales procreandos in loco, qui nunc dicitur Colannus. Cùm autem breui tempore fratrum numerus vsque ad tredecim excreuisset, considerans vir Dei loci importunitatem, relictis ibi custodibus, assumptisque secum fratribus, in quoddam nemus, cui Molismus nomen est, secessit: vbi proprijs manibus laborantes, ramos de arboribus amputârunt, atque ex ijs domicilia, in quibus possent quiescere, construxerunt. Oratorium quoquè simili schemate ædificârunt, in quo salutares hostias & sacrificium contriti spiritûs Domino frequenter offerebant. Cumque panem non haberent, quo post diuturnum laborem corpora possent reficere, solis leguminibus vtebantur. Contigit autem Trecensem Episcopum per nemus illud, in quo Dei homines in summa paupertate & humilitate Deo seruiebant, iter facere, & ad locum illum, refectionis hora, cum sociorum frequentia peruenire. Quos viri Dei deuotè suscipientes, quodammodò confundebantur, quòd non haberent, quæ cibum sumpturis apponerent. In eorum autem humilitate & paupertate non mediocriter ædificatus Episcopus & compunctus, valefecit eis & recessit.

Molismus extruitur.

Nota abstinentiam.

Procedente verò tempore, cùm non haberent fratres, vndè possent vel ad breue tempus sustentari, ad beati Roberti consilium confugerunt. Ille verò, qui nunquàm putauit aurum robur suum, nec obrizo dixit, Fiducia mea: docuit illos in Domino collocare spem suam, sciens, quia non sineret Deus diutiùs fame affligi animam iusti. Cùm igitur precium non haberent, nihilo minùs Trecas eos misit ad emendam annonam, etiam iuxta literam prophetæ consilijs obtemperans, dicentis: Qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Cùm autem Trecensem essent vrbem nudis pedibus ingressi, statìm de illis ad Episcopum rumor perlatus est: qui illos ad se iussit introduci, satisque deuotè eos suscipiens, suum erga Deum amorem in exhibenda seruis eius humanitate declarauit. Deniquè nouis vestibus regulariter eos induens, cum quadriga, pannis & panibus onusta, ad sua loca remisit. Qua quidem benedictione non mediocriter confirmati, didicerunt inter aduersa patientes esse. Quinetiam à die illa & deincèps non defuit, qui illis & ad victum, & ad vestes necessaria suppeditaret: cumque in Dei seruitio constantissimè perdurarent, multi accedebant ad illos seculum fugientes, & reiecta mundi sarcina, ceruices suas iugo Domini supponentes. Quidam verò etiam ex remotis locis eis mittebant necessaria, vt mercedem iusti reciperent, dum ipsi iustis vitæ

Iob 31. Prouer. 10. Esa. 55. Episcopi Trecensis humanitas. Matth. 10.

tæ præsenti res necessarias impartirent.

Sed quia plerunque rerum copia morum inopiam & egestatem parit, cùm cœpissent abundare temporalibus, cœperunt spiritualibus vacuari, itá vt eorũ iniquitas quasi ex adipe prodire videretur. Sanctus autem Robertus cor suum diuitijs affluentibus non apponens, magis ac magis in Deum proficere conabatur, & secundùm instituta sancti Benedicti, sobriè & iustè & piè viuere. Quod videntes filij Belial, in virum Dei atrociter insurgebant, illum ad amaritudinem prouocantes, & animam iusti iniquis operibus cruciantes. Nec te moueat Lector, quòd in illa sancta congregatione sibi locum vendicauit iniquitas. Sanè etiam scriptura teste didicimus, quòd cùm quadam die venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam satan. Sic sic ab initio non defuit in Ecclesia iustus, qui proficeret, & impius, qui probaret. Videns autẽ vir Dei, quòd illos repræhendẽdo non proficeret, & quòd disciplinę regularis obseruatione postposita, vnusquisq; post prauitatẽ cordis sui ambularet, statuit illos relinquere: nè, dùm in eis frustrà quæreret spiritale lucrum, ipse animæ suæ faceret detrimentũ. Orta igitur inter eos discordia, recessit ab eis, venitque ad locum, qui vocatur Aurum, in quo audierat habitare fratres, in spiritu humilitatis Domino seruientes. Ad quos cùm venisset, deuotè susceptus est ab eis, vixitque aliquandiù inter eos, laborans proprijs manibus, vt haberet vndè tribueret necessitatem patienti. Vigilijs etiam & orationibus incessanter insistens, infatigabiliter Domino seruiebat: & cùm in sanctitate cunctos excelleret, omnibus seruiens, omnium se minimum reputabat. Vndè non multò pòst ab eis electus est in Abbatem, quibus præesse curauit multa cum modestia, infirmis curam impendens, & sanos fouens, nec quasi dominans in clero, sed forma gregis factus ex animo.

Ex rerum copia quidam insolescunt. — *Iob 1.* — *Bonis mali semper admixti.* — *Relictis Molismẽsibus, fit alibi Abbas.*

Molismenses intereà pœnitentia ducti, quòd virum Dei offendissent, & à se quodammodò sua proteruia & inobedientia expulissent, ruinam suam tam in moribus quàm in possessionibus anxiè deplorabant, suoque casu experti sunt, beati Roberti meritis, ipsis Dominum rerum temporalium abundantiam tribuisse. Itaque communicato inter se salubri consilio, summum Pontificem adierunt, eiusque authoritate freti, eum Molismum reuocauère. Vbi ieiunijs & orationibus continenter insistens, æmulatione Dei æmulabatur sibi subiectos, itá vt breuì obseruantiam disciplinæ regularis apud illos instauràrit. Erant autem inter illos quatuor viri fortiores, nempe Albericus & Stephanus, atque alij duo, qui post cœnobiticæ exercitationis rudimenta, ad singulare eremi certamen suspirabant. Egressi ergò de cœnobio Molismensi, venerunt ad quendam locum cui Vinicus nomen est: quem cùm aliquanto tempore incoluissent, ad instantiam Molismensium à venerabili viro Ioceranno Lingonensi Episcopo, nisì reuerterentur, excommunicationis sententiam exceperunt. Compulsi ergo eum, quem diximus, locum relinquere, venerunt ad syluam quandam, ab incolis Cistertium nuncupatam: vbi in honorem beatæ Dei genitricis oratorium construentes, nec minis nec precibus à suo deinceps proposito potuerunt reuocari, spiritu feruentes, & infatigabiliter die ac nocte Domino seruientes. Audiens autem beatus Robertus sanctã illorum conuersationem, assumptis secum viginti & duobus fratribus, perrexit ad eos, vt sancti eorum propositi esset particeps & adiutor. A quibus summa cum deuotione susceptus, eis aliquandiù paterna solicitudine præfuit, regulariter illorum vitam & mores instituens, atque seipsum religionis & honestatis formam & exemplum illis proponens. Sed Molismenses ægrè ferentes tanto se pastore destitui, summum Pontificem adierunt, vt vir Domini beatus Robertus ad ecclesiam Molismensem, quam priùs fundauerat, redire cogeretur. Porrò summus Pontifex vt audiuit nouellam Cistertiensium plantationem in Christo firmiter radicatam, gauisus est valdè, pręsertim quòd comperisset omni morum honestate eam pollere, fratresque beati Roberti exemplo formatos, sancti Benedicti regulam feruenter obseruare. At tamen animaduertens Molismensibus imminere excidium, si viri Dei præsentia fraudarentur, scripsit Episcopo Cabilonensi, vt aliò Cistertiensibus Abbate ordinato, beatum Robertum cogeret Molismum reuerti. Quod vbì beatus Robertus comperit, sciens quia melior est obedientia, quàm victimæ. & quasi scelus est idolatriæ, nolle acquiescere: dispositis apud Cistertium, quæ ad nouæ institutionis obseruantiam pertinebant, Abbatem eis præfecit, virum Deo dignum, Albericum, qui fuit vnus ex primis monachis ecclesiæ Molismensis. Sicque omnibus salubriter ordinatis, ad monasterium Molismense, quod ipse in honorem beatæ Mariæ fundauerat, reuersus est. Defuncto verò post biennium

Reuocatur Molismum. — *Cistertium à quibus primo habitatum.* — *S. Robertus præest Cistertiensib.* — *1. Reg. 15. Eccles 4.*

Sub hoc Stephano S. Bernardus monachum professus est.

ennium Alberico successit Stephanus, à beato Roberto Abbas Cistertiensis ordinatus.

Ità ergò nouellæ plantationis cùm esset institutor, & ad eius arbitrium vtriusque monasterij, Molismensis & Cistertiensis, ordinatio pertineret, cum duobus monachis Molismum redijt, Cistertiensibus quidem eius abitione mœrentibus, Molismensibus contrà eius reuersione gratulantibus. Obuiàm autem ei venit ex Barensi oppido honoratorum hominum atque plebeiorum multitudo maxima, qui eum cum grandi tripudio & diuinis laudibus exceperunt. At ille cum suo, immò cum Christi grege pusillo, putà Molismensi collegio, paratum sibi à Deo locum ingressus, diuinam, quæ cuncta dispensat, prouidentiam tota mentis alacritate magnificans, commissum sibi gregem paterno fouebat affectu, disciplinis regularibus illos instituens: immò verò exemplum regulariter viuendi seipsum illis præbens. Quàm autem modestę seueritatis in subditos, quàm liberalis & benignus in pauperes fuerit, non est silentio prætereundum. Die quadam duo clerici virum Dei præ foribus ecclesiæ repererunt, & ab illo instanter alimoniam petere cœperunt. Vir autem Domini, sicut totus misericordiæ visceribus affluebat, illorum cupiens leuare inopiam, statim quendam è fratribus, cui ex officio incumbebat ministrare mensis, accersiri pręcepit, eique mandauit, vt aliquid largiretur egenis illis. Respondente eo, panes in monasterio prorsùs nullos haberi: Vndè igitur, inquit vir sanctus, hodiè reficiendi sunt fratres? Ille se nescire respondit. Mox peractis ex more Missarum solennijs, fratres ad mensam accedere cœperunt.

S. Robertus redit Molismum.

Cumque sonitum cymbali, sicut illa hora moris est, vir sanctus audisset, ab œconomo sciscitabatur, vndè panes haberet, quos fratribus corpora refecturis esset appositurus. Tum ille, Paucos, inquit, reseruaui, in eam curam intentus, nè fratribus hora refectionis cibus deesset. At vir Dei zelo accensus, fremens & indignans, quòd in grege sibi commisso repertum esset inobedientiæ lolium & diffidentiæ zizania, ingressus refectorium, panes mensis appositos in sportam coniecit, eosque è colliculo ecclesiæ vicino in subterfluentes aquas per præceps abiecit, nolens in filijs Dei culpam inobedientiæ extare. Eius autem zelum Deus ex alto perspiciens, iam quibusdam pijs fœminis de Castellione inspirauerat, vt fratribus comesturis panes deferrent. Porrò vir Dei Robertus ad portam monasterij veniens, tres illic quadrigas offendit onustas panibus, quas memoratæ de Castellione fœminæ fratribus reficiendis adduxerant. Itaque conuocatis fratribus, diffidentem illum & inobedientem fratrem coram omnibus obiurgauit, cunctosque ad benè sperandum in necessitate de Dei misericordia salutaribus monitis animauit.

Vide sancti viri zelum.

Cùm autem vir beatus multa laborum certamina in Christi militia exegisset, vitæ præsentis iam planè pertæsus, dissolui & esse cum Christo ardenti desiderio cupiebat. Cuius votis Deus annuens, horam exitûs eius ab hac vita, non paucis antè diebus, sicut ipse optauerat, ei reuelauit: quam imminentem ille fratribus indicauit. Aliquandiù igitur corporis aduersa valetudine laborans, gratiæ merita virtute patientiæ cumulauit, glorians cum Apostolo in infirmitatibus suis, & virtuti Christi gratum intra se domicilium parans. Itaque anno ætatis suæ octogesimotertio, tertio Calendas Maij, corpus terræ reddidit: spiritum verò ad Deum, cui indefesso famulatu feruenter adhæserat, terra plorante, cælo gaudente, transmisit. Filij autem eius, monachi Molismenses, quorum omne gaudium & solatium in illo fuerat, amarissimè flentes, reuerendi patris exequijs deuotiùs insistebant: & licèt de superna eius meritorum retributione minimè dubitarent, immò de suffragijs per eius merita sibi conferendis confiderent: at tamen tanti patris præsentia, ab hac luce ipsis subtracta, non mediocriter angebantur. Et quia dum viueret, lucis se esse filium iustis operibus declarauit, quanti apud ipsum esset meriti, Deus in eius obitu ostendit. Nam supra domicilium illud, in quo eius exanime corpus iacebat, primo noctis crepusculo duæ lucidissimæ, eæque diuersi coloris irides apparuerunt: quæ ad amplitudinem magnæ plateæ se dilatantes, in quatuor partes terræ extendi videbantur: & altera quidem ab Aquilone ad Austrum, altera verò à Septentrione ad Orientem sese protulit. In summitate autem, vbi pariter iungebantur, clara lux instàr lunaris circuli refulgebat, eaque in altum sese protendens, tenebras noctis à loco illo penitùs exclusit. Porrò in hac luce crux rutilans visebatur, primò quidem exigua, sed paulatìm excrescens, magna euasit. Circum eam innumerabiles varij coloris erant circuli, in quibus singulis singulę ortæ sunt paruæ cruces, eæque rutilantes & cum suis circulis increscentes. Cumque se

2.Cor.12.

Obitus S. Roberti.

Eo defuncto, mira quædam videntur.

visque-

vsquequaquè in firmamento intendissent, totum Molismensem locum mirabiliter illustrabant: vt signis euidentibus doceretur, beatum virum, quieo in loco cum pietate dormitionem acceperat, filium lucis esse. Nec dubitandum, quin ad declaranda sanctitatis eius merita lumen illud cum crucibus cælitùs extiterit: vt daretur intelligi, sanctũ virum, respuentem opera tenebrarum, carnem suam crucifixisse cum vitijs & concupiscentijs. Idcircò autem multæ visæ sunt cruces, vt certo essent argumento, quamplurimos eius sancti viri futuros imitatores, sicut & ipse fuerat Christi. Quid verò irides illæ aliud sibi voluisse putandæ sunt, nisi vt intelligerentur signum esse fœderis inter Deum & hominem, inter creatorem & creaturam?

Expletis autem pro more circa beati viri corpus exequijs, gleba illa sanctissima à vicinis Abbatibus, alijsque reuerendis personis, ea causa congregatis, venerabiliter est tradita sepulturæ, & in ecclesia beatissimæ Mariæ Virginis, quam ipse in eius honorem fundauerat, honorificè tumulata. Deus autem omnipotens, vt post carnis depositionem famulum suum Robertum viuere comprobaret, multorum eum miraculorum gloria decorauit. Et ipse vir sanctus vt se ostenderet curam gerere filiorum, etiam postquàm subtracta est ab eorum oculis visio corporalis, si quandoquè fuissent in Dei seruitio negligentes, aut ad nocturnas preces, quas Matutinas vocant, tardiùs surrexissent, crebrò solitus est excitare custodem, arguens inertes ac negligentes, & hortans ad meliora deuotos. Beata quoquè Dei genitrix, quæ sibi desponsauerat virum Dei, dum adhuc vteri materni clauderetur angustijs, gratiam, quam singularem accepit à Domino, communicare non destitit seruo suo. Nam ab obitu sancti viri cœperunt creberrima fieri miracula in ecclesia Molismensi, quam ille construxerat in honorem eiusdem sacratissimæ virginis, cui à primæua ætate totum se dediderat, & deuotione seruierat speciali.

Etiam defunctus curã gerit Molismensium.

Diuinæ autem dispensationis gratia in omnem terram diuulgante miracula, quæ Deus omnipotens precibus suæ matris & beati Roberti meritis operari dignatus est in ecclesia Molismensi, cœpit vndiquè gentium confluere multitudo. In ijs quædam paupercula mulier, morbo laborans caduco, ad ecclesiam Molismensem venire constituit, auxilium à matre Domini & beato Roberto eius famulo quæsitura. Assumptis igitur secum duobus puerulis, quorum alter pendebat ad eius vbera, alter verò gressu debili matris vestigia sequebatur, iter prosequitur destinatum. Inclinante autem iam die, venit ad monasterium Quinceij, hospitium mendicans à monachis. Sed quia illorum canon intra fines monasterij sexum muliebrem non admittit, compulsa est misera mulier indè recedens in nemore pernoctare. Vbi sanè casu fortuito focum reperit, quem è sopitis cineribus rursùs excitans, cum duobus puerulis illic mansit. Media autem nocte lupus aduenit, & cùm mulier ex vna parte ignis sederet, crudelis bestia in altera recubauit. Quo viso, mulier fronti suæ signum crucis imprimens, se & pueros suos Deo & beatissimæ Virgini Mariæ, & beato Roberto deuotissimè commendauit. Intereà illam suus inuasit morbus, & dum corpus ceu exanime palpitat, lupus quasi de industria expectâsset, minorem puerum abripiens aufugit. Morbo autem illo se remittente, fœmina tanquàm à morte resurgens, inter brachia suum quærit infantulum, quem paulò antè tenuerat, nec alibì se reliquisse sciebat. Lætabatur se illo morbi dolore liberatam, sed eccè succedit dolor illo acerbior, quandò maiorem filium interrogans de minori, casum planè miserabilem cognoscit. Quid faceret misera mulier aut quò se verteret, nesciebat, sed inter lachrymas & eiulatus hæc subindè repetebat: Redde, redde depositum beatissima Maria, redde depositum Pater Molismensis. Mira res. Dum isthæc crebrò repetit, & beatam Mariam sanctumque Robertum sæpiùs inuocando vim doloris sui exprimit: eccè bellua, suæ ferocitatis oblita, cui proprium est non parcere, sed vorare, de sylua procedens, & innoxio ore puerum deferens, eum incolumem reddit matri suæ. Tum illa conceptum mœrorem subsequenti lætitia profligans, cœptæ peregrinationis iter prosequitur, & in multorum præsentia rei seriem enarrat. Porrò in dorso pueri dentium relicta vestigia, eius verbis fidem conciliabant.

Miracula multa fiunt

Insigni miraculo lupus reddit infantem.

Item vir quidam in villa, quæ Nouallames dicitur, cum vxore sua negocijs externis occupatus, domo sua obserata, solum reliquit infantulum in cunis dormientẽ. Intereà ignis correpta materia paulatim increscens, in flammas sese etiam foràs diffundit: cumque iam in tecti superficie debaccharetur, accurrit populus, illi periculo remediũ allaturus; sed frustrà id fuit, flammis aditum in ædes prohibentibus. Accurrunt etiã parentes,

tes, pueri nomen crebrò appellantes, tundunt pectora, lacerant capillos, præ amore chari pignoris non sentiunt conflagrantes ędes, quarum dispendium eius saluti posthabebant. Mater hæc sæpiùs iterat: Esto clypeus à facie ignis deuorantis Domina Molismensis. Demùm aduolat ad puerum vterque parens: rogant Deum, vt vel cineres flammis absumpti pueri liceat inuenire. O rem planè stupendam. Attendant, qui audiunt, & tanti miraculi nouitatem miretur totus orbis. Inueniunt infantulum flammis arridentem, & cunabulis simul cum pannis in cineres redactis, in solum puerum sæuire nescit incendium. Ità in laudem suæ matris & ad beati Roberti merita declaranda, filius Dei patris, antiquum Babylonicæ fornacis dignatus est miraculum renouare. Puero itaque à parentibus oblato & ecclesiæ præsentato, conuenerunt plurimi Dominum collaudantes: quorum etiam consilio, nè res obliuione deleretur, literis mandata est.

Aliud præclarum miraculum.

Dan. 3.

At verò si vniuersa, quæ per seruum suum Dominus operatur, scribere velim, non potero par esse labori, citiusque me tempus, quàm rerum copia deficiet. Nam quotidiè in ecclesia Molismensi beati Roberti auxiliũ implorantibus, adest misericordia redemptoris nostri. Eius interuenientibus meritis, ad sepulcrum eius illuminantur cæci, debiles recipiunt gressum, ægri sanantur, maligni spiritus eius præsentiam non ferentes, ab obsessis corporibus expelluntur. Quod nè alicui incredibile videatur, pauca superioribus adiungemus. Duo ægri, fide feruentes, ad locum, in quo sancti corporis gleba, vitali spiritu vacuata, iacebat, accedentes, postquàm supponi feretro, eiusque sudarium contingere meruerunt, mox pristinam recepêre sanitatem, planctumque fratrum mœrentium in solenne gaudium de patrato per seruum Dei miraculo conuerterunt. Sed & sicut quondàm per puellam captiuam virtus Helisæi prophetę innotuit regi Syriæ, sic etiam per sexum muliebrem apud Francigenas innotescere voluit seruus Dei. Niuernensis enim Comitissa, cùm in quodam oppido cum puellarum militumque frequentia moraretur, monile aureum ferebat ad collum suum, tam auri fulgore, quàm gemmarum scalptura eximium. Cuius cùm splendorem & precium alijs indicatum cuperet, ablatum à collo suo manibus tenuit, alijsq; gestandũ tradidit. Mirabantur omnes monilis decorem, sed dum alij alijs illud visendum offerunt, atque interim de rebus alijs miscent colloquia, monilis obliuiscuntur. Deindè Comitissa manum mittens ad collum suum, cùm sentiret monile indè amotum, solicitè perquirit, cuinam illud tradidisset. Negabant singuli se illud habere: itaque matrona nobilis cœpit magìs ac magìs animo conturbari. Erat autem in eo loco multum straminis, quod illa iussit ventilari, & accensa lucerna, totam domum euerti. Sed cùm nulla posset ratione illud inuenire, puella quædam, quæ in eius erat obsequio, accessit ad illam, constantissimè asserens, si beatum Robertum fideliter inuocaret, fore, vt is monile amissum sine dubio ipsi restitueret. Eius consilio Comitissa acquiescens, cereum in honorem beati Roberti iussit ad ecclesiam Molismensem deportari, atque illic in honorem beatissimæ Virginis & sancti Roberti accendi. Quod cùm factum fuisset, statìm coram multa plebis frequentia monile in eius gremio est repertum. Itaque factus est vtriusque sexús hominum conuentus pro tanto miraculo laudantium Deum, & illum in beato Roberto famulo suo mirabilem prædicantium. Hoc autem miraculum in ea regione tam celebre euasit, vt quisquis aliquid amiserit, ad viri Dei auxilium confugere non moretur: atque ità rem amissam sine dilatione recuperet.

Duo ægri reualescũt.

4. Reg. 5.

Monile emissum, ad S. Roberti inuocationem reperitur.

VITA

VITA SANCTI PETRI MARTYRIS EX ORDINE PRAEDICATORVM: AVTHORE THOMA LENTINO *Patriarcha Hierosolymitano, eius contemporaneo. Dictionem in gratiam Lectoris eruditi passim nonnihil elimauimus.*

PROLOGVS AVTHORIS



TRES sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum & Spiritus sanctus. & tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua & sanguis. Sanctorum gloriam multis & varijs testimonijs adstruendam, sapientia diuina præuidit, quibus corda fidelium ad laudes suæ bonitatis celebrandas attētiùs erigeret, & in sanctorum venerationem vehementiùs & copiosiùs excitaret. Felix autem ille sanctus, cui & cælestia & terrena testimonia suffragantur, cui nec virtus cælestis deest ad gloriam, nec laus terrestris ad famam, longè lateque diffusam, & fidelium testimonijs comprobatā. Quæ quidē in beato Petro nouo martyre, strenuo fidei pugile, clariùs innotescunt, cuius sanctitati tota Trinitas præbet testimonium: Patris potentia in miraculis, Filij sapientia in doctrinis, Spiritûs sancti gratia in donis & virtutibus, quibus eum vberiùs ornauit, & præ eius participibus suorum charismatum vnctione perfudit. 1.Iohan.5. Cælestia & terrestria testimonia Sanctorum.

Vt autem fides in fidei pugile contra fidei oppugnatores, nempe hæreticos, illustriùs refulgeret, & suis micantibus radijs inuidorū oculos efficaciùs perstringeret, non defuêre illi etiam terrena testimonia, quandò & aqua baptismalis innocentiæ, quam à matris vtero inuiolatam semper retinuit: & spiritus sapientiæ, quam per Italiam latè diffudit: & sanguis triumphalis passionis, quam pro fide Christi fortissimè suscepit, multiplicem eius gloriam cum multa laude testantur: vt sanctis virginibus, doctoribus & martyribus par existimetur in præmio, quorum in terris merita magno studio est æmulatus. Sed hæc vt euidentiùs appareant, à primordijs vitæ eius vsque ad passionis triumphum narrationem stylo rudi pertexemus: quædam etiam cælitùs ostensa miracula adijciemus, quemadmodùm ad nos homines fide digni verissimè retulerunt: idq; in gloriam & honorem illius, qui gloria & honore suum martyrem coronauit. Aqua. Spiritus. Sanguis.

VITÆ HISTORIA.



BEatus Petrus martyr, Prædicatorum decus, Italiæ speculum, & fidei pugil ac propugnator egregius, in Gallia Cisalpina, quam Longobardiā vocant, ciuitate * Veronensi, ex parentibus hæresi deprauatis traxit originem: vt tanquàm lux è tenebris, rosa de spinis, flos è sentibus ortus, tanto ampliùs reluceret in mundo, redoleret in cœnobio, rutilaret in cælo, quòd è parentibus errore occæcatis, mente sauciatis atque corpore corruptis, decus virgineum, atq; è spinis & sentibus, æterno incendio addictis, martyr inclytus esset profectus. Nam tametsi parentes habuit hæreticos, quorum vt institutione erudiretur, & filium vera ratio admonebat, & puerum necessitudo compellebat: at nihilo minùs ità se mundum ab illorum seruauit erroribus & immunem, vt neque blandis parentum dolis, neque multa verborū frequentia, ad hæreticorum siue colloquia, siue consortia vel induci potuerit, vel compelli. Videbatur iam tum in tantilla ætate intelligere prouerbium, quod nondùm legerat: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. & illam Apostoli sententiam: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Quod enim à natura videmus homini & cæteris animantibus attributum, vt homo serpentis, agnus lupi conspectum horreat, & inditam hosti sæuitiam sentiat: hoc puerum bonæ indolis vnctio cęlestis edocuit: vt venenatorum serpentum consortia fugeret, & lupos rapaces, pellibus ouinis tectos, inimicos intelligeret, atque eorum commercia vitaret. Aprilis 29. quidam habent * Cumana, Eccli 13. 1.Cor.15. Menander.

Itaque

mediocriter lætarentur, si qua illi munuscula mittere possent: sicut fratres, qui tunc aderant, diligentiùs obseruârunt, de omnibus ad victum pertinentibus, quæ ob illius gratiam quotidiè mittebantur abundè, per integram Quadragesimam aut parùm, aut nihil sibi sumpsit, quemadmodùm solitus erat sæpiùs abstinere, illum, licèt eminùs, sequens, qui non ministrari venit, sed ministrare, quique propter nos, cùm diues esset, factus est egenus, vt illius inopia nos ditaremur. Matth.20. 2.Cor.8.

Cæterùm integritatem mentis & corporis, vtì à primis ætatis initijs cœperat, ità semper illibatam studuit conseruare, atque in ea conseruanda proficere: vt virgo & mente & corpore permanens, nullum vnquàm mortiferi criminis contagium senserit, quemadmodùm eius confessariorum fideli est testimonio comprobatum. Nè verò per ocij desidiam & inertiam hostilibus pateret insidijs, in iustificationibus Dei exercebatur assiduè, vt in ipso, rebus bonis & sanctis exercitijs perpetìm occupato, vitia nullum prorsùs locum obtinerent, & à spiritalibus nequitijs tutus esset. Præter hæc autem, quàm fuerit deuotione gratus, obedientia placidus, benignitate suauis, patientia constans, charitate præstabilis, deniquè in cunctis morum maturitate compositus, vbertìm testantur & seculares & monachi, qui viderunt, qui eius meruêre frui consortio, & qui ei familiariùs adhæserunt. Quantumcunquè verò polleret moribus & meritis refulgeret, nè quasi puluerem iactaret in ventum, si sine humilitate cæteras virtutes in pectoris sui armariolum congessisset, adeò se humilem & subiectum in fratrum conuentu & congregatione exhibuit, vt ad illorum obsequia & ministeria, quibus iuuenis solebat occupari, plerunquè se etiam senex facilem & vltroneum offerret. Itaque crebrò pia solicitudine seruiebat infirmis, sæpè hospites hilari excipiebat alloquio: interdùm etiam, verborum & gestuum decoro ac honestate seruata, officio ianitoris prudenter ac discretè fungebatur, nec ad vlla quantunuis humilia & abiecta officia se difficilem exhibebat vel inuoluntarium.

Mira animi & corporis integritas.

Magna humilitas.

Etsi autem interdùm cum Martha externis esset occupatus ministerijs, at tamen cum Maria solicitè sedens ad pedes Domini, neque noctibus, neque diebus à diuinis cessabat colloquijs, Euangelium Christi aut aliquem sacrum codicem sub axilla, vel in sinu aut manibus gestans, & quotiès licebat, vel lecta meditans, vel audita ruminans & memoriæ commendans. Tribuerat enim ei Deus desiderium sapientiæ, tantusque amator factus est legis diuinæ, vt cum illo Eunucho Aethiope etiam in ministerio quotidiano positus, quotiès daretur opportunitas, sacras lectitare literas non cessaret. Ità enim in illo grata sibi inuicèm vicissitudine succedebant & ardor discendi, & promerendi desiderium, vt mirum in modum etiam non minoratus actu, non minùs sapientiam perciperet, nec minùs sapientiæ vacaret. Contulerat enim ei diuina prouidentia cor docile & tenacem memoriam, quæ apud se deposita fideliter custodiret: & linguam eruditam, quæ recondita efficaciter alijs dispensaret. Quamobrèm sine moræ dispendio factum est cor eius promptuarium legis diuinæ, & sacrarum scripturarum armarium. Per idem autem tyrocinij sui tempus non immemor opprobriorum, & quæ hæretici Ecclesiæ Dei exprobrarent, neque obliuiosus zelator effectus, fidem Catholicam præcipuè, & ea, quæ ad fidei defensionem hæresumque oppugnationē pertinent, adeò suo animo affigebat, vt quasi fidei propugnator ardentior, totum se illius obsequijs, eiusque hostium exterminijs mancipare videretur, cunctaque eius verba & studia virtutem fidei redolerent: adeoque circa illius, cuius asserendæ desiderio totus ardebat, defensionem profecit & inualuit, vt posteà contra diros illius hostes mente intrepida feruentique spiritu continuum certamen exercens, diuturnum agonem suum tandèm victrice martyrio felicissimè consummârit. Pro hac enim ab ineunte ferè ætate mortem subire cupiens, hoc vel maximè à Domino attentis & crebris precibus postulauit, vtì nè sineret ipsum ex hac luce migrare, nisì hausto pro illo passionis calice. Nec est fraudatus suo desiderio.

Luc.10.

Actor.8.

Actioni & contemplationi vicissim dat operam.

Eius studia.

Martyrij desideriū.

Itaque disponente Domino lucernam suam non occultare sub modio, sed breui temporis spatio exacto, super prędicationis candelabrum altiùs sublimare: credita est illi eloquiorum dispensatio Diuinorum, & celeriùs studia sua virtute cælitùs comitante, factus est concionator siue predicator generalis. Vbì verò tanquàm alter Gedeon tubam prædicationis assumpsit, quàm præclaro clangore insonuerit hostes fugans, fideles excitans, multis in locis compertum est. Exiuit enim sonus eius in omnem terram prouinciæ Longobardicæ, & loca Vrbi vicina, nec partem exiguam Tusciæ, itemque in totam Romandiolam siue Flaminiam & Marchiam Anconitanam. Quas enim ciuita-

Iudic.7.

Est insignis cōcionator.

tes vel oppida earum regionum salutiferis aliquandò clamoribus non impleuit? Quorum hominum, ijs in locis degentium, non concussit corda vel pulsauit auditum? Vbiquè in illis regionibus sanctæ opinionis eius diffusus est odor, sed alijs odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem: vbiquè magnum suî excitauit desiderium, vbiquè celebre factum est nomen eius. Auris audiens beatificauit eum, & oculus eum videns, de sanctis operibus, fidei exaltatione, & victrice errorum confutatione testimonium perhibebat. Quantos autem quales've fructus attulerit in salutem animarum, & suorum cumulationem meritorum, solus ille nouit, qui numerat multitudinem stellarum, & cui nuda & aperta sunt omnia. Veruntamen ex diuturnitate temporis, ex labore multiplici, ex magnitudine gratiæ & virtutis, præclara sancti martyris merita præclariùs innotescunt. Si enim beatus ille est, qui iugum Domini portauit ab adolescentia sua: quanto is beatior, qui tanquàm Beniamin adolescentulus, in excessu sanctitatis & virginitatis thalamo, triginta ferè annorum spatio in Prædicatorum collegio commoratus, totum tempus & numerum dierum vitæ suæ in diuinis officijs & obsequijs vsque ad triumphalem passionis titulum studiosè expendit? Quòd si verò bonorum operum vel laborum gloriosus est fructus: quis labores, quos hic operarius Domini siue in recipiendarum confessionum studijs, siue in prædicationum clamoribus pertulir, dignè poterit enarrare? Vt enim dies pleni inuenirentur in eo, & noctes vacuas non haberet, nocturna silentia, humana deputata quieti, post dormitionem breuem exigebat in studijs lectionum, & somni tempus deuotis orationum suspirijs occupabat: dies autem impendebat commodis animarum, vel quotidianis aut sedulis incumbendo concionibus, vel auscultandis confessionibus, aut hæreticorum pestifera dogmata validis contundendo rationibus: in quibus quidem specialis gratiæ munere fertur claruisse.

Psal.146. Heb.4. Thren.3. Psal.67. Sap.3. Noctes vt exegerit. Item dies.

Sic verò gratiam gratiæ exæquabat Dominus, vt multitudo populi, ad conciones eius vndiquè confluentis, gratiæ eius magnitudinem indicaret. De vrbibus enim & castris cum vexillis & tubis sonantibus erumpebant obuiàm venienti: recedentem quoquè interdùm tam multi sequebantur, vt vix ab eis se posset auellere. Sæpè etiam, vbi concionari statuerat, innumera hominum multitudo accurrens, locaque præripiens & tempus anteuertens, illum intolerabiliter premebat. Quam ob causam Mediolanensis populus, insigni erga sanctum virum deuotionis argumento, in carruca, ex pictis asseribus fabricata, non tergis iumentorum, sed humeris gestata fidelium, illum repositum, & à compressione importunæ multitudinis seruabat illæsum, & habendæ concioni opportuniùs locum pro eo captabat cæteris eminentiorem. Ità verò deduci decebat agricolam Dei, qui semen veritatis contra hæreses, semen pacis inter odia, semen deniquè iustitiæ aduersùs scelera seminabat. Et certè multi abiurabant hæreses, catholica veritate perspecta: plures, condonatis iniurijs, finem discordijs & simultatibus imponebant: plurimi verò sua confitentes peccata, ad agendam pœnitentiam se comparabant. Qui enim ministrabat eiusmodi semina seminanti, etiam fructus tales ex ijs seminibus abundantiùs producebat. Vndè etiam labores ei leues & dies pauci præ diuini amoris magnitudine videbantur. Sicut autem ad quoslibet tolerandos labores amor Dei, & gaudium, ex magno fructuum prouentu conceptum, illum fortiùs confirmabāt: sic ad aggredienda ardua quæque superna eum animabat fidutia, experimentis plurimis comprobata. Adeò enim diuino confidebat auxilio, vt planè sibi persuaderet, vix esse vllos tam duræ ceruicis homines siue in vrbibus, siue in castris, quorum corda salubriter conterere & concutere non posset, si non deesset tempus diutiùs apud illos concionandi. Quamobrèm etiamsi interdū accidisset, quod quidem accidit rarissimè, vt vrbem ingressus vel pagum, in prima vel altera concione multos auditores non haberet, eam, quam diximus, fidutiam socijs pro illorum consolatione exponebat, illud propheticum adducens: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Quod non semel duntaxàt, sicut Ionæ, sed multotiès & in multis ità constat ei euenisse.

Innumeri ad eius conciones confluunt. Fructus concionū eius. Ionæ 3.

Cùm autem instàr pluuiæ eius doctrina increscerct, inter ipsos sermonum quasi cælitùs effusos imbres, Domino illi cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, multa cœperunt miracula coruscare. Cùm enim quadam die Mediolani præ foribus ecclesiæ B. Eustorgij concionaretur, cuidam muto adolescenti, ad eum populi deuotione adducto, in os immisit digitum, conficiendo Christi corpori consecratum, moxque soluto vinculo linguæ eius, beneficium loquelæ restituit. Interrogatus enim statìm adolescens, qui decem annis mutus permanserat, quid habuisset in ore: Digitum,

Miraculis coruscat. Mutus loquitur.

tum, inquit, tuum: simulque coram omnibus in vberes gratiarum actiones prorumpens, recèns apertorum Christo reddidit labiorum vitulos. Etsi autem hoc miraculo meritò obstrui debuerint ora hæreticorum iniqua loquentium: at nihilominùs illi, tanquàm canes impudentissimi, salutifera confusione non sunt confusi, & erubescere nesciêrunt. Itaque ad sancti sui gloriam plura signa innouauit Dominus, & mirabilia immutauit. Nam quodam die, cùm apud Mediolanum quendam episcopum Manichęorum beatus Petrus examinaret, multis episcopis & religiosis, atque bona ciuitatis parte ad hoc spectaculum congregatis, & dies tum concione, tum hæreticorum examinatione in longum protracta fuisset, æstusque ingens cunctos affligeret: hæresiarcha ille opportunum, vt putabat, subsannandi tempus nactus, coram omnibus exclamauit: O Petre peruerse, si tu es tam sanctus, quàm hic populus stultus affirmat: cur illum pateris tanto solis ardore cruciari, nec rogas Dominum, vt nubem aliquam interponat, nè stultus hic populus æstu nimio conficiatur? Cui cùm athleta fidei fidenter respondisset, se ità, vt dixerat ipse, facturum, si promitteret, se abiurata hæresi fidem sanam complexurum: multi ex Catholicis propter eam sancti viri sponsionem contristari cœperunt, verentes nè fides Cathoiica hac occasione pateret ignominiæ: è diuerso autem permulti hæretici lætati sunt, sperantes fore, vt vir sanctus pudore afficeretur, maximè cùm toto cælo nulla vel exigua nubecula appareret: atque idcircò suum illum episcopum infestis clamoribus hortabantur, vt incunctanter promitteret. Sed cùm hac ratione pertinacia hæretici, se obligare nolentis, frangi non posset, vel aliqua ex parte emolliri, beatus Petrus, qui neque propter hæreticorum gaudium, neque propter Catholicorum metum, benè sperans in Domino, animo conciderat: Vt appareat, inquit, quòd bonus Deus omnium visibilium est creator & opifex, ego illum rogo, vt ad consolationem in se credentium, & incredulorum confutationem, aliquam nobis dignetur creare nubeculam, quæ inter solem & populum interposita, nos tueri possit ab hoc æstu. Quod vbì ab illo ex pulpito quodam eminenti, præmisso Crucis signo, dictum fuit, mox Dominus nubem instàr tentorij effecit, quæ multo temporis spatio populum omnem sua vmbra protexit, causamque lætandi & hæreticis insultandi auxit Catholicis.

Manichæorum Episcopum examinat.

Nubecula diuinitùs creatur ad preces eius.

Alio etiam die, similiter disputationi cum hæreticis præstituto, cùm moras facerent fratres, è vicinis monasterijs acciti, filij tenebrarum prudentiores filijs lucis, armis veritatis destituti, se multitudine armauerunt, vt quem ratione non poterant, saltem multiloquio superarent. Adfuit inter eos quidam, quem suæ perfidiæ patronum delegerant, vir loquax, clamosus & malignus, sermonum versutijs instructus. Is vbì pugilem fidei cum socio suo adstantem vidit, statim verborum tendiculas pedibus eius apposuit, & vt incautum impelleret in ruinam, cœpit importunè multoque clamore insistere, vt ad ea, quæ proposuerat, responderet. Sæpiùs illo vociferante, vir Dei attendens, non licere seruo Dei contendere & litigare, nec prodesse, si verba veritatis & sobrietatis promantur, vbi non est auditus: simul etiam non immemor misericordiæ Dei, totum se ad orandum contulit, attentè rogans Deum, vt hostes vel inuiti erubescerent tanquàm impij, & muta fierent labia dolosa, aut certè pro sua clementia iuberet solem veræ intelligentiæ illis oriri. Nec mora: alterum è duobus impetrauit. Cùm enim fidei propugnator aduersùs veritatis inimicum fidenter insisteret, vrgeretque, vt rursùs suam ille quæstionem proponeret: ità Dominicæ virtuti satanica verba cesserunt, atque ille paulò antè tam loquax & garrulus repentè sic obmutuit & elinguis effectus est, vt neque ad quærendum, neque ad respondendum os vel tenuiter aperire potuerit. Itaque perfidi comites illius alij aliò dissipati sunt, nec compuncti, eorum duritia obsistente.

2. Tim. 2.

Hæreticus loquacissimus obmutescit.

Contigit quandoquè, viro beato cum episcopo Placentino iter agente, vt ad ædes viri nobilis, domini Gaufridi de Lomelo diuerterent, cuius filium Henricum ità gulæ tumor premebat, vt nec loqui posset, nec spirare. Itaque parentes eius, propinqua filij morte anxij, vitamque illius desperantes, vbì audiêrunt fratris Petri Veronensis aduentum, ambo illi obuiàm occurrunt, moribundum puerum mœsti nunciant atque solicitè commendant. Accessit ille ad puerum, sublatisque ad Deum manibus, crucis ei impressit signum. Puer iam deuotus languenti collo, tanquàm singulare remedium, sancti viri cucullum admouit, perceptaque benedictione, simul etiam sanitatem recepit. Quod pater eius accuratè & libenter inspiciens, nouum cucullum ei donauit, tantæque virtutis veterem apud se retinuit: neque id sanè ad insipientiam sibi. Nam posteà ipse

Contactus cuculli eius sanat puerum.

vir nobilis, diris viscerum torsionibus vexatus, cùm sibi metueret mortis imminere discrimen, cucullum illum, quem hactenùs asseruauerat, reuerenter iussit adferri, eoque pectori suo apposito, mox vermem quendam bicipitem & valdè pilosum euomuit, post illum vomitum plenam ilicò sanitatem adeptus.

Itē eius parentem.

Quanuis autem apud magnates magnificaret Dominus sanctum suum, non minùs ille tamen pauperibus monasticæ vitæ professoribus affabilem & amicabilem se exhibebat specialis deuotionis affectu. Quibus cùm frequenter gratiam visitationis impenderet, flammas diuini amoris in eis accendens, vacillantes confirmans sermonibus suis, confortans manus remissas, & genua trementia roborans: contigit, vt in quodam castello Mediolanensis diœcesis, nomine Caracte, ad humiliatorum fratrum domum suo more se conferret. Perductus est autem à nonnullis, de ipsius suffragio confidentibus, ad sororem quandam, Carasiam nomine, quæ adeò iacebat corporis viribus destituta, septemque annis iam iacuerat, vt etiam pro qualibet necessitate non posset surgere. Ad quam vt peruenit, sic precatus est: Domine, qui sanâsti paralyticum & Lazarum suscitâsti, obsecro, vt huic etiam mulieri digneris restituere sanitatem. Protinùs illa liberata, eadem vespera de suo grabato exurgens, altero manè redeunti occurit, ac deindè quoàd vixit, nempe annis septem, permansit incolumis, & officijs pristinis integrè restituta. Eius generis aliud quiddam etiam Mediolani contigit, cùm quidam, Acerbus nomine, qui quinquennio miserè fuerat contractus, in vehiculo ad sanctum virum adductus est: à quo cùm esset consignatus, continuò surrexit incolumis.

Matth. 9. Iohan. 11.

Meritis etiam serui Dei veniam peccatorum & sperare potuit, & impetrare Mantuana quædam mulier, cuius salutem multi desperauerant. In mortis enim discrimine constituta, longo temporis spatio iam linguæ vsum perdiderat. Ad eam vir sanctus rogatus accessit, & vt vita posset ad eam ingredi per auditum, & ex ore prodire per confessionem, capitio reuerenter detracto, cùm dixisset, Dominus vobiscum, primam lectionem sancti Euangelij secundùm Iohannem, vt primò audiret effecit, & mox vt confitendo peccata sua ipsi loqueretur, iniunxit. Illa incipiente vti obedientia, vel potiùs gratia salutari, stupefacti circunstantes & hilaritate perfusi, è domo egressi sunt, nè confitentis peccata audirēt: sed ea tamen posteà tam alta voce vti cœpit, vt confessionem generalem, quam fecit, sub finem distinctè audire & intelligere possent etiam extra domum. Has ob causas fama illius & gratia non solùm in ea, quam diximus, ciuitate, sed vbiquè per patriam in dies augmenta capiebat, & latiùs spargebatur. Neque id mirum, quandò hæc & plura alia, dum adhuc viueret, per eum Dominus operari dignatus est. Complures enim dæmoniacos, diuersisque vexatos morbis solo contactu vel Crucis signo curauit, sicut multorum fidedignorum testimonijs est comprobatum.

Mulier desperata, in vtroque homine sanatur.

Multi curātur dæmoniaci.

Verùm cùm pestis hæretica in Longobardia pullularet, & multas iam ciuitates contagione pestifera infecisset, summus Pontifex Innocentius quartus, non ignorans quàm perniciosa esset ouibus luporum admixtio, ad pestem illam satanicam abolendam, diuersos Inquisitores ex ordine Prædicatorum, tanquàm canes quosdam, qui lupos ab ouibus arcerent, ad diuersa Longobardiæ loca prudenter ablegauit. Sed cum Mediolani hæretici non solùm multi numero, sed etiam magni seculari potentia, versuti multa fraudulentia, garrulitate loquaces, satanicaque instructi scientia residerent, idem Pontifex sciens beatum Petrum esse virum magnanimum, qui ab hostium multitudine neutiquàm formidaret: animaduertens quoquè eius virtutis constantiam, qua aduersariorum potentiæ nec in minimo esset cessurus: atque compertam habens eius facundiam, qua posset hæreticorum contundere fallaciam & vanitatem: deniquè certò sciens eum in diuina sapientia egregiè eruditum, qua friuola hæreticorum argumenta facilè esset confutaturus, quippe qui à puero inter hæreticos vixisset, & quemadmodùm scripturas detorquerent ac prauè interpretarentur, quibus etiam verbis & fucis cauteriatas conscientias suas obtegerent, crebris pugnis & diuturnis experimentis probè didicisset: tam strenuum fidei pugilem, tamq; indefessum Domini bellatorem, Mediolani & in Comitatu Mediolanensi instituit hæreticæ prauitatis Inquisitorem, plena ei authoritate concessa. Ille verò demandatum sibi munus diligenter obiens, Samsonis vulpeculas accuratè perquisiuit, easque dissipauit vbiquè, nullam eis requiem tribuens, sed mirabiliter eas confundens, ac potenter profligans, ità vt non possent resistere sapientiæ & spiritui, qui per eum loquebatur. Inerat ei sanè spiritalis in suscipiendis id genus certaminibus fidutia aduersus hostes, quam ex diuina reuelatione conceperat. Nam cùm vice quadam ob futuros eosque incertos euentus nonnihil paueret,

Fit Inquisitor in ditione Mediolanensi. Iudic. 15.

ret, atque ante altare sacratissimæ Virginis agones suos Virgini commendaret, per beatissimam Virginem virgini dormienti responsum est, quod per filium Virginis iam olim, imminente eius passione, alteri Petro dictum fuit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ità factum est, vt nec certa fiducia illum diffidere, nec feruor indeficiens tepere, nec multa experientia formidare permitteret: sed sicut leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauet occursum: ità ipse non raro hostibus offerebat sub ea conditione congressum, vt illi quotquot possent secum adducerent de toto exercitu scripturarum: ipse verò vno solo contra eos contentus esset milite, beatum Paulum significans, quem sibi delegerat athletam inuictum aduersùm omnes fidei peruersores. Sæpiùs etiam obtulit sese hæreticis paratum ad flammas vltrò subeundas pro asserenda veritate fidei catholicæ, si illi pariter ignis certamen experiri vellent. Deniquè pro ea fide vitam suam nō modò periculis, sed morti etiam obijcere valdè appetebat. Probabile autem est, ex diuina reuelatione eum habuisse, quod tam fideliter, tamque frequenter prophetico spiritu proferebat. Nam veluti de felici martyrio suo, atq; etiam de loco sepulturæ suæ certus, vtrunque fratribus hac ratione eum prædixisse compertum est: Scitote inquit, me ex hac vita non nisi incredulorum peremptum manibus abiturum, nec dubitetis Mediolani me sepulcrum habiturum. nec de suo metuebat præmio, qui tam erat certus de merito. Sciens enim, cui credidisset, nō arrogantèr, sed fidenter ità sibi post bella victoriam promittebat, vt firmiter speraret & crederet, nomen eius in litanijs commemoratum, & eius festum diem in Calendarijs adscriptum iri. O beatum virum, cui in præsenti vita iam futura inchoauerat, & cuius pedes iam in atrijs cælestis Ierusalem stabant, quique adhuc in carne degens corruptibili, gloriæ immortalis & incorruptibilis laudisque sempiternæ primitias degustabat.

Luc. 22.

Prouer. 30.

Mortē suā prædicit, & sepulturæ locum.

Præuidens autem vir sanctus, è propinquo adesse diem suæ passionis, summi Pontificis mandata tanto constantiùs atque instantiùs cœpit exequi, quanto propiùs cernebat sibi repositam coronam iustitiæ, in illo die à iusto iudice ipsi reddendam. Videntes verò heretici atq; dolentes negocium fidei per illum tam prosperos habere successus, de eius nece cum suis fautoribus tractare cœperunt, existimantes tum demùm tranquillè se posse viuere, si ipsorum tam validus persecutor è medio sublatus esset. Nec latuère sanctum virum illorum machinationes, quippe quas certa plurimorum relatione didicisset: sed tanquàm pugil inuictus & intrepidus, nec metuebat quod iampridèm ardenti desiderio sitierat: nec in ijs, quæ magna fiducia susceperat, tepescebat: sciens, occidi quidem se posse, sed neque sic tamen superatum iri. Itaque in Dominica, quæ dicitur Palmarum, quatuordecim diebus ante suum obitum, iam præscius beati martyrij sui, Mediolani coram multa populi frequentia è suggestu palàm dixit, se non ignorare hæreticos ipsi necem meditatos esse, & iam pecuniam sicario numerandam alicubì depositam esse. Sed agant illi, inquit, quicquid volent, plùs me sentient facturum contra se etiam post obitum, quàm fecerim viuens. Assignato autem quibusdam hæreticorum fautoribus termino peremptorio ad octauum Paschatis diem, vt mandatis Ecclesiæ omninò parerent, prædicens se ad illum terminum reuersurum, ad Cumanam ciuitatem profectus est, vbi Prioris inter fratres suos officio fungebatur.

Hæretici de eius nece tractant.

Porrò anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimosecundo, die sabbati illius, quod est finis Septuagesimæ, diciturq; sabbatum in Albis, & Pascha annotinum, athleta Christi de suo cœnobio ad certamen fidei Mediolanum contendens, nitebatur præfixum terminū præuenire. Cumq; iter medium carperet, quidā funestus hæreticus & cruentus hæreticorum satelles, eorū precibus adductus, & precio librarum quadraginta conductus, in beatū virum, iter salutaris propositi persequentem, in agnum vtiquè lupus, in mitem ferus, in piū impius, furibundus in mansuetū, prophanus in sanctum ausu sacrilego incurrit, & de Christi sacerdote victimā faciens, sacrum illius caput ense cruento ferit, diraq; illi semel atq; iterùm repetitis ictibus vulnera imprimit. Deindè nihil diuertentem ab hoste, sed protinùs hostiam sese exhibentem, illiusq; truces ictus patienter excipientem, semineçem humi prostratum reliquit, & ad fratrem Dominicum sancti viri comitem, aërem miserandis vocibus implentem, opemq; & auxilium implorantem, mox cruentus carnifex se conuertit, & quatuor illi letalia vulnera infixit. Intereà B. Petrus in parte alia se Domino commendans: In manus tuas Domine, inquit, commendo spiritū meum, à fidei catholicæ professione & præconio etiam in hoc articulo minimè desistens, sed symbolū fidei, quod propter patrui blandimenta puer abnegare noluit, in ipsis mortis angoribus, tanquàm egregius fidei propugnator,

Crudeliter cæditur à sicario ad id conducto.

Item F. Dominicus.

nequaquàm oblitus recitare: quemadmodùm etiam ille scelestus carnifex, fugæ præsidio destitutus, & à fidelibus, quos fratris Dominici clamores excitauerant, posteà captus, atq; idem quoquè frater Dominicus, aliquot diebus superuiuēs, testati sunt. Cùm autem adhuc palpitaret vir sanctus, cultrum homo ille sanguinarius per eius latera adegit, eoque confosso, beatum illius martyrium absoluit. Atque ità expleta huius peregrinationis Septuagesima, felix viator cælestem peruenit ad patriam: ità stolam suam martyr & virgo dealbauit in Albis: ità deniquè ad æternum celebrandum sabbatum, ex sabbato temporario migrauit. Pascha etiam annotinum suo agno non caruit, quandò B. Petrus in illo tanquàm agnus innocens immolatus, ipso sui martyrij die simul & confessor, & martyr, & propheta, & doctor quodammodò esse promeruit. Confessor quidem, quandò eodem die confessione more solito facta, Deo sacrificium laudis obtulit, & fidē Christi inter tormenta constanter cōfessus est: Doctor verò, clara voce veram docendo fidem, dum apostolicum symbolum disertè pronunciauit: Martyr autem, pro defensione fidei sanguinem fundendo suum: Propheta deniquè, dum prophetico spiritu id, quod euenturū erat, prædixit. Patiebatur enim per id tempus quartanam febrem, socijsque dicentibus, illa die se Mediolanum attingere non posse, respondit: Si ad domum fratrum peruenire non dabitur, apud S. Simplicianum licebit hospitio vti. quod ità factum est. Nam cùm eius sacrum corpus curru Mediolanum adueheretur, eius percussore iam capto & vel inuito sequente, fama tanti facinoris celeriter Mediolanum aduolans, vrbem totam populo concurrente & tumultuante concussit & perturbauit, nec eum populi concursum Magistratus Mediolanensis inopinatæ perturbationis metu attonitus, etiam clausis vrbis portis impedire potuit: quin tanta fieret plebis obuiàm euntis impressio, vt ipse etiam Archiepiscopus, cum suo Clero & permultis religiosis sancto martyri instituta processione occurrens, vix ad sacrum corpus pertingere potuerit. Quæ res impedimento fuit, vt fratres ad suum cœnobium illud ea die perducere non possent, sed apud S. Simplicianum illa nocte depositum sit, fratribus apud illud pernoctantibus.

Moriēs fuit Confessor. Doctor. Martyr. Propheta.

Percussor eius captus.

Est verò hoc loco illud nequaquàm prætermittendum, quod eius martyrium reddit illustrius atque celebrius. Habet enim passio eius quandam cum Christi passione similitudinem. Christus pro veritate fidei, quam docebat, passus est: Petrus pro eiusdem fidei defensione. Christus ab infideli populo Iudæorum: Petrus à perfidiosa turba hæreticorum. Christus Paschali tempore cruci affixus est: Petrus eodem tempore cæsus est. Christus sub mortem, In manus tuas, inquit ad Patrem, commendo spiritum meum: Petrus ijsdem visus est verbis morti proximus. Christus pro triginta argenteis proditus est, vt crucifigeretur: Petrus quadraginta libris Ticinensibus venditus est, vt tolleretur è medio. Christus sua passione multos adduxit ad fidem: Petrus sua morte complures hæreticos conuertit. Nam licèt, dum esset in viuis, pestifera hæreticorum dogmata egregiè extirpârit: at tamen post obitum, meritis eius intercedentibus, & crebris coruscantibus miraculis, adeò ea profligata sunt, vt plurimi relictis erroribus, ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium conuolârint, ipsaque vrbs & Comitatus Mediolanensis, vbi tot priùs hæreticorum conuenticula resederant, adeò sint repurgata, vt pulsis alijs, alijsq; resipiscentibus, nullus ibi apparere ausus fuerit. Multi etiam ex eis hæresiarchæ insignes & magni nominis, S. Dominici institutum complexi sunt, ijdemque hæreticos & eorum fautores vsque in præsens mirabili feruore persequuntur. Ità nimirùm Samson plures occidit Philistæos moriens, quàm occiderat viuens. Sic granum frumenti cadens in terram, perfidorum manibus mortificatum, vberem surgit in spicam. Sic aromata pilo contusa, odoris fragrantiam latiùs fundunt. Ità granum sinapis attritum, vim suam efficaciùs exerit. Deniquè Petrus noster ità pressus acerbæ passionis torculari, gratissimi liquoris redundat in copiam.

Passio eius in quibus Christi passionem imitetur.

Luc. 23.

Multi hæretici conuertuntur, visis eius defuncti miraculis.

Iudic. 16.

Cæterùm post viri sancti gloriosum triumphum, cæli rosario dudùm clauso, sed per beati Petri martyrium, vt ità loquamur, reserato, cælestia miracula crebriùs declarata sunt, quibus Dominus suum martyrem illustrauit. Terra quoquè eius roseo sanguine madidata, vberiores fructus protulit, eosque cælo intulit lætabunda, præconis fidei & martyris Christi suffulta suffragijs, quæ in multis orbis regionibus atque prouincijs signorum euidentia declarantur. Quorum etsi nonnulla summus Pontifex suis literis strictim comprehenderit, & nos tamen, quoàd possumus, miraculorum ordinem prosequentes, ad lectorum & auditorum ædificationem latiùs ea distribuimus, alia quædam adijcientes, quæ posteà fidelium hominum testimonijs verisi-

tissimè sunt approbata: vbi tamen hoc præmissum volumus, plura esse edita miracula, quàm sint in scripta redacta, multa etiam prolixitatis vitandæ causa prætermissa. Pauca autem, quæ tacere noluimus, iam commemoramus. Eodem die, quo cæsus est vir beatus, mulier quædam morbo laborans, (dicebatur autem Iacoba) ad sancti corpus auida accessit: sed cùm, premente turba, longo temporis spatio non posset ad illud peruenire, vt quandoquè sui morbi inueniret remedium, quod à medicis frustrà expectârat, tandem ægrè in ecclesiam sancti Simpliciani, vbi corpus martyris iacebat, introducta, super caput suum, ex quo fistulæ morbo iam aliquot ossa perdiderat, manu martyris lignum Crucis expressit, & integræ sanitatis beneficium obtinuit. Multa eius post obitũ miracula. Insigne miraculum.

Eodem die in monasterio dominarum de Ripolis prope Florentiam, cùm quedam sanctimonialis precibus esset intẽta, nonnihil correpta somno, vidit beatissimam Mariam virginem in sublimi throno gloriosam residere, atque hincindè duos fratres illi assidere. cumque admirãs quæreret, quisnam alter eorum esset, audiuit vocem ipsi respondentẽ: Hic est Petrus Veronensis, qui in conspectu Domini tanquàm fumus aromatum gloriosus ascendit. Quod quidem mysterij significatione non vacat, quandò frater Dominicus, qui cum eo visus est cælum ascendere, non tamen auditus est cum illo nominari. Cùm enim pariter cum illo passus sit, creditur etiam cælum cum illo ascendisse: non tamen vnà cum illo sanctorum catálogo adscriptus est. Itaque ea soror fama vulgante postmodùm cognoscens, in vnum eundemque diem & sancti viri martyrium, & suam visionem incidisse, mox concepta fiducia martyri votum nuncupauit, pijsque precibus meruit à morbo quodam confestim liberari. Atque ità eius visionis veritas, tum temporis concordia, tum miraculosa sanitatis recuperatione, tanquàm duplici argumento, comprobata est. Visio cuiusdã monialis

Vt autem catholicorũ tristitia, tanti propugnatoris obitu nata, nouæ lucis ortu plenum verteretur in gaudium, lampades ad venerabile sepulcrũ martyris in ecclesia beati Eustorgij pendentes, pleræque ex seipsis absque omni humano studio & opera sunt accensæ: quippe cumprimis congruũ id erat, vt qui fidei lumine & igne claruerat, singulari quodam lucis & ignis miraculo ornaretur. Super locum etiam passionis eius non rarò luminaria quædam e cælo descendentia, & ad cælum redeuntia permulti religiosi alijque visibiliter conspexère, atque inter illa duos fratres in habitu fratrũ Prædicatorum se vidisse testati sunt. Lampades diuinitùs accẽduntur.

Cùm autem id genus rumores ad sedem Apostolicam afferrentur, & summus Pontifex ab hominibus fide dignis tam præclara miracula perciperet, catholicæ fidei exaltationi, noui martyris ornamentis, & Apostolicæ sedis, cuius Inquisitorem ac pugilem Dominus tam mirificè illustrare dignaretur, honori congratulans, virgineam eius innocẽtiam iussit accuratè discuti, & in multa eius merita solicitè inquiri, miracula quoquè diligenter examinari. Atque vbi perspicuè cognouit famam vinci rerum veritate, maioraque comperisset, quàm ad ipsum perlata fuerant: de communi consilio Cardinalium & Prælatorũ omnium, qui per id tempus apud sedem Apostolicã residebant, VIII. Calend. Aprilis, nondùm exacto post martyriũ anno primo, illum Perusij in platea ecclesiæ fratrum Dominicanorũ, adstante ipsi Cleri plebisque, itemque religiosorum, nobilium ac procerum multa frequentia, alijs vbertim flentibus præ gaudio, alijs Deum magna voce laudantibus, vniuersis deniquè mirificè tripudiantibus, & solenni ritu diem festũ celebrantibus, cum mirabili cereorum ardentium multitudine & eximio sacrarum vestium apparatu, sanctorum martyrum catalogo statuit adscribẽdum. Sed quia dies passionis eius, qui fuit septimus Aprilis, in festa Paschalia crebrò incidit, eius festum diem tertio Calẽdas Maij iussit ab omnibus fidelibus deuotè & solenniter celebrari. Vbi autem per orbẽ diffusus est Apostolicæ iussionis auditus, mox auditum deuotio, deuotionem noua miracula sunt consecuta. Refertur in numerum sanctorum.

Postquàm autem in sanctorum martyrum album relatus est, catholicorum piæ deuotioni dignum planè visum est, vt sacrum eius corpus, quod vltra annum humili loco sub terra iacuerat, ad sublimiorem transferretur. Cuius rei causa cùm fratres Mediolani ad prouinciale, vt vocant, Capitulum conuenissent, ità sanũ & integrum & ab omni putore alienum illud inuenerunt, acsi eodem fuisset die tumulatum. Itaque fratres cum magna reuerentia exportârunt illud ad amplum quoddam pulpitum iuxta plateam, atque illic omni populo visendum & suppliciter venerandum exhibuerũt. De miraculis, quæ plurima post eius in sanctos relationem facta memorãtur, nihil in præsentiarum scripturus sum. Corpus eius post annum inuenitur prorsus integrum.

VITA SANCTISSIMÆ VIRGINIS CATHARINÆ SENENSIS, IN QVA ET PER QVAM PRAEPOTENS DEus mira operatus est.

Scripsit autem eius Vitam copiosissimè reuerēdus Pater Raimūdus Capuanus, sacræ Theologiæ Doctor, & Ordinis Prædicatorij Magister generalis atque sanctæ virginis Confessarius: sed nè ea prolixitate, tum etiam stylo simpliciori Lectores offenderentur, per F. Laurentium Surium redacta est in compendium, sed ità tamen, vt de historia parùm aut nihil poßit desiderari. Inserta sunt etiam quædam ex Epistola venerabilis Patris Stephani Senensis, Prioris Carthusiæ Ticinensis, qui ante monasticæ vitæ profeßionem diù cum sancta virgine vixit familiariter, & eius amanuensis fuit. Obsecramus autem Lectorem, vt posita omni hæsitatione, certò sibi persuadeat, tantos viros non nisi vera & comperta scribere voluisse.

29. Aprilis. Quo die ab hac vita migrauit.

Patris virginis patiētia.



Apud Senas, præclaram Italiæ vrbem, Iacobus quidam fuit, vir simplex, integer & timens Deum. Is vxorem duxit Lapam, ab omni huius seculi malitia alienam. Erant plebeij ambo, satis laudabili orti familia, reque familiari pro sua cōditione benè instructi. Iacobus in rebus molestis & aduersis erat multa patientia, nec murmuris voces sinebat vel ab ore suo, vel cuiusquam è sua familia prodire. Si quem autem commoto animo asperiùs loquentem audîsset, hilari vultu blandè illum consolabatur, & sui officij admonebat. Quidam ciuis eius per summam iniquitatem grande ab illo æs alienum repetebat, cùm tamen nihil ei deberet: fretusque amicorum potentia, simplicem virum penè ad inopiam redegit. Molestè hoc ferebat Lapa vxor eius, & scelesto homini nescio quid mali imprecabatur. At Iacobus omnia sedatè ferens, obiurgabat eam: Sine, inquit, mea coniunx. Deus illi quandoque adspirabit sanam mentē, & agnito errore suo, patronus noster erit. Id quod posteà ità euenit. Tanta erat huius viri probitas, vt tota eius familia, ab illo religiosè instituta, improbos & inhonestos sermones nequaquàm audire sustineret. Filia eius Bonauentura nupserat cuidam iuueni Nicolao. Ad eum veniebant alij iuuenes, &, vt solent tales, plerunquè non abstinebant à verbis inhonestis & lasciuis. Ea res tantum illi Bonauenturæ animi dolorem attulit, vt etiam in morbum incideret, & in dies macie conficeretur. Nicolao ab illa causam mœroris perquirenti, grauiter respondit: Ego in paterna domo tales sermones non audiui, quales hîc quotidiè iactantur. Itaque pro certo noueris, nisi ab his ædibus fuerint exclusi, me breui morituram. Mirabatur ille mulieris pietatem, & sese corrigens, prohibuit alijs, nè illa audiente verbis parùm verecundis vterentur. Vtinàm verò ad hoc exemplum suam familiam hodiè patresfamiliâs instituerent: meliùs profectò Christiana Resp. haberet.

Optima familiæ institutio.

Bonauētura filia eius ferre nō sustinet lasciuos sermones.

Cùm autem Lapa multas Iacobo proles peperisset, tandèm geminas edidit filias, è quibus Iohanna altera, altera Catharina est dicta: sed Iohanna à baptismo non diù superuiuente, Catharina remansit, quam mater eius multa cura educandam suscepit, cæterisque prolibus habuit chariorem: cuius partìm ea ratio fuit, quòd cùm ob crebros partus alias proles nutricibus tradere compulsa esset, Catharinam suis ipsa vberibus lactauit. Educata igitur hæc puella, cùm iam ambulare cœpisset, tam omnibus chara & grata fuit, tantamque eius verba prudentiam redolebant, vt mater vix eam domi potuerit retinere, vicinis & cognatis illam ad se rapientibus, desiderio fruendæ iucunditatis & non planè infantilis sermonis eius. Quidam verò incredibili affecti lætitia & consolatione ex eius suauissima præsentia, non Catharinam, sed Euphrosynam eam appellabant. Deindè annos nata plùs minùs quinque, salutationem edocta angelicam, illam crebrò repetebat, & cælitùs permota, cœpit per gradus tum ascendendo, tum descendendo, ad singulos singulas flexis geniculis Virgini matri salutationes promere, & in eiusmodi pijs studijs magis ac magis proficere.

Amabilitas S. Catharinæ infantis.

Pietas.

Postquàm

Postquàm autem sextum ferè ætatis annum expleuerat, cum Stephano germano suo, illa paulò adultiore puero, ad ædes sororis suæ Bonauenturæ, cuius antè meminimus, accessit: confectoque negocio, cuius causa à matre fuerant missi, in reditu sacra puella sursùm erectis luminibus, supra verticem templi fratrum S. Dominici vidit in aëre thalamum elegantissimum, regio splendore compositum, & in illo Christum Saluatorem in throno Imperatorio sedentem, indutum Pontificio habitu, & in capite ferentem tiaram, qualis est Pontificum Romanorum. Aderant illi Petrus & Paulus atque Iohannes Apostoli. Ibi puella defigens oculos vtriusque hominis in Christum, illum amantissimè contemplabatur: vicissimque Christus suæ maiestatis oculis in eam intentis, blandissimè subridens, extenta super eam dextera, expressoque Crucis signo, illi benedixit. Mox ea rapta spiritu, & transformata in eum, quem suauissimè adspiciebat, & suî & itineris oblita est: immotaque permansisset hauddubiò, non tum solùm, sed etiam aliâs sæpissimè, in tantilla ætate in via publica neque homines neque iumenta transeuntia aduertens, nisì per alium tracta fuisset. Cùm autem Stephanus puerulus iam processisset aliquousquè, ac paulò pòst aduertisset illam non sequi, sed cælum attentissimè intueri, iterùm atq; iterùm nomine eam inclamauit: sed ea nihil respondente, immò nec sentiente quid clamaret, propiùs accessit clamitans. At nec sic quidem ea se mouente, manibus traxit eam. Tum illa quasi à graui somno expergefacta, retractis parumpèr oculis, dixit: O si videres, quæ ego video, ab hac mellitissima visione me neutiquàm reuocares. His dictis, referebat oculos ad cælum, sed iam visio illa disparuerat. Quod illa sine dolore ferre nō valens, lachrymis in se vindicauit, quòd oculos indè auertisset.

Visio eius mirabilis.

Mentis ecstasim patitur.

Ab eo tempore tantilla puella canescebat morum maturitate ac sensu mirabili, ità vt facta eius non pueritiæ vel adolescentiæ, sed venerandæ potiùs senectutis esse viderentur. Iam enim accensus in illa erat ignis diuini amoris, cuius virtute intellectus illustrabatur, voluntas feruebat, confirmabatur memoria, & actiones externæ ad diuinæ legis normam dirigebantur. Nam sicut ipsa reuerendo patri Raimundo confessa fuit, per id tempus vitas sanctorum Patrum Aegyptiorum, quorundam item aliorum sanctorum, potissimùm autem beati Dominici, didicit non ab vllo homine, sed sola reuelatione diuina: tantusque eius mentem cepit ardor illas imitandi, vt nihil aliud cogitare posset. Indè in ea extitêre tam multa rara & inusitata, quæ omnes in admirationem raperent. Quærebat latibula, & clàm suum corpusculum quadam chordula cædebat, precibus ac meditationibus perpetuò vacabat, in dies magis dabat operam silentio contra morem puerorum: & cùm ea ætas increscens multo egeat alimento, illa sibi aliquid potiùs de cibo detrahebat. Eius exemplo complures coætaneæ puellæ inuitatæ, ad eam cōfluebant, vt eius salutiferos sermones audirent, & pro modulo suo sancta eius studia imitarentur. Conueniebant autem omnes simul in quodam loco domûs eius, idque occultè, & cum ea pariter se flagellabant, & quotiès ipsa iussisset, orationem Dominicam & salutationem angelicam recitabant. His autem rebus non defuêre miracula Dei. Nam vtplurimùm ascendendo & descendendo per gradus paternæ domûs, ità per aërem ducebatur, vt gradus pedibus non attingeret. Hoc autem præcipuè tum fiebat, cùm hominum fugeret consortia, præsertim diuersi sexûs.

Cana infantia.

Multa ei diuinitùs reuelantur.

Exercitia tenerrimęq; puellæ.

Miracula.

In eaipsa autem tenerrima ætate desiderio imitandi sanctos Patres Aegyptios, ardentissimè sitiebat solitudinem, nec tamen rationem aliquam excogitare potuit, qua ad illam perueniret. Pugnabat itaque desiderium cum fragilitate ætatis, & cessit quidem victoria desiderio, sed nō planè absoluta. Nam quodam manè, incredibili flagrans eremi cupiditate, abijt extra vrbem, vnicum tantùm panem secum ferens: paulumque progressa, vt nullas videt coniunctas illic ædes, quemadmodùm solent esse in vrbibus, putabat se iam propinquam desertis locis. Indè itaque aliquanto vlteriùs proficiscens, tandèm sub rupe quadam speluncam reperit, in quam cum multo gaudio ingrediens, optatam se eremum inuenisse arbitrabatur. Mox igitur cœpit orare feruenter, & eccè, Christo eius promptam voluntatem approbante, sensìm à terra vsque ad speluncæ verticem eleuabatur, sicque ad horam vsque nonam permansit. Verita autem, insidijs inimici, eius desiderium impedire volentis, isthuc fieri, cœpit orare instantiùs. Tandèm sub horam nonam rursùs deposita est in terram, intellexitque ex instinctu diuino, nondùm velle Dominum, vt relicta parentum domo, suum corpusculum affligeret. Itaque indè recedens, domum reuertebatur: sed cùm corpusculi eius imbecillitas itineri conficiendo non sufficeret, Deo se commendauit: cuius beneficio

Petit solitudinem.

Corp⁹ orantis sursùm tollitur.

breui temporis spatio in ipsam ciuitatis portam per aëra deportata est, sicut ipsa posteà cuidam cognatæ & confessarijs suis exposuit: à porta autē festina redijt domum. Diù autem res tota latuit, parentibus eius persuasum habentibus, quòd ab ædibus sororis suæ Bonauenturæ reuertisset.

Amor mundi in ea prorsùs extinctus.

Eius autem visionis, cuius paulò suprà fecimus mentionem, tanta fuit apud sacrę infantulæ animum vis & efficacia, vt mox omnis mundi huius amor prorsùs in ea extinctus sit, accensusque sanctus amor Christi Iesu vnici filij Dei, & amantissimę matris eius semperque virginis Mariæ. Itaque omnia arbitrabatur vt stercora, modò lucrifaceret Christum Saluatorem. Valdè autem adspirabat ad tuendam in se virgineam integritatem: cognouitque, Deo reuelante, beatissimam Dei genitricem primam nuncupâsse perpetuę virginitatis votum. Itaque anno ętatis septimo, non vt septennis puella, sed vt planè grandæua, maturè ac diù de eiusmodi pręstando voto secum deliberauit, assiduè rogans matrem Domini, reginam virginum & angelorū, vt à Domino ipsi impetraret gratiam id faciendi, quod esset illi gratius & suę saluti conducibilius. Atque interìm augescebat quotidiè feruor amoris diuini & desiderium puritatis angelicæ. Vndè haud obscurè intelligens, quid Domino placeret, quadam die secretū petijt locum, & flexis vtriusq; hominis genibus, sic precata est beatissimam matrem Christi: O virgo sacratissima, quæ prima inter fœminas perpetuam Domino virginitatem vouisti, qui te voluit esse matrem vnici filij sui: obsecro benignitatem tuam, vt non attentis meritis meis, digneris mihi sponsum dare filiū tuum, quem totis animæ visceribus concupisco: & ego promitto & illi & tibi, quòd nullum vnquàm alium admittam sponsum, sed virginem me illi perpetuam conseruabo. Ità septem nata annos, Christo sponso immortali suam dedicauit virginitatem, idque voto coram Deo solenni, vt ait Raimundus.

Ea est etiā sententia S. Augustini &c.

Septennis vouet virginitatem.

Abstinet carnibus.

Ab hac die creuit in dies in vera sanctitate, cœpitque Christi tyruncula iam tum bellum indicere carni, etiam necdùm rebellanti. Statuit, quoàd fieri posset, carni carnium esum non permittere. Itaq; si quæ ei fuissent appositæ carnes, vtplurimùm porrigebat eas Stephano fratri, aut paulatìm proijciebat eas felibus, vt nemo posset aduertere. Flagella, de quibus antè diximus, non solùm cōtinuabat, sed augebat etiam & sola, & cum puellis: & quod mirum in tantilla ætate videri possit, in eius animo feruescebat zelus animarū, & peculiariter illos amabat sanctos, qui animabus lucrandis operam nauâssent: intellexitq; diuinitùs, beatissimum Patrem Dominicū zelo fidei & salutis animarum Ordinem fratrum Prædicatorum instituisse. Quæ res in eius animo tantam erga illum Ordinem reuerentiam excitauit, vt si quos vidisset fratres sancti Dominici suas ædes transeuntes, illorum obseruaret vestigia, eaq; illis abscedentibus, humiliter ac deuotè exoscularetur. Porrò creuit in eius pectore ingens desiderium illius instituti complectendi, vt posset cum fratribus studere saluti animarum: sed sexu id non permittente, cogitabat sanctam Euphrosynam, cuius nomen iam suprà diximus ei à quibusdā impositum, hac in parte imitari, & instàr illius fingere semasculum, atque procùl in regionibus ignotis se adiungere fratribus Dominicanis. Verùm licèt diù in hac cogitatione fuerit, non tamen permisit Deus vt ità fieret. Accepêre interìm in ea quotidiana incrementa & corpus & animi virtutes, & quædam veneranda morum honestas & maturitas apud omnes, qui eius actus contemplabantur. Stupebant parētes, mirabantur germani eius, tota domûs familia stabat attonita.

Reuerentia erga Dominicanos.

Ante decimum ætatis eius annū mater illam misit ad pastorem parœciæ suæ rogandum, vt Missæ sacrificium faceret in honorem sancti Antonij: deditque ei cereos & nummos, quos poneret in altari. Paruit Catharina, libenter exequens ea, quæ cederent ad honorem Dei: sed ipso delectata sacrificio, mansit in templo, donèc peractum esset. Indè domum se recepit. Mora autem illius matri displicuit: itaque vt ruborem ei afferret, Maledictæ sint, inquit, linguæ, quæ te nunquàm redituram asserebant. (Sic enim illis in locis vulgò solent dicere.) Puella sapiens, vt audiuit matrem ista dicentem, paulispèr conticuit: deindè seorsùm illam ducens, cum multa maturitate & modestia ità locuta est: Domina mater, si me quandoquè videris tua iussa negligentē, cædas me virgis, quantum visum erit. id enim dignum & iustum est: sed quæso, nè propter meas culpas cuiquam vnquàm maledicas. nam neque tuam id decet grandæuitatem, & me summo animi mœrore afficit. His auditis, mater incredibiliter admirans pusillæ filiolæ tam sapientem admonitionem, non tamen volens id eam intelligere, Cur, ait, tam diù illic hæsisti? Respondente ea, se Missam auscultâsse, quam ipsa celebrari mandâsset, moxque indè reuertisse domum: mater ampliùs ædificata, totum

Vide puellę verba sapiētissima.

marito

marito retulit. Ille verò gratias agens Deo, rem tacitus considerabat.

Postquàm autem sacra virgo ad nubiles peruenit annos, pro illius regionis more parentes eam domì incluserunt. non enim patitur illic consuetudo, vt eius ætatis puellæ innuptæ è domo exeant. Cœperunt autem & parentes & germani eius, ignari propositi illius, de eius tractare coniugio: mater quoquè ad studium excolendi corporis eam hortari, vt posset procorum oculis esse gratior & amabilior: sed illa memor voti sui, licèt id parentes pro illorum reuerentia celaret, nihil tale facere voluit. Non enim hominibus, sed Deo modis omnibus placere contendebat. Ferebat id mater eius molestè, & cùm per se illam mouere non posset, filiam Bonauenturam, quam Catharina impensè amabat, vt ei persuaderet, hortata est. Et illa quidem multis vijs eius tentans animum, tandèm eò adduxit, vt daret operam aliquam ornando corpori, nihil tamen interìm remittens de proposito seruandę integritatis. Hanc autem culpam posteà non semèl tantis cum singultibus & lachrymis cõfessa est, vt videri posset grauissimo se scelere obstrinxisse. Sciscitante ex ea D. Raimundo, confessario, num illo ornatu voluerit contra votum virginitatis venire, aut vlli homini placere, illaque respondente se quidem nihil voluisse minùs, immò nihil tam sibi acerbum fuisse, quàm intueri homines, aut ab illis conspici, at nihilo minus tamen se ream esse æternæ damnationis, Raimundus culpam illam extenuare conabatur: sed cùm hoc illa ferret ægerrimè, sursumque erectis oculis diceret, O Deus, qualis est hic meus spiritualis pater, qui etiam peccata mea excusat? adderetque loquens Raimundo, Num debuit hęc creatura vilissima, tot à suo creatore præter meritum aucta beneficijs, bonas horas ornandæ putri carni suæ collocare? Ego ne ipsum quidem tartarum puto sufficere huic peccato puniẽdo: tum coactus est Pater Raimundus silere: qui tamen coram Deo & sancta eius Ecclesia hoc ei reddit testimonium, quòd licèt sæpissimè eius audierit confessiones, etiam interdùm generales, nunquàm illam inuenerit peccâsse in Dei præceptum, id est, vllius letalis culpæ ream: immò verò etiam à venialibus culpis adeò immunem, vt in confessionibus eius quotidianis vtplurimùm vix depræhendere quiuerit erratum vllum. Omne enim tempus suum aut orando, aut contemplando, aut proximos ædificando illam traduxisse confirmat. Quod est præclarum mirabilis innocentiæ à tanto viro testimonium. Et cùm tanta esset vitæ puritate, nihilo minùs ait tam durè illã se accusâsse, tamque ingeniosè sibi culpas imposuisse, vt facilè ab ignorante eius vitam rea putari potuerit, vbi rea non erat.

Mirè dolet se nonnihil studuisse ornando corpori.

Testimoniũ graue eius innocẽtiæ.

Sed vt ad institutam narrationem sese referat oratio, cùm se ità dedisset nonnihil componendo corpori, à Bonauentura persuasa, nunquàm tamen animum suum vlli homini applicuit, vel spontè se hominibus visendam præbuit, tametsi de orationis seruore & assiduitate meditandi nonnihìl tepescendo remisit. Verùm soror eius Bonauentura, quæ ei huius vanitatis author fuerat, non diù pòst in puerperio obijt, percussa à Domino. Et fuit illa quidem proba & honesta valdè & verbis & moribus, sed tamen quia illam, quæ vni Christo placere desiderabat, ad ea, quæ sunt mundi huius, inuitare ausa erat, dura morte obijt in florenti ætate: non tamen penitùs perijt, sed, vt sanctæ virgini posteà fuit reuelatum, post dira Purgatorij supplicia, peruenit ad vitam sempiternam. Aduertat autem lector, quanti sit periculi, homines Deo seruire cupientes impedire & aliò auocare. Defuncta autem sorore, virgo Catharina feruentiùs ad æterni sponsi amplexus se recepit. Fleuit autem cum beata Magdalena valdè amarè illam culpam suam, iacuitque ad pedes Domini, sine intermissione orans & veniam petens, vt posset etiam ipsa audire: Remittuntur tibi peccata: atque per id tempus totis viribus se beatæ Mariæ Magdalenæ conformare nitebatur, & erga illam singulari quadam cœpit deuotione affici. At hostis malignus, dolens eam sibi ereptam spem ad mundi studia eam reuocandi, per domesticos illius sanctum propositum retardare ac impedire, per multa quoquè aduersa & persecutiones eam ad mundana retrahere conabatur. Itaque vrgebat valdè parentes & germanos eius, vt eam matrimonio collocarent: illique dabant operam, vt sponsum ei inuenirent. Id verò vbi sancta virgo animaduertit, & Domino inspirante, maligni dæmonis insidias persensit, accuratiùs & vehementiùs in preces assiduas, in sanctas meditationes & exercitia pœnitentiæ incubuit, hominum consortia deuitauit, apertisque indicijs perspicuè declarauit, nolle se sponso mortali vlla ratione coniungi. At parentes alia tentant via eam in suam sententiam pertrahere: aduocant quendã Dominicani instituti fratrem, ipsis amicissimum: orant illum vehementissimè, vt Catharinam à sua sentẽtia deducat.

Bonauenturæ obitus præmaturus

Vide exemplum aliud terribile in S. Hieronymi Epistola 7. ad Lætã.

Luc. 7.

Multis modis tentatur de cõiugio.

Spondet

Spondet ille se conaturũ pro viribus: sed vbì virginis sensit immutabile propositum, vrgente conscientia, consuluit ei, vt amputatis capillis suis, indicaret se nolle in coniugium vllo pacto consentire. Quod quidem eius sanum consilium sancta virgo haud secùs atquè cælitùs præstitum arripiens, capillos quamprimùm ad cutem vsque præcidit. Oderat enim illos, quòd putaret se illis componendis anteà grauiter peccauisse: cœpitque deindè præter morem puellarum, capite velato incedere. Quod vbì Lapa mater eius vidit, quid inusitatum velamen sibi vellet, ab ea perquisiuit. Sed illa obscurè respondente, accessit propiùs, & velamine detracto, vidit tonsum caput. Tum verò acri dolore stimulata, quòd capillos elegantissimos perditos cerneret, eiulans exclamauit: Ecquid fecisti filia? Sed virgo rursùs caput tegens abscessit. Clamore autem matris permoti maritus & filiæ, accurrunt: cognitaque causa, grauiter commouentur. Indè porrò alterum virgini ortum est certamen, priori acrius: sed Deo benè iuuante, victoria cessit virgini, & ipsa quoquè impedimenta salutis & casti propositi eius, versa sunt ei in instrumenta virtutis, & profectûs spiritalis adiumenta.

Capillos ipsa sibi amputat.

Iam palàm parentes & dictis & factis eam persequebantur, iactabantq; in eam conuicia, & minas intentabant, ità dicentes: Putas'ne vilissima, quòd defectis criminibus à nostra te possis voluntate subducere? Rumpantur licèt ilia tibi, marito copulaberis. Simul etiã omni secreto loco illi interdixerũt, & seruitijs domûs eam perpetuò voluerunt occupari, nè posset se Christo sponso suo coniungere & precibus vacare. Atque vt intelligeret se planè haberi contemptui, amota ancilla culinaria, eius sordida officia illi demandârunt. Cogebatur itaque mitis & verecunda puella audire quotidiana improperia, verborum iniurias & multiplicem suî ferre contemptum. Volebant autem parentes & germani eius his rationibus eam frangere, & ad sibi cõsentiendum impellere, quòd iuuenem quendam sponsum inuenissent, cuius genus & familia eis pergrata esset. Verùm draco pestifer, malignus satan, cuius machinationibus ista fiebant, quibus rebus se sperauit virginem euersurum, ijsipsis magìs eius animum, Domino iuuante, confirmauit. Nam nihil his omnibus permota, docente eã spiritu Dei, intra seipsam sibi fabricauit conclaue, siue secretam cellulam, vndè nunquàm vellet cuiuscunque rei causa egredi.

Multa patitur à parentibus.

Cogitur seruire culinæ.

Ità factum est, vt quæ hactenùs vsa illa externa cella, nonnunquàm fuisset egressa foràs, iam deincèps perpetuò maneret secum in cellula animi sui, quã illi eripere nemo posset: planeque cælesti victoria triumphauit de diabolo, in interiori homine, vbi Christus habitat per fidem in cordibus nostris, sibi construẽs spiritale domicilium. Solebat illa posteà crebrò admonere Raimundũ Patrem, cùm negocijs externis propè obrutum videret, vt sibi tale non manufactum in suo pectore fabricaret domiciliũ, nec indè vnquàm euagaretur. Ibi enim, vt diximus, per fidem Christus habitat in nobis, ibi regnum Dei intra nos est, ibi nunquàm non præstò est ille, qui dicit: Eccè sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Hoc ergò suauissimo hospite contenta & freta sacra virgo, vicit diabolum & omnes machinas eius. Docebat ille eam intùs vias & rationes mirabiles externa omnia superandi. Imaginabatur sacra virgo, patrem suum repræsentare Christum Iesum: matrem suam, sanctissimã Christi genitricem: cęteros de familia, apostolos & discipulos Saluatoris. Hac imaginatione fortiter concepta id assecuta est, vt omnibus illis cum omniũ admiratione hilariter & officiosè inseruiret: tum etiam, vt illis seruiendo, semper cogitaret de sponso suo Christo, cui se ea omnia officia præstare credebat: sicq; factum est, vt dum in culina versaretur, semper esset intra sancta sanctorum, seruiensq; ad mensam recumbentibus, animũ suũ mirè pasceret imaginanda præsentia Saluatoris: contemptum verò suî & iniurias omnes etiã iucundo ferret animo. At tamen, quia non poterat prorsùs etiam externo carere cubiculo, vbi noctù quiesceret, nec licebat tamen aliquod priuatìm habere, fratris sui Stephani cubiculũ delegit, vbi posset illo absente interdiù nonnunquàm sola degere, & noctù illo dormiente, pro voto precibus vacare. Rogabat autem indesinenter Dominũ, vt ipsius dignaretur tueri virginitatem. Nec deerat ille sponsæ suæ, sed quanto plures ei persecutiones & iniurias inferri cernebat, tanto eam maioribus intùs gaudijs & charismatis mirabiliter afficiebat. Tandèm germani eius videntes constantiam, se victos fatebantur. Pater autem eius cæteris innocentior, tacitus eius facta contemplabatur, atque in dies certiùs perspiciebat, non iuuenili leuitate, sed spiritu Dei illam duci ac permoueri.

Ephes.3.

Luc.17.

Apoc.3.

Pijssima imaginatione vincit oẽs diaboli machinas.

Contigit interìm quadã die, illam in iunioris fratris sui Stephani cubiculo feruentes

Domino preces offerre, idque non obserato ostio: non enim licebat ei alicubi clausa manere ianua. Fortè autem in illud ingressus pater eius, vidit illam in angulo orantem flexis genibus, & columbam paruam niuei candoris eius capiti insidentem, sed eo viso, mox per fenestram altiùs euolantem. Percunctanti autem ex filia, quæ esset illa columba, respondit ea, se columbam prorsùs non vidisse. Admirans igitur valdè pater eius, secum id conseruabat: neque tunc solùm, sed etiam aliâs sæpiùs vidit columbam. Per id tempus magìs magisque in eiùs pectore crescebat desiderium induendi habitum Dominicanum, rogabatque instanter Dominum, vt dignaretur ipsi præstare quod cupiebat. Et eccè dum sic pulsat aures clementissimi Saluatoris, videt in somnis multos sanctos patres, monasticorum Ordinum institutores, atque in ijs beatissimum Dominicũ. Hortabantur autem eam illi Patres, vt vnum aliquod institutum monasticũ deligeret, in quo Domino gratiorem posset exhibere famulatum. Tum illa cœpit ire ad sanctum Dominicum, qui mox ei occurrit cum habitu sororũ, quæ dicuntur de Pœnitentia sancti Dominici, aitq; ad illam: Forti animo esto filia, nihil ambigens, quin isto sis habitu fruitura. Illa cum lachrymis gratias egit Deo & sancto Dominico, & ipsis lachrymis excitata, ad se redijt. Ea autem visione mirabiliter confirmata, eodem die parentes & germanos conuocauit, fidenterque eis locuta est, se iampridèm in tenera ætate Deo suam vouisse integritatem, atque in ea sententia iam maturioribus annis vsqueadeò se firmã permanere, vt nulla ratione ab ea velit discedere: monebatque vt cessarẽt frustrà eam ad coniugium prouocare: se enim Deo potiùs obedire debere, cui se deuouisset, quàm ipsis. Multaque alia constantissimè coram illis loquebatur, cùm hactenùs semper intra silentium se verecunda puella continuisset. Tantæ autem ex eius verbis obortæ sunt lachrymæ omnibus, vt nihil ei possent respondere: posteà verò, cessante eiulatu, pater, qui eam tenerè diligebat, & erat alijs religiosior,ità ait ad eam: Absit, dulcissima filia, vt quoquo modo Deo reluctari velimus, à quo videmus sanctum propositum tuum proficisci. Fac liberè, quod ei pollicita es, & sicut illius te spiritus docebit: vertensque se ad vxorem & liberos suos, Nemo, inquit, posthàc filiæ meæ dulcissimæ molestus sit: vacet liberè sponso suo. Non est, quòd doleamus pro mortali eius sponso recipere nos regem immortalem, cui illa se despondit.

Columba insidet capiti orantis.

Visio eius.

Aperit suis votum virginitatis.

Permittitur liberè vacare Deo & sibi.

Hac igitur accepta facultate & libertate Deo seruiendi, virgo Christi totam vitã suam ad Dei famulatum, non segniter, sed mirabiliter, accommodauit. Exiguum cubiculum, ab alijs separatum, impetrauit, vbi tãquàm in solitudine posset vacare Deo, & pro voto affligere corpus suũ. Ibi verò quanta pœnitentiæ asperitate sese excruciârit, quàm ardenter vultum spõsi sui quæsierit, nulla potest lingua explicare. Carnes, quibus ab infantia rarò fuerat vsa, iam prorsùs sibi voluit esse interdictas: adeoque illas à se remouit, vt etiam odorem illarum absq; valetudinis incommodo percipere non posset: immò verò ad cibos acerbos potumque insipidum adeò se assuefecit, vt dulcia omnia ei perniciem afferrent. Voluit quandoquè Dominus Raimundus, quandoquidem nihil illa sumebat esculentum aut poculentum, vndè possint debiles confortari, vt aquæ frigidæ, quam bibebat, saccarum misceretur. Quod vbi illa resciuit, ait ad eum: Vt video, pater, exiguum hoc quod in me superest vitæ, penitùs vis extinguere. Vinum vsqueadeò diluebat, vt odore simul & sapore extincto, nihil præter rubrum colorẽ relinqueretur, quo sunt vina illius loci. Decimoquinto ætatis suæ anno vinum à se reiecit, ac deincèps semper aqua frigida vtebatur. Cuiusuis generis coctos cibos, præter panem, paulatim sibi subtrahebat, & intra breue tempus eò suum adegit corpusculum, vt pane & crudis herbis esset contentum. Anno ætatis vicesimo, nisì fallor, aut circitèr, etiam pane abstinuit, nihil præter crudas herbas sibi permittens. Postremò, non vsu neque natura, sed diuino miraculo eousquè peruenit, vt licèt corpusculũ eius multis esset morbis obnoxium, & labores susciperet intolerabiles, non tamen in ea consumeretur humor ille, quem radicalem vocant, nec stomachus concoquendi fungeretur aut fungi posset officio, nec vires corporeæ ob cibi & potûs defectum frangerentur: ità vt tota ipsius vita miraculum esset, quod etiam medici fatebantur. Affirmat Dominus Raimundus, quo tempore ipse fuerit testis conuersationis eius, nullo cibo aut potu nutriente eam vixisse, nullaque virtute naturali adiutam, dolores & labores alijs intolerabiles læta semper facie tolerâsse: id verò non ex quouis exercitio vel consuetudine abstinendi, sed potiùs ex plenitudine spiritûs euenisse.

Vita eius durissima.

Solis crudis herbis vescitur.

Vide miraculum.

Prætereà lectum sibi parauit ex tabulis ligneis, nihil quicquam alterius rei addens. In eo vel sedens meditabatur, vel prostrata orabat: suoque tempore, nullis detractis vesti-

Eius lectus.

bus, somnum capiebat. Vestibus laneis vtebatur. Cilicio quandoquè vsa fuit: sed quia sordes vitabat, cilicium catena ferrea commutauit. Ea catena stringebat tam fortiter nuda eius latera, vt propemodùm carni concreta videretur. Sed sub finem vitæ coëgit eam Raimundus catenam missam facere, quanuis ægrè assentiret. Initiò vigilare solebat vsque ad preces, quas matutinas vocant. Deindè ità domuit somnum, vt intra biduum vix dormiret dimidiam horam: sed neque tantillum admittebat somnum, nisì quandò morbi cogebant. Dicebat autem Raimundo, nullum se tam durum sensisse certamen, vt in somno edomando. Idem autem Raimundus, vir grauis & fide dignissimus, hoc de ea asseuerat pro indubitato, quòd si habuisset auditores, qui ipsam intelligerent, & cum quibus posset conferre, centum dies & noctes absque cibo & potu fuisset locuta de Deo, non solùm absque vlla fatigatione, sed etiam meliori corporis valetudine. Et ipsa fatebatur, nihil sibi in hac vita maiori esse solatio & refrigerio, quàm si posset cum intelligentibus sermones miscere de Deo: & quandò eius rei dabatur opportunitas, etiam corpore hilarior & valentior apparebat: ea subtracta, debilis fiebat. Sic autem loquendo de Deo, tota absorbebatur in Deum. Volens verò imitari sanctũ patrem Dominicum, multo tempore quotidiè tèr se cædebat catena ferrea, singulis vicibus ad sesquihoram, sanguine ab humeris in pedes manante, vt sanguinẽ pro sanguine redderet suo redemptori. Id genus autem castigationibus & afflictionibus mirè extenuauit corpus suum, quod anteà magni fuit roboris, ità vt etiam grandia onera suis humeris ad ædium suarum solarium alacriter deportaret. Ferebat autem mater eius plùs satis molestè has eius corporis macerationes. Itaque cùm aduerteret eam se catena verberare, alta voce eiulans, dicebat: Filia, filia, ego te iam video tuis manibus tibi certam necem afferentem. His vocibus iungebat gemitus, vellebat canos capitis sui, & ità se comparabat, vt non rarò vicini omnes accurrerent, visuri quid accidisset vetulæ Lapæ. Cernens quoquè eam cubare in tabulis, vi eam secum pertrahebat ad lectum suum. Illa flexis genibus, vt matrem deliniret, offerebat se promptam ad cubandum in lecto ipsius.

Catena ferrea ad corpus.

Vigiliæ mirabiles.

Res sanè stupenda.

Catena se diutissimè flagellat.

Itaque reponebat se in extrema lecti eius parte: sed illa obdormiente, redibat ad sua exercitia. Rursùs verò matre id percipiente, vt eius placaret animum, clàm sub linteamine postem vel duo ligna ponebat, vt in illis iacens, nihil de duritia strati sui mutaret. Tandèm verò mater nihil se proficere intelligens, ait illi: Ego video me omnia frustrà attentare: dormi posthàc, vbi consueuisti. Inuidebat sanctis eius exercitijs diabolus, & illius instinctu multa ei impedimenta obijciebantur.

Rursùs igitur restituta suæ libertati, tanto cœpit esse feruentior, quanto acriùs sibi obniti videbat satanam. Quotidiè gemitus, quotidiè lachrymæ, quotidiè preces perpetuæ ad Dominum Iesum, vt habitum diù optatum consequi mereretur, quem à B. Dominico sibi promissum nouerat. Sciebat enim se nõdùm planè liberam fore ab domesticorum molestijs de ineundo matrimonio, donèc illo habitu potiretur. Agebat enim cum sororibus de pœnitentia S. Dominici, vt ipsam admitterent in suam sodalitatem. Sed mater virginis id necdùm patiebatur æquo satis animo, & vt eam ab illa aspera sua viuendi ratione auocaret, ad thermas eam secum volebat proficisci. Parebat illa parenti, sed vt egregiè eluderet satanam, qui matrem eius, mulierem simplicissimam, ad hæc instigare videbatur, in ipsis thermis, simulans se velle perfectiùs suum corpus abluere, adijt canalem, & aquas sulphureas atque feruentes sinens manare diù satis in suũ corpusculũ, atrociùs illud affligebat, quàm solebat cædendo catena ferrea. Fatebatur posteà, cùm D. Raimundus ex ea esset percunctatus, quomodò illos feruentis aquæ ardores sine vitę periculo perferre potuisset, se rogâsse Dominum, vt pœnas tartareas & purgatorias, quas se credebat meruisse, in hos cruciatus, quos libenter ferret, commutare vellet: sicque se dolorem quidem sensisse, sed citra vllam læsionem, illum suauiter tolerâsse. A thermis illis domum reuersa, mox ad solita pœnitentiæ exercitia se recepit, tandemque matrem eò permouit, licèt diù calcitrantem, vt cum sororibus de pœnitentia S. Dominici, loqueretur de ipsa in suum consortium admittenda. Sorores autem illæ aliquandiù difficiles se ostenderunt. Interìm virgo sancta in morbum incidit, & corpus omne scatebat pustulis, simulque febris se admiscuit non parùm vehemens. Ibì mater eius, quæ eam præ liberis omnibus teneriùs diligebat, decumbenti tristis assidens, fomenta quæ poterat, adhibebat. Sed virgo sancta in ipsa corporis ægritudine fortior spiritu, videns adesse opportunitatem matrem impellendi ad satisfaciendum voto suo, ità ei locuta est: Si vis, dulcissima mater, vt vires recuperẽ, effice vt mihi detur habitus

Valdè adspirat ad habitum religiosum.

Se dirè cruciat in thermis.

S.Do-

S.Dominici: alioquì non dubito, quin Deus & sanctus Dominicus, qui me vocant ad seruitium suum, id effecturi sint, vt breuì me sis caritura. Hoc responso mater accepto, nimio terrore ob mortem filiæ correpta, celeriter se contulit ad sorores, quas sæpè iam diximus, tamque seriò cum illis egit de filia, vt in eius receptionem consenserint. Quod vbì ad virginem mater Lapa retulit, illa præ gaudio fleuit, rogauitq; Dominum, vt morbus abscederet, nè ipsius voto & diutinæ expectationi remoram & impedimentum adferret. Et citò Dominus exaudiuit preces eius, atque intra paucos dies reualuit. Neque enim potuit pius Dominus negare illi quicquam, quæ se summo studio ad omnem eius voluntatem conformabat. Aduenit igitur diù optata dies, & habitus, quem petebat, datus est ei cum ingenti cordis eius exultatione.

Postquàm autem nouæ militiæ vel professionis genus complexa est, dicebat sibijpsi: Eccè iam religiosum vitæ institutum suscepisti, ad eius præscriptũ viuas oportet, & quidem multo aliter, quàm feceris hactenùs. Habitus tuus ater & candidus te admonet, vt mundo sis mortua, & summę studeas puritati. Itaque vt posset viuere puriùs, statuit nulli prorsùs loqui, nisi cùm esset sua peccata confessura: idq; toto triennio exactè obseruauit. Habitabat etiam intra cellulam, nec indè exibat prætèrquàm ad templũ. Cibum nunquàm sumpsit, nisi priùs lachrymas Domino obtulisset. Quis verò eius vigilias, preces, meditationes, lachrymas dicendo consequi possit? Fratribus sancti Dominici, quos ipsa suos dicebat germanos, somnũ capientibus, ipsa peruigil manebat. Illis ad diuinas laudes nocte secundo dato signo properantibus, ipsa se dabat quieti, corpori asseres, capiti lignum supponens. Simulatquè autem ipsa se in cellulam abdidit, sponsus eius dulcissimus Christus Iesus ei apparuit, & eam de omnibus, quæ essent animæ eius conducibilia, perfectè instituit, ità vt ipsa posteà affirmârit in confessione, se ea, quæ ad viam salutis pertineant, non nisì ab ipso Domino Iesu Christo, siue inspirante, siue perspicuè apparente, didicisse. Cùm autem initiò formidaret, quam formidinem Christus quoquè in ea probauit, dicens hominem, donèc in corpore degit, non debere esse sine timore: cùm formidaret, inquam, nè Saluatoris præsentiam diabolus mentiretur, transfigurans se in ipsum, Christus eam docuit, quo pacto ipsius apparitionem à diabolica internosceret: Pro certo, inquit, noueris, quandoquidem ego sum Veritas, ex mea apparitione semper in anima maiorem existere veritatis notionem. Ex veritatis autẽ cognitione id præstatur animæ, vt & me & se rectiùs cognoscat: vndè porrò consequitur vt se contemnat ex animo, meque honoret ac veneretur. Ità fit, vt ex meis visionibus anima seipsam suamq; vtilitatem penitiùs intelligat, eamque intelligendo, sese contemnat magìs, humiliorque efficiatur. Cuius diuersum accidit ex satanæ visionibus. Cùm sit enim mendax, & mendacij pater, & rex super omnes filios superbiæ, in illis, quibus apparet, excitat superbiam & confidentiam, qua sibi multum tribuant, seq; putent esse aliquid, animisque inflentur ac intumescant.

Accepto habitu S.Dominici, maiori se dat seueritati.
Silentium.
Solitudo.
Preces.
Vigiliæ.
Christus ei apparet.
Vt possit internoscere Christi apparitio à satanæ.
Iohan.8.
Iob 41.

Hac saluberrima doctrina non oscitanter percepta, cœperunt multiplicari visiones cælestes & reuelationes, tamq; illi crebrò apparuit Christus Deus ac Dominus noster, castarum mentium sponsus, vt vix possint duo reperiri homines, qui tam assidua fruantur inter se familiaritate, quàm fuerit inter Christum & hanc sacram virginẽ. Siue enim oraret, siue legeret, siue meditaretur, siue vigilaret, siue dormiret, vtplurimùm hoc vel illo modo eius visione recreabatur: immò etiam interdùm loquenti cum alijs aderat hæc sacra visio, ità vt mente cum Christo, ore cum hominibus loqueretur. Sed id diuturnum esse non poterat propter ecstasim, quam paulò pòst patiebatur. Hinc autem proficiscebantur omnia illa admiranda, putà, inusitata cęteris abstinentia, doctrina mirabilis, & luculenta miracula, quæ per eam Deus effecit.

Mira Christi ad eã familiaritas.

Nè quis autem hæsitaret de veritate earum rerum, quæ de illa scribuntur, reuerendus Pater Raimundus, ob confirmandum lectorẽ, quid ipsi acciderit, verecundè commemorat, mâlens coram hominibus pudefieri, quàm sanctæ virginis iniurias suo pudori posthabere. Ait enim se initiò, cùm venisset ad eius familiaritatem, multis modis de incredulitate fuisse tentatum, diuque quadam fluctuatione iactatum, cùm modis omnibus, quibus id posset fieri, cuperet explorare, num res eius essent à bono vel malo spiritu. Rogabat autem, vt inquit, anxiè Deum, qui nec fallere posset nec falli, vt ab ipsò dirigeretur. Interim subitò ei venit in mentẽ, si sanctæ virginis precibus obtineret à Domino insolitam quandam, & qualem nunquàm esset expertus, ob admissa peccata contritionem, id ipsi fore signum euidentissimum, à spiritu sancto omnia illius facta proficisci. Nemo enim potest hunc habere dolorem siue contritionẽ, nisi à spiritu

Dubitat initiò de illa Raimundus confessarius eius.

 sancto.

sancto. Itaque accessit ad virginem, & eam impensè rogauit, vt à Domino ipsi impetraret veniam peccatorum. Illa hilariter respondit, se id libentissimè facturam. Addente autem Raimundo, se non posse frui quiete, nisi eius veniæ ac remissionis certum obtineret signum, nempe magnam quandam & insolitam contritionem, mox sacra virgo annuit, se eam illi impetraturam. Videbatur autem tum Raimundo, eam omnes suas cogitationes habuisse perspectas. Abijt deindè domum, & altera die morbo laborans, decubuit. Eodem tempore etiam sancta virgo febribus & alijs ægritudinibus afflicta decumbebat, aitque ad sociam: Eamus visum fratrem Raimundum, quia malè habet. Illa respondente, non esse necessè, & si maximè foret, se peiùs illo valere: mox præter morem celeriter cum socia abijt ad Raimundum, aitque illi: Quid habes pater? Ille verò præ debilitate ægrè quippiam loqui poterat, sed tamen adhibita vi, ait: Cur domina huc venisti? Peiùs tibi est, quàm mihi. Illa incipiente suo more loqui de Deo & nostra ingratitudine, nonnihil confortatus Raimundus assedit, nihil iam memor hesternæ petitionis suæ, aut sponsionis virginis: cumque illa loqui pergeret, oblata est menti Raimundi quædam insolita consideratio peccatorum suorum, & quàm esset eorum causa sine dubio reus mortis: ediuerso autem cognitio benignitatis Diuinæ, quæ cum gratuita bonitate ab ea morte liberaret, ipsamque mortem in vitam, & ignominiam commutaret in gloriam. Sub hac contemplatione ille præ multo cordis dolore tantam vim lachrymarum effudit, in eumque rugitum prorupit, vt timeret cor & pectus diruptum iri. Id vt vidit sacra virgo, quæ ea sola causa venerat, conticuit, vt ille benè vbertìm fleret & singultiret. Interim Raimundus redijt in memoriam petitionis suę & promissionis virginis, vertensque se ad eam, dixit: Est'ne hæc bulla, quam heri petiui? (Bullam enim vocauerat certum signum obtentæ veniæ) Illa respondit: Ipsa est. addensque, vt memor esset gratiæ Dei, abscessit, illo multùm ędificato & exhilarato.

Mirabilis contritio præstatur Raimundo.

Accidit deindè, vt virgo Christi, multis pressa morbis, Raimundum ad se iuberet acciri, communicatura illi quædam, diuinitùs ipsi reuelata. Venit pater Raimundus, & adstans illi decumbenti atque febricitanti, audiuit illam more solito loquentē de Deo, & quæ illo die ipsi Dominus reuelâsset, exponentem. Ibi rursùs referente illa grandia quædam & alijs inusitata, de quibusdam cogitabat apud se: Putas'ne vera esse omnia, quæ dicit? simulque intendit in faciem loquentis, & subitò vidit faciem eius in viri barbati transformatam, qui fixis oculis in eum respiciens, valdè illum terrefecit. Erat autem facies oblonga, ętatis mediæ, barba non prolixa, colore triticeo, maiestatem quandam præ se ferens, vndè manifestè se Dominum ostenderet. Territus igitur pater Raimundus, exclamauit: O, quis est, qui me respicit? Respondit virgo: Ille, qui est. Ijs dictis, mox facies illa disparuit, & facies virginis redijt.

Christus apparet in virgine.

Hæc quidem ille venerabilis Pater se coram Deo securè loqui scribit: quia ipse Deus & pater Domini nostri Iesu Christi scit, inquit, quia non mentior. Vt autem hæc scriberet, dicit se compulsum ab incredulis, quos etiam hortatur, vt sibi diù incredulo & hæsitanti, sed tandèm mirabiliter confirmato, fidem commodent, & desinant esse increduli, neque vacillent aut despiciant, sed reuerenter eius sancta exempla sacramque doctrinam attendant. Scribit verò de illa etiam venerabilis Pater Stephanus, Prior Ticinensis Carthusiæ, qui ei valdè familiaris fuit, antequàm esset monasticam complexus vitam, se annis sexaginta & eo ampliùs notitiam habuisse multorum insignium seruorū Dei, sed nunquàm se vel vidisse vel audiuisse à multis præteritis temporibus vllum Dei seruum, qui ad tam sublimem virtutum omnium perfectionem pertigerit. Atque hoc ille ei perhibet testimonium coram Deo & vniuersa Ecclesia militante: adijcitque se multo tempore apud illam degendo, nunquàm verbum ociosum ab eius ore percepisse: & in ipso initio quanto plùs attenderet vitam, exempla, mores & verba illius, tanto magis in se sensisse augmentum diuini amoris & contemptùs seculi, ità vt cordi nouus quotidiè feruor accederet ad appetenda cælestia, & totum mundum cum omnibus quæ is habet, contemnendum. Quæ sanè omnia prudens & in rebus diuinis versatus lector facilè animaduertit, certa esse documenta non fictæ, sed veræ sanctitatis. Sed nunc ad narrationem reuertamur.

Testimonium Stephani Carthusiani de virgine.

In ipso diuinarum visionum initio, Christus Dominus ei apparuit oranti, dixitque ei: Si nosti filia quis ego sim, & quæ tu sis, beata eris. Ego sum qui sum: tu es quæ non est. Hac cognitione freta, omnes facilè conteres laqueos inimici, nunquàm venies contra præcepta mea, omnemque gratiam & veritatem nullo negocio obtinebis. Quæ quidē verbis

Christi præclara institutio.

verbis breuia sunt, sed sensibus vberrima & copiosissima: & exponuntur ea fusiùs à Patre Raimundo, sed nè ab historia recedamus, eò lectorem remittimus. Alia autem vice rursùs Dominus apparens sanctæ virgini, dixit ei: Filia, cogita tu de me, & ego cogitabo continenter de te. Ex hac saluberrima institutione sacra virgo solebat inferre, quandoquidem Deo dicati sumus, tum per sacrum baptisma, tum per religionem siue monasticam, siue clericorum, nulla in re nos solicitos esse debere de nobis, sed solicitudinem & cogitationē omnem eò conferre, vt placeamus ei cui nos dicauimus. Itaq; si vidisset suos timere periculum aliquod, dicebat illis: Quid ità vos de vobis estis soliciti? Permittatis vos diuinæ prouidentiæ, quæ semper habet oculos in vos defixos, agitq; curam perpetuam salutis vestræ. Et de hac quidem Dei prouidentia tantam sacra virgo fiduciam cōceperat, postquàm audiuit Dominum dicētem, Ego cogitabo cōtinenter de te, vt nunquàm satiari posset de ea loquēdo. Fuit quandoq; sancta virgo in mari cum multis alijs vtriusq; sexus, aderat etiam pater Raimundus. Ipsis autē nauigantibus, ventus secūdus flare desijt, nec res erat sine periculo, si à latere spirâsset vētus. Raimundus pias querelas detulit ad virginem non sine lachrymis. Illa autem dixit: Quid ità de te anxius es pater? Quibus verbis eius timorem compressit. At paulò pòst reflante vento aduerso, nauclerus dicebat se compelli ad reducendum nauem eò, vndè essent profecti. Id vbi sacræ virgini Raimundus exposuit, illa ait: Reducat in nomine Domini, & sequatur ventum, quem Dominus dabit. Nauclerus flexit nauem, iamq; cœperunt reuerti: at sancta virgine caput submittente & Dominum deprecante, mox redijt vētus prosper, & breuì ad portum optatū appulerunt, alta voce cantātes, Te Deū laudamus. Cōcordat autem hæc Christi doctrina, quam tradidit sacræ virgini, putà vt cogitaret de ipso, sicq; ipse rursùs cogitaret de illa, cum ea Prophetæ sententia: Iacta cogitatū tuum in Dominū, & ipse te enutriet. nec tamen ità accipienda est, quasi debeat homo sedere ociosus: Immò verò cōmittere non debet, quin faciat quod potest. Cùm enim, vt ait Raimundus, fiducia hæc ex amore proficiscatur, amor autē rei amatæ desideriū excitet in animo, quod sine actione fieri non potest, sequitur indè, tantum operari hominem, quantum amet: at nihilominùs non in suo, tanquàm suo, sed conditoris opere cōfidit.

Quid vnicè curandū homini Christiano.

Precibus suis sancta virgo impetrat secundum ventū.

Psal. 54.

Porrò autem cùm aduerteret malignus dæmon sanctā virginem ad has Christi institutiones sese penitùs conformantē, & sublimes in virtutibus progressus facientem, veritus nè tandèm etiam alijs multis efficeretur causa salutis, mille machinis eam sibi sumpsit acerrimè oppugnandam. Sed illa ad Christum confugit, & feruentissimis atq; diuturnis precibus ab illo fortitudinem & robur animi obtinere contendit. Christus autem eam muniuit & confirmauit egregiè, docuitque eam, si vellet vincere hostem, vt crucē pro refrigerio amplecteretur, quemadmodùm ipse, proposito sibi gaudio, sustinuisset crucem. Sunt autem cruces reuerà refrigeria: quandoquidē, vt illi ait Christus, quanto plus patimur propter ipsum, tanto ei efficimur magìs conformes, hîc quidem in gratia, posteà verò in gloria. Iussit igitur Christus, vt dulcia pro amaris, & amara pro dulcibus susciperet: ità enim ipsam inuictā fore. Non surda aure eam Christi doctrinā accepit, sed vsqueadeò apud se statuit delectari afflictionibus, vt nihil in hac vita tantū ei refrigerij & solatij adferret, quantum afflictiones & cruces: sine quibus, vt ipsa aiebat, vita hæc ei fuisset molestissima: propter eas autem libēter ferret beatitudinis dilationem, non ignorans, illam afflictionibus non parùm augeri. Sed vbi satìs eam Christus cōmunierat, permisit dæmonibus attentare, si quid possent obtinere ab illa. Nec illi desides sunt ad nocendum: & primò quidem à rebus Venereis illi suggerendis capiunt initiū. Immittunt turpes cogitationes castissimo pectori, adhibent illusiones & phantasmata dormiēti, immò etiam corpora ex aëre sumpta oculis & auribus vigilantis ingerunt, faciuntque multa, quæ sine horrore dici non queant. Illa ediuersò catena ferrea flagellat corpus suum, fundit sanguinem suum, adijcit permultū ad priores vigilias, ità vt somno penè omni renunciâsse videretur. Non cessant autem hostes, cum ingenti multitudine apparent, primò quasi blandè adulantur, hortantur nè seipsam interficiat tanta vitæ asperitate. Iuuenis es, inquiunt, facquod aliæ faciunt fœminæ: nubas viro, & augeas humanum genus. Proponunt exempla Saræ, Rebeccæ, Liæ, Rachelis. nè facilè credamus hæreticis, quandò ipsi nobis scripturas diuinas ad suam confirmandam impietatem proferunt. Faciunt enim hoc etiam dæmones. Quid, aiunt ipsi virgini, hæc sibi vult vita singularis, in qua tamen perseuerare nō poteris? At quicquid illi blaterarent, sancta virgo nihil penitùs respondens, orabat: cùm autem perseuerantiæ desperationem ei vellent inijcere, hoc respondit procacibus illis: Ego non

Inuidet illi satanas.

Heb. 12.

Sitit cruces & afflictiones.

Tētat eam satanas rerū turpiū suggestione.

meis, sed Domini nostri Iesu Christi, viribus nitor: nec vllum aliud ab ea verbum extorquere potuerunt: solebatque ea familiaribus suis inculcare, nè tentati in disputationem cum dæmonibus ingrederentur. Cùm sint enim versuti, inquit, & longa fallendi exercitatione instructissimi, facilè sibi victoriam promittunt, si possint cum homine miscere sermones. Itaque haud secùs casta anima se ab illis debet mox auertere, & ad Christum sponsum suum confugere, quàm solet ab adultero pudica matrona.

Vbi autem sensit dæmon hac via nihil se proficere, aliam aggressus est. Repræsentabat ei formas virorum & mulierum, turpissimè inter sese concumbentium, & nefandos sermones iactantium, ipsamque ad turpia petulantissimè inuitantium. Cogebaturque hæc & oculis & auribus clausis videre & audire. Accedebat ad cumulum miseriæ pijssimi sponsi absentia, vt ipsi videbatur, nec visibiliter, nec inuisibiliter opem ferentis aut cōsolantis. At illa nihilo minùs sine intermissione & carnē affligebat, & precibus tota incumbebat. Atque in hoc præclarum de se omnibus diuinæ gratiæ sensibili suauitate & consolatione destitutis, exemplum præbuit, nè solita sua exercitia proptereà remittant, sed augeant potiùs. Dicebat autem sancta virgo sibijpsi: Túne vilissima vllis te consolationibus dignam putas? Itáne iam tuorum oblita es peccatorum? An non satìs est tibi, si possis vel damnationem æternam euadere, etiamsi has tenebras & molestias ad supremum vsque vitæ diem perferre oporteat? An verò Christo propter eius consolationes seruire voluisti, & non eò potiùs, vt æternùm illo fruaris? Nihil igitur de solitis remittas studijs, quin addas potiùs aliquid. His sanctæ humilitatis telis illum superbum Goliath prosternebat Christi virgo, suumque animum cōfirmabat. Durante autem hac tentatione, plùs solito hærebat in ecclesia. Nam illic infestabatur quidem, sed non perindè, atque in cellula sua: quam quotiès esset ingressa, miram illic vidit dæmonū multitudinem, turpissimos sermones & actus ipsi ingerentium, ità vt si licuisset, præ illorum horrore, libenter cum S. Hieronymo concaua valliū, aspera montiū, rupium prærupta petijsset, vt tam abominandas dæmonum species & actus flagitiosos non cerneret. Non cessabat autem clamare ad Dominum, donèc nonnihil sedaretur illa tempestas. Iam multos dies isthæc durauerat infestatio, & eccè quodam die illustrata diuinitùs, cœpit hilariter seipsam offerre Domino paratam ad execrandas illas vexationes perferendas, quandiù ipsi visum esset. Tum verò dæmon quidam procax & improbus ait ad eam: Nunquàm ab hac tuî infestatione cessabimus, donèc consentias nobis. Mox illa securè ei respondit: Mihi non solùm has, sed etiā alias molestias pro nomine Saluatoris perpeti, iucundum & delectabile est, quatenùs quidem eius visum erit maiestati. His dictis, totus ille dæmonum cœrus instàr fumi pudefactus euanuit, & ingēs lux cælitùs illapsa est cubiculo, & in ea luce Christus crucifixus ei apparuit, dicens: Filia mea Catharina, vides quæ ego tua causa perpessus sim: nō igitur dubites tu quoquè propter me aliquid perpeti.

Absconditse sponsus, vt illustrior appareat virginis virtus.

In templo minùs infestatur.

Christus ei apparet crucifixus.

Deinde sub alia specie magìs propinquā, blandè ei gratulabatur de triumpho iam obtento. At illa: Vbi, inquit, fuisti mi Domine, cùm esset cor meum tot spurcitijs diuexatum? Et ille, In corde tuo, inquit. Rursùs virgo: Et quî fieri potuit, bone Iesu, vt tu in illo meo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus? Respondit Dominus: Cogitationes illæ quid in tuo efficiebant animo? gaudiúmne, an mœrorem? Immò verò, inquit illa, non nisi summum dolorem. Hoc igitur, Christus ait, ego mea præsentia efficiebam: qua si tu destituta fuisses, illis spurcitijs delectata esses: iam verò cùm eas profligare velles, nec posses, indè mœror oriebatur: sed me authore & effectore, qui eram intùs in corde tuo, & tuebar illud, interìm extrinsecùs te sinēs oppugnari, quantum videbatur expedire tibi. Sed quandò illustrata radio lucis meæ, teipsam spontè obtulisti ad tolerandas eas infestationes, mox eas abscedere iussi: neque enim pœnis, sed voluntate pœnas fortiter perferentis ego delector. Tu autem filia mea, quandò non tua, sed mea virtute certâsti viriliter, maiorem à me gratiam consequeris, & deincèps crebriùs atque familiariùs meipsum tibi exhibebo. His dictis, visio disparuit, relicta in animo virginis suauitate incredibili, maximè quòd eam Christus vocâsset filiam suam. Vndè etiam confessarium suum rogauit, vt sic ipsam appellaret, quó posset redire sæpiùs in eorum verborum dulcissimam memoriam.

Voluntas prompta ad perferēdas cruces Deo gratissima.

Posthàc autem cœpit Christus cum ea tam familiariter conuersari, tamque frequenter apparere, vt propè fidem vincere videatur: sed illis, qui gustârūt quàm suauis & humanus sit Dominus Iesus, facilè id persuaderi potest. Manebat etiā diutiùs solito cum illa,

illa, & interdùm beatissimam matrem suam secum adducebat, itemque diuersos alios sanctos: sed vtplurimùm solus ad eam veniebat, loquens cum ea amicissimè, idque adeò, vt non rarò cum illa pariter diceret Psalmos, ambulans cum ea sursùm deorsùm in cellula. Hæc fortaßis quibusdam videbuntur incredibilia, sed meminerint, quàm familiariter idem ipse Dominus olim in terris vltra triginta annos etiam cum impijs peccatoribus vixerit: meminerint, quæ ex eius persona dicantur in Prouerbijs Salomonis: Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum: quanquàm negari non potest, eximiũ & reuerà singulare fuisse, quod hac in parte præstitum est huic à Deo singulariter dilectæ & electæ virgini. Et quia diximus eam cum Domino Psalmos legisse, scire debet lector, eam Latinè nesciuisse: sed cùm aliquandò à socia quadam sibi curâsset describi alphabetũ, & aliquot illi addiscendo hebdomadas impendisset, nec tamen posset appræhendere, ad Dominum confugit, ab illoque obnixè precabatur, vt si ipsi gratum esset, ipse eam doceret, quô posset preces Horarias dicere. Audiuit autem illam celeriter Dominus, ità vt ab oratione surgens, legeret expeditissimè. Stupebat ad eam rem Pater Raimundus, maximè cùm non posset syllabatìm quicquam pronunciare, immò vix nôsset literas. Deindè sibi comparauit libros, & ex ijs lectitabat preces, quas Canonicas vocant. Solebat autem vulgari idiomate crebrò repetere illum versum, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Porrò autem crescente in ea diuina contemplatione, paulatìm preces vocales remisit, ità vt tandèm ob frequentissimos mentis excessus, vix vnam posset dicere orationem Dominicam, quin ecstasin pateretur.

Stupenda Christi charitas.

Prouer. 8.

Scit legere, cùm vix nôsset characteres.

Vt posset autem sponso cælesti, immutabili quodammodò & inuiolabili fidelitate semper manere subiecta, valdè adspirabat ad perfectum fidei gradum, dicẽs cum Apostolis: Domine, adauge mihi fidem, eamq; adeò in me perfice, vt nulla possit vi aduersantium concuti vel prosterni. Cumque sæpè illi id oranti, sæpè etiam responderet Dominus, Despõsabo te mihi in fide: tandèm in Bacchanalibus, alijs ventri festa celebrantibus, ipsa se inclusit in suam cellulam, non respiciens in vanitates & insanias falsas, sed ardentissimè petens à Domino eam, quam diximus, fidei perfectionem. Et quia verissimè dixit Propheta, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: Christus ei apparuit cum sanctissima matre sua & aliquot sanctis, & eam mirabili modo sibi despondit, hortatusque est eam, vt deincèps ageret viriliter & incunctanter ea, quæ ex diuina prouidentia ipsi facienda incumberent. Post eam desponsationẽ cœpit eam Dominus sensìm trahere ad hominum conuictum & consuetudinem. Volebat enim eius opera vti ad multorum hominum promouendam salutem. Itaq; cùm ei appareret, & multa ei dixisset familiariter, ait ad eam: Hora prandij est, eas ad mensam, & indè ad me reuertaris. Sed hoc erat sanctæ virgini nimìs intolerabile, à Christo reijci ad homines. Flebat igitur coram Domino: sed ille, Sine, inquit, dulcissima filia: sic enim decet te implere omnem iustitiam, vt non tibi duntaxàt, sed etiam alijs per meam gratiam fructuosa efficiaris. Simul admonebat eam zeli animarum, quem etiam in tenera ætate habuisset. Illa verò libenter se permittente ipsius Diuinæ voluntati, sed nihilo minùs suam imbecillitatem, tum etiam sexûs conditionem opponente, quem non deceret versari inter homines, præsertim diuersi sexûs: Dominus ei abundè satisfecit, inter cætera dicens, vsqueadeò increuisse superbiam, eorum præsertim, qui se literatos & sapientes putarent, quòd Diuina iustitia id ampliùs ferre non posset, quin eos pudefaceret, idque per fœminas, ipsius virtute & sapientia instructas. His auditis, sancta virgo, inclinato capite, Domino se offerens paratam ad omnem eius implendam voluntatem, celeriter egressa est, vt cum alijs ad mensam accederet. Et erat quidem corpore cum illis, sed animo tota erat apud Christum, extra quem cætera omnia tædio erant illi: breueque tempus, quo cogebatur esse apud homines, nimìs illi prolixum videbatur: dabatque operam, vt quàm posset celerrimè ad cellulam reuerteretur, fruitura suauissima præsentia Saluatoris. Ab hoc autem tempore extitit in ea desiderium ingens sacræ communionis, vt posset non solùm spiritu, sed etiam corpore coniungi Christo, quem certò nouerat in Eucharistia reuerà corporaliter præsentem adesse. Atque hoc desiderium, quoàd vixit, semper in ea augebatur, ità vt, quàm posset creberrimè, sacra Eucharistia perfrui conaretur.

Luc. 17.

Psal. 36.

Christus eã sibi despondet.

Desiderium sacræ communionis.

Dominus autem in dies eam emittebat & incitabat ad conuersandum modestè cum hominibus, quorum saluti per illam consulere decreuerat. Nè igitur domûs suæ hominibus ociosa videretur, solebat nonnunquàm redire ad familiæ ministeria

exequenda, vndè multa notatu digna consecuta sunt. Studebat enim virgo sancta ità se comparare apud homines, vt posset omnibus de se virtutis exempla præbere. Occupabat se seruilibus actionibus, exercebat hilariter ancillæ officia, verrendo ædes, lauando coquinæ vtensilia, & id genus abiecta seruitia vsurpando, maximè cùm ancilla malè valeret: quo tempore duplicabat sibi eiusmodi officia, seruiens ancillæ ægrotanti, & eius loco reliquæ familiæ. Interim nihil de perpetuo precandi studio & pœnitentia incomparabili remittebat, nihil ab æterni sponsi castis amplexibus recedebat. Versa enim propemodùm ei in naturam videbatur incredibilis quædam habilitas & promptitudo mentem suam cum Christo coniungendi etiam quouis loco & tempore, nec ab hac felicissima coniunctione vllo actu externo impediebatur, semper & vbique sursùm tendens ad cælestia. Vndè fiebat, vt propè innumeris vicibus extra sese raperetur: sub quibus raptibus manus & pedes contrahebantur, tamque fortiter adhærescebant locis, quibus se applicâssent, vt frangi potuerint citiùs, quàm indè amoueri: oculi prorsus claudebantur, collumque obrigescebat. Lapa mater eius, harum rerū rudis & ignara, sæpiùs tentauit collum ità rigidum & nonnihil inflexum, ad suum statum reducere: sed socia virginis inclamante, cessauit. Vbi autem sancta virgo sibi restituta fuit, tantos sensit colli dolores, acsi crebris fuisset ictibus contusum: dixitque, si mater paulò plus conatûs adhibuisset ad illud reducendum, penitùs fracturam fuisse.

Nota raram perfectionem.

Innumeros patitur mētis excessus.

Accidit, illam quandoquè sedere ad multas prunas, & veru cum carnibus assandis versare. Interim cogitabat illa de sponso Christo, cuius amore intùs ardebat, & ecstasim passa, nihil ampliùs se mouit. Vidit hoc Lysa, vxor fratris eius, & intelligens quid pateretur, cœpit ipsa versare veru, ac deindè omnia alia eius officia exequi. Durauit autem ea ecstasis valdè diù, donèc iam omnes iuissent cubitum. Lysa autem constituit vigilare, vt videret eius finem. Egressaque post longam moram, vt exploraret, num sibi esset reddita, vidit toto corpore eam in prunas corruisse. Exclamauit ergò eiulans, Heu Catharina planè est combusta: accurrensque velociter, & ab igne eam extrahens, inuenit neque corpus neque vestes vlla ex parte læsas ab igne, immò nec odorem ignis extare in illis, nec cineres vllos ijs adhæsisse, cùm tamen etiam aliquot horis in illo igne iacuisse crederetur.

Diù iacet in igne prorsùs illæsa.

Orabat quodam tempore sancta virgo Senìs in templo Dominicanorum. Decidit autem cereus ardens in velum ipsius orantis, nec desijt ardere, donèc cera omnis absumpta est, velo prorsùs nullum ignis vestigium retinente. Solebat verò tartareus dæmon, nimìs acerbè ferens lucra animarum, quæ per eam in diuersis regionibus crebrò fiebant, sæpè eam multis adspectantibus, Deoque permittente, toto corpore iactare in ignem. Cunctis autem eiulantibus, illa subridens, prorsùs illæsa exibat ab igne, dicēs: Nolite timere: mala tascha hoc fecit. sic enim appellabat diabolum. Tascha autem illis in locis significat sacculum, vt ait Raimundus. Sed his extra ordinem obitèr insertis, ab historiæ seriem reuertamur.

Ignis non adurit velū eius.

Neque corpus eius.

Pergebat interìm sacra virgo quotidiè perfectiùs & sponso Christo intùs sese vnire, & foris operam dare animabus ad illum reducendis & adducendis: nec in altero aut deflectere aut diminuere quicquā de altero: quod est sanè summæ perfectionis, & plùs quàm perfectæ charitatis in vita mortali. Cætera autem eius externa opera illa excedebant, quæ ex amore erga proximorum corpora & animas exercebat. Cùm enim non ignoraret, se sponso Christo tanto gratiorem effici, quanto benignior & officiosior esset in proximos, patrem suum adijt, ab eoque petijt, vt eius pace & bona venia liceret ipsi de facultatibus eius pro sua conscientia egenis præstare eleemosynam. Annuit pater, idque eo propensiùs, quòd cerneret eius vitæ mirabilem sanctitatem: simul etiam prohibuit familiæ, nè quis eam impediret, etiamsi omnia vellet pauperibus elargiri. Dabat igitur, vel potiùs dispergebat larga manu res paternas: non tamen temerè, nec quibuscunque, sed quos nouerat indigere. Erant haud procùl ab eius ædibus familiæ quædam valdè inopes, nec tamen pre verecundia ausę petere eleemosynam. Id vbi sancta virgo resciuit, summo diluculo per seipsam ad earum ædes apportabat clàm frumentum, vinum, oleum, & cætera, quæ habere poterat. Inuenit autem, Domino id efficiente, ostia aperta, sed rebus intra ędes illatis, ea claudens fugiebat.

Summa ei' perfectio.

Benignitas eius in pauperes.

Latere volēs benignè facit egenis.

Quodam tempore ità toto corpore intumuit, vt nec pedibus consistere, nec è lectulo surgere posset: audiuit autem non longè degere viduam pauperculam, cum prolibus suis multa penuria laborantem. Rogauit igitur Dominum, vt tantas ipsi vires suppeditare dignaretur, quó posset illi miseræ opitulari. Moxque summo ma-

nè surgens, impleuit sacculum tritico, grãde vas vitreum vino, aliudque vasculum oleo, esculenta quoque quæ inuenire potuit, cum ijs omnibus deportauit in cellulam suam. Etsi autem singula hæc per se potuit inferre in cubiculum suum, tamen vt omnia simul ferret sola ad viduam, id ipsi impossibile videbatur. Attentat tamen, & alia dextra, alia sinistra, alia alijs corporis locis tollens, facit periculum, num possit portare omnia. Eccè autem Christi virtute nihil sensit ponderis, cùm tamen non minus centum libris aut circitèr ferret. It igitur alacriter, licèt toto corpore inflata & valdè onusta: sed vbì appropinquauit ædibus viduæ, sensit pondus intolerabile. Aduertens autem ludum esse sponsi sui, ipsam probantis, cum omni fiducia clamauit ad eum, pondusque leuans non sine labore, deposuit intra domum viduæ, ostio mirabiliter patefacto. Sed excitata vidua sono ac strepitu, quem virgo sancta cauere nõ poterat, tum etiam ob virium nimiam debilitatẽ non valente ea se de loco mouere, vidua eam ex habitu cognouit. Tandèm precibus à Domino impetrauit vires, quibus domum reuerteretur: vbì mox recidit in morbum, quo fuerat propter illam viduam paulispèr releuata. Exemplum memorabile.

Orante illa quandoquè in ecclesia Dominicanorum Senensium, quidam mendicus ab ea petijt opem. Illa, cùm nihil haberet apud se, rogauit vt expectaret, donèc esset reuersa domum. At illo dicente, se tam diù expectare non posse, sancta virgo eius non ferens afflictionem, anxiè cogitare cœpit, quidnam ei dare posset. Mox succurrit ei, habere se apud se crucem paruam argenteam. Eam igitur pauperi hilariter dedit, isque ea accepta lætus abscessit. Nocte proxima Christus virgini oranti apparuit, eamque crucẽ ostendit, multis gemmis egregiè ornatam, promisitque ei, se in die iudicij eam coram tota angelorum & hominum frequentia ostensurum. Alio tempore sacra virgine ex eodem templo domum redire volenti, Christus occurrit in forma iuuenis pauperis ac peregrini, triginta plùs minùs annorum, petiuitque ab ea vestem. Illa rediens ad sacellum, vndè descenderat, tunicam non manicatam, quam sub extima veste propter frigus habebat, sibi cautè detraxit, pauperique tribuit, nesciẽs esse Christum. At ille etiam lineum vestimentum petijt. Tum illa iubet eum se sequi ad ædes suas, vbi ei subuculam & subligaculum dedit. Verùm non destitit ille plura mendicare, vt probaret eius animum. Quid, inquit, faciam hac tunica, quæ manicis caret? Quæso, etiam manicas mihi largiaris. Illa perlustrat domum, & eccè videt à pertica suspensam nouam ancillæ tunicam: ab eaque manicas auferens, dat pauperi. Rursùs ille etiam socium in domo hospitali se habere dicit, valdè indigentem vestibus. Tum verò sancta virgo nihil prorsùs sibi superesse videns, quod daret, præter tunicam, qua erat induta, quam non sinebat virgineus pudor & honestas vt sibi detraheret, nè nuda cogeretur cum multorum offendiculo incedere, dixit pauperi: Reuerà charissime, si possem vllo pacto, libenter aliquid præstarem socio tuo. Ille verò subridens: Video, inquit, promptum animum tuum: sed iam benè vale. Etsi autem sancta virgo, illo recedente, ex quibusdam signis coniecit Dominum Iesum esse, tamen quia tanta gratia se indignissimam putabat, ad consueta se recepit exercitia sua. Sed nocte sequenti Dominus ei oranti manifestè se visendum præbuit in illius pauperis effigie, in manu ferens tunicam, quam ipsi virgo dederat, margaritis iam & coruscãtibus gemmis conspicuam, aitque se illi daturum vestem inuisibilem, quæ ab ea arceret omne noxium vtriusque hominis frigus. Quod certè etiam reipsa præstitit, adeò vt ex eo tempore ijsdem hyeme, quibus æstate, contenta fuerit vestibus, immò nec hyemis intemperiem vnquàm senserit. Simul autem etiam Dominus, & cùm crucẽ argenteam, & cùm hanc tunicam illi ostenderet, talia ei promissa fecit, vndè certò illi constare posset, ipsam in cælis excellenti gloria sine fine perfruituram. Vide hîc miram virginis liberalitatem. Mirè eius charitatem probat Christus sub pauperis specie.

Pauper quidam, sed qui sua sponte bonis temporarijs se nudâsset propter Deum, rerum ad victum pertinentium penuriam patiebatur. Percepit id sacra virgo, & aliquot oua coniecit in sacculum lineum, tunicæ ipsius intrinsecùs assutum, vt in illo paupere Christum reficeret. In via autem ingressa in templum, orationi se dedit, & ecstasin passa, casu incubuit corpore in sacculum illum ouis plenum. Erat autem in eodem sacculo digitale æreum. Eccè tibi rem, omni admiratione dignissimam. Digitale illud pondere virginei corpusculi fractum est in tres partes, oua prorsùs integra mãserunt, cùm tamen aliquot horis illud pondus sustinuissent. Charitas seruat oua integra.

In ædibus paternis vas erat vinarium, vndè familiæ potus dabatur. Sed eius vasis vinum casù nonnihil corruptum erat. At virgo sancta non vilia, sed optima potiùs, quantùm licebat, pro Dei honore pauperibus præbere solita, ad aliud vas se contulit,

vndè

vndè necdùm quisquam biberat: in quo tantum erat vini, vndè possent homines viginti ad quindecim dies bibendo naturæ satisfacere. Ex eo vase quotidiè dabat pauperibus & quidem abundè & diebus non paucis, antequàm indè familia hauriret. Tandèm cellarij custos ex eo vase etiam familiæ hausit: perrexit etiã virgo, & quidem largiùs, quòd putaret à nemine iam animaduerti, indè porrigere egenis. Ità non quindecim dies, sed integer mensis transijt, & nihil videbatur de vino ablatum. Stupebant omnes, & gratulabantur tam diù sufficere vas illud, tum etiam vini esse gustum haud vulgarem: sed nesciebant miraculo id fieri. At sancta virgo, sciens Christum illud facere, iam palàm omnibus, quos inuenire poterat, pauperibus indè largissima manu distribuebat. Trãsijt etiam mensis secundus, ventum est ad tertium, apparabãtur noua vasa vindemijs, musto omnia implentur, sed adhuc torcularia habent vinum. Mittitur pro illo vase euacuando, vt possit vino nouo impleri: sed renunciatur illi, qui præerat torcularibus, pridiè indè haustam esse lagenam magnam, plenam puri vini, nec videri solito minus relictum in vase. Illo verò vrgente vt vas euacuaretur, vas apertum est, & nec vestigium vini in eo apparuit, sed repertum est siccissimum, cùm pridiè multum adhuc vini continuisset. Indè ergò stupentes collegerunt, magno Dei miraculo ex vase tam sicco hactenùs multo tempore vinum haustũ fuisse. Eius miraculi tot fuère testes, quot domûs eius habitatores, plùs minùs viginti.

Vinum nihil minuitur, licèt multi indè bibant.

Mira sunt hæc Dei opera.

Hactenùs de benignitate eius in pauperes: nunc de summa in morbidos & ægros humanitate dicendum est. Senis fuit mulier inops & ægrota, Tecca nomine. Ea, cogente penuria, domum hospitalem petijt, sed valdè tenuem, vt vix suppeterent ipsi necessaria. Ad cumulum miseriæ accessit lepra, quæ totum eius corpus occupauit, iamque vitabatur ab omnibus propter contagionem, cogitabãtque eam à se extra vrbem dimittere. Id vbì sancta virgo persensit, mirabili feruore properauit ad eam, & non modò res necessarias, sed etiam suum ministerium vsque ad obitum illi obtulit. Itaque quotidiè manè & vesperì illam visitabat, parabat necessaria, Christumque in ea contemplans, accuratè & reuerenter ei inseruiebat. Ex ipsis autem sacrę virginis beneficijs illa mulier superbiæ & ingratitudinis pestem contraxit, & quod sancta virgo pro solo Christi amore faciebat, illa cœpit pro debito exigere, addere etiam conuicia & contumelias, irasci & irridere, si non statìm omnia fecisset ad ipsius votum, vel si aliquanto tardiùs venisset. Sed ijs nihil iritata sancta virgo, studebat iracundam blandis verbis & sedulis officijs delinire, haud aliter atque propriam parentem eam tractans, ità vt etiam improba mulier admiraretur. Durauit autẽ isthuc diù, nec quicquam solitæ humanitatis propterea omisit sponsa Christi. Multi mirabantur, sed Lapa mater eius valdè molestè ferebat, timens nè lepra inficeretur. Illã quoquè virgo placabat, & pergebat in officio charitatis. Eccè autẽ, vt ex hoste gloriosiùs triumpharet, permittente Deo, & diabolo efficiente, manus sanctæ virginis lepra inuasit. Quod illa nihil morata, mâlebat toto corpore leprosa effici, quàm cœptũ charitatis ministerium deserere. Non diù pòst excessit è viuis mulier leprosa, virgine illi in extremis adstante, & eam efficacissimè confirmante. Eius corpus horridum sancta virgo diligentissimè abluit, induit, & suis manibus sepeliuit. Post eius sepulturam ità omnis lepra à virginis manibus euanuit, vt etiam elegantiores, quàm anteà, viderentur.

Seruit leprosæ, ab omnibus derelictæ.

Vide miraculum.

In eadem vrbe fuit quædam soror de pœnitentia S. Dominici, Palmerina nomine. Hæc incredibili odio & inuidia stimulata, nec nomen sanctæ virginis audire sustinuit. Obtrectabat ei priuatìm & publicè, nec obtrectationibus & maledictis poterat satiari. deniquè modis omnibus se eam acerbissimè odire declarabat. Cernens id sancta virgo, humilitate & mansuetudine eius animum placare nitebatur, sed frustrà. Confugit igitur ad Dominum, & pro illa misera singulares ei preces obtulit, petens misericordiam. Audiuit Dominus preces eius, sed priùs exercuit iudicium, percussitque illam Palmerinam in corpore: at nihilo illa melior facta, immò exacerbata magis, infensiorem se virgini ostendit. Rursùs ergò studuit humilitatis & mansuetudinis officijs eam emollire. Seruiebat illi modis omnibus, quibus poterat, blandisque verbis & obsequijs eam consolabatur. Sed saxo durior, nihil mouebatur tanta humanitate & beneuolentia, immò verò ex suis ædibus eam iussit furibunda expelli. At iustus iudex tantum charitatis odium cernẽs, ità eam percussit, vt repentè viribus omnibus destituta, ad inferos properare videretur. Quod vbì cognouit sancta virgo, mox in suum se cubiculum recepit, eoque clauso, crebrò & instantissimè rogabat Dominum, nè suî occasione illa anima periret. Ostendit autem illi Dominus miseriã & periculum in-

Seruit fœminæ ipsam odio Vatiniano prosequenti.

infelicis illius Palmerinæ, aitque iustitiam suam ferre non posse, quin tam pertinax odium puniretur.

Tum virgo mente & corpore se humi postrauit, dixitque ad Dominum, se nullo pacto de eo loco surrecturam, donèc Palmerinæ misereretur. Iam tres dies & noctes illa misera iacuerat in agone, & supremum trahebat spiritum, nec tamen mori potuit. Nam toto hoc spatio perseuerabat sancta virgo in precibus, & tandèm lachrymis vicit & expugnauit inuictum & insuperabilem, ità vt adspiraret illi adamantino pectori gratiam suam, qua agnosceret culpam suam, eamque se admisisse doleret. Id postquàm Domino reuelante sancta virgo didicit, mox abijt ad illam: quæ vt eam ad se venientem vidit, quibus poterat signis, gaudium & erga illam reuerentiam ostendit, cùm priùs eam videre non posset æquanimiter: sicque perceptis sacramentis, cum magna cordis contritione migrauit à corpore. Cuius animam vidit sancta virgo in tanto decore & pulchritudine, vt nullis possit verbis exprimi, cùm tamen nondùm esset in gloria visionis Dei: aitque Dominus ad virginem: Quis non omnem meritò perferat laborem, vt possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam? Si ego tanto animarum amore captus fui, vt pro illis redimendis homo fieri & sanguinem libens fundere voluerim: quanto magìs vos debetis summoperè in eam curam incumbere, nè pereant tam speciosæ creaturæ?

Vide charitatem.

Animæ pulchritudo.

Orante autem sancta virgine, vt dignaretur ipsi Dominus hanc præstare gratiam, vt posset videre deincèps elegantiam animarum omnium, cum ipsa conuersantium & ad ipsam venientium, vt tanto magìs accenderetur ad curandam animarum salutem, Dominus eam exaudiuit, atque ex eo tempore, quotiès aliqui ad eam venissent, magìs ad eorum animas quàm corpora intenta erat, ità vt sæpè non aduerteret corpora: nec quisquam ferè posteà ad eam accessit, cuius animæ statum non peruideret: dicebatque patri Raimundo: O pater mi, si vidisses animæ pulchritudinem, non dubito, quin pro illius salute libens centiès mortem oppeteres. Sæpè posteà vsuuenit, vt in diuersis regionibus homines prorsùs ignoti, qui viderētur esse probi & bonis moribus, ad illam venirent, vellentque cum ea loqui de Deo: sed illa crimina eorum cernens, loqui eis non posset, immò vix faciem ad illos conuertere. Quòd si instarent, cum quodam altiori vocis sono diceret eis: Priùs oportebat nos corrigere crimina nostra, & ità accedere ad loquendum de Deo: atque his dictis, citissimè ab illis sese expediret. Posteà cōpertum fuit, illos fœdis sceleribus contaminatos fuisse, idque sine pœnitentia. Contigit, vt quandoquè cuiusdam magni viri concubina ei loqueretur, & tam factis quàm habitu corporis quādam præ se ferret probitatem: sed sancta virgo suum ab ea vultum semper auertebat. Admirabatur id Raimundus pater, diligenterque perquisiuit ex alijs, quænam esset, didicitque concubinam esse. Id vbì sanctæ virgini indicauit, illa dixit: Si tu sensisses, pater, fœtorem, quem ego sensi, cùm ea mihi loqueretur, planè vomuisses. Sed ad narrationis ordinem se nostra referat oratio.

Videt animarum statum.

Alia quædam soror S. Dominici, quam Andream vocabant, cancri morbo laborabat in pectore, illud valdè deuastante. Tantus autem ex eo vulnere exhalabat fœtor, vt nemo nisi obstructis naribus, posset ad eam propiùs accedere. Indè fiebat, vt vix vllam posset obtinere, quæ ei vellet ministrare. Audiens hoc virgo Christi, intelligensque eam sibi derelictam, mox eam adijt, & iucunda facie suum ei seruitium, donèc curaretur, obtulit. Valdè hoc miseræ illi gratum fuit, maximè cùm se cerneret omnium penè ope destitutam. Seruiuit igitur iuuencula seni viduæ: & licèt increscceret fœtor abominabilis, nihil omisit eorum, quæ essent ægrotæ impendenda. Adstabat ei assiduè nihil obstructis naribus, vulnus detegebat, abstergebat, abluebat, panniculis obligabat, nullum interim horrorem, nullum tædium præ se ferens, sed hilari animo & iucunda facie omnia efficiens, etiam ipsa ægrota stupescente ad tantam iuuenculæ constantiam & charitatem. Vidit autem hæc & inuidit coluber tortuosus, & vt impediret, summam nauauit operam. Cùm autem voluntatem sanctæ virginis mouere non posset, quippe in Christo fundatam, quodam die, sancta virgine vulnus detegente, fœtore intolerabili stomachum eius propè euertit, ità vt ad vomitum propendēret. At sancta virgo sibijpsi irata, sic alloquebatur corpus suum: Itáne abominaris tu sororem tuam, Christi sanguine redemptam, cùm possis in eundem, vel etiam deteriorem morbum incidere? Viuit Dominus, non feres istud impunè: simulque faciem in pectus ægrotæ inclinans, os & nares horrendo illi vulneri applicuit, sicque permansit diù, donèc sentiret spiritum iam sibi carnem calcitrantem

Inseruit alteri, omniū ope destitutæ.

Eius charitati inuidet diabolus.

sub-

En quantũ sibiipsi vim affert.

subdidisse, & illam nauseam extinxisse. Videns autem hoc ægra fœmina, exclamauit: Cessa, cessa charissima filia, noli teipsam tam immani putore corrumpere.

Victus ergò dæmon, abscessit: nec cessauit tamen tentare vias omnes: & quia virginem sacram vincere non poterat, ad ægram se vertit, in eiusque pectore primò tædium erga sanctæ virginis ministeria, deindè verò etiam odium excitauit. Immisit verò in animum eius nefarias suspiciones, vt putaret castissimam virginem, quotiès ipsi non adesset, obscœnis actibus alicubi occupari. At sancta virgo nihil absterrita, in illa infirma anu Christum sponsum suum cogitans, solita hilaritate ei seruire perrexit, irridens diabolum, cuius machinis videbat isthuc effici in animo infirmo laborantis vetulæ. Ille verò sanctis eius operibus magis prouocatus, eò perduxit ægrotam, vt iam palàm de turpitudine infamaret virginem innocentissimam. Peruenit is rumor ad sorores, & quædam ex senioribus adeunt ægrotam, sciscitantur ex ea, num vera sint, quæ dixerit. Illa fallaciter asseuerat vera esse. Prouocatæ & nimiùm credulæ sorores, exprobrant sanctę virgini tantum scelus. Illa verò patienter respondit: Verè dominæ & sorores meæ, ego gratia Iesu Christi virgo sum: idque sæpè repetens, nihil contra illam calumniatricem protulit. Quanuis autem non posset non dolere tam turpi infamia, nihil tamen de pristinis officijs intermisit, seruiens illi miseræ accuratissimè. Posteà autem rem totam cum multis lachrymis retulit ad Christum sponsum suum, qui ei apparuit, habens in dextra manu coronam auream miri decoris, in sinistra spineam, dixitque ei, vt eligeret, vtram mallet. At illa, quæ iampridèm omnem voluntatem suam in Dei voluntatem transfuderat, Ego, inquit, Domine, cupio in hac vita semper tuæ passioni conformari, & pœnas amplecti pro refrigerio: simulque è sinistra Saluatoris spineam coronam feruenter arripiens, illam vi multa impressit in caput suum, illud vndiquè spinis compungens, ità vt post eam visionem capitis dolores sentiret. Tum verò Dominus iussit eam permanere in ministerio illius ægrotæ, promisitque se maligni dæmonis calumnias in ipsius caput retorsurum, plenamque ei de illo victoriam præbiturum. Fuit ea non parua sanctæ virginis consolatio.

Infamatur sancta virgo.

Christus ei apparet.

At mater eius Lapa, vbì percepit sinistros illos de sua filia rumores, licèt de eius puritate esset certissima, tamen valdè commota in illam Andream, multùm asperè dixit ad filiam: An non sæpiùs prohibui, nè illi vetulæ seruires? En qualem tibi refundit mercedem. Fiebat hoc quoquè artificio satanæ, vt sanctum illud ministerium impediret. At sancta virgo, flexis coram matre genibus, eam optimis rationibus flexit & leniuit. Deindè se contulit ad ægram, tantaque ei alacritate seruiuit, vt illa planè iam superata, in seipsam descenderet, videretque facinus suum, valdeque animo compungeretur. Interìm visionem quandam vidit admirandam. Cùm aliquandò eius cubiculum virgo sancta intraret, circa lectum suum vidit diffundi lucem inæstimabilis amœnitatis & dulcedinis, ità vt omnium miseriarum suarum penitùs obliuisceretur. Nesciens autem eius lucis causam, vidit vultum sanctę virginis quandam angelicam maiestatem præ se ferentem, ipsamque eo lumine tanquàm tegmine quodam vndiquè circundatam. Indè creuit in animo eius dolor, quòd tam excellentem virginem spurco ore contaminâsset. Paulò pòst discessit ea lux, & ægra multùm eiulans, veniam petijt à sancta virgine. At illa eam amplexans, blandissimè consolabatur, culpam omnem conferens in tartareum dæmonem. Porrò sicut antè sceleratè detraxerat sacræ virgini illa infirma anus, ità posteà mirificè eam etiam cum multis lachrymis prædicauit, & præclara eius sanctitati testimonia dixit, referens etiam visionem, quam diximus, & inæstimabilem suauitatem atque spiritalem consolationem, quam tunc sensisset.

Vincit officijs teterrimam calumniatricē.

Calumniatrix corde compuncta veniā petit.

Creuit indè fama sanctissimæ virginis, & serpens inuidus omni conatu suo frustratus est. Sed iterùm redijt ad faciendum periculum, si eam frangere posset stomachi euersione. Nam cùm sacra virgo illud abominabile vulnus rursùs aperuisset, vt ablueret, intolerabilis fœtor, partìm dæmone efficiente, immodicā eius stomacho nauseam attulit. Sed illa in suum corpus sancta quadam iracundia incitata: Viuit, inquit, altissimus, quia hocipsum quod vsqueadeò perhorrescis, intra tua viscera condetur: statimq; illius horrendi vulneris ablutionem & saniem, in scutellam collectam, seorsùm abscedens, totam ebibit: moxque nauseæ illius tentatio omnis sopita est. & ipsa posteà fassa est patri Raimundo, nunquàm tam suauem cibũ vel potum hausisse se in omni vita sua. Hæc sunt reuerà admiranda, & apud cordatum lectorem indubitata signa rarę virtutis & eximię sanctitatis. Apparuit autem ei Christus nocte sequenti, cùm tam præclarè diabolum naturamque propriam debellâsset, & eam ad sacratissimum vulnus lateris sui ad-

Vide exemplum eximiæ perfectionis.

Iterùm ei Christus apparet.

admouens, ineffabili & inexplicabili potu diù satis admirabiliter refecit, vndè tãta gratiæ abundantia in eius mente diffusa est, vt etiam in corpus redundârit, nec vnquàm deinceps more solito cibum acceperit, sed neque potuerit accipere: quod certissimo fuit argumento, eam visionem minimè dubiam fuisse.

Non debet autem lectorem mouere, si de hac singulariter à Deo electa virgine quædam inusitata referantur. Attendat vitæ admirabilẽ sanctitatem, multas veras, easque eximias virtutes, & libenter accommodabit fidem ijs, quæ de ea viri grauissimi constanter asseuerârunt. Et quia propter singularem viuẽdi rationem multi ex ea scandali materiam sibijpsis sumpturi erant, Dominus post eam, quam diximus, visionem quodam tempore oranti apparens, prædixit mira, quæ in illa & per illam effecturus esset, simul etiam multos ijs esse contradicturos: sed animauit eam, iussitque nè formidaret. se enim illi adfuturum. Creuit autem deindè in ea gratia spiritûs sancti admirabiliter, ità vt ipsa quoquè stuperet. Languebat amore Christi sponsi sui, nec is languor capiebat remedium, nisi ex lachrymis mentis & corporis. Incitabatur ad crebrò percipiendam sacrosanctam Eucharistiam: sed hoc quoquè vt maioris amoris, ità etiam amplioris languoris fomentum fuit. Tanto autem sacræ communionis ardebat desiderio, vt nisi ea frueretur, corpus propè deficeret, dureque pateretur. Ex ipsa verò sacrosancta Eucharistia tanta cælestium consolationum copia in eius mentem dimanabat, vt alimento stomachus eius non modò non indigeret, sed neque sine corporis tormento illud posset percipere: quòd si vim sibi facere vellet cibum ingerendo stomacho recusanti, patiebatur dirissimè, nec tamen sequebatur concoctio, sed rursùs per eos violenter cibus omnis reijciebatur. Multa propter hoc propè incredibile Dei donum passa est sancta virgo, ab ipsis etiam domesticis, vt initiò non nisi tentatio & impostura diaboli putaretur.

Christus eã cõsolatur & confirmat.

Mirabile sacræ communionis desiderium, & effectus mirabilior.

Erat per id tempus eius confessarius, frater Thomas Dominicanus: isque suspicatus eam illudi ab angelo satanæ, transfigurante se in angelũ lucis, cogebat eam quotidiè cibũ capere. Dicente autem sancta virgine, se re ipsa experiri meliùs se valere, cùm cibo omni abstineret: porrò eo sumpto, se languere & debilitari, ille perseuerabat in sententia. Itaque vt se veram sanctæ obedientiæ filiam declararet, totis viribus conata est facere, quod ille iubebat: sed intantùm corpus omne defecit, vt parùm abesset à morte. Tum illi ad se accersito ait: Nònne pater ieiunio mihi interdiceres, si me illo confici & enecari videres? Illo respondente, se planè interdicturum, subintulit virgo: Cùm ergò iam totiès expertus sis, me sumendo cibo in præsens mortis discrimen adduci, cur non etiam prohibes, nè cibum accipiam? Hîc ille victus, cernensque certa mortis indicia in virgine, respondit: Fac, sicut Christi spiritus te docebit. video enim illum in te grandia operari. Nemo neque dicendo, neque scribendo possit consequi, quantum perpessa sit etiam à familiaribus propter eiusmodi rara Dei dona: quæ cùm illi capere non possent, carpere mâlebant & lacerare, quàm admirari & venerari. Murmurabant, obtrectabant, mordebant: ipsum etiam Thomam confessarium eò adigebant inuitum, vt eam repræhenderet. Hinc incredibiles in animo religiosæ virginis angustiæ nascebantur. Non enim illa aut præcepta sui confessarij negligere, aut proximis præbere offendiculum ausa erat. Solum ei solatium supererat in orationis refugio. Flebatque coram Domino, & rogabat, vt suam voluntatem dignaretur tum alijs, tum inprimis Thomæ confessario indicare. Et sæpè audiebat eam Dominus, & effecit, vt confessarius sententiam mutaret. Vbi autem ad omnium notitiam peruenit, eam nullo cibo corporeo, nullo nisi aquæ frigidæ potu vti, omnes penè in eam commoti sunt, & religiosi & seculares, iactabanturque multa in illam temerè, impellente liuido satana. Et tamen illa ex sacrosancta Eucharistia & Diuini spiritûs gratia vires accepit incredibiles, ità vt pater Raimundus palàm testetur, sæpè illam propè ad extrema deductam, cùm non nisi mors eius expectaretur, oblata occasione aliqua promouendi Diuini honoris aut salutis animarum, ità repentè sine vllo subsidio corporeo recuperâsse non modò vitam & vires, sed etiam pro eius conditione vires robustas, vt surgeret, ambularet, laboraret sine difficultate, etiam præ cæteris omnibus ipsam comitantibus, nullam sentiens lassitudinem. Non erat id autem naturæ, sed gratiæ, cuius efficacia non solùm anima, sed etiam corpus vegetabatur, ità vt prorsùs nulla ei iam inesset cibi corporei appetentia: quam quidem ab ea excludebat non solùm sumpta Eucharistia, sed etiam coràm conspecta, immò etiam sacerdotis adspectus, quem sciuisset illo die Eucharistiam contrectâsse.

Multa patitur dũ abstinet omni cibo.

Mirabiliter ei sæpè instaurantur vires corporis.

Mira Eucharistiæ vis

Porrò sancta virgo, interrogata ab alijs, cur non instar aliorum cibo vesceretur, mirabili humilitate Dei eximiam gratiam quasi vltionem peccatorum suorum interpretari solebat, ità respondens: Deus propter peccata mea raro quodam morbo me percussit, ità vt quanuis libentissimè velim edere, non possim tamen. Quæso, precamini illum pro me, vt det veniam peccatis meis, quæ sunt causa malorum omnium, quæ patior. Eccè vndè suppetebat non vulgaris sese efferendi materia, indè sancta virgo occasionem cepit de se viliùs sentiendi. Verumenimuerò vt omnem infirmis scandali ansam, quantum quidem in ipsa esset, tolleret, statuit quotidiè semèl cum alijs ad mensam accedere, & modis omnibus periculum facere, num posset cibum corpori ingerere: sed reuerà ipse sumendi cibi conatus, nedùm sumptio ipsa, tantum eius corpori tormentum & molestiam afferebat, vt etiam crudelissimus quisque non posset non ei ex animo condolere, si coràm esset intuitus. Nam quicquid ingerebat corpore, aut per os reijci necesse erat, aut atrocissimè eam discruciabat, & penè totius corporis inflationes efficiebat. Et quanuis nihil eorum, quæ dentibus terebat, præter succum solum in stomachum dilaberetur: nam crassam omnem substantiam expuebat, & caueri vix poterat, quin aliquid succi deglutiret, tum etiam ob refrigerandas fauces & guttur libenter aquam sorbillabat: at tamen quicquid hoc pacto sumpsisset, cogebatur quotidiè violenter ex imo stomacho exhaurire, fœniculi aut alterius herbæ virgula per os ad stomachum vsque depressa: quæ res ei summos pariebat cruciatus. Atque hac viuendi ratione vsa est vsque ad mortem propter eos, qui eius ieiunio offendebantur. Cùm autem reuerendus pater Raimundus cerneret quandoq; eiusmodi carnificinam, quam sancta virgo subibat, nè infirmis esset scandalo, miseratus eius vicem, hortabatur nè ità se crudeliter affligaret, sineret murmurare, quicunque vellent: illa subridens, læta respondit: Præstat'ne pater, me hoc momentaneo tempore luere pœnas peccatorum meorum, quàm dare pœnas sempiternas? Murmuratores isti valdè mihi vtiles sunt: quia illorum causa ego pendo creatori meo supplicia temporaria, cùm debeam æterna. An verò par est, diuinæ me iustitiæ subducere? Minimè sanè. Magni beneficij loco ego pono, cùm iustitia exercetur in me in hac vita. Ad hæc nihil habebat pater Raimundus, quod responderet: sed lector, nisì planè in truncum mutatus sit, facilè animaduerterit, ad quàm sublimem perfectionis gradum hæc virgo Christi peruenerit. Et solebat illa itura ad mensam, dicere sociabus suis: Eamus ad sumenda iusta supplicia de hac miserrima peccatrice. Ità nimirùm illa ex omnibus tum dæmonum infestationibus, tum hominum persecutionibus aliquid ad sua lucra & spiritales profectus adijciebat: estque hæc eius valdè memorabilis sententia, Si quis rectè sciret vti gratia Dei, ex omnibus, quæ ipsi eueniunt, posset aliquid capere emolumenti.

Vide modestiam.

Cib⁹ omnis noxius est ei.

Nè sit alijs scandalo, di rè se excruciat.

Eius dictũ memorabile.

Porrò quemadmodùm omnipotens Deus singulari quadam ratione sustentabat corpus virginis, ità mentem eius stupendis reuelationum consolationibus recreabat. Indè verò, putà ex abundantia internorum charismatum, supernaturalis ille corporis vigor proficiscebatur. Itaque ab eo tempore, quo bibit de Christi latere, quod suprà diximus, penè continuè mens eius fixa permanebat in diuina contemplatione, & pro maiori temporis parte, sensitiua portio sua actione destituebatur, manusq; & brachia obrigescebãt: aures nullos, quantumuis magnos, sonos percipiebant, & ità de alijs sensibus. Atque hæc iam non modò in secretis locis, vt priùs consueuerat, sed palàm etiam patiebatur, nec poterat vllis ipsa verbis exprimere, quæ intùs sentiebat. Contigit interìm, vt quadã die singulariter obsecraret Dominum, vt auferret ab ipsa cor proprium & omnẽ propriam voluntatem. Visebatur autem illi sic oranti in visione, venire Christum, & latus eius sinistrum aperire, ablatoque corde recedere. Et reuerà non potuit illa aliud sentire, quàm se corde destitutam. Cùm id autem diceret suo confessario, ille deridebat eam. Durauit hoc aliquot dies, & eccè è sacello ecclesiæ Dominicanorum Senensium illa quadam die exire volente, cum multa luce apparuit ei Dominus, ferens in manu cor quoddam rubicundum & illustre: propiusque accedens, illud in sinistrum virginis latus imposuit, dicens: En filia mea charissima, habes pro corde tuo cor meũ: clausitque latus eius. sed nè putaretur inane phantasma, illo in loco cicatrix permansit, quam sociæ eius se vidisse sæpè testatæ sunt. Secuta sunt autem hanc visionem multa admiranda, præsertim cùm sacrosanctam acciperet Eucharistiam. Videbat tum frequenter in manibus sacerdotis infantem, interdùm puerum grandiusculum, quandoquè fornacem ardentem: sæpè etiam inæstimabilis suauitatis odores sentiebat. Quotiès autem illud summum sacramẽtum vel vidisset, vel sumpsisset, nouum idemque ineffabile gau-

Mens eius quã defixa in Deum.

Effectus Eucharistiæ mirabiles.

gaudium in eius animo existebat, ità vt non rarò in eius pectore cor exiliret, idque cum tanto sono, vt sociæ circunstantes clarissimè audirent: nec erat sonus ille vsitatus, sed valdè singularis & præter naturæ morem. Solebat autem sancta virgo dicere Thomæ confessario suo: Tantum gaudium obtinet mentem meam, vt valdè admirer posse durare animam in corpore: addebatque: Tantum ardorem sentio in anima mea, vt ignis materialis mihi frigere potiùs, quàm vrere videatur. Ex hoc autem ardore existit quædam in anima mea renouatio puritatis & humilitatis, ità vt videar mihi redijsse ad ætatem quatuor vel quinque annorum: tantus quoquè indè in me accenditur amor fraternus, vt non solùm libenter, sed etiam hilariter pro quocunque proximo velim mortem oppetere. Et hæc quidem sancta virgo non nisi confessario suo clàm dicebat: cæteros, quantùm poterat, celabat. Amor proximorum.

Apparuit etiam illi Dominus Iesus cum virginea matre sua & B. Maria Magdalena, & pro eius consolatione voluit eamipsam beatissimam Magdalenam esse illi matrem. Fuit hoc sanctę virgini gratissimum, & cum multa humilitate se illi commendabat, atq; deincèps semper eam matrem dicebat suam: & cùm in alijs multis, tum in mirabili & propè continua rerum diuinarum contemplatione valdè illam imitabatur: & quemadmodùm fertur beata Magdalena septiès die quolibet etiam cum corpore sublata in aëra, ità etiã hæc sancta virgo sępè vi spiritûs etiã corpore sursùm rapiebatur, quemadmodùm multi suis oculis conspexêre. Ipse quoquè Raimundus pater scribit se vidisse illam quandoquè in ecstasi, audiuisseque submurmurantem quippiam, propiusque accessisse, & has Latinas voces dicentem percepisse: Audiui arcana Dei: quas quidem & in raptu & postquàm ad se redijt, sæpissimè repetebat, nihil aliud addens. Sciscitanti autem Raimundo, quid ista sibi vellent, ait se in præsens nec aliud nec aliter posse dicere: immò verò si ea, quę vidisset, humanis verbis vellet exprimere, se non aliter ferè in conscientia sua afflictum iri, quàm si Deum blasphemaret: tantamque esse distantiam inter ea, quæ intellectus in Deum absorptus, illustratusque & corroboratus caperet, & illa, quæ verbis possint explicari, vt quasi pugnantia videantur. Nimiùm prolixi erimus, si omnia commemorare velimus mira & stupenda, quæ huic sanctissimæ virgini præstitit Deus, præsertim ad sacram communionem accedenti: & certè homines animales, spiritum non habentes, ea deriderent potiùs quàm admirarentur. Inter alia autem adeò eius mentem sua gratia confirmauit Deus, vt quicquid illi accideret, illa prorsùs immota permaneret: quod experimento didicisse se scribit Raimundus, & omnes, qui cum illa versabantur. Præstitit autem hoc illi Deus anno salutis millesimo trecentesimo septuagesimo ipsis ferijs S. Alexij: quo die mirè feruebat desiderio sacræ communionis. Sæpè autem ea illi negabatur fratrum & sororum, qui tum illi congregationi præerãt, indiscretione: sed ea die promisit ei Christus sine dubio ipsam communicaturã, cùm tamen ità illa langueret, vt impossibile videretur vel passum vnũ conficere eam posse, & eius confessarius illo die decreuisset à sacro faciendo abstinere. Verùm omnipotens Deus & vires dedit virgini, quibus cum omnium admiratione in templum vsq; se conferret: & animum confessarij inflammauit deimprouisò desiderio sacrificandi. Cùm autem sacram Eucharistiam ex eius manibus perciperet, facie erat rubicũda & micante, tantaque cum deuotione eam percepit, vt maximum stuporem & deuotionem ipsi confessario adferret: ipsa verò adeò fuit in Deum absorpta, vt toto illo die, etiam postquàm ad se redijt, nullum potuerit verbum eloqui. Dixit autem posteà F. Thomæ confessario, cùm ex eius manibus sumpsisset sacrosanctam Eucharistiam, tale aliquid se vidisse, quod mentem eius adeò ad se pertraxerit, vt alia omnia, quæ hîc habeantur, velut abominanda stercora ipsi visa sint, non solùm opes & voluptates corporis, sed etiã consolationes spirituales: tumque ipsi oranti præstitit id Deus, quod diximus, putà mentem inter omnia immotam, quod est reuerà munus excellens & eximium.

Ecstases mirabiles.

Inter euentus omnes semper immota permanet.

Mira videt sumendo Eucharistia.

Eodem anno, die 18. Augusti post sacram communionem, mirabiliter fuit tracta in Deum, vt ægrè posset redire ad cellulam suam, vbi diù in ligneo illo strato suo iacebat immobilis. Posteà autem corpus eius subleuatum est in aëra, mansitque absque vllo fulcimento, adspicientibus tribus sociabus eius: deindè redijt ad illud durum stratum, loquebaturque tacitè verba vitæ, dulcia super mel & fauũ, quæ socias omnes ad lachrymas commouerunt. Pòst rogauit Dominum pro multis, speciatìm pro F. Thoma confessario suo, qui per id tempus erat in templo, nulla sensibili deuotione affectus. Subitò autem, illa orante, mutatus est mirabiliter, sensitque deuotionem hactenùs ipsi incompertam. Valdè igitur ipso admirante, vndè tanta præter spem esset gratia, casu venit ad Efficacia precũ eius.

eum vna ex sociabus sanctæ virginis, dixitque ei, multùm pro ipso oràsse Catharinam illa hora. Intellexit itaque indè manàsse tantum animi feruorem. Rogauerat autem pro illo & quibusdam alijs sancta virgo, vt Dominus promitteret ipsi, se illis daturum vitam æternam. Promisitque id ei Deus, impresso in dexteram manum eius cum ingenti dolore inuisibili vulnere, in argumentum veritatis, vt ipsa non dubitaret, se stigmata Saluatoris habere in illa manu. Rem autem certam esse, testabatur dolor, qui eam iugiter illic cruciabat. Et hoc quidem, tempore F. Thomæ primi confessarij eius contigit: testatur autem pater Raimundus, se longo pòst tempore sacrã ei communionem præbuisse Pisis in ecclesia vel sacello S. Christinæ, cumque more suo diù mansisset in ecstasi, ipsum cum alijs expectàsse, donèc ad se rediret: subitoque ipsis cernentibus corpusculum eius, quod iacebat prostratum, se erexisse paulispèr in genua, sicque brachia extendisse facie rutilante, diuque ità permansisse, sed planè rigidum & oculis clausis: tandèm autem perindè, acsi letali fuisset confectum vulnere, repentè decidisse, & paulò pòst ipsam sibi fuisse restitutam. Deindè autem secretè indicàsse eam ipsi fide dignissimo Patri Raimundo, Dominum Iesum Christum sub illo raptu modo admirabili ipsius corpori quinque vulnera impressisse. Tantum autem dolorem in illis vulnerum, præsertim cordis, locis ipsam sensisse, vt se non dubitaret breuì morituram, nisì dolor ille leniretur. Quibus verbis valdè se afflictum scribit Raimundus, hortatumq; esse omnes sanctæ virginis domesticos, vt Dominum pro differenda eius morte precarentur, Dominumque preces illas exaudìsse, & mirabiliter ipsam corroboràsse. Erat enim eius vita & sanctissima conuersatio multis adhuc vtilis, immò & necessaria, licèt ipsa de se tenuiter & viliter sentiret.

Christus ei imprimit V. vulnera.

Mentis excessus valdè diuturnus.

Quòdam die festo Conuersionis sancti Pauli, quem virgo sancta singulariter amabat, tam sublimiter raptus est spiritus eius in Deum, vt tres integros dies & noctes permanserit immota, nihil vtens sensibus corporeis. Tandèm reddita sibi, videbatur quasi dormitare continuè, nec tamẽ dormire penitùs: adeò spiritus ægrè redibat ab illis cælestibus visionibus ad hanc vitam temporariam. Cùm autem ea sic haberet, venerunt duo patres Dominicani ad ipsam, sciscitabanturque, num vellet cum ipsis ire ad inuisendum quendam insignem virum, in eremo degentem. Illa quasi dormitans, respondit se velle. Sed simulatquè id protulit, tanta ei iniecta religio est, tamque acerbus conscientiæ scrupulus, quòd non esset ex animo locuta, sed quasi iocosum dixisset mendacium, vt præ dolore animi redierit ad se, & tres dies atque noctes sine intermissione luxerit tenuissimam culpam illam, in quam permisit Deus illam cadere, nè magnitudo reuelationum extolleret eam. Nam reuerà sub hac triduana ecstasi talia viderat spiritu, quæ nullis posset verbis explicare.

Leuissimam culpã plangit acerbissimè.

Visiones ei mirabiles.

Alio tempore, pridiè S. Dominici, multa ei reuelata fuère diuinitùs de illo eximiæ sanctitatis patre, & alijs sanctis filijs eius: & quod mirum est, plerunquè eę visiones tam erant illi præsentes, vt simul & illis intendere, & alijs eas posset referre. Interìm venit in templum, vbi ipsa erat, F. Bartholomæus, socius confessarij eius: cumque assedissent pariter, cœpit ei narrare sancta virgo, quæ tunc ei diuinitùs ostendebãtur. Sub ipsa autem narratione casu transeunte eius germano fratre, paulispèr auertit oculos, vt videret quis esset: celerrimeque se referens ad cælestes visiones, mox cœpit flere acerbissimè, & nihil vltrà locuta est. Etsi autem humano iudicio vix vllum ibi possit sentiri peccatũ, cùm vix momento vno se auertisset, tamen ad cautelam piarum mentium, vt ipsa fatebatur, durissimè propter hoc repræhensa fuit, tum à beatissima matre Domini, tum ab Apostolo Paulo. Et certè alia sunt Dei, alia hominum iudicia: possuntque homines dissoluti hinc colligere, qualẽ ipsi ab æquissimo iudice sint obiurgationem in supremo mundi die expectaturi, si tantilla labecula adeò fuit castigata, vt sancta virgo testata sit, se mâlle in tota hominũ frequẽtia, qui tunc erant, ignominiosè pudefieri in hoc mundo, quàm denuò pati illam verecundiam, quam sensisset ex Apostoli reprǽhensione. Fuit autem inter alia multa de beatissimo Patre Dominico tunc ei reuelatum, quòd omnes actiones suas ab infantia vsque ad obitum ad normam præceptorum Dei direxerit, nec vnquàm vllum Dei præceptum transgressus sit, corporisque & mentis virgineam integritatem & baptismi gratiam perpetuò conseruàrit, omnemque conatum suum eò intenderit, vt animas tum de errorum, tum de vitiorum laqueis liberaret.

S. Dominici præclara encomia.

Per id tempus ex multa gratiarum affluẽtia ità cor virginis diuino est amore inflammatum, vt planè decumberet, nec posset surgere è lectulo. Omnis autem hic languor ab amore proficiscebatur. Petebat illa tunc ardentissimè à Domino, qui ei sæpissimè appa-

apparebat, vt dignaretur ipsam tollere ex hac vita: sed cùm sentiret nolle id Dominũ, rogauit eum, vt donèc eam vellet esse in corpore, dignaretur ipsam facere participem dolorum, quos ipse in hac vita tulisset. Id verò præstitit ei Deus, eamque egregiè afflixit, vt solet charissimos filios suos. Porrò cum incremento afflictionum cordis & corporis, multis modis etiam auctus est amor Christi, cuius tanta demùm vis fuit, vt cor virginis à summo vsque deorsùm crepuerit, ruptisq; vitalibus venis sola vi diuini amoris, spiritum reddiderit. Huius autem rei complures fuère testes, qui præsentes interfuère, & ipsa quoquè testata fuit, animam fuisse à corpore separatam, vidisseque ipsam essentiam & secreta Dei, quæ nullis possint verbis enarrari, vidisse gloriam sanctorum & pœnas peccatorum, tam apud inferos, quàm in locis purgatorijs, prorsùs inexplicabiles: quarum minima tanta sit, vt si eam viderent homines, deciès potiùs mortem essent oppetituri, quàm illam vellent perpeti vel vno die. Durauit autem hæc animæ à corpore separatio ad horas quatuor, tandemque voluit Dominus, vt rediret ad corpus, & indicaret hominibus, quæ vidisset, pro illorumque salute laboraret: sicque reddita est vitæ non absque summo dolore, quòd ab illa luce & immensa gloria ad has tenebras & vitam miseram redire oporteret: cui vbi se sensit restitutam, tribus diebus & noctibus fleuit continenter. Et nè putet lector res vanas hîc referri, nouerit eo tempore, quo sancta virgo expirauit, quatuor ei adfuisse fratres Dominicanos: defunctam autem penè omnes vicinas vidisse, & vtriusque sexûs notos permultos. Ex fratribus autem quatuor vnus Iohannes dicebatur, qui cùm vidisset eam spiritũ reddidisse, incredibili dolore percitus in tantos prorupit eiulatus, vt rupta arteria multum sanguinem vomeret, idque crebrò, vt eius vita desperaretur. Tum verò F. Thomas, sanctæ virginis confessarius, cum ingenti fide dixit illi fratri Iohanni: Scio hanc virginem magni esse meriti apud Dominum. Admoue igitur sacras manus eius huic horrendo vulneri tuo, & hauddubiè curaberis. Fecit ille sic coram omnibus, qui illic aderant, & repentè perfectè sanatus est.

Moritur, & anima videt diuinam essentiam &c.

Restituitur vitæ.

Insigne miraculum.

Iacobus, huius sanctæ virginis pater, posteaquàm vidit eam toto pectore incumbere in cultum Dei, semper eam & reuerenter & amanter tractauit, nec permisit quenquam è familia ei impedimento esse in ijs, quæ vellet facere. Itaque inter illum & filiam in dies augescebat charitas: illa assiduè pro patris salute precabatur, isque filiæ rectè factis & virtutibus gratulabatur. Appropinquabat autem tempus, quo decreuerat Deus illum euocare ex hac vita. Cœpit igitur ex morbo decumbere, moxque filia pro salute patris Christum deprecari: sed vt audiuit adesse eius vitæ præfixum terminum, valdè rogauit Dominum, vt sine pœnis Purgatorijs illum ad se reciperet. Sed hac in re diuina iustitia diù difficilem se præbuit, quòd non esset Iacobus sine maculis, quas excoqui ad purum oporteret. At tandèm vicit sancta virgo, sed ità vicit, vt pœnas parentis ipsa in se reciperet. Obijt ergò vir pius, & vt certò constaret eum rectà migrâsse in cælũ, eodem puncto temporis, quo ille abijt è corpore, virginem sanctam iliaci dolores inuaserunt, ijsque laborauit sine intermissione vsque ad supremum vitæ suæ diem. Verùm illa non hos duntaxàt, sed etiam quoscunque alios cruciatus & molestias non modò patienter, sed etiam hilariter ferebat, sciens se ijs perferendis ad perfectiorem Dei visionem præparari.

Pater ei⁹ feliciter eabijt.

Mira patientia.

Anno Christi 1370. Senis erat ciuis quidam, Andreas Naddini, diues opum, sed omnis virtutis inops, cunctis propè flagitijs coopertus, tesserarum ludo totus deditus, in Deum & sanctos eius perpetùm blasphemus & detestabilis. Is anno ætatis suæ quadragesimo graui correptus morbo, tendebat ad extrema. Venerunt autem ad eum multi homines pij & vtriusque sexûs cœnobitæ, atque ante omnes eius parochus: hortabanturque eum, vt sua peccata confiteretur. Sed ille miser, qui nec sacras ædes inuisere, nec sacris initiatos vnquàm honorare consuêsset, admonitiones omnes respuit, seipsum planè desperans. Audiuit hoc F. Thomas sanctæ virginis confessarius, effecitq; vt ea Dominum pro homine pereunte deprecaretur, & quidem feruentissimè atque instantissimè. Sed Dominus illi respondit: Illius blasphemi hominis flagitia ad cælos vsque pertingunt: qui præter alia scelera, etiam tabulam, in qua erat picta imago mea & matris meæ atque aliorum sanctorum, iactauit in ignem, dignus proindè, qui æternis gehennæ flammis exuratur. Verùm sancta virgo, salutis animarum sitientissima, dolens vicem perditi hominis, non cessauit à lachrymis & precibus, donèc flexus Dominus Iesus, decumbenti Andreæ appareret, hortareturque eum, vt sua peccata confiteretur, liberaliter ei, si id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille saxo durior, repentè mollescit,

Nota.

Impetrat homini de-

ſperato veniam à Domino.

magna voce poſtulat acciri confeſſarium, dicit Chriſtum Ieſum ſe videre, qui ipſum de facienda confeſſione admoneat. Lætantur omnes, curritur ad ſacerdotem: ille venit, Andreas cum magno cordis dolore integrè confitetur peccata ſua: condit teſtamentum,& feliciter migrat à vita. Ex talibus fructibus licet citra vllam ambiguitatem bonam arborem cognoſcere, licet perſpicuè intelligere, in ſumma apud Deum gratia hanc ſanctam virginem fuiſſe.

Alio tempore apud eandem vrbem duo inſignitè flagitioſi latrones capti, & atrociſſimis ſupplicijs addicti ſunt propter facinorum immanitatem. Iam ducebantur ad mortem, & curribus impoſiti, ignitis fuſcinulis diſcerpebantur. Nemo illos vlla ratione permouere potuit, vt facerent ſuorum peccatorum confeſſionem, immò verò blaſphemas voces in Deum & ſanctos eius palàm iactabant. Eo autem tempore erat ſancta virgo apud Alexiam ſociam & diſcipulam ſuam, cuius ædes prætéribant miſerrimi illi. Vbì autem id ſenſit Alexia, celeriter indicat ſanctæ virgini: illa ſe totam confert ad deprecandam clementiam Saluatoris pro ſalute deſperatorum, cùm vidiſſet per feneſtram ingentem dæmonum turbam, illos miſerè exagitantium. Impetrat à Domino, vt poſſit ſpiritu illis ſe adiungere, & cum eis ad portam vſque proficiſci. Vt autem eam viderunt dæmones apud illos, palàm clamitabant: Si non ceſſaueris, te dæmoniacam efficiemus. Illa contemnens minas procaces, perſtitit in precibus. Vbì ad portam vrbis ventum eſt, eccè clementiſſimus Saluator apparet illis obſtinatis, totus vulneribus confectus & ſanguine madidus, inuitat ad pœnitentiam, promittit veniam. Illi mox mutati, cum multa inſtantia petunt ſacerdotem, peccata ſua valdè dolenter confitentur: facta confeſſione, blaſphemiæ mutantur in laudes Dei, dignos ſe etiam maioribus tormentis fatentur, ſtupent omnes repentinam conuerſionem, carnifices quoquè miteſcunt, nec audent noua imprimere ſtigmata, dum vident tantam animorum deuotionem. Deniquè illi ad mortem haud ſecùs atquè ad epulas feſtinant, ſpe bona freti, ſe per ſupplicia momentanea citiùs venturos ad gaudia ſempiterna. Habes lector, quod mireris multo etiam ampliùs, quàm ſi horum extincta corpora ad vitam eſſent reuocata.

Duo latrones blaſphemi & obſtinati reſipiſcunt.

In eadem vrbe fuit Franciſcus quidam de Ptolomęis, cuius primogenitus filius Iacobus valdè ſceleratè viuebat, & iam duos ſuis manibus trucidârat, timebantque eum omnes propter eius crudelitatem & immanitatem. Erat verò illi ſoror Ginoccia, corpore quidem virgo, ſed mundo huic prorsùs dedita, & in corporis cultu vltra modum curioſa & vana. Horum mater diuino timore compuncta, timens illorum damnationem, adijt ſanctam virginem Catharinam, orans, vt cum duabus filiabus ſuis, præſertim verò cum Ginoccia, loqueretur de ijs, quæ ad ſalutem animæ faciunt. Illa libentiſſimè annuit, tantumque precibus apud Deum & admonitionibus apud Ginocciam effecit, vt habitum acceperit ſororum de Pœnitentia S. Dominici, & omne reliquum vitę tempus in precationibus & meditationibus ſanctis occupârit, tamque duram & aſperam duxerit vitam, vt pater Raimundus, quòd eſſet nimia, eam reprǽhendere debuerit. Secuta autem eam eſt Franciſca ſoror eius in omnibus, & erat gratiſſimum ſpectaculũ, illas duas ſorores, paulò antè mundi vanitatibus deditiſſimas, iam videre mira conſtantia non mundum duntaxàt, ſed etiam ſua corpora habere deſpectui, & ſummo bono ardenter inhiare. At poſtquàm iſthuc reſciuit Iacobus earum frater, furibundus venit ad vrbem, modis omnibus Ginocciam à ſancto propoſito reuocaturus. Aderat autem illi frater eius, adhuc puer: qui vt audiuit eum multa in itinere minitantem, dixit ei: Reuerà frater, ſi Senas veneris, tu quoquè conuerteris, & confiteberis peccata tua. Ille verò horrendum in modum iactabat maledicta, ſeq; multas potiùs cædes perpetraturum dictitabat, quàm vlli vnquàm confeſſurum. Interìm veniunt ad vrbem, atroces intentat minas, ni ſoror abijciat religioſum habitum. Altera luce à matre eius accerſitur F. Thomas, ſanctæ virginis confeſſarius, iſque ſecum adducit F. Bartholomæum. Thomas cum Iacobo loquitur, ſed nihil efficit. Vidit autem hæc omnia in ſpiritu ſancta virgo Catharina, & pro Iacobi ſalute Dominum rogabat. Loquitur autem Iacobo etiam Bartholomæus, & hominis adamantinum pectus expugnat, adeò vt totũ ſui pectoris virus per confeſſionem euomuerit. Stupet eius mater ad tam inſperatam filij mutationem, ſorores gratulantur, tota familia laudat Deum. F. Thomas & Bartholomæus eunt, vt hæc nuncient ſanctæ virgini, ſed illa iam referebat omnia ſociæ ſuę. Videt hinc lector, quàm apud Deum efficax fuerit ſanctæ virginis deprecatio. Porrò Ginoccia in Dei ſeruitio vſque ad obitum perſeuerauit, & diuturnum morbum ferens

Ginocciæ conuerſio.

Item Franciſcæ.

Item Iacobi, hominis flagitioſi.

rens

rens hilariter, cum ineffabili gaudio migrauit ad Dominum. Francisca quoquè soror eius breui eam secuta, inter dolores corporis semper ridens, cum iucundo risu exijt è corpore.

Alius quidam Senis fuit, Nannes vocabulo, mundo addictissimus. Is priuatas cum multis exercebat simultates, multasque illis insidias struebat, ità vt sibi diligenter ab eo cauerent, darentque operam, vt per sequestros pacem cum eo componerent. At ille homo fraudulentus, cùm solus paci obsisteret, tamen se nihil magis atque pacem velle simulabat, vt posset suæ illi vlciscendi libidini indulgere. Tandèm verò à quodam sancto viro instituti Augustiniani persuasus, iuit vt loqueretur Catharinæ virgini, cuius alioqui colloquium semper magnoperè deuitârat. Vbi autem ad eius ædes venit, in patrem Raimundum incidit, à quo ægrè potuit ad breue spatium retineri. Interim sancta virgo domum redit, Nannes dolet, Raimundus lætatur, virgo sancta eum comiter salutat, simulque assidens, de causa sui aduentus percunctatur. Ille omnia, quæ Raimundo dixerat, repetit: negat se vllius monitis obtemperaturum. Virgo sacra ostendit ei summum animæ periculum: pungit, vngit: sed ille nec asperis, nec blandis mouetur. Id illa sentiens, intra seipsam tacita Christum orat pro ferreo homine, & orando patitur mentis excessum. Aduertit hoc Raimundus, & cum illo miscet colloquia, sperans diuinitùs adfuturam opem. Et eccè Nannes primò ait, se nolle ità rusticè & inciuiliter omnia ipsis negare, permittit eis vnius litis compositionem, surgensque vult recedere: mox exclamat: O Domine Deus, quæ me vis trahit & detinet? Nec recedere possum, nec quicquam negare. O quis me premit, quis me retinet? Hæc dicens, prorumpit in lachrymas, se victum fatetur, flexis genibus offert se sanctæ virgini paratum ad omnia, non obscurè aduertens iam, se diaboli vinculis ferreis fuisse impeditum hactenùs. Virgo autem sancta ad se rediens, gratias agit Deo, dicitque ei: Locuta sum tibi frater, & contempsisti me: locuta sum Domino, & ille non despexit preces meas. Age igitur pœnitentiam, nè repentina aliqua afflictio te premat. Ille verò peccata sua omnia confitetur patri Raimundo cum multa cordis contritione. Non diù pòst à Præside capitur, & in angustam custodiam conijcitur, famaque spargebatur, capite plexum iri. Sed virgine sancta pro illo rogante Christum, breuì liberatus est, sed non sine magna suarum facultatum iactura. Vndè sancta virgo lætabatur, dicens euidens signum esse, Deum pœnas æternas ei condonâsse, quem temporarijs malis castigaret.

Nānes malignus homo redit ad bonam frugem.

Hoc loco testatur Pater Raimundus, si scribere voluisset hominum malorum conuersiones omnes, bonorum profectus, infirmorum confirmationes, afflictorum consolationes, spiritalium periculorum præmonitiones, quas Dominus per sanctissimam virginem mirabiliter operatus est, permultos eosque grandes ipsi libros fuisse conficiendos. Quis enim, inquit, narrare sufficiat, quot sceleratos homines ab ipsis inferorum faucibus extraxerit, quot obstinatos ad suî cognitionem adduxerit, quot mundo huic deditos ad eius contemptum induxerit, quot varijs diuexatos tentationibus è satanæ laqueis eduxerit, quot cælitus vocatos per virtutum iter deduxerit? Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, non sufficerent ad explicandum fructum animarum, quem attulit virgo Christi. Vidi ego nonnunquàm vel mille & eo ampliùs vtriusque sexûs homines ad eam videndam & audiendam confluere, soloque eius adspectu ità ob sua malefacta animo compungi, vt lugentes properarent ad confessarios, quorum vnus ego eram, & cum ingenti contritione sua peccata confiterentur. & id crebrò ità contigit. Quam ob causam Gregorius, eius nominis XI. Romanus Pontifex, mihi & duobus socijs meis eam dedit absoluendi omnes ad eam venientes & confiteri volentes facultatem, quam habent Episcopi. Et certè multi venerunt ad nos, immanibus implicati facinoribus, qui vel nunquàm fuerant cõfessi, vel nunquàm pœnitentiæ sacramentum ritè susceperant. Itaque non rarò vsque ad vespertinas preces ieiuni permansimus, nec tamen audire potuimus omnes confiteri volentes: sed virgo sancta sine intermissione orabat, & ità victrix, capta præda, exultabat mirum in modum in Domino. Ita Raimundus Pater, etsi non planè ijsdem verbis, tamen eadem sententia. Puto autem hinc luce meridiana clariùs perspici, quo spiritu hæc virgo sanctissima plena fuerit, quæ tot animas ad Christum adduxit: sed ad alia pergamus, quanquàm Raimundus palàm testatur, plurimas sanctæ virginis res gestas se in scripta non retulisse.

Fructus & lucra animarum.

Multitudo sua peccata cõfitentiũ.

Lapa eius genitrix, simplex quidem mulier fuit, sed quæ parùm rebus inuisibilibus

afficeretur: vndè fiebat, vt nimiùm abhorreret ab emigratione è corpore. Nam post obitū mariti cœpit aduersa laborare valetudine, & virgini Catharinæ, pro eius incolumitate oranti, Dominus respondit, expedire ei, vt è vita decedat. Retulit hoc ad matrem Catharina: sed illa amore vitæ præsentis horrens & refugiens mori, rogabat filiam, vt à Christo viuendi spatia longiora impetraret. Dolet sancta virgo, sed tamen rogabat Christum, nè sinat mori matrem, nisi ipsius voluntati magis conformem. Audit Christus precantem virginem, & licèt increscere sinat morbum, non tamen patitur illo extingui Lapam. Sed eccè dum inuictum Deum propemodùm vincit sancta virgo precum suarum instantia, matrem flectere non potest. Itaque Christus iussit eam dicere matri, iam quidem nolle ipsam mori, sed futurum quandoquè, vt mortē summoperè exoptet, nec tamen possit voto potiri suo. Et ità sanè euenit. Nam vsque ad vltimam senectutem tot aduersa ei acciderunt ex ijs rebus quas amabat, vt dicere pòst soleret: Itáne transuersìm posuit Deus animam meam in corpore, vt inde exire non possit? & tandèm etiam sine confessione mortua est, eamque morientem tres fœminæ viderunt. Sed virgo sanctissima cum lachrymis oculos ad cælum leuans, dixit Domino, se ab eo loco nunquàm discessuram, donèc ei matrem restitueret viuam. Hæc eius verba eædem fœminæ audièrunt, nec ausæ fuère corpus exanime mandare sepulturæ, donèc viderent quem exitum essent habituræ preces sanctæ virginis. Orabat igitur feruentissimè cum multis lachrymis, & subitò reuiuiscit Lapa, & mansit in hac vita vsque ad annum ætatis suæ octogesimumnonum, sed ob multos aduersos casus vehementer afflicta, sicut ei filia prædixerat.

Precibus matrem ad vitam reuocat.

Anno salutis 1374. plùs minùs, pestis inguinaria vastauit Senas. Eo tempore degebat illic pater Raimundus, & sedulum exhibebat ministerium, nō sine præsenti vitæ discrimine, ea peste laborantibus, nè sine confessione decederent. Solebat autē crebrò diuertere pro vtriusque hominis aliqua captanda requie ad domum sanctæ Mariæ de Misericordia, cui tum præerat vir vitæ venerabilis & integerrimæ, Matthæus nomine. Accidit autem, vt illum quoquè ea sæua pestis corriperet, & iam medicus insignis eius vitam propè desperaret. Perlatum est hoc ad sanctam virginem, quam ille Matthæus ob eius sanctitatem impensè amabat, & festina ad illum accessit, & priusquàm ad eum propinquaret, eminùs clamauit: Surge domine Matthæe, surge: non est iam tempus in lecto molliter cubandi. Vix illa verba compleuerat, & momento temporis pestis & apostema dolorque omnis ità euanuère, vt ijs nunquàm Matthæus laboràsse videretur, ridensque è lecto se subrigeret, & paulò pòst cum Patre Raimundo non ægrotorum, sed fortium hominum solidos cibos ederet. Eius præclari miraculi permulti testes fuère.

Vide rem miram.

In vicinia eius domûs S. Mariæ de Misericordia, quædam Deo deuota fœmina morabatur. Ea, cognitis sanctæ virginis virtutibus, in eius se familiaritatē insinuauit, eamq; venerationi habuit. Accidit autem, vt quodam die esset in solario domûs suæ, & ruente solario, ipsa pariter caderet, non carnibus duntaxàt, sed etiam ossibus grauiter conquassatis, ità vt propediem omnibus moritura videretur. Audiuit id sacra virgo, & eam accedens, ad patientiam hortabatur. Cùm autem videret eius dolores propè intolerabiles, virgineis manibus cœpit attrectare leniter loca malè affecta, & mox dolor omnis abscessit ab eo loco, quem primò tetigit. Rogante autem ægra fœmina, vt pergeret etiam reliqua loca contrectare, fecit libenter, & eccè repentè sanitas integra redit: sed illa, nè sanctæ virginis modestiam & humilitatem offenderet, quam sciret humanas laudes abominari, siluit donèc ea recederet. Tum verò omnibus palàm dixit: Catharina Lapæ filia me suo contactu sanauit. Grates & laudes à cunctis aguntur Deo, qui sanctæ virgini eam gratiam contulisset.

Contactu suo sanat penè mortuam.

Sub ea peste, cuius paulò suprà meminimus, Senis quidam fuit anachoreta, re & nomine sanctus. Percussus est autem etiam ille peste, & sancta virgo eum è sua cellula, in qua extra vrbem degebat, curauit transferendum ad domum Misericordiæ, superiùs memoratam: eumque cum sociabus inuisens, de rebus necessarijs illi prouidit, propiusque accedens, clàm ei dixit in aurem: Noli timere: quantumcunquè se vis morbi intenderit, non morieris hac vice. Alijs autem nihil huius indicare voluit, sed rogantibus, vt pro eo Dominum precaretur, quia valdè eum amabant propter vitæ sanctitatem, ità se exhibuit, vt etiam ipsa de vita eius dubitare videretur. Crescebat quasi continuè morbus, & iam nihil nisi mors expectabatur. Rursùs autem accedit ad aures eius sancta virgo, dicitque submissa voce: Nè timeas: non morie-

Sāctus eremita.

morieris. Luctabatur ille cum morte, & tamen plus credebat verbis sanctæ virginis, quàm illius mortiferis aculeis. Interim parantur funeri necessaria, sed ille iam præterijt terminum, intra quem vtplurimùm occumbere solebant eo morbo pressi. Sic aliquot dies transiêre, & moriturus expectabatur. Tandem in eius aurem ità dixit sancta virgo: Ego tibi præcipio in nomine Domini nostri Iesu Christi, nè migres à vita. Euestigiò autem sanctus in lecto se subrigit, cibumque petit: breuique temporis spatio adeò curatus est, vt posteà multis annis superuixerit. Is posteà narrauit alijs, quæ ei sancta virgo clàm dixisset, affirmauitque palàm, nulla se virtute naturali, sed sola diuina potentia liberatum. Vixit is apud Senas annos plùs minùs triginta & sex solitariè instar Anachoretarum, & multùm eum venerabantur, quicunque nouerant eius virtutes. Egregium miraculum.

Pater Raimundus per id tempus, quo illa pestis grassabatur Senîs, fidissimam nauauit operam cunctis, quibus adesse poterat, nec vllos sibi vitandos putabat, licèt morbus ille & aërem & corpora aliorum sua contagione inficiat. Animabat verò etiam illum sancta virgo: sed quia solus propè erat in tam magna vrbe, vix vllum aut cibi, aut somni capiendi dabatur ei spatium: tot ad eum peste laborantium nuncij confluebãt. Sed dum solus ferè, vt dixi, in tam sancto opere esset occupatus, ipse quoquè sensit se apostemate pestifero affectum: accedebat etiam febris & dolor capitis, vt solet in eo morbo. Tum verò, vt potuit, cum socio iuit ad ædes sanctæ virginis: quam cùm non inuenisset, in quodam se reposuit lectulo, donèc illa veniret. Venit illa, admouet manus suas Raimundi capiti, flexisque genibus orat Dominum, & inter orandum videt Raimundus, vt sæpè aliâs, eam mentis excessum pati. Cùm ergò sic ad dimidiam ferè horam permansisset, sentit Raimundus ex corporis sui extremis partibus tãquàm violenter quippiam extrahi, sensimque se meliùs habere, adeò vt antè, quàm sacra virgo sibi esset restituta, planè curatum se experiretur, interim tamen debilitate quadam remanente. Iussit autem sacra virgo ei cibum parari, eoque sumpto, voluit vt paulisper quiesceret. Quieuit ille, surrexit paulò pòst ità incolumis, acsi nihil mali passus esset, redijtque ad pristinos labores. Raimundus peste laborat. Virgo sancta precib. pellit pestẽ.

F. Bartholomæus Dominici, socius Raimundi Patris, eadem peste & acriùs & diutiùs oppressus, sanctæ virginis precibus itidèm restitutus est. Multos etiam alios diuersis vexatos morbis, in diuersis locis sancta virgo suis orationibus sanauit: sed id genus multa se breuitatis studio omisisse dicit Raimundus.

Postquàm autem illa pestis extincta fuit, præter alios multos, quædam Deo dicatæ virgines apud Pisas mirum in modum cupiebant sanctæ virginis & conspectu & alloquio frui. Nam eius doctrina, sicuti reuerà erat, ità etiam dicebatur admirabilis. Et quia non licebat illis proficisci ad eam, per literas & nuncios inuitabant eam, vt veniret Pisas. Virgo sancta, licèt semper vitâsset discursus, tamen tam crebris pulsata precibus, ad Christum confugit, ab eo petens sibi indicari, quid hac in re faciendum esset, maximè cùm ex domesticis eius alij hortarentur, vt iter susciperet, alij ab eo suscipiendo planè deterrerent. Post multos autem dies more solito apparuit ei Christus: iussit, vt sine mora iret Pisas. Indicauit illa hoc Raimundo confessario, & cum eius bona venia iuit Pisas. Secutus est autem eam Pater Raimundus cum aliquot fratribus Dominicanis, vt eorum, quos illa ad Dominum conuerteret, confessiones reciperet. Multi enim eius sermonibus ignitis corde compungebantur: quos illa statim iubebat ire ad faciendam cõfessionem, nè diabolus à bono proposito illos reuocaret. Vbi autem Pisas ventum est, hospitio vsa est sancta virgo apud Gerardum quendam, eius vrbis ciuem. Is verò posteà adduxit ad eam iuuenem quendam, annorum plùs minùs viginti, quem quotidianæ febres, per menses octodecim miserè vexatum, ex robustissimo planè imbecillum reddiderant: orauitque, vt sancta virgo pro illo Dominum deprecaretur. Illa ex animo miserans iuuenem, sciscitabatur, quandò postremò esset confessus peccata sua. Illo respondente, se multis annis non esse confessum, sacra virgo dixit: Ea igitur causa est huius diuini flagelli, quòd tanto temporis interuallo nolueris sancta confessione expurgare animam tuam: sed vade celeriter ad cõfessarium, & euome hanc putredinem peccatorum tuorum, quæ & animam & corpus infecit. Confessus est iuuenis F. Thomæ, & vbi ad sanctam virginem redijt, illa manum humeris eius imponens, ait: Vade fili in pace Christi. nolo enim, vt has febres deincèps patiaris. Dixit illa, & vim verborum eius declarauit repentina salus iuuenis. Huius rei, præter alios, ipse pater Raimundus testis oculatus fuit. It Pisas rogata à multis. Pellit febres inueteratas.

Senîs

Senis Gemella, soror de pœnitẽtia sancti Dominici, anginam, quam vulgò squinantiam vocant, periculosissimè patiebatur. Iuit ergò ad sanctam virginem, dixit se non posse non mori, nisi ipsa precibus suis opituletur. Illa vt vidit morbi atrocitatem, & quòd præ gutturis suffocatione vix spiritum traheret, cum multa fidutia apposuit manum suam gutturi, signumque crucis illi imprimens, confestim morbum profligauit. Ità quæ mœrens & tremens aduenerat, iucunda domum abijt.

Gregorius XI. Pontifex, relicta Gallia, it Romam.

Ea tempestate, qua Gregorius vndecimus Romanus Pontifex Auinione Romam se recepit, sancta virgo cum suis sodalibus illum antecessit, Genuamque venit, illic hæsura, donèc Pontifex eò veniret. Aderat tunc illi pater Raimũdus, & duo pijssimi adolescentes, patria Senenses, ambo amanuenses eius, quorũ alter Nerius Landoccij, alter Stephanus Corradi de Maconibus dicebatur. Ex ijs Nerius posteà solitariam & propè anachoreticam duxit vitam: Stephanus, iubente sub mortem sancta virgine, cùm nihil minùs cogitaret, vt ipse de se scribit, quàm de monastico suscipiendo habitu, Carthusianus factus est celebris & valdè religiosus. Cùm autem esset sancta virgo Genuæ, Nerius horribili correptus est ægritudine, & præ nimio dolore viscerum, miserabiles edebat voces & eiulatus, reptabatque manibus & pedibus de lectulo in lectulũ, tanquàm aliquod leuamentum perpetuis illis cruciatibus reperturus. Indicantur hæc sanctæ virgini: illa iubet acciri medicos. Veniunt duo medici, fiunt omnia, quæ illi præscribunt; sed miser ille non modò nihilo meliùs, sed peiùs etiam habere cœpit, ità vt medici eius vitæ spem omnem abijcerent. Quod cùm Stephanus audiuisset, ad virginem sanctã se confert, eius pedibus lachymabundus aduoluitur: orat, nè sinat socium suum in peregrino solo miserabiliter ex hac vita migrare. At illa, Cur sic, inquit, doles fili, si Deo visum est fratrem tuum ad suum regnum euocare? Stephanus perseuerat in precibus suis, dicit se nihil ambigere, quin, si velit, possit Nerio salutem obtinere. Tum illa, non ferens hominis summam afflictionem, Vbi cràs, inquit, me ad sacrã communionem abire conspexeris, reduc mihi isthuc in memoriam, & ego offeram Deo preces: tu verò rogabis Dominum, vt illas admittat. Abit Stephanus benè contentus, & altera luce virgini ad Missam eunti inculcat preces suas. Percepit ea sacrã Eucharistiam, & more solito extra se rapta est: vbi autem ad se redijt, Stephanum illic expectantẽ subridens ita alloquitur: Dominus nobis restituit Nerium. Stephanus celeriter abit ad Nerium, eumque in Domino cõsolatur. Deindè paulatìm remittitur morbi acerbitas, & Nerius totus reualescit. Eccè autem Stephanus, qui ei ministrauerat ægrotanti, ex multis corporis & animi molestijs, quas eius causa pertulerat, febres acres cum vomitu & intolerabili capitis dolore patitur: & quia omnibus præcipuè charus erat, omnes sanctæ virginis socij ei decumbenti assistunt. Sed virgo sacra non ferens eius afflictionem, ad decumbentem accedens, Præcipio, inquit, tibi in virtute sanctæ obedientiæ, vt has febres deincèps minimè patiaris. Abscessit febris, & Stephanus totus surrexit incolumis. Hoc ità ferè recitat Pater Raimundus, & ipse quoquè Stephanus in Epistola ad F. Thomam Dominicanum, quam scripsit, cùm esset Prior Carthusiæ Ticinẽsis. Permulta alia fecit Christus miracula per sanctam virginem in depellendis morbis, sed quæ etiam Raimundus fatetur se non annotâsse. Nam & sororem quandam de Pœnitentia sancti Dominici, ex pedibus & febre laborantem, celerrimè sanauit, & ab infantulo quodam horrendos corporis tumores depulit.

Nerius eius precibus curatur.

Item Stephanus eius socius.

Apud Senas Michaël Monaldi vir grandæuus, vxore consentiente, Dei seruitio se mancipare statuit: duasque filias suas tradidit monasterio virginum, & ipse cum coniuge foris habitans, propter Christum curam gerebat rerum temporalium eius monasterij. Nam seipsum quoquè & sua illi monasterio donârat. Posteà verò altera filia, Laurentia nomine, annorum circiter octo, à dæmone arrepta est, adeoque molesta fuit illi monasterio, vt pater eius coactus sit eam è cœnobio educere. Multis autem modis dabant operam parentes eius, vt innocens puella à nequissimo spiritu posset liberari, sed nihil proficiebant, Christo eam curationis gratiam seruante Catharinæ virgini: ad quam cùm esset tandèm à parentibus adducta, illa tectum ascendit, clamq; fugit, ità vt nulla posset ratione inueniri. Sed parentes puellæ tanta eius humilitate magìs ad benè sperandum permoti, F. Thomam confessarium eius rogârunt, vt præcepto cõpelleret ipsam ad iuuandam filiam dæmoniacam. At ille sciens se nullam habere potestatem in gratiam miracula faciendi, pia quadã fraude circunuenit sanctam virginẽ. Accessit enim ad ædes eius, secũ ducens puellam miseram, dixitq; sociæ eius, vt illi reuertẽti (nam tũc domo aberat) verbis suis præciperet, vt puellam ea nocte apud se retineret. Paulò pòst

Obserua quàm vitet omnẽ ostẽtationem sancta virgo.

redi

redit sancta virgo, videt puellam in cubiculo suo, sentit mox plenam esse dæmone, suspicatur eam esse quam fugiebat, discit ex socia quid iussisset F. Thomas. Tum verò sentiens se effugere non posse, ad solitum precum refugium se confert, puellamque flexis genibus secum orare compellit. Ità tota nocte peruigil cum dæmone pugnans, ante lucem coëgit, licèt inuitum, illum abscedere, nihil læsa puella. Indicatur hoc F. Thomæ, & ille cum parentibus puellæ venit ad virginem: qui vt viderunt filiam suam prorsùs incolumem, cum lachrymis Deo & sanctæ virgini gratias egerunt. Cùm autem vellent eam secum abducere, non est passa Catharina, sed eam apud se retinuit illis gratulantibus. Optimis interim & verbis & exemplis puellam instruens, quodam die exijt cum Alexia, cuius erat illa domus, ad ædes suas, puella Laurentia cum famula in Alexiæ domo relicta. Iam verò nocte ingruente dicit sancta virgo Alexiæ: Eamus celeriter ad ædes tuas. Illa respondente, non decere fœminas tali hora per vrbem ingredi, virgo sancta ait: Lupus tartareus rursùs inuasit ouiculam nostram. Eunt igitur, & inueniunt puellam prorsus in vultu mutatam & propè furibundam. Duxit autem eam virgo sancta ad locum orationis, ibique non magno temporis spatio ità flagellauit dæmonem, vt ex puella exiens, deincèps nunquàm in eam reuerti ausus fuerit. Reducta est autem puella ad monasterium, & multis annis in Christi seruitio illæsa perseuerauit.

Expellit dæmonem.

Rursùs illũ profligat.

Fuit quandoquè sancta virgo in castro quodam cum nobili domina Biancina vidua. Inuasit autem dæmon eius castri fœminam quandam, & horrendum in modum diuexauit. Volebat verò Biancina pro illa rogare sanctam virginem, sed ausa non erat, sciens eius modestiæ & humilitati tales preces esse molestissimas. Curauit autem, vt dæmoniaca in virginis conspectum veniret. Etsi autem illa hoc ægrè tulit, tamen cùm eo tempore esset occupata quadam pace conficienda, dæmoni præcepit, vt ex eo loco se non moueret, donèc ipsa reuerteretur. Postquàm autem illa abijt, dæmon per os miseræ clamabat: Cur hîc me detinetis? Sinite vt abeam, nam atrociter nimìs excrucior. Hos autem clamores illo subindè altiùs iterante, & sanctam virginem criminante, illa venit: mox autẽ vt cubiculum est ingressa, dæmon fortiter clamauit: Quarè me detinetis? Cui virgo, Surge, inquit, miser, & quamprimùm ex hac Dei creatura discede. His dictis, dæmon toto mulieris illius corpore relicto, in solo gutture horrendos excitauit tumores. Sed virgo sancta crucis signum illi imprimens, illum prorsùs eiecit: fœminã verò, quòd ex præterita vexatione esset debilis, aliquandiù suo pectori admouit & vlnis: deindè iussit cibum aliquem ei porrigi: quo sumpto, paulò pòst suis pedibus sana recessit, quæ eò ab alijs pertracta fuerat.

Cruciatur dæmon in obsessa.

Signo crucis eijcit eum sancta virgo

Vt verò etiam aliquid de propheticis reuelationibus dicamus, nouerit lector prophetiæ spiritu ità perfectè & continuè sacram hanc virginem præditam fuisse, vt nihil eam Dominus celare videretur de ijs, quæ vel ad ipsam, vel ad domesticos eius, vel ad eam pro animæ salute refugientes attinerent: nec poterant, qui cum ea versabantur familiariter, quicquam vel boni vel mali, quod alicuius esset momenti, ipsa absente agere, quin illa diuinitùs id sciret: immò etiam secretas cordium cogitationes sæpè ità luculẽter indicabat eis, àc si ipsa eas in suo corde versaret. Fatetur ingenuè de seipso suspiciendus ille Pater Raimundus, cùm sancta virgo sæpiùs in eo repræhenderet quædam, quæ ille tacitus secum cogitabat, ipseque se excusare vellet, illam dixisse: Cur mihi negas pater, quod ego euidentiùs cerno, quàm tuipse, qui id cogitas?

Mirabilis cognitio prophetica.

Fuit verò Senis miles strenuus & nobilis, Nicolaus de Saracenis. Is post longam militiam domum reuersus, curabat rem familiarem, longosque sibi vitæ dies pollicens, indulgebat conuiuijs. Hortabatur autem eum coniunx & quidam cognati, vt sua confiteretur peccata, & ob admissa in multis bellis flagitia ageret pœnitentiam. At ille pias admonitiones irridebat, vt solent homines mundo penitùs affixi. Clarebat per id tempus sancta virgo Catharina apud Senas multis virtutibus, præsertim verò peccatorum etiam obstinatorum conuersione mirabili: nec quisquam, quantumuìs durus & ferreus, illi loquebatur, vt quotidiana docebat experientia, qui non vel totus resipisceret, quod vtplurimùm contingebat: vel saltem à multis sese vitijs, quibus anteà fuisset deditus, cohiberet. Quod cùm non ignorarent illi, qui hunc Nicolaum ad confessionem inuitabant, precabantur illum, vt vel semèl sanctæ virgini Catharinæ loqueretur. Respondebat verò cum multa aspernatione: Quid mihi cum illa muliercula negocij est? quid vel in centum annis illa mihi conferre posset? At vxor eius adijt sanctam virginem, rogauitque, vt pro eo Dominum deprecaretur. Deindè in somnis sancta virgo

Multos conuertit ad Deum.

Nico-

Nicolao apparet, monet, ni damnari velit, vt obtemperet coniugis suæ consilijs. Euigilans ille, dicit vxori, se vidisse Catharinam, velleque se ei loqui. Lętatur pia coniunx, agit cum virgine de opportuna ad colloquendum hora: Nicolaus loquitur cum ea, & toto corde conuersus, peccata sua confitetur F. Thomæ, sanctæ virginis confessario. Posteà redit ad sanctam virginem in templo orantem, dicit se peccata omnia confessum: illa ei congratulatur, sed monet, vt videat, num dixerit omnia confessario. Illo crebrò affirmante, se nihil, quorum fuisset memor, subticuisse, sancta virgo traxit eum seorsùm, & quoddam immane facinus, quod in Apulia occultissimè perpetrârat, ei in memoriã reduxit. Tum verò ille obstupuit, seq; oblitum asserens, confessarium petijt, eique explicauit etiam illud peccatum. Cœpit autem palàm edicere, quòd virgo sancta id ei indicâsset, eamque mirificè prædicauit, atque deinceps haud aliter, atquè discipulus magistro, illi obediuit, eodemque anno feliciter ex hac luce migrauit.

Nicolaus militaris homo conuertitur.

Ei sancta virgo indicat peccatũ eius occultissimum.

F. Thomas, sanctæ virginis cõfessarius, cum socio fratre Georgio Naddi, eques quandoquè profectus est ad monasterium virginum, cui tum præerat Pater Raimundus. In itinere autẽ quieuerunt parumpèr, sed parùm cautè propter vicinos latrones, qui erant in taberna quadam: qui cùm hos fratres conspexissent, decem ex illis à mensa surrexerunt, & illorum iter anteuertentes, in loco quodam obscuro eorum aduentum sustinuerunt, eosque venientes ex equis deturbârunt, & penè vestibus omnibus nudatos, ad loca valdè nemorosa & opaca duxerunt, vt illic iugulatos clàm humo obruerent. Rogabant fratres, vt sibi parcerent, sed illi nihil respondebant. Cernens igitur F. Thomas præsentissimum mortis discrimen ex signis minimè obscuris, mente sic est locutus: O dulcissima filia Catharina, virgo Deo deuota, succurre nobis in hoc tam crudeli periculo. Vix ea verba mente protulerat, & eccè latro ipsi propinquior in hanc prorumpit vocem: Cur necem molimur his bonis viris, qui nunquàm nos læserunt? Immane isthuc flagitium est. Sinamus eos abire. non enim prodent nos. Mox omnes assentiunt, vestes, equos & ablata omnia restituunt, dempta parua pecunia, eosque illæsos à se dimittũt. Eodem autem ferè temporis puncto, quo F. Thomas sanctam virginem mente appellauit, illa dixit sociæ suæ: Pater meus vocat me, & scio eum esse in magnis angustijs: moxque se contulit ad rogandum Deum, nec priùs cessauit, donèc omnia essent illis restituta. Aberat autem à loco illo, vbi hæc accidêre F. Thomæ, ad vigintiquatuor Italica milliaria. Cogitet hinc lector, quàm facilè & scire res nostras & nobis opitulari possint sancti, iam Deo in cælis perfectissimè coniuncti, si tantum potuit sancta virgo etiamnùm degens in corpore mortali.

Liberat suis precib⁹ confessarium suum.

Anno salutis millesimo trecentesimo septuagesimoquinto, ditiones omnes Romanæ Ecclesiæ, Pontifici Gregorio XI. rebellârunt. Per id tempus sancta virgo Pisis erat in domo quadam hospitali. Superueniente autem rumore de ciuitatis Perusinæ rebellione, Pater Raimundus multo animi dolore incitatus, quòd nullus esset in hominibus Dei timor, nullus horrendi anathematis metus, nullã erga Romanam Ecclesiam, ecclesiarum omnium matrem & magistram, reuerentia: mœstus iuit ad sacram virginem, & lachrymabundus ei narrauit, quid audiuisset de Perusinis. Illa videns multas eius lachrymas, dixit: Noli pater ante tempus flere: multa adhuc lachrymarum materia superest. Quod enim nunc cernis, lac & mel est eorum comparatione, quæ sequentur. Et possunt ne, inquit Raimundus, peiora his accidere, quandò videmus Christianos tam nulla erga matrem Ecclesiam esse deuotione & reuerentia? Quid superesse potest, nisi vt ipsius quoquè Christi fidem negent? Respondit sancta virgo: Quod modò fit, laici faciunt: paulò pòst deteriora videbimus in Clero, cùm Pontifex cœperit in eorum prauos mores animaduertere. Excitabunt enim immane schisma, & totã scindent Ecclesiam. Præpara igitur te pater ad patientiam. Tu enim isthuc visurus es. Huius schismatis initia fuêre sub Vrbano VI. successore Gregorij XI. & durauit illud in annos plurimos.

Schisma sub Vrbano VI.

Apud Senas iuuenis quidam nobilis, Franciscus de Malauoltis nomine, cùm esset in iuuenili ętate orbatus parentibus, ex immodica libertate in multa ruit vitia detestanda. Vidit id quidam eius sodalis, qui iam sacram virginem sequebatur, & dolens eius vicẽ, aliquotiès eum adduxit ad audiendas sanctæ virginis exhortationes: quæ quidem permultùm ei contulerunt, licèt nondùm perfectè vitijs & deprauatis moribus suis valefaceret. Cernens autem sancta virgo ad horam illum compungi, sed posteà rursùs redire ad ingenium, & in pristina vitia recidere, quodam die in feruore spiritûs dixit ei: Tu quidem crebrò venis ad me, sed mox instàr auis reuolas ad vitia tua. Ego verò quandoquè talem

talem restim inijciam collo tuo, quòd deincèps auolare non poteris. Hoc sanctæ virginis dictum Franciscus & quoquot illic aderant, notandum putârunt. Sed antè, quàm id fieret, sancta virgo diem suum obijt, & Franciscus iam etiam liberiùs repetebat facinora sua. Vt autem constaret non frustrà hæc eam dixisse Francisco, postquàm illa obijt, mortua est Francisci vxor & socrus, & quidam alij, qui eius salutem retardabant, & ille perfectè reductus ad cor, seculo valefaciens, institutum fratrum montis Oliueti cum multa deuotione complexus est. Francisci cuiusdã mira mutatio.

Dominus Bartholomæus Rauennas, Prior Carthusiæ iuxta portum Pisarum, vir totius religionis & exactæ prudentiæ, mirum in modum amabat sanctam Christi virginem propter eius eximiam sanctitatem & doctrinam mirabilem. Is igitur sæpè rogauit, vt ad insulam, in qua Carthusia illa sita est, accederet, vt possent fratres sanctis sermonibus eius in Domino confirmari. Fecit illa, vt erat rogata, & cum Raimundo Patre alijsque sexûs promiscui ferè viginti illuc profecta est. Nocte autem illa, qua eò peruenit, Prior ille sanctam virginem & socias eius hospitio recepit milliari vno Italico à Carthusia, reliquos secum duxit ad monasterium. Altera autem luce fratres omnes adduxit ad eam, rogans obnixè, vt aliquid diceret, vndè possent meliores euadere. Aliquandiù illa recusauit modestiæ causà, dicens se potiùs debere audire verba seruorum Dei: sed victa Prioris & fratrum multa instantia, cœpit dicere de multiuarijs tentationibus hominum in solitudine degentium, & quibus rationibus sint superandæ. Dixit autem omnia tam appositè, talique ordine, vt omnibus esset stupori. Absoluto sermone, Prior, qui fratrum suorum res omnes habebat benè perspectas ex confessione, dixit Patri Raimundo: Si sancta virgo horum omnium audiuisset confessiones, non potuisset ad vniuscuiusque salutem dixisse accõmodatiùs & conuenientiùs, quàm modò dixit. Vndè mihi certò constat, plenam esse spiritu prophetiæ, & sanctum spiritum loqui per os eius. Sancta virgo egregiã habet orationem apud Carthusianos.

Alexia, iuuenis vidua Senensis, feruenter amabat sanctam virginem, vt propemodùm absque illa nollet viuere. Atque ea causa habitum sororum de pœnitentia sancti Dominici libens accepit, & relicta propria domo, non longè ab ædibus Catharinæ aliam conduxit, vt posset maiori eius familiaritate gaudere: & erat crebrò sanè cum illa virgo sancta, & multis diebus apud illam non rarò morabatur: interdùm etiam septimanas atq; menses integros in eius conductitijs ædibus exigebat. Accidit autem anno quodã, vt magna esset tritici apud Senẽses inopia: vẽdebatur autem vile & malè olens triticum, & eius partem quandam etiam Alexia emit, nè pane omninò careret. Antequàm autem illud putidum triticum absumeretur, nouum idque purum prostabat in foro. Itaque volebat Alexia abijcere id, quod reliquum erat corrupti tritici, & emere recens: priùs tamen mentem suam sanctæ virgini aperuit. Illa verò respondit: Itáne tu abijcere vis, quod Dominus voluit esse hominum alimentum? Quòd si tibi non libet illo vesci, da pauperibus, qui non habent quod edant. Alexia rursùs dicente, non posse se tranquilla conscientia vel pauperibus tam putétem offerre panem: virgo sancta ait: Para aquam, & affer illam corruptam farinam: egoipsa panes indè conficiam in vsus pauperum. Alexia facit, vt erat iussa, & sancta virgo ex modica farina celerrimè tam multos efficit panes, vt & Alexia & eius famula stuperent. Nam si multo etiam plus farinæ fuisset, non potuissent tot indè panes fieri: nec in his vllus sentiebatur putor: immò qui illis vescebantur, dicebant se nunquàm tam grati saporis panes gustâsse. His aliud accedebat magìs admirandum. Nanque & pauperibus & alijs multis largissimè panes illi distribuebantur, & nihilo minùs semper in cista panaria multi supererant, ità vt multis hebdomadibus consumi non possent à tam multis. Porrò aliquot homines pij vtriusque sexûs, insigni miraculo permoti, ex illis panibus quosdam pro reliquijs asseruârunt annis permultis. Posteà autem sancta virgo secretè dixit Patri Raimundo, rem totam scire volenti, zelo quodam se permotam, tum nè donum Dei despiceretur, tum nè pauperes negligerentur, cum feruore accessisse ad illam farinam, mox verò beatissimam Mariam virginem ipsi apparuisse cum multis sanctis & angelis, suisque sacratissimis manibus cum ipsa panes composuisse, atque indè sic auctos fuisse. Ex parua eaq; putida farina plurimos, eosq; optimos panes facit.

Vrbanus sextus Romanus Pontifex iussit quandoquè, vt sancta virgo Romam veniret. Multi autem vtriusque sexûs, quos ipsa in Christo genuerat, è Tuscia sequebantur eam euntem ad Vrbem, sed ipsa propè inuita. Erant igitur apud illam viri sedecim & octo fœminæ, ad quem numerum sæpè magna fiebat accessio, & tamen illa ex meris Euocatur Romam ab Vrbano VI.

 eleemosy-

eleemosynis quotidiè emendicatis victitans, omnes hilariter in suum hospitium admittebat, nihil dubitans, quin Christus & posset & vellet illis victum suppeditare. Accidit interim, vt quodam die vix tantum panis superesset, quod vel quatuor hominibus sufficeret, & hora tardior non sinebat emendicare panes necessarios. Iussit autem sancta virgo apponi singulis exiguas panis eius particulas, donèc Dominus prouideret: ac deindè se ad preces solitas recipit. Mira res. Sumunt tam multi auidè exiguas illas panis particulas, & semper superest quod edant, nec id possunt absumere. Non immeritò stupent omnes, panem non solùm non minui, sed augeri etiam. Sedecim viris abundè suffecerat, & reliquiæ fœminis cunctis adeò fuêre satis, vt etiam largæ eleemosynæ indè præstitæ sint egenis. Eiusdemmodi miraculum fecit per sanctam virginem Christus eodem anno etiam in Quadragesima. Scribit etiam Pater Raimundus, post obitum sanctæ virginis, eius meritis quodam die paucissimos panes, qui quinque hominibus non suffecissent, adeò fuisse multiplicatos, vt ampliùs quinquaginta suffecerint, & reliquiæ in penarium deportatæ sint. Addit etiam, crebrò eam, cùm adhuc viueret, eiusmodi miracula fecisse.

Panis mirabiliter diuinitùs augetur.

Apud Pisas sancta virgo ob nimium mentis excessum ità corpore debilitata fuit, vt moritura putaretur. Cùm autem nihil alimentorum vellet admittere, immò nec ferre ea posset etiam sana, Gerardus hospes eius misit ad quendam amicum, orans vt parum vini cuiusdam ad ipsum mitteret. Volebat enim extrinsecùs illo vino tempora & pulsus arteriarum sanctæ virginis delinire. Sed iam vasculum eius vini ad tres menses vacuum fuerat, nec aliquid mitti posse videbatur. Voluit autem vir ille, vt Gerardi nuncius suis oculis vasculum inspiceret. Vidit ille, satisque comperit diù vacuum fuisse. Et tamen, nè qua posset superesse ambiguitas, epistomiũ è vasculo extrahit herus domûs illius: sed ecce dum id facit, præter omnẽ expectationem vinum valdè præclarum indè promanans, humũ madefacit abundè. Stupet ille incredibiliter, clausoque epistomio, perquirit è tota familia, num quispiam vinum in illo vasculo fuisse conscius sit. Iurant omnes, intra menses tres nihil in illo vini fuisse. Mox per omnem ciuitatem res propalatur, nec alio quàm miraculi loco habetur. Posteà virgine sancta eunte ad patriarchã quendam, nuncium Pontificis, omnes confluunt è tota vrbe ad videndam illam. Hoc verò ipsa tulit molestissimè, nec cessauit pijs querimonijs pulsare aures Saluatoris, donèc cum vino in fæces repentè mutato, fama quoquè illa abolita est. Erat autem certè insigne miraculum, vas vacuum optimo vino magna suî parte subitò impleri diuinitùs, multos ciues ex sola deuotione indè bibere, nec tamen quicquam illi decedere: rursùs autem ad preces virginis, hominum laudes & fauores abominantis, in fæces mutari.

Ex vase vacuo multũ hauritur vini.

Habes hic multa miracula.

Iam longè suprà diximus, sacram virginem crebrò sacram sumpsisse Eucharistiam, & quædam alia eò pertinentia. Solebat verò etiam huius rei causa suos pati obtrectatores: sed reuerendus Pater Raimundus, sciens eius feruens desiderium, pro viribus dabat operam, vt illa tanto bono, quotiès vellet, frueretur. Quandò autem mens eius eiusmodi inflammabatur ardore, dicere consueuerat Patri Raimundo: Pater, ego esurio: propter Deum porrige mihi cibum animæ meæ. Hac etiam ex causa Gregorius vndecimus Romanus Pontifex pro eius consolatione Pontificio diplomate permisit ei, vt posset apud se habere aliquem quotidiè, qui eam absolueret, & sacrosanctam Eucharistiam ei ministraret: immò etiam, vt liceret ei altare portatile habere, sicque posset vbiquè Missam audire, & illud eximium sacramentum accipere.

Romanus Pontifex quid ei concesserit.

Narrat autem Pater Raimundus, quodam tempore iuisse illam cum ipso & alijs ad inuisendos quosdam Dei seruos: deindè Senas reuertisse hora tertiarum propè exacta, dixisseque eam ipsi: O si scires pater, quantùm ego nunc esurio. facilè autem se intellexisse quid vellet, sed excusâsse se à sacrificando tum temporis importunitate, tum suî ex itinere defatigatione. Ea verò iterùm dicente, se vehementer esurire, accessisse ipsum ad sacrificandum illa præsente: cumque illi sub finem esset præbiturus Eucharistiam, faciem illius instàr angelicæ splenduisse: tum verò se mente ità dixisse: Veni Domine ad sponsam tuam: moxque sacram hostiam, priusquàm eam contingeret, ad ipsum vltrò accessisse spatio latitudinis digitorum trium & eo ampliùs.

Eximius splẽdor vultûs eius cõmunicare volentis.

Alio quodam tempore sancta virgo magno tenebatur sacræ communionis desiderio, sed nimìs afflicta iliacis alijsque doloribus, misit ad Patrem Raimundum sociam suam, quæ rogaret eum, vt differret nonnihil Missæ celebrationem. Ille libens annuit, sed morbis se non remittentibus, iterùm misit sociam, quæ diceret se non posse

præ

præ doloribus sacram communionem percipere. Interim nihilo minùs, Raimundo nesciente, ipsa venit ad templum, vbi ille sacrificiū offerebat, & se in extrema ferè parte reponens, preces feruentes ad Christum fudit, vt sicut ipse sacræ communionis desiderio eam affecisset, ità etiam per seipsum illud perficere dignaretur. Pergit Raimundus longo ab ipsa interuallo offerre sacrificium: vbi autem ventum est ad frangendam sacram hostiam, quędam pars magnitudine ferè vnius fabæ, diligenter aduertente Raimundo, exilijt vltra calicem in corporale, sed eam ille nulla ratione, cùm diù multumque quæsiuisset, posteà inuenire potuit. Quam ob rem valdè anxius & perplexus, tandèm ad sanctam virginem peruenit, & ab illa didicit, eam particulam ex ipsius Christi sacrosanctis manibus sese percepisse. Eucharistiā percipit mirabiliter.

Cùm esset sancta virgo Auinione, Romanus Pontifex Gregorius XI. iussit eam manere in quadam eleganti domo, attribuitque ei ornatissimum sacellum. Soror autem Pontificis, domina valdè religiosa, postquàm cū sancta virgine locuta fuit, multa eam beneuolentia cœpit complecti. Inter cætera autem dixit clàm patri Raimundo, se peroptare adesse, Catharina sacram Eucharistiam sumente. Ille verò promisit ei, se die Dominico id ipsi indicaturum. Eo autem die sancta virgo hora tertiarum sacellum ingressa est, & more suo extra se rapta, expectabat sacram communionem. Misit itaque pater Raimundus Stephanum, qui posteà factus est Carthusianus, & hęc commemorat in quadam epistola sua, vt indicaret sorori Pontificis, Catharinam iam sacram communionem sumpturam. Illa tunc Missam audiebat, sed vt vidit Stephanum, agnoscens eum esse è familia sanctæ virginis, venit ad eū celeriter, & ait: Quid quęris fili? Respondit Stephanus, se missum, vt diceret Catharinam communicaturam. Festinauit illa, & cum multis vtriusque sexûs comitibus venit ad sacellum: venit cum ea pariter coniunx nepotis Pontificis, iuuencula indomita & mundi vanitatibus dedita. Et soror quidem Pontificis valdè religiosè se gessit: hæc autem misera, fortassis existimans simulatè agere sanctam virginem, peracto sacrificio finxit se eius pedibus præ deuotione faciem suam velle supponere, & interim pedem alterum crebrò acerrimè acu compunxit. At sancta virgo in Deum absorpta, nihil penitùs sensit, nec se quicquam commouit. At postquàm omnes abscesserant, & illa ad se redijt, magnos sensit dolores pedis, ità vt ægrè posset ingredi. Sociæ autem eius inspicientes ea loca, quæ dolere aiebat, viderunt emortuum sanguinem: atque indè dephęhensa est perditæ illius mulieris malignitas & incredulitas. Soror Rom. Pontificis charam illam habet. Non sentit acerrimos dolores.

Scribit porrò Raimundus pater, permultos vtriusque sexûs fide dignos homines ipsi retulisse, sancta virgine percipiente sacram communionem, perspicuè se vidisse sacram hostiam è sacerdotis manibus in os eius inuolare: & ipse Raimundus testatur semper se strepitum quendam sensisse, cùm ei sacram Eucharistiam porrigeret, ab ipsa sacra hostia excitatum.

Fuit verò diuinitùs sanctæ virgini reuelatum, ipsam parem in cælesti gloria futuram sorori Agneti de monte Politiano. Eius ergò Anetis reliquias sacra virgo summoperè cupiebat inuisere. Nè sit autem lector prorsùs ignarus, quænam hæc Agnes fuerit, nouerit fuisse Deo dicatam virginem in monasterio Montis Politiani, cuius monasterij aliquot annis rector fuit pater Raimundus, & huius Agnetis historiā ex relatione quatuor discipularum eius & scriptis quibusdam contexuit. Tanta autem gratiæ benedictione eam Dominus præuenit, vt ipsa nascente, mira quædam lumina visa sint eo in loco, vbi mater eius parturiebat, sed post eius partum euanuerint. Procedente autem ætate semper aucta maioribus virtutum incremētis, duo virginum cœnobia condidit, in quorum altero ipsa condita est, in quo & viuens & defuncta multis & magnis claruit miraculis. Post obitum autem virgineum corpus eius multis annis permansit incorruptum, & cùm loci eius incolæ vellent illud balsamo condire, vt diutiùs duraret integrum, ex eius extremis manibus & pedibus liquor preciosissimus distillauit, isque per sorores in vas vitreum collectus, asseruatus est, balsami colorem præ se ferens. Voluit ea re ostendere Deus, non indigere corpusculum illud balsamo, quod ex seipso supra naturæ vim balsamum funderet. Ea autem hora, qua Christo spiritum reddidit, quæ fuit intempestæ noctis, vtriusque sexûs infantes, apud parentes suos cubantes, clamitabant: Soror Agnes iam migrat à corpore, & est sancta in cælis: atque postero manè ingens multitudo virguncularum solo Deo instigante confluxit, nullam admittens, quæ virgo non esset, & cum candelis ardentibus, quadam instituta processione, ad eius monasterium accessit, virgineam oblationem virgini exhibens. Propter hæc autem & Agnes virgo sanctissima de mōte Politiano. Mira res. Nota res admirādas.

alia multa signa & miracula, etsi nondùm esset Raimundi ætate in sanctos relata, at tamen annis singulis eius memoria à populo regionis illius honorificentissimè celebrabatur. Ad huius igitur præclaræ virginis virginale corpusculum visendum atque venerandum, virgo Catharina cum bona venia confessariorum suorū profecta est: cumque eò venisset, mox ad Agnetis virginis corpusculum religiosè se cōtulit, cunctis ferè eius cœnobij sororibus & sociabus suis præsentibus: moxque ad pedes eius flexit genua, illos exosculari volens. & ecce sacrum illud corpusculum alterum pedem, cunctis videntibus, eleuauit, eique osculandum obtulit. Id verò cernens Catharina, cœpit caput inclinare profundiùs, sicque pes Agnetis sensim se retraxit in locum suum.

Aliud sanè stupendum.

Alio tempore rursùs ad illud monasterium veniens virgo Catharina, non iam ad pedes, sed ad caput Agnetis virginis accessit, diuque genas suas admouit pannis sericis & aureis, quibus eius virginis genę tectæ erant: deindè ad socias se vertens, ait: Cur non estis gratæ Deo pro munere illius? Tum illæ sursùm erectis oculis, vident candidissimū manna instàr pluuiæ delabi, corpusque Agnetis & virginem Catharinam omnesq; adstantes sua copia operire, ità vt vna ex eis manus illis granis impleuerit. Fuerat autem Agneti virgini hoc vsitatum, dum adhuc viueret, præcipuè in preces incumbenti, vt manna super eam plueret: voluit itaque consodalem suam Catharinam etiam hoc miraculo cohonestare.

Manna decidit in Agnetem &c.

Iam suprà diximus, virginem Catharinam prædixisse futurū schisma in Ecclesia Dei, cuius initia fuère sub Vrbano VI. & in multos durauit annos. Cùm igitur cerneret oculis suis jam euenire, quod antè prædixerat, horrendaque mala eius schismatis occasione in Dei Ecclesia, cuius zelo ardebat, existere, Christique Vicarium Romanum Pontificem vndiquè infestari: nocte ac die plorans & lugens, sine intermissione rogabat Dominum, vt pacem redderet Ecclesiæ suæ. Et partim quidem exaudita est, Deo ex hostibus insignes aliquot victorias Pontifici largiente: sed citò eius dolores recruduerunt, maligno dæmone inter Pontificem & Romanum populum discordias excitante: quæ eousque excreuère, vt populus Pontifici etiam necem intentaret. Cernens itaque id sancta virgo, rursus dat se precibus, rogans Christū, nè tantum sinat patrari scelus. Vidit autem in spiritu, totā Vrbem plenam dæmonibus, plebem ad illud immane parricidium incitantibus, & ipsi quoquè virgini crudelem mortem minitantibus. Virgine autem in precibus ad multos dies perseuerante cum incredibili mentis feruore, tandèm obtinuit à Domino, quod voluit: sed ità tamen, vt in se reciperet pœnas, quas diuina iustitia à Romano populo erat repetitura, quæ etiam mortem ei attulerunt. Paulatìm autem Romanæ plebis in Pontificem furor & rebellio se nonnihil remisit, & tandèm penitùs sopita est: sed in sacram virginem, Deo permittente, tartareorum dæmonū furor omnis conuersus est, eiusque exhaustum corpusculū tot morbis illi maligni atrocissimè excruciàrunt, vt credi non possit nisi ab ijs, qui coràm intuiti sint. Nam cutis ità adhærebat ossibus, vt non tam viui corporis, quàm cadaueris in terra consumpti speciem eius caro præ se ferre videretur, & interim nihilo minùs ambulabat, laborabat, in continuas incumbebat preces, solito etiam feruentiores & prolixiores. Qui autē tunc illi aderant, perspicuè cernebant vestigia verberum, quibus cædebatur à dæmonibus, nec tamen poterant adferre remedium. At virgo sanctissima animi inuicto robore & virili constantia ad pœnas omnes sese promptissimam offerebat, omnia perferens hilariter, quæ illi procaces & damnati spiritus ei possent inferre, eorum & minas, & maledicta, & verbera contemnens. Etsi autem dolores illi quotidiana caperent incrementa, & ipsa tum propter illum tormenta, tum alias suas ægritudines, anteà consueuisset ad horam tertiarum differre Missæ auscultationem: at nunc tota Quadragesima manè longissimo itinere se conferebat ad S. Petri ecclesiam, atque indè sub precibus Vespertinis reuertebatur domum, vbi non nisi in lectulo potuit inueniri: in quo sanè quisquis eam esset intuitus, facilè iurâsset non posse eam indè se mouere. Et tamen sequenti die surgebat, & ibat properè ad S. Petrum, quo itinere etiam sanus posset fatigari.

Multa ei verbera dæmones inferunt.

Promptissimā se offert ad pœnas.

Intereà verò quotidiè in ea augescebat sanctum illud desiderium, quo cupiebat dissolui & esse cum Christo: cuius desiderij fomentum erat perfectior diuinæ lucis in eius animum diffusio. Porrò biennio ante obitum suum librum dictauit modo sanè admirabili, quē ex ore eius partìm se scripsisse testatur Stephanus Prior Carthusiæ Ticinensis, idq; tum, cùm mens eius ecstasin pateretur. Extat ille liber & est typis excusus. Appropinquante tandèm huius vitæ termino, vocauit ad se omnes vtriusque sexûs, quos in Christo genuerat, atque id temporis secum habebat, egregiumq; ad illos sermonem habuit,

Dictat librum in ecstasi.

habuit, inter cætera hortando, vt totum amorem suum transferrent in Deum, nec sua corda paterentur vllius rei labentis vitioso amore affici, sed simpliciter ac purè tenderent in Deum, asserens etiam se à teneris annis magnam illi cordis simplicitati dedisse operam. Huc autem vt pertingerent, preces dicebat necessariò adhibendas, easque assiduas, & cum multa humilitate coniunctas. Valdè etiam cauendum, nè proximos iudicarent. Multa prætereà alia adiunxit, cumprimìs salutaria, licèt immanissimè membris omnibus dæmonũ crudelitate torqueretur, ità vt etiam facilè aduerterẽt omnes, cruciatus illos nulla ratione potuisse ab illa tam æquanimiter tolerari, nisì magna Dei gratia eius animum confirmâsset. Fatebatur etiam, se vitam suam pro Catholicæ Ecclesiæ salute profundere. Deindè ab omnibus veniam petijt: & cùm salutiferis Ecclesiæ sacramentis se curâsset communiri, & plenariam peccatorum omnium condonationem authoritate Gregorij XI. & Vrbani VI. Romanorum Pontificum sibi impendi, mortis angoribus cœpit corripi, & cum teterrimis dæmonibus in singulare certamen ingredi, vt posset etiam ex factis & dictis eius id animaduerti. Quandoquè enim tacebat, nonnunquàm respondebat, interdùm ridebat, tanquàm irridens ipsi obiecta: & cùm semèl parumpèr conticuisset, quasi auscultans quæ dicebantur, læto vultu respondit: Vanam gloriam nunquàm, sed veram vtiquè gloriam & laudem præpotentis Dei. *Sub mortẽ munit se Ecclesiæ sacramentis.*

Atque hoc loco præclarum ei reddit testimonium Raimundus pater, dicens se eius confessiones & generales & speciales sæpissimè audiuisse, & omnes actiones eius accuratè considerâsse: securéq; proindè testari posse, facta eius omnia ex speciali Dei mandato vel instinctu esse profecta, & non modò nihil de hominũ laudibus, sed ne de ipsis quidem hominibus eam cogitâsse quouis modo, nisì cùm pro illorũ salute Dominum precaretur, vel eam salutem suo labore promoueret: additque, credi ab homine non posse, qui mores eius non habeat exploratos, quàm fuerit ab humanis affectionibus aliena, vt posset iurè dicere cum Apostolo: Nostra conuersatio in cælis est. Tandèm post longum agònem, superatis tartareis dæmonibus, ad se reuersa, cõfessionem illam generalem dixit, quæ solet publicè fieri, iterùm sibi absolutionem & peccatorum condonationem impendi rogans, vt optimo sanè ad omnem posteritatem exemplo, in seipsa declararet, quod, teste Possidio in eius vita, S. Augustinus dicere cõsueuerat, post perceptum baptismũ, etiam laudatos Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere: tametsi virgo sanctissima omnem ætatem ea puritate & seueritate exegit, vt meritò dici de illa possit, tanta pœnitentia eam opùs non habuisse. Postquàm autem absolutio rursùs ei impensa est, repentè cœpit viribus destitui, nec tamen cessabat à sacris admonitionibus, donèc adesset supremum vitæ punctum: quo aduentante, ait: Domine, in manus tuas cõmendo spiritum meum: sicque felicissimè, vt diù optârat, ad Christum profecta est, anno salutis 1380. die 29. Aprilis, ætatis suæ anno plùs minùs 33. Eadem hora, qua obijt, Raimundo Patri, qui tum Genuæ erat, spiritus sanctæ virginis quædam locutus est, sicut ipse grauissimè asseuerat. *Raimundi insigne de ea testimonium.* *Philip. 3.* *Migrat ad Christũ felicissimè.*

Sacrum autem corpus eius clàm ad fratrum Dominicanorum ecclesiam deportatum est, sed res latere non potuit etiam nullo indicante. Nam ferè totius Romanæ vrbis populus accurrit, & pedes ac manus eius reuerenter osculatus est, eiusque se precibus commendauit: sed cùm nimius esset hominum concursus, sacrum corpus intra cancellos ferreos collocatum est: moxque edita sunt diuinitùs multa insignia & valdè præclara miracula, in signum euidens eius eximiæ sanctitatis. Per triduum autem propter miraculorum frequentiam non potuit sanctum illud corpusculum tradi sepulturæ. Postquàm verò humatum est, aucta sunt miracula, Christo sponsam suam mirabiliter clarificante: cui est cum Patre & spiritu sancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen. *Magnus populi cõcursus ad eius funus, & multa miracula.*

Porrò anno Christi 1461. anno pontificatûs sui tertio Pius 2. Romanus Pontifex sanctorum catalogo virginem sanctissimam adscripsit, cùm præter alios multos id etiam peteret Fridericus Romanorum Imperator, eius nominis tertius, & Paschalis Venetiarum Dux: nec ea in re vsus est leuitate aliqua Pontifex doctissimus, vti ipse in suis literis testatur, sed debitis habitis processibus, & accurata priùs facta inquisitione in vitam & mores sanctæ virginis, itemque in eius miracula, tam in vita, quàm post obitum declarata.

MARTYRIUM SS. MARIANI LECTORIS ET IACOBI DIACONI, PRAECLARE CONSCRIPTUM ab eo, qui interfuit. Quædam hinc ad verbum in suo Martyrologio descripsit Vsuardus.

Aprilis 30.

*solet, legẽdũ videtur.



Voriès aliquid beatissimi Dei martyres, festinantes ad promissa regni cælorum, charissimis suis verecũdiùs mandant, memores sunt humilitatis, quæ semper in fide sola facere *solent maiores: & quanto modestiùs petierunt, tanto efficaciùs impetrauerunt, & nobis hoc prædicandæ gloriæ suæ munus testes Dei nobilissimi reliquerunt: Marianum dico, vnum ex dilectissimis fratribus nostris, & Iacobum, quos scitis præter communem sacramenti religionem vitęque societatem, domesticis affectibus inhæsisse: qui contra sæuiẽtes seculi pressuras & gentiles impetus habituri tã sublime certamen, prælium suum, quod instinctu spiritussancti inierũt, in notitiam fraternitatis per nos venire iusserunt: nõ quòd in terris vellent coronæ suæ gloriam prædicari, sed vt præcedentibus experimentis, multitudo plebis & Dei populus ad exemplum fidei posset armari. Quis enim dubitet, quæ nobis in pace vitæ communitas fuerit, quandò nos indiuidua dilectione viuentes vnà, tempus persecutionis inuenerit?

Habes hinc historiæ huius certam fidem.

Nam pergebamus in Numidiã simul, vt semper anteà, socio parique comitatu viam ingressi, quæ nos ad exoptatum fidei & religionis obsequium, illos iam ducebat ad cælum. Et venerunt in locum, qui appellatur Muguas, cui est Cirthensis Coloniæ suburbana vicinitas: in qua tunc maximè ciuitate, gentilium cæco furore, ex officijs militaribus persecutionis impetus, quasi fluctus seculi tumescebant, & auidis faucibus ad tentandam fidem iustorum, rabies diaboli infestantis inhiabat. Vnde Marianus & Iacobus beatissimi martyres, certissima & exoptata diuinæ in se dignationis signa tenuerunt, qui in ea regione, in qua persecutionis tempestas turbulentiùs fureret, hora iam maturante sua, Christo gubernante, ad ipsum coronæ locum direxerunt vestigia. Nanque omnes dilectos Christo, cruenti & cæcati Præsidis furor per militares manus requirebat. Nec in hos solos crudelitatis exercebatur insania, qui in superioribus persecutionibus inconcussi Deo viuerent: sed in illos quoquè manum diabolus insatiabilem porrigebat, quos iamdudùm in exilia submotos, & si non sanguine, mente iam martyres, ferox Præsidis amentia coronauit.

Colonia Cirthensis.

Persecutionis immanitas.

In his ab exilio perducebantur ad Præsidem Agapius & Secundinus Episcopi, prædicandi ambo speciali dilectione, alter etiam carnalis continentiæ sanctitate. Perducebantur, inquam, non à pœna, sicut Gentilibus videbatur, ad pœnam, sed à gloria potiùs ad gloriam, à certamine ad certamen aliud: vt qui captiuos à seculi pompis in obtinendo Christi nomine subegissent, etiam mortis aculeos consummatæ fidei virtute calcarent. Neque enim fas erat, vt tardiùs quærerent in terrena colluctatione victoriam, quos iam Dominus secum habere properabat. Et contigit, vt fratres Agapius & Secundinus, ex illustri sacerdotio martyres gloriosi, in eo transitu, quo ad beatum passionis suæ prælium, Præsidis quidem temporanea potestate, sed Christi electione pergebant, nostrum interim dignarentur hospitium. Quibus tantus inerat spiritus viuificationis & gratiæ, vt tam sanctis & præclaris Dei testibus iam parum esset, quòd ipsi martyrio preciosum sanguinem destinâssent, nisi etiam alios martyres fidei suæ inspiratione fecissent. Horum tanta charitas fuit & tanta dilectio, vt licèt taciti possent iam deuotę & obstinatæ virtutis exemplis fidem fraternitatis extruere, tamen ad stabilitatem perseuerentiæ latiùs consulentes, pectoribus nostris rorem tractatũs *salutariùs infunderent. Neque enim tacere poterant, qui Dei sermonem videbant. Nec mirum, si paucis illis diebus tam largè nostrũm omnium mentes eorum tractatus salubris animauit, in quibus iam Christus, micante gratia, de proxima passione fulgebat. Deniquè ità proficiscentes illi, Marianum & Iacobum exemplo & magisterio suo dispositos reliquerunt, vt recentissima gloriæ suæ vestigia

Hos Martyrologia habẽt 29. Aprilis.

Agapius & Secundinus Episcopi.

for. *salutaris

Animãt alios suis sermonibus.

vestigia dimitterent secuturis illorum viam. Dum enim biduum fluxerat, eccè Marianum & Iacobum charissimos nostros sua palma quærebat, nec, vt alijs in locis, vnus hoc aut alius stationarius miles agebat subcenturio. Nam violenta manus & improba multitudo sic ad villam, quæ nos habebat, quasi ad famosam sedem fidei conuolârat. O exoptanda nobis incursio. O felix & digna exultatione trepidatio. Sic quidem ad nos ventum est propter hoc tantùm, vt Dei dignationem, Mariani & Iacobi iustus sanguis expleret.

Vix hoc in loco possumus, fratres dilectissimi, gaudia cumulata frenare: qui alios ante biduum ad ipsum passionis exitum à nostris amplexibus miseramus, alios adhuc nobiscum futuros martyres habebamus. Quos cùm iam matura dignatione fortis Deus quæreret, etiam nos aliqua fraternæ gloriæ pars perstrinxit, quia pertrahebamur à Muguis in Cirthensem Coloniam. Sequebantur autem charissimi nobis, & ad palmam passionis electi, quos & nostrî amor ducebat, & Christi matura dignatio. Ità miro modo & immutato pergendi ordine, sequebantur illi, qui fuerant antecessuri. Denique illis non fuit longa dilatio. Nanque dum nos exultantiùs adhortantur, se quoque Christianos esse liberiori gaudio prodiderunt. Mox interrogati, cùm in fortissima nominis Christi confessione perstarent, deducuntur in carcerem. Tunc attentantur numerosis durisque cruciatibus per stationarium militem, iustorum piorumque carnificem, adhibitis in auxilium crudelitatis eius centurionum & Cirthensium magistratibus, hoc est, diaboli sacerdotibus, tanquàm membrorum laceratione frangeretur fides, cui cura corporis vilis est. Et Iacobus quidem, sicut erat in virtute fidei semper austerior, qui & infestationes iam semèl variæ persecutionis euicerat, affectauit se non Christianum tantùm, sed Diaconum confiteri: Marianum autem fecit tormentis obnoxium, quòd se Lectorem tantùm, sicuti erat, fatebatur. Quænam illa tormenta, quàm noua, quàm diaboli venenato sensu & deijciendi artibus exquisita supplicia? Pependit Marianus ad vulnera, & quæ martyri etiam in ipsis lacerationibus affuit gratia, sic tortus est, vt illum exaltaret & pœna. Nexus autem, qui pendentem gerebat, non manus, sed summos apices pollicum vinxerat, scilicet vt digitorum tenuis exilitas plus in ferendis membris cæteris laboraret. Addita etiam pedibus iniusta pondera, vt discordantibus pœnis vtrinque distracta, & viscerum conuulsione resoluta, de neruis suis totius corporis compago penderet. Nihil egisti iuxta templum Dei, iuxta Christi cohæredem nequitia gentilis. Suspendideris licèt membra, concusseris latera, diuulseris viscera: Marianus noster in Deum fidens, quantum corpore patiebatur, tantum mente crescebat.

Marianus & Iacobus ducuntur in carcerem & dirè torquentur.

Immanes cruciatus.

Victa denique feritate torquentium, rursùs in carcere de triumpho suo multùm lætatus includitur, ibique cum Iacobo & reliquis fratribus gaudium victoriæ Dominicæ frequenti oratione celebrauit. Quid nunc gentiles creditis Christianos sentire carceris pœnas, & seculares horrere tenebras, quos manet gaudium lucis æternæ? Spiritus cum fida spe venientis gratiæ cælos mente complexus, suis iam non interest pœnis. Secretam licèt supplicijs quæratis & abditam sedem, grauesque antri caligantis horrores, domumque tenebrarum, fidentibus in Deum nullus squalidus locus, nullum tempus triste sentitur. Fouet illos Deo patri dicatos fraternitas Christi diebus ac noctibus. Etenim Marianus post illam vexationem corporis altiùs in soporis tranquilla resolutus, quid diuina dignatio ad fiduciam spei salutaris ostenderit, expergefactus sic ipse nobis narrauit: Ostensum est, inquit, mihi fratres tribunalis excelsi & candidi nimiùm sublime fastigium, in quo ad vicem vnus præsidebat. Illic erat catasta, non humili pulpito, nec vno tantùm ascensus gradu, sed multis ordinata gradibus, & longè sublimis ascensus. Et admouebantur confessorum singulæ classes, quas ille iudex ad gladium duci iubebat. Tum auditur mihi vox clara & immensa, dicentis: Marianum applica. Et ascendebam in illam catastam: & eccè ex improuisò mihi sedens ad dexteram eius iudicis Cyprianus apparuit, & porrexit manum, & me leuauit in altiorem catastæ locum, & arridens dixit: Veni, sede mecum. Et factum est, vt audirentur aliæ classes, me quoque assidente: & surrexit ille iudex, & nos ducebamus eum ad prætorium suum. Iter autem nobis erat per locum pratis amœnum, & viridantium nemorum læta fronde vestitum, opacum cupressis surgentibus in excelsum, & pinnis pulsantibus cælum, vt putares eum locum per omnem circuitùs ambitum lucis virentibus coronatum. Sinus autem in

Marianus reducitur in carcerem.

Visio S. Mariani.

medio pellucidi fontis vberantibus venis & puris liquoribus redundabat. Et eccè subitò ab oculis nostris ille iudex recessit. Tunc Cyprianus phialam, quæ super marginem fontis iacebat, arripuit, & cùm illam de fonte implésset, hausit, & iterùm implens mihi porrexit, & libenter bibi. Et cùm Deo gratias agerem, excitatus, inquit, mea voce surrexi.

Item S. Iacobi visio. Tunc Iacobo quoquè in recordationem redijt, quòd sibi hanc significâsset coronam diuinæ dignationis ostensio. Nam superioribus diebus, cùm eiusdem carrucæ vehiculo Marianus & Iacobus, & cum his ego, viam communiter caperemus, ad medium ferè diem inter illa itineris confragosa mirabili & alto sopore correptus, postquàm à nobis interpellatus & excitatus est, euigilauit: Perturbatus sum, inquit, non sine gaudio meo fratres, sed & vos mecum gaudere debetis. Vidi, inquit, iuuenem inenarrabili & satis ampla magnitudine, cuius vestitus distinctus erat intantùm candida luce, vt oculi in eum constanter videre non possent: cuius pedes terram non calcabant, & vultus oris super nubes erat. Is cùm transcurreret, vnam tibi Mariane, & vnam mihi zonas purpureas in sinus nostros iaculatus est, & ait: Sequimini me citò. O quietem, vigilijs omnibus fortiorem. O quietem, in qua feliciter dormit, quisquis in fide vigilat, quæ terrena tantùm membra sopierat: quoniam videre Deum, nisi spiritus non valebit. Quantum exultantes, quamque sublimes animos martyrum esse credendum est, quibus in sui nominis confessione passuris, & audire Christum antè contigit, & videre offerentem se suis quocunque tempore? Non fuit impedimentum vehiculi promouentis inquieta iactatio, nec dies medius, qui sub calore tunc fulgebat solis. Nulla noctis expectata secreta sunt: nouo genere gratiæ martyri suo Dominus nouum opus visionis elegit: nec in vnum aut in alium fuit ista dignatio.

Aemilianus martyr. Nanque Aemilianus, quanuìs equestris ordinis haberetur, ad quinquagesimum propè ætatis annum carnis continentia peruenerat, continuatis in carcere gemina superpositione ieiunijs, & orationibus sæpè repetitis, per quas deuota mens pasta, in alium diem & sacramento Dei parabatur: in somnum media die reclinatus, quiete discussa, talia nobis suæ visionis patefecit arcana: Perducto me, inquit, de carcere, homo gentilis, hoc est, frater meus carnalis occurrit. Is res nostras admodùm curiosus insultabunda voce perquirit, sciscitans quatenùs nos pœnalibus tenebris in illis & inedia carceris haberemus. Cui respondi: Milites Christi & in tenebris clarissimam lucem, & in ieiunio cibum saturabilem, Dei habere sermonem. Et cùm hæc audiret: Scitote, inquit, quòd vos, quicunque in carcere habemini, si obnixè perstabitis, maneat pœna capitalis. At ego, qui verebar nè compositum luderet fraude mendacium, confirmare votum meum volui: Verè, inquam, patiemur omnes? At ille rursùm affirmans, dixit: Gladius vobis & sanguis in proximo est. Sed velim scire, an omnibus vobis, qui vitam contemnitis indiscretè, æqualia munerum cælestium præmia rependantur. Cui respondi: Non sum idoneus tam magnæ rei proferre sententiam. Attolle, inquam, ad cælum oculos: iam videbis innumerabilem turbam micantium siderum. Nunquid stellæ omnes pari luminis honore præfulgent? Et tamen omnibus lumen est. Ad hæc ille iterùm quid interrogaret inuenit. Ergò si qua discretio est, inquit, qui vestrùm sunt in promerenda Dei voluntate potiores? Nimirùm, inquam, præ cæteris duo, quorum nec tibi dicenda, & Deo nota sunt nomina. Illo acriùs incumbente, atque perscrutante molestiùs: Hi sunt, inquam, qui quò difficiliùs & tardiùs vincunt, gloriosiùs coronantur. Et propter hoc scriptum est: Facilius est camelum per foramen acûs transire &c.

(Visio Aemiliani. — Matth. 19.)

Post has ostensiones in carcere diebus pauculis commorati, perducuntur in publicum, vt eos Cirthensium magistratus, eulogio confessionis suæ honoratos, transmitteret cum parte damnationis ad Præsidem. Et eccè vnus è circunstantibus nostris omnium in se gentilium conuertit oculos, quòd iam per gratiam proximæ confessionis Christus in ore eius & facie relucebat. Cumque ex eo turbulentis & feruentibus animis quæreretur, an eiusdē & ipse esset religionis & nominis, rapuit tam dulcem promptissima confessione comitatum. Sic eulogijs suis beati martyres, plures Dei testes, dum ipsi ad martyrium parantur, acquirunt: & iam transinissi ad Præsidem, negociosum ac difficile iter cum voluntate properauerunt. Tunc eos Præsidi admotos, iterùm Lambesitanus carcer accepit. Hæc enim sola apud Gentiles hospitia iustorum. Interìm per dies plurimos effusione sanguinis trāsmittebatur ad Dominū numerosa fraterni-

(Apud paganos hospitia Christianorum, carceres.)

ternitas, nec peruenire ad Iacobum & Marianum Clericorumque victimam rabies insanientis Præsidis poterat, laicorum tam multis occupata vulneribus. Nam ità inter se nostræ religionis gradus artifex sæuitia diuiserat, vt laicos à clericis separatos, tentationibus seculi & terroribus suis putaret esse cessuros. Multa cædes Christianorum.

Ergò charissimi nostri & fidelissimi milites Christi, cæterique de Clero contristari aliquantulùm cœperunt, quòd laicis certaminis sui laude perfunctis, seruaretur sibi tam lenta & tam sera victoria. Tunc Agapius, qui iamdudùm martyrio suo consummatæ fidei sacramenta perfecerat, qui & ipse, cùm pro puellis duabus Tertulla & Antonia, quas sibi charissimas ad vicem pignorum diligebat, repetitis frequenter precibus oraret, vt secum & illæ Dei dignatione martyres fierent, retulerat meritorum suorum tali reuelatione fiduciam: Quid assiduè petis, quod vna oratione meruisti? Is ergò Agapius agenti Iacobo in carcere per tempus quietis apparuit. Nam ipsa, inquit, nocte Agapium nostrum videbam inter omnes alios lætiorem, quos vnà nobiscum Cirthensis carcer incluserat, solenne quoddam & lætitiæ plenum celebrare conuiuium. Quò cùm ego & Marianus quasi ad agapen spiritu dilectionis & charitatis raperemur, adcucurrit obuius nobis puer, quem constabat esse alterum ex geminis, ante triduum cum matre passis, corona rosea collo circundatus, & in manu dextra palmam viridissimam præferens. Et, Quò properatis, inquit? Gaudete & exultate: cras enim nobiscum & ipsi cœnabitis. O Dei magna in suos & præclara dignatio. O verè paterna pietas in Christo IESV Domino nostro, qui dilectis suis & in dulget tam larga beneficia, & clementiæ suæ munera præstaturus antè declarat. Dies à visione primus illuxerat, & iam promissis Dei sententia Præsidis seruiebat: quæ Marianum & Iacobum & cæteros clericos, tandèm patriarchis cum gloria redditos, è pressuris seculi sententia animaduersionis emisit. Et perducti sunt ad coronæ locum, qui riparum collibus hinc & indè sublimis, media fluminis conualle subsederat, sed & spectaculo erat celsa vtrinquè altitudo aggeris. Alueus ipse medio sinu fluorem beati sanguinis hauriebat. Nec deerat vtriusque sacramenti genus, cùm & baptizarentur suo sanguine, & lauarentur in flumine. Tertulla & Antonia. Agapius apparet Iacobo. Gemini cũ matre passi.

Mira tunc ibi cernere posses & exquisita compendia sæuiendi. Nam cùm manũ carnificis gladiumque ipsum, tot ceruicibus debitum, numerosus iustorũ populus vrgeret, artificis feritas dispositas agminum series in ordinem dirigebat, scilicet vt sacrilegi percussoris ictus, velut impetu quodam furoris pia colla percurreret. Deindè, vt nè expectabile fieret cruentum illud & barbarum ministerium, hanc sibi expeditionem sceleris inuenit. Nam si vno in loco percussurus ipse consisteret, immensam struem corporum cumulus aceruaret, & ipsum deniquè spatium tanta strage completus alueus denegaret. Tunc oculis sub ictu ferri de more velatis, nullæ tamen aciem liberæ mentis clausêre tenebræ, sed largus atq; inæstimabilis splendor immensæ lucis affuit. Nam plerique cum proximis atq; assistentibus sibi fratribus, quamuis in visum carnalis acici pars non pateret, videre se tamen & mira quædam loquebantur, quòd sibi apparerent equi desuper, niueo colore candentes, quibus inueherentur iuuenes candidati. Nec defuêre ex eodem martyrum numero collegarum quidam, qui reuelationem attestarentur auribus, & ex auditu equorum fremitus ac sonos recognoscerent. Ibi & Marianus, prophetico spiritu iam repletus, fidenter ac fortiter prædicabat proximam iusti sanguinis vltionem, variasque seculo plagas, vel de cæli iam culmine minabatur luem, captiuitatem, famem, terræque motus, cynomyiæ venena cruciantia. Qua prædicatione non tantùm Gentilibus insultabat fides martyris, sed etiam fratribus vigorẽ æmulandæ virtutis & quasi classicum præcinebat, vt inter tantas seculi plagas iustis Dei tam bonæ atque piæ mortis raperetur occasio. His peractis, Machabæico gaudio Mariani mater exultans, & passione perfecta iam secura de filio, non illi tantùm cœperat, sed & sibi, quæ tale pignus ediderat, gratulari. Complectebatur in filij corpore suorum viscerum gloriam, & in ipsa ceruicis vulnera frequens osculum pietas religiosa figebat. O te meritò Mariani, ò te beatam & filio tuo matrem & nomine. Quis in ea tanti vocabuli felicitatem credat errâsse, quam sic vteri sui fœtus ornauit? Inæstimabilis verò Dei omnipotentis & Christi eius in suos misericordia, qui fidentes in suũ nomen, non solùm gratiæ dignatione confortat, sed & sanguinis redemptione viuificat. Nam quis digna æstimatione possit eius beneficia metiri, qui in hoc paterna indulgentia semper operatur, vt in nos & hocipsum quo Dei nostri sanguine rependi credimus, conferatur: Cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Multi pro Christi nomine vno die trucidantur. Mira lux splendet, & vident martyres admiranda. Matris Mariani virilis animus.

HISTO-

HISTORIA BREVIS, SED FIDE DIGNA, TAMETSI AVTHOR IGNORATVR, S. MAXIMI MARtyris. *Habetur autem in antiquis MS. codicibus.*

30. Aprilis.



Ecius Imperator, volens profligare legem Christianorum, promulgauit decreta per vniuersum orbem, vt Christiani omnes, relicto Deo viuo & vero, dæmonijs sacrificarent: qui verò id facere nollent, supplicijs afficerentur. Quo in tempore vir sanctus Maximus se palàm Christianum declarauit. Erat verò plebeius, negocij sui curam gerens. Compræhensus igitur est & oblatus Optimo proconsuli apud Asiam. Dixit autem ei Proconsul: Quis vocaris? At ille: Maximus vocor, inquit. Proconsul dixit: Cuius conditionis es? Maximus respondit: Ingenuus quidem natus, seruus verò Christi: mei autem negocij curam gero. Proconsul dixit: Christianus es? Maximus respondit: Etsi peccator, tamen Christianus sum. Proconsul dixit: Cognouisti decreta inuictissimorum principum, quæ nunc huc allata sunt? Maximus respondit: Quænam illa? Proconsul dixit: Vt Christiani omnes, relicta superstitione, cognoscant verum principem, cui omnia subiacent, & deos eius adorent. Maximus respondit: Iniquam huius principis cognoui sententiam, & ideò me palàm ostendi. Proconsul dixit: Sacrifica ergò dijs. Maximus respondit: Ego non sacrifico, nisi soli Deo, cui me ab ineunte ætate sacrificâsse gratulor. Proconsul dixit: Sacrifica, nè te varijs faciam tormentis affici. Maximus respondit: Hoc est, quod semper optaui, vt carens hac temporali & misera vita, perueniam ad sempiternam. Tunc Proconsul iussit eum fustibus cædi: cumque cæderetur, ait Proconsul: Sacrifica Maxime, vt ab his liber sis tormentis. Maximus respondit: Hæc non sunt tormenta, quæ pro nomine Domini nostri Iesu Christi inferuntur: à quo si recessero, vera & sempiterna me tormenta manebunt. Tunc Proconsul iussit eum in eculeo suspendi atque torqueri, & dicebat ei: Iam cerne stultitiam tuam, & sacrifica, vt vitam lucreris. Maximus respondit: Lucrabor planè vitam, si non sacrificauero. Nam si sacrificauero, perdo eam. Mihi verò nec fustes, nec vngulæ, nec ignes tui vllum adferunt dolorem, quia in me manet Christi gratia. Tunc Proconsul tulit in eum sententiam, ità dicens: Eum, qui sacris legibus animum noluit accommodare, vt magnæ Dianæ sacrificaret, in terrorem reliquorum Christianorum, obrui lapidibus præcipio.

S. Maximus sistitur corã Proconsule. — *Virile pectus & præclara constantia Maximi.* — *Lapidibus obruitur.*

Et raptus est confestìm athleta Christi à ministris diaboli, gratias agens Deo, qui ipsum dignum iudicâsset certando superare diabolum: perductusque extra muros, lapidibus cæsus, tradidit animam Christo, cui est honor & gloria, in secula seculorum Amen.

FINIS.

DEO LAVDES ET GRATES.





ORDO ALPHABETICVS TOMI HVIVS DE SANCTORVM VITIS SECVNDI.

A, B, C, D, E. A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ii, Kk, Ll, Mm, Nn, Oo, Pp, Qq, Rr, Sſ, Tt, Vv, Xx, Yy, Zz. Aaa, Bbb, Ccc, Ddd, Eee, Fff, Ggg, Hhh, Iii, Kkk, Lll, Mmm, Nnn, Ooo, Ppp, Qqq, Rrr, Sſſ, Ttt, Vvv, Xxx, Yyy, Zzz. Aaaa, Bbbb, Cccc, Dddd, Eeee, Ffff, Gggg, Hhhh, Iiii, Kkkk, Llll, Mmmm, Nnnn, Oooo, Pppp, Qqqq, Rrrr, Sſſſ, Tttt, Vvvv. Omnes ſunt terniones, vno duernione E, excepto.

ERRATA, *ab ijs ferè, qui ſubſidiariam in hoc Tomo recudendo operam præſtiterunt, admiſſa, præter paucula quæ in ipſo exemplari hæſerunt, quo ſequitur modo corrigantur.*

PAGINA 42. *lin.* 47 *lege*, multumque renitentem 44.54.fuêre ſpiritus 45.24.minitans erexerit, 53.37. Vuinualoco 55.31.oſsuum 60.22.noſtrum. Chriſtianæ 110.14. Martyribus Adriano & 171.38 ſui vilitate 175.9.conniuentiam ſiue 16.ad euitanda 17.paſtellaticum 179.22.tanto in 181.31.cuiuſlibet 184.21.laico religioſo 58.proprius tenuit, 185.21.reuerentiſsimũ 57.quæ inter 186.10.fragrãtia 187.32.rebus ambiguis 191.18.quin Romanus 192.34. cuius manu 195.4.qui in hoc mundo: 32.ipſius ignorãter 196.27.reducant. 198.18.throno 200.28. ſicque ſtudeo 38.conſuetudine ſiue 202.19.hoc volumus 39.reuerẽtiſsimo 203.3.reuerentiſsimi 204.28.reuerentiſſ. 57.Caſtorio Notario 58.vides cauſas iniungi. 205.4.ad conſolandum 206.22.dij eſtis à 22 Quid igitur 41.ducebantur venales. 207.52.Qua Imperator 208.38.Conſiderare 209.3.quis animus 29.reuerentiſsimi 45.coacti Longobardorũ 211.32.in cri[illegible]ato 58.ipſius interius, 212.34.tremor quia 214.4.crimen diaconi 32.ad vindictam 55.ſæpè contingit 215.27.valeant 216.8.ſerie iudicati 268.7.eſt a Pilato 39.conſecutum? 42.mundana & terrena 272.39.cùm & mundum, 273.55.ſunt ei illata? 277.38.meretriciè 278.43.Neſcis me propter 279.33.vetuſtus 34.ſuppreſsis, 49.angariauerit te 281.8.erat, é 283.14.beato viro 284.41.ſunt, quales 286.3.autem tunc 20.pluuiam 337.56.latere 339.2.ocia gerere. 340.22.abripiebat 34.ardente eadem 37.ſuæ carnis 45.necdùm aduenien 51.cùm eleemoſynis 55.aſſcendit vir eius 341.41.quem primum 343.44.certæ neceſsitatis 345.6.quos etiam 27.cœnobitarum 348.29.epulantibus 350.7.multi amicorum 355.38.cantatus: 51.energumenum 356.30.Eadberto antiſtiti 359.17.eundem Bedam 360.14.poterat 24.luceret: 386.59.manum 411.35.cum ipſo 420.30.exurgere, quæ paulatim 422.55.cum ſancto 428.38.qua incommoditatibus 429.11.quod videbat, 46.ceſſant: quibuſdam 483.57. torqueri: 484.24.multa largitur 496.2.pro Miſſa 36.è Cuſentiæ 498.21.Angoliſinenſis Duciſſa, 25.Agennenſis 501.1.aggredi conueniens 502.6.de cognatione tua, 503.54.intolerabilibus illis 504.22.commiſerationis 556.11.vel diei vel noctis 558.37.poni faceret, 559.41.quidem deſperit, 43.vtiliora & fructuoſiora 561.2.vno ferè 562.16.pace inter diſcordes 41.quotiès offerebatur, 54.ac ſic 563.39.in ſcripta redactos 42.maximè demonſtrat, 574.6.Vincẽtius 476.1.Ei cùm 578.28.multæ flo- 579.44.cor afficiens 581.11.ipſo tribuũ eſſet profectura 582.5. autem locus hic 21.generauerat 586.39.hic nouæ 40.Domninus Antiochiæ: 673.14.vna omnes 16.alium eos 33. cruciatuum acerbitate 674.10.Stulti & amentes 18.& cum ipſis 676.47.ad paſtorum 677.35.miraculum non paucis 678.57.conflare pecuniam. 681.16.itineris contentus, 684.32.virum iuſtum 33.multò antè 734.50.ſimul etiam (*intermedijs lectionibus deletis*) paruulum 782.39.pœnitebis: 784.9.detractionibus 787.2.& factum eſt 788.57.ſitientem tamen 793.31.profectus eſt. 799.30.& ex more 821.45.more molæ 802.34.quidam malign[illegible] 803.9. ſibi verè à ſuis 52.Apoſtolicæ 54.penitiùs 804.13.ſe rebus 25.eundum, & conſilium 829.10.tormenta illis 830.43. cùm audiſſet 833.31.vigila ad 834.36.qui ſanctis ſuis 837.52.curarent, 838.8.[illegible] 35.celebritas 843.27.& libera erant. 847.38.omnia, quæ 848.5.hoſpitum cuſtos 849.7.[illegible] meo, 850.34.rota 35.ex fimbria 852.53. dextera 877.4.dilecta Deo virgo 887.5.[illegible] 18.puram gerentes 890.10.eſſet affectus. 899.29. quam liberè *Reliqua quæ occurrent, cùm leuiora videantur, quàm vt Lectori moram vel ſcrupulum debeant inijcere, annotare hic conſultò prætermiſimus.*

IN MARGINE: 47.11.lege, ad ſepulcra 18.Hemiterius 169.12. *adſcribatur*, Philip.4. 175.17.quoſque 389.33. Lib.4.cp.18. 21.Lib.1.cp.33. 213.1.1.Reg.15. 265.8.reliquias. 276.12.Abramij. 493.1.*adſcribatur*, Martyres. 793.2. 1.Cor.13. *Marginalia porrò quædam non ſatis rectè collocata ſedulus Lector facilè ad ſua quæque loca referet.*

